BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
18 — F
30

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

# MAXIMA
# BIBLIOTHECA
# VETERVM PATRVM,
## ET ANTIQVORVM SCRIPTORVM
## ECCLESIASTICORVM.

PRIMO' QVIDEM A' MARGARINO DE LA BIGNE,
in Academiâ Parisiensi Doctore Sorbonico, in lucem edita.

*DEINDE CELEBERRIMORVM IN VNIVERSITATE COLONIENSI*
*Doctorum studio, plurimis Authoribus, & Opusculis aucta, ac historicâ methodò per singula sæcula quibus Scriptores quique vixerunt, disposita.*

HAC TANDEM EDITIONE LVGDVNENSI,
ad eandem Coloniensem exacta, novis supra centum Authoribus, & Opusculis hactenus desideratis, locupletata,

ET IN TOMOS XXVII. DISTRIBVTA.

*Huic etiam Editioni accesserunt* INDICES QVATVOR *præclari, in hac tàm multiplicium Scriptorum vastissimâ collectione verè faces, & vt quis ad ipsorum lectionem introducatur, vtilissimi, imò omninò necessarij.*

I. AVTHORVM ALPHABETICVS, ipsorum ætates, & scripta indicans.
II. CLASSICVS, Authores per materias de quibus egerunt, exactè distribuens.
III. SYNOPSIS appellatus, operum omnium Authorum analysim continens, & argumenta exhibens.
IV. GENERALIS materiarum amplissimus.

*Consule quæ de his indicibus in ipsorum frontispicio, circa eorum vtilitatem, & vsum prænotata sunt.*

TOMVS VIGESIMVSSECVNDVS,
Continens Scriptores ab ann. Christi 1140. ad ann. 1150.


LVGDVNI,
Apud ANISSONIOS.
*M. DC. LXXVII.*
CVM APPROBATIONIBVS, ET SVPERIORVM PERMISSV.


Digitized by Google

Digitized by Google

# SERIES AVTHORVM, ET OPVSCVLORVM, QVÆ HOC SÆCVLI DVODECIMI PARTIS II. VOLVMINE II. ſeu TOMO XXII.

BIBLIOTHECÆ MAXIMÆ VETERVM PATRVM comprehenduntur.

MICHAEL GLYCAS claruit hoc ſæculo. Scripſit multa ut habet Poſſevinus in apparatu. Diſputanes duæ ex interpretatione P. Andreæ Schotti S.I. extant f.618, adjecto in fine ſcholio Jacobi Gretſeri. Editi ſunt præterea ejuſdem Annales in corpore hiſtoriæ Biſantinæ, quos propterea hic omittimus.

SIMEON JVNIOR *Theologus, Presbyter & Præpoſitus Monaſterij S. Martyris Mamantis ad Xilocercum*, putatur vixiſſe hoc ſæculo ſub Comnenis Imperatoribus. Scripſit de fide & moribus tum Chriſtianis, tum Monaſticis Orationes 33. extant fol.628. Divinorum amorum, ſive Commentationum ſacrarum librum ſingularem, fol.696. Capita Moralia ducenta duodetriginta fol.731. Tractatum de alterationibus animæ & corporis, qui novus huic editioni accedit Interprete Patre Poſſino S. I. fol.747.

Iis Simeonis operibus accedunt. Scholaſtici cujuſdam Dialogi de Deo ad Simeonem Theologum fol.749.

BASILII *Monachi & Presbyteri* Aſceticæ vitæ deſcriptio fol.750.

JOANNIS *Carpathiorum Epiſcopi* ad Monachos ex India capita 81, Sed cum jam reperiantur, licet inmutato ordine, ſæculo 7 ſeu tom. 12. hujus Bibliothecæ, fol.535, hic omittuntur.

Ex capitibus Theodori Edeſſeni 50. ibid. fol.752.

Ex vita S. Syncleticæ decem fol.755.

Ex Eliæ Presbyteri ſententiarum florilegio, florilegium fol.756.

Decerpta ex florilegio Petri Abbatis fol.760.

Leonis Imperatoris Canticum compunctionis fol.763.

Ejuſdem argumenti Canon Theolepti Epiſcopi Philadelphienſis fol.764.

Anonymi agentis animam, Canones duo ex Græcorum Euchologio fol.765.

SIMEONIS *Archiepiſcopi Theſſalonicenſis*, de divino templo, ejus miniſtris, veſtibus, & de ſacroſancta Myſtagogia ſive Miſſa Commentariolus fol.767.

Habentur hæc omnia ex Bibliotheca Bavarica Sereniſſimi Principis Maximiliani, à P. Jacobo Pontano S.I. edita cum ejuſdem notis. Nos hos authores & opuſcula Aſcetica, uti diſpoſita erant, reliquimus, quamvis aliqua ante & poſt hoc ſæculum potuerint eſſe conſcripta.

Ejuſdem Simeonis libri duo, nempe de ſacris Ordinationibus & de Sacramento Pœnitentiæ extant fol.773 Interprete P. Morino Congregationis Oratorij Presbytero.

THEORIANVS *Græcus* quidam vir doctus, floruit anno 1170. Scripſit Dialogum Theoriani Orthodoxi cum Generali Armenorum. Extat fol.796.

MANAEL *Patriarcha Conſtantinopolitanus*, floruit juxta Coccium hoc ſæculo. Scripſit Reſponſa ad Bellæ Epiſcopi interrogationes, quæ extant fol.812.

S. PETRVS MAVRITIVS, dictus VENERABILIS, *Abbas Cluniacenſis IX*, floruit anno Domini 1140. Scripſit plura, ex quibus quæ extant, recognita ſunt & edita omnia ex M.SS. Codicibus, ſtudio & induſtria Domni Marier Monaſterij S. Martini à Campis Pariſienſis Monachi & Profeſſi, & Andreæ Quercetani Turonenſis. Habentur omnia fol.813.

PETRVS *Pictavienſis*, *Monachus*, ſcripſit Panegiricum dictum in primo adventu Petri Venerabilis, cujus fuit diſcipulus ad Aquitaniam ſecundam. Extat fol.820, cum aliis quibuſdam ejuſdem Opuſculis.

GVILLELMVS *Abbas S. Theodorici, Cluniacenſis Ordinis*, floruit hoc ſæculo ſecundum Judocum Coccium. Scripſit Meditationes devotiſſimas & libellum de amore Dei, quæ duo opuſcula extant f.1142. Plura alia ejuſdem opera reperiuntur t.4. Novæ Bibliothecæ Patrum Ciſtercienſium, & etiam inter opera SS. Bernardi & Anſelmi, quæ hîc omittuntur.

GVIGO *quintus Prior Carthuſiæ*, floruit hoc ſæculo. Scripſitque aliqua quæ recenſent Trithemius & Petrus Dorlandus Carthuſianus. Meditationes ipſius piiſſimæ extant fol.1163.

HVGO ETERIANVS, natione *Tuſcus* floruit anno 1170, ſcripſit de Regreſſu animarum ab Inferis ad Clerum Piſanum librum unum. Item, de Proceſſione Spiritus ſancti contra Græcorum errores, libros tres, qui extant 1176. Vide prænotata ex Magiſtro ſacri Palatij ante hos libros de Proceſſione Spiritus ſancti.

ARNOLDVS *Carnotenſis, Abbas bonæ Vallis*, fuit familiaris S. Bernardo, cujus & vitam ſcripſit & poſt obitum ejus floruit. Scripſit de ſeptem verbis Domini in cruce prolatis, qui cum ſcholiis Franciſci Titelmanni & recognitione P. Andreæ Schotti S.I. extant f.1260. Scripſit præterea Sermonem de laudibus B. Virginis f.1281. Item tractatum de operibus ſex dierum ex Recognitione Dionyſij Petroneti Melodunenſis Eccleſiaſtæ Antiſſiodorenſis, qui extat fol.1284.

ARNVLPHVS, *Lexovienſis Epiſcopus*, floruit hoc ſæculo, ſcripſit Epiſtolas, Conciones, & Epigrammata, quæ omnia ex Bibliotheca Odonis Turnobi edita extant fol.1304. Ejuſdem Arnulphi Tractatum de Schiſmate orto inter Innocentium ſecundum & Petrum Leonem habes tom.2. Spicilegij Domni Lucæ Dachery O.B.

HVGO *Rothomagenſis Archiepiſcopus*, ad quem ſunt plures S. Bernardi & Petri Venerabilis Epiſtolæ, ſcripſit libros tres de Eccleſia & ejus miniſtris cum aliquot Epiſtolis, qui libri extant fol.1340. Obiit autem Hugo juxta Necrologium Rothomagenſe anno 1164 quarto Idus Novembris.



Digitized by Google

# BIBLIOTHECÆ VETERVM PATRVM, ECCLESIASTICORVMQVE SCRIPTORVM, SÆCVLI XII

Partis II Volumen Secundum.

# MICHAELIS GLYCÆ DISPVTATIONES DVÆ,

## INTERPRETE IACOBO PONTANO

Societatis IESV, ex Bibliotheca Andreæ Schotti eiusdem Societatis.

### *DISPVTATIO PRIMA.*

Vtrum in peccatum lapsis condescendendum, an, prout ratio postulat, increpandi sint?

*AD IOANNEM SINAITEN, Monachum & Stylitam maxime Venerandum.*

HOC etiam à veteribus consignatum est litteris, ô sacrum divinumque caput, ſavem noctuam, deformissimum animal, aquilæ eximium quippiam, admirabile videri: quam vt natura suspiciendam honorabunda prosequatur & obstupescat: cum tamen aliud nihil sit, nisi turpis, & vulgo despicabilis noctua. Nolim mihi occurras, narrationem hanc falsam atque ad voluptatem audientium iam olim excogitatam esse fabulam: ex nobis enim ipsis, si alia argumenta desint, firmitatem probabilitatemque sumit. Nam ecce altivolans tu, & sublimis, qui instar aquilæ aërem tranas: qui pennis sub intelligentiam cadentibus ad æthera subvolas: qui ad occursum corporis de cœlo quondam venturi paratus & expeditus es, me plurimi facis, & magnopere admiraris; nec secus atque amabile aliquid vbique circumfers, multorumque aures novis quibusdam de me commemorationibus, ceu magico carmine detines atq; demulces. At tua quidē de me talis est opinio. Ego vero plane nihil, præterquā noctua sum, intus deformis undiquaque, & ad ipsū hoc diei lumē cæcutiēs. Quamobrē & nunc ad opera lucis invitatus tergiversor, & negotiū supra ingenium, supraque vires meas refugo. Quare noli amore nostri victus

excellentes

Digitized by Google

A excellentes arbitrari, qui nihil sumus: nec velis ad divinos sensus pertractandos compellere, quorum & vita impura, & lingua similiter ad res istiusmodi explicandas imperita invenitur. Haud enim eo insaniæ progrediemur, vt & qui simus, & quo malorum peccando devenerimus, funditus nesciamus. Equidem metuo, ne adversum nos propheticum illud proferatur. *Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?* Ps.49. Itaque præstaret nos laudationes scribere, quam adeo libere, & absolute nihil recusare, & inconsulto viribus superiora suscipere. Verum enimvero, ne iussa tua aspernentes, inobedientiæ culpam commereamur, en confisi sanctitate tua, audemus aggredi, ad quæ pertingere nequimus, & ut possumus, quæsita tua dissolvimus. Proinde hinc aures mihi da.

In peccatis se volutantibus, vir sanctissime, vt in stupris, vt in adulteriis, protinus condescendere non esse fas: sed tales potius iis reprehensionibus B consectandos, quibus animæ vulnera sanari consueverunt, sacra scriptura satis superque demonstravit: & nihilominus idem corporum medici evidenti documento ostendunt. Vides enim illos secare aliquando, cum necessitas sectionem flagitat. Præterea vstiones, & amara medicamenta adhibent; valetudinem sæpe desperant, & ægrotis mortem augurantur. Cur tandem? vt eos in tuenda sanitate in posterum cautiores efficiant, & ita nihil eis ignorantibus inopinum officiat: Quod si eos in victu nullum servare ordinem, & promiscue quidvis edere, aut bibere viderint, quid opus est verbis? Ab iis visendis abstinent, vt qui ad suos ipsorum numeros viuant, & auxilia medica usurpare negligant. Ideo autem se ab illis removent, ne qua labe ignominiæ inurantur, quasi artem male didicerint, & inde nomen eorum in contemptu ponatur. Quocirca si quis etiam ad eos accesserit, difficili morbo C impeditus, & eos quanquam tempore parum opportuno medicamentum sibi componere vrgeat, non solum precibus eius benevole non annuunt: verum etiam ut amentem repellunt. Et si enim nonnunquam indulgent ægrotanti, eumque consolatione deliniunt, non tamen eo usque id faciunt, vt propter intempestivam eius petitionem homicidæ audire velint. Salutarem porro medicinam pestiferam posse reddi, si alieno tempore fiat, sapiens ille docuit his verbis, *ἀκαιρία ἐν μὲν ὑγιείᾳ νόσον ἐπήνεγκεν ἐν δὲ νόσῳ θάνατον*, *intempestivitas in sanitate morbum, in morbo mortem attulit.* Iam si talis ac tanta diligentia à corporum medicis præstatur (neque enim unquam indulgent ægrotis, ubi manifestum periculum cernunt) multo magis morborum ad animam pertinentium medici & curam præcipuam suscipient, & secundum leges spiritus male habentium diætam moderabuntur. Si igitur corporeis affectibus medentes, & sentiunt & faciunt omnia ex medicinæ præceptis, idque vt corpus, quod D multis partibus anima est inferius, ad sanitatem suo labore perducant.

Curator autem, & Salvator noster Iesus Christus præclarius ostendit, num voluntatibus humanis condescendere oporteat, nec ne. Dixit enim, *nisi manducaveritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Ioan.6. Tum vero *multi discipulorum eius abibant retro, nec amplius ambulabant cum eo, dicentes, durus est hic sermo, & quis potest illum audire?* Atque illi quidem hoc modo. Quid ad hæc Salvator noster? neque mollius quippiam locutus est; & se deserentes nihil curavit penitus: sed eos abire sivit, vt divinus Ioannes ait. Hoc autem fecit utique, non quod eos salutem adipisci nollet: verum quod cum tali medicina indigerent, nec intelligerent, nec magistro obedire didicissent, retro abire pro ipsorum arbitrio permissi sunt. Indigere autem nos ista medicina, constat omnimodis. Postquam enim malorum multorum machinator draco ille à principio exitium nobis in os immisit, vicissim curatio per os excogitata & inventa est. Hoc enim sensu etiam Iudæis E Dominus dixit: *Nisi manducaveritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Quid ita? quoniam serpentis, quem mente percipimus, veneno ante tempus mortui estis.

Quod cum ita sit, de cætero præpurgatione opus est. Novit enim probe sanctitas tua, etiam volentes antidotum recipere, eo non similiter & fortuito vti, priusquam videlicet malignis humoribus, à vitiosa victus ratione collectis sese purgaverint: sed attenuantur & purgantur ante, & sic demum pharmacum accipiunt. Quod sine dubio idcirco faciunt, ne pro pharmaco utili, noxium accipiatur. Quare sacrum gustare calicem nihil prodest, nisi prius bene purgatus sis. Hæc porro dicimus, non vt nos in desperationem abiiciamus; verum vt modos potius ac rationes discamus, per quas vita & mors invehi solet. Quod si affirmaremus, etiam eiectis humoribus vitiosis, & F inde nobis aptitudine conciliata, nondum permitti nos sacro poculo frui, tum sequeretur vt desperandum esset. Quod si nihil est huiusmodi, & qui accedit, tantummodo discit quomodo accedendum sit, ne inde mortem pro vita lucretur (nam iuxta beatum Paulum, *ideo inter nos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi*) 1.Cor.11. qualis est ista in hac re desperatio? immo potius salutis concipiendæ spes, quam veritatis cognitio parit. Quam ob causam vigilandum est. Quantum enim habet boni eius quo facto opus est agnitio; tantum contra habet mali eius quod conducibile est ignoratio. Reputa enim tecum, non paucos infirmorum adiisse mortis periculum, quia cum in medicos inexercitatos incidissent, congruentia morbo remedia non sint adepti. Quod si istuc ita se habet, nulli rei parcere æquum videtur: si quidem potius tum ipsi male valenti, tum pharmaca ministranti manifeste periculum imminet.

G Ac si placet, admonitionem ausculta, qua Basilius Magnus sacerdotem unumquemque compellat, in hæc verba. Vide ne paveas hominem, ad lapsum & delictum tuum: neve tradas filium Dei in manus indignorum. Ne verearе quemquam gloriosorum terræ in hora illa. Et vt paucis comprehendam, quos sacri canones excludunt, ne illos fac participes. Insuper & Ioannem aurea fundentem flumina divina dona administrantes sic affatum constat. Si enim conscij nequitiæ cuiuspiam, huius mensæ eum participem fieri permiseritis, sanguis eius de manibus vestris requiretur. Sive ergo dux accesserit, sive Præfectus, sive ipse diademate cinctus, indigne autem accesserit, prohibe, maiorem illo potestatem obtines.

His positis non est, opinor, consentaneum condescendere, vbi potius animæ periculum est: sed adhibendam illic medicinam, secundum leges spiritus, si modo etiam obtemperent ægroti. Sin autem præfati, & suo ipsorum se arbitratu regentes, curationem H ægrè sustinent, alterum è duobus in his faciendum; vt vel pedetentim emendentur; vel omnino deserantur. Nam super populo incredulo, & contradicente, vt ait Magnus Basilius, illud dicendum; servans serva animam tuam. Isa.65.

Molesta quidem apparet hæc oratio, & dura, & severa: at non omnibus prorsus; verum illis magis, qui secundum Christum nolunt vivere, ita dicentem, *iugum meum suave, & onus meum leve.* Mat.11. Si ergo levia sunt Servatoris nostri mandata, quid faciemus nos, qui ea per nostram segnitiem gravia, & odiosa reddimus? nec istuc saltem cogitare possumus, nos medicis corporum nusquam repugnare. Quin doloribus nos ipsos subiicimus, & amaras potiones patienter haurimus, & cauterium in cervicibus perferimus, & alia huius generis, propter curationem corporis multa toleramus: spirituali verò medico nostro neutiquam subdi volumus, omnibus modis res eius curiosè perscrutantes; dictitantes eum pœnis infligendis rigidum; rursum, in congressibus arrogantem, & insolentem esse; non

A videntes, secundum ulcera quibus laboramus, emplastra quoque nobis imponenda. Scio enim aliquando vtile esse condescendere, hoc, inquam, nos quoque confitemur. Veruntamen non in singulis, & per omnia vtile est, quoniam nec eiusdem habitus sunt omnes. Nam qui promptus est & cedere aliquando, & referre pedem, quando id tempus post ulat, huic planè conducit condescensio: talem quippe trahit amplius, & facilè iugo spiritus subiicit. Ast pro sua libidine viventi, & retrogredi minimè volenti, & pharmaca penitus aversanti, ei condescensio multum incommodat. Facit enim amplius transversum agi, & labi. Ob hoc enim Dominus nunc dixit, *vt autem non scandalizemus eos, accippe hamum, & vade in mare:* nunc autem scandalum flocci pendens, inquit, *plantatio quam non plantavit pater meus cœlestis, eradicabitur.* Demonstravit namque hinc, & prodesse, & non prodesse frequenter condescensionem. Quare & eos qui immeritò in eo offendebantur parvi faciens, aiebat, *plantatio quam non plantavit pater meus eradicabitur.*

Mat. 17

Mat. 15

B

His de causis cautè agendum est. Si enim medicus corporalis non consuevit tractare morbum alio quocumque modo; sed tantùm ex decretis medicorum, quamvis interdum ægrotus irascatur, quanto magis spiritualem medicum humanis cupiditatibus condescendere non oportet, siquidem de eius manibus in primis eorum sanguis requiretur, qui ex negligentia illius in perniciem animæ incurrerint? Aut igitur vt nosti, medere: aut linguam contine omnino; præsertim si ægroti adhibita medicamenta indignantur. Tunc enim non de tuis, sed de ipsorummet manibus eorum sanguis requiretur. Audi quid per Ezechielem dicat Deus. *Si speculator cecinerit tuba, & significaverit populo, & audierit audiens vocem tubæ, & non se observauerit: & venerit gladius, & comprehenderit eum, sanguis eius in capite eius erit; quia vocem tubæ audivit, & non se custodivit.* Hæc ex paucis multa, plura enim per angustias temporis non licuit.

Ezec. 33

C

# EIVSDEM DISPVTATIO SECVNDA.

## Vtrum audiendi sint docentes, hominem à principio caducum corpus habuisse: & passionibus, sive incommodis naturalibus etiam ante transgressionem obnoxium fuisse: cibúmque sensibilem in paradiso adhibuisse: & lignum scientiæ, ficum extitisse.

### AD VENERABILEM INPRIMIS Monachum Dominum IOANNEM SMENIOTAM.

D

PRIMVM quidem hominem illum ab interitu & corruptione initio liberum, post prolapsionem in peccatum, morte damnatum esse, ante alios sapiens Salomon docuit, in libro sapientiæ suæ, ad verbum ita loquens. *Deus mortem non fecit: sed in incorruptione creavit hominem, & imaginem propriæ æternitatis * fecit illum. Invidia autem Diaboli mors intravit in orbem terrarum.* Si igitur Deus hominem in incorruptione condidit, ad similitudinem æternitatis suæ, quonam tandem modo corruptioni & mortalitati subiectum asseremus, idque cum Deus, vt audisti, mortem ab initio non fecerit? Nam si dicimus, corpus illud Adami corruptioni aliquo modo obnoxium fuisse, nihil aliud dicimus, quam corruptionem & mortem tunc à Deo dominatum in nos habuisse.

Cap. 1. & 2. * lerit ... dimi...

Atqui aliter, aliter inquam res est: quoniam, vt iam dicebamus, Deus mortem non fecit. Quocirca de hoc dubitare nefas. Etenim si, quemadmodum illi volunt, etiam ante prævaricationem Adam primus homo mortalis erat, quid illi postea irrogatum mortis supplicium? quid pelliceam indutus est tunicam, si quidem à primordio eum Deus mortalem procreaverat? Cur etiam folia ficus consuit, & Deum latêre conatus est, si non divinitatis adipiscendæ spe illectus, primam stolam perdidit, & pro immortali mortalis repente evasit?

E

Gen. 3.

Accipe quod in rebus divinis egregiè versatus Ioannes Damascenus super hoc alicubi scriptum reliquit. Principiò nequissimus ille (Diabolus) spem consequendæ diuinitatis Adamo iniecit, atque ita eum ad conditionem moriendi, more animantium brutarum, deiecit. Doceant igitur isti, ubi prius cum esset, & unde ipsum ad interitum cum bestiis communem deiecerit. An à sublimitate immortalitatis utique, qua ante mandatum ab se violatum præditus erat? Per inobedientiam igitur, generis nostri auctor ad corruptionem & necessitatem subeundæ mortis redactus: per inobedientiam ad induendam pelliceam illam tunicam damnatus est: per inobedientiam calamitosa hæc, & variis exposita incommodis vita introivit. Ait enim, *quia hoc fecisti, spinas & tribulos terra pariet tibi.* Quid multa? si primitus Adam ita fuisset conditus, vt mori posset, non eum peccato iam irretitum morte condemnasset Deus. Qui enim condemnasset? nam vel citra condemnationem mors mortales naturaliter sequi consuevit. Quamobrem nihil tibi cum illis sit; præsertim quando Carthagine congregata synodus quæ dicta sunt confirmat; cuius illa verba, canone centesimo nono leguntur. *Si quis dicit, Adamum mortalem à Deo formatum, & non post peccatum corruptioni factum obnoxium, anathema esto.*

F

Sic etiam, vir sanctissime, quotquot Adamum medium inter immortalitatem & mortalitatem constituunt, procul à vera ratione discedunt. Quapropter tibi dubitandum non est. Etenim si Deus, cum produceret hominem, tunc illi dixisset, quo die comederitis de arbore, morte moriemini, attulissent isti aliquid, quia principio mortalem eum simul & immortalem fuisse opinantur. Quia verò multo post eius creationem mandatum dedit, vnde & mors occasionem contra nos nacta est (ait enim, *si comederitis morte moriemini*) curiosius indagare primi hominis conditionem prorsus non decebat eos, qui sacram scripturam interim legunt & perscrutantur: cum hinc perfectè scirent, quali natura esset conditus, qui secundum imaginem Dei scilicet factus esset. Patet enim, Deum manuum suarum figmentum honorare volentem, à primordiis statim, atque ab ipso principio illud incorruptionis munere condecorasse. Atque huic universus sanctorum chorus astipulatur; nec tu fidem dictis non adhibe. Quoniam namque Deus hominem omnium terrenorum principem constituere voluit, ob id (ut auream orationem fundens Ioannes inquit) animæ essentiam illi largitus est, hinc ipsum etiam iugiter immortalem esse volens. Nam si hoc non fuisset, si animum mentis compotem à Deo Adamus non accepisset, nihil erat futurus, iuxta divinissimum Ioannem: vtpote formatus de pulvere, vnde nimirum bestiæ quoque procreatæ sunt.

G

H

Intellige igitur, ô sacrum caput, ex multa bonitate Dei talibus munerantis incorruptionem tunc Adamo, quem primum finxit, impertitam esse, & gratiam statim in ipso perfectam simul, & omnibus numeris consummatam penitus fuisse. Alioqui non illi sacer paradisus ad habitandum contigisset: non ei honoris ergò in omnia terrena imperium datum esset: non illi tunc immortalitatis amplitudo, secundum imaginem æternitatis Dei collata fuisset. Verùm hæc quidem à principio ipso ex gratia Adamo à Deo concessa sunt, vt diximus. Divina autem vox illa, ne comederet de

a

ligno

A ligno scientiæ, ne morte moreretur, multo post creationem istanc ei legem imposuit, vt suprà meminimus. Imposuit autem iis de causis, quas novit ille, *qui* Dan.13. *novit omnia, etiam antequam fiant.* Quamobrem sine illos: noli tu quoque sermone imperitorum simul auferri. Creavit enim Deus hominem in incorruptione, hoc est, illico incorruptibilem ipsum produxit. Atque idcirco à ratione alienum est dubitare. Si enim Deus, vt iam significavimus, primum hominem secundum imaginem æternitatis suæ ab initio condidit, quid quæso dicere attinet, qualem illum secundum naturam condiderit: siquidem secundum imaginem æternitatis suæ illum tunc condidit? quæ quidem ab omni corruptione extranea est, vt oratio paulò infra sanctitati tuæ luculentissimè demonstrabit. Ne itaque mireris, quandoquidem & divinum Anastasium Sinaitam habes, cuius in oratione de resurrectione hæc B sunt ad verbum. Et fecit Deus hominem; ad imaginem suam fecit illum. Prima est hæc fictio, simplex, omni iugo soluta, incorruptibilis.

Si ergo prima creatio corruptione vacabat, vt divinus vir de primo homine disserens dixit, quid requirimus amplius? incorruptibilem enim illum iam tum Deus produxit, vt iam docuimus: quin & immortalitate cohonestavit. Nec mea istæc verba sunt: sanctissimus Andreas Cretensis, sermone de defunctis ita locutus reperitur. Ficto ab se homini Deus rationis & intelligentiæ, & immortalitatis & immunitatis ab interitu ornamenta contulit.

Iam si Deus homini immortalitatis ornamenta præbuit, vt divinus hic vir affirmavit, vnde postea disputatores illi, aut quasi tandem magistro vsi, mortalitatem immortali admiscuerint, idque priusquam ei mandatum daretur à Deo, hoc ante omnia discere postulamus. Si enim Adam, quod asseverant, mortis capax C à Deo formatus est principio, non postquam paulò post ad corruptionem mortalitatémque redactus est, hoc quoque dicamus prorsus necesse est, etiam lapsos Angelos non solum non lucidos fabricasse Deum, sicuti omnes ordines cœlestes; sed tenebrarum convenienter eos capaces fecisse. In his enim omnis quem possidebant splendor subito mutatus, in tenebras totus concessit. Sed neque hoc ab initio fuit, nec illud; quanquam id nobis adhuc indoctis videatur. Deus enim, qui hominem à principio immortalitate exornavit, & Angelis lapsis lumen inexplicabile principio largitus est, ille rursum eos & loco, & charismate spoliavit. Quam ob causam? quia maiora, & vltra captum suum conceperunt, & de dignitate sua cogitarunt, vt sacra scriptura testatur. Audias licet, quid Ezec.28 ad ipsum, Satanam nempe, per Ezechielem dicat Deus. Simul atque exaltatum est cor tuum propter pulchritudinem tuam, & dixisti in corde tuo, Deus sum ego repente de cœlo de Cherubim proieci te, & periit scientia tua cum pulchritudine tua. Ergo primus D homo, vir sanctissime, corruptionis, & interitus expers à Deo creatus est. Cæterùm vbi se maiora meditatus, divinitatem sibi promisit, castigans illum Deus, ne quid tale posthac animo versaret, corruptibilem, ex incorruptibili, & mortalem ex immortali reddidit. Neque hoc solùm; sed insuper è paradiso sine mora exterminavit, tametsi eius gratia sacrum illum hortum exquisitè plantaverat.

Sed quid ego exterminationem è paradiso memoro, quando & potestatem in animantes rationis inopes à Deo sibi tributam mox amisit, & propter transgressionem damnatus est ita, vt quas sub iure suo haberet, eas formidaret? Vides enim quomodo & leo ipsum contemnat, & pardalis fugiat, & cæteræ omnes Gen.2. subiectionem recusantes, longius ab eo recedant. Advertite igitur animum. Tametsi animalia Deus ad ipsum adduxit: tametsi omnia sub pedibus eius subie- Ps.8. cit, vt est apud Davidem, nihilominus peccatum hoc etiam principatu illum privavit. Quomodo autem privavit? non quod illa ἀρχῇ etiam ἀναρχίας susceptiva erat, vt plerique existimant: sed quod Adamus datum E sibi mandatum transgressus, omnibus illis à Deo ipsi per gratiam traditis excidit. Idem in immortalitate quoque cernere est. Si enim credimus, Deum omnia Cap.5. proprio consilio & voluntate facere & commutare, quod propheta Amos canit, efficitur omnino, vt credere debeamus, illum quoque mortalem ex immortali, rursúmque immortalem ex mortali & corruptibili facere. Quare nemo dicat, Adamum à principio morti obnoxium esse conditum, & si paulò post in corruptionem & mortem incidit. Mitte illos, quandoquidem manifestè ludunt, in quibus ludendum non est. Simul enim violavit mandatum Adamus & simul posse mori cœpit. Confirmat hoc scriptura sacra. *Quacunque die comederitis de arbore, moriemini.*

Quid plura? Si à principio ita conditus esset Adamus, vt morti deberetur, non diceret Salomon, *Deus* F *mortem non fecit.* Ista enim non cohærent, & parum inter se congruunt. Claret igitur hinc, simul fregisse mandatum, & simul factum quod non erat. Quid porrò istuc est? mors in Adamum principio minimè cadebat: sed vbi de ligno comedit, tum cecidit. *Quacunque enim hora comederitis*, inquit, *de ligno, morte moriemini.* Noli porrò istuc mirari. Quamuis enim animam intelligentem ei Deus indidit, vt inde æternitate augeretur: (& fidem facit ille lingua aureus) tamen, vt iam dictum est, mandati transgressio & immortalitate ipsum nudavit, & paradiso expulit, & in terram de qua Gen.3. sumptus erat, reverti fecit. Rectè igitur Propheta Amos, Deum omnia facere & transmutare arbitratu suo ad vtilitatem nostram.

Cognosce itaque. Si enim, vt copiosè probavimus, & incorruptibilis & immortalis à Deo Adamus creatus est, vnde quæso illi prorumpentes, medium ipsum inter immortalitatem, & mortalitatem fuisse toto pectore contendunt, & non omnimodis immortalem se- G cundum dignitatem ei ante peccatum impertitam pronuntiant? Ad hæc respondeant velim. Atqui nihil afferre queant. Neque, vt nosti, tantummodo mediam ipsum inter hæc duo extrema naturam habuisse affirmant: sed insuper etiam perpessiones naturales affingere eidem non pertimescunt, qui ante peccatum à corruptione, interitúque liber, nec pati poterat. Nec sententiam è scripturis probant, vt diximus. Sed tu ne timueris. Tali namque natura fuisse hominem ab initio, incorruptibili puta, & impassibili, & nullo modo passum, ab omni corruptione remotum, lingua aureus, homilia decima septima in Hexaëmeron sive Genesin docuit, vbi ait, hominem ante peccatum adeo segregatum, & liberum à perpessionibus fuisse, vt sunt Angeli, gloria perfruentem ineffabili. Et longè fusius in libro de statuis, vbi hac de re dilucidius verba facit. Cum enim corpus hoc corruptibile tantopere quidam calumniarentur, vt etiam divina fabricatione indignum dictitarent (aiebant enim, si plasma divinarum manuum esset, non ita innumeris malis subiiceretur) sic eos est aggressus. H

Ne quis mihi hominem hunc dicat, qui offendit, qui damnatus est, qui ignominia affectus. Sed si noscere quæritis, quale à principio corpus nostrum finxerit Deus, paradisum ingrediamur, & ab initio hominem conditum inspiciamus. Non enim, vt nunc, corpus illud corruptibile, & fluxum erat: sed tanquam aurea quædam statua, recens è conflatorio educta, & clarè fulgens, ita omni corruptione vacabat: non labor molestabat, non sudor labefactabat, non sollicitudines incumbebant, non tristitiæ obsidebant, non sordes, non lacrymæ, non aliud quippiam malorum similium. Verùm postquam in benefactorem se contumeliosè gessit, & Deum fieri se posse speravit, excellentioráque quam pro dignitate sua meditatus est, tunc nimirum, tunc sapiens Deus adhibita illi correctione corruptibilem, mortalémque fecit, & his tam multis necessitatibus alligavit. Hactenus Ioannes ille divinissimus. Ergo incorruptibile illud corpus iure vocavit.

Quod

Quod enim quasi corruptioni cuidam expositum non est, pro certo incorruptibile est. Quod si incorruptibile, quomodo obsecro, & qua ratione patiebatur? discere istuc cupimus. Nos enim per nosmet cogitando consequi non possumus, quo pacto corpus ab omni corruptione alienum pati,& affici potuerit, atque ideo doceri rogamus.

Porrò, sanctissime vir, etiam ab Heracleæ Episcopo, quanquam in divinis rebus sapiente disputata dubitationem non vulgarem nobis iniciunt. Quapropter illum in præsens adducere in medium non decebat. Quæ est igitur illa dubitatio? Quoniam ille explanans, quæ de homine disseruit celebris in theologia Gregorius, quomodo scilicet ab initio effictus sit a Deo, & qualem mox naturam sortitus, qualisque post casum factus sit, & qualem deinde sortem adeptus, ne malum foret sempiternum, hæc duo nobis cogitanda relinquit; aut se theologicis vestigiis non institisse (etsi hoc audacius à nobis dicitur) aut, quod longè audacius est, magnum hunc Gregorium ipsum sibi contradicere. Verum, idcirco mihi succensere haud æquum est. Licet enim plures nos pro superbis habeant, & insipientes vocent, qui hæc nimirum ad fidem, vt videtur, difficiliora affirmemus; tamen si quis accuratè inquisierit, quomodo, & qua ratione theologicas Gregorij sententias exposuerit, admirabitur: & inde nos accusare desinet. Bene igitur Beatus Paulus, *qui loquitur linguis, oret ut interpretetur.* (1.Cor.14.) Ecce enim in hoc libro aliquando dixit, hominem esse temporarium secundum corpus, ante peccatum; aliquando inter corruptionem simul & incorruptionem, sicut inter immortalitatem & mortalitatem medium primum illum Adamum, & naturalibus passionibus subiectum fuisse contendit; vt ita patiens, admoneretur & de præstantia mentis superbiens emendaretur. Aliquando summam ipsum apathiam habuisse, & corpus eius omni corruptione superius, vtpote immortalitatis secundum gratiam minimè expers, fuisse dixit. Hæc, divina accuratius perpendentibus, nequaquam admittenda censentur. Cave autem arroganter hoc à me dictum existimes. Si enim neque hoc erat primus homo, neque illud; id est, nec corruptibilis, nec incorruptibilis, nec mortalis, nec immortalis, vt illi placet, quomodo rursus eundem summam habuisse apathiam, & secundum gratiam immortalitatis non expertem fuisse asserit?

Equidem præ stupore vix me capio, quomodo admirandus ille vir in tantam discrepantiam devenerit: quomodo, vt nobis quidem videtur, ipse secum pugnet. Si enim nec corruptibilis erat primus homo, nec incorruptibilis, quomodo igitur admonitionis & castigationis causa patiebatur? Pati, necessario est corruptibilis. Si autem corruptibilis Adamus, quoniam patiebatur, qui tandem ipsum incorruptibilis & corruptibilis naturæ medium fuisse probare annituntur? Hæc nobis malè conclusa ab indoctis illis videntur. Si enim, vt illi autumant, medium inter magnitudinem, & humilitatem, hoc est inter immortalitatem & mortalitatem corpus Adami fuisse divinus Gregorius docet, quid est, quod idem vir magnus antea temporaneum vocavit? Huic oppositioni respondeant. Si enim temporaneum erat, patet etiam mortale fuisse. Si mortalis Adamus, quoniam corpus ad tempus durans gerebat, quomodo ipsum postea medium inter magnitudinem, & humilitatem fuisse ait?

Scito igitur, ô sacrum caput, de communi hominum natura pauca quædam differentem Gregorium, occasionem nescio quo pacto dedisse Patri huic, existimandi, de primo homine ista disseruisse. Sic igitur, sanctissime, & medium magnitudinis atque humilitatis, non de corruptione, vt arbitror, & incorruptione magnus ille scripsit: sed universe de anima & corpore. Etenim anima cuiusque, per divinam insufflationem, vt esset, consecuta, maior sine dubio luteo isto corpore fuit. Et quid plura attinet? Nam si verba theologica attentè legas, deinde expositionem super ipsa consideres, tunc, tunc inquam, disces, quantum discrepent, & à pia cogitatione hanc explicationem mirum in modum abhorrere disces.

Ne longè abeamus, temporarium & immortale: &, vt patiatur, & patiens admoneatur & erudiatur; &, animal sic constitutum, & alio postea conversum, neutiquam generis nostri principi illi & primo Adamo quispiam accommodaverit, nisi in incorruptione, & secundum imaginem æternitatis Dei etiam ante prævaricationem corruptioni & mortalitati debitum fuisse fateamur. Quæ cum ita sint, præstabat silere; cum præsertim ipsum Beatum Gregorium super primævo homine nihil tale tum dixisse videamus. Quomodo enim, si pergens etiam corpus illi dat à quacunque corruptione invictum, & confirmat sententiam his verbis: & sine omni tegumento & munimento? Talem quippe conveniebat esse, qui primus conderetur. Attentione digna res. Si enim docebat talem esse, qui primus fuit conditus, non egentem videlicet vllo tegumento, aut munimento (est autem hæc perfecta apathia) liquet, *temporarium & immortale,* &, *vt patiatur, & patiens admoneatur, & erudiatur,* ista, inquam, de communi hominum natura accipienda, vt iam monuimus. Fuit enim impossibile à se dissidere magnum Gregorium, nunc impassibile affirmantem corpus Adami, nunc passionibus naturalibus, idque ante transgressionem, subiectum.

Quod porrò corpus illud non egens vllo tegumento incorruptibile & immortale sine controversia fuerit, luculentius etiam Ioannes Chrysostomus tradit. Nam concione decima quinta in hexaëmeron inter cætera sic loquitur. Naturæ necessitatibus in paradiso nequaquam constringebantur protoplasti, prorsus incorruptibiles & immortales creati; neque vestimentorum amictu egebant. Si igitur, dilecte, Adam prorsus incorruptibilis & immortalis est procreatus, quomodo illi medium inter immortalitatem & mortalitatem statuunt? Multis itaque demonstratum est, hominem ab initio immortalem esse formatum, tunc ei immortalitatem donante Deo, qui magna donare consuevit. Et fidem habe etiam hic Ioanni oris aurei, dicenti. Cum nihil intulisset in vitam homo, mox immortalitatem, omnémque aliam in paradiso voluptatem accepit. Sed ubi divino mandato inobediens factus est, illico immortalitate spoliatus, ex immortali mortalis est redditus. *Quacunque enim hora comederitis*, inquit, *de arbore, morte moriemini.* Ac de istis quidem ita dictum esto.

Fuisse autem incorruptibile & immortale corpus illud, docuit etiam Beatus Cyrillus, in oratione de fabricatione hominis, ubi ad verbum sic est. Creatum est quidem corpus Adami è terra, à corruptione autem & morte invictum. Auctor enim & suppeditator vitæ illi vitam inseverat. Quin & Magnus Basilius. Cum finxisset hominem Deus, inquit, æternæ vitæ fruitionem illi donavit. Præterea divinissimus Barlaam sic ad Iosaphat. Primum hominem Deus potestate arbitrij sui, & immortalitate honoratum, regem omnium terrenorum declaravit. Idem Ioannes Chrysostomus, sic ad verbum disserens, concione vigesima prima in hexaëmeron. Fabricatum à se hominem Deus omnium quæ sub aspectum cadunt principatum habere voluit. Propter hoc enim dixit, *faciamus hominem ad imaginem nostram.* Faciamus hominem principem terrenorum universorum. Etenim nihil aliud illud *secundum imaginem*, nisi principatus & dominij rationem significat. Sicut enim universitatis Dominus in omnia imperium obtinet, aspectabilia & inaspectabilia, vt omnium conditor: sic cum animal hoc mente & consilio præditum cecidisset, id omnibus quæ oculis sentiuntur præesse voluit. Quare & animæ essentiam illi donavit, quo duraret ævo sempiterno. Tu noli dictis diffidere; si quidem & Salomon hoc ipsum indicat. *In incorruptione*, inquit, *Deus ho-* (Sap.2.)

minem

A *minem creavit, & secundum imaginem æternitatis ipsius.* Et esset quidem ita sempiternus: sed quia per socordiam lapsus est, & præscriptum sibi mandatum violavit, nec sic quidem omnino ab eo se removit: sed immortalitate quidem exutum, & morte damnatum in eodem ferme imperio reliquit.

Planum est igitur, hominem antequam de vetito ligno vesceretur, à morte liberum fuisse: non enim pro supplicio, ut Chrysostomus in decima sexta homilia docet, mortem ei post esum inflixisset. Verum hoc loco advertendus est animus. Non solum omnium quæ aspectu percipiuntur, regem eum constituere Deo placuit: sed & opere ipso imperium eius absolutum planè demonstravit. Omnia enim tunc animantia ad illum adduxit; tametsi quid futurum esset non ignoraret. Atque ita omnia, servorum specie illi repræsentata, appellationes ab eo susceperunt. Sic igitur per intelligentem animam immortalitate eum B honoravit. Quanquam enim & futuram non multo post prævaricationem ipsius prænosset, tamen ex sola præscientia eum damnare nolens, suam voluntatem in eo, ut Deo dignum fuit, explevit, & anima ipsum, ut iam dictum est, impertivit, per quam in perpetuum immortalis esset. Si ergo, immortalitate hominem cohonestavit, manifesto in errore versantur, quicunque mortalitatem illius immortalitati admiscent, Non parum enim hinc honorem homini à Deo in principio collatum obscurant, & imminuunt. Vnde & mortalitatem cum immortali confundere prorsus non decebat: siquidem Ioannem Chrysostomum prius dicentem audiverunt, sicut aurea statua, modo de conflatorio educta, & clarè fulgens: sic illius corpus ab omni corruptione liberum erat. Quare & mortalitatem cum immortali coniungere fas non erat: quandoquidem aurea lingua exemplo hoc potissimum usa est. Declarat quippe hinc, corpus eius morte & C corruptione fuisse maius: ut prodeuntem modo statuam, & clarè fulgentem, omni labe vacare necessario confitendum & credendum est.

Incorruptibilis igitur, & immortalis in principio homo. Quem etsi postea morte damnavit, tamen non diu sine consolatione reliquit. Audi quid de hoc scribit Magnus Athanasius, sermone de Assumptione hominis. Mors quidem ingressa est per inobedien- Gen.5.
tiam. Tamen laxans minarum vigorem Deus, statim spem immortalitatis humano generi præbet, & Enoch Hebr.11.
de medio rapit, & hinc mortalem naturam terminos immortalitatis suscipere docet. Hæc etiam discipuli Christi confirmantes aiunt, incorruptionem & diuturnitatem vitæ nostræ exemplis Enoch, & Eliæ evidenter stabiliri. Per translationem enim ipsorum spem immortalitatis, mortali huic naturæ mirabiliter admodum ingeneravit. Et idcirco Marcus Athanasius dixit, Eliam rapi, & velut in cœlum subvehi, mortem infra relinquentem. Damascenus præterea sic eum affatur. Currus in sublime tollens, igneam gratiam miraculorum tibi dedit Elia Thesbita, incorru- D
ptum te faciens, ut non videas mortem donec prædicaveris omnium consummationem. Et hi quidem sic.

Ioannes autem illud os aureum, hanc incorruptionem primum illum hominem habuisse, illustrius docet, cuius verba recitabo. Placuit Enoch, & transfertur. Vide Domini bonitatem. Cum enim invenisset virum virtutis officia præstantem, non eum privavit dignitate, qua protoplastum ante mandati transgressionem cumulaverat. Quæ porrò illa dignitas, quam primo homini principio Deus donavit? Incorruptibilem, immortalem, exitij expertem esse, ut liquido ostensum est. Quam dignitatem accepit quidem Adamus, perdidit tamen simul ac mandatum neglexit, perversóque consilio arborem tetigit. Itaque ut non penitus desperemus, quasi immortalitatem illam nunquam recuperaturi, transfert Enoch, & immortalitate eum dignatur, perque multa sæcula vitam ei producit: hinc significans mortalem naturam nostram illius modum exspectare, qua per transgressionem Adamus excidit. E

Quod si hæc ita sunt, quid plura attinet? Si enim primus ille homo hanc incorruptionem habuit, quam expectare Deus mortalem naturam docuit, Enoch transferendo, apparet plane, talem à Deo hominem ab initio conditum, qualem ex mortuis resurrecturum divina prædicant oracula. Ne igitur hæsita. Cogita tecum, quod etiam divinus Anastasius Sinaita in oratione de Resurrectione de his clarissimè posuit in hunc modum. Tale è mortuis excitatur corpus exanime, quale erat à principio, reiectis omnibus, quæ illi propter peccatum contigerant. Attende igitur. Si tale resurgit, quale à principio erat: resurgens autem tunc corpus certum est morte, & corruptione superius resurrecturum, id quod maximus ille Paulus testatur, *oportet*, inquit, *corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc immortalitatem*, manifestum sit, & cor- F
pus illud, primum videlicet à Deo creatum, verè immortale fuisse, & incorruptibile. quod toties iam di- 1 Cor.15
ximus. Idipsum quoque docet Nyssæ Episcopus Sanctus Gregorius præsertim ubi divinum Ecclesiastæ dictum exponit, nempe istuc. *Quid est quod fuit? ipsum quod futurum est. Quid quod factum est? ipsum quod faciendum est.* Ait enim, manu Dei factum hominem, Eccl.1.
non esse, qui nunc est propter peccatum, sive mutabilem & corruptibilem.

Si igitur *in corruptione Deus hominem fecit, secundùm imaginem æternitatis suæ*, ut Salomon ait: si in eo Sap.2.
declaravit studium erga illum suum, quod animam ratione præditam illi immisit, ut esset etiam immortalis iugiter, sicut Chrysostomus inquit: si igitur æternæ vitæ fruitionem donavit ab initio homini Deus, ut ait magnus Basilius; si igitur prima creatio Adami incorruptibilis erat, ut divinus Anastasius Sinaita scribit: si igitur dignitatem dedit principio homini Deus, nempe exitij expertem esse, ut S. Andream Cretensem dixisse patet: si igitur libertate vo- G
luntatis, & immortalitate cum decorasset hominem Deus, regem omnium terrenorum instituit, ut beatus Barlaam dixit, quomodo adhuc mortalem à Deo productum asseremus? prorsus impossibile opinor esse. Quid ni? quando & theologiæ doctissimus Gregorius non sinit de primo homine talia cogitando concipere. Nullius enim tegumenti, & munimenti indigum primum hominem cum affirmasset, stola immortalitatis vestitum esse qui primus à Deo est fabricatus, haud obscurè admonet. Etenim si secus esset, extrema illa corporum resurrectio ad veterem illam, & primam vitam reversio esse non diceretur.

*Reliqua, de cibo videlicet primi hominis in paradiso, & de ligno scientiæ boni & mali, desiderantur. A Glyca porro plures huiusmodi disputationes conscriptas fuisse, mihi fit credibile.*

*FINIS.* H

# IN DISPVTATIONES GLYCÆ,

## *NOTÆ IACOBI GRETSERI Societatis* IESV.

QVOD ad posteriorem disputationem Glycæ attinet; refellit illa ex instituto sententiam Dioptræ de natura Adami media inter mortalem & immortalem.

De

A De qua copiose etiam Glycas in Annalibus suis parte prima. Etsi in bonum sensum sententia Dioptræ accipi possit, ut iam supra notabamus. Operæ pretium autem erit, ea, quæ Glycas in Annalibus disserit, conferre cum hac eius disputatione: Inde enim quod hic deest de cibo primi hominis & de ligno scientiæ boni & mali petere licebit, tametsi errat Glycas, quando negat Adamum in Paradiso cibo vero & sensibili usum esse: nec argumenta eius quidquam concludunt, ut facile demonstrari posset, si id nunc nobis esset propositum. Quare dum minorem errorem, & qui fortasse non tam est error in re, quam in nomine, insectatur, in longè maiorem incurrit. Nam qui Adamum in statu innocentiæ immortalem fuisse asserunt, illi etiam docent homines in statu innocentiæ pati potuisse, non solum passione omnino perfectiva, qualis est receptio luminis & specierum, quæ fit sine ulla deperditione, sed etiam passione ad animalem vitam necessaria, quæ per se ordinatur, tum ad subministrandos vitales sensitivósque spiritus, quibus ad sensuum operationes indigemus: tum etiam ad perducendum per nutritionem & augmentationem animal ad debitam quantitatem & statum: tum denique ut semen generetur, quo ad conservationem & propagationem speciei, animal sibi simile possit generare. E Licet autem animalis hæc actio ad perfectionem augmentumque tam individui quam speciei per se ordinetur, per accidens tamen coniunctam habet resolutionem ac consumptionem quarundam partium animalis actione calidi in humidum. Quæ causa fuit, cur primi parentes in statu innocentiæ cibi sumptione ad vitam tuendam indigerent; necnon certis statutisque temporibus esu fructus ligni vitæ, quo altrix virtus confortaretur, integráque & in suo robore perpetua permaneret, ne actione ac permixtione continuus peregrinique nutrimenti debilitarentur paulatim, in infirmamque senectam, ut nos, ea de causa devenirent, tandémque deficerent. Vis enim ligni vitæ ea F erat, ut instar pharmaci antidotique præstantissimi non solum nutrimentum purissimum ac defecatissimum exhiberet, sed etiam altrices vires confortaret, ác in suo robore & puritate conservaret. Hæc & plura alia in eandem sententiam Ludovicus Molina tract. de opere sex dierum Disput. 28. Quem legisse iuvabit.

F I N I S.

C G

D H



Digitized by Google

# BIBLIOTHECÆ VETERVM PATRVM, ECCLESIASTICORVMQVE SCRIPTORVM

SÆCVLI DVODECIMI PARTIS SECVNDÆ,

VOLVMEN SECVNDVM.

E

# SIMEONIS IVNIORIS, THEOLOGI, PRESBYTERI F

## *ET*

## PRÆPOSITI MONASTERII SANCTISS. MARTYRIS MAMANTIS AD XYLOCERCVM.

## *DE FIDE ET MORIBVS TVM CHRISTIANIS, tum Monasticis Orationes XXXIII.*

EIVSDEM DIVINORVM AMORVM, SIVE Commentationum sacrarum liber singularis.

*Eiusdem capita Moralia ducenta duodetriginta.*

ACCESSERVNT, G

Scholastici cuiusdam Dialogus, de Deo: ad Simeonem Theologum.
Basilij Monachi & Presbyteri Asceticæ vitæ descriptio.
Ioannis Carpathiorum Episcopi ad Monachos ex India capita LXXXII.
Ex capitibus Theodori Edesseni L.
Ex vita S. Syncleticæ X.
Ex Eliæ presbyteri sententiarum ex diversis Florilegio Florilegium.
Decerpta ex Florilegio Petri Abbatis.
Leonis Imp. Canticum compunctionis.
Eiusdem argumenti Canon Theolepti Episcopi Philadelphiensis.
Canon agentis animam, ex Græcorum Euchologio.
Alius Canon peccatoris ad sanctissimam Deiparam.
Ex eodem.
Simeonis Archiepiscopi Thessalonicensis, de divino templo, de eius ministris, de sacris eorum vestibus, de sacrosancta mystagogia sive Missa, Commentariolus. H

*Omnia nunc primum ex Bibliotheca serenissimi utriusque Bavariæ Ducis, &c. Maximiliani, deprompta, & Latinitate donata à* IACOBO PONTANO, *S. I. cum Notis.*

### *LECTORI BENEVOLO.*

QVOD seculo, quo Imp. Constantinopolitanus, Simeon Presbyter, ὁ νέος Θεολόγος vitã vixerit, disces amice Lector, ex his, quæ statim à præfatione ista disputat Iacobus Gretserus noster, sacræ Theologiæ in Academia Ingolstadiensi Professor ordinarius, qui nostro rogatu nonnulla collegit, & ad locos quosdam Simeonis, breves annotationes adiecit. In exilium se proiectum duobus locis, uno in orationibus, altero in commentationibus ipsemet Simeon testatur: causam tacet. Prope fidem est, ardentem eius zelum hoc illi malum, immo bonum peperisse: quo quidem effervescens, forsitan solutos Imperatoris mores, licentiámque liberius accusavit. Quæ res, ut historiis mandatum novimus, sanctissimos quosdam viros vel afflixit, vel proscripsit, vel etiam de medio sustulit. Nam hic scriptor, si quisquam alius, integritatis, & innocentiæ Christianorum omnium, summorum iuxta ac infimorum longe cupidissimum se ostendit, ad eámque sedulo excolendam nos omnimodis exsuscitat, & extimulat. Vt porro communem hanc perfectionem atque sanctimoniam vehementer urget: sic monasticam creberrime, & accuratissime, commendare, eiusque consectandæ desiderio τοὺς μονάζοντας inflammare non desinit, & inertes, ac secundum carnem ambulantes acerrime reprehendit: nec non Præpositos atque Rectores eorum officij sui diserte admonet. Quocirca istis λόγοις (ut in codice Græco appellantur, nulla præterea voce addita, qua argumentum exprimeretur)

A mereretur) hæc inscriptio conveniens, & apposita videbatur, Orationes de fide & moribus tum Christianis, tum monasticis. Quanquam ex pulcherrimo illo virtutum choro nullas adæque admiratur, nullas ore pleniore, nec sæpius celebrat, quam humilitatem, & cor contritum, sive pœnitentiam, & ex ea scaturientes lacrymas. Quin & opera bona cum fide necessario coniungenda, adversus nostrorum temporum infandam hæresin egregie, ac luculenter docet. In sacris litteris, eaque doctrina, quæ Theologorum habetur propria, bene exercitatus, ac tritus apparet. Quare à Græcis συγγενέσιν vocabulo θεολόγου cohonestatus est; sed cum adiuncto, νέου, iunioris seu recentioris, propter magnum illum Gregorium Nazianzenum, vt equidem opinor, cui tam nobile, ac singulare nomen vniversa Dei Ecclesia consensu indidit, atque in perpetuum confirmavit: quem hic noster vt discipulus magistrum imitari
B præclare contendit. Hæc summatim de auctore, déque rebus his triginta tribus orationibus (quas ad honorem triginta trium annorum ætatis Christi se scripsisse, post extremam ipsemet confitetur comprehensis dicta sunto. Sequitur ut de altero eius opusculo dicamus, quod divinos amores, sive sacras commentationes complectitur.

Cum hunc librum ita inscriptum reperissem, θείων ἐρώτων βίβλος, ipsasque chartas inspexissem, primo aspectu versus, seu metra putavi esse (solent enim hymni ἰαμβικῶς, & carmine conscribi) versus autem partim longos, seu hexametros, partim iambicos, eosque senarios, & dimetros: & nescio quis in prima pagina totius voluminis, re non discussa, temere adscripserat, eos constare triplici genere, politico, iambico, & anacreonteo. De politico verum, de cæteris falsum dixit. Politici constant syllabis quindenis: nulla in iis pedum, seu
C dimensionis syllabarum, nulla ecthlipsis, aut synalœphes ducitur ratio: Interdum fit synæresis: & concinne in trisyllabam, aut tetrasyllabam vocem finiuntur. Exempli gratia.

*Nolo mortem peccatoris, dictum est à Domino:*
*Sed ut convertatur magis, vivat & in sæcula.*

Quales sunt trochaici tetrametri catalectici, totidem syllabis, sed metro compositi, vt

*Crux fidelis, inter omnes arbor una nobilis.*
*Nulla sylva talem profert fronde flore, germine.*

Cur politici appellati, Grammatici viderint. Quidam politicos, quasi vulgares appellatos putant. In lingua Græca iam degenerante, & vt ita dicam, barbarizante, aliquot ab hinc sæculis usitati fuerunt. Qui eos μετρικῶς volet conscribere, faciat vt prior sit iambicus diameter acatalecticus, posterior catalecticus Anacreonteus. Verum magis toni in hoc genere spectari solent, vt nimirum apte, & cum quodam modulo pronuntiari queant, quam quæ vocatur quantitas syllabarum. Iis quidam historias suas, vt Ioannes Zetzes, & Constan-
D tinus Manasses, quod ego sciam, contexuerunt. In bibliotheca Bavarica extat codex Græcus manuscriptus, Pselli in Cātica Canticorum, versibus politicis. Quod ad iambicos Simeonis attinet, servari quidem numerū syllabarum, at non dimensionem, & esse, quemadmodū superiora illa, μέτρα ἄμετρα, tantumque similitudinem versuum & imaginem quandam, modulationémque fuisse quæsitam animadverti. Cum ergo versus germanos non invenerim, cur ego interpres tam dura me necessitate constringerem, vt versus ex non versibus extunderem, ac procuderem? Quod etiamsi voluissem, locis plurimis propter res abstrusiores, & à vulgi captu remotiores, ideoque verbis etiam novis cum syllabis contumacibus indigentes, id præstare nequivissem. Omitto alias rationes, ob quas hæc pars voluminis Simeonici poëticis numeris submitti nec potuit si debuit, nec debuit etiamsi potuit, quod tu quoque, lector, iudicabis. Quocirca pedestri, & soluto sermone eam exprimendam consilium fuit, & eorum imitari factum, qui historias quoque politicis versibus conscriptas, similiter καταλογάδην expresserunt: & idcirco vocem ὕμνοι omisi: duas reliquas θείων ἐρώτων, Diuinorum Amorum ita retinui, vt quoniam multa essent in hoc libro, E
quibus ea non quadrarent, omnia Commentationes sacras nihilominus communiter appellarem. Quæ porro hic afferuntur, pietatem vel præcipuam, & beatos illos flores, quibus Sponsa fulciri desiderat, & vnguenta illa redolent, quorum odor est super omnia aromata. De Deo multa non solum doctissime, sed etiam dulcissime, tametsi nonnunquam, vt etiam supra in orationibus, ἐναγωνιστικῶς disseruntur. Adde quod non paucæ præceptiones interiiciuntur, quibus vel Christiana vel monastica vita instituitur, & ad perfectionem suam conformatur.

Tertia pars huius operis capita ducenta duodetriginta continet, in partes tres distincta, quas ego ad vnum corpus redegi. Et cum inscriberentur πρακτικά, καὶ θεολογικά, viderem autem in tanta multitudine pauca, & sparsim inserta theologica, eademque πρακτικά F
potius, quam ἠθικά, à numero potiore Moralia, nominanda, teque illo loco super eo monendum censui. In hisce capitibus similis est sibi Simeon, & quæ religione, pietate, doctrina cætera, eadem hæc edidit nec minus in his, quam in antecedentibus Christiana, & monastica sanctitudo, adhibitis etiam idoneis similitudinibus docetur, & inculcatur. Mirum quam hoc genere docendi Epictetæo, per capita scilicet brevia, Græci posteriores, & sacri scriptores delectati sint: quorum liceat nominare plurimos, si sit opus.

Vsus sum Græcis codicibus duobus, Bavarico, & Augustano. Capita ex aliis duobus Bavaricæ bibliothecæ habui; in quorum maiore tantummodo centum extabant, ex minore vt coniicio, carptim descripta: nam eo continebantur omnia. Litteris licet in extremis paginis, qua margines interiores coëunt alicubi fugientibus, vt interdum coniectandum fuerit. G

Quo autem munus hoc nostrum cumulatius in tuas manus perveniret, aliorum præterea recentiorum Patrum (quorum nomina infra post orationum indicem adscribemus) capita ascetica, seu dissertationes præclaras de moribus, & disciplina monachorum adiunximus; & in iis Florilegia quoque sententiarum, & apophthegmatum spiritualium. Quibus omnibus religiosorum virorum animos ad instituta sua vehementius amanda, studiosiusque observanda non parum excitatum iri confidimus. Atque hæc ascetica quasi alteram, quamvis non ita magnam, huius voluminis partem conficient.

Iam vero interpretationem meam non erit, spero, qui ut nimis fucatam & comptam vituperet: magis timeo ne existat, qui vt nimis illotam, & merum rus olentem accuset. Ego, mi lector, in rebus divinis & sacris Latina oratione de Græco transferendis omnem sermonis elegantiam, & munditiem, omnia verborum lumina, & ornamenta non excludo, quibus profecto H
nullæ res digniores sunt: sed ea comparate, & æque operose, quam in profanis scriptis adhibenda, conquirendaque non opinor: cuius iudicij mei rationem quia perspectam esse sapientibus nihil dubito, plura hic adducere supersedeo: & quæ à vetustis Ecclesiæ Doctoribus Clemente Alexandrino, Origine, Theodoreto, & aliis contra eos eruditissime disputata sunt, quos simplicitas sermonis sacrorum bibliorum offenderet, eadem ad pia, & sacra scripta modo quodam accommodanda, & in istius modi argumentis sæpe etiam barbare loquendum affirmo, quando vel commoditas exprimendæ sententiæ, vel vis ipsa verbi, vel vitatio similitudinis & fastidij, vel Latinæ linguæ egestas ita postulat. Bene vale, optime lector, & mihi bene precare, si merebor. Equidem ergo tibi ista legenti, & ad eorum præscriptum vitam moresque tuos componenti, sempiterna præmia à Deo iustorum remuneratore precor. Nunc de singulis huius voluminis Auctoribus speciatim aliquid audiamus.

## DE SIMEONE.

TITVLVS orationum est iste: τ̃ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν συμεὼν τ̃ νέυ θεολόγυ, sive ut habet inscriptio libro divinorum hymnorum præfixa, τ̃ τῶ ἐν θεολόγοις πρεσβυτέρυ καὶ ἡγυμένυ τ̃ μονῆς τ̃ ἁγίυ μεγαλομάρτυρος μάμαντος τ̃ ξυλοκέρκυ. *Sancti Patris nostri Simeonis* (vulgo Simeonis per io ta, non per ὑψιλόν) *Iunioris Theologi*, sic appellatus videtur, vt secerneretur à Gregorio Nazianzeno, qui Theologi nomen apud Græcos obtinuit; quod quia & Simeoni nostro datum est, ideo vox τ̃ νέυ usitato Græcorum more adiicitur; ne quis audito sine vlla adiectione Theologi nomine, Gregorium Nazianzenum animo conciperet, sic Stephanus ὁ νέος, *iunior*, Martyr sub Copronymo, ad distinctionem Protomartyris Stephani, sic Theodosius ὁ νέος, Valentinianus ὁ νέος, respectu ad eiusdem nominis antecessores. *Presbyteri & Præpositi Monasterij sancti & magni Martyris Mamantis in Xylocerco.* De S. Mamante Martyre agunt Latina Martyrologia 17. die Augusti, Græcorum Menologia 2. Septembris. Celeberrimus fuit apud Græcos vt liquet cum aliunde, tum ex oratione, qua Martyrem hunc S. Basilius exornavit. De eodem non pauca S. Gregorius Nazianzenus orat. in Novam Dominicam. Meminit & Miscella historia aliquoties Martyris Mamæ, in hunc enim modum inflectit Auctor ille nomen huius Martyris. In cuius honorem templum & Monasterium Constantinopoli condidit Pharasmanes (qui sub Iustiniano Imperialis cubiculi præfectus fuit: vt scribit Nicephorus lib. 18. cap. 41. *prope murum, cui Xylocercus nomen est.* Et huius Monasterij fuit hic noster Simeon Antistes & presbyter. Nec murus tantum ξυλόκερκος appellatus est; sed & eius loci porta, ea de causa, vt notat Auctor Pandect. Turc. Hist. *quod artifices portam illam fluentes, magna in fundamento aquæ reperta copia, tignis plurimis ac palis in aqua defixis lapides inieceriot, atque ita demum ædificij fundamentum firmum effecerint.* Hodie nominatur *Hagiobazari porta, per quam scilicet ingrediuntur urbem Hagiobazaritæ trans sinum habitantes è regione huius portæ. Nomen Hagiobazari significat vel sancti vel sanctum Emporium. Et Emporij voce Simeon quoque Magister cum alijs Græcis utitur pro nullis clausis portis, aut nullis cincto muris oppidulo. Sancti potius existimem dicendum emporium, vt intelligatur emporium sancti Mamantis, quod olim Monasterium insigne, palatium Augustale celeberrimum in historiis, pontem denique non minus nobilem S. Mamantis appellatum, habuit. Hic enim effundunt se in extremum Ceratinum sinum celebres illi prisci fluvioli Cydaris & Barbyses, nunc Machlena & Chartaricon, qui quidem ad S. Mamantem ponte iunguntur. Hagiobazariotarum vox denotat incolas emporij S. Mamantis.* Hæc ille.

Fuit insuper apud S. Mamantem celebris Hyppodromus, in quo Copronymus Andream Calybiten Monachum occidit, vt libro 22. Miscellæ traditur. De ponte ad S. Mamantem vide Suidam verbo μάμας, & Origines Constantinopolitanas Cod. m. Scripta eius nunc primum in lucem proferuntur, quorum meminit etiam epitome bibliothecæ Gesnerianæ. Sed male ex vno Simeone tres nobis cudit. Nam Simeon presbyter, & Simeon iunior, seu, ut Epitome loquitur, *novus* Theologus, & Simeon Xerocerci princeps, sunt unus & idem Simeon, nisi quod inepte vocat *Xerocerci principem*, qui vocandus erat Antistes seu Præsul S. Mamantis ad Xylocercum. Etsi enim noster etiam codex habet τ̃ ξηροκέρκυ, non tamen dubito, quin legendum sit ξυλοκέρκυ.

Porro præter monumenta illa Simeonis, quæ nunc in lucem exeunt; commemorat epitome Gesn. librum *de oratione, sive de tribus modis orandi*, quem in Bavaricis codicibus non reperimus. Ex capitibus practicis & Theologicis ponit tantummodo centum, & ad hæc, alia viginti quinque. Sed instructissima Boiorum principis Bibliotheca longe plura, vt vides, nobis suppeditavit: quæ in Codice 104. tribus titulis distinguuntur. 1. Τοῦ ὁσίυ πατρὸς ἡμῶν συμεὼν τ̃ νέυ θεολόγυ ἡγυμένυ μονῆς τ̃ ἁγίυ μάμαντος τ̃ ξηροκέρκυ κεφάλαια πρακτικὰ καὶ θεολογικὰ ρα. 2. κεφάλαια τ̃ αὐτ̃ γνωστικὰ καὶ θεολογικὰ κε. 3. τ̃ αὐτ̃ κεφάλαια θεολογικὰ καὶ πρακτικὰ ρβ.

De tempore, quo Simeon iste floruit, dicam non quæ certo, sed quæ probabiliter comperta habeo. Ac in primis ne monendum quidem arbitror, hunc Simeonem nostrum diversum esse à Simeone Stylita seniore; cuius vitam Theodoretus litteris mandavit; item à Simeone Stylita iuniore, qui sub Iustino minore floruit; item à Simeone Stylite in Cilicia, cuius meminit Pratum spirituale cap. 57. nam noster iste non fuit Stylites; & tres isti Simeones vixerunt ante tempora Iconomacha; Noster vel in ipsis, vel certe post ipsa. Nam Stephani Iunioris à Copronymo ob defensionem sanctarum imaginum interfecti, meminit. Quæ ergo eius ætas? Equidem sub Iconoclastis Imperatoribus vixisse eum arbitrari quis posset; sub Leone inquam Isaurico & Copronymo; vel certe sub Leone Armeno, Michaële Balbo & Theophilo, qui omnes cum imaginibus bella gesserunt. Hoc confirmare licet, ipsius Simeonis testimonio, qui oratione XIII. ait, *Diabolum esse nostrum hostem annis iam plus sexies mille ducentis*, supputatione videlicet Græcorum, ab orbe condito. Et ne quis mendum in numeros irrepsisse existimet, scire oportet, numerum hunc in Græco Codice non notari notis numeralibus; sed integris verbis diserte perscribi.

Iniit autem Leo Isauricus Imperium anno mundi conditi sexies millesimo ducentesimo nono, teste Cedreno. Deinde in Menologiis Græcorum die 20. Novembris refertur, Gregorium Decapolitanum multa ab Iconoclastis perpessum, venisse Constantinopolin. καὶ συμεὼν τὸν ὁμολογητὴν ἐν διαφόροις ὑπὲρ τ̃ ἁγίων εἰκόνων ἀρετὴν ἐγκεκλεισμένον, *& Simeonem confessorem reperisse inclusum in carcere propter sacras imagines.* Quid autem vetat Simeonem istum à Gregorio aditum esse eum ipsum, quem quærimus, cum ipse in exilium se proiectum esse duobus locis testetur, vno in orationibus; altero, in commentationibus: tametsi causam tacet. De Martyrio quoque Stephani Iunioris loqui videtur, tanquam de re suo ævo plane recenti.

Hæc & id genus alia verisimilitudine non carerent; si in Græco Codice διακοσίοις non ἑξακοσίοις expresse scriptum esset, αὐτὸς δὲ ἑξακισχιλίοις καὶ ἑξακοσίοις καὶ ἱκανοῖς τισιν ἔτεσι διαμείνας ἀεὶ πολέμιος τ̃ ἀνθρώπων ἀδηλος καὶ κρυφίος, &c. *Sexies mille, sexcentis, & eo amplius annis.* Longe ergo iunior est iste Simeon; ætasque illius in Imperium Ioannis aut Manuelis Comneni incidit; cuius extant aliquot Nouellæ, quarum una de *Voluntariis homicidiis*, edita & publicata est anno ab orbe condito sexies millesimo, sexcentesimo septuagesimo quarto, vt & alia eiusdem Imperatoris περὶ διαφόρων ζητημάτων, *de diversis causis ac negotiis.* Iniit autem Manuel Imperium anno Christi 1143. si non fallit Onuphrius in Chronico; quod annos triginta octo administravit, tribus mensibus demptis, teste Niceta lib. 7. de rebus Manuelis sub finem. Ergo Simeon iste Comnenorum Imperio Ioannis aut Manuelis floruit, hasque orationes conscripsit. Quare corrigenda sunt ea; quæ in Annotatione ad orationem tertiam de ætate Simeonis dicta sunt, convenienter primæ opinioni, quæ tamen fuit, si non διακοσίοις, sed ἑξακοσίοις cum Græco Codice legamus, vt sane legere oportet; cum scripturam hanc Codex manifeste repræsentet. Et quamvis iam tum Schisma Græcanicum extitisset; omnia tamen loca; quibus Simeon processionis sancti S. meminit à bono lectore in bonum sensum accipi possunt; vt & alia pleraque,

A ad quorum nonnulla annotatiunculas adiecimus: Alia eruditi lectoris candori permiſimus: Etenim non modo in hoc Simeone noſtro; ſed & in aliis non paucis Monaſticis & Aſceticis ſcriptoribus occurrunt quædam duriuſcule dicta, quæ lima indicij egeant. Vera me loqui fatebitur, qui percurrere volet ſermones aſceticos Eſaiæ Abbatis, Ioannis Climaci, Marci, Nili & aliorum. Tantum de Simeone habuimus: ad quem etiam ſcriptus eſt ſcholaſtici illius Dialogus, quem reperies poſt capita moralia, quæ nihil aliud ſunt, quam aphoriſmi quidam, brevéſque ſententiæ ad vitam rectè inſtituendam accommodatæ; cuiuſmodi capita ediderunt cum alij, tum Marcus Aſceta & S. Nilus, quæ exſtant.

### *De Baſilio Monacho Presbytero, & Præfecto Lauræ Maleini.*

B De hoc nihil mihi lectum aut compertum. Nec ſatis ſcio, utrum illud Maleini, hominis, qui lauram illam condiderit, an loci nomen ſit. Euſtathium Maleinum invenio apud Cedrenum, virum prædivitem & copioſum, quem Baſilius Porphyrogenitus Imperator ex Cappadocia ſecum Conſtantinopolim abduxit; opibus eius inhians.

### *De Ioanne Carpathiorum Epiſcopo.*

Meminit huius Epitome Bibliothecæ Geſnerianæ his verbis: *Ioannes Epiſcopus Carpathius ſic ipſit, περὶ τοὺς ἀπὸ ἰνδίας προτρεψάμενος μοναχοὺς, παρακλητικὰ κεφάλαια. Item capita practica num.* 117. περὶ ἀσκήσεως. *Extant Græcè in Italia, & in Bibliotheca Regia*, imo & in Auguſtana, vt indicat Bibliothecæ illius Catalogus Et Codex Auguſtanus non tantum centum & ſeptemdecim, ſed CCCXVII. Carpathij huius capita liquidiſſime continet. Quæ alio loco & tempore in
C Latinum converſa vulgabuntur. Extat quoque Philonis Carpathiorum Epiſcopi in Cantica Canticorum commentarius. Quod monere viſum; ne Inſula Carpathus ſolum Ioannem Scriptorem tuliſſe cenſeretur.

### *De Theodoro Edeſſeno.*

Epitome Biblioth. Geſn. *Theodori Edeſſeni Aſcetica, exſtat Græce apud Diegum Hurtadum Cæſaris oratorem Venetiis.* Capita, quæ publicamus ex Codice Bavarico, tantum ſunt Aſceticorum illorum ὑπομνήματα quædam. Sed quis iſte Theodorus? Num Theodorus diſcipulus Sancti Pachomij, de quo multa & mira refert is, qui vitam Sancti Pachomij litteris mandavit? quem Gennadius ſcriptoribus Eccleſiaſticis annumerat.

### *De Sancta Syncletica.*

D Anniverſariam huius vitam celebrant Græci & Latini quinto die Ianuarij. Celeberrima fuit apud Græcos & Latinos. Tradit Nicephorus lib. 8. cap. 4. Sanctum Athanaſium ſcripſiſſe vitam Syncleticæ, *eadem ratione, qua ſcripſerat vitam Antonij, ut ſicut in hoc viri, ita in illa haberent mulieres, quod imitari aſſidue poſſent. Vtinam exſtaret*, inquit Cardin. Baronius Notat. ad Martyrol. Rom. *Deperiit enim non ſine gravi totius orbis iactura; quam expendimus ex ingenti emolumento, quod Eccleſia eſt conſecuta ex Antonij vita ab eodem Auctore conſcripta.* At forte non periit; ſed vt alia multa adhuc cum ſitu & tenebris in angulo alicuius Bibliothecæ luctatur. Ex hac vita ſelecta ſunt, quæ hic vulgamus capita. In Bibliotheca Patrum inſerti ſunt libri octodecim divinorum apophthegmatum ſanctorum Anachoretarum, & quatuor alij eiuſdem argumenti. In his aliquoties citantur dicta S. Syncleticæ, vt lib. 7. cap. 17. citatur ſententia, quæ apud nos

E eſt ordine ſecunda. Ceterum quia plures eius nomine adferuntur; quas in Bavarico exemplari non reperimus; omnes in gratiam lectoris exſcribere & in vnum locum comportare iuvat. Lib. 3. cap. 16. *Labor eſt & magnum certamen inprimis eis, qui convertuntur ad Deum, & poſtea inenarrabile gaudium. Sicut enim, qui ignem accendere volunt, primo fumantur, & ex fumi moleſtia lacrymantur; ſicque obtinent, quod volunt; etenim ſcriptum eſt, quia Deus noſter ignis conſumens eſt; ita oportet & nos divinum ignem cum lacrymis atque laboribus in nobiſmetipſis accendere.*

Lib. 8. cap. 18. *Sicut theſaurus manifeſtus cito expenditur: ita & virtus qualibet, cum innotuerit, vel publicata fuerit, exterminabitur. Sicut enim cera ſoluitur à facie ignis, ita & anima laudibus inanitur, & amittit virtutum rigorem.* Dixit iterum. *Sicut impoſſibile eſt uno eodémque tempore & herbam eſſe & ſemen: ita impoſſibile eſt, ut ſecularem gloriam habentes, cœleſtem habeant fructum.*

F Lib. 10. cap. 69. *Qui ſenſibiles divitias de labore & periculis maris colligunt, quando multa lucrantur, tunc plura deſiderant, & quæ habent, velut nihilum reputant; ad ea vero quæ nec dum habent, omnem intentionem animi tendunt. Nos autem eorum quæ quærenda ſunt, nihil habemus, & nolumus poſſidere quæ neceſſaria ſunt propter timorem Dei.*

Ibid. cap. 70. *Eſt triſtitia utilis, & eſt triſtitia, quæ corrumpit. Triſtitia ergo utilis eſt, ut pro peccatis ingemiſcamus, & pro ignorantia proximorum, & ut non cadamus à propoſito, ut perfectionem bonitatis attingamus: hæ ſunt ſpecies veræ triſtitiæ. Eſt enim & adverſarij noſtri ad hæc quædam coniunctio. Immittit enim triſtitiam ſine aliqua ratione, quam tædium appellarunt. Oportet ergo talem ſpiritum ſæpius orando & pſallendo magis depellere.*

Ibid. cap. 71. *Eſt enim & immiſſione diaboli extenſa dura abſtinentia, nam & ſequaces eius faciunt hoc.*
G *Quando ergo diſcernimus divinam & regalem abſtinentiam à tyrannica atque diabolica, manifeſtum eſt, quia mediocri tempore converſationis una regula ieiunij ſit tibi. Non ſubito quatuor aut quinque dies ieiunes, & iterum multitudine ciborum ſolvas virtutem: hoc enim lætificat diabolum. Semper enim, quod ſine menſura eſt, corruptibile eſt. Noli ergo ſubito arma tua expendere, ne nudus inventus in bello facile capiaris. Arma vero noſtra corpus noſtrum eſt. Anima vero noſtra miles eſt. Vtriſque ergo diligentiam præſta, vt paratus ſis ad id quod neceſſe eſt.*

Lib. 14. cap. 9. *Quia in congregatione manentes cuilibet continentiæ obedientiam magis præponimus, quoniam continentia arrogantiam habet, obedientia autem humilitatem congruam pollicetur.*

Ibid. cap. 10. *Oportet nos cum diſcretione animam gubernare, & in congregatione manentes non quæ noſtra ſunt quærere, neque ſervire propriæ voluntati, quoniam*
H *velut exilio relegantes non tradidimus uni ſecundum voluntatem patris à rebus ſecularibus alienati. Vnde ergo egreſſi ſumus, nihil ulterius requiramus: illic etenim gloriam habuimus; illic abundantiam ciborum: hic autem etiam panis ipſius inopiam.*

Lib. 1. de contemplat. cap. 1. *Efficiamur prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ, ut aſtute intelligamus laqueos diaboli. Nam prudentes fieri ſicut ſerpentes, dictum eſt, ut non ignoremus impetus diaboli & laqueos eius. Etenim ſimile aliquid ex alto ſimili ſuperatur. Nam & ſimplicitas columbæ demonſtratur.*

Hæc de gnomis S. Syncleticæ; quæ ſub Conſtantino magno vixit. Eiuſdem nominis virginem celebrat Sedulius Presbyter Epiſt. ad Macedonium, quæ eſt præfatio operis Paſchalis. Sequitur Helias Presbyter, &c. qui quis fuerit; aliis indagandum relinquimus.

A

*De Petro Abbate.*

Fortaſſe Petrus Abbas ille eſt; ad quem exſtat Oratio 25. inter ſermones Aſceticos Eſaiæ Abbatis in Bibliotheca Patrum. Ibidem reperitur eiuſdem Petri Oratio: *Ex dictu Eſaia Abbatis*; alia in illud: *Attende tibi*: Et lamentatio, quæ in Codice Bavarico, Petro Abbati adſcribitur. Porro florilegium hoc continet dicta ſanctorum & illuſtrium Anachoretarum: opus ſimile illi, quod in Bibliotheca Patrum exſtat; de quo paulo ante in Syncletica.

*De Leone Imperatore.*

B Eſt hic Leo cognomento Sapiens, cuius cum alia ingenij monumenta ſuperſunt, tum novem orationes ἀσματικαί, quæ non ita pridem græce & latine Ingolſtadij in lucem exierunt. De Theolepto, cuius Canon poſt Leonis [illegible] ſequitur, nihil me legere memini.

*De Simeone Archiepiſcopo Theſſalonicenſi.*

Epitome Bibliothecæ Geſnerianæ. *Simeonis Archiepiſcopi Theſſalonicenſis contra omnes hæreſes: & de myſteriis omnibus Sanctæ Eccleſiæ ex Patribus Eccleſiaſticis Dialogus manuſcriptus Græce in 4. Bibl. Imp. Viennæ.* Hæc ibi. Cæterum illud contra omnes Hæreſes peculiare & diſtinctum opus eſſe oportet. Nam in hoc noſtro libello, nihil adverſus hæreſes diſputatur. Nec Dialogi ſpecie conſcriptus eſt; niſi Dialogum vocare velimus; quidquid aliorum rogatu conſcribitur. Citat eiuſdem Simeonis librum, *de Eccleſia myſteriis ſeu Sacramentis* Franciſcus Turrianus cum alibi,
C tum in Scholiis ad ſeptimum & octavum librum conſtitutionum Apoſtolicarum Clementis Romani; & ex eo multa recitat & exſcribit; quæ argumento ſunt, opus illud ab hoc opuſculo diverſum eſſe. De quo grandiore opere hæc R. P. Antonius Poſſevinus lib. 6. Bibliothecæ ſelectæ cap. 10. *Exſtat græce manuſcriptus Simeonis Archiepiſcopi Theſſalonicenſis liber de ſeptem Sacramentis Qui Simeon ante ſexcentos annos floruit, ex quo apparet, Eccleſias orientales in numero quidem & adminiſtratione ſacramentorum occidentalibus magis congruiſſe: ſed cum nondum editus ſit hic liber, exſpectamus, quem è Græco Latinum fecit, Federicus Mettius, vir pereruditus & pius, cui addidit notas ad ea, quæ de baptiſmo & Euchariſtia cautius in Simeone legenda ſunt. Promiſit etiam eiuſdem verſionem Gilbertus Genebrardus Archiepiſcopus Aquenſis in Provincia Gallia.* Hæc Poſſevinus. Idem argumentum, quod Simeon in hoc libello, tractavit olim Sanctus Maximus in ſua myſtagogia; Germanus Patriarcha
D Conſtantinopolitanus in Theoria rerum Eccleſiaſticarum; & Nicolaus Cabaſila in expoſitione ſacræ liturgiæ; qui Auctores continentur in Bibliotheca Patrum. Græca nomina veſtium, & ornamentorum ſacerdotalium, & alia huius generis mutata non ſunt; quia deſunt Latina, quæ Græcis reſpondeant, nec conſultum videbatur, vni Græco tria aut quatuor Latina per periphraſes reponere, remque non tam illuſtrare, quam tenebris involvere. Sed abiungo. Tu lector his Auctoribus nuſquam ante hac viſis, fruere; tum ſtudio Pontani noſtri; tum beneficio nobilis, Magnifici, & clariſſimi viri Ioannis Georgij Hervvardi ab Hohenburg, &c. Bavariæ Cancellarij; qui inclytam ſereniſſimi Principis Bibliothecam omnibus eruditis perpetuo patere ſinit.

E

SIMEONIS
# IVNIORIS
## THEOLOGI
### ET PRESBYTERI,
## ORATIO PRIMA.

ARGVMENTVM.

F *Quemadmodum homo paradiſo exturbatus, veritatem, quæ eſt verbum Dei, perdiderit. De peccato diaboli, & Adami. Ab ipſa conceptione hominem quemlibet eſſe peccatorem: & quo pacto per baptiſmum in Spiritu ſancto regeneretur. Quænam multi reges, & Prophetæ ante Chriſti tempora concupiverint. Chriſtianos nondum initiatos, dolentéſque, & peccata ſua confitentes, canonicis vinculis, ac pœnis minime ſubiici, ſed fidei myſteriis erudiri, & ita demum initiari debere. Vnumquemque Chriſtianum divina immutatione indigere, in qua perfectio conſiſtat.*

ADAMVS poſtquam diabolo mentito fidem habuit, & cum ea fide de ligno ſcientiæ comedit, veritatem amiſit; quam deinde natura humana diu multumque inveſtigatam, invenire non potuit. Teſtimonio ſunt omnes Græciæ ſapientes, dum tantam humanarum opinionum diverſitatem, per varias diſciplinas via ac ratione traditas, præcipueque per multas ac longas de virtute, & vitio diſputationes, quas reliquerunt, ad ſimplicitatem & rectitudinem redigere, congruentérque in unum coagmentare, & conſtringere nequiverunt. Eſt autem veritas Verbum Dei, ſive gratia Chriſti, quæ complures illas, & inter ſe pugnantes, atque implicitas, & tortuoſas ex hominum cogitationibus, ratiocinationibúſque profectas verborum diſſertationes, vna & directa ſimplicitate, velut naturali, pacifica, & tranquilla coniunctione, incomprehenſa potentia ſua compoſuit, reliquóſque doctrinarum ſermones ad vnum omnes otioſos, irritos, & inutiles demonſtravit; cum more cæcorum palpando, veritatem, ab oculis noſtris merito remotam, inquirentes, non valeant reperire. Simulac enim homo mendacium ſponte, ac nulla impulſus neceſſitate complexus eſt, in eam pœnam incurrit, vt veritatem ſcrutetur ille quidem, eius tamen compos non evadat, perſequatur, nec comprehendat. Etenim quæ fide mendacio adhibita oculis noſtris erepta fuit, fide veritati commodata, rurſum invenitur, ac reſtituitur. Ille mendacio aperto manifeſtóque credidit: nos magnum ac manifeſtum myſterium, Deum videlicet humano corpore indutum credimus. Illud propter Dei mandatum erat incredibile: hoc propter Deum nos alloquentem redditur credibile. Illud creditum deprehenſum eſt falſum (credentem quippe in exitium, ac mortem præcipitavit) hoc creditum veritas comperitur; ſiquidem eum qui mendacio fidem commodaverat; ab exitio ac morte revocat, peccatum eius tollens, eique vt bene ac beate ſit largiens: & ex fine vtrumque, mendacium, puta, veritáſque perſpicitur. Vnum igitur peccatum, & vna iuſtitia.

G Gen. 3.

H.

1. Tim. 3.

Vide quid diabolus, conſidera quid Adamus peccaverit, & non aliud, quàm ſtultitiæ admirationem, ſuperbiámque invenies. Verum ille, cum excellentem

A gloriæ magnitudinem ita se gesserunt. Nec enim ex humilitate gloriam adepti se extulerunt: sed cum humilitatem needum cognoscerent, & secuturam è casu ipsorum humiliationem, ignominiámque ignorarent, idcirco nihil eam metuentes, eousque efferre se non dubitarunt. Animadverte contra, quomodo iustificatus sit Iesus. Phil.2. Cùm Deus esset, usque ad mortem voluntariam, & mortem crucis (quod erat sceleratorum supplicium) semetipsum humiliavit. Vnum ergo peccatum, inflata de se opinio, & vna iustitia, extrema humilitas. Nunc autem quis seipsum, nisi admodum fatuus exaltet? Nemo enim in hac vita vi divina præditus est, vt summam sibi gloriam comparet: nec ille, antequam se humiliaret, gloriam consecutus est: sed quicunque in hanc lucem editur, statim est inglorius, & gradatim quodammodo ad gloriam tandem progreditur. Qui igitur pristinam vilitatem suam recordatus, se ipsum exaltat, quomodo stultus ac cæcus non sit? Nam quod dicitur, *nemo sine peccato, nisi solus Deus, nec infans, cuius vita unius diei est*, non de iis B Iob 15 dicitur, qui peccaverunt: quonam pacto infans unicum diem natus, peccatum committat? sed hoc latet mysterij, naturam humanam ab ipso conceptu peccatricem esse. Ac Deus quidem hominem non peccatorem, sed purum & sanctum finxit. Posteaquam verò protoplastus ille sanctitatis stola solius superbiæ piaculo spoliatus, corruptioni, interituique factus est obnoxius, ex eo etiam satio, conceptio, ortus, & reliqua deinceps omnia peccato subdita fuerunt. Et omnino, quisquis homo numeratur, quamvis non peccarit, nihilominus peccator est. Quocirca venit alia nascendi conditio, & altera formatio, qua quidem homo è sacrosancto fonte baptismatis in Spiritu sancto denuò generatur, iterúmque cum divina natura, sicut erat, quando illum divinæ manus effingebant, modo quodam miscetur, & tanquam à primis elementis, C eius animæ vires vniversæ informantur, atque in eum statum, in quo caput & princeps generis nostri ante transgressionem versabatur, renovatæ restituuntur, & isto modo ad regnum Dei instruitur ac præparatur; in quod, qui salutari aqua purgatus nondum est, nec ingredi, nec ipsum speculari, nec intelligere potest. Vt ita quilibet baptizatus, talis iam, qualis ille erat, qui primus est conditus, in paradiso sub intelligentiam cadente operetur, & custodem agat: operetur quidem mandata Iesu Christi, à quo renovatus est, custodiat autem, quam divino tinctus lavacro à Spiritu sancto gratiam accepit, confiteatúrque & dicat, Coloss.1. virtus eius (gratiæ inquam) quæ in me est, Christi præcepta mecum operatur. Hæc enim est custodia: Sicut namque ædificium stare, aut excitari absque fundamento nequit: ita anima Christo credens, nisi gratiæ Spiritus sancti fundamentum collocaverit, vitam & mores Deo placitos suscipere neutiquam potest; eiusque ieiunia, pervigilationes, humi stratum cubile, aliæ corporis afflictationes, paupertas, lacrymæ, precationes nullius momenti censenda sunt. Sic etenim Christum negaverunt, qui post multos cruciatus negaverunt. *Qui in me confessus fuerit*, inquit. Luc.12. D In ipso confitemur, in ipso adoramus, in ipso salvamur. Spiritus Sanctus siquidem animam renovat, quemadmodum illa corpus.

Magnum mysterium, quod totus terrarum orbis iure veneretur. In eodem sacrificium laudis inest, nimirum cor purum, quod est cor contritum & humiliatum. Ps.50. Novit enim se proprium nihil habere, & quomodo elevabitur? Est porrò ipsum sibi humilitatis argumentum & materia. Quod si veritas, non ambitio sacrificium laudis est Deo, & apud illum non peccator (quis enim caret peccato?) sed omnis elato corde immundus habetur, humilis corde iustificatus, iustus munere suo functus, seu, vt debuit, conversatus est. Iustificatio sancti Spiritus donum est. Qui à Spiritu sancto gubernatur, glorificatus; qui glorificatus, sanctificatus est: sine sanctificatione

E Deum nemo videbit. *Tollatur impius, ne videat gloriam Domini.* Isa.26. Quis est impius? Superbus utique, & tantum impius, quantum superbus. Quis humilis corde? non prudens, non sapiens, non intelligens, non versipellis, non à semetipso doctus ac sciens; sed cum Spiritu sancto communicans, in quo prudentia & sapientia, & intelligentia, eruditio ac scientia in ipso purgatæ, ac viventis, Deóque placentis animæ. Ob id enim Verbum ac filius Dei hominem induit, ac mortem pertulit, séque ipsum pro toto genere humano liberando pretium dedit. Verumenimvero pro iis, qui antea obdormiverant, magnum & augustum, ac propterea repulsæ nescium sacrificium factus est, quando post Adami lapsum iustorum nullus adipisci salutem potuit, omnibus peccato primi parentis, mortique Gen.3. ac perditioni subiectis; quod nemo extaret, quem flammea illa romphæa paradisi custos, post eiectum inde protoplastum facilè admitteret, quò in impolluta, & ab omni delicto munda, & sancta tabernacula intrare, & in sanctis sanctorum atriis permanere pos- F 1.Cor.15 set (quoniam, vt etiam Apostolus ait, *corruptio incorruptionem non hæreditabit*) oportebátque incorruptibile Dei verbum in carne sua mortali oblato sacrificio iustos à corruptione eximere. Haud enim in illorum potestate erat, ad incorruptionem illam instaurari, in qua princeps homo effictus fuerat, & ex qua exciderat: sed ad magnam hanc, & in iudicio, ac iustitia susceptam œconomiam spectabat. At verò pro iis, qui postea vixerunt, tum sacrificium, tum communio appellatur; quia scilicet per sumptionem se cum sumente commiscet, & illa commistione vnioneque de integro eum format, unitúmque inexplicabili virtute artificis divinitatis suæ ad semetipsum adducit, vt secum germanè coalescat. Quemadmodum & ignis, tametsi à corporibus se durioribus susceptus, coniunctione ipsa ignem facit, nec eorum naturam evertit: nihilominus quandiu cum igne co- G pulata sunt, etiam ipsa ignis sunt. Atque hoc est, quod olim multi Prophetæ, reges & iusti desiderarunt, cùm eos prævidetent, qui caro de carne verbi Luc.10. Dei, & os ex ossibus eius futuri essent, séque à tanto bono seiunctos intelligerent.

Quapropter instructis, & eruditis, magnique mysterij Christianitatis cognitionem consecutis, initiatisque fidelibus, si postea pro humana imbecillitate, & quia adhuc pulvere circundantur, in culpam inciderint, bona erit medicina spiritualis, si eam confitentibus iniiciantur vincula canonica, quibus peccati nexibus exsolvantur, & pharmaca salutaria applicentur, quandoquidem quibus debent initiamentis exculti, virtutem Christi gustaverunt, cui fidere, & peccatum cavere oportebat, iuxta illud Apostoli, *Peccatum enim vobis non dominabitur, non enim estis sub lege, sed sub gratia Christi.* Rom.6. Nisi enim reiecissent gratiam Christi, quam cognoverant, non eos illa peccare permisisset. Et ipsi semet reos fecerunt sanguinis Christi, *qui emundavit conscientiam illorum ab operibus mortuis, ad serviendum Deo vivo & vero*: Heb.9. denuoque per labores nempe, sudores, gemitus, lacrymas emundari debent, vt dicant Deo, *vide humilitatem, & laborem meum, & dimitte omnia peccata mea.* Ps.24. Remissio autem H perfecta rursum gratiæ participatio est, non quod Deus defatigationibus ac laboribus pœnitentis indigeat: sed ne pœnitens divinæ gratiæ citra laborem reconciliatus, eam, vti prius, contemnat, tertiáque purgatione opus habens, reprobetur, & in ignem sempiternum purgandus conijciatur, qui cùm semper urat, purgare non potest quem vrit.

Iam verò arcana Christianæ religionis ignorantibus (sunt enim, sunt, inquam, plures baptismo affecti quidem, & propterea indigitati Christiani: sed penitus nulla catechesi imbuti & indocti, & vt breviter dicam, profani, ac rudes huius præclari mysterij) talibus, inquam, peccata sua, post sacrum baptismum perpetrata, confitentibus, nexus & auxilia medica nul-

A lam vtilitatem afferunt. Quia enim mysterium Christi nesciunt, nec spiritualium vinculorum, medicaminúmque sensum & intelligentiam habere vnquam poterunt. Et cùm non intelligentes crediderint, sine intellectu peccaverunt: & quia sine ratione peccaverunt, spiritualem, & quæ animo cernitur, medicinam agnoscere non possunt. Quamobrem quomodo mysteria Christianismi scientibus, memoriáque tenentibus, pro mensura cognitionis, & errati vinculis, medicina, vstione, afflictione, & pœna; sic eorum rudibus, nondúmque institutis, institutione, fide, & initiatione, non vinculis opus est. Vincire enim & vrere, quod sensu caret, absurdum; & curationem adhibere mortuo, ineptum negotium ac fatuum est. Verùm *quicunque in lege peccaverunt*, hoc est, cum cognitione, *per legem iudicabuntur*, ad sacrorum canonum normam ac præscriptum videlicet.

Rom. 2.

B At qui sine lege peccaverunt, hoc est, ea non cognita, sine lege etiam peribunt, frustra nimirum ignorationem excusantes, cùm à Domino dictum sit, *prædicabitur Evangelium hoc in toto mundo, in testimonium omnibus gentibus.*

Mat. 24.

Sequitur hinc, si gentes manet condemnatio, multo magis eos condemnatum iri, qui in medio Christi Ecclesiæ primorum rudimentorum imperiti, & in rationibus divinæ pietatis hospites ac peregrini Christiani versantur, contemptores admirandi huius operis Verbi Dei, cuius causa humanis se artubus convestivit, cùm Deus esset, contumelioséque tractatum, & non secus quàm pro sceleribus suis neci deditum est. Quod autem nonnulli de profanis istis in throno gloriæ regni Christi sedentes, quæ ipsi non didicerunt, alios docent, prô patientiam Dei, immo verò iram magnam & derelictionem; quoniam illusores dominantur, & dolosi, & impudentes, & vt malam conscientiam habentes, increduli. Maximè qui in idolis suis gloriantur, *in doctis* videlicet, *humanæ sapientiæ verbis*, quorum gratia

C ab auditoribus suis æquè profanis laude & admiratione afficiuntur.

1 Cor. 2.

Bonum est in Christum credere, quoniam sine fide in ipsum non est ut quis salvetur. Veruntamen etiam veritatis notitiam capessere necesse est. Bonum est veritatem doceri, siquidem & necessarium: quin & baptismate lustrari in nomine vivificæ Trinitatis, vt anima vitam adipiscatur. Bonum est baptizari: sed mysticæ huius vitæ, sive luminis spiritualis etiam animo sensum capere oportet. Bonum est sensum illum, qui in mentem cadit, sive illuminationem cognoscere: sed opera quoque lucis requiruntur. Qui namque purè & liquidissimè cernit, eum etiam opera Dei facere convenit. Bonum est lucis opera facere: sed humilitatem & mansuetudinem Christi induere insuper decet: vt qui in Christum credit, Christi characterem, & insignia ferat: & ad naturam mitem atque humilem immutatus, in regnum cœlorum ad

Hebr. 11.

D gaudia Domini sui recipiatur. Cæterùm qui hoc ordine viam Dei ambulant, si in ea pro naturali conditione moriendi præpediti fuerint, à misericordia altissimi non repellentur, nec ab introitu regni cœlestis arcebuntur. Hoc itinere qui non incedunt, eorum & fides & progressio inanis est.

Annotat. Cautè legendus est Simeon, quando & hîc & alibi sæpius baptismati nimis multum tribuere videtur, nempe, quod reddat homines *impeccabiles*. Idem asserit de professione vitæ Religiosæ seu Monasticæ. Verba Græca perioches, quæ orationi præponuntur, sunt ista. *Τὸ ἅγιον βάπτισμα ἢ ἀκινήτους ἢ δυσκινήτους, πρὸς τὸ κακὸν ἀποδίδωσι, ὥσπερ καὶ τὸ δεύτερον βάπτισμα τὸ διὰ τοῦ θείου καὶ ἀγγελικοῦ σχήματος. Sanctum baptisma aut immobiles, aut difficulter mobiles ad malum reddit, vt & alterum baptisma, quod consistit in susceptione divini & Angelici habitus*, hoc est, in ingressu in Religiosum seu Monasticum ordinem; hunc enim alterum baptisma nominat. In ipsa oratione sic

E præter cætera loquitur Simeon. *Τὸ γὰρ θεῖον βάπτισμα τῇ χειρὶ τοὺς πρὶν ἀβαπτίστους, καὶ πρὸς τὸ κακὸν δυσκινήτους, κραταιὰν ἔχει δύναμιν, κατασκευάζειν βαπτισθέντας, ἀκινήτους πρὸς τὸ κακόν, εἰ δὲ ..., ἀλλὰ ... πρὸς τὸ παρὸν ἀκινήτους.* Quæ omnia dura profectò sunt & animadversione digna, & errorem Ioviniani redolentia, qui, vt scribit Sanctus Hieronymus lib. 2. contra Iovinianum, & Sanctus Augustinus lib. de Hæresibus cap. 82. docuit hominem verè baptizatum non posse amplius peccare, & si fortè peccat, non fuisse tinctum nisi aqua. Ad quem errorem loquendique modum alludit Simeon, cum ait, illis, qui post baptisma faciles seu flexibiles sunt ad malum, aquam superfusam esse *ὡσεὶ νεκροῖς, tanquam mortuis.* Quod itidem de altero baptismo, seu de ingressu in religionem affirmat. Fortè erit, qui Simeonem excuset. Id verò nobis non modò non molestum, sed & perquam iucundum erit;

F Vtinam non modò Simeon noster, sed & quivis alius ab omni errore sit immunis. Interim veritatis hæ sunt voces. 1. Verè & legitimè baptizatum denuò peccare posse, si velit. Ad baptizatum enim tendit illa cohortatio Sancti Pauli Rom. 11. *Tu fide stas, noli altum sapere, sed time.* Et ad Hebr. 6. *Impossibile enim est eos qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cœleste, & participes facti sunt Spiritus sancti, gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutésque seculi venturi, & prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam, &c.* Vbi manifestè indicat Apostolus, eum qui verè baptizatus, gratiæque divinæ particeps effectus est; in peccata denuò labi posse, atque adeo per baptismum *impeccabilem* non effici, quod multò magis ad religiosæ vitæ professionem accommodari debet: Quæ, vt & baptismus, nec *ἀκινήτους*, nec *δυσκινήτους* ad peccandum reddit, etsi baptizatus *δυσκίνητος* aliquo sensu dici potest, quia gratiam Dei per baptismum iam consecutus, multo habet maiora & validiora præsidia vitiorum illecebras repudiandi, quàm

G ante baptismi initiationem, dummodo illis legitimè vti velit: nam si vti nolit, & per arbitrij libertatem rursus ad peccati sordes declinet, æquè id potest ac antea: *contingitque* ei, vt Sanctus Petrus ait, *illud veri proverbij. Canis reversus ad suum vomitum, & sus lota in volutabro luti.* Lector consulat Cardinalem Bellarminum libro de Baptismo cap. 14. ubi copiosè adversus hæreticos ostendit, homines per baptismum non fieri impeccabiles.

## ORATIO II.

### Argumentum.

*Hominem primùm à Christo per sanctum baptisma corroborari, ac tum demum mandatis eius deditum esse oportere. Eam inesse in sancto lavacro vim, vt aut inflexibiles, aut penè inflexibiles ad improbitatem reddat: quomodo & alterum baptisma, quod per divinum & angelicum habitum confertur. Quinam verè in Christum credidisse dicendi. Quales sacrorum ministri, Sacerdotes, Episcopi, animarúmque doctores requirantur.*

H

QVi cuipiam dicit, hoc fac, & illud ne feceris, plane sic dicit, ac si ille, cui præcipit, facere possit aut omittere. Qui verò sic dicit ei, qui non potest, nonne frustra dicit? Dominus ait discipulis suis, *euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* En, expurgatio & virtus sacri baptismatis primo loco constituitur. Quid posteà? *docentes eos servare omnia quæ mandavi vobis.* Quicunque igitur hoc robore ante confirmatus non est, in mandatis Dei observandis incassum laborat: quicũque tali homini præcepta dat, pro cæco & stolido

Matt. 28. Marc. 16

habeatur

A habeatur licet : quando prius gratiam Christi, quæ mente percipitur, & purgat, animam suscipere, indéque eam confirmari res postulat, atque ita demum leges præscribere. Quî enim fieri potest, ut tellus spinis, ac tribulis plena purum frumenti semen accipiat, & idipsum semen non suffocetur? Quare fructum nunquam referent, qui contra naturam, contraque ordinem, commoditatem rationis infirmos adhuc aggrediuntur : ratione enim & producta sunt, & continentur, & ad finem perducuntur omnia. Nam divinum Christi baptisma nondum ablutos, & cereos in vitium flecti, efficacitatem habet, iam lotos à peccato invictos præstare. Sin minus, saltem cùm se obtulerit occasio, ad id difficiles, quod eius vim potentiamque declarat. Ad virtutem autem honestatemque proclives, tanquam *angelos potentes virtute, facientes voluntatem Dei.* (Ps. 102.) Ideo Christus sacrosanctum sanguinem suum credentibus in illum largitus est, ut per eius sumptionem communicationéque fideles divinæ prius naturæ consortes effecti (Dei enim sanguis est) ceu divini, divinæque virtutis iam assecuti robur, etiam secundum perfectam Christi legem vitæ rationes instituant : ut potentes virtute voluntatem eius exequentes. (B) De cætero quisque si selium, & Christum confitentium apud se cogitet, si hoc robore septus, Christi legibus parere spreverit, cum iis parere queat, nec vitam, & mores ad Dei nutum composuerit, se Christum negavisse, & ex Apostoli sententia *conculcasse filium Dei, sanguinemque testamenti pollutum duxisse.* (Heb. 10.)

Quod si aquis salutaribus expiati, divinique corporis & sanguinis participes facti, nondum potentes sunt virtute ad perficiendam Dei voluntatem; sed ad vitia & peccata adhuc facilè moventur, perinde ac mortuis aqua illis superfusa est : etiamnum quippe in Christum non crediderunt. Atque opus est huiuscemodi homines ad Episcopos & Sacerdotes adire, fidei formulam edoceri, in Christum credere, tuto antea fundamento posito, (C) pœnitentia, inquam, huius amentiæ, & impositione manuum, unctioneque sacri charismatis. Et cùm illis Evangelium iustitiæ revelatum fuerit, novumque sensum intelligibilis Christi gratiæ hauserint, quæ animas eorum tetigerit, & in ipsis cor contritum ac humiliatum creat, castumque Dei timorem ædificat (2. Pet. 1.) ( hæc namque Christianis vitæ bonæ ad vitam ex Christi præscripto agitandam primordia sunt) tum quoque immaculato eius corpore, & sanguine percipiendo, meritò digni censeantur : ut cùm divinæ naturæ consortes, & sanctificati evaserint, non eis peccatum, quomodo antehac, dominetur. In hoc enim sanctificatio sita est, ut Christianis ad faciendam voluntatem Dei potens virtute fiat, quò corroboratus & fidelis Christianus nominetur, qui Christi gratiam susceperit, & cui fides habeatur, quique in Spiritu sancto curriculũ vitæ suæ moderetur. Ita enim non aliter quempiam Christianum fieri, & esse datur. Prior verò ille gravibus pœnis & animadversionibus peccata admissa compensare debet, & lachrymas ad baptismi fontem exæquandum fundere, ac Deum orare (D) præterea, ut usque ad finem curationis ætatem degere sibi concedatur, ne ante sanationem abreptus & damnatus in gehenna, pro eo ac meruit, torreatur. Quis enim præstabit, tandiu dum curetur, fore superstitem.

Hîc vincula opus sunt, hîc excommunicationes, hîc diuturnæ lacrymationes, hîc genuflexiones, raroque, & vix aliquis cum fidelibus congressus. Ac tale quidem iudicium haud iniustum est. Cur enim qui divinum mysterium cognovit, & accepit, non cavit? Lapsum hunc Adami lapsu minorem dicere non potest. Ille etenim, si Deum esse in se novisset, de fructu prævaricationis non gustasset. Et quamquam seipsum non norat prius, cùm Deo privaretur, tamen postea in habitu cognovit. Ast hic per sanctum baptisma Christum à se cognitum nudus induerat, ut scriptum est ab Apostolo, (Galat. 3.) *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis.* (E) Omnis enim mentis & consilij particeps anima, ex ipso baptismo Christi gratiam consequi intelligitur : statim quippe Christus in ea formatur. Porrò ab infantibus baptizatis, baptismi sanctificatio propter ignorantiam non sentitur; est siquidem intellectualis sensus. Iam verò paulatim tempore procedente, fit etiam immutatio. Et in aliis quidem prorsus extinguitur : in aliis quidam igniculi manent, iterumque per fidem, institutionem & spem magna hæc misericordia accenditur. In his namque qui speraverunt & crediderunt, sensim ignem illum exsuscitat, eorumque intelligentiæ manifestat. Deinde cum gaudio titionibus humilitatis ac misericordiæ subiectis, flamma emicat, vicinosque illustrat : illius, quia non è nobis, sed ex Deo est misericordia : huius, quia misericordiam consecutum, planè misericordem esse decet. (F) Quod si qui item altero baptismo per angelicum habitum accepto, quid acciperent, non intellexerunt, divinam & omnipotentem sancti Spiritus virtutem non participant, gratia ea similiter avolante, ut quæ per aquæ baptismum collata est : & propter stuporem adhuc ad malum proni sunt ut prius; inanis est eorum fides, vanumque secundum quoque baptisma, cum sensus expertibus, & mortuis indumenta sacra sint imposita. Vna est enim salutis notitia, quia & veritas unum est, menti intelligenti, & intelligenti animæ donatæ per fidem supernæ gratiæ sanctissimi Spiritus intellectualis cognitio. Dignantur enim tali gratia, qui in CHRISTVM, cùm baptizarentur, crediderunt, alij quidem ut & signa faciant; plurimi ut ad malum immobiles, ad bonum contra perfaciles perseverent, & quidquid Deo placet, id in vita impigre & exultabundi consectentur. Hic eorum ordo est, qui in Christum crediderunt.

Sed videndum, ne quando præter hunc ordinem quidam aut ministri Ecclesiastici, aut Sacerdotes, aut (G) Episcopi, & animarum magistri sint, & veniat *fax iræ Dei* super nos, (Psal. 74.) si non sit qui imperitos instituat & erudiat, divinissimaque, & humanum captum superanti fictione refingat. Hanc enim cuiquam fas, nisi prius (1. Cor. 1.) naturæ divinæ consorti, Spiritus sancti cathedram ut ita dicam magistralem conscendere : alioqui Dei adversus se iram concitabit. Hac nempe de causa multi in verbo sapientes, alij hæresis auctores ac duces extiterunt : alij hæreticorum sermonibus capti sunt. Cæterùm quoniam quemadmodum à divino baptismate, velut à principiis informati essent, non intellexerunt, ingressi prius per pœnitentiam & cognitionem, ut supra diximus, intercedente impositione manuum per arbitros & œconomos magni huius mysterij, & sacræ scientiæ peritos, informationem ab initio, speciemque ac formam spiritualium, & mysticorum habituum suorum consequantur; ut confirmati, in vinea Dei laborent, ne fides ipsorum, & confessione irrita sit, & Christus nequicquam creditus & adoratus, nihil eis prosit. Nec enim, ut quispiam fortasse dixerit, Deus homo natus est, ut ita simpliciter Deus homo crederetur, illique adoratio adhiberetur : verùm ut (H) nos divinæ naturæ consortes fieremus, sicut ipse naturæ humanæ consortem se fecisset, cognoscerentque adepti hoc consortium mysterij vim, & gratias agerent. Et quotquot huius consortij gnari sunt, ac de eo probe iudicant, hi sunt amici Christi, his creditum est hoc mysterium, & hi vitam Christi imitabuntur. Qui autem eius naturæ participes, sive consortes facti non sunt; aut cùm facti essent, rem ignorarunt, ij hostes eius sunt : propterea quod omnis qui cum natura divina nihil commune habet, carnalis est, & Deo placere non potest. (Rom. 8.) *Prudentia enim carnis inimica est Deo, & caro, & sanguis regnum Dei non possidebunt.* (1. Cor. 15) *Non enim corruptio incorruptionem possidebit* : sed audiet aliquando, (Marc. 15; Mat. 13.) *etiam quod videtur habere, auferetur ab eo. Habenti enim dabitur, & abundabit,* propter gratiam immensam, inexhaustam, superabundantem, & quæ imminui atque consumi non potest. Nam

A ponamus quempiam mille annos vivere, ac per totidem annos in dies singulos divina gratia perfundi, cum sanè illa supra Christum quodammodo locabit, cùm totum impleat (siquidem ipse ætate & gratia proficiebat) ipsa tamen salua, nihilque immunuta manebit. Veruntamen non est prorsus necessarium, paulatim eam inundare, aut minui, & paulatim deficientem vacuum omnino deserere eum, qui illa spoliatur, & cùm quasi clam recesserit, ipsi huius recessus sensum non relinquere.

## ORATIO III.

### ARGVMENTVM.

B *Quæ, & quot sint divinæ cognitionis genera. Cognoscendum quod Deus sit; quid autem sit, non scrutandum. Christianum credere, & baptismo ablui oportere. Quis dicatur, & sit Christianus: & quis dicatur quidem, nec sit. Qui enim non facit voluntatem Christi, eum non esse Christianum. Improbos Christianos perditis Iudæis deteriores habendos.*

DEum cognoscendi genera, seu modi quinque sunt. Primus, quòd Deus nihil sit eorum omnium, quæcunque aut sub aspectum, aut sermonem, aut intelligentiam subiiciantur. Alter, quòd si quid est, quod vel aspectu sentiatur, vel oratione exprimatur, vel mente tantummodo comprehendatur, ab ipso sit, cùm prius non extiterit. Tertius, quòd hæc omnia, nullius eorum indigus, bonitate sua è nihilo procreaverit, ut ipsius gloria potius fruerentur, in ipsoque subsisterent. Quartus, & quod cùm bonus sit, omne quod bonum & honestum est, id velit, & omnem pravitatem, vitiositatemque oderit. Quintus, quòd in ipso C omnis administratio, & vita virtutis compos ac divina fœliciter institui possit; non aliter, nisi illius vi ac potestate adiuvante, quæ sensum oculorum, intellectumque fugiens, complectitur omnia, & præcellit omnibus, nullique nisi castissimè se invocanti opitulatur.

Est porrò divinitas, quantum humana lingua enunciari, quantumque metaphora quadam ab essentia & natura ducta indicari potest, una essentia, & natura superessentialis & supernaturalis, tres autem hypostases, sive subsistentiæ, alia, atque alia, unius unitatis, & rursum tripartito discrimine divisæ unitatis, & discriminum unitorum: ut ipsa divinitas non sit unum, neque tria, sed & unum, & tria in eodem: ut neque unum per unionem confundatur, neque tria per distinctionem separentur. Deitas namque cùm sit superessentialis, etiam & sola est immutabilis & invariabilis; estque tanquam mens, rationem & spiritum habens, diciturque pater, filij pater (qui est quasi ratio) & productor spiritus, quemadmodum item genitor ra-D tionis. Et cùm pater Deus nominatur, simul cum filio, Ac Spiritu intelligitur. Quandò autem filius nominatur Deus, intelligitur filium esse Dei. Quando demum Spiritus sanctus appellatur Deus, intelligitur eum ex patre procedentem, etiam filij spiritum esse, unione & discretione inexplicabili.

ANNOTAT. καὶ λέγεται πατὴρ υἱοῦ τοῦ λόγου, ὁ καὶ προβολεὺς τοῦ πνεύματος, ἀσωμάτως ἀχρόνως τοῦ λόγου. Paulò post ὅταν δὲ ὀνομάζηται τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον θεὸς, νοεῖται ὡς ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκπορευόμενον, καὶ τοῦ υἱοῦ πνεῦμα ὑπάρχον. Quibus verbis videri posset favere Simeon errori Græcorum, de processione sancti Spiritus, ex solo patre. Sed non est cur quis Simeonem huc trahat; Cùm enim vixerit & floruerit sub Imperatoribus Iconomachis Leone Isauro, & Constantino Copronymo, ut suo loco ostensum; non est quod quis

E existimet, eum eius opinionis fuisse, cuius hodie sunt Græci: cùm ea post multum demum annos sub Photio Patriarcha Constantinopolitano nata, & pertinaciter defendi cœpta sit. Iecit quidem olim Theodoretus, cùm adhuc à Nestorianis partibus staret, huius erroris semina in refutatione Anathematismorum S. Cyrilli cap. 9. apertè scribens, à solo Patre Spiritum sanctum esse: Attamen sepultus iacuit hic error, donec sub Michaele Imperatore Constantinopolitano, & Nicolao I. Pontifice Romano, Photius contra Romanam Ecclesiam brachia tendere instituit, qui inter cæteras labes, quibus Græciam infecit, vel potius perdidit; hanc etiam de Spiritu sancto ex solo Patre Orientali Ecclesiæ affricuit, incredibili tot animarum strage. Nec dicit Simeon noster aut hic, aut alibi Spiritum sanctum ex solo Patre procedere; sed ex Patre. F Vt ergo Christus Ioann. 15. illis verbis: *Cùm venerit paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit*, non exclusit filium, hoc est, seipsum, ita nec antiqui Scriptores, qui hac loquendi formula utuntur, excludunt filium. Vide Cardinalem Bellarminum lib. 2. de Christo, præsertim cap. 17. Et huius annotationis lectorem memorem esse oportet, cùm ad orationem decimam quintam, similesque locos de processione sancti Spiritus pervenerit.

Scire igitur solum oportet, Deum esse: quid autem sit, investigare, non modò temerarium, sed etiam vehementer stultum est. Figulus enim vasa è luto fingens, & ea ex eadem, qua ipse constat, substantia (de luto quippe & ipse fictus est) nunquam vas, quod suis manibus effinxit, se de ipso artifice suo alloqui audivit. Iam si figulus tantopere differt à vase fictili, cui substantia similis est, quantopere Deus ab homine differe pat? Si enim Deus nihil istorum est, quæ aut cernuntur, aut nominantur, aut cogitantur, quicunque illius essentiam indagare, aut animo percipere desiderat, is minus quàm testa rationis est particeps. Quod cum ita G sit, silentio venerandus & adorandus est unus Deus, quem nemo hominum vidit, nec videre potest, & credendum in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, unam naturam, & tres proprietates hypostaticas, & magnum œconomiæ mysterium, quod Verbum Dei, & filius, in patre genitus & subsistens, ab eodem non separatus, conclusus fuerit utero Mariæ, ante partum & post partum Virginis, factusque sit caro, humana natura perfecte in seipso suscepta, manseritque Deus immutabilis, & natus sit ex ea homo, unus in duabus naturis perfectis, & his citra confusionem permixtis, ac sine divisione unitis. Item quod spontè, ac libens tormenta passus, spontè ab homicidis interfectus, spontè sepultus, Deitate eius nequaquam per mortem nec ab anima, néc à corpore suo quod susceperat, seiuncta. Deinde & tertia die redivivus ab inferis extitit, & post dies quadragenos ut homo in cœlum assumptus, in throno divinitatis suæ cum carne sua considet, laudibusque cum patre suo, & sancto Spiritu ab universis cœlestium ordinibus celebratur. Et hæc facta esse credendum, ut Spiritu sancto, quo Adamus protoplastus prævaricator exutus ac nudatus fuerat, H rursus per Christum ipsum, qui in eundem crederent, induerentur, & participes facti Spiritus sancti, tum divina mandata per illum operari, ut olim Sancti per fidem, tum diabolum ac dæmonas inaspectabiles debellare possent. Absque Spiritu sancto enim nec peccatis vacare, nec potestatem dæmonum adversum nos, viresque repellere possumus. Baptizari quoque oportet in Trinitate consubstantiali, quam & credimus, prout Dominus noster Iesus Christus imperavit, cùm Apostolis ita præcepit, *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, docentes eos servare omnia, quæcunque mandavi vobis.* Quæ si servemus, nostram erga illum charitatem demonstramus, & qui in ea maneamus, digni habemur: sicut scriptum est, *Si mandata mea servaveritis, manebitis* Matt. 28. Ioan. 15.

A *manebitis in dilectione mea: sicut & ego patris mei præcepta servavi, & maneo in eius dilectione.* Si non servemus, illum non amare convincimur. Ioan.14. *Qui enim non diligit me*, inquit Dominus, *sermones meos non servat.* Et iterum, *qui habet mandata mea, & servat ea, ille est qui diligit me.* Quapropter qui in Christum credit, non habet aliud prius, quo fidem suam ostendat ac probet, nisi quia fugit, quæ ille prohibuit, & facit quæ iussit.

Præclarum est in Christum credere: sed necesse est etiam Christo credere. Nam qui Christo non credit, in Christum credendo nihil proficit. Credere quidem in Christum debemus, ut in Deum, consubstantialem Deo & patri, hominem natum propter nos, ut dictum est. Credere autem illi etiam in omnibus quæ locutus est, nempe in bonis ac præmiis quæ pollicitus, & in suppliciis quæ comminatus est. Etenim martyres, qui in eum crediderunt, ei n crediderunt dicenti, Mat.10. *Qui me negaverit, negabo illum vicissim: & qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit,* B ideo ad mortem usque cruciamenta sustinuerunt. Alioqui, cedo, qui vitam proiecissent, si in his ei fidem non habuissent? Et omnes qui cum sanctimonia ætatem egerunt suam ob divina illa promissa, pollicitationesque, & minas ac terrores ita sancte instituque vixerunt. Qui autem in Christum credit, seque etiam illi credere profitetur, neque tamen ab improbis factis declinat, neque ad virtutem incumbit, infidelis est, Christum negat, Rom.2. *per prævaricationem legis Deum inhonorans*, ut apud Apostolum legimus. Quod si affirmet, credere se quidem Christo, quandoquidem & in ipsum credat, in virtutibus autem elaborare, hoc est, mandata eius observare, præ infirmitate non posse, mentitur: omnia namque Apostolis à Christo Deo præcepta, nobis similiter præcepta sunt, eaque dum in hac vita commoramur, servare quidem possumus; sed quia charitate in Christum imbecilles sumus, nolumus. Quorsum enim alioqui verba illa Apostoli de Christo pertinebant, 1.Cor.1. *Qui factus est nobis sapientia à Deo, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio? Christus enim Dei virtus, & Dei sapientia.* C Patet igitur, eum huic non communicasse. Virtus enim Christi duplex est credentibus: quando & ipse, licet secundum hypostasin unus, tamen duplex est. Et ut substantia nostrum similis, & genere noster frater, cordibus nostris prius eiuscemodi statum largitur, qualem habeat oportet: qui proprie homo est. Secum quippe communionem habentem, pœnitentia contritum & humiliatum, sobrium, compunctum facit, ut cùm talem effecerit, supplicantem non despiciat: sicut & propheta ait, Psal.50. *Cor contritum & humiliatum Deus non despicies:* Qui enim in corde contrito & humiliato non petit, despicitur.

Vbi deinde Christianus talem se præbuerit, tunc oranti, petentique Christus etiam virtutes donat: quippe ut iam mitem & paratum doceri vias Domini (Psal.24. soli namque mites eas docentur) reddit eum castum, temperantem, iustum, fortem in tentationibus, rerum divinarum peritum, misericordem, aliena incommoda sentientem, humanum, bonum Christianum, Christi insignia portantem: ac fidelem. D Creditur enim illi gratia sanctissimi Spiritus eius, per quam, & in qua ista acquisivit (à solo enim Deo virtutes hominibus suppeditantur) fitque similis patri suo cœlesti, sicut & divinus Apostolus Ioannes Theologus inquit: 1.Ioan.3. *Filioli, nondum apparuit quid erimus. Scimus enim, quod cùm apparuerit, similes illi erimus*, id est, Christo Deo, filio Dei. Regnum cœlorum siquidem tales admittit, qui filij Dei similitudinem gerant, quam quidem consummata Dei mandatorum observatio conciliat, & ea ipsa ex charitate erga Christum proficiscitur. Ioan.14. *Qui diligit me*, ait Dominus, *mandata mea servabit.* Et qui servat mandata Christi, eius similitudinem adipiscitur. Formatur enim in eo Christus, iuxta illud Apostoli: Galat.4. *filioli; quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Nisi enim in Christiano quolibet

E Christus formatus invenietur, regnum cœlorum ei non patebit.

Itaque nemo Christianus semet decipiat, putans se partem habere cum Christo, dum non obtemperat Christo. Matt.7. *Non enim omnis qui dicit mihi Domine Domine, intrabit in regnum cœlorum: sed qui facit voluntatem patris mei qui in cœlis est.* Et rursum, Ioan.6. *Ego descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed eius qui misit me, patris.* Atqui patris & filij voluntas eadem est. Si ergo Dominus ipse hæc loquitur, quo pacto in Christianis numerabitur, qui suam voluntatem facit, & Christi quasi hinis oculis aspicit? Aut qua tandem spe Christum esse Dominum confitetur? Quis, quæso, cui servit, eum fatetur esse Dominum suum, & eidem non obedit? Dæmones Christo non obsequuntur, nihilominus eum confitentur, & norunt Deum esse: aiunt enim Marc.1. *novimus te qui sis sanctus Dei.* Sed quoniam defecerunt, iamque nec volunt, nec possunt, hunc Dominum suum appellare, etiam eius voluntati obtemperare nequeunt. F Solus igitur ille censendus est Christianus, qui Christum simul Dominum suum confitetur, simul eidem obsecundat. Qui enim habet, & confitetur Christum Dominum suum, virtute cognominationis à Christi nomine confirmatur, ut se ad arbitrium eius voluntatemque accommodet. Isa.29. Si non confirmatur, tum eum ore tenus Christum confiteri, corde autem longe ab eo distare certum est. Fieri siquidem non potest, ut qui medullitus Christum Dominum suum confitetur, non etiam eius voluntati parere queat. Magnitudini enim fidei alacritatis ad exequendam Dei voluntatem incrementum respondet. Ergo qui mandata conficit, secundùm proportionem obedientiæ suæ, modum ac mensuram fidei suæ demonstrat. E contrario, qui mandata negligit, pro portione cessationis omissionisve, quantopere in fide claudicet, ostendit, & pro incredulitatis suæ modo gratiæ detrimentum accipit. Nam ut sine Christo Christi voluntatem facias, haud est possibile; id quod ipsemet testatur, Ioan 15. *quia*, inquit, *sine me nihil potestis facere.* G Iam qui Christi voluntatem non facit, absque Christo est, nec ex eo quod Christum confitetur, ullam utilitatem capiet. Etenim Christum confiteri, & Christo obedire, quanquam duo videntur, tamen non duo, sed unum quiddam sunt: nec enim unum sine altero constat; tametsi ignorantes quidam aliter sentiant. Iacob 2. Luca 6. Ioan.8. Audi Apostolum, *Fides sine operibus mortua est in semetipsa.* Et Dominum, *Quid me vocatis Domine Domine, & non facitis quæ dico? Amen Amen dico vobis, omnis qui facit peccatum, non est servus Christi, sed peccati.* Servus autem peccati in domo Dei & patris manere non potest in æternum: sed filius, & quem filius à servitute peccati liberaverit. Atqui domus Dei & patris, regnum est eius. Si quis ergo Christianus appellatus dicit, confiteor Christum, & in ipsum credo, & in hac sola confessione Christianismum suum constituit, seque hac via regnum Christi assecuturum arbitratur, seipsum seducit. Quonam enim modo Christianus erit, qui in singulos dies, vel potius in singulas horas Christum operibus negat, quem Deum esse verbis confitetur? En Apostolum dicentem, Tit.1. *Deum confitentur se nosse, factis autem negant abominati, incredibiles, & ad omne opus bonum reprobi.* H Nam qui iussa Christi contemnit, is ne existimet, se non etiam hoc ipso Christum negare. Quoties enim mandata Christi violat, toties eundem negat: ut è diverso, qui legibus eius obedit, singulis actionibus obedientiæ illius Christum confitetur. Quia ut factis negant, qui verbis tantùm credunt; sic operibus fidem suam testantur, qui verbis eam confitentur; quoniam timent Deum, quem confitentur.

Timere autem Deum, aliud nihil est, quàm nihil improbi facinoris committere, cùm nemo videt. Multi quippe propter timorem hominum, propter pudorem, propter gratiam à flagitio temperant; quod proinde est, ac si perpetrarent. Quemadmodum ex altera parte, qui his causis commoti, laudabile quippiam

præstant,

A præstant, eodem loco sunt, quo qui non præstant, propterea quod quicunque in rectè factis hominum favorem plausumque aucupatur, aut ex alio quodam affectu ea suscipit, reprobus est apud Deum. Verùm in omni opere, verbo, cogitatione is finis propositus esse debet, ut Deo placeas, illumque honores, convenienter sententiæ Apostolicæ, *Sive comeditis, sive aliud quid facitis, omnia ad gloriam Dei facite.* Quod si verbum hoc verum ac certum est, sicut est (regis enim & iudicis, & Domini Iesu omnipotentis est) nempe, *Nisi abundaverit iustitia vestra plusquàm Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum*, quid supra Scribas & Pharisæos præmij reportabunt, qui iniustitia abundaverint? Si enim illi, cùm essent extra gratiam, iustitia erant prædíti, & qui Christum, hoc est Deum induerunt, potius iniustitia cumulati fuerint, num qui à regno cœlorum velut exulatum mittantur, dignissimi non erunt? B

1.Co.10.

Mat. 5.

## ORATIO IV.

### ARGVMENTVM.

*Qui petit, nesciens quid petat, eum frustrà petere. Quod si etiam scit quid petat, nec tamen prius accepit quod petit, id ei nihil prodesse. Quod sit regnum cœlorum, & qua ratione Christiani id acquirant. Quis sit MALVS (dæmon) & quo pacto ab eius iugo liberari possimus. Quomodo, & per quæ tandem opera anima resurgat.*

PLerique Christiani, partim qui cultu monastico incedunt, partim qui in vita mundana pietati dant operam, spiritualem sese fructum percipere opinantur, cùm Davidicos psalmos, & reliqua cantica cecinerint tantum quod ea decantarint, & se ita glorificare Deum opinantur; nescientes, se & illum exacerbare; & præterquam quod nullum consequuntur emolumentum, etiam non levi peccato ex hoc obstringi. Omnis enim sermo non simpliciter sermo, sed alicus rei sermo est. Nam si quis esurit & sitit, & nudus est, si rogaverit panem & vinum, & vestimentum, num ei satis est tantummodo loqui; an, si nihil obtinuerit, ipse quemadmodum antea esurit, sitit, nudus est, & sermo ei nihil contulit? Idem in canticis omnibus usu venit. Quæ enim psalluntur, aut petiones sunt, aut gratiarum actiones eorum, qui, quæ petunt impetrant. Qui igitur dicit Deo, adveniat regnum tuum, nisi modum regni didicerit, quomodo adveniet? Sin modum quidem intelligat, quo venit, ipse autem qui regnum advocat, idcirco preces concipit, ei subiectus non est, quid lucri ex eo quod dicit, *Adveniat regnum tuum*, referet? ait enim Dominus in Evangelio, *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum.* Quò ergo qui omnia ex nihilo producit, quique implet omnia, & est ubique, & regit omnia Deus, quò, inquam, ille, & regnum eius nunc abierunt? Vtique nisi recessisset & nunc rediisset, non dixisset, *quoniam appropinquavit.* non recessit ille, sed ipsi nos ab eo abrupimus: ab ipso enim Adamo condito nobis coniunctus erat. Qui postquam fraude circumventus, scelere se obligavit, regnum Dei, quod est Spiritus sanctus, à nobis seclusum est. Nequit enim Deus bonus & sanctus cum improbitate habere commercium. Porrò cùm ipsi per nos ad bonitatem regredi non valeremus (quemadmodum & pannus lacer, luto & putredine fœdatus, à semet, & sine aqua ablui non potest) idcirco ipse rursum venit, qui nos valet abluere, ut nos primùm aqua, Spiritusancto mixta ac temperata lavet: deinde mundus ipse super nos mundatos regnet: ut super nos regnans, per nos voluntates suas in opus deducat. Nisi enim ipse in ρrium in nos teneat, à nobis fieri quod illum delectet, neutiquam potest. Quocirca quicunque sub regno Dei prius non fuit, nec secundum intellectum sentit, Deum in ipso voluntatem suam per Christum explere, frustra defatigatur, frustra vivit; imposterus regnum etiamnum patitur, nec animadvertit. Etenim nisi anima intelligens, regni Dei, quo contacta est, sensum intellectualem acceperit, salutis nulla spes relinquitur. Cæterum ratione utentem animam quæ regnatur, divinitatis regnantis beneficia & sancti Spiritus multiplicem efficientiam intelligere oportet, charitatem, gaudium, pacem, longanimitatem, & cætera. Vbi namque Deus rex est, ibi diabolo non servitur: sed omne ministerium ad Deum confertur.

C

Matt. 3.

D

E

Rursum qui Deum ita precantur, *Libera nos à Malo*, nisi quis sit ille *Malus*, & quomodo possideantur à *Malo*, & quæ sint eius vincula, quæ item eius in subiugatos potestas, cognoverint, quo pacto Deus illos liberabit? Quod si hæc eos non latent, nec tamen à *Malo*, liberati sunt, clamare assiduè, sed libera nos à *Malo*, quid prodest? *Malus* enim est, qui in naturam humanam legem peccati implicuit diabolus: quem quandiu actionibus cum improbitate coniunctis colimus, non est pars nostra ille Bonus, nec Dei regno digni sumus, ut qui ipsum falsò Deum patremque nominemus cùm diabolum principem, & patrem, & Dominum, ac Deum habeamus, cuius & characterem in nobis per opera vitæ nostræ ferimus, sicut Iudæis alicubi obiicit Dominus, *Vos ex patre Diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere.* Et, *A quo quis victus est, huius & servus est.* Quemadmodum enim filius omnis similis est patri (filius quippe non nisi ex natura patris sui existit) sic & Christianum patris sui, Christi, inquam, similitudinem, per virtutes Spiritus, non similitudinem *Mali*, per affectus peccati induere opus est. Quare tyrannis illius *Mali* cognoscenda est, & qua vafritie ac dolo eam exerceat: quæ item via evertenda ac destruenda sit, ut docti regnum Christi, eiusque percepta notitia idipsum in veritate advenire & à cupiditatum laqueis, *Malique* servitute expediri, vindicarique desideremus. Verùm enimuero iis duntaxat regnum Dei advenit, qui ipsum cognoverunt: & in quibus regnat, eos angelorum cives reddit. Nam ex inobedientia primi hominis genus humanum maledicto devinctum est: maledictum consecuta est corruptio, corruptionem excepit interitio. Cōtra, ex obedientia secundi hominis, Christi videlicet, pervenit ad nos benedictio, ex benedictione incorruptio, ex incorruptione immortalitas, ex immortalitate vita, &, ut olim, vita ex Deo. Vbi enim est Deus, inde diabolus ac dæmones fugiunt. Ita liberatio à *Malo*, & à dæmonibus eius, redemptioque generi hominum per Christum parta est: ante quam libertatem nemo se hominem existimet: melius enim erat, ei si natus non fuisset.

F

Ioan.8.

2.Pet.2.

G

Porrò duo sunt in his, qui, quid petant nesciunt, ignorantia & stupor. Et ignorans quidem quid dicat non videt: stupidus quid roget, nescit. Quis autem Princeps misericordiam petenti, & tamen quæ illi præstatur misericordiam ignoranti, aut non intelligenti quod dicat, largiri solet, quæ labiis tantùm simpliciter, & quasi ex sola consuetudine, ut æs sonans, aut cymbalum tinniens promit? Propter hoc regnum diaboli, & potestas eius adversum Christianos invalescit ac stabilitur. Et hinc tum monachi, tum sæculares Christiani mendaces, maledici, criminatores, periuri, zelotypi, invidi, queruli, detractores, avari, raptores, iniusti, hypocritæ, fornicarij, adulteri, lascivi, improbi, superbi, legirupæ inveniuntur. Et hæc dici, atque esse Christiani gloriantur, populus stultus, insipiens, inobediens, ingratus, sine affectione, absque fœdere, osor hominum, osor fratrum, osor patrum, osor liberorum, osor amicorum, Deo odibilis. Væ talibus cùm Deo laudes concinunt. Væ cùm dant eleemosynas. Væ cùm dona Deo offerunt. Væ cùm Deum adorant. Væ cùm preces ad eum fundunt. Et enim *via impiorum abominabiles coram Deo*, & precatio iracundi ac malevoli, odor deterrimus.

H

Prov.15.

A deterimus. Eleemosyna superbi haulocaustum canis, & beneficentia libidinosi, merces meretricis. Avari munus, sacrificium immundum, & sanguis suillus. Sed enim interrogabit quispiam fortasse, quid igitur isti faciant? Quisque eorum, quod illum decet. Qui indignitatem suam perspexerit, cum sacerdote cógressus, rationem veritatis edocebitur, quatenus ei Evangelium iustitiæ revelatum fuerit, & tunc aptum & conveniens Christiano homini vitæ institutum capesset.

Luc. 2. Discendúm est ergo prius, quid sit, *Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Ps. 117. Quæ sit bona voluntas. Quid illud, *Deus Dominus, & illuxit nobis.* Quid illud, *illucere.* Christianus enim quilibet, qui Deum eius iussis factitandis, mandatisque custodiendis non glorificat: nihil ab iis distat, qui in Deum non credunt, nisi etiam iisdem deterior est. Malac. 1. B *Si ego pater sum,* inquit, *ubi est honor meus?* Et, *Si Dominus sum, ubi est timor meus?* Placuit autem Deo & patri humanam naturam, quæ à vita divina per peccatum desciverat, secumque inimicitias susceperat, per Incarnationem filij sibi reconciliare, eamque cum divina vita denuò copulare, ut item Apostolus scribit, Rom. 5. *Iustificati per fidem Domini nostri Iesu Christi, pacem habemus ad Deum per conversationem in Christo.* Col. ij 1. *Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum, & medium parietem maceriæ solvit, inimicitias in carne sua, & pacificavit per sanguinem crucis suæ per semetipsum, sive quæ in terris, sive quæ in cælis sunt. Et nos cum essemus aliquo modo alienati, & inimici sensu in operibus malis, nunc reconciliavit in corpore carnis suæ per mortem, & exhibuit nos sanctos, & immaculatos, & irreprehensibiles coram ipso: si tamen permanetis in fide fundati, & stabiles, & immobiles à spe Evangelij quod audistis, quod prædicatum est omni creaturæ quæ sub cælo est, cuius factus sum ego Paulus minister.* Christianus enim, qui per transgressionem mandatorum Evangelij Christo resistit, & cum Deo bellum gerit, sibimet, ac Deo inimicus est & cum eo pacem habere neutiquam potest. C Eousque siquidem inimici atque hostes Dei sumus, etiamsi fidelium nos appellatione velemus, quousque passionibus ignominiæ servire concupiscimus. Rom. 1. ad Tit. 2. *Apparuit,* inquit, *gratia Dei & Salvatoris nostri omnibus, hominibus erudiens nos, ut abnegantes impietatem & sæcularia desideria piè, sobriè, & iustè vivamus in hoc sæculo.* Igitur qui non piè vivit, impius est. Et qui non sobriè, ac iustè vitam traducit, multum abest, ut ei gratia Dei salutaris appareat. Et quomodo hic Christianorum ordine & loco censeatur? Ingrediens verò templũ Domini, quid dicet? gratias aget, an petet? Si illud, semet fallit, utpote non habens, cùm non acceperit, & nequicquam gratias agens. Si hoc, qua petitione? quam non novit, & quam ignorat? Talis nullius pretij, & inutilis est, tanquam incredulus, & mortuus, & atheus. Incredulus, quoniam Christi resurrectionem non suscepit, summoperè mentiens, cùm in cantico dicit, 1. Pet. 2. *Christi resurrectionem speculati,* &c. Ipse enim adhuc inter mortuos versatur, nec hausit à Deo rorem, qui intelligentia perspicitur, & mortuis sanitatem impertit. Christi quippe resurrectio & gloria, nostra, qui sepulti infra iacemus, resurrectio est, quæ D per resurrectionem eius in nobis fit, ostenditur, & apparet, ut est in sanctissimo responsorio, quod ore nostro quotidie depromimus. *Christi resurrectionem speculati, adoremus sanctum Dominum Iesum Christum, qui solus omni peccato vacat.* Ille enim cum nunquam peccatum ullum admiserit, ut scriptum est, nec ullam gloriæ suæ immutationem quoquomodo passus, quî resurget aliquando, & glorificabitur, qui supra modum, & supra omnem principatum, & potestatem glorificatus est, & manet? Sed resurrectio, & gloria Christi, nostra est gloria, ut diximus, quæ per resurrectionem scilicet eius in nobis fit, & in nobis conspicitur. Quia enim nostra semel assumpsit, quæ in nobis ipse facit, ea sibi adscribit. Et quemadmodum ipse Christus, & Deus noster in cruce suspensus, cùm in seipso peccata mundi cruci affixisset, mortemque gustavisset, & in infima

E inferni descendisset, deinde rursum exiisset, in immaculatum corpus suum revertit, à quo, cum eò descenderet nequaquam dissociata est eius divinitas, statimque à mortuis resurrexit; ac deinde cum virtute & gloria multa in cœlum ascendit: sic sanè & nunc nobis de mundo egredientibus, & imitatione quadam passionis eius pœnitentiæ, & humilitatis monumentum quoddam subeuntibus, ipse de cœlo descendens, corpus nostrum ceu sepulchrum ingreditur, unitusque animabus nostris, convenienter eas à morte suscitat.

Resurrectio autem animæ, est illius cum vita coniunctio. Sicut enim corpus mortuum, nisi animam viventem in se recipiat, & cum ea absque mistione misceatur, non dicitur, nec dici potest vivere: sic nec anima sola per seipsam vivere potest, nisi modo quodam inexplicabili, citraque confusionem cum Deo, qui verè vita æterna est, consocietur, & uniatur. F Vnita autem Deo, mox ei, qui ita cum Christo resurrexit, mysticæ resurrectionis suæ gloriam cernendi facultatem præbet. Hinc dicimus, *Deus Dominus, & illuxit nobis:* Ps. 117. & secundum significantes adventum, subiicimus, Mat. 21. *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Hanc resurrectionem qui liquidò non vidit (utpote incredulus, impius, ac mortuus) nec Christum Iesum ut sanctum, ac Dominum adorare potest: *Nemo enim,* inquit, *potest dicere Dominum Iesum, nisi in Spiritu sancto.* Et alibi, Ioan. 4. *Spiritus est Deus, & qui adorant eum, in Spiritu, & veritate oportet adorare* hoc est, in Spiritu sancto, & in unigenito eius filio. Hic autem infidelis est, qui fidem per opera non ostendit: quando fides secundum Iacobum Apostolum sine operibus in se ipsa est mortua, sicut & opera sine fide. Mortuus autem ideo, quia vivificantem Deum in se non habet; quandoquidem eum qui dixit, Ioan. 14. *Qui diligit me, mandata mea servabit, & ego & pater per Spiritum veniemus, & mansionem apud eum faciemus,* in sese non possidet, qui præsentia sua ipsum à mortuis excitet, atque vivificet, & tum excitatum in se, tum excitatorem videre largiatur. G Cùm enim in nobis per Spiritum fuerit, animas nostras à mortuis resuscitat, easque vita munerat, conceditque ut ipsum totum, qui immortalis, & interitus expers est, vivere in nobis videamus. Etenim anima, antequam se Deo unitam cognoscat, videat, ac sentiat, quanquam intelligens, & natura immortalis est, nihilominus mortua, cæca, & sine sensu est. Atheus autem est, quia si iudicium futurum, & supplicia sempitena credidisset, vitam suam in nugis non exigeret. Nunc tam eos videri in perniciem ruere, quam nec ethnicos, super quos nomen Dei invocatum non est, indignum est. Et ambulant subnixi, nec maiores suos miseri intuentur. Non sunt isti Christiani, ne semet ludificentur, non sunt: sed impij, & sine Deo, & increduli; præsertim si monachi; aut sacerdotes sint Prô dolor. Sin autem Episcopi, ô Christe patientiam, & longanimitatem, tuam, quod non terra dehiscit, eosque absorbet.

Si quis huiusmodi peste laborat, quomodo, obsecro, in templum, & maxime in sancta sanctorum ingredietur? Scribens enim ad Corinthios Apostolus clamat, 1 Cor. 6. *Nolite errare, neque fornicarij, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque raptores, neque iniusti regnum Dei possidebunt.* H *Et hæc fuistis,* inquit, *sed abluti, sed sanctificati, sed iustificati estis in nomine Domini Iesu, & in spiritu Dei nostri.* Qui enim ablutus, & sanctificatus, & iustificatus est, ad ista aut immobilis est prorsus, aut difficile movetur. Quod si eo levi momento impellitur, eum de integro contaminatum, & ablutione gratiæ nudatum, iustitiaque spoliatum, atque ideo ab Ecclesia Christi semotum, & eius solo, ingressuque in templum Domini indignum esse constat. Quisquis ergo talem in se characterem animadverterit, saluti suæ prospiciat, certo sciens, se extra Christianismum esse Christumque sibi nihil profuturum: sed cum diabolo in ignem illi præparatum abiturum. Nisi enim sigillatim Christianorum mysteria cognoverit.

A scilicet per virtutem CHRISTI intelligibilem iterum conflari, ac refingi debere, & in divinum hominem transmutari, fierique novam creaturam, & hominem novum, quo fides & baptismus referuntur, frustrà Christiani nomem usurpat. Nam quicunque servatur, aut redimitur, aut liberatur, aut honore augetur, aut beneficio afficitur, aut opibus cumulatur, ab alio, non à seipso unumquodque horum assequutur. Quin etiam omnis qui lapsus, & attritus est, ab alio erigitur, & portatur, cum semet erigere non queat. Verumtamen, si se lapsum sentit, à quo erigatur, quærit, & inventum rogat, hortaturque. In sanitatem autem restitutus gratias agit, eumque collaudat, à quo erectus, sublatus, & sanatus est. Sic Christianus quilibet, ante sanitatem exorans illum, cuius opera sanandus est, potius sanitate gratias agit medico. Quod nisi fiat, omnia inania, & cum iis quoque psalmodiæ, seu paucæ
B seu multæ, inanes ac vanæ sunt.

# ORATIO V.

## ARGVMENTVM.

*Qui mysteriorum divinorum participes fieri debeant; & quis indignè manducet, & bibat corpus, ac sanguinem Christi, ut Apostolus loquitur.*

DOctrina Patrum est, quemadmodum vir nobilis, & copiosus, si tritum, & directum relinquens iter, perque avia, & solitudinem ambulans in latrones inciderit, veste eleganti dispoliatur, vilique ac detrita, & carnes, cruoremque redolente tunica coopertus, cum ipsis crapulæ, & ebrietati, rebus turpibus, & latrocinio vacat, expertusque, & delectatus edacitate illa, potatione, libidinum sordibus, tandem tam fœdè, & latronum more vivendi consuetudine obfirmatus, & totius cognationis suæ, & honestæ, ac illustris, ordinatæ-
C que vitæ prioris, amore gravitatis, & honestatis, in eo penitus frigente, velut oblitus manet: pari modo Christianus, si deserta Christianis congruenti semita, diaboli via procedat, hoc est, si modestiam, frugalitatem, vitæ, morumque gravitatem parui ducat, & illa inania in amoribus habeat, iniustitiam, avaritiam, rapinam, atque ex his ad immunditiam, fornicationem, protervìam delabens, & ita comparatus, gloriam quæ datur ab hominibus persequatur, postquam per iter istiusmodi in manus dæmonum devenerit, aliquando & ipso baptismate sancto, eiusque indicio & insigni nudatur, cùm affirmet, improbitati ac petulantiæ nuntium remittere se planè non posse, ni ante è rebus spurcissimis satietatem ceperit: potissimum si immaculatum Christi corpus, ac pretiosum sanguinem sumere non dubitaverit.

ANNOTAT. ἔστιν ὅτι καὶ αὐτὸ τὸ ἅγιον ἐκδύεται βάπτισμα, καὶ τοῦτο γνώρισμα, ὅταν λέγῃ μὴ δύνασθαι ὅλως δοῦναι ἀποταγὴν τῇ ἀσελγείᾳ εἰ μὴ εἰς κόρον ἐν χαιρῷ τῶν αἰσχίστων. Ad verbum. *Est cùm & ipsum sanctum exuitur baptisma, & eius insigne seu nota: cum quis dicit: se non posse luxuria maledicere, nisi ex turpissimis satietatem ceperit.* Locus durior, nisi molliatur benigna in-
D terpretatione: quod fiet, si quis asserat, Simeonem non loqui de quibuluis peccatoribus; sed de illis, qui, ut Salomon ait, *in profundum venerunt, lætanturque in rebus pessimis:* & qui cum inferno pactum pepigerunt. Isti enim exuunt baptismum eiusque notam, non quidem reipsa; cum baptismi character sit indelebilis: sed vita & moribus, cum actiones suas, totamque vitæ rationem non aliter instituant, quàm si diabolo eiusque pompæ in baptismo nunquam renunciassent.

Væ tum ei qui porrexerit, tum ei qui sumpserit. Huic, quia quo maiore cum improbitate sumit, eo magis propter impudentiam, & audaciam diabolicæ potestati
E subiicitur, derelictus à Deo, sicut in sacro Evangelio scriptum legimus de Iuda, cùm Dominus in cœna illa divina buccellam intinctam ei porrexisset, illeque accepisset, statim Sathanam in eum intravisse. Illi, quia purissimo corpore, & sanguine Domini dignatus est hominem, qui nec pedem in templo eius ponere dignus fuit: quicum etiam cibum capere Christiano cuilibet interdictum est. *Si quis enim*, ait Apostolus *frater nominatur, & est aut fornicator, aut avarus, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum huiusmodi nec cibum sumere.* Viden' quomodo nec frater est, nisi solo nomine? & damnatum esse præbitorem, siquidem hominem peccando tanquam à via deflectentem, & aberrantem, perfectum Dei inimicum reddidit. Sed talis placidè rogandus, futurarumque & horribilium pœnarum peccatoribus decretarum redintegranda illi memoria, & commo-
F nefaciendus, aut instar cæci manu ducendus est (nam oculis orbatos non punimus, sed manu ducimus) aut ut demens miserandus, ut qui à diabolo vexetur quo auribus sibi a Domino Deo apertis, impietatem suam aliquando cognoscat, iterumque per pœnitentiam ad fidelium ordinem aggregetur. Talis enim in impietatem ruit, qui si Christum sanctè coluisset, & Deum esse cognovisset, qui non vult iniquitatem, iuxta illud, *Non habitabit iuxta te malignus, neque permanebunt iniqui ante oculos tuos:* Et, *Odit Dominus omnes qui operantur iniquitatem*, pavore ac metu se contrahens, corpus eius contingere noluisset, ne angelica rhomphæa percussus interiret.

Verumenimuerò quia huius generis non pauci in mundo, coram hominibus erubescentes (nimirum ne indigni videantur) divina participare non reformidant quos siquis ab ea audacia deterreat, molestus videtur, & convitia recipit: non enim intelligunt, se id facere, quod erubescant, sed cum immaculata communione prohibentur, incitantur amplius ut sese in vecordiam, summum contemptum, desperationem, perditionemque
G præcipitent, nec à tanto periculo, quanto maius nec est, nec fuit (per indignam quippe communionem, corporis Christi, & sanguinis rei fiunt) eos revocanti gratias agent. Quid autem intolerabilius, quàm supplicium tale incurrere, quale perpetientur, qui Christum in crucem egerunt? Quia, inquam, multi tales sunt, ita eos tractare oportet Cogenda fratrum multitudo, & Deus super iis cum lacrymis invocandus, ut eos Sathanæ tradat in interitum carnis, quo spiritus salvetur in die Domini. Quid porrò vult tradi Sathanæ in interitum carnis? ut morbis, & incommodis, & doloribus, & plagis, & vulneribus pœnè immedicabilibus, & variis, atque omnigenis invaletudinibus corpus iactetur ac lancinetur, quemadmodum diabolus Iob percussit ulcere pessimo, à pedibus usque ad verticem: ut propter contritionem corporis quamquam inviti sapiant, & quod sani refugerunt, cum gemitibus, cruciatuque præstant. Deus enim anima peccante, corpus ad pœnam vocat. Sanctitudo autem divinæ communionis peccata dispellendi, animæque ab affectione, & impulsu ad ea purgandæ vim ac potestatem validam habet. Et sicut in uno vase
H ignis, & aqua simul esse nequeunt: ita nec mundissimum Christi corpus, & detestabile peccatum in uno eodemque Christiano. Quod si amore peccandi irretitus, dum sanctam Christi carnem, impollutumque sanguinem participat, illico non interit, ibi tamen reconditur, *ubi vermis non moritur, & ignis non extinguitur.* Quamobrem si talis in omnem æternitatem cum diabolo ignem perferre potest, intrepidè participet. Sin autem, expedit ei ad tempus à sacra communione arceri, & pœnitere, item aliquandiu indulgere lacrymis, quodque ad se attinet, sudare paululum, frænare aliquantum, ac domitas habere libidines, ac tum demum nullo periculi metu communicare, ad expellendum introgressum, tyranniceque ad lasciviam, aliasque impuritates sollicitantem Sathanam. Etenim qui turpibus rebus impensè delectatur, haud per se id facit,

Ioan. 13.
1. Cor. 5.
Psal. 5.
1. Cor. 5.
Iob. 1.
Isai. 66.

sed

ſed ab ipſo diabolo impulſus, cui ab ipſo ineſcatus, oſtium appetitus ſui voluptarij reſeravit, ut indè caput ſuum proferret. Et nunc ſenſim ingreſſus, planè ut ſuper lectulum cordis recubat: perinde ut qui à dæmonibus agitantur, ſæpe cum voluptate ſtercus devorant. Quod cogitare ſecum debet, quem propter multam Dei miſericordiam, viſitationémque ſerpens antiquus vel paulum ſapere patitur, & ad Chriſtum confugere, qui ſolus & dæmones abigere, & tam animi, quàm corporis morbos depellere potis eſt.

Porrò ſcire licet; quinque hominum genera ſacra communione à ſanctis Patribus excludi. Primi ſunt Catechumeni, utpote baptiſmo nondum expiati. Secundi, baptizati quidem, ſed qui ſordes, & peccata diligere cœperunt: nam hi vitæ ſanctæ deſertores & apoſtatæ nominantur. Tertij, qui à malis ſpiritibus humano generi infeſtis, & adverſariis inſidentur, & occupantur. Quarti, qui à vita facinoroſa receſſerunt illi quidem, verum adhuc pœnitentiam agunt. Quinti, qui non totam vitam ſuam Deo conſecrarunt, nec in Chriſto omnimodis ſine crimine vivunt. Quatuor quippe ſunt, dignus indignus, dignè indignè. Indignus omninò, à cibo & potu illo rejicitur. Dignus autem, ſiquidem dignè acceſſerit, dignus eſt: ſi indignè, *judicium ſibi manducat, & bibit; non dijudicans corpus Domini.* (1. Cor. 11) Quinque enim ponuntur ordines ejectitiorum ab Eccleſia. Catechumeni, ut non ſunt baptizati. Fornicatij, & adulteri, in maſculos inſanientes, corrupti, homicidæ, avari, raptores, injuſti, ſuperbi, in quibus impœnitentes in his ſceleribus. A dæmonibus, poſſeſſi. Qui ad pœnitentiam, & confeſſionem acceſſerunt, & ut ad tempus definitum extra manerent, puniti ſunt. Poſtremi, qui præſcriptum pœnitentiæ ſpatium nondum compleverunt. Hi igitur, id eſt, quinque ordines iſti, manifeſtè indigni ſunt. Dignus autem corpore, & ſanguine Chriſti particeps, & inculpatus. Cum verò quiſpiam dignus, aliquis errat, ut homo reprehenſus fuerit, talis dignus indignè ſuſceperit, ſi non, quod in ipſo reprehenditur, excuſſerit & abjecerit. Itaque & ille edit ac bibit indignè, qui cum dignus ſit, dignè tamen non acceſſit.

Annotat. Cur non baptizati à ſacra communione repellantur, ratio in promptu eſt; quia baptiſmus ad omnia Sacramenta fores pandit. Secundò rejicit Simeon ab hac cœleſti menſa peccatores, manifeſtos nimirum & publicè notos, ſcortatores, adulteros, raptores, & hujus generis alios, ut ipſemet Simeon explicat. Vide S.Th.3.p.q.67 art.6.& ibid.Franc.Suar. ſect. 2.& 3.

Tertiò, excludit energumenos, ſeu à dæmone obſeſſos. Eoſdem Excludit S.Dionyſ. Areopag. cap. 3. de cœleſti Hierarchia part. 2. collocat enim illos extra templum eo tempore, quo res divina peragitur; inter catechumenos & publicè pœnitentes: quem S. Thomas 3 p.q. 69. art.9. interpretatur de energumenis nondum baptizatis, *in quibus ſcilicet nondum eſt vis dæmonis extincta, quæ viget in eis per originale peccatum.* Cum energumenis baptiſmatis unda ablutis dicit S. Thom. idem ſervandum eſſe, quod cum cæteris amentibus, nimirum ſi abſque periculo irreverentiæ communicare poſſint, & intervalla habeant, non eſſe illis negandam Euchariſtiam; nam ejus virtute & auxilio aut dæmon expellitur; ſi id ad ſalutem hominis conducat; aut certè corroborabitur, ut ærumnam illam generoſo animo perferat. Hanc doctrinam confirmat S. Thom. teſtimonio Caſſiani, cujus hæc ſunt verba collat. 7. c. 30. *Communionem verò eis (ſubt. illis) ſacroſanctam à ſenioribus noſtris nunquam meminimus interdictam, quinimo, ſi poſſibile eſſet, etiam quotidie eis impartiri eam debere cenſebant.* Paulò poſt ſubdit, *Hoc namque modo curatum & Abbatem Andronicum nuper à (?) vidimus, aliosque complures. Magis namque ac magis inimicus inſultabit obſeſſo, cùm eum à cœleſti medicina viderit ſegregatum, tantòque dirius & frequentius attentabit, quantò eum à ſpirituali remedio longius ſenſerit abdicatum.* Hæc Abbas Serenus apud Caſſianum: Sic etiam Timotheus Alexandrin. Epiſcopus in ſuis Reſponſionibus vult, ut Energumeni ſtatis temporibus Euchariſtiæ Sacramentum percipiant, etſi non quot die. Idem docet Balſamon ſcholius ad Timothei reſponſiones: Vide Franciſc. Soarez tom. 3. d. 69. ſect. 2. in fin. Extant quæſtiones Monachorum quorundam, & ad eaſdem reſponſa, ubi quæritur, an oporteat Dæmoniacum communicare Sacramentis, Si enim Timotheum aliter dixiſſe; & aliter Sanctos Apoſtolos: Reſponſio eſt, *Eum qui verè ſit Dæmoniacus ſacramentis minimè dignandum eſſe.* Quod tamen Balſamoni in Scholiis ad ejus reſponſum non probatur, ſi loquantur de illo Dæmoniaco, qui mentis interdum eſt compos, & à Dæmonis agitatione nonnullam quietem interdum habet.

Quartò excludit Simeon ab Euchariſtia publicè & ſolenniter pœnitentes. Nam illis non dabatur Euchariſtia durante pœnitentiæ tempore, niſi periculum vitæ impenderet; quod cum aliunde; tum ex Canonibus apud Gratianum 26. quæſt. 6. & ex Cod. de pœnitentibus de conſecrat. d. 3. liquet. Legantur Epiſtolæ, ut ſic vocem, *Pœnitentiales*, Dionyſij Alexandrini, S. Athanaſ. S. Gregor. Taumaturgi, S. Gregor. Nyſſeni, S. Baſilij, & aliorum cum Balſamonis commentariis.

Quintò rejicit illos à ſacra Synaxi, *εἰ μὴ ὅλην τὴν ἑαυτῶν ζωὴν τῷ Θεῷ ἀνατεθείκασι, καὶ ἐν Χριστῷ ζῶντες ἀναμάρτητοι διάγουσι, qui totam vitam ſuam Deo non conſecrarunt, neque prorſus in Chriſto ſine crimine vivunt.* Ubi Simeon non videtur loqui de illis, qui vel poſt baptiſma, vel poſt confeſſionem peractam denuò peccant, ſed de illis, qui in idē lethale peccatū ſæpius recidunt, quos vulgo recidivos nominant. De quibus Neſteuta in ſuo Nomocanone. *Sunt enim multi, inquit, qui conſuetudine rurſus labuntur, & in peccata incidunt. His ergo debent ſemper compatiens, quoties ceciderint, etiamſi inſtitutas pœnas compleverint, quas ab eo, qui ipſos ligavit, acceperunt, nunquam autem communicare. Sin autem eorum omnino miſereris, communicabunt: cavendum eſt tamen ne communicent, donec peccatum abſciderint. Miſericordia enim gratia ſic quoque digni habentur.*

## ORATIO VI.

ARGUMENTUM.

*Homines pecunia, vana gloria, & voluptatum illecebris capi, atque irretiri ſolere.*

TRia ſunt, quibus anima omnis in hanc vitā ingreſſa capitur, & ſubjugatur, pecunia ſive opes, gloria, voluptas. Omnis namque homo, mundum hunc propter primam primi hominis prævaricationem locū afflictionis & ſupplicij, ac ſolam in morte miſeriarum, & ærumnarum eſſe requiē ignorans, cùm traducere vitam incipit, ad eam citra moleſtiam, citraque indigentiā traducendam opes expetit: & procedens, in honore, & gloria eſſe deſiderat. Ubi ver ætatis contigerit, jucundis rebus frui, ut ſenſus compos; iis qui ſenſibus percipiuntur: ut aſpectabilis aſpectabilibus: ut tēporaneus temporaneis. Nam qui videt ea quæ ſub oculos cadunt, etiā ea quæ nō cadunt videre nequit: ſicut qui illa inaſpectabilia contēplatur, ſimiliter quæ aſpectu ſentiuntur, intueri non poteſt. Quiſquis enim in vitam hanc quæ videtur, nuper introivit, niſi doceatur, neſcit num quædam exſtent, oculorum ſenſum fugientia: atque etiam hoc ipſum ignorat ſe caducum, & mortalē eſſe nec ſe propter præſentem hunc, ſed alium quendam perpetuúmque mundum procreatum: quem ut mereatur, hic erudiri præparari, ac perfici debeat. Tenendum itaque, ſi hæc tria ei dominabuntur, fore, ut ab iis etiam cum volet, ſe extricare non valeat: ut nec paſſer ſendiculis implicitus fugere, quamvis alas multum concuſſerit: auxilio enim, virtuteque indiget majore in Deo. Sunt hæc nempe firma diaboli retia, per quæ homo in poteſtatem ejus redigitur, & aliquando poſt mortē quoque ab eo retinetur. *A quo enim quis victus eſt, ejus & ſervus eſt.* (1. Pet. 2) Valdam nimirum vim hæc tria habent, ut aſpectabilia, ut fructuoſa, & appetitui dulcedine ſua ante blandientia, eumque præoccupantia: deinde præoccupato jam homini perſuadentia, propterea ſolum hanc lucem ipſum aſpexiſſe

Et quanquam ab his tribus obsessus devictusque non fuerit invictum se tamen servare nequit: sed paulò post vivus ab iisdem capitur. A nobis enim arma sumit diabolus, quibus nos latenter subigit. Quocirca contendum, ut præveniamus, & armaturam Dei induamus, quæ multa, varia ac diversa, & tota Christus solus est. Hoc est, coniunctionem eius, quam animo cernimus, & virtutem de plenitudine eius, virtutem dico omnis animæ vivificatricem; sine qua eam vivere, & videre per quam difficile, atque adeò impossibile est. Nam & quotquot baptizati sunt, Christum induerunt, ut in eo vivant, & viventes, videant, & ab his tribus minimè capi possint. Revelantur enim eis quæ germanè bona sunt, quorum gratia in huius oras luminis prodierunt. Qui autem superatus fuerit Christum vehementer oret, ac exoret etiam per deprecationes necesse est, non ut sibi peccata sua dimittantur, sed ut eum Christus à servitute ac dominatu ipsorum liberet ac dimittat, cum semet, quantumvis cupiens, liberare non queat: quò liberatus tum remissionem peccatorum flagitet, & obtineat, tum divinæ virtutis commercio denuo ea non committat. Fertur enim Canon in hæc verba: *Quicunque dixerit gratiam Dei, qua iustificamur per Iesum Christum Dominum nostrum, ad solam remissionem peccatorum, iam perpetratorum valere, & non insuper auxilium præbere, ne alia perpetrentur, anathema esto.*

In quo porrò horum trium ad nos occupandos ac possidendos vis consistit? In occulta, & clandestina quadam vi Sathanæ, qua nos ad ea, ut bona desideranda allicit, quasi requiem, & lætitiam animæ parientia, & in doloris afflictionisque vacuitate ipsam conservantia. Quod nisi anima prius à Deo illuminetur, oppugnatoris incursum, insultumque haud facile potest intelligere, quemadmodum videmus mulierem uterum ferentem sordida quædam appetere, & ipsam solam ea ut iucunda aspicere, atque comedere. Nam quod semper machinatur diabolus, hoc est, ne cognoscamus ipsum esse, qui talia molitur, per ea passionem, & mysterium Christianismi ignorantè occultè inescans, & avertens. Est enim hoc mysterium, quod per fidem, & non ex operibus in animas baptizatorum, virtus divinitatis Iesu, quam intelligentia percipit, illabitur, eique ostendit, quo pacto non per se ipsæ pecuniarum, gloriæ, voluptatumque cupidine, & amore ducantur. In animas porrò post sanctum baptisma his tribus edomitas, alia ratione talis gratia influere non potest, quam per instaurantia bona, per quæ solum confertur salus: ut per haustum sanctificatorum, per unctionem benedictarum olivarum, & unguenta sanctorum, eorúmque suaveolentiæ perceptionem: quoniam his Christus sanctificandi vim largitur, & his anima purgatur: & spiritus nequam, qui hanc contra naturã animi necessitudinẽ, & amicitiam in homine conciliant, per hæc, quæ sensus tangunt, & oculis usurpantur, Spiritus S. adventum, quem mens percipit, non ferentes aufugiunt. Ac tum demum Christianus libertatem intelligit, quam ad se confugientibus Christus largiri cõsuevit, & gratias agere non desinit dicenti, *Omnis qui facit peccatum, servus est peccati. servus autem non manet in domo in æternum, filius manet. Si igitur filius vos liberaverit, verè liberi eritis.*

Quid amplius? qui in hac cognitione divinũ Christi corpus, sanguinémque participat, unum fit cum eo, *os ex ossibus eius & caro de carne eius*: & ex quo sanctificatus fuerit, pecuniam si haberet, sic habet, quasi non haberet: qualis enim natura sua est, talem æstimat. Si gloria circumfluxerit, ea non secus afficitur, quam si careret. Et, *Qui uxores habent*, inquit Apostolus, *tanquam non habentes sint. & qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur.* Eiusdem & hoc est: *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini mei, per quem mihi mundus crucifixus est & ego mundo.* Illud, *per quem*, hoc significat, ... Christus, ... pro me hostiã ... sanctificatione eius repletus fuissem, ... peccatum ... quando ... non est. Hæc qui non didicit, ignorans est: & qui ea differre detrectat, frustrà in Christum credidit, frustrà Christiani vocabulum gerit, & Christus nihil ei proderit: peccatórque deterior factus, plus virium adversus se diabolo concedit. Ieiunium huius pro nihilo est: affectiones enim peccati magis in eum insurgunt. Si psallat, aut preces faciat, diabolus eum à Deo, velut cum contemptu illi astantem, maiore cum potestate abstrahit (nec enim cum pio, intelligentique timore astare potest) & efficit, ut mens nefanda quædam, & impurissima imaginetur, & ad ea potius coram Deo, quam quæ dicuntur attendat. Si eleemosynas det, eas amittit. Qui enim in egentes munificus est, nisi animam suam hisce vinculis avaritiæ, vanæ gloriæ, & voluptatis solutam, & expeditam sciat, quæcunque dedit, perdidit. Qui eleemosynas impertit, Deus vicissim insigni illum misericordia dignatur, sanitate scilicet mentis, quæ sanitas est ipsa à tribus hisce malis remissio, ac liberatio. Et quoniam hinc emigrantes animas regnum cœlorum sanas duntaxat admittit (*oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem*) officina medica morbosæ, & necessitati perturbationum expositæ naturæ hic est, & radices regni cœlestis hic intra propagantur. Nisi enim Christus hic in anima regnet, salute nulquam potietur. Hic prius denuò generatur homo, ac tum demum regnum Dei videre potest. Qui autem regnum Christi necdum in se experitur, nondum natus est denuò. Atqui omnino nasci oportet, ut hic regnum Dei videre liceat.

Iam mihi discrimen quoque istarum trium tyrannicarum affectionum considera, quarum una in pecuniæ & divitiarum, altera in honoris & gloriæ, tertia in voluptatum oblectatione versatur. Est enim invenire inter homines hunc quidem nummi, istum nominis, alium suavium corporis motionum amantem, & cupidum: sed unum eundemque & pecuniæ valde sitientem, & gloriæ multum, & voluptatis prorsus appetentem invenire non poteris, nam uni potissimum deditus est, in cæterorum mediocritate acquiescit. Cui autem horum aliquid planè imperat, ac dominatur, is alia duo contemnit. Pecuniæ avidus eius causa & gloriam, & voluptatem aspernatur. Illam, quia ut obolum lucretur, pudorem & dedecus non veretur: quinetiam e rebus iniustis, abiectis, inhonestis, absurdum quæstum colligere gaudet, cùm eius animus in lucro sit totus. Hanc ne impendat, & exhauriat, quam diligit pecuniam. Ambitiosus gloriæ desiderio, & nummos, & voluptatum blandimenta despicit: illos temere profundens, ut laudem & honorem adipiscatur: has repellens, ne in ignominiam, & reprehensionem incurrat. Voluptarius, & pecuniam, & gloriam in minimis ponit, dum opes suas per luxuriam dilapidat, & honorem quemcunque posthabens, propter gaudia, obscœnásque voluptates perfruendas, in omne genus dedecoris præceps abit. Et ab his unusquisque nec suppliciorum terrore, nec regni cœlestis amore pedem referre vult, sed illa irridet, hoc vilipendit. Quid præterea? Avarus voluptarium, & ambitiosum ludos facit: hunc, quoniam non etiam, ut ipse, & vilibus & despicabilibus rebus lucella captare dignum putat: illum, quia propter quæsitam e turpitudine inconditatem rem familiarem, divitiasque suas absumit. Ambitiosus similiter avarum, & voluptarium deridet: illum, quia è sordidis contemptisque rebus compendia quærit: hunc, quia dedecore, & infamia laborat. Voluptarius utrumque naso suspendit: alterum, quod propter existimationem, ne à quoquam vituperetur, seipsum ad castitatem tanquam fræno cogit: alterum, quod ne sumptum tolerет, continens, & paucis contentus est. Atque horum quisque à suo dæmone extimulatus, alium, cum quod sibi adest cæcus, insipienter condemnat: ut utrinque tum ob morbum, tum ob condemnationem æternæ damnationis rei sint. Quocirca solam spem nostram Christum cogitemus,

ut

A ut nos ab hisce tribus vinculis solvat, sensúsque nostros sanctificet; ut divina audire oracula; ut animo tranquillo uti aspectu possimus: ut pro maledictis, & condemnatione, pœnitentiæ, & benedictionis verba loquamur: ut salubriter tangamus, contrectemúsque. Nam nisi animos nostros ab hisce ægritudinibus curaverimus, inanis est fides, inanis pietas, inanis Dei cultus, inane ieiunium, inanis precatio, inanis eleemosyna: hæc enim omnia ad nos à vitiis revocandos, sanandósque conferuntur. Quod si sani & integri non sumus, sine fructu in Christum credimus. Rom.6. Nam qui in Christum credit, habet vitam æternam, quæ est gratia Domini nostri Iesu Christi. Qui porrò in Christum credit, nec vitam æternam habet, frustrà in eum credit. Petat igitur, & accipiat vitam æternam, ut in Christum credere cognoscatur. Quoniam qui Christi spiritu caret, illum utique diabolus ut infidelem sibi B vendicat; nihil quippe est medium. Et ut vita æterna ex fide est, sic fides à vita æterna cognoscitur, quam utinam per misericordiam Christi, in quem credimus, iam hinc usque in sempiterna sæcula consequamur.

## ORATIO VII.

### ARGVMENTVM.

*De labore spirituali, & in quibus sancti veteres elaborarint. Quomodo nos iisdem rectè fungi, & instar illorum sanctissimi Spiritus participes evadere possimus. De perfecta commotionum à ratione aversorum vacatione, & sanctitudine. Quis sit absolutus è mundo secessus. Gloriam hominum diligentes, quanquam in cæteris virtutibus universis ritè processerint, fructum nullum percipere.* C

Quandoquidem nonnulli, contra quam deberent, de se magnificè sentientes, actione, contemplatione, & perfectione antiquorum sanctorum, atque à Deo afflatorum Patrum nostrorum similes sese arbitrantur, & eodem spiritu præditos, quo illi vivebant, ac movebantur, ex verbis tantum sine operibus commendationem aucupantes, cum arrogantiæ spiritu ab eorum semita aberraverint, age de huiusmodi hominibus sanctis disserere aggrediamur, & à rebus testatis plena fide accepta, per eorum vestigia incedere studeamus, si eos interim antevertere non possimus. Altius autem ducto principio, ad nos usque sensim delabamur.

Ergo magnus Antonius in monumento sedens, quid agebat, tametsi spirituales actiones nondum plane noverat? An non velut mortuum se in eo inclusit, nihil mundanum inferens, nec ulla de re sollicitus? An non totus mundo mortuus, & in monumento delitescens, Deum qui reviviscere, & exurgere facit exquirebat? D An non pane solo, & aqua contentus erat? An non multa à dæmonibus gravia sustinuit, iacuitque ex intolerandis verberibus semimortuus? An non cùm in Ecclesiam pro exanimi esset illatus, ubi sensus convaluere, suopte impulsu ad pugnas edendas rediit? Nisi enim ad adversarios redisset, sed in mundo mansisset, ac nisi ad finem usque fortiter dimicasset, seséque alacri voluntate morti obtulisset, exoptatissimo Domini sui aspectu dignatus non fuisset; nec suavem illam vocem audivisset. Sed toto pectore quæsivit, impigrè pulsavit, usque ad finem toleravit, & mercedem condignam retulit. Mortuus enim voluntate pro Christo, iacebat instar mortui; donec accessit, qui mortuos in vitam restituit, eúmque ab inferis excitavit: à tenebris, inquam, animæ, & eduxit illum in admirabile lumen vultus sui. quod intuitus, molestiisque liberatus, & mirificè recreatus aiebat, *Domine, ubi eras hactenus*? Hoc igitur verbum, *ubi eras*, omnino ignorantis est, ubi erat. Illud autem *hactenus*, aspectum, & sensum, & notitiam præsentiæ Domini declarat, Si ergo nos E ita rebus nuntium remittere nolumus, & ut ille perseverate, ac perpeti nos statuimus, num digni simus, qui Deum in Spiritu sancto, ut idem, videamus, & exultatione repleamur? Ah neutiquam.

Verum ad alium quoque, si placet, nos convertamus. Magnus Arsenius ab initio renuntiationis suæ quid fecit? nónne relictis Imperatoribus cum palatio ipsorum, & sericatis aulicis, relictis item famulis, & omnibus divitiis suis, incomitatus ad monasterium ut pauper, & mendicus venit, gloriámque & laudem hominum, vt à Deo glorificaretur, fugiens, quis fuisset ignorari studuit? Quid ergo? num hoc fecisse satis habuit? nullo modo. Sed qui è etiam ut vilis hominibus sese vilibus æquare noluit, verùm pro cane se reputavit. Etenim cùm illi à præposito frustum panis projiceretur, idque humi cecidisset, ille quadrupedem incedendo imitatus, non manu, sed dentibus more canis panem sublatum comedit. In cella autem F residens non solum laborabat: sed multò etiam minus, quàm ex opere manuum redigebatur, ad usum suum consumebat, aquam turbidam, & putidam bibens. Quin & laborans, & orans, continenter vultum lacrymis irrigabat: & cum vesperi cœpisset, usque in tempus matutinum stando preces continuabat: atque in extrema egestate, vilitatéque usque ad obitum perseveravit. Cur istuc? vt pateretur prorsus, videretque etiam ipse quæ magnus Antonius pati; & videre dignus est habitus. Quomodo igitur de hoc similiter litteris traditum non est, vidisse Dominum? num labores suscepit, & quasi præstruxit, illum tamen videre non meruit? nihil minus: sed ipse quoque, etiamsi eius historiæ scriptor ita apertè hoc non prodidit, sic Dominum videre promeruit. Quod si accuratè vis discere, vitam Arsenij descripta evolve, vnde & hunc vidisse Deum cognosces. Quamobrem qui ipsos opere ac labore imitando expresserit, revera eandem gratiam G non immeritò consequetur. Iam si quis horum humilitatem, patientiam imitari non vult, cur insuper id fieri posse negat?

Porrò Euthymij, & Sabbæ, reliquorúmque deinceps Sanctorum actiones maiores quam pro nomine quis enarraverit? Sive enim ante acceptam spiritus gratiam, sive post acceptam, sine molestiis, laboribus, multisque sudoribus, sine violentia, angustia, & tribulatione, nemo animæ caliginem pervasit, neque sanctissimi spiritus lucem est contemplatus. *Regnum enim cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*: Mat 11. Act.14. quia scilicet *per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei*. At enim regnum cœlorum Spiritus sancti participatio est. Luc.17. Hoc siquidem est, quod dicitur, *Regnum cælorum intra vos est*, ut Spiritum sanctum intra nos recipere, & habere studeamus. Parcant igitur dicere, qui assiduo sibi vim non faciunt, qui quotidie in angustiis, in rerum tenuitate, & afflictionibus non sunt, intra nos Spiritum sanctum habemus. H Citra virtutis quippe exercitationem, citra sudores ac labores ista merces contingit nemini. Quare mihi illud in vulgi ore proverbium bene placet, *Ostende opera, & postula mercedem*. Novi ego hominem, qui antequam labori se dederet, ut semet acrius vrgeret, cum scripturis mente recta & simplici operam dedisset, paucósque dies, & noctes sine lassitudine, ut ita dicam, vigilasset, precésque frequentasset, à superna gratia tantopere illustratum, ut extra corpus, extra domicilium, extra totum denique mundum esse videretur. Nox erat, & divina claritate refulsit. Cæterum quia otiosus divitias acceperat, actutum eas parvipendit, atque neglexit; unde simul omnes perdidit, usque adeò, ut se vnquam talem gloriam spectavisse ne meminerit quidem. Quare quo pacto quibus neque ex parte aliqua accipere, aut conspicere aliquando hancce gloriam suo ipsorum merito contigit, se eám universam in semet habere autument, dubitare me confiteor. Sed ô cæcitatem, ô caliginem, ô stultitiam, & opinionem de se arrogantem! ubi tandem istuc, aut quibus è scripturis didicerunt?

A Rom. 1. Verè *evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum*, & in Ægypto, hoc est, in tenebris perturbationum ac voluptatum suarum manserunt. Nam qui terram promissionis videre concupiverunt, quam mansuetorum, humilium, & pauperum oculi videre digni sunt, quamvis angustiam, tribulationem, abjectionem subeunt, atque ab omni, & omnigena corporis voluptate, honore, remissione, & quiete vehementer abstinent: neque hoc tantum, sed etiam cujusvis hominis seu plebeij, seu primarij congressum, ac familiaritatem vitant; eos citra odium fugientes, quò digni habeantur, qui ad hanc perveniant, priusquam viæ huius vitæ brevitas eorum cursum interrumpat. Humiliantes enim se, & pro improbis, quique multa offenderint, habentes, idque ex animo, immo inimicos, & transgressores divinarum legum se reputantes, sibimet exosi ac mœsti vitam ducunt, aventes nosse, B quid eos ad recuperandam Christi Domini gratiam præstare opus sit. Ideò Dominus iis donat, non solùm ut quid agere debeant intelligant; verumetiam vires, & patientiam; ut cum universa, quæ scire illorum interest, impleverint, & qui est super omnia, & in omnibus Deum possederint, tunc quoque velut in cœlo vivant, ibique conversentur: ac sive in speluncis, sive in montibus, sive in cellis ævum degant, sive in mediis urbibus commorentur, etiam sic semper in gaudio, & hilaritate, & exultatione, quanta dici non potest, ipsi serv ant.

Hic igitur nunc sanctorum labor, hæc actio est eorum, qui spiritu Dei aguntur: qualis & nostris temporibus extitit pius, sanctus, ac beatissimus Simeon, qui in medio illo fama tam nobilitato monasterio, quod *Studium* dicitur, instar solis effulsit. Is in medio mundi aliquando cum esset, rebus labentibus, amicis, cognatis, quinimo & curis, sollicitudinibus ac voluptatibus vitæ tam valde renuntiavit, ut earum memoriam ex animo deleret penitus, atque à se procul exterminaret. Qui multos inter Monachos acta vita, beatam illam vocem emisit, *Fratres, hanc perfectam à mundo successionem putatote, mortificationem propriæ vo-* C *luntatis.* O sanctam vocem, vel potius, ô sanctam animam, quæ talis fieri, & à toto mundo separari meruit. Et idem rursum, *Debet*, inquit, *monachus in Monasterio versari, ac si sit, & non sit, nec appareat: seu potius, qui non cognoscatur:* quod hunc in modum explicabat. *Ac si sit*, corpore: *ac si non sit*, spiritu *Non apparens* autem, nisi iis tantum, qui per Spiritum sanctum mundo sunt corde. *Non cognitus*, ut illi nihil cum quoquam negotij intercedat. O divina oratio, per quam vita eius excellentior, quam pro homine, & angelica prædicatur. Per quam comparatæ in cœlo conversationis ipse sibi per Spiritum S. fert testimonium. Per quam nobis vitam cum Deo insinuat, dum ait, *Nihil cum quoquam habere negotij:* quod quidem nemini rectè præstare, aut verè licet dicere, nisi omnimodis ac totus toti Deo unitus fuerit. Aliter si dixerit, semet ludificatur. Qui enim dicit se non peccare, cæcus est, clausos habens oculos. Qui vero Deum ha- D 1 Ioan 3. bet, peccare nequit, *Quia semen eius in eo manet*, sicut maximè Theologicum illud Apostolorum tonitru Ioannes affirmat. Et quia Simeon Deum totum in se habebat, hinc & vivens dicebat, & mortuus per litteram manus suæ quasi magna voce clamas, *Deum tibi amicum acquire, & hominum auxilio non egebis.* Iterum, *Deum posside, & libro tibi opus non erit.* Laboravit hic sanctus pater noster ita, ut complures SS. Patrum antiquorum superaverit. Ærumnas autem, tentationesque tot pertulit, ut cum multis martyribus illustrioribus comparari queat. Ob id à Deo gloriam, & tranquillitatem animi itum, acceptoque in se paracleto, sanctitatem consecutus est. Sicut enim cisterna aquam defluentem, ita ipse de plenitudine Christi Domini nostri accepit, & gratia spiritus eius repletus est, quæ est Ioan 4. *aqua viva*, ut hic idem Ioannes Evangelista memorat: immò verò ipse filius & verbum viventis Dei, à quo

& Ioannes sermonis sui divitias adeptus est; *Qui bibit, ex aqua hac* (aspectabili puta) *sitiet iterum: qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum: sed fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Quod his verbis Evangelista interpretatur: *Hoc autem dixit de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* Et Apostolus, *Nos non huius mundi spiritum accepimus: sed spiritum qui ex Deo est: ut sciamus quæ à Deo donata sunt nobis, quæ & loquimur.* Per huiuscemodi enim aquam vitiositas ex anima ut sordes eluitur: sine qua qui multa fecerit, nihil efficiet. Quocirca Dominus dicit. *Nolite putare, quia veni solvere legem, aut Prophetas: non veni solvere, sed adimplere.* Plenitudo autem legis hæc est, ne quis se in aliquo defendat, causamque suam tueatur, nec semet ulciscatur. Hæc enim est perfecta mundi relictio, propriæ voluntatis integra mortificatio. Quidquid etiam afflictionis ei quidam intulerint, nihil omnino movetur, nec perturbatus contradicit: verùm omnibus ad omnia, instar mortui se objicit, statuens vivere, moveri, & agere in illis tantum, quæ ad Deum spectant mandatis, & servare eius præcepta; similis leoni, aut gigantæo alicui Samsoni, aut si quis alius vel fuit, vel est illo fortior: *Qui habet mandata mea*, inquit, *& servat ea, ille est qui diligit me: & qui diligit me, diligetur à patre meo. Et ego, & pater per spiritum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* His & similibus aiebat Dominus, *Vos non estis de hoc mundo: sed ego elegi vos de mundo. Venite ad me, & ego reficiam vos.* Qui enim aliter, in suis scilicet voluntatibus quomodocunque, aut in quibusdam opinione duntaxat bonis ambulant, vitam, quam abscissi, ac divisi à sæculo, & suæ voluntati iam mortui vident, nequaquam videbunt.

Iam si ego humiliari ac subiici, premi, ignominia affici, vilipendi, probris conscindi nolo, & tanquam unus de obscuris, insipientibus, & abiectis, & mente emotis non sustineo fieri; sed neque ab obviis contemni, & velut arrepticius, aut mendicus per plateas, & vicos urbis reputari, dic mihi, quanam alia ratione propriæ voluntati moriar? Si enim hæc ad probationem, & experimentum supervenientia patienter ferri Deus ab omnibus nobis mandavit: imò enimvero, si non ad probationem, & experimentum, sed ad purgationé animorum nostrorum invecta nos ista perpeti nolimus, & voluntas ista minimè tolerandi in nobis vivat, quæ est terrena carnis prudentia, qui quæso mortui evademus? nullo modo evademus. Quod si mundo, & his quæ in mundo sunt non moriamur, qui tandem, ut qui Dei causa facti, sunt mortui, vitam in Christo absconditam vivemus?

Christum Deum imitemur, propter salutem nostram & ipsi patiamur, ut ille propter nos passus est, quem vocabant dæmoniosum, seductorem, voracem, potatorem vini. Sic enim dictitabant, *Dæmonium habes.* Et rursum, *Ecce homo vorax, & potator vini, amicus publicanorum, & peccatorum.* Audimus item ut homicidam, & maleficum ligatum, tractum, & ut vilem homuncionem Pilato exhibitum, alapa à servo percussum, in carcerem contrusum, è carcere eductum, à lictoribus perductum, populo à Pilato transditum; cùm diceret, *Accipite eum vos, & crucifigite.* Cogitemus igitur, quomodo venditus stabat in medio eorum, qui super omnes cœlos est, & manu sua complectitur universa, pulsus, repulsus, pugnis, alapis percussus, irrisus, in prætorium introductus, quem nulla creata natura, nec ipsi Seraphim possunt intueri, vestibus nudatus, columnæ alligatus, plus quadraginta plagis (quæ reum ad mortem lata sententia damnatum indicabant) acceperit. Quid deinde? purpura coccinea per ludibrium coopertum, in caput arundine verberatum, interrogatúmque quis est, qui te percussit? spinis coronatum, adoratum & illusum, consputum, & cum irrisione audientem, ecce rex Iudæorum. Denuò sua vestimenta indutum, collum fune devinctum, & ad necem eductum. Postmodum ita cruce sua oneratum, & in locum Calvariæ adductum, & eam depangi videntem,

Margin notes (right column): E; 1 Cor. 2.; Matt. 5.; F; Ioan. 14.; Ioan 15.; G; Coloss. 3.; Ioan. 7.; Mat. 11.; H; Mat. 27.; Deut. 25.

A & solum ab amicis ac discipulis relictum. Iterum exutum, in sublime suspensum, manibus & pedibus per milites clavis affixum; & pendere permissum, felle potatum, lancea vulneratum, à latrone probro laceratum, subsannatum, & audire coactum, *Vah, qui destruis templum Dei, & in triduo reaedificas illud, salva temetipsum, & descende de cruce.* Et rursus, *Si filius Dei est, descendat nunc de cruce, & credemus in eum.* Et ita, postquam hæc omnia passus est, gratias agentem, pro interfectoribus suis orantem, & animam in manus patris sui commendantem. Num hæc omnia, fratres mei, ad imitationem nobis non sufficiunt? Sed hæc perpeti erubescimus. Per quæ igitur alia opera, aut quo pacto illi
Luc. 9. conglorificabimur? *Quicunque enim me,* inquit, *& sermones meos erubuerit, erubescam & ego illum coram pa-*
Rom 8. *tre meo, qui in cælis est.* Itaque & Pauli vox est, *Si compatimur, & conglorificabimur.* Sin quæ pro nobis passus est imitari, & pati, ut ille passus est, præ pudore
B nolumus, nec gloriæ eius socios fore nos manifestum est: quoniam sic non opere, sed verbo tantum fideles sumus: operibus autem non coniuncti, fides mortua est. Si absque operibus fides mortua est, cum malis operibus ne fides quidem est. Mortuum enim, si recens est, velut modo exanimatum, dicitur mortuum. Quod si multorum iam dierum est, non mortuum, sed putidum, corruptum, & fœtidum vocatur. Quoniam ergo duo sunt genera operum, Deo placentia, & exosa, si fides sine operibus mortua est, ut scriptum legimus (sine operibus videlicet Deo placentibus fides illa, quæ non solùm operibus Deo acceptis caret, sed & opera Deo invisa habet, quo nomine afficietur? mortuæ? immo magis putrida & corrupta nominari debet; aut ut verius loquar incredulitas, & im-
Isai. 26. pietas. De qua & Isaias Propheta locutus videtur, *impius non videbit gloriam Dei.*

Quare affirmo, & repetens iterum iterumque affirmabo, qui Christi passiones per pœnitentiam, & obedientiam non fuerint imitati, & mortis eius participes effecti, ut supra subtiliter docuimus, eos nec spiritualis eius resurrectionis participes fieri, nec Spiritum sanctum adipisci, per quem omnium resurrectio fieri
C consuevit. Non illam in consummatione sæculi resur-
1. Cor 15. rectionem corporum (*canet enim Angelus tuba, & defuncta corpora resurgent*) sed eam, quæ quotidie spirituali modo fit, mortuarum animarum spiritualem regenerationem, resurrectionémque intelligo, quam, qui semel mortuus est, & resurrexit, per omnes, & in omnibus, ut decet, viventibus resurgens, & commortuas sibi voluntate ac fide animas vnaexcitans per sanctissimum spiritum largitur, ex hoc illis regnum cœlorum donans. Quamobrem ne mihi hæc dicenti fidem denegatote, fratres. Hoc autem scitote, si in omni genere virtutis nos exercebimus, si miracula patrabimus; si nec modicum, nec magnum mandati prætermittemus, solam verò humanam gloriam appetiverimus, eámque quoquomodo in studiis nostris spectaverimus, & ad eam capiendam festinaverimus, iam omnium aliarum mercedem perdidimus: & hominum gloriam admittentes, nec Dei potiorem indicantes, pro infidelibus, & idololatris condemnamur, creaturæ magis, quàm creatori servientes: sicut & ipse Dominus id talibus
D obijcit: *Quomodo potestis vos credere, qui gloriam ab*
Ioan. 5. *invicem accipitis, & gloriam quæ à solo Deo est, non quæritis?* Quin etiam, qui obtingentem sibi terrenam gloriam cum gaudio, & voluptate complectitur, eáque se iactat, & in medullis delectatur, ut fornicator damnabitur. Est quippe similis homini, qui virginitatem colere constituit, mulierúmque consuetudine & congressu sibi interdixit, & neque ad eas ventitat, neque cum iis vivere cupit. Cùm autem fœmina quæpiam ad eum accesserit, mox lætus ac lubens eam recipit, & corpus cum illa commiscens, voluptatem suam explet. Hoc porrò æquè in omni alia cupiditate, & in quavis motione rationi non obtemperante usu venit. Sive enim invidiæ, sive avaritiæ, sive zelo, sive con-

E tentioni, aut alij cuipiam pravitati spontè quis se tradiderit, coronam iustitiæ non assequetur. Nam Deus cùm sit iustus, consortes iniustos repudiat: & cum sit purus, cum impuro non polluitur: & cum omni motu turbido vacet, cum iis qui affectibus serviunt, non moratur: & cùm sanctus sit, in animam inquinatam & improbam non ingreditur. Malus autem atque improbus est, qui semine *Mali* in corde suo suscepto, fructum fert diabolo spinas & tribulos, æterni ignis nutrimenta, puta invidiam, odium, iniuriarum altam memoriam, zelum, contentionem, arrogantiam, vanam gloriam, superbiam, dolum, curiositatem, calumniam, & si quis alius aversandus & execrandus affectus per corpus iucunde exercetur, & internum hominem nostrum coinquinat, secundum vocem Domini. Sed Deus meliora, fratres, ne aliquando huiusmodi zizania producamus, ex socordia suscepto in
cordibus nostris *Mali* semine. Contingat autem fru- Mat 5.
ctum ad tricesimum, & sexagesimum, & centesimum, F
spiritu eundem in nobis propignente Christo fundere, ut sunt charitas, gaudium, pax, longanimitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, continentia, & alia paene cognitionis, & crescere virtutibus, & occurrere in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.

## ORATIO VIII.

### ARGVMENTVM.

*Duas esse causas, unam perditionis, alterã salutis. Superbiam hominibus simul cum ætate accrescere. Notam, & signum commune Christiani demissionem animi, & humilitatem esse, omninóque requiri, ut unusquisque norit, se nihil esse. Duobus sacrificiis Deum placari, circa quæ salus non constat. Quo indicio quis Deo appropinquare cognoscatur.*

QVæcunque in ista mortalium vita sunt, ad duo rediguntur, quorum aliud magnum bonum, aliud magnum est malum. Et illud quidem ut summum, ac G
præstantissimum bonum in cœlum homines pervehit: hoc è diverso, ut extremum malum ad inferiorum infima eos deprimit, ac demergit. Et illud veritas, hoc mendacium est. Illud eximia voluptas, & oblectatio; hoc infinita afflictio. Illud prudentia; hoc fatuitas. Illud omnibus, & omnimodis genuinum; hoc inimicum, & peregrinum. Illud rectitudo; hoc obliquitas. Illud gaudium, & exultatio: hoc tristitia, & tumultus. Illud ordo: hoc confusio. Quænam ergo ista duo sunt? Quæ? Illud humilitas; hoc arrogantia. Vnum enim peccatum, sui admiratio; & una iustitia, suprema humiliatio. Considera igitur peccatum, quod Adamus in gloria, & deliciis paradisi sedens commisit, & nullam necessitatem, aut infirmitatem, aut rationi consentaneam occasionẽ, sed solùm mandati ex superbia contemptionem, contráque ipsum, qui eum è terra finxerat improbitatem, ingratitudinem, apostasiam (in quam diabolus ille per se
ac sua sponte primus incidit) invenies. Quare unum- H
quemque hominem scire oportet, superbiã cuique cum ætate augeri, conceptã in animo ex amentia, quã amentiam inflata de se opinio generat. Proinde ante omnia quemlibet statim à teneris unguiculis sui ipsius cognitionem doceri necessarium est: quoniam de corruptione quidem, ut saliva, satus est; augescit autem ut herba; & pluribus ex partibus flaccidè compositus, facilè dissoluitur, ac dissipatur. Vivitque quotidianæ putrefactioni obnoxius, *Et interiora eius*, iuxta prophetam, *etiam ante mortem efferbuerunt.* Etenim qui seipsum nescit, paulatim in fastum, & arrogantiam delapsus, stultus efficitur. Quid enim tam stolidum, quàm leprosus, & toto corpore vitiatus, si fortè torquem aureum gestet, & splendidis induatur vestibus,

A ipſe deformis, & fœditatis plenus? Cùm autem mentem amiſerit, organum, & inſtrumentum dæmonis appellatur in omni vitæ conſuetudine, & inimicus Dei evadit. Iam quid eo miſerabilius, qui ſe ut inimicus à Deo ſeparavit? Nam cui male eſt in corpore, morbum ſentiens ad medicos properat. Qui animo ægrotat, ægritudinis ſenſu caret: & quo periculoſius ægrotat, hoc minus ſentit; atque idcirco etiam ad medicos ſpirituales non vult accurrere. Cùm igitur quempiam ſuperbe ſe gerentem conſpexeris, proportione ſuperbiæ ac ſuperbientis, ſtuporem animæ eius conjicito. Quiſquis enim ægrotum ſe non ſentit, à morte haud longè abeſt. Et hoc eſt peccatum ad mortem, ſuperbus morbi ſui ſenſu deſtitutus. Nam qui in peccatis vitam agit, aliósque docet & commonet, morti proximus, hic medico non indiget. *Ioan. 5*

Quapropter faciundum penitus, ut homo quivis ſeipſum cognoſcat, quòd de ſe humiliter ſentire poſſit: nam humilitas occulta quædam prudentia eſt. Vt enim omnis ſuperbus inſipiens ac ſtultus eſt, ita omnis humilis prudens & intelligens. Et quoniam fatuitas, ac cæcitas ſuperbiæ multa & magna adiuncta eſt hominibus; ideo Deus, cùm ſit bonus, ſuavibus moleſta, ac triſtia admiſcuit, ne elevemur. Cuius rei Pauli Apoſtoli, qui in excellenti Deitatis gloria fuit, & admirabilia opera patravit, ſtimulus carnis, & colaphizans eum Sathanas fidem faciet: ut proinde maiores pro omni tribulatione, quam pro remiſſione ac indulgentia gratias agere debeamus, quò, quemadmodum in iucundis, ſic etiam in triſtibus gratiam promereamur. Neceſſe eſt itaque, mortalem quemvis noſſe, ſe nihil eſſe, idque ab eo, qui diademate ornatus incedit, uſque ad nudum, & mendicum. Quia Deus Omnipotens neſcientem ſe nihil eſſe, quamvis ſalvare velit, ſalvare tamen non poteſt. Etiamſi quis mundum univerſum Deo donaverit, quod fieri nequit, nec tamen ſibi perſuaſerit, ſe nihil eſſe, ſalvari nunquam poterit. Quam ergo dabit homo commutationem pro anima ſua? non ſanè ipſum ſcire quod nihil ſit: ſed in eo quod ſeipſum nihil eſſe ſcit, fortaſſe agnitionem, & per agnitionem prudentem cor contritum & humiliatum, quod ſolum proprium eſt pij viri ſacrificium, ab ipſo purpura veſtito, uſque ad eum, qui per plateas ſtipem cogit: quod ſolum Deus non deſpiciet; qui novit nihil aliud proprium ſuppeditare homini, quod ei ſacrificet. Teſtis eſt David, *Quoniam ſi voluiſſes ſacrificium*, inquit, *dediſſem utique: holocauſtis non delectaberis. Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus.* Corde contrito & humiliato hoc ſacrificium continetur. Reges, dynaſtæ, nobiles, ſapientes, ruſtici, divites, pauperes, mendici, latrones, avari, injurioſi, legum violatores, impudici, homicidæ, quique per omne genus ſcelerum iverunt, menſuræ peccatorum remenſa huius præſtantia ſacrificij ſalvati ſunt, & ſalvabuntur. Imò ſancti quoque, & iuſti, & mundo corde per hoc unum ſacrificium ſalutis fiunt compotes. Eleemoſynæ præterea, fides, fuga ſæculi & ipſum illud magnum certamen, martyrium, ſub cinere prunarum ſacrificij huius lucem dant. Et hoc eſt ſacrificium abſque peccato, quod benignum Deum vincit. Solum iſtuc ſacrificium poſcunt morbi, tribulationes, anguſtiæ, delicta animæ, affectus corporis, ut quis eo Deum piè colat. Quod qui habuerit, etiamſi ſubter omnia fuerit, tamen alicunde cadere non poterit. Nulla quippe alia de cauſa Deus in terras deſcendit, & ſemetipſum humiliavit uſque ad mortem, niſi ut in ſe credentibus cor contritum & humiliatum crearet.

B

*Cor. 1*

*Mat. 6*

C

*Pſal. 50.*

D

Sunt ergo duo ſacrificia, quæ Deus & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti ſuſcipit, & cuiusſlibet, atque adeò totius mundi miſeretur. Vnum, ipſe Dominus & noſter Ieſus Chriſtus, idémque filius Dei, ut Deus incarnatus: alterum, uniuſcuiuſque cor contritum & humiliatum. De cætero, ſi quis omnes facultates ſuas diſtribuerit in pauperes, & ſi quis ieiunaverit, vigilaverit, humum pro cubili uſurpaverit, & ſi quis Deum noctes atque dies precibus fatigaverit, nec in eo cor contritum, & humiliatum fuerit creatum (*quoniam omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à patre luminum*) talis inanem operam ſumit. Illa idcirco, & ſola via quærenda eſt per quam contritum, & humiliatum creetur, & naſcatur. In quo enim cor iſtiuſmodi creabitur, ſuper terram ut in regno cœlorum ambulabit? ſiquidem & cum ad ultimum ſpiritum edendum homo venerit, aut gaudens, & exultans invenitur, quod ſanctificatorum commune indicium eſt: aut contritus & humiliatus, quod miſericordiæ adeptæ argumentum habetur. Etenim fidelis omnis, ſi quid propter Chriſtum fecerit, cor contritum & humiliatum viciſſim recipit, divinum, & incomparabile donum, miraculorum, ſignorum & prodigiorum baſin ac fundamentum, animarum reſurrectionem in præſenti ſæculo, ante generalem reſurrectionem, redemptionem, propter quam dedit Deus filium ſuum, *Vt omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam, & ut vivens cognoſcat ſolum verum Deum, & quem miſit Ieſum Chriſtum.* Cognitio enim divinæ pietatis, habitum humilitatis ingenerat, humilitas habitum manſuetudinis; qui duo habitus ad Deum faciunt appropinquare. Semper enim hæ duæ virtutes ſibi copulatæ ſunt, & religioſum erga Deum ceu inſigne quoddam & nota indicant, próque magnitudine ſua ad Deum acceſſiſſe demonſtrant: perinde ut quæ humilitati & manſuetudini adverſantur vitia, nempe ſuperbia, & iracundia, quantum ab eo quiſpiam diſtet oſtendunt. Ob id Dominus ac Deus noſter Iſus Chriſtus altiſſimus ſemetipſum uſque ad mortem humiliavit, & mortem crucis, ut credentes in ipſum, & baptiſmo initiati, edentes eius corpus, & bibentes eius ſanguinem (in quibus eorum incorruptio & vita) hanc quoque humilitatem habeant. Tria enim hæc immaculata, & potens Ieſu Chriſti communio operatur, vitam, incorruptionem, humilitatem. Vita, & incorruptio propter humilitatem, humilitas ex vita & incorruptione eadem humilitas & prima, & tertia. Prima quidem, ut duarum occaſio: tertia; ut quæ has comprehendit. Quare ſi quis Chriſtianus, non velut inſitam & innatam habet, quam à Chriſto accepit humilitatem, nihil aliud à Chriſto habet, neque Chriſtus illi proderit: Etenim talis homo & Dei, & ſuimet ignorantia laborat. Nam ſi cognoviſſet, ſe abſque Chriſto nihil boni unquam, aut ſalutare efficere poſſe, & ſe humiliaſſet, & Chriſti humilitatem planè induiſſet, ut regalem diploidem, in qua Chriſtiani reges ſunt, per ipſam & animi perturbationibus, & dæmonibus imperantes. Pro modo enim ſinceræ humilitatis, in corde, etiam modus ſalutis, quia mater humilitatis, mens illuminata Chriſti gratia, propriam infirmitatem in divino lumine clarè perſpiciens: quemadmodum parens ſuperbiæ, in tenebris ſtultitiæ mens ſeſe contemplans.

E *Iac. 1.*

F *Ioan. 3. Ioan. 17.*

*Phil. 3.*

G

## ORATIO IX.

### ARGVMENTVM.

H

*Quis ſit ἄνομος exlex, & quis παράνομος violator legis. Quis peccator, & quis impius. Chriſtum propter impietates, & ſcelera hominum eſſe mortuum, ut omnes ſanaret. Tantùm dici Chriſtianos, venire ab ipſo genere.*

Exlex, violator legis, peccator, impius, peccatores ſunt communiter, unuſquiſque autem horum quiddam peculiare habet. *Exlex*, qui eſt extra leges: *Violator legis*, qui præter leges, quibus ſubjicitur, facit. *Peccator*, qui fruſtratione quadam non bene agit. *Impius*, qui in Deum, peccat, utpote qui aut nullum Deum, aut multos colit. Vocatur porrò nomine impij in ſancta Scriptura etiam peccator, & adulter, & avarus

A rus, & pecuniæ cupidus, & inanis gloriæ captator, & qui huiuscemodi vitiis se dediderunt. Qui cum sciant, Deum, qui finxit oculum, omnia perspicere, vitam instituunt, ac si Deus non videat. Nam si Deum, qui vbique præsens est, & intuetur omnia, venerarentur, haud eum quasi non intuentem contemnerent. Qui enim magis hominum gloriam diligunt, quàm Dei, & qui in omni genere improbitatis volutantur, existimantque ea fallere oculum nunquam dormitantem, quî tandem isti Deum colunt, quem & inanima creatura tremit? Inquit ergo David, *Perdes omnes qui loquuntur mendacium.* (Psal. 5.) Et paulò post, *Secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos*, impietates peccata vocans, quæ eos circa mandata Dei, non circa fidem labi fecerunt. Idem rursus de adulterio cum Bethsabea, & cæde Vriæ perpetrata ait, *Dixi, confitebor adversum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem cordis mei.* (Psal. 31.) En, cor Davidis propter iniustitiam impiè B egit: & Christianus citra metum peccans, & opprobrium Christi factus, impius est. Atque istuc quidam à Deo afflatus pater explanat, dum illum sic alloquitur. Impietatem commisimus, quoniam opprobrium facti sumus dilecto tuo. Et alius divina sapientia præditus, quid prodest fide pios esse, vita impios? Ponamus enim quempiam auarum, proditorem, proteruum esse, & nihilominus rectè credere: quid hic capiet emolumenti, si nihil eorum, quæ Christianum decent, habuerit? si nihil egerit ex iis, quæ pietatem produnt; sed ethnicos etiam vitiis superauerit? si familiaribus nocuerit? si Deum blasphemauerit? si veneranda religionis dogmata per opera dedecorauerit? Nam *ideo manifestatus est filius Dei*, secundum Evangelistam Ioannem Theologum, *vt dissolueret opera diaboli.* (1. Ioan. 3) Qui ergo manifestatum Dei filium suscepit, si adhuc vinctus operibus diaboli tenetur, quæ hic Dei filius manifestatus dissoluit, deterior ipsis infidelibus, & atheis magis impius est.

Quare cùm audis, Deum esse hominem factum, qui C fecit cœlum, & terram, & mare, quæque in medio sunt omnia, & quæ oculis subiecta sunt, & quæ non sunt, & ipsum denique hominem, non ob aliam caussam factum hominem intellige, nisi vt Deus per humanam naturam mori posset. Plus noli quærere: sed tantummodo caussam, & necessitatem suscipiendæ huius demissionis & patientiæ opta cognoscere. Deinde cùm Ioannem Baptistam dicentem audis, *Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi*, (Ioan. 1) de quo ante multa sæcula vaticinans Isaias, ovem & agnum qui duceretur ad victimam, appellauit, (Esai. 53.) disce propter peccatum esse mortuum; vt qui hunc morte affectum, & die tertio redivivum recepissent, per eam amplius peccare non possent: nam peccantes eum non receperunt, quamvis ita sibi persuadeant. Etenim si recepissent, dedisset eis potestatem filios Dei fieri, qui peccare nequeunt: quando scriptum est, *Omnis qui peccat, non vidit, nec cognouit eum.* (1. Ioan. 3.) Et, *Qui facit iniquitatem, ex diabolo est.* Et, *In hoc manifesti sunt filij Dei, & filij diaboli.* Et, *Omnis qui non facit iustitiam, non est ex Deo.* Quod si is, qui non facit iustitiam, non est ex Deo, qui facit iniustitiam, vndenam est? *In hoc*, inquit *manifestatus est filius Dei, vt dissoluat opera diaboli:* quibus non dissolutis, nulla est speranda vtilitas. Mul- D ti itaque de genere Christianorum prodesse sibi arbitrantur, Christianos dici; nescientes id paternum ac maternum esse, & cum patria, ac regione ipsorum tota commune: qui si vitam ex Christi legibus instituerint, tum simul & Christiani nominabuntur, & in Christum credere dicentur: alioqui præstabit nec credere in Christum, quin immo nec natos fuisse. Non enim poterant in Christum non credere: atrocius autem quam infideles punientur. Ast alienigenæ, qui vt Christiani cognominarentur, à maioribus non acceperunt, si in Christum crediderint, magna inde commoda sibi parabunt: cùm ille de genere Christiano, per legis Christi prævaricationem Christum inhonorent, & avitam ac veram pietatem commaculent. E

# ORATIO X.

## ARGVMENTVM.

*Non Deum, sed dæmonas potius humanæ servitutis auctores esse. De ira, & cupiditate, in quibus non est ratio, & vnde ab his animus afficiatur. Sicut aspectus corporeus illæso sentiendi organo, item motu, interuallo pro rata portione, aere puro, solis luce indiget: ita etiam aspectum animi his modo quodam, qui intelligentia percipitur, egere.* F

IN præsenti sæculo, id est, in hac vita, pater est, & filius: servus, & mercenarius procreatus non est: neque enim primus parens, neque primus eius filius servi, aut mercenarij fuerunt. Cui enim pro servis, ac mercenariis subdi poterant? Servitus, & opera mercenaria posteriora sunt: seruitus quidem ex eorum, qui essent genere consortes, improbitate mutua: opera verò quæstuaria ex indigentia, propter eos, qui cùm essent de eodem genere cum aliis, plus habere avidè cupiebant. En, & servus, & mercenarius ex subsecuto hominum vitio extiterunt: qui vt existerent, sola indigentiæ necessitas in causa fuit. Et quemadmodum servus, ac mercenarius non agunt quod libet; sed quæ ipsorum dominis &, heris placent: similiter diabolus, (intelligens illa, & maligna potestas (qui à Deo desciuit, qui nequitiam humanam fabricatus est, & eius amorem mortalibus persuasit, eos in servitutem suam trahit: cui (quod animo & cogitatione videmus) in voluptatibus, rapinis avaritia, & omnibus sceleribus servilem in modum parent. Et tales cùm sint, eos, im- G pudentes, & superbiores, & stolidos reddit; vt neque se ipsi, vindicare possint, neque aliunde vindicari in libertatem velint. Omnes igitur huiusmodi, sive ethnici, & Deum ignorantes, sive infideles, sive fideles Christiani & Orthodoxi, diabolo servientes, ad eius partes, qui ipsorum dominatur, pertinent, atque à Deo proiecti, in domo eius in æternum manere non possunt. (Ioan. 8.) Vnde magna illis vi opus est, vt è manibus eius, qui servitutem ipsis imposuit, eruantur. Alia autem nec inventa est, nec inveniri potuit, nec est, nisi Christus Dei virtus. (Ioan. 8.) Si ergo is liberauerit, ita demum liber erit, qui liberatus est ab eo. Erit enim castus, sobrius, bonus, iustus, religiosus, humanus, pius, misericors, patiens, humilis, mansuetus, alienis malis dolens, continens, hoc est, verè homo. Qui his carent, aut pecudes, aut dæmones sunt, etiamsi Christiani & Orthodoxi fuerint: & hi maximè in examen severius adducentur: nec ipsorum vindex, & assertor Christus quidquam illis proderit, quia nimirum noluerunt eius solius redemptionem, hanc solam libertatem, omni virtute humana maiorem, propter quam cùm Deus esset, homo nasci dignatus est, & eius solius causa necem vltro pertulit. Nam quod quidam existi- H mant, in humana natura perturbationes, vt iram, & cupiditatem ingenitas esse, non ita est profectò. Verùm ira, & cupiditas vt à Deo naturæ nostræ sunt insitæ, non perturbationes, sed bona sunt, & eos homo intelligentis naturæ suæ quodammodo characteres à summo illo bono accepit: quæ quanquam brutis quoque animantibus insunt, at non isto modo: siquidem & caro illa quidem est, tamen eadem caro feris, ac pecudibus minimè est.

Sunt sanè inditæ homini ira, & cupiditas; sed etiam mens, quæ quandiu sanitatem suam retinuit, hæ intra naturæ suæ terminos ac limites manserunt; cupiditas ad ea quæ intelliguntur Dei bona respiciens, & incitata,

A ira, ipsam cupiditatem ad illa generosius captanda, & ad ascendendum, Deoque magis ac magis appropinquandum extimulans. At postquam mens debilitata, & qua custodiebatur sanitate spoliata est, ad inferiora sola, vt vitiata deflexit, atque idcirco quæ illius haud intersunt, insipienter concupiscit, & sine ratione tanquam feræ, ac bestiæ irascitur. Christianus igitur ex Christi consortio recuperata sanitate, rursum illa duntaxat, quorum gratia ira, & cupiditas naturæ inditæ sunt, concupiscit. Qui secus facit, nondum est Christianus. Non itaque ira, & cupiditas perturbationes sunt: sed priuatio sanitatis animi, propter quam ira expers fit rationis, & cupiditas amens, illa, inquam, imaginem perturbationum iis imponit. Anima enim vnum est, idque simplex, nec partitionem admittens, vt intellectuale quiddam scilicet, nec est aliqua compositio, seu coagmentatio, ob quam pati cogatur, B sicuti corpus ex quatuor elementis concretum, necessariò ab aliquo horum afficitur, si vel abundet, vel deficiat. Omne enim quod afficitur, ab aliquo afficiatur necesse est. Quoniam ergo nihil habet anima, à quo patiatur, constatque ipsam simplicem, incompositam, diuisionis exortem, intelligentem, à cupiditatibus, & ira ratione vacantibus pati, vnde nam ipsi illuc pati, cùm omne quod patitur, ab alio patiatur? Inuenitur igitur alia intelligens natura dæmonum, in ipsam, quod intelligere possumus, irruens, & in motionibus eius naturalibus quibus semper cietur, negotium ac molestiam ei facessens, ac tenebris quibusdam offusis, illam probe cernere non sinens, de fide, tanté recta, vera, quæque meram imaginationem & vmbram atque errorem non habent. Etenim naturales humanæ naturæ habitus, à lapsu primi hominis de linea deflexerunt, mens, cogitatio, opinio, facultas imaginatrix, sensus, & in quibus anima tripartita perspicitur, nempe pars illa, in qua inest ratio & consilium; & altera, in qua iracundia; & postrema, in qua cupiditates, libidinesque versantur. Atque idcirco ratiocinari quidem homo potest: sed ad rectè ratiocinandum imbecillis est. Concupiscere quidem potest, sed stulte. Irasci C quidem potest, sed temerè irascitur: ideoque sensa, commentationes, opiniones, imaginationes, sensiones pertinacia, distorta, instabilia, & lubrica sunt. Quamobrem sancta, intaminata, & omnipotens natatoria Iesu Dei hosce secundum naturam habitus corrigit, confirmat, & corroborat, & ob hanc causam lex & regulæ diuinitus datæ sunt, vt intelligentiæ particeps, semperque mobilis anima in motionibus suis legitimis, diuinisque canonibus temperetur: quò in iis ingiter ambulans, cernat quæ recta sunt, eamque decent: & in hac contemplatione exercitata, vexatorem à se fugere compellat, & cum in omnis veritatis comprehensione perfectior euaserit, in veris tantummodo studium atque operam suam collocet: quò sic ipsum illum legislatorem ad requiescendum super se attrahat, impleaturque in ipsa, quod dictum est à Domino, *Qui diligit me, sermones meos seruabit, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum. Et ego & pater veniemus, & mansionem apud eum faciemus.*

*Ioan.3.*

*Ioan.17.*

Hoc animæ mysterium omnis sæculi huius sapientia ignorauit: quæ sapientia ob id etiam pastus rationis expers dicitur: nam hoc solum animæ arcanum pastus cum ratione coniunctus est. Vnumquemque enim Deum, seipsum, & dæmones nosse oportet. Illum, vt D Dominum, quique solus saluare possit. Semet, vt imbellem aduersus hostem, quem animo videmus. Dæmonas, vt hostes inaspectabiles, qui, quod admirabile est, perpetuò nos per nos ipsos oppugnant. Vt enim exterior aspectus præter solis lucem ad perspicuè euidenterque dignoscendum res quatuor requirit, illæsum oculum, commensam motionem, commensam distantiam, purum aerem: sic sane & interior aspectus eget mente perfecta, motione commensa contemplationis, quam Dei timor eu freno moderetur, & quadam intelligibili aeris puritate, illuminati vero lumine, quod omnem hominem in mundum virtutum venientem E illuminat. Etsi verò hoc lumen abscondi impossibile est, quod nullo sepimento, aut nube intercipitur, aut prohibetur, tamen haud ab infidelibus animabus, sed ab iis solum, quæ in Christum crediderunt, videtur. Fideles porrò animæ in veritate sunt, quæ post regenerationem diuini, & sacri baptismatis in nullo penitus magni Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi mandatum transgrediuntur: sed cum sancto Dauide optant dicere, *Ad omnia mandata tua dirigebar. Omnem viam iniquitatis odio habui quoniã omnia mandata tua iustitia. Omnis enim qui facit iustitiam*, scribit dilectus ille Ioannes, *ex Deo natus est: qui autẽ facit peccatum, ex diabolo est.* Fidelem itaque & infidelem mandata distinguunt. Nam vt in quolibet Christi mandato exequẽdo fides, & cõfessio Christi exercetur: sic in vnaquaque eius mãdati violatione infidelitas, & negatio inuenitur. Credẽtibus F igitur in Christũ animabus, & eius iussa legesque custodire statuentibus, pro mensura fidei, & obedientiæ, quã Christo præstant, etiam illis vt videant largitur; quod quidem videre, est notitia eorum, quæ propriè bona sunt & quæ non sunt, quæque in malis habenda, & quæ non habenda, ne exitium pro salute, neve salutem pro exitio intueamur: sed veluti cum aurum proiectum videmus, ad id colligendum accurrimus: & præcipitium conspicientes, non inde nos præcipitamus: sic cernentes Dei voluntatem, promptè ad illam ferimur; & videntes peccatum, cauemus, ne in id præcipites abeamus, confringanturque ossa nostra, & neque ad temperantiam, neque ad iustitiam stare possimus: verùm non secus, quàm qui in lecto decumbunt paralytici, iacere velimus in immunditiis, & auaritia; & gaudeamus potius instar deliriorum quorundam, nulla idcirco molestia, doloreque affecti. Vt enim oculis subiecta creatura omnis continenter lumine, quod sentitur, indiget, vt videatur: pari modo quælibet sub intelligentiam veniens natura, semper intellectuali quodam lumine opus habet, vt mente comprehendatur.

*Psal.118.*

*1.Ioan.3*

Duo quippe sunt lumina, vnum hic sol, qui sensum mouet, & visu percipitur, quique oculis dat, vt corporatam creaturam aspiciant: alterum quod intellectile lumen dicitur, Christus Deus, qui aspectibus intelligibilibus donat, vt creaturam incorpoream intelligibiliter contueantur. Nisi exortus fuerit sol, quem sensus attingit, loca plana, & directa, vias puras, & sordes vacantes nemo videt: ita nisi sol, quem mente G cognoscimus, sese extulerit, vitiorum præcipitia, & directum iustitiæ callem, diuinorumque mandatorum pulchritudinem nullus perspicit. Si ergo Christianus reperiatur, qui per viam improbitatis totam, aut ex parte ingrediatur, necdum est Christianus. Nam Christianus ab ipsa arcana Dei cognitione, qua per sacrum baptisma imbuitur, diuino impletur lumine, & illuminatus est, ac dicitur. Atqui omnis qui in lumine ambulat, foueas, & offendicula videt. Si non videt, nec lumen habet. Quomodo ergo Christianus est? Si autem se videre affirmat, & nihilominus deliciarum illecebris capitur, mendacium dicit. Videt enim quemadmodum qui lumine carent, id est, infideles: & illi quippe bona, & mala internoscunt quidem, veruntamen à malo non declinant: propterea quod non purè ac liquido vident, quid proprie bonum aut malum sit. H At Christianus quandiu non perspicuè, ac limpide malum cernit, nondum fuit Christianus. Certabit verò certamen in gemitibus, & lacrymis, & ieiuniis, vt sibi verum perfectumque lumen illucescat, quod omnem hominem in hunc mundum venientem illuminat, & habitus animæ naturales emendet, atque illustret, firmosque ac validos reddat, quo voluntatem Dei bonam, beneplacentem, & perfectam videat, & eandem cupide ardenterque complectatur. Qui enim vim cœlestem à sancta baptismatis natatoria non senserunt, quæ vis regeneratio, & renouatio, & vt verè est, reformatio totius hominis vocatur, iis post hæc & institutione, & impositione venerandarum manuum à sanctis illuminatisque

*Ioan.1.*

A minatisque opus est. Nisi enim cuique Christiano habitus à natura ingenerati antea correcti, transmutati, & à turpitudine eos obscurante perpurgati, solideque stabiliti fuerint, perdifficile, immò impossibile est omnino cuiuis animæ, divinis voluntatibus obsequi. Nam prius quod debile & ægrotum est sanato confirmatoque, ita demum ad ministerium accedere fas est, quod omni cui ministratur conducit. Quod enim adhuc morbidum est, cuilibet hero inutile est. (1.Cor.11.) Ex hac ignorantia plurimi ascetæ imbecilles, & invalidi, frustra laborant, & dormiunt multi, quos proinde æternum illud incendium cremabit.

## ORATIO XI.

### ARGVMENTVM.

B *Qui de præteritis peccatis dolet, eum nequicquam dolere, nisi medicinam quoque infirmitatis suæ, per quam peccat, à Christo flagitatam accipiat. Quæcunque homines in hac vita agunt, si ad animarum sanitatem ea non conducant, inania esse, ideoque morbos spirituales curare oportere. Quomodo sponte, & præter voluntatem peccetur.*

IN lacrymis, & mœrore versari, & precari à Deo misericordiã ob delicta sua, præcedentibusque offensionibus & erratis veniam poscere, bonum ac laudabile est: sed istuc nihil cuiquam commodabit, nisi Christus imbecillitatibus eius medicinam fecerit: quibus adscribi debet, quod etiam peccare nolens, peccat, & non peccare nequeat. Quocirca pœnitens quibusque contendet, vt à Christo vires, ad affectiones turbidas penitus penitusque profligandas impetret, quo iam sanctificatus, ad exequendam Dei voluntatem, & CHRISTI iussa facessenda aptus, & idoneus fiat. C Etenim ante sanctificationem, id est, ante adeptam perturbationum vacuitatem, qui aliquando ex insita infirmitate se culpa contaminat; aliquando semel ad Christi præcepta servanda cogit, quem tandem fructum colligit? Certè ædificanti, & rursum ædificata destruenti similis est. Itaque naturæ imbecillitatem à Christo sanari necesse est, qui solus advenit medicus ad tollendas infirmitates nostras, è quibus est illa, vnde in peccata prolabi consueuimus. (Ioan.1.) Hic est enim agnus Dei, qui tollit peccata mundi, quæ est corruptæ naturæ nostræ infirmitas. Post Adamum quippe propter inobedientiæ scelus è paradiso eiectum, homo quilibet æger, debilis, infirmus est redditus. Infirmitates porrò hæ admirabiles sunt, inter naturã & voluntatẽ intercedentes: vt nonnumquam ad naturã, nonnumquam ad arbitrium, & voluntatẽ referendæ videantur. Sunt autem istæ. Homo quivis plus minus alio infirmus est ad sincerã charitatẽ. Infirmus ad non invidendũ. Infirmus ad nõ conviciandum. Infirmus ad non reprehendendum. Infirmus ad non irridendum. Infirmus ad non mentiendum. Infirmus ad non irascendum. Infirmus ad non concupiscendum iucunda quæ videt. Infirmus ad temperantiam. Infirmus ad vitandam vanam gloriam. Infirmus ad fugiendam avaritiam. Infirmus vt nolit aliis, & æqualibus aut sapientior, aut prudentior, aut robustior, aut D celebrior, aut honore dignior esse. Infirmus ad commiserationem, ad misericordiam, ad communicationem, ad gratias Deo assiduè agendas, ad abstinendum ab omni malo, ad consectandum omne bonum: vt quemadmodum suprà dictum est, nunc quidem per vim liberæ voluntatis, nunc per naturæ tyrannidem infirmus atque imbecillis appareat.

Quod cùm ita sit, hasce infirmitates, & languores istos curari oportet; quærere autem medicum à quo curentur, magis oportet. Ideò nobis Christianis precem supplicem maiores præscripserunt, vt dicamus semper Deo, in contritione cordis, *Visita, & sana infirmitates nostras propter nomen tuum*, hoc est, gratis, *vt habens nomen gloriosum, vt misericors, & benefactor, & solus medicus.* E Quisquis igitur curationem est consecutus, evasit etiam Christianus: nec in seipso gloriatur, sed in medico, cui dies noctesque gratias agit, & ex animo se humiliat. Nisi enim sanatus invenitur, nondum sanatus est, ab ignorantia videlicet, sive incogitantia, vt qui nesciat, quid Deo dicat, & quas infirmitates sanari desideret. Quod si non curatus, purgatusque moriatur, gehennæ flammis in omne ævum ardens purgabitur. Est verò perquam miserabile spectaculum, cùm homines Christiani diu noctuque clamant, *Visita, & sana infirmitates nostras Domine*: & Dominus his mederi non potest, cum, quæ sint ipsorum infirmitates (quæ tantæ, tam multæ, tam variæ sunt) nesciant. F Hæc causa est, cur Christiani pereant, de mendicis & pauperibus, de civibus & militibus, de monachis, clericis, diaconis, sacerdotibus, episcopis, principibus & regibus. (1.Pet.1.) Horum infirmitates communiter ac simul vno quodam medicamine, divinæ naturæ communione scilicet curantur. Nisi enim vnusquisque Christianus secundum captum propriæ fidei divinæ naturæ consors fuerit, seu pervigilet, seu humi cubet, seu dies noctesque psallat, & ieiunet, & preces frequentet, si incuratus manserit, extra partem Christi, sicut & infideles, manet. Quoniam omnis homo, sapiens insipiens, intelligens obtusus, prudens imprudens, eruditus indoctus, vrbanus rusticus, dives mendicus, cui quod adest sufficit, & qui labore victum tolerat, quæcunque in hac vita cum labore, lassitudine, & ærumna effecerit, nisi hoc solum ea conferat, vt eius anima infirmitatibus soluta, & incolumis sit, vana & supervacua sunt omnia, faciuntque, vt extra regnum cœlorum, quod tantummodo illæsas, ac sospites animas admittit, relinquatur. Cæterùm omnis anima, quæ prædictis morbis tenetur implicita, & rerum cum corpore coniunctarum cupiditatibus, & terrenorum mundanorumque appetitionibus, & gloriæ desideriis, G nec à semetipsa, nec ab hominibus curari sanarique vnquam potest: sed à solo Domino, ac Deo nostro Iesu Christo, de quo scriptum extat, *Quia ipse peccata nostra tulit, & infirmitates nostras ipse portauit.* (Esai.53.) Si namque animæ hominum, non atheorum & ethnicorum modo, sed etiam ipsorum Hebræorum credentium, facile mundanas cupiditates, & carnales appetitus odisse potuissent, & ita mundi principem diabolum, qui per illa imperium mortis habet, effugere, (Heb.2.) bonus, misericors, & benignus Deus homo fieri, contumeliis & tormentis affici, ac per mortem *in inferiores partes terræ descendere* (Eccl.24.) omnino nihil necesse habuisset. Nam odisse mundum, & ea quæ in mundo sunt, quæque ad carnem spectant, sola divinæ virtutis Iesu participatione contingit.

Ergo quicunque in Christum credunt, nisi ante virtutis eius auxilio mundana, & carnalia medullitus oderint, nunquam vlli mandatorum eiusdem gerere morem poterunt, sicut legimus, *Declina à malo, & fac bonum.* (Psal.33.) Ex quibus sequitur, credentem in Christum ante omnia CHRISTI virtutem, gratiã, & misericordiam flagitare debere, vt mundum, & mundana carnalesque concupiscentias detestetur, & in id operam dare cum fide, vt ea detestatus, etiam eorum mortificationem consequatur, quæ solius Dei est, iuxta Apostolum, *Ego enim*, (2.Cor.4.) inquit, *mortificationem Iesu in corpore meo porto.* H Hæc sunt Deo gratæ petitiones, de quibus Ioannes Theologus: *Quodcunque petierimus secundum voluntatem Dei, faciet nobis.* (1.Ioan.5.) Ista enim sola homines ab se rogare vult Deus: quæ nimirum ad æternam eorum salutem accommodata sunt. Quandiu igitur cuique vita suppeditat, ne alia in re præter hanc studiũ, occupationemque suã consumat: in hac omnibus diebus vitæ suæ elaboret, vt anima eius supremo illo die, quãdo effundet extremũ halitũ, bene valẽs, omnique carnis, ac mundi affectu expedita

A ac libera inveniatur, necessarium est itaque eam sanam esse, ac potentem, vt pro sana Christo inseruiat, sanctorumque ac diuinorum eius præceptorum operatrix sit: vt cum ad illius tribunal steterit, nec erubescat. Id si factum non fuerit, at saltem sospitem eam inveniri necesse est, ne morbus eius gehennæ ignis correptos, camino suo, qui nunquam extinguitur, cohibeat, & sine vllo fine exurat. Sententia siquidem gehennæ natura sua eos tantum potest attingere, quorum animæ ad futurum illud sæculum sanitatis expertes abierunt. Nam peccatum ex voluntario, & non voluntario proficiscitur, ex vtroque, inquam. Videtur itaque peccatum quasi esca quædam, ad quam cum mens modo quodam intelligibili se inclinarit, animarum tyrannus, quem animo, non oculis cernimus, ipsam à tergo incitat, vt se illa esca farciat, quo peccatum ex B voluntario per inuoluntarium consummatum inveniatur. Quapropter sapientia Dei Christus principia peccatorum elidit, vt neque cupiamus, neque intueamur. Etenim cum in cupiditate, & aspectu peccati anima fuerit, difficile se potest auertere, quod è vestigio dæmones, citius ictu oculi eam impellant. Ac necessario omnis anima accessum ad hæc fugere debet. Fuga autem non alia est, nisi vt non concupiscas.

## ORATIO XII.

### ARGVMENTVM.

*Si quid boni actitat homo, id totum propter se actitare. Vnde cognoscatur, ieiunium, eleemosynam, orationem placere Deo. Quomodo psallendum. Sanctificationem, & libertatem per fidem acquiri. Psalmodiam propriè humilitatem esse. Quæ res gratiam extinguant.*

C QVoties audieris sanctos Patres nobis dicentes, propter Deum ieiunemus, aut eleemosynas impertiamus, aut aliud quippiam bonorum operum præstemus, existima eos ad nostram sese imbecillitatem accommodantes ita loqui: Deus enim qui nullare eget, nullius horum indiget. Omnia autem, quæ in vitæ huius curriculo cum virtute egerimus, ad nostram vtilitatem redundant Dei, qui nulla re opus habet, nihil intersunt. Nam qui ieiunat, & qui sese affligat, & qui eleemosynas dispertit, vt miserationem & misericordiam Dei consequatur, hæc faciet, & hic Dei benigni cultus atque obsequium est. Nam si in loco vitæ huius caliginosæ, ac plenæ offendiculis non libenter angustiamur, nec naturæ nostræ socios misereamur Deus vicissim misericordia, & commiseratione nos haud dignatur. Qui enim homo hominis non miseretur, nec iustus Deus miserebitur. Qui autem liberè peccat, nec dolorem ob id concipit, eius vicem misericors iudex minimè dolebit. Nemo itaque cum quippiam ex virtute facit, propter Deum, sed propter suam ipsius D salutem se id facere arbitretur. Hoc siquidem sciens, & sentiens, & non poterit quippiam boni perpetrare vt ab hominibus, sed tantum vt ab oculis nunquam dormientibus occulta cognoscentis Dei videatur. Nam Christianus, potissimumque qui in disciplina iustitiæ procedit, nisi crediderit, planeque persuasum habuerit, quemadmodum noster hic sol, nullo pacto hominis alicuius eget (propterea quod seruitute, aut ministerio quopiam humano neutiquam opus habet, cùm ipso potius omnibus mortalibus seruiat, exoriens, totumque terrarum orbem radiis suis illustrans, fructus omnes calore fovens, ad maturitatemque perducens, & ad coagmentationem corporum humanorum, vniversorumque è terra nascentium plurimum adiumenti afferens) nec potest, aut poterit quisquam dicere se seruisse, aut seruire soli: sic neque Deum alicuius operam requirere, aut vt ei à quoquam ministretur, opus

E habere. Qui ita non sentit, primum gradum principij salutaris viæ haud potest vnquam contingere: sed quamvis ieiunando, vigilando, laborando, psallendo, eleemosynas ac iustitias faciendo, & docendo, & commonefaciendo alios se Deo seruire existimet, cum eo tamen partem habere nequibit. Nam qui hæc agit, ideo aget, vt misericordiam apud Deum inveniat: *Quia omnes egent gloria Dei, & iustificantur gratis per gratiam ipsius*, quærentes, & pulsantes, & petentes, vt misericordiam consequantur, & ianua misericordiæ ipsis aperiatur, & apud Dominum misericordiam inveniant. Qui non quærunt, non pulsant, non petunt, sententia & lege Christi regis omnipotentis immutabili statutum est, vt nec inveniant, nec illis ostium misericordiæ recludatur. *Qui habet aures audiendi audiat.* Rom. 3. Mat. 11.

Qui igitur ieiuniis, precationibus, eleemosynis dat operam (per quæ tria Christiani omnes ab exilio ad F salutem revocantur, ac restituuntur) ne dies ieiunij numeret, ne ad eleemosynæ modum, nec ad laborem vigiliarum atque precum respiciat, quam multum ieiunaverit, quam benignus in pauperes, quàm multus in precibus fuerit: sed an Dominus attenderit. Si attendit, missa est ipsi gratia de cœlo, quam si susceperit, se contritum & humiliatum, pœnitentem & compunctum, & per hunc statum infirmitatem suam, peccata sua vt deformia, vt turpia, vt belluina, vt anima rationis participe indigna, & ab homine mente prædito remota cernentem inveniet. Talis enim contingit animæ prima à Deo illuminatio. Proinde hæc visa vt odio digna odit, & execratur. Si se ita constitutum non cognouerit, & ieiunia, & eleemosynas, & orationes perdidit. Vnum quippe Deo sacrificium, à quovis homine, spiritus contribulatus: ac propter tale sacrificium peccata remittuntur; quemadmodum propter ipsum hoc sacrificium & ieiunium, & eleemosyna, & oratio instituitur. Hoc enim est mysterium Christiani, & ita agere par est. Nam ieiunia, vigiliæ, humi strata G cubilia, eleemosynæ, preces, psalmodiæ, voluntaria mendicitas, & quæ homo fecerit omnia, ad Deum sibi placandum facit. Quod si ille secum in gratiam non redierit, quod tandem in his emolumentum? Anima enim Deo reconciliato humilis, & mansueta fit, Deoque astans, vt Deo astat, nec se huc & illuc versat. Itaque si talis nondum est, Deum nondum amicum habet: sed sive psallat, sive oret, adhuc sub potestate maligni est, & reconciliationem istam ante psalmos, & orationes petere oportet; alioqui spes salutis nulla superest. Errant, qui antequam se Deo reconcilient, canunt, ac psallunt, & voces in aerem frustra iactant, Deumque ad iram provocant. Avertit enim ab ipsis faciem suam. Et ore quidem psallentes, mente & cogitatione in rebus diabolicis versantur. Non igitur sola ieiunia, preces, & eleemosynæ sanctitatem libertatemque pariunt: sed ante hæc fides, & cognitio eius, qui liberare potest, diuinorum mysteriorum, nempe immaculati corporis, & sanguinis Domini Iesu, ac Dei omnipotentis communicatio, *Qui dicit his qui vincti sunt, exite: & his qui in tenebris, revelamini*, cùm is qui communicat, anima & corpore illi coniungitur ac miscetur, inque diuinam naturam commutatur. Alia via fidelem saluari, & remissionem peccatorum accipere, H cœlesteque regnum obtinere impossibile est, nisi cum timore & tremore mysteriorum corporis, & sanguinis Christi particeps fiat. Deus autem quomodo queat esse seruus, aut impurus, aut cum facultate aliqua peccandi? In his enim relinquere, sanctimoniæ amissio est: amissio autem ex arrogantia; arrogantia ex obliuione; obliuio ex contemptu: cùm, qui semel sanctificatus est, sanctificatoris sui obliuiscitur; quis nempe ipsum sanctificarit, sanctificationemque in ipso contineat, & per gratiarum actionem continuam, humilemque spiritum custodiat. Qui enim à quopiam è profundo maris extractus, ac veluti à mortuis excitatus est, qualem, & quantum humilitatis sensum habebit? *In humilitate enim nostra memor fuit noster Dominus*: propriè enim demissio Psal. 50. Isai. 49. Ps. 135.

A demissio animi psalmodia, & omnia quæ facimus, huc spectant.

Quid porrò est demittere animum, seu sentire de se submisse ac humiliter? Humanam imbecillitatem cognoscere, quæ cognitio, est à Deo credentibus in ipsam cœlitus demissa illuminatio: alioqui homo quilibet seipsum noscere nequit. Quare superbus nihil cernit, sed cæcus est; vt aiunt Patres. Qui baptismo tinctus non est, nec illuminatus est. Vt autem absque lumine oculus videre non potest: sic anima à Christo mysticè non illuminata, suam ipsius imbecillitatem conspicere nequit. Sed ad hanc illuminationem quænam pertinent? Infidelibus quidem fides in Christum, & divinum baptisma, vt diximus; ast iis, qui post baptismum cæcutiunt, atque ideo superbiunt, & in leges
Psal. 118. committunt (*Superbi* enim inquit, *iniquè agebant vsquequaque*. Et, *Dominus superbis resistit*. Et, *Principium omnis*
Iac. 4. *peccati superbia*, Et, *Principium peccati, nescire Domi-*
Eccl. 10. B *num*) talibus, inquam, ante alia mysteriorum Christianæ fidei institutio, vt cum crediderint, illuminentur. Si enim primam fidem tenuissent, non vtique cæcutivissent. Et postquam instituti fuerint, crediderintque, videbunt omnino; totoque affectu pœnitebunt, metuentes iudicium Dei, & aspicientes quæ aut turpia, aut perversa designarunt, sibique persuadentes, mille supplicia se commeruisse. Turpia, vt voluptates ac libidines: perversa, vt avaritiam, iniustitiam, dolum. Et quoniam omnis pœnitens humiliatur, huic Deus, tanquam humili, dat gratiam, vt & voluptates, & pravitates oderit, semperque imbecillitatem suam agnoscat, quo cæterorum vicem doleat, qui similiter vitiosis affectionibus laborant, & animum aliena incommoda patienter gerat, ostendetque non condemnet, & sit mitis ac patiens, inveniatque animæ suæ requiem, & sic
Psal. 149. *cantet Domino canticum novum, carmen Deo nostro*, quæ est ex puro, & contrito corde gratiarum actio. Cor enim contritum, & humiliatum, est purum cor: quod si desit, omnis alia psalmodia nihil valet. Nam qui Deo hoc modo non psallit, non potest psallere, etsi multum sudarit: sed lingua loquitur, animo autem alia volutat, quæ Deum irritant, eiusque iram contra ipsum
C accendunt. Quapropter, quomodo quævis creatura aspectabilis semper lucem postulat, vt videatur, ita omnis quæ intellectui patet creatura, semper lucem sub sensum non cadentem requirit, vt comprehendatur. Et sicut quis de multis præclaris facinoribus, & actionibus suis dicere non potest, noctu, & sine lumine feci: sic neque qui vitam Deo placentem egerit, dicere quibit, sine lumine, quod in intelligentiam cadit, feci. Si ausus fuerit, mendax est, & filius diaboli: nec seipsum aliquando est contemplatus, nec viam Dei ambulavit omnino. Vnde scriptum est, qui gloriatur, in Domino glorietur.

Cæterùm attendas oportet, ô illuminate à Christo desuper, ne fortè inde veniens te lateat illuminatio, cùm sit occulta, tibique eam vt propriam, & ex te ortam adscribas: ideoque ab oculis tuis ablata, rursum te in tenebris deserat. Deus enim qui sub aspectum non venit, lumine quodam haud aspectabili illuminat: & ea illuminatio (quomodo item Deus) inaspectabilis, ex effectis suis perspicitur. Si te humilem, & contritum experiere, quam humilis, tam illuminatus es. Proficit enim anima, si in humilitate proficit; cognitioque
D humilitatis & mansuetudinis, suipsius, & Dei cognitio est, vt divinæ sapientiæ antistites affirmarunt. Anima quæ Dei visitationem, sive divinam illuminationem, ac serenitatem adepta est, pacata est, & nullis turbis agitatur. Huiusmodi illustrationem extinguunt inhumanitas, iudicare fratrē, tenax iniuriarum memoria. Qui enim ex misericordia, & humanitate Dei servatus est, per misericordiam, & humanitatem salutē sibi custodiet, secundum divinam & regiam vocem ita sonantem, *In quo iudicio iudicabitis, vicissim iudicabimini: & qua*
Matt. 7. *mensura metiemini, remetietur vobis*. Ideirco præcedat misericordia, & sequatur misericordia. Nam qui a gravi & incurabili animæ morbo per solam Dei visitationem E liberatus, & sospitati restitutus est gaudebit, & exultabit, & qui ipsius misertus, sanitatem ei donavit, Deo nimirum, tota anima, & tota mente gratias aget, eritque mansuetus ac lenis, Dei erga se misericordiam, benignitatem, pietatem admirans: ac totus in benignitatem, & viscera pietatis effusus, similibus obnoxios miserabitur, adversus neminem tollens supercilium, sed omnibus se hilariter subiiciens. Sic sanè peccator omnis, cùm per Christum à turbulentis motibus expeditus fuerit, gaudebit & exultabit in salutari eius. Si autem post sanitatem efferatur, prope est tyrannus diabolus, & apud eos instrumenta motionum rationi non obedientium. Gratia Christi se subducet, & dæmon propior factus, mente concussa, per corpus deteriora prioribus efficiet.

## ORATIO XIII. F

### ARGVMENTVM.

*Quinque magnæ artes diaboli. Quidquid boni propter Deum agit homo id agere vel quia petit, vel quia gratias agit. Quomodo voluntas verè cupientis salvari, salutem velle debeat. Quorum rex sit, quorum non sit, is, qui est Dominus, & rex omnium.*

QVia diabolus est spiritus intelligentiæ compos, & qui naturam nostram depravatam libertatem nactus, cum dum quam in eam agit, cum qui ab ipso sine intermissione oppugnantur, sæculis sibi succedentibus prætereant ac dilabantur, ipse verò annos amplius sex mille sexcentos semper hostis humani generis, & quidem occultus atque clandestinus permanserit, homines que per ipsosmet oppugnet, & eos præsertim, qui modo nascentes in vitam introierunt, qui non solum certaminis huius periti non sūt, sed etiam vires eius bellicas funditus ignorant (sic enim iaculatur, vt videatur, nec tamen ipsi vident: vt angelus lucis appa- G
2. Cor. 11. ret, & vt tenebræ bellum gerit) adversus vnumquemque non mediocrem vsum, experientiamque est consecutus. Finis autem & scopus eius oppugnationis non contemnendus, & formidabilis est. Nam cum à principio genus hominum à Deo exterminaverit, contendit nihilominus, vt ab eo exterminatum maneat: aut vt ab exilio ad Deum Christi opera revocatum (sicut est sapiens ad male faciendum) rursum ab eo segregetur & exulet. Hinc igitur quinis scientiis scientissimus evasit, hellenismi, Iudaismi, hæresum, vitæ Orthodoxorum, & asceticorum certaminum. Ac per hellenismum quidem, perque externam, vt vocant, sapientiam, homines in fraudem inducit, Per Iudaismum verò, & cultum Dei ab illo præscriptum, iudaizantibus persuadet, eos bono in statu versari. Idque etiam Agarenis fecit. Per hæreses cultores Dei circumscriptos, ab vna in Deum fide divellit. Orthodoxos quoque, per id, quod Orthodoxis, seu ex vera & recta opinione institutæ vitæ adversatur, per voluptatem scilicet, per avaritiam, & vanam gloriam, à Deo abducit. Per asceticam denique, & philosophicam vivendi normam, multorumque incommodorum perpessionem, cùm vectem subiecerit, initium improbitatis, H nempe existimationem sui, sive arrogantiam, desideriumque honoris ab hominibus impotentissimum, hoc omnium virtutum adversario, & inimico machinamento, animas in sanctitate ac iustitia viventium prosternit atque subvertit. Quibusdam item zelo Dei iniecto, sed non secundum scientiam miseros illos tyrannos reddit, quod profectò multis deflendum est lacrymis: siquidem præsentibus futurisque bonis privantur. Quid enim est aliorum omnium interitus, si cum talium hominum iactura comparetur? Hæc namque singularis est & incomparabilis calamitas. Sequitur ergo, vt investi-

gandum

A gandum sit, quo pacto eius insidias deuitemus. Id aliter inveniri non potest, nisi ad extremam humilitatem animi, & summam contritionem cordis, atque ad vnum Deum, eundemque hominem, & Dominum Iesum Christum confugiamus. *Qui pro nobis pugnabit, & nos tacebimus*: in quo solo datur contra hostem hunc aciem instruere, & resistere & vincere: nec est hic alia via, ratioque sapientiæ.

Quapropter si in Christi gratiam in egestate quispiam vixerit, inediam vigiliasque tolerauerit, & per continentiam corpus macerarit, liberalis in pauperes, alienam vicem dolens ac benignus fuerit, bene sanè, sunt enim bona hæc. Veruntamen caueat diligenter, ne labores & mercedem perdat. Etsi enim hæc opera bona sunt, tamen præterea aliud quiddā bonum est, per quod saluantur, qui per ista salutem adipiscantur: siquidem duarum magnarum rerum instrumenta & efficientia

B sunt; propitiationis puta, & gratiarum actionis, & ea comparate fieri necesse est. Nam dilectus ille Ioannes ait: *Omnis qui peccat, non vidit Deum, neque novit eum.* Si igitur quis agnitis peccatis suis pœnitentiæ lumen acceperit, & pœnitere cœperit; talia opera suscipiet, vt Dominus eius contritionem, humilitatem, studium alacre videat, & misertus ei reconcilietur. Argumenta autem reconciliationis sunt, affectuum turbidorum sedatio, odium peccati, perpetuus Dei vbique præsentis timor, compunctio, religio, animi in sacris cantibus, lectionibus, auditionibus à Deo inspiratarum scripturarum attentio. Omnino enim nemo quidquam horum sine recuperatam Dei gratiam consequitur. Animum quippe gratia Dei quodammodo tangit, inaspectabili quadam ratione ei reconciliata, & quæ eo vsque instabilis & vaga fuit, firmari ac stabiliri incipit. En vnam rem magnam & admirabilem, pro qua gratiæ debentur Deo. Consecutus autem misericordiam, sanitatem, firmitudinem, si hæc opera facit, vt pro adeptis gratias agat, pro reconciliatione, inquam, cum Deo, etiam

C hic rationi conuenienter faciet, vt perfectam sed nuptionem consequatur, & diuiniore cognitione occultorum Dei bonorum quorum pulchritudo ab oculis non peccantium modò, verum etiam pœnitentium abscondita est, dignus euadat. Quicunque igitur huiusmodi actiones vsurpant, simpliciter vt bonas, nec ob has causas, culpa non carent, viuentesque in egestate voluntaria, ieiunantes, eleemosynas impertientes, moriuntur peccatores. Atque id lamentabile est, eos apud tam placabilem Deum se in gratia non reposuisse, neque secundum rationem videlicet, neque congruenter reconciliationem operatos. Congruenter dico, quia si iam reconciliatus adhuc iisdem pro reconciliatione impetranda deditus sit, Deum à se avertit: quemadmodum & ante reconciliationem, si pro gratiarum actione ista præstet. Etenim homo, vt intelligentiæ, ac mentis particeps animal facultatem cognoscendi habet, omniaque cum ratione & cognitione illi facienda sunt: id quod erga homines alios facere conuenit. Qui enim regem pro offensa sibi propitiare studet, non prius gratias agit, quàm in eius amicitiam restitutus sit: sed conatur, vt prius placatum habeat, ac tum demum gratiarum actione fungitur. Alioqui τὸν λογικὸν (mentis compotem) Dei patris λόγος (mens) & filius, & solus

D Saluator saluare ἀλόγως (sine mente seu temere) nō vult. Sed vt iustus, iuste postulat eum in quo est ratio & intellectus, ita se erga Deum gerere, quomodo se erga homines gerit: & timere illum, vt homines timere solemus. Sanè si nos dignitatem ac præstantiam, quam ratio nobis affert, labefactamus atque imminuimus, ipse eam labefactare & imminuere non potest: sed secundum eam dignitatem à se cuique tributam, etiam legem tenere vult in omnibus.

Quis ergo saluari concupiscit, quamvis id se concupiscere quis fateatur? Omnes cupiunt affluentibus rerum copiis ditari, aurumque & argentum, lapides pretiosos, margaritas citra laborem, latitudinem, animum, sollicitudinem possidere, quod fieri haud potest. Qui igitur aiunt, saluari volumus, & pro salute

E acquirenda defatigationem animi & corporis nullam suscipere instituunt, qui tandem saluari queunt? quando etiam qui salutis causa ad laborandum prompti sunt, totoque animo, verbo & opere eam expetunt, nec ipsi quidem saluari possunt. Vt enim, qui cùm nihil laborent, tamen saluari desiderant, saluari nolunt, cùm salus sine labore non constet: sic qui facultate, prudentiaque propria ad labores pro saluatione obtinenda aggrediuntur, ideo eā potiri nequeunt, quod non in virtute saluari cupientis, sed in misericordia Dei per Iesum Christum constituta est. Alius enim est qui saluatur, & alius qui saluat. *Absque me non est saluator*, ait, Deus. Et Apostolus Paulus, *Velle bonum adiacet mihi, perficere autem non invenio.* Quid igitur Paule? Dic age, quo pacto saluari licet? Gratias ago Deo meo, respondet, per Iesum Christum, *quia lex spiritus vitæ in Christo, liberavit me à lege peccati & mortis.* Et gratia sit benigno Deo, qui ex immensa charitate erga homines

*Isa. 43.* *Rom. 7.* *Rom. 8.*

F ipsum velle cum infirmitate copulauit, vt homo volens non possit bonum operari, tametsi cum labore multo; vt & ipsum arrogantiæ vestigium declinet, quæ primum peccatum, & fons criminum, & naturæ lapsæ ac debilitatæ causa fuit. Soli namque Deo vires sufficientes, etiam ipsa voluntas nostra ad eius voluntatem ab omni arrogantiæ macula purgatur.

Verum dicat fortasse aliquis, quid porrò salutem consequenti proprium relinquitur? Si enim ipsa quoque voluntas eius sublimiore quadam virtute indiget, quomodo volens saluatur? Hoc est quod solum ei relinquitur, vt audiat de salute, eius desiderio flagret, & norit eum, qui saluare possit: cætera vt sibi donentur ab eo, qui saluare, & conseruare, & restituere in pristinum statum potest, ex imo pectore, omni dubitatione remota roget, ducto initio ab accipienda voluntate qua velit, quæ Dei, & salutis sunt, vsque dum eam adipiscatur, & desiderium conquiescat. Primum quippe Dei munus est, aliquem de salute verba facientem nancisci; præcones enim ignorantibus mittuntur: & hoc

G donum plane mittentis est. Secundum autem munus, quod humanæ naturæ antea insitum est, aures dictis commodare. Ideo enim & illis qui non audiunt, his verbis Christus grauissimè minatur. *Si non receperint, nec audierint vos, tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrhæorum in die iudicij, quàm illis.* Tertium Dei donum lumen quoddam est, quod intellectu perspicitur, quodque maxime recens per baptismum illuminatis tribuitur. Qui namque de salute audiuit, seque docenti attentum præbuit, ipsam quidem desiderauit, elegantiam autem & pulchritudinem eius nondum aspexit, & diuino lumine mysticè opus habet, quod ei desuper obumbret. Hoc animæ oculos illuminans, duo hæc ostendit, pulchritudinem & fœditatem: pulchritudinem quidem salutis, fœditatem verò eius qui salvatur.

*Matt. 10.* *Luc. 10.*

Quid amplius? postquam desiderium primam animæ motionem assumens, voluntatem adhuc imbecillem, & cunctatiorem & impotentem ad salutem habuerit, senseritque anima voluntatis miseriam, ex alto virtutem flagitat, vt voluntas confirmetur, & tota salutem

H cupiat. Post hæc incipit oratio, laboriosa ad cognoscendum, & à spiritibus adversariis, vt arundo agitata. Hic confirmata hæc voluntas laborabit, & sudabit multum, petens diuinum orandi donum cœlitùs accipere, vt in Spiritu sancto fiat oratio. Iesum enim non potest anima Dominum suum, hoc est, sibi imperantem dicere, aut exploratè nosse, nisi in Spiritu sancto, vt ipse Spiritus sanctus cum habitauerit in anima, *Postulet pro nobis gemitibus inenarrabilibus, clamans abba pater*; quo illius vox glorificatorum propria fiat, & per orationem gratiosam, acceptamque anima fructus spiritus germinet, charitatem, gaudium, pacem, longanimitatem, benignitatem, bonitatem, fidem, mansuetudinem, continentiam. Hic ordo eorum est, qui salvantur. Sin minus, in montibus, & solitudinibus, & locis

*1. Cor. 12.* *Rom. 8.* *Galat. 5.*

[A] quos Dominus non visitat, oberrabit, qui hunc ordinem non sequitur. Nam nullum servare ordinem, licentiæ & contumaciæ indicium est. Cuius autem initium lubricum, etiam finis inutilis, laborandoque fatigabitur, & studio inani lassescet, qui saluti vacat. Ferme enim salus omnis in Christo Iesu Domino nostro posita est. Ideirco & rex, & Dominus appellatur, quoniam super singulos in eum credentes, per Spiritum sanctum regnat, & ut rex, ac Dominus suorum fidelium, ipse per eos quod placitum coram se est, operatur. Fit enim iis, in quibus regnat, viæ dux, gubernator, magister, œconomus, præses, opitulator, ab omni peccato redemptor. Atque etiam si quidam citra Christum boni quippiam agere videantur, mendacium sunt. Tunc autem veritas fiunt, cùm Christus super ipsos regnaverit, cui dicebat Pilatus, *Ergo rex es tu?* & respondit ei, [Ioan. 18.] *Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati.* Tum ille quæsivit, quid [B] esset veritas. Sed tacuit Dominus, quòd sciret Pilatum hoc mysterium absconditum non posse capere. Nam eum regnare super omnem hominem oportet, quoniam aliter characteres rationales humanæ naturæ apud unumquemque resplendere nequaquam possunt: & irrationabilitatem præter naturam ex peccato in genus humanum ingressam, atque ita firmatam, ut secundùm naturam existimetur, obscurari ac deleri. Non enim possumus, non, inquam, possumus ab ἀλογίᾳ liberari, nisi Christus, qui est λόγος, super nos regnaverit. Atque hæc est illa veritas, cui ut testimonium perhiberet, Christus venit. Nisi enim ipse rex noster fuerit, nunquam quod placitum est coram eo, præstare poterimus: sed ab impostore & inimico humani generis regemur, nec sentiemus. Vbi enim regnat Deus, non ibi diabolo servitur, sed ministerium omne in Deum confertur.

Etenim quis ignorat, Deum esse conditorem cœli ac terræ, & omnis creaturæ, tam quæ cogitatione percipitur, quàm quæ sub aspectum subiicitur? Esse etiam regem eorum, quæ ex nihilo ut extarent, producta [C] sunt, creatis simul ab eo omnibus? Deus enim pater Verbi sui, ac filij, Dei ac Domini nostri Iesu Christi, per quem fecit omnia, etiam in Spiritu sancto suo regnat super omnia. Hæc igitur una Deitas, Pater, Filius, & spiritus sanctus, quæ in tribus subsistentiis, coæterna, principij coexpers, consubstantialis regit cœlum, solem, lunam, stellas, aërem, terram, mare, & omnia quæ in eis sunt, & angelos, & homines velint nolint, [Ps. 145] quia Dominus unus est. Quoniam autem regiæ potestatis proprietas est, providere omnibus, in quos regnum est, etiam Deus hisce omnibus providentiam & curam suam declarat. Sed quia omnis condita natura, præter ratione præditas, angelos nimirum atque homines cognitionem ac notitiam capere nequit, hoc ipso quod ratione caret, ideo Deus quoque ut ignoranti, simplici via providet: cùm angelorum hominumque, quorum est cognitio, curam gerat assiduam. Vult autem hos, ut naturas intelligentia ornatas nosse opificem, provisorem, & salvatorem Deum. Ea propter siquidem procreati sunt, ut tanquam naturæ consilij, [D] mentisque participes, & ingeneratam cognitionem habentes, conditorem perpetuò celebrarent, eique tum pro seipsis, tum pro universis gratias agerent. Vnde quanquam Deus rex est omnium tamen hominum duntaxat & angelorum volentium rex esse vult: nolentium nequaquam, ut ne arbitrij libertatem illis tollat. Qui enim ratione utens natura sit, si voluntate careat? Quocirca etiam Dominus noster Iesus Christus nostrum similis homo natus, & magister, quod latebat, & ignorabatur, consortibus generis ac fratribus suadet, dum ita docet ac dicit, [Mat. 6.] *Quærite regnum Dei, & iustitiam eius*, ut volentibus nobis imperet. Simul enim naturam rationis capacem regnum Dei attingit, & simul omni eam iustitia cumulat. Hinc & quotidie Deum [Ibid.] ita precamur, *Adveniat regnum tuum, fiat voluntas tua.* Hoc enim vult, & ob hoc ipsum corpus humanum induit, & istuc primum editum, etiam principium Evan-[E]gelij fuit. Nam quod dicitur, [Luc. 10] *Appropinquavit regnum cœlorum*, hoc est. Nisi enim intelligens anima modo intelligibili sensum regni Dei acceperit, quod ipsam tetigit, spes salutis in irritum cadit. Animam porrò in qua Deus regnat, regnantis beneficia, & efficientias nosse oportet. Vbi enim rex præsens est, ibi item regni notæ & indicia planè sunt, æquitas, mansuetudo, veritas, humilitas, quæ illam regis humilitatem referat, bonitas, iustitia, & omnis pietas. Insuper patientia, humanitas, compassio, dilectio sine simulatione, longanimitas, tolerantia, sustinentia. [Rom. 12.] Et horum contraria in iis, in quibus Deus non regnat, perspiciuntur, & in se cognoscuntur, de quibus præcepit Dominus exercitibus suis, [Luc. 19.] *Illos inimicos meos qui noluerunt me regnare super se, adducite huc, & interficite coram me.* Qui enim audiverunt, & didicerunt multifariam, per quæ opera & mandata à Christo regnum cœlorum adepturi sint, & ea contempserunt, terrena ac peritura, tem-[F]poralemque gloriam præferentes, prorsus quam infideles acerbius punientur, quoniam Christum cognitum recipere noluerunt. Nam qui recusavit illud opus, cuius causa Christus ex sancta virgine natus in mundum venit, manifestum est utique, eum neque Christum recipere, etiamsi eum recepisse videatur. Qui autem verè in Christum crediderunt, eumque receperunt, *dedit eis potestatem filios Dei fieri.* [Ioan. 1.] Mox enim ut crediderunt, divinitas eius ipsis creditur, ut quemadmodum ille est Deus homo, sic qui credit, fit homo Deus.

## ORATIO XIV.

### ARGVMENTVM.

*Quam potestatem Christus acceperit. Prius Christi gratiam participare, atque ita vitam secundum Deum consectari oportere. De peccato, & iustitia. De carnali, & spirituali. De virtutum capite, & pedibus.* [G]

APud Davidem legimus, *Quis est homo qui vivet, & non videbit mortem, & eruet animam suam de manu inferi?* [Ps. 88.] Si igitur istuc cuiuis & ubique impossibile, soli autem Christo possibile est, ob quod etiam in terras venit, id est, Deus homo factus est, nemo propter aliud quippiam, nisi propter hoc solum vim inferat, id est, ut volentem omnes liberare, cogat & cogentem liberare. Cogitur quippe rex Iesus, volens hoc non propter se: sed quia res ardua est, & nos magnitudinem salutis ignoramus, vult à nobis cogi, & vim penè tyrannicam sustinere, ut partim quidem ex iis quæ patimur, à peccato graviter circumsessi; intelligamus in qualem necessitatem non spontè venerimus: partim verò, ut cùm libertatem à peccando adepti fuerimus, gratias liberatori magnificas agamus, tanquam pro re ingenti, & cuivis omnino impossibili. Propter hoc obsecrationibus & ieiuniis, & erogatione, & contritione, & aliis afflictionibus opus est. Non enim citra [H] laborem, & otiosis gratuito hoc præstare vult Christus, sed postquam id in immersione baptismi cuilibet fecit, infantes magnam, præcellentemque gratiam, non potuerunt agnoscere, necesse fuit hoc rursum per laborem acquiri, iterum accepta gratiâ, quæ hoc habet, ut apud neminem se ignorantem perseveret: sed ob ignorantiam illam avolet. Quisquis ergo Christianus nondum ex imbecillitate ad faciendam Dei voluntatem per divinam Christi virtutem confirmatus est, eat, ac per fidem, & impositionem manuum dispensatorum gratiæ confirmetur prius (quæ gratia ex fide donatur, non ex operibus) ut virtute ex alto prius indutus, ita demùm vitam Christiano dignam transigere possit: ne nudus à CHRISTI gratia inventus, extra CHRISTI partem eiiciatur:

eliciatur: nec enim tantùm propter peccatum recedit, qui illa potitus fuit, quantum propter ignorantiam. Nam hoc est omnem hominem velle ad agnitionem veritatis venire: quoniam non aliud quidem veritas, quàm gratia CHRISTI, ac propter eam gratiam venit, & occisus est CHRISTVS: qui cùm Deus, Dominus, ac hæres sit omnis creaturæ per ipsum conditæ, potestatemque habeat in ea, quæ condidit, non tamen habet potestatem gratis dandi hanc gratiam hominibus: quoniam iustus Dominus, & iustitias dilexit. Iniustum siquidem erat, volentem, & nulla compulsum necessitate, & per dolosum mendacium tantum ea sponte nudatum, & scelere inquinatum, sine magna vi in resistendo adhibita, eadem rursus circundari. Idcirco & nobilis facta est compensatio, Deus ipse natus homo, in sacrificium pro ea datus est. Vnde & Christus post resurrectionem ait: *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra. Euntes docete omnes gentes, & baptizate eos in nomine patris, & filij, & Spiritus sancti, docentes eos servare omnia quæcunque mandavi vobis.* Hinc & nomen eius est apud Esaiam ἐξουσιαστής, potestatem habens, non ut Dei, sed ut θεανθρώπου, Dei & hominis. Etenim ut Deus, quomodo eorum, quæ fabricatus est, non habebat potestatem? Sed ut homo, cùm se volens pro redemptione in sacrificium obtulisset, ab ipsa natura operis quod peragebat, potestatem accepit. Si enim Deus in pretium redemptionis impensus est, patet, non fuisse ullum donum isto præstantius, quod ad obliterandum Adami delictum divinitati offerretur. Lapsus enim Adamus, intelligibili Dei gratia qua fruebatur, exutus est, quam nunc salutari perfusus unda quilibet rursus induit. Nam *quicunque in Christo baptizati sunt, Christum induerunt.*

Itaque humana quæ sentiuntur, cernunturque, humanorum quæ tantùm intelliguntur, nec sub oculos veniunt, formæ & imagines quædam sunt. Exempli causa, homo nascitur nudus, puer infans, qui nulla re semet iuvare potest, quandiu lacte materno alitur, & ab ea sola curatur: Ast ubi ratione iam uti, & institui, ac proficere cœperit, ut sibimet opem ferre queat, tum nimirum quærere & rogare potest. Pari modo anima omni virtute nuda creatur: cumque ad regenerationem accesserit, Christum induit, à Christo nutritur, eruditur, quærere & rogare discit. Exinde nisi roget, nihil ei Christus largitur. Rogabit verò conducibilia. Primum quidem lumen, ut videat. Videbit autem omnem in seipsa miseriam, illicoque humiliabitur, & humiliata mansuescet, mansue facta vias Domini à Domino mysticè docebitur, *Qui mites docet vias suas.* Sanè qui prius gratiam Christi non induit, atque ita ad vitam, moresque Christianos sese dat, operam perdit. Quæcunque enim mala pertulerit, aut bona egerit, nondum Christi gratia vestitus, nullam inde utilitatem reportabit, perinde ut Iudæi & Ethnici Deum nescientes: siquidem non est in orbe terrarum quisquam adeò impius, qui nunquam aliquid cum virtute coniunctum naturæ hortatu effecerit. Prius igitur contendendum, quod suprà docuimus, ut per fidem, per pœnitentiam per impositionem manuum presbyteri gratiam adispiscare: sine quibus ad eos, qui ipsam post baptismum amiserunt, non reveniat. Quod si etiam citra manuum impositionem in aliquos venit, certè eorum exiguus est numerus, duo aut tres forsitan, & raritas legem Ecclesiæ non præfigit. Nec peccasse itaque, nec peccare peccatum est: quemadmodum nec cæco aut offendisse pedem ambulando, aut offendere cæcitas est: nec ægroto morbus cibi stomacho nocentis appetitio: sed non participare divinam naturam eius, qui pro nobis in cruce pependit Deus Iesus Christus, hoc peccatum est. Est enim nimium quantum difficile, atque adeò impossibile, ut non peccet, qui cum Iesu communionem non habet. Hæc enim iustitia est, participare & communicare cum Iesu. Cum hoc qui non communicat, nunquam à peccato mundabitur. Communicanti autem cum eo, peccatum non dominabitur. In ipso enim vivunt, moventur & sunt Christiani. Atque ut breviter dicam, frustra Christiani nomen gerit, qui in agnitione Iesu communionem cum eo non habet. Talis porrò ex confidentia, & audacia adversus divina & sacra, ex iracundo & præfracto, arrogantique animo; quomodo alius contra ex reverentia & pietate erga res divinas & sacras, item ex summa morum suavitate, & animi summissione cognoscentur. Nam ut ille nescit, sic iste novit, nihil se fecisse laudabile, nisi in communione boni Iesu, qui usque eo se nobis attemperavit, ut formam atque substantiam nostri similem in se capesseret, ut per cognationem communionemque cum eo, vitæ rationem homini respondentem inveniamus.

Sunt verò qui in terris etiam & in corpore angelicos mores æmulantur, cùm penitus tota animæ & corporis natura Iesus communicanti sibi permistus fuerit, & cum eo unum evaserit, ut huiusmodi homo possit usurpare illud, *Vivo autem iam non ego, vivit verò in me Christus.* Duo quippe sunt citra confusionem unita: disiunguntur autem aliquando, idque in nobis ipsis, & ea carnalia ac spiritualia dicuntur: quando idem homo interdum carnalia, interdum spiritualia sapit. Qui igitur spiritualia sapit, & agit, fidelis est, & nominatur: Nisi enim in seipso gratiam sanctissimi Spiritus haberet, sibi creditam, spiritualibus non fungeretur. Qui autem quæ carni affinia sunt & sapit, & agit, infidelis, & nullius pretij est. Quod nisi ita esset, nunquam vacuus gratia Christi & diaboli patiens incursus, carnalia operaretur: quia omnis qui facit malum, ex maligno est. Idcirco qui malè agunt, eos certum est à dæmonibus impelli, habentes nequitiæ principem, qui in ipsis habitare cognoscitur. Etenim spiritus nequam & intelligentiæ notus est, qui infideles, & à divina gratia desertos spiritualiter afflat. Quocirca ratione præditi, & libera voluntate cohonestati, velut alieno arbitrio subiecti cernuntur regi, sibimet ignoti, & opinantes ex illa sua libertate malum se committere. Quam opinionem magnum robur architecti improbitatis esse novimus: cuius omne studium in id impenditur, ut eo annitente, in iis qui malum operantur, operantes se id facere existiment.

Quid igitur? dicet quispiam, periit arbitrij libertas? Sanè, at non tota. Remansit enim in nobis sola cognitio, quod mali simus: sicut ægroto in lecto iacenti scire, se ægrotum iacere. Vult ille quidem surgere, at non potest. illud potest, volens, ac pro arbitrio suo medicum quærere. Idem hìc usu venit. Quapropter ait Dominus, *Omnis qui facit peccatum, servus est peccati servus autem non manet in domo in æternum. Si igitur filius vos liberaverit, verè liberi eritis.* Quoniam igitur arbitrij nostri libertas eo devenit, ut tantummodo medicum quærere debeamus, ad Christum accedamus, qui à dominatione diaboli nos vindicet. Nemo ergo malum operans existimet, aut dicat, dæmonem non habeo: pro portione enim pravitatis aut parvum, aut magnum, aut etiam multos dæmonas habet: sicut spiritualis pro mensura virtutis aut modicam, aut multam gratiam obtinet, aut etiam plenus est Christi gratia. Iam verò divina scriptura diversa charismata virtute præditorum spiritus appellare consuevit.

ANNOTAT. Locus lubricus censuraque dignus, videtur enim Simeon existimare, peccata ab homine per liberum arbitrium non committi, sed potius à dæmone in homine & per hominem, tanquam per instrumentum operante; quod adeò falsum est, ut peccati ratio nulla ratione subsistere possit, nisi à libero arbitrio procedat; neque est ulla res præter ipsum hominem qui peccat; quæ voluntatem directè ad peccatum movere & inclinare queat, docet S.Thom.1.2.quæst.80.art.2. Indirectè tamen potest & solet diabolus inducere ad peccatum; vel proponendo & obiiciendo materiam,

qua

qua quis ad peccatum allicitur, vel suggerendo & persuadendo obiectum propositum habere rationem boni, quia & suggerens, & suadens, seu persuadens aliqualiter proponit, *proprium obiectum voluntati, quod est rationis bonum verum vel apparens*, ut inquit Sanctus Thomas: *Sed nullo istorum modorum potest aliquid esse directa causa peccati, quia voluntas non ex necessitate movetur ab aliquo obiecto, nisi ab ultimo fine. Vnde non est sufficiens causa peccati, neque res exterius oblata, neque ille, qui eam proponit, neque ille, qui persuadet. Vnde sequitur, quod diabolus nō sit causa peccati directè vel sufficienter, sed solum per modum persuadentis vel proponentis appetibile.* Hæc Sanctus Thomas quæst. & art. cit. qui etiam articulo proxime sequẽte pulchrè docet, quomodo Dæmon possit esse causa peccati interius ad peccandum instigando; hoc est, commovendo phantasiam & appetitum sensitivum. Nec aut obest nostræ & veræ, aut prodest Simeonis sententiæ; quod qui peccat, servus peccati efficitur. Hæc enim servitus, & sponte contrahitur, cùm quivis per peccatum liberè se dæmoni subiciat: & sponte etiam seu liberè servitur, cum homo divina gratia adiutus liberè possit illam deserere, & ad libertatem filiorum Dei transire: Et quidquid mali fit, dum quis in servitute dæmonis permanet, id liberè fit ab ipso homine, quamvis impellente & incitante diabolo, quæ tamen incitatio non adfert necessitatem, libertati voluntatis. Nec notio servi excludit libertatem voluntatis; quia licet servus sit instrumentum Domini, non est tamen instrumentum naturale aut inanimatum, sed animatum; nec qualecunque animatum, sed ratione præditum. Quare in quamcunque servitutem incidat, quidquid agit ut homo, id liberè agit, tametsi iussus & impulsus à Domino: nam & servus mandato Domini sui homicidium perpetrans, liberè illud perpetrat; quis enim cogeret, si nollet? Par ratio in nostro argumento.

Quod addit Simeon, *periisse arbitrij libertatem, sed non totam*, id itidem benigna interpretatione temperari debet, potest enim intelligi de imminuta naturali inclinatione potentiarum animæ ad bonum, quam ex peccato extitisse communiter tradũt Theologi: quod tamen non est absolutè intelligendum, quasi ipsa anima seu potentia amiserit aliquam partem eius inclinationis, sed accipiendum est ex parte obiecti, ut sensus sit peccatum, removendo iustitiam, atque adeo naturam corrumpendo, obstitisse, quo minus potentiæ (& in his ipsa etiam voluntas libera) promptè & sine peccato ferantur in bonum; quod planius significaretur, si diceremus inclinationem potentiarum per peccatum impediri. Vide Sanctus Thomam 1.2. quæst.85. art.1. & 2. & ibid. Gregorium de Valentia quæst.15. part.2. alioquin ex fide Catholica certum & constitutum est, hominem habere liberum arbitrium ad omnes actiones civiles seu externas, & morales & etiam supernaturales: cum hoc tamen discrimine, ut liberum arbitrium per suas vires naturales minimè sufficiat ad omnes actiones, sed ad quasdam supernaturali adiutorio gratiæ indigeat, cuiusmodi sunt in primis actiones illæ, quæ ad pietatem & salutem pertinent: de quo copiosissime disputat Bellarminus lib.4.5. & 6. de gratia & libero arbitrio.

Hæc pro explicatione verborum Simeonis, cuius mentem certius fortasse attigeris, si dicas, eum amissionem liberi arbitrij, etsi non totius, tantum in hoc collocasse: quod homo in peccatum lapsus, nequeat amplius per solum liberum arbitrium resurgere, & cum Deo in gratiam redire, quod verum est, quamvis modus loquendi durior sit; non enim propterea dici debet amissum ex parte liberum arbitrium; licet namque homo à peccatis resurgere non possit solis liberi arbitrij viribus; potest tamen resurgere per liberum arbitrium gratia Dei excitatum, corroboratum, & adiutum, ita ut adiuvanti liberè cooperetur. Ergo cùm homo gratiam Dei per peccatum perdit, nihil perdit de libero arbitrio simpliciter & propriè loquendo, sed perdit tantummodo usum quendam liberi arbitrij, qui est supernaturales actiones exercere, quas liberum arbitrium sine subsidio gratiæ exercere nequit, quippe quæ longè excedant vim & facultatem naturalem liberi arbitrij. Gratiam tamen amissam, ipsa gratia divinitus adiuvante, potest liberum arbitrium denuò liberè acquirere, Deique amicitiam recuperare: sicut & æger (quod est exemplum Simeonis) studio & beneficio medici, libere sanari potest, licet sanitatem suis duntaxat viribus obtinere non queat.

Omnes itaque virtutes bonum quoddam sunt: omnium verò caput quoddam & pedes esse oportet: corpus enim sine capite ac pedibus constare nequit. Pedes virtutum sunt humilitas, caput charitas. Absque his duabus virtutibus omnis alia virtus vana & inanis est. Omnes siquidem virtutes simul columnæ possunt comparari, cuius basis humilitas, caput charitas, Deum portans. Nam sub charitate sunt ordine quodam miseratio, compassio, eleemosyna, communicatio, patientia, longanimitas, beneficientia, & quæ deos facit, benignitas. Circum humilitatem autem quasi circa basin columnæ versantur obedientia, tolerantia, cognitio, prudentia, humanæ inbecillitatis, & altitudinis divinæ cognitio, pro Dei beneficiis gratiarum actio, qui benefacit *à dextris, & à sinistris, per ignominiam & bonam famam.* Iam ubi erga Deum est gratiarum actio, ibi etiam videtur Deus. Qui autem pulchritudinem Dei intuetur, quomodo hunc ut longè pulcherrimum, omnisque pulchritudinis originem non amabit? Iam qui Deum diligit, etiam eius mandata servabit, cuius mandatum est, ut amemus inter nos. Cæterùm *qui non diligit fratrem suum quem videt*, inquit scriptura, *Deum quem non videt, quomodo potest diligere?* Per gratiarum vero actionem, & charitatem acquiritur Dei visio. Sustinet igitur humilitas charitatem, & charitas firmat humilitatem. Hæc quidem veluti pedes, qui per medium corpus ipsum & caput sustentant: at charitas ut cherubicus tronus Deum portans, per interpositum corpus ab humilitate, tanquam à pedibus sustentata. Paupertas, ieiunium, continentia iræ, linguæ, cupiditatis omnis sub iugo sunt iustitiæ, quæ virum pium ac religiosum decet, ut ne sit iniustus, nec alium, sed ante alios semet multet. Plura enim quàm necessitas requirit possidere, aut necessaria quidem, sumptuosiora tamen, iniustitia est: quemadmodum & ventri definito alimento plus dare, iniustitia est. Iræ autem frænos laxare, stultitia; protervè loqui, fatuitas, cupiditatibus secularibus indulgere, amentia. Non enim virtus est, à malo abstinuisse: etsi qui malum non fecit, non vapulabit, sicut ille scilicet qui fecit. Si autem faciet, omnino etiam vapulabit. At qui bonum fecerit, illi bene fiet: non quidem secundùm rationem iustitiæ, sed ex humanitate & bonitate Dei. Vna enim quædam Christi sententia est, qua dicitur, *Qui cognovit voluntatem Domini sui, & non fecit, vapulabit multis.* Alia, *Cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite, servi inutiles sumus: quia quod facere debuimus, fecimus.*

[1. Cor. 6.] [Ioan. 13.] [1. Ioan. 4.] [Luca 12] [Luca 17]

## ORATIO XV.

### ARGVMENTVM.

*Tenere, seu observare quæ in divinis scripturis leguntur, totum Dei munus esse. De oratione, & lectione, & quomodo Christiano psallendum sit.*

QVi docetur, nisi quæ doctus est in animo retinet, nihil profecit. Qui litteras sciens, legit, nisi intelligat quæ legit, quodammodo illiteratus est. Qui legit & intelligit, nisi intellecta servare potest, nihil ei prodest. Divinas scripturas legere, nisi arbitratus est intelligere lecta

A lecta in nobis est, & non est. In nobis, studium: intelligere à gratia Dei pendet. Verùm tenere, seu præstare intellecta, id totum supremæ gratiæ acceptum referri debet. (*Mat. 20.*) Quo circa pauci sunt qui ea præstant: sicut pauci sunt qui saluantur. Sunt ergo duo, oratio & lectio, quorum hæc qua via ad Deum perveniamus, docet, facitque hominem divinum: illa Deum flectit, vt mentem legentis illuminet, quo lecta & intelligat, & obseruet. Alia etenim scripta percipere & cognoscere possunt qui legunt: quæcunque autem divina & salutaria sunt, citra Spiritus sancti illuminationem comprehendi seruarique nequeunt. Et quidem qui orare vt debet, edoctus est, tantopere lectionis non indigebit, divinæ gratiæ divino lumine replente eius animam, & in statum quendam diviniorem immutante. Qui autem continuam lectionem pluris facit, antequam orare, vt oportet, didicerit, errat, seque ipsum à divina salute abducit: immo verò sensus omnino expers est, tametsi in tota scriptura sacra exercitatum se, B & eam recitare memoriter posse fateatur. Vt enim extra calorem solis, fructus provenire non potest, sed hyeme quidem nascitur, vere maturescere incipit, frigore autem nascitur, vere maturescere incipit, frigore autem perseverante ad maturitatem non pertingit, sed inutilis efficitur, meliusque erat, si nec à principio germinasset: sic qui calori solis illius, quem intelligentia percipimus, sese per orationis præstantiam non subiecit, nunquam fructum maturum per lectionem edere poterit: siquidem & discere prius, quemadmodum oratio instituenda sit, vt vbi didiceris, etiam orare queas, multum tempus, laboremque, & animi magis quam corporis desiderat. Quamobrem & Apostolus hortatur assiduè cantare, & psallere Deo in corde, non in labiis. (*Ephes. 5. Luc. 6. Mat. 12.*) Sed quoniam *ex abundantia loquitur*, necesse est etiam per os ex abundantia illius orationem promi, cum ipsum cor prius mundum creatum, deinde divinus rectitudinis spiritus innovatus fuerit: post lætitiam salutaris Dei gustaverit, quæ ex contortio & consortio & communione Christi exstitit: deinde gratia spiritus principalis firmitatem acquisiverit, vt spiritualia nequitiæ, quæ cogitatione cernuntur, nulla C ex parta eius motiones, cogitata conentere & quassare suis flatibus possint. (*Ephes.*) Ac tunc precibus divinis vacans, per radios mysticos per orationem super orantem exortos cognita & agnita, ad frugem maturam perducere potest: alioqui insipiens ac stupidus est.

Psallere igitur Deo bonum est, quia inprimis fructuosum. Si enim quiddam singulare est, cum rege terreno colloqui, quanto singularius cum rege cœlesti? Quis accedere propius, & cuiusquam cum rege sermonem interturbare audet? Sic neque dæmones ad illum appropinquare sustinent, qui cum Deo loquitur. Non psallere Deo, magna est iactura: anima quippe non psallentis divino lumine, divina virtute & quiete insultibus dæmonum privatur, & omnis petulentia, omnis immunditia, omnis improbitas & iniustitia, omnis fastus, ostentatio, arrogantia ab iisdem in eandem invehitur. Sicut enim cœli aspiratione corpora, ita perenni Dei memoria omnis anima prorsus indiget. D Verumenimverò psallere Deo simpliciter ac perfunctorie, & sine timore, qui Deo astanti est necessarius, quem Cherubim tremunt, tantum abest, vt aliquid commodi, vt potius incomparabile detrimentum afferat, quia Deum exasperat, & à nobis avertit, nosque ab illo tanquam in exilium eiicit. Nimirum quemadmodum cum contemptu regi astantem satellites regii abripiunt, & à conspectu eius exturbant, idque rex nimmè reprehendit: sic angeli Dei, mentem contemptim Deo astantis à Dei visitatione eiiciunt, quam confestim dæmones arripiant, maiore auctoritate libertateque (quia velut à lupanari aut caupona) imperiosè quolibet, sive ad turpia & nefanda, sive ad improba, sive ad vana & inania ductitant: & neque qui patitur animadvertit, neque Deus liberat, quoniam ipsemet spretus atque contemptus est. Lege enim ita E sanxit: *Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.* (*Psal. 2.*) Quapropter homini tali multò erat melius, si non psalleret Dæmones namque in cæteris peccatis omnibus non æquè, vt in isto contemptu Dei in animam dominari possunt. Et rex quidem terrenus debitores, quique in se peccarunt, patitur, contemptores severè vlciscitur. Quare cum contemptu psallere peccatum est omnium maximum. Deus enim cùm a corpore segregatus sit, nec oculis istis aspiciatur, etiam modo quodam incorporeo & invisibili colitur. Quem corporea ratione, & vt videri possit, colere, minus est illi conveniens ac proprium, sicut & apud Davidem est, *Quoniam si voluisses. sacrificium dedissem vtique: holocaustis non delectaberis.* (*Psal. 50.*) Idcirco *cor contritum & humiliatum Deus non despiciet.* Contritio autem cordis mente & cogitatione fiat. Non tangunt oculorum sensum mens nostra & cogitatio, id est, ipsa anima. Hæc igitur mens, inquam, & cogitatio Deo qui intelligitur, nec F videtur, danda sunt. In hoc enim cultus eius consistit, vt inaspectabilia inaspectabili, intelligilia intelligibili, & corporalia cum anima quoque ad Deum colendum se subiiciant, qui manibus humanis colitur. (*Act. 17.*) Quod verò etiam, quæ in sensus cadunt, non respuit, sciendum, tunc ea accipere, cum mente pura ac sincera oblata fuerint.

Omnis quippe oratio, ac psalmodia divinæ scripturæ, cum Deo reconciliatio est. Aut enim petitio est eorum, quæ Deus per gratiam, pro eo ac ipsum decet, hominibus donare solet. Aut sunt gratiarum actiones Deo pro opificio, qui nulla subiecta materia procreavit vniversa. Aut commemoramus per ætates admiranda opera, prodigia & signa ad gloriam eius, & salutem hominum, & vindictam iniquorum, improborumque exhibita. Aut arcanioribus rationibus divinam eius administratam providentiam. Aut mysterium Incarnationis Verbi Dei, quomodo quem vniversitatis ambitus non cœpit, immaculatæ virginis vtero captus, natus, educatus sit, cœlestemque vivendi G normam docuerit & ostenderit, salutaremque mortem perpessus, ab inferis resurrexerit, spemque resurrectionis, & vitæ æternæ generi hominum donaverit, & in cœlum, vt homo, assumptus fuerit, vt Spiritum sanctum ex Deo patre suo procedentem, in eos qui in ipsum credidissent, demitteret; quem ab initio princeps homo Adamus habuit, & ob infidelitatem amisit. Hic namque totius œconomiæ finis, vt credentes in ipsum velut Deum & hominem, in duabus naturis non separatis neque confusis vnum Christum, Spiritum sanctum in suas animas, quasi animam accipiant, & ita nominentur fideles, & quasi sursum conflati, ac de integro ficti, & à principio informati, ac per sanctum baptisma reformati, factique denuò, qualis primus homo erat, animo & conscientia, & sensibus omnibus sanctificentur: vt de cætero penitus non habeant in seipsis vitam corruptam, quæ possit appetitum animæ in carnales & mundanas appetitiones, cupiditatesque abstrahere. Qui ergo de his & similibus Deum quà die, quà nocte, & longis temporum spatiis alloquitur, & lingua quidem loquens, mente nescit quid loquatur, nonne hic nugari videtur? Nondum sanè fidelis huiusmodi, neque Deo H reconciliatus est. Fidelis siquidem est, & appellatur, cui donum sancti Spiritus concreditum est, quique illud habet. quod donum simul mentem ipsam accipientium illustrat, & simul continet, colligens & conservans horũ duorum intelligentiã, cui dicatur & quid dicatur Prius itaque credere, & reconciliari Deo necesse est, & tũ illi psallere sic vt qui psallere constituit, ante veniam de admissis quà verborum, quà operum, quà actionum, quà cogitationum petat. Reconciliata autem Deo anima, mansueta, humilis, & contrita efficitur, id quod reconciliationis cum Deo argumentum est. Sunt enim ista præcipua Dei dona, & charismata, mansuetudo & humilitas. Animã mitẽ & humilẽ dæmones ad voluptates corporis, aut avaritiã, aut ad vanam gloriã iterũ oppugnare, vt antè, nõ possunt. Et in his duobus Christi donis

levationem,

A levationem, ac requiem ab huiusmodi necessitatibus, invenit anima. Quamobrem pauca, cum timore & intellectu psallere debemus. Quod tamen omni sæculari, monacho, anachoretæ, clerico, diacono, sacerdoti, Episcopo impossibile est prorsus, nisi horum uniuscuiusque anima pro mensura fidei ipsius in Christum, Spiritus sancti particeps fiat. Quoniam *nemo potest dicere Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto.* Et quia spiritus est, in quo adoramus, & preces inimus. Et quia *ubi spiritus Domini, ibi libertas*, libertas autem & securitas à dæmonibus videlicet, qui odium, tristitiam, perturbationem, pusillanimitatem, pravitatem morum, nequitiam, incredulitatem, iracundiam, intemperantiam in anima excitant. Quibus qui constricti sunt, ieiunantes, vitam solitariam, quietamque sectantes, possessionibus carentes, multum psallentes, divinarum

1 Cor. 12.
Ioan. 4.
2. Cor. 3.

B scripturarum explanatores, orthodoxorum dogmatum conscriptores, & magistri Ecclesiarum, & sanctissimi, ac iustissimi, & longè religiosissimi, cum Christo vero lumine, qui omnem hominem sponte sua in verum mundum virtutum venientem illuminat, partem habere non possunt: *Nulla enim societas luci ad tenebras.*

2. Cor. 6.

# ORATIO XVI.

## ARGVMENTVM.

*Deum propter excellentem charitatem multis calamitatibus hominem exposuisse. Penuriam, seu indigentiam Dei munus esse, quique eam fugit, eum Christianismum fugere: Dei enim sententiam naturam nobis factam; & tribulationes omnes gratiarum actionem docere. Cuius rei causa peccatum, morbi, & mors extiterint.*

C

DEus hominem post lapsum timoribus multis, & omnigenis casibus, quasi muro, vallavit, & undique fecit turbis ac terroribus impeti atque iactari, ipsumque in se à semetipso oppugnari. Causa huius rei, admirabilis, omnique charitate ac bonitate referta est. Sicut enim pater quispiam, dives ac fortunatus bonis omnibus, si filium haberet sibi multò charissimum, ac propter vehementiam amoris erga hunc germanum ac dilectum filium suum nec cibum, nec potum, nec vestem, nec calceos, nec aliud commodum, recreationemve, nisi tantum ab se genitore vellet illum accipere, ut idcirco à patris latere nunquam discederet, & super eius genua requiesceret: si quando autem à patre alienari eum contingeret, & ab aliis, non à parente ad usum suum necessaria sibi præberi vellet, aut non inveniret, aut invenire quidem, sed in sudore ac labore, & afflictione acciperet, quod omnibus patri servientibus valdè seriò imperatum esset, talem filium missum facere, repellere, & modis omnibus molestius afficere,

D quando extra patris conspectum versantem viderent, ut alibi non inveniens requiem, adactus necessitate, & invitus ad patrem, qui eum incredibiliter, & plus omnibus dilexisset, reverteretur, in eoque conquiesceret: eodem modo Deus egit cum homine, ut nullam in hac vita rebusque mundi requiem inveniens (quoniam hæc omnia vanitas) ad bonum Deum, Dominum, herum, patrem, tutorem, provisorem, redemptorem, salvatorem reverteretur, & cum eo continenter versaretur, & inveniret ipse quidem requiem, pater autem & Deus eo perfrueretur, ac super eo lætaretur. Erat enim, cùm homo circumflueret omnibus copiis, & propter eam abundantiam in quiete ac voluptate esset, vacaretque afflictione & ægritudine, gaudens & exultans, nesciretque prorsus quid ægritudo esset. Ex negligentia igitur propter affluentiam desiderium par-

E turivit eorum quæ supra ipsum erant, & quæ assequi non poterat, & quæ cùm tetigisset, ut illi videbatur, de ipsa illa copia & abundantia defectus, ad multorum, immo sanè omnium penuriam redactus est, in tanta egestate constitutus, ut summæ abundantiæ summa indigentia è regione, & ex diametro opponeretur; arrogantiam scil. vindicans, unde audax illud facinus extitisset, quo in donatam sibi affluentiam præ satietate contumeliosus extiterat. Ex quo autem in egestatem devenit, multis ob eam ærumnis, laboribus, defatigationibus cumulatur, nec expleta penuria, tristatur, affligitur, desperat: naturaliaque & inevitabilia vincula indigentiæ fugere volens, magnopere contendit, ut in vita nulla re egeat. Hinc aut occultus, aut manifestus & impudens alienorum invasor, avarus, iniustus, rapax fit, zelo agitatur, invidet, rixatur, mentitur, peierat, insidiatur, calumniatur, ma-

F ledicit, pugnat, irascitur, bellat, se ulciscitur, occidit, etiam ipsum Deum contemnens quodammodo, qui velut temporaneum supplicium in hac vita indigentiam esse voluit, quam mortalium generi protoplasti transgressio induxit, & Deo inimicitias indicit, ac propterea rerum copias sibi parans; inde gloriosus, superbus, iactabundus redditur. Quid deinde? *Dominus superbis resistit*, & tandem extrema eius in eandem damnationem cum desertore Dei diabolo cadunt. Scire igitur licet, indigentiam iustum esse a Deo supplicium, gratoque ferendam animo, ut ita commiserationem & misericordiam, & providentiam Dei in nos excitemus. Ideirco *quem diligit Dominus castigat*, longè eum a superbia propter indigentiam removens. *Flagellat autem omnem filium, quem recipit*, per morbos varios, & invaletudines eum sibi copulans, gratias agentem, & patientem, & pro huiuscemodi certaminum corona adoptionem reportantem. Etenim protoplastus [illegible] violavit mandatum, nisi quod nulla prorsus re egeret, essetque sine labore dives bonorum omnium.

Iacob. 4.
Hebr. 12.

G Quare qui indigentiam fugit, quam effugere nunquam poterit, Deo videtur adversari, & ab ipso pronunciatam sententiam, naturæque loco constitutam, quasi evertere conari, nempe qua iubet, ut *in sudore vultus nostri panem nostrum comedamus, donec revertamur in terram, de qua sumpti sumus.* Quoniam igitur indigentia cuilibet homini in hoc sæculo, parvo & magno naturalis pœna est, qui hanc quærit effugere, in pœnas sempiternas incurret. Aliter enim quàm per avaritiam, iniustitiam, rapinam, præsentem indigentiam explere non datur. Solet autem bonorum copia generare superbiam, unde peccatis principium, & caput. Ea prostrata, superbum & arrogantem turpia designandi voluntas invadit, quæ ex amentia, & discessu à recta ratione progignitur. Omnis itaque Christianus qui indigentiam fugere laborat, etiam germanum Christianismum fugit. Esse enim Christianum, & nullius egere, impossibile est. Etenim Deus noster similis inter nos factus, ut humanam naturam usque à principio instauraret, decreta sua, quæ ad damnationem transgressoris mandati

Gen. 3.

H sui, primi, inquam, parentis nostri fecit, corruptionem videlicet & mortem, cùm dixit; *In sudore vultus tui comedes panem tuum:* Et, *Terra es, & in terram reverteris*, non ita leviter sustulit. Ecce enim & sudor ad panem acquirendum permanet; & in terram de qua sumpti sumus, revertimur. Sed virtutis suæ ut divinæ virtutis, & sapientiæ suæ ut divinæ sapientiæ participes faciens; qui in eius incarnationem crediderunt, eatenus legem suam infirmat; ipse primùm nobis exemplar factus, multis doloribus & afflictionibus usque ad mortem crucis ignominiosam perferendis. Similiter Apostoli & fideles omnes à Christo bene corroborati, cum gaudio sudores & tentationes sustinent, & in multa patientia fructum ferunt. Propter hoc item martyres & ascetæ, illi quidem pœnis & suppliciis non eximi; hi verò labores asceticos non abiicere, sed egregiam sibi

Luc. 8.

A tolerantiam suppeditari rogabant, propositum certamen per patientiam certantes, ut pro labore suo mercedem in futuro sæculo reciperent. Vnde Deus patientiæ & longanimitatis Deus nominatur. Igitur pio cuilibet angustia, & omnis tristitia necessaria est, propterea quod ante omne tentamentum nemo tentationum notitiam adipiscitur. Vbi autem à tentationibus irruentibus vindicatus fuerit, vindici sive Deo, sive homini gratias agit. Cùm itaque homo à tentationibus immunis custoditur, ad gratias ob id Deo agendas segnis ac piger est. Lapsus autem in tentationes, & ereptus, impensè ei gratias agit. Quin si quis etiam semper Deo gratias agat; non ita, nec tantopere tamque alacriter agit, quàm tentationibus & tribulationibus liberatus agere consuevit. Vt ergo ex animo, & ex tota mente, & ex omnibus viribus gratias agat, in tentationes & afflictiones, & angustias, & tristitias incidere oportet, ut virtutem Dei cognoscat. Alioqui remissio, & feriæ duo non mediocria mala pariunt; nimirum, ut non tota anima gratiæ agantur Deo; & ut mens curis inanibus occupetur. Adamus in illa sua quiete, tranquillitateque inexplicabili, si Deo gratias egisset, deceptus non fuisset; neque malum illud consilium unquam admisisset, neque Deus fieri concupivisset. Quare quemadmodum aspiratione aeris, sic gratiarum actione erga Deum opus habemus, si in tentationes, afflictiones, angustias, mœrores, quod velle debemus, inciderimus.

Rom. 2. & 15.

B

ANNOTAT. Illa verba Domini ad Adamum post divini præcepti transgressionem Gen. 3. *In sudore vultus tui vesceris pane tuo*, non magis significant præceptum, quàm illa eiusdem ad eundem: *Pulvis es, & in pulverem reverteris.* Vel illa ad Evam: *In dolore paries filios:* Sed significans pœnam; qua Deus primos parentes, eorumque posteros multavit: Ergo, qui modis licitis operam dat, ut ἔνδειαν seu indigentiam, partis opibus, effugiat; is non magis peccat in præceptum Dei? quam si det operam, ut morbos effugiat; ipsamque mortem: si non, semper vitet; certe differat. Itaque quando Simeon dicit; *Eum, qui indigentiam fugere nititur, fugere etiam germanum Christianismum*, & si quid aliud huius generis in hac oratione occurret; id accipiendum est de illo: qui paupertatem intolerandum gravissimumque malum reputat; immissamque sibi invito & iniquo animo tolerat: oblitus Salvatoris sui, qui hanc omnibus divitiis anteposuit; immemorque pœnæ illius primævæ, quam Deus in mortales statuit, ut scilicet in sudore vultus sui vescerentur pane suo; vitamque inter varias ærumnas & paupertatis incommoda exigerent, quam pœnam, cum à Deo infligitur, quivis patienter persolvere debet; tametsi ipsemet ea se afficere, nec tenetur, nec iubetur. Et si quis aut existeret, aut unquam extitisset, quem sudor iste vultus nunquam tetigisset; omnisque indigentiæ expertem vitam traduxisset; paratus ferre si quid à Deo sibi mitteretur; is nihil propterea in ullum præceptum Dei commisisset; quanquam quis unquam fuit; qui indigentiam penitus à suo limine excludere potuerit; & hoc sudore aspersus non fuerit? imò quo quis avarior est; eo egentior est. Vere poëta: *Semper avarus eget.*

C

D

## ORATIO XVII.

E

### ARGVMENTVM.

*De vero monacho, & pecuniæ, aut voluptatis, aut gloriæ cupidum, non esse monachum: qui morbi ut à Deo sanentur, ascetis dura perpetienda. Cur omne opus bonum hunc habeat finem, ut sanctificationem Christi recipiat. Cum intellectu psallere, solius Dei beneficio adscribendum. Quo pacto inter Deum, & homines inimicitiæ intercedant.*

MOnachus est, qui professus coram Deo & angelis, se mundo, & iis quæ in mundo sunt, nuntium remisisse, & ad Christum se aggregasse, divina gratia, quæ animo concipitur, mystice dignatus est, & eius gratiæ sensum quendam intelligibilem hausit. Præ ipsa enim omnes carnis mundique illecebras detestatus, per eandem mortuus, & ad omnes illas inhabilis, & ineptus efficitur. Ac tunc cum summo gaudio, ferventique desiderio ad divina Christi mandata fit strenuus, & ab omni voluptate, pecuniarumque, & honorum studio alienus (velut qui extra carnem, & mundum viveret) cognoscitur, & soli Spiritui sancto arctissime coniunctus, semper lætus & psallens, *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo salutari meo.* Aliter quispiam referri in album monachorum nequiquam potest. Tria enim sunt, voluptas, pecunia gloria. Monachus qui adhuc voluptatibus se submittit, nondum monachus, sed etiamnum peccati, & sathanæ mancipium est. Monachus cui amor pecuniæ adhuc imperat, nondum monachus, sed idololatra est. Monachus adhuc ambitiosus, nondum monachus, sed principis huius mundi probatissimus miles est. Qui igitur possidetur aut ab his tribus ex parte, aut ab uno horum trium universe, seu ieiunet, seu vigilet, seu oret, seu psallat, seu humi cubet, & quævis alia incommoda, laboresque ac molestias subeat, omnemque scientiam norit, cum patre, filio, & Spiritu sancto societatem non habet. Necesse est enim hunc prius libertatem, quæ mente videtur, à Dei filio adipisci, qui ait, *Omnis qui facit peccatum servus est peccati: servus autem peccati non manet in domo Dei in æternum.* Est autem domus Dei regnum eius. Audin' formidandam sententiam? *Si igitur filius vos liberaverit*, inquit, *vere liberi eritis.* Cum ergo quis à tribus hisce liberatus fuerit, tum demum, ut iam Christianus, & Christi servus effectus, psallere & orare debet. Certe enim qui aut ab his tribus tyrannicis affectionibus, aut ab harum aliqua subiugatus est, etiam volens in libertatem se vindicare nequit. Soli enim Dei filio, atque regi Iesu Christo, secundum potestatem, quam à patre propter necem perpessam accepit, istam donare libertatem concessum est, qui post resurrectionem suam dicit, *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.* Ad liberatorem igitur confugiendum, quem penes solum est ista auctoritas. Et ne quid omittamus, quo ab eo à tribus hisce tyrannis in libertatem asseramur, pro ea nos inedia maceremus, & eleemosynas distribuamus, ut videat nos cupere libertatem, qui vult misericordiam. Cæterum partæ libertatis indicium est, perfectum odium illorum; ut à quorum cervicibus hoc iugum servile depulsum est, hæc tanquam monstra fœdissima, quæ secundum Salomonis execrationem nunquam impleri queant, detestentur etiam. Itaque bonum est psallere Deo, orare, ieiunare, vigilare, misericordiam exercere, & propter Christum egere. Bonum se humilare: sed videmus in his, fratres, multos in vacuum aut cucurrisse, aut currere, & laborare inutiliter. Caussa aperta est. Etenim quidquid agitur, propter aliquid agitur. Quia vero tota natura hominum

F

Hab 3.

1. Co. 13.

G

Ioan 8.

Mat. 28.

H

Prov. 27.

A post prævaricationem corruptibilis, & mortalis esse cœpit, atque idcirco imbecilla & ærumnosa, omniúmque vitiorum, & stultitiæ capax, quonam pacto ipsa sese à semetipsa liberaverit? Quomodo ergo liberabitur? Si ieiunia, vigilias, precationes frequentarit, & laborarit, & facultates suas pauperibus distribuerit, vt à corrupta voluntate diviniore virtute liberetur, ab eo qui solus liberat, & qui venit tollere peccata mundi Iesus Christus & Deus. Qui ob hanc causam ieiunat, vigilat, aliaque facit, & laborat, optatis potietur, & cognoscet, & gratias aget, & *humiliabitur sub potenti manu Dei.* Qui autem in vita agenda hunc scopum sibi propositum non habet, incassum laborabit, infelixque & miser Christianus ad futurum sæculum transmittetur.

1.Pet.5

Intelligendum est autem, omnem operam diaboli, dæmonumque adversus Christianos in hoc collocari, vt hanc ignorantiam per omnium mentes diffundant.

B Atque ob eam rem dæmones ad ieiunia, vigilias, humicubationes, & cætera, quæ dicta sunt, ascetica administros se præbent: vt qui se affligunt, cum se recte fecisse putaverint, minime se à Iesu curatos inveniant. Lex enim Christo posita est inviolabilis, ne quenquam perturbationes, & morbos suos, eorúmque medicum, & ipsam sanationem ignorantem curare possit: quam quidem primum Apostoli, post eorum discipuli docuerunt. Atqui non doceri, & nosse sanitatem impossibile est. Affectus enim morbo quispiam, qui prius bene valebat, de statu suo in quo sanus erat, cogitat. Verum ab ipsa conceptione, nedum ab ortu & exitu in lucem, natura æger, quomodo quid sit sanitas nosse possit? Qui etiam de sanitate audiens, non modo doctrinam non complectetur, sed & pro nugis ducet, quæ dicuntur, propter suam incredulitatem omnia, ieiunia scilicet, eiusque comites pro incredibilibus habens, & pro vinculis ferreis de peccatis tum propriis, tum fratrum dolere, & flere cum flentibus,

C vt etiam gaudere cum gaudentibus. Sed hæc omnia bona, admirabilia, & laude digna in nihilum recidunt, si is, qui ea consectatur, Dei sanctificationis particeps non fiat: huc enim unà tendunt universa, sicut Apostolus ait de iis, quos Deus erudire tanquam filios dignatur; quoniam erudit ad id, quod vtile est, in recipiendo sanctificationem eius. Quod nisi fiat, inanis labor, inanis fides. Primum igitur neque sine virtute Iesu, & Dei ipsa legitime exercere possis: & non coronatur, qui non legitime certat. Lex porro in his vna, vt occulte, & cautissime fiant, coram oculis solius Dei, usque adeo diligenter, vt neque sinistra nostra cognoscat, quid dextera faciat. Quæ autem sinistra, & quæ dextera? Dextera est, quæ Christum dicentem audit, *Cum omnia feceritis, dicite, quia servi inutiles sumus, quoniam quod facere debemus, fecimus.* Sed enim, quis ille, qui omnia fecit, quæ facere debet? Quod si quis aut omnia, aut nonnulla aliquando fecit, quis hoc potuit, vt prius mysticam Christi virtutem non susceperit? Sin autem sine Christo fecit, væ ipsi, & operi eius. Sinistra est, cum quis officio functus,

2.Tim.2

Mat.6. Luc.17.

D honorem sibi à Deo deberi existimat. Talis post tantum certamen, & laborem ac defatigationem nunquam Christi sanctificatione impertietur. Et væ illi, postquam ex hac luce migraverit. Et quæ tandem receptionis notæ? quæ? non irasci; mundum esse à sordibus, quas amor impuræ voluptatis creat. Item mansuetudo, & firmissima horum basis humilitas, malorum tolerantia & compassione non secus quam ferreis fulta tibicinibus ferens dextera globum aureum, lucentem & coruscam, simplicem, immaculatam (per bonam puta conscientiam) quæque nunquam excidit, benignam charitatem: sinistra autem fidem, ut arma solidissima. Credidit enim Deo sine dubitatione, & reputatum est ei ad iustitiam: alioqui omnia faciet volens nolens, vt glorificetur ab hominibus. Non enim ubi Christus, illic dæmones; vbi autem dæmones, ibi à curriculo rectæ rationis deflectitur. Nam ut vespertiliones noctu

Rom.4.

circumvolant, & pascuntur; ita etiam dæmones cum E principe suo, naturæ intelligentes, solutæque ac liberæ in vita hominum misera ac perdita, velut noctu terras atque aerias regiones perambulant.

Similitudinem quispiam ex nostra mente ducat. Quæ enim hæc aliquando cognovit, quantumvis longe posita, momento ac puncto temporis pervadit, idque adhuc corporis sui constricta vinculis. Hinc non est promptum vero Christiano animum sursum ad Deum, divinorúmque perspicientiam erigere, atque sustollere, & cum illo summo bono colloqui, & per sanctissimas notiones illic circumfusi luminis participem fieri, nisi ante à Spiritu sancto velut sigillo insignitus sit. Cum enim diabolus eam divina gratia destitutam, aerem modo quodam spirituali concitatam penetrare, & Deum concipere, suorumque erratorum recordari viderit, audacter viam custodiens, quodammodo clamat, quo infelix per meum imperium pergis? Ego princeps tenebrarum. Ego eorum qui mundum sapiunt princeps appellatus sum. Ego corrupti aeris Dominus & arbiter Sathanas. Nondum e potestate mea translata es (vt inquit Apostolus de his, quos Christus transtulit de potestate Sathanæ ad Deum.) Adhuc ditioni meæ subiecta, quæ mea sunt respice. Mea est enim salacitas, insolentia, iniustitia, improbitas, quæ te antea, vt admodum bona docui. Vidisti, gustasti, delectata es, mane infra. Ideo scriptum est. *Et nemo potest dicere Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto.*

Luc.11. Coloss.1 F

1.Cor.12

Non ergo visum Christianum ad psalmodiam, divinosque hymnos concinendos astare oportet, qui prius à sancto Spiritu mentem insignitam non habuerit; ne coram Deo astans, quæ Sathanæ sunt, vt minister eius, operari intelligatur: & ex hac causa sordibus inquinatior, malisque iræ, & carnalis cupiditatis dirius, & suavius repletus subvertatur. Qui namque in officinam medicamentariam ingressus, vulnera vibicum immitius sibi refricuerit, præstabat hunc eo nunquam ingressum. Multo igitur studio, accuratione que cuiusque Christiani mens corrigenda est prius, ne hoc G ipso fiat deterior, quod ante correctionem psallit, hymnosque, ac preces persolvit. Non enim potest impurus animus astare Deo, quantumvis corpus astet: quia non ipse unusquisque, sed quæ unumquemque obumbrat Christi gratia, ea est, quæ Deum benedicit, & in ipso laudat, & mysterium illud admirabile admittit. Omnes itaque homines congredientes, norunt quid loquantur, & quæ nam sint, quæ mutuo disserunt, cognoscunt. Qui vero audiunt, quæ ipsis dicantur non ignorant; & est manifesta stultitia, colloquentes vicissim aures non dare. Quoniam vero, cum Deo astantes eum alloquimur, vt imprudentes ac fatui animum ei non attendimus, vnde salutem nos adepturos confidimus? præsertim si id diu fecerimus, noctes scilicet ac dies ita sine intellectu psallentes, & nos Deo placituros existimantes. Opus est enim cum Deo loquentes tantam saltem attentionem adhibere, quantam dum pro huius vitæ rebus contendimus, & iurgamur, adhibere solemus. Hinc perspicitur, quo pacto diabolus mentem hoc H tā gravi malo involuti circunducat. Et omnis medicina spiritualis, curatióque experienda est, vt medicus animorum, & corporum Iesus hunc morbum sanet. Sin minus, psalmodia tota, habitúsque ad Deum sermo inanis est, & evanescit. Quare ingemiscere, & plorare insipienter, ac sine intellectu psallentem oportet, nec putare, se psalmos cecinisse. Quod si idcirco non dolet, quid salutem sperat? Illud enim, *Non est speciosa laus in ore peccatoris*, non de atheo, & infideli quopiam scriptum est (nullus quippe horum laudat Deum, quem ignorat) sed de eo, qui Deum cognoscens, & in eum credens, per opera mala impius, & per peccatum Dei inimicus atque hostis est. Quemadmodum namque speciosum aliquid pulchrum est & elegans, vt pulchritudinem, & elegantiam continés, aspectúq; iucundissimum, & ideo etiam oculorum obtutum ad se allectat: deforme contra est odiosum, & intuentiū

Eccles.15.

A oculos à se avertit: sic laus peccatoris divinos oculos à se repellit. Solis enim labiis eam pronuntiat: corde autem cum peccatis, quæ id præoccuparunt, loquitur: a quibus vt tuta ac certa possessio retinetur. Nemo siquidem Deo cantare, & interim non in pectore infanda volutare potest, ni prius per pœnitentiam, & confessionem illum sibi reconciliaverit; quæ reconciliatio est quædam, quæ intellectu percipitur, eius ad animam obumbratio. Cuius obumbrationis argumentum, in laudibus divinis timore quodam & reverentia perfusus animus, bonus ordo, & attentio ad ea quæ canuntur: *Quia nemo potest dicere Dominum Iesum, nisi in Spiritu sancto.* Qui sic non laudant, sive sacerdotes sint, sive celsiores his, aliorum apud Deum interpretes ac deprecatores, adhuc a divino conspectu remoti sunt. Quod si hi inimici sunt eius, apud quem hoc officio funguntur, quid facient, qui huiusmodi interpretes, & B aulæ suæ actores quæsiverunt? At enim si sol calidus cum sit, apricantes radiis suis calefacere consuevit: quomodo Deus, cum sit sanctus, omnes per orationem secum agentes non sanctificat? Quoniam ibi sol iis qui calefiunt sensum affert, sentiunt quippe se calefieri, & ob hoc ipsum ad solem sedere se sciunt: hi autem qui Deo preces fundunt, quid petant nesciunt: quod matri filiorum Zebedæi, ipsique filiis eius Christus dicebat. Talibus, vt vel centum annos precando continuent, Deus nihil dat. Qui igitur frustra laborant, qui psallunt, & orant, nec sanctificantur, magistros à Deo afflatos prius adeant, & doceantur, quid orare debeant. Ni faxint, seu sapientes, seu insipientes sint, profecto atque in perpetuum morientur. Nam quid petant nescientes, Deus exaudire nescit.

*Isai.29.*

*Mat.20.*

## ORATIO XVIII.

### ARGVMENTVM.

C *De immutatione animæ, & corporis ex his, quæ nobis tum ab aere, cæterisque elementis, tum a cibo ac potione, atque etiam a dæmonibus accidunt.*

NOn solum conversiones, & mutationes, quæ in animo existunt, verum etiam earum causas, quales tandem sint, & vnde sibi eveniant, monachus scire, atque intelligere debet. Interdum quippe repentinum gaudium animam incessit: interdum improvisa tristitia eandem occupat, & tanquam onus quoddam premit. Et nune quidem flens compungitur: nunc ita ad dolorem de peccatis obfirmatur, & obdurescit, ut tota saxea videatur. Aliquando mitis fit, & humilis: paulo post se erigit, iracundiaque & rabie concitata, adversus omnes fratres furit, & insanit. Est quando remissa, & iners ad omne opus bonum torpet: Est quando excitatur, & vigilat, & ad omnem obedientiam gestit, vt & in socios ac familiares incurrat, eosque ad capessendam virtutem extimulet. Nonnunquam timore contrahitur, & circumspicit omnia; nonnunquam se impudenter D effundit. Modo nugatorum, & ridiculorum libenter meminit, eosque ad se accersit: modo nec illos, nec contubernales unquam sustinet. Quandoque in se ipsa ita pressatur, & arctatur, vt etiam huius lucis pertædeat; quandoque sic dilatatur, & sic amplificæ exultat, ut quamvis magno conatu reprimere, atque cohibere se nequeat. Et ista quidem circa naturales animi motiones fieri consueverunt, cùm ad certamen in exercenda virtute, & ad mandata observanda accingitur. Sed quemadmodum animus, ita & mens nostra immutatur variatúrque. Alias etenim ad intelligendum expedita est, & ad ea quæ intelligit, seu perspicit celeriter percurrenda ac discernenda expeditior: alias pigra, & tarda ad vtrumque. Interdum eadem mens quasi amens, muta & surda fit: interdum viget, & facunda est, & audire potest, atque percipere. Aliquando cæca, aliquando oculata, in profunditatem & altitudinem contemplationis supra captum humanæ naturæ ingredi enititur: aliquando ad omnem contemplationem inepta, eaque vacans, vniversè peccatorum præteritorum meminit, nihil quidquam simile excogitans prorsus: nonnunquam varie, velut non facta cogitans, & comminiscens, & nequiter agens, & tanquam flamma in lignis humidis fumo suffocata, fit maligna, non in præsentes tantum, sed & de absentibus nonnullis sæpe mania, & falsa in semetipsa fabricans. Et cum cor multum contristetur, nec cum mente in talibus sentiat, nihil penitus tamen proficere, nec avertere ipsam a vanis cogitationibus potest. Et hactenus de mutationibus mentis, animæque nostræ intelligentis, ac divinæ dictum esto. E

F Quæ porro circa corpus varietates nobis contingunt, etsi parvo negotio videantur posse diiudicari facileque cognosci, tamen aliter res habet. In hoc enim potissimum multa frequentissime incidit mutatio. Anima namque natura & essentia immutabilis est: similiter & mens illi a conditore concreatæ. Solæ consilio reguntur, proprie atque voluntate virtutem aut vitia capessentes, luminis, aut tenebrarum sociæ & hæredes in æternum constituuntur; anima, inquam, & mens alteri horum consilio, vt dictum est, & voluntate vltro adhærentes, seu bono, bona fiunt, seu malo, mala vocantur. At vero corpus etiam natura sua est mutabile, quia compositum, & essentia fluxum; nempe ex materia interitui obnoxia, & caduca, ex contrariis scilicet commistum sive coagmentatum. Ex calido enim & frigido (vt docent philosophi, & veritas idem testatur) ex arido & humido huius essentia constitur. Verumtamen ipsum secundum se arbitrio, & voluntate caret, atque etiam, si dicendum est, motu: nisi omnino huius fluxionem, progressúmque ad interitum, motionem quispiam eius hypostaseos naturalem dicat, G in qua nihil rationis cernitur. Quod cum ita sit, certum est etiam, non inesse peccatum, nec eam à Deo condemnari. Et merito. Quod enim naturam comitatur, illud quoque damnationem haud meretur. Ardorem autem, appetitionémque nuptiarum, coniunctionem corporum veneream, voluptatem, helluationem, ingluviem, somnolentiam, pigritiam, ornatum vestium, aliaque omnia, quæ vulgus existimat corpus requirere, non corpus (haud magis, quam cum exanime iacet) sed anima per hoc requirit, anima, inquam, semel huic luto indita, gaudens, & velut sus in cœno in his voluptatum concupiscens, carnisque sibi consociatæ voluptates affectans. Quare nemo à corpore suo ad hæc compelli, & cogi se arbitretur, quod falsum est. Sed audi, & intellige quomodo. E gleba terræ Deus hominem finxit. En, ostendi iam tibi corpus. Tu vicissim, quales in eo concitationes, ac turbidi motus sint, ostende, quod penitus non poteris. Quid postea? *Et inspiravit Deus in faciem eius, & factus est homo in animam viventem.* Et ab humo excitatus, spiritu qui in ipso erat (herili videlicet) corpus movente ambulabat; ardor, aut incitatio libidinis, aut bruta ventris insania, & H immoderatus cibi appetitus nusquam adhuc apparebant, vitáque tranquille, & citra molestiam traducebatur. Videamus igitur, ne forte, quia non extabat fœmina, aut quia non suppeditabant escæ, cupiditatem irritantes, idcirco homo nec ad concubitus desiderium, nec ad ingluviem moveretur. Quid ergo ait? *Produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum visu. Et erant Adam & Eva in paradiso nudi, & non erubescebant.* Cernis, neque quia fœmina esset Eva, neque quia essent ambo nudi, ideo alterius ex ipsis læsa esse pudicitiam. Sed & nudi erant, & se non cognoscebant, nec erubescebant, nec tamen à natura corporis ad rem habendam sollicitabantur. Sed post peccatum, & transgressionem, & postquam paradiso pulsi, ac Deo nudati fuerunt, & divina eius gloria exciderunt, tunc, ut scriptum est, *Cognovit Adam uxorem suam, concepitq, & peperit.* Proinde, dilecte, si tu quoque Deum sincere amaveris, & in eius dilectione manseris, nunquá ullus

*Gen.2.*

*Gen.4.*

animi

A animi motus à ratione alienus tui dominabitur? neque corporis necessitate quadam tyrannide opprimet. Sicut enim corpus sine anima ad nihil moveri potest: sic neque Deo per charitatem coniuncta anima ad ventris & libidinum voluptates pessundari: nec ad alias quasdam cupiditates rerum aspectabilium, aut non aspectabilium, in quibus locum habet perturbatio: quandoquidem appetitus cordis eius, aut potius omnis inclinatio voluntatis eius, cum dulci amore Dei devincta est. Ipsa igitur conditori suo colligata, ut diximus, cedo, quomodo à corpore incendi; aut moveri, aut per ipsum suas omnino cupiditates explere potest?

Naturam autem consequentes, & in ipso corpore existentes mutationes manifestæ sunt; omnibus enim, etiam sanctis, contingunt. Aliquando etenim sanum esse dicitur, cum illa ex quibus concretum, & compo-
B situm est, non dissident. Aliquando morbum sentire cogitur, quando unum ex quatuor elementis seipso vel acutius, vel minutius contra alia insurrexerit, imò ab illis devictum, oppressumque fuerit. Hinc distillationes, extremarum corporis partium mutilationes, & nonnunquam totius animantis pernicies & interitus, citra damnum animæ nostræ, cum horum plurima ex intemperantia victus generentur. Quorũdam vero corporum mutatio ventis, & aeri adscribenda est. Aër enim quia frigidus, corporis frigidam sortita naturam offendit, ac debilitat, ut nimium refrigerata videlicet. Alia, quoniam constitutione calidiora sunt, cœlo frigidiore temporata potius, ac valentiora redduntur. Contra, cum aer incaluerit, frigida foventur quodammodo, & reviviscunt: ut muscæ, & reliqua insecta à radiis solaribus tepefacta, & validiora, & agiliora evadunt. At quibus constitutio calida est, vehementissimè exardescunt, & ad omnem actionem atque motum similiter languida, & imbecilla fiunt: & omnino
C unumquodque pro temperamento suo in aeris, ventorumque mutatione ipsum quoque pro rata portione mutationem admittit. Quin etiam sine his separatim ex cibo, potúque immodico, & ex intemperantia immutatio sequitur. Præterea ex multo somno, ac labore, aut pigritia corporis. Rursum alia est, quod ex ipsa concretione corporis, & calore naturali producitur fumosum incendium, velut ab aqua extinctis carbonibus, quod alias caput solum petit, alias toto se corpore diffundit. Postremo alia restat, quæ connivente bono Deo, ac Domino nostro, secundum œconomicam institutionem ad humilitatem nobis à dæmonibus infertur tentatio. Quænam istæc? ipsum hoc onus, & pondus corporis nostri, quod quamvis nulla alia de causa, propter vanam gloriam solum, aut elationem animi aut per damnationem alterius, ut negligentis, aut propter alias etiam causas plurimas, dæmoni traditur in interitum carnis, & contritionem animæ; probationem vero, & exercitationem ampliorem eiusdem, &
D ut cum viscera pietatis, & miserationem Dei circa nos cognoverimus, totum amoris affectum ad eum transferamus, totóque in illum desiderio feramur. Quare & hæc non omnes omnia norunt: sed animæ quidem alterationes, & corporis mutationes, qui mediocriter ad virtutem affecti sunt, eorum quisque ex parte novit, si fortè contigerit in ipso quippiam huiuscemodi: nam planè tenebris offusos non curamus.

At quas mens patitur conversiones, & mutationes, de quibus diximus, soli turbidis affectibus carentes, & perfecti, puri & liberi anima atque mente cognoscunt. Quin ne ipsi quidem. Non enim sui ipsorum, sed alterius sunt, à quo de his etiam erudiuntur. Interdum quippe ex istis diversitatibus menti accidentibus, constringitur, tristatúrque anima, cum de præsenti gaudio aliquid amiserit. Veruntamen viriliter mentem exsuscitat. Interdum vero mens in his quæ patitur anima compatitur & ipsa, & in nocte versari urgetur illa quidem, sed non cedit: conatur autem manere in lumine, & forsitan etiam animam illustrat. Alias rursum

E ab inconstanti, & inæquali corporis habitu utraque premuntur vehementer. Aliquando extrinsecus gravantur, & onus sentiunt; & tamen in pace sunt. Interdum intrinsecus turbantur, & commoventur, perturbationibusque generatim subduntur, ut qui patitur, priorem tranquillitatis suæ conditionem sperare non possit. Sic itaque anima, & mens à corpore, mens ab anima ipsa & anima denique à mente, & corpore habet, quod delinquit. Neque hæc duo, anima & mens semper turbantur: sed ex iis est quando anima patitur sola, percunctatúrque mens, &, quid, inquit, est tibi? illamque consolatur. Interdum mens excæcatur, & obtegitur, animáque cum sit libera, virtute ignis sui persequitur caliginem, & sublato velamine mentem facit aspicere. Quamobrem, patres & fratres mei, non solum mutationes, conversiones, quæque nobis eveniunt alterationes, verum etiam unde eve-
F niant, & quomodo, & à quibus, quique venti cogitationum spirent, & ex quibus pravarum affectionum, tentationúmque flumina descendant, aut superveniant, intelligere debemus, ut domum animæ tuto firmemus, & navigij clavum bene moderemur ne artis imperiti, naturáque inhabiles ipsum versemus: quorum cognitionem vita studiose secundum regulam perpetuo acta suppeditat. Sibi enim ipsi terminum ac typum ponere monachum oportet, & scire quo pacto singuli dies peragendi sint, ut curriculum virtutis expedite queat currere, & ne per inscitiam cursus eius impediatur. Sic etiam sibi viam virtutis asperam simul & laboriosam complanabit: cum nimirum habitum, consuetudinémque recte faciendi acquisierit, & proficiens, ascensionésque in corde suo disponens, & ex parvis ad maiora perfectioraque se attollens Deo placebit, dictorúmque à nobis omnium notitiam habebit, & multorum aliorum magister audiet, sermone, & morum innocentia eos, qui cum ipso versabuntur illuminans: ut qui etiam ipse desuper illuminatus sit, & profunda revelans his, qui cum desiderio quærunt discere profunda spiritus, in Christo Iesu Domino nostro, cui gloria, & imperium cum patre, & sancto Spiritu nunc & in sæcula sæculorum. Amen.

Psal. 83.

1. Cor. 2.

# ORATIO XIX.

## ARGVMENTVM.

*De cognitione spirituali: & thesaurum spiritus in littera sanctarum scripturarum absconditum, non omnibus, quanquam cupientibus manifestum esse: sed possidentibus duntaxat illum, qui sensum ad scripturas intelligendas aperit.*

Spiritualis cognitio, fratres, cupiam domui in medio mundanæ, & gentilis cognitionis ædificatæ similis est: in qua domo, velut scriniolum solidum, & communitum est cognitio à Deo inspiratarum scripturarum, &
H divitiarum, quæ in eo inexplicabiles, instar thesauri iacent reconditæ: quem, qui domum ingrediuntur, videre nequeunt, nisi arcula illis penitus reseretur; quam tamen humana sapientia reserare nunquam valebit. Quocirca spiritus opes in ea repositæ, mortalibus universis ignotæ manent. Et quemadmodum, licet ipsam arculam totam humeris suis impositam quis ferat, locatum in ea thesaurum ignorat: sic, etsi quis omnes scripturas legerit, & in pectore recondiderit, & quasi unum psalmum eas recitare ex memoria possit, absconditum nihilominus in arcula sancti Spiritus donum nescit. Neque enim per arculam quæ insunt in arcula, neque per scripturam quæ sunt in scriptura, notescunt. Audi quanam ratione. Cernis arcam parvulam, bene clausam undique, quantumque ex eius pondere, & exteriore elegantia colligis (aut forsitan etiam ab aliis audivisti) credis thesaurum intus latere: qua etiam sublata, festinanter ambulas. Narra igitur mihi, quid proderit,

A si obsignatam, & clausam ipsam solam in omni vita circumferas, nec aperias, nec aliquando ibidem repositum thesaurum inspicias? si lapillorum in ea fulgorem, margaritarum claritatem, auri coruscum splendorem non videas? Quis fructus, si dignus non sis, qui ex iis vel pauxillum auferas, & inde ad victum, vestitumve aliquid commodi percipias; sed arculam quidem obsignatam, magnoque, & opulento thesauro refertam, quamdiu in vita commoraris, circumferas, vt diximus, tu autem ipse interea fame, siti, nuditate crucieris? Nullus plane opinor. Ista mihi, frater mi, etiam de spiritualibus cogita, & arculæ nomine Christi Evangelium, cæterásque scripturas intellige, habentes in se conclusam, & signatam vitam æternam, & cum eadem, quæ in illa sunt, nullis exprimenda verbis, quæque oculis corporeis non cernuntur bona æterna, secundum Domini vocem, *Scrutamini scripturas, quoniam in ipsis est vita æterna.* B (Ioan. 5.) Hominem porro, qui arculam in humeros sustulit, pone illum esse, qui scripturas omnes reddere queat ex memoria, & in ore eas semper habeat. Eas itaque in arcula memoriali animæ, mandata Dei vt pretiosos quosdam lapides continente, in quibus est vita æterna (verba enim Christi lux & vita sunt, vt idem ipse ait, & qui non credit in filium Dei, non videbit vitam) apportat. (Ioan. 6.) Cum mandatis autem virtutes, vt margaritas quasdam, à mandatis enim virtutes, in quibus mysteriorum in littera latentium, & obvelatorum revelatio. Factitandis enim mandatis virtutes exercentur: virtutibus exercendis mandata implentur. Atque ita per hæc nobis ianua cognitionis aperitur: immo vero non per hæc, sed per eum qui dixit, *Qui me diligit, mandata mea servabit, & pater meus diliget eum & ego manifestabo ei meipsum.* (Ioan. 14)

C Si ergo habitaverit, & ambulaverit inter nos Deus, & ipse seipsum nobis clare manifestaverit, tunc quæ in arcula, id est, in divinis scripturis abscondita sunt mysteria, cognoscendo intuebimur; aliter fas non est. Nemo erret, quasi ei arcula cognitionis aperta sit, & bonis quæ in ea sunt perfruatur; aut eorum sit particeps, eaque aspiciat. Qualium vero, quorumque bonorum, obsecro? perfectæ charitatis erga Deum, & proximum. (Coloss. 3.) Contemptus eorum quæ videntur omnium. Mortificationis carnis, & membrorum eius, quæ sunt super terram, vsque ad malam cupiditatem: vt quomodo mortuus penitus nec cogitat, nec sentit aliquid, ita & nos ipsi nullam cogitationem improbæ cupiditatis, aut sensus cum perturbatione coniuncti omnino unquam concipiamus; aut tyrannicæ turbationis malum experiamur, & tantum mandatorum Salvatoris memores simus. Insuper immortalitatis, incorruptionis, æternæ gloriæ, vitæ sempiternæ, regni cœlorum, adoptionis per regenerationem sancti Spiritus, & vt per adoptionem, & gratiam dij fiamus, D vocemúrque hæredes Dei, cohæredes autem Christi, (Rom. 8.) & vna cum his Christi sensum possideamus, per quem Deum, & Christum ipsum secundum divinitatem inter nos habitantem, & ambulantem videamus, & cognoscamus. His igitur omnibus, & his maioribus, quæ verbis comprehendi & explicari nequeunt, mandata Dei audientes, eáque custodientes ac facientes, per apertam arcam, de qua locuti sumus, id est, per revelationem intelligibilium oculorum, intuitu in divina scriptura latentium digni habentur, & iis largiter fruuntur. Cæteri omnia quæ scripta sunt imperite nescientes, eorum dulcedinem vitam æternam complectentem non gustaverunt, soli scripturarum doctrinæ innitentes, quos ipsa in exitu, magis quam eos, qui omnino non audierunt, indicatura, & condemnatura est. Ex his enim quidam errantes, omnes divinas scripturas pervertunt, eas secundum pravas ipsorum cupiditates interpretantes, commendare volentes seipsos; quasi nimirum etiam sine accurata mandatorum Christi observatione salutem adepturi sint, virtutem sanctarum literarum funditus abnegan- E tes. Et merito. Obsignata enim, & clausa, quæ nulli mortalium nec visa nec cognita sunt, à solo autem sancto Spiritu reserata, & ita nobis revelata, factáque spectabilia, & ad cognoscendum exposita, quomodo tandem scire, aut cognoscere, aut saltem aliquantum animo pertractare poterunt, qui adventum sancti Spiritus, illuminationem, illustrationem, inhabitationem in semetipsis nunquam se cognovisse dicunt? Quo pacto talia mysteria assequantur, qui nunquam prorsus sese ab eodem spiritu iterum conflatos, renovatos, immutatos, regeneratos animadverterunt? Quod si nondum in Spiritu sancto baptizati sunt, immutationem in eo baptizatorum quomodo scire possunt? Qui denuo nati non sunt, denuo natorum (vt ait Dominus) ex Deo, inquam, & inter filios Dei adscriptorum gloriam quomodo videant? Qui hoc sibi contingere noluerunt, sed hanc gloriam neglectum iverunt, F (etenim potestatem acceperant, vt tales fierent) dic mihi, quali cognitione perspicere, aut saltem quoquo modo cogitatione informare poterunt, quales illi appellati sunt?

Spiritus est Deus, qui sub aspectum non venit, immortalis, inaccessus, incomprehensus; & tales efficit, ex se natos, similes patri suo, à quo geniti sunt, corpore solo comprehensibiles, & aspectabiles, cætera soli Deo cognitos, & solum Deum cognoscentes, vel potius à solo Deo cognosci volentes, ad quem & semper respicere, & ab eo respici desiderant. Præterea sicuti expertes litterarum, perinde vt earum gnari libros legere nequeunt: sic neque qui factis per Christi mandata ambulare noluerunt, æque, vt qui ipsis invigilarunt, eáque impleverunt, & pro iis sanguinem suum profuderunt, sancti Spiritus revelatione, sicut illi aliquando dignabuntur. G Nam vt homo accepto libro clauso, & signato, in eo scripta videre, aut qualia scripta sint, cogitare non potest, quandiu liber clausus & signatus est, quantumvis vniversam mundi sapientiam didicerit: sic neque qui sacram Scripturam totam in ore habet, vt dicebamus, mysticam, & divinam gloriam, virtutémque in ipsis contectam nosse, & perspicere aliquando poterit, nisi omnia Dei mandata, ea servando quasi peragraverit, & paracletum sensa illi, vt librum aperientem, quæque in ipsis est gloriam mystice demonstrantem habuerit. Neque hoc solum, sed etiam in his latentia, & æterna Dei bona, cum ipsa hæc effundente Deitate revelantem: quæ omnibus contemptoribus, & negligentioribus operta & obscura sunt omnimodis. Nec iniuria. Quia enim sensus suos omnes mundi vanitatibus affixerunt, & iucunditatibus vitæ, corporúmque pulchritudine afficiuntur, animæ videndi facultatem caliginosam circumferentes, inenarrabilium bonorum elegantias, ad quas intelligentia penetratur, intueri nequeunt. H Et quomodo cui obtusa est acies oculorum, nec leviter potest puriorem solis radium aspicere; sed si in illum oculos intendat, statim quem habuit aspectum plane amittit: sic nempe qui vitiatos animi oculos, & sensus ipsos motionibus turbulentis obnoxios habet, sine commotione, citráque damnum venustatem, elegantiámque corporum contueri nequit? sed & quam ante id tempus cogitationum pacem, & à pravis cupiditatibus tranquillitatem obtinebat, hanc ipsam in meditatione affectus sui commorans amittit. Proinde nec imbecillitatem suam talis vllo modo pernoscere potest. Si enim se totum ægrotare sibi persuasisset, alios quosdam bene valere credidisset, & forsitan aliquando se ipsum incusasset, séque sibimet causam morbi esse dixisset, & quæ ad sanitatem recuperandam attinerent, animo reputasset. Nunc huiuscemodi homo omnes arbitrans passionibus deditos, se illis exæquat, & vt ipse solus sit invictus, & omnibus superior, fieri neutiquam posse autumat. Quid hoc? vt vnà cum improbo affectu suo moriatur miser, ab hoc malo liberari refugiens. Si enim voluisset liberari, potuisset, vtpote qui à Deo potestatem acce-

A perat. Quicunque enim in nomine eius baptismo abluti sumus, præteritam ignobilitatem corruptionis, vt vestimentum vetus exuendi, & Christum superinduendi, ac filios Dei nos appellandi auctoritatem ab eo consecuti sumus. Verum absit, fratres, vt ita affectis, & talia sapientibus captivis, ac terrenis similes evadamus. Contingat autem sequi Christum, qui nostra causa mortuus est, & resurrexit, & nos secum in cælum exaltavit, eiúsque vestigiis semper insistere, purgati per pœnitentiam à labe peccati, ac superinducti lucidam tunicam incorruptionis spiritus, in ipso Christo Deo nostro, cui gloria, & imperium cum patre, & sancto Spiritu nunc & semper, & in omnes sæculorum ætates. Amen.

## ORATIO XX.

B

### ARGVMENTVM.

*De ea, quæ certantibus fidelibus è spiritu inest etiam ante mortem vivifica mors, sive mortificatio: & qui in gratia supra legem tam sunt, eos divini luminis gratiam in seipsis accipere. Quod qui in hac vita adepti nondum sunt, neque id liquido cernunt, eos adhuc sub umbra legis esse, & ab ea indicatum iri. Quemadmodum fideles Spiritum sanctum, sanctimoniam, perturbationumque vacuitatem nanciscantur.*

Ioan.5. SCrutamini scripturas, inquit Dominus ac Deus noster Iesus Christus: vt ante omnia scilicet viam salutis doceamur. Deinde etiam in mandatis eius citra

E conversionem peracta via, ad ipsam animarum nostrarum salutem perveniamus. Quæ est igitur salus nostra? Iesus Christus, id quod & angelus pastoribus astans prædicabat: *Ecce Evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis*

Luc.2. *hodie Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David.* Festinemus igitur vnusquisque, dilecti; curramus contente, nihil oneris, aut ad vitam hanc pertinens, aut portatu grave nobiscum gestantes; ne ob hoc lentius coacti incedere, civitatem David attingere, atque ingredi non possimus. Obsecro vos, per operantem in nobis gratiam, ne salutem nostram in minimis ducamus: sed velut à somno perversæ arrogantiæ, socordiæque expergefacti, ne stemus, nec sedeamus, donec extra hunc mundum toto animo simus, Salvatorémque ac Dominum nostrum inventum, & conspectum illic procidentes adoremus. Et neque

Ioan.15. tum stemus, sed donec ille nobis dicat, *Vos non estis de hoc mundo, sed ego elegi vos de mundo.* Quinam autem aliquis eo perveniat, vt non sit de hoc mundo? si seipsum mundo crucifixerit, & mundum in seipso,

D Galat.6 vt Paulus ait, *Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Et quomodo hæc verba cum illis consentiunt? Verba quidem, inquit, alia sunt, vis amborum vna eadémque. Quemadmodum enim qui extra domum est, intus conclusos non videt; sic mundo crucifixus, aut mortificatus, rerum mundanarum sensum nullum habet. Rursum sicuti corpus mortuum nec viva, nec secum iacentia corpora mortua sentit quoquo modo: sic nec qui extra mundum in spiritu Dei est, & cum Deo est, mundo, aut rebus mundanis affici potest. Atque ita, fratres, & ante mortem mors, & ante corporum resurrectionem animarum resurrectio fit, opere, virtute, experientia, veritate. Mortali enim cogitatione ab immortali sensu deleta ac profligata, & mortalitate à vita effugata, anima tum velut à mortuis excitata, semet convenienter videt (vt qui de somno surrexerunt, semetipsos conspiciunt) & Deum à quo excitata est agnoscit: quem

E intelligens, gratias agit, adorat, & immensam eius bonitatem dilaudat. At vero corpus ad proprias cupiditates nullam vel qualemcunque inspirationem, aut motionem, aut cogitationem habet: sed est in his totum mortuum, & exanime. Nonnunquam, immo sæpe, etiam eorum quæ secundum naturam sunt, propter assiduam animæ in rebus quæ supra naturam sunt mentalem occupationem ac studium obliviscitur. Et recte, inquit enim, *Spiritu ambulate, & de-* Galat.5.

*sideria carnis non perficietis.* Caro igitur, vt dictum est, per adventum spiritus facta mortua, imperturbatos de cætero vos relinquet, & citra impedimentum vivetis, *Vbi enim spiritus Domini est*, inquit, *ibi libertas*; libertas ex subiectione sub legem per omnia. 2.Cor.3.

Lex quippe dux viæ, & pædagogus, & manuductrix, & magistra iustitiæ est, dum dicit, hoc & hoc facies. Gratia autem & veritas non ita: sed quomodo? & facies omnia, & loqueris secundum datam tibi, & loquentem in te gratiam, sicut scriptum est, *Et*

F *erunt omnes docibiles Dei*; non per litterarum notas, & signa quod bonum est discentes, sed in Spiritu sancto id edocti: nec in verbo solo, sed in lumine Verbi luminis mystice divinis initiati. Tunc enim vobis ipsis, inquit, & proximis doctores eritis, neque id solum, sed & lux mundi, & sal terræ. Illi ergo ante gratiam velut sub lege erant, & sub vmbra eius sedebant. Nos autem post gratiam vt in lumine, & die constituti, ab umbra seu servitute legis liberati sumus, superiores scilicet illa facti, quasi per gradus quosdam vitæ Evangelicæ in altitudinem sublati, & cum legislatore viuentes, vel potius etiam ipsi legislatores, aut legum custodes. Ioan.6. Mat.5.

Num igitur est, qui habet aures audiendi, vt eorum quæ a spiritu dicuntur vim auditione queat percipere? Num etiam est, qui sensum Christi habeat, vt probe, & Deo convenienter intelligat, quæ ab eo scripta sunt? Num etiam invenietur quispiam, Chri-

G stum in se ipso loquentem habens, vt bene possit eloqui, quæ verbis teguntur mysteria? *Sapientiam enim loquimur*, inquit, *non sæculi huius, quæ evacuatur, sed sapientiam in mysterio, quæ abscondita est* multis, nobis autem probe revelata, & cognita, qui in timore Dei velut ab elementis instituti sumus, & ad illum semper respicimus. Non enim quod nescimus loquimur; sed quod scimus testificamur, quoniam lux in tenebris iam lucet, & in nocte, & in die, & intus, & extra. Intus quidem in cordibus nostris; extra autem in animo circumlustrans nos sine vespera, sine mutatione, sine varietate, sine figura, loquens, operans, viuens, & viuificans, & collustratos lumine reddens. Nos testificamur quoniam Deus lux est, & qui digni sunt habiti, vt eum viderent, omnes ut lucem viderunt, & qui eum acceperunt, vt lucem acceperunt. Quoniam præcedit ante illum lumen gloriæ illius, & sine lumine apparere non potest: quique eius lumen non viderunt, nec illum viderunt, quoniam ipse lux est. 1.Cor.1. Ioan.3. Ioan.1. Ioan.1

Et qui lumen non acceperunt, nondum gratiam acceperunt. Qui namque gratiam acceperunt, lumen Dei

H & Deum acceperunt, sicut ipsa lux Christus ait, *Inhabitabo, & inambulabo in eis.* Quibus autem hoc nondum contigit, nec digni sunt habiti, qui id assequerentur, omnes hi sub lege ante gratiam censentur, servi, servorúmque discipuli. Et auditores legis, circum umbram, & typum adhuc oberrantes, filij ancillæ, & filij tenebrarum sunt, sive Imperatores, sive Patriarchæ, siue Episcopi, siue Sacerdotes, siue Principes, siue subiecti, seu profani, seu monachi, seu ascetæ, seu Præpositi, seu pauperes, seu divites, seu ægroti, seu sani sint. Omnes enim, qui in tenebris sedent, & pœnitere nolunt, filij tenebrarum numerantur. Pœnitentia siquidem est ianua, quæ è tenebris educit, & ad lumen deducit. Qui igitur ad lumen ingressus non est, ianuam pœnitentiæ non bene pertransiit. Nam si pertransisset, ad lumen venisset. Qui autem non pœnitet, peccat, propterea quia non 2.Cor.6.

pœnitet.

pœnitet. *Scienti enim bonum*, inquit, *& non facienti, peccatum est illi.* Iam *qui facit peccatum, servus est peccati, & odit lucem, & non venit ad lucem, ne arguantur opera eius.* Nunc enim sponte, & nostro ipsorum arbitratu ad lumen per pœnitentiam ingressi redarguimur, & iudicamur: sed mystice iudicium istuc, & abscondite, in interiore animarum nostrarum cubiculo, ad purgationem, & remissionem peccatorum nostrorum misericordia, & benignitate Dei subimus, solo nimirum Deo res nostras sciente ac intuente. Hoc igitur tam præclaro iudicio quisquis hic iudicatus fuerit, aliud supplicium aut examen non timebit, nec tentationes sibi superventuras formidabit. Tum vero, hoc est, in adventu Domini, iis qui nunc ad lumen venire, & ab ipso iudicari, purgarique nolunt, sed: [illegible] oderunt, quod modo absconditum est lumen revelabitur, occultáque horum omnia manifestabuntur. Et quales nunc sumus unusquisque nostrum, nos ipsos occultantes, & per pœnitentiam nostra manifestare nolentes, tunc à luce manifesti, & aperti Deo & omnibus sumus, & erimus; & magnitudo pudoris ac dedecoris illic pro spectaculo erit.

Etenim sicut in domo, ianuas intus obseratas habente, si quis è nobis, quasi foris à nemine visus effuse peccet, adulteria scilicet, aut masculorum concubitus, aut alia execranda perpetrans, deinde subito in ipso flagitio deprehendatur, magnam incurrit infamiam: aut (vt aliud exemplum demus) si quis adversus regem insidias meditetur, easque illi scripto exponat: aut si dicat, statuatur nefas aliquod, omnino intra ædes, vt dictum est, latitans, post rex cum toto senatu suo, consuetóque satellitio adveniat, & domum cingat, statimque ea tota eversa ipse, & omnia eius consilia appareant, pœnam magnam damnationémque sustinet; ad eundem modum tunc omnibus qui in mundo sunt fiet. Et *nox quidem sicut dies illuminabitur*, domus autem omnis, & spelunca, & cœlum ipsum ac terra tollentur, omnesque qui Christum non induerunt, seu qui lumen non acceperunt, vt supra docebamus, & in ipso prius non fuerunt, & lumen non fuerint, nudi apparebunt, omnique ignominia undique replebuntur. Nec istuc tantum, sed & omnis cuiuslibet actio seu bona, seu mala, omnis sermo, omnis cogitatio commentatioque ab ipso cuiusque ortu videlicet, usque ad ultimum halitum illic collectim in unoquoque hominum apparebit. Et quam, quæso, fratres, ignominiam cum hæc, quæ vere sola est ignominia, tunc comparabimus? aut quæ pœna timore illo pudoréque maior, cum, vt dictum est, adeo tenebrosi, & sine illuminante spiritu inventi fuerint? Qualem porro vitam, quale oblectamentum habebit homo, qui in tenebris sedet, ac metuit, ne repentina lucis illuminatione cogitationis, aut actionis alicuius sordes in ipso reperiantur?

Quare studeamus, fratres mei, hinc iam per pœnitentiam portam angustam intrare, quodque intus est lumen spectare. Etiam, rogo, ne deficiamus pulsando, quærendo, & petendo antequam exandiamur, & aperiatur, & detur nobis: insuper donec ingressi lumen accipiamus, & illud extinctum in cordibus nostris habeamus. Nolite igitur errare, fratres. Qui in tenebris vivit, extra ostium est. Qui autem se ingressum existimat, & per ostium ingressus non est, etiam is extra ovile est. Si enim lux mundi, & ostium est Christus, omnino lucidum ostium est, non ostium simplex. Et qui in eo est, in luce mundi est: lux autem mundi est, non quam oculorum sensus percipiat, sed quam animus videat, atque contempletur. Non sol hic, quem sensus attingit, tantummodo corporis oculos illuminat hominum, bestiarum, volucrum: at sol qui sub intelligentiam cadit, qui mundo illuxit, animas dumtaxat ratione præditas, neque has citra discrimen omnes, & indignas etiam illuminare novit. Hund enim mammus, seu vt melius dicam, non animal est, nec servus, aut creatura ad aliis ministrandum constituta, sicut nempe iste sol quem cernimus, quique oritur super iustos & iniustos probos simul & improbos. Sed quanquam lux, & sol nominatur, tamen & supra lucem, & supra solem, & vt lucis ac solis conditor ac Dominus est, vita, vis sicus, veritas, iustitia, & sanctificatio, simplex, ab omni compositione liber, & omne bonum, & melior omni bono. Vt igitur veritas est ac dicitur, vere convertentibus se veritas efficitur. Vt iustitia est, omnem iniustitiam exortis iustitia est. Vt sanctificatio, elutis ac per lacrymas purgatis. Vt simplex, illis qui nullam perversitatem, aut nequitiam intus gestant in præcordiis. Vt non compositus, nullam duplicitatem, aut ambiguitatem, aut incredulitatem animi habentibus. Vt bonus, iis qui spiritualibus pœnitentiæ operibus, ad corpus, aut vitam istam pertinentes curas ac sollicitudines non inducunt, quibus ea misceant, atque confundant, sed nuda voluntate, & applicatione animi in malorum patientia ad eum accedentibus; quorum sinceritatem approbans, omni bono brevi eos cumulat, & bonorum intellectum, cogitationémque vincentibus, dum illis revelatur, apparétque, statim participes reddit. Si enim bona, *quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparavit Deus diligentibus se,* humani ingenij captum excedunt, & omnia quæ cernuntur bona exsuperant, quanto magis ipse qui hæc præparavit Deus: nec solum ipse, sed etiam qui eum videre, ei assistere, & cum eo versari meruerunt, & eius divinitatis, gloriæque consortes, ac participes effecti, superiores omnino bonis, ipsis à Deo paratis, vtpote Dominum ipsum, qui bona illa præparavit pro hæreditate possidentes evaserunt? Tales autem eos evasisse, & usque nunc euadere, non dico post mortem solum, sed adhuc superstites, tota divinitus inspirata scriptura docet, omnésque per vitam & mores suos sanctitatem consecuti, testimonium ferunt. Porrò sanctorum laus omnis, & beatitudo his duobus constat, orthodoxa fide, & laudabili vita. Item dono sancti Spiritus, & charismatum eius, duobus enim his hoc tertium copulatur. Nam cum quis vitam bene, & cum amore Dei traduxit, cum sensu orthodoxo, & gratia donatus, atque à Deo per Sancti Spiritus donum glorificatus est, comitatur illum laus, & ab omni fidelium Ecclesia, ab omnibúsque magistris eius beatus prædicatur. Fide autem, & operibus perfecte non suppositis, adorandum ac divinum scriptum advenire, & donum eius accipere quenquam hominum impossibile est; sicut etiam Sanctus Iacobus ait, *Quid proderit, fratres mei, si quis dicat fidem se habere, opera autem fidei non habeat? num fides eum salvare potest? Quomodo enim corpus sine spiritu mortuum est, sic fides sine operibus mortua est.* Et iterum, *si frater aut soror nudi sint, & quotidiano victu egeant, dicat autem aliquis vestrûm illis, ite in pace, calefacimini, & saturamini, non dederit autem eis quæ necessaria sunt corpori, quid proderit? sic & fides, nisi opera habeat, mortua est in semetipsa.* Hæc & Ioannes Apostolus. *Filioli, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere & veritate.* Et, *In hoc cognoscimus, quoniam ex veritate sumus, & in conspectu eius suadebimus corda nostra, quoniam si reprehenderit nos cor nostrum, maior est Deus corde nostro, & novit omnia. Si enim cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, & quidquid petierimus, accipiemus, quoniam mandata eius custodimus, & ea quæ sunt placita coram eo, facimus.* Et, *hoc est mandatum eius, vt credamus in nomine Filij eius Iesu Christi, & servemus mandata eius.* Et, *Qui servat mandata eius, in Deo manet, & Deus in eo. In hoc autem cognoscimus, quod in nobis manet, ex Spiritu quem dedit nobis.* Nam si Spiritus sanctus in hominem non venerit, nec in eo habitare cognitus fuerit, alienum est quemvis spiritualem appellari. Qui autem spiritualis nondum est, quomodo sanctus erit? qui sanctus nondum est factus,

per

A per quænam alia opera, actionesque beatus evadet? Beatitudo Deus est, cuius qui non est particeps, vel potius quem qui totum in se non habet, quo tandem modo beatus? nullo, vt mihi quidem videtur. Sol sine luce, num dicetur sol? & homo Spiritus Sancti expers, num sanctus dicatur? *Estote sancti*, ait Dominus, *quoniam ego sanctus sum*. Quibus verbis nos explorate cognitos peccatores ad imitationem per opera misericors ille cohortatur; ac si diceret, desistite à rebus improbis, & ad omnem probitatem incumbite, omne genus virtutis pro viribus vestris consectemini, & quantum potestis, sancti evadite, si modo communionem mecum habere desideratis. Ego enim sanctus sum, hoc est, purus, incontaminatus, idque natura. Vos autem in mandatis meis exequendis ab inquinamentis peccatorum abstinentes, meique participes gratia spiritus mei facti, sācti quoque eritis. Hoc enim sibi vult, *estote*. Ergo mala fugiendo, & bona operando fit sanctus homo: non quasi omnino ex operibus sanctificetur (*non enim iustificabitur ex operibus legis omnis anima*) sed quia sancto Deo per huiusmodi actionum
Leu.11.

B frequentationem se adiungit, cumque sibi conciliat. Hoc porrò etiam ad eos, qui iam spiritus gratiam acceperunt, & magis quidem Dominum dicere opinor. Qui præcipere videtur, non fidendum dono, & per desidiam ad vitia & peccata redeundum, & quodammodo his vti verbis. Heus tu spiritualis, ne te otio dedas, qui gratiam S. Spiritus, & per illam me accepisti. Otium enim generat nequitiam, nequitia omne genus vitiorum procreat. Mandatis igitur quotidie servandis sanctus esto, siquidem me in te, & tecum, & te in me, & mecū esse vis. Nihil enim adeò ex omnibus inconstās, & mutabile est vt mens humana, tum demū constitēs, cum fluxis & creatis, & quæ cernuntur omnibus reiectis, tenebras quibus circumfunditur pertransierit.

C Quoniam verò hæc ita se habent, & mens res est semper mobilis, nunquam potis requiescere, eam sollicitam, divinarumq; legum studiosam esse oportet, cum alioqui vita omnis humana sollicitudinum & curarum plena sit, & ex se nulla possit quietem capere, quanquā id multi supra vires suas facultatemque contenderunt. Quin ab initio ea conditione conditus est homo. Operari enim & custodire paradisum iussus est Adamus, & dum ad honestatem movemur, natura operamur. Qui itaq; otio & inertiæ seipsos tradiderunt, quicunq; fuerint, alioqui sancti & spirituales, in affectiones naturæ parum consentaneas se præcipitant. Vt enim fons perennem aquam scaturiens, si paulum constiterit, exsiccatus, nec iam fons, sed fovea potius est: ita qui mandatis factitandis semper se purgat, & ex Deo purgatus, ac sanctificatus est, si ab executione paulum deflexerit, pro portione etiam a sanctitate deflectit. Qui verò cum vno quodam peccato sciens simul abducitur, totus è puritate excidit; sicut & vas aquæ plenum modico cœno totum inquinatur. Nec solum peccatū, quod

D per corpus admittitur, sed alia quoque vitia, quæ intra nos per nos perpetrantur, nec videntur, intelligo, vanā gloriam, hominibus placendi studium, superbiam, fastum, iactantiam, hypocrisin, amorem dominandi, dolum, malignitatem, odium, perfidiam, invidiam, elationem, zelum, sui complacentiam amorem sui, contentionem, insipientiam, & reliquas omnes passiones ignominiæ, quæ in anima operantur, à quibus & propheta David liberari desiderans, Deum rogabat in hunc modum. *Ab occultis meis munda me, & ab alienis parce seruo tuo. Si mei non dominabuntur, tunc immaculatus ero, & mundabor à delicto maximo.* Et, *Fiat cor meum immaculatum in iustificationibus tuis, vt non confundar.* Et rursum, *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innova in visceribus meis.* Et *Spiritu principali confirma me.* Quæ enim vtilitas, fratres, laborum corporalium, si opus interius postponatur? An non audimus Paulum dicentem, *Corporalis exercitatio ad modicum vtilis est, pietas autem ad omnia.* Et rursum, *Mundemus nosmet ipsos ab omni inquinamento carnis, & spiritus.* Eadem & S. Petrus clamat
Ps.18.
Ps.18.
Ps.50.
1.Tim.4.
2.Cor.7.

E in hæc verba, *Succincti lumbos mentis vestræ, sobrii perfectè sperate in eam, quæ offertur vobis gratiam, in revelationem Iesu Christi, quasi filii obedientiæ, non configurati prioribus ignorantiæ vestræ desideriis, sed secundum eum, qui vocauit vos, sanctum, & ipsi in omni conuersatione sancti sitis, & Dominum Iesum sanctificate in cordibus vestris. Idcirco scriptum est, sancti estote, quoniam ego sanctus sum.* Et, *si patrem invocatis eum, qui sine acceptione personarum iudicat secundum uniuscuiusque opus, in timore incolatus vestri tempore conuersamini: Scientes quod non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis de vana vestra conuersatione paterna traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi.* Optemus igitur & nos toto animo, & fixa sit sententia, non decipi, aut ab aliqua corporis, animæve perturbatione inescari, & alligari, ne per vnam seu parvam, seu magnam mandati transgressionem via in cœlum ferente excidamus. Sed cum ambulaverimus, nec retrò respexerimus, festinemus antecedentem nos Iesum prævenire, factique eius compotes, ante eum procidamus, & coram eius bonitate ploremus, ardenterque oremus, vti prorsus a nobis ne separetur, neve sinat nos abire à via, qui est ipsemet, qui dixit, *Ego sum via, resurrectio & vita.* Hunc ergo exquiramus, hunc prævenire studeamus, vt etiam illum teneamus. Quod si factum fuerit, & ad eius exemplum vitam nostram instituerimus, non solum cum hinc emigraverimus, sed nunc etiam in cœlum cum ipso ascendemus, & vnà assumemur; immò potius ipse nos secum sustollet, & glorificabit, & donabit felicitate sempiterna perfrui.
1.Petr.1.

F
Ps.94.
Ioan.11.

## ORATIO XXI.

### ARGVMENTVM.

G *Videndum, ecquid beatitudines, de quibus locutus est Christus, in nobis habeamus; eas enim esse indicium signaculi, & proprietates characteris eius. Qui signo Christi signatus non est, nec characterem illius in se fert, hunc in regnum cælorum introire neutiquam posse.*

Qvicunque signo Domini ac Dei, & Salvatoris nostri Iesu Christi, signati non sumus, curramus vt signemur. Quicunque insigniti non sumus, nota spiritus insigniri properemus. Mors enim in animas primitivorum per sanguinem Christi, & gratiam sanctissimi Spiritus non dominatur: nec lupus qui mente percipitur, sigillum principis pastorum Christi, quo oves suas signare consuevit, contra intueri audet. Itaque fratres fideles, divinarúmque rerum cupidi, festinemus, agentes & molientes omnia, quæ Christo sunt placita, vt ab ipso quoque signati, de cætero sine metu vivamus: quin etiam, vt de manu eius misericordiam accipiamus, & digni habeamur, qui mysterium Christi cognoscamus. Cognitionem autem intelligo, non quæ verbo duntaxat & auditione traditur: sed quæ in ipso opere, & actione elucet. Audi igitur quemadmodum cognitio mysteriorum Dei per opus, & actionem in nobis perspiciatur. Christus Deus noster per Evangelium suum quotidie apertè clamat, *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Hoc quoties audimus considerare, & nos ipsos diligenter excutere debemus, num revera pauperes istiusmodi simus, vt etiam nostrum sit regnum cœlorum; adeò vt nos id totò possidere animo sentiamus, itaq; eius tenere divitias, vt citra dubitationem nos in eo esse experiamur, & illius bonis atque deliciis oblectemur. Intra nos enim illud esse, ipse Dominus pronunciavit. Argumenta porrò, quibus id intra nos esse demōstretur, hæc sūt. Nihil eorum quæ oculis subiiciuntur, & pereunt concupiscere, res, inquam & oblectamenta huius vitæ, nō opes, non gloriam, non delicias, non vllam denique aliam vitæ præsentis, aut corporis voluptatem; sed ita
Hebr.12.

H
Matt.5.
Luc.17.

A se his omnibus abstinere, & sic iudicio, ac voluntate ab illis abhorrere, vt potestate & honore regio præcellentes ab his qui lupanaria obeunt, abhorrent: & quantum qui pura & munda vestimenta induti, & suaveolentibus vnguentis perliti sunt, graveolentiam ac lutum aversantur. Qui enim ad vnum aliquod nominatorum sese convertit, regnum illud cœlorum neque vidit, neque olfecit, neque iucunditatem, & dulcedinem eius degustavit. Deinde, *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Videamus nunc iterum, & in nosmet inquiramus, num huncce luctum in nobis habeamus, & quænam sit ista consolatio, quæ luctus huius comes dicitur. Primùm quidem pauperes spiritu beatos affirmavit, vtpote quorum sit regnum cœlorum. Pauperes autem, vt docuimus, hisce præsentibus planè non capiuntur, neque animum ita cum iis copulant, atque coniungunt, vt vel modica delecta-B tione delinatur. Quo igitur pacto, & quam ob causam lugebit, qui totum mundum detestatus est, & corde tam longè ab eo abest, quam corpore illi appropinquat? qui nullo rerum aspectabilium amore tenetur, quid est, obsecro, cur se tristitiæ, lætitiæve dedat? Et quomodo lugebit, solatiisque mulcebitur, qui regnum cœlorum habet, & in eo lætatur assiduè?

Attendite mentes, rogo, iis quæ dicam, & quæsiti rationem cum eius solutione accipietis. Homo fidelis, qui ad mandata Dei exhaurienda sedulò semper incumbit, cùm omnia servarit, & ad fastigium horum, id est, ad inculpatam vitam, & puritatem ingressus fuerit, tunc modulo suo se metiens, imbecillum inveniet, quique ad celsitatem illam mandatorum per-C tingere non possit: sed & pauperem imprimis, sive indignum ad suscipiendum Deum, ad gratias & laudes eidem tribuendas, vt qui nunquam proprium, ac suum aliquod bonum possederit. Hæc qui propter se cum animi sensu reputat, omninò lugebit luctu verè beatissimo, qui & consolatione promissa levatur, & animam mitem efficit: est siquidem pignus regni cœlestium ex luctu progeneratum solatium. *Fides* namque secundum Apostolum, *est rerum sperandarum substantia.* Heb. 11.
Consolatio porrò, quam in animis lugentibus illustratio spiritus conciliat, adventus Dei est, præmium certaminis humilitatem eis donans, quæ & semen, & talentum vocatur. Aucta quippe, & multiplicata in ipsis Mat. 13.
certantium animabus, partim trigesimum, partim sexagesimum, partim centesimum Deo fructum fert, fructum sanctum charismatum, ac donorum spiritus. Vbi enim non fucatè, sed verè humilis ac demissus animus, ibi etiam humilitatis fundum. Et ubi humilitas, ibi illuminatio spiritus. Vbi spiritus illuminatio, ibi divini luminis copia, & Deus in sapientia & cognitione mysteriorum eius. Vbi verò hæc, ibi regnum D cœlorum, & regni cognitio, & absconditi thesauri scientiæ Dei, in quibus etiam paupertas spiritus patescit. Vbi autem paupertatis spiritualis notitia, ibi quoque luctus gaudio mixtus. Ibi item iugiter manantes lacrymæ, quæ animam hanc amantem purgent, ac prorsus lucidissimam reddant. Per hæc igitur anima sursum respiciens, & Dominum suum cognoscens reliquas virtutes studiosè progignere sibi, & Christo ordi-tur. Nec immeritò. Irrigata enim continenter, & pinguescens lacrymis, & iram in se penitus extinguens, mitis, totáque ad irascendum immobilis efficitur. Concupiscit autem & appetit, esuriens simul, & sitiens discere iustificationes Dei. In his verò & misericors, & alienis incommodis dolens fit: quò ex his omnibus cordis eius puritas perficiatur, & ipsa Deum videat, eiusque gloriam secundùm promissionem clarè intueatur. Qui hunc in modum animas suas comparatunt, pacifici sunt in veritate, & filij altissimi nominantur, qui & purè patrem, Dominúmque suum agnoscunt, & ex tota anima illum diligunt; quemvis laborem videlicet, & quamvis afflictionem eius causa sustinentes, iniuriis vexati, contumeliis appetiti angustiati ob iustum eius mandatum, quod & nobis servandum præcepit, exprobrationes, persecutiones, & omne verbum malum, falsò contra se dictum, propter nomen eius toleranter E sufferentes, exultantes, quoniam digni sunt habiti, qui pro eius amore ignominia ab hominibus afficerentur. Animadvertistis, fratres, signaculi Christi expressam effigiem? Agnovistis, fideles, proprietates characteris Act. 5.
eius? Vnum profectò signaculum illuminatio spiritus est, etsi multæ sunt formæ operationum illuminationis huius, multáque virtutum eius indicia; quorum primum, & magis necessarium, & tanquam principium ac fundamentum est humilitas. *Ad quem enim respiciam*, inquit, *nisi super humilem & quietum, & trementem sermones meos?* Isa. 66.

Alter luctus est lacrymarum fons, de quibus cum copiosè velim differere, verbis ad sensa explicanda destituor. Res mira, & quam lingua non potest effari. Per oculos fluere sentiuntur, & ex anima cœnum pec-F catorum eluere intelliguntur: & in terram cadentes, dæmones vrunt, ac prosternunt, animámque è vinculis peccati inaspectabilibus eximunt. O lacrymæ ex divina illuminatione scaturientes, cœlum ipsum reserantes, & divina mihi solatia parientes: iterum quippe & sæpius eadem præ suavitate, & desiderio dico. Vbi lachrymarum copia, fratres, cum cognitione vera, ibi etiam divini luminis splendor, vbi luminis huius splédor, ibi bona suppeditant omnia, & signaculum S. Spiritus plantatur in corde, vnde & omnes vitæ fructus exoriuntur. Hinc Christo mansuetudo producitur, pax, eleemosyna, compassio, benignitas, bonitas, fides, continentia. Hinc manat inimicos diligere, & pro illis orare, gaudere in tentationibus, gloriari in tribulationibus, alienos lapsus ducere suos, & deflere tanquam pro-G prios, animam pro fratribus promptè ad mortem offerre. Audite igitur, obsecro, Christiani fratres, & resipiscite, & videte, num lumen in cordibus vestris illuxerit; Luc 1.
num magnum illud lumen cognitionis aspexeritis: num Isa. 9.
visitaverit vos oriens ex alto, illucescens vobis in tenebris, & in umbra mortis sedentibus. Deus enim cum nullius egeat, sitque bonorum plenus, nihil à nobis præter salutem nostram requirit; qua aliter potiri fas non est, nisi mens nostra divina virtute immutetur, vt sit enthea, id est, numine afflata, à Deo acta, sive omni perturbatione carens, & sancta. Mens enim Enthea est, quæ Deum in se habet. Talis autem à semetipsa fieri haud potest. Iam qui Deo per fidem coniunctus est, pérque mandatorum observationem illum novit, eum quoque per contemplationem cernere omnino dignus est. Per fidem siquidem certam Christus in eo habitat, & mens enthea fit. Servatur porrò enthea ex eo, quod res ad Christum pertinentes semper exercet, & legibus eius attendit. Inde fit, vt etiam mandata eius custodiat, quemadmodum ex eo quod mentem divinitus afflatam habet, efficitur, vt mandata Christi & co-H gitet, & exsequatur: singula enim & cohibent, complectuntúrque quod proximum est, & cohibentur ab ipso, continénturque & continent. Contendamus itaque Dei præceptis facessendis (per quod divinum lumen amplius apparere, & amplificari consuevit) divinum ignem in nobis abundantius alere. Vt enim apud nos ignis sub sensum cadens in ligno conspicitur, & scintillula, si materiam cóprehenderit, magnam facem incendit, appositóque nutrimento flammam ingentem suscitat: sic se habet ignis ille spiritualis, in his quæ soli intelligentiæ patent. Quod igitur lignum est igni corporato, hoc anima rationis compos habens mandata, igni divinitatis. Non enim secundum seipsam divinitas perspicitur, si in id, quod est rationis & consilij particeps, non inciderit. Sicut autem se habet ignis hic noster in his, ad quæ sensus pertingit; ita ignis intelligibilis in his, quæ ad intelligentiam spectant. Et quomodo ignis sensibilis non videtur, nisi in materia fuerit excitatus; ita neque intelligibilis in intelligibilibus, nisi in materia sacrorum mandatorú, quasi in lignis extiterit. *Qui diligit me*, inquit Dominus, *mandata mea servabit, & ego diligá eú, &* Ioan. 14.

manifestabo

A *manifestabo ei meipsum.* Ignis quem sensu percipimus, antequam emicet, latet in sensibilibus: & abditum est divinum lumen, priusquam eluceat, in his quæ intelligentiæ sunt. Ignis principium non comprehenditur, estque occultum in sensibilibus: & intellectualis ignis principium, est occultum in rebus ad intelligentiam spectantibus. Verùm sensibilis ignis sensibilibus substantia similis est: intelligibilis autem ignis intelligibilibus substantia dissimilis est: quia opifex cum opificio suo idem non est. Multò igitur ignis intelligibilis in ipsis intelligibilibus occultior, & arcanus magis, quam sensibilis in sensibilibus.

Proinde inspiciamus, fratres, subtilitérque nosmet perscrutemur, & pernoscamus animos nostros, num in nobis Christi signaculum sit. Discamus an in nobis sit Christus, ex indiciis & signis, quæ protulimus. B Quod si Christum, aut eius signaculum necdum accepimus, dictáque signa in nobis ipsis haud agnoscimus: quin contra potius, mundus fallax in nobis vivit, nósque in ipso infelices vivimus, temporaria magni ducentes, & in tribulationes incidimus, & propter ignominias, ac detrimenta cruciamur, honoribus è diverso, divitiis, deliciis gaudemus & exultamus, prô damnum, prô ignorantiam, prô cæcitatem, prô miseriam, stuporémque nostrum, a quibus subacti, in terram proculcamur. Sanè miserabiles, longéque infelicissimi, atque ab ipsa æterna vita, & à regno cœlorum extranei sumus, non amplius in nobis ipsis Christum possidentes; sed mundum in nobismetipsis viventem habentes, vtpote in ipso viventes, & terrena sapientes. Qui ita est animatus, inimicus Dei apertus est. Nam affe- 1.Ioan.2. ctio erga mundum, inimica est Deó, iuxta illud Apostoli: *Ne diligatis mundum, neque ea quæ in mundo sunt.* Quia nemo potest Deo servire, & secundum hominem vivere. Verè nihil melius, fratres, in mundo, quàm nihil habere mundi, neque vltra ea, quæ corpori necessaria sunt, desiderare quidquam. Necessitas autem ista, si rationem audiamus, est panis & aqua, C vestimentum & tegumentum, secundum divinum 1 Tim 6 Apostolum, *habentes victum & vestitum, his contenti erimus.* Quod si re aliqua insuper egebimus, ipse pro certo præbebit nobis, credentibus & sperantibus, qui Ps.14. maiora largitus est, *& implet omne animal benedictione,* modò cætera omnia huius fluxæ & caducæ vitæ relinquamus; puta vanam gloriam, invidiam, contentionem mutuam, dolum, murmurationem, rixas, mendacium, periurium, iniustitiam, avaritiam, contumeliam, calumniam, maledictum, concertationem, obtrectationem, criminationem, superbiam, hominum odium, 1.Ioan.4 improbitatem, cætetáque universa, quæ diabolus genus humanum docuit. Propter hæc enim non diligere mundum, nec ea quæ in mundo sunt, iussi sumus. Non ut creaturas Dei sine ullo discrimine odio persequamur: sed vt malorum occasiones præcidamus. Propter hæc itaque mundum, & omnia à Deo avertentia, & ad periculum animæ deducentia fugiamus D censeo. Etenim quis gloriæ, & honoris humani avidus, extremum, vilissimúmque omnium se vnquam reputabit, & humilis spiritu, aut corde contritus fiet, aut lugere vnquam, omnino poterit? Quis item amans divitias, pecuniarúmque & possessionum cupiditate pessundatus, ad aliis tribuendum misericors, & aliena mala dolens, & non potius omni fera immitior atque crudelior invenietur? Quis vanæ gloriæ mancipium, & arrogantia obsessus, aliquando ab invidentia, & obtrectatione discedet? Qui autem ad corporis etiam voluptates perfruendas sese demiserit, & in cœno libidinum volutatur, quando tandem mundus corde evadet? aut quando, & quomodo Deum fabricatorem suum videbit?

Iam pacificus quo pacto futurus est, qui seipsum 2.Cor.5. alienavit à Deo, nec dicentem audit: *Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo per nos exhortante, reconciliamini Deo.* Quisquis enim per mandatorum violationem cum Deo bellum gerit, etiamsi omnes inter se pacificaverit, Dei hostis est: siquidem nec ut E ipsi, inter quos pacem conciliat, Deo placeant, id facit. Nam cùm ipse primus sit inimicus sui ac Dei, inimici Dei fiunt etiam hi, qui per tales pacem amplectuntur. Prorsus enim qui adversus quempiam hostilem gerit animum, quæ hosti videntur & placent, cæteris ex animo suadere, & docere eos facere, quæ ille vult, nescit, vtpote alia via, & illius voluntati contraria incedens. Itaque, dilecti fratres, oderimus mundum, & ea quæ in mundo sunt. Quid namque nobis cum mundo, & cum iis qui in mundo vivunt hominibus? Desideremus contra medullitus, quæ Deus amplecti nos iubet, paupertatem spiritus, quam divinus sermo humilitatem nominat: luctum perpetuum die ac nocte, ex quo tanquam è fonte gaudium animæ, & consolatio Deum diligentibus in horas profluit. Ex hoc omnibus in veritate certantibus F mansuetudo etiam feliciter procedit, iustitiam esurientibus ac sitientibus, semperque regnum Dei, quod omnem humanum sensum exsuperat, quærentibus. Neque hoc tantum, sed & quempiam misericordem fieri, & mundo corde, plenum pacis, & pacificum, contráque tentationes animosum ac virilem hinc est, ex quotidiano luctu videlicet. Hinc item peccatorum odium in nobis nascitur. Hinc divinus in anima zelus accenditur, qui nullo modo eam quiescere, aut cum improbis ad improbitatem declinare patitur, sed eam virilitate, ac virtute implet, quo in rebus adversis usque ad finem perseveret. Curramus, persequamur, donec quippiam è stantibus, ac minimè fluentibus comprehendamus. Præsentia cuncta pereunt, & vt somnia prætereunt, nihilque inter ea quæ oculis aspicimus, firmum est, ac stabile. Sol, astra, cœlum, & terra, omnia transeunt; solus ex omnibus homo manet. Quid ergo ex aspectabilibus vniversis prodesse nobis poterit, cum moriendi necessitas advenerit? cum hinc ad illam illius seculi requiem abibimus, & fugacia ista post nos relinquemus? Quod si G hæc visibilia nondum transibunt, quid lucri inde nobis, ex hoc seculo morte digressis, & hic exanimi relicto corpore? Ex quo enim anima corpus suum deseruerit, nec videre amplius potest per id, nec videri ab alio: sed exinde solis invisibilibus afficitur, nullúsque ei harum quæ apud nos sunt rerum sensus, aut cura superat, cùm illic duplicem vitam, & geminum certamen habeat, aut regni cœlestis, & æternæ gloriæ; aut gehennæ, ac pœnæ ignis. Alterum quippe horum ad hæreditatem sempiternam pro meritis a Deo recipit. Quocirca ob hæc fallaciam huius vitæ, & quæ putatur, eius lætitiam fugiamus, & ad solum Christum animarum Salvatorem accurramus quæso. Hunc invenire studeamus, qui ubique præsens adest, & inventum teneamus, prostratique pedibus eius, eos Rom.6. fervidè amplectamur. Eia obsecro, studeamus dum superstites ipsum videre & contemplari. Si enim digni habebimur, qui eum hic sensu vigenti videamus, non moriemur, mors nostri non dominabitur. H Ne exspectemus, vt in futuro eum videamus: sed nunc eum videre annitamur, cùm & Ioannes Theologus ita dicat: *Scimus autem, quoniam Deum habemus in cordibus nostris, ex spiritu quem ab ipso accepimus.* 1.Ioan.4 Quicunque igitur fidem in ipsum ex operibus infractam ac stabilem ostendistis, quæ à nobis à principio dicta sunt accuratè, beneque diiudicantes, cavete, ne, dum putatis vos Christum in vobismet habere, non animadvertatis vos nihil habere, vacuísque manibus è vita subducamini, & audiatis (quod Luc.19. Deus avertat) vocem illam horribilem, tollite quod servus nequam videtur habere, & date plus habenti. Tunc in omnem æternitatem plorabitis, & lugebitis, & tristabimini.

A

## ORATIO XXII.

### ARGVMENTVM.

*Quid sibi velit illud:* Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur. *Quæ sint charitatis erga DEVM, & proximum argumenta. De perfecta, & consummata charitate, eiusque effectentia. Nisi hic charitatis, & sanctissimi Spiritus participes fieri laboremus, non posse nec fideles, nec Christianos esse, nec filios Dei appellari: sed potius pro infidelibus in die iudicij condemnatum iri.*

B Dominus ac Deus noster Iesus Christus, germanus Dei Patris Filius, eiusdem cum illo substantiæ, naturæ, gloriæ, sedens in eodem throno, & throni socius, in patre manens, sicut & pater in ipso, ad miseriam, afflictionémque nostram, quin etiam ad servitutem, quam per peccatum ab inimico seducti, eidem inimico serviebamus, cùm respexisset, benignitate sua quanta dici non potest nos miseratus, volentque è servitute, & seductione turpissima eripere, totus inde descendit paternum sinum haud relinquens, (*Isa. 9.*) vt ipse novit, & existens in terra, in tenebris, & in vmbra mortis sedentibus apparuit, de Spiritu sancto, & sancta semper virgine Maria humanis artubus contectus videlicet. Cúmque ambulasset, & cum hominibus nobis, ac peccatoribus conversatus esset, ac divinam vivendi rationem, modúmque nobis demonstrasset, præceptáque salutaria sanctis discipulis suis edidisset, rursus ad patrem suum cum gloria ascendit, C dato iisdem mandato, nempè hoc: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, docentes eos servare omnia.* (*Mat. 28.*) Non hoc aut illud servare, *sed omnia, quæcunque mandavi vobis.* Quoniam autem dixit, *omnia,* nihil prætermisit, quod non servare iusserit. Quid amplius? *Qui crediderit,* inquit, *& baptizatus fuerit, salvabitur: qui autem non crediderit, condemnabitur.* Num igitur, fratres charissimi, quid hoc sit nostis, quod ait, *qui crediderit, &* *baptizatus fuerit;* deinde iterum, *qui non crediderit?* Arbitror enim quod dictum est planum esse, ac facilè ad intelligendum. Habet tamen alicubi sensus profundè latentes. Fidem hîc dicit, non hanc solam, Christum esse Deum, sed illam maximè, quæ omnia de sanctis mandatis eius dicta complectitur, quæque in se omnia divina eius mandata continet, & credit, nihil in illis, vsque ad ultimum apicem otiosum: sed omnia usque ad unum iota vitam, & vitam sempiternam conciliare. Itaque si quis credit, ita se illa habere, & per sacrum baptisma ad hæc omnia servanda, ac D sine prætermissione facienda descriptus est, salvabitur. Qui vero sermones eius etiam usque ad unum apicem, aut unum iota, vt dictum est, non crediderit, non secus, quàm si totum negavisset, damnabitur. Et meritò. Qui enim in magnis ei credidit, nimirum, quòd Deus cum esset, sine immutatione factus sit homo; quòd in crucem actus: quod mortuus: quod ab inferis redierit: quod redivivus clausa ianua ingressus, discipulis suis in conspectum se dederit: quòd in cœlum profectus, ad dextram Dei Patris sedeat: quòd venturus iudicare viuos & mortuos, & unicuique secundum opera sua redditurus, resititutis videlicet in vitam prius nobis omnibus Adami posteris, usque ad vltimum illum diem nascituris, qui in his, inquam, ei credidit, dicenti autem, *amen dico vobis, quia etiam de verbo otioso reddent homines rationem in die iudicij,* (*Mat. 12.*) qui istuc, inquam, ei non credit, qui tandem fidelis erit, intérque fideles numerabitur? Qui ergo in venerandis illis & en-

E témque, & humanam omnem cogitationem excedentibus Christo credit, factisque, & faciendis ab ipso Domino nostro Iesu Christo obtemperantem, & consentientem gerit animum, non credit autem illi, cum ab eo audit, *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* (*Mat. 16. Mat. 10.*) Et, *qui diligit patrem, & matrem, & fratres, & sorores, & uxorem, & filios, adhuc autem & animam suam plusquam me, non potest meus esse discipulus.* Et, *qui soluerit unum de mandatis istis minimis, minimus vocabitur in regno cælorum,* (*Mat. 5.*) quomodo hic fidelis, & non magis vt infidelis, aut etiam infideli deterior iudicabitur, quoniam in maioribus quidem confitetur se Christo credere, in minimis autem ipsum, universorum Deum, ac dominum contemnit: & profitens se in aliis credere vt Deo, æque vt cuipiam plebeio, ac vulgari fidem denegat, dicenti, etiam de verbo otioso homines rationem reddituros in die iudicij: putátque se ridentem, obscœnáque, & inania garrientem salvari posse, cùm ille miseros F affirmet, qui rident, beatos autem qui lugent. (*Luc. 6.*) Quin immò qui se non abnegat etiam, neque crucem baiulat, in omnium tentationum impetu usque ad mortem alacriter sustinendo, quomodo sua causa crucifixum sequi se existimat? Et qui plus illo parentes, cognatosque diligit, quomodo se Christi dignum discipulum ex animo reputat? Et qui non abnegant animam suam, sed temporis huius potius, suisque voluntatibus, magis quam Deo obsequuntur, frustra se eius discipulos esse confidunt. Et qui in horas non unum, & minimum mandatorum, sed multa, & præcipua solvunt, nihil omninò illicitum se committere, committere autem? immo sic constitutos magnos se in regno cœlorum fore arbitrantur. Et quod caput malorum est omnium, omnino ne mandata quidem se his modis violare autumant, & nos prooemium veritatis incipientes, ad idem sentiendum inducere stolide conantur.

G Duo enim sunt mali genera, vnum, cùm quis in multitudinem peccatorum delapsus, salutem suam desperat: alterum, cùm malum loco boni habet, certoque sibi persuadet, se mala perpetrando benefacere. Ac prior quidem, si de pœnitentia, & benignitate Dei doctus didicerit, nullam esse peccatorum tantam multitudinem, quam pœnitentia non deleat, *& ubi abundavit delictum, ibi & superabundasse gratiam.* (*Rom. 5.*) Item illud, *Gaudium est in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente,* (*Luc. 15.*) forsitan se colligens, & compunctus, concupiscet aliquando peccatis liberari, ac pœnitentiam ferventer amplexus exsurget, intolerandóque conscientiæ onere levabitur. Alter reuocatu difficilior, prorsus medicamentis huiusmodi curari recusat. Qui enim curationem admittat, qui penitus ne in morbo quidem se esse, aut lapsum iacere credit? Neutiquam profecto. Nemo igitur vos seducat, fratres. Omnia quippe quæ Christus Deus Apostolis præcepit, nos quoque similiter servare iussit; quæ quidem H in hoc mundo servare possumus: sed id planè deliberatum nobis non est, quia fide charitatéque in Christum infirmi sumus. Et hoc verum esse testantur omnes, qui ante legem, & in lege, & post Salvatoris adventum cum liberis & coniugibus, & omnium ad vitam requisitorum curis, ac sollicitudinibus Deo placuerunt, cùm se voluntate & affectu, quo illis inhærebant, separassent, iis qui in montibus & speluncis vixerunt illustriores, fide & moribus per charitatem erga Deum conspicui. *Primum enim & magnum mandatum est, diligere Deum ex toto corde, & ex tota anima, & ex totis viribus, & ex tota mente,* (*Mat. 22.*) ut ipse Dominus & antiqua lex ait. Alterum, *diliges proximum ut seipsum.* Notæ autem, & probationes Deum amantis sunt, observare mandata Christi, & pro eo usq; ad mortē dura perpeti. *Qui habet,* (*Ioan. 14.*) inquit, *mandata mea, & servat ea, ille est qui diligit me.* Et Apostolus: *Quis nos separabit a charitate Christi? tribulatio,* (*Rom. 8.*) *an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? sicut scriptum est, quoniam propter te,* (id est, iustum mandatum tuum) *mortificamur tota die,* (*Ps. 43.*)

*æstimati*

A *æstimati sumus sicut oves occisionis.* Qui enim vniversas vitæ huius cogitationes transcendentes, nihil aliud, quam solam Dei voluntatem cogitant, vt ad perfectam Christi charitatem pervenire possint, quotidie moriuntur. Hoc item b. Paulus desiderans dicebat, *Persequor, si quo modo comprehendam, in quo & comprehensus sum à Christo*, hoc est, vt diligam, in quo & dilectus sum à Christo, consummatam charitatem per huiuscemodi verba indicans.

Phil. 3.

Documentum porrò non diligentis Deum, & Christum eius, est mandatis illius non parere, quod ipse Dominus testificatur, cùm ait, *qui non diligit me, sermones meos non servat.* Proinde & nobis, fratres, vna communis via esto, mandata scilicet Christi, quæ nos ad cœlum, ie Deum perducant. Quanquam enim sacra scriptura diversas vias præscribit, non tamen penitus secundum naturam suam; verum ad facultatem, consilium atque scopum cuiusque in multa figurari dicitur, quando ex multis, & diversis operibus, actionibusque incipientes, quasi ex locis diversis, multisque vrbibus singuli abeuntes, in vnum diversorium, nempe in regnum cœlorum studemus devenire. Actiones autem, & spirituales divinorum virorum viæ virtutes intelliguntur sunt. Omnis enim virtus Dei mandatum est. Cæterum aliud mandati, aliud virtutis actio est, tametsi bonorum occasiones ex se mutuò accipiant. Actio mandati est, facere quod iustum est: virtutis, vt quod fit, veritati placeat. Est enim qui mandato obtemperat, & aperte vitioso affectui servit, & pravis cogitationibus bonam actionem obscurat, ac perimit. Qui igitur in mandatis Christi ambulare cœperunt, ad vnam metam debent currere, vt ex diversis regionibus, & locis in vnum vrbem (regnum cœlorum puta) vt supra diximus, conveniant, & digni habebuntur, qui vnà cum Christo regnent. Vrbem hîc vnam mihi, non multas, sanctam, & individuam virtutum trinitatem intelligito, vel potius primam reliquarum, quam & vltimam dicunt, vt finem bonorum & maiorem omnibus, charitatem, inquam, ex qua, & in qua fides omnis fundata, & spes ædificata est, ac sine hac nihil eorum quæ sunt, constructum, atque constitutum est, nec constituetur omninò. Etenim virtutes omnes sine hac marcidæ, & inutiles censentur. Et qui charitate destituuntur, quamvis interim nulla virtute careant, divina gloria nudi in die iudicij invenientur. Corpus siquidem absque capite mortuum, ac spiritu vacuum est. Multa porrò charitatis nomina, multæ actiones, multa indicia, proprietates divinæ & plurimæ, natura vna, & æqualiter omnibus prorsus ineffabilis, angelisque & hominibus, & omni alij creaturæ (quæ forte ignoratur a nobis) ratione incomprehensibilis, gloria inaccessa, consilio non investigabilis, æterna, quia & sine tempore, sub aspectum non cadens, & quæ intelligitur quidem, non tamen comprehenditur. Multa huius non manufactæ, & sanctæ Sionis decora & elegantiæ; quam qui intueri cœpit, de cætero spectaculis sensum moventibus non delectatur; non amplius gloriæ mundi huius adhæret.

Ioan. 14

B

C

D

ANNOTAT. Videtur Simeon dubitare, num præter Angelicam & humanam creaturam sit alia intellectu prædita. Sed pro certo statuendum est non esse aliam; Vnde enim quis divinet aliam esse, cum nec scripturæ, nec conciliorum, nec patrum auctoritas; nec ratio aut experientia quidquam de ea tradat. Imò in cap. *Firmiter extra de summ. Trinitat. & fide Catholica* dicitur Deus *creator omnium visibilium & invisibilium, spiritualium & corporalium, qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis vtramque de nihilo condiderit, creaturam spiritualem & corporalem; Angelicam videlicet & mundanam, ac deinde humanam, quasi communem ex spiritu & corpore constitutam.* Vbi nulla alia creatura merè spiritualis agnoscitur præter Angelicam; & nulla partim Spiritualis, partim corporalis præter humanam.

O desideratissima charitas, beatus qui te complexus est, quoniam posthac terrenam pulchritudinem turbido agitatus affectu non amplexabitur. Beatus qui ex amore Dei tibi est implicitus: totum quippe mundum abnegabit, & cum homine quocunque familiariter versans, nequaquam inquinabitur. Beatus qui venustates tuas exosculatus est, & infinita tui cupidine in te delicias suas habuit: nam aqua & sanguine ex te pariter destillante, secundum animam sanctificabitur. Beatus qui te cupide attraxit; quia pulchra immutatione immutabitur, spirituque & animo lætabitur, quoniam tu es gaudium inexplicabile. Beatus qui te acquisivit, quoniam thesauros mundi pro nihilo reputabit. Tu enim revera inexhausta es opulentia. Beatus, ac ter beatus, quem tu assumpsisti. Erit enim in abiectione quæ cernitur, omnibus gloriosis gloriosior, & honoratis omnibus honoratior, atque augustior. Laudabilis qui te quærit, laudabilior qui invenit. Beatior qui susceptus est à te, qui doctus abs te, qui habitavit in te, qui per alimentum tuum Christum immortalem nutritus est. O divina charitas, vbi Christum contines? vbi eum abscondis? Cur arrepto Salvatore mundi longe a nobis recessisti? Aperi etiam nobis indignis ostiolum tuum, vt & nos eum videamus, Christum, inquam, propter nos passum, & credamus misericordiæ illius, vt eo conspecto ne amplius moriamur. Aperi nobis, quæ facta es eius ianua, vt in carne appareret, quæ larga, & quæ cogi non poterant viscera Domini nostri, peccata & infirmitates omnium portare coegisti. Ne abijcias nos, dicens, *non noui vos.* Esto nobiscum, vt noveris nos; etenim tibi incogniti sumus. Habita in nobis, vt propter te Dominus, cum illi occurreris, nos quoque humiles visitet (nos quippe simul & semel indigni sumus) vt maneat, paululum tecum colloquens, & sinat etiam nos peccatores ad immaculatos eius pedes procedere: & loquere pro nobis bona, rogáque vt peccatorum debita nobis remittantur: vt ipsi per te rursus digni simus, qui Domino serviamus, & is alimenta nobis provideat. Nam nihil quidem debere, fame autem ex mendicitate emori, pœne par supplicium importat. Per te, sancta caritas, veniam consequamur. Per te bonis Domini nostri perfruamur, quorum suavitatem, nisi per te nemo gustabit. Qui enim te non, vt oportuit, dilexit, & abs te non est dilectus vt debuit, currit quidem fortasse, sed non comprehendit. Omnis autem qui currit, ante confectum curriculum de palma incertus est. Ast qui te comprehendit, aut abs te comprehensus est, omninò certus est, quandoquidem finis legis tu es. Tu enim Prophetarum magistra, Apostolici cursus socia, martyrũ virtus, patrũ & doctorũ inspiratio.

E

F

Mat. 25.

G

1. Cor. 9.

Curramus igitur & nos, fratres, quantum possumus eámque cum fide & observatione omnium Christi mandatorum consectemur. Qui namque hanc comprehendere meruerunt, spe sua nequaquam aliquando exciderunt. Enitamur verò, sicut per omnia, ita etiam per mutuam charitatem Deum colere. Omne siquidem studium, omnisque exercitatio cum multis connecta laboribus, quæ non in charitatem cum spiritu contrito tendit, inanis est, & in nihil fructuosum desinit. Discipuli enim Christi ex dilectione mutua, tanquam tessera cognoscuntur: nec potest quispiam in alia quapiam virtute, aut observatione dominici mandati discipulus Christi agnosci. *In hoc*, inquit, *cognoscent omnes, quod discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* Quod idem & B. Paulus indicat, in quo ipse Christus loquebatur. Quinque enim excellentia dona complexus, & citra charitatem inutilia, & periculosa esse docet, linguarum, prophetiæ, fidei, eleemosynæ, & martyrij. *Si linguis hominum, & angelorum loquar*, inquit, *si habuero prophetiam, & noverim mysteria omnia, & omnem scientiam: si habuero omnem fidem, vt montes transferam: si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas: & si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Qui autem vere ea præditus sit, ex operibus manifestè declarans, ait: *Charitas patiens est, benigna est, non æmulatur, non agit perperam, non inflatur,*

H

Ioan. 13.

1. Cor. 13.

A

*non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati: omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Charitas nunquam excidit.* Propter hanc & verbum caro factum est, & habitavit in nobis. Propter quam homo factus Dei filius, crucis vivificos cruciatus sponte ac libens pertulit, vt plasma suum, humanam naturam in multas partes a diabolo distractam ac diremptam, per fidem rectam, & charitatem spiritualem in unum congregaret, & à vinculis mortis liberatum recuperatumque in cœlum subveheret. Propter hanc & Apostoli irrequietum illum cursum cucurrerunt, & cum totum mundum retis sagena verbi conclusissent, e profundo idolomaniæ ad laetas regni cœlorum incolumem extraxerunt. Propter hanc Christi martyres, ne Christum amitterent, sanguinem suum profuderunt. Propter hanc divini patres nostri, & orbis terrarum magistri animas suas pro catholica, & Apostolica Ecclesia non inviti abiecerunt. Propter charitatem sancti omnes usque ad sanguinem peccato restiterunt, nullam rationem præsentis vitæ ducentes, & varia mortis genera sustinuerunt, vt à mundo ad seipsos, & ad Deum colligerentur, & naturæ veram in seipsis vnirent.* Hæc est enim vera, & incorrupta Dei sapientia, cuius finis illud bonum est, & veritas: siquidem bonum humanitas, & veritas amor Dei secundum fidem, argumenta charitatis, Deo homines, & inter se copulantis, & idcirco stabilem bonorum permansionem habentis. Hæc est ostium & via, quam Dei verbum seipsum appellavit, & in ea progredientes, Deo & patri puros ab omni concitata, & tenebrosa motione exhibet.

B

Vidi ego hominem, fratres, qui diligens in eo studium poneret, variósque modos experiretur, vt fratrum, quibuscum familiariter vivebat, hunc quidem sermone, alium muneribus, alium alia quadam occasione à vitiosis studiis & cogitatis abduceret. Et vidi eundem aliquando flentem hunc, nunc lamentantem illum etiam: aliquando & faciem suam, & pectus verberantem propter alium, qui verbo, aut opere deliquerat, sustinentem eius personam videlicet, & se illum ipsum, qui deliquerat reputantem, ac Deo confitentem, & illi procumbentem suppliciter, lugentemque vehementer. Vidi alium super certantibus & vincentibus tantoperè gaudentem, illorúmque in virtute progressus approbantem, vt appareret, ipsum illum potius, quam eos virtutum laborumque præmia accepturum. Propter eos autem, qui verbo, aut opere delinquerent, & in peccatis perseverarent, adeo tristem ac gemebundum, vt ipsum solum revera pro iis omnibus rationem reposcendum, & pœnis tradendum existimares. Et vidi alium salutis fratrum suorum tanto flagrantem desiderio, vt sæpe calentibus lacrymis, toto pectore, divinoque, & Mosaico zelo benignum Deum oraret, aut illis salutem daret; aut se quoque cum ipsis condemnaret. Sancta enim charitate in sancto Spiritu spiritualiter iis colligatus, ne in ipsum quidem regnum cœlorum intrare, & ab eis seiungi volebat.

C

O sanctum vinculum, ô vis inenarrabilis, ô cœlestia cogitans, vel potius divino afflatu concitata, atque in Dei, proximique charitate egregiè perfecta anima. Qui igitur ad hanc charitatem nondum pervenit, nec vestigium eius in anima sua vidit, nec eius præsentiam vlla ex parte sensit, adhuc in terra & terrenis, immo sub terra instar talpæ iacet, cæcus nimirum, vt illa bestiola, & solo sensu aurium in terra loquentes auscultans. O calamitatem, quoniam ex Deo nati, & immortalitate donati, vocationis cœlestis participes, & hæredes Dei, cohæredes autem Christi, & cives cœlestes, nondum tantorum bonorum sensum hausimus; sed sine sensu, vt ita dicam, sicut ferrum in ignem mittitur, aut vt inanima pellis colore purpureo imbuitur, nec sentit: ita & nos adhuc in tam multis Dei bonis manemus & versamur, nos in illis nubilo atque sensu consistentes, & vt iam salvati, sanctique ad-

D

E

scripti efferimur, & velut schemate in theatro elevati, sanctimoniam vt histriones simulamus, vitam miseram ducentes, mulierisque & scortis similes, quæ naturali carentes pulchritudine, fucis infricandis, & exoticis pigmentis seipsas stultè ornare creduntur. At non sanctorum denuò natorum characteres huiusmodi. Sciendum autem, quomodo infans vtero materno egressus, cùm aerem hunc non sentiens sentit, statim ad fletum, & vagitum nullius impulsu movetur: sic & qui denuò natus est, & e mundo hoc, vt ex utero tenebroso prodiit, & in cœleste lumen, quod mente cernitur ingrediens, paulum in illud quasi prospexit, mox incredibili gaudio repletur, & sine dolore lachrymas profundit, cogitans, vt consentaneum est, qualibus è tenebris liberatus, in quali luce versari dignus sit existimatus. Nam qui e tenebris eximitur, hic solus eorum miseriam, quibus illæ dominantur, præclarè cognoscit. Principium itaque in christianismo quempiam censendi hoc est. Cæterum, qui bonum tale nondum cognoverunt, & inspexerunt, nec ipsum perseverantia multa, lamentisque & lacrymis quæsiverunt, vt per huiuscemodi actiones purgati eo potirentur, & perfectè illi uniti, cum eo communionem haberent, quomodo, dic mihi, simpliciter, & absolutè spirituales nominentur? non enim sunt, quales esse oportet. Si enim *quod è carne natum est, caro est, & quod ex spiritu natum est, spiritus est*, Ioan.3.
qui secundum corpus genitus est, & virilem ætatem attigit, spiritualiter autem se nasci debere aut cogitavit, nec credidit, nec vnquam studuit, quomodo tandem spiritualis fiet, & spiritualibus sese annumerabit? nisi clam, vt qui sordidas vestes induit, sese sanctis splendidè amictis interserat, & in mensa regia cum illis discumbens, eiiciatur foras, ligatus manus & pedes, non vt Mat.22.
filius lucis, sed carnis & sanguinis, & mittatur *in ignem* Mat.25
*æternum, qui præparatus est diabolo, & angelis eius.*

F

Curramus igitur fideles totis viribus: festinemus pigri in laborum patientia: resurgamus mortui, vt obtineamus, seu potius vt participes fiamus charitatis, & ita cum ipsa ab his rebus demigrantes, creatori ac domino assistamus, extra creaturas aspectabiles cum ipsa constituti, & inaspectabili, increato, & experti omnis principij Deo vniti, cum ipso inaspectabilibus, & incorruptibilibus vniamur. *Præterit enim figura huius mundi, & cœlum ac terra magno impetu transibunt, elementa vero in medio ardentia solventur.* Et qui caritate tum vacaverint, cum visibilibus creaturis vt creaturæ derelicti, in igne, & horribilibus suppliciis invenientur: charitas enim Deus est, & non creatura, *Et qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo,* ut dilectus ille Ioannes ait. Sed forsitan aliquis insipienter quærat, quomodo extra thalamum, & regnū, & chorum iustorum alius insuper locus salutis, aut requiei non est? Stulte, sacram scripturam dicentem non audis, locum omnium qui salvantur Deum esse? *Esto mihi, inquit, in Deum protectorem, & in locum refugij, vt salvum me facias.* Salus autem est, quæ à Deo dabitur dignis, plenissima deificationis gratia, quam vix assequetur, qui acceptam in sacro baptismate gratiam fideliter custodivit, & per multa quæ passus est mala, adoptionem filiorum per Spiritum sanctum in hoc mundo factam tectam conservavit. Pauci enim sunt profectò, qui quasi decumanis vitæ fluctibus non iactentur, neque spinis eius suffocentur, & eius voluptatibus inescentur, ac serviant. Domus autem Dei, thalamus, & regnum omnia complexu ambiens suo, eius deitas est, solis dæmonibus, & peccatoribus inaccessa. Videtur quidem præclusa omnibus: sed fidelibus ac pro nobis tantum patet. Si igitur Deus lux est, à luce separati, quomodo tenebras effugiemus? Si extra thalamum inveniamur, quomodo vel aliquantū lætabimur? Si gratia privemur, quomodo tristitia carebimus? Si regno excidamus aspectu, inquam, & contemplatione Christi, & Dei nostri, quam aliam salutem, aut consolationem expectabimus, aut in quo alio loco delectari possimus? nusquam certè. Locus enim positionem cum

1.Cor.7.
1.Petr.3.
1.Ioan.4.
Psal.30.

G

H

circum

A circumscriptione significat. Deus autem nō est in loco, sed super omnia, ut qui capi & comprehēdi non potest, in quo omnium qui salvantur sedes. Quis ergo locus eorum, qui regnum eius amittant? An non audivimus, unum mandatum transgressum primum parentem nostrum Adamum in paradiso, & ipsum cum Eva divina gloria exutum, illicoque paradiso exterminatos esse? Sic mihi etiam de terribili iudicij die cogita. Quicunque divina gloria virtutum, & charitate, ut ille, nudatus reperietur, extra cœlestem thalamum, & regnum Dei mox expelletur, etiamsi peccatum non habeat, audiens à iusto iudice, non novi te qui sis. Et, *Quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem?* Qui namque potestatem accepit in hoc seculo filius Dei, regnique Dei, & bonorū vitæ æternæ hæres fieri, quique didicit multis modis, per quæ opera, & mandata ad hunc honorem, & gloriam sustolli debeat, & hæc omnia floccipendit, prætulitque terrena & fluxa, & vitam porcorum præoptavit, temporalemque gloriam æterna potiorem duxit, quomodo non iure ab omnibus fidelibus secludetur, & cum infidelibus, cumque ipso diabolo condemnabitur? In hoc enim, ait Scriptura: *Manifesti sunt filij Dei, & filij diaboli, quia omnis qui facit iustitiam, ex Deo natus est: qui autem facit peccatum, ex diabolo est.* Sicut & ipse Dominus apud incredulos Iudæos testatur: *Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere.*

Matt. 22.

B

1. Ioan. 3.

Ioan. 8.

Idcirco rogo, patres & fratres, dum tempus est, & inter vivos numeramur, studiosè contendamus, ut filij Dei, & lucis appellemur, id quod regeneratio nobis præstat. Nam ut Dominus noster Iesus Christus affirmavit; *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum cœlorum.* Sic rursum affirmavit; *Nisi quis natus fuerit denuò, non potest videre regnum Dei.* Et iterum; *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto, & igni.* Hoc enim est semen Christi, per quod nos mortales cognationem eius adipiscimur. Oderimus itaque mundum, & ea quæ in mundo sunt. Oderimus carnem, & quæ inde pullulant motiones malæ. Oderimus omnem pravam cupiditatem, & avaritiam funditus. Id facere poterimus, si magnitudinem excepturæ nos gloriæ, gaudij deliciarumque cogitabimus. Quid ergo, cedo, in cœlo & in terra maius, quàm Dei filium, & hæredem, & cohæredem Christi fieri? Nihil utique. Quicunque enim crediderunt, & in veritate ipsum receperunt, dedit eis filios Dei fieri, qui non possunt peccare, ut scriptum est: *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quia semen eius in eo manet, & non potest peccare, quia ex Deo natus est, & mandata eius servat.* Et: *Qui servat mandata Dei, in Deo manet, & Deus in eo, & malignus non tangit eum.* Nos autem, quia terrena, & quæ in manibus sunt præponimus, & quia bona in cœlis reposita non quærimus, nec ab eorum desiderio pendemus, primùm quidem perspicuum videntibus damus indicium, nos infidelitatis morbo oppressos, sicut legimus: *Quomodo potestis vos credere, qui gloriam ab invicem accipitis, gloriam autem quæ à solo Deo est, non quæritis?* Deinde & perturbationum nostrarum servi, terræ & terrenis affigimur, nec ullo modo in cœlum ad Deum vultus tollere volumus; sed in animi insipientia eius mandata repellentes, facimus, ne ab eo adoptari possimus. Nam qui credit Deum esse, magna quædam de eo concipit: novit enim eum solum herum, conditorem, ac dominum esse omnium inexplicabilem, immortalem, & regni eius non fore aliquando finem. Ergo qui scit talem esse Deum, quinam eundem non amabit? quomodo non etiam animam suam in mortem pro eius amore tradere conabitur, ut dignus sit, non dicam filius eius, & hæres, sed unus saltem è germanis eius servis, ipsi propius assistentibus fieri? Si autem omnis; qui in agone contendit, & mandata Dei custodit, sic, ut ab iis non deflectat, Deique filius factus, denuò nascitur, & pro verè fideli, Christianoque ab omnibus agnoscitur, nos verò mandata eius contemnimus, & legem

Ioan. 3.

Luc. 3.

C

Ioan. 1.

1. Ioan. 3.
1. Ioan. 5.

Ioan. 5.

D

E Dei aspernamur (quos, quando iterum cum gloria, & virtute tremenda veniet, supplicijs subiciet) in nostra fide ipsis operibus infideles nos ostendimus, in infidelitate autem verbis solùm fideles. Nolite errare, sine operibus nihil nobis sola fides proderit; est enim mortua, mortui vitam non adipiscuntur, nisi prius per executionem mandatorum hanc quæsierint. In qua executione velut fructus cum usura producitur in vobis charitas, eleemosyna, erga proximum compassio, mansuetudo, humilitas, lacrymæ, tentationum patientia, castimonia, puritas cordis, per quam dignamur visione Dei; & in qua Spiritus sancti adventus atque illuminatio sita est, quæ denuò nos generat, & Dei filios efficit; Christumque superinduit, & animæ lampadem accendit, & filios lucis reddit, & ab anima nostra tenebras dispellit, & deinceps iam æternæ vitæ consortes, quod cognoscamus, facit. Quare ne quibusdam alijs actionibus, & solis confisi, ieiunijs dico, vigilijs, & alijs corporis afflictationibus, hanc mandatorum Dei obedientiam vilipendamus; quasi per illas sine hac saluari queamus. Hoc enim fieri non potest, non potest, inquam, fieri, idque tibi quinque virgines fatuæ persuadeant, quique multa signa, & prodigia perpetrarunt. Qui quod charitatem in se, & sanctissimi Spiritus gratiam non haberent, à Domino audiverunt; *Discedite à me operarij iniquitatis: non enim novi vos*, unde sitis. Nec isti modo, sed cum istis alij præterea non pauci, qui fuerunt quidem à sanctis Apostolis, eorumque successoribus baptizati, verùm Spiritus sancti gratia propter improbitatis magnitudinem caruerunt: nec vitam vocatione, qua vocati erant, consentaneam egerunt: nec Dei filij appellati sunt; sed caro & sanguis manserunt; nec an esset omnino Spiritus sanctus credentes: nec illum quærentes; nec se accepturos exspectantes. Vnde huiusmodi homines nec desideriorum carnis, nec turbidarum affectionum capessere imperium unquam poterunt, nec ullum egregium virtutis documentum præbebunt, cum Dominus dicat: *Sine me nihil potestis facere.* Sed elaboremus, obsecro, patres & fratres, & quantum in nobis est, ut de cætero charitatis, & Spiritus S. communionem promereamur, quo & præsentia, & futura bona assequamur, gratia, & benignitate Domini nostri Iesu Christi, cui gloria in sæcula sæculorum, Amen.

Iacob. 2.

F

Luc. 13.

G

Ioan. 15.

## ORATIO XXIII.

### ARGVMENTVM.

*De abnegatione, & exscidio propriæ voluntatis. Qua ratione vita ascetica colenda sit; in qua expediat habere ducem, id est, patrem spiritualem, cuius opera virtutem, asceticaque artis opus perdifficile discas. De fide in patres spirituales, & visione luminis, à quo illuminata omnis anima proficit in charitate erga Deum.*

H

CVm te in cœnobio, frater, collocaveris, noli patrem, à quo detonsus es adversari, tametsi scortis, aut poculis deditum, & opinione tua monasterij res malè administrantem videas, atque etiam verberibus & ignominia, multisque alijs vexationibus ab eodem afficiare. Ne sedeto cum illis, qui probra in eum torquent? neve ambulato cum iis, qui malum ei machinantur. Quæcunque autem laudabilia factitantem cernis, ea in corde tuo recondе, eaque tantummodo meminisse contende. Quæ vero indecentia, & improba vel agentem vel loquentem notaveris, ea tibimet adscribe, & in peccatis tuis numera, & cum lachrymis pœnitentiam age: illum pro viro sancto habe, & preces eius implora. Quod si in cœnobio non vivis, Deum impensè ora, uti hominem tibi demonstret, qui te commodè regat: quemque ille aut secretò per

A semetipsum, aut apertè per aliquem servorum suorum ostenderit, eum pete, nec aliter quam si Christum aspiceres, & alloquerere, venerator. Nam non secus quàm ipsi Deo eius voluntati parere debes: ut quæ in rem tuam sunt, ab illo doceare: quæque is tibi dixerit, sine ulla hæsitatione in opus confer, quamvis tibi non bona, & damnosa videantur. Præstat enim, discipuli discipulum vocari, quam ad numeros suos vitam instituere, inutilesque propriæ voluntatis fructus decerpere. Quando igitur ab eo audies, exi de terra voluntatis tuæ, & de cognatione sensus tui, ne cuncteris, neve erubescas, à vana gloria victus videlicet. Si dixerit, agedum veni in terram obedientiæ, quam monstrabo tibi, curre mi frater quantum potes: ne des somnum oculis tuis, ne pigritia, aut desidia dissolutus, contrahas genua tua. Fortassis enim illic apparebit tibi Deus, qui patrem multorum filiorum te facturus, terramque promissionis tibi donaturus est, B quam hæreditatem iusti duntaxat adibunt. Si te sursum in montem duxerit, impigrè conscende. Etenim sat scio, Christum transfiguratum, & divino lumine clarius ipso sole collucentem aspicies, nec sustinens intueri, quæ nunquam spectasti, pronus fortasse cades, vocemque patris desuper audies, & nubem obumbrantem, ac prophetas astantes, & eum vivorum mortuorumque dominum esse confirmantes videbis. (Mat. 17.) Si te sequi hortabitur, fidenter cum eo per oppida vade, maximum inde fructum capturus, si in ipsum solum respexeris. (Mat. 9.) Si cum fornicariis, & publicanis manducantem cernes, nihil commoveare, nec humanum aliquid, sed omnia affectu sinistro carentia, & sancta de ipso cogita. (1. Cor. 9.) Item illud: *Omnibus omnia factus sum, ut omnes lucrarer*, in animo versa, dum eum humanis se affectibus attemperantem observas. Sed neque si oculis tuis videas aliquid, universè & planè illis credito: falluntur enim etiam hi, quod expertus novi. Ipsum sequens, illique dicto audiens, ne comites & socios tuos considera, neve dicas de aliquo; *Domine,* C *hic autem quid?* (Ioan. 21.) sed tibi semper attende, & ante oculos mortem propone, ac tecum expende, qua virtute Deum glorifices.

Ne supercilium tollas propter magistrum tuum, si honorêre à maioribus: non, quod propter illius famam multos tibi obsequentes habeas: sed gaude potius, si nomen tuum in cœlo humilitatis scriptum sit. (Luc. 10.) Quod si etiam umbram tuam videris dæmonibus formidabilem, ne tibi istuc, sed patris tui precibus attribue, & amplius te formidabunt. Si te in mensa, & propius assidere hortabitur, agnosce gratiam & admitte, illumque tacitus sanctè observa, & cole, & ne quid de appositis, nisi precibus ab eo factis, attinge: nec citra eius iussum ac voluntatem alteri porrige: nec quempiam alteri præferre aude. Quod si post omnes alios te vocabit, cave dicere, à dextris, aut sinistris sedebo, cùm hoc aliis paratum esse non ignores, & audieris, *qui vult omnium primus esse, sit omnium ultimus.* (Mat. 20.) Partem infimam, ut primæ conciliatricem amplectere, & magistrum dilige, quippe qui scitè per vilia & abiecta ad maiora te laboret evehere. Neque verò per arro- D gantiam primus cum ipso manum in paropsidem intinges: cuius enim sit hæc audacia, non te fugit. Si tibi pedes abluere voluerit, eum ut dominum & magistrum reverere, & renitere. (Mat. 26.) Sin dixerit; *Nisi pedes tibi lavero, non habebis partem mecum*, etiam totum corpus tuum abluendum alacriter expone: (Ioan. 13.) ut ex his, quæ tibi fiunt, sublimitatem & magnam humilitatis, etiam deos facientis, intelligas, & maiorem tunc utilitatem referas, si animadvertas, quam si tu patris tui pedes abluisses. Si dixerit inter accumbendum, *Unus ex vobis me tradet*, aut scandalizat me, ne tegas dolum: sed si conscius tibi es, confitere: sin autem, ad pedes eius in faciem tuam prostratus, cum lachrymis interroga, *Nunquid ego sum Domine?* Etenim *in plurimis, & per ignorantiam offendimus.* (Mat. 6. Iacob. 3.) Porro in pectus patris recumbere non conducit tibi. Nam etsi Ioannes præ multa

E erga Christum charitate, ut cum homine ego liberè, nihilominus & ipse cum omnibus, cum etiam recubuerit, seipsum inutilem servum vocare iussus est. Si videris ducem tuum supra naturæ morem mira edere, famaque clarescere, crede, & lætare, Deoque gratias age, quod huiusmodi magistrum sortitus es. Sed ne invidi scandalum tibi pariant, cum eum ab illis forsasse ignominiis onerari, & alapis cædi, & raptari conspicies: quin ut fervidus ille Petrus gladium arripe, eiusque qui contra patrem tuum blaterare, aut eum attingere non veretur, non auriculam solum, sed & manum, & linguam amputa. Quod si etiam, ut ille, castigêre, omninò tamen ob egregiam fidem, & charitatem magis laudabere. Sin, ut homo, perterritus dixeris, *non novi hominem*, rursum super hoc amarè plora, & ne desperatione absorbeare. Quod si faxis, persuasum habeo fore, ut ille F te primum ad se attrahat. Si eum tanquam sceleratum in crucem affigi, & pro sceleratis mori aspexeris, si potes, commorere: aut certè ne malis ut malus, & proditor te adiunge, neque cum ipsis in sanguine innocenti communica; sed ut qui ex timiditate, & infractione animi paulisper pastorem deserueris, fidem in illum de integro custodi. Si vinculis levabitur, ac dimittetur, iterum accede, ac velut martyrem amplius venerare. Quod si in tentationibus animam reddiderit, corpus eius sine metu require, & illud multò magis, quàm vivens præsens honora, unguentoque delibutum, sumptuose tumula. Quanquam enim non post triduum extremo die profectò cum universis resurget. Crede autem, illum cum fiducia astare Deo, tametsi corpus eius sepulchro abs te conditum iaceat, ac sine dubitatione preces eiusdem exposce, & epulabitur tibi hic, atque in adversis omnibus tuebitur te, & è corpore excedentem recipiet, æternamque mansionem præparabit tibi. Si post omnia quæ diximus, seorsum te vocarit, & ad quiescendum hortatus, dixerit, sede hic, & publico abstine, *Donec induaris virtute ex alto*, cum fir- (Luc. 24.) ma spe, & inexplebili gaudio obedi: verax siquidem, fratres mei, talis magister, & à mendacio alienus est, G Superveniet namque in te etiam nunc par sanctissimi Spiritus virtus, non in specie ignis, ut sensu percipi possit, apparens; nec cum multo sonitu, & spiritu vehementi (hæc enim propter incredulos facta sunt) sed in specie luminis, quod menti patet, cum omni tranquillitate & iucunditate animi; sic, ut intelligas, tibi apparebit: quod æterni, ac primi illius luminis procœmium, & fulgor ac scintilla quædam sempiternæ beatitudinis est. Hoc nunc lucente lumine, omnis inquieta, ac turbulenta cogitatio disperit, & omnis concitatio animi in otio dissipatur, omnis corporis morbus sanatur. Tunc oculi cordis tui purgantur, cernuntque Deum, (Mat. 5.) quod in beatitudinibus scriptum est. Tunc velut in speculo parua errata sua intuens anima, in abyssum humilitatis demittitur, perspectaque gloriæ magnitudine, omni lætitia & voluptate repletur, & insperato attonita miraculo, lachrymis ubertim rorat: atque ita totus homo immutatur, & Deum cognoscit, ab eoque primum cognoscitur. Hæc namque sola omnium cœlestium ac terrestrium, præsentium & futurorum, tristificorum lætificorumque contemptionem homini ingenerat, quem simul amicum Dei, & filium Altissimi, & H Deum (quantum quidem in hominem cadit) efficit.

Vide igitur, frater, ne fortè præter voluntatem deteriores sequaris. Nam qui perspicientia valet, lupum ab ove, latronem à pastore internoscet; sicut nimirum ipse Dominus ac Deus noster affirmavit; (Matt. 7.) *Attendite*, inquit, *à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. A fructibus eorum cognoscetis eos.* Ut enim arbor ex fructu, sic homo ex sermone, & opere suo qualis sit cognoscitur, sed cognoscitur ab iis, in quibus sana est ratio, & animæ sensus constat. Cæteri namque homines etiam ad ipsa opera discernenda stupidi ac stolidi sunt. Quempiam ex inedia captantem auram popularem,

A videntes commendant, & cum humilitate comedentem damnant. Alium inhumilitate cibo abstinentem pro hypocrita habent; contra ingluviei deditum, simplicem, & minimè in epulis accuratum ducunt, qui cum crebrò accumbere delectantur, vitiosas inde affectiones suas consolantes. Quin etiam salem simulantes, facetasque nugas intempestivè effutientes, & gestibus indecoris risum aliis moventes, velut qui per studia istiusmodi, gestus, & sermones virtutem suam, & ἀπάθειαν tegere conentur dum reputant, eos qui cum religione, cum virtute, & simplicitate cordis vitam traducunt, verè sanctos, ut aliquos de fæce vulgi falsis ratiunculis decipiant, iisque antevertunt. Adhæc alij loquacem, & ostentabundum, appositum ad docendum, & spiritualem esse existimant: taciturnum, & otiosa verba caventem sedulò, agrestem & mutum pronunciant.
B Alij in Spiritu sancto loquentem, ut alta sapientem, ac superbum aversantur, verbis eius attoniti magis, quàm compuncti: natura autem, aut ex disciplinarum peritia ore rotundo differentem, & contra salutem suam mentientem, supra modum commendant, & probant. Atque ita nullus inter hos est, qui rectè, & ut se habet, rem videre, diiudicareque possit. Rari sunt enim, & his temporibus potissimùm, qui animos bene regere, eorumque morbos probè curare sciant. Ieiunia enim, & vigilias & speciem pietatis multi fortasse simularunt, aut etiam opere exercuerunt, nec pauca è pectore depromere, & verbis docere plures facilè possunt: ast qui cum lachrymis motus à ratione aversos exscindant, virtutesque comprehensivas ita possideant, ut iis spoliari nequeant, perpauci reperiuntur. Virtutes comprehensivas appellamus humilitatem, vitiosarum affectionum ingulatricem, & cœlestis, atque angelicæ apathiæ conciliatricem. Item charitatem, quæ nunquam stat, neque cadit; sed prioribus semper adiicit, desiderium desiderio, amorem amore cumulans. Ex qua discretio existit, quæ & seipsam, & sequentes se rectè ducit, & bene procedendo ac proficiendo
C mare, quod sola intelligentia percipitur, traiicit; quam & tu Deum poscere debes, nunc maximè, quò res tuas secundum eius beneplacitum discernas, atque diiudices, & ita labores, contendasque, ut Christum & in hac vita adiutorem, & in futura claritatis suæ voluptatem affatim & tibi impertientem invenias. Et neque ut pastorem sequaris lupum, neque morbido gregi te immisceas, neque solus seorsum reperiare; ut neque aut à lupo animarum perditore, aut à bellua interceptus conspiciare; aut alio atque alio morbo ægrotus, secundum animam intereas; aut cùm solus cecideris, illud væ in te quadret. Qui enim bono se præceptori tradiderit, nihil istorum curabit: sed sollicitudinis expers, vita peracta, in Christo Iesu Domino nostro saluabitur. *Eccles. 4.*

## ORATIO XXIV.

### ARGVMENTVM.

D *Ducem Christi gregis ratione praditi primùm semetipsum accuratè considerare, & explorare debere: quippe quem discere, & exequi Dei voluntatem semper oportet, & ita demum alios idipsum docere: quo sermo doctrinæ eius cum actione coniunctus, auditoribus gratus accidat. Alioqui salutem sibi suam ipse curet, ne tum sibi, tum quibus præest, perniciem atque interitum creet.*

DOminus noster Iesus Christus non solum docentem beatum prædicat: sed eum quoque, qui fecit, ante quam doceret. *Beatus*, inquit, *qui fecit & docuit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.* Et sancti Patres *Matt. 5.*

E Ecclesiæ lumina ac magistri, nihil scriptis mandarunt, aut voce docuerunt, quod ipsi prius facto non præstitissent, & ubi præstiterunt, res illis successit ex sententia. Etenim discipuli magistro tali operam dantes, ad eius imitationem incitantur: nec tantum ex illis sermonibus proficiunt, quantum præclaris eiusdem actionibus & exemplo ad virtutem capessendam exardescunt, & iisdem vestigiis incedere coguntur. At enim, væ nobis, fratres, cùm in istam confidentiam, & in has tenebras monachi incidimus, ut vos Christi oves sine Christo pascere aggrederemur, ac propter voluptatem, commodaque corporis, & acquirendam pecuniam, honoremque ab hominibus (væ abiecto mihi atque misero) Apostolicam dignitatem omnimodis assumere contendimus, illorumque potestatem auro mercamur, nec Deum timentes, nec homines nos intuentes veriti. Ac
F solium quidem regis illo invito conscendere nemo audet. Sed neque Grammatici, aut Rhetoris alicuius occupare locum, qui idiota sit, neque audiente populo scripturas recitare, qui literas nescit; cùm nos interim Apostolici muneris amplitudinem quærimus; aut etiam delatam non reiicimus, qui gratiam Apostolorum nondum accepimus; neque fructus eius in nobis demessos aspeximus. Et quomodo, fratres, tantam audaciæ magnitudinem concipere non formidamus? Dicite mihi, dilecti, si frequens ista, & ampla civitas quempiam advocaret, ac diceret, te Præpositum, & Imperatoris Protovestiarium creabimus, tu solus ascende in regiam, ingressusque, causam nostram apud Imperatorem age, ipsumque precare, ut hæc, & illa nobis præstet. Si is palatium nunquam intravisset; sed tam ipsis aulicis omnibus, quàm Imperatori ignotus esset, num istuc unquam facere, aut dignitatem istam inire sustineret? Adeò procerum fore neminem omnes procuidubio fatebimur, & suasores istos ut insanos & amentes reprehensurum, & irrisurum, dignitatemque non ut honoris, sed ut dedecoris, & supplicij materiam repudiaturum. Si igitur in rebus humanis hæc, & similia com-
G mittere nefas est, nonne horribile est ac videtur, fratres, apostolicam dignitatem inconsideratè suscipere, & ad inaccessibile lumen accedere, mediatoresque & interpretes Dei & hominum fieri? Num leve quiddam, & despicabile huius rei conatum ducimus? Prô dolor, fratres, quoniam, ut vereor, in quandam tenebrarum universitatem devoluti sumus, atque idcirco quam audaci nos facinore obstrinxerimus, non videmus. Nam si videremus, nunquam eo arrogantiæ, confidentiæque processissemus, ut divinis rebus insultaremus, maioreque honore ac timore terrenum, quàm immortalem regem Christum coleremus. Quocirca nos ipsos excutere, examinareque, & ad hunc magistratum indignè conantes ascendere, omni ratione evertere, eorumque consiliis obviam ire ne desinamus; sed pro virili nostra appetitu rationi haud consentaneo eos prohibere studeamus, ut & ipsos damnatione liberemus, & nos vitam securiorem agitemus.

Porrò qui in semet diligenter inquirens, omni gloriæ desiderio solutum, nec ullum in se voluptatis, aut
H corporeæ cupiditatis vestigium invenit, avaritiaque, & malevolentia ob illatam iniuriam purgatum, perfectè mansuetum, & irasci nescium, ut sola auditione nominis Christi, eius amore ac desiderio accendatur, & oppleatur lacrymis, & insuper proximorum vice lugeat, alienaque delicta sua æstimet, ac se maiorem omnibus peccatorem ex animo reputet, ac postremo, si uberem sancti Spiritus gratiam, solis instar in se micantem, & interiora cordis eius perficientem videt, & ubi miraculum in se manifestè perpetrari animadvertit, ut ardeat quidem in eo, quod igni inaccessibili uniatur, non autem comburatur, in eo, quod eius anima omni turbido motu vacet: præterea, si sic humiliatur, ut se haud idoneum, & indignum, humanæ naturæ infirmitatem sciens, arbitretur, fidit verò supernæ gratiæ, & aptitudini, quam illa largitur, & eadem ita postulante munus alacriter capessit, omnem

A humanam ratiocinationem repellens, animamque ipsam propter solum Dei mandatum, charitatemque proximi pro fratribus morti obiectat: si insuper mentem omni mundana cogitatione immunem habet, & lucida humilitatis tunica copertus est, ut erga adiutores suos nec modice afficiatur, sed pari bonitate, candore, & innocentia cordis sui in omnes est; ne tunc quidem citra Patris sui consilium ac voluntatem provinciam suscipere audeat: sed humiliet se, & eo bene precante iubenteque id faciat, præfecturamque ob solum fratrum salutem accipiat. Verum si patrem suum spiritualem eiusdem spiritus participem, & eadem cognitione ac dono dignatum novit, ut non divinæ voluntati contraria, sed secundum ipsum donum, & mensuram loquatur ei, quæ Deo placent,
B & eius animæ conducant, quo non Deo, sed homini obediens inveniatur, & gloria, collatoque sibi dono exuatur. Si enim adiutorem bonum, & spiritualem consiliarium invenerit, tutius istuc munus auspicabitur, & humilius de se sentiet. Hæc itaque omnia & his plura si videns viderit, verè inveniet, & per seipsum cognoscet, immo verò à sole iustitiæ discet, si forte etiam in solem aliquando oculos intendit. Quod si quæ prætexuntur talia & tam difficilia sunt, nec facile est intelligere, quomodo secundum Deum fiant, quanto tandem operosior erit rei ipsius aggressio, & administratio, & ad tentationes sufferendas patientia, & in bellis huiusmodi subtilissima diiudicatio?

Quare, pater spiritualis etiam atque etiam cor tuum inspecta, oculum animi tui magis semper lava, purumque & mundum conserva, per quem & cor tuum, & commissarum tibi ovium, vel potius patrum & fra- [Rom. 12] trum tuorum perspicere poteris, bene illos internoscens, ac pro eo ut decet gubernans. Ecclesia enim, seu conventus & congregatio monachorum corpus
C quoddam est, ut audis ex Paulo de Christianorum Ecclesia: & eius caput præpositus. Tum quemadmodum cætera corporis membra singula seorsum suam propriam functionem habent, ut pes ambulandi, manus tenendi, & operandi, caput autem totius instar est, utpote in quo omnes sensus, & mens, & ratio habitant; sic & in monasterio fratres non omnes omnia, sed alius aliud quiddam efficere, & in hoc vel illo ministrare consuevit. Unde in cœtu sub unius obedientia degentium vix unam, aut duas virtutes in eodem invenias. Nec mirum, membra enim particulatim sunt; Præses autem, sive Præpositus omnes virtutes poscitur; nec solum illas quæ in anima, sed etiam quæ in corpore subiiciuntur: & insuper cum virtutibus ipsa mystica, magnaque charismata. Sicut namque viri caput, ab externa conformatione, & decora specie eximiam, & honore dignam præfert elegantiam: veruntamen nisi mens in eo vigeat, sensusque salvos, & integros habeat, inutile iudicatur, spernitur que ab omnibus: ita sanè & Præfectus. Non enim
D tantummodo ab animæ, & corporis dotibus ornari, & fulgere, verùm etiam a charismatis spiritualibus plus honestari debet: siquidem aliud est virtus, & aliud charisma. Virtutibus enim studio ac diligentia nostra rectè fungimur, & nostris eæ laboribus comparantur: spiritualia vero charismata dona sunt, quæ certantibus a Deo dantur. Verbi causa, ieiunium, & castitas virtutes sunt, marcidas etenim reddunt voluptates, & corporis incendia compescunt: quæ quidem nostræ voluntatis & arbitrij opera sunt. At verò sine afflictione, ac labore has exercere, & ad castimoniam, absolutamque perturbationum vacuitatem pervenire, hoc donum Dei, & charisma summum est. Rursum, iræ, & excandescentiæ imperare, magni certaminis est, laborisque non mediocris. Eò autem venire, ut ab his motum nullum sentias, & cordis tranquillitatem, perfectamque mansuetudinem possideas, solius Dei opus, & illius dextræ mutatio est. Rursum, [Ps. 76] dispergere ac distribuere facultates omnes pauperibus, mendicumque fieri, & stipem cogere, nostri est pro-
E positi, atque consilij. Sed nihil concupiscere, quin cum gaudio & voluptate mendicitatis durissima perferre incommoda, mystica quædam, & divina operatio est. Sic quælibet actio bona & honesta, secundum Dei legem suscepta, virtus dicitur. Tamen sicut agricola solum arando fodiendo, & semina humo obruendo laborat, Dei autem munus est, ut eadem semina comprehendant, & fructum ferant matutinum ac serotinum: ita & in spiritualibus omnino usuvenire comperies. Nostrum est nullam actionem subterfugere, & cum labore, ac sudore virtutum sementem facere: Dei solius donum & misericordia ut imber quoque beni- [Ioan. 11.] gnitatis eius, & gratiæ terram cordium nostrorum irriget, & ex sterili frugiferam efficiat: ut si granum sermonis, quod in animas nostras cecidit, divinæ clementiæ humorem acceperit, oriatur, atque augescat,
F & in arborem proceram excrescat, in virilem videlicet perfectionem mensuræ ætatis plenitudinis Christi.

Te igitur pastorem ovium Christi omni virtute, ut diximus, qua spiritus, qua corporis conspicuum esse oportet, ut caput reliqui corporis; eius nempe quæ tibi subest Israeliticæ Ecclesiæ: quo fratres tanquam in archetypum bonitatis in te intuentes, ipsi quoque bonos, ac regales characteres quam maximè sibimet insculpant. Ne ergo tuba resonare in te unquam desinat: sed aliis quidem venturam super inobedientes, & præfractos thomphæâ prænuntia: ut si tibi non obtemperetur, tuam saltem a terribili ira Dei serves animam. [2. Tim. 4] Alios autem admone, dòce, roga. Si qui interdum reprehensionibus, & obiurgationibus egeant, insta opportunè, importunè, argue, increpa, conatus eorum ad malum comprime, ut tibi mandat divinus Apostolus. Viscera tua omnibus fratribus tuis æqualiter aperi, totumque collegium dilige, & honorem cuique pro dignitate (quantum scilicet eius virtus meretur) tribue, spirituali ac virtute prædito ne illum quidem anteponens, quem in ministeriis gregis tui prin-
G cipem habes. Qui enim ministrant, septem diaconorum, de quibus est in actis Apostolicis, dignitatem, offi- [Act. 6.] ciumque adumbrant; qui etiam velut spiritus administratorij sunt, in ministerium missi, & sincerè, ut illi, fideliterque, ac nullius turpis lucri gratia ministrantes, mercedem meritò & magnam tum hic, tum illic recipiunt. Cæterùm qui orationi, quieti, & ministerio verbi instant, in patientia exercitationis operum præstantissimorum, ipsorum Apostolorum & coryphæorum excellentiam tecum repræsentant: quos & in Evangelio spiritualis doctrinæ tuæ auxiliares habebis, fratrum onera suscipientes, & laboribus te levantes, in medio videlicet reliquorum, ut lapides pretiosos versantes. In hoc munere nulla tibi requies corporis, nulla oblectatio. Noctes perinde ut dies in curam concreditarum tibi animarum impendes, ne qua ex ipsis à bestia excipiatur; aut ab urso concupiscentiæ devorata, aut à dracone iracundiæ absorpta, aut à gryphibus superbarum cogitationum discerpta, & una unius diversitatibus huiuscemodi distracta ac dissipata, mulcta
H fiat: sed ut gregem tuum incolumen, fœcundum, totum virtutibus multis fructuarium, divina cognitione illustratum, non scabiosum, non truncum auribus, aut planè claudum principi pastorum conserves. Sic enim [1. Pet. 5.] & multos servabis, in operibus perfectis perfectos reddens, nemini in ullo cedentes, totos castos, & à sordidis operibus puros Christo tuo offerens; teque ipsum magnis & cælestibus remunerationibus dignum præstabis, contubernalis Apostolorum & pastorum Christi factus, & unà cum ipso Dei Filio in infinita sæcula regnaturus.

Vita tua inculpata, & recta in medio fratrum, ac patrum tuorum pro canone seu regula esto proposita, ad quam aliorum obliquitates, tortuositatesque dirigantur. Ne vanitatum mundi sis amans, ne gloriæ, ne voluptatis, ne mensarum, ne vini. Ne sis nugator, aut scurrilis, aut avarus: ne iracundus, ne inanis gloriæ cupidus, ne contumeliosus, ne iniuriæ memor, &

malum

A malum pro malo rependens: sed esto potius pauper, gloriam, omnemque vitæ huius voluptatem, & carnis delicias odio habens, demisso animo, frugalis, ad compunctionem facilis, placidus, mansuetus, expers iræ, non avarus, incuriosus, quietus, decenter vestitus, patiens, fidelis, continens, sine sollicitudine, vigilans, diligens, æmulator, commendatarum tibi animarum, non secus quàm tuorum ipsius membrorum curam gerens; &, si res postulet, pro unaquaque illarum etiam tuam animam ponens, nihil quippiam mundanum charitati erga illos præferens. Etenim postquam aliis, ad gregem Domini ac Dei tui rationis compotem pascendum, regendumque prælatus es, oportet te iuxta verbum eius, spiritu, & humilitate tua secundum Deum, ultimum esse omnium, ut tanquam validus infirmitates invalidorum sustentes: ut medicus autem secundum animam ægrotantium morbos, & affectiones cures: B ut pastor, quod errat in viam reducas: & quod bene valet, virtutibus fœcundum reddas: scabie verò opertum, & incurabile, à grege tuo abscindas, ne etiam sanis ovibus tuis luem afficiat. Domini tui gregem augere labora. Ne ad remissiones, aut suavitates corporis deflectas, neque lanam, & adipem ovium Christi perperam consumas, tibi magis quam fratribus tuis monasterij opes ad voluptates tuas in thesaurum recondens. Ne propter hominum gloriam quidquam rerum ad monasterium tuum pertinentium agas aut corrigas. Ne ames crebrò prodire in mulis splendidè instratis, cum magno præcedentium sequentiumque famulorum comitatu. Sufficiat tibi vel semel in mense foras exire, & gregis tui negotia maioris momenti obire. Cætera curabunt qui ministrant, qui abs te ministerio verbi, & procurationi fratrum, cum precibus intento, nunquam distrahuntur. Ne tibi epulas sumptuosas, filiis abiectas, plebeias, & inconditas para: sed communis mensa, sine aliquo morbi periculo, & invitatione amicorum, tibi cum filiis tuis esto, quorum idem te- C cum sensus, idem institutum vitæ, sive ex coctis oleribus, & leguminibus, sive ex pisce semel per hebdomadem, dominico die, & festo despotico (hoc est, solemnioribus Domini festis per annum) à cellario cõmuniter paretur. Vbi nihil existit, quod animæ periculum afferat, cavebis ira, & clamore contra fratres, ac filios tuos insurgere; sed miti sermone & alloquio docebis eos, quomodo unumquemque ambulare, & in medio fratrum conversari deceat. Iuniores, & nondum confirmatos monebis parcere sibi ipsis, & aliis fratribus, ne aspicientibus incessu, moribusque, ac studiis incompositis offendiculo sint. Qui in statu religioso diutius vixerunt, eos prudenti oratione ad patientiam tentationum ab inimico supervenientium, humilitatem, contritionem cordis, compunctionem, lacrymas, diligentiam, persolutionem precationum, beatum luctum, & ad verbo opereque cæteris commodandum erudies. Sacerdotes pietatem docebis, quietem, divinarum scripturarum meditationem, accuratam Apostolicorum canonum, traditionumque scien- D tiam, dogmatum sinceritatem, cordis puritatem, in precibus constantiam, & compunctionem, in timore & tremore ad Dei solium assistentiam, sacrificij mysterium, revelationem mysteriorum Dei, quoniam secundum Domini vocem ipsis datum est nosse myste- *Luc. 8* rium regni Dei, ut toti fratrum multitudini, & extraneis divinum sal, & lumen, verbum vitæ in seipsis continentes fiant. Quod si etiam contra turbulentos, & inordinatos aliquando te in virga & baculo cum ratione irasci oportet, ut malum aliquod prohibeas, & pestiferam inter eos labem reprimas, ne opus malum, & affectus vitiosus in deterius serpat, neque istuc Apostolicis constitutionibus, & divinis Patribus alienum iudicatur. Omnis siquidem motio, & actio nostra, quæ improbitatem compescit, ac persequitur, institiæ autem ac virtuti patrocinatur, laudabilis est, & Deo placet, iustisque omnibus probatur maximè. Testis Iesus, qui contumaces Iudæos ex domo *Ioan. 2.* orationis domum negotiationis facientes, flagello percussit, & mensas nummulariorum evertit. Ne igitur prætexens mansuetudinem, propter solam laudem humanam modicum quippiam præter Dei mandatum admissum ad subversionem apostolicorum canonum, & constitutionum, contumeliamque vitæ Evangelicæ, & status monastici neglexeris; sed Iesum ac Dominum tuum imitatus, infremens, ac teipsum sine turbatione turbans, mandata Dei, & canones ab eius Apostolis præscriptos ulciscere. Cum omnibus istis etiam cuiusque cogitationes diligenter investiga, ut noris, qui ex ipsis ad comprecantium, & communicantium cœtum admittendi, & quibus excommunicatione ac pœnitentia cum lacrymis, stationeque pœnitentium opus sit; ne Ecclesiam pro templo sancto speluncam latronum, aut lupanar vel sciens, vel insciens faciens, dum per affectum cuipiam affixus es, & idcirco horrendum Dei F iudicium non effugias. Scito enim unicuique talium ab iis qui spectatores, & discipuli sermonis fuerunt, locum convenientem, ac iure destinatum esse, quorum canonibus, constitutionibusque legendis incúbere necessariò debes ut ne ignores, quæ credentium in Christum abscondita sint mysteria, & ne pecces, dum pietati erga Deum parum consentanea geris. Spirituales filios tuos secundum scripturas religiosos redde, eosque à sacris & divinis locis, simul & vasis templi Dei sanctificati, & ministerij eius abstinere doce siquidem scriptum est, *Beatus homo, qui semper est pavidus*, quandoquidem solis consecratis, & qui ex certaminibus ac pœnitentia per lacrymas multas purgati, immaculatorumque Christi mysteriorum participes sunt, sanctificatis, & religiosissimis monachorum ministerium talium, & contrectatio a Patribus, & Apostolis dicata est. Non omnibus, & cuique volenti ingressum divini tabernaculi, sed sacratis duntaxat, ut dictum est, & sanctificatis, religiosissimisque fratribus, & Patribus tuis permittito. Reliquis, & inordinatè ambulantibus (vide quid tibi dicatur) ipsum claudes. Multi quippe, G mihi crede, propter contemptum istiusmodi rerum è vita præsenti tolluntur. Et plane, si hoc præceptum vilipenderis, sanguis de hac vita sublatorum de manibus tuis requiretur. *Ezech. 3.*

*De loco pœnitentiæ vide epist. 5. Gregorij Thaumaturgi can. XI. Balsam. in scholiis ad can. cit. Aut. Augustinum in notis ad eundem Canonem. Prov. 28.*

Hæc sunt, & plura his, ô pastor ovium Christi, quæ ad gregis tui custodiam perfectè scire, & studiose facere debes. Proinde si nosti, te ad tantam sufficientiam progressum, tantaque charismata fœliciter adeptum, ex solo elucente ex te lumine bonorum operum, & divinæ sapientiæ ac notitiæ, ad illuminandum omnes familiariter adeuntes ad te tuos, alienosques, & rege fidenter oves Christi scienti sermone collatæ tibi gratiæ, & actione virtutis secundum modum & legem tibi prius datam desuper; & pasce agnos eius in pascuis salutiferis mandatorum illius, donec crescant, & in mensuram ætatis plenitudinis Christi occurrant, & inde præmium consequêre, quando cum Apostolis considebis, & habitabis. Sin minus, apud te ipsum pavita, si quid mihi *Ephes. 4.* credis de salute tua sollicito: siquidem Deus noster ignis consumens est, quem decet omnis gloria, honor, & adoratio in sæcula, Amen. *Deut. 4.* H

## ORATIO XXV.

### ARGVMENTVM.

*De primordiis vitæ admodum frugiferis, ac salutaribus, pro iis, qui nuper mundo, & mundanis renuntiantes, ad vitam solitariam confugerunt, & doctrina ad tyrones, seu novitios longe utilissima.*

QVicunque, fratres, mundo & iis quæ in mundo sunt universis recens renunciavit, seque ad vitam & studium monachorum contulit, si quidem propter Deum id fecit, & hanc artem artium discere constituit,

suumque

A suumque è mundo discessum non inanem esse desiderat, ab ipso statim initio impigerrimè, & ardentissima cum voluntate, propositoque ad virtutis opera incumbere debet. Atque ut elementa & principia scientiæ scientiarum, nostri, inquam, religiosi instituti & *ἀσκήσεως* his qui nuper è mundo ad eam tanquam ad scholam quandam accesserunt, introductione quadam scriptis tradamus, primo loco ipsis, & qui eos sequentur, hæc rudius summatimque præcipimus. Scire igitur licet, qui iam terrenum hominem cum prudentia sua per ea quæ apparent exuit, cœlestemque cum habitu monastico induit, nocte media, ante diluculum surgere debere, precem præscriptam fundere, atque ita demum cum omnibus ad doxologiam congregari, eaque considerate, & vigilanter persungi, ut ad principium hymnodiæ attentus sit vehementer, sive ad hexapsalmum, ad versiculos, ad lectionem, citra omnem pigritiam; non discincto corpore, & pedem ante pedem collocans, aut muris, B columnisve se acclinans. Manus constanter iunctas, pedes æqualiter in terra firmatos habere, caput non hac illac agitare, & antrorsum illud inflectere, mente non efferri, nec curiosa cogitare, aut cum negligentioribus, & inter se fabulantibus ac susurrantibus a corpus abduci: quin potius nec oculos, nec animum in sublime tollere, solique psalmodiæ, & lectioni, & virtuti eorum quæ psalluntur, atque è divinis scripturis leguntur, quoad eius fieri potest, attentum se præbere, ut ne quid cum non animadversum prætereat: verùm ex omnibus pinguescens eius anima, ad compunctionem, humilitatem, & illuminationem sancti Spiritus pertingat.

Quocirca vos universos tanquam unum, patres, fratres, & filij mei obsecro, & hoc ut legem salutarem iubeo, ut unusquisque vestrûm tale initium ad opus virtutis, immo verò ad opus Dei faciat (per quod & mercedem laboribus nostris respondentem, ceu ab eo qui bonos amet accipimus) ut si fieri queat, nemo nostrum sine lachrymis ad officium, & lectionem accedat. Si enim, mi frater, ita te ad opus hoc assuefeceris, brevi tempore processus efficies, & in virum perfectum, C in mensuram ætatis plenitudinis Christi occurres. Instans enim tibi ipsi, ne citra lacrymas præscriptum Ecclesiæ, seu congregationis officium decurras, habitum boni huius adipisceris, atque in ipsa stichologia, & troparijs quæ psallis, alitur animus tuus, dum divinos eorum sensus, in se recipit, & per ea quæ dicuntur, ad ea quæ intelliguntur, mens provehitur, dulcique fletu stillans, ita in cœtu fratrum, ut in cœlo cum beatis mentibus vivis. Fer igitur tibi & hanc legem, ne ante ultimam precationem è synaxi sine magna necessitate, aut corporis levandi unquam exeas: sed in statione tua, ut dictum est, persevera: siquidem *qui perseveraverit usque in finem, hic*, ut scriptum extat, *salvus erit*. Non hoc tantùm; sed primùm quidem auxilium occultè, ut non sentiat: deinde etiam ut sentiat, pauloque post in illuminatione ab omnipotenti Deo accipiet. Absoluta matutina doxologia, statim egrediens ne ab huius, aut illius ore pendere, & otiosa colloqui incipias. Verùm postquam seorsum in cella consuetam, & longam precationem cum lachrymis, & adoratione multa persolueris, D ad opus aliquod corporeum aggredere, statimque eo decurre, sive ministerium est ad ministerium, sive opus manuum ad opus manuum, sive lectio ad lectionem. Ne porrò otiosus omnino in cella desidere velis, ne, quod dictu nefas; *Otiositas te multam malitiam doceat.* Sed neque monasterium obambula, laborantesque, aut ministrantes curiosè observa. Custodi autem silentium, & abstine te ab omnium familiaritate, & consuetudine, quæ est vera peregrinitas. Tibi soli, & operi manuum qualecunque est, attende. Alterius cellam, nisi a patre tuo spirituali, aut à monasterij curatore missus sis,* ne ingrediare. Quò cum veneris, cave neve dicas, neve audias quippiam extra id quod res postulat, cuius ergò missus es: sed cùm breviter responderis, revertere. Quod si in transitu fratrem solum, aut cum altero sedentem, & intempestivè garrientem aspexeris, capite profundius inclinato tacitus præteri. Noli accedere, & unà E considere, memor illius ex Psalmo; *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentia non sedit.* Pestilentes namque sunt huiusmodi, sicut & Paulus ait: *Corrumpunt bonos mores colloquia prava.* Iam si quid pestis est, idem est & corruptio. Quare cum otiosa fabulantibus, dilecte, ne sederis; nec dicas, audiam & ego quid loquamini; sed ut modò aiebam, summisso reverenter capite, præteri.

Silentium, & statum conditionemque peregrini serva. Silentium, dum tibimetipsi tacens ais, quidnam ego boni possum proloqui, qui totus sum lutum, & fatuus? immò etiam hospes, & indignus qui loquar, aut audiam, aut inter homines numeret. Peregrinitatem verò, fugamque omnis consortij, dum hæc cogitas, & tibimet occinis, constituens tibi peccata tua ante ocu- F los, nec primoribus duntaxat labris, sed ex præcordiis dicis, quis sum ego abiectus & vilis, ignobilis & mendicus, ut cellam alterius subeam? nonne ut me viderit, quasi monstrum aversabitur? nonne dicet, quid execrandus iste ad me venit, ut cellulam meam incestet? Et quamquam à principio hæc apud te dicere non potuisti, tamen sensim etiam ad hoc, gratia tibi cooperante pervenies. Tantum audi me humilem; tantùm fac horum initium, frater, tantùm hæc facere, & agere, & loqui ordire, & Deus te non deseret: mire enim te amat, teque ad agnitionem veritatis venire, & saluari desiderat. Cum tempus usque ad horam liturgiæ, seu missæ sic transegeris, iterum magno studio, & alacritate ad synaxin vade. Sta ea forma, quam in matutina doxologia tibi præscripsimus, & luctus neutiquam obliviscere. Asta cum tremore, utpote filium Dei propter te sacrificari conspiciens, & si dignus es, atque ad hoc expiatus, in timore & gaudio accede communicaturus bonis inenarrabilibus. Post extremas preces egressus, cum omnibus accubitum ito, nec te à fratribus tuis separa. Et siquidem ministrare iuberis, asta ut Christo, non ut hominibus, sincero affectu, & ex charitate, om- G nibus, ut sanctis, vel potius, sicut dicebamus, ut ipsi Christo ministraturus: animo singulos veluti complexans, & teipsum intentione ac voluntate totum per charitatem eis impendens, & te ex ministerio isto ad sanctimonij fructum percipiendum confirmans. Quod si mensæ cum cæteris tu quoque accubueris, en quid tibi, ut dilecto patri, ac fratri meo mandem. Ad appositas epulas ne festinus ac præceps manum extendas, antequam seniores de fratribus comedere incipiant, & antequam supernè à sacerdote recitata sit benedictio. Cumque simul cum fratribus ac patribus tuis corpus cibo reficere cœperis, attende tibi, quàm compositissimè, & tacitus sedens, cum nullo penitus loquens, in lectione defixus, & ut corpus, sic animum quoque ex divinis sancti Spiritus oraculis alens. Oportet enim te, cum geminus sis, ex animo, inquam, & corpore constans, convenienter gemino alimento ac mensa uti. Et cùm corpus tibi sit terrestre, quod sensu percipitur, animus verò, qui sola ratione comprehenditur, ac divinus est, illud etiam sensibilibus, & è terra na- H scentibus eduliis, hunc intellectualibus, divinisque scripturarum dapibus nutrire. Itaque partes in mensa appositas, quæ fortè maior aut minor sit curiosè ne inspicias: sed quæ tibi præbita fuerit, eam cum omni gratiarum actione susceptam comede, idque temperanter, in omnibus saturitatem fugiens; indignum videlicet te fratrum mensa reputans, taliaque tecum volvens. Quis sum ego abiectus & nullius pretij, ut hisce sanctis assideam, & cibum unà capiam? Sic tecum loquens, toto corde te solum peccatorem ducito. Quemadmodum mendicus aliquis, & pannis obsitus, si in medium Principum ac divitum splendidè sumptuoseque vestitorum inciderit, erubescit, ac timore perfusus, ne appropinquare quidem, aut liberius accedere ad quenquam eorum audet. Similiter

Marginal notes: Mat. 10. — Eccl. 33. — * [illegible] vide Cassian. Collat. 21. ca. 1 & 2. — 1. Cor. 15 — 1. Tim. 2.

tu

tu erga omnes te gere, locum postremum semper eligens, & os pudore suffundens, cum ante quempiam sedere conspiceris; perinde ac si omnes illi divites sint virtutibus, tu autem mendicus, & nudus, & qui inter eos versere, eorumque vultus aspicias, indignissimus.

Cæterùm cibum tacturus, rursum ista peccatorum tuorum recordatus cogitabis. An non in iudicium, & condemnationem fiat, si quid ex appositis contigero? Deo enim qui hæc procreavit, nobisque vescenda largitus est, ego ab infantia mea inobediens fui, & sanctas leges eius non custodivi. Et quomodo bonis ipsius proinde ut sancti Patres isti ego quoque indignus, & reus perfruar? quo vultu ante oculos Domini mei ego nequam, & improbus, & ingratus servus, priusquam peccatorum me pœnituerit, & ab illius benignitate veniam perfectè acceperim, sicut qui non peccaverunt, aut cùm peccassent, per pœnitentiam veniam impetrarunt, ipse pariter comedam, & bibam, & cum sanctis gaudeam? nullo modo, sed cibo, & potione solùm utar, ne vita deficiam, & meipsum macerabo, cruciabo, & damnabo, ut Deus desuper respiciens, & angustias, voluntariamque afflictionem meam intuens, misereatur, & multa mihi peccata mea ignoscat. Hæc igitur cogita, horum identidem memento. Adhæc impera tibi tot bolos edere, ut saturitas non sequatur, multò pauciores utique, quàm pro necessitate, & quàm concoquere posses. Item unum, aut duo pocula, & id una hora diei constituta sumere. Cùm comedis, ne cogitationi subeunti cedas, ut aliquid de appositis eligas, quod absumas: sed cave ne quid comedas, quod tibi sapidum fore visum est: sola verò quæ ante te sunt, comede. Quin etiam si forte fructus, aut alia quædam bellaria fuerint, & unum quiddam tibi arriserit, dixeritque tacita cogitatio, pulchrum est illud, accipe, & comede, da operam ne vincare, nevé tangas illud; quando per aliud nihil Adamus è paradiso exterminatus est, nisi quia arboris fructus pulcher ei, & bonus ad vescendum apparuit, & comedit ex ipso, ideoque eiectus & expulsus, morteque; & corruptione damnatus est. Qui ergo in paradisum illum, vel potius in regnum cœlorum reverti volunt, continentiam sine ulla transgressione etiam ad hæc usque servare debent; ne paulatim in maiores, & noxias cupiditates incurrant. Si te fratres simul accumbentes hortantur, ut amplius comedas, aut bibas, nihil aliud respondebis, nisi quod iunctis manibus paulum assurgens, inclinato capite, ac voce leni dices, ignosce. Sic semper in omnibus respondeto. Nec quenquam de tuis reliquiis honora, nec ab aliis quidquam accipe. Si vinum non bibis, illud ne poscas; sed nec alteri cuipiam ex fructibus porrigas, nisi fortè peregrinus est, & usus alicuius gratia ad te venit. Noli unquam cum aliquo ante tempus gustare, nec vesperi comedere, aut bibere, aut cœnare iterum; hinc enim mala omnia proficiscuntur. Atque hæ sunt insidiæ, & tendiculæ diaboli, quæ cum speciem boni habeant, tamen venenum tegunt mortiferum, quas, qui credit nobis, fugiet, & qui paret verbis meis, adiuvante Deo, & Spiritus S. gratia, nullum ab eis vulnus detrimentumve reportabit. Cæteri vitam mundanam sub habitu monachi se consectari nesciunt, nec se in barathra, & præcipitia incidere sentiunt.

Tu igitur frater amantissime, hæc servare velis, etiamsi tibi moriendum sit; alioqui dæmonem gastrimargiæ, seu gulæ effugere non poteris. Si servaveris, scito diabolum conspectum tuum non ferentem, omnes contra te ignavos ac desides excitaturum, qui te probris conscindent, irridebunt, invidebunt, illudent, vexabuntque millies, ut te à bono consilio, & actionibus salutiferis avocent: quæ si æquo animo toleres, magnum à Deo & Salvatore nostro auxilium, solatiumque consequere. Proinde & aliis in cœna sedentibus ac vescentibus, te autem non, sed sive ministrante, sive aliud agente, ne obliviscare, etiam hæc tibimet tacitus cantare. Si satis & me pœnituisset, & mihi quoque peccata mea remissa essent, gauderem & ego & cum fratribus meis accumberem. Quoniam autem per fœda facinora mea indignum me reddidi miser, hic secundum opera mea recipio. Hæc tibi dicito, & impera ventri quantum potes. Primos accubitus nunquam desidera; sed odi ex animo, ut superbiæ materiam. Humilitas enim tua exaltabit te: & infimum esse omnium, primum te efficiet: quia scriptum est: *Omnis qui seipsum exaltat humiliabitur, & qui seipsum humiliat exaltabitur.* (Matth. 23) Vbi verò cum fratribus universis de mensa surrexeris, Deoque gratias egeris, atque à sacerdote dimissus fueris, cum silentio in cellam tuam festina, clausoque ostio librum arripe, & post brevem lectionem, si quidem dies æstivi sunt, super storeolam tuam recubans, breviculum somnum carpe. Etenim saturitatem vitans, & tenuem adhibens alimoniam, panem scilicet & aquam cum mensura, & olera, aut legumina, minus dormies, & citius exsurges. Sin hyems fuerit, postquam pauca legeris, operi manuum accingere, & in eo persevera, * quoad lignum ad vespertinam hymnodiam vos convocaverit. Tum rursus synaxin ingressus, sta cum timore & attentione coram Deo, psallens ei, & confitens, nihilque penitus negligens. Vespertino officio completo, si potes à cibo & potu abstinere omnino, decreverisque semel in die cibum sumere, non vulgarem in persolvendo vespertino officio tuo, & in nocturna precatione, vigiliaque utilitatem invenies. Sin autem, uno paximatio seu pane, & uno aquæ poculo, extra invaletudinem aliquam, & languorem stomachi contentus esto. Vbi cum fratribus preces vespertinas Deo reddideris, ad pedes Præpositi perinde ut ad ipsos Christi pedes procumbes & benedictione ab eo percepta, salutatisque sanctis fratribus, tacitus, nemini verbum faciens in cellam tuam recede, observatoque ostio, corripe primum codicem, & paginis circiter tribus attente perlectis, sta ad orandum, psalle, & adora Deum quietè, ut à nullo audiaris. Sta autem honestè, nec cogitationes alibi temerè vagari sine, sed eas collige. Coniunge manus, coniunge pedes æqualiter, & immobiliter, pari vestigio. Oculos claude, ne aliud aspiciant, mentemque distrahant. Mentem porrò ipsam, totumque cor tuum in cœlum ad Deum eleva, inde cum gemitibus, & lachrymis misericordiam implorans. Psalmos à patre tuo spirituali tibi constitutos habe, qui nimirum verba pœnitentiæ, & compunctionis continent, & quotquot viribus, voluntatique sufficiunt. Necesse est enim te psalmorum hymnodiam, & crebritatem genuflexionis, & tempus stationis ad vires, & robur tuum exigere, ne te conscientia tua reprehendens dicat, adhuc stare, hymnos promere, ac Deo confiteri poteras. Adhæc sint tibi etiam preces ipsæ definitæ, matutinam & vespertinam ad Deum confessionem continentes. Defunctus precibus, denuò paulisper lege. Deinde opus manuum capesse, & usque ad primam vigiliam finitam, id est, usque ad tertiam horam noctis hoc age. Cùm sic surrexeris, & feceris τὸν ἄμωμον, (psalmodiæ genus est) signato corpore toto super stoream tuam cuba, & usque ad noctem mediam somno capto, deinceps fac, ut tibi à principio formam tradidimus.

Præterea cogitata cordis tui patri tuo spirituali in horas, si potest, indica: sin minus, ne unam vesperam, dilecte, prætereas: sed post matutinum, discussis omnibus quæ tibi contigerunt, ei expone, & fidem indubitatam erga illum habe, etsi totus mundus ei conviciètur atque obtrectet, & quamvis tu ipse oculis tuis fornicantem videas, ne scandalizeris, nec fidem tuam in ipsum minuas, obtemperans dicenti, *Nolite iudicare, & non iudicabimini.* (Mat. 7.) Sic te faciente, & certante quotidie, non procrastinabit Deus te visitare desuper, sed auxilium de sancto habitaculo suo mittet, & gratia sanctissimi Spiritus eius obumbrabit tibi, brevique in instituto tuo progressus, spiritualem ætatem augebis, *Et in virum perfectum occurres, in mensuram*

* ἕως τὸ ξύλον τὴν ὑμνῳδίαν ἐκκαλέσηται. Syn. 7. i. sacra lingua pulsantes *neque enim olim in hunc usum erant æra, ut hodiè.*

A *ætatis plenitudinis Christi*, illuminatus, & lumine cognitionis omnes tecum familiariter versantes, tecumque sermonem conferentes, instar solis illuminans, ac Deum, qui donum sancti sui, ac vivifici spiritus impertivit, moribus & oratione glorificans; quem decet omnis gloria, honor, & adoratio nunc & semper, & in omnium sæculorum æternitatem, Amen.

ANNOTAT. Præcipiebant hæc & similia veteres illi Monasticæ vitæ Magistri, tum reverentiæ causa erga superiores; tum ut subditos à temerariis iudiciis arcerent: a quibus nemo remotius distat, quam ille, qui ne de manifestis quidem iudicium ferre solet. Nec mirum, talia præcepta religiosæ vitæ professoribus fuisse data, quando & Constantium Magnum Imperatorem simile quid factitasse accepimus. *In Scripturis narratur Constantinus Imperator dixisse*: inquit Nicolaus primus Pontifex, in epist. ad Ludovicum Imperatorem, & refertur à Gratiano d. 96. *vere si propriis oculis vidissem sacerdotem Dei, aut aliquem eorum, qui monachico habitu circum amicti sunt, peccantem, chlamydem meam expoliarem, & cooperirem eum, ne ab aliquo videretur.* Hæc de Constantino Nicolaus Pontifex, & ante eum Ruffinus & Theodoretus.

## ORATIO XXVI.

### ARGVMENTVM.

*De pœnitentia, & principio vitæ solitariæ, & quomodo quis vita & ordine ad virtutem procedens, mandatorum observatione perfectionem consequatur.*

C QVI omnia oculis subiecta, & insuper animam suam contempsit, ut veram ac legitimam pœnitentiam secundum Dei mandatum præstare queat, & opus istuc incepit, non à seipso id dicendum existimat: sed ubi se ad artificem peritumque virum applicarit, cum timore ac tremore multo, & contentis precibus, eidem se subiiciens, spiritualem ab eo actionum cum virtute coniunctarum disciplinam, & exercitationem, quæque pœnitenti facienda sint, docetur ac percipit. Timorem autem, & tremorem eum postulo intelligi, ne tali bono frustretur, & ut reprobus mandatorum Dei exsecutor, ad ignem sempiternum condemnetur. Nam sermones eius quasi ex ore Dei procedere arbitratur, & quasi in iisdem custodiendis, aut despiciendis vita æterna verteretur, accurate eos servat. Atque ita cum fide indubitata cœperit, à promissis Dei pendens, quotidie secundum Deum proficit, & via progrediens, ætate spirituali crescit, virque perfectus in Christo Deo evadit. A quibus igitur promissis? Audi intelligenter, qualia Dominus noster Iesus Christus nobis polliceatur. *Amen amen dico vobis, quia gaudium*
D *erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente.* Et iterum: *Qui venit ad me* (tali videlicet itinere) *eum non eiiciam foras.* Et rursum: *Qui sitit, veniat ad me, & bibat.* Et: *Qui credit in me, non gustabit mortem in æternum.* Et alibi: *Convertimini ad me, & convertar ad vos.* Et: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Et alio loco: *Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur à patre meo, & ego & pater per spiritum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Et: *Si vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis pater vester cœlestis dabit spiritum bonum petentibus se?* In his ergo pollicitationibus, & promissis Dei, fide non dubia sperans, ut diximus, multa alacritate, cupidissimeque omnia eius mandata impigre observat; quorum primum hoc est: *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum.* Et rursum: *Pulsate, & aperietur vobis. Omnis enim qui petit accipit, & qui quærit invenit, & pulsanti aperietur.* Post hæc docere nos volens Deus, quemadmodum, & qualibus verbis, aut operibus petere oporteat, inquit, *Qui vult inter vos esse primus, sit omnium ultimus, & omnium servus, & omnium minister. Qui enim seipsum exaltat, humiliabitur: qui vero seipsum humiliat, exaltabitur.*

Luc. 15. Ioan. 6. Ioan. 7. Ioan. 8. Zach. 1. Matt. 11. Ioan. 14. Matt. 7. Matt. 3. Matt. 7. Mar. 9. Matt. 23.

Hæc omnia, & his similia, qui iugiter animo versat, & in ipsis dies, noctesque est occupatus, intelligensque & sentiens ea reputat, & studiose facit, paulatim obliviscitur mundi, rerum mundi, rerum huius vitæ, cognatorum, rerum denique suarum, & consuetudinem spiritualium pro portione capit. Sic autem in dies proficiens, quomodo cogitationes pristinarum seu anticipatarum opinionum sensim recedant, experitur ac sentit. Deinde quo pacto ipsæ illæ opiniones ac sententiæ
F minuantur, & emollitum cor humilitatem amplectatur: & quomodo postea ipsum cor cogitationes humilitatem ingenerantes producat. Hæc autem ita experiens, vix ad compunctionem, & fletum adducitur, sed tamen adducitur multis tribulationibus, & plus humiliatum, amplius compungitur. Nam humilitas luctum gignit, luctus genitricem suam alit, & crescere facit. Ipsa autem mandatorum per humilitatem observatio (ô rem admirandam) sordes omnes ex anima eluit. Etiam omnem affectionem rationi adversantem, & concupiscentiam malam, corpoream, inquam, & ad vitam istanc pertinentem expellit. Qua ratione homo secundum animam ab omni terrena cupiditate asseritur, ac liberatur; non solum à vinculis corporeis, sed similiter ac si quis exuta veste totus nudus fiat. Et tunc quidem. Absoluitur enim primum anima à stupore, quem Apostolus velamen appellat, qui Iudæorum incredulorum corda occupat. Immò & nunc omnis, qui mandatis novæ gratiæ non quantum potest ac valet, & ferventi animo paret, hoc velamen parti intelligenti animæ suæ superpositum habet, & ad sublimitatem agnitionis filij Dei subvehi nequit. Sicut insuper
G qui secundum corpus exutus est, vulnera in corpore suo videt: ita iste vitiosos affectus animam eius obtinentes tunc liquido perspicit (exempli causa, amorem gloriæ, avaritiam, iniuriarum memoriam, odium fraternum, invidiam, zelum, contentionem, existimationem præclaram sui, & reliquos deinceps) mandata ut medicinas, tentationes ut cauterem, seu ferrum chirurgicum his imponens, humiliatusque ac lugens, & opem divinam ardenter exquirens, gratiam sancti Spiritus advenientem, ac singulos evellentem perimentemque videt, donec animam eius ab omnibus istis tandem perfecte liberam reddat. Non enim illam ex parte, sed omnino ac pure paracletus præsens in libertatem vindicare vult. Cum nominatis enim affectionibus quidquid est mœstitudinis, quidquid negligentiæ, quidquid desidiæ, ignorantiæ, oblivionis, gastrimargiæ, studij voluptuarij, hæc, inquam, omnia fugat, adeoque hominem renovat, & instaurat anima simul & corpore, ut non interitui obnoxium, & ponderosum atque crassum, sed spirituale, & expers materiæ, & iam idoneum, quod in cælum rapiatur corpus gestare videatur.
H Nec istuc solum gratia spiritus in eo operatur: sed nec intueri quippiam sensibilium ei permittit: vel potius quasi non intueretur, ita eum has res intueri facit. Nam cum mens iis, quæ intelliguntur, se dediderit, ab his quæ in sensum cadunt tota discedit, etsi ea videre, & animadvertere putetur. Sic igitur in his, nempe quæ intelligentia sola perspiciuntur, immorans, secundum sanctum, cuius illa vox: *Nostra autem conversatio in cælis est, non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur*, ibi detinetur, illuminatur, assiduo spirituali ætate augescens, & infantiæ sensibus evacuatis, in virilem perfectionem proficiens. Quapropter iuxta mensuram quoque ætatis huius suæ, secundum vires & functiones animæ immutatur, & ad mandata Dei factitanda fortior ac potentior fit. Quæ quotidie implens pro portione executionis eorum adhuc purgatur, splendescit, collustratur, magnorum mysteriorum revelationes meretur, quorum profunditatem

1. Cor. 3. 2. Cor. 4.

nemo

A nemo illorum, qui in eandem puritatem ut eveherentur, non contenderunt, aut vidit unquam, aut videre potest.

Mysteria autem dico, quæ cum ab omnibus videantur, non tamen comprehenduntur. Etenim mens à spiritu innovatore illuminata, etiam oculos novos, aures item novas acquirit; & de cætero non ut homo sensibilia sensibiliter, sed ut homine iam superior, sensibilia & corporea spiritualiter, & tanquam similitudines inaspectabilium, eorumque formas velut informes ac specie carentes intuetur, auditque, non ut quispiam dixerit, vocem, aut voces hominum; sed solius, & viventis Verbi, quando per humanam vocem se exeruerit. Hoc enim, & solum, tanquam notum sibi, & amicum per aures animi suscipit, eique aditum concedit, & receptum libens amplectitur: sicut ait Dominus: *Oves meæ vocem meam audiunt, alienorum autem non audiunt.* (Ioan. 10.) B Reliquos omnium hominum sermones audit illa quidem, non tamen admittit, nec ad se penetrare patitur; sed eos aversata, vacuos dimittit. (Ps. 17.) Aliquando nec allapsum, aut pulsum eorum percipit: sed quanquam audit, veluti surdus non audiens, sic erga eos sese habet. Proinde cum talis evaserit, statim Deus eum inhabitat, simulque in ea quæcunque cupiverit, etiam supra quam cupiverit. Deus enim cum sit omne bonum, animam, in qua sedem posuerit, omni bonorum [illegible], quantum potis est natura nostra impleri; Deus quippe a nulla re condita capitur, ac sustinetur. Bona autem illa intelligo, *quæ oculus non vidit, & auris non audivit, nec in cor hominis ascenderunt,* (1. Cor. 2.) eius puta, qui talis non [illegible] extitit. Quare etiam docet huiusmodi hominem habitans in eo Deus, de futuris, & præsentibus; nec verbo, sed operé, experientia, & re ipsa intellectuales eius oculos revelans, quæcunque vult, & quæ ei conducunt, demonstrat. Cætera non indaganda, nec quærenda, nec curiose scrutanda suadet; (Rom. 11.) C quandoquidem nec quæ Deus ipsi revelat & ostendit, sine reverentia, ac libere potest perspicere atque intueri: sed quasi per transennam profunditatem divitiarum sapientiæ, & cognitionis Dei inspiciens, mox æstuat, & percellitur, semet aspiciens, & cogitans quis sit, & qualibus spectandis dignatus sit. Magnitudinem enim benignitatis Dei considerans, & obstupescens, seque talium bonorum spectaculo toto pectore indignum statuens, nec ad ea aperte respicere, nec ea pernoscere vult: sed timore & tremore, ac reverentia coarctatus exclamat, (1. Reg. 7.) quis sum ego, Domine, & quæ domus patris mei, quoniam talia mysteria indigno committere non dubitasti, meque tantorum bonorum tuorum non modo contemplatorem, sed etiam participem, & consortem admirabiliter fecisti? Talis itaque qui iam super omnem creaturam se extulit, retro redire, & quæ creaturæ sunt, in iis curiose inquirendis versari minime vult. Nam cum angelorum Dominum possideat, essentiam & naturam ministrantium ei angelorum pervestigare abhorret, (Ecc. 3.) cum sciat, Deo non placere, hominem quæ supra hominem sunt, per curiositatem indagare. D Si enim iussi sumus divinas scripturas non curiose discutere, multo magis supra ea quæ scripta sunt, nos curiosos esse omnino haud oportet. Talis Deum videt, quantum fieri potest, & quantum ipsi Deo lubet, & semper eum videre studet; atque ut post obitum videat, perpetuo rogat, & sola eius visione contentus, nihil præterea requirit. Vnde nec Deum ac Dominum suum, à quo repletur lumine, & à quo vitæ sinceræ, & incorruptæ voluptatem habet, relinquere, & ad sua vincula respicere cupit. Talis visus, sive desuper à Deo illustratus, & ipse præcellentem eius gloriam videns, ut ab aliis qualis, & in quanta gloria sit videatur, hoc illi in mentem venire nunquam potest. Quælibet enim sancta anima omni cupiditate gloriæ vacat: siquidem regia, & lucidissima spiritus tunica ornata, & immensa Dei gloria repleta, non solum humanam gloriam pro nihilo putat, sed omnino nec ad oblatam sibi sese convertit. E A Deo quippe visa, & ipsa vicissim eum videns, alium aliquem hominem videre, aut ab alio videri nunquam desiderabit.

Quamobrem obsecro vos fratres in Christo, ne verbis duntaxat ineffabilia discere velimus, quod & docentibus, & audientibus æque est impossibile. Neque enim qui quæ solo intellectu percipiuntur, & divina sunt docent, ea manifestis exemplis perspicuè demonstrare, eorumque veritatem, ut in negotio aliquo solertes, ac triti repræsentare: nec qui docentur, ex verbis solis eorum quæ dicuntur evidentiam discere possunt: sed actione, laboribus, & sudoribus ista comprehendere, & contemplari studeamus: ut si inde etiam rationes horum, velut sacra mysteria docti fuerimus, & glorificetur Deus, sic nobis habentibus, & nos per illorum cognitionem glorificemus eum, ipseque glorificet nos in ipso Christo Deo nostro; quem decet omnis gloria, honor & adoratio cum patre, & sanctissimo ac vivifico Spiritu, nunc & semper, & in sæcula F sæculorum, Amen.

## ORATIO XXVII.

### ARGVMENTVM.

*De turbida, & infideli, ac prava affectione. Quæ sit Dei cum filiis lucis consociatio, & quonam pacto in illis efficiatur. Ad finem, sacerdotio indigne fungi audentium insectatio.*

SEmper, & omni tempore, fratres, inter se contraria sunt lux & tenebræ, fides & infidelitas, cognitio & ignorantia, charitas & odium. Nam cum ab initio dixisset Deus, *fiat lux*, eaque extitisset, (Genes. 1.) illico tenebræ evanuerunt. G Luce occidente, statim nox rediit. Adam vero fide in Deum munitus ac tutus, immortali gloria circumfluebat, & in paradiso erat. Ab inimico autem ad infidelitatem detortus, morte damnatus, & paradiso exturbatus, pro divina spiritualique cognitione carnalem cognitionem recepit. Etenim oculis animæ orbatus, vitaque perenni spoliatus, corporeis oculis cœpit aspicere, iisque sensibilibus & aspectabilibus ex commotione adiectis, cognovit Evam uxorem suam, quæ concepit, & peperit Cain. (Genes. 4.) Porro talis cognitio vere omnis boni ignorantia est. Nisi enim prius divinam cognitionem visionemque perdidisset, nunquam in istam cognitionem devolutus esset. Sic deinde & Cain filius eius, nisi ante in odium, & invidiam erga Abel fratrem suum exarsisset, non ei necem attulisset. Quotquot igitur tenebris ab ortu insitis obsidentur, & in lumen quod animo & cogitatione cernitur quodque primus ille pater amisit, aspectum defigere nolunt, hi in ipso lumine natos, & quæ luminis sunt differentes, eorum sermonibus perculsi, pro hostibus sibi adversariis ducunt. H Quemadmodum namque radius solis, ubi domum quampiam obscuram intraverit, tenebras ut iaculum penetrat, ac discecat: ita spiritualis, & sancti viri à Deo inspirata oratio, ceu gladius anceps cor hominis carnalis consauciat, idque ad contradictionem & odium, præ ignorantia, & infidelitate concitat. (1. Cor. 1.) *Qui autem existimat se aliquid scire, cum nihil sciat,* etiamsi angelum de cœlo ad se descendentem viderit, ut malum dæmonem adversatur: & quamvis Apostolum, quamvis prophetam Dei, etiam ipsum ut alium quendam Simonem magum abominatur; & quod extremæ stoliditatis est, cæcus videntem ut cæcum ducit quique ipsemet revera nugator est, eius verba pro nugis habet. Et quomodo cæcus, si qui noctu sæpius affirment, solem lucere, fidem eis adiungit, & rursum in meridie lucem esse dicentibus non credit, suspicans se ab utrisque decipi: & sive lucem in die, sive tenebras in nocte sibi prædicantes ambiguus reiicit: ita qui in tenebris animi perturbationum sedent,

A sensumque ignorantia occæcatum habent, vel potius, qui sensum Christi non habent, ipsius sensum habentem, velut eius expertem, & non habentem velut eius compotem reputant. De quibus bene David propheta, *Stultus, & insipiens peribunt.* (Ps. 48.) Quocirca tales totam divinam scripturam secundum proprias ipsorum concupiscentias depravant, & pro vitiosis eorum affectibus, quos in ipsa non inveniunt, sed adulterantes eam patiuntur, corrumpunt. Cedo igitur, qui de rebus perperam iudicant, nec præ arrogantia doceri se sinunt, & cæci sunt, recte unquam per semetipsos sensus lucis cognoscent? Oculis captus, nec lucem intuens, qui tandem litteras in luce leget? Qui vero cæcus est sensu, & Christi sensum in se non habet, quomodo in lumine Christi sensus repositos ac reconditos videre, & expendere potest? Talis, quamvis millies exterioribus oculis scripta sensum moventia legat, nunquam, opinor, spiritualia, & materiæ expertia, & luci similia in B nocturno ac tenebroso loco videre queat. Nemo itaque vos seducat. Deus lux est, & quibus coniunctus fuerit, cum iis pro gradu puritatis ipsorum claritatem suam communicat. Atque tunc extincta lampas animæ, id est, mens divinum ignem se circumplexum, & redaccensum esse cognoscit.

O mira res, homo Deo spiritualiter, corporaliterque unitur: siquidem anima non à mente, nec ab anima corpus seiungitur, & vnione essentiali, etiam homo per gratiam τεθεωμένος fit, unus per adoptionem Deus, ex corpore videlicet & anima, & (cuius factus est particeps) divino spiritu constans, impleturque tunc illud Davidis Prophetæ, *Ego dixi dij estis, & filij excelsi omnes.* (Ps. 81.) Filij excelsi secundum imaginem videlicet, similitudinemque altissimi: divina progenies ex divino spiritu; quibus dixit merito Dominus, semperque dicit, manete in me, ut fructum multum afferatis. Fructum intelligit eorum copiam, qui apud ipsum salvantur. *Palmes*, inquit, *nisi manserit in vite arescit, & in ignem mittitur. Manete igitur vos in me, & ego in vobis.* (Ioan. 15.) C Quomodo igitur maneat in nobis, & quomodo vicissim nos maneamus in ipso, Dominus ipse docuit illis verbis, *Tu pater in me, & ego in te, & hi in me, & ego in illis.* (Ioan. 17.) Et istuc volens confirmare, iterato ait, *Hi in me, & ego in illis, sicut tu pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint.* Adhuc porro, ut audientibus plenam fidem ac certam faciat, hæc adiungit: *Sicut tu me dilexisti, ego illos dilexi: & gloriam quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut nos unum sumus.* Patet ergo, sicut manet pater in filio suo, & filius in sinu patris, secundum naturam: sic etiam qui in veritate crediderunt, & per Spiritum sanctum regenerati sunt, Christique ac Dei per eius donum facti sunt fratres, & filij Dei, & adoptione dij, manere eos in Deo per gratiam, & Deum in illis.

ANNOT. Verba Græca sunt ista: ὢ τοῦ θαύματος, ὅτι ἄνθρωπος Θεῷ ἑνοῦται πνευματικῶς, καὶ σωματικῶς, ἐπεὶ οὐ χωρίζεται τοῦ νοῦ ἡ ψυχὴ οὐδὲ τῆς ψυχῆς τὸ σῶμα, ἀλλὰ τῇ οὐσιώδει ἑνώσει γίνεται τεθεωμένος κατὰ χάριν, D καὶ ὁ ἄνθρωπος, εἷς θετὸς θεὸς ἐκ σώματος καὶ ψυχῆς, καὶ οὗ μετείληφε θείου πνεύματος, καὶ πληροῦται τηνικαῦτα τὸ εἰρημένον ὑπὸ τοῦ προφήτου Δαβὶδ ἐγὼ εἶπα θεοί ἐστε, καὶ υἱοὶ ὑψίστου πάντες, καθ' εἰκόνα δηλαδὴ, καὶ καθ' ὁμοίωσιν τοῦ ὑψίστου, γεννήματα θεῖα ἐκ τοῦ θείου πνεύματος. Occurrit, quod Iureconsultus monet ff. de legibus: *Benignius leges interpretandæ sunt, quo voluntas earum conservetur.* Et, *In ambigua voce legis, ea potius accipienda est significatio, quæ vitio caret: præsertim cum etiam voluntas legis ex hoc colligi possit.* Idem ego in hac Simeonis Oratione faciendum esse dico. Nam illud οὐσιώδει ἑνώσει, nec ad Deum, nec ad gratiam referendum est. (Neque enim homo iustus aut cum Deo, aut cum gratia essentialiter unitur) sed ad solam coniunctionem corporis & animæ; quæ utique essentialis est: & quia corpus, anima & gratia sunt res trinæ in eodem composito; ideo ait hominem per gratiam fieri

E θεὸν τεθεωμένον. Vbi vox τεθεωμένος impropriè & secundum similitudinem accipi debet; ut ipse Simeon satis superque declarat.

Quam ob causam qui tales non evaserunt, nec actione, & cognitione, spectationeque universe sunt immutati, quomodo seipsos appellare Christianos non verentur? quomodo os aperire, deque occultis mysteriis, velut super stratum neglectim iacentes impudenter loqui audent? quomodo inter Christianos, & spirituales se numerare non pudet? quomodo sacerdotum assessores, corporisque & sanguinis Domini sacrifici, & ministri esse non perhorrescunt? Prorsus mirari satis non queo. Sed nimirum cæcitas mentis, ut dictum est, illiusque comites stupor & stultitia, & hinc nascens arrogantia, tale aurum, pretiosissimumque lapidem ipsum Dominum nostrum Iesum Christum, ut lutum conculcare facit. O audaciam horribilem, cuius impulsu tanquam sublimem gradum conscendunt, ut F ibi stantes, infimæ multitudini excellentes, & conspicui appareant. Quis ergo Christianus hosce Christianos nominabit?

Verum hactenus contra eos, qui omnia scire, & dicere conantur, & existimant se aliquid esse, cum nihil sint, (Galat. 6.) velut in cippo quales sint Christiani docuimus: ut sese cum archetypo comparantes, quantum à germane Christianis absint, intelligant. Ad vos autem Christi servos, & discere cupientes, paratosque ad audiendum; universitatis Dominus per sancta evangelia sua clamat, *Dum lucem habetis, ad lumen currite, ne vos tenebræ comprehendant.* (Ioan. 12.) Currite per pœnitentiam in via mandatorum eius, currite. Currite dum durat eius illuminatio, priusquam nox mortis vos comprehendat, (Mat. 7.) & ad tenebras sempiternas amandemini. Currite, quærite, pulsate, ut ianua regni cœlorum vobis aperiatur, & sitis intra illud, & ipsum intra vos possideatis. Qui enim ante de hac vita exierunt, quam id acquisissent, ubi tandem ad mortuos profecti illud reperient? Hic G ergo petere, & quærere, & pulsare in pœnitentia & lacrymis iussi sumus; & sic facientibus, Dominus id se nobis daturum est pollicitus. Quod si hoc facere, & Christo Domino obedire detrectabimus, ut adhuc superstites ab ipso regnum cœlorum intra nos accipere festinemus, nonne cum illuc excesserimus, merito dicentem nobis audiemus, quid nunc quæritis, quod à me oblatum vobis accipere noluistis? Nonne sæpenumero hortante me, ut laboraretis, & id à me sumeretis, vos recusastis, & contempsistis, pereuntiumque, ac terrenorum voluptatem prætulistis? Quibus ergo factis, aut qua oratione id in posterum invenire poteritis? Quapropter, patres & fratres mei, quæso vos, omni sedulitate mandata Dei nostri custodiamus, quo vitam regnumque æternum consequamur; & ne audiamus nunc quidem, *Qui non obedit filio, non videbit vitam: sed ira Dei manet super eum:* (Ioan. 3.) in futuro autem sæculo, *Nescio unde sitis:* (Matt. 25.) sed benedictam potius illam vocem excipiamus, *Venite benedicti patris mei, percipite regnum* H *vobis praparatum*, quoniam salutem vestram esurientem me per observationem mandatorum meorum pavistis, potastis, vestivistis, collegistis, & venistis ad me, purgate corda vestra ab omni macula, & sordibus peccati. De reliquo fruimini bonis meis cum voluptate inexplicabili, cum vita immortali ac sempiterna, qua contingat nos omnes potiri, gratia & benignitate Domini nostri Iesu Christi, cui gloria & imperium cum Patre principij experte, & sanctissimo vivificoque Spiritu nunc & semper, & per infinita sæcula, Amen.

ORATIO

# ORATIO XXVIII.

## ARGUMENTUM.

*De corruptoribus; ac pestiferis hominibus fugiendis, deque repudiandis eorum sermonibus, & cultura virtutis arripienda. De indicio libertatis animæ, & quis crucem suam tollens, Christum sequatur. Quemadmodum fideles Dei bonis ineffabilibus tum in hoc tum in futuro seculo fruantur. De iusto Dei super iustis, & peccatoribus iudicio.*

2. Cor. 10. Psal. 1.
QUisquis Deum invenire desiderat, abneget semetipsum, & animæ suæ ne parcat: sed inimicitias inter se, & omnes secundum carnem ambulantes ponat, ne alienus horum sermonibus hortatoriis incitatus, retro convertatur. Ne cum iis in cathedra sedeat; nec colloquia cum illis mala serat, per quæ virus in animam infundatur, & ipse prioribus nequam consiliis, cogitationibusque immorari cogatur. Homo cum hamo escam time; audi me, & procul ab illis recede ne animam tuam iterum ad inferos deducas. Mentem tuam fige, & constabili, & ne illam ad vana, & inania audienda vagari sinas. Ne pedem referas. Ne piger sis, neve socordia gravere, & opprimare. Ne des somnum oculis tuis; neu guttur tuum alicuius cibi suavitate demulceas, donec videas per quid, & propter quid vocati simus, & quorsum secundum scopum tuum festines. Huiusmodi cogitationibus, cum te subierint, locum non relinques, Quid tibi labore, & ista importuna defatigatione opus est? Tempus iam implevisti, hæc bis terque faciens, nec ullum inde fructum perspexisti. Ne, frater mi, ne hoc laqueo implicaris, neve prodas salutem tuam: sed impensius, ac generosius ad virtutis opus incumbe potius, patrumque tuorum secundum Deum sermonibus, & institutionibus ne diffide. Constitue igitur apud animum, à vita citius, quam ab hac vitali inquisitione discedere. Quod si ab initio nihil cunctatus fecisses, benignus Deus non te despexisset, tibique desiderij tui fructum pro certo concessisset.

Ps. 118.
Media nocte expergefactus, memento eius qui dixit, *Media nocte surgebam ad confitendum tibi super iudicia iustitiæ tuæ*: & gratias age Deo, qui te ad laudes ipsius canendas è somno excitavit; gaude, & exulta, quia dignus es habitus, qui cum sanctis angelis Deum concelebres. Christianus enim peccator, de flagitiis anteactæ vitæ dolens, & vitam Deo gratam instituens, nisi ad divinas synaxes, & sacras psalmodias, & precationes lætitiam, alacritatem, taleque studium, & attentionem, quantam & qualem antea ad voluptates, vitæque improbitatem, ostendit; sed velut laborans adhuc, & quodam onere pressus, vim ut uno verbo dicam, ac tyrannidem se perpeti existimat, ac proinde invitus iis fungitur, ne is è manibus diaboli se evasisse, verum improbi tyranni imperio etiam num subiectum intelligi arbitretur. Ast ubi cum gaudio & iucunditate animi se orantem ac psallentem, mentemque omnia huius vitæ blandimenta, & quidquid ea in pretio habet, execrantem cognoverit, tum demum sub Christi regnum se successisse credat. Hoc redemptionis & libertatis manifestum argumentum est,

Galat. 5.
de qua scripsit Apostolus, *In libertate, qua nos Christus liberavit, state*. Ergo unusquisque ad hanc libertatem adipiscendam properet, eamque à Christo flagitet. Sin consuetam synaxin moleste fert, & longitudinis hymnorum, qui Deo canuntur eum tædet, &

Ps. 103.
frangitur, profecto nescit *quam dulcia sint eloquia Dei in faucibus diligentium eum, & super mel ac favum in ore cognoscentium ipsum*: sed totus caro, nempe carnali præditus animo, & magis carnali sensu, non potest spiritualiter gustare, quæ à Deo data sunt nobis beneficia, verum omnia divina ei amara videntur: & illud, *Gustate, & videte, quoniam suavis est Dominus*, ignorat. (Ps. 33.) Quod qui evidenter non scit, à charitate, & dulcedine Dei alienus est. Qui porro gustus horum expers est, prô dolor, Dei inimicus, & à regno cœlorum extraneus, ac peregrinus est. Quam enim, quæso, aliam spem habebit, aut cuius alius dilectione implicabitur, aut à quo consolationem seu hîc, seu post obitum inveniet? In die vero iudicij, quid respondebit, quando Christus veniet reddere unicuique secundum opera sua: quando à monachis, qui se illi coram multis testibus aggregarunt, pacta quæ ad sanctum altare, & coram sanctis angelis eius præstituros, ac servaturos se pepigerunt, requiret? (Matt. 6.)

Quid enim interrogati respondemus? an non, ad sanctum altare, & ad sacrum hunc conventum, vitam monasticam, & vitæ institutum angelicũ sectari desiderantes nos accessisse? Quid enim ad singula referimus? nonne illud, *etiam venerande pater*? Sacerdos autem, quid rursum nobis dicit? Scitote, fratres, venisse vos, ut militibus ac famulis Christi regis cælestis annumeremini, ideoque ad tentationes vos comparate. Videbitis enim iam hinc, inimicum omnes artes suas adversum vos ferventius experiri. Oportebit igitur & esurire, & sitire, & algere, ignominiam accipere, conspui, alapis cædi, subsannari, & quævis tristia propter Deum perferre. Quid nos tum ad ista? nonne passuros, & toleraturos omnia promittimus, & illud sollemne, *etiam, reverende pater*, ad omnem interrogationem per patientiam ferendorum incommodorum enuntiamus? Nonne continentiam, vigilias, obedientiam usque ad mortem servaturos, Præposito, totique fratrum collegio coram Deo & Angelis promittimus? Quam ob causam vero militare, Christique bellatoribus accenseri volumus? nonne ut contra hostes sub aspectum non venientes pugnaremus, & contra concitatos animi motus bellum capesseremus? Et nunc, perinde ut si pacta conventa nemo à nobis exacturus sit nos gerimus: solutique timore Dei, & mandata eius contemnentes vivimus. Mihi equidem in mentem venit admirari, quomodo in tantam caliginem præcipitaverimus, omniaque cum animorum nostrorum detrimento faciamus: cumque nosmetipsi iugulemus, id tanquam vivi ac superstites non curemus: & cum ipsi nos peccatorum vinculis constringamus, etiam gaudium agitemus, committamusque omnia quæ Deus odit, & quæ in gehennam ignis animas nostras deturbent, & ea vincula à nobis auferentes, quasi truculentæ bestiæ, devorare conemur. Nam si à quopiam fuerimus impediti, ne quid contra animas nostras moliamur, illum more canum rabidorum allatramus, & conviciis incessimus, nec desinimus, donec ne perpetrata animis nostris exitium conflaverimus. Postmodum ad huiusmodi perversitatem assuefacti, naturaliter perversi, atque improbi reddimur, nec amplius cœlo caput tollere libet. Ubi post hominum memoriam similis machinatio audita est? Quis dæmon modum perditionis hoc maiorem adversum animas nostras excogitabit immo certe, quid hoc amplius contra nos dæmones cum omni cura, & sollicitudine invenire potuerunt? Monachos fore nos spopondimus, & en supra mundanos improbitati nos alligavimus. Ad famem, sitim, afflictionem sustinendam, ut ante dicebamus, descripti sumus, & propter unicum panis frustum (quod forte extra definitum cibi sumendi tempus requirimus) verbis velitari, & probra iactare non erubescimus. Omnibus quæ in mundo sunt, renuntiare venimus, parentibus, inquam, fratribus, & amicis, & tamen illos de monasterij panibus alere potius non cessamus. Mundum ut hostem fugimus, & interim mundanos, & quæ mundi sunt, plus quam Christum ipsum diligimus.

Qui autem assequi vult quæ cupit, & desiderat, bona

A bona Dei videlicet, & ex homine in angelum terrestrem migrare, afflictationem corporis amabit, malorum perpassionem amplectetur, tentationes ut omnis boni sibi conciliatrices haud aspernabitur. Vt enim aurum multa infectum ærugine, nisi in prunas conijciatur, & malleis tundatur, purgari aliter, atque in pristinum fulgorem restitui non potest: sic anima quoque peccati ærugine cooperta, & ad summum facta inutilis, alia via purgari, & antiquam recuperare pulchritudinem nequit, nisi tentationibus iactetur, & tribulationum conflicturam subeat. Nam & illud Domini nostri verbum
Mat. 19. subindicat; *Vende facultates tuas, & da pauperibus, & tolle crucem tuam, & veni sequere me*, tentationes, ac tribulationes crucis nomine intimans. Dare porro omnia, pecunias ac possessiones, incursibus autem tentationum reliquorum acerborum ac molestiarum non excelso animo resistere, animæ ignavæ, ac sui commoda non intelligentis mihi videtur. Nihil enim pecuniis tantummo-
B do aliisque rebus abiiciendis ac deserendis, & ad vitam solitariam confugiendo proficitur, nisi in tentationibus, & tribulationibus, & secundum Deum molestiis usque
Luc. 21. ad finem perseveres. Neque enim Christus Deus noster in rerum nostrarum abiectione, sed in patientia nostra animas nostras possessuros affirmavit. Facultatũ in pauperes distributionem, & fugam sæculi bonam atque utilem esse constat: veruntamen sola per seipsam, citra tentationum tolerantiam, hominem secundum Deum perfectum reddere, non potest. Quod ut ita se habere, & ita Deo placere credas, audi ipsius verba ad divitem: *Si vis perfectum esse, vende quæ habes, & da pauperibus, & tolle crucem tuam, & veni sequere me* Vocabulo *crucis*, ut dictum est, tribulationes & tentationes obtentus significat. Quoniam enim *regnum cælorum vim patitur,*
Mat. 11. *& violenti rapiunt illud*, aliterque fidelis in ipsum, nisi per angustam portam tribulationum, & tentationum in-
Mat. 7. troire nequit, merito divina Scriptura præcipit; *Con-*
Luc. 13. *tendite intrare per angustam portam.* Et iterum: *In patien-*
Act. 14. *tia vestra possidebitis animas vestras.* Et: *Per multas tri-*
C *bulationes oportet nos intrare in regnum cælorum*, ut & alibi id scriptura testatur. *Fili accedens ad servitutem*
Eccl. 2. *Dei præpara animam tuam ad tentationem. Deprime cor*
Heb. 12. *tuum, & sustine.* Et Apostolus: *Quod si extra disciplinam estis, cuius participes facti sunt omnes, ergo adulteri, & non filij estis.* Et alio loco, omnia quæ tibi inferuntur, ut bona suscipe, sciens sine Deo nihil fieri. Qui enim fortunis suis in egentes collatis è mundo & rebus eius recedit, in spe mercedis, & voluptate multa gestat conscientiam. Et aliquando vana gloria mercedem furatur. Qui vero, postquam omnia dedit pauperibus, etiam molesta sustinet, & gratias agit, & adversa patienter perfert, is eo quidem maximam acerbitatem, laborem, ac dolorem sentit: sed præsens ac futurum præmium, ingentemque retributionem pro perfugio habet; utpote qui passiones Christi imitetur, cumque in diebus tentationum, & adversitatum irruentium sustineat, &
Ps. 26. expectet. Quocirca oro vos, fratres in Christo, demus operam secundum vocem Domini, Dei ac Salvatoris nostri Iesu Christi, ut postquam mundo, & his quæ
D in mundo sunt valediximus, per angustam portam intremus, quæ carnalis nostri sensus, & voluntatis præcisio, & fuga est. Nisi enim carni, concupiscentiis, ac voluntatibus eius moriamur, remissionem, absolutionemque malorum, & libertatem, & sequentem a S. Spiritu consolationem adipisci non poterimus: quæ nisi superveniat, nemo Dominum nec in hoc nec in futuro sæculo videbit. Nam recte te fecisse, cum omnes facultates tuas in pauperes distribuisti (si tamen
Act. 5. nihil tibi exemplo Ananiæ illius reservasti) & adhæc mundo, & iis quæ in mundo sunt renuntiasti, desertisque huius vitæ curis ad portum æternæ vitæ cucurristi, speciem & figuram pietatis indutus, ego quoque non inficior, & te ob hoc studium laudo: sed insuper prudentiam carnis velut tunicam exuere, & secundum stolam, quam per Christum induisti, mores animæ, planeque spiritualem prudentiam possidere necesse est:

neque hoc solum, sed etiam per pœnitentiam tunicam E lucidam, qui est ipse Spiritus sanctus, superinducere; quod nisi per constantem mandatorum observationem, & tolerantiam tribulationum non est ut fiat. Pressa enim per tentationes, ad lachrymas commovetur; lachrymæ cor purgantes, templum, & diversorium Spiritus sancti efficiunt. Nec enim nobis ad salutem, & perfectionem solus vestitus, & exterior statuæ ornatus sufficit: sed ut exteriorem, ita interiorem hominem nostrum ornare amictu Spiritus, totosque & integros cum anima, & corpore Deo se offerre oportet. Et corporalem quidem exercitationem propter virtutis labores assumere, ut egregie molestiis secundum Deum assuescamus, & feramus ingenue amaritiem ieiunij, difficultatem continentiæ, necessitatem vigiliarum, afflictionis omne genus: pietate autem spiritus erudire animam ad sapiendum quæ oportet sapere, & meditandam semper vitam æternam, esse humilem, mitem, contritum, compunctum, lugentem assidue, & F lucem spiritus per preces ad se elicientem, quæ & a tetris illis per pœnitentiam ferventissimam consueverc, purgatæ per uberes lachrymas, sine quibus nec tunicam eius mundari, nec in sublime contemplationis eam ascendere licet. Nam ut vestimentum è cœno alicunde, & sterquilinio tantummodo quantum detersum, nisi aqua multa, & crebro pedibus calcatum non purgatur: sic & animæ vestis ex luto, & sterquilinio peccatricum affectionum turpata, nisi per ubertim fluentes lachrymas, tentationumque, & tribulationum tolerantiam à sordibus non abluitur. Nam cum à corporis nostri substantia naturaliter duæ fluxiones existant, una superior lachrymarum, altera inferior, à facultate genitali: & hæc quidem si contra quam natura, & legibus institutum est, fiat, animam contaminet; illa, si ex pœnitudine procedat, eandem purget; eos qui turbulenta, & cum peccato coniuncta cordis motione, cupiditatum à ratione alienatum formas sibi insculpserunt, & ita animam inquinarunt, plurimis lachrymis mundari, tunicamque animæ purissimam acquirere oportet. Alioqui videre Deum, G ipsum lumen, quod cuiusuis hominis per pœniten- Mat. 5. tiam ad se venientis cor illuminat, est impossibile: siquidem mundi corde Deum vident.

Enitamur itaque patres, fratres, & filij mei per diligentiam in moribus, & ingens occultarum cogitationum confessionem cor purum obtinere. Quæ enim frequenter, & quotidie fit à nobis harum confessio, si ex animo pœnitente procedat, resipiscentiam doloremque in nobis factorum, meditatorumve operatur, qui ex intimis animæ lachrymas ciet; lachrymæ animam purgant, & ingentia peccata delent; quibus deletis, Sancti Spiritus solatiis permulcetur, ex compunctione fluento quodam dulcedinis irrigatur, unde quotidie, ita ut intelligentia percipiatur, pinguescit, & fructus spiritus alit, quos tempore congruenti ceu frumentum multo cum fœnore ad se in vitam immortalem, ac sempiternam citra ullam absumptionem nutriendam effert. Cum hucusque studio suo præclare pervenerit, Deo familiaris, & do- H micilium habitaculumque sacro sanctæ Trinitatis evadit, pure intuens Deum fabricatorem suum, & cum ipso versans quotidie, è corpore, & mundo, & aëre isto excedit, & virtutibus, atque alis charitatis à Deo elevata in cœlum ascendens, cum omnibus iustis à laboribus suis requiescit, & est in infinito ac divino lumine, ubi Apostolorum Christi, Martyrum, Sanctorum, & omnium supernarum virtutum ordines una choris indulgerent. Hunc itaque statum, fratres in Christo, nos quoque complectamur, ne sanctis patribus nostris inferiores simus: sed ut per exercitationem rerum honestarum, & per obedientiam Christi mandatorum, in virum perfectum evadamus, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Nihil enim prohibet, si velimus. Sic & Deum nobis ipsis glorificabimus, & Deus a nobis lætitia afficietur, &

A ex hac vita demigrantes eum inveniemus, qui nos vt magnus Abrahæ sinus in regno cœlorum excipiat, & foveat. Et qui in medio tumultu, strepitu, & qui in cœnobiis, & qui in montibus, ac speluncis sunt, mandatisque Christi convenienter viuunt, salvantur, & magnis a Deo donis dignantur. Psal. 144. *Voluntatem enim timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & saluabit eos.* Vbi timor, ait divinus Gregorius, ibi mandatorum custodia; vbi mandatorum custodia, carnis purgatio; nempe nubis obtenebrantis animum, nec sinentis divinum radium clare intueri. Vbi purgatio, ibi illuminatio. Illuminatio autem desiderij impletio his, qui maxima, aut maximum, aut plusquam magnum appetunt. Itaque cum hæc dixit, finem non finem esse omnis animæ illuminationem spiritus significavit, quam adeptus quis, finem quidem, & extremum sensibilium omnium comprehendit, principium autem cognitionis spiritualium invenit. B Psal. 33. Quamobrem vt cursum mandatorum Christi patienter laborando curratis oro, & facies vestræ non confundentur: sed sicut cuilibet petenter, constanterque pulsanti portas regni sui aperit, & dat petenti spiritum rectum, & sinceritatem, nec fieri potest, vt ex tota anima quærens non inveniat, & ditescat divitiis donorum eius: sic & nos in bonis mansionibus, nunc quidem ex parte, cum intelligentia, & cognitione præstantiorum, in futuro autem sæculo perfecte & consummate cum sanctis omnes delicias nostras habeamus. Æterna quippe bona a Deo electis, & salvandis partim iam nunc pignoris loco, ipsis proposita, revelata, pœnitentia, & vita, partim post mortem, & resurrectionem contingunt.

Discite igitur, dilecti fratres, thesaurum inexplicabilem, super omnem principatum & potestatem, cuius hæreditatem iusti aditur. sunt, non in futuro sæculo duntaxat; sed iam quodammodo ante oculos, & manus, & pedes nostros propositum esse, quem nos animæ oculos præ ignorantia, infidelitate, sensu perturbationum, quasi quadam caligine offusi, & cæcati, C non videmus. Venite, credite thesaurum istum, quem vobis prædico, lumen mundi esse: Ioan 8. & 11. *Ego sum resurrectio & vita.* Ego sum *granum sinapis,* quod in terra absconditur. Mat. 13. & 13. Ego sum *margarita,* quæ à fidelibus emitur. Ego sum *regnum cœlorum,* quod intra vos latet. Luc. 17. Et quemadmodum cernor ab his, qui me nunc quæsierunt, & invenerunt: sic fulgebo in illis, & super omnes illos, vt nunc vobis occultus fulgeo, super omnes cœlos residens. Ephes. 4. Ego qui etiam hic natura à vobis non capior, per gratiam capior, & invisibilis videor, non quantus sum me ostendens, quanquam totus maneo qui sum, dum videor; sed quantum me videntium natura, & virtus capit. Mat. 13. Ego sum *fermentum,* quod acceptum anima misit in tres partes suas, & fermentatur ipsa, & tota mihi similis efficitur. Quale enim fermentum, talis fit etiam farina, quæ huic cum aqua, & sale miscetur. Qui enim, inquit, mecum est, connaturalis pater meus, & eius spiritus, idonei natura sunt, vt pro aqua, D & sale sint. Ego pro sensibili intelligibilis paradisus servis meis factus sum, in quo colloco omnes credentes in me, & regeneratos per spiritum, qui peccare amplius non possunt; nec princeps huius mundi quidquam adversum illos valet. Ego enim sum in illis, & ipsi in me, & vincunt mundum, quia extra mundum sunt, me qui fortissimum omnium secum habent. Ego sum fons lucidus immortalis fluenti ac fluvij, in quo non post mortem, sed in horas, qui me toto pectore diligunt, aqua ex me defluente lavantur, corpúsque & animum ab ea labe purgant, & toti instar lampadis, & in speciem solis fulgentis micant. Ego sum qui in horas, vt mane, in his exorior, & videor sol per intellectum, sicut olim quoque in Prophetis manifestabam meipsum, ipsique videntes laudabant, & invocabant me semper. Psal. 5. *Mane,* inquit David, *exaudis me. Mane astabo tibi & videbo.* Isa. 58. Et alius: *Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, & sanitas tua citius orietur,* quando & tu videlicet mandata

E mea custodiveris. Et quid attinet omnia percensere, quæ Deus salutis nostræ sitiens ad nos loquitur: nisi omnino, vt per omnia cognoscatis & credatis, sedentes in tenebris magni luminis fulgorem videre oportere, si quidquam vident. Et ne qui de vobis cogitent, fuisse quidem, sed qui adhuc in corpore sunt homines, ipsum videre non posse. Si enim hoc fieri non poterat, quid luxit, & lucet adhuc, cum ab eis non cernatur? Immo vero lumen semper erat, & semper luxit, & lucet in his qui purgati sunt, & in tenebris apparebat, & tenebræ id non comprehendebant. Ioan. 1. 1, & 9. Et nunc lucet, & tenebræ id non comprehendunt, sive non tangunt. Quod autem dixit, quia ortum est populo sedenti in tenebris, id est, modo placuit sese revelari iis, in quibus & manifestatur. Alij enim in tenebris versantes, illud non comprehendunt. Invisibilis enim, tunc quidem F per corpus visus est omnibus, qui aspexerunt eum, credentibus & non credentibus. Etiam divinitatis eius lumen cognitum & revelatum est solis illis per opera fidelibus, qui & dicebant ei: Mat. 19. *Ecce nos, Domine, reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Quod ait, *omnia,* ea voce pecunias, possessiones, voluntates, contemptum huius vitæ, & abominationem eius, propter gustum subsistentis in nobis, & æternæ illius vitæ complexus est. Hoc enim plane dulcius est, & anteponendum omnibus, quod est ipse Deus. Hæc, fratres mei, sunt Dei adversarios. Act. 30. Misereamur itaque nostri ipsorum quæso, & huius vitæ participes fieri elaboremus, quæ est lumen Dei, ipse Spiritus sanctus, sui participes sanctificans; & Deos per adoptionem faciens. Credamus toto animo in Deum, terram, & omnia prætereuntia relinquamus, ad illum accedamus, et adhæreamus, quoniam adhuc modicum, & cœlum ac terra transibunt, & extra illum non est status, nec terminus, nec comprehendi potest, quo peccatores decidant. Deus enim capi non potest, nec intellectu comprehendi. Quis igitur locus est, dic mihi, regno eius excedentium.

Cogor lamentari, & cor meum comedo, & maceror, cum cogito Dominum tam munificum & huma- G num, vt propter solam in se fidem talia nobis largiatur, quæ mentem, auditum, & cogitationem superant, nec in cor hominis ascenderunt unquam; eos autem velut bestias præferre terram solam, & terrena, nobis per multam misericordiam ad sufficientem corporis vsum impertita, vt ex his moderate & pro portione alamur, & anima nostra citra impedimentum ad superna gradiatur, ipsa quoque intellectuali pastu ex spiritu, iuxta mensuram purgationis & ascensus sui nutrita. Hoc enim est homo, & hoc fine conditi, & ob istuc in mundum procreati sumus, vt hic paucis affecti beneficiis, per gratiarum actionem, & pium erga Deum affectum, maioribus, & æternis illic perfruamur. At enim, proh dolor, nihil prorsus de futuris solliciti, ingrati etiam de his sumus, quæ in manibus habemus, & dæmones imitamur, vel dæmonibus etiam, si vera dicenda sunt, deteriores sumus. Atque ideirco & atrocius supplicium nobis debetur, quanto & præstantioribus beneficiis cumulati sumus, & Deum H propter nos similem nostri, solo peccato excepto, factum cognoscimus, vt nos ab errore & peccato liberaret. Sed quid de his sigillatim verba facere opus est? Profecto, verbo tantum credentes, factis negamus, vt etiam beatus Paulus infidelitatem reprehendens ait: *Confitentur se Deum nosse, factis autem negant, abominati, & incredibiles, & ad omne opus bonum reprobi.* Ad Tit. 1. An non vbique Christi nomen personat? in vrbibus, in vicis, in cœnobiis, in montibus. Quære, si placet, & scrutare diligenter, an servent mandata eius, & vix invenies unum è millibus, vt dilectus ille discipulus Ioannes ait: 1. Ioan 3. *Omnis qui peccat, non vidit Deum, neque novit eum.* Et iterum: *Omnis qui facit peccatum, ex diabolo est.* Vbi igitur, bona quæ sunt in manibus nostris relinquentes, manibus autem, & sinis dediti & affixi, spem habemus?

Vt porro ad singulos vanitati adhærentes sermonem

convertam, age, quo pacto dicis, hæc omnia novi, & me mortalem, & vmbram esse quæ videntur, & mortem improvisam, & gloriam iustorum æternam, & confusionem peccatorum carere fine, & interim ab improbitate non desistis? Si enim vides, quomodo tanquam cæcus offendens, totum corpus, totamque animam denigratus es? Si nosti meliora, quomodo quasi expers sensus, deteriora sequeris? Si nosti omnia esse umbram, & omnia præterire quæ videntur, non erubescis cum umbra colludere, & fluentia pro thesauro colligere? non advertis te, vt puerum, in vas confractum haurire? & te putas tibi amicissimum. Perabsurdum sane, & grave est, putare, & existimare, nam per hæc esse aufertur. Homo, credis Christum esse Deum? Si credis, time, & mandata eius serva. Si non credis, at saltem dæmones ipsos, quos forsitan fide digniores existimas, interroga. Disce ab iis, à quibus in servitutem redactus es, & quos sequeris, quoniam non est alius Deus præter illum, cui nullus assimilatur, nec comparari potest, omnium enim Dominus ipse est, omnium iudex, omnium rex, conditor lucis, & vitæ arbiter. Ipse lumen illud ineffabile, inaccessibile, qui solus est. Ipse in adventu suo dissipabit a facie sua inimicos suos, & qui non obedierunt mandatis eius, quemodo noctis caliginem exoriens sol depellit. Et erit propterea Deus solus non potis capi in iis, quæ non capiuntur, & in incomprehensibilibus incomprehensibilis, solis dignis apparens, pro mensura fidei in ipsum. Peccatores vero erunt vt in lumine operti & circumfusi tenebris, in gaudio erubescentes, & in lætitia ipsi tabescentes, & ardentes horribiliter, & diversis summam affectionum generibus cruciati: sicut scilicet & iusti à lumine collustrati, & diversis virtutibus ornati apparebunt. Nam Deus, qui secundum naturam suam charitas est, & vocatur, nec damnatos odit, omni affectu naturaliter liber, nec à damnatis tunc odio habetur: sed quibuscum nostra voluntate & sententia in hoc sæculo pravorum studiorum societatem elegimus, cum his vt merito, & necessario in futuro sæculo, quamvis nolentes simus, condemnabimur. Iterum pro ut quisque affectus, ac dispositus est, Deus vnitus omnibus, in fine sæculorum, sicut novit ipse, sensum cuique præbet, quomodo ab ipso formatus sit. Dignis igitur per gratiam vnitus, supra naturam, divina, & omnem cogitationem superans voluptas esse consuevit. Indignis autem præter gratiam vnitus, præter naturam, secundum privationem huius gratiæ constitutum, & inefabilem dolorem facere solet, vt & magnus Gregorius Theologus ait: O Trinitas, quæ aliquando omnibus, aliis illustratione, aliis vocatione cognita fuisti. Sic igitur corporaliter in scripturis divinitus inspiratis hæc posita inveni, & spiritualiter edoctus sum à spiritu, & ad vos plene instruendos ex multa charitate, nihil subtrahens scripsi dicta mihi, & declarata, & iussa à Domino nostro Iesu Christo, per adorandum & sanctum eius Spiritum, de sublimibus donis, & charismatibus simul principij expertis Dei, & patris eius. Quorum vt sint participes, qui cum labore quærunt, iis semper concedit per fidem, ipse etiam nunc bonus, & benefactor noster Deus. Ecce, annuntiavi vobis omnia, & talentum non abscondi. Vnusquisque igitur vestrum de cætero quod vult eliget: ego enim quod ad vos attinet, crimine vaco, in Christo Iesu Domino nostro, cui gloria & imperium cum patre principij experte & sancto Spiritu in sæcula. Amen.

Mat. 25.

# ORATIO XXIX.

## ARGVMENTVM.

*Omnes homines à Christo non illuminatos, cæcos esse, nec opera lucis efficere posse, nec in via recte vivendi progredi. Quare circumspiciendum, & advertendum animum, an vero itinere in cælum ambulemus, quod in Dei mandatis situm est. Qui parvis peccatis succumbunt, eos magnorum servos fieri. Quibus actionibus ab affectibus illaudatis vindicemur.*

QVemadmodum cæcus ingrediens, velit nolit, pedibus offendat; sic homo oculis animæ sub intelligentiam cadentibus, non ante apertis ab eo, qui vt cæcorum oculos aperiret, humanum corpus assumpsit, non potest non viam huius vitæ carpendo delinquere: adhuc enim cæcus est, & ad id quod proprie malum est, a bono internoscendum superno divinoque lumine opus habet. Ab omni igitur peccante hæc quatuor requiruntur. Vt cognoscat vnde privetur lumine, edoctus mysterium, ne sit stupidus. Confessio peccatorum, vt sit verus. Fuga occasionum & causarum, quibus ad peccandum impellitur, ne sit stultus & insipiens. Postremo, vt medicum petat à solo Christo medico, qui contritos sanat, & modo quodam inexplicabili contritiones alligat, dicitque: *Fides tua te salvum fecit, vade in pace*: alioqui enim vita in pace, citraque lapsus degi non potest. Ex his primum illud bonum est: secundum melius: tertium præstantius: quartum propriè bonum, extra quod non datur salus; vti sine talibus antecedentibus quartum hoc Christus operari nequit. Valde siquidem opus habet, vt nos ipsos prius agnoscamus, quò sanati, demus gloriam Deo. Quo enim pacto quispiam adepta sanitate medico gratias agat, si morbi magnitudinem, gravitatem, & summam eius depellendi difficultatem ante non perspexerit? maximè, si is ab alio nullo medicorum curari queat. Meretur enim supplicium dirissimum, qui curatus medico pro dignitate gratias non agit. Ac propterea eum à quo sanandus est, nosse debet. Hinc visitare, & sanare infirmitates nostras sæpe moratur, quantumvis imploretur. Parcit enim nobis, ne ingrati ad pœnas maiores devolvamur. Quamobrem quotquot hominis vocabulo censemur, dispiciamus, & attendamus nobis necesse est, fideles iuxta atque infideles, parvi atque magni: vt infideles quidem ad cognitionem & fidem Dei conditoris nostri veniamus: fideles, vt vita piè acta, eidem in omni opere bono placentes appareamus: parvi, vt magnis propter dominum subiiciamur: magni, ut erga parvos tanquam parentes erga liberos afficiamur, propter mandatum Domini, dicentis, *Quamdiu fecistis uni istorum ex minimis meis, mihi fecistis.* Mat. 25.
Non enim, quod quidam opinantur, de pauperibus tantummodo, & victu corporeo egentibus hoc dixit, sed de fratribus item nostris omnibus, qui non fame panis, & siti aquæ, sed segnitiei, & inobedientiæ mandatorum Dei contabescunt. Omnes itaque curramus, antequam nobis per mortem pœnitentiæ ianua claudatur. Curramus, vt ante exitum comprehendamus. Festinemus, vt accipiamus. Pulsemus, vt priusquam de hac luce migremus, paradisi portam dominus nobis reseret, & seipsum manifestet. Studeamus regnum cælorum intra nos acquirere, & idipsum cognoscere, ac sentire, & ne sine illo hinc discedamus. Idcirco enim & Christi mandato pro subsidio vtimur, vtpote propter nos, infirmitatémque nostram præscripto. Idcirco renuntiamus omnibus, & ad angustam atque arctam viam procedimus, & à mundo, mundanisque corporaliter quodammodo amputamur, & ab alia re-

gione,

A gione, loco, & vrbe ad aliam habitationem, mansionémque abeuntes, ad stadium, in quo virtutis viget exercitatio, devenimus, per institutum vitæ, & sanctè vivendi normam pro suo quisque arbitrio incedentes, aut etiam accelerantes, currentesque, & vestigiis Domini nostri Iesu Christi insistentes, vt ne amplius rebus perituris delectemur, & voluntas carnis voluntati spiritus subdatur. Idcirco è mundo secedentes, statim mandata domini capessimus, & eius iussis obtemperantes, viam in cœlum ferentem auspicamur.

Hic porrò mihi pensiculatè dictorum vim considera. Informa animo viam bene tritam, quàm longa est, pedibus scilicet eorum qui præcesserunt. Hinc inde montes, sylvas, rupes excelsas, scopulos atque valles concipe. Cum his nihilominus campos, hortos, loca iucunda & umbrosa, longeque amœnissima, & omnigenis fructibus abundantia. Deinde non mediocrem bestiarum multitudinem, latronumque, & sicariorum globos per loca illa absconditos. His ita se habentibus, ex hisce locis nullus aut inescabit nos, sensumque nostrum commovebit, aut nocere nobis poterit, sequentibus sanctos, qui præiverunt, eadémque semita ambulantibus, qua illi ambulaverunt. Incedentibus quippe nobis per viam mandatorum Dei ac Domini nostri citráque respectum ad ea quæ retro sunt omnia quæ audisti permeantibus, nemo neque latronum illorum, neque belluarum apertè ac protervè insultat, aut appropinquare audet. Veruntamen alias remotius, aliàs vicinius: alij minas intendunt, cædémque spirantibus oculis nos obeunt: alij quibusdam deliniamentis, & blanditiis amicisque colloquiis vicissitudinem, & intermissionem nobis offerunt, & ostentant locorum per regiones delectamenta, & fructuum speciem pulcherrimam, hortanturque vt paululum requiescentes, laborem viæ consolemur, & de fructibus edere suadent, plus voluptatis, quàm pro eorum aspectu afferentibus. Multos insuper laqueos nobis, occasionésque ad capiendum varias, callidè excogitant; nec id per diem solum, sed per noctes etiam: nec vigilantes modò, verum etiam dormientes aggrediuntur; interdum quidem titillationibus, & excrationibus; interdum ciborum interdictorum gustu: interdum cum facibus, lampadibus, & ensibus tanquam latrones, & more latronum non invadunt, terrorémque mortis incutiunt. Percellunt nos, arbitrantes etiam à recto itinere aversuros. Et nonnulli quidem de ipsis monent fieri non posse, vt quamdiu vivimus, huius viæ difficultates sustineamus. Alij, hæc esse infrugifera, & quæ laborantibus nullam queant vtilitatem parere. Alij, nunquam esse, nec fore finem huius viæ, eo argumento, quod quibusdam res parum fœliciter processerit, & eo inprimis, quod qui multum temporis in hoc vivendi genere contriverunt, nullum ex diuturnitate fructum reportarint, dum putarint, se cursum mandatorum Dei currere, & id non secundùm scientiam, ac sano iudicio præstiterint; sed ad numeros, quos sibi finxerint, & ad opinionem, quam de se ipsi stultè habuerint: quibus meritò etiam gressus secundùm Deum præciduntur, illusis & ad ea quæ retro sunt revertentibus, séque per negligentiam maligno, ad suam in ipsis voluntatem explendam tradentibus.

B

C

D

Sed cur ego ita apud vos fratres meos spirituales dissero? Quia numerum excedunt adversarij nostri diaboli, malignorumque eius spirituum insidiæ & tendiculæ. Consideremus nos ipsos in via, de qua diximus, qui vel nuper eam inivimus, vel diutius in ea perreximus, & ab omnibus istis, quæ dictæ sunt bestiis, & latronibus, multa quidem passi eorum quæ commemoravimus, gratia autem Christi neque adulationibus decepti, neque elegantia rerum apparentium ad voluptatem furtim pertracti, neque timore aut minis ad declinandum de recta via, aut à progressu desistendum inflexi, neque verò retrorsum conversi sumus, sed potius, & quidem contentius currimus. Num in tali statu, & conditione nostra, quievit à nobis oppugnandis sathanas; & num aliquando tandem quieturus est? nunquam sanè. Quocirca Deus semper nobis summo desiderio, totaque mente orandus est, ne nos vnquam inescari a maligno, aut falli patiatur. Hæc pauca e multis decertantibus disputavimus.

E

De iis porrò, qui nullo discrimine, & nihil omnia pendentes hac via, & vita ingrediuntur, quid ego dicam? quandoquidem velut stupidæ aves omnis generis diaboli laqueis irretiuntur, semet cuivis affectui dedentes ac mancipantes, & escam semper maligno se obiicientes, circumeunti, *& rugienti instar leonis, quærentique quem devoret*, & mori præoptant, quam è dentibus, & faucibus eius crudelissimis extrahi. Hortor itaque, & omnes oratos volo in Christo Iesu, vt sibimetipsis attendant, & vnusquisque non plus quàm oportet, sed ad sobrietatem sapiat, directámque viam, quæ Deus & Christus est, ambulet (cui & respondere oportebit, vt iusto iudici, & qui circumscribi nequit) non declinantes ad dextram, nec ad sinistram: sed eius vestigia perpetuò prementes, in mandatis eius omnibus absque vlla omissione custodiendis, vt salvemini sicut caprea è maculis, & passer è laqueo. Primum quippe mandatum est, diligere Dominum Deum, & mandata eius servare, sicut ipse ait, *Qui diligit me, mandata mea custodit.* Secundum, diligere inter se, sicut ipse Deus mundum dilexit. Vera autem dilectio his quasi characteribus cognoscitur, adversus fratrem non inflari, nec efferri, nec æmulari illum, sed æmulari bonum: non agere perperam, non esse audacem adversus eum, non murmurare, non illudere, non irridere, in iudicio nunquam nec parva, nec magna de re contendere. Persuasissimum ergo habetis, fratres mei dilecti, nihil tam facile salutem vobis conciliaturum, quàm divina Salvatoris iussa facessere. Nihilominus multis lachrymis, multo timore, multa patientia, perseverantiáque in precibus nobis opus est, vt saltem vnius verbi Domini virtus reveletur nobis, vt noscamus quod in parvis sermonibus eius absconditum est mysterium, vt pro vno apice mandatorum Christi animas nostras ponere ne dubitemus. Sermo enim Dei armatus, & quasi gladius anceps, & à quo quis victus est, eius & servus est.

1 Pet.5.

Rom.12.

Deut.28.

F

Eccl.11

Deut.6. Ioan.14. 1.Cor.13

G

Hebr.4. 2.Pet.2.

Vt autem exemplo quoque credibile faciam, quod dico, vos interrogabo. Cui cum decem, aut duodecim viris suscepta est dimicatio, dum manus cum iis conserit, si antesignanos, & fortissimos eorum simul prima impressione in fugam compulerit, reliquos vulneraverit, ac prostraverit, unum verò, aut duos ex his despicabiliores, infirmioresque relictos postea timidè, & cum blanditiis procul ad se venientes viderit, nec occurrens eos comprehenderit, manus ponè revinxerit, aut occiderit, nonne sæviter ab iis ipse trucidabitur? Si enim ex Superbia, & arrogantia proiectis armis recubuerit, illisque contemptis supinus dormiverit, an non sciens & volens in servitutem miseris illis se tradidit? An non qui supervenerunt duo ex illis, aut etiam vnus, ligatum cum in suo mancipio habebit, & pro servo abducet? aut si etiam gladio iugulaverit, faciet omnibus mortalibus ludibrium? An non præterea omnes sui negligentem & confidentem illum, immo dementem ac stupidum meritò cæsum dicent? Omnino enim non tam laudabilis erit propter pugnam, & victoriam illam contra fortiores, quam vituperabilis, abominandus, & vilipendendus seu servus, seu mortuus, vt liberè dicam, quod ab vno illo victus sit. Sic igitur, fratres mei charissimi, nihil nobis proderit, si maioribus perturbationibus edomitis, in minorum potestate simus. Exempli gratia (eadem enim rursus dicam, & dicere non desinam) si carnis inquinamenta vitemus, si ab invidia, & furtis magni momenti abstineamus, si à nefariis puerorum amoribus, & aversa libidine, si à mollitie, & omni alia petulantia temperemus, vitio tamen ventris, aut multo vino, aut somno, aut inertiæ, aut pigritiæ, contradictioni, inobedientiæ, murmurationi tãquam servi, & flagitiones subiiciamur,

H

quem

A quem, obsecro, ex sola operum pessimorum abstinentia fructum consequemur? Si clam panis fragmenta surripimus, & comedimus, aut quippiam aliud aliunde sublegimus, idque citra permissum præfecti nostri, quis nos peccati immunes pronuntiet? Si a synaxi absque magna corporis imbecillitate, aut necessitate aliqua sponte abfuerimus? Si fructus custodientes, ab ipsis gulam non continuerimus? Etenim quid aliud Adamum è paradiso eiecit, mortique dedidit? Quid ex graviorum motuum vitatione commodi nanciscemur? Nec enim quispiam toto corpore lacer, deinde pluribus medicamentis, præter vnam modicam plagam curatus, dici sanus potest, si vulneris parvas reliquias, vt foramen acus adhuc circumferat: sed qui etiam vulnerum cicatrices, si potest, sustulerit, ille curatus prædicabitur ab omnibus. Ne igitur ista parvi ducamus;
B sed propter ea alios punitos, & vehementer damnatos audientes, quod nos inde nocumentum manet, totis viribus fugiamus. Et nemo, dilectissimi, in aliquo horum, aut alio quopiam turbulento, ac vitioso affectu de cætero permaneat; sed hinc iam profligato, pœnitentiæ faciat initium, & se victum fuisse confiteri ne cesset, donec pudefactus suggestor inimicus, ab eo oppugnando discesserit. Ne dominetur nostri invidia, ne ira, ne furor & clamor, ex quibus turpiloquia, & contumeliæ generari consueverunt. Ne inanis gloria, superbia, simulatio nobis dominantes, in profundum inferni nos trahant: verùm his omnibus procul exterminatis, virtutes eorum loco comparemus.

Sed occurrat fortè quispiam, cùm tam multæ sint, & innumerabiles propemodum quæ recensitæ sunt motiones in reprehensione positæ quis eas omnes scrutari, & ab universis cavere sibi potest, vt ne ab vna quidem occupetur? Quis? ego Christo adiuvante vos docebo. Qui peccata sua semper ante oculos habet, futurumque iudicium ubi suò prospicit, ac pœnitentia fervet, & amaras fundit lacrymas, hic superegreditur, longéque vincit omnia simul, à pœnitentia in sublime actus, vt ne vna quidem, & sola ex dictis motionibus ad eum pervenire, eiúsque tanquam per aëreas
C regiones incedentem animam attingere possit. Pœnitentiæ namque, & ex imo corde confluentis lacrymarum fervor, peccati sordes quomodo ignis conflat, & abluit, animamque contaminatam expurgat. Tantumne? immo & lumen largum in illam, per adventum Spiritus sancti magnum ei infundit, vt inde misericordia, & bonis fructibus abundet. Quod nisi anima nostra à pœnitentia & lacrymis, & quæ hinc in ea nascitur humilitate, velut alis acquisitis ad excelsa *ἀπαθείας* tollatur, à nulla harum, quarum meminimus passionum liberari poterimus: sed nunc quidem ab hac, nunc ab alia semper vulnerabimur, & non secus quàm ab immitibus belluis devorabimur, ac post obitum cœlorum regno idcirco exclusi, pœnas in omnem æternitatem expendemus. Quare vos omnes obsecro,
D spirituales mei fratres, & obsecrare charitatem vestram non cessabo, vt vnusquisque salutem suam ne contemnat; sed omnimodis à terra se paulùm efferre conetur. Hoc miraculum, quod vobis stuporem incussit, ab humo, inquam, in aëra suspendi, si factum fuerit, descendere in terram, in eáque consistere nullo modo in posterum voletis. Per terram porrò carnalem, per aërem spiritalem sensum, cogitatáque intelligo. Nam si mens pravis cogitationibus, & motibus expedita, quam Christus Deus nobis donavit libertatem aspiciendi facultatem præbuerit, ad pristinam peccati servitutem, carnalésque sensus descendere amplius non sustinebimus: sed secundùm Domini verbum, vigilare, & orare non desinemus; donec ad beatitudinem illam evecti, promissis bonis potiamur, gratia & benignitate Domini nostri Iesu Christi, cui gloria cum patre, & sancto Spiritu nunc & semper ætatibus seculorum sempiternis. Amen.

# ORATIO XXX. E

## ARGVMENTVM.

*Non esse dicendum, hodie ad fastigium virtutis pervenire, & cum veteribus sanctis certari non posse, etiamsi velis. Quicunque divinis scripturis contraria docet, eum sibi credentes nova hæresi imbuere. Lacrymas nobis à natura datas esse.*

Complures quotidie, patres & fratres mei, nos etiam dicentes audimus, si vixissemus temporibus Apostolorum, & Christum perinde vt illi istis oculis cernere digni fuissemus, nos quoque sancti, F quemadmodum illi evasissemus. Hæc dum dictitant, ignorant eundem esse qui tum, quique nunc mundo loquitur. Nam si nunc non idem est, qui olim, æquè super omnia Deus & in efficiendo, & in effectis, quomodo videtur in filio semper loqui pater, & filius in patre per spiritum hæc dicere: *Pater meus vsque modò operatur, & ego operor*? Sed obiciet forsitan aliquis, Ioan.5. non idem est, illum ipsum tunc corporeis oculis vidisse corporeum, & hodie eius verba duntaxat audire, quæque ad eum, & regnum cœlorum pertinent, edocere. Fateor ego quoque, non prorsus idem esse nunc, & tunc: sed quod modò & nunc est, id aio longè maius esse, & ad pleniorem fidem, persuasionémque certiorem faciliùs multò nos adducere, quam si tunc cum in corpore humano videre, & audire nobis contigisset. Tunc enim nefarijs Iudæis homo nullius pretij apparebat: at nunc verus Deus à nobis prædicatur. Tunc cum publicanis, & peccatoribus versabatur, & Luc.15. cibum per corpus capiebat: nunc ad dexteram Dei, & patris sui considet, a quo nunquam, & nusquam separatus, mundum alere vniversum creditur, sine quo G nihil fieri dicimus. Ac, si credimus, tunc à vilissimis homuncionibus despiciebatur, illa scilicet opprobrantibus, nonne hic est Mariæ, & Ioseph fabri filius? Mat.13. nunc à regibus & principibus, vt veri Dei filius, ac Marc.6. verus ipsemet Deus adoratur, & glorificatur, atque glorificabit adorantes se in spiritu, & veritate (tametsi sæpe eos peccantes puniat) cum ferreos eos super omnes gentes quæ sub cœlo sunt, pro testaceis fecerit fictilibus. Tunc ut vnus de cæteris hominibus, interitui Psal.2. obnoxius, censebatur, magnúmque erat in corpore humano Deum sine varietate aliqua, & mutatione sui carentem forma, nec sub aspectum venientem, forma præditum, & nihil nisi hominem apparentem, nihil præ aliis mortalibus in his quæ aspectu sentiuntur habentem: sed comedentem, bibentem, dormientem, sudantem, lassum, & humanis denique vniversis, dempto peccato, fungentem, talem, inquam, agnoscere, & credere Deum esse, qui cœlum & terram, & H quæ in eis sunt, omnia condidisset. Quare & Petrum propter vocem illam, *Tu es Christus filius Dei vivi*, Psal.144. beatum Dominus affirmavit, *Beatus es*, inquit, *Simon* Mat.16. *Bariona, quia caro & sanguis non revelauit tibi*, ut hæc, inquam, videres, & diceres: *sed pater meus, qui in cœlis est*. Itaque qui nunc cum quotidie in sancto Evangelio clamantem, & benedicti patris sui voluntatem annuntiantem audit, nec cum timore, ac tremore illi obedit, & eius iussa facessit, ne tunc quidem, si præsens præsentem spectavisset, docentemque auscultasset, plane in eum credere potuisset. Timendum potius, ne neutiquam credens, eúmque non pro vero Deo, sed pro Dei adversario reputans blasphemasset.

Et hæc quidem qui sunt omnino cæteris hebetiores ac stupidi. Quid verò his graviores? Si extitissemus, inquiunt, ætate sanctorum Patrum, certassemus & nos. Bonum enim eorum vitæ instituta, contentionémque intuentes, imitandi studio exarsissemus. At nunc cum

desidio

A desidiosis, & negligentibus versantes, vnà cum iis ferimur, & nolentes simul perimus. Sed hi quoque, vt credibile est, ignorant, nos magis quam illos in portu navigare. Sæculo patrum nostrorum (arrigant isti aures) multæ vigebant hæreses, multi erant Pseudochristi, multi Christũ cauponantes, multi erant Pseudomagistri, qui vagarentur libere, & maligni zizania spargerent, nec paucos sermonibus suis in fraudem illectos secum abstraherent, eorúmque animas ad exitium mitterent; id quod ex patrum Antonij, Euthymij, & Sabbæ vitis verum esse reperias. Traditum est siquidem litteris, Antonium tunc veste splendidiore præter consuetudinem indutum, in locum editum ascendisse, semet exhibuisse, ostentasséque, vt manifestus & conspicuus, omnino ab hæreticis apprehenderetur, & neci daretur. Certè nisi tum persecutio ferbuisset, hoc ille non fecisset. Temporibus autem S. Patris nostri Euthymij, Ecclesiis à Deo tranquillitatem donatam esse, nonne litteris extat? cùm nimirum tunc persecutiones, & hæreses conquievissent. Sanctus verò pater noster Sabbas cum esset Præpositus, an nescitis quantopere pro Ecclesiis contra illius temporis hæreses pugnaverit, & quot monachi tum ab hæreticis seducti sint? Quid quæ sub Stephano Iuniore contigerunt? an non gravissimam, & acerbissimam persecutionem habuerunt? An non cogitatis, qualis tum procella, quanta vis tempestatis monachos in salo iactaverit? Sed quid ego omnia initer persequor? Cùm enim recordor, quæ ante hæc sub Magno Basilio, sicut magnus narrat Gregorius, & quæ sub aureum orationis flumen fundente Ioanne Chrysostomo, & Patribus consecutis acciderunt, & ipse me miserum iudico, & hæc non expendentes miseror. Haud enim satis sciunt, omne tempus præteritum fuisse mœstius, & palam repletum malignis zizaniis.

2 Cor. 2. Mat. 13.

Naz. de orat. in Basilii.

C Veruntamen quamvis tristia & adversa fuerint præterita, nihilominus etiam hoc tempore multi sunt hæretici, multi lupi, aspides, & serpentes inter latera nostra; sed nihil contra nos possunt, ac velut quandam malignitatis suæ noctem agunt. Et quidem ad se ventitantes, & tenebris suis involutos rapiunt ac devorant. In lumine autem divinarum scripturarum ambulantibus, & in via mandatorum Dei incedentibus, ne occurrere quidem audent: sed cùm pertranseuntes cernunt, eorum conspectum perinde ac flammam fugiunt. Quos nam igitur hæreticos me significare suspicamini? num eos qui Dei filium negant? num qui Spiritum sanctum blasphemant, ac divinitate spoliant? num qui patrem filio maiorem asserunt? num qui trinitatem in vnitatem confundunt, aut unum Deum in tres deos dividunt? num qui Christum Dei quidem filium nominant, eundem verò ex muliere corpus sumpsisse non credunt? num qui corpus quidem assumpsisse, sed sine anima nugantur? num qui illud animatum, vt integrum hominem, non autem unum secundum hypostasin Dei & Mariæ filium appellatum, Deum esse contendunt, sed in duos filios unum Christum secernunt? num demùm qui patrem principio carentem, principio circumscribunt, & dicere non verentur, fuit, cùm non esset pater, id est, aliquando non fuit pater? aut qui patrem quidem paternitatis carere initio, filium verò vt ex eo genitum post tempus aliquod initium accepisse, tanquam creaturam perverse & sentiunt, & docent? Erat enim, inquiunt, aliquando pater, cùm filius ei non coesset. Et qui tandem pater, qui sine filio est, appellabitur? An fortasse eos, qui alium quidem passum, alium è mortuis extitisse asseverant? Apage; neminem istorum impiorum, & atheorum, nec aliarum hæresum ullam tibi dico, quæ, cum ut tenebræ emersissent, à patribus qui tum claruerunt, velut a lumine discussæ ac dissipatæ sunt. Vsque adeo enim gratia S. Spiritus per eos resplenduit, dictorúmque hæreseon tenebras pepulit, ut usque hodie Deo dictante cõposita eorũ volumina, solis luce fulgidius reluceant, vt iis contradicere nemo attentet.

B

D

E Sed de iis loquor, eosque nomino hæreticos, qui docent, non esse quenquam nostro hoc ævo, & in medio nostrum, qui Evangelica mandata servare, & ad exemplar sanctorum patrum se conformare possit: vt primum quidem omnium sit fidelis, & actioni deditus, nam ex operibus fides, quemadmodum per speculum faciei intuentis similitudo demonstratur: deinde contemplatione maxime excellat, Deumque cernat, dum scilicet ab eo illustratus, & Spiritu sancto auctus, per eundem quoque filium cum patre cognoscit. Qui igitur hoc fieri non posse ratiocinantur, non particularem quandam hæresin alunt, sed, si dici potest, universas: quandoquidem hæc omnes impietatis, & blasphemiæ magnitudine exsuperat, & includit. Assertor ille scripturas divinas ad vnam evertit. Frustrà, puto, dicit ineptus, modò legi Evangelium: frustra magni Basilij, aliorumque sacerdotum sanctorumque patrum nostrorum scripta volutari, aut confecta esse testificatur. Si igitur quæ Deus dicit, omnes sancti & factis executi sunt omnia, & ad nostram admonitionem scripserunt, impossibile nobis est opere præstare, ita vt nihil omittatur, quid est quod ij & tum illa cum tanto labore litteris consecrarunt, & nunc in Ecclesia eadẽ lectitantur? Qui hæc dicunt, cœlum a Christo descendente nobis reseratum claudunt, & ascensum in illud, quem idem ipse nobis instauravit, intercidunt. Nam cum ille, qui est super omnia Deus, desuper velut ad portam cœli astet, & despiciat, atque à fidelibus aspiciatur, & per sacrum Evangelium clamet, ***Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos***, isti hostes Dei, seu Antichristi potius aiunt, hoc fieri non potest, non potest istuc fieri. Quibus rectè Dominus magna voce refert, ***Væ vobis Scribæ & Pharisæi. Væ vobis duces cæci cæcorum, quoniam & vos in regnum cælorum non introitis, & volentes introire prohibetis.*** Cum ille lugentes manifestè ac palam beatos declaret, isti impossibile esse reclamant quempiam lugere, & flere quotidie.

F

Mat. 11.

Mat. 23.

G

O stuporem, & os liberum ac solutum nimis, scelestas contra Deum Altissimum voces emittens, & Christi oves belluis capiendas obiiciens, pro quibus vnigenitus Dei filius revera sanguinem suum effudit. Bene de talibus divinus pater David vaticinatus est, ***Filij hominum, dentes eorum arma & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus.*** Cur enim, dic mihi, istuc est impossibile? & per quid aliud sancti in terris emicuerunt? & luminaria mundi extiterunt? Si impossibile erat, nec illi unquam recte facere potuerunt, quando ipsi quoque similes nostri homines erant, nec plus nobis habebant, nisi certum ac deliberatum bene agendi propositum, studium, patientiam, humilitatem, & amorem Dei. Hæc tu similiter possideto, & anima tua nunc petrosa, fons lacrymarum tibi fiet. Sin tu tribulationes & angustias pati recusas, at saltem rem humana facultate maiorem esse ne affirma. Nam qui hoc dicit, purgationem negat. Etenim post homines natos nunquam auditum est, animam quæ post baptismum peccato se fœdasset, absque lacrymis ab illis sordibus purgatam esse. Per baptismum namque Deus omnem lacrymam à facie terræ abstulit, cùm Spiritum suum sanctum abundè effudit. Verùm vt à sacra Scriptura didici, etiam in ipso baptismate quidam coævi baptizati, superventu spiritus compuncti fleverunt. Non habent dolorem parturientium, nec sunt operosæ lacrymæ: sed efficientia, & munere S. Spiritus melle dulciores, qui eas sine labore, sine strepitu per oculos derivat.

Ps. 56.

Phil. 1.

H

Tit. 3.

ANNOTAT. Videri posset Simeon noster cùm hic, tum alibi præsertim oratione 32. nimis multum lacrymis tribuere; si quidem de lacrymis corporalibus loquatur, vt certe loqui videtur. Etsi enim lacrymæ ex interno cordis dolore manantes, multum ad peccati sordes eluendas conferunt; non tamen ita necessariæ sunt; vt si absint; maculæ post baptismum contractæ expiari nequeant: cùm non sint in potestate hominis, Et quandoque homo fleat, invitus, & quandoque non

possit

A possit flere volens, vt rectè dixit Durandus 4. d. 17. q. 4. Quod etiam Simeonem agnovisse conicio inde; quia Oratione 32. monet, vt si quis lachrymis careat; eas nihilominus ex tota virtute & anima desideret. Quo indicat, se non modò lacrymis, sed & desiderio lacrymarum contentum fore; licet nec hoc sit absolute necessarium explicitè, vt vocant, Implicite autem & tacitè omnis ille hoc desiderium habet, qui veram contritionem habet; hoc ipso, quod Dei placandi gratia quidvis facere & tolerare paratus est. Tantum porrò abest, vt fletus iste corporalis per se simpliciter sit necessarius ad remissionem peccatorum obtinendam; vt aliquando maxima contritio sine hoc externo fletu in animo inesse posset; quia lacrymæ non sunt immediatè & per se effectus doloris illius interni, qua voluntas afficitur; sed mediatè tantum & indirectè, *Prout vires inferiores moventur ex redundantia superiorum*, inquit Durandus; *quod non fit ita efficaciter, sicut quando moventur à propriis obiectis*. Tametsi ne mediate quidem necessariò ad internum dolorem consequūtur. B Et *quia immutationes istæ corporales immediatè consequuntur ad passiones sensitiuæ partis*, hinc fit, *ut ex dolore sensibili, vel etiam sensibili vicino, citius defluant lacrymæ corporales, quàm de dolore spirituali contritionis*, vt rectè docet sanctus Thomas in supplem. 3. p. quæst. 3. art. 1. Dicit autem, *Citius*, quia si sequantur, citius, cæteris paribus, sequuntur ex dolore sensibili, quàm ex spirituali; quanquam necessariò ne ex sensibili quidem semper exsistant: cum experientia constet, quosdam gravissimis corporis doloribus exerciari, neque tamen vel unam lacrymulam emittere.

Legatur Cassianus Collat. 9. cap. 27. 28. 29. & 30. ubi pulchrè de lacrymis disputat; Inter cætera sic scribit. *Ab his, qui in affectum iam transiêre virtutum, nequaquam debet hoc modo extorqueri profusio lacrymarum, nec exterioris hominis magnoperè affectandi sunt* C *fletus; qui etiamsi fuerint utcunque producti, nunquam pertingere ad illam spontanearum lacrymarum poterunt ubertatem.* Sanctæ ergo sunt lacrymæ ex amore Dei scelerúmque detestatione profectæ, atque adeò assiduis precibus à Deo expetendæ; sed non simpliciter ad salutem aut obtinendam aut retinendam necessariæ. Videat lector, si placet, librum de contemptu mundi Isaaci Monachi & Presbyteri, & Homiliam 107. Antiochi, quæ de compunctione inscribitur.

Cæterum, quò verbis istis Simeon respexerit, me fugit; verbis, inquam, istis; ἀλλ' ὡς παῖδες τῆς θείας χάριτος ἀληθῶς, καὶ ἐν αὐτῷ τῷ βαπτίσματι ἡλικιῶταί τινες βαπτιζόμενοι τοῦ ἐπελθόντος κατανυγέντες τῷ πνεύματι ἐδάκρυσαν. Vbi enim in sacris litteris proditum legimus de istis ἡλικιώταις, seu coævis simul baptizatis, ipsoque baptismatis puncto in lacrymas erumpentibus?

Quocirca quibus concessum est, vt lacrymas istas D experiantur, cognoscent quæ dixi, & vera esse testimonium mihi dabunt, sicut etiam illa Theologi vox mihi astipulatur. Offerat quispiam, hic quidem hoc, ille aliud; & multis in medio enumeratis, ad extremum addit, omnes lacrymas, omnes purgationem, omnes ascensum, & ad anteriora extendi. Num igitur in Phil. 3. hoc distinxit, aut separavit quosdam, & illos quidem dixit hoc posse, hos non posse? Num, vt vos insipienter asseritis, vos, inquam, incircumcisi cordibus & Act. 7. auribus (pro eo ac meremini vos tangam) quoniam quidam sortiti sunt naturam duriorem, qui nequeant aliquando compungi, & lacrymas emittere, hoc etiam magnus Gregorius adiungit? Absit, neque natura humana sic comparata est, vt si non potius ingenitæ sint illi luctus & lacrymæ; neque sanctus hic, aut alius sanctorum hoc dixit, aut scripsit. A natura autem nobis inesse fletum, ipsi infantes dum nascuntur te doceant: qui simulátque ex vtero prodierunt, in terrámque ceciderunt, plorant, eóque indicio obstetricibus, & matribus vivere se ostendunt. Infans quippe nisi vagiat, ne vivere quidem dicitur. Si vagierit, illico naturam ab ipso ortu suo luctum, & lacrymas habere E comites demonstrat. Atque istuc etiam sanctus pater noster Simeon Studita confirmabat, cum huiuscemodi lacrymis hominem debere hanc vitam traducere, & cum, &c.

*Deest in utroque exemplari una pagina hoc loco.*

Obtorto collo tracti, etsi minimè audire vultis quotidie clare intonantem vobis divinam scripturam, *Omnes enim stabimus ante tribunal Christi, vt recipiat unusquisque prout in corpore suo gessit, sive bonum, sive malum.* Rom. 14. Quod cum omnibus nobis brevi evenerit, vbi tum corpora nostra operiens, & exornans pretiosa vestis erit? ubi humeralia conspicua? ubi fulgentia, & pellucida pallia? ubi humum prementia illa pulchra, solidáque sandalia? vbi lora cingulorum muliebrium similia? vbi virorum principum occursus? vbi ante alios honorificè salutari? ubi contentiones de prima cathedra? Luc. 12. ubi sumptuosæ mensæ? ubi (vt & hoc dicam) prævenire fratrem, & ex appositis plura meliotáque sumere? quod ego primus, & qui mei similes F sunt, vani & inepti facere consuevimus. Vbi tunc fastus & superbia nostra, imperare, & imperari? Vbi cellæ latæ, & eleganter in morem thalami ornatæ. Vbi ministrorum, & quibus ministratur prærogativa in iis, in quibus nos alios præire debere arbitramur? Vbi immodicus, & indecorus risus? ubi longæ, & apparatissimæ cœnæ, prandia, & inter ista confabulationes intempestivæ? Vbi tunc magna nomina? Vbi sanctitudo, quam nunc habere putamur, aut ipsi putamus etiam? Vbi adulatores, & illusores, qui nunc sanctos nos appellitant, & vestigia nostra calcare formidant? Vbi excelsi throni, & qui in iis sedentes, cæteris illustriores apparent? Vbi propter quippiam possidendum, aut maiorem præfecturam acquirendam concursatio, & diligentia? Vbi contradictio, & contumacia, G & posteriorem videri nolle? Vbi cognatorum in nos affectus? Vbi qui nos visere solebant mundanorum, ac nobilium virorum superbia? per quos ego miser existimo, & mihi persuadeo, me supra cæteros claritatem adipisci. Vbi cognitione rerum, & sapientia huius mundi inclytorum scientia? Vbi magnifica de seipso opinio, & putare nos esse aliquid, cùm nihil simus? Vbi tum lubrica lingua, & velut è fonte promanans oratio? ubi tunc, immò nunc *sapiens? ubi scriba? ubi conquisitor huius seculi*, vt revertatur, & Galat. 6 1. Cor. 1. constituamus simul, déque terribili die, & hora illa consultemus, & omnem, quod dicitur, rudentem in nobis ipsis, & in scripturis divinis moveamus, & accuratè scrutati doceamur inde, discamúsque quid nobis tunc prodesse possit, & illud cupidissimè eligamus. Sic, fratres mei dilecti, vt omnis scriptura aperte clamat, magna necessitas, magnus timor & tremor in illa hora proinde, vt ego desides, dissolutos ac pigros occupabit. Beatus autem, fratres, qui nunc omni creaturæ subiectus luget, & plorat nocte & die coram H Domino, quia à dextris eius, stola amictus statuetur. Beatus qui hæc audit, & non solùm gemens, nec de die in diem differens, tempus vitæ suæ sine fructu decurrit: sed qui simulac Domini vocem accipit, *pœnitentiam agite*, statim manum operi admovet. Talis enim ut obediens, ac bonus servus misericordiam consequetur, nec cum inobedientibus damnabitur. Et in hac quidem vita ab omnibus vitiosis motibus animi liberabitur, omniúmque virtutum probatus cultor evadet: in futura autem vita bonis Dei nulla lingua exprimendis oblectabitur, cum omnibus, qui à sæculo illi placuerunt; quibus omnes nos utinam potiamur, gratia & benignitate Domini nostri Iesu Christi, cum quo Patri simulque sancto Spiritui gloria, imperium, honor, & adoratio nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

ORATIO

A

# ORATIO XXXI.

## ARGUMENTUM.

*Christianum æquo, & generoso animo incursantium se tentationum impetus sufferre oportere.*

QVi verè sunt servi Dei, quique ipsum diligunt, & quasi bonorum tutissimum thesaurum in se ipsis habent, tempore tentationis iniurias, & contemptus cum gaudio, & animi iucunditate inenarrabili patiuntur, & eos a quibus ita tractantur, sincero cum affectu, vt bene de se merentes maximoperè diligunt. B Qui autem tempore tentationis consputationes, alapas, petulanter illatas iniurias pacatè non sustinet, aut animo concitatus, verbum indecens profert; aut denique per exteriorem habitum se ira ferventem prodit, contráque verbis contumeliosis insurgit; aut aliud sui vlciscendi causa facit, quomodo is vlla ex parte servum se, & imitatorem Domini sui, ac non inimicum potius dicere audebit? Qui enim verberanti resistit, cumque vicissim verberat, Deum inhonorat, dicentem, *Qui percussit te in vna maxilla, præbe illi & alteram.* (Mat. 5) Qui porrò sic se defendunt, & aiunt, in rixa & pugna, ac iram & excandescentiam vt homines commovemur: aliquando etiam verbis, & opere ipso de fratribus nos vindicamus, post, animum ab ipsis non alienum gerimus, sed omnia dimittimus, potissimùm si veniam inter nos dederimus, videntur mihi tabulæ puræ similés, in qua inimicus & hostis captata opportunitate, per eos ipsos prava sua placita inscribit, & inducit: ipsique rursum delentes, quæ incitatu maligni inscripserant, nolunt pro iis Christi placita inscribere, vt cùm venerit adversarius, tabulas cordium eorum conscriptas inveniat, C victúsque cum dedecore discedat: sed vnusquisque eorum præ pigritia, ac desidia hasce vacuas relinquens, cum mandaverit Dominus, vt in aliqua harum suæ leges inscribantur, illi mox, & promptè inimici leges inscribunt, & amara atque mortifera admittentes, vivifica, & melle dulciora à se repellunt. Qui igitur nihil deliquit Iesus Dominus ac Deus noster, percussus est, vt eius exemplo peccatores non solum remissionem peccatorum accipiant, sed etiam divinitatis eius per obedientiam participes fiant. Quod qui in humilitate cordis non admiserit, quasi erubescens Domini perpessiones imitari, Christus illum coram angelis, & patre suo cœlesti erubescet. (Luc. 9)

Quod dico, huiusmodi est. Cùm esset Deus, nostri causa hominem indutus, alapis cæsus, consputus, in crucem actus est: docens, ac dicens quodammodo cuique nostrum per ea quæ passus est (qui, quà Deus, pati non poterat) si vis Deus esse, ô homo, vitámque D æternam assecutus mecum vivere, quod pater generis tui, cum male concupivisset, non est assecutus, sic humiliare, quomodo ego tua causa me humiliavi, arrogantiaque & superbia, in quibus est spiritus diabolicus, deposita, alapas, consputationes, colaphos suscipe. Perfer ista ad mortem usque, & noli erubescere. Sin tu propter mandata mea pati erubueris, postquam ego Deus propter te passus sum, etiam ego, quando cum maiestate advenero, pudori habebo te mecum esse, dicamque angelis meis, hic in humilitate mea erubuit me, & gloriam mundi deserere, meque imitando exprimere haud sustinuit. Nunc, quando ipse quidem fluxa gloria exutus est, ego verò in immortali patris mei gloria glorificatus sum, vel tantummodo videre eum erubesco. Itaque foras eiciatur, *Tollatur impius, ne videat gloriam meam.* (Isa 26.)

Hæc audient, qui omnia quidem mandata Domini observare se putant, propter pudorem autem, & opprobrium apud homines, illatas ab iisdem iniurias, E ignominias, maledicta non patiuntur, neque alapas, neque verbera, & plagas inflictas tolerant. Horrescite, & tremite mortales, & iniurias, quas pro salute vestra Deus pertulit, etiam vos cum gaudio sufferte. Deus a servo impurissimo in faciem cæditur, tibi ad exemplum; & tu ab homine similibus tecum affectionibus obnoxio hoc pati detrectas? Dei imitatorem esse pudet? Et quo pacto cum ipso regnabis, & cum eo in regno cœlorum conglorificaberis, si cum eo nihil toleraveris? Nam si & ille, quod ad te attinet, propter te homo nasci erubuisset, & in prævaricationis lapsu iacentem te hucusque destituisset, nonne, miser, cum infidelibus, & impiis in inferni recessibus permansisses? Credin' tu Christum esse Deum? credo, inquis. Si ergo esse Deum credis, qui cœlum, & terram condidit, qui citra exinanitionem (Phil. 2.) de sinu patris exinanitus est, qui ex immensa altitudine divinitatis, & inexplicabilis gloriæ suæ descendit, F & propter te homo abiectus, ac pauper factus est, tu lutum, cinis, ac pulvis, non potes in animum inducere, vt a sublimi throno tuo descendens, fratri tuo te humilies, qui infra te quidem videtur stare, fortassis autem virtutibus te supereminet? Quin vestem tuo iudicio splendidam abiicis, illius ex pilis confectam, & humilitatem eius revertitus? Quin despicis omnia, quæ revera ludus, & velamenta, ac persona quædam turpitudinis potius, quam gloria claritatis sunt? Quin per omnia fabricatori tuo ac Deo similem te præstans, cum illo fratribus tuis te humilias? Si illi similis effici non vis, maiorem nescio quomodo, & gloriosiorem illo te facis, aliúmque te nobis Annam, aut Caipham, aut Pilatum tyrannum exhibes, opificem vniversitatis non vt assessorem, sed vt vnum quendam damnatorum tibi astare cupiens.

Hæc ad divites & principes, & aliorum Præsides, & cum fastu supercilium tollentes dicta sint. Quid iam dicemus iis, qui relictis omnibus, propter regnum cœlorum ad egestatem se redegerunt? Quid dicemus, G inquam? Ecce frater, mendicus factus, & Dominum Christum, ac Deum imitatus es. Intuere igitur hunc modò tibi iunctum, tecúmque versantem, qui super omnes cœlos est. Ecce duo vos simul inceditis. Occurrit quispiam vobis in itinere, deditque Domino alapas, dedit similiter tibi. Dominus non contradicit, & tu contra irruis? Immò, ais, dixit enim danti tibi alapam, *Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem bene, quid me cædis?* (Ioan. 18.) Hoc ille non protulit, vt contradiceret, quod tu existimas; sed quoniam *ipse omnino peccatum nullum fecit, nec inventus est dolus in ore eius.* (1.Pet. 2.) Præterea, ne, qui dixerat, *sic respondes Pontifici?* iustè eum, vt qui peccasset, percussisse putaretur, idcirco se innoxium volens declarare, sic locutus est. Verùm nos multis obstricti criminibus, longissime ab ista innocentia distamus. Nam postea Dominus, cum multa indigniora istoc excepisset, nullum penitus verbum edidit: quinetiam, quod constat, pro crucifixoribus oravit. Ille irrisus non indignatur, H & tu moleste fers? Ille sputa, colaphos, flagella patitur; & tu ne verbum quidem asperum audire potes? Ille crucem, & mortem ignominiosam, & dolores clavorum excipit, & tu ministeria abiectiora obire refugis? Et quonam eius gloriæ consors eris, cuius mortis consors fieri abnuis? Sane frustra divitiis te abdicasti, crucem vt ille iussit in veritate tollere nolens. *Vende quæ habes, & da pauperibus, & tolle crucem tuam, & sequere me,* adolescenti, & nobis cum ipso Christus præcepit. (Luc. 18.) At tu facultatibus distributis, crucem tamen horrens tollere, vt diximus (quod nihil aliud est, quàm omnium tentationum impressioné hilari animo sustinere ac perpeti) in via huius vitæ relictus, & à dulcissimo Domino tuo divulsus es. Sed, obtestor, patres ac fratres, omnia Christi mandata custodiamus, adorientes nos tentationes vsque ad mortem regni cœlestis amore sufferamus, vt & gloriæ Iesu socij, & æternæ vitæ compotes, & bonorum quibus nulla par est oratio,

A hæredes euadamus, gratia, & benignitate magni Dei, ac Saluatoris nostri Iesu Christi, cum quo Patri gloria, imperium, honor, cum sancto Spiritu, nunc & semper, & in omnem æternitatem, Amen.

## ORATIO XXXII.

### ARGVMENTVM.

*De pœnitentia, & compunctione, & quibus actionibus ea potiamur. Sine lacrymis ad purum, tranquillumque animi statum neminem vnquam perventurum.*

QVoniam, patres ac fratres, sancti Patris nostri Studitæ diuina sublimium eius actionum monumenta nobis lecta sunt, quæ ille cœlesti spiritu instinctus, ad multorum vtilitatem publicauit, cum aliis B eiusdem supra modum egregiè factis, etiam hoc, ita expressè, sicut in omni vita sua constanter obseruarat, scripsit, in hæc verba. *Frater, absque lacrymis non communicabit vnquam.* Quod vbi audierunt qui aderant, (aderant autem multi, non laici modò, verumetiam ob virtutem magni nominis, & famæ monachi) mirati sunt dictum, & mutuum aspicientes, ac subridentes pariter, vna voce dixerunt, de cætero nos nunquam communicemus, sed sine communione maneamus. His ego miser & infælix auditis, seorsum ea mecum revoluens, & indignè ferens, acerbè flevi in dolore cordis mei, ita apud animum memet interrogans. Num revera in hoc negotio sic affecti sunt, & ita sentiunt, vt verba sonant, sermoque impossibile hoc reputantes dixerunt, quæ dixerunt? an potius non parvum ac facile quoddam officium rati, tempore communionis lacrymari, solo verbo id irriserunt? Sanè, nisi quis assiduò diebus & noctibus coram Christo Deo in fletu occupatus sit, nec cum divina participare voluerit, quomodocunque lugere, aut lacrymari, fletuque secundum Deum stillare poterit. Qui C enim nisi fortè secreta quadam œconomia, aut eventu, ex causa aliqua rarò id contingat alicui, quod mihi mirum non videtur, quando multi etiam in exitu animæ è corpore lacrymarunt. Opinor autem hic non multi, sed pauci admodum, & quorum numerus iniri facilè queat. Quod si prorsus fieri non posse existimant, vt quis cum lacrymis in dies participet divina mysteria, prò ignorantiam, socordiam, & cæcitatem ista loquentium. Si enim seipsos iudicassent, non è suis ipsorum sermonibus indicarentur. Si pœnitentiæ studerent, non hoc pro impossibili effutivissent. Si fructuosis vacarent operibus, talis boni tantæ liberalitatis Christi gustum aliquem haberent. Si esset in iis timor Dei, non solùm tempore communionis divinorum mysteriorum lugere quempiam, ac flere posse attestarentur, sed & omni hora propemodum. Quocirca & vestram charitatem de hoc certius erudire volens, & illos qui ita locuti sunt, tanquam præsentes compellans, percunctandum statui. Dicite mihi, boni viri, cur hoc fieri nequit? quia, inquiunt, alij quidem propensi ac faciles ad compunctionem sunt, alij D duro, alij lapideo corde, qui etiam puncti non compunguntur. Qui igitur ita sunt comparati? qui flere & lugere, & cum lacrymis semper communicare poterunt? Quin & ipsi sacerdotes, qui divino incruentoque sacrificio operantur, quomodo lacrymas fundent? Ipsum igitur hoc, esse duros, vt dixistis, & ad compunctionem difficilè permoveri, vnde ipsis accidit? dicite, si nostis. Si ignoratis, paululum celsitudinem vestram citra verecundiam submittentes, & aurem benevolè inclinantes, ne ex me infimo discere grauemini. Scriptum est enim, *Si autem postremo revelatum est, primus sileat.* 1.Cor.14

Vnde igitur, inquis, hic quidem durus, hic autem ad compunctionem mollis? Audi. Ex proposito & E voluntate, vnus bona, alter mala; & ex cogitationibus hic quidem pravis, alius verò alusmodi: & ex actionibus, hic quidem divini amoris indicibus, ille verò contrariis. Ac si placet, considera, & videbis omnes inde à primordio sæculorum per sola hæc tria partim multos ex bonis malos partim multos ex malis bonos extitisse. Nam vt à principio eos enumeremus, Luciferi casus vnde extitit? nonne quia voluntati, & cogitationi perversæ assensit? Vnde Cain fratricida? nonne ex prava voluntate, cùm se conditori prætulisset, & cogitationibus improbis locum reliquisset, invidiæ mancipium evasit, cædemque perpetrauit? Vnde Saul quærebat Davidem comprehendere, & occidere, quem prius quanti seipsum faciebat, plurimumque, vt bene merentem, diligebat? ex natura, an ex corrupta voluntate? planum est, ex vitiosa, & depravata voluntate. Natura enim nemo est malus, quoniam Deus non malorum, sed valde bonorum operum auctor, & F effector est. Immò potius bonus est quisque, idque non ascitu & electione, sed natura, & veritate. Ad hæc, vnde latro alter cum Domino Iesu crucifixus dicebat, *Si filius Dei es, salua temetipsum, & nos:* alter Mat.27. verò reprehendens occurrebat, *Neque tu times Deum: nam nos quidem digna factis iustè recipimus, hic autem nihil mali gessit.* Velim mihi dicas, vnde hic quidem isthæc, ille verò alia locutus, & vnus quidem iustificatus, alter condemnatus est? nonne ex voluntate, & cogitationibus vterque, vnus nempe bonis, alter contra malis? Ex his enim alter infidelis, alter fidelis dicebat, *Memento mei Domine, cùm veneris in regnum tuum.*

Vt alios complures silentio prætermittam, ex his quid velim percepistis, & didicistis, vnumquemque voluntatis suæ libertate aut ad compunctionem propensum, & humilem, aut duri cordis, & superbum fieri. Et meritò. Duobus enim huic vitæ renuntiantibus, eiusdem artis, cognatis, coævis, aliquando etiam fratribus, concordibus, moratis ad eundem modum, improbis, inquam, asperis, misereri nesciis, crudelibus, carnis & pecuniæ studiosis, & in omni genere perversitatis G æqualiter exercitatis, & in stadium vitæ sanctæ, ac Dei cultui consecratæ simul ingredientibus, vnus illorum omnium virtutum semitam simul calcat fœliciter, feruore exequendi omnia vitia amputans: alter peior, quam ante renuntiationem erat, efficitur. Quid ergo est, quod non æquè virtutis funguntur munere, quemadmodum summa vitiorum pariter contigerant? Nonne quoniam alter consilio ac voluntate bonæ animæ omnia secundùm Deum tristia tolerat, & insuper ab ipso ingressu, & renuntiatione prudenter divinis scripturis se dedit, & per se, suaque sponte probatas actiones eligit, religiosorum hominum vitam, & mores ad imitandum sibi proponens, & cum ipsis in ieiuniis, in precibus, in obseruationibus, in silentio, in compunctione, & lacrymis, in abstinentia delicatarum epularum, & intempestiuorum colloquiorum, in fugienda excandescentia, ira, & clamore, certat, iniurias, tribulationes, & angustias patienter sustinens, vilia, & abiectiora operum vltrò subiens, non contradicens, aut murmurans, H cum ei quid imperatur: sed promptè præstans singula, postremum semper locum quærens, & vt summatim dicam, vniversa scienter efficiens, quæ à divinis scripturis docemur, præteritorum peccatorum veniam, & misericordiam adeptus, coram Deo fiduciam inveniat? Qui autem omnia his contraria, mala videlicet mala animi inductione committit, manet improbus, id quod etiam ante renuntiationem erat: vt ne dicam, etiam improbior fit, quam erat. Ita non ex natura, vt quidam opinantur, sed ex voluntate sponte suscepta quilibet homo sive humilis, & ad compunctionem procliuis, sive durus corde, & excæcatus, & à compunctione alienus evadit.

Quonam enim modo, quæso te, animo dolorem

concipiet,

A concipiet, & rorabit lacrymas, qui toto fermè die huc illuc divagans, neque precationis, neque ſilentij, neque lectionis, & quietis cura tangitur: ſed nonnunquam cum proximis in conventibus fabulatur, non ſolum ſeipſum, ſed & congerrones, vtilitate privans; nonnunquam calumniis, & probris religioſos fratres, nonnunquam ipſum Præpoſitum inſectatur? Vnde compunctionem acquiret, qui res omnes monaſterij, nec monaſterij duntaxat, ſed vniuſcuiuſque inſuper mores curioſè ſcrutatur, & indagat? Et aliquando quidem fratres quoſdam alloquens, hoc & hoc heri, inquit, audivi. Aliquando, ſcin' quid illi miſero acciderit? rurſumque, nunquid illius calamitatem audiviſtis? Huiuſmodi homo quando tandem ſuorum peccatorum recordabitur, vt doleat, vt in lacrymas eat? Qui porrò etiam è ſynaxi egreſſus, dum ibi ſcripturæ divinæ recitantur, longeque, aut prope ſedens, cum aliquibus ſermonem miſcet, nunc illo, nunc aliis eventus quoſdam ſine fructu in medium afferentibus, itaque dicentibus, ſcitis quid illi fratri Præpoſitus fecerit? hic ita excipit: ſi vobis narrauero, quo- B modo infelicem illum habuerit, quid dicetis? Sic talia, & his deteriora garriens, & propter nugas iſtiuſmodi alios impediens, & ipſe impeditus, quando in conſcientiam peccatorum ſuorum deſcendet, ac ſei- Pſ. 140. pſum deflebit? Qui cum divinitus inſpiratis ſermonibus non attendit, nec oſtium circumſtantiæ labiis ſuis poſuit, nec ab auditione vana aures ſuas avertit, nec illius vltimæ reſponſionis, & terribilis Chriſti tribunalis, quomodo nudi, & obtorto velut collo tracti omnes ei aſtare debemus, & de rebus in vita transactis rationem reddere, qui horum, inquam, non meminit, quo pacto, amabo, ſi plus centum annos viveret in habitu monaſtico lacrymas acquirat, & ſeipſum ferventer lugeat? Quomodo qui primos affectat in ſtatione Eccleſiæ, in accubitu menſæ, & ſuper his ſemper contendit, rixaturque, aliquando propter ani- Pſ. 140. mam ſuam contriſtabitur, & coram Deo amaras ſoluetur in lacrymas? Qui autem excuſationes excuſat in peccatis, imbecillitatem obiiciens in ſtatione Eccleſiæ, cum robuſtus ſit, plenoque ac iuvenili corpore, & ſe cum religioſioribus monachis ac fratribus, qui admodum diu in profeſſione vitæ monaſticæ deſudarunt, comparans dicit, num ego quidquam huic, aut C huic concedo, quia ille ſtans innititur? & abit, ac ſeipſum illis ſtando, & innitendo exæquat, qui fortaſſe indignus eſt etiam inferiore loco, quando hic ſuam infirmitatem agnoſcat, vt ex animo ingemiſcens, corde compungatur, & oculis fleat? Vana quippe gloria cum ſervum acediæ tradens, non amplius vlla in re cum patientia perdurare ſinit. Et viuit deinde quiſque talis in ſegnitie, & negligentiâ ad omnem ſynaxin, accedentibus ad eum, & audiendi cupidis frequenter narrans inanes, & aniles fabulas. Atque ita ſine ſenſu, aut, vt melius dicam, ſine dolore cum ſpiritualibus, & Deum ſanctè colentibus viris ad divinas ſynaxes conveniens, ſine fructu inde recedit, nullum penitus in ſe incitamentum atque impetum ad meliora experiens, qualem Deus contendentibus, & laborantibus per compunctionem immittere ſolet, & hoc ſolum, vt ne à conſuetis, & præſcriptis ſynaxibus abſit, mane puta, & veſperi, & horis quibus pſallitur, ita ſimpliciter, ad fœlicem in virtute progreſſum, & ad conſummationem conſum- D matorum in ætatem Chriſti ſibi ſufficere exiſtimans. Novi enim quoſdam hac fallacia captos, & operam dantes, ne in peccatum aliquod carnale, ſi corpus cum corpore copulauerint, labantur. Vt autem quæ in occulto ab ipſis fiunt, aut quæ in abſcondito cordis volvuntur, cogitanturque fugiant, prorſus nihil penſi habere, & arbitrari, ſe ſine alio opere ſaluatum iri (precum, intellige, ſilentij, vigiliarum, continentiæ, paupertatis ſpiritus, humilitatis) cum ſolo, ac ſimplici ad ſynaxes occurſu. Verùm aliter res habet. Deus enim, fratres, non ad faciem, nec ad ſolam exteriorem morum modeſtiam, ſed ad cor contritum, & E humiliatum & quietum, ac Dei timore plenum reſpicit. *Super quem reſpiciam*, inquit, *niſi per mitem, & quietum, & trementem ſermones meos?* Eſai 66.

Quid autem de iis loquar, qui, quod indignum eſt, ad Præpoſitos ſuos adeunt, atque eos petitionem deponunt? Et quicunque tantummodo exteriori religioni, ac pietati dant operam, aut potius, qui tantum lucris, gloriæ, ac præſentibus ſolis inhiant. Annon ſumus, inquiunt, digni & nos, honorande pater, vt monaſterio, & fratribus miniſtremus: num ſolus hic & hic ad miniſterium hoc idoneus eſt, & ille melius quàm nos res gerere, & adminiſtrare novit? Fac periculum, ſi placet, etiam in nobis, & invenies, per nos rectius, quàm per illos tractari negotia monaſterij.

Alij verò, cùm nudius tertius è mundo advenerint, ſeque ab ipſa renuntiatione ſocordiæ, & ignauiæ dediderint, & peccatis ſcateant innumerabilibus, ante- F quam ſe ſubiecerint, & in opere Dei laborarint, ac ſudarint, corporis imbecillitatem prætendentes, abeunt, ſtant, innituntur, vt dictum eſt, cum iis qui multos iam labores exhauſerunt. Et ſi proximus cuiquam horum dixerit, ingredere frater in conſuetum tibi locum, & ita illic pſallens cum fratribus, potes enim, reſpondet, ex hoc loco attentius audiens melius pſallo, quam vbi ſtare conſueui. Quod ſi frater adiunxerit: non potes hic ſtare, frater, citra facultatem à Præpoſito noſtro impetratam, ſtatim digrediens, facultatem orat, corpus debile & infirmum excuſans, donec voti compos fiat, & vt audiam pater, inquit, Protocanonarcham, & ſtem in prima ſtatione, aut ſecunda prope illum, veterano parem ſe faciens, cuius iam ſpectata ſunt certamina. Et cùm aſſecutus fuerit, quod voluit, ex eo nunquam ſtare poteſt in choro.

Paulatim porrò talis in quodvis aliud negotium ſe ſtudens immiſcere, externam pietatem ſimulat, & modeſtum habitum, aliorum amicis, illuſtribuſque viris in monaſterium venientibus ſtudioſè occurrit, & ad quos veniunt fratres, crebrius abit, vt in eorum notitiam veniat, cauſam prætexens, ſe ex illorum (fratrum ſcilicet) colloquiis, & divinæ ſcripturæ explanationibus vtilitatem percipere. Quod igitur conſe- G quens eſt, circumcurſare per monaſterium, & à cella in cellam ventitare incipit, ſingulíſque dicit, crede mihi frater, adeò te diligo, vt quo die te non viderim, illo me vixiſſe non putem. Quod ſi quis ex illis, quibus adveniens hæc dicit, Deum timet, his ei verbis reſpondet. Memor ſit Deus charitatis tuæ, frater. Quid enim in me vides boni? Tum ille, quid autem boni tu non habes? quis tam manſuetus, pius, ſapiens, eruditus, candidus, & quod maius omnibus, paterna gerens viſcera, & humanus erga vniverſos? Hæc dicit eo fine, vt de eius patina ſimul comedat. Spiritualis autem frater, ſecundum datam ſibi gratiam de ſalute animæ cum illo agit, & quantum in ſe eſt, eius laudationem reiiciens, fratrem corrigit. Quod ſi talis inventus non fuerit, ſed contra, carnalis, inſtabilis, laudibus inflatur, excipitque, & quid, ô pater, & frater charitate maius? certè nihil. Beatus qui hanc poſſidet, & alia demum, quæ adulatorem libenter audire, & ad laudandum irritare novit. Poſtea talis fictis laudibus velut demulſus, ac levitate mentis tumidus, ſi copia ſuppeditat, mox hunc encomiaſten H ſuum nec abire ſinit, ſed vt ſecum epuletur rogat, & eſca illum excipiens, laudes ventoſas recipit, quæ in aërem, fumi inſtar, diſſipantur, detrimentum verò eius animæ non mediocre apportant. Sin minus, ſaltem poſt longos, & inutiles ſermones ait illi: ne mihi vitio des, frater, novit ipſa charitas, nihil te dignum habeo, quod tibi apponam. Sed quia me abiectum ſic amas, debemus in poſterum communiter, & amice his perfrui, quæ Deus in cibum nobis ſuppeditauerit, & vnà lætari. Exin igitur vterque horum

A conflictatur sollicitudine perpetua, nec desinunt vias quærere, vnde ipsis queat suppetere, quò per varios ac multos cibos quæ videtur charitatem constabiliant. Sic vbi specie dilectionis, immo potius fraude cum omnibus se deuinxerit, nunc quidem ipse alium, nunc ex aliis singulis ipsum invitant. Quare mensa, & hilaritas in delicias pabuli vsque ad saturitatem ipsum non deficit, & ita porcus fit, constringiturque voluptatibus, & assiduò ventrem suum colit: vereor enim dicere, etiam ea, quæ sub ventre sunt. Quocirca studiosè omnibus membris saginatus, * quotidie vespera veniente, post officium à cœna in cellam suam discedens, famulo dicit, en furcifer, siti crucior, * sed calidum para, & da mihi bibere, sitimque restinguere. Ille, vtpote consuetudinem habens, statim beneuolus, & ad faciendum promptissimus minister invenitur, quippe qui & ipse cum eo epuletur. Tum meracius vinum haurit & exsorbet, tenebris eum occultantibus. Et postquam semel bibit, rursum ad cibum appetendum excitatur, epularumque suavitate quasi clam sibi surrepens, satiari se non sentit, ventremque obesum, & intractabilem, & appetitui animæ refractarium reddit. Subiicit ei tunc cogitatio, dimitte famulum, & stans consuetas preces funde. Respondet huic alia cogitatio, at quomodo saburratus stabis? dormi aliquantum, & naturam ad concoquendum, quod comedisti, adiuva, & ante synaxin surge. Tum habens corpus levius, commodè precaberis. Audit cogitationem, ac recumbens dormit, somnoque solutus non surgit, sed, nondum, inquit, tempus est, dormiam adhuc vnum somnulum. Sic tardantem matutina synaxis antevertit. Inde consurgens ad synaxin accedit, conscientiam negligentiæ desidiæque suæ accusatricem sentiens. Vt ergo prius diximus, tenet hunc morem, vt crebrius amicorum, & charorum patrum cellas obeat, donec tandem sedeat, vnà cœnet, bibat, confabuletur, & ita in cellam regressus, non solùm ad precationem vespertinam, sed etiam ad synaxin matutinam ineptus fit, nihil omnino spirituale aut cogitare, aut facere potis. Quin etiam in cella sua, si alius accesserit, similiter in noctem fabulationem protrahit, & aliquando vitam aliorum carpit, ac diiudicat, atque in tali statu ætatem
C omnem perseverat, ante tempus ebrietate, crapula, indignis sollicitudinibus sese iens perditum.

Verùm cur ego hæc omnia disserui? vt vos docerem, fratres, qui talem vitam ducit, non posse vnquam ex oculis lacrymam emittere. (Matt. 6.) Qui enim emittat, qui semper ventri suo seruit, & in diem, sicut ethnici, quid esurus, aut bibiturus sit, sollicitus est, & gulæ voluptati tanquam dominæ obsequitur? Ponamus tamen eum abstinere ab his, quæ nominavimus, & neque ad alius cuiuspiam cellam adire, neque alium ad cellam admittere, nec differciendo ventri, aut potationi, aut otiosis sermonibus vacare, sed clauso ostio in cella solum penitus manere, quid hoc ei prodest, si spiritualis actio cum intelligentia desit, sedeat autem legens quippiam ad depromendum aliquid tempore synaxeos, aut etiam in adventu, seu præsentia amicorum, vt sciens ac peritus videatur? Sed demus, eum non hoc fine & scopo, sed vtilitatis gratia, & vt verbum Dei audiat divinas scripturas legere: deinde surgere, & ad orandum stare, sintque eius oratio psalmi
D duo, tres decem, centum, adorationes similiter eum peragere quam multas vis. Postmodum sic expletis omnibus, mandat corpus somno, nihil amplius. Quis igitur ei fructus obsecro, dum istuc, & solum agit, nec fructus precum, lectionis per pœnitentiæ lacrymas in eius anima efflorescit? qui quidem fructus est perturbationum vacuitas humilitatis & mansuetudinis accessio, & cognitio cum sapientia. Quilibet enim, qui ex cognitione spirituali opus mandatorum Dei facit, pro portione laboriosæ actionis suæ, quæ dicta sunt, acquirit. Si autem laborare se existimanti, & operanti non efflorescant quæ dicta sunt, non est secun-

E dùm Deum eius actio, sed tantummodo ad placendum hominibus, & meritò meliora non assequitur. Qui igitur de his, de quibus locuti sumus, perpetuò talem vitam vivit, poterit ne aliquando, sicut ab initio renuntiationis suæ, seipsum totum ad omnia secundum Deum molesta sustinenda, ac patienda exponens, vt suprà diximus, lachrymas, aut compunctionem adipisci: aut quæ à mundo illi adhærent vitia, & improbitatem, & duritiam cordis abiicere, humilitatemque possidere? neutiquam. Seducit seipsum quicunque sic putat, aut sibi hanc legem fert. Quemadmodum enim non potest ferrum non ignitum æquè vt ignitum resplendere, aut ad mollitiem alia quadam machina redigi, & fabricari, & in instrumentum vsui accommodatum formari: sic neque negligentem ac desidem, & vitam ita noxiam degentem, vt docuimus, possibile est ei, qui à principio ex subiectione erga patres spirituales præclaris veluti formis impressus atque consignatus est, & vitam virtutibus ornatam consecutus, parem esse, iisdemque donis, & charismatis spiritus frui. Nec iniuria. Qui enim est humilis corde, cogitationesque summissas, & animum contritum gerit, & divinis scripturis studiosius parere decrevit, & quamvis tribulationem sustinet, genus omne tentationum perfert, insuper omnibus abiectioribus se annumerat, actiones videlicet suas, & peccata reputans, & quotidie semetipsum reprehendens, atque vt peccatorem considerans, breui tempore, Dei adiutus gratia, proficit, quamvis hominem non habeat, à quo ad salutem pertinentia doceatur: paulatim exscindens ab anima sua, quæ ei ex hoc mundo pravitates, & nequitiæ adhærescunt, illarumque loco virtutes introducens. Qui verò immunditia plenus est, & se magnificè circumspicit, ac sub potenti manu Dei humiliari, patrique spirituali cordis sui nequitias revelare, & ei adhærere, facereque & pati omnia, quæ ad virtutem & Deum cum discretione perducunt, hominemque secundùm ipsum perficiunt, non vult, peior fit, quàm in mundo erat, spiritu mundano reverso, & in eo habitante, cum aliis septem nequam spiritibus. Et ita ille alius fratrem vnà secum in stadium ingressum tantum antegreditur, aut vincit, quantum qui liber, ac solutus currit, vinculis & compedibus ferreis impeditum superat: at iste victus, in malis prioribus, aut G
deterioribus etiam permanet, nolens in deposcendis (Mat. 12.) sibi sponte virtutis certaminibus, facinora bona facere.

Idcirco, vt supra docui, & scriptura divinitus inspirata passim testatur, fructus actionis, & fructuum conciliatrix, immò verò effectrix ac parens, & fabricatrix virtutum omnium compunctio est. Proinde qui affectiones turbidas amputare, aut virtutes possidere cupit, hanc præ bonis omnibus, & cum virtutibus omnibus diligenter consectetur necesse est, sine qua animam suam haud vnquam puram intuebitur, atque ita etiam corporis puritatem neutiquam acquiret. Sine aqua siquidem vestimentum conspurcatum abluere non datur: & sine lachrymis anima ablui, atque à maculis inquinamentisque purgari multò minus potest. Ne inanes, animæque noxias, sive, vt verius dicam, penitus falsas, & exitiosas excusationes excusemus: sed hanc virtutum reginam toto pectore exquiramus. Qui enim id toto animo facit, H
illam invenit: vel potius ipsa accedens, se cum labore requirentem invenit: & seu ære, seu ferro, seu adamante cor durius habuerit, simulatque aduenerit, quavis cera illud mollius reddit. Est enim divinus quidam ignis, montes & petras resoluens, & complanans omnia, & in hortos commutans, animasque ipsum suscipientes alias quam erant efficiens. Nam in medio earum fit fons, vnde aqua vitæ semper saliens, & emicans eas largè irriget, & tanquam à vase in eos qui propè, & eos qui longè (Ioan. 4.) defluat, abundeque impleat animas, quæ sacra verba cum fide suscipiunt. Eluit enim primò labes eorum,

qui

A qui se inquinaverunt: postea vitio implicitas affectiones vna eluit, ac profligat, eas ceu vulnerum crustas abstrahens, puta nequitiam, invidiam, vanam gloriam, & cætera omnia, quæ illas consequuntur. Nec id solum, sed etiam vt flamma quædam ambiens, sensim eas abolet, & in horos veluti spinas exurit, atque consumit: quæ etiam primum quidem perfectæ huius libertatis, & puritatis: deinde bonorum à Deo ipsum diligentibus præparatorum, ac repositorum desiderium ingenerat. Hæc vniversa cum lachrymis, vel potius per lachrymas divinus compunctionis ignis operatur. Absque lachrymis autem, vt diximus, nihil horum aut in nobis ipsis, aut in aliis vnquam factum est, neque fiet. Nec enim ex divinis scripturis quisquam probabit, citra lachrymas, compunctionemque perpetuam aliquando quempiam purgatum fuisse, aut sanctitatem invenisse, aut Spiritum sanctum accepisse, aut Deum vidisse, aut in se habitantem sensisse, aut omnino aliquando hunc cordis incolam habuisse, pœnitentia, inquam, compunctioneque non præcedente, & quasi à fonte semper scatentibus assiduò lachrymis; mundantibus nimirum, eluentibusque domicilium animæ, eamque ab igne inaccesso occupatam, & ardentem irrorantibus, ac refrigerantibus.

*Vide Annot. in Orat. 30. Hăc Simeonis disputatione* B *aut canonicè lege, aut benignè interpretare.*

Qui igitur autumant, dies ac noctes flere non esse possibile, seipsos omni virtute nudatos produnt. Si enim sancti Patres nostri ita asseruerunt, dixeruntque, qui vult perturbationes amputare, fletu eas amputat. Et qui vult comparare virtutes, fletu eas comparat, manifestum est, qui non quotidie fundit lachrymas, eum neque perturbationes amputare, neque virtutes probe acquirere, etiamsi ad operam se dare arbitretur. Quid namque, oro te, instrumenta artis conducunt, si artifex non adsit, qui materiam tractare, & ex ea vas idoneum conficere novit? Et quid olitori prodest, si hortum totum subegerit, olerumque omne genus in eo seminaverit, atque plantaverit, si super ea cœlo imber non descenderit, aut si aqua irrigata non fuerint? C nihil prorsus. Sic neque qui in aliis virtutibus elaborat, easque persequitur, sine beata illa, & sancta domina, virtutumque omnium architecta vllum operæpretium faciet. Vt enim Imperator sine exercitu suo infirmus est, & in cuiusuis potestatem venire potest, nec Imperator apparet, sed cæterorum hominum similis est: sic vicissim frequens exercitus, & castra Imperatore, aut summo duce suo destituta, leui negotio dissipantur, delenturque ab adversariis. Eodem modo luctum ad reliquas virtutes habere se existima. Exercitum enim in vnum collectum, omnes isagogicas, ac veluti præcursorias virtutes esse cogita: Imperatorem, & ducem harum beatum illum luctum, & ploratum, per quem totæ copiæ in aciem digeruntur, & ordinantur, incitantur, corroborantur, & arma capere vbi, quomodo, & quando, & quæ, & in quem, & cuiusmodi adversarium, & qua occasione oporteat, certa lege docentur. Qui præterea mittendi speculatores, quales constituendæ excubiæ, quid, & quando respondendum hostium legatis. Licet enim solo affatu omnes eos in fugam vertere. Interdum ne in congressum quidem eos admittere. Qua item ratione, & quando D in insidiis contra eos latendum, & quibus in locis, & quanta manus ad hoc emittenda, ipse luctus non dubiè constituit. Sine his populus virtum vniversus facile capitur.

Atque idcirco cum omnibus, & præ omnibus hoc vestrum opus sit, fratres, pœnitentia, & ei coniuncta lamentatio, lamentationisque comites lachrymæ. Nec enim sine pœnitentia lamentum, nec sine lamento lachrymæ: sed hæc tria invicem sibi connexa sunt, & aliud sine alio apparere non potest. Ne quis ergo dicat, quotidie flere esse impossibile. Nam qui ita loquitur, etiam quotidie pœnitere dicit esse impossibile, & totam Scripturam sacram evertit, ne dicam, ipsum quoque mandatum Dei, quo dicitur: *Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum.* Et iterum: *Petite & accipietis, quærite, & invenietis, pulsate, & aperietur vobis.* Si enim pœnitere, & lamentari, & flere quotidie ais impossibile, humiliare se, & semper gaudere, & sine intermissione orare, quin etiam ipsum cor ab omnibus perturbationibus & cogitationibus ad Deum spectandum habere liberum, tu ne vnquam dices homini mortali esse possibile, & ab eo ista rectè præstari posse? haud dices. Et ita in numero infidelium, non fidelium reponere. Nam si Deus hæc à nobis effici posse dixit, & præcepit, & assiduò clamat, tu autem contrarium affirmas, nempe, impossibilia nobis esse, planè nihil ab infideli differs. Vis igitur nunquam Eucharistiam percipere sine lachrymis? fac quæ abs te cantantur simul, & leguntur, tunc etiam istuc præstare poteris. Audi Apostolum: *Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur.* Quæ porrò illa sunt? Tu ne funditus ignoras? sed ne orationē longius procedamus, ipsa tibi Davidis verba suggerimus. *Si ascendero,* inquit, *super lectum strati mei. Si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem: & requiem temporibus meis, donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Iacob.* Et rursum: *Non est pax ossibus meis, à facie peccatorum meorum, quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & velut onus graue grauata sunt super me. Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ, à facie insipientiæ meæ. Laboraui, & incuruatus sum vsque in finem: tota die contristatus ingrediebar. Afflictus & humiliatus sum nimis: rugiebam à gemitu cordis mei. Et factus sum sicut passer solitarius in tecto: similis factus sum pelicano in solitudine. Quia cinerem tanquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miscebam. Laboraui in gemitu meo. Lauabo per singulas noctes lectum meum: lachrymis meis stratum meum rigabo.* Porrò etiam auctor scalæ S. Ioannes ait, sitis, & vigilia premunt cor, presso corde prosiliunt lachrymæ. Quæ insuper de his disserit, lecto eius libro, qui voluerit, cognoscet.

Matt. 3. Matt. 7. E 1. Thes. 5. Rom. 2. F Ps. 131. Psal. 37.

Iam si & tu, quæ in dies legis & psallis, aut aliis legentibus audis, nihil omittendo, toto corde, cum humilitate, & fide in omni vita præstiteris, amen Evangelizo tibi gaudium magnum. Nam si in his faciendis perstiteris, sitiendo, vigilando, vsque ad mortem te subiiciendo, & obediendo Præposito tuo indiscriminatim, omnem tribulationem, iniuriam, maledicta, calumniam, nec isthæc tantùm, sed etiam flagella, & verbera à fratribus tuis abiectioribus cum omni gratiarum actione sustinendo, ita erga eos affectus, vt mala ab illis tibi illata non memineris, & pro eis oraveris, gaude, & exulta gaudio ineffabili, quia non solùm vesperi, mane & meride, sed etiam edenti, & bibenti tibi, & sæpius cum aliis alloquenti, psallenti, & legenti, & precanti, & super lectulo recubanti ipsum Dei inexplicabile donum veniens, se dignabitur te omnibus diebus vitæ tuæ, & comitabitur te in via, & cum diverteris, tecum diuertet, & cum ministrante ministrabit, laborum tuorum molestias ac dolores consolans & recreans. Ac tum, quam bene conuenienterque S. Simon dixerit, nemini communicandum absque lachrymis, & hoc fieri posse, & revera omnes decere intelliges. Non enim ille, sed per illum Spiritus sanctus locutus est, & scripsit. Si namque sine peccato nullus est, nec infans, cuius est vnius diei vita, & nemo potest castum habere cor, clarum est, nec sine pœnitentia & lachrymis debere hominem, quantum in se est, vel vnum, & solum diem in omni vita sua traducere. Quamvis enim lachrymis careat, nihilominus ex tota virtute, & anima eas desiderare debet: siquidem aliter peccati purus, & corde castus esse nequit.

G Luc. 2. H Iob. 15.

Quod si quis multitudinem, gravitatemque suorum delictorum secum expendens humi cubare, & peruigilare noluerit, nec præ negligentia, & contemptu putentes ac putridas vibices, affectibus malis obnoxij appetitus, & anticipatarum opinionum, quæ eum



Digitized by Google

A ad stuporem istum perduxerunt, corrigere sustinuerit, quæ vera insipientia est, quo pacto paratum peccatoribus iudicium, & damnationem apprehendet, & in dolore cordis sui plorabit? Sic recusat tribulari laboribus & ærumnis perferendis, dum incuruatur vsque in fidem, & tota die contristatus ingreditur, dum affligitur, & humiliatur nimis, rugit à gemitu cordis sui, & fit tanquam passer solitarius in tecto, & assimilatur pelicano in solitudine, dum affectione animi hospes & peregrinus fit ad omnia, quæ in monasterio, & in mundo sunt, & in parvis æque vt in magnis nihil ei licet, dum laborat in gemitu, & cinerem tanquam panem manducat, & potum suum cum fletu miscet, quomodo is vnquam, fratres mei, aut lauare singulis noctibus lectum suum, aut lachrymis rigare stratum suum poterit? Sane nunquam poterit. Non solùm hæc in se facta non videbit, sed nec in precibus suis ea inveniet, neque locum Domino, neque tabernaculum dignum Deo Iacob, qui est Christus Dominus, Saluator & Deus noster, præparauerit. Quod nisi hæc prius bene præparabit, neque cum lachrymis scilicet, neque dignè, vt par est, consortem ac socium Deum ac regem in seipsum suscipiet, etiamsi semel tantum in anno hæc faciat. *Sancta sanctis* quotidie hi quidem dicunt, & alij alta voce occinunt, vtinam autem & sibimet occinerent. Alij verò dicentes illos audiunt. Quid ergo: qui sanctus non est, etiam indignus est? minimè: sed qui non in singulos dies occulta cordis sui enuntiat: qui non dignam pro his, & quæ ignorantia peccauit, pœnitentiam agit, qui non semper luget, & contristatus ingreditur, & quæ suprà memorauimus, cum diligentia non consectatur, hic indignus est. Qui autem hæc præstat vniversa, & in gemitibus atque lachrymis spatia vitæ suæ decurrit, hic non in die festo duntaxat, sed etiam quotidie, ab ipso, si dici fas, initio pœnitentiæ suæ conversionisque divinorum istorum particeps fieri perquam dignus est. Pater quippe, hunc in his, & similibus operibus ad extremum vsque perseveraturum, in humilitate, & contritione cordis incedentem. Nam dum ita se gerit, animo illustratur, atque in dies singulos ex participatione sanctorum opem & auxilium consequitur, & ad perfectam puritatem, ac sanctimoniam breui provehitur. Alio quodam modo immundum vas nostrum, sordidumque domicilium ablui, ac perpurgari nequit. Amplius aliquid ego quidem neque è divinis scripturis didici, neque Marte meo invenire ac perspicere potui. Audiamus enim dicentem Apostolum: *Probet autem vnusquisque seipsum, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim indignè manducat & bibit, iudicium sibi manducat, & bibit.* Rursumque: *Qui autem indignè manducat corpus, & bibit sanguinem Domini, reus erit corporis, & sanguinis Domini, non diiudicans corpus Domini.* Quod si, qui dignos pœnitentiæ fructus non ostendit, vt indignus à tota divina scriptura redarguitur, cedò, quomodo sine lacrymis aliquando purgari quisquam poterit, & pro viribus suis dignè participare mysteria? Hæ namque primus pœnitentiæ fructus sunt. Et quemadmodum aversandus ille fluxus è corpore, & cordis cum omni affectu tanquam voluptaria quædam, & libidinosa commixtio, diabolo instar sacrificij à nobis offertur: sic quæ ex eo, ex corde, inquam, vicissim promanant lachrymæ, gratum acceptumque sacrificium Domino à nobis offeruntur, & furentis illius voluptatis turpitudinem eluunt. Hoc significans David aiebat: D *Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus non despiciet.* Et rectè. Anima enim nostra in tali habitu constituta, & ita humiliata assiduè nec vnum vnquam diem absque lachrymis exigit, secundum illud Davidicum: *Lauabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo.*

Psal. 7. (margin) — 1. Cor. 11. (margin) — Psal. 50. (margin) — Psal. 6. (margin)

Quo circa vos rogo, patres & fratres mei, sedulò quilibet animam suam in his, & talibus rebus exerceat, quæ compuncta, & paulatim immutata fons efficitur, lachrymarum, & compunctionis fluenta scaturiens. Ni E ita puri evadere contendemus, sed in dissolutione, segnitie, & tumore superbiæ pergere voluerimus, equidem nihil odiosius dicam, parcens charitati vestræ, nisi hoc, quod etiamsi contigerit aliquando cum lachrymis fortasse communicare quempiam, aut ante liturgiam, aut in ipsa divina liturgia, aut in ipso articulo participationis divinorum mysteriorum lachrymas emittere, reliquos autem dies, & noctes non studebit idem facere, nulla ei ex vnico fletu constabit vtilitas. Non enim hoc solum nos statim purgans dignos efficit: sed in dies, & sine cessatione vtque ad supremam lucem in luctu versari, quemadmodum vt faceremus, ipse Dominus nobis præcepit: *Pœnitentiam agite*, inquit, *petite, quærite, pulsate*. Quousque? donec accipiatis, inquit, & inveniatis, & aperiatur vobis. Quid; regnum cœlorum vtique. Hæc enim est pœnitentia, & ita absque cessatione, vt dicebamus, vsque ad mortem cum labore, & tribulatione consummata, paulatim facit nos lachrymas F nobis amaras fundere, per quas animæ sordes, & inquinamenta purgat & abstergit. Postea puram nobis pœnitentiam inserit, & amaras lachrymas dulcibus permutat, perennemque in cordibus nostris lætitiam excitat, & ad videndum lumen inaccessum nobis viam parat: quod lumen nisi omni studio apprehendere laboremus, patres & fratres mei spirituales, nunquam omnibus perturbationibus ad vnguem liberari poterimus: nunquam omnes virtutes comparabimus: nunquam dignè, aut cum lachrymis secundùm Deum quotidie divina percipere mysteria, aut quod in iis est, divinum lumen aspicere poterimus. Sed neque corporum vnquam habebimus: neque Spiritum sanctum in nobis habitare cognoscemus: neque digni iudicabimur, vt quemadmodum sancti, Deum videamus, nec dum hic sumus, nec ibi, vt mihi videtur, cùm cœci hinc discesserimus. Nam ex Gregorij Theologi sententia, tantum illius visione excidemus, quantum nos singuli volentes in hac vita eius lumine, secundùm proportionem hebetudinis oculorum nostrorum privaverimus. Cæterùm vtinam omnes nos purgari contingat, G & purgatos haberi dignos qui Deum videamus. Qui enim extra hæc duo à rebus mortalibus demigrant, de extrema in se pronuntianda sententia incerti sunt. Quod autem incertum, etiam instabile, non sperabile, & incertæ fidei est. Qui enim gratia cor non stabiliuit, non aliunde spem non confundentem, & indubiam vnquam acquiret, vt opinor. Qua qui caret, per quid aliud in occursum Domini cum sanctis rapietur? Per quid & lampas tunc nostra, extincta ab his, quæ hic sunt, redaccendetur? vbi, & vnde oleum invenietur? & quinam ignis, quæso, hanc accensurus est? aut vnde, aut quomodo, vt tunc parati hilariter cum lampadibus sponso obuiam eamus? Cùm enim velut è somnis consurrexerimus, illico, vt auditis, ad occursum cursuri sumus. Si igitur sedentes, & in monumentis dormientes tuba insonans nos expergefaciet, nos autem non ante velut lampades accensas habeamus animas, sed aut nihil penitus, aut parum lucentes inveniamur, & iam extinguendi secundum vocem Evangelicam, vbi tunc aut prorsus extinctas redaccendendi, aut iam oleo deficiente aliquantulum infundendi copia erit? Nihil profectò vspiam inveniemus. Quamobrem ex hoc tempore eas per pœnitentiam, & lachrymas luculenter accendere conemur, vt in resurrectione sponso cum luce H occurramus, & cum ipso in regnum cœlorum ingrediamur, ac bonis sempiternis perfruamur. Quæ eveniant nobis omnibus in ipso Christo Deo nostro, quem decet omnis gloria honor, & adoratio cum Patre & sancto Spiritu, nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

Matt. 4. & 7. (margin) — Hebr. 13. (margin) — 1. Thes. 4. Mat. 25. (margin)

ORATIO

A

# ORATIO XXXIII.

## ARGUMENTUM.

*De pœnitentia, & tantum facultates distribuere, seque rebus omnibus nudare, ad purgationem animæ nobis haud sufficere, nisi luctum insuper habeamus. De exilio Adami, & si post trāsgressionē pœnituisset, paradiso ejiciendum non fuisse. Quantum boni pœnitentia post lapsum ei attulerit. Quomodo verè pœnitendum sit.*

B

BOna est pœnitentia, & quæ inde emanat utilitas. Quod cum nollet, qui novit omnia Iesus Christus Mat 4. Dominus ac Deus noster; *Pœnitentiam agite*, inquit, *appropinquavit enim regnum cælorum.* Quod si intelligere avetis, quo pacto citra pœnitentiam, & pœnitentiam ex animo, qualem scriptura sancta à nobis requirit, salvari non possimus, ipsum Apostolum clamantem audite: 1.Cor 6. *Omne peccatum extra corpus est: qui autem fornicatur, in corpus suum peccat.* Et iterum: 2.Cor.5. *Manifestari nos omnes oportet ante tribunal Christi, ut recipiat unusquisque prout gessit in corpore suo sive bonum, sive malum.* Potest igitur hinc quilibet sæpenumero dicere, gratias ago Deo, quandoquidem nulla prava actione contaminavi membrum corporis mei: quod quidem ego omnis iniquitatis operarius adhuc dicere nequeo. Et capit nonnullum ex hoc solatium, quia extra peccatum sui corporis est. Mat.25. Sed contradicit Dominus, & allata in medium quinque fatuarum virginum parabola, demonstrat nobis omnibus, & pronuntiat, nihil nobis commodare puritatem corporis, si reliquis virtutibus C destituti simus. Illæ enim particulatim oleum habentes in vasis suis, id est, aliquarum virtutum, externorúmque rectè factorum, & quorumdam charismatum participes (quare & lampades earum aliquandiu arserunt) per negligentiam, ignorantiam, socordiam suam ad ignem exteriorem damnatæ sunt. Non enim internas motiones à malignis spiritibus in ipsis concitatas curaverunt, nec exactè cognoverunt, sed ab adversariorum instigationibus eorum mentes in consensu cogitationum corruptæ sunt, inescatæ ab ipsis, & devictæ, & occultè eis communicantes, invidiæ, æmulationi, contentioni, rixæ, odio, iræ, nequitiæ, malevolentiæ, vanæ gloriæ, studio hominibus placendi, complacentiæ, avaritiæ, concupiscentiæ carnis, in cogitationibus voluptatem operantes, incredulitati, metus vacuitati, timiditati, acediæ, tristitiæ, contradicentiæ, tumori, somno, opinioni propriæ iustitiæ, elationi, arrogan- D tiæ, aviditati, luxuriæ, avaritiæ, desperationi reliquísque subtilibus improbitatis effectis. Heb.12. Etiam ipse B. Paulus Apost. cum Domino consentiens, clamat, *Pacem sequimini cum omnibus, & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum.* Cur vsus est verbo *sequimini?* quia nos una hora fieri, & esse sanctos impossibile est. A parvis enim ducto initio, ad sanctitudinem, puritatémque sensim progredi oportet, & quia quamvis mille annos in hac vita maneremus, nunquam eius perfectionem attingere possumus: sed semper quotidie, ac si fundamentum poneremus, inciperemúsque, in ea contendere debemus. Phil 3. Quod idem ipsius indicavit, cum ita scripsit, *Persequor, si quo modo comprehendam, in quo & comprehensus sum à Christo Iesu.*

Quapropter oro, attendite dictis, & venite adoremus, ac procidamus ante bonum ac benignum Deum. Psal.94. *Præveniamus faciem eius in confessione, & ploremus ante eum, qui fecit nos: quia ipse est Dominus Deus noster: nos autem populus eius, & oves pascuæ eius:* & non avertet faciem suam à nobis, tantum pœniteat nos peccatorum ex intimis præcordiis, & abjiciamus à nobis non solum mala opera nostra, sed & ipsas malas, & immundas cogitationes cordis nostri ejiciamus, sicut scriptum est? Ioel.2. *Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra.* E Quid enim habet emolumenti, obsecro, si omnibus fortunis nostris in pauperes distributis, a peccato non abstinuerimus, nec illud oderimus? Quid tum porrò, si re ipsa, & actu corporale peccatum non perpetremus, animo autem cum fœdis & immundis cogitationibus commercium habeamus, secretóque peccatum designemus, & ab effrænatis affectionibus regnum quoddam tyrannidémque patiamur? Cum facultatibus nostris, etiam quæ diximus malorum confluctam servitutem quæso projiciamus, néve hic consistamus, verùm pœnitentiæ lacrimis quoque eorum sordes studiosè abluamus. Quemadmodum enim ipse Imperator, qui diadema, & purpuram imperij symbola gestat, qui immensos auri, argentique thesauros F possidet, & in throno excelso, & elevato considet, si cœnum ac fuliginem aliunde volens sustulerit, ipsísque manibus totam faciem suam obleverit, atque omnes sensus obstruxerit, ut neque videre, neque audire, neque odorari possit: deinde facti pœnitens, & se malo hoc liberare quærens, non celeriter cubiculum suum ingrediatur, multaque aqua lutum illud ac fuliginem abluat, atque ita denuò in solio ut antea, mundatus, in solio, inquam, regni sui resideat sed huius loco tantummodo omnes thesauros suos egentibus dispertiat, omniáque bona sua mobilia, & immobilia illis dilargiatur, nihil hinc sibi proderit, nisi aqua lutum, ac fuliginem abluerit: quin etiam aspicientibus risum movebit, in medio assectarum, ac procerum suorum instar portenti seu spectri obversans: sic nec alius quispiam sibi quæstum colliget, si omnibus opibus suis in pauperes effusis, quamvis inopiam, mendicitatémque susceperit, peccare tamen non desierit, nec per pœnitentiam, & lacrymas animam suam eluerit. Quicumque enim homo, perinde ut ego damnatus, peccavit, & cœno voluptatum sensus animæ G suæ obturavit, quamvis rem suam omnem pauperibus donaverit, omnémque gloriam dignitatum, pulcherrimè ædificatas ædes, nobiles equos, greges, armenta, servos, omnem suam familiam, & cognatos reliquerit, egénsque, & inops monachi habitum induerit, attamen, ut re quadam vitæ suæ necessaria eget pœnitentiæ lachrymis, quibus, cœnum peccatorum suorum abluat, eóque magis, si adhuc, quemadmodum ego, fuliginem & cœnum plurimorum delictorum suorum non in facie solùm, & manibus, sed omnino in toto corpore circumferat. Haud enim unica facultatum largitio ad purum animi statum nobis sat est, fratres, nisi etiam lamentemur, & ploremus ex animo.

Puto equidem, nisi ego memetipsum omni sedulitate à maculis peccatorum meorum fusis lacrymis ex- H purgem, sed ita turpatus vitam compleam, iure optimo me a Deo, & Angelis eius irrisum, & cum Dæmonibus in ignem æternum deturbatum iri. Et revera sic est, fratres. Nihil enim intulimus in hunc mundum, ut cùm peccaverimus, id ipsum Deo ad peccata nostra redimenda pretij loco persolvamus: *Quid enim dabit homo Deo*, ait Apostolus, *& retribuetur ei?* Rom.11. hoc est verum iudicium, hæc iusta & vera humilitas: sicut & Spiritus sanctus per Prophetam David inquit, *Non accipiam de domo tua vitulos, & de gregibus tuis hircos, quoniam mea sunt omnia*, Psal. 49. & quæ sequuntur. Et rursum: *Si voluisses, sacrificium dedissem utique, holocaustis non delectaberis. Sacrificium Deo Spiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus non despicies.* P sal.50. Hæc etiam cum sciret Dominus, dicebat, *Nolite putare, quoniam veni solvere legem, aut Prophetas. Non veni solvere, sed adimplere.* Mat.5. Non enim per terrena medicamenta, hoc est, per corporales iustitias donorum, sacrificiorum, holocaustorum, & reliquorum ab anima morbum inaspectabilem turbidorum motuum depellere poterat. Hinc & Ioannes, *Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi.* Ioan.1. Et iterum Paulus: *Lex enim spiritus vitæ* (quod est Evangelium) *liberavit nos à lege peccati, & mortis.* Rom. 8.

A Placet autem discere, quomodo Christus legem, & Prophetas impleat? Lex ait, *Non occidas*: Christus, *Ne irascaris*. Lex, *Non mœchaberis*: Christus, *Non concupisces*. Lex, *Non peierabis*: Christus, *Non iurabis omnino*. Qui ergo non irascitur, qui tandem occidet? qui non concupiscit, quomodo mœchabitur? Qui penitus non iurat, quomodo peierabit? radices enim peccatorum Saluator per legem spiritus sui ab ista anima euellit. Et hæc plenitudo legis, vt homo sit, & viuat in solis mandatis eius, vt sola illius iussa seruet, & operetur. Contra omnia enim peccata omnia mandata Christi nobis data sunt, & in his solis viuendum atque operandum ei, qui vitam æternam desiderat adipisci: in cæteris omnibus esse velut mortuum, omni functione carentem. Ioan.15. *Si verba mea in vobis manserint*, ait Dominus, *quodcunque volueritis, petetis, & fiet vobis.* B Sequamur ergo Verbum sedulò, donec ad locum perueniamus, vbi Christus ipse est: illuc enim se sequentes trahit, & in sancta sanctorum introducit, vt magnus Pontifex, Ioan.14. quo, quod ad nos attinet, ipse pro nobis præcursor introiuit: sicut ipsemet inquit. Ioan.17. *Nemo venit ad patrem, nisi per me. Ego enim sum via, veritas, & vita.* Et alio loco, *Volo pater, vt quos dedisti mihi, vbi ego sum, & illi sint mecum, vt videant claritatem meam, quam dedisti mihi.* Cum ipso itaque cruci configamur, per omnium tentationum nos inuadentium tolerantiam, & per voluptates huius vitæ commoriamur ei, vt etiam viuamus cum eo. Cum ipso puris mentibus viam ad cœlum ducentem ambulemus. Gradientibus etenim nobis per viam mandatorum Domini ac Dei nostri, eumque sequentibus, nec retro pedem referentibus, nihil inimicus nocere poterit, maximè si cum fideli duce, bonisque comitibus incesserimus. Metuamus exemplum ob sterilitatem maledictæ ficus, & Christo dignos pœnitentiæ fructus offeramus: Mat.25. Ibid. ne per ignauiam animæ dormitantes, lampade, quæ ex illis ardet, careamus, & ne, dum tempus est operandi, per fallacias vitæ vagantes, virginibus fatuis similes efficiamur: sed pro bonorum operum proportione, talentum gratiæ multiplicemus. C Vniuersis enim, etiam laicis, non monachis tantùm, semper, & quovis tempore pœnitentiam agere, flere, & Deo supplicare, perque actiones huiuscemodi etiam cæteras virtutes omnes comparare possibile est.

Hoc ita esse, magna illa columna, & magister Ecclesiæ Ioannes Chrysostomus mihi testis accedit, dum psalmũ Dauidis quinquagesimũ explanat. Asserit enim, qui vxorem, liberos, ancillas, seruorum ingentem numerum, amplas facultates habet, & rebus huius sæculi eximiè oret, posse non solum hoc, vt ploret quotidie, & oret, & pœniteat, sed etiam, vt ad virtutis perfectionem ascendat, si velit, & Spiritum sanctum accipiat, & amicus Dei fiat, & insuper eius visione fruatur, quales etiam ante Christi aduentum fuerunt Abrahã, Isaac, & Iacob, & qui inter Sodomitas viuebat Loth, & vt multos alios prætermittã, Moses, & David. In noua autẽ gratia, cùm Deus ac Saluator noster apparuit, Luc.5. Petrus piscator, & illiteratus cum socru, & aliis præsentem esse Deum prædicans. Reliquos, plures quàm sint pluuiarum guttæ, aut stellæ cœli, quis percensuerit? reges, principes, dynastas (ne nominem pauperes, & qui parua in re vitam agitarunt suam) D quorum vrbes, & domus, & Ecclesiarum naues, quas illi magnificè condiderunt: quorum gerocomia, seu senibus alendis domicilia, & xenodochia manent, & extant vsque hodie, quæ illi superstites habebant, & iis piè vtebantur, non vt propriis, sed vt serui domini ea, quæ ipsis Dominus dedisset, administrantes, & hoc mundo vtentes quidem secundum Pauli vocem, 1.Cor.7. non autem abutentes. Nam propterea etiam in hac vita inclyti & illustres fuerunt, & nunc sunt, & sæculis innumerabilibus erunt, atque in cœlestibus illis sedibus etiam amplius. Quod nisi pigri, inertes, mandatorumque contemptores essemus, sed seduli, excitati, vigilantes, nihil abdicatione rerum, aut tonsura, E aut fuga mundi opus haberemus. Hoc vt probemus, ausculta dum.

Deus ab initio hominem omnium terrenorum, quin omnium, quæ complexu cœli continerentur, regem constituit. Nam sol, luna, astra propter hominem planè creata sunt. Quid igitur, cum esset rex horum quæ videntur omnium? Num hæc illi ad virtutem impedimento fuerunt? non sanè, non inquam: quinimmo maiorem in modum inclaruisset, si Deo conditori suo à quo hæc omnia acceperat, gratus mansisset. Nam si mandatum Domini non fregisset, regnum istuc non perdidisset, Dei gloria non semet spoliasset. Quia verò secus fecit, meritò expulsus, & exilio multatus vixit, ac mortem obiit.

Dicam tibi quiddam, quod meo indicio nemo adhuc satis explanavit. Quidnam ergo? attende ad divinam scripturam. *Et dixit Deus Adamo*, post prævaricationem puta: *Adam vbi es?* F quid sibi vult his verbis omnium procreator? Omnino, ad sensum casus sui eum adducere, atque ad pœnitentiam prouocare volens, inquit, *Adam vbi es?* Gen.3. Considera teipsum, & perpende nuditatem tuam. Vide quali indumento, quali gloria priuatus sis. *Adam vbi es?* velut si eum hortaretur, ac diceret: hem, resipe miser, hem egredere vbi te abscondisti. Me latere te posse existimas? dic, peccaui. At ille hoc non dicit, vel potius ego infelix non dico, meum enim malum hoc est. Sed quid respondet? *Vocem tuam audiui, deambulantis in paradiso, & timui, eo quod nudus essem, & abscondi me.* Quid contra Deus? *Et quis indicauit tibi, quod nudus esses, nisi quia de ligno de quo præceperam tibi, vt de eo solo non comederes, comedisti?* Vides, dilecte, longanimitatem Dei? Cùm diceret ipse Adamo, *vbi es?* & ille non statim peccatum confiteretur, sed responderet, *vocem tuam audiui, & timui, eo quod nudus essem, & abscondi me*, non est iratus, non est repentè auersus: sed secunda illum quæstione dignatur, & ait, *Quis enim indicauit tibi, quod nudus esses, nisi quia de ligno, de quo præceperam tibi, vt de eo solo non comederes, comedisti?* Intellige profunditatem sermonum sapientiæ G Dei. Quid dicis? *quod nudus essem*, inquit. Peccatum tuum abscondis? an putas me tantùm corpus tuum videre, cor autem, & cogitationes tuas non perspicere? Sperabat enim delusus Adamus, Deum ignorare peccatum ipsius, & sic quodammodo secum loquebatur. Si dixero, me nudum esse, nesciens Deus, quæret, cur nudus sim. Tunc mihi negare licebit, & dicere, nescio, possumque latere illum, & primam stolam recipere. Sin minus, tamen me non eiiciet, tamen in exilium non mittet. Hæc illo apud se volutante (vt & nunc multi faciunt, & ego primus, sua peccata occultantes) Deus nolens aduersum eos multiplicare iudicium ac damnationem, ait, *Et vnde nosti, quod nudus sis, nisi quia de ligno, de quo præceperam tibi ne comederes, comedisti?* quasi diceret. Et omnino me latere putas? egone quid feceris ignoro? non dices, peccaui? dic miser, etiam, reuera mandatum tuum transgressus sum. Audiui consilium mulieris, & lapsus sum, deceptus sum vehementer, illi parens, & tibi inobediens. Miserere mei. Atqui non dicit istuc, non humiliatur, non flectitur, *Neruus ferreus ceruix cordis eius*, Esai.48. quasi nimirum & ego miser sum. H Si hoc verbum protulisset, in paradiso mansisset, totamque illam periodum malorum infinitorum, quæ exterminatus subiit, & tot sæcula, quibus apud inferos delituit, vnica voce hac euadere potuisset.

Hoc igitur est, quod me dicturum pollicebar. Audi reliqua, & quod dixi, citra vllam falsitatem verum esse cognosces. Dixit Deus Adamo. *Quacunque hora comederitis de ligno, de quo præcepi vobis ne comedatis, morte moriemini*, morte videlicet animæ, quod & ipsa illa hora factum est, ideoque stolam immortalitatis perdidit. Nihil amplius prædixit Deus, & nihil præterea factum est. Præsciens enim, vt Deus, peccare posse Adamum, volensque pœnitenti ignoscere, nihil amplius

vt

A ut dictum est, contra eum antea pronuntiavit. Postquam autem negavit peccatum suum, & neque reprehensus à Deo pœnitudinem concepit ait enim, *Mulier, quam dedisti mihi, ipsa me decepit* (quam dedisti mihi, O animam parum attentam, ac Deo quasi dicentem, tu offendisti, *Mulier quam dedisti mihi, ipsa me decepit*, quod & nunc abiecto mihi, & infœlici usu venit: non enim volo unquam humiliari, & dicere ex animo, ego perditionis meæ causa sum: sed aio, ille me ad hæc, & illa dicenda, facienda instigavit. Ille mihi suasit: ut hoc, & hoc facerem, & patrarem. O infœlicem animam, verba peccati plena profundentem. O animæ impudentis, & scelestæ impudentem, scelestámque orationem: itaque cùm & hoc Adamus protulisset, dicit ei Deus, *In labore & sudore comedes panem tuum, & spinas ac tribulas terra germinabit tibi.* Et postremò: *Quia pulvis es, & in pulverem reverteris.*

B Dicebam, inquit, ut pœniteret te, pristinámque vitæ formam retin eres. Quia verò adeo præfractus es, apage de cætero à me; & sufficiet tibi ad disciplinam desertio tua; *Quoniam pulvis es, & in pulverem reverteris*, En igitur, didicisti, eum post prævaricationem, quia non pœnituit, nec dixit, peccavi, & expulsum, & in labore ac sudore vitam agere iussum, & in terram, de qua assumptus est, damnatum esse ut rediret, quod ita evenisse constat ex his, quæ in scriptura sequuntur. Proinde uno dimisso ad Evam venit, ostendere volens, ipsam quoque pœnitere nolentem, iure cum ipso ejectum iri, & ait. *Quid hoc fecisti?* ut & illa subjiciat, peccavi. Nam quid alioqui opus habebat Deus, quæso, huiusmodi verbis eam compellare, nisi hac sola de causa, ut diceret illa, in insipientia mea. Domine, istuc feci? ego nullius pretij, & misella tibi Domino meo non obtemperavi miserere mei. Sed illa non dixit. Quid autem? *Serpens decepit me.* O stuporem.

C Itane planè cum serpente contra Dominum verba tibi ingerente commercium habuisti, & hunc Deo creatori tuo prætulisti, & consilium eius mandato Domini præstantius, ac verius existimasti? Vbi igitur nec illam dicentem invenit, peccavi ejiciuntur è deliciis, à paradiso, & Deo expelluntur.

Sed profunditatem mysteriorum Dei dispice, & disce, ac docere inde, non fuisse ejiciendos, si eos sceleris pœnituisset: non fuissent condemnati, non fuisset lata sententia, ut in terram reverterentur, de qua sumpti essent. Audi quomodo. Posteaquam ejecti sunt, mox in labores ac sudores inciderunt, esurireque ac sitire, & rigere ex frigore, ac tremere cœperunt, ac perpeti huiusmodi incommoda, qualia & nos hodie, & plura perpetimur, qui videlicet calamitatis huius & casus cognitionem accepimus: nec id solum, sed etiam ipsius eorum stultitiæ, & ineffabilis Dei misericordiæ. Extra paradisum itaque vagantes, & sedentes, pœnitebant, flebant, lamentabantur, frontem feriebant, capillos laniabant, pertinaciam suam deplo-

D rantes. Id porrò non unum, aut duos, aut decem dies, sed, credatis mihi velim, quamdiu ætas suppeditavit. Quomodo enim poterant non continenter atque omni tempore lachrymas profundere, cùm Dominum illum tam mansuetum, delicias illas, quas sermo nequit declarare, illam florum pulchritudinem inenarrabilem, illam vitam omni sollicitudine ac labore vacuam, angelorum ad ipsos descensus, ascensúsque recogitarent? Quemadmodum enim, qui ab aliquo Principum huius sæculi electi sunt servi, ad præstandum illi coram ministerium, quandiu reverentiam, & honorem, & serviendi munus sincerum Domino suo præstant, ipsúmque, ac conservos suos diligunt, etiam libertate erga eum, & benevolentia eius amoréque multa cum vacatione, iucunditate & oblectatione perfruuntur. Sin autem in vesanam insolentiam contra Dominum suum versi, obtorto collo rapient conservos suos, séque supra illos efferant, qui apud illum libertate, benevolentia, & amore gaudebant, ea omnia amittunt, & in longinquam ab eo regionem rele-

E gati, eiúsque iussu innumeris lassitudinum, vexationumque tentationibus objecti, magis magisque ferias quibus fruebantur, & detrimenta bonorum amissorum intelligunt. Eodem modo protoplastis evenit, qui cum in paradiso agentes bonis illis circumfluerent, deinde ab iisdem exclusi & projecti, ubi ea amisisse senserunt, semper lamentabantur, semper flebant, Domini sui misericordiam implorantes. Quid facit, qui multus est in misericordia, & tardus in supplicio? Vt vidit eos humiliatos, prolatam sententiam mox revocat, cùm ad castigationem scilicet, & ne quis conditori universorum se opponeret, eam tulisset. Cùm enim, ut Deus, & casum hominis, & pœnitentiam præsciret, antequam universitatem moliretur, & opportunitatem, & tempus, & quomodo, & quando hunc ab exilio reduceret, secretissimo iudicio, & investigabili omni spiritui definivit. Nam si quibusdam

F hæc revelata fuissent, & scribere voluissent, non eis tempus, non charta, non atramentum sufficeisset. Sicut ergo miseratus ante constituit & prædixit, sic utique etiam fecit: & quos è paradiso propter impudentiam, & impœnitens cor, ac voluntatem obstinatam ejecit, ut decuit, eos acta pœnitentia, & pro eo, ut debebant, humiliatos, & post fletum ac lamenta ipse ille solus ex solo unigenitus filius, & verbum patris sui, qui fuit ante omne principium, cùm descendisset, ut omnes nostis, non solum similis illis homo factus est, sed etiam ad violentam, & probrosam mortem raptatus, perinde ut illi mori non recusavit: & descendens ad inferos, etiam inde eos eripuit. Qui ergo tam multa, quam quotidie audis, eorum causa pertulit; ut eos à longinquo illo exilio revocaret, si pœnituissent in paradiso, non illos commiseratus fuisset? Quid ni, qui benignus est, & idcirco hominem creat, ut bonis ipsius in paradiso frueretur, & benefactorem suum glorificaret? Sanè ita, ut arbitror, fratres,

G factum fuisset.

Vt autem & cætera discas, & verbis meis maior a, ut te fides sit, audi reliqua. Si pœnituissent adhuc in paradiso degentes, ipsum illum paradisum recepissent, ac præterea nihil. Quia verò propter impœnitentiam suam expulsi sunt, ac deinde vehementer pœnitentes, lacrymas fuderunt, afflictique sunt, quæ, ut dixi, non essent passi, si in paradiso pœnituissent, pro laboribus istis, sudoribus, & molestiis, & bona pœnitentia volens Dominus Deus honore eos, & gloria afficere, nec id tantùm, sed etiam omnium illorum malorum oblivionem illis afferre, quid agit? Perpende mihi benignitatis magnitudinem. Descendit ad inferos, eósque deinde reductos, non in paradisum, quem amiserant, restituit, sed in illud cœlum cœli eos subvexit. Qui cum ad dexteram Dei patris sui principio carentis sedisset, quid ei, Adamo, inquam, servo quidem suo secundum naturam, patri autem suo vocato secundum

H gratiam, fecisse dicis? Vide in quantam altitudinem propter eius pœnitentiam, humilitatem, lamenta atque lacrymas Dominus ipsum sustulerit. O lacrymarum & pœnitentiæ vim. O immensæ benignitatis, & scrutabilis misericordiæ pelagus, fratres. Quia non ipsum solum, sed & universum eius semen, nos nimirum eius filios, eius confessionem, pœnitentiam, lamenta, lacrymas, & alia quæ suprà dixi, imitatos, perinde ut illum & honoravit, & glorificavit: & ita facientibus usque nunc, & ex hoc facturis, sive mundani, sive monachi sint, parem honorem, & gloriam tribuet. Amen, dixit verax Deus, non relinquam eos unquam, sed tanquam fratres meos, & amicos, patres, matres, cognatos, cohæredes meos reddam eos, & glorificavi, & glorificabo, & in cœlo sursum, & in terra deorsum, & vita, lætitia, atque gloria ipsorum nullo fine circumscribetur.

Quid ergo, mi frater, protoplastis vitæ ratio in paradiso, laboris & curarum nescia profuit, cum desidiosi fuerint incredulitate sua Deum contempserint, & præceptum eius violaverint? Si enim illi credidissent,

non

A non serpentem Eua, non Euam Adamus ille fide digniorem existimasset. Sed cauere oportebat, ne de arbore vetita comederent. Vbi comederunt, eiecti sunt. Rursum, nihil illis exilium damni, sed amplissima bona contulit, & ad salutem nobis omnibus conduxit. Delapsus quippe de cœlo Dominus noster, morte sua mortem nostram destruxit, damnationemque prævaricationem primi parentis nostri consentaneam funditus sustulit, perque sacrum baptisma nos regenerans, & refingens, & ea perfectè nos soluens, in hoc mundo prorsus liberos, nec tyrannidi inimici subiectos collocat: sed primæua arbitrij libertate nos honorans, potius vires contra eum ministrat, vt qui volunt, nullo eum negotio devincant, fœlicius quàm sancti omnes, qui ante Christi adventum vixerunt. Die autem suo perfuncti, non sicut illi, ad inferos, sed in cœlum, & ad delicias illas ac voluptates perducuntur. Et nunc quidem moderatius lætantur: at post B reditum corporum in vitam, penitus sempiterno gaudio quantum, quantum est dignabuntur. Qui igitur volunt, mantellum non quærant, nec dicant, plane propter Adami transgressionem cupiditatibus nos, ac libidinibus agitari, & inde nos ad peccatum pertrahi. Qui ita sentiunt, & loquuntur, Domini ac Dei nostri adventum infructuosum, inanemque extitisse opinantur, quod hæreticorum, non fidelium est, vt dici solet. Quare enim descendit, aut cur necem passus est, nisi ob hoc omnino, vt damnationem peccati mercedem tolleret, & genus nostrum è servitute, & operatione Sathanæ inimici assereret? Hæc enim est germana libertas, nullius dominationem quocunque tandem modo perpeti.

Nos siquidem à peccatore peccatores, à transgressore transgressores, & à seruo peccati propagati, etiam ipsi servi peccati eramus, à maledicto & mortuo maledicti atque mortui, ab eo qui suam maligni transversim actus, & in mancipium eius redactus, suum ius ac potestatem amiserat: vt filij eius, eodem maligno in nobis operante, suaque nos potentia opprimente, tyrannico ipsius imperio parebamus. Deus autem de C cœlo affuit, carnem induit, similis nostrum natus, absque peccato, peccatum sustulit, conceptionemque, & procreationem sanctificavit, & gradatim educatus, totam ætatem benedixit. Viriles autem annos ingressus, concionari instituit, docens nos, ne canos prudentia & virtute, nos iuvenes maximè, & prudentia nondum viri præcurrere, & anteuertere in aliquo velimus. Suscepit nostra pro nobis, custoditisque omnibus patris sui præceptis, transgressione nos soluit, transgressoresque à damnatione vindicauit. Serui forma accepta servus est factus, & nos servos in antiquam dignitatem dominorum restituit, ac tyranni veteris dominos effecit. Cuius rei testes sunt sancti, qui etiam morte iam obita ipsum, & ministros eius vt languidos, & imbecilles repellunt, ac fugant. Maledictus factus est in cruce suffixus (*Maledictus* enim, inquit scriptura, *omnis qui pendet in ligno*) & vniversam Adami maledictionem à nobis depulit. Mortuus est, & morte sua mortem peremit. Resurrexit, & inimici, qui per mortem & peccatum potestatem in nos exercebat, virtutem operationemque deleuit. In mortiferum quippe venenum, & virus peccati, ineffabilis deitatis, & carnis suæ viuifica efficacitate iniecta, genus huma- D num ab operatione inimici omnimodis liberauit. Per sacrum autem baptisma, & communionem intemeratorum eius mysteriorum, corporis nempe, & sanguinis pretiosi, emundans nos, & viuificans, sanctos, & peccati puros reddit. Sed & rursum arbitrij libertate condecorari sinit, vt non coacti, sed volentes Domino seruire videamur: & quemadmodum ab initio erat Adamus in paradiso liber, extraque vim, & peccatum voluntate soluta ac libera obediebat inimico, a quo deceptus mandatum Dei violauit: sic & nos è sacro baptismate regenerati, servitutis iugo à nobis depulso, nostri iuris liberique reddimur: ac nisi vltro

Phil. 2. — Deut. 21. — 1. Ioan. 1.

E inimico obtemperare velimus, alia quadam via contra nos moliri nihil potest. Si enim ante legem & adventum Christi his omnibus carentes auxilijs multi, imò innumerabiles Deo placuerunt, & extra culpam vixerunt (è quibus iustum Enoch translatione honorauit, Eliam curru igneo velut in cœlum assumpsit) Hebr. 11. quid nos respondebimus, qui post gratiam, talemque ac tantam beneficentiam, post mortis & peccati destructionem, post baptismi regenerationem, & sanctorum Angelorum custodiam, & ipsam Spiritus sancti obumbrationem, adventumque super nos, ne illis quidem, qui ante gratiam fuerunt, pares invenimur, sed ignavia corrupti, Dei iussa vilipendimus, ac prætermus? Porrò grauius nos punitum iri, quàm qui in lege peccaverunt, si in peccatis permanserimus, S. Paulus his verbis indicavit: *Si enim qui per angelos* Hebr. 2. *dictus est sermo, factus est firmus, & omnis prævaricatio & inobedientia accepit iustam mercedis retributionem, quomodo nos effugiemus si tantam neglexerimus salutem?* F

Non ergo Adamum, sed semetipsum vnusquisque nostrum accuset & reprehendat, in quodcunque peccatum inciderit, & si vitam æternam velit consequi in Domino, pœnitentiam, vt ille ostendat, flens in dolore cordis sui, & in agnitione sui ad omnipotentem Dominum clamans, ecce vides Domine (quid est autem quod tu non videas?) ego opus manuum tuarum, opera mandatorum tuorum non feci: sed per iniustitiam omni me scelere alligaui. Tu igitur bonus Dominus, ego autem non cognoscebam te. Nunc audivi de te, & contremui, & quid faciam nescio. Intellexi iudicium tuum, & defensio non est inventa in ore meo. Nihil enim super terram feci, quod vnicum verbum otiosum oris mei compensare queat. Nam si omnem iustitiam fecerit homo, tanquam servus, & debitor faciet, compensationem autem peccati sui nullam inveniet. Etenim misericordia abs te solo est, & peccatum mors est. Et quisnam per ipsum moriens, etiam per seipsum resurgat: nullus omnino. Tu solus mortuus resurrexisti, quoniam peccatum non admisisti, nec 1. Pet. 2. inventus est dolus in ore tuo. Iam verò quis morietur in peccatis, & non capietur pœnitudine: at nihil ei G proderit. Sic & me, Domine omnipotens, pœnitet quidem malorum quæ patraui, non proficit autem ad iustitiam mihi pœnitentia mea: est enim tantummodo peccati agnitio. Et nunc vides omnia omnium inspector Domine, qui nusquam mihi relicta est salutis occasio, sed vivum me infernus deglutiuit. Tu autem solus potes me reducere, & sanare dolorem cordis mei, quoniam potens est manus tua ad omnia, & in fines abyssorum penetrans, & omnia pro nutu tuo operans. Non audeo dicere, miserere mei, sum enim indignus misericordia. At tu, Domine, nosti omnia, & vt novit benignitas tua, fac in me, qui etiam ipsa vita indignus sum.

Sic erit, fratres, qui coram Deo omnipotente peccavit, & timore iudicij, aversionisque Dei ab se, animi sensum accipit. Timor enim Domini, & notitia retributionis eius ita carnes liquefacit, & ossa conterit, vt lapis à machina suspensus in torculari vuas comprimit, vehementer inde vinum exprimit. Nam vuas qui calcant primùm, postmodum eas saxo superimmisso exprimunt, & iis omnem vini humorem demunt. Hominem autem Dei timorem ingressum, ipse H timor omnibus se conculcandum præbere facit Et cùm superbiam, & cogitationis carnis, vanæ gloriæ cupidus perfectè contriverit, atque deleverit, tunc sancta humilitas, ille lapis, qui mente percipitur, leuissimus, & velocissimus desuper illapsus, vbi totum humorem carnalium voluptatum affectionumque expresserit, animam ita expressam, fructus haud inanem demonstrat: sed cùm eam flumine lachrymarum perfuderit, aquam vivam scaturire facit, & inflicta à peccato vulnera sanat, eorumque saniem & vlcera abluit, & hominem illum totum nive candidiorem reddit: modò ne quis dubio & ancipiti corde ad Deum accedat. Dubitatio

enim

A enim cordis est, ratiocinari, aut plane secum ita cogitare, miserebitur mei Deus, an non miserebitur? Illud, *an non?* incredulitatis est. Quod si non credis, eum tui misereri velle supra quam exspectas, quid accedis, eumque rogas? Ancipitis autem cordis est, non in mortem prorsus seipsum tradere, propter regnum cœlorum: sed de iis esse sollicitum, quæ ad carnem spectant. Qui enim laboriosam pœnitentiam agit, hoc solum cauere debet, ne seipsum machina aliqua extinguat, & sui homicida fiat: verbi gratia, aut ex alto se præcipitans, aut strangulans, aut aliud contrà naturam sibi inferens. De reliquis, per quæ corpus ali, ac vivere scit, ne curet: secundum illud sanctorum oraculum: *Quærite primum regnum Dei, & hæc omnia* (ad vsum videlicet corporis necessaria) *adiicientur vobis.* Potest namque, qui vitam in certamine ducit, & ex præscripto Evangelij vivit, solo pane, & aqua ali quotidie, & vivere, & habitior esse, quàm qui mensis delicatioribus accumbunt. Quocirca & Paulus huius rei gnarus dicebat, semperque dicit: *Habentes victum, & quibus tegamur, his contenti simus.* Et rursum, *Vt in nobis ipsis responsum mortis habentes, non simus fidentes in nobis ipsis sed in Deo, qui suscitat mortuos.*

Matt. 6.

B

1. Tim. 6.
2. Cor. 1.

En, fratres dilecti, docuimus, quomodo ad Deum accedendum, & qualis ei pœnitentia exhibenda sit. Ne igitur ab ea vsque ad vltimum halitum nostrum desistamus, neque boni huius consilij nos capiat oblivio. Si enim ad hæc, Deo adiuvante, & ad hoc opus pœnitentiæ incubuerimus, ipsi sensim maiora mysteria intelligemus, superna illa gratia edocti: nec solùm fons lachrymarum, sed etiam omnium prauarum affectionum horror, & alienatio per huiusmodi actiones nobis donabitur. Nam pœnitentiam & compunctionem semper exquirere, & scrutari quæ ad lugendum, flendum, dolendum valeant, eaque enixe præstare, & in nullo sibi potiores deferre, aut vlla ex parte carni obsequi, compendio quodam hominem ad perfectionem, & ad puritatem, affectuumque vacuitatem deducit, & sancti Spiritus participem efficit. Et hæc quidem, si pœnitentiam, & contritionem dilexerimus.

C Sin noluerimus, quæque dicta sunt, in iis sine intermissione non elaborauerimus, ne quis tamen loquatur impiè, & dicat id esse impossibile: nec, quòd ista in medium attuli, me multum abundare otio, neque recenseat mihi, quantum auri argentique distribuerit, ac dispersit: neve dicat, tot & tot de facultatibus meis nudos vestiui, esurientes alui, sitientes potaui, omnia mea dilargitus sum, veni in hunc montem, intraui in hanc speluncam, ad Domini sepulchrum accessi, in montem oliuarum ascendi, & nunc in hoc monasterium me abdidi, & iam detonsus, aut etiam antea detonsus, in cella sedeo, tantum numerum precationum fundens, cum his saluabor, & sufficit mihi. Ne tibi fucum facias, quicunque es, frater, nec teipsum vanis cogitationibus insipienter consolere. Hæc enim omnia bona, & valde bona sunt, sed semen tantum esse scito. Vide igitur (exempli causa) agrum renouasti, fimum sparsisti, tribulos vellisti, seminasti. Num ergo ex herba terræ semen se ostendere, num creuisse comperisti? num spicas prodeuntes, num albas animæ tuæ segetes, & ad messem idoneas conspexisti? vellisti spicas inde? fricuisti manibus, vt fructum laborum tuorum absolutum aspiceres? eo autem spectato, num alitus ad saturitatem, &

D viribus factus es robustior? Si horum certus es, pedes, & vestigia pedum tuorum adoro, & exosculor, non enim dignus sum faciem tuam osculari. Triumpha, & exulta, cum gaudio colligens, quæ cum labore, & lassitudine seminasti. Sin autem & ipsa quæ à me dicuntur nescis, & neque an in terra tua, in agro, inquam, cordis tui, de fructibus melioribus seminatum sit, nosti, narra mihi, extremos orbis terrarum fines dum obiisti, & vltima pelagi spatia emensus es, quid profecisti? Nihil vtique. Si enim in eleemosynam dedero totum mundum, non tamen de meis, sed esto, de meis, me autem

E nudum & inopem fivero, & ita in bonorum egestate moriturum, & ad terribile Christi tribunal sistendum, quid mihi prodest? Indutos & ornatos è corpore exire oportet, si modò velimus in nuptiis regis unà cum eius amicis discumbere. Quid porrò est, quod & ego, & omnes amici eius superinduere debemus, ne tunc nudi appareamus? Christus & Deus fratres.

Quod si universum, qui sub cœlo est, orbem peragravero, nullamque regionem, aut urbem, aut ecclesiam prætermisero, in quam non adoratum introeam, ipsasque bene perlustravero, & accuratè cognovero, regno autem cœlesti excidero, ecquid non melius erat, me nunquam natum esse, nec in terram cecidisse, aut spiritum hunc ducere cœpisse, & oculis solem aspexisse? Etiam, hoc mihi melius erat. Quid igitur faciam, ne hoc regno priver? Si functus omnibus pœnitentiæ operibus, Spiritum sanctum accepero. Istud

F quippe est semen Christi, per quod nos pauperes, & mortales eius cognatis adscribimur. Quod si ceciderit in terram bonam, fructum fert, unum tricesimum, & aliud sexagesimum, aliud centesimum. Atque hoc ipsum est regnum cœlorum: cætera omnia sine hoc nihil commodi habent. Nisi enim, fratres, nostri ipsorum misereamur, & per pœnitentiam animas nostras purgatas, ac luminis plenas inveniamus, nihil nos alia fecisse iuvabit ut ait Dominus, & Deus noster: *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?* Et iterum: *Qui perdiderit animam suam*, sive mundo, aut iis qui in mundo sunt mortuam, & sine sensu reddiderit, *propter me, inveniet eam.* Qui autem invenerit eam in aliqua carnis voluntate, perdet eam. Si igitur animas nostras non ita propter Christum perdiderimus, rursumque inveneri-mus, quando cum Christo vitam sempiternam vixerimus, quid reliqua omnia nobis emolumenti dabunt? Prorsus nihil proderunt, dilecti servi Christi, nec ab æternis flammis nos asserent. Quare omnia, & omnes relinquentes, nos ipsos solos, & nostra perpetuò inspiciamus, donec iis quæ deterioris, id est, corporis sunt, victis & edomitis, & meliori, nempe rationi, & animo subditis, & ita pacis spiritu perfruiti, à tumultu

Mat. 13.

Luca 9.

Mat. 10.

G terrestris spiritus expediamur, & in portum beatæ quietis nostræ ingrediamur.

Beatus igitur, qui, quæ diximus cum fide audit, & ad unguem ea exsequitur, & hanc veram pœnitentiæ imaginem, descriptionemque imitatur, quam prius praxis nostra implevit, postmodum scriptura verbis commisit. Nam cùm bona intellectum, cogitationem, sermonem superantia invenerit, miseram manum meam, quæ hoc scripsit, beatam pronuntiabit, & misericordem, multæque miserationis Dominum prædicabit, qui per linguam sordidam, & immundam, & os impurum, hæc scriptura consignavit, ad exemplum conversionis, & pœnitentiæ, & ad viam directam, verissimamque eorum, qui ex tota anima sanari concupiscunt, & regnum, vitamque immortalem, ac cœlestem pro hæreditate adituri sunt. Quamobrem rogo vos, in Christo fratres, procul à nobis omnem affectionem turbidam, & omnem huius vitæ sollicitudinem amandemus. Oderimus voluptates carnis, iucunditates

H corporis, oblectamenta, & otium, per quæ quod deterius est, potiori prævalet, & agite, suscipiamus fidem sinceram erga Deum, & qui secundum Deum sunt patres, ac fratres nostri. Possideamus cor contritum, & humiliatum animæ spiritum, & per pœnitentiam, & lacrymas cor purum ab omni macula, & labe peccati; ut etiam possimus pervenire aliquando ad compendiosam mensuram spiritualis ætatis, & videre ac frui bonis ineffabilibus, indeque divino lumine, quamvis non consummatè, sed ex parte, & pro captu nostro, secundum proportionem puritatis, & innocentiæ nostræ. Sic enim & nos vniemus Deo, & Deus unietur nobis, & consuetudine nostra utentibus erimus lumen, & sol, ad magnam

Matt. 5.

eorum

A eorum utilitatem in Christo Iesu Domino nostro, quem decet omnis gloria, honor, & adoratio, cum Patre & sanctissimo, ac vivifico Spiritu: nunc & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

## EPILOGVS ad Lectorem.

LAVDETVR Deus, qui huic labori finem dedit. At tu, lector, qui in hunc librum incideris, mente ab omni cura huius mundi vacuus, ut decet, te adhibe sermonibus istis, quos studio, & labore suo confecit venerandus ille, & inclytus pater Simeon, qui B monasterio ad Xylocercum præfuit. Et cum eos videris esse tres & triginta, totidem annos, quos Dominus noster corpore humano vestitus, ut mortalis nobiscum in terris vixit cogita. Et hoc mandans animo, festina, ut spirituali incremento, quod liber hic exponit ac declarat, celeriter annos illius exæques, ex sermonibus, inquam, haud obscuris, & totidem numero Patris huius. Quos cùm legeris, & perceperis, quemadmodum tibi vita secundum Deum instituenda sit, cognosces, & cum Christo vivens, animæ tuæ ætatem ultra plurimos sæcula augebis, donec vir iam perfectus, ad mensuram venias ætatis, qua fuisse Dominum constat. Vbi una cum Christo sic vixeris ex animo, & spiritualiter, unitus ei quantum licet, etiam cum eo de terra exaltato sublatus, ad locum ubi ille manet pervenies. Trahit enim in sancta sanctorum omnes qui volunt in eius semitis vestigia ponere, quibus pro nobis prior ipse incessit, tanquam mediator scilicet, & magnus noster Pontifex. Nemo enim, nisi C per eum ad patrem veniet, quemadmodum ipse affirmavit. Cuius & hoc verbum est: *Volo pater, quos dedisti mihi, ut mecum sint, & videant gloriam meam, quam dedisti mihi.*

## EIVSDEM SIMEONIS PRESBYTERI DIVINORVM AMORVM, sive Sacrarum Commentationum liber singularis.

D

### CAPVT I.

*Precatio mystica, qua Spiritus sanctus invocatur.*

VENI LVMEN VERVM. VENI VITA ÆTERNA. Veni absconditum mysterium. Veni Thesaure carens nomine. Veni res ineffabilis. Veni persona humanam intelligentiam fugiens. Veni perennis exultatio. Veni lumen nunquam occidens. Veni omnium salvandorum vera expectatio. Veni mortuorum resuscitatio. Veni potens, qui omnia semper solo nutu facis, immutas, & varias. Veni penitus inaspectabilis, intactilis, impalpabilis. Veni semper manens immobilis, quique in horas totus transmoveris, & ad nos venis iacentes in inferis, qui supra omnes cœlos habitas. Veni nomen exoptatissimum, E & celebratissimum, de quo fari quid sis, aut nosse qualis, aut cuiusmodi sis, nobis prorsus negatum est. Veni lætitia sempiterna. Veni corona immarcessibilis. Veni magni Dei, & Imperatoris nostri purpura. Veni zona ut crystallus lucida, & gemmis variegata. Veni refugium inaccessum. Veni regalis purpura, & augustæ maiestatis dextera. Veni quem misera anima mea desideravit, & desiderat. Veni sole ad solum, sum enim solus, uti vides. Veni qui me separasti, & solum esse in terra fecisti. Veni qui factus es desiderium meum, fecistique ut desiderem te, ad quem aspirare nullus potest. Veni halitus & vita mea. Veni despicabilis animæ meæ consolatio. Veni gaudium, & gloria, & deliciæ meæ assiduæ. Gratias ago tibi, quando unus mecum spiritus citra confusionem, immutationem, & conversionem factus es, qui cum sis Deus super omnia, mihi omnia factus es in omnibus. Alimonia inexplicabilis, quæ absumi neutiquam potes, quæque labris animæ meæ iugiter affunderis, & in fonte cordis mei ubertim scaturis. Indumentum fulgurans, & dæmonas adurens. F Lustratio, per continuas, & sanctas lacrymas, quas præsentia tua iis ad quos venis largitur, eluens me. Gratias ago tibi, quoniam dies sine vespera mihi factus es, & sol citra occasum: qui non habes ubi te abscondas, quique gloria tua imples universa. Nunquam tu ab ullo te abscondisti, verùm nos semper nosmet à te abscondimus, dum ad te venire nolumus. Vbi enim te absconderes, cui requiescendi locus nusquam est? Aut cur te absconderes, qui ex omnibus adversaris neminem, revereris neminem? Nunc igitur, pie Domine, tabernaculum in me tibi fige, & habita in me, & usque ad obitum meum ne divellaris, nec separeris à me servo tuo, ut & ego in exitu meo, & post exitum in te inveniar, & regnem tecum, qui regnas Deus super omnia. Mane Domine, & ne me solum relinque, ut cùm venerint inimici mei, qui continenter quærunt devorare animam meam, teque intra me manentem repererint, penitus penitusque refu- G giant, nec prævaleant mihi, cum te fortiorem omnibus intus in domicilio humilis animæ meæ residentem conspexerint. Sane, ut memor fuisti mei, Domine, cum in mundo essem, & me inscio ipse elegisti me, & à mundo removisti, atque ante faciem gloriæ tuæ constituisti: sic etiam modo intus me constitutum, semper immobilem, propter tuam in me habitationem custodi, ut quotidie intuens te ego mortuus, vivam, possidens te ego pauper, semper dives sim. Sic ero quibusuis regibus opulentior: & manducans, ac bibens te, & in horas singulas induens te fruar bonorum deliciis inenarrabilibus. Quoniam tu omne bonum, & omne decus, & omne delectamentum es, & te decet gloria, sanctam & consubstantialem Trinitatem, quæ in Patre, & Filio, & Spiritu sancto honoratur, & agnoscitur, & adoratur, & colitur ab universitate fidelium nunc & semper, & per infinitatem sæculorum, Amen.

Cod. ment. ἐνδύμα leg. ἐνδυμα.

H

### CAPVT II.

*De divina illustratione, & illuminatione Spiritus sancti. Vnum esse locum Deum, in quo post mortem sancti omnes requiescunt: & qui Deum amisit, alio in loco in futura vita requiem non inventurum.*

HEm, quod istuc tam venerandum mysterium in me patratur? quod nec lingua effari, nec manus infirma litteris exarare potest, ad laudem & gloriam illius cui revera par laus, & oratio nulla reperiri queat. Sed si quæ nunc in me deplorato aguntur, ineffabilia, & inexplicabilia sunt, quo tandem pacto is, qui

talia

A talia largietur, & efficit, nostris encomiis, & prædicationibus indigebit? Certe non glorificabitur, qui est glorificatus: quemadmodum nec illustrabitur, nec lumen à nobis mutuabitur hic sol, quem in cœlo fulgentem aspicimus. Illuminat, non illuminatur, lucem fundit, non recipit: habet siquidem, quam ei à principio conditor est impertitus. Si ergo qui solem fecit omnium procreator Deus, ita fecit, vt luceret abundanti lumine, nec opus haberet vllo modo aliunde manus petere, quomodo à me vili, abiectoque gloriam accipiet fabricator solis, cui nulla omnino re opus est, & qui nutu ac voluntate (solus enim potens est) bonis omnibus implet omnia? Interim & lingua mea ingenti verborum egestate laborat, & quæ in me aguntur, mens mea videt illa quidem, sed exponere non valet. Aspicit, & eloqui vult, sed quo sermone id faciat, non invenit. Intuetur quippe inaspectabilia, & omnis figuræ vndiquaque expertia, simplicia B prorsus, non composita, & magnitudine infinita. Nec enim principium vllum, nec finem perspicit, & medium plane ignorat, nec scit, quinam efferat, quod videt. Totum quiddam in summa, vt arbitror, & neutiquam ipsi essentia sua, sed participatione videtur. Etenim ex igne ignem accendis, & totum quod est ignis, accipis: ipsa tamen natura ignis non deficit, & indivisa, vt ante, permanet. Veruntamen, quod communicatur, a primo separatur: & quia corporatum quiddam est, in lampadas complures dispertitur. Illud autem spirituale est, divisionemque, sectionem, separationem prorsus nullam admittit. Non enim quoniam communicatur, idcirco in multa secernitur, sed indivisum perseverat, & in me est, & in me intus in misero corde meo tanquam sol, aut discus solis huius, rotundus, luci similis (nam & lux est) exoritur. Nes- C cio, vt aiebam, quid de eo dicam. Et volebam tacere, quod verum possem: sed miraculum venerationis plenum sollicitat animum, & reserat impurum os meum: quique nunc in corde meo tenebroso ortum protulit, ad loquendum, scribendúmque vel invitum me compellit.

Qui mihi demonstravit mirabilia, quæ oculi non viderunt. Qui in me vt postremum, ac infimum omnium se demisit. Qui Apostolos discipulos, & filios reddidit. In me, inquam, quem horribilis, & interfector hominum draco tenebat, prius omnis iniquitatis ministrum, & operarium. Sol ille, qui extitit ante originem sæculorum, & qui apud inferos resplenduit, & tandem collustrata anima mea tenebris oppleta, diem mihi vespera carentem largitus est. Qui mendicitatem meam bonis omnibus cumulasti, tu sermonem dona, & verba mihi suggere, ad enarrandum vniversis opera tua mirabilia, quæ hodie quoque præstas erga nos famulos tuos: vt & qui in tenebris socor- D diæ dormientes, asserunt peccatores non posse salvari, ac veluti Petrum, cæterósque Apostolos sanctos & iustos, ipsos similiter miser cordiam adipisci, id bonitati tuæ facile fuisse, esse, & fore cognoscant, & intelligant: & qui se opinantur possidere te lumen orbis terrarum, nec tamen te videre dicunt, non vivere in lumine, non illuminari, non perspicere te iugiter, mi Salvator, norint, te in mentibus eorum non fulsisse, nec incoluisse eorum corda sordida, frustraque eos vana spe exultare, dum se post finem huius vitæ lumen tuum visuros arbitrantur. Nam pignus, & sigillum, seu tessera ad dexteram collocandis ovibus planè hic data est. Si enim vnusquisque mortem in se inclusam circumfert, & post mortem omnibus ex æquo facultas operandi deerit, & nemo seu boni, seu mali quippiam agere poterit, quilibet vtique, qualis tum inventus fuerit, talis erit. Istuc est, Domine, quod mihi terrorem, tremorémque incutit. Istuc omnes sensus meos tabefacit. Sicuti cæcus fato functus, & illuc translatus, nunquam solem hunc sensu videndi vsurpabit, quamvis olim in vitam rediens, lumina receperit: ita neque qui cum mente cæca diem extremum obierit, te solem, intelligentiæ soli parentem, Deus meus, intuebitur, sed egressus e tenebris habitabit in E tenebris, atque in omne ævum a te separabitur. Nemo hominum, Domine, in te credentium, nemo in nomine tuo baptizatorum, magnum hoc, & horroris plenum onus sustinebit, vt abs te separetur. Dira est enim ista tribulatio, dira, & intoleranda, & æterna mœstitudo. Quid namque, Salvator mi peius esse potest, quam abs te divelli, atque seiungi? quid cruciabilius, quam a vita disiunctum illic vivere instar mortui, privatúmque vita, privari simul bonis universis? Nam qui abs te separatur, omnis boni iacturam incurrit. Non enim quemadmodum nunc in terris, sic etiam tunc futurum est. Nunc quippe qui te nesciunt, hic in deliciis, & voluptatibus corporeis ætatem exigunt, hic exultant, & instar brutarum animantium saltibus lasciviunt. Quæ ad usum, & commoditatem vitæ agendæ dedisti, ea sibi habent, & in iis solis defixi, post discessum ex hac luce similem animæ statum fore existimāt. Sed male coniectant, male sapiunt, qui se non tecum, F veruntamen in requie futuros autumant, cui locum quendam, ò dementiam, extra regnum ac thalamum, a gehenna & ignis supplicio semotum, nec eum lucidum, ac tenebris vacantem constituunt, in quem infœlices illi devenire optant, non egere se æterna tua gloria, aut cœlorum regno, sed in requie fore arbitrantes. Prò istorum caliginem, prò ignorantiam, prò miseriam & spes inanes: nusquam hoc scriptum extat, nusquam hoc erit: verùm in lumine fœlicitatum, qui sancta & divina gesserunt, in tenebris autem pœnarum erunt, qui iniquitatis operarij fuerint. In medio autem hiatus est formidabilis, ambos secernens, quomodo tu ipse, Domine, docuisti, qui hæc præparasti. Hoc intervallum homini in ipsum delabenti omni tormento ac Luc.16. supplicio dirius erit, in abyssum pœnarum, in chaos perditionis per caput infeliciter se præcipitanti, ruentique, quò his qui in cruciatu versantur, difficile est ascendere, & ad terram iustorum transmeare. Malunt si- G quidem in igne cum acerbitate in cinerem redigi, quam in chaos horrendum se proiicere. Qui ergo illic post mortem esse concupiscunt, multis lachrymis, & lamentis digni sunt: quoniam vt iumenta rationis expertia, penitus nihil sapiunt, sibimet pestem imprecantur, seipsos seducunt.

Tu regnum cœlorum, Christe, tu terra mitium. Tu virens paradisus. Tu thalamus divinus, & ineffabilis. Tu mensa communis omnium. Tu panis vitæ. Tu potus maxime novus. Tu poculum aquæ. Tu aqua vitæ. Tu cuiusque sanctorum lucerna inextincta. Tu & tunica, & corona, & coronarum distributor. Tu gaudium, & requies. Tu gloria, & delitiæ. Tu exultatio. Tu animorum iucunditas. Et lucebit gratia sancti Spiritus tui Deus meus instar solis in omnibus sanctis tuis. Et lucebis in eorum medio sol inaccessus, omnésque proportione fidei, operum, spei, charitatis, puritatis, & illustrationis ex spiritu tuo, illuminabun- H tur. Deus sole longanimis, & iudex omnium, his qui mansiones diversas, & loca comminiscuntur, mensura charitatis rursum erit mensura claritatis ipsorum, & mensura visionis tuæ, erit iterum portio magnificentiæ illorum, honos, deliciæ, & gloria, ad distributiones domorum, & mansionum admirandarum. Hoc tabernacula diversa, hoc multæ domus, hoc stolæ splendidissimæ multarum dignitatum, & coronæ distinctæ, lapilli, margaritæ, & flores immortales, novam habentes speciem, hoc lecti, stragulæ vestes, mensa, throni, & quidquid ad voluptatem iucundissimum est, erat, est, & erit, te solum intueri. Si igitur, vt suprà dicebamus, non videntes lumen tuum, nec abs te visi, sed separati, visione tua, omnia bona complectente privantur, vbinam requiem, vbi locum dolore vacuum invenient? vbi habitabunt, si recti non fuerint? etenim recti habitabunt cum vultu tuo. Formatus es enim in eorum recto corde, & habitant cum forma tua in te, Christe meus. Ps.139.

A O mira res, ô bonitatis donum inopinabile, in forma Dei esse homines, & formari in ipsis, quem nemo capit, Deum, cuius natura est invariabilis, & immutabilis, qui in omnibus se dignis habitare vult, vt quilibet in se totum regem, ipsum regnum, & ad regnum pertinentia habeat, & fulgeat, quemadmodum refulsit redivivus Deus meus, plusquam radij solis huius, quem cernimus. Et cùm astiterint ei, qui sic ipsos glorificavit, magnitudine gloriæ, & assiduo divinæ claritatis incremento admiratione attoniti manent. Nec enim vllis sæculis proficiendi finis erit: siquidem statio, seu cessatio incrementi finiret id, quod finiri nequit, & comprehensionem prorsus incomprehensibilis, satietatémque induceret illius, quo satiari nullus potest: sed plenitudo eius, & gloria lucis abyssus erit profectus, & sine fine principium. Et sicut qui habent Christum intus formatum, eidem, quanquam ita fulgenti, vt adiri nequeat, astant nihilominus: sic finis in ipsis, gloriæ est initium. Atque vt tibi sensum mentémque meam dilucidius exponam, in fine habebunt principium, & in principio finem. Plusquam plenum intellige mihi, & accessionis haud indigum, & qui currunt, eos finem infiniti non antevertere. Si namque transeat cœlum istud, quod videmus, & terra, & quæ in ea sunt omnia (contecta quod dixi) erit loci comprehensio, vbi finem invenies, non dico corporeum, sed animo plenitudinem mundi incorporei poteris comprehendere. Non est autem mundus, sed aër, sicut antea: nec aer, sed inenarrabilis (quod vniversum vocant) abyssus, fine carens penitus, æqualiter undique tota ex partibus vtrisque. Hoc omne divinitate repletum est. Qui ergo eius participes sunt, & in ipso habitant, quomodo totum complectantur, vt etiam saturentur? aut quomodo, dic mihi, finem infiniti capient? Difficillimum planè, & impossibile est. Nam neque hic in corpore sanctos degentes, neque illuc in Deo translatos talis omnino cogitatio subire potest. Obteguntur namque lumine divinæ gloriæ, illuminantur, & lucent, & oblectantur in his, & sciunt verè, omnique & plena fide, horum perfectionem infinitam fore. A Deo autem abiecti, miror vbi consistent, longè seiuncti ab eo qui ubique est. Et sanè, fratres, miraculum obstupescendum, & ad quod bene intelligendum mente illuminata opus sit, vt non incidas in hæresim, quasi divini spiritus sermonibus incredulus. In Omni vtique etiam hi erunt, revera autem extra divinum lumen, ipsúmque Deum. Vt cæci, lucente sole, & toti circumfusi lumine, tamen extra lumen sunt, cognitione, aspectúque ab eo seiuncti: sic est in Omni divinum Trinitatis lumen, & in medio sunt peccatores, tenebris præpediti, quo minus videant, vllámque divinitatis notionem ac sensum habeant: sed ardentes, & sua ipsorum conscientia condemnati, afflictionem inexplicabilem, & dolorem inenarrabilem per sæcula sempiterna sustinebunt.

## CAPVT III.

*Quomodo pater hic immutatus, purgatúsque, arctissime cum Deo coniunctus sit, & qualis ex quali evaserit, verba eius in hoc capite ad Deum amoris plena demonstrant. Ad extremum theologicè de angelis disserit. Principio orationis, more iustorum, accusator sui est.*

QVæ est ista, Salvator mi, immensa misericordia tua? Quomodo me impurum, me perditum, me fornicarium, fieri membrum tuum voluisti? Quomodo me stola lucidissima, splendore immortalitatis coruscante, & omnia membra mea lucida reddente vestivisti? Etenim corpus tuum immaculatum, divinúmque, non commistum, & commistum ineffabiliter, totum igne divinitatis fulgurat. Et hoc quoque donasti mihi, Deus meus. Deus namque huic sordido, & interitui obnoxio tabernaculo meo unitur corpus tuum incontaminatissimum, & sanguis meus permiscetur sanguini tuo, sat scio, unitus sum etiam divinitati tuæ, & effectus sum corpus tuum mundissimum, membrum fulgidum, membrum verè sanctum, membrum longe rutilans, pellucidum, & splendens. Video pulchritudinem, video splendorem, in speculo gratiæ tuæ lumen intueor, & inexplicabilem fulgorem obstupesco, & mente excedo, dum animadverto, qualis fuerim, qualis factus sim mirabiliter: & timeo, & revereor meipsum, & tanquam te revereor ac metuo, & perplexus sum, & omninò vereor vbi sedeam, cui appropinquem, & ubi membra tua reclinem, ad quæ opera, ad quas actiones tam venerabilibus, divinisque membris tandem vti debeam. F Da mihi quæ dico & loqui, & facere ô artifex, & fictor meus. Nam, si quæ loquor, factis non præsto, factus sum æs, acute, & frustra tinniens, & sonum pulsuum nihil sentiens. Sed tu noli me dimittere, noli derelinquere: neve sinas oberrare me Salvator meus, me, inquam, miserum, mendicum, ac peregrinum, & decem millium talentorum tibi debitorem: verùm sicut olim, ita & nunc facito. Tunc enim ab hæreditate, totáque terra patria, patre, fratribus, matre, domesticis, alienis, & cognatis omnibus, & amicis me peccatorem, & omnibus istis viliorem separasti, tuisque vlnis mundissimis complexus es, qui me adversus beneficia tua ingratum exhiberam: sic etiam nunc tu misericors misericordiam mihi tribue, sic, inquam, immo verò magis, ô Deus meus, & miserere mei, & custodi me, & non rectos animi mei impetus compesce, & ad omnem tentationem molestiamque vitæ huius, & quæcunque ipse mihi stulte creo, & in quibus me invida dæmonum natura tentat, & quæ imbecilles isti fratres mei pariunt mihi verbis & factis, adhæc, inquam, omnia patienter perferenda me idoneum redde. Heu me, quia membra mea consumunt me atque conficiunt, & propter eadem rursum doleo, trahórque à pedibus, qui locum capitis sortitus sum. Incedo nudis pedibus, & spinis compungor, cruciórque vehementer, nec cruciatum fero. Alter pedum meorum porrò procedit, alter iterum retrò convertitur, huc illuc trahunt, & rapiunt me, supplantor, & deorsum cado. Omnes igitur sequi non possum. Iacere malum est, & incedere sic improvidè deterius est, quàm iacere, quando omnes alias calamitates vincit. Domine, largire mihi luctum & compunctionem, & dignare me servire tibi, te colere, & servare sancta mandata tua in tenebris vitæ huius, & in mundo isto, qui tristitiæ locus est. Gratias tibi ago, cùm vitam mihi tribuisti, donastique vt cognoscerem, & adorarem te Deus meus. Hæc est enim vita, cognoscere te solum Deum, & conditorem effectorémque omnium, non natum, non creatum, solum absque principio, & filium ex te genitum, & procedentem ex vtroque Spiritum sanctissimũ, omnibus prosequendam laudibus trinam unitatem, quam adorare, & piè colere, quamvis aliam gloriam seu terrenam, seu cœlestem antecellit.

Quid enim Angelorum, quid Archangelorum, Dominationum, Cherubim, & Seraphim, cæterarúmque omnium cœlestium legionum gloria est, nisi lumen immortalitatis, nisi gaudium, nisi illuminatio vitæ ab omni fæce rerum humanarum purissimæ? nisi vnum lumen sanctæ Trinitatis divisum indivisè tripliciter, quod vnum est in tribus characteribus, incognitè cognitum quantum vult? Nec enim creatura creatorem sic totum potest cognoscere, vt ipse se secundum naturam suam cognoscit: sed per gratiam omnes angeli, omnisque creata natura eum videt, & intelligunt. Non comprehendunt, sed intelligunt, quatenus lumen cæcis, aut etiam planè videntibus manifestari, & ab iis cognosci voluerit. Nam oculus absque lumine non videt, sed vt etiam videat, à lumine accipit, quãdo

ab ipso quoque fabricatus est. Seu corporeum, seu incorporeum, omnia Deus fecit, quæ in cœlis, & quæ in terris & quæ in abyssis sunt. Et horum omnium una vita & gloria, unum desiderium, unum regnum, divitiæ, gaudium, corona, victoria, pax, & omnis decor non alius est, quam cognitio principij, & causæ, unde producta, & orta sunt omnia. Hæc est superiorum, inferiorumque connexio. Hæc ordo omnium quæ intelligentia percipiuntur. Hæc sub ectio omnium quæ aspectu sentiuntur. Hanc habuerunt angeli status sui firmitudinem, cùm sathanam & socios eius, opinione inflata, quam de semet habebant seductos, de cœlo cadere cernentes, cognitione, & timore aucti sunt. Qui enim huius tantum obliti sunt, etiam elatione voluntaria deciderunt. Contra, qui istuc cognoverunt, timori charitatique adhærentes, exaltati sunt. Unde cognitio dominicæ potestatis charitatem quoque amplius fervit, quoniam plures etiam coruleum Trinitatis fulgorem manifestius videbant, & istuc rursum omnem in aliam cogitationem excludebat, immutabilesque faciebat eos, qui ab initio mirabilem naturam acceperant, in sublimitate cœlestium permanentes.

## CAPVT. IV.

*De vero monacho, & eius officio. Ad quantum contemplationis fastigium ipse ascenderit.*

QVicunque monachus est, mundo se non miscet, & cum solo Deo perpetuò versatur. Videt, & videtur amat, & amatur. Fit lumen, lucens quantum verbis declarari non potest. Prædicatus, magis se mendicum reputat, & conciliata sibi multorum amicitia, instar hospitis ac peregrini est. Hem novum prorsus, & quod non possis satis eloqui miraculum. In immensis opibus pauper sum: & cum possideam plurima, nihil habere me puto, & in aquarum copia sitire me profiteor. Et quis mihi suppeditabit, quo abundo? & ubi inveniam, quem quotidie cerno? & quomodo potiar eo, qui in me, & extra mundum est? prorsus enim non videtur. Qui habet aures audiendi, audiat, probe verba illiterati intelligens.

## CAPVT. V.

*Doctrina ad monachos, qui recens mundo, & iis quæ in mundo sunt, nuntium remiserunt. Qualem fidem quis erga patrem suum spiritualem gerere debeat.*

MVndum totum, & homines huius mundi desere, solúmque beatum luctum assume, & tantum commissa abs te peccata lamentare: quoniam ista te omnium conditore Christo, & societate Sanctorum eius spoliaverunt. Præter hæc nihil tibi curæ sit. Quinetiam corpus tuum ut ignotum ac peregrinum habeto, & oculos, veluti condemnatus, & ad mortem excipiendam procedens, humi demitte. Ab imo pectore duc gemitus assiduò, & faciem tuam lachrymis duntaxat prolue, pedes, qui ad malum cucurrerunt, neutiquam velis aliquando aqua abluere. Sane verò etiam manus tuas contractas habe, easque impudenter ad Deum ne extende, quas ad peccatum sæpenumerò extendisti. Linguam lubricam coerce pro virili: est enim ipsa facilis ad peccatum, & per ipsam solam etiam multi, & magni viri à recto itinere aberrantes, regnum cœlorum perdiderunt. Sed ante sepi aures tuas, ut nihil turpe ac vanum audiant: tum fortasse & huic imperabis. Patris tui admonitionibus tantummodo ausculta, ei humiliter responde, & non secus quam Deo cogitata mentis tuæ, usque ad primos motus detege, nihil illum cela, nec aliquid eo nolente incipe, neve eo invito dormi, neve comede, neve bibe. Cum hæc ad tempus præstiteris, nihil eximium præstitisse te iudicabis. In sudore tu quidem, & lassitudine seminasti, nondum tamen laborum tuorum fructum collegisti. Ne fallare igitur, aut quod quæris, te invenisse credas, priusquam spirituales oculos acquisieris, & aures cordis tui lachrymis tuis, elutis inde sordibus purgaveris spiritualitérque videas, & audias, & sensibus penitus immutari incipias. Videbis enim complura, quæ efferri nequeunt, & audies longe plura, eaque ingentia, quæ lingua exprimere non poteris. Mira igitur, & veneratione digna res, spiritualiter audire, & spiritualiter quoque videre, miraculorum maximum. Talis homo nihil cum carne coniunctum vitium cogitat, & terram calcat, ac si per aerem ingrederetur, omniaque ad ima tartara usque cernit, & quæ facta sunt, perspicit omnia. Deum cognoscit, timore percellitur, & ut conditorem precibus veneratur, atque glorificat. Magnum est porrò nosse, quàm latè pateat, & quale sit eius imperium: quod quanquam omnes nosse se existiment, errant tamen plurimi, ne dubita. Soli illuminati istuc norunt: reliqui universi (o tenebrarum ignorantiæ) ipsis quoque dæmonibus maiore versantur in caligine.

Cæterùm, ô Domine & molitor omnium, qui me è terra mortale animal creavisti, & gratia immortali honorasti, dedistique vivere, loqui, & moveri, & celebrare laudes tuas universorum Domini, ipse tu, da mihi misero ante te prosterni, & rogare conducentia. Etenim quemodo in hunc mundum productus sim, & quid ista sint, quæ homines esse rentur, ego nescio. Quæ sit visio mea, ô Deus meus, quid quæ aspiciuntur, scire nequeo. Quid ita stulti atque inanes sumus homines universi, & de rebus iudicamus perperam? Heri primum veni, cras recedo, & me hic immortalem fore arbitror. Palam me habere te Deum confiteor, factis autem te nego quotidie. Doceo te auctorem esse omnium, & sine te habere omnia contendo. Tu superis, & inferis imperitas, & ego solus tibi reniti, & adversari non horresco. Da inopi, da miserrimo omnem animæ nequitiam abiicere, quam inflatio, & vana animi elatio heu me simul comminuunt, & conterunt. Præbe humilitatem, præbe manum opitulatricem, & abstergo maculas animæ meæ, & suffice mihi lachrymas pœnitentiæ. Desidero lachrymas, lachrymas salutis, lachrymas eluentes fuliginem animæ meæ, meque reddentes clarum ac lucidum deintegro, volentem te videre lumen mundi, lumen oculorum meorum, meorum, inquam, miseri, qui cor multis huius vitæ malis, & incommodis plenum gero, ex persecutionibus, & invidia eorum, qui in exilio mihi curando tragœdiam quandam dederunt: aut ut verius dicam, benemerentium, dominorum, & verè amicorum meorum. Quibus, Christe meus, pro malis bona rependе sempiterna, ditia, & divina, quæ te diligentibus, & ex animo desiderantibus in sæcula sæculorum constituisti.

## CAPVT. VI.

*Præceptiones, quibus tyro monachus seu ducibus, & etiam munitis, ad perfectionem status sui contendere docetur.*

A Christo, & ferventi fide ducto principio, sic à mundo secede, & fuge cognatos cum amicis (id enim commodat incipientibus) & nudus à mundanis, & materialibus rebus, ad eum qui materia vacat te confer, quo nullum maius auxilium invenies. Pusillanimitatem omnem abs te repelle: ad potentem quippe Dominum confugisti. Quin potius non dubia spe concepta, Domini, etiam passerculorum

A curam gerentis leve iugum porta: magna enim nos manet in futurum retributio. Ille nos omnes mortales gratis salvat, quandoquidem sacrosancto ipsius sanguine empti sumus. Et iugum illud virtute vocantis Deos nos facit. Hoc enim voluit incarnatio Domini, vt opere exitus operum cognoscas. Quod omnimodis mirabilius est his quæ videntur, præclarum tibi lucrum tuarum amputatio voluntatum, vnde te martyrem esse cognoscas. Quæ tibi verbis præcipit pater tuus, ea facito: ducunt enim ea te per viam citra offendiculum usque ad mortem. Magna est hæc sublimitas, & Deum quoque id propter te fecisse constat. Statue te uilissimum esse omnium, quod tibi primas in regno cœlorum conciliabit. Puta te peregrinum, mendicum, & abiectiorem aliis. Magni hæc momenti sunt, si ea rectè præstiteris. Omnino imitator esto Domini, quo nihil potest cogitari melius. Luctu quotidiano bene procedunt omnia, & is cibo ac potione dulcior est, fluentium, stantiúmque cognitionem docet.
B Ante enim à toto mundo seiungit, & bonorum quæ diximus custodem silentium exercet. Radices omnigenas affectionum malarum vt inutiles evellit. Memoriam mortis iugem habet. Idem humilitatis effector est. Ab his cor purgatus & illustratus (mira res) quod ab omnibus exquiritur, divinum lumen qui præclarè videas, dignus eris. Telum est enim immateriale ex immateriali. Christus autem est perfecta charitas, qua qui præditus est, adoptione Deus est. Et ea animas se inquirentes illuminat, quæ solæ vivent, ne quis erret: (ò charitas Deus, & deificans) quæ res stuporem habet, & investigatu est difficilis.

## CAPVT VII.

*Amorem suum erga Deum declarat.*

C VT ignis es scaturiens, aqua irrorans, & vris, & dulcedine affluis, & corruptionem tollis? vt homines Deos facis, tenebras lumen reddis, ab inferis reducis, mortuos immortalitate donas? vt tenebras in lucem producis, noctem pugno concludis, cor circumfulges, me totum immutas? vt te coniungis hominibus, Dei filios facis, amore tui inflammas, adoptione & gratia tua, per spiritum tuum, distantia, vt Deus, admirabiliter copulas?

## CAPVT VIII.

*Quibus manifestetur Deus, & in quibus per obseruationem mandatorum eius, boni habitus insit.*

D QVomodo tu, qui es absconditus, inspectas omnia? Quomodo nobis non cerneris, & nos cernis omnes? Veruntamen, non omnes quos vides, etiam agnoscis: sed diligentes te, eos solos pro amicis agnoscis, & iis excellenter te manifestas solem absconditum. Omnes mortales fornicarij, adulteri, decoctores, peccatores, publicani, dum pœnitentiam agunt, divinæ lucis tuæ filij evadunt. Lux autem omnino lucem generat: itaque & ipsi lux sunt, filij Dei, vt scriptum est, & dij per gratiam, quotquot divina mandata tua probè servaverint. Quicunque mundi vanitates, & imposturas valere iusserint. Quicunque parentes, & fratres sine odio oderint, peregrinos se, & viatores in hac vita arbitrati. Quicunque divitiis, & pecunia sese nudaverint, illarúmque affectum penitus abiecerint. Quicunque inanem gloriam, humanásque laudes ex animo, propter cœlestem gloriam repudiaverint. Quotquot propriam voluntatem perfectè extirpaverint, & quemadmodum oves innocentes erga pastorem se gesserint. Quicunque corpore ad quamlibet actionem pravam mortui, virtutum labori
E insudaverint, & ex sola moderatoris sui voluntate vixerint, obedientia mortui, iterúmque viuificati. Quicunque timore Dei, & recordatione mortis, in singulos dies & noctes lachrymas fuderint, & secundùm intellectum ad pedes Domini procumbentes, misericordiam, & veniam delictorum flagitaverint. Hi bonorum omnium exercitatione, & usu habitum boni adipiscuntur, lugentésque quotidie, & perseveranter pulsantes, misericordiam consequuntur. Hi crebris obsecrationibus, gemitibúsque inenarrabilibus, & lacrymarum fontibus animam expurgant, quam purgatam videntes, incensum desiderium eam plenè expurgatam videndi concipiunt. Quoniam autem finem lucis invenire non valent, omnis purgatio ipsis imperfecta est.

Quantumcunque enim purgatus fuero, & nituero miser, & quantumcunque a me visus fuerit, purgans me Spiritus, semper mihi & purgationis, & visionis principium videtur. In profundo enim infinito, in al-
F titudine immensa quis medium aut finem invenerit? Multum esse scio, sed quantum sit, nescio. Plus plus desidero, & continenter gemo, quia exiguum est, quod datum est (etsi multum esse opinor) ad id, quod procul à me abesse suspicor, quod cernens concupisco, & nihil habere me existimo, planè donatas mihi opes non sentiens; nec quòd solem intueor, id reputo. Quonam modo? audi, & crede. Quod ego aspicio est sol, cuius mihi sensus supra quàm dici potest iucundus, animámque mirifico, & divino amore trahit. Ipsa cernens vritur, & ardet amore, ac totum quod apparet, intra se habere cupit; quod cùm nequeat, ob id contristatur, & videre, lustraréque non esse bonum iudicat. Quando igitur qui cernitur, & à nemine capi potest, & revera inaccessus est, afflictæ, & humiliatæ animæ meæ misereri voluerit, repentè qualis à
G me videtur ante oculos fulgens, talis totus in me coruscare cernitur, & totus omni gaudio, omni desiderio, & dulcedine visionis me humilem complet. Repentina est hæc mutatio, peregrina hæc variatio, nec verbis describi potest, quod in me peragitur. Si enim solem hunc, quem omnes contuemur, intra cor suum descendisse quispiam, & totum id inhabitantem, & æquè lucentem vidit, nonne miraculo attonitus, & pœnè exanimis fuit, & omnes qui eum viderunt, obstupuerunt? Iam qui solis creatorem instar luminaris huius in se splendentem, operantem, loquentem cernit, quomodo aspectu non obstupescet? quomodo religione non perfundetur? quomodo non diliget, à quo vitam accepit? Homines sibi similes homines diligunt, quando præstare nonnihil aliis videntur. Ast omnium conditorem, solum immortalem, omnimodis potentem, quis visum non amabit? Ex sola auditione multi fidem habentes eum dilexerunt, & vitam eius causa posuerunt sancti, & viuunt nihilominus. Ast qui visionis,
H & luminis eius participes facti sunt, cogniti ab ipso, & cognoverunt ipsum, quomodo non amabunt quæso? quomodo propter eum non lugebunt perpetuò? quomodo non mundum, & quæ in mundo sunt contemnent? quomodo non omnem honorem, & gloriam despicient, qui omni gloria terrestri, omni honore maiores, eum, qui est extra terram, & extra omnia aspectabilia, immò verò qui condidit aspectabilia universa, & gloriam immortalem invenerunt, & acceperunt, citráque defectum omne bonum inde habent? Quin & omnem appetentiam, omne desiderium sempiternorum bonorum, rerúmque divinarum, ex eodem fonte semper viuente, tanquam divitias hauserunt; quo & nobis, Domine, abundanter satiari concede, & omnibus amantibus, & quærentibus te ex animo, vt & ipsi nos cum sanctis tuis æterna fœlicitate in omnia sæculorum spatia oblectemur. Amen.

Psal.

CAPVT

A

## CAPVT IX.

*Spiritus sancti compotem, ab eiusdem lumine rapi, & supra omnes perturbationes ferri, nec earum contactu lædi.*

PRô prô Domine omnipotens, quis tua inaspectabili pulchritudine satiabitur? quis tua incomprehensibilitate implebitur? Quis cùm pro eo ac decet, in mandatis tuis ambulaverit, etiam vultus tui lumen aspiciet? Magnum quoddam, & admirabile, & quod omnino intelligentiæ vim superet, in hoc gravi, & tenebroso mundo viventem, auferri è mundo cum corpore. Hem mysterium inauditum. Quis parietem suæ carnis transgressus est? Quis pervasit
B corruptionis caliginem, totóque mundo deserto latuit? Papæ, quàm facilis ista cognitio, & non subtilis oratio? Vbi latuit, qui mundum traiecit, & extra
1.Cor.1. omnia, quæ videbat, se extulit? dic sapientia sapientum reprobata, ne dicam, à Deo stulta facta, vt inquit Paulus, & quilibet Dei servus. Hic est vir concupiscens spiritum. Hic corpore corpori appropinquans, potest spiritu sanctus esse. Extra mundum enim, & hæc corpora non est appetitus carnalis affectionis, sed vacuitas passionum, quam qui dilexit, & ex ea dilectione vitam lucrifecit, eum, etiamsi indecorè se gerentem, & ad actionem huiusmodi quasi transfugam se conferentem videas; scito id corpus mortuum facere. Non dico corpus sine anima, quæ illi motum affert, sed sine mala cupiditate. Voluptas enim præclaræ *divitiæ*, & quod exinde
C incredibili quodam modo me diligit lumen, totam mihi mentem percelleris abripit, ipsámque nudam continens immateriali manu, non me sua claritate excidere, aut aliquid cum vitiosa motione coniunctum cogitare patitur: sed complectitur continenter, & animam meam torret amor, nec est in me sensus alius. Quanto enim mundissimus panis furo pretiosior, & suavior est, tanto amplius, & sine comparatione amplius superna infernis præstant: apud illos, qui ea bene gustaverunt. Erubescat sapientum sapientiæ, veræ cognitionis expers. Simplicitas enim nostrorum sermonum reipsa legitimam sapientiam possidet, quæ consuetudine divina fruens, illum adorat, à quo omnis sapientia in hac vita donata est, per quam refingor, aut etiam deitate afficior.

## CAPVT X.

D

*Tristitiam ex obitu charorum etiam robustiores attingere.*

REm novam, & obstupescendam audivi. Naturam, cui nihil cum rebus caducis commercij, lapide, cui nomen adamas, solidiorem pati potuisse. Qui lapis cum nec igne, nec ferro mollescat, plumbo implicatus, cera fit mollior. Modò credidi guttas aquæ longo spatio in petram cadentes, eam cavare. Et profectò nihil est in vita immutabile. Nemo me ex occursu iudicet. Væ, fugacia huius vitæ bona tanquam firma, & valida intuenti, & lætanti in illis. Eadem illi usu venient, quæ mihi misero. Nox me à fratre dulcissimo, interrupto charitatis indiviso lumine separavit.

E

## CAPVT XI.

*Deum sibi sicut Paulo, & Stephano Apostolis visum, cum stupore commemorat.*

QVæ huius miraculi novitas, quod & nunc patratur? Deus etiam hodie à peccatoribus vult conspici, qui iam olim ascendit, & in cœlis paterno in throno considens est absconditus. Abstulit enim se ab oculis sanctorum Apostolorum, vt audivimus, & solus postea Stephanus cœlos apertos vidit, ac dixit: *Video* Act.7.
*Filium stantem à dextris gloria Patris.* Atque idcirco ab ipsis legis doctoribus lapidibus obrutus, pro naturæ conditione moritur, & vivit ævo sempiterno. Ve- F
runtamen erat ipse Apostolus, & erat sanctificatus, & sacrosancto Spiritu vndique plenus. Initio autem promulgatum est Evangelium multitudini infidelium, qui Apostolorum opera in Christum credentes, etiam gratiam fidei donum acceperunt. At enim nunc res nova hæc quæ in me fit, quidnam sibi vult? Quid his quæ in me perpetrantur ita obstupesco? quis hic benignitatis modus, quem experior? Novæ divitiæ bonitatis, alius fons misericordiæ, multò plus, quam olim effundens. Multis enim ex benignitate Dei misericordia impertita est: veruntamen & ipsi proprium quiddam, fidem nimirum afferebant, cum aliis virtutibus, probatisque actionibus. Ego verò his omnibus me carere perspicio, & scio, & ferre nequeo, quæ in me ab vtero matris deploratum fiunt à Deo, qui ver- G
bo omnem naturam procreavit, quæque & animo cogitare reformido, nedum vt ea scribere audeam. Nam quænam manus huic rei inserviet? quis calamus extabit? quis sermo eloquetur? quæ lingua renuntiabit? quæ labra expriment, quæ in me cernuntur fieri, & tota die perfici? Etenim & in ipsa nocte, & in ipsis tenebris cum tremore Christum cœlos mihi aperientem video, ipsúmque prospicientem, & in me deorsum intuentem, cum Patre, & Spiritu, lumine ter sancto. Vnum igitur in tribus, & in vno tria ipsum lumen planè est, & lumen unum tria, quod & plusquam sol animam meam irradiat, & mentem tenebris offusam illustrat. Si enim vidisset mens mea, ab initio vidisset. Sed cæcus eram, mihi credite, nec videbam, atque ideo miraculum magis me obstupefacit, cum oculum mentis aperiat, & quodammodò videre det, & est ipsum quod videtur. Ipse enim lumen in lumine apparet videntibus, & qui in lumine vident, ipsum rursum vident, in lumine enim spiritus vident, qui vident, & H
in hoc videntes, filium perspiciunt. Qui autem dignus est habitus, videre filium, patrem quoque videt. Patrem autem videns, cum filio omnino videt, sicut & nunc, vt dictum est, in me fit. Et non intelligibilia aliquantum intelligo: & nunc pulchritudines propter lumen inaccessibile, propter gloriam non sustinendam incontemplabiles procul aspicio.

Attonitus fio vehementer, & tremore corripior, cùm nisi vnam guttam ex abysso videam, universitas autem aquarum, vt in gutta demonstratur, quanam qualitate & specie sit: sicut ex fimbria totum textum, & vt aiunt, ex vngue leo. Sic totum in parvo amplexans video, ipsúmque illum Christum, & Deum meum adoro. Solabatur autem me nonnihil, quod non devorarer, quod non comburerer, velut cera à facie ignis, vt dixit Propheta, quia longè distarem à lumine Psal.67.
inaccessibili, & consisterem in mediis tenebris, & his occultarer, vnde velut per modicum foramen prospiciens, vertiginem patiebar. In his dum vivo, mentemque distineo, & quasi in cœlum me puto suspicere, timeóque, ne propior mihi factus me affliet, ipsum illum inveni, quem Stephanus cœlis apertis vidit, & postea Paulus cùm vidisset, excæcatus est, totum profectò vt Act.9.
ignem in medio cordis mei. Quamobrem miraculo

A tremefactus, & trepidus valde, & solutis viribus, de mente decessi, totus hæsitabundus. Non sustinens autem immensam gloriam, in nocte harum notitiarum aversus aufugi, tectúsque cogitationibus, in his velut in monumentum ingressus, & pro lapide hoc crassissimo corpore superposito, obtectus sum, & absconditus opinione mea à præsente ubique, qui olim mortuum ac sepultum me excitavit. Tremens enim, & non potis videre eius gloriam, subire elegi potius, & manere in sepulchro, & habitare cum mortuis, vivens ipse in sepulchro, quàm vt igne illo combustus funditus perirem. Ibi sedentem me desperatum, omnino sine fine lamentari, & plorare oportet, quia desiderato frustratus, nunc in monumento delitesco. Vivens autem mortuus sub terra, & lapide contectus, vitam inveni Deum ipsum, qui vitam dedit, cui sit B gloria, & honor in sæcula.

## CAPVT XII.

*De unitate omnimoda [illegible] deitatis; & in quibus se aliquid esse dicunt, humilians se hac confessione, & arrogantiam pudefaciens.*

QVomodo, quæ aliquando in me delevisti, Deus meus, reviviscunt, méque cruciant, & tenebras mihi faciunt? perturbationes, inquam, iræ, & excandescentiæ, vnde vapor, & caligo invadunt caput meum, cæcantúrque oculi intelligentiæ meæ. Etenim velut connivere, & occludi coguntur, & tuo spolior lumine; quod cùm nemo non desideret, pauci tamen exquirunt. Quin etiam quos tuis arcanis dignatus es, & ad materialem communionem cum sensu non materiali, ineffabilium, & omnibus tremendorum mysteriorum tuorum admisisti, & dedisti eis vt cognoscerent invisibilem in visibilibus gloriam, novúmque C mysterium in mundo factum (admodum pauci sunt, sat scio, qui hæc liquidò apud animum suum contemplati fuerunt) ab eo, qui est in principio, ante omnia sæcula, ex Patre, cum Spiritu sancto, Filio & Verbo Dei.

*Deest in utroque exemplari pagina fortasse una.*

&c. in me producunt bestias, & dracones mihi nascuntur, & reptilia, & serpentes, membra animæ meæ vexantes semper. Vana quippe, & inanis gloria mordet me, & dentes infigit in cor meum, ex quo infirmo iam, & planè fracto me canes feroces exciterunt, & ferarum multitudo. Cúmque iacentem invenissent, comederunt me. Deliciæ enim, & laudes humanæ emedullarunt, & enervarunt animam meam, abstulerúntque mihi robur, & alacritatem meam. Heu me, qui scribam omnia? Magnifica autem opinione de me ipso, inertia, voluptate, cura hominibus placendi, D tanquam latronibus mihi impositis, vtrinque trahentes, distraxerunt me. Et hæc quidem ablata sobrietate & temperantia; hæc verò opera bona, & actiones secundùm Deum, vt à seipsa profectas ostentans, mortuum me reddiderunt. Dic, amabo, an non miserabile, & miseratione dignissimum est, cum tam multæ affectiones, & impetus turbulenti in me repente irruerũt, & omni virtute exutum ac despoliatum interemerunt, rursum me ipsum nescio, & nihil eorum quæ mihi contigerunt agnoscens, statuo me maiorem omnibus, & vacantem perturbationibus, & virum sanctum, & sapientem, eximiúmque theologum, & iure venerandum ab universis mortalibus. Sed & cùm laudor, vt laudem meritus, omnes advocans, ab iis mihi honoris testimonium colligendum puto. Congregatis enim illis, ego amplius intumesco, & crebrò circumspicio, ne fortè quis absit, qui me non videat. Quod si fortè quispiam limis oculis me aspexerit, malignor, & convitior, & de illo detraho, vt & ipse his auditis, convitiorum meorum impatiens veniat, me salutet, meæque fidei, mearúmque precum, & charitatis E indigus appareat. Quod de reliquis omnibus dico. Venit alius, & benedictionem meam reportat, sermones, & doctrinam meam auscultat. Prò stultitiam meam. Quomodo nuditatem ac miseriam meam non cerno, & plagas non sentio, non tristor, non fleo, nec sanationem quæro, in nosocomio iacens, nec accerso medicos, ostendens vibices meas, & detegens illis etiã occultas animi mei ægritudines, vt sicca emplastra, & vitoria imponant, quæ fortiter sanitatis recuperandæ causa sustineam: sed potius addo vulnera quotidie?

At tu, ô Deus meus, miserere mei, qui deceptus sum & erravi; & timorem tuum insere in cor meum, vt secundùm mandata tua mundum fugiam, & oderim, & salubri metu contraham me sapienter. Ne sinas, Christe, me in medio illius oberrare vagarique; nam te solum, hactenus non dilectum, diligo, & tua F solùm præcepta me servaturum confido, qui totus sum in vitiis, nec cognovi te. Quis etenim te cognovit, & mundi gloriam desiderat? aut quis te amat, & præter te aliud quærit? nempe vt omnes ad se laudandum, & admirandum advocet; aut quibusdam aduletur; aut omnium amicitias sibi conciliare studeat. Hæc nullus servorum tuorum germanorum fecit; & hoc est, quod me cruciat, & in tristitiam dat, Deus meus, quia video me in his servitute subactum, nec persuaderi in alteram partem, nec humiliari possum, nec tuam solius gloriam quærere instituo, per quam demonstrer fidelis, ac servus tuus, & per quam (præcipuè in vilitate, & mendicitate, ac laboribus) non potentioribus modò, sed & regibus queo fieri sublimior. Flectere igitur, Deus omnium opifex, ad tribuendam misericordiam animæ meæ, qui bene vt essem, dedisti mihi, & cognitionem veram largire, vt bonis tuis æternis, & solis sciens & prudens inhæream, gloriámq; tuam ex animo diligam, & quæram, humanam ac terrenam neutiquam curem, vt tibi nunc, & post mortem coniungar, & merear regnare tecum, qui mea causa G ignominiosam necem es perpessus, & omnem œconomiam implevisti. Tunc mortalibus universis ero illustrior. Amen, ita fiat, Domine, nunc & in sæcula.

## CAPVT XIII.

*Ad pœnitentiam cohortatio, & quomodo voluntas carnis voluntati spiritus copulata, hominem Deo similem reddat.*

ILlacrymo, & compungor, cùm mihi lumen fulsit, videóque mendicitatem meam, & cognosco ubi sum, & qualem mundum incolam, mortalis mortalem, & interiturum scilicet. Delector verò, & gaudeo, quoties statum meum, & concessam mihi à Deo gloriam perspicio, ac me velut angelum Domini totum indumento non materiali ornatum coniecto. Gau- H dium igitur, largitoris, & immutantis me Dei desiderium in me exsuscitat, desiderium lacrymarum fluenta procrudit, & me uberius illuminat. Audite, qui in Deum, vt ego, peccatis; elaborate & currite in bonis operibus, vt comprehendatis, & complectamini ignis materia vacantis materiam (cùm dico materiam, divinam tibi naturam significo) & accendatis intellectualem animæ lampadem, vt fiatis soles, in mundo collucentes, & nequaquam visi ab his, qui in mundo sunt. Vt sitis sicut dij, totam Dei gloriam intra vos possidentes, in duabus essentiis, duabus omnino naturis, duplici functione, gemina voluntate, quemadmodum Paulus clamat. Alia est siquidem fluxæ carnis voluntas, alia spiritus & animæ meæ: veruntamen non triplex, sed duplex, vt homo, sum. Anima mea corpori meo inexplicabili vinculo colligata est. Attamen vtrumvis congruenter sua quærit, corpus, comedere, bibere, dormire; quas etiam carnis terrenæ voluntates appellò. Quod postquam ab anima separatum fuerit, Rom. 7.

A fuerit, nihil appetit huiuscemodi: sed mortuum, sine sensu, instar luti est. Totam animæ hominis voluntatem, unam esse puto. Qui ergo suam divino spiritui coniunxerit, Deo similis evasit; Christo in pectus accepto, Christianus à Christo est, Christum formatum in seipso, incomprehensum, solum, & revera omnibus conditis naturis inaccessum planè in se continens. Sed ô natura intemerata, essentia occulta, ignota benignitas plurimis hominibus, misericordia quæ non videtur à stultè viventibus invariabilis, insecabilis, ter sancta essentia, simplex lumen, & carens specie, minimè compositum, incorporeum, quodque à nulla natura capi, atque comprehendi potes, quomodo, ô rex, oculis humanis obiectus es ut ego, cognitus ab his qui in mundo sunt, gestatus sanctæ matris tuæ manibus, ligatus ut homicida, passus ut maleficus, dum me prorsus saluare vis, & in paradisum B gloriæ denuò reducere. Hæc est œconomia tua, hæc causa adventus tui, hæc misericordia, & humanitas tua, omnibus mortalibus nobis exhibita, fidelibus, infidelibus, ethnicis peccatoribus, & sanctis. Facta est enim apparitio tua in carne communis omnium vivorum ac mortuorum salus & redemptio.

Quod autem in me perdito occultè, & seorsum in ignorantia cognoscibili mihi quidem certè, aliis autem non, perfectum est, quæ lingua eloquetur? quæ mens interpretabitur? quis sermo enunciabit, ut & manus mea litteris exaret? verè enim tremendum, tremendum est, inquam, nec satis dici potest, quod à me videtur lumen, quod mundus iste non habet. Et diligit me, qui in hoc mundo non est. Et ego in medio cellæ meæ video illum, qui extra mundum est. Super lectulo meo sedeo, & extra mundum versor. Eum autem qui semper est, & tamen genitus est video, qui cum & loquor, audeoque dicere, amo, quoniam ille me amat. Sola eius contemplatio præclaræ C mihi dapes & nutrimenta sunt; illique unitus supra cœlos scando, Et hoc verum ac certum esse scio. Vbi autem hoc corpus tum sit, nescio. Scio descendere, qui est immobilis. Scio à me videri, qui natura est inaspectabilis. Scio, qui ab omni creatura longè distat, ab eo accipi, & inter ulnas eius, abscondi, & tunc extra totum mundum me inveniri. Vicissim ego mortalis, & in hoc mundo parvus atque exiguus, intra me creatorem mundi totum aspicio: & dum intra vitam sum, totamque vitam intra me vigentem, & florentem complector, me non moriturum scio. In corde meo est, & in cœlo non deest: hic & ibi à me cernitur æqualiter corruscans. Quonam autem modo intelligentia satis consequar, quo pacto hæc fiant? aut quomodo tibi enarrare potero, quæ intelligo, & video? Sunt enim profectò effatu impossibilia, & universè inenarrabilia, quæ oculus non vidit, nec auris audivit, & in cor carnale non ascenderunt. Gratias ago tibi, Domine, quoniam misertus es mei D & donasti mihi, ut hæc viderem, & conscriberem, posterisque meis prædicarem benignitatem tuam; ut & nunc sacra hac doctrina imbuantur populi, tribus & linguæ; quòd omnium fervidè pœnitentium misereris; sicut Apostolorum tuorum, & omnium sanctorum misertus es. Benefacis illis, eos honoras, & glorificas, Deus meus; ut cum desiderio multo, & timore te exquirentes, & ad te solum mundi opificem conversos, quem decet gloria, honor, imperium, maiestas, ut regem, & Deum, ac Dominum universi, nunc & innumerabilibus sæculorum ætatibus, Amen.

E

## CAPVT XIV.

*Gratiarum actio ad Deum; propter dona quibus ab eo dignatus est. Præpositura, ac sacerdotij dignitatem ipsis quoque angelis venerabilem, ac suspiciendam esse.*

EGo, Domine, etiamsi loqui velim, non possum. Quid enim tandem loquar, cum consiliis, actionibus, & omnibus cogitationibus immundus sim? Nihilominus, vulnerata est anima mea, & intus ardeo, cupiens te alloqui saltem aliquantum, Deus meus. Video enim memet, quod scis, & video, quomodo membra omnia corporis & animæ meæ ab ipso ortu inquinaverim, totus peccatum. F

ANNOTAT. Humilitatis & religiosæ modestiæ sunt istæ voces; similes illi Davidicæ. *Non est sanitas in carne mea.* Et, *Lumbi mei impleti sunt illusionibus.* Inquinantur membra corporis per peccatum; quatenus sunt instrumenta hominis peccantis. Et ille homo fit totus peccatum; qui omnibus suis pœnitentiis & membris ad peccatum abutitur; nimirum quando immensitatem seu exsuperantiam rei alicuius denotare volumus, tum abstracta vocabula subiecto tribuimus. Vt cùm aliquem ob eximium animi candorem, *totum candorem* nominamus. Quò pertinet etiam illius oratio, qui dicebat, luscimiam nihil aliud esse, nisi *vocem*. Hæc annotaverim, ne quis ex Hæreticorum grege in hunc locum incidens, exultaret ὡς ἄνευ εἰς ἄχυρα ἐμπεσὼν, ratus se reperisse stabilimentum delirio suo de peccato originis etiam post baptismum in homine remanente, eumque, ut fermentum massam, miserabiliter inficiente & corrompente, ita ut nihil sit quod ab G hac lue vacet.

Considero misericordiam, benignitatem, & multa bona tua, quæ in me operatus es, & obmutesco, propemodumque despero, & affligor continenter, ac tristor infelix, quia omnibus bonis tuis indignus sum. Cùm porrò in meipsum descendens, multitudinem peccatorum meorum apud animum reputo, mecumque cogito, nec unum saltem opus bonum in vita suscepisse me, & pro suppliciis, quæ ex iusta ira tua sustinere debebam, ut qui te sæpius offendissem, plurimis potius beneficiis abs te humaniter cumulatum esse, in desperationem adducor, quandoquidem adhuc quotidie errata erratis adiicio; & ne multam miserationem benignitatemque tuam ad maius supplicium mihi imponendum vertas formido; quoniam quò pluribus meritis abs te ornor, eò magis ingratus sum tibi ego, boni Domini servus improbus. Omnia igitur alia incommoda, Domine, patientiæ mihi erant, spem æternæ vitæ suggerentia, cuius rei causa gaudebam sæpe, quod H solus nosti, confisus clementia & misericordia tua. Ob hoc enim ex toto mundo elegisti me, atque ab amicis, cognatisque seiunxisti, ut mei misertus, saluares me. Hoc certa fide persuasum habens, à gratia tua gaudium carpebam inexplebile, & solida spe sustentabar. De duobus autem illis extremis quid dicam nescio, quæ tibi, rex meus, in me fieri complacitum est, quæ animæ, ac menti privationem afferunt, functionesque, & intelligentias omnes impediunt. Quin & magnitudine gloriæ tuæ gravant, & fermè commovent me ad cessandum, ut nihil loquar, nihil faciam, nihil horum attingam.

Æstuo, & admirans contristor, quod ad res tales, tam sacrosanctas me dederim, ut servirem, & liturgum agerem in iis ego miser, quæ intueri liberè angeli verentur; prophetæ cum timore cognoverunt, simul de gloriosa, & incomprehensa œconomia audiverunt Apostoli, martyres, & doctorum chorus clamant, & vociferantur, se indignos palam prædicantes. Ego

A autem perditus, ego fornicator, quomodo fratrum Rector, divinorumque mysteriorum Sacerdos, & Trinitatis immaculatæ minister sum. Quando enim panis ponitur, & vinum hauritur ad corpus, & sanguinem tuum, ô Verbum, conficiendum, ibi ades tu ipse, Deus meus, & hæc verè corpus tuum, & sanguis fiunt, superventu Spiritus sancti, virtuteque altissimi, & Deum inaccessum, vel potius habitantem lucem inaccessibilem non solum huic naturæ humanæ, & corruptioni obnoxiæ, sed etiam omnibus, quæ ratione intelliguntur, angelorum agminibus, audemus contingere. Hoc igitur arcanum, hoc supra naturam opus, & hæc actio, ad quam obeundam delectus sum, suadet ut mihi uti mortem, ante oculos proponam. Vnde posthabita lætitia tremore concutior, cum sciam nec me, nec quemvis alium pro dignitate posse λειτουργεῖν (sacrificio fungi) & vitam
B adeò angelicam, immò plusquam angelicam in corpore traducere; ut quemadmodum ratio docet, & veritas habet, pro eo ac dignum est, familiarior ipsis angelis Deo fiat; utpote & manibus tractans, & ore absumens, quod illi augustè venerantur, & cum tremore circumsistunt.

Iudicium autem fratrum, quibus moderandis sum præpositus, quæ anima portaverit? quæ mens sufficiet, citra ullam reprehensionem gubernare cuiusque animum, & cuncta quæ sui officij sunt, sine defectione conferre, seque ipsum ab eorum censuris eripere? Hoc mihi neutiquam alteri possibile videtur. Induxi ergo in animum, & malo esse discipulus, & sub unius voluntatem, arbitriumque subiici, & unius capessere iussa, & ob hunc unum reddere rationem, quam moribus, & voluntatibus servire plurium, eorumque mentes scrutari, consilia comperire, actiones, & cogitationes penitiùs investigare; quando & iudicium me manet, & responsurus sum pro iis, quæ peccarunt, ad quos regendos ego arcano
C omnino Dei consilio electus sum solus. Vnusquisque enim per se iudicabitur, & rationem plene reddet eorum, quæ ipse seu bona, seu mala gesserit. Pro unoquoque autem solus ego reddam. Et quinam saluabor, aut quomodò misericordiam impetrabo, qui neque pro una mea, & misera anima possum ullum opus ullo modo ad salutem peractum ostendere, per quod ignes æternos evadam? Sed, ô benigne Salvator, misericors & miserator: mihi abiecto divinam largire virtutem, ut quos in fidem meam tradidisti fratres, eos regam verbo cum prudentia, atque ad pascua legum tuarum divinarum deducam, & in mansiones cœlestis regni restituam saluos, illæsos, virtutum pulchritudine splendidos, dignos adoratores ad terribile tribunal tuum. Et me quoque indignum è mundo assumptum, tametsi multis peccatorum notis inustum, tamen sacerdotem, & inutilem servum tuum, quo nosti iudicio, choris electorum
D cum discipulis meis annumera; ut simul omnes gloriam tuam divinam videamus, & bonis tuis ineffabilibus oblectemur. Tu enim es voluptas, deliciæ, decus ardenter te amantium, in sempiterna sæcula.

## CAPVT XX.

*Videns gloriam Dei, quam in se operationem senserit. Divinitatem esse in omni, seu universo, comprehendique & non comprehendi ab his qui merentur. Nos esse domum David. Christum in multis membris nostris cognitum, eundem unum, atque indivisum esse.*

DVM te revelas, Domine universorum, & vultus tui gloriam manifestius demonstras, totus tremo, te supernè aspiciens, quantum pro humili & abiecta natura mea possum, & timore ac stupore correptus dico, superant captum meum omnia tua, Deus meus. Sum enim immundus, & indignus omnino intueri te, purum & sanctum Dominum, quem reverentur angeli, & cui cum tremore ministrant; cuius à facie concutitur, & contremiscit omnis creatura. E Cùm hæc dixi, claudo oculos, hoc est, ad inferna averto mentem meam, quia videre ac perspicere Deitatis tuæ maiestatem non sustineo. Et tum lamentor, orbatus pulchritudine tua, nec fero separari abs te, qui solus es benignus. Tu verò sic lamentantem, & plorantem, totum, papæ, circumfulges, & obstupesco, & uberius fluunt mihi lachrymæ, dum misericordiam tuam erga me perditum admiror. Tum corporis mei multam fœditatem, & miserabilis animæ meæ indignitatem video, eaque consideratione mentem perculsus exclamo, quis igitur ego sum, ô Deus, & auctor omnium? & quid tandem feci laudabile in vita mea; aut quodnam mandatum tuum complevi, quòd tali gloria me despicabilem glorificas? Et unde, & qua de causa F miserum me die noctuque tali luce circumfundere dignatus es? Egone aliquando sitiens quæsivi te, rex meus, egone laboribus mandatorum tuorum defatigatus, & afflictus sum? egone tentationes, & flagella pertuli, quomodo omnes Sancti post hominum memoriam hæc patienter tulerunt, ut me illis annumeratum, salvum esse velis? Quanquam mirificè humanus, ac benignus es, ut parens, & conditor omnium, audio tamen Iacobum dicentem, mortuam esse fidem sine operibus, horreoque supplicia, pro certo illic vilem homuncionem me manentia. Iacob. 2. Quo pacto igitur confidam ego, Domine, me ut fidelem ad illorum numerum aggregatum iri, qui antehac tibi servierunt, cùm ipse nec unum de mandatis tuis servaverim? Verùm novi te posse omnia, facis omnia ut vis, & postremis das ut primis, & quod mirum est valde, primorum extremis primùm das. Hæc cùm tibi dico, tibi, inquam, conditori huius mundi, prius suprà apparenti, & rursum te occultanti, ac postea me totum radiis circundanti, repentè te totum in me perspicio extitisse, qui G ante supra videbaris, & te iterum occultaveras, sicut sol tectus nubibus tenuioribus, contractisque radiis. Quemadmodum ille tum aspectui patet, & tunc melius cernitur ab hominibus: sic & tu mihi accessibilis es, latens intra me, alioqui inaccessus, oculis meis, quos intellectus novit conspectus, ut scis, paulatim crescens, maioremque lucem diffundens, & amplius coruscans. Aliquando iterum mihi inaccessus es. Quare quòd comprehendi non potes, ideo te celebro, & magnis vocibus bonitatem tuam prædico, naturamque nostram glorificantem glorifico.

Gloria, ô Verbum, immensæ condescensioni tuæ. Gloria misericordiæ tuæ. Gloria potentiæ. Gloria tibi, quoniam immutabilis, atque invariabilis manens, totus es immobilis, cùm semper movearis, totus extra creaturam, & totus in creatura, totus imples omnia, & totus extra omnia. Super omnia es, Domine, super omne principium, super omnem essentiam, super naturam naturæ, super omnia sæcula, super omne lumen, H super intelligentes beatarum mentium naturas: nam & illæ tuum, vel potius cogitationis tuæ opus sunt. Tu enim nihil es omnium, & superior omnibus. Nam extantium causa es, ut omnium procreator, & idcirco separatus es, ac distas ab universis, & supra omnia quæ sunt, eminere intelligeris, oculorum obtutum effugiens, inaccessus, incomprehensus, intactilis, haud intelligibilis, immutabilis, totus simplex, & tamen totus varius, & omnino mens mea varietatem gloriæ, & decorem elegantiæ tuæ perspicere nequit. Ergo qui ex omnibus nihil est, quomodo tandem est super omnia? Qui extra omnia, & omnium Deus es, aspectum, accessum, intellectum, tactum omnem fugiens, idem mortalis factus, in mundum es ingressus, assumptoque corpore humano, apparuisti omnibus accessibilis. Cognitus es etiam à fidelibus cum gloria divinitatis tuæ, & ab ipsis comprehensus, qui prorsus es

incomprehensibilis, & visus ab illis totus; alioqui omnibus invisibilis, & viderunt maiestatem sacrosanctæ divinitatis tuæ. Soli fideles vident; omnes autem infideles viso te mundi lumine, cæci permanent. Fideles itaque & tunc, & nunc semper te vident, & secum te habent, universitatis opificem, versantem, & habitantem cum ipsis in huius vitæ tenebris, ut solem inaccessum, ut lampadem inextinguibilem, qui à tenebris penitus non comprehenderis, & te videntes semper illuminas. Quia igitur tu, ut diximus, extra omnia es, etiam abs te illuminatos extra ea, quæ sensum oculorum movent, esse facis, & sursum cùm patre tuo. Et quomodo tu cum illic sis, sine intervallo nobiscum es totus: sic nos servos tuos in medio rerum sub sensus, aspectumque cadentium versantes educis, & sursum omnino tecum, lumine tuo illustratos tollis, & ex mortalibus immortales reddis, manentesque quod sumus, gratia tua filij, similes tibi evadimus, dij Deum videntes. Quis itaque ad te non accurrat, qui solus es benignus? quis te non sequatur? quis non ex charitate dicat, en, proiectis omnibus te sequimur, te compatientem, mansuetum, misericordem Dominum, nostram conversionem iugiter exspectantem, nolentem interitum eorum, qui te offenderunt, qui in nobis modò stupenda perficis, quæ olim in domo David futura audientes, miramur, qualia futura sint. Domus David nos sumus, tanquam cognati illius. Nam ipse tu omnium conditor filius illius factus es, & nos filij tui per gratiam. Tu cognatus noster carne, nos Deitatis tuæ. Indutus enim corpore dedisti nobis Spiritum sanctum, omnesque simul una domus David facti sumus, quia proprij tui, & cognati tui. Dominus igitur Davidis tu in spiritu es, nos filij David, semen divinum tuum omnes. Congregati autem in unam coalescimus domum. Id est, omnes sumus fratres, omnes cognati tui. Et quomodo non res admiranda, quomodo non stupenda cuius hoc cogitanti, hoc perpendenti, quòd tu nobiscum es nunc, & in sæcula & unumquemque domum facis, & habitas in omnibus, & es ipse domus omnibus, & in te habitamus unusquisque nostrum, totus cum toto, & cum quolibet vicissim tu, cum solo solus, & supra nos solus, & totus es? Nunc ergo in nobis augusta perpetras. Quæ augusta? dicam pauca de multis. Et quamvis dicta hactenus, omnia plusquam obstupescenda sunt, tamen iam illis amplius obstupescenda accipe.

*Ezec. 33.*

Membra Christi sumus, & membra nostra Christus. Et manus mea miseri, & pes meus Christus. Et manus Christi, & pes Christi ego minimus. Moveo manum? etiam Christus, omnino enim manus mea est: individuam enim Deitatem intelligas oportet. Moveo pedem, & ecce fulget vt ille. Cave dicas blasphemare me, sed hæc approba, & Christum adora, qui te talem facit. Etenim tu quoque, si volueris, membrum eius fies. Et ita omnia membra vniuscuiusque nostrûm membra Christi fient, & Christus nostrum membrum, & is omnia indecora ac deformia formosa, & decora reddet, pulchritudine videlicet & gloria Deitatis suæ illa exornans; & fiemus simul dij, cum Deo familiariter coniuncti, nullam in corpore nostro maculam aspicientes, sed toti totius corporis Christi similitudinem consecuti, quisque totum Christum membrum nostrum habebimus. Vnus enim multa factus, unus manet individuus: Pars autem unaquæque totus Christus est.

Annotat. Huius theoriæ occasionem sumpsisse videtur Simeon ex illo 1. Cor. 12. *Vos autem estis corpus Christi, & membra de membro.* Et cap. 6. *Nescitis, quoniam corpora vestra membra sunt Christi?* Et ex aliis huius generis; quæ quidem omnia mysticè & spiritualiter accipienda sunt. Porrò apud Simeonem sequebatur hic disputatio de membris nostris in membra Christi transformatis, deque Christi membris in nostra conversis, quam silentio prætermittendam, latinisque auribus non satis dignam censuimus. Si quis eius desiderio tenetur, is Codicem Augustanum aut Bavaricum adeat. Multa honestè & decorè in hac rerum vniversitate & sunt, & fiunt, & facta sunt, quæ libero ore honestè effari non possumus. Nec quia nobis aliquid à natura tributum est; ideo linguæ vestisque tegumento celari non debet. Nec satis aut piæ aut decentes mihi videntur illæ rerum spiritualium considerationes, quæ mentem supra hæc nimis, ut sic dicam, Physica non attollunt. Nec qui abdit, quæ natura abdi voluit; ideo Christum non induit. Quod si quis esset, qui arbitraretur Christiano, qui Christum & re & nomine induit, omnia in propatulo habenda esse, is non iniuria plenior Cynicismo, quàm Christianismo existimari posset. Verùm de his satis. Absoluta disputatione non satis ad decorum conformata; sic infit Simeon.

Si ergo tu indutus es carnis tuæ dedecus, nec mentem atque animam nudatus, & tenebris opertus, lumen adhuc videre potuisti, quid tibi ego faciam? quomodo venerationis plena ostendam? quomodo, prô dolor, in domum David te introducam? Adiri enim non potest ab ignavis, vt ego sum: nec videri à cæcis, mihi similibus; & distat procul planè ab infidelibus & pigris, procul ab omnibus improbis, ab omnibus mundi amatoribus, ab inanis gloriæ cupidis. Sic autem citra comparationem distat, ut si super altitudinem cœli, aut infra profundum abyssi esset. Et quisnam, aut quo pacto in cœlum tandem ascendet? aut quomodo sub terram descendens, scrutabitur abyssos? & margaritam, ut granum sinapi parvissimum exquirens, quomodo invenire poterit? Sed ô filij, congregamini, ô matres adeste, ô patres prævenite, antequam mors præveniat, mecumque lamentamini, & plorate omnes, quod cùm parvuli in baptismate Deum acceperimus, vel potius infantes filij Dei facti simus, cùm peccassemus, mox extra domum David eiecti simus, neque id senserimus, & curramus per pœnitentiam; per eam quippe eiecti omnes regrediuntur: aliter regredi non licet, ne etretis, nec videre, quæ in ea perfecta sunt, perficiunturque in sæcula innumerabilia in Christo Deo meo, quem decet omnis gloria, honor, adoratio in sempiternum.

## CAPVT XVI.

*Secundum naturam Deum solum amabilem, ac desiderabilem esse; cuius qui factus sit particeps, eum bonorum universorum factum esse participem.*

O Quæ res ista tam venerabilis omni creaturæ? quod hoc sub intelligentiam cadens lumen, quod videtur ab omnibus? quæ istæ tantæ divitiæ, quas omnino mortalium nullus invenire, aut possidere potuit? sunt enim omnibus incomprehensibiles, & à mundo capi nequeunt. Sunt super orbem terrarum desideratissimæ Sunt optabiles, quantum rebus aspectabilibus earum procreator antecellit. Atque ideo eius charitate vulneror. Quatenus autem eum non capio, mente maceror & tabesco, & ardenti corde ingemisco, & hic illic obambulans ac circumiens inflammatus quæro, nec uspiam invenio quē diligit anima mea. Circumspicio crebrius, si possim videre quem desidero. At ille quasi inaspectabilis, penitus non apparet. Cum autem cœpero lamentari quasi desperabundus, tunc se mihi videndum offert, & intuetur me qui intuetur omnia. Admiror, & insigni pulchritudine obstupesco; & quomodo cœlo aperto prospexerit inde conditor, mihique gloriam novam, & inenarrabilem demonstrarit. Et dum ego ita mecum cogito, quis tandem illi propior fiet? aut qua ratione in altitudinem infinitam elevabitur? ipse intra me adest, & in misero corde meo coruscat, undique me, immortali splendore convestiens,

&

A & cuncta membra mea irradians, totum me complexus, osculo totum impertit, & totum se mihi indigno dat, & eius charitate, pulchritudineque satior, divinitatisque voluptate, & dulcedine compleor. Particeps luminis, particeps fio gloriæ, & resplendet facies mea quemadmodum eius, qui est desiderium meum, & omnia membra mea clarescunt, speciosisque speciosior tunc fio, divitibus divitior, potentibus omnibus potentior, & regibus maior sum, & honorabilior longè quibuscunque visibilibus, non terra modò, & eorum quæ in terris, sed cœlo quoque, & omnium quæ in cœlis sunt, omnium opificem mecum habens, quem decet gloria, & honos nunc & in sæcula, Amen.

## CAPVT XVII.

B *Timorem generare charitatem, & illam eradicare timorem ex anima, manereque in ipsa, cùm sit sanctus, divinusque spiritus.*

QVomodo hymnis decantabo, quomodo glorificabo, quomodo dignè prædicabo Deum meum qui tam multa peccata mea dissimulavit: quomodo attollam oculos meos, quomodo aperiam os meum, Salvator meus, quomodo movebo labia mea, quomodo ad sublime cœlum extendam manus meas, quem sermonem inveniam, quibus verbis utar, quomodo loqui audebo, quomodo veniam flagitabo tam multis erratis, tam innumerabilibus peccatis? Certè facinora admisi omni maiora venia; nosti tu quid dicam. Omnes naturæ fines transivi, præter naturam patratis sceleribus, brutis animalibus peior extiti, omnibus marinis, omnibus terrestribus, pecudibus, reptilibus, feris revera deterior fui, cùm mandata tua violavi. Qui

C igitur corpus meum ita contaminavi, & animam sordidavi, quomodo apparebo tibi, quomodo aspiciam te, quomodo vel ista te audere ante conspectum tuum audebo? quomodo non fugiam gloriam tuam, & lumen fulgurans, sancti Spiritus tui? Quomodo solus ego ad tenebras non vadam, & à sanctorum cœtibus non separabor, qui opera tenebrarum feci? Quomodo sustinebo vocem tuam, qui hinc ex factis meis fero mecum damnationem meam? totus horreo, totus contremisco, totus in timorem stuporemque versus exclamo ad te. Scio, Salvator, neminem perinde ut ego peccasse tibi, nec quisquam se tantis, quantis ego flagitiis involvit: quin alius etiam auctor perditionis fui. Atqui hoc contra novi, hoc persuasus sum Deus meus, non magnitudinem admissorum, non multitudinem peccatorum, neque turpitudinem actionum unquam benignitatem tuam, & magnam, immò verò plusquam magnam, & quam nulla ratio, nulla mens capit misericordiam tuam supergressuram esse, quam copiosè in

D peccatores effundis, dum ferventer agunt pœnitentiam, eosque purgas, & illuminas, & luminis participes, & divinitatis tuæ consortes efficis, & cum eis haud aliter, quam cum sinceris amicis versaris, atque colloqueris.

O clementiam infinitam, ô charitatem ineffabilem, Idcirco ante te in genua procido, & magno te clamore appello: sicut prodigum & meretricem ad te accedentes in gratiam recepisti, ita me recipe, misericors Salvator, pœnitentem ex animo, & lacrymas meas ut è fonte continenter stillantes non aspernatus, ablue per illas animæ meæ, ablue corporis, quas ex motibus non rectis contraxi maculas. Hac quoque cor meum ab omni nequitia. Illud siquidem radix, & fons peccati est, Nequitia mihi serpentis malum semen illic germinat, & in altum crescens, ramos plurimos improbitatis, ac vitiositatis producit. Huius radices funditus evelle, Christe meus, & animæ atque cordis mei agellum purga, & timorem tuum illis insere, & da

E ut radices agat, ac repullulet, ut in sublime excrescat custodia mandatorum tuorum, dum in horas apponis, adhibitaque lacrymas meas fluentis scatentibus auges; quò inde irrigatus, maximoperè incrementum capiat, & quantum corroboratur & attollitur, tantum pro rata parte humilitas cum eo augescat, cui turbidi motus omnes cedunt, & cum iis dæmonum phalanx repellitur, quam virtutes universæ, ut reginam, circundare, & tanquam custodes, & amicæ, & famulæ dominam comitari cernuntur. His autem congregatis, & consociatis, in medio earum velut arbor secus decursus aquarum plantatus timor tuus efflorescit, & sensim mihi florem novum ostendit. Novum dixi, quoniam natura omnis secundum genus suum parit, & arborum omnium semen secundum genus suum in unaquaque inest. Timor autem tuus, & florem novæ

*Psal. 1.*

F cuiusdam naturæ, & fructum æquè novum, & à se alienum exhibet. Est namque timor sua natura mœroris plenus, & à se occupatos, semper mœsto vultu, contractisque superciliis incedere facit, tanquam servos, tanquam multis verberibus dignos, tanquam in horas excindi se à morte expectantes; & falcem quidem illius videntes, momentum verò ignorantes; nec spem habentes, nec plenam fidem perfectæ veniæ; sed trementes finem, & iudicii illius sententiam, ut incertam animis ac memoria circunferentes. Flos igitur quem effert, specie est inexplicabili; sed minus tamen modus eius explicari potest. Nam dum erumpit videtur; sed statim absconditur, quod nec naturale, nec consequens est, verùm naturæ naturam conditionemve superat, naturamque omnem transcendit. Paulisper cernitur flos tam formosus, quam verbis nullis declarari queat, & ad se contemplandam rapit mentem meam, nec quippiam eorum meminisse sinit, quæ timor suggerit, sed omnium mihi tum oblivionem inducit, & actutum avolat. Ita arbor timoris iterum flore destituitur, & ego in tristitiam datus inge-

G misco, & ad te impensè clamans, florem denuò in ramis conspicio, & oculis, ô Christe meus, in eo solo defixis, non tunc arborem video, sed crebrius florem enitentem, & me toto cum desiderio ad se trahentem tueor, qui tandem in fructum charitatis consummatur ac definit. Porro hic fructus ab arbore timoris portari se non patitur; sed bene iam maturus, absque arbore cernitur: nullo enim modo timor in charitate reperitur, & rursum sine timore in anima non progignitur hic fructus.

Verè quiddam mirabilius, quam cogitatione, nedum sermone possis assequi, arborem labore cultam florescere, & fructum ferre, fructum autem totam arborem radicitus extirpare, solumque fructum permanere. Quo pacto fructus absque arbore sit, explicare prorsus nequeo. Manet tamen, & est tamen charitas sine timore, ex quo, tanquam parente, profluxit. Charitas igitur omnem profectò in se lætitiam

H continet, & gaudio, iucunditateque se habentem cumulat, efficitque, ut se extra mundum esse sentiat, quæ facultas in timorem neutiquam cadit. Nam cum is intra ea sit, quæ visu, cæterisque sensibus percipiuntur, quomodo, quæso, timentem procul ab his seiungere, & eius sensum omnimodis cum inaspectabilibus coniungere, ac devincire ulla ratione valebit? Cæterum flos, & fructus, quem timor generat, charitas, inquam, an hæc valeat, velim, ais, nosse perspicuè. Exprimi hæc nequeunt, ut affirmavi: verumtamen adverte animum, & te docebo.

Divinus spiritus est charitas, lumen omnia operans, & illustrans. Verumtamen non est è mundo, neque omnino aliquid mundi, nec creatura, quia increatum, & extra creaturas universas, & ab omnibus separatum, increatum in medio creatorum. Intellige fili quid dico. Hoc increatum nunquam creari potest. Attamen si velit, etiam hoc facere potest, scilicet, ut creatura fiat. Etenim Verbum, spiritu cooperante, & patre ita volente, nullam sui mutatio-

nem

A nem passum, hominem induit, quique erat natura Deus increatus, modo ineffabili creatura factus est, & eo quod assumpserat deificato, ostendit mihi duplex miraculum, ambabus functionibus, & voluntatibus similiter, visibilem, & invisibilem, qui teneri, nec teneri possit: & qui apparebat ut creatura in medio creaturarum omnium, ut non creatura disparebat, sicut illi putabant. At enim neutiquam evanescebat; sed in medio omnium creaturarum sensibilium extans Verbum, cum eo quod assumpserat copulatum, ut creatura non cernebatur. Assumptam autem creaturam celans, aut in sublime in gloriam suam, quæ intelligentiam nostram excedit, evehens, illico abscondebatur, hoc illi dicebant evanuisse Dominum; sed rem ex se metientes planè. Creator enim omnium, qui à nemine capi potest, & ut Deus, implet omnia, quomodo aliter occultaretur? B Num Dominum de loco in locum alium translatum, & ita ab oculis Apostolorum ablatum dices? Apage ne ex ignorantia in blasphemiam incidas.

ANNOTAT. Intelligendum est hoc de Christo secundum divinam naturam; quod planum fit, ex verbis præcedentibus: *Creator enim omnium, qui à nemine capi potest, & ut Deus implet omnia, quomodo aliter occultaretur?* Ergo quando Christus ex præsentium aspectu evanescebat, non movebatur ut Deus erat localiter: Etsi localiter movebatur ut homo erat; quod Simeon testatur, cum de Christo evanescente sic scribit. *Assumptam autem creaturam* (humanitatem scilicet suam) *celans, aut in sublime in gloriam suam* &c. *evehens* (en motum localem Christi hominis) *illico abscondebatur.*

Audi verò charitatis effecta, si placet, & quomodo ea maior sit omnibus, cognosces. Quibus omnibus? num te latet illud Apostoli, dicentis potius esse [1.Cor.13] charitatem habere, quam loqui linguis angelorum, & habere omnem omnium hominum fidem, ita ut C montes transferas, nosse omnem scientiam, & abditissima mysteriorum, distribuere omnes facultates suas, & ipsum mendicum fieri, etiam corpus ipsum tradere propter Christum ut ardeat? Et quidem tanto maior his est charitas, quod hæc, sive unum, sive omnia, sine charitate nihil penitus utilitatis afferant illis, à quibus possidentur. Quare quicunque & à charitate, & ab istis enumeratis omnibus nudus est, dic mihi, ubi apparebit? quid faciet? quomodo interrogantibus se fidelem esse respondere audebit? Attendendum igitur ita loquenti de charitate. Sedeo in cella mea nocte aut die, adest, ut non appareat, & ut non cognoscatur, charitas. Et cum extra creaturas omnes, rursumque cum omnibus sit, est ignis, & est fulgor, fit luminis nebula, fit sol denique. Vt ignis, animam calefacit, & cor meum incendit, atque ad desiderium, & amorem conditoris exsuscitat. Affatim autem inflammatum, & animo ardentem, ut splendor lucidus me tota circumvolat, ac radios coruscos in animam meam iacit, D mentemque illustrans, & perspicacem reddens, ad sublimitatem contemplationis idoneam facit. Atqui hic erat, quem timoris florem esse suprà dixi. Viso autem splendore, & impletus gaudio incredibili, non sum lætatus quod vidissem. Sed ipse cum cœlesti me gaudio implevisset, avolavit, secumque mentem meam, & sensum, & omnem rerum mundanarum cupiditatem abstulit. Et insequens mea mens comprehendere visum splendorem desiderabat: verum non inveniebat eum creaturam, nec illi iucundum accidebat, è creaturis prorsus excedere, ut splendorem illum increati, & incomprehensi comprehenderet. Nihilominus circumibat omnia, & illum videre conabatur. Scrutabatur aërem, cœlum obibat, abyssos perambulabat, & extrema mundi, ut videbatur, pervestigabat, excutiebatque; sed nihil in his omnibus inveniebat, creata enim omnia. Et lamentabar, & lugebam, & medullitus ardebam, & E veluti mente alienatus sic vivebam. Venit igitur postquam voluit, & in speciem lucidæ nebulæ irruens, totum caput meum insidere videbatur, ut obstupefactus exclamarem. At ille rursus avolans solum me reliquit; quem cum operose quærerem, iterum repente in me inventum didici, & in medio cordis mei ut lumen instar rotundi solis visus est. Cum sic apparuisset, cognovissemque, & suscepissem, globum dæmonum in fugam vertit, timiditatem ... repulit, fortitudinem indidit, mentem meam ... dano exuit, & vicissim sensu intellectuali ... Ab his quæ videntur me seclusit, & cum his quæ non videntur colligavit; donavit mihi increatum videre, & lætari quod à creatis, & visibilibus, & brevi pereuntibus separatus essem, & coniunctus cum increato, cum immortali, & qui caret principio, & a nemine videri potest. Ista enim charitas est.

F Intendamus cursum, ô fideles, laboremus festinare segnes, excitemur ignavi, ut charitatis compotes, eius amplius fiamus participes, & ita ab his rebus abeuntes, & cum illa à visibilibus abducti, Domino assistamus: ne alioqui sine charitate in his, quæ sub videndi sensum cadunt, & in his creaturis ut creaturæ relicti, in igne tartareo, horribilique supplicens inveniamur. Quod si etiam salvari licet, sive hac, Christe bone, quomodo tandem licet? Si à luce separemur, qui tenebras effugiemus? Si gaudio privemur, quinam tristitia liberabimur? Thalami ingressu prohibiti, quomodo lætabimur? Exclusi regno, tuo conspectu, inquam, Salvator, quam aliam salutem, quam consolationem, aut quo demum alio in loco invenire poterimus? Verè nusquam omnino, etiamsi id quibusdam insipienter videatur: insipiens est enim qui id dicit.

Occurret autem quispiam fortasse, quomodo extra regnum cœlorum, quomodo extra thalamum, & agmen iustorum locus alius salutis, aut requiei non G erit? Stultus es, inquit charitas, non audisti primum patrem tuum Adamum unicum mandatum in paradiso transgressum, nudatum esse divina gloria, & Evam cum ipso mox inde eiectam in exilium, pro mercede voluptatis heu misere morte recepta, & vita sudoribus ac laboribus plena, prô dolor, instè statutis à Deo & vivendi, & moriendi temporibus? Sic futurum existima, cum iudicium exercebitur. Nam qui à divina gloria, ut ille revera nudus fuerit, statim à paradiso, & sanè à regno cœlorum, cœlestique thalamo abigetur, quamvis peccatum non habuerit, sed virtutibus vacuus astiterit. Omnium porrò virtutum prima, regina, & domina charitas est profectò. Illa caput, & vestimentum, & gloria est omnium. Sine capite autem corpus mortuum, ac sine spiritu est. Corpus absque vestimento quo pacto nudum non est? Virtutes sine charitate marcidæ, & inutiles sunt; & qui charitate præditus non est, à gloria Dei nudus est; & quamvis omnium virtutum compos sit, nudus astat, & nuditatem suam non ferens, occultari mavult. Nam cum sic dedecus H ac turpitudinem habeat, etiam damnationem habet, & audit ab universorum iudice, non novi te. Venit in hunc mundum creator, corpus & animam assumpsit, deditque nobis divinum spiritum, qui est charitas. Si itaque vis, & placet tibi divinum obtinere spiritum, crede Deo perfectè, & abnega te perfectè similiter; tolle crucem sine hæsitatione in humeros, ac proposito, & voluntate morere, fili, ut vitam immortalem adipiscare. Ne te impostores fallacibus dictis suis decipiant, morientes post mortem vitam accipere, ne credulus negligenter agas, & vitæ particeps minime fias.

Audi verba Dei, audi Apostolorum, audi Magistrorum Ecclesiæ. Quid Christus in horas clamat? Flumina de ventre in me credentium fluent divini fontis, [Ioan.7.] aquæ semper viventis. Quam aliam hanc aquam, nisi Spiritus sancti gratiam intelligit? Mundos autem

corde

**A** corde beatos nominans, ait hos Deum hîc visuros. **Mat. 5** Apostoli verò, & Magistri ad unum omnes clamant, hic Spiritum sanctum, & Christum accipiendum, si quidem salutem consecuturi simus. Ausculta vocem Domini, audi verbum Verbi, quomodo regnum cœlorum iam nunc hominibus accipiendum significet. **Mat. 13.** *Simile est*, inquit, *pretiosa margarita.* Margaritam cum audis, quid nam cogitas? num hanc genus lapidis esse dicis? an qui teneri omnino, an qui videri aliquantum potest? Abi cum tua blasphemia, intelligentia tantum ista margarita percipitur. Mercator autem qui hanc invenit, qua ratione invenerit nunc expone. Si non est, ut manu tangi, aut videri possit, ubi igitur iste illam reperit, quomodo vidit? velim mihi dicas. Quomodo etiam venditis omnibus comparavit eam, quam non invenit, quam non vidit, **B** quam in manibus non habuit, nec in sinum immisit? Respondebis mihi, fide sola, & spe sic affectum iri, ac si eam haberet. Atqui non dixit Dominus, ut tu existimas, nec spe inveniendi, nec spe accipiendi facultates suas vendidisse. Quid erratis? quid vana spe nitimini, & aliis quidem frustra credentibus exitium, vobis grande supplicium vultis struere? Sed suadet tibi, ut prius margaritam invenias, & cum, ut nimis, & immense pretiosam contemplatus fueris, tunc venditis omnibus emas eam. Tu contra ais, in spe, & ostendis te nolle quærere, nolle invenire, **Luc. 17.** nolle fortunas tuas vendere, ut ita regnum cœlorum acquiras, quod intra te, si velis, Dominus esse affirmavit.

Sed forsitan in egestate es, nec aurum, nec possessiones, aut divitias habes; & audiens omnium distractione facultatum inæstimabilem illam margaritam emi, dicis, ego, cui nullæ sunt opes, qua tandem via divinam hanc, & speciosam margaritam comparare potero? Hortor itaque te, ut super hoc sapienter me audias. Si mundum universum, & quæ in mundo sunt, habeas, & ea in orphanos, viduas, mendicos, & **C** egentes dispergas ac distribuas, si ipse quoque mendicus fias, planeque par pretium dedisse te cogites, & dicas, date margaritam mihi, dedi enim omnia mea, confestim audies à Domino, quæ sunt ista tua omnia **Iob. 1.** quæ dicis? Tu nudus egressus es de utero matris tuæ, & nudus in sepulchrum omnino redibis, quæ igitur tua esse iactas? Stultus es penitus, non intelligis, nec accipies margaritam, nec continget tibi regnum. Quod si quæcunque tandem tibi sint bona consideraris, & te pauperrimum repereris, & accedens ita eum compellaris? intuere nunc, Salvator, cor & animam meam contritam, castigatam graviter, & inflammatam vehementer. Aspice Domine nudum me; vide egentem, ab omni virtute alienum, & in his summa laborantem penuria, nec habentem, quo abs te emam; vide, & miserere mei solus patiens Deus meus. Quid enim in hoc mundo inveniam dignum, quod dem in pretium tui, qui fecisti omnia? Quid namque persolvit meretrix, quid numeravit latro? Prodigus autem, Christe mi, quas tibi opes obtulit? si hæc, inquam, dixeris, audies vicissim, immo offerebant mihi dona, immo offerebant divitias, **D** datoque quod habebant; margaritam toto mundo præstantiorem acceperunt. Hæc tu quoque, si vis, mihi affer, & prorsus eandem accipies. Cum his accede ad me, & mox tibi monstrabo quam illi consecuti sunt margaritam: & si ipsam animam dederis, nihil dignum dedisse te existimabis. Quidquid denique pro pretio persolveris, nihil te soluisse arbitrabere. Ego, si ad me, ut illam meretrix, accesseris, planè habeo potestatem, planè habeo margaritas, quas si mundus accipiat, & cum mundo hoc aliorum mundorum myriades, ne una quidem margarita thesauro meo decrit, & donabo te, sicut illam donavi. Sic te Deus affabitur, & docebit, quomodo ad se latro, & meretrix accesserint, qui per orbem terrarum fama celebrantur; quomodo item filius prodigus, simul ac reversus est, susceptus sit. Fide porrò latro salvatus est, qui multis erat sceleribus **E** obligatus. Nec immeritò, quandoquidem solus ipse, omnibus me negantibus, omnibus scandalum patientibus, in cruce pendentem, Deum ac regem confessus est, & immortalem esse ex animo exclamavit. Idcirco etiam ante omnes regnum est adeptus. Meretricis autem, amorem, quæ oratio consequatur? quem scilicet illa in corde suo gestabat, cum ad me ut Deum, ac Dominum visibilium, & invisibilium accedens, eum largiter mihi, ut nemo antea offerret. Quem videns approbavit, nec amorem illum accepi; sed data ei margarita, reliqui ei etiam amorem, vel potius amplius eum accendi, & in flammas ingentes excitavi, eamque virginibus honestiorem ac venerabiliorem dimisi. Subito enim legem totam ut murum supergressa, aut tanquam per scalas supra omnes virtutes sublata, ad finem legis pervenit, qui est charitas, & abiit, usque ad mortem charitatem illæsam conservans. **F** Similiter prodigus toto ex corde reversus, sincere penituit & cum esset ante filius meus, non tanquam filius meus ad me adiit: sed sicut unus de mercenariis meis fieri petivit. Nec verò lingua tantum, sed & animo loquebatur, & quæ verbis dicebat, operibus demonstrabat. Humilitas enim ad misericordiam me impulit, quem mox ditavi, & continuò gloria extuli, quoniam ex animo ad me conversum videbam, cum neutiquam (quod multi solent) mentem à me reflecteret. Hoc modo quisquis ad me venerit, & se mihi sincerè prostraverit (audiant omnes mortales) confestim eum suscipiam. Qui autem gratia mea per dolum potiri vult, & cum hypocrisi seu simulatione ad me accesserit, aut improbitatem celans, aut operibus suis confidens, aut elatione, aut invidia constrictus, hic prorsus non habebit partem mecum. Hæc tibi, & universis Deus per nos in horas occinit.

Ac si placet aliunde quoque perspicuum tibi faciam, hic tibi totum regnum cœlorum accipiendum esse, si post obitum in id ingredi concupiscis. Audi iterum in parabolis loquentem. **Mat. 13.** Regnum cœlorum cui simile dicam? Attende. Simile est grano sinapis, quod homo quispiam acceptum, sevit in horto suo, & **G** comprehendit, & revera in arborem magnam se sustulit. Dic tu iam qui hæc audis, quisnam est granum istuc? quid esse illud putas? dic liberè, alioqui ego dicam, & veritatem eloquar. Certum est regnum cœlorum vocasse granum. Istud autem granum est divini spiritus gratia, hortus cor uniuscuiusque hominis; ubi, qui accepit spiritum, serit illud, & contegit, absconditque in intimis visceribus, ut nemo videat, & cum omni sedulitate custodit, ut germinet, & arbor evadens cœlo se tollat. Si tu affirmas, non hic, sed post mortem omnes accepturos regnum Dei, qui id ferventer diligunt, Dei ac Salvatoris nostri verba evertis. Nisi enim acceperis granum sinapis, de quo dixit, nisi id in horto tuo severis, sementis expers manes omnino. Quod si etiam semen illud ieceris, & vel spinis suffocaveris, vel avibus rapiendum prodideris, aut negligentia tua hortum non rigaveris, & granum rupta tellure non prodierit, non germinaverit, non fructum tulerit, agedum, dicito, quæ tibi ex hac satione proveniet utilitas? **H** Quando autem, & quo alio tempore si non hic, semen accipis? Post mortem, inquis. Sed aberras ab eo quod est rationi consentaneum. Interrogo te, quoniam in horto tunc istuc granum terræ abscondes? quonam labore coles, ut eliciatur inde herbescens ex eo viriditas? Verè, mi frater, deceptus, & plenus erroris es. Hoc enim tempus operum; futurum, coronarum est. Hic tu arrhabonem seu pignus accipe, dixit Dominus; hic sigillum seu notam cape; iam modo animæ tuæ lampadem accende, priusquam contenebret, priusquam claudantur portæ obeundorum operum. Si sapis, hic tibi margarita sum, hic emor. Hic tibi triticum, & velut sinapis granum sum. Hic tibi fermentum sum, & massam tuam fermento. Hic tibi aqua, & suavis ignis sum. Hic & vestimentum, & alimentum, & omne genus potionis tibi sum, si

A modo tu vis. Dominus hæc dicit. Si igitur ita ex caducis rebus, & talem me cognoveris, etiam ibi talem me habebis, ut ineffabili ratione fiam tibi omnia. Sin hinc emigraris, ignorans quid operetur gratia mea, illic me tantummodo iudicem inexorabilem invenies. O Christe meus, & Deus meus, ne me tunc condemnes, neve pœnis subiicias, qui multis te peccatis offendi; sed me ut unum de infimis tuis mercenariis suscipe; & dignare me posthac servire tibi, Salvator mi & Spiritum sanctum tuum pignus regni accipere, & illic thalami tui gloria perfrui, videntem te Deum meum in omnem æternitatem, Amen.

## CAPUT XVIII.

B *Qualem oporteat esse monachum, quæ eius actio, & qui ascensus.*

ANimæ tuæ domum fac palatium, quod Christus universorum rex inhabitet: fac autem lachrymis stillantibus, eiulatibus, lamentationibus, genuum flexionibus, & crebris gemitibus, si monachus vere *μονάζων* esse vis. Tunc non eris *μονάζων*, id est, solitarius, nam cum rege versaberis; eris autem *μονάζων* secundum nos, ut qui ab hominibus, & mundo universo separatus sis, quod est legitime *μόνα εἶν*. Deo autem & regi coniunctus, non *μονάζων*, sed omnium sanctorum socius, angelorum convictor, iustorum contubernalis, & revera omnium cœlestium cohæres effectus es. Quo igitur pacto *μονάζων*, qui ibi vitam ducis, ubi celebritas martyrum, ubi chorus Prophetarum & divinorum Apostolorum, ubi innumerabilis iustorum, Episcoporum, Patriarcharum, aliorumque sanctorum frequentia? Qui verò etiam Christum in se habitantem gerit, dicite mihi, quomodo hic solus esse dici potest? Nam cum Christo meo una est Pater, & Spiritus sanctus. Et qui tandem solus, qui tribus, ut uni copulatus est? Non est solus, qui Deo est unitus, etiamsi
C solus est, & quamvis in solitudine, & in antro degat. Quem si non invenit, si non cognovit, si non accepit totum incarnatum Dei verbum, heu me, neutiquam est monachus: sed *μόνος* solus, à Deo separatus, & seiunctus videlicet. Quinetiam singuli nostrum, qui hoc animo sumus, ab aliis hominibus omninò dissociati, & omnes orphani, ac desolati sumus, tametsi habitatione coniungi videmur, & multorum aggregatione inter nos misceri. Animo enim, & corpore seiuncti sumus, quod esse verum mors ostendit, unumquemque ab amicis, & cognatis divellens, & qui nunc diliguntur, eorum omnium oblivionem afferens. Sic & nox, & somnus, & actiones vitæ, consociationem multorum, ut consentaneum est, dissolvunt. Qui autem per virtutem cellam suam cœlum fecit, & in ea sedens creatorem cœli, & terræ considerat, & videt, & odorat, & semper est cum lumine inaccesso, lumine sine occasu, lumine sine vespera, à quo non divellitur, procul omnino non removetur, non die, non nocte, non in cibo, non in potu, sed nec in somno, aut itinere, aut in mutatione loci; sed ut vivus, ita mortuus, immo, ut clarius dicam,
D anima prorsus in sempiternum illi adest. Quomodo enim sponsa à sponso, aut vir ab uxore, cui colligatus est semel, seiungi possit? Legislator, cedo, legem non servabit? Qui dixit, *Et erunt duo in carne una*, quomodo cum ipsa spiritus unus non erit? In viro enim mulier in muliere vir, & anima in Deo, & Deus in anima unitur, & cognoscitur in Sanctis omnibus.

Gen. 2.

Sic uniuntur Deo, qui per pœnitentiam animas suas in hac vita purgantes, monachi fiunt, semoti ab aliis, quique sensum Christi accipiunt, cuius & os sunt, & lingua à mendacio aliena est, cum qua patrem omnipotentem alloquuntur, & clamant semper; ô, pater, ô rex, & conditor omnium. Horum cella cœlum est, ipsique sol, & lumen est in ipsis nunquam occidens, ac divinum, quod & omnem hominem venientem in hunc

E mundum, ex Spiritu sancto renatum illuminat. Non enim non est in illis, nec quo id modo fiat, dicere queo. Horreo enim dum hæc tibi scribo, & cogitatione ipsa tremisco: sed doceo te, quomodo, & qua ratione vivant, qui Deo serviunt, & illum præ omnibus inquisitum, solum invenerunt, solum dilexerunt, quomodo soli per monasticum statum uniti, cum solo soli, quamvis in frequenti populo, sint quasi relicti. Hi enim revera sunt monachi, & soli *μονάζοντες*, qui cum solo Deo, & in Deo soli, nudi cogitationibus, & omnigenis animi agitationibus: solum intuentur Deum apud animum, cogitantes nec cogitantes, infixi nimirum in lumine, quemadmodum telum in pariete, aut stella in cœlo, aut nescio quo alio modo. Veruntamen ut quendam lucidum thalamum habitant cellas suas, & se in cœlo arbitrantur vivere. Num autem vere habitent, considera, & fidem habeto. Non enim sunt
F in terra, quamvis terra teneantur; sed in lumine venturi sæculi vivunt, in quo habitant, & inambulant angeli, à quo rapiuntur principatus, & potestates, throni, & dominationes omnes confirmantur. Et quanquam Deus requiescit in Sanctis suis, tamen in Deo sancti vivunt, & moventur, ambulantes in lumine, velut super pavimento. Miranda res, tanquam angeli, & filij altissimi post mortem erunt, dij cum Deo viventes, cum eo qui natura est, hi qui per adoptionem similes ei facti sunt. Hoc tantum nunc illi cedunt, quod corpore vincti tenentur, eoque, heu velantur, & obteguntur, ut qui in carceribus vincti custodiuntur, qui solem, & radios eius per foramen ingredientes perspiciunt quidem, ipsum autem totum videre, & speculari custodia egressi non possunt, nec exerto capite libero cœli aspectu frui. Atque illud est, quod illos angit & contristat, quod Christum totum non vident, tametsi totum vident; nec è vinculis corporis se expedire queunt, etiamsi perturbationibus, & omni rerum affectu vacent: sed à multis liberi ac soluti, ab uno retinentur. Alius enim multis vinculis constrictus est, nec ab illis multis se solutum iri sperat. Qui autem vincula plurima abrumpere potuit, & adhuc ab uno impeditur, plus aliis dolet, & ab illo quoque ut eximatur, studiose dat ope-
G ram, ut liber appareat, ut gaudens incedat, ut cum festinatione ad eum proficiscatur, quem desideravit, cuius causa item vinculis exsolui contendit. Illum igitur singuli solum expetamus, qui nos levare istis vinculis potest, illum, exoptemus, illum, cuius pulchritudine omnis cogitatio & mens obstupescit, quæque animam omnem vulnerat, & quibusdam alis ad charitatem subvehit, & cum Deo in omne ævum consociat, atque conglutinat.

Eia, fratres mei, ad hunc actionibus currite. Eia amici, exurgite. Ne posteriores ferre velitis. Ne vos nimium amantes, nobis obloquamini. Ne affirmetis impossibile videri Spiritum sanctum accipere. Ne dicite, absque ipso salutem posse dari. Ne dicite, quenquam huius inscienter esse participem. Ne dicite, Deum ab hominibus non videri. Ne dicite, homines divinum lumen non videre; aut id his temporibus fieri non posse. Nequaquam ita est, amici; immo volentibus etiam facile est: sed iis, qui vitam à perturbationum tumultibus vacantem, & sedatam agunt, & qui-
H bus puri mentium oculi. Aliis peccatorum immunditiæ cæcitatem pariunt, quæ & hic & illic divino eos lumine privabunt, &, mihi credite, in ignem, & tenebras mittent. Videte amici, qualis, quam pulcher sit Dominus. Eia, ne conniveatis animo, ad terram aspicientes. Eia, ne curis terrenorum negotiorum & opum, & cupiditate gloriæ occupemini, ut hoc lumen vitæ æternæ relinquatis. Agite, venite, amici, mecum, & una, non quidem corpore, sed anima & corde elevemur, in humilitate bono Domino acclamantes, misericordi, & soli benigno Deo, & omnino exaudiet, omnino miserebitur, & omnino revelabitur, & omnino se patefaciet, & lumen suum lucidum nobis ostendet. Quid gravamini miseri, quid pigramini? Quid requiem corporis,

A & gloriam inhonoram, & ingloriam, inanem & vanam mavultis? Quid vitam virtuti deditam esse otiosam, & vacare sollicitudine dicitis? Non ita est, fratres, non est, ne erretis. Sed quemadmodum qui vitam sæcularem agunt, habentque uxores, & liberos, & divitias, ac temporalem gloriam appetunt, studium adhibent, & currunt, ut opinioni suæ satisfaciant: ita quoque omnis pœnitens, & Deo serviens festinare debet, & in continua sollicitudine versari, quomodo eius pœnitentia fiat acceptabilis, perfectaque, & Deo placita servitus. Tum Deo ex his penitus familiaris, penitus ei unitur, ipsumque ante oculos intuetur; quantumque voluntati eius morem gerere contendit, tantam sibi apud eum fiduciam, ac libertatem sumit; quod utinam & nos facere mereamur, & misericordiam impetrare cum omnibus sanctis, nunc quidem quantam B in hac vita assequi licet, illic autem Christum totum, ac totum Spiritum sanctum in Patre consequamur in sæcula sæculorum, Amen.

## CAPVT XIX.

*De intellectuali revelatione functionum divini luminis, deque divina, & quæ animo cernitur actione illius vita, quæ cum virtute transigitur.*

Sinite me solum, cellæ meæ inclusum; dimittite me cum Deo, qui solus est benignus? absistite, longius vos removete; sinite me solum mori coram Deo, qui finxit me. Nemo ostium pulset; nemo vocem mittat; nemo cognatorum, amicorumque me visat, nemo mentem meam à contemplatione boni, ac speciosi Domini abstrahat; nemo mihi cibum porrigat; nemo potum afferat: sufficiet enim mihi emori in conspectu Dei mei, Dei misericordis, Dei benigni, qui in terras descendit, ut peccatores vocaret, & secum eos in vitam C cælestem perduceret. Nolo lucem mundi huius, nec ipsum solem, nec quæ in mundo sunt, videre amplius. Video namque Dominum meum, video regem, video verum lumen, & cuiusque luminis creatorem. Video fontem omnis boni. Video auctorem, & causam rerum omnium. Video principium principij expers, à quo producta sunt universa; & per quem vivunt, alimentoque implentur omnia; & cuius voluntate deficiunt, ac desinunt omnia. Quomodo igitur eo deserto cellam meam egrediar? Sinite me, & lamentabor, & deplorabo noctes & dies, quos perdidi, dum intueor mundum hunc, intueor solem, intueor lumen mundi hoc sub sensum cadens, & caliginosum, quod animam haud illuminat, citra quod etiam oculis capti vivunt, & cum hinc morte discesserint, nunc videntibus pares erunt; in quo & ego vagabundus lætabar omnimodis, ac prorsus aliud lumen esse non putabam, quod & vita esset, ut diximus, & causa essentiæ omnino tum eius quod est, tum eius quod erit: eramque velut ἄθεος, cum ignorarem Deum meum. Nunc autem postquam complacuit D ineffabili misericordiæ, videri à me, & revelari mihi indigno, vidi, & verè cognovi, ipsum Deum universorum esse, Deum omnium quæ in mundo sunt, quem nemo hominum vidit; extra mundum quippe est, extra lucem, ac tenebras, extra aërem, extra mentem ac sensum omnem. Quare ego quoque eum videns, à sensibus abij. Ergo vos quibus sensus imperant, me missum facite, ac sinite me non solùm cellam occludere, & intus sedere; sed si vel effossa humo me abscondero, & ibi vitam extra mundum totum vixero, aspiciensque immortalem conditorem ac Dominum, eius amore mori voluero, sciens me utique non moriturum. Quid igitur commodi mundus mihi attulit? Et quid nunc lucri referunt, qui in mundo degunt? Profectò nihil; sed nudi in sepulchris habitant, resurgentque nudi, & Ioan. 3. indicabuntur omnes; quia veram vitam, quia lucem mundi, Christum, inquam, relinquentes, dilexerunt tenebras, & in ipsis ambulare elegerunt omnes, qui lucem non receperunt, quæ fulsit in mundo, quam mundus non capit, nec videre potest. Quocirca relinquite, sinite me solum, obsecro, ut fleam & requiram hunc, ut detur mihi videaturque à me largiter. Non enim videtur tantummodo, non solum spectatur; sed communicatur etiam, & incolit, & manet, & est tanquam thesaurus in sinu absconditus: quem qui portat, voluptatem percipit, & qui videt gaudio exultat, existimatque eum quamvis occultatum cerni ab omnibus. Sed planè non cernitur, nec attingitur ab omnibus. Non hunc fur, non latro, surripere, atque auferre potest, quantumvis portantem iugulaverit. Si rapere voluerit, quærendoque excutiat marsupium, scrutetur tunicam, cingulum solvat, eumque liberè indaget, si etiam dissecto ventre rimetur viscera, invenire, ac tollere neutiquam poterit. Nam oculorum obtutum effugit, & manibus non tenetur. Et cum sit contrectabilis omnino, simul est incontrectabilis. Veruntamen tenetur manibus eorum, qui hoc digni sunt, (indigni ab hoc facessite) iacetque in manu quiddam, ô miraculum, & non quiddam, nomen enim non habet. Attonitus igitur, & hoc cupiens retinere, constringens manum, visus sum tenere, & habere, vidique rursum in ea, quod prius, ô ineffabile miraculum, ô inusitatum mysterium.

Quid frustra omnes turbamur, quid decipimus, quid ad lumen hoc quod sensui subijcitur hiamus, qui sensu intellectuali, nempe ratione condecorati sumus? Cur ad res vitæ huius caducas & perituras respicimus, qui anima incorporea, & immortali sumus præditi? Quid ista admiramur nos stupidi penitus, & instar cæcorum, pondus ferri, & magnam hanc placentam, modico auro, aut pretiosæ margaritæ, ut rem æstimatione maiorem anteferimus; nec parvum sinapis granum quærimus, quod omnibus quæ oculis usurpantur, quæque sub aspectum non veniunt, maius atque præstantius est? Cur non damus omnia, & comparamus illud? Et cur hoc destituti in vita manere volumus? Credite mihi, si vel sæpius mori liceret, ut istuc parvum granum acquireremus, non esset recusanda conditio.

Væ illis, qui id in sinu animæ satum non habent, vehementer utique esurient. Væ qui id germinasse non viderunt, quoniam nudi, ut arbores foliis viduatæ stabunt. Væ qui verbis Domini fidem non commodant, ut hæc arbor fiant, & ramos emittant, studiosaque, & attenta mente quotidianum istius parvi grani incrementum curent; nam eius efficientiæ detrimentum facient, sicut servus, qui stultè talentum defodit. Quorum Matt. 25. de numero ego quoque sum, negligens, & cessans assiduè.

Sed ô individua Trinitas, ô inconfusa unitas, ô lumen innominatum, ut prorsus carens nomine, ô rursum multorum nominum, ut operans omnia, ô una gloria, principium, potentia, regnum, ô lumen, una voluntas, sententia, nutus, vis & virtus, me afflictum piè miserare. Quî enim non affligar, quî non mœrorem concipiam, qui tantam bonitatem, & miserationem tuam contempsi, qui viam mandatorum tuorum tam segniter & remissè, & improbè, infelix ambulavi? Sed & nunc commoveantur viscera tua, & nunc miserere mei, & æstum cordis mei denuò accende, Christe meus, quem miseræ carnis meæ dissolutio extinxit, & somnus, saturitas ventris, & vini ingurgitatio, hæc totam animæ meæ flammam extinxerunt, & fontem, scaturiginem scilicet lachrymarum, exsiccarunt. Etenim calor ignem generat, ignis vicissim calorem, & ex ambobus flamma accenditur, & fons lachrymarum. Flamma producit fluenta; fluenta autem flammam, in quibus me divinorum mandatorum meditatio provexit. Rursum præceptorum observatio pœnitentiam ut adiutricem assumens, in medio præsentium, ac futurorum me constituit. Vnde repente abreptus à visibilibus, timore correptus sum, cernens

unde servatus essem. Futura autem longissime distantia videbam, & illa mihi comprehendere desideranti, ignis amoris accensus est, qui paulatim visus est flamma modo inexplicabili, prius quidem in mente mea, post etiam in corde, flammaque illa divini desiderij expressit lachrymas, & cum eis incredibilem mihi suavitatem præbuit. Confisus igitur in meipso, prorsus haud extinctum iri (pulchrè enim ardet dicebam) & desidiæ me dedens, somno, & saturitate insipienter subiugatus sum, & remissius vivens, vinoque liberaliter usus, non quidem ut inebriarer, sed ut poteram tamen, illico extinctum sensi illud mirum, & venerabile; desiderium nempe cordis mei, illam flammam, quæ ad cœlum pertingebat, & in me ardebat quidem vehementer, non tamen fœnaceam intra viscera mea substantiam exurebat; sed totam, mirum dictu, in flammam convertebat, & fœnum ab igne tactum, penitus non ardebat. Immo verò ignis fœnum comprehendens, illi uniebatur, totumque inconsumptum custodiebat.

O divini ignis virtutem, ô novam efficacitatem. Quid illolus petras, & colles a solo timore, & à facie tua, Christe Deus meus quomodo fœno commisceris tu, plane divina essentia, qui in lumine penitus intolerabili habitas? Quomodo manens immutabilis, & omnino inaccessibilis, fœni substantiam ita custodis, ut non comburatur? Et manens fœnum lux est, non autem lux fœnum est, sed fœno tu lux citra confusionem es unitus, & fœnum fit ut lux, mutatum immutabiliter. Non queo hæc tua miranda silentio tegere: non possum non loqui œconomiam tuam, quam fecisti mecum, qui sum prodigus, & fornicarius, & benignitatis tuæ inexhaustum thesaurum non enarrare omnibus nequeo, mi redemptor. Desidero enim mundum universum ex hoc lucem accipere, & neminem prorsus ea vacuum relinqui. Veruntamen in me primum fulge, ô rex omnium; incole, & illumina abiectam animam meam, ostende mihi apertè deitatis tuæ faciem, & omnino invisibiliter appare mihi Deus meus. Nullo enim modo videris à me, omnino tamen appare mihi. Qui ab universitate capi non potes, vere parvus quodammodo fis in manibus meis, & labiis meis ut uber lucidum, & dulcedo veritatis & coruscas, ô novum mysterium, ita & nunc da te mihi, ut te satier, ut osculer, & amplectar tuam gloriam inenarrabilem, lumen vultus tui, & impleat, & aliis omnibus communicem, & obita morte totus glorificatus ad te veniam. Ex lumine tuo & ego lumen factus tibi assistam, & tunc curis multorum malorum expeditus, etiam timore liberabor, ne rursus immuter. Etiam, Domine, da mihi hoc; etiam, largire mihi hoc, qui indigno mihi omnia cætera gratis dedisti. Hoc enim maximè opus est, & in hoc sunt omnia. Nam etsi nunc à me videris, etsi nunc quoque misereris, etsi nunc illuminas me, & mystice doces, & potenti manu tua protegis & custodis, & ades, & dæmonas in fugam vertis, & omnia mihi subiicis, & omnia mihi suppeditas, & imples me bonis omnibus, Deus meus, tamen nihil ex omnibus his proficio, nisi mihi citra pudorem dederis præterire portas mortis: nisi princeps tenebrarum veniens, gloriam tuam mihi adesse viderit, & erubuerit, adustus lumine tuo inaccesso, & omnes adversariæ potestates, visa nota sigilli tui, cum ipso in fugam convertentur, & ego gratia tua confisus transibo intrepidus, tibique appropinquabo, & ante te procumbam, quem referam fructum ex his, quæ nunc in me fiunt? Revera nullum, sed ignem in me amplius accendent. Qui enim me bonorum tuorum, & æternæ gloriæ tuæ participem, & servum atque amicum tuum fore confido, si privabor simul omnibus, & te ipso, Christe meus, quomodo non gravius tribulabor, quam infideles, qui te non cognoverunt, nec splendorem luminis tui viderunt, nec dulcedine tua saturati sunt? Quod si mihi contigerit assequi arrhabonem horum, hanc pensionem, & hæc præmia adipisci, quæ in te credentibus promisisti, tú ego quoque beatus ero, & laudabo Patrem, Filium, & Spiritum sanctum unum vere Deum in sæculorum sæcula, Amen.

## CAPUT XX.

*Solum iis perspectas, & manifestas esse res divinas, quibus per communionem sancti Spiritus totis totus unitus est Deus.*

VNde nam venis, & quinam in cellam undique clausam ingrederis? hoc novum quiddam est, quod nec dici satis, nec cogitari potest; intra me autem esse te, & totum repentè lucere, luminosumque cerni, ut lunam totam lucidam, hoc mihi mentem & linguam eripit. Christe meus. Scio te esse, qui venisti, ut illuminares sedentes in tenebris, & obstupesco, nec apud [Luc. 1.] me sum; nec fari queo; quoniam miraculum novum video; quod omnem creaturam, omnem naturam, omnem sermonem exsuperat. Veruntamen proloquar nunc omnibus, quæ mihi donasti proloqui.

O mortales universi, reges, principes, divites, pauperes, monachi, mundani, omnis terrigenarum natio, mihi modo aures date, dum magnitudinem benignitatis Dei mei edissero. Peccavi ei, ut alius in orbe terrarum nemo. Ne quis me istuc ex animi demissione arbitretur dicere. Peccavi plusquam omnes mortales, peccati omne genus, ut uno verbo dicam, & sceleribus me adstrinxi. Veruntamen vocavit me, & exaudivit statim, quod scio. At enim quo tu me ab ipso vocatum esse suspicatus es? num ad gloriam mundanam, aut delicias, aut remissionem & ferias? Num ad divitias, aut amicitiam Principum, aut ad eorum aliquid, quæ in hac vita sunt? Mitte male loqui. Ad pœnitentiam me vocavit, inquam, statimque vocantem secutus, & cursu currentem fugientemque, ut leporem canis insecutus sum. Distante autem à me longius, & abscondito Salvatore, non adhibui desperationem in consilium, nec ut eo amisso pedem retuli: sed in quo etiam loco sedens lamentabar, flebam, ablatumque è conspectu meo Dominum revocabam. Cum sic iactarer & vociferarer, se oculis meis reddidit; mihique proximè appropinquavit. Quem cernens exilui, & ad eum apprehendendum prosilui. Verum ille celeriter se proripuit. Ego currere incitatius, & sæpe eius laciniam prehendere. Ille consistere paululum, ego lætari mirificè. Avolat denuo, insequor denuo. Et cum ita abiisset, qui venerat, occultasset se qui apparuerat, non me retro converti, nec me tantillum piguit, nec de cursu remisi, nec me ab illo deceptum, aut tentatum existimavi ullo modo; sed quem non amplius videbam, quantis valebam viribus, & omni facultate mea cœpi exquirere, viasque & sepes circumspicere, sicubi appareret. Obortis autem complebar lachrymis, & omnes percunctabar, qui aliquando ipsum vidissent. Quos porrò à me pu- [Cant. 3.] tas intelligi? An huius mundi sapientes, & scientiis excultos? Minimè sanè; sed Prophetas, Apostolos, & Patres vere sapientes, illam ipsam sapientiam totam possidentes, quæ est Christus ipsemet Dei sapientia. Hos igitur lachrymans, cum incredibili dolore cordis mei rogabam, ut dicerent mihi, ubi tandem ipsum vidissent, aut quo in loco, aut quomodo, & qua ratione. Certior ab iis factus, currebam quantum poteram, & somnum penitus excludens, mihimet instabam. Unde contigit ut viderem quem desiderabam, sed mediocriter, & recognoscens eum, celeri cursu, ut ante dixi, insequebar. Postquam itaque vidit me omnia ducentem pro nihilo, quæque in mundo sunt, & ipsum mundum, & homines huius mundi quasi non extarent, reputantem ex animo, & à mundo separatum, in hac affectione mea totus toti mihi se conspiciendum præbuit, totus se mecum commiscuit, qui extra

A mundum est, eum que cum omnibus, quæ in eo sunt, portat, & manu sola, quæque cernuntur, quæque non cernuntur continet. Ergo hic, audite, cum occurrisset, invenit, me, unde venerit, nescio. Quomodo enim nosse poteram cum nemo hominum unquã noverit nec unde venerit, nec ubi sit, ubi pascat, ubi cubet? Prorsus enim non videtur, prorsus non intelligitur, & habitat lucem inaccessibilem, & lux est in triplici hypostasi, modo inexplicabili, in locis incircumscriptis, nullis finibus ac terminis inclusus, & circumscriptus Deus meus, unus Pater, similiter unus Filius cum Spiritu sancto, unum tria, & tria unus Deus ineffabiliter. Non enim sermo expresserit, quibus verba nulla sunt paria, & quæ mens parum assequitur.

*Cant. 1.*

Certè quæ in nobis sunt, vix ea tibi aliquantum explicare queo: hæc autem divina nec ego, nec ullus alius ulla ratione: quo pacto videlicet Deus segregatus ab omnibus essentia, natura, potestate, gloria, & quomodo ubique in omnibus, singulariter verò in Sanctis habitet, & in his tabernaculum sibi constituat, ita ut idipsum cognoscant, & essentialiter, qui penitus est sententiam omnem excedit. Quo pacto contineatur humanis visceribus, qui omnem creaturam ipse continet. Quo pacto fulgeat in corde carnali atque crasso. Quomodo intra illud sit, quomodo extra omnia sit, & tamen impleat omnia. Die noctuque splendet, & non cernitur. Hæc omnia, dic mihi, ecquid mens humana penetrabit, aut explanare tibi poterit? Profectò non Angelus, non Archangelus exponere, verbisque declarare hæc valebit, quæ solus spiritus divinus cognoscit, solus scit: quippe eiusdem naturæ thronique socius, & simul cum patre, ac filio principii expers. Is quibus fulserit, & abundè copulatus fuerit, illis omnia re ipsa ostendit, modo quo dici non potest. Quemadmodum enim cæcus, si aspiciat, primum videt lumen deinde in lumine, mirum dictu, omnem creaturam: sic cœlesti spiritu illustratus animam, statim lumen participat, & lumen videt, lumen Dei, & Deum omnino, qui ei monstrat omnia, vel potius omnia quæ iubet, quæ vult, & cupit. Quos illuminat, iis dat intueri quæ sunt in divino lumine, ac pro portione claritatis & custodiæ mandatorum Dei illuminati cernunt, occultorumque Dei mysteriorum altitudine initiantur. Perinde ut si quis in domum tenebrosam manu lampadem tenens, aut alio cum lampade præcedente ingressus, omnia quæ illic sunt aspiciat. Nam similiter radiis solis sub intelligentiam cadentis clarè illustratus, ab omnibus aliis ignorata videt, & loquitur: immo non omnia, sed quæ verbis consequi licuerit. Quis enim quæ illic sunt, qualia, quanta, cuius generis sint, cum incomprehensa, & invisibilia sint universis, oratione expresserit? Speciem namque specie carentium, quantitatem non quantorum, pulchritudinem non intelligibilium quis intelliget? quomodo metietur quomodo formas formam non habentium ulla ratione verbis proferre, & sermone describere poterit? Respondebis, omnino non posse. Sed illi tantummodo hæc norunt, qui viderunt.

D Quod cum ita sit, non verbis, sed factis efficere festinemus, ut videamus, divinorumque arcanorum divitias discamus, quas donat Dominus cum labore inquirentibus, & quos totius mundi oblivionem, rerumque illorum omnium sibi comparasse certum est. Etenim qui illa exquirit, totoque animo consectatur, qui tandem omnium prætereuntium ac labentium memoriam verè non eiiciet, & ab is mentem nudatam possidebit, & mox superior omnibus, & solus invenietur? Quem Deus, qui solus est, propter se solum factum, ac mundum, mundanaque aspernatum conspiciens, solus solum inveniens, cum eo unum fit. O venerandam œconomiam, ó bonitatem inexplicabilem. Quæ hinc sequuntur, ne interroga, nec scrutare, ne exquire. Nam si stellarum multitudinem, aut pluviæ guttas nec arenam numerare, quin & reliquarum creaturarum ... magnitudinem, naturam, dispositionem

E & ordinem, & harum causas ut sunt, nullus dicere aut cogitare potest, quomodo misericordiam creatoris effari poterit, quam exhibet animabus sanctis, quibuscum unitus fuerit? Prorsus enim illas coniunctione sua quadam divinitate impertit. Qui tum sint mores animæ deificatæ quæ natura, quæ affectio, quæ voluntas, quis demum status, & conditio, qui narrare tibi vult, is etiam sermone nescio quo quid Deus sit, docere te contendit. Verum hæc indagare fas non est mundanis, aut secundum carnem viventibus, sed fide sola amplectenda sunt; imitanda exempla sanctorum omnium, & in lachrymis ac pœnitentia, & reliqua austeritate vitæ, tentationibusque sufferendis currendum, ut mundum evadant, quod suprà tetigimus, & omnia ut quærebamus, sufficienter invenient. Obstupescent autem eo invento, & admirabuntur, ac pro me misero supplicabunt, ne hæc amittam: sed ea ipsa assequar, quæ

F assequi desiderabam, & desidero, desiderioque desiderium obtuseo, & hebeto. Et cum audierim aliquando, desiderium accendere desiderium; & ignem alere flammam, id in me non experior: sed nescio quo modo amoris magnitudo amorem meum extinguit.

Non dicam quantum vellem dicere, & puto nequaquam amorem Dei me æquiparare. Deum autem insatiabiliter amare studeo quantum volo, etiam quod prædictus eram, mira res, amorem Dei perdo. Vt avarus homo, qui thesaurum habet, quia non omnia habet, planè nihil se habere putat, quamvis auri plurimum habeat: sic sane in mea causa infelix ego puto accidere. Quia non amo ut volo, & planè non quantum volo, non arbitror me amare vel aliquantum. Amare igitur quantum volo, amor supra amorem est, & cogo naturam meam supra naturam amare. Infima autem natura & ipso quod possidebat robore spoliatur, & moritur mirabiliter vivens amor; magis enim tunc vivescit, & in me florescit. Vt tibi declarem quemadmodum floreat, exemplis careo. Hoc solum accipe, verbis hæc aslari posse neminem. Qui solus Deus, &

G talium bonorum verus suppeditator est, det omnibus per pœnitentiam hæc exquirentibus, lugentibus, & lamentantibus, & bene purgatis adipisci, & cum iucundo sensu his perfrui, & cum his peregrinationem suam conficientibus, & in iis quiescentibus vita æterna potiri, & consortes gloriæ inestiabilis per ea inveniri.

## CAPVT XXI.

*Ad quendam discipulum. Animas pœnitentia, & fletibus purgatas cum divinus ignis sancti Spiritus afflaverit, eas complecti, & purgare amplius, partes earum propter peccatum obscuratas illuminare, & sanatione vulnera ad perfectam cicatricem perducere, ut divina pulchritudine supra modum coruscent.*

H VEre ignis est divinitas, ut dictum est à Domino, quem ut in terras mitteret, idcirco venit. Sed in quam terram recedo. In omnes homines, qui terrena sapiunt, quem voluit, & vult ardere in omnibus. Audi mi fili, & cognosce divinorum mysteriorum altitudinem. Hunc cælestem ignem qualem nam esse indicas: An aspectabilem, & creatum, aut intellectu percipiendum? Non utique, nam de eo nunc doceris, & initiaris, certoque scis, illum non capi, increatum, ab omni aspectu extraneum, sine principio, ab omni concretione liberum, immutabilem & incircumscriptum penitus, inextinctum, immortalem, omnino incomprehensum, extra omnes creaturas materia constantes, & à materia segregatas, visibiles invisibiles, corporeas incorporeas, terrestres & cælestes, extra has, inquam, omnes est secundum naturam & essentiam, imò etiam secundum

*Luc. 12.*

potentiam.

A potentiam. Hic igitur, dic mihi, in quam materiam inferetur? In animas vtique habentes oleum vberrimè, & ante istuc & cum istoc fidem, & opera fidem confirmantia possidentes. His vt lychno, oleo, & stuppa pleno ignem Dominus immittit, quem mundus non vidit, nec videre potest. Mundum dico, qui in mundo sunt, & mundana sapiunt. Sicut porrò lychnus seu lucerna quam videmus, admoto igne accenditur: ita spiritualiter intellige divinum ignem animas attingere, easque inflammare. Quomodo inflammabit, antequam attingat? quomodo attinget, antequam mittatur? Profectò nequaquam omnino. Ardens autem lychnus, & clarum lucens omnibus, si Deum defecerit, numquid non extinguetur?

Aliud maius observa, quod me terret plus omnibus. Conspicuum lucernam meum valde, cum olei infusi copia, & stuppa plurima, mus, sive alia quæpiam bestiola proterens aut evertit, aut paulatim suctu oleum absumpsit, stuppamque comedit, atque ita lampadem
B extinxit. Mirabilius autem, quod stuppa tota (ellychnium vocant) illapsa in oleum, repente ignem extinguit, & est mihi lucerna mea tenebrosa prorsus, nec apparet. Lucernam seu lampadem animam intelligito, oleum virtutes, mentem ipsam ellychnium, & in eo divinum ignem, lucentem, illuminantemque animam simul, & domicilium totum corporis mei, quæque in eo sunt cogitationes, & agitationes animi omnes. Hoc autem animadverte, si invidia, aut malevolentia, aut amor gloriæ, aut cupiditas alia cuiuspiam voluptatis, aut perturbatio demum alia sese commoverit, & lampadem everterit, id est, scopum, & propositum voluntatis meæ, aut oleum elinxerit, virtutes omnes aut aliquid ellychnium, nempe mentem meam, ut dixi, in se ipsa habentem lumen clare fulgens, pravis cogitationibus abstraxit & devorat, aut etiam totam in oleo demergit, dum videlicet virtutum suarum actiones recolit ac versat, & inde de se magnifice existimans excæcatur, si lampadem meam hinc, aut aliunde fortasse extingui contingat; vbi tunc ignem esse, aut quid me fieri dices? Permanere illum cum lampade, an ab ea secludi ac seiungi? Prô amentiam,
C prô insaniam. Quo pacto lampas citra ignem accendi, aut ignis absque materia manere in lampade potest? Semper enim ignis materiam appetit qua pascatur. Nostrum est autem planè, hanc præparare, & promptè nos ipsos tanquam lampades exhibere, oleo plenos, id est, omnigenis virtutibus exornatos. Mentis verò ellychnium erectum proferre, vt igne contactum, paulatim flammam concipiat. Sic cum ijs manet, qui ipsum acquisierunt. Aliter, ne quis sibi fraudem det, non videtur, non tenetur, non cohibetur penitus. Est enim, quod mens etiam supra, extra hanc rerum naturam, & ita capitur vnione ineffabili, vt tamen capi nequeat: similiterque circumscribitur, nec tamen circumscribitur.

Hæc porrò neutiquam sermonibus nec cogitationibus investiga? sed ignem posce accipere, qui manifeste istæc omnia, & alia ineffabiliter arcaniora docet, & ostendit his, à quibus habetur. Audi, si placet, fili. Cùm fulserit, quemadmodum dixi, & examen motionum rationi repugnantium expulerit, domumque animæ tuæ expurgaverit, sine mistione illi admiscetur, & modo inexplicabili essentialiter eius essentiæ,
D totus toti penitus vnitur, eamque sensim lucidam facit, inflammat, & illuminat sic, vt à me explicari non possit. Fit vnum ex duobus, ex anima, & creatore, & in anima est creator solus cum sola totus. Qui manu sua creaturam omnem continet, ne dubita, hic totus cum Patre, & sancto Spiritu vna anima capitur, & animam intra se totam complectitur. Intellige, vide, perpende hæc: dixi enim tibi, animam lumen intolerabile, & inaccessum Angelis intra se continere, & ipsum lumen vicissim habitare intra animam, & eam neutiquam vrere. Cognosti profundum mysterium, homo, inter ea quæ sub aspectum subii-

E ciuntur exiguum quid, vmbra & puluis, in medio sui Deum totum continet, a cuius digito pendet creatura, & à quo quilibet essentiam suam, vitam, & motum habet. Mens omnis, anima, & ratio ratione præditorum ab hoc est: eodemque modo spiritus animalium intelligentia vacantium, & omnino vniversorum tum ratiocinantium, tum tantummodo sentientium esse hinc manat. Hunc habens, quisquis habebit, & intra se gestans, & eius pulchritudinem spectans, quomodo desiderij flammam feret? quomodo ignem amoris sustinebit? quomodo calidas è corde lacrymas non stillabit? quomodo admiranda illa enarrabit? quomodo quæ in ipso fiunt enumerabit quomodo planè tacebit, cùm cogatur loqui? Videt etiam sese in inferis, post illustrationem luminis, inquam. Etenim nemo ibi sedentium ante divini luminis illuminationem se cognoscit; sed in ignorantia caliginis, qua obsessi tenentur, corruptionisque, & mortis versantur. Veruntamen videt vbi fulget anima illa, & se in
F densissimis tenebris, & custodia tutissima profundissimæ ignorantiæ totam esse intelligit. Tunc cernit, vbi clausa sit, locum totum nihil esse præter cœnum, immundorum, venenatorum, & serpentium plenum; se ipsam verò ligatam, & vinculis constrictam manus & pedes, & squallidam, & sordidam, & serpentum simul morsibus sauciam, & gestare se carnem suam tumefactam, scatentemque vermibus. Hæc qui videt, quomodo non exhorrescet? quomodo non plorabit? quomodo non clamabit, & ferventer pœnitebit, atque à teterrimis vinculis vt liberetur rogabit? Profectò quicunque hæc vere viderit, & ingemiscet, & lamentabitur, & cum eo qui lumen fudit, cum Christo, inquam esse volet.

Hæc itaque facientem me, quæ dixi, & in genua ante effulgentem cadentem (probe mihi quæ dicam considera) tangit ille manibus, vulnera, & vincula mea. Atque vbi manus me tangit, aut digitus admovetur, statim rumpuntur vincula, vermes emoriuntur, oræ vulnerum in vnum attrahuntur, decidunt sordes, & labes carnis meæ, fit contractio in cicatricem repentè tanta, vt eo in loco cicatrix omnino nulla appareat, sed is potius similiter vt divina manus coruscus efficitur. Mira & nova res caro mea. Essentia animæ meæ,
G immò & corporis mei divinam assecuta gloriam, fulgorem facit divinum. Videns hoc in parte corporis mei perfectum, quomodo non desiderabo, & supplicabo totum corpus meum à malis liberari, similiterque sanitatem, qualem dixi, & gloriam assequi? Tamen sic me faciente, immò etiam ferventius, & obstupefacto proportione miraculorum, bonus Dominus mota manu sua reliqua corporis mei obit, & cerno hæc, eo quo narravi modo, purgata, & divinam induta gloriam. Mox igitur purgato, & vinculis liberato, divinā mihi manū porrigit, è cœno me erigit, me complectitur, & cadit super collum meum (heu me qui istæc sustinebo?) & crebrò osculatur me. Defectum autem me penitus, & iam vires recipientem (prô, quomodo hæc literis committam?) tollit me in humeros suos, ô charitas, ô bonitas, & ab inferis, cœnoque, & caligine eductum, inducit me in alium sive mundum, sive aërem, nam penitus rem effari nequeo; hoc novi tantùm, me portari, & contineri à lumine, & ad magnum lumen induci, cuius admira-
H bilitatem ingentem, ne angeli quidem omnino, vt arbitror, inter se declarare poterunt. Cùm iam essem illic, alia mihi ostendit quæ in lumine, puta, vel potius quæ ex lumine. Novam reformationem dedit mihi intelligere, qua ipse reformavit, & denuo finxit & à corruptione liberavit me, & à morte, quod sensi, totum absoluit, vitamque immortalem donavit, & à mundo isto perituro, & his quæ ipse in eo sunt omnibus me sequestravit, stolaque non materiali, & lucida vestivit me. Induxit item calceos, annulum, & coronam, immortalia, sempiterna, omnia nova ab his quæ hic cernuntur.

A Fecit me, ô novitatem, intactilem; impalpabilem, nec non invisibilem, coniunctum his quæ sub videndi sensum non cadunt.

Postquam me isto modo, & talem fecit conditor meus, in tabernaculum sensibile, & corporeum introduxit, & in eo inclusit, munitionemque adversum me adhibuit, deductumque in mundum quem sentimus, & aspicimus, iussit rursum in eo vitam propagare. Et cùm mandasset mihi consuetudinem habere cum iis qui versantur in tenebris, liberatum à tenebris, & includi cum illis, qui in cœno habitant, vel potius docere, ad agnitionem, quibus vndique affecti sunt vulnerum, & quibus detinentur vinculorum, eos perducere: cùm hæc, inquam, mandasset, abiuit. Relictus igitur solus in prioribus tenebris, non fui contentus, quæ mihi donata antè memoraui bonis ineffabilibus, cùm me totum renouasset, totum immortalem
B reddidisset, totum deificasset, & Christum effecisset. Sed priuatio eius omnium horum bonorum obliuionem mihi afferebat, vt me egentem, ac destitutum putarem. Quare vt adhuc veteribus involutus malis cruciabar, sedensque in medio tabernaculo, velut in domuncula, aut in vase inclusus, flebam, lamentabar vehementer, prorsus foras non prospiciens. Requirebam enim illum, illum quem desiderabam, quem amaui, cuius formæ elegantia vulneratus sum. Incendebar, ardebam, totus ignescebam. Sic ergo me viventem, sic lacrymantem, tabescentemque, & atrociter flagellatum, & præ dolore vociferantem, exaudito clamore meo prospiciens ab immensa, & inconiecturabili altitudine, cum me vidisset, misertus, & pro humano, captu videri rursum dignatus est, qui est omnibus inaspectabilis. Quo conspecto, perculsus sum ego in domicilio inclusus, & in vase conclusus, & in medio tenebrarum, cœli, inquam, ac terræ medio. Res enim sensibiles appello tenebras, omnibus hominibus, & eorum animis, sensibilibus sese immiscentibus superfusas. In quibus, in sensibilibus, in-
C quam, hærentes, premuntur ab iis, & obscurantur mirum in modum.

Cæterùm in his cùm essem, vidi animo qui prius erat, & nunc est extra omnia: sumque admiratus, crede mihi, & obstupui, timui, & gaudio exultaui. Consideransque miraculum quomodo, qui nihil cum rerum natura commune habet, & est extra omnia, sit tamen in omnibus, video solus videntem me, nesciens vbi sit, quantus, cuiusmodi, & qualis sit quem video, aut quomodo videam, aut quid videam. Tamen videns quæ vidi, lamentor, quia modum hunc cognoscere nequeo, & nequaquam cogitare, aut aliqua ex parte perspicere, quo pacto me videat, quem ego video. Vidi rursum hunc totum intra domum meam, & intra hoc vas repentè extitisse, meque sibi ineffabiliter vniuisse, inenarrabiliter copulasse, & citra mistionem mihi, vt ignem ferro, vt lucem vitro mistum esse. Et reddidit me igni, reddidit vitro similem, euasique illud, quod antea videbam, & procul aspiciebam, & quo pacto admirabilem illum modum tibi explanem, verba non reperio; nec enim potui cognoscere, nec nunc
D prorsus, cognosco quomodo in me ingressus, quomodo mecũ vnitus sit. Vnitus porrò cum eo, quomodo explicabo tibi, quis ille, qui mihi, & cui vicissim ego vnitus sim? Horreo, & metuo, ne fortè, si dixero, tu non credas, & ex ignorantia lapsus in blasphemiam, frater mi, animam tuam perdas. Verùm quem me cum illo vnitum vocabo? Deum, natura geminum, hypostasi vnum, duplicem enim me fecit, & vt cernis, etiam geminum mihi nomen indidit. En distinctionem, homo sum naturâ, Deus gratiâ. Vide qualem gratiam dicam, vnionem scilicet cum illo, sensibiliter, & intellectualiter, spiritualiter, & essentialiter. Intellectualem quidem vnionem exposui tibi diversè ac variis modis: sensibilem autem aio esse illam, quæ in mysterio contingit. Purgatus enim pœnitentia, & fluentis lachrymarum, & deificati corporis, vt Dei, factus particeps in sacra

E Eucharistia nimirum, ego quoque ineffabili vnione Deus fio. Vide & obserua mysterium. Anima igitur & corpus (vt eadem iteremus ex incredibili lætitia) in duabus substantiis vnum sunt. Hæc itaque cùm vnum sint & duo, vbi corpus Christi sumpserint, & eius sanguinem biberint, ambabus substantiis, & naturis vnita Deo meo, similiter participatione quadam Deus fiunt, vocorque & honoror eius nomine, cuius substantialiter particeps effectus sum. Dicite igitur, quomodo carbo, & ferrum atrum ignita ignis videntur? Quod apparent, id vocentur: ignis apparent, ignis nominentur. Si tu te eiusmodi non deprehendis, de eiusmodi saltem tibi disserentibus fidem denegare noli, sed ex toto corde tuo quære, & accipies margaritam, aut guttam, aut sinapis granum, diuinum semen ut scintillam.

At enim quo pacto quæres quod tibi dico? Audi,
F & diligenter facito, & mox reperies. Accipe perspicuam imaginem, siue similitudinem lapidis, & ferri; in his enim natura ignis omnino una & eadem est, tametsi planè non cernatur, ignis inquam. Quod si collidantur, & materiam arripuerint, ei ex horum collisione parua scintilla exiliens ac sese coniungens penitius, eandem paulatim accendit, flammamque in altum mittit, ac pulsis tenebris domum illuminat, & quotquot in domo sunt, eos in conspectu constituit. Vidisti rem miram? Dic igitur, amabo, antequam crebrius collidantur, quomodo scintillas emittent? Sine scintilla verò, quomodo per se materia accendetur? Si prius non accendatur, quomodo tenebras dispellet? quomodo ædes collustrabit? quomodo tibi cernendi facultatem dabit? Vtique respondebis, neutiquam istuc fieri posse. Ergo & tu ita facere studeas, & accipies. Quid accipies? diuinæ naturæ scintillam, quam creator, pretiosæ margaritæ, & grano sinapis comparavit. Quid est autem, quod tibi præstandum dico? Audi patienter, fili. Sit tibi corpus, & anima pro ferro & lapide, mens ut imperatrix & domina affe-
G ctionum, in actionibus cum virtute coniunctis, & cogitationibus Deo placitis se exercens, & corpus quidem ceu lapidem, animam autem ut ferrum tenens, manibus quæ intelligentia percipiuntur, eam trahat, & ad agendum vi impellat, *Regnum quippe cælorum vim patitur.* *Matt. 11.* Quas autem actiones intelligis? quas? pervigilationes, ieiunia, fervidam pœnitentiam, imbres lachrymarum, luctum, continuam mortis memoriam, preces assiduas, omnigenarum tentationum in te irruentium patientiam. Ante hæc omnia silentium, & profundam humilitatem, perfectam obedientiam abnegationem propriæ voluntatis. His, & horum similibus anima vacans, & semper intenta, in primis scintillas suppeditat menti tuæ, quæ citò extinguuntur: quandoquidem nondum ita tenuata est, ut statim accendatur. Vbi autem divinum cordis iaculum accensum fuerit, tum & ipsam animam illuminat, & mentem purgat, atque in altum subvehit, & in cœlum extollit, atque cum divino lumine coniungit.

Priusquam hæc facias, quæ ex me audisti, quæso quomodo purgaberis? antequam verò purgeris, quo pacto mens tua divinas scintillas accipiet? Et quomo-
H do, obsecro, & si aliunde, unde nam cordi tuo illapsus ignis divinus accendetur, & ipsum accendet, & inflammabit, & uniet, & copulabit, & creaturam à creatore inseparabilem efficiet? Nemini istuc omnium qui nunc sunt, & qui post aliis erunt in annis possibile dices. Quæ deinceps sequuntur, ne interroga. Si enim lumini unitus fueris, ipsum te docebit omnia, & revelabit tibi omnia, & monstrabit, ac suggeret, quæcunque discere tua interest; nam alioqui verbis humanis percipere ea quæ illic sunt, non est ut fieri queat. Deum decet gloria, nunc & in sæcula, Amen.

## CAPVT XXII.

*Omnes sanctos illuminatos illustrari, videréque gloriam Dei, quatenus eam à natura humana videri fas est.*

RESpice de supernis Deus meus, & complaceat tibi, vt appareas mihi, & cum mendico converseris. Aperi cœlum, & revela mihi lumen tuum: vel potius aperi mentem meam, & etiam nunc intra in me, differe per impuram linguam meam sicut olim, & refelle eos, qui ita loquuntur, non esse hodie, qui Deum se vidisse noverit, neque ante hoc tempus fuisse, extra Apostolos. Sed neque illos aiunt clarè vidisse Deum, patrem tuum, docentes eum cognosci & videri à nullo posse; & opponentes verbum Ioannis dilectissimi discipuli tui, *Deum nemo vidit vnquam.* Eia, Christe meus, dic acturum, vt ne imprudentibus ego nugari videar. Scribe, inquit, quæ dico, nihil vereare. Ego Deus ante omnes dies, horas, & tempora, immò ante omnia sæcula, ante creaturas omnes visibiles, & invisibiles, supra omnem omnino captum, sermonem, cogitationem solus cum solo solus, & nihil eorum quæ aspiciuntur; sed nec eorum, quæ non aspiciuntur. Eram revera, antequam nasceter. Solus ego increatus cum patre, & Spiritu sancto. Solus absque principio ex patre meo, cuius item nullum est principium. Nemo Angelorum vnquam, nec Archangelorum, nec aliorum ordinum vidit naturam meam, nec me creatorem totum, qualis sum; sed tantummodo radium gloriæ, & defluxum quendam luminis mei vident, contemplanturque. Sicut enim speculum solaribus radiis percussum, & vt lapis cristallinus in meridie illustratus; sic omnes deitatis meæ radios suscipiunt. Totum autem me videre nondum quisquam, vel Angelorum, vel hominum, vel sanctarum virtutum promeruit. Sum enim extra omnia, & nullis oculis aspectabilis. Neque verò his aspectum mei invideo, neque vt deformis, me occulto, ne appaream: sed quia nemo deitate mea dignus est inventus: neque par esse potuit creatura creatori. Nec illis expedit, vt me videant. Parvum autem ex me fulgorem cernentes, initiantur, vnde sciunt verè me esse, & me Deum cognoscunt, qui ipsos procrearim, & cum tremore ac timore me celebrant, & colunt. Haud enim potuit Deus alium producere, qui potentia æquaret creatorem, nec naturæ suæ consortem. Nec vlla ratione quod conditum est, consubstantiale potest esse conditori. Qui enim increato creatura aliquando assimiletur? Atque vt hæc fateberis, sic illud non negabis, eo qui semper est, qui initium nescit, nec creatus est, creata inferiora esse; tantúmque ab eo differre, quantùm currus, & serra à fabro suo differunt. Quomodo igitur currus fabricatorem suum intelligat, quomodo serra ducentem se cognoscat, nisi cognitionem illis det, nisi videndi sensum eis immittat, qui ea paravit? quod creatis omnibus est impossibile. Prorsus igitur nullus hominum, nullus Angelorum, dandi aliis spiritum, aut vitam præbendi accepit potestatem. Dominus autem, quem penes solum est potestas omnium atque potentia, tanquam fons vitæ, animata producit, qualia voluerit, & largitur cuique vt artifex, vt Dominus pro voluntate ac beneplacito suo, cui gloria, & imperium, nunc & semper, & sæculis sempiternis. Amen.

## CAPVT XXIII.

*Gratiarum actio pro exilio, & afflictionibus, quas in persecutione sua pertulit.*

GRatias ago tibi Domine, gratias ago tibi sole, cognitor cordium, rex, iuste, misericordissime, qui in terras descendisti, & carnem induisti, Deus meus, & factus es quod non eras, homo similis mihi, sine mutatione, sine fluxu, & omni peccato: vt passus tu, qui pati non poteras, iniustè ab iniustis, mihi damnato vacationem omnium passionum donares, dum imitarer passiones tuas. Iustum igitur iudicium tuum, & præceptum simul, quod nos servare iussisti; quod quidem est imitatio humilitatis tuæ: vt quemadmodum tu passus es, qui peccato carebas, sic nos qui peccavimus, sufferamus omnia, puta tentationes, persecutiones, flagella, tribulationes, & tandem ipsam quoque necem ab improbis nobis illatam. Tu enim dæmoniacus audivisti, & seductor es habitus, & Dei adversarius, & prævaricator legis. Tu vt facinorosus comprehensus, ligatus, & ductus es solus, cunctis discipulis, & amicis te deserentibus. Tu ad iudicem vt condemnatus cùm adducerere, quam is in te protulit sententiam suscepisti. Tu locutus, alapam à servo sustinuisti, & tacens, illico morti es addictus: nam verba tua instar gladij sceleratis erant. Idcirco non ferentes ipsi iniusti te solum iustum intueri, turpissimæ neci te dediderunt. Hinc percussus caput, spinis coronatus, chlamydem vt coccineam purpuram indutus, faciem consputus, heu me, & illusus es, audistique per ludibrium, *ave rex Iudæorum.* Tu humeris portasti crucem tibi, eique infixus, in altum sublatus es Deus meus. Tu manus ac pedes transfixus, aceto potatus, & latus lancea perfossus es. Hæc tellus indignata contremuit, & quos continebat mortuos, sepulchris apertis citò reddidit. Sol te aspiciens, in sanguinem tum conversus est, & luna operta est caligine; velum præterea templi à summo vsque deorsum in duas partes scissum est. Atque horum nihil omnino illi improbi intellexerunt: sed & in monumento iacenti custodes apposuerunt, & lapidem signaverunt, ita te retenturos arbitrati. At tu, Domine, pro potestate propria resurrexisti, & claustra illa transgressoribus intacta integráque reliquisti. Adveniens autem Angelus lapidem revoluit, & custodes illos timore exanimavit. Nec tum vel aliquid intelligere volentes, cæci manserunt, & mentem atque cor obduratum vsque ad mortem retinuerunt. Quid ergo magnum facio, si & ego hæc patiar, quæ tu quoque passus es, qui sine peccato eras, vt mundum salvares: ego, inquam, qui inde à prima ætate peccavi plurima, & ad iram te dictis, & factis provocavi: Hoc mihi magnum revera, & maius omni gloria, quod me participem facit gloriæ tuæ ineffabilis, communio passionum, & imitatio operum tuorum; & humilitas tua his, qui eam consectari sciunt, divinitatem conciliat. Gratias ago tibi, Domine, cùm iniustè patior. Cùm autem iustè, id mihi in compensationem peccatorum, & purgationem innumerabilium delictorum meorum esto. Quæso, Domine, ne mihi vnquam labores aut tentationes, aut afflictiones supra vires invehi sinas; sed exitum, & ad sustinendum robur mihi semper impertias. Tu enim es bonorum largitor ab initio, his, qui potentiæ tuæ ex animo supplices cadunt, erogans fidei, operúmque, & bonæ spei charismata, & dona omnia divini adorandique spiritus tui, nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

## CAPVT XXIV.

*Supplex ad Deum precatio, pro auxilio impetrando.*

DOmine IESV CHRISTE, Domine Salvator animarum, ô Deus, Domine virtutum omnium quæ sub aspectum subiiciuntur, & quæ non subiiciuntur, utpote conditor omnium quæ in cœlo, & supra cœlos sunt, cœli cœlorúmque omnium, similiter omnium quæ in terra, & sub terra sunt. Tu es Deus, & dominator Dominus. Tu manu tua creaturam omnem concludis, quoniam ipsa contines universa. Manus tua, Domine, est illa magna potestas, quæ patris voluntatem implens, fabricatur, operatur, creat, & administrat res nostras modo inenarrabili. Ipsa igitur & nunc me produxit, & cùm non essem, fecit ut essem. Qui etiam natus ita eram in hoc mundo, ut ignorantem te omnimodis, bonum Dominum, creatorem meum, opificem meum, & instar cæci eram, & velut ἄθεος, cùm non nossem Deum meum. Tu itaque misertus mei visitasti, & convertisti me, cum in tenebris mihi illuxisses, & traxisti me ad te ipsum, eductoque è fovea profundissima, & tenebris vitiorum, è tenebris altissimis concupiscentiarum, & voluptatum huius vitæ, ostendisti viam, & attribuisti ducem mihi, qui me ad mandata tua servanda perduceret, quem sequens, solutus cura vivebam semper, gaudebamque gaudium inexplicabile, videns illum tua consectantem vestigia, & tecum colloquentem sæpius. Quin etiam videns, te pium Dominum cum duce, & patre meo spirituali versantem familiarius, immensum, supráque fidem & spem concepi amorem ac desiderium tui; dicebámque, en futura video, & regnum cœlorum adest, & bona quæ oculus non vidit, [1.Cor.2.] auris non audivit, coram aspicio, ipsáque habeo; & quid amplius spero? aut fidem meam in quibus aliis demonstrabo? aliud quippe maius his non erit. Cùm in his essem, & in his delicias haberem meas, è terris sustulisti patrem meum; abstulisti ducem meum ab oculis meis, & reliqui me solum, planè orphanum, planè desertum, & omni prorsus auxilio destitutum: & heu me, gregis præfectum ac pastorem, me rectore ac tutore verè viduatum, peregrinum, quod ipse nosti iudicio constituisti. Quare te modò suppliciter rogo, ad te pronus clamo, ne aversèris, neque derelinquas, aut deseras me solum, Domine. Nosti viam transitu difficilem; nosti latronum nobis insidiantium insaniam; nosti malarum bestiarum multitudinem; nosti imbecillitatem meam & ignorantiam, qua ut homo teneor. Veruntamen planè me hominem non puto, sed longè infrà homines. Quippe secundùm omnia omnium postremus, & minimus omnium hominum sum. Præbe mihi rex, & Deus meus, quæso, magnam misericordiam tuam, quæ defectus, & negligentias meas suppleat, & hominem totum perfectum, & integrum, nullo, quod necessarium sit, egentem efficiat; & ita me coram te servum tuum indemnatum, nulli reprehensioni affinem, & laudes tuas prædicantem statuat in sæcula sæculorum. Amen.

## CAPVT XXV.

*Quædam Theologica. Mentem à sordibus motionum cum ratione pugnantium expurgatam, Deum insensibilem, & à concretione materiæ liberum aspicere.*

QVam viam ambulem, quam semitam declinem, quam ingrediar portam, quam aperiam ianuam, intra quod cubiculum, intra quam, aut qualem domum inveniam, qui manu sua tenet universa? Quem montem conscendam, ex qua parte, & quod antrum illic contingam, aut quam paludem pervadens, ubique præsentem, & incomprehensum, inaspectabilémque videre, miser, & obtinere merebor? In quem infernum descendam, in quod cœlum ascendam, & cuius maris fines petam, ut inveniam omnino inaccessum, omnino incircumscriptum, totum impalpabilem? In materialibus immaterialem, in corruptibilibus incorruptibilem, in creaturis increatum, dic mihi quo pacto reperiam? Qui in mundo sum, quomodo extra mundum ero? Qui materiæ implicatus sum, quomodo cum immateriali consociabor? Qui totus sum corruptioni obnoxius, quomodo cùm interitus omnis experte devinciar? Qui sum in morte, quomodo tandem vitæ appropinquabo? Ego mortuus, quomodo immortali propior fiam? Qui totus sum fœnum, quomodo ignem tangere audebo? Veruntamen nunc arcanorum dissolutionem audi.

Priusquam cœlum, & terra conderentur, Deus erat Trinitas, solus sine socio, lux sine principio, lux increata, lux penitus ineffabilis, Deus verus, solus interminabilis, perpetuus, sempiternus, longè optimus. Rectè intellige Deum solum, in principio Trinitatem plusquam sine principio, & super omne principium, quam nemo imaginari, cuius altitudinem, profunditatem, latitudinem metiri nemo potest, quæque magnitudinis, & lucis finem, ac modum nullum habet. Non erat aer ut nunc, non erant tenebræ ullæ, non lumen, non aqua, non æther, non aliud rerum quidquam. Erat autem solus Deus, spiritus lucidissimus, omnipotens, & omni concretione liber. Is Angelos, Principatus, & Potestates, Cherubim, & Seraphim, Dominationes, Thronos, & sine nomine ordines, cum timore, & tremore ei assistentes ac ministrantes creavit. Postea cœlum ut cameram, corporea natura constans, sensibile, crassum, & aspectabile produxit, & ut ipse solus novit, in ictu oculi extendit, simúlque terram, aquas, & omnes abyssos in medio complexu eius sola voluntate talia fecit, qualia nunc videmus; mansitque in his lumen illud immateriale, nihil ex his participans. Cœlum extensum, & sensui subiectum, ut dixi, à lumine immateriali non scintillas aliquas excussit. Nam cùm in iis sit, quæ materia constant, tamen extra ea omnino, non quidem loco, sed natura & essentia est, à materialibus enim, qui longissimè abest à materia, separatur, non habens locum sibi proprium, quandoquidem non circumscribitur. Ipse verbo omnia in seipso producit, & natura à creatis omnibus seiunctus, & [Hebr.1.] portans omnia in seipso, extra omnia est. Quemadmodum enim mentem, & Angelum muri, & ianuæ ab ædibus non arcent, nec intus detinent: sic horum opifex neutiquam extra, nec intra cœlum, nec in alio loco, sed omnino ubique Deus est, segregatus ab omnibus cum materia coniunctis, & creatis a se rebus. Factum est igitur cœlum, & naturâ, ut dictum est, à lumine immateriali discrepuit, & tanquam domus atra absque lumine mansit: cui universitatis Dominus solem, & lunam accendit, ut ipsa sensibilia iis lucerent, qui sensibus uterentur. Dedit etiam in manus nostras genus luminis, quod noctu luceret, è ferro & silice excussum mirabiliter. Ipse autem nihil commune habet cum ullo lumine, omni luce lucidior, longéque splendidissimus, quantum ferre nulla creatura potest. Ut enim radiante sole astra non apparent: sic si Dominus solis lucere voluerit, eius ortum nemo vivens sustinebit. Quapropter mentem pulveri, rei corporatæ copulavit, & nos homines universos in materialibus collocavit, ut in fide constanti, & mandatorum observatione, mentem materiæ expertem, quam prævaricationis caligine confudimus & contaminavimus in concupiscentiis materialibus, & gustu voluptatum videlicet, rursum perpurgantes, immateriale in materialibus immaterialiter aspiciamus lumen illud, quod dixi esse

Deum

Deum plusquam absque principio oculis istis corporeis inaspectabilem, & intellectualibus cordis oculis inaccessibilem. Miror enim, quo pacto anima, cùm tota a materia semota sit, & intellectualem mentis oculum habeat, ceu duabus fenestris sensibiliter vsa corporis oculis, per eosdem prospiciens omnia quæ videri possunt, videat, reversáque omnia sub intellectum cadentia, & materia vacantia immaterialiter videat, & in medio pereuntium, ac permanentium singulari quodam modo detenta, ab illis ad voluptates, & vitia pertrahatur: ab istis contra ad cœlum velut alis subvecta, ibi consistere contendat; sed abstrahatur tamen, iterúmque subvolare ardenter studeat, per cœlum cupiens incedere, & sub se cernere omnia, quæ aspectu sentiuntur. Nam cùm omnia quæ in mundo sunt, ipsi laquei videantur, malè metuit planè, in terra ingredi & considere, ne istis laqueis implicata retineatur, & immitium bestiarum esca fiat. Talis piorum, fidelium, & Sanctorum omnium vita est, quam omnes imitari oportet; vt etiam cum iisdem Christo Deo, vniversorum iudici, insontes sistantur, & eiusdem regni atque gloriæ in omne ævum consortes fiant.

## CAPVT XXVI.

*Desiderium, & amorem erga Deum quemvis amorem, & quodvis desiderium humanum transcendere, mentémque purgatorum in lumen Dei immersam, divinam naturam induere, indéque Christi mentem, seu sensum appellari.*

INcredibilis pulchritudo tua, Domine IESV, incomparabilis species, ineffabilis elegantia, sermonem & opinionem vincunt. Mores tui, bonitas, & mansuetudo tua omnium mortalium cogitationes excedunt. Ideóque desiderium tui, & amor erga te, omnem hominum amorem, ac desiderium multis partibus superat. Quantum enim tu aspectabilibus antecellis, tanto maior est amor tui, & omnem qui hominibus intercedit amorem obscurat, omnes corporearum voluptatum amores evertit, omnésque malas cupiditates mox repellit. Verè enim concupiscentiæ tenebræ sunt, & nox profunda turpis peccatorum perpetratio; amor autem, & charitas erga te lux: quæ cùm in animabus Deum amantibus exoritur, illico depulsis perturbationum ac voluptatum tenebris, diem ἀπαθείας diffundit. O mirificum, & inopinabile opus Dei altissimi. O mysteriorum, quæ occultè peraguntur virtus. Tu & labentia, & æterna nobis donas. Tu terrena cum cœlestibus, præsentia cum futuris, vt omnium opifex, vt potestatem habens cœlestium ac terrestrium. Cur igitur infelices nos, homines plus quàm te diligimus, & illis miserè amplius servimus, vt ab eis exiguam, & fluxam mercedem recipiamus, quibus addicimus animas nostras, & corpora, vt iis ceu vasis vilibus, abiectísque abutantur, & cum simus membra tua domini universorum, sancta, inquam, membra sancti Domini, & cuius potestas aliunde non pendet, non perhorrescimus ea perversis dæmonibus sponte nostra ad fœdissimè peccandum exponere. Quis ergo servorum tuorum fidelium à lachrymis temperabit? quis adeò arrogantem audaciam non lamentabitur? quis non tantam patientiam tuam, Deus, venerabitur? quis divini iudicij retributionem non tremiscet? gehennæ videlicet ignem intolerabilem, & nullis extinguendum sæculis, vbi fletus, & stridor dentium, & dolor non consolabilis, & cruciatus inexplicabilis.

Sed ô sol, solis huius quem cernimus, & lunæ, & siderum omnium, & lucis, & totius rerum naturæ conditor, absconde me ab his in tuo lumine, vt in eo te solum intuens, mundum, & ea quæ in mundo sunt, non videam: sed & videns sim quasi non viderem, & audiens quasi non audirem. Et quod accidit sedentibus in huius vitæ tenebris, quibus operiuntur, voluptatum, inquam, & vanæ gloriæ, videntes non vident gloriam tuam cœlestem, & audientes mandata ac præcepta tua, prorsus non intelligunt, idem mihi usu veniet in lumine tuo, cùm non videbo mundum, nec quæ mundus continet. Quis namque te viso, & à gloria, divinóque lumine tuo se illustratum sentiens, non mentem, animam, & præcordia immutatus est, alitérque videre, & audire ingenti sanè differentia meruit? Immergitur quippe mens in lumine tuo, & simile gloriæ tuæ lumen perfectè adipiscitur, & huiuscemodi mens tua vocatur, cùm tu eam dignatus sis fieri, & habere mentem sive sensum tuum, tecúmque unitur vinculo indissolubili. Et quomodo non omnia imperturbatè, sicut tu, videbit & audiet? quomodo divinitatem consecuta, quippiam quod sensu percipiatur, expetet? quomodo labile, & corruptioni obnoxium aliquid, seu inanem gloriam, quæ omnibus, & omni gloria, quæ videtur, maior est? Nam qui omnibus istis, quæ in oculos incurrunt, spretis, in Dei familiaritatem se insinuavit, vel potius ipse quoque Deus appellatur, quî tandem ex infra se iacentibus gloriam vllam, aut delicias velit quærere? Hæc enim profectò pudori ac dedecori sunt illi, contumeliæ, contemptui, infamiæ. Gloria autem, & deliciæ, & divitiæ eius Deus Trinitas, quæque Dei, ac divina sunt, quem decet omnis gloria, honor, potentia semper, & nunc, & in omnia sæcula. Amen.

## CAPVT XXVII.

*Confessio gratiæ donorum Dei, & quomodo in Patre hæc scribente Spiritus Sanctus operatus fuerit. Item à Deo paranesis quid ad salutem obtinendam faciendum sit.*

RVrsum fulget mihi lux. Rursus lucem clarè aspicio. Rursum aperit cœlum, & noctem fugat. Rursum retegit, & ostendit omnia. Rursum cernitur sola. Rursum me ab omnibus visibilibus abducit, similitérque ab omnibus ad sensum pertinentibus, papæ, me disiungit. Rursum qui est super omnes cœlos, quem hominum nemo vidit vnquam, non reserans cœlum, non dividens noctem, non dirimens aërem, non rumpens domus tectum, nulla penitus re penetrata mecum misero intra cellam meam, intra mentem meam versatur, & in medium cor meum (ô venerandum mysterium) omnibus vt sunt manentibus, illabitur mihi lumen, & attollit me super omnia; quique in medio sum omnium, fio extra omnia, haud scio, num etiam extra corpus. Nunc ibi totus sum revera, vbi lumen est solum, & simplex; quod intuens, simplex evado innocentia. Hæc sunt, Christe, miraculorum tuorum mirabilia; hæc potentiæ, & benignitatis tuæ opera, quæ in nos indignos edis. Ea de causa timeo & tremo, & sollicitudine afficior assidua, macerórque vehementer, quid tibi pro tantis, & innumerabilibus donis ex tanta misericordia in me collatis retribuam, quidve tibi offeram, nihilque in me inveniens, cùm nihil meum sit in vita, sed omnia tibi serviant, omnia sint manuum tuarum opera, maiorem in modum pudore suffundor, valdéque excrucior, & discere percupio, quid faciendum sit vt colam te, vt placeam tibi, quo coram terribili tribunali tuo in die iudicij damnationem effugiam.

Audi quid facias, quicunque salvandus es, immò verò tu ante omnes, qui me rogas. Hodie te mortuum esse puta; hodie renuntiasse, hodie totum mundum reliquisse; hodie amicos, cognatos, omnem vanam

gloriam

gloriam deserens, simul sollicitudinem rerum inferiorum pone funditus, sublatámque crucem tuam in humeros arctè constringe, & eam usque ad exitum vitæ baiula. Labores tentationum, dolores tribulationum, & molestiarum clavos summo gaudio excipe, vt coronam gloriæ. Iniuriarum lanceis confixus in horas, & omni genere ignominiarum acerrimè lapidatus, lachrymis pro sanguine profusis, martyr eris, illusionésque, & alapas ferens animo gratissimo, divinitatis, & gloriæ meæ consors fies. Quod si te ipsum omnium postremum feceris, servúmque, ac ministrum, postea primum omnium te reddam, quemadmodum promisi. Si inimicos, & omnes odientes te dilexeris, & pro iniuriosis in te oraveris, illisque pro viribus tuis benefeceris, similis profectò evasisti patri tuo altissimo; & hinc purum cor adeptus, in eo Deum videbis, quem nemo vidit vnquam. Quod si etiam propter iustitiam te persecutionem pati contingat, exulta, quoniam regnum cœlorum tuum factum est. Et quid hoc maius? Hæc, & his plura, quæ mandavi, facito, & alios doce, & inter vos alter alterum, qui in me creditis, si salvationem exoptatis, mecúmque in secula sempiterna habitare vultis. Si renuitis, & indignamini, & dedecus interpretamini ista pati, & contemni, & pro mandatis meis animas ponere, quid ergo discere quæritis, quomodo vos salvari oporteat, & quibus actionibus mihi concilemini? quid tandem Deum vestrum me appellatis? quid item vos in me credere insipienter arbitramini? Ego quippe hæc vestra causa libens, ac sponte perpessus sum, in crucem actus, facinorosorum mortem obij; gloriáque mundi, vita, splendor, mortuorum resurrectio, omnium in me credentium gloriatio, indumentum immortalitatis, & deificationis probra mea, & mors ignominiosa facta sunt. Quare qui venerabiles passiones meas imitantur, etiam divinitatis meæ consortes, & regni mei hæredes, bonorúmque nulla lingua enarrandorum exprimendorúmque socij fient, & mecum in sempiternum erunt. Cæteros quis non defleat? quis non lugeat? quis non ex compassione cordis lacrymas fundat? quis magnam eorum stoliditatem non lamentetur? quandoquidem deserta vita seipsos morti tradiderunt, à Deo infœliciter abrupti; à quorum parte libera me tu Domine omnium, méque abiectum, atque vltimum servorum tuorum ne spernas immaculatarum perpessionum tuarum participem fieri, vt etiam, sicut dixisti, particeps gloriæ, & suavitatis bonorum tuorum fiam; nunc quidem vt in ænigmate, & in figura, & in speculo: tunc verò cognoscam, sicut & cognitus sum. *1. Cor 13.*

## CAPVT XXVIII.

*Gratiarum actio ad Deum pro acceptis ab eo beneficiis; & in quæstione positum, quamobrem perfecti à dæmonibus tentari permittantur. Descriptio renuntiantium mundo, & institutio, in persona Dei.*

Cognoscis mendicitatem meam, nosti orbitatem, scis solitudinem, cernis imbecillitatem, & impotentiam meam, qui me finxisti Deus meus; non ignoras, inquam, sed aspicis tu, qui omnia cognoscis. Vide cor humiliatum, vide contritum, vide vt desperabundum ad te accedentem, & da ex alto gratiam tuam; da divinum Spiritum tuum; da Salvator, paracletum; mitte sicut promisisti, mitte & nunc ipsum vnà assidenti in superiore cœnaculo, revera mihi eminenti supra res terrenas omnes, & supra totum mundum, & te quærenti, tuúmque spiritum præstolanti. Ne igitur, cunctaris, misericors, ne despicias miserator, ne oblivisearis sitiente anima te quærentem, & ne excludas gloria hunc indignum, neve abomineris me, neu deleas. Viscera tua obtendo, miser cordiam tuam obiicio, & benignitatem tuam interpretem meã atque conciliatricem tibi offero. Non laboravi, non præstiti opera iustitiæ, nunquam servavi vllum mandatum tuum: sed vitam meam omnem luxuriosè, ac perditè transivi. Veruntamen non es me aspernatus; sed quæsitum invenisti, errantem à via erroris reduxisti; & cùm me per lumen gratiæ tuæ humeris tuis immaculatis miseratus imposuisses, portasti, nec defatigationem vllam sentire me passus es: verùm tanquam in curru, aut vehiculo quiescentem, dedisti molliter per vias asperas iter peragere, donec in caulam ovium tuarum restituisti, & famulis tuis aggregasti. Misericordiam tuam prædico, miserationem laudo, gratias ago, & divitias bonitatis tuæ admiror. Cùm porrò in te recubuerim, vt narravi, etiam nunc apud te sum, vt puto, totus servus tuus, affixúsque lumini, & tibi agglutinatus, & desiderio tui victus, & amore compeditus, hæreo, obstupesco, & perspicere nequeo, quare tribulatio attingat miseram meam animam; quare tristitia subintret, quare me totum conturbet; quare me privet dulcedine tua Deus, & à gaudio abstrahat terrenorum afflictio. Num me tantoperè lapsum, & peccato obstrictum, aut quia te ad iram gravius concitatum, bone Christe, relinquis, vt amplius contrister quàm antea, quando anima mea serviebat turbulentis affectionibus? Dic, & doce me nunc profunda iudicia tua. Dic, & ne detesteris loquentem me, quamvis indignus sim qui loquar, tu qui quondam cum peccatoribus, & meretricibus epulas iniuisti, & cum asotis ac publicanis cœnavisti. *Marc. 2.* Ad hæc Dominus meus hunc in modum respondit.

Nosti quemadmodum ego te è mundo ac infantem inter vlnas asportatum gustaverim. Ego totum te fasciis involuebam, & lacte nutriebam, cui nullus cibus, potúsque comparari potest; res enim meæ inscrutabiles omnino, & inexplicabiles sunt. Pædagogo te commendavi (scis quem dicam) qui te vt parvum puerum, in horas crescentem, curavit pulchre, & vt decuit, educavit. Postea factus es ephebus, quin etiam adolescentiam es ingressus, neque nescis, quomodo semper tecum fuerim, tecum accreverim, te vndique texerim, quoad commodè omnes ætatum gradus excessisti. Nunc igitur adolescens esse cum desieris, & vir perfectus, iam ad senectutem tendas, quomodo etiamnũ vt puerulum te inter brachia gestari, ac circumferri postulas? quomodo denuò fasciis involui, ac portari desideras? quomodo lacte educari, & sub pædagogo vivere? quæso, non erubescis ista dicere? Cùm tu ætatem virilem agites, aliis ministra, alios educa; quæque ad ipsorum incrementum pertinent, provide & cura omnia. Inimicis resiste, & percussus percute. Intelligis, opinor, de quibus inimicis loquar. Instructas dæmonum acies invade, & feri, nihil parcas; cadens resurge, & affatim tela contra adversariorum tela remitte: & cum te immissa pusillanimitate, ac desperatione vulnerare conentur, spe tua velut emissis in ipsos iaculis vulnerentur. Iracundia te, vt pugillatu oppugnantes, & in furorem impellentes, à mansuetudine tua in faciem alapas accipiant, extráque domum tuam procul eiiciantur. Num enim, vt dixi, infans, aut puer pusillus es? num adhuc te imbecillitas animi tenet? Num etiam modò mens tibi ad obnitendum infirma est? Nosti & inimicos fugere, & rursum eosdem vincere. Nam & pugnans me adiutorem, ac defensorem, & fugam capessens me validum ac tutum tegumentum habes. Et quid nam, amabò, terrenorum istorum mœstitiam tibi apportat? Aurum, an argentum, an pretiosi lapides? & quis lapis me fulgidior, aut quis clarius lucet? Et tamen quis lapis, vt ego, in nulla æstimatione penitus? An verò agrorum amissio, aut penuria alimenti, aut defectio vini omnino te discruciat? Et quis alius paradisus est mei similis? aut quid par habent hæc inferiora, & caduca terræ mitiur? Quis autem panis in mundo talis, aut quod vinum conferri potest cum gratia mea, cum divino *Mat. 9.*

spiritu,

A spiritu, cum pane vitæ, quem ego do, corpus scilicet & sanguinem meum, puris corde, & indubitata fide, Ioan.6. cum timore, & tremore manducantibus, & bibentibus qua intellectu, qua sensu? quæ deliciæ, quod gaudium, quæ gloria, quæso, maior est in terris, quam me solum intueri, me solum per speculum in ænigmate 1.Cor.13 contemplari? & solum meæ gloriæ fulgorem aspicere, pérque ipsum hæc, & his plura doceri, & me Deum esse, conditorem omnium perfecte scire, & intelligere, hominem in lacu profundissimo sedentem, mecum in gratiam restitutum, & sine intervallo vt amicum cum amico colloqui, mercenariorum ordine exemptum, servili timore liberum, sine labore mihi servientem, charitate me colentem, obedientia mandatorum familiaritatem meam consecutum?

Agedum, non mercede mihi servientium, nec serviliter ad me venientium, sed amicorum, & notorum, ac filiorum meorum actiones quales solent esse, litteris consigna breviter. Omnibus mortalibus viliorem se ducere. Non mundanis solum, & in vita religiosa commilitonibus, sed etiam Ethnicis peiorem se æstimare B ex animo. Vnam minimi mandati parvam transgressionem, vitæ æternæ amissionem esse arbitrari. Parvos pueros, non secus, quam constanti ætate viros intueri, & tanquam honoratos venerari ac revereri. Cæteris item honorem tribuere; vtpote me ab alto omnia hominum facta inspiciente. Hæc quoque facere propter me, quæ perinde conscribe. Non habere adversus quempiam prorsus in corde vel tenuem commotionem, aut levem suspicionem. Toto animo precationes obire cum dolore cordis. Ex commiseratione omnes in te peccantes, similiter & me perinde offendentes orare cum lacrymis, vt ab his convertantur. Benedicere maledicentibus, & laudare ex invidia conuitiantes; & incommoda invehentes, in benemerentibus numerare: refractarios autem, nec tibi obtemperantes, omnino vt me ipsorum Dominum negantes, C lamentari, & deflere assiduò, nec eos admonendi finem facere. *Qui enim vos suscipit, dixi, me suscipit:* Mat.10. *& qui vos audit, prorsus me audit.* Qui vero verba vestra, admonitionésque non cum timore admittit, & iis usque ad mortem obsequitur, non est futurus æternæ gloriæ meæ particeps: non collocabitur mecum, qui crucem pertuli, & patri usque ad mortem obediens fui: non statuetur ad dexteram, non erit cohæres eorum, qui seipsos crucifixerunt. De cætero, ne cesses admonere, ne desinas plorare, ne intermittas ipsorum salutem exquirere: ut si te audierint, & conversi fuerint, habeas eos tanquam fratres, lucratus membra tua, mihique ut germanos, & morigeros offeras, vt & ego illos suscipiam per te, & glorificem, & tecum patri meo in muneris loco donem. Si voluntates suas non abnegauerint: si animas suas non contempserint, ut dixi; si voluntatibus suis mortui non fuerint, & vitam ac mores suos ad tuam voluntatem non accommodauerint, per tuam voluntatem meam explentes, tu D mercedem tuam haud amittes, nec ea spoliaberis; quin pro simplici ego tibi duplam rependam, quod quamuis non audirere, non tamen loqui destiteris, & potius odia, alienationes, & execrationes eorum subieris, quemadmodum & ego olim odio fui, & nunc sum per istos, istorúmque similes.

Per opera huiuscemodi coli volo. Per talia & similia mihi complacere stude: super his namque vehementer lætor. Ne malis otiari, nec utilitati animæ tuæ Mat.16. quidquam in mundo ullo modo præferas. Quem enim fructum reportabit, qui mundum lucratur, aut omnes qui in eo sunt erudit, ac docet, & universos saluat, si non & ipse saluabitur? Quis igitur ille est, aut quo pacto, miser, alios saluans, animam suam non salvabit, sed perdet? Qui solus mandatum meum Domini omnium, & quodammodo ipsum conculcando incedit, & leges meas transgreditur, & iussa transilit. Qui extra caulam, & septa mandatorum meorum cùm sit, si omnes mortales, totúmque mundum saluauerit, mihi ignotus & peregrinus, & ab ouibus meis remotissimus erit. Maxime autem, quia sepem caulæ ruperit, & ovibus aliunde exitum, quam per ianuam, & E introitum iniquum feris patefecerit, iudicium severius quam dici potest, propter oues sustinebit, & diuidetur, tartaróque igni traditus, esca vermium erit homo miserrimus. Hoc enim dixit Pater per Filium, & Spiritus, qui est os Domini, locutus est; angeli vocibus indesinentibus approbarunt; iusti audientes calculum adiecerunt, dixerúntque, incorruptum iudicium tuum, non suspecta sententia, citra affectum iudicasti Deus misericordissime. Quomodo enim, qui voluntem suam non exuit, & voluntatem eius qui personam tuam refert ac sustinet, vt tuam, qui Dominus es, in studio sibi non posuit, & integre non custodivit, ut tu ipse patris tui voluntatem custodivisti, cohæres & consors tuus erit? præsertim cùm pepigerit, quandiu superauerit, nunquam suæ ipsius voluntati pariturum; non adhæsurum sanguini, non carnem prælaturum, id F est, cognationem, & vinculum naturæ, amorem illum naturalem, qui in hac vita homines iterum cum iis colligat, quæ abdicaverant, eósque totos ad ea, quæ retro sunt, conuertit.

Martyres clamarunt, verè iustum iudicium. Sicut enim qui ad perferendum martyrium alacriter se obtulit, adeuntibus te consanguineis, uxore & liberis cum huiusmodi querimoniis, & lamentis, non misereris filiorum? ô immitis; nihil te monet viduitas coniugis? non eorum mendicitate ad commiserationem inflecteris? non ipsorum exitium cogitas & emollesceris? Ergone relinquens uxorem viduam, itemque & liberos orphanos, peregrinos, & mendicos, teipsum solum servare mavis? quomodo non magis pro homicida damnaberis, quando nos omnes perdendos deseris, & animam tuam solam salvare conaris; si, inquam, G cum talibus lamentationibus veniunt, omnino eorum voces, nec ad punctum temporis sustinere debet, nec aures illis tantillum commodare, & sive donis, ac pretio vincula, carcerémque dimittere; sive te, Christe, negato ab his liberari, sed ut iam mortuus, perstare in cruciatibus, perseverare in custodia, perdurare in fame, & siti, rerum ac possessionum suarum immemor; & si fieri possit, nec aliud quippiam extra custodiam cogitans, etiam velut per transennam: sed ad te respicere, Domine universorum, & mentem suam in te contemplando defigere perpetuò, atque ita usque ad mortem solo tui amore dura perpeti; nec curare debet, si qui declinent, si qui negent te, & ad priorem vomitum revertantur, ad actiones pristinas, ad sollicitudines terrenorum, & uxoris, ac filiorum; nec vllo prætextu iis illigari, non enim amplius animæ suæ Dominus est. Quare complures servi tui, carceribus abs te apertis, vinculisque corporum planè solutis, exire ac fugere omnino noluerunt: sed ut erant, vincti manserunt. Sic igitur & qui nunc in mundo sunt, volun- H tate sua inprimis & ante omnia nullam penitus sui habent potestatem. Sed quamvis à Præpositis ea vti non prohibeantur, servent tamen pacta conventa tecum necesse est. Non enim hominibus, sed Deo polliciti sunt se obedientiam, & subiectionem Præpositis, & omnibus fratribus, quibuscum in monasteria religiosa instituta persequuntur, servaturos. Idcirco monasterium, vt insulam aliquam solam in medio mari inhabitare debent, ac totum mundum sibi omnino impervium esse arbitrari, velut alta fossa in circuitu communito monasterio, vt nec qui in mundo sunt, transire ad monasteriũ possint; nec qui in insula degunt ad eos qui foris sunt pervenire, & eos cum affectu aspicere, nec in animo horum versare memoriam: sed vt mortui erga mortuos affici, & sentientes eos non sentire debent: quo pacto revera oves sua sponte mactatæ Esa.43. fiunt.

Propter hæc sanctissima verba sanctorum, desiderij, & summi amoris plena, cùm ea audissent Cherubim, Dominum laudarunt, & in timore dixerunt, gloria tibi

A tibi Domine: gloria tibi misericordissime, qui in terris martyres sine tyrannis, ac persecutoribus, solo amore tui in horas testimonium tibi dantes ostendisti. Etiam, dixit rursum Pater per Filium. Et adiecit Spiritus, verè qui Deum toto pectore diligunt, & in eius solius charitate persistunt, & in horas propriæ voluntati moriuntur, hi & germani amici mei, hi & cohæredes, hi & sine vngularum laniatu, sine suspensionibus, focis, & lebetibus, sine exurente flamma, & gladiis secantibus, sola abnegatione voluntatis martyres sunt. Ad hæc supramundanæ legiones simul omnes lætatæ exclamarunt, iustum iudicium tuum, misericordissime. Scribatur, obsignetur in sempiternum.

## CAPVT XXIX.

B *Qui per communionem Sancti Spiritus Deo iam coniuncti ex hac luce discedunt, eos illic in omnem æternitatem cum eo victuros. Aliter se in hac vita habentibus, tum secus eventurum.*

PRincipium vitæ mihi finis, & finis principium est. Vnde veniam ignoro, ubi sim, nescio: nec quò miser abiturus sim novi. Terra e terra, corpus è corpore nascor; ex corruptioni obnoxio corruptibilis, & planè mortalis sum: brevi tempore in terris commoror, in carne vivens, & extinguor, atque ex hac vita digrediens, aliam vivere incipio. Corpus humo opertum linquo, rediuiuum olim accepturus, & ævum nullo fine terminandum victurus. Nunc igitur respice in me Deus, tu solus nunc pietate tua me imperti; nunc te miseratio mei capiat. En deficit virtus mea,

Ps 70. senectuti, id est, vestibulo mortis appropinquavi. Ve-

C nit princeps mundi, perquisiturus turpia, & nefanda opera mea; carnifices astant torue me intuentes, & iussum exspectantes, vt miseram animam meam arripiant, & in barathrum inferni detrahant. Quamobrem tu, qui natura es misericors, & benignus solus, qui es Dominus clementissimus, miserere mei tunc; & ne memineris irrogatæ à me tibi iniuriæ; ne derelinquas me; ne des locum contra me doloso inimico meo, qui in horas mihi comminatur, & contra me rugit, ac stridet dentibus, & ait, in quo confidis? quomodo te manus meas effugiturum speras; quandoquidem ludificatus præcepta mea, & me relicto ad Christum te adiunxisti? Sed neutiquam effugies. Quò enim abibis? Prorsus nunquam mihi elaberis, qui Adamum, & Evam è paradiso exegi; qui Cain fratricidam reddidi, qui fallaciis meis usque ad extremum inescatos, omnes mortales decepi, & in diluuio horribili generi interitus obieci? qui Davidi ad adulterium & cædem

D impulsor fui: qui adversum omnes sanctos bellum gessi, & multis necem intuli; me talem, inquam, quomodo speras te posse effugere, cum sis infirmissimus? Hæc audiens, Domine, & Deus, & creator, & opifex, & iudex meus, qui habes potestatem animæ, & corporis mei, vt fictor utriusque, horreo miser, & tremo totis artubus. Obiicit mihi, & dicit vafer ille, en, non vigilas; en, non exerces continentiam; en, non frequentas preces, non adorationes; non exerces labores, quos olim es ingressus; atque ob hæc sola abstractum te à Christo mecum rapiam in ignem, qui non extinguitur. Ego verò, ut tu scis Domine, nunquam in operibus, aut actionibus animæ meæ salutem constitui; sed ad tuam misericordiam benignitatémque confugi; confisus, quoniam es summè misericors, me gratuitò abs te salvatum iri; & misereberis mei ut Deus; sicut aliquando misertus es meretricis, & filij prodigi, postquam dixit, *peccavi*. Cum hac fide cucurri; cum hac fiducia veni; cum hac spe ad te Domine, accessi. Et nunc, ne, quæso, glorietur contra me servum tuum:

E ne dicat, ubi Christus tuus? ubi susceptor tuus? an non ipsemet te manibus meis tradidit? Si enim me fraude circumvenerit, & captiuum duxerit, non id voluntati, nec ignauiæ meæ, sed totum tibi, qui me dereliqueris adscribens; dicet; vide cui fidisti; vide ad quem te contulisti; vide, cui te in amore & charitate putabas esse; cui te loco fratris, amici, filij, & hæredis gloriabaris esse, quomodo te deseruit, & in manus meas hostis tui te tradidit, insperatóque alienatus, subitò odisse te cœpit?

His igitur auditis, ne me deseras, ne me probrum tuum fieri sinas, Deus meus; ne, ò rex, ne, ò Domine, qui me quondam e tenebris, & è manibus, & è faucibus eius eductum in lumine tuo liberum collocasti. Te enim cùm video, interiora cordis mei vulneror, & non possum aspicere, & tamen non videre te

F ferre nequeo. Inaccessibilis siquidem est pulchritudo tua, inimitabilis species, incomparabilis gloria. Ecquis aliquando te vidit? aut quis totum te videre poterit Deum meum? Nam Omne, seu universum quis oculus conspicere valebit? Qui verò super universum est, quæ mens eum comprehendere, aut complecti poterit, aut extendi tota secundum totum, & cernere continentem omnia; extra omnia, & ipsum omne, & implentem omnia, & tamen extra omnia manentem modo ineffabili? Nihilominus ut solem te intueor, & ut stellam aspicio, & ut lampadem in vase suo ardentem video, & in sinu te ut margaritam porto. Quod autem te non dilatas, quod non totum me lumen facis, & ostendis te mihi totum qualis, & quantus es, planè non me existimo habere te vitam meam: sed lamentor, vt quispiam ex divite mendicus, ex illustri infamis, ac desperatione conflictatus. Hoc animadvertens inimicus, dicit mihi, non salvaberis. Ecce enim spe tua frustratus es, & à scopo aberrasti; quoniam non habes quam olim habebas erga Deum fiduciam, ac libertatem. Cui verbo respondere non dignor;

G sed sufflo, & extemplo evanescit. Sic oro Domine, sic, rogo te, misericordiam dona etiam tum mihi, cum egredietur ex hoc corpore anima mea, vt solo flatu pudefacere possim incursuros in me servum tuum, & lumine spiritus tui custoditus, transire illæsus, & stare ante tribunal tuum, habens mecum sacrosanctam gratiam tuam, tegentem me, & nullo suffusum pudore exhibentem. Quis namque coram te apparere audeat, nisi ipsam indutus sit? nisi ipsam intus teneat, & ab ipsa illuminetur; quomodo ullus omnino intolerabilem illam Dei gloriam videre poterit? Nam quî tandem gloriam Dei, & naturam deitatis humilis, & abiecta hominis natura videbit? Deus enim increatus est, nos omnes creati. Ille corruptionem nescit; nos corruptibiles, & pulvis sumus. Ille spiritus est, nobilior omni spiritu, vt conditor spirituum ac Dominus: nos carnes terrestres, & substantia terrestris. Ille auctor omnium, principij expers, incomprehensus: nos ver-

H mes, & cœnum, & cinis. Et quis de nobis ex propria virtute, aut actione hunc videre vnquam poterit, nisi ipse spiritum suum divinum emiserit, ac per eum infirmæ naturæ robur, vires, virtutémque suffecerit, & hominem videndæ gloriæ suæ idoneum effecerit? Alioqui enim non videbit, nec videre poterit hominum quispiam in gloria venientem. Et ita iniusti à iustis separabuntur, tenebrisque obruentur peccatores, & quicunque hunc secum lumen in ipsis non attulerint. Qui autem ex his quæ hic egerunt, ei copulati sunt, etiam tunc mysticè, & germane Deo copulabuntur, atque ab eius communione nunquam divellentur. Porrò qui hinc emigraverint ab eius lumine seiuncti, quomodo aut qua ratione tunc ei vniantur, discere à vobis cupio, aut vos docere potius.

Deus homo factus, sociatus est hominibus. Communicavit nobiscum in humana natura, vicissimque cum universis in eum credentibus, & fidem ex operibus ostendentibus divinitatem suam communicavit. Hos igitur salvatum iri affirmavit, solos divinitatis

A eius consortes; sicut ipse naturæ nostræ consors est, effector omnium, ut Paulus testificatur, Christi Ecclesiam corpus unum fore dominicum & divinum, absque macula, irreprehensibile, sine omni ruga, qui
Ephes.5. erunt fideles; caput autem Christus. Si ergo sic erit, quemadmodum etiam est, quis sordidus ipsum attingere audebit, aut quis indignus ei agglutinabitur? Nam si & hodie extra Ecclesiam peccatores eiiciuntur, & consortio aliorum penitus excluduntur, & insuper aspectu divinarum rerum privantur, qui sancti non sunt, prô quomodo tunc cum corpore inculpabili coniungentur, & membra Christi fient, cùm sint contaminati, ac sordidi?

ANNOTAT. Hæc quæ Simeon scribit, intelligenda sunt, non de quibuscunque peccatoribus, sed de excommunicatis. Alij enim peccatores, quantumvis enormes; sive manifesti sive occulti, verè sunt in Ec-
B clesia; dummodo tamen fidem non abiiciant. De quo videat lector Card. Bellarm.lib.3. de Ecclesia militante cap.9. qui etiam cap.10. docet, quomodo infideles occulti in Ecclesia censeri possint.

Non licet hoc, fratres, non fiet omnino. Qui autem à divino corpore, id est, Ecclesia, & à choro electorum secernuntur, dic, quonam abibunt? in quod regnum? in quo loco, cedò, sperant domicilium? Planè enim & paradisus, & sinus Abrahæ, & omnis locus requiei eorum est qui salvantur. At enim qui salvantur, sunt omnes omnino sancti, ut divina scriptura passim docet, testaturque. Multæ quippe mansiones
Ioan.14. sunt, sed intra thalamum. Quemadmodum enim unum est cœlum, & in eo stellæ, honore, & claritate differentes: sic item unus thalamus est, & regnum. Cæterùm & paradisus, & civitas sancta, & omnis locus requietis, Deus est solus. Et ut homo non habet in vita requiem, qui non manet in Deo, & Deus in eo: sic etiam post mortem extra illum unicum, non
C erit, opinor, ulla requies, non locus à tristitia, à gemitu, à tribulatione liber.

Quocirca studeamus, fratres, studeamus ante obitum nostrum Deo auctori omnium coalescere, qui pro-
Psal.17. pter nos miseros cœlos inclinavit, & in terras descendit; qui latuit Angelos, & in utero sanctæ virginis habitavit, ex qua corpus assumpsit, modo inenarrabili, & citra mutationem sui, indeque ad nostram omnium salutem operandam processit. Salus autem nostra hæc est planè, quod sæpius diximus, & nunc denuò dicemus, non nos quidem ex nobis ipsis, sed ex ore divino. Apparuit magnum lumen futuri sæculi, regnum cœlorum in terras descendit: immò verò superûm, & inferûm, & omnium rex venit, voluitque nobis fieri similis, ut ex ipso tanquam ex lumine omnes accensi, lumina altera primo similia evaderemus, & regni cælestis consortes, gloriæque participes, nec non æternorum bonorum, quæ nemo vidit unquam, hæredes fieremus. Hæc autem sunt, ut credo, & mihi persuadeo, & autumo, Pater, Filius, & Spiritus San-
D ctus, una trinitas. Hic fons bonorum; hæc vita rerum extantium; hæ deliciæ, & requies; hæc stola, & gloria; hoc gaudium ineffabile, & salus omnium, qui illuminationis eius inexplicabilis facti sunt participes, & communionem se cum ipso habere sentiunt. Idcirco enim, audite, Salvator nominatur, quoniam omnibus quibuscum unitus fuerit, salutem dat. Salus porrò est omnium malorum depulsio, & in eodem omnium bonorum æterna inventio, à morte vitam, à tenebris lucem, à servitute vitiosorum affectuum, turpissimarumque actionum perfectam libertatem omnibus cum Christo omnium Salvatore coniunctis ac devinctis largiens, qui tunc omne gaudium citra periculum amittendi, omnem exultationem, lætitiamque possident. Qui autem prorsus ab eo seiuncti, non eum quærunt, nec iugum motuum animi rationi adversantium excusserunt, nec à morte sunt liberati, seu reges, seu principes, seu viri summates sint, etsi in deliciis, in hilaritatibus, & oblectationibus, & in bonis perfruendis versari se putent, nunquam tamen talem acquirent lætitiam, qualem servi Christi ab omnibus illegitimis gloriæ, ac voluptatum cupiditatibus immunes percipiunt; quæ quidem tanta est, ut eam oratio consequi non possit; quam eorum nemo aliquando cognoscet, intelliget, aut videbit, qui Christo sincerè frventerque non adhæserint, eique unione, quam explicare non est, astricti, & impliciti non fuerint; quem decet gloria & honor, laus & omnis prædicatio ab omni creatura, & spiritu in sæcula, Amen. E

## CAPVT XXX.

*Melius esse bene regi; quàm regere invitos. Nullum enim capi emolumentum, si quis alios servare studeat, & se per illorum præfecturam perditum eat.* G

DIc, Christe, servo tuo, dic lumen mundi, dic scientia totius universi, dic Verbum sapientia, quæ omnia præscis, omnia prænosti, & nobis conducentia doces sine invidia; dic, & doce me quoque vias salutares tuarum voluntatum, ac divinorum tuorum mandatorum. Dic, & ne despicias me, neve celes indignum servum tuum, Deus meus, beneplacitum tuum, & aperi mihi benignè Salvator utrum ex duobus melius apud te sit, tibique gratius, sollicitudinem gerere me rerum monasterij, & candidè procurare necessitudines corporum, propugnareque odiosè pro omnibus; an soli quieti semper esse deditum, & mentem serenam, atque imperturbatam conservare, & gratiæ tuæ scintillas suscipere, & secundùm animæ sensum continenter illuminari, divinosque sermones arcanè percipere, & mansuetè docere alios, docerique similiter. Qui enim docet alios, eadem sibi quoque dicit, & primus omninò ea præ- G
stare factis debet. Ex his itaque ambobus, dic mihi, ô fictor, & Deus meus, utrum mihi melius, utrum conducibile, utrum tibi placitum, ac perfectum est? age, ne mihi istuc denega tu, cuius summa est misericordia.

Audi quæ percunctaris, & audita litteris manda. Ego Deus ante omne principium, ego naturâ Dominus, superûm & inferûm rex, cuius servi omnes censentur, etiam qui nolunt. Ego utique conditor omnium, iudex, & Dominus & nunc sum, & in sæcula sæculorum ero. Sed nolentem nullum unquam cogo. Volo enim eos, qui mihi serviunt, & dicto audientes sunt, servire liberè, ex animi arbitrio, cum timore, & charitate. Tales servos meos, tales qui apud me merent, tales amicos meos esse desidero. Alios nondum cognovi, nec ab iisdem cognitus sum. Quocirca durum me, & qui commiseratione non tangar, & iniquum ipsi filij iniquitatis appellant. Qui igitur me contumeliosè tractant, qui convitia mihi dicunt, qui me probris onerant, quomodo tibi se subiiciant? aut quomodo te magistrum admittant? quomodo lupi te pastorem reputabunt? aut quomodo vocem tuam sequentur, cùm sint feræ belluæ? Egredere, fuge, & subduc te ex horum medio. Satis esto tibi, si teipsum H
serves. Quod si mundum serves, te verò perdes, quid Matt.16.
mundus opera tua servatus tibi proderit? Nolo te quenquam nolentem regere: quod ipsum me in mundo fecisse videas licet. Volentium ego rector ac Dominus; cæterorum creator quidem, & naturâ Dominus, non autem ullo modo rex, neque dux, ac præses sum, qui non tollunt crucem suam, nec me sequuntur: Diaboli enim filij, & vasa sunt. Vide mysterium horribile, vide stoliditatem, & eos lamentis prosequere si potes vel in horas singulas. Vocati namque è tenebris ad lumen non occiduum, à morte ad vitam, ab inferno ad cælum, à temporariis, & perituris ad gloriam sempiternam, irascuntur, & contra magistros insaniunt,

A omnigenasque insidias in eosdem componunt, & mori præoptant, quam à tenebris, & operibus tenebrarum discedere, ac me sequi. Hos quo pacto tandem moderaberis? quomodo his præeris: quomodo hos duces, dic age, qui sponte sua ad iggem transfugiunt, hosti adhærentes, & cum eo præceptis meis contraria impigrè designantes? Quomodo pasces ut oves; quomodo ad pascua, quæso, mandatorum meorum, ad aquam voluntatum mearum induces? quomodo educes eos ad montes, qui animo videntur, visionum mysticarum gloriæ meæ inenarrabilis, per quam qui eam intuentur, inferiorem hanc gloriam despiciunt, omniumque sub sensus cadentium obliti, hæc omnia pro umbra, & fumo ducunt? Dic quomodo adversarium in causa dicenda patronum habebis? quomodo hostem infestum ad te diligendum adduces? Facilè enim potius, parva occasione inventa, ex amicis inimici fiunt. At inimici difficile coniungunt amicitiam, quamvis
B beneficiis afficiantur, donisque nobilibus, & magnis cohonestentur. Venenum clausum gerunt in pectore, quod opportunitate oblata mox evomunt, ac benemeritos de se impiè, crudeliterque non formidant occidere. O extremum furorem. Hi sunt imitatores Cain; hi Lamecho sceleratiores; hi Saulo moribus similes, sequaces Iudæorum, Iudæ æmuli, & eius laquei hæredes. His si præesse quæris, considera quo devenias: Non enim eò se convertent, quò tu volueris: sed te eandem viam ambulare compellent, & primum, ante illos in pestem, & exitium incidere, & inferè ipsos in foveam damnationis descendere, ut qui eos omnino comites à tergo habeas. Quod si planè ipsis assimilari recusaveris, & eorum consiliis cogitationibusque una auferri, abducique nolueris, nec communicare eorum malis operibus, seditionem, pugnam, bellum implacabile habebis. Inde quid tibi fiet? quid continget? Dicam, si audis, quid lucri sis facturus, & dicam paucis. Ante omnia, servus meus esse neutiquam poteris. Servum enim meum pugnare neutiquam
C volo. Odium in præcordiis fovebunt contra te irreconciliabile, & cædem tibi apertè occulteque molientur, tuque pro ipsis in iudicium vocatus respondebis. Nihil quippe mors tua aliis commodabit, quemadmodum mea mors vitam mundo peperit. Quin & damnationis causa illis eris, & tu ita hinc abibis, ut liberè te defendere nequeas. Præstat itaque omnino regi, non regere tales, resque suas curare potissimum, & pro illis, proque omnibus hominibus orare, ut omnes convertantur, & ad agnitionem sui perveniant, & ex his volentes docere, ac pietatis rudimentis imbuere. Ne verò cogas eos facere quæ doces; sed sermones meos illis occine, & ad eos ut vitæ æternæ conciliatores opere exsequendos cohortare. Ipsi hi sermones statuent eos ante me, & unumquemque pro meritis iudicabunt. Tu reddendæ rationi non eris obnoxius, & indemnatus planè manebis, quoniam argentum eloquiorum meorum non abscondisti, sed quantum ipse accepisti, omnibus expendisti. Hoc mihi placet, hoc Apostolo-
D *Mat. 25.* rum, & discipulorum meorum opus fuit, quod mandavi, promulgare videlicet me Deum per orbem terrarum, & docere voluntates, ac mandata mea, eáque humano generi perscripta relinquere. Sic tu quoque facere, & docere elabora. Nolentibus autem audire sermones meos, responde, quod ego respondi quibusdam dicentibus; *Durus est hic sermo, & quis potest audire eum?* *Ioan 6.* dixi ergo, si sic non vultis, ite, & facite quilibet quodlibet; totumque eorum potestati & arbitrio permisi, ut si mortem, seu vitam eligerent. Nemo enim aliquando præter voluntatem, & inductionem animi bonus fuit; neque infidelis, si nolit, fidelis erit; nec amicus mundi, amicus Dei. Nunquam stultus præter voluntatem tentato animo probus fiet. Nullus enim natura, sed consilio & proposito mentis factus est improbus: sic vicissim ex perverso atque improbo, sententia & arbitratu, si placuerit, probus ac integer fiet: quod si nolit, voluntariè nequaquam talis erit. Nemo in istoc mundo invitus virtutis fungetur officio. Nemo nolens salvatur:
E hoc ne plus quære. Da operam salvare te, & audientes te, si fortè in terra hominum inveneris habentem aures audiendi, & obtemperantem his quæ audit.

Faciam ego istuc, Domine, sicut præcepisti mihi. Verumtamen tuam opem, tuam gratiam dona mihi indigno servo tuo, Deus meus, ut semper glorificem te, & celebrem potentiam tuam vocibus perennibus in omnium sæculorum infinitatem, Amen.

## CAPUT XXXI.

*Quid sit illud, secundum imaginem & me-*
F *rito intelligi hominem prototypi similitudinem, seu imaginem esse. Diligentem inimicos, tanquam bene meritos, Deum imitari, & hinc Spiritus Sancti participem, adoptione, & gratia Deum fieri, atque ab iis solis cognosci, qui eodem spiritu aguntur.*

GLoria, laus, hymnus, gratia, qui hoc totum rerum naturæ opus ex nihilo solo verbo, & voluntate sua procreavit, Deo universorum, qui in trinitate hypostaseon, & in una essentia adoratur. Unus Deus sancta Trinitas, supersubstantialis substantia, una in tribus personis, & tribus subsistentiis, inseparabilibus atque indivisibilibus, una natura, una gloria, una virtus, una voluntas. Hæc sola creatrix est omnium. Hæc me totum è luto formavit, inditaque anima in terra collocavit, & lumen dedit, in quo viderem & intuerer omnia, nempe hunc mundum sensibus expositum, solem, lunam, astra, cœlum, terrám, mare, & quæcunque sunt in horum medio. Dedit etiam mentem, & rationem. Attendas
G velim. Secundùm imaginem igitur τοῦ λόγου datus est nobis, ὁ λόγος, id est, ratio; nam ex λόγου λογικοὶ, id est, ex ratione rationales, ἐκ λόγου, qui est absque principio, increatus, incomprehensus, vacans materia. Sic secundum imaginem anima cuiusque hominis λογικὴ εἰκὼν τοῦ λόγου. Quo pacto? doce me. Attende ad verba mea. Ex Deo Deus verbum, coæternum Patri, & Spiritui sancto. Eodem modo & anima mea similitudine quadam illius. Habens enim mentem, & rationem, habet hæc secundum essentiam indivisa, & inconfusa similiter consubstantialia, unum hæc tria unitim, & divisim tria, quæ semper & unita, & divisa sunt: uniuntur enim inconfusè, & secernuntur indivise. Si unum ex his deduxeris, omnia deduxeris. Anima sine ratione & mente, simile quiddam brutorum est: absque anima verò non potest ratio subsistere. Sic ergo ex imagine prototypon intellige. Sine spiritu nec pater, nec verbum eius erit. Pater est spiritus, & filius eius est spiritus,
H tametsi carnem induit, & rursum spiritus Deus est: unum enim naturâ, & essentia ambo sunt, sicut mens, anima, & ratio. Sed pater quidem Verbum ex se genuit ineffabiliter. Sicut autem mens est ex anima mea, vel potius in anima mea; sic ex patre spiritus, vel potius in patre manet, & procedit modo inexplicabili. Quomodo rursum mens mea semper generat rationem, & producit, & emittit, & notam facit omnibus, non tamen separatur ab ea; sed gignit rationem, & in se continet? ita intellige Patrem genuisse Verbum, quoniam semper generat, nullo autem modo ab hoc filio pater separatur, sed in filio cernitur, & filius in eo manet.

Hanc imaginem etsi obscura est, eam tamen accuratè nostra descripsit ac informavit oratio, quam nunquam videbis, neque intelliges nisi prius imagines tuæ labes purgaveris, atque eluendo prius affectionibus pravis obrutam erueris, & perfectè abstersèris, atque ut

nivem

[A] nivem dealbaveris. Hoc cum præstiteris, & ipsam probè purgaveris, & perfecta imago fuerit; prototypon haud videbis, neque intelliges, nisi tibi per Spiritum sanctum reveletur: omnia enim docet spiritus, in lumine ineffabili refulgens. Quatenus intelliguntur intelligibilia tibi omnia demonstrabit, quantum videre potes, quantum homo assequi potest, secundùm proportionem purgatæ animæ tuæ; & operum diligenti imitatione Deo assimilabere, temperantia, fortitudine, humanitate, tentationum tolerantia, & charitate adversus inimicos. Hoc enim humanitatis est, ut benefacias inimicis, & tanquam amicos, ac benemerentes eos diligas, & ores pro iis, qui te persequuntur, & charitate æqualiter erga omnes & bonos, & malos propendeas, & pro omnibus quotidie ponas animam tuam, pro salute, inquam, unius, aut si fieri queat, omnium.

[B] Hæc te, fili, imitatorem Domini facient, & veram te creatoris imaginem reddent: imitatorem divinæ perfectionis per omnia. Conditor autem tunc, adverte animum, divinum spiritum tibi mitti, non aliam quàm habuisti animam, sed spiritum ex Deo, & inspirabit, & inhabitabit, & essentialiter incolet, & illuminabit, & clarificabit, & rursus conflabit te, corruptibilemque incorruptibilem præstabit, & inveteratam animæ tuæ domum renovabit. Cum hac & corpus tuum solum incorruptionem induet. Quin Deum te per gratiam, prototypo similem efficiet. Incredibile dictu, & mirum sanè, & ignotum omnibus qui ab affectibus captivi tenentur, ignotum mundi amatoribus, ignotum gloriæ cupidis, ignotum superbis, ignotum iracundis, ignotum iniuriam non obliviscentibus, ignotum carnis amantibus, ignotum avaris, ignotum invidis, ignotum omnibus maledicis, ignotum hypocritis, ignotum gulonibus, ignotum clam vorantibus, ebriosis, & scortatoribus, ignotum otiosè fabulantibus, ignotum [C] turpia loquentibus, ignotum socordibus, ignotum pœnitentiam vel in horas negligentibus, ignotum non quotidie, & iugiter lugentibus, ignotum rebellibus, ignotum contradictoribus, ignotum ad placitum, & numeros suos viventibus, ignotum putantibus se esse aliquid, cùm nihil sint, ignotum [Galat. 6.] gloriantibus, & gaudentibus de proceritate corporis, aut robore, pulchritudine, aut alio quocunque ornamento, ignotum his, qui cordis puritatem non acquisiverunt, ignotum cupidè non petentibus, ut divinum spiritum accipiant, ignotum non credentibus, etiam modò impertiri Spiritum sanctum poscentibus: incredulitas enim arcet, ac repellit divinum spiritum. Qui non credit, non petit; qui non petit, non accipit; qui non accipit, est mortuus; mortuum autem quis non plorabit, quia cùm mortuus sit, vivere se exstimat? Planè mortui mortuos nunquam nec videre, nec lamentari queunt: vivi hos videntes, lamentantur. Vident quippe nouum monstrum, occisos viventes; [D] quin & obambulantes; cæcos putantes se aspicere, & revera surdos arbitrantes se audire. Viuunt sanè, & audiunt, & vident ut pecudes; ut non intelligentes intelligunt, in sensu insensili, in vita mortua. Licet enim & non viventem vivere, & non videntem videre, & non audientem audire.

Quomodo, dic mihi, dic confestim, quicunque viuunt secundum carnem, quicunque res huius mundi admirantur, qui carnalibus duntaxat auribus audiunt, divinos ac cælestes sermones auscultabunt? Hi omnes secundum spiritum surdi, cæci, mortui sunt. Prorsus enim ex Deo non sunt, ut vivant; nec acceperunt spiritum, nec sursum aspexerunt, nec viderunt lumen divinum. Quod cùm minimè factum sit, penitus surdi manserunt. Iam verò tales, quæso te, cur Christiani vocentur? Audi divinum Paulum hæc tibi perspicuè [1. Cor. 15] significantem; vel potius audi Christum loquentem. Primus homo è terra planè creatus est; secundus homo de cœlo descendit. Adhibe te dictis. Qualis igitur est primus, terrenus videlicet, tales etiam qui ex eo gi-[E]gnuntur, omnes terreni. Qualis autem Christus est, cælestis Dominus, tales cælestes omnes, qui in eum crediderunt, nati denuò, baptizati in Spiritu sancto. Qualis est qui genuit, Deus verè, tales ex ipso geniti, ex Deo dij per adoptionem, *& filij excelsi omnes*, [Psal. 81.] ut divinum os inquit. Andisti Dei verba? audisti quemadmodum fideles ab aliis secernat? quemadmodum servis suis signum & notam dederit, ne seducantur alienorum magistrorum sermonibus? Primus, inquit, de terra, quia terrenus creatus est. Secundus autem homo, omnium ille Dominus, de cœlo descendit. Primus omnibus hominibus prævaricatione sua mortem & interitum invexit. Secundus mundo donavit, & nunc universis fidelibus lumen, vitam, incorruptionem donat. Audisti quæ tibi cœlestium rerum interpres dixit? Andisti Christum loquentem per ipsum, & docentem homines, quales sint, qui in eum crediderunt, & fidem ex operibus ostendere perseverant? [F] Post hac, nihil ambigas, qualis Christus est cælestis, te quoque talem esse debere. Quod si talis non es, quomodo Christiani vocabulum usurpabis? Si enim qualis est Dominus, cœlestis nempe, etiam tales esse dicit, qui in eum crediderunt, omnino cælestes videlicet, qui mundana sapiunt, qui secundum carnem viuunt, non sunt ex Verbo Dei, quod è superis descendit; sed planè ex homine terreno, de terra formato. Sic senti, sic affectus esto, sic crede, & enitere ut talis fias, cœlestis nimirum, quod dixi. Qui è cœlo [Ioan. 6.] advenit, & dedit vitam mundo, hic idem est panis, qui inde descendit, quem qui edunt, nunquam utique mortem vident. Nam cùm sint cælestes, semper corruptionem penitus exuti, & incorruptionem induti erunt, & abiecta morte, vitæ agglutinati. Incorrupti, & immortales evadunt, & idcirco cælestes appellantur. Quis enim post homines natos ita appellatus est, ex Adami filiis ac posteris, priusquam Dominus omnium, cælestium, ac terrestrium cælitus delaberetur? [G] Hic carne nostra se vestivit, divinumque spiritum nobis dedit, quod sæpe diximus; & idem spiritus omnia ut Deus nobis præbet. Quænam illa? quæ crebro rudius, ac simplicius enumeravi, quod & nunc faciam.

Fit quasi quædam natatoria, lumine divino clarissima, & ea complectitur omnia. Quos dignos invenerit, intus (quibus verbis eloquar, quibus enuntiabo, quibus pro dignitate edisseram, quæ fiunt? Da mihi verba, qui donasti mihi animam, Deus meus) divinus spiritus ergo cùm Deus sit, quos intra se acceperit, totos refingit, totos renovat, & instaurat admirabiliter: nec sordibus eorum inficitur. Et quomodo nec ignis nigrorem à ferro contrahit, & illi quæcunque habet communicat: pari modo divinus spiritus cùm sit incorruptibilis, & immortalis, incorruptionem & immortalitatem impertit. Et cùm sit lumen nunquam occidens, lumen facit omnes, quos inhabitat. Et cum sit vita, omnibus vitam largitur. Vt Christo naturæ [H] consors, & consubstantialis, & eiusdem gloriæ socius, eique unitus, hos etiam Christo simillimos reddit. Neque enim invidet Dominus, mortales divina gratia sibi similes fieri; nec dedignatur servos suos similitudinem ipsius gerere; quin delectatur, & gaudet, dum cernit tales factos, nos ex hominibus natos, idque per gratiam, qualis ipse genitus est, & naturâ est. Cùm enim sit benefactor, tales nos esse vult, qualis ipse est. Nam si eiusmodi non simus, perfectè inquam similes, quomodo illi uniti erimus, sicut dixit? quomodo etiam in eo manebimus? & quomodo ipse in nobis manebit, si ei simus dissimiles? Hoc igitur cum perspicuè sciatis, studete accipere spiritum qui ex Deo est, & divinus est, ut tales evadatis, quales nos docuimus, cœlestes ac divini, quales dixit Dominus, ut & regni cœlestis hæreditatem adeatis in sempiternum. Si tales non fueritis, aut hic non fietis, cœlestes, ut dixi, quomodo ullo modo cum ipso cœlum vos habitaturos arbitramini? quomodo in regnum cum cœlestibus

A intraturos, & regnaturos, & unà futuros cum omnium rege ac Domino? Curramus itaque sedulò omnes, ut digni habeamur, qui in cœlis cum Christo omnium Domino regnemus, quem decet omnis gloria cum Patre, & sancto Spiritu in sæcula sæculorum, Amen.

## CAPVT XXXII.

*Subtilitates Theologicæ. Qui non videt lumen gloriæ Dei, cæco infæliciorem esse.*

QVi tam pronus es ad miserendum, Deus meus, creator meus, fulge mihi amplius inaccesso lumine tuo, ut gaudio cor meum impleas: & ne irascaris, neve derelinquas me? sed luce tua illustra animam meam, lux enim tua tu ipse es, Deus meus. Quanquam enim multis, ac diversis nominibus appellaris, B tamen unum es. Hoc autem unum omni naturæ incognitum, invisibile, & inexplicabile est, quod ex comparatione quocunque indigitatur nomine. Ergo istuc unum est natura τρισυπόστατος, una deitas, unum regnum, una potestas; Trinitas quippe unum est. Trinitas una est Deus meus, non tria. Sed nihilominus tria illud unum, secundùm subsistentias, naturâ mutuo ὁμοφυεῖς, competentes, & consubstantiales omnimodis, inconfusè, supra captum humanum unitas, & rursum citra divisionem divisas, in unum scilicet tria, & unum in tria. Vnus enim est, qui condidit omnia Iesus Christus cum Patre experte principij, & cum Spiritu sancto, cuius æquè nullum initium.

Vnum igitur Trinitas, indivisè prorsus. In uno autem tria, & vicissim in tribus unum, vel potius unum tria ista, & contra, tria unum. Intellige, adora, crede nunc, & in sæcula. Hoc enim unum cùm apparuerit, cum luxerit, cum participatum & communicatum illuminauerit, omne bonum est. Quocirca etiam non unum, sed multa à nobis accipit nomina, lumen, pax, C gaudium, vita, esca, potus, indumentum, amictus, tabernaculum, divinum habitaculum, oriens, resurrectio, requies, lavacrum, ignis, aqua, fluvius, fons vitæ, fluentum, panis & vinum, nouum & exquisitum fidelium condimentum, opiparum convivium, alimentum mysticarum deliciarum. Hoc sol est nunquam occumbens, astrum semper splendens, lampas intus in domicilio animæ effulgens. Hoc unum multa est, destruens, & ædificans. Hoc unum simul omnia verbo produxit, & spiritu virtutis suæ hæc omnia continet. Hoc unum, cœlum & terram ex nihilo condidit, essentia impertivit, & ineffabiliter coagmentavit. Hoc unum solem, lunam, stellas (mira, nova, insitata res) sola voluntate fecit. Hoc unum quadrupedes, reptilia, & feras, & volucrum omne genus, & maris pisces, sicut cernimus, existere iussit. Postremo autem loco me finxit, tanquam regem, & hæc universa ad obsequium mihi subiecit; ut more servorum necessitates meas explerent. Et quidem omnia cæ- D tera huius Vnius, Dei, inquam, universitatis mandatum custodiverunt, & etiamnum custodiunt; ego miser solus ingratus apparui, & improbus, & inobediens Deo fictori meo, & qui mihi hæc omnia bona liberaliter præbuit; violatoque mandato factus sum inutilis, iumentisque, & feris, bestiis, & reptilibus, & volucribus inferior ac peior apparui, & à recto itinere digressus, datam mihi gloriam infælix perdidi, lucidáque, & divina stola spoliatus sum, & in tenebris natus, nunc in tenebris iaceo, & me luce privatum nescio. Ecce, inquam, sol diem illuminat, quem nocte superveniente occidere video. Tum ut videam, cereos, & lampadem accendo. Et quid alius homo plus me habet? Sic enim homines in mundo vident, alterque aut plus nemo. Hæc cùm dico, mentior, & meipsum ludo, meipsum fallo, & adversus memet me iacto, dum nolo me cæcum esse cognoscere, dum nolo laborare, nolo sursum aspicere, nolo damnatus ego E meam cæcitatem agnoscere.

Dico autem, quis vidit Deum lumen mundi? & dum hoc dico, prorsus non sentio, non intelligo, Domine, me malè cogitare, & loqui. Qui namque lumen tuum non videt, & se videre affirmat, immò verò impossibile dicit esse, videre lumen gloriæ tuæ, omnes Prophetarum, Apostolorumque scripturas, & sermones, atque œconomiam tuam, Iesu, negat. Si enim ab alto illuxisti, & in tenebris apparuisti, & advenisti, in mundo more nostro volens conversari cum hominibus humaniter, & lumen mundi teipsum esse, citra vanitatem dixisti, nos autem te non videmus, an non penitus cæci, & cæcis miserabiliores sumus? Verissimè mortui, & cæci sumus, dum te vivificum lumen non cernimus. Solem hunc corporeum cæci non vident, viuunt tamen, & quocunque modo motibus cientur; non enim vitam donat, sed ut videas duntaxat. Tu autem cùm sis omnia bona, semper omnia das F servis tuis videntibus: videntibus, inquam, lumen tuum. Et quoniam vita es, cum aliis omnibus bonis, quæ tu ipse es, etiam vitam largiris. Verè enim omnia in te possidet, qui te habet. Ne privet te, Domine, ne, mi creator, priver te, ne te priver, misericors, ego humilis, & peregrinus. Etenim peregrinus, & inquilinus hic, ut tibi complacuit, non voluntate, non spontè mea factus sum; sed gratia tua meipsum inter hæc visibilia cognovi hospitem, intellectualiter illustratus tuo lumine, perspectoque, te ad mundum immaterialem, & inaspectabilem transferre, & in eo facere habitare genus humanum, describendo ac distribuendo pro meritis cuique habitationem suam, pro eo scilicet ac servavit mandata tua. Propterea precor, ut me tecum colloces, tametsi peccavi multum supra omnes mortales, pœnáque & ultione dignus sum. Verùm ut publicanum, & meretricem supplicantem me suscipe Domine. Etsi ego non perinde fleo; etsi non similiter pedes tuos capillis meis extergo; etsi non similiter gemo, & lamentor, tamen tu emanas misericordiam, & scaturis miseratio- G nem, & quasi è fonte effundis bonitatem, per quæ miserere mei. Eia, qui manus & pedes tuos fixus es in cruce, & lancea latus apertus, ô misericordissime, miserere mei, & ab igne sempiterno serva me, & dignum fac, qui de reliquo approbè serviam tibi, & tunc indamnabilis stem coram te, accipiatque intra thalamum tuum, ubi lætabor tecum bono Domino in omnia sæcula, Amen.

## CAPVT XXXIII.

*Confessio precationi coniuncta, & de copula sancti Spiritus cum perturbationum vacuitate.*

ELongavi, ô benigne, *mansi in solitudine*, & abscondi me abs te dulci Domino. Circumventus nocte sollicitudinis vitæ huius, multos inde morsus, ac vulnera sustinui: multas plagas reversus fero in anima mea, clamoque in cruciatu, & dolore cordis mei, miserere mei prævaricatoris, miserere, ô medice, qui diligis animas, & solus admodum libenter misereris. Qui ægris, & vulneratis mederis gratis, medere vibicibus & vulneribus meis. Stilla misericordiam gratiæ tuæ Deus meus, oblitera plagas, atque vlcera mea, in unum attrahe, & constringe malè dissoluta membra mea, & omnes cicatrices meas dele, meque totum perfectè sana, ut prius, quando me nulla fœdabat inquinatio, nulla vibex, nec plaga tumens aut macula: sed mecum erat tranquillitas, gaudium, pax, mansuetudo, sancta humilitas, & longanimitas, patientiæ, bonorumquè operum claritudo, tolerantia, & penitus invicta virtus, unde quotidianæ & suavissimæ lacrymæ, unde exultatio in corde meo velut fons scaturiebat,

*Psal. 54* H

A scaturiebat, fluebàtque iugiter, & erat fluentum melleum, & potus lætitiæ assiduò versans in ore mentis meæ, unde omnis sanitas, unde puritas, unde malarum affectionum sedatio, & cogitationum inanium abiectio, unde mihi ἀπάθεια corusca quodammodo aderat, & mecum consuescebat (spiritualiter intellige, qui hæc legendo percurris, ne turpiter inquineris) immensam voluptatem commixtionis, infinitumque nuptiarum divinæ coniunctionis mihi desiderium inserens; ex qua & ego mutatus, solutus sum perturbationibus, inflammatus voluptate, & incensus eius desiderio, & particeps luminis, immò & lumen evasi, omni passione superior, ab omni nequitia remotus. Non enim attingit lumen apathiæ passio, ut nec solem umbra, aut nocturnæ tenebræ. Talis porrò cum essem, mihi fidens inflatus sum superbia, rerumque sensibilium sollicitudine, & curis vitæ subtractus decidi infelix, refrigeratusque nigrorem ferri indui, & B diu tacens, insuper venenum arripui. Ideirco ad te clamo, ô benigne, & denuò purgari ad pristinamque pulchritudinem sustolli, tuoque lumine frui obsecro, nunc & semper, & in omnium spatia sæculorum. Amen.

## CAPVT XXXIV.

*De intelligibili paradiso splendida commentatio, & de ligno vitæ in eodem.*

Benedictus es Domine, benedictus es solus, benedictus es misericors, & plusquam benedictus, qui dedisti in cor meum lucem mandatorum tuorum, plantastique in me lignum vitæ, & fecisti me paradisum alium inter aspectabilia, in sensibilibus quidem C intellectualem, in intellectualibus autem sensibilem, & alium spiritum, nempe spiritum tuum sanctum animæ meæ coniunxisti, eumque in visceribus meis habitare fecisti. Plane hoc unicum est vitæ lignum. Hoc, in qua terra consitum fuerit, in anima nempe hominis, & si in corde radices egerit, paradisum reddit, & id mox splendidissimè speciosis stirpibus, arboribus, & diversis fructibus, variisque floribus, & unguenta spirantibus liliis exornat, quæ sunt humilitas, pax, gaudium, mansuetudo, condolescentia, luctus, imbres lacrymarum, & mirifica in illis delectatio, splendor gratiæ tuæ illucens omnibus in paradiso versantibus. Tu es crater vitalia fluenta tua mihi effundens, & sermones divinæ cognitionis copiosè ministrans. Quod si tu nolueris, sed contra ista demolitus fueris, ego a nens, & instar lapidis stupidus sum. Vt tuba sine inflatu nunquam sonabit; sic & ego absque te velut inanimus sum: sine anima verò fieri non potest, ut corpus agat aliquid: & anima sine spiritu D tuo moveri, & mandatis tuis obedire, aut te videre, aut astare tibi, aut cantare intelligenter gloriam tuam nequit. Ideo clamo, ideo vociferor ad te, qui sursum cum patre, & infrà nobiscum es; non ut quidam ratiocinantur, operatione sola; nec, ut multi putant, voluntate sola, nec sola potentia tua, sed etiam essentia, siquidem hoc vocabulum de te usurpare, aut intelligere fas est, qui solus immortalis, & superessentialis es. Etenim si revera omnino ininterpretabilis es, quem te appellabimus? quomodo te vel essentiam, & quam tandem & qualem dicere audebimus? Profectò nihil eorum quæ in rerum natura subsistunt tu es, Deus meus: sed omnia opera tua ex nihilo producta sunt; solus tu increatus es, & sine principio, trinitas sancta, & veneranda, Deus universorum. Et ostendisti nobis lumen gloriæ tuæ incontaminatæ id ipsum & nunc mihi sine intervallo præbe. Da mihi per illud perpetuò ceu in speculo intueri, & contemplari te Verbum, & immensam pulchritudinem tuam manifestè perspicere atque intelligere, quod cùm sit omnimodis non intelligibile, supra modum obstupefacit, & percellit mentem meam, & in corde meo E ignem charitatis erga te accendit: qui ubi in flammam divini desiderij erupit, clarius mihi gloriam tuam demonstrat; quam adorans, oro te, fili Dei, fac ut eam nunc, & in futuro sæculo citra vicissitudinem obtineam, & per ipsam te Deum per æterna tempora videam. Ne des mihi, Domine, vanam mundi gloriam, ne divitias pereuntes, ne talenta auri, ne sublime solium, ne in ista fugacia principatum: humilibus, pauperibus, ac mitibus me assoc a: ut ego quoque humilis, & mitis fiam. Etsi ministerium meum non utiliter, atque ad beneplacitum & cultum tuum obeo; placeat tibi, ut eo abdicatus, tantummodo peccata mea defleam, deque solo isto iudicio tuo sim sollicitus, & quomodo respondeam tibi, qui multoties iram tuam provocavi.

O pastor, quem aliena mala commovent, bone & F mansuete pastor, qui omnes in te credentes salvari cupis, miserere, & hanc precem meam exaudi, ne irascaris, neu faciem tuam avertas à me: sed doce me implere voluntatem tuam. *Psal.* Non enim studeo fieri voluntatem meam, sed tuam, ut te colam. Adiuro te, miserere mei, qui es naturâ misericors, & fac quid miseræ animæ meæ conducat; quoniam Deus benignus, & humanus tu solus es increatus, nunquam defuturus, omnipotens, omnium te diligentium, & abs te vehementer dilectorum vita, & lumen. Quibus utinam me annumeres, & divinæ gloriæ tuæ socium, & cohæredem præstes. Te enim decet gloria, patrem cum filio, simul carente principio, & sacrosanctum Spiritum in sæcula sæculorum, Amen.

## CAPVT XXXV.

*Cuilibet homini propter divinas leges iniuriosè, & contumeliosè tractato, eam ipsam ignominiam honori, & ornamento esse. Item dissertatio ad animam suam, qua inexhaustæ spiritus divitiæ explicantur.*

Da mihi sensum, Christe, quem semel donasti; eo me tege, Salvator, & in eo totum me abscondo, & ne sinas appropinquare mihi sensum mundi, ne intrare in me, & penitus ne sinas lædere me humilem servum tuum, cuius tu solus es misertus, Nam cum se curæ ac sollicitudini commendabili mundanus sensus repente ingesserit, statim prava desideria in misera anima mea excitat. Suggerit enim gloriam, admonet divitiarum, ad ambiendam regum consuetudinem incitat, & hoc in magna fælicitate ducit. Ex huiuscemodi igitur cogitationibus, sicut à vento uter intumescit, & ignis in flammam accenditur: sic anima inflata turgescit, & cupiditate gloriæ, opum ac inertium feriarum, quibus deorsum trahitur, vehementer H distenditur. In gloria & admiratione concupiscit esse cum his, qui vivunt in gloria; illustris videri cum illustribus: possidere divitias cum divitibus. Quam tu glorificasti lumine tuo ineffabili, quam tu vestisti gloria tua inexplicabili, quam tu exemplum claritatis, & fulgoris tui exhibuisti, eius mentem sensus mundanus pro captiva occupans, ostendit illi reges, proponit honores, præsentis vitæ opes suggerit, & ad ista cogitationem detorquet.

O caliginem, ô cæcitatem, ô inanes cogitationes, ô scopum sordidum, o mentem stolidam, quoniam relictis insensibilibus, & immortalibus, terrena cogito & apud animum volvo. Nonne rex morietur? nonne gloria evanescet? nonne divitiæ, ut pulvis à vento dispergentur? nonne putrescent corpora in sepulcris? & fortunæ istæ caducæ alios habebunt dominos, deinde alios, & post hoc rursum alios? Et enimvero, dic mihi anima mea, facultates istæ, & copiæ fuerunt? Quis autem in hac vita vel exiguum quæstum facere potuit,

A quem etiam moriens secum hinc auferret? nullum mihi, nullum plane nominabis, aut ostendes, præter misericordes, qui omnibus in pauperum manus distributis, nihil sibi reliquerunt. Illi namque tuto retinent, quæ dederunt, ex quo ea in manus Domini dederunt. Cæteri omnes, ut mendici, & mendicis infeliciores sunt, qui divitias suas habent sine usu repositas, nudi enim ut effossi terra denuo in fossam, sic illi in tumulos proiciuntur, & in hoc sæculo miseri, & in futuro hospites ac peregrini. Quid igitur, anima mea, in his eximium intueris deli[illegible]ctaris? quid horum expetendum censes? Nihil penitus habes quod dicas, nihil quod respondeas.

Væ qui divitias cumularunt. Væ qui gloriam ab hominibus volunt accipere. Væ qui se intermiscent divitibus, & non Dei gloriam, eiusque divitias, & solum cum ipso esse, versarique desiderant. Mundus enim vanus est, & quæ in mundo sunt, vanitates sunt, &

B omnia vanitas: Deus autem solus est æternus, immortalis, semper permanens, & cum ipso erunt, qui nunc eum

Eccl. 1. quærunt, qui solum illum præ omnibus dilexerunt. Væ tunc illis, qui modo mundum diligunt; quandoquidem propter ipsum addicentur suppliciis sempiternis. Væ [illegible] gloriam hominum, quia tunc gloria Dei privabuntur. Væ, anima, his qui congregaverunt divitias quoniam nec ibi aquæ guttam consequi optabunt. Væ anima, figentibus spem in homine, quia ille morietur, & cum illo spes, & tunc spe sua carentes & frustrati [illegible]. Væ, anima, his [illegible] consolationem suam, quoniam ibi tribulationem æternam habituri sunt.

Narra mihi, anima, quid contristaris? quid rerum huius vitæ [illegible] Deum [illegible] te unius [illegible] necessitatem, & usum. [illegible], & disce, quid boni sit in quolibet. Quia [illegible] tolli, vis prædicari? [illegible] igitur quid sit honor, quid gloria. Honor est honorare quidem omnes, sed Deum ante omnes, & mandata eius insuper ut opes sibi comparare, eorumque causa iniurias, maledicta & omne

C genus probra sustinere. Cum enim, ô anima, negotium aliquod ad honorem, & gloriam Dei inceptaveris, & ob idipsum contemptu, & iniuriis affecta fueris, tunc honorem, & stabilem gloriam adepta es: nam gloria Dei [illegible] ad te perveniet. Tum quoque omnes angeli te collaudabunt quod honoraveris Deum, quem ipsi collaudant. Vis, anima mea, vestes, & opes [illegible], tam tibi opes æternas demonstrabo. Age pœnitentiam in lacrymis, [illegible], esto pauper spiritu; esto [illegible], esto mundo peregrina; esto sinistris voluntatibus tuis inimica, & in [illegible] Domini tui voluntate acquiesce, & eius vestigiis insistere contende; tum lentius gradiens ille, à te misera prehendetur; quem cum videris, clamorem ingentem ede. Conversus ipse, placido vultu te intuebitur, seque paululum tibi aspiciendum præbebit, & iterum ablatus ab oculis tuis te relinquet. Tunc lamentaberis [illegible] plorabis, & doloris impatiens mortem invocabis, non ferens abs te separari tam dulcem

D Dominum. At bonus Dominus cum te [illegible] inopem, & in fletu, mœstitiáque constantissimam viderit, iterum repentè tibi apparebit; iterum te illuminabit; iterum tibi inexhaustas divitias demonstrabit, paterni vultus gloriam immarcessibilem, & exhilarabit, gaudioque te implebit ut prius, & ita gaudii plenam relinquet. Mundanum porrò gaudium quod verbis, & cogitationibus percipiebas, sensim te deficiet, & in [illegible] commutabitur. Sic rursus, ut ante, magnopere lamentaberis, & cum gemitu voces effundens, illum lætitiæ promum, gaudii largitorem, illum in quo reverà [illegible] semper divitiæ, requires. Eo sic exploratæ voluntatem, ac propositum tuum, cave ne defatigeris, anima, ne [illegible], ne dicas, quousque eum non comprehendam? ne dicas, quid apparens, subitò occultatur? [illegible] & quousque tandem [illegible] ? Ne dicas, quia nunquam ad mortem lassari queo? & ita graveris exquirere Dominum: sed ut quæ morti te semel obtuleris, & consecraris, ne quietem ac remissionem tangas, ne gloriam consecteris, nec delicias corporis, nec amicitiam cognatorum. Ne dextra, neve sinistra circumspicias aliquatenus: sed ut cœpisti, vel potius [illegible] currens, stude semper [illegible], & [illegible] apprehendere Dominum. Quod si [illegible] te occultaverit, & toties tibi apparuerit, nec comprehendi potuerit, hac via abs te tenebitur. [illegible], immo verò quamdiu spiras, promptè, & alacriter quære, & ad ipsum accurre. Etenim non deseret te, non deficiet à te, sed paulatim magis magisque apparebit, & frequentius tecum erit, ac tandem purgatam illustratione luminis, totus veniens inhabitabit, manebitque tecum, qui mundum fecit, & habebis veras divitias, quas mundus non habet; sed cœlum, & qui illic in album relati sunt. Si illuc tibi contingat, memorandum, quid vis amplius?

E Dic anima ingrata, dic anima stulta, dic vilis anima mea, quid his maius sive in cœlis, sive in terris, ut illud persequare? Cœli fabricator, & terræ Dominus, & omnium quæque in cœlo, quæque in mundo sunt conditor, iudex, & rex ipse solus in te habitat, totum [illegible] tibi, totus illuminans te luce sua, & pulchritudinem vultus sui tibi ostendens, ut ipsum expressius videas, & consortem te gloriæ suæ faciens, dic quid hoc uno præstantius? Respondebis, nihil penitus. Audi insuper. Tali honore dignata, ô anima, quid adhuc terræ inhias? quid illis rebus demulceris? quid adhæres perituris, quæ immortalia accepisti? quid immoraris in præsentibus, quæ futura invenisti? Illa conare iugiter possidere; illis totam te agglutina, anima mea, ut & post obitum inveniaris in æternis illis bonis, quæ hic acquisivisti, & cum iis creatori ac Domino adsistas, & cum eodem lætere per innumerabilia sæcula, Amen.

F

## CAPVT XXXVI.

*Spiritu sancto in nobis fulgente, omnes non rectas animi motiones fugari, eodemque radios contrahente, ab his, & à pravis cogitationibus nos infestari.*

G Vmen tuum, Christe, me circumfulgens vivificat: nam te videre, est reviviscere, & à mortuis resurgere. Quid efficiat lumen tuum, non possum dicere. Veruntamen hoc re ipsa cognovi, & cognosco, sive morbo, sive afflictionibus sive mœroribus, sive vinculis, sive fame, sive custodia detineat, sive gravioribus molestiis premar, emicante lumine tuo, omnia tanquam tenebras discuti ac dispelli, & in requie ac luce, & fruitione luminis per divinum spiritum tuum subitò me constitui. Scio tribulationes fumum, cogitationes malas, tenebras, tentationes iacula, sollicitudines caliginem, passiones belluas vocari, à quibus olim liberasti, & eruisti me; & illucescens paulatim mihi lumine tuo, etiam nunc in horum medio versantem me invulneratum custodis, tuo lumine me protegens. Quia verò

H delinquo sæpe admodum, & in horas pecco, quia, inquam, effero me adversum te, quia irrito te, indigeo misericordi castigatione tua, quam vehementer in me adhibitam sentio divini recessu luminis, quod tegebat me. Vt enim sole occidente nox & tenebræ ingruunt, & feræ omnes ad pastum exeunt: sic ubi me lumen tuum deseruit, illico vitæ huius tenebræ, ac pelagus irrequietarum cogitationum me obruunt, & feræ turbidorum motuum me devorant, iaculisque omnigenarum cogitationum vulneror. Vbi rursus pietate commotus, mei misertus fueris, & flebiles lamentationes meas exaudieris, gemitusque perceperis, & lacrymas [illegible], & ad humilitatem meam respicere volueris, qui inexpiabilia peccavi, procul ut stella exoriens videris, & paulatim dilataris (non tu ipse hoc patiens, sed mentem servi tui ad videndum aperiens)

sensim

A sensim maior, & instar solis cerneris. Fugientibus quippe, & euanescentibus tenebris aduenire te puto, qui vbique præsens es. Vbi totum vti prius me circumdedisti, vbi complexu tuo totum ambiuisti & texisti, malis liberor, a tenebris, tentationibus, motionibus cum ratione pugnantibus, & omnibus prauis cogitationibus eripior, impleorque bonitate, lætitia & gaudio, iucunditate animi incredibili, cernens tremenda mysteria, & noua quædam mira; cernens quæ neque oculus humanus videt, aut videre, neque auris audire possit, neque in cor hominis ascenderunt. In quibus obstupesco vehementer, ac de potestate decedo, atque à terrenis omnibus vniuerse alienor, continenter laudans te, & in meipso nouam mutationem, modumque auxilij manus omnipotentis animaduertens, quomodo fulgore & apparitione vnius luminis tui omnem mihi tristitiam exemeris, mundoque ereptum, & tecum arcano fœnore vnitum, mox in cœlum me restitueris, vbi nulla est ægritudo, nulli gemitus, nullæ lacrymæ, non serpens calcaneum mordens, & ostenderis non me laboriosam esse & ærumnosam vitam, quæ alioqui omnibus mortalibus contraria, angusta, difficilis, aut vt verius dicam, inuia est. Quis enim hominum potuit, aut poterit, quæso, corpore in cælo esse, aut sine corpore, quibus alis eo peruolabit?

1. Cor. 2.

1 Reg. 2. Elias curru igneo in sublime raptus est, & ante illum Enoch, verum non in cœlum, sed in alium quendam locum, non ipse quidem à se ipso, sed tamen translatus est. Quid ista ad ea quæ in nobis fiunt? quænam vmbræ cum veritate, aut quæ spiritus ministratorij, ac seruientis, cum diuino, & dominico, omnium opifice, & quamcunque creatam naturam confirmante & corroborante spiritu comparatio? Alia creaturæ sunt, ipse creator solus, vtpote à patre & filio inseparabilis. Deus hæc tria, trinitas, quippe vnus Deus est. Ipsa Omni, seu vniuersitati vt esset, contulit, ipsa produxit omnia; ipsa Verbum & filium patris in mundo secundum carnem pro salute nostra creauit, a patre & Spiritu sancto inseparabilem. Verè autem superueniente spiritus incarnatur, & fit quod non erat, homo mihi similis, peccatum omne & iniquitatem si excipias, Deus simul & homo videndus omnibus habens diuinum spiritum, qui ipsi naturaliter adest, cum quo mortuos in vitam reduxit, & cæcorum oculos aperuit, leprosos mundauit, dæmonas è corporibus humanis expulit. Idem passus crucem, & mortem, in spiritu resurrexit, & in gloria assumptus est, semitamque in cælum reparauit omnibus in se certa ac firma fide credentibus; & Spiritum sanctissimum in omnes fidem operibus probantes abundè effudit, & nunc quoque eundem largè in tales effundit, ac per ipsum deos repentè facit, quibus copulatus fuerit, & ille eos ex hominibus immutabiliter immutat, ac Dei filios, fratres Saluatoris, & hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi efficit, Deos cum Deo versantes in Spiritu sancto, alligatos quidem sola carne, spiritu autem liberos; qui facilè cum Christo in cœlum ascenderunt, & totam vitæ bene agendæ rationem ibi acquisierunt, in visione bonorum, quæ oculus non vidit.

D Quid igitur currus igneus, qui Eliam abstulit? quid Enochi translatio? ad hæc Ego ita statuo, sicut mare olim virga diuisum, & manna è cœlo cadens typus solum, & symbola fuerunt, mare baptismatis, manna Saluatoris: eodem modo illa horum adumbrationem, & symbola quædam esse; horum, inquam, incomparabili excellentia, & gloria præditorum, quantum videlicet increatum creato natura antecellit. Manna enim, quod panis & alimonia angelorum vocatur, quod Hebræi in solitudine comederunt, defecit, periit, mortuique sunt omnes, & quotque eo vescebantur, non inde vitam assequebantur. Caro autem Domini mei, cum sit deificata, & vitæ plena, omnes comedentes vitæ participes facit, & immortalitate auget. Facit

Psal. 77. Exo. 16. Ioan. 6.

E porrò eos non altum mare transire, nec ex Ægypto in aliam regionem traducit, quæ rursum fructus interituros hominibus efferat; sed me per annos quadraginta nos ambulare mundi redemptor iubet, vt in terram promissionis deueniamus; sed cum fide minimè dubia baptizatos, factosque corporis, & sanguinis eius participes, ab interitu in vitam, à tenebris in lucem, à terra in cœlum mox simul subuectat. Prius me corruptione, & morte exutum, totum, quod cognoui & sensi, in libertatem asseruit; ac deinde, quæ magis est suspicienda nouitas, cœlum me fecit, & in me omnium auctor habitauit; quod beneficium nemini veterum Sanctorum contigit. Olim quippe loquebatur per sanctum Spiritum, eiusque virtute opera supra naturam, conditionem rerum perpetrabat: substantialiter autem nequaquam vlli Deus coniunctus est, antequam Christus Deus meus humanos artus induperet. Assumpto enim corpore, dedit Spiritum Sanctum suum, & per eum substantialiter vnitur fidelibus vniuersis: & irrupta atque insolubilis est ista vnio.

F Eheu (acerbe enim hominum errore cogor ingemiscere) quomodo non credimus Christo? quomodo eum non sequimur? quomodo vitam non exoptamus? quomodo diuitias eius non deprædabiles, & immortales, non senescentem gloriam, & æuum cum ipso degendum non concupiscimus? quomodo perituris affixi, nos saluatum iri confidimus, qui Christum non plusquam quæ contuemur, diligimus, nec post fata nos cum illo futuros speramus sed sensu minus etiam quam ligna & lapides viuimus. Libera me, Christe, ab ista insania voluntaria, & doce amare te vitam fidelium omnium. Tibi enim semper, vt regi, gloria, honor, & laus debetur, cum patre, & sancto Spiritu in sempiterna sæcula, Amen.

## CAPVT XXXVII.

*Quædam theologumena. Item, qui per Spiritus sancti communionem immutatus non sit, nec per adoptionem Deum cognouerit, et vt homines de diuinis rebus erudiat, non concedi.*

G QVis dolorem cordis mei consolabitur? dolorem cum dixi, Saluatoris desiderium significaui. Desiderium autem atque ardor iste, effectum spiritus, vel potius essentialis præsentia est, lux ἰνουσία intus in me visa. Est autem lux incomparabilis, & ineffabilis penitus. Quis me secernet ac disiunget à rebus sensum mouentibus, à quibus semel liberatus, & absconditus sum, quando mundum sub pedibus habui? quis mihi dabit tranquillitatem, & quietem ab omnibus, vt illius pulchritudine, aspectuque satier; quem quia intelligere nequeo, ideo amore inflammor? quantum verò comprehendi, atque intelligi potest, subsistens amor est. Nam charitas non est nomen, sed diuina substantia, participabilis, & incomprehensibilis, & diuina prorsus. Quod participatur, comprehendi potest; hoc plus non potest. Idcirco dixi tibi, comprehensibilem esse amorem, & ipsum ἐνυπόστατον, vt participabilem, & comprehensibilem. Omne enim quod comprehendi, & participari potest, vtique essentia est

H ἐνυπόστατος participabilis, similiterque comprehensibilis: nam quod sine essentia est, nihil est, & nihil dicitur. Diuina autem natura increata, & superessentialis est, vtpote omnium rerum conditarum essentiam supergrediens. Vocatur superessentialis ὑπερούσιος, & tamen est ἔνουσος, est ἐνυπόστατος super omnem essentiam, & cum creata hypostasi nulla ratione conferri posse intelligitur, est enim natura sua tota incircumscripta. Quod non est circumscriptum, quomodo hypostasin nominabis? quod non subsistit, nihil est, & quomodo mihi communicabile?

Si non credis, Paulum testem, vtrumque credibile esse confirmantem tibi producã. Cum enim dicat habere

A se intus Christum loquentem, & in Spiritu sancto se loquentem, communicabilem, & circumscribilem diuinitatem dicit, quæ sic illi aderat, vt tamen circumscribi, atque comprehendi nequiret. Quando autem lumen inaccessibile habitantem introducit, testaturque, nunquam visum ab homine, tum incircumscriptam, & incomprehensam ostendit. Quod nam que nullus hominum vnquam vidit, quomodo aut particeps eius fuit, aut illud aliquatenus attigit? nequaquam dices, certo scio, nec contendes mecum. Cum rursus dixerit tibi, *Deus qui dixit de tenebris lumen splendescere*, qui *illuxit in cordibus nostris*, quem tibi, quæso, alium Deum intelligendum subiicit, nisi illum, 2.Cor.4. qui habitat lumen, quod ferre nemo præ claritate potest, & quem nemo vnquam hominum vidit? Ipse enim supereßentialis, & prius increatus, carnem suscepit, & creatus mihi visus est, totum me assumptum B mirabiliter deificans. Credisne istuc, dic age, & neutiquam dubitas? Si igitur Deus homo factus, vt credis, hominem me, quem assumpsit, deificauit, adoptione Deus ego, eum qui natura Deus est, video; illum scilicet, quem nemo mortalium aliquando videre potuit, nec potest vllo modo. Qui Deum fidei operibus receperunt, & in spiritu renati, dij appellantur, ipsum ut patrem eorum vident, semper habitantem lumen inaccessibile, ipsi in seipsis eundem incolam habentes, & ipsi vicissim in eo qui est inaccessus, habitant.

Hæc fides vera, hoc Dei opus, hoc sigillum Christianorum, hæc diuina communicatio, hæc participatio, & diuinus arrhabo, hæc est vita, hoc regnum, hoc indumentum, hæc tunica Christi, quam baptizati fide superinduuntur. Non ignorantia, non stupore, sed per fidem, cum notitia & sensu; vt non dicam, Christum credo me induisse. Non dico, hoc crede; sed fidei opus, & fidei confirmationem, & fidei testificatam, & fidem consummatam citra hæsitationem habeo, ex eo, quod Christum sentiens, & cognoscens induisti, fulgentem, coruscantem, & in lumine clarissimo totum te immutantem, manentem immutabi-C lem, ex vtroque duplicem, adoptione Deum videlicet, natura nihil nisi hominem. Talis cum euaseris vt ex me audisti, tum veni, frater mi, & nobiscum supra montem diuinæ cognitionis, ac visionis alta, percipe usque sitam paternam vocem.

Heu quantum à diuina dignitate distamus? quantum à vita æterna abiimus? Quam longe distat cælum à locis inferis, & ibi tam olim detentis etiam, & amplius nos à diuinitatis excellentia, contemplatuque reuera seiungimur, etiamsi nos cum illo, quod admirabile est, habitare, & habitantem lumen inaccessibile nos in nobis ipsis totum manentem, habitantemque habere dicamus, & velimus infra terram sedentes, de iis quæ supra terram, & in cœlo, & supra cœlum sunt, vt illa perfectè scientes, philosophari, & narrare omnibus, vocarique gnostici (hoc est, vi seu facultate cognoscendi præditi) & egregij theologi, & doctores rerum arcanarum, quod stoliditatis plane argumentum est. Natus enim miser in subterraneis, & densas tenebras præsentis sæculi incolens, qui lumen futuri sæculi non vidit, quod in terra luxit, ac semper lucet, & affirmans se cœlestia nosse ac sentire, & cernere omnia quæ illic sunt, & alios de iis instituere, D nonne is stolidus, est & si quid hoc grauius dici potest? Quemadmodum enim cæcus cum videntibus litigans, & affirmans, hoc numisma æreum est, hoc sigillum alterius est, & quæ in eo sunt sculptæ literæ hæc, & hæc significant, monstro mirabili est audientibus & videntibus nummum et aureum, & concinnum admodum, & signum regis verum, eius imaginem minimè adulteratam repræsentantis, & litteras illius nomen exprimentes: sic cum nobis idem accidat, non putamus accidere, nec quenquam reueremur, nec ipsos cælites & angelos, desuper res nostras intuentes; sed impletur in nobis ver-Luc. 8. bum Domini, videntes non vident. Et audientes spiritualia, aures obstruunt potius, & verba spi-E ritus audire nolunt. Et auribus quidem corporeis audiunt; spiritales verò aures cordis occlusas habent, & penitus non possunt Deum audire. Haud enim possunt à seipsis velamen elationis, & stuporis auferre, quod ipsi sua sibi voluntate imposuerunt, volentesque oculos atque aures operiunt, & hinc se videre atque audire arbitrantur. Quod si quis illis dicat, audite 2.Cor.3. filij mei, & tollite velamen de cordibus vestris, ad hæc ipsa verba ferociunt, quod non patres, sed filios appellauerit, magisque odium aduersus illum concipiunt, nec sentire morbum queunt, quo laborant, vel morbos potius, qui mentem tenebris inuoluunt, & iam à Deo assumptos, ab illo separant. Ab existimatione sui, & à superbia in seruitutem redacti, & istorum vitiorum serui sponte nominati, voluntatem suam perpetuò explent, relictisque Dei legibus, ipsi leges sibi ferunt; nec Deo; sed sibimet seruiunt, homines audacissimi; & gloriam suam pro Dei gloria aucupan-F tes, operibus, & modis omnibus eam constituere annituntur. Gloria igitur Christi, est crux, & tormenta, quæ nostra causa sustinuit, vt nos gloria afficeret. Hæc porrò illi perpeti recusant, quemadmodum ille passus est, & pro nefas, gloriam ex hominibus malunt, voluntariamque à Deo separationem eligunt. Sed tu, Christe meus, in te confidentes ab impuro vanæ gloriæ studio, superbia libera, tuarumque passionum, & gloriæ fac participes, & dignare nos tuos esse inseparabiliter, nunc & in futura sæculorum sæcula. Amen.

## CAPVT XXXVIII.

*Precatio ad Deum supplex simul, & gratiarum actoria, de beneficiis in se collatis.*

DA mihi Domine intellectum, da cognitionem, doce me facere mandata tua. Tametsi peccaui vt homo, & plusquam homo, vt nosti, nihilominus tu Deus consueta tibi misericordia misertus es mei pau-G peris, & orphani in hoc mundo, fecistique, quod tu solus nosti. A patre, & fratribus, cognatis, & amicis, à natali domo mea velut ex Ægypto tenebrosa, velut ex inferni recessibus (sic enim mihi abiecto seruo tuo de illis cogitare dedisti, & non stultè loqui) separatum, & assumptum, & terribili manu tua apprehensum dixisti me ad eum, quem complacuit tibi in terris esse patrem meum, & ad pedes eius, atque vlnas deposuisti me: qui me obtulit patri tuo, Christe meus, & tibi per spiritum, ô Trinitas, ô Deus meus. Cumque essem prodigo similis, & ante te supplex procumberem (vt tu ipse scis, quia docuisti me) tu quoque non es dedignatus vocare me filium tuum. O indignum os, & immunda labia; ô verba linguæ inopis, & in laudibus tuis, agendisque gratiis, & beneficiis tuis enarrandis egestate laborantis, quæ in me pupillum, ac peregrinum conferre voluisti; tui enim sunt peregrini in hoc mundo. Quæ autem tua tuorumque sunt, oculi non vident, lingua non potest eloqui, nec mundus capere. Propterea, Domine, odit nos mundus, persequitur, maledicit, inuidet, furit, occi-H dit, cum in tales inciderit, audet omnia. Nos verò, vt tibi complacitum est, humiles serui tui, in infirmitate potentes in paupertate ditescimus, in omni tribulatione gaudemus, velut extra mundum positi. Nos tecum sumus, Domine, corporea nostra mundus retinet. De cætero cæcus oberrat, lutum tenens solum, quod nec ipsum lucrifaciet; dabis enim, vt promisisti, in extrema tuba & hoc spirituale, & huic soli mala 1.Cor.15. propria lucrabitur, cum consentientibus sibi cæcis, & mundi amatoribus.

CAPVT

## CAPVT XXXIX.

*Qui Deum desiderat, odit mundum.*

VMbra detineor, & veritatem cerno, quod nihil est, nisi solida spes. Quænam igitur spes? quam oculi non viderunt. Hæc enim vita, quam omnes concupiscunt. Vita autem illa quid est aliud, quam Deus conditor omnium? Hunc ama, & odio habebis mundum. Mundus mors: quid enim non fluxum, & caducum habet?

## CAPVT XL.

*Gratiarum actio ad Deum pro acceptis beneficiis Vbi & de oratione spirituali, & progressu in ea, & de diuina illuminatione, visioneque non fa sa, & charitate erga Deum dissertur.*

BEnedic pater. Dominator Domine cœli ac terræ, qui ante constitutionem mundi statuisti, vt è nihilo nascerer, gratias ago tibi, quoniam priusquam adveniret dies & hora, in qua mandasti vt proditem in hanc lucem, ipse solus immortalis, solus omnipotens, solus bonus & humanus, cum descendisses de excelso sanctuario tuo, à paterno sinu non discedens, & è sancta virgine Maria incarnatus & genitus esses, finxisti, & vivificasti, & à primi parentis lapsu liberasti me, & ascensum in cœlum præparasti mihi. Deinde prognatum me, & sensim crescentem, tu me sancto baptismate tuo refinxisti, & renouasti, sanctoque Spiritu condecorasti. Angelum lucis custodem mihi attribuisti, & ab operibus malis, & laqueis inimici, vsque ad perfectam & plenam ætatem me illæsum custodiuisti. Quoniam verò non vi, ac nolentes, sed voluntate, & arbitratu ad hoc propendentes saluare nos æquum iustumque censuisti, me quoque arbitrij libertate honorari permisisti, vt ex voluntaria mandatorum tuorum obseruatione meam erga te charitatem ostenderem. Ego autem improbus, & ingratus, atque contemptor, velut equus vinculis liber dignitatem ac præstantiam huius liberæ voluntatis ac potestatis non reputans, à dominio, & imperio tuo resiliens, præcipitem me abieci, & illic me iacentem, ac sine sensu corpus volutantem, attritumque vehementer, non es auersatus, non es passus iacere, lutoque conspurcari: sed propter viscera misericordiæ tuæ misisti, & inde me sustulisti, & illustrius honorasti. A regibus & principibus, vt vase ignominiæ ad ministerium cupiditatis suæ vti me cupientibus, indiciis tuis ineffabilibus redemisti. Auri & argenti munera, quanquam pecuniæ avarum, accipere me non tulisti. Gloriam, vitæ claritudinem, quæ mihi ad vendendam sanctificationem tuam loco pretij offerebatur, vt execrarer ac detestarer donasti mihi.

Sed hæc omnia, confiteor tibi Domine Deus cœli, ac terræ, me rursus nihili facientem, in lacum, & profundum cœnum turpium cogitationum, actionumque miserabiliter vltro incidisse, & in manus illic latentium latronum deuenisse, vnde me non solum ego solus, sed nec mortales vniuersi in vnum congregati extrahere, & ab eorum manibus liberare potuerunt. Veruntamen ibi me miserè ab illis coercitum, & infande huc illuc raptatum, compressum, & illusum, tu misericors, & benignus Dominus non despexisti, non es abominatus perversam voluntatem meam, non diu permisisti me sponte latronum illorum tyrannidem perpeti: verum quamvis ego sine sensu abductus ab illis lætarer, tu tam fœde me circumagi atque trahi non ferens, visceribus commotus, & mei misericordia captus es; nec angelum, aut hominem ad me miserum peccatorem misisti; sed tumetipse à bonitatis tuæ præcordiis incitatus, in profundissimum lacum te immisisti, & in cœni alta voragine infra defosso, ac sedenti, dexteram intaminatam tetendisti, meque non videntem te (qui enim poteram, aut quomodo suspexissem, qui totus luto mersus suffocabar?) capillo capitis apprehensum, inde vi extraxisti; cùm ego dolorem quidem, & crebros in superiora attractus, ascensumque sentirem, at prorsus nescirem, à quo in sublime educerer, aut quis esset tandem, qui me prensaret atque educeret. Porrò sursum eductum, & in terra collocatum, seruo ac discipulo tuo me tradidisti, totum inquinatum, & luto oculos, aures, os obstructum, & ita nec tum te videntem, quis esses; nisi hoc solum indicantem, quisquis esses, bonum, & humanum esse, qui me è profundo lacu, & cœno eripuisses. Dicto igitur mihi, confortare, & homini huic adhæresce, cumque sequere, hic enim te abductum abluet: & firmam mihi in illum fidem largitus, recessisti. Vbi igitur fueris ignoro; ego præscriptum mihi ducem abs te, sanctissime Domine, citra conversionem secutus sum; cumque ille ad scaturigines, & fontes, id est, scripturas, & mandata multa cum lassitudine & labore cæcum me, & à tergo suo manu fidei abs te mihi data tractum, ac sequi coactum abduxisset, respexit me, & pedum vires probè resumpsi. Transibat autem per lapidosa, per fossas, per offendicula, & superabat omnia. At me in hæc impingere, & offendere, multumque, laborem, multas vexationes, & afflictiones perferre, ac sustinere contingebat. Et ipse quidem in omni fonte, & scatebra per se in horas lauabat, ac se abluebat: ego, quod eas non cernerem, multas præteribam. Ac nisi ille manu me prehensum, ad fontem statuisset, & pedes animi mei pro duce rexisset, nusquam scatentem aquam invenire potuissem. Vbi autem mihi scaturigines illas demonstrauit, permisitque vt sæpius aqua pura me abluerem, forte aliquando etiam de luto ad marginem fontis iacente manu hauriebam, & inde faciem lauans contaminabam. Quin & sæpenumero palpando volens scaturiginem invenire, trahebam vnà puluerem, & aquam iterum turbabam; cumque penitus nihil viderem, turpans cœno faciem, pura me lympha putabam ablui.

Quo autem pacto commemorabo, quæ me deinde rursum necessitas, & vis occuparit? quomodo præterea quidam frequenter testarentur, & quotidiè mihi cantilenam istam occinerent, quid inanem laborem stultè capessis, & illusorem atque impostorem hunc sequeris, & te aspectum recuperaturum frustrà, & invtiliter confidis? non enim nunc fieri potest. Quid pedes ita offendens, & cruentans sequeris; Cur non potius misericordibus auscultas, qui hortantur te, vt quieti indulgeas, ciboque & potione & reliqua cura corpori tuo seruias? Non enim potes ab animæ lepra liberari; nec vnquam istis temporibus aspicies. Vnde illusor iste, miraculorum effector modo extitit, qui, quæ apud omnes homines ætatis huius sunt impossibilia, tibi pollicetur? Væ tibi, quoniam & oblatam à Christi, & fratrum amantibus, & aliena mala, tanquam propria, sentientibus curationem amittes, & incommoda afflictionesque quas sustines, vana spe sustinebis; & promissa tibi à deceptore illo ac sycophanta pro certo haud consequeris. Quid? non ratiocinaris, neque apud te cogitas quomodo sine nobis nihil possis: Quid? an non & nos omnes cernimus? an, quemadmodum seductus ille ipsemet tibi dictitat, cæci sumus? Cernimus profectò omnes, & ne frustra sis, non est hoc nostra videndi facultas minor. Verum enim verò ab his omnibus citra controversiam seductoribus, & impostoribus, qui dolo proximum circumuenire atque subuertere conantur, tu misericors & benigne libera me, per eam quam mihi fidem, & spem largitus es; per quam & quæ dixi, & alia plura vt perferrem, me corroborasti.

Cæterum cum in omnibus his perdurassem, nec defecissem, & sic palpando turbida aqua me abluerem,

&

A & eluerer quotidie, opinione mea pro eo ac Apostolus discipulusque tuus docebat aliquando ambulanti mihi, & ad fontem currenti, tu qui me antea de cœno extraxeras, rursum occurristi, & tunc primum intaminato vultus tui splendore infirmos oculos meos illuminasti, quodque videbar habere lumen, id ipsum perdidi, quo te cognoscere non poteram. Et quomodo potuissem, cuius neque faciei fulgorem videre possem, neque intelligere, aut perspicere, aut cognoscere quis tandem esses? Ex eo me crebrius ad fontem consistente, qui vacas omni superbia,non es dedignatus descendere, ad me accedere, prehendere caput meum, & id in ipsas aquas immergere, efficereque,vt lumen vultus tui purius aspicerem. Mox te abstulisti, cum non dedisses cogitare quis esses, qui hæc faceres; aut vnde venisses; aut quo abiisses, non, inquam, dabas hoc mihi, neque cum ad tempus venires, & B abires paulatim magis, ac magis apparebas, & aquis me irrorabas, & vt te liquidius cum maiore lumine intuerer, largiebaris. Dum hoc diu facis, visu mysterij cuiusdam venerabilis me dignatus es. Te enim adveniente, &, vt putabam, aquis me abluente, & immergente sæpius, fulgorem circumdantem me, & radios vultus tui in mediis aquis conspicio, obstupuique vehementer, cum me aqua luciflua viderem ablui, & vbi esset, & quis esset huius rei præbitor, non cognoscebam: gaudebam solum me lauari, fide augeri, spe velut alis subuehi; & in cœlum vsque ascendere. Seductores autem illos, verba fallaciæ, & mendacium mihi suadentes, ac suggerentes plurimum exosus, & errantes miseratus, eorum congressum, consuetudinem, conspectumque vt noxium devitaui penitus: contubernalem autem, & adiutorem meum, sanctum discipulum tuum dico, & Apostolum, vt te ipsum fictorem meum venerabar, honorabam, diligebam toto pectore; iacebam ad pedes eius noctes & dies, orans, vt si quid posset,adiuvaret me; certò mihi persuadens, quæcunque vellet, abs te obtenturum. Sic C perdiu gratia tua cum perseverarem, iterum aliud mirabile arcanum vidi. Apprehensum quippe me vnà tecum in cœlum ascendens duxisti sive in corpore, sive extra corpus, nescio, tu solus nosti, qui id fecisti. Cum illic horam tecum exegissem, & essem gloriæ (quæ, aut cuius fuerit nescio) magnitudine, & maiestate perculsus, & immensa altitudine attonitus, totus cohorrui. Rursum me solum vbi prius stabam dimisisti, & inventus sum cum stupore lamentans infælicitatem meam. Non multo post, cum essem infra, supra in cœlis apertis, faciem tuam vt solem informem dignatus es mihi ostendere, & quis esses, ne sic quidem voluisti me cognoscere. Quid enim? cum non alloquereris me, sed illico absconderis. Ego verò circumibam quærens te, quem non cognoscebam, & videre formam tuam, & noscendo noscere quis esses, desiderabam. Quocirca præ incredibili ardore charitatis erga te flebam continenter, quod nescirem te quis esses, qui me ex nihilo vt essem produxisti. & è cœno eduxisti, & quæ dicta sunt omnia mihi factus es. Postquam igitur hunc in modum sæpe mihi rur- D sum visus, & sæpe rursum me allocutus, euanuisti, nec visus es à me penitus, fulgorem ac splendorem vultus tui rursum in aquis, vt prius circumfundentem me videns, & eum prorsus cernere non valens, recordatus sum, vbi aliquando te in supernis viderim. Et alium esse insipienter suspicatus, denuò cum lachrymis videre te quæsiui.

Cum itaque multum me cruciarem & affligerem, & mei totius, ac totius mundi, & eorum quæ in mundo sunt, oblitus, neque vmbram saltem, neque aliud quidquam, aut etiam omnino extare quidquam eorum, quæ videntur, cogitarem, tu omnibus inaspectabilis, intactilis & incomprehensibilis apparuisti, & visus es mihi mentem meam purgare, & augere vim cernendi animæ meæ, ampliusque ac plenius spectandam præbere gloriam tuam, quia crescebas magis, & splen- E dens amplius dilatabaris. Etiam ex recessu tenebrarum te venire, & appropinquare animadverti; id quod nobis non semel in sensibilibus visu venit. Luna siquidem apparente, & nubibus velut ambulantibus, videtur illa currere celerrimè, cum nihil ad cursum consuetum addat; aut institutum ab initio iter mutet. Similiter tu videbaris, venire, qui es immobilis,& qui es immutabilis augescere, ac maior fieri, & formam capere, qui capax formæ non es. Quemadmodum enim in cæco paulatim videre incipiente, & notam, seu indicium figuramue hominis animadvertente, & quis sit, sensim cognoscente, non nota, seu figura propter visionem immutatur, aut transformatur; sed vis videndi quæ in oculis eius est purgata, figuram & formam qualis est percipit, tota eius similitudine velut impressa facultati videndi, & illam penetrante, atque in eam abstersa, & quasi in tabulam insculpta in F anima, qua parte intelligit, & meminit: sic etiam tu ipse lumine sancti Spiritus perspicuè visus es, & purgasti mentem meā integre: qua clarius & purius vidente,tu mihi alicunde egredi,& lucidior apparere visus es, & characterem formæ sine forma vt viderem concessisti mihi, & tum me extra mundum abduxisti, & quod dici fas existimo, etiam extra corpus; nam vt istuc accuratè scirem, non dedisti. Supra modum igitur illuminasti me, & vt videbatur, planè pulchrè videnti mihi visus es. Et cum te interrogarem, Domine, quis esses, tunc primum me perditum voce tua dignatus es, perculsumque stupentem ac trementem, & apud animum leviter cogitantem, ac dicentem, quid sibi ista gloria, & huius splendoris magnitudo vult? quomodo aut vnde ego talia bona merear? leniter ac placidè affatus es in hunc modum. Ego sum Deus, tua causa homo factus. Et quoniam me tota anima quæsiuisti, de cætero, ecce, frater meus, & cohæres, & amicus eris.

Ad hanc orationem cum obstupuissem, & animus me defecisset, viresque destituissent,& retulissem contra, & quis ego miser sum, Domine,aut quid feci ego G homuncio, vt me huiuscemodi bonis dignareris, & tantæ gloriæ socium,ac hæredem instituteres? putaremque hanc gloriam, & hoc gaudium mentem meam excedere, tu Domine, rursum, vt amicus cum amico disserens, per Spiritum tuum in me loquentem respondisti, hæc ob solum scopum & institutum, & fidem tuam donaui tibi, & adhuc donabo. Quid enim aliud aut habes, aut habuisti aliquando tuum (nudus à me procreatus) vt illud accipiam, & hæc tibi rependam? Ac nisi vinculis corporis huius soluare,quod perfectum est non videbis,neque eo toto præclarè perfrui poteris. Cum subiicerem, quid verò hoc maius,aut splendidius? mihi interim sic esse etiam post mortem sufficit, tu excipis; quam pusillo & angusto es animo, qui istis contentus sis? Hæc cum futuris collata, similia sunt cœlo in charta, quam quis manu teneat, depicto, & ad spectandum proposito. Quantum enim hoc vero cœlo inferius est, tanto maior, & sine comparatione maior hac quam nunc vides, futura gloria revelabitur.

Hæc locutus conticuisti, & sensim bonus, ac dulcis Dominus ab aspectu meo ablatus es. Vtrum quia ego recederem à te, an quia tu abscederes à me, mihi non H liquet. Tunc rursus in me planè fui, alicunde me venisse ratus; & ingressus sum prius tabernaculum, indeque in memoriam rediens pulchritudinis gloriæ tuæ, & verborum tuorum, ambulans, sedens, comedens, bibens, orans flebam, & in gaudio vivebam inenarrabili, cum te cognouissem opificem omnium. Quomodo enim non gauderem? Sed rursum mœstus,& isto modo rursum te videre concupiscens, vt abij ad immaculatæ parentis tuæ imaginem, ipsam salutatum, & in genua procubui,tu, antequam surgerem, in abiecto corde meo, vt lumen perficiens ipsum,à me visus es.Et tum cognoui te pro certo in me esse. Ex eo non quod memor essem tui, & eorum quæ tua sunt, te diligebam, sed te subsistentem charitatem intra me verè habere credidi. Verè enim tu Deus charitas es. Fidei

A igitur spes insita, & in ipsa à pœnitentia & lachrymis rigata, postquam etiam à lumine tuo illustrata radices egit, & bene aucta est, tum deinde tu ipse bonus artifex, & auctor adveniens, per gladium tentationum, per humilitatem, inquam, in magnam altitudinem enatos invtiles cogitationum ramos amputans, spei soli, vt vni radici arboris sanctam charitatem tuam inseruisti. Hinc itaque assiduo incremento proficere, & consuetam ac familiarem mihi, vel potius te per hanc docentem, & illustrantem me cernens, vt iam omni fide ac spe superior, sic afficior, quemadmodum & Paulus clamans ait, *Quod enim quis videt, quid sperat?* Si igitur ego te habeo, quid præterea spero? (Rom. 8.)

B Audi quid. Vt solem in aqua vides, illum ipsum autem neutiquam vides, quamvis magis deorsum te inclines, tale quid esse intellige, quod in te fit; & instrue te, & stude, semper intra te purè & clarè, ceu solem in aqua limpida me intueri. Quod vtinam sic videre me, vt dixi, etiam post mortem merearc. Alter totus iste orbis operum & & laborum, & verborum tuorum nihil tibi proderit: proderit autem? immo ista magis te condemnabunt, tribulationemque maiorem parabunt: siquidem, vt audis, *potentes potenter tormenta patientur.* (Sap. 6.) Nam pauperi ab ortu suo non tam pudori est paupertas sua, nec eius comes tristitia, adeò ipsum cruciat, vt eum, qui in divitiis, & in gloria, excelsoque gradu vixit, regumque familiaritate vsus, deinde omnibus illis amissis ad summam mendicitatem depressus est. Tametsi res non ita se habet in terrenis, & quæ sub oculos cadunt, sicut in cœlestibus, & quæ sub aspectum minime veniunt. Qui enim certam ob causam terreni regis amicitia, & familiaritate nudati sunt, iis fortunarum suarum dominis esse, iisque frui, & vivere non prohibeant. At mea charitate, & amicitia si quis exciderit, vivere nequit prorsus; vita enim eius ego sum: sed illico nudatur, & spoliatur omnibus, meisque ac suis hostibus capiendus permittitur. Cui arrepto illi pro pristino eius in me amore, & benevolentia furiosius insultant, pœnasque cum irrisionibus, & ludibriis irrogant.

C Sane ita est, rex sanctissime. Sane & ego credo tibi Deo meo; & supplex ac pronus te rogo, custodi me peccatorem, & indignum collata in me misericordia tua: & surculum dilectionis tuæ, quem in arborem spei meæ inseruisti, virtute tua corrobora, ne à vento conquassetur, ne à procella confringatur: ne ab aliquo inimico evellatur: ne præ negligentia mea æstu exuratur; ne præ pigritia & superbia mea exarescat; ne præ studio gloriæ inanis omnino tandem pereat. Tu enim nosti, qui hoc mihi donasti, & in me operatus es, te ob istuc me ab omnibus mortalibus, à mundo vniverso, seuocasse; à me quoque ipso adiutorem, & auxiliarium meum, tuum verò Apostolum pro voluntate tua corporaliter separasse. Tu scis infirmitatem meam: tu non ignoras miseriam, & ad omnia imbecillitatem meam. Proinde amplius miserere mei, qui abundas misericordiæ visceribus, Aduoluor tibi ex animo; ne permittas me voluntati meæ, qui tam multa benefecisti mihi: sed in charitate tua constabilito animam meam, & in ipsa eam radices tutò fac propagare: vt secundum impollutam, sanctam, à mendacio alienam

D promissionem tuam mecum in me sis, & ego vicissim in te, & tegar ab ipsa, & ego tegam, & custodiam ipsam in me. Et tu quidem videas me in ipsa, Domine: ego autem te videre per ipsam merear, nunc quidem vt in speculo & in ænigmate, vt dixisti, tunc autem in tota charitate te, qui totus es charitas, & ita vocari dignatus es. (1. Cor. 13. 1. Ioan. 4.) Quoniam te decet omnis gratiarum actio, gloria, imperium, honor, & adoratio, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, & semper, & in infinita sæcula, Amen.

E

# EIUSDEM SIMEONIS DUCENTA, DUODETRIGINTA Capita Moralia.

## I.

F DEVS corporeis oculis aspicientibus nusquam est, effugit enim sensum omnem cernendi. Ast animo, & cogitatione intuentibus, vbique est. Nam cum in Omni, seu in rerum vniversitate est, tum extra Omne est. In illo propè est timentibus eum, & longè à peccatoribus salus eius. (Psal. 84. & 118.)

II. Memoria Christi mentem illuminat, & dæmonas fugat. Lumen autem sanctæ Trinitatis in corde puro lucens, hominem à toto mundo seiungit, suique participem iam hinc futura gloria complet, quatenus eam potest capere, qui à superna gratia regitur, & adhuc in corporis crassitie detinetur.

III. Si prætereuntibus, ac pereuntibus omnibus, quæ oculorum sensui percipiuntur, tantummodo Deus permanet, ac permanebit, omnino eius gratiæ in hac vita affatim compotes, quanquam in terris versantur, tamen nunc iam futuro sæculo apti, atque coniuncti sunt, & in vmbra ista, onere corporis tanquam gravi sarcina depressi, ingemiscunt.

IV. Dominus noster non eos beatos esse affirmat, qui docent duntaxat, sed dignos prius per mandatorum obedientiam habitos, qui cœlestia suspicerent, quique in semetipsis lumen spiritus illuminans conspicere conspexerunt, & in vera eiusdem visione per ipsum & cognitione, & actione didicerunt, de quibus apud alios docendi causa dissererent. (Matt. 5.)

G Primum igitur eos qui ad docendum aggrediuntur, ita sustolli, ac subuehi, quemadmodum diximus, necesse est: ne si doceant quæ nesciunt, tam sese ipsos, quam sibi credentes in fraudem & exitium inducant.

V. Qui Deum non timet; is non credit Deum esse insipiens enim est. Qui autem istuc credit, illum timet. (Psal. 13. 1. Ioan. 2.) *Qui porro dicit, se timere Deum, & mandata eius non custodit, mendax est*, & timor Dei in eo non est; vbi enim timor, inquit Scriptura, ibi custodia mandatorum. Quod si & timore Dei vacamus, & divinis legibus non paremus, ab ethnicis atque infidelibus nihil discrepamus.

VI. Fides, timor Dei, obseruatio mandatorum eius pro portione purgationis præmium conciliant. Quantum purgamur, tantum in charitatem Dei à timore evehimur, & proficiendo quodammodo à timore ad charitatem Dei transimus, audientes ab eo; *Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est qui diligit me.* (Ioan. 14.) Et ita certamen certamini addamus, magisque semper ac magis contendamus, vt operibus charitatem demonstremus.

H Quod si fiat, ipse, sicut promisit, nos diliget. Si Christus nos diligat, pater eius similiter nos charos habebit; & spiritus vtique viam muniet, ac domicilium præparabit, vt in vno hypostaseon personarumve consortio, Patris, & Filij, & Spiritus sancti mansio, & habitaculum evadamus.

VII. Divinitatis tres hypostases habentis suscepta in perfectis habitatio, quam iidem cognoverũt, & præclarè senserunt, ea desiderium ipsorum non satiat, sed maioris potius, & ardentioris desiderij initium & causa est. Exinde enim istorum hospitum susceptori nullam partem quietis concedit: verum efficit, vt quasi ab igne semper incensus, & inflam-

matus

A maturus, ad divinioris cuiusdam desiderij flammam sese extollat. Quoniam enim mens, quem desiderat, intelligendo comprehendere, & finem eius indagare nequit, etiam desiderio, & amori finem ac terminum ponere non potest: sed eum fine infinito assequi, & comprehendere enitens, desiderium semper immensum infinitumque, & charitatem inexplebilem in se ipsa circumfert.

VIII. Qui ad hanc metam processit, nondum se desiderij, aut charitatis Dei in se ipso principium invenisse arbitratur: sed de se ita sentit, quasi Deum non amaret: quandoquidem charitatis plenitudinem assequi haud potuerit. Hinc seipsum postremum omnium timentium Deum reputans, indignum censet, qui cum fidelibus salutem adipiscatur.

Matth. 9. Rom. 4. IX. Omnia possibilia sunt credenti, fides enim ad iustitiam reputatur. Nam finis legis Christus. Fides autem in Christum pro opere legis reputatur, credentemque iustificat, & consummat, ac per mandata Evangelij stabilita, & demonstrata, fideles vitæ æternæ,

B quæ in ipso Christo est, consortes ac participes reddit.

X. Fides est, propter Christum pro eius mandato morte occumbere, & credere, mortem huiusce modi vitæ conciliatricem, ac parentem esse. Paupertatem divitias ducere. Vilitatem & contemptum, veram gloriam, claritatemque iudicare, & in nihil habendo omnia possidere se existimare: immò potius *investigabiles Christi divitias* possidere, & vniversa quæ videntur, non aliter, quam vt lutum, & fumum aspicere. Ephes. 3.

XI. Fides in Christum est, non solùm oblectamenta huius vitæ aspernari, sed omnes quoque in nos invadentes tentationes patienter ferre ac sustinere, in molestiis, afflictionibus, calamitatibus, quoad Deus voluerit, & nos visitaverit.

XII. Qui in re aliqua parentes suos Dei mandato anteferunt, fidem in Christum non habent. Planè enim à sua ipsorum conscientia indicantur, si modò sanam gerunt infidelitatis suæ conscientiam. Fidelium quippe hoc proprium est officium, in nulla re magni Dei, & Saluatoris nostri iussa vllo modo violare.

XII. Fides in Deum, bonorum desiderium, & pœnarum metum gignit. Desiderium autem bonorum, suppliciorumque timor, perfectam mandatorum obseruationem operantur. Deinde perfecta mandatorum obseruatio homines suam ipsorum imbecillitatem do-

C cet. Perspicientia veræ imbecillitatis nostræ, mortis memoriam generat: quam qui contubernalem habuerit, cognoscere laborabit, quæ sibi post migrationem ex hac luce eventura sint. Cæterùm qui futurorum certior fieri studet, ante omnia præsentibus se privatum ire debet. Nam qui his, etiam parvi momenti rebus affectum submittit, exactam illorum cognitionem non consequitur. Quod si & hanc, Deo ita permittente, gustabit, nisi primo quoque tempore dimiserit, quorum ei affectus, & amor dominatur, penitusque huic sese notitiæ consecrauerit, nihil aliud extra eam spontè cogitandum ratus ipsa quoque quam videtur habere cognitio, ab eo auferetur.

XIV. Renunciatio mundi, absolutaque secessio peregrinitatem quandam ab omnibus vitæ istius vanitatibus, & illecebris, moribus, sententiis, personis, abnegationemque corporis, & propriæ voluntatis assumens, breui magnam vtilitatem ei pariet, qui tam studiosè ardenterque mundo renuntiavit.

XV. Qui mundum fugis, caue ne des solatium animæ tuæ, vt in eo nonnunquam rogatus habites, quamvis id omnes te rogent: hoc enim dæmones illis sug-

D gerunt, quò feruorem animi tui extinguant. Nam vt non prorsus propositum tuum impedire queant, laxius quidem certè, & languidius illud efficient.

XVI. Cùm te adversus omnia vitæ humanæ blandimenta virum præstiteris, nihilque ab eis allevamenti petieris, tum diaboli flexis ad commiserationem cognatis, flere eos, & lamentari propter te in conspectu tuo faciet: quod ita esse cognosces. Quod

E si tu immota mente contra talem impetum perstiteris, videbis eos repente furore, & odio tui accensos, te vt inimicum aversari, & vultum tuû amplius ferre non posse.

XVII. Cùm à parentibus, fratribus, amicis tibi negotia facessi, & tribulationem creari senseris, dæmonem irride, cuius instinctu, impulsuque hæc multimodis contra te suscipiuntur, & cum timore, curaque multa clam secede, Deum impensè ora, vt celeriter ad portum boni alicuius patris appellaris, in quo animam tuam oneratam, ac delassatam reficere, ac recreare possis. Etenim pelagus vitæ huius ad pericula obiicienda, extremamque perniciem struendam ac parandam idonea multa continet.

XVIII. Qui mundum odisse vult, ex medullis intimis Deum diligat, eumque continenter ante oculos habeat oportet: quandoquidem nihil perinde vt ista duo facit omnia cum gaudio relinquere, & vt quisquilias despicatui ducere.

XIX. Omnino fuge, probabilibus de caussis (immò enimuero improbabilibus, & rationi parum con-

F sentaneis) assiduò in mundo versari. Verùm accersitus, actutum obedi: non enim in alio Deus æque; vt in celeri obedientia nostra lætatur: siquidem melior expedita, & prompta obedientia cum egestate, quam tarditas cum abundanti pecunia.

XX. Si mundus, & mundana vniversa prætereunt, solus autem Deus sempiternus est, nec eum vlla mortis fata perimentcon, lætamini, quicunque propter illum rebus fluxis salutem dixistis. Fluxa autem sunt non divitiæ modò, & pecuniæ, sed & omnis voluptas, & oblectatio peccati fluxa est: sola verò Dei mandata lux, & vita sunt, idque ab omnibus appellantur.

XXI. Si concepta flamma, & quasi tæda ardenti accepta, frater, cursu te ad cœnobium, aut patrem spiritualem contulisti, ob id, etiam hortatu illius, aut qui tecum sunt religiosorum fratrum, lavationibus, cibis, aliisve obsequiis ad corpus pertinentibus recreationis, & animi caussa vtendum tibi ne putes: sed ad ieiunium, ad aspera ferenda, ad summam continentiam paratus semper esto: vt si patris tui in Domino auctoritate ad fruendum aliquod solatium incitere, illi obsecundans reperiare, & voluntati tuæ nec in hoc dedita opera parere. Alioqui cum voluptate sustine, ac patere, quæ libens & vltro ad animæ emolumentum inde comparandum facere instituisti. Ita si

G faxis, semper ab omnibus inedia te affligere, & continentiæ studere, propriamque, voluntatem funditus exuisse indicaberis. Neque id solum, sed insuper ardentem in pectore tuo flammam inextinctam conseruabis, quæ te ad omnium rerum contemptionem adigit.

XXII. Cùm præstiterint dæmones, & experti fuerint omnia, quæ in se fuerunt, nec tamen nos à scopo nostro secundùm Deum avertere potuerint, nec remorari, atque impedire, tum se in religiosam cautionem simulantes insinuant, eorumque opera sacro certamini deditis, impedimenta obiicere annituntur. Ac primùm quidem velut amore, & motuo illorum miseriæ sensu commoti, eos ad corpora secum recreanda, ac fovenda concedere cohortantur: ne debilitentur, ac frangantur, inquiunt, & in torporem, ac socordiam, sive acediam delabantur. Post ad colloquia infructuosa eos provocant, in quibus dies totos conterunt. Ac si quispiam bonus, & virtutis studiosus illis se æquaverit, conversi, eius interitum rident. Si eorum sermonibus aures obstruxerit, seque ab omni-

H bus & peregrinum, & grauem ac serium, & à licentia alienum seruaverit, ad invidiam concitantur, velisque ac remis contendunt, vt eum etiam è monasterio expellant. Vana quippe gloria contempta, humilitatem ex adverso laudatam videre non sustinet.

XXIII. Angitur magnoperè inanis gloriæ consectator, cùm humilem lachrymas profundentem, dupliciterque sibimet commodantem intuetur. Nam & Deum per illas propitiat: & homines ad sui commendationem (tametsi id minimè volens) excitat.

A XXIV. Postquam te totum patri spirituali tradidisti, scito te instar peregrini, ac hospitis esse in extraneis omnibus, quibus præficeris; hominibus, inquam, negotiis, & facultatibus, citra cuius auctoritatem nihil facere velis. Sed neque exiguum, aut magnum quippiam ab eo tibi committi petas: nisi is suopte nutu aut illi te manus admovere iusserit; aut ipsemet sua velut manu illud tibi tradiderit.

XXV. De illata abs te pecunia ne des eleemosynam iniussu patris tui secundùm Deum. Sed neque velle debes, vt quis per vicarium, siue internuntium tuum de illa ab eodem patre accipiat. Præstat enim mendicum, & peregrinum esse, & nominari te, quàm dissipare pecunias, & dare pauperibus, cùm in hoc vitæ statu nouellus adhuc, & tyro sis. Sinceræ autem fidei est, omnia voluntati patris spiritualis haud secus quam Dei manibus permittere.

B XXVI. Potestatem bibendi aquam, ne roga, licet siti ardeas, donec suopte impulsu pater spiritualis te ad bibendum hortabitur. Coërce teipsum, & acriter tibimet impera in omnibus, ita loquens, & suadens tibi apud animum. Si placet Deo, & sis dignus bibere, planè reuelabit patri tuo spirituali, & is dicet tibi, bibe. Tum bibes pura conscientia, quamvis extra tempus, aut horam bibas.

XXVII. Qui spiritualem vtilitatem experiundo cognouit, fidémque germanam ac sinceram habuit, Deum veritatis testem inuocans, dixit, statui mecum, vt neque comedere, neque bibere à patre meo spirituali vnquam peterem; neque eo nescio quidquam penitus mihi ad vsum sumerem: quoad Deus certò illum doceret, & is demùm mandaret mihi. Sic me habens, inquit, à proposito scopo nunquam aberravi.

C ANNOTAT. Nihil magis veteribus Monasticæ vitæ magistris curæ & cordi fuit; quàm vt tyrones patri spirituali penitus sese subiicerent; illius iniussu nihil agerent; nullámque cogitationem præterire sinerent, quam ei non patefacerent. *Instituuntur*, inquit Cassianus lib. 4. de Instit. renunciant. cap. 9. *nullas penitus cogitationes prurientes in corde perniciosa confusione celare, sed confestim, vt exortæ fuerint, eas suo patefacere seniori: nec super earum iudicio quidquam suæ discretioni committere, sed illud credere malum vel bonum esse, quod discusserit ac pronunciaverit senioris examen.* Et cap. 10. *Posthac tanta obseruantia obedientiæ regula custoditur, ut iuniores absque præpositi sui scientia vel permissu, non solùm non audeant cellam progredi, sed ne ipsi quidem communi ac naturali necessitati satisfacere sua auctoritate præsumant.* Ad quam perfectissimæ subiectionis normam pertinet itidem, quod hoc loco Simeon præcipit; tametsi qui rem accuratius non

D perpendit, credere fortassis posset; tentationem Dei includi, saltem *interpretatiuè*, in facto secundum præceptionis huius præscriptum suscepto. Sed secus se habet; quia, vt docet S. Thomas 2. 2. q. 97. art. 1. *quando quis propter aliquam necessitatem seu vtilitatem committit se diuino auxilio in suis petitionibus vel factis, hoc non est Deum tentare.* At Monasticæ vitæ professores faciebant hæc & his similia, propter spiritualem vtilitatem; nihil enim viro religioso fructuosius accidit; quàm si in omnibus suis actionibus ab antistite suo dependeat.

XXVIII. Qui erga pàtrem suum secundùm Deũ fidem euidentem habet, in illo Christum ipsum intueri se existimat, & cum eo familiariter versans, eúmque affectans, & comitans, cum Christo se versari, & eum comitari constanter credit. Talis nunquam alterius consuetudinem desiderabit, eiusque memoriæ, & charitati nihil rerum mundanarum anteponet. Quid enim, obsecro, tum in hac, tum in futura vita melius, quàm cum Christo esse omni tempore? quid verò eius aspectu aut speciosius, aut dulcius? Iam si etiam colloquio illius dignus censeatur, prorsus ex eo vitam æternam haurit. Ioan. 6.

E XXIX. Qui cum sensu quodam conuitiantes sibi, aut iniurios, aut osores suos, & spoliatores diligit, & pro eorum salute preces Deo adhibet, breui non mediocrem progressionem efficit. Hoc quippe cum sensu cordis factum, animum in profundum humilitatis, & in fontes lacrymarum adigit: in quibus summergitur quidem tripartita animæ vis, & facultas, sed in cœlum ἀπαθείας mentem sustollit, & contemplatricem facit. Hinc gustu vtilitatis ibi inventæ omnia præsentis vitæ arbitratur ut stercora, ipsúmque cibum, ac potionem neque cum delectatióne, neque crebrius admittit. Phil. 3.

XXX. Fidem certissimam clarè ostendit, qui & locum, in quo dux, & pater eius consistit, vt sanctum reveretur, pulueremque pedum, seu vestigiorum eius, magna pietate capiti suo aspergit, & cordi suo, ut passionum inde proficiscentium medicamentum, peccatorúmque purgationem quandam affricat. Ipse autem

F appropinquare non audet, neque saltem vestem, aut tegumentum eius eo non iubente attingere. Et cùm quippiam illius manibus tractat, cum timore, & reuerentia illud tractat, indignum se ipsum iudicans, non solum qui eum videat, eique ministret: verùm etiam qui in eadem cella cum eodem commoretur, & viuat.

XXXI. Multi huic vitæ, rebúsque perituris, pauci etiam voluntatibus suis renuntiant: de quibus diuina scriptura; *Multi sunt vocati, pauci verò electi.* Mat. 20.

XXXII. Quando cum fratrum collegio mensæ accumbis, & mente omnia, ut umbram oculis descripseris, ac repræsentàris, cibique suauitatem non senseris: sed totam animam miraculo attonitam, lachrymis plenam habueris, tum cognosce, gratiam Dei propter egregiam ex timore humilitatem tuam hæc ita tibi ostendere, ut visis Dei creaturis, & doctus sensibilium infirmitatem, dilectioni intelligibilium timorem inseras. Hæc est enim quam spiritualem cogni-

G tionem dici audis, media inter timorem, & charitatem, ab illo ad hanc sine sensu, & periculo hominem transmittens.

XXXIII. Perfectam Dei charitatem ita possidere, ut amittere nequeat, nemo potest, nisi pro mensura spiritualis cognitionis, quæ in anima, ad virtutis exercitationem assiduè incumbente paulatim crescit. Id quod sciens Apostolus, ait, ex magnitudine, & pulchritudine rerum conditarum, proportione auctorem & conditorem conspici. Rom. 1.

XXXIV. Amplitudinem cœli, & spatia immensa terrarum, cæterorúmque omnium rationes oculis corporeis nemo satis potest noscere. Nam quæ mentem, & ingenium superant, quo pacto oculi ea perceperint? vix siquidem à cogitationibus non bonis purgata, & ab anticipatis opinionibus liberata, misericordiáque, & gratia Dei illuminata mens, secundum

H mensuram illuminationis rerum spectacula dignè lustrare poterit.

XXXV. Sicut nocturno tempore oculis corporum illo tantùm in loco videmus, in quo lucernam accendimus, toto mundo reliquo nobis nox est: ita in nocte peccati ambulantibus bonus dominus modicum quoddam lumen fit, cum sit Deus, quem nemo capit, parcens imbecillitati nostræ videlicet. Tum repentè suspiciens homo, & rerum naturam contemplans, quam nunquam ante est contemplatus, obstupescit, & absque dolore voluntarias profundit lachrymas, quibus purgatur, & tanquam secundo baptismate abluitur; de quo in Euangelio Dominus, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non intrabit in regnum cœlorum.* Et iterum, *Oportet vos nasci denuò:* vbi per vocem *denuò*, ex spiritu generationem subindicauit. Ioan. 3.

XXXVI. Prius baptisma habet aquam, & adumbrat, seu præfigurat lachrymas. Habet unguentum chrismatis, quo spiritus unguentum, quod animo tantùm videtur, nobis cogitandum subiicit. Posterius autem baptisma, non iam figura veritatis, sed ipsa veritas est.

XXXVII. Non tantum ab improbis actionibus abstinendum est, verum etiam à cogitatis, & agitationibus animi perversis ascetam, seu virum religiosum oportet esse liberum, ac nunquam non in cogitationibus fructuosis, & spiritualibus occupari: quò nulla rerum ad hanc vitam spectantium sollicitudine tangatur.

XXXVIII. Quemadmodum qui totum corpus suum nudavit, si velamento aliquo oculos opertos habet, nec id tollere, & abiicere voluerit, non potest ex sola reliqui corporis nuditate lumen aspicere: sic qui res alias omnes, & facultates quoque suas contempsit, & ab ipsis earum perturbationibus est vindicatus, nisi etiam curis huius vitæ, pravisque cogitationibus animæ oculum expediuerit, lumen intellectuale, ipsum Dominum, ac Deum nostrum Iesum Christum nunquam videbit.

XXXIX Ratiocinationes mundanæ, & cogitationes rerum labentium in mente, id est, in oculo animæ, imitantur velum, quod exterioribus oculis superponitur. Quandiu igitur eæ relinquuntur, nihil videmus. Cum per memoriam mortis ablatæ fuerint, tum clarè lumen cernimus, quod omnem hominem in mundum illum superiorem venientem illuminat.

XL. Qui ab ortu cæcus est, rerum depictarum elegantiam nec intelliget, nec credet. Sed cui aliquando videre contigit, vera esse quæ audit, non negabit.

XLI. Qui vtitur oculis corporeis, quando nox, quando dies sit novit: cæcus utrumque ignorat. Et qui spiritualiter aspicit, & oculis intelligentiæ vtitur, viso lumine vero, & inaccesso, si ex desidia in pristinam cæcitatem revolutus, luminéque privatus fuerit, facilè eam privationem sentit, nec unde contigerit ignorat. Qui verò ab ortu cæcus manet, nihil horum experientia, & actione novit; nisi fortè quippiam auditione acceperit, & didicerit de iis, quæ nunquam vidit, & audita aliis narraverit, ipsomet, & ipsis etiam auditoribus nescientibus, quibus de rebus sermo sit.

XLII. Fieri nequit, vt carnem esca farciamus, & simul spiritualiter intellectualibus, ac divinis commoditatibus perfruamur. Quantum enim quis ventri servierit, tantum illis sese fraudabit. Quantum autem corpus domuerit, atque compresserit, tantum vicissim alimonia, consolationéque spirituali implebitur.

XLIII. Omnia quæ in terris sunt, divitias, aurum, & alias vitæ res, non relinquamus solum, sed etiam illorum cupiditatem ab animis nostris, perfectè repellamus. Oderimus voluptates corporis, & omnes motiones eius à ratione alienas, ipsúmque laboribus mortificare studeamus. Per hoc enim concupiscentiæ vigent, & in opus exeunt: quo vivido, & vigente, animam nostram totam exanimem, & ad omne Dei mandatum exequendum tardam, ac difficilem, aut etiam omninò immobilem esse necesse est.

XLIV. Quomodo flamma ignis superiora semper appetit, quomodocunque verteris materiam vnde accenditur: sic cor vanæ gloriæ studiosi humiliari nequit: sed vtcunque utilia ei dixeris, magis magisque elevatur. Reprehensus enim, aut admonitus, vehementer contradicit. Laudatus autem, aut rogatus, spiritus malè tollit.

XLV. Homo in contradicendo exercitatus, sibimet anceps gladius est, insciente r animam suam interficiens, & à vita æterna alienam efficiens.

XLVI. Qui contradicit, similis illi est, qui se regis inimicis, & adversariis sponte in servitutem addicit. Contradictio enim esca est capax, habens quandam causæ suæ defensionem, qua decepti, hamum peccatorum devoramus, à quo & misera anima, quasi per linguam & gulam à spiritibus nequitiæ rapi consuevit: & aliquando in altitudinem superbiæ extolli: aliquando in chaos abyssi peccatorum demergi, & cum his qui de cœlo ceciderunt, apud inferos condemnari.

XLVII. Qui ignominia, & iniuriis afficitur, ex eóque magnum animi dolorem capit, inde colligat, se antiquum serpentem in sinu circumferre. At verò si cum silentio sustinuerit, aut magna cum humilitate responderit, illum infirmabit, & invalidum reddet. Sin cum acerbitate contradicat, aut cum audacia, & temeritate loquatur, iam serpenti ad venenum in corde suo diffundendum, & ad interiora crudeliter depascenda vires addit: ut hinc quotidie valentior, quod bene correxit in moribus, & robur misellæ eius animæ devoret: & ipse de cætero iustitiæ planè mortuus, peccato vivat.

XLVIII. Si mundo nuntium remittere, & evangelicam viuendi normam doceri vis, cave te imperito, & perturbationibus agitato magistro in disciplinam tradas: ne pro evangelica ratione diabolicam discas. Bona siquidem bonorum magistrorum præcepta, malorum mala: & vitiosorum seminum ipsa quoque cultura prorsus vitiosa, & improba est.

XLIX. Precibus, & lacrymis Deum fatiga, vt tibi ducem sanctum, & à moribus rationi adversantibus sincerum, integrúmque mittat. Tu quoque sanctas scripturas, & præcipuè practicos sanctorum Patrum commentarios scrutare, ut cum iis comparans, quæ à magistro, & Præfecto doceris, velut in speculo qualia sint videre, & pernoscere queas: & cum scripturis quidem divinis consentientia in sinum immittere, & animo infigere: spuria autem, & aliena discernere, & detestari, ne errore auferaris. Nam his temporibus seductores, & mendaces non paucos reperiri, scias, velim.

L. Quicunque ipse non videt, & aliis viam præiturum pollicetur, seductor est, & sequentes se in foveam perditionis inducit: iuxta verbum Domini: *Cæcus si cæco ducatum præstet, nonne ambo in foveam cadent?* Mat. 15.

LI. Qui in uno cæcus est, totus cæcus est in omnibus: contrà, qui videt in uno, videt in omnibus. Cùm à visu omnium abstineat, nihilominus omnia videt, & extra visa est. Sic cùm in uno (Deo) sit, cernit universa: & inter universa cum sit, nihil ex omnibus cernit.

LII. Qui in uno per unum videt, & seipsum, & omnia videt, & in eo absconditus, nihil omnium videt.

LIII. Qui imaginem Domini nostri Iesu Christi, cœlestis hominis ac Dei in homine interiore ac rationali cognoscens, & sentiens necdum induit, etiamnum caro tantum, & sanguis est: nec potest spiritualis gloriæ notitiam per Dei verbum accipere: quemadmodum oculis ab ipsa origine sua orbati, solis lumen per alterius sermonem nequeunt cognoscere.

LIV. Qui sic audit, cernit, & intelligit, haud nescit quid sibi verba nostra velint: ut qui iam imaginem cœlestis portare cœperit: & in virum perfectum plenitudinis Christi evaserit. Qui in hoc statu est, is gregi Christi in via mandatorum Dei cum laude præire poterit. Qui ignorat, & aliter se habet, eum nec sensus animæ illustratos, & sanos habere constat. Quamobrem illi magis conducet, si regatur, quam si periculosè regat. 1. Cor. 15. Ephes. 4.

LV. Qui magistrum, ac ducem suum non secus quàm Deum auscultat, & in eo defixus est, contradicere non potest. Sin autem arbitratur in vtramq; partem dici posse se errare sciat. Quomodo enim qui Dei sunt erga Deum afficiantur, compertum non habet.

LVI. Qui vitam iuxta ac interitum suum in manu pastoris sui positum esse credit, nunquam contradicet. Atque huius rei inscitia contradictionem generat: contradictio mortis sub intelligentiam cadentis, ac sempiternæ effectrix est.

LVII. Priusquam aliquis damnationis sententia feriatur, datur locus facta sua defendendi apud iudicem. Factis autem planè iam constantibus, & manifestis, & sententia iudicis prolata, tortoribus nec multum, nec parum contradicere, ac repugnare fas est.

LVIII. Antequam ad istuc tribunal accedat monachus, & aperta fiant, quæ latent in corde eius, fortassis

ei

A ei contradicere licet, partim propter ignorantiam, partim quia sua se occultare posse opinatur. Sed post cogitationum revelationem, sinceramque confessionem non licet unquam, usque ad mortem iudici secundum Deum, & vicario eius sese dictis opponere. Monachus quippe ab initio ad hoc tribunal ingressus, cordis sui retectis arcanis iam inde sibi persuasit, si vel modicam cognitionem acquisierit, mille mortes se commeruisse: & per obedientiam, humilitatémque suam (si vere utique mysterij modum scit) omni ultione supplicioque liberatum credit.

L I X. Qui hæc indelebilia in animo suo custodit, doctus, admonitus, castigatus nunquam corde movebitur. Quoniam qui in hæc mala incidit, in contradictionem, inquam, & infidelitatem erga patrem spiritualem,& magistrum suum,in casses,& profunda inferorum adhuc viuens miserandum in modum deturbatur: & vt inobedientiæ, ac perditionis filius, domicilium satanæ fit, & omnis immundæ potestatis eius.

B L X. Adhortor te,fili obedientiæ, vt hæc in pectore tuo volutes identidem, omnémque contentionem adhibeas, ne in mala inferni, de quibus dictum est a nobis, præcipites: sed in dies singulos Deum ita roges, & dicas. *Deus, & Domine universorum, quem penes est omnis spiritus, & animæ potestas, qui solus sanare me potes, exaudi me infelicem, & in me delitescentem orationem sanctissimi spiritus tui adventu interemptum dele, méque mendicum, & ab omni virtute nudum, sancti patris mei pedibus procidere velis, & sanctam eius animam ad delendam vicem meam & ad misericordiam mihi inde tribuendam adducito; & da humilitatem cordi meo, & cogitationes decentes, peccatori, qui pepigit tecum, ut pœnitentiam ageret: & ne in finem derelinquas animam, quæ semel tibi se aggregavit, & te confessa est, totique mundo praeoptavit, ac prætulit te. Tu enim nosti, Domine, velle me salvari, tametsi mala consuetudine retardor, &* C *impedior. Veruntamen omnia tibi possibilia sunt, quæ apud homines impossibilia.*

L X I. Qui præclarum fidei, ac spei fundamentum aulæ; ac palatij pietatis posuerunt, & supra petram obedientiæ patribus spiritualibus exhibendæ pedes inconcussos firmaverunt, eorúmque iussa tanquam e divino ore profecta audientes, & huic obedientiæ fundamento citra dubitationem superædificantes, ea in humilitate animæ protinus recte obeunt, magnoque illo ac primo officio, quod est seipsum abnegare, bene funguntur. Nam ex aliena, non ex sua voluntate pendere, non solùm abnegationem animæ suæ continet: sed etiam toti mundo mortuum esse facit.

L X I I. Contradicente quopiam patri suo, lætantur dæmones: humiliantem verò se, usque ad mortem, admirantur angeli. Talis enim opus Dei operatur; similis filio Dei, qui factus est patri suo cumulate *obediens usque ad mortem: mortem autem crucis.* Phil. 2.

D L X I I I. Multa, & intempestiva cordis contritio mentem turbidam reddit, eique tenebras offundit, & puram orationem atque humilitatem ab anima tollit; dolorem autem cordis ingenerat: inde duritiem, & cæcitatem immensam, per quæ dæmones vitæ spiritualis desperationem moliuntur.

L X I V. Quando hæc tibi occurrerint, monache, & in anima tua perfectionis zelum, desideriumque non vulgare perspexeris, vt omnibus Dei mandatis obtemperare, ac ne verbo quidem otioso delinquere, actionéque, cognitione, contemplatione nulli veterum sanctorum cedere concupiscas, cernis autem impediri te ab eo, qui zizania desperationis interseminat, ne ad tantam sanctimoniæ celsitudinem pervenias, dum tibi cogitationes suggerit, ac dicit: non potes vllo modo in hoc mundo salvari, & ad vnguem Mat. 23. omnia mandata Dei servare: tum tu in aliquo angulo solitarius considens temet collige, daque bonum, & probatum animæ tuæ consilium, in hæc verba: *Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me: Spera in* Ps. 41. *Deo, quoniam adhuc confitebor ei.* Salutare enim vultus mei non benefacta mea, sed Deus est. Nam quis ex E operibus legis etiam iustificabitur? *Non iustificabitur* Ps. 142. *enim in conspectu tuo omnis vivens*: sed ex fide in ipsum Deum meum salvatum me iri confido gratis, propter misericordiam eius ineffabilem. *Vade retro me satana,* Mat. 4. *Dominum meum adoro, & ei servio a iuventute mea,* qui me in sola misericordia sua salvare potest. Apage igitur: Deus qui me ad similitudinem & imaginem suam fecit, ipse te destruet.

L X V. Hoc solum Deus ab hominibus nobis requirit, ne peccemus, præterea nihil. Istuc porrò non est opus legis: sed inviolabilis custodia imaginis, & cœlestis nostræ dignitatis: in quibus secundum naturam consistentes, & lucidam spiritus vestem gestantes, in Deo manemus, & ipse in nobis, adoptione dij, & filij Dei appellati, & in lumine cognitionis Dei [illegible] signati.

ANNOTAT. Requirit à nobis Deus, vt servemus F mandata eius. Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata:* at hoc reipsa non est aliud, quam vt non peccemus: nam peccando non servamus mandata: & servando mandata, non peccamus. Itaque qui tantum præcipit, vt servemus mandata; is etiam tantum præcipit, vt non peccemus. Et qui tantum præcipit, ut non peccemus; is tantum præcipit, ut servemus mandata.

L X V I. Torpor, & onus, seu mollitia corporis,& pigritia, & negligentia in animum illabentia, eum a consueto canone, seu ordine, & regula procedendi avocant, atque abducunt, & tenebras menti, desperationemque afferunt, vt hinc timiditatis, & blasphemiæ cogitationes in corde emergant: nec possit ad consuetum orationis locum regredi, qui ne à dæmone accedat tentatur: sed ipsum metuat, & adversus oppugnationem universorum ab ira cogatur. Causa igitur cognita,& vnde hæc tibi acciderint, locum orationis tuæ solitum studiose ingredere, & coram benigno Deo in genua G cadens, et cum gemitibus, & lachrymis in dolore cordis supplex esto, vt abs te pondus accediæ, per versatumque cogitationum auferat: & ab his, si pulsando cum patientia perseveres, citò liberaberis.

L X V I I. Qui cor purum adeptus est timiditatem vicit. Qui autem etiamnum purgatur, modo eam fert, modò fertur ab ipsa. Ast qui prorsus non contendit, aut penitus non sentit, & dum vitiosorum motuum, & dæmonum amicus est, cum inanis gloriæ appetitu, etiam magnifica de se opinione ægrotat, putans se aliquid esse, cùm nihil sit: aut timiditati servus Gal. 6. est, & mancipium, tremens vt mente puer, & timore timens, ubi nullus est timor, nec timiditas Dominum timentibus.

L X V I I I. Qui timet Dominum, nec impetus dæmonum, nec imbecilles eorum mentitas, hominumve improborum minas pertimescit. Sed velut flamma quædam, aut ignis, totus ardens, loca inaccessa,& obscura noctes, & dies circumiens, dæmonas fugat: qui H magis eum fugiunt, quam ipse illos ne a flammante radio divini ignis ex eo emisso incendantur.

L X I X. Qui in timore Dei ambulat, hic in medio hominum pravorum vivens, & conversans, non timet, timorem suum intus habens, & instructus armis fidei inexpugnabilibus, qua cuncta valet, & potest facere omnia, etiam quæ vulgo difficilia, factuque impossibilia videntur. Verum ut gigas aliquis in medio simiarum, aut leo rugiens in medio canum, & vulpium degit, animique firmitudine, & constantia eos percellit, & eorum mentes exterret, sermonem in sapientia ut virgam ferream illis impingens.

L X X. Non mirari, si a timiditate occupatus hæc times & tremis. Adhuc enim imperfectus es,& invalidus, & ut parvulus puer, humana metuis: timiditas enim est puerilis,& vanam gloriam consectantis animæ irridenda affectio. Contra hunc dæmonem igitur ne velis verba facere, aut contradicendo insurgere. Animæ siquidem trementis, & tumultuosius agitatæ verba nó proficient. Missis autem his, quantum potes animum

tuum humilia, & mox timiditatem profligatam cognosces.

LXXI. Ab acedia quisquam oppressus, mentem remissam, & tenebris offusam, & animam suam dissolutam habet, vt ex hoc propemodum luctus à corde eius deficiat, & flamma spiritus in eo extinguatur, totáque domus corporis eius fumo impleatur. Quin etiam membrorum torpor in ipso excitatus, ex pigritia eum in altissimum somnum demergit, vt necessariò à consueta acoluthia, seu ordinata functione sua cesset. His per continentiam, & vigilias resistens, victo somno statim arrogantia cor induratur, & deficiente luctu, timiditate corripitur. Quam vt rursus in se experitur, alieno tempore cellam exiens, & in caliginosum, ac tenebrosum locum se conferens, stansque in eo manibus in cœlum levatis, & signo crucis in se expresso, sublatis ad Deum oculis, vbi paulum humiliavit animum, statim timiditatis dæmon ab eo aliquantum recedit. Eo autem potentior, & formidandus ille hostis, qui ad vanam gloriam sollicitat, cogitationem istam suffurans, dilaniare eum, iterúmque pusillanimitatis, seu timiditatis dæmoni tradere vult. Quod vbi intelligit, miratur, Deúmque ferventer orat, vti animam suam ab huiuscemodi laqueis diaboli tueatur.

LXXII. Multis, & vt ego quidem opinor, omnibus, horum dæmonum conflictus, nequitiaque & via, ac ratio, qua vtuntur, ad intelligendum difficilis est. Norunt enim pusillanimitatis dæmonem cum acediæ dæmone venire, & conspirare, & hunc illi auxilium ferre. Ac priorem quidem illum timorem in anima cum obfirmatione gignere: posteriorem tenebras, & remissionem, præterea cæcitatem animæ, & intellectus, & desperationem introducere. Certantibus autem acedia probatio, & exploratio quædam est humilitatémque iisdem conciliat.

LXXIII. Qui in oratione progressus habent, aut eius studio ducuntur, eos accediæ dæmon frequentissimè lacessere, & oppugnare consuevit. Nam reliquorum dæmonum nullus contra hos quidquam valet: sive ille alius œconomica quadam Dei permissione contra ipsos, valet: sive (quod ego libentius credo) ex inæqualitate, & perturbatione temperamenti corporis adversum nos vires sumit. Quod dico, est huiusmodi. Si multo cibo stomachum gravavi, & ex saturitate nimia somno sum consopitus, dominata est menti meæ vituperanda affectio, & victus sum. Deinde rursus, si immoderatè cibis abstinui, mentem meam obscuravi, & pœnè immobilem reddidi, iterúmque postea in eandem affectionem incidi. Interdum ex cœli temperie nescio quomodo, & nebulosa crassitie vêti humidi talia certantibus eveniunt.

LXXIV. Acedia mentis & animæ mors est; quam si Deus permisisset in nos grassari, quantum potest, nemo vnquam spirituale certamen certantium salutem fuisset consecutus. Muneris autem nostri est, pro virili parte eidem resistere: Dei verò, arcana quadam ratione nos excitare, palámque victores præstare. Est porrò impossibile, quenquam mortuum vitale lumen recipere sine eius ope, qui semetipsum à mortuis resuscitavit.

LXXV. Si furto quodam, seu per surreptionem mens in arrogantiam, & magnificam de se opinionem devenerit, & in ea longius processerit, vt se in certamine spirituali aliquid esse existimet, tum gratia, quæ ipsam illuminabat, nec cernebatur, auolat. Et cùm eam brevi inanem deseruerit, statim in aperto est eius imbecillitas, incursantibus illam perturbationibus instar canum atrocium, & devorare nitentibus. Dúmque æstuat, & quo se vertat nescit, neq; habet quo confugiat, & à quo salutem, conservationémque petat, ad dominum tandem confugit, qui eam salvare potest.

LXXVI. Qui è mundo toto se removit, velut in solitudine invia, & ferarum plena se esse perspicit: vnde timore incredibili, & tremore longè maximo eum incessente clamat ad Dominum, vt Ionas quidem è ceto, & mari vitæ huius: vt Daniël autem è lacu passionum, ut leonum scilicet: vt tres pueri ex camino ignis insitæ: & innatæ nobis concupiscentiæ, & urentis: vt Manasses ex catenis huius lucti, & interitui subiecti corporis: quem & Dominus exaudiens ipsum è profundo ignorantiæ, & amicitia huius mundi liberat, quemadmodum prophetam illum à ceto, vt ad hæc non revolvatur. Liberat sicut Danielem à lacu malarum cogitationum concupiscentiæ, rapientium, & devorantium animas hominum. Ab antea conceptis opinionibus, vitiosorum affectuum plenis, illius ignis, qui comburit & vastat eius animam, atque ad actiones nefarias compellit & trahit, incombustum custodit, & Spiritu sancto irrorans eius animam, vt Israëlitas illos pueros, & à terrena hac, gravique, & motibus à ratione aversis plurimum obnoxia carne neutiquam humiliatam, & sine lapsu conservans, filium lucis, & diei ipsum facit, & hinc iam gustum immortalitatis ei præbet.

LXXVII. Anima sic habitans in isto abiecto corpore, vt eo vtatur familiariter, & voluptates eius affectans, gloriæque humanæ dedita: aut horum quidem nullam rationem ducens, lucis autem, seu vitæ huius iucunditatem sentiens, ad omnem virtutem, & mãdatum Dei torpet planè, minimèque alacris est, à malis iam dictis quasi arctis gravata compedibus. Cùm autem excitata laboribus afflictionis, & lachrymis pœnitentiæ, pondus carnis à se excussit, salsuginem terreni sensus fletibus magnis eluit, humilitatémque rerum, quæ videntur, transcendit, & puro lumine fruitur, & à dominatione tyrannicarum animi passionum asseri meruit, mox & ipsa cum Propheta exclamat, *Conscidisti saccum meum & circumdedisti me lætitia, vt cantet tibi gloria mea, & non compungar.*

LXXVIII. Tres locos sacra scriptura indicat, in quibus mens libenter habitare consuevit. Ego verò duos potius esse aio, non ut doceam scripturæ contraria, quod absit: sed medium inter principium, & finem haud numerans. Exempli causa, qui ex urbe in urbem, & è regione in aliam regionem transiit, non etiam iter ipsum quo profectus est, vrbem aut regionem appellabit; quamvis in eo multa, & admirabilia viderit. Etenim qui ex Ægypto in terram promissionis migravit, & in ea sedem posuit, omnium quidem recordatur, quæ in medio occurrerunt, eáque narrat omnibus: non tamen à prima ad secundam; & à secunda in tertiam vrbem, aut regionem se ambulasse dicit: sed quomodo à servitute ad libertatem, à tenebris ad lucem, à conditione captivi ad patriam: sic etiam ab affectionibus ad earum vacuitatem, ab earum servitute ad libertatem spiritus: & ab anticipatis contra naturam animi opinionibus (quam velut captivitatem spiritualis lex nominat) ad reditum supra naturam: à vitæ huius pelago, & fluctibus ad statum tranquillitatis eorum, quibus cum mundo nihil est negotij: ab amaritudine sollicitudinum, & tribulationum propter res caducas ad ineffabilem suavitatem, & otium à curis rerum terrenarum universè: à cupiditate multiplici, & distractione, & tumultu ad vnum solum, & universalem convenientiam suam, charitatémque mens humana transmeare solet.

LXXIX. Transitio mentis ab his quæ cernuntur, ad ea quæ non cernuntur, eiusdémque à sensibilibus, ad ea quæ supra sensum sunt migratio, & iucunda in illis commoratio, omnium quæ retrò sunt, oblivionem gignit. Hanc igitur ego veram quietem, & quietis regionem ac locum appello: in quem qui ascendere meruit, non inde, quemadmodum Moses, quadraginta diebus & noctibus in monte exactis, descendet: sed vbi compererit, bonum esse illic esse, de cætero ad inferiora haud quaquam convertetur. Domus autem Trinitatis hic factus, & ipse in Trinitate velut in regno cœlorum inhabitabit: charitate nimirum eum sustentante, nec vt cadat permittente.

LXXX. Non solùm quiescens, & contemplationi deditus, aut subiectus, sed etiam Præpositus, quiq; multis præest, & ipse Minister, cura vacare debet: hoc est, ab

A ab omnibus vitæ negotiis citra dubitationem liber, & expeditus esse. Nam si sollicitudinibus agitamur, prævaricatores invenimur illius mandati; *Ne solliciti*
Mat. 6. *ti sitis animæ vestræ quid manducetis, aut quid bibatis; neque corpori vestro quid induamini: hæc enim omnia gentes inquirunt.* Et iterum: *Cavete, ne quando gra-*
Luc. 21. *ventur corda vestra crapula, & ebrietate, ac sollicitudinibus huius sæculi.*

LXXXI. Quem res vitæ huius sollicitum habent, & angunt, non est liber. Propter harum quippe sollicitudinem, & curam anxiam sese demittit, & servitutis iugo submittit, siue sua, siue aliorum causa sollicitus sit. A quibus liber, nec de se, nec de aliis (quod ad vitam hanc attinet) sollicitus erit, seu Episcopus, seu Præpositus, seu Diaconus fuerit. Sed neque feriabitur aliquando; aut quidquam, etiam minimorum, vilissimorúmque contemnet. Dei autem beneplacito omnes actiones, & opera sua metiens, in omni re, & in omni vita sollicitudine carebit.

B LXXXII. Est sollicitudo quædam vacans actione, & actio expers sollicitudinis: vt contra, vacuitas sollicitudinis actuosa, & otiositas sollicita, quas & Dominus expressit his verbis: illam quidem cùm di-
Ioan 5. xit; *Pater meus usque modò operatur, & ego operor.* Et
Ioan 6. rursum: *Operamini cibum non qui perit, sed qui manet in vitam æternam:* non prohibens operari, sed docens nos absque sollicitudine operari: hanc verò, dum ait:
Mat. 6. *Quis vestrum cogitans potest adiicere ad staturam suam cubitum vnum?* tollens videlicet otiosam sollicitudinem, cui actio deest. Quæ autem habet coniunctam actionem, de ea sic loquitur. *Et de vestimento aut alimento quid solliciti estis? Considerate lilia agri, & volatilia cœli, quomodo illa crescunt, & hæc pascuntur.* Sic unam quidem removens, alteram confirmans Dominus, erudit nos, quomodo non sollicitos sollicitè operari, & quomodo sollicitudine vacantes, operibus, &
G laboribus nihil attinentibus abstinere oporteat.

LXXXIII. Dum proximi domum ædificare cogitas, cave ne tuam diruas. Perpende enim quàm istuc laboriosum, ac difficile opus sit, ne quando hoc te moliente, ac deliberatum habente, & tuam deiicias, & illius neutiquam instaurare queas.

LXXXIV. Nisi ita comparatus sis, vt negotiis, & facultatibus rerum nihil moveare, ne tibi administrationem committi velis; ne in his captus, pro mercede ministerij, furis, & sacrilegij damnationem subeas. Sin autem à Præposito ad hoc munus urgeare, perinde te habeto, vt si manibus ignem urentem tractares. Et applicationem animi per confessionem, & pœnitentiam cohibens, ex ista Præfecti voluntate nihil detrimenti accipies.

LXXXV. Qui nondum est ἀπαθὴς, neque num ἀπάθεια sit, novit: neque talem hominem esse in terris (qui scilicet omni turbido motu vacet) credere potest. Quonam enim modo, qui se ipsum non abnega-
D vit primùm, & deinde pro hac verè beata vita sangui-
Hebr. 11 nem suum non fudit alacriter, alium hæc ad ἀπάθειαν consequendam præstitisse suspicabitur? sic etiam, qui Spiritum sanctum se habere putat, nec habet, nunquam credit, dum, quid ille in Sanctis, ipsum habentibus effecerit, audit. Nempe extare quempiam hac ætate, qui perinde atque Apostoli Christi, & Sancti qui post homines natos extiterunt, divino spiritu concitetur, & gubernetur: aut eum cognoscendo, efficaciterque sentiendo perspexerit. Vnusquisque enim ex sua constitutione de alterius seu virtute, seu vitio semper iudicat.

LXXXVI. Aliud est apathia animæ, aliud apathia corporis. Illa enim claritate sua, & diffuso lumine spiritus corpus quoque sanctificat: hæc sola per se nihil ei in quo est, prodesse potest.

LXXXVII. Aliud est immobilitas, seu quies membrorum animæ, & corporis, aliud virtutum acquisitio. Illa siquidem naturâ inest: hæc verò etiam naturales motiones componit.

E LXXXVIII. Non concupiscere aliquem iucunda, & delectabilia huius mundi, non est simile æternorum, & sub visum non cadentium bonorum desiderio: aliud enim hoc ab illo. Nam priora illa multi despexerunt: hæc paucis mortalibus cordi fuerunt.

LXXXIX. Non si quid est aversari, & non quærere gloriam hominum, idem est etiam à divina gloria suas rationes aptas, & suspensas habere: magnum quippe inter hæc discrimen est. Illa enim alij quoque multis præterea vitiis subiecti repulerunt: hanc perpauci labore, & sudore multo accipere meruerunt.

XC. Veste vili contentum esse, nec desiderare tunicam splendidam, non est etiam Dei lumen induisse. Aliud hoc, aliud illud. Nam vestium splendorem mille impliciti cupiditatibus facilè spreverunt: hoc soli amiciuntur, qui per omne genus mortificationis non remissè, ac languidè ipsum consectantur, & per mandatorum observationem filij lucis, ac diei fiunt.

XCI. Aliud est humiliter loqui, aliud humiliter sentire: & aliud humilitas, aliud flos humilitatis; &
F aliud fructus eius, & fructus huius pulchritudo, & eius pulchritudinis iucunditas, & insuper aliud ex hoc fructu operationes. Horum alia in nostra potestate sunt, alia non sunt. In nobis sunt, omnia cogitare, omnia sentire, omnia reputare, dicere, facere, quæ nos ad humilitatem ducunt. Sancta autem humilitas, & reliquæ proprietates ipsius, charismata, & sanctiones eius, non nostra, sed Dei dona sunt, quibus nemo dignus vnquam æstimabitur, nisi prius, quantum in ipso est, semina bene iecerit.

XCII. Aliud est non stomachari in contemptibus, iniuriis, tentationibus, & tribulationibus; aliud in ipsis acquiescere, aliud orare pro his, qui hæc nobis inferunt; aliud ex animo eosdem diligere; & aliud præter hæc, animo insculptam ferre cuiuslibet
G horum faciem, & ut germanè amicos, sine rancore, in lachrymis sinceræ charitatis eos amplexari; vt nimirum nullum tunc sensus in suavis, aut molestiæ alicuius vestigium in anima reperiatur. Maius porrò omnibus quæ diximus, si quis etiam ipso tempore tentationum æque isto modo, & similiter, citra immutationem erga in faciem sibi maledicentes, & calumniantes, & iniuriam inferentes, & conspuentes affectus est. Quin etiam erga eos, qui se foris amicos simulant, clam eadem faciunt, nec latent. Cæterùm incomparabili modo excellentius est, meo iudicio, si quis omnia quæ passus sit, sempiterna oblivione deleverit, & neque absentibus, neque præsidentibus his, à quibus vexatus fuerit, vllius maleficij meminisse: eosque citra omnem cogitationem eorum, quæ acciderunt, in congressibus, & conviviorum invitationibus amplecti.

XCIII. Non quale est meminisse Dei, tale etiam est amare Deum: nec quale timere ipsum, tale item
H custodire mandata eius. Differunt inter se, quamquam vtraque perfectorum, & à perturbationibus vindicatorum sunt.

XCIV. Aliud est non peccare, aliud Dei mandata exequi. Hoc certantium, & ex Evangelio viventium: illud tantummodo principium ἀπαθείας adeptorum est.

XCV. Non si quid vacatio, & otium, idem continuò quies est: nec si quid quies, ideo & silentium. Interest inter hæc, & aliud, atque aliud sunt. Otium, & inertia eorum sunt, qui scire volunt, quæ sit bonorum Dei communicatio: nec aliquid boni operis facere sustinent. Hæc ad parandam Dei cognitionem semper vacantium, sermonique insitæ sapientiæ auscultando assidentium, & profunda spiritus, novàque mysteria, dum à Deo initiarentur, patrata scrutantium. Tertium, putà silentium, intellectus functionem, cum sollicita cogitationum, ac ratiocinationum attentione obeuntium est.

XCVI. Non idem est secessio, id est, de loco in locum transitio, & ipsa verissima peregrinatio, seu pere- Galat. 6.

A grinitas.Illa nempe adhuc pugillatu quasi certantium, & aut per negligentiam ab inconstantia, mentis aliò se transferentium: aut propter fervoris magnitudinem insigniora adhuc certamina cupientium est: hæc verò crucifixorum mundo, & quæ in mundo sunt, & cum solo Deo, & Angelis semper esse desiderantium, nullóque modo ad humana pedem referentium.

XCVII. Aliud est, resistere & oppugnare hostes: aliud eos perfectè debellare, & subigere, & occidere. Alterum enim athletarum, & religiosa exercitatione generosorum: alterum ab illaudatis affectibus liberorum, perfectorúmque est.

XCVIII. Hæc omnia in lumine ἀπαθείας ambulantium Sanctorum actiones sunt. Qui autem se ab his alienos esse animadverterunt, ne seducantur ab aliquo: ne ipsi suas animas decipiant: sed se incassum

B in tenebris ambulare sciant.

XCIX. Multi sanè, alius ob aliud, & alter rursum ob aliud ad hæc adducti sunt: admodum pauci verò cum interno timore, & amore Dei ad ea agenda se contulerunt: qui etiam soli, superna Dei gratia eos adiuvante, brevi spatio in virtute proficiunt fœliciter, & ad ea de quibus memoravimus se extendunt. Illi alij velut invia oberrare finuntur: nec per viam, ad quam emissi sunt, sed secundùm adinventiones cordium suorum ambulant in studiis suis.

C. Qui hæc summa usus diligentia expertus est, quæ dico intelliget. Qui non est, quæ quidem secundum sensum dixi, percipiet: de spiritualiter autem, & secundùm intelligentiam dictis, leves & exiles quasdam notiones habebit: potiúsque falsa quædam in

C animo effinget,& à veritate dictorum, vt vehementer deceptus, ac frustratus, longè aberit.

CI. Cùm laboribus, ac sudoribus tuis vile & abiectum corpus tuum perdomueris ac subiugaris, & te necessitatibus eius exueris, ipsúmque leve iam, & quodammodo spirituale gestaveris, vt nec laborem, nec famem, nec sitim sentiat, tum clarius quàm in speculo cernes eum, qui supra captum mentis est: & oculis revelatis, atque cum lachrymis videbis, quem nemo vidit unquam; & anima tua eius amore sauciata, lamenta fletu miscebis. Tum recordare mei, & ora pro me indigno, vt qui cum Deo coniunctus, etiam fiduciam apud illum pudore non afficiendam inveneris.

CII. Nec de Deo, divinisque rebus philosophanti pœnitentia, nec pœnitenti de Deo disputare, ac philosophari decorum est. Quantum enim distat oriens ab occidente, tanto pœnitentiam sublimitate theologia exsuperat. Nam ut homo morbis, & lan-

D guore affectus, aut pauper pannis obsitus, & cum clamore eleemosynam petens: sic qui in pœnitentia versatur, & opera pœnitentiæ vere obire dicitur. At qui in theologicis volutatur, cum eo conferri potest, qui in regum palatiis victitans, vestibus nitidissimis, ac regiis operitur, regisque familiaris, cum eo sæpissimè colloquitur, & quid sibi, aliisque faciendum sit, ab eo in horas perspicuè docetur.

CIII. Divinæ cognitionis incrementum facit; vt alia omnia, immò etiam ipsum Deum non cognoscamus, & magnitudo illuminationis eius, est perfecta cæcitas, supráque sensum sensus longè perfectissimus, & omnium quæ extra hunc sensum sunt, insensibilitas. Quæ enim qualia, & cuiusmodi, & ubi, & quæ, & quomodo in quibus sint ignorat, & hæc pernoscere, aut intelligere nentiquam potest, quomodo notitia, & non magis illa suprà notitiam erunt? & mens in cognitione infirmitatis suæ, nihil intelligens, in his

1.Cor.2. quæ supra intellectum sunt, invenietur. Quæ namque *oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt*, quomodo notitiæ subiicientur?

CIV. Dominus qui largitur nobis quæ supra intelligentiam sunt, dat nobis etiam per spiritum suum supra intelligentiam aliam intelligentiam, vt quæ supra intelligentiam sunt donorum eius charismata, mirifice, clarè, & purè, intelligamus. E

CV. Quemadmodum insensilis ad vnum, ad omnia est insensilis: sic sensilis ad vnum sentit omnia, & extra omnium sensum est. In intelligentia, seu notitia omnium est, & ab eorum notitia non cohibetur.

CVI. Qui surdus est ad sermonem, ad omnem vocem surdus est: sic & qui audit sermonem, audit omnia. Hic surdus est ad omnem vocem. Omnia audit, & nihil audit, nisi qui in solo Verbo verba faciunt: ac ne ipsos quidem, sed Verbum solum, quod in voce sine voce sonat.

CVII. Qui sic audit, videt, sentit, eum non latet quid velimus. Qui id non novit, hunc certum est animæ sensus illuminatos, & sanos non habere. Dum in eo statu est, nondum cognovit, se conditum spectatorem creaturæ visibilis, & mysten atque interpre- F Ps.48.
tem intelligibilis: sed cùm in honore esset, comparatus & assimilatus est brutis, & iumentis sarcinariis, in eáque similitudine manet adhuc, non reversus, non revocatus, aut ad veterem dignitatem reductus, secundum donum œconomiæ Domini nostri Iesu Christi Filij, Dei scilicet.

CVIII. Qui infrà est, supera ne indaget, antequam apud superos sit. Noli curiosè inferiora scrutari, ne lapsus utraque amittas; vel potius in inferioribus interclusus hæreas.

CIX. Quemadmodum ab extrema paupertate à rege in divitiis, & illustri dignitate collocatus, vestéque pretiosa indutus, ac stare in conspectu eius iussus, & ipsum regem cupidè intuetur; & ut benemeritum singulariter diligit; & qua tectus est tunicam animadvertit: & qua ornatus est dignitatem cognoscit; & facultates sibi donatas novit; ita monachus, qui verè à mundo, mundanisque rebus secessit, & ad Christum accessit, vocatúsque magno cum sensu, & G
ad sublimia spiritualis theoriæ per mandatorum observationem evectus, & ipsum Deum citra deceptionem videt, & factam in se mutationem clarè animadvertit. Videt enim semper se circumfulgentem gratiam spiritus quæ indumentum vocatur, & regalis purpura: Galat.3.
immò quod ipse Christus est: quandoquidem in eum credentes, ipso superinduuntur.

CX. Qui cœlestibus ditatus est opibus, præsentia, inquam, & inhabitatione illius qui dixit: *Ego & pa-* Ioan.14.
*ter veniemus, & mansionem apud eum faciemus*, cognoscit apud animam suam, quantum gratiæ commodum, atque fructum perceperit, quantámque,& qualem gestet in regia cordis sui beatitudinem. Nam velut amicus cum amico differens cum Deo, liberè astat ante 1.Tim.6.
faciem eius, *qui lumen inaccessibile habitat*.

CXI. Beatus qui his fidem adiunxit. Ter beatus, qui per actionem, & sancta certamina à me dictorum H
cognitionem festinat comprehendere. Angelus est, ne plus dicam, qui cognitione, & contemplatione ad huius status excelsitatem pervenit, & domesticus Dei, tanquam filius, evasit.

CXII. Qui prope maris littus stat, immensitatem aquarum pelagi conspicit ille quidem, earum autem extremum visu non potest definire: sed partem aliquam duntaxat videt: sic qui in infinitum divinæ gloriæ pelagus contemplando respicere, ipsúmque intelligentia videre, ac lustrare meruit, non quàm latum, & vastum est: sed quàm longè animæ eius oculi conspectum ferunt, videt.

CXIII. Quemadmodum propè mare consistens, non solum ipsum aspicere, sed etiam in aquas eius intrare quantum libuerit, potest: sic in lumine Dei homines spirituales qui volunt, eius videndi cognoscendique copiam pro modo desiderij sui consequûtur.

CXIV. Quomodo in littore maris stans, quandiu extra aquam est, videt omnia, profunditatémque pelagi intelligit. Vbi autem in ipsas vndas ingredi, & in iis mergi cœperit, quò amplius descendit, hoc magis ab aspectu eorum quæ foris sunt abest: ita qui

divini

A divini luminis facti, sunt participes; quantum in cognitione divinitatis proficiunt, tantum proportione cætera ignorare incipiunt.

C X V. Quemadmodum qui in aqua maris est genuum, aut lumborum tenus, omnia extra aquas perspicuè videt. Si autem in profundum descendat, & totus sub vnda fit, nihil iam eorum, quæ extra aquam sunt, videre potest: & hoc solum novit, se totum quantus quantus est in profundo maris esse: sic iis contingere solet, qui progressu spirituali crescunt, atque ad perfectionem cognitionis, & visionis ascendunt.

C X V I. Quando, qui in spirituali perfectione procedunt, particulatim illuminantur, sive mentem tantummodo illustrantur, tunc gloriam Dei, vt in speculo per intelligentiam intuentur, cognitioneque magis ac magis, & mysteriorum revelatione à superna
B gratia mysticè imbuuntur, à speculatione eorum, quæ sunt, ad cognitionem illius, qui est super omnia quæ sunt, sublati videlicet.

C X V I I. Qui perfectioni appropinquant, & adhuc velut ex parte vident, imperitiam, & comprehensibilitatem eorum quæ vident intelligentes obstupescunt. Quo enim plus in lumen divinæ cognitionis intrant, eò ignorantiam suam amplius cognoscunt. Quando autem id quod intelligentia capit, quodque obscurius ipsis apparet, & tanquam in speculo ostenditur, & ex parte illuminat; expressius, & indulgentius videri voluerit, & illuminato per communicationem vniri, totumque in se ipso complecti, & ille ipse in profundo spiritus, vt in medio abysso fulgentium aquarum immensarum inclusus, & interceptus fuerit, tum in perfectam ignorantiam, vtpote qui omnem cognitionem transcenderit, modo ineffabili emergit.

C X V I I I. Mens simplex, vel potius omni notione nudata, & in simplicitate divinum lumen tota ingressa, & ab ipso cooperta, non habet aliud quippiam invenire, in quo sit, vt etiam ad illius intelligentiam
C moveatur: sed in profundo luminis divini manens, foras respicere omnino non permittitur. Et hoc est, quod dicitur, Deus lux est, & lux suprema: & his qui eius compotes facti sunt, ab omni visione quies, & cessatio.

C X I X. Tum mens, continuo motu cieri solita, fit immobilis, & omni cogitationi pausam dat, cùm nimirum tota à divina caligine, lumineque contecta fuerit. Nihilominus spectat, sentit, & fruitur bonis, in quibus versatur. Nec enim vt profunditas vndarum maris, sic & profunditas sancti Spiritus: sed est aqua viua vitæ æternæ. Omnia porrò illic nec intelligi, *Io an. 4.* nec comprehendi, nec explicari queunt, in quibus mens omnia aspectabilia, & sub intellectum cadentia transiens, moratur, & in solis illis immobiliter movetur ac vertitur, vivens in vita supra vitam, ipsa lumen in lumine, lumen non per se, non enim tunc seipsam, sed qui super ipsam est videt, & ex illa gloria cogitationibus immutatis, seipsam ignorat.

C X X. Mortuus, nec mortuus est, qui cum ad mensuram perfectionis pertigerit, vivit in Deo, in quo est, quasi in semetipso non vivat. Cæcus, quasi naturâ, cum omni aspectu naturali factus sit superior:
D vtpote qui novos oculos, & naturalibus absque comparatione præstantiores acceperit & supra naturæ vim cernat. Operis expers, & immobilis, vt qui omnem functionem suam expleuerit, & absoluerit. Sine cogitatione, vt vnionem omni cogitatione superiorem adeptus, & requiescens, vbi nulla est mentis actio, sive vllus ad cogitandum, aut ratiocinandum, aut concipiendum motus. Quæ enim intellectu impossibilia sunt, ea intelligere, aut pernoscere non potest: & quodammodo in his, requie illa, immobilitatis beatæ insensibilitatis requiescit, sensu constanti inexplicabilium bonorum deliciis, posita curiositate se obiectans.

C X X I. Qui ad hunc modum perfectionis pervenire, & huiusmodi bona obtinere non meruit, seipsum solum condemnet, & ne excusationem prætexat, esse
E rem impossibilem: aut contingere quidem perfectionem, sed ita, vt non cognoscas, sed è divinis scripturis certissimè norit, rem esse possibilem ac veram, & opere ipso fieri, & ita quidem, vt cognoscatur fieri. Omissione autem, & inertia in mandatis obeundis, vnusquisque horum se ipse proportione bonis istis priuat.

C X X I I. Complures divinas scripturas legunt, alij eas legi ac recitari audiunt: pauci autem sunt, qui vim, & notionem, seu intelligentiam recitatorum probè assequantur. Alij quidem de illis multa fieri non posse pronuntiant, quæ illis litteris traduntur: alij pro planè incredibilibus ducunt: aut ea allegoriis pervertunt. Et quæ dicta sunt de præsenti tempore, in futuro eventura accipiunt: de futuris porrò dicta, sic interpretantur, quasi ea iam facta sint, & quotidie F fiant. Ita carent vero, sincero que iudicio; nec inter divinas humanasque res internoscere, ac distinguere sapienter possunt.

C X X I I I. Deus ab initio duos mundos fabricauit, visibilem, & invisibilem: vnum autem regem eorum quæ oculorum sensu perciperentur, duorumque mundorum characterem, seu notam in se ipso ferentem, aspectabilis nimirum, & ad intelligentiam pertinentis. His congruenter quoque duo soles lucent, vnus sensibilis, alter intelligibilis: quodque est in visibilibus, & sub sensum cadentibus, sol, hoc in iis quæ tantùm intelliguntur, Deus. Iustitiæ enim sol est, ac nominatur. Habes igitur secundum hæc soles duos, *Malac. 4.* vnum subiectum oculis, alterum menti & rationi; quemadmodum item duo mundi sunt, vt diximus. Et alter quidem horum, id est, qui sensum movet, cum omnibus, quæ complectitur, ab hoc sensibili, & aspectabili sole illuminatur. Alter verò, sive intelligibilis, ipse, & quæ in eo sunt, ab intellectuali sole iustitiæ lucem, claritatemque accipiunt. Sensibilia igitur à G sensibili, & intelligibilia ab intelligibili sole divisim illustrantur: nullam penitus inter se coniunctionem, aut notitiam, aut communionem habentibus, neque intelligibilibus cum sensibilibus, neque sensibilibus cum intelligibilibus.

C X X I V. Solus homo ex omnibus quæque videntur, quæque tantùm animo cernuntur, duplex, seu geminus à Deo creatus est, corpus quidem ex quatuor primis corporibus, seu elementis coagmentatum habens, sensumque ac spiritum, per quem horum principiorum est particeps & in illis vivit: animam autem intelligentiæ, & consilij compotem, à materia, & corpore liberam, seu minime corporatam hisce imperscrutabili, & inexplicabili ratione copulatam, citraque mistionem, & confusionem commistam Hæc porrò vnus homo sunt, animal mortale, & immortale, quod videri, nec videri potest, sentiri, & intelligi: in quo spectandi creaturam aspectabilem, & intelligendi inaspectabilem facultas inest. Vt igitur in duobus mundis efficientia duo soles differunt ac separantur; pari modo etiam in vno homine, vnus quidem corpus, alter animam eius collustrat: & vterque de suo lumine illuminato, pro eius captu abundantius, aut parcius com- H municat.

C X X V. Sensibilis sol videtur, non videt: intellectualis videtur ab his qui digni sunt, & omnes videt; magis autem eos, qui ipsum vident. Sensibilis non loquitur, nec cuiquam loqui donat: intellectualis & loquitur cum amicis suis, & vt loquantur, dat omnibus. Sensibilis in horto sensibili micans, radiorum suorum feruore humorem duntaxat terræ exsiccat, non etiam plantas, & semina pinguefacit: intelligibilis in anima illucescens, vtrumque conficit nempe humorem vitiorum arefacit, & fœditatem ex illis natam expurgat, animæque pinguitudinem, quam intelligere possumus, inserit, qua velut irrigatæ plantæ virtutum sensim in auras prodeunt, atque adolescunt.

A CXXVI. Sol sensibilis exoritur, mundumque istum luce sua vestit, & omnia quæ illo continētur, homines, feras, iumenta, & alia super quæ lux se æqualiter diffundit: qua rursum occidens, locum quem illustrabat, tenebris oppletum relinquit. Sol intelligibilis fulget, & fulgebat, totus à toto Omni sic captus, ut capi nequeat: à creaturis autem suis secernitur, & totus ab iis absque distantia seiungitur, estque in toto Omni totus, & nusquam est. In totis creaturis visibilibus totus, & rursum extra has totus. Totus in visibilibus, & totus in invisibilibus, & ubique totus adest, & totus nequiquam, uspiam.

CXXVII. Christus principium, medium, & finis, seu consummatio est in omnibus, quippe qui in primis, etiam in mediis, & extremis, ut in primis est: nec enim quod ad hæc attinet, ullum in eo discrimen B est: sicut nec barbarus, nec Scytha, nec Græcus in ipso Galat. 3. est, sed omnia, & in omnibus Christus.

CXXVIII. Sancta Trinitas habitans per omnes, à primis ad ultimos, ut ab aliquo capite usque ad pedes, coagmentat, componit, conglutinat, adunat, & colligat sibi, & ita colligatos, & congregatos firmos eos, & infractos reddit, & in quolibet eorum Mat. 10. una eademque cognita patet, quæ Deus est, in quo ultimi primi fiunt, & primi tanquam ultimi.

CXXIX. Nos qui fideles sumus, universos fideles velut unum intueri debemus, & existimare in omnibus Christum esse: eamque erga ipsum gerere charitatem, ut pro eo animas nostras ponere parati simus. Etenim universè neminem improbum dicere, aut iudicare debemus: sed omnes pro bonis ducere, ut dicebamus. Etiamsi quempiam vitiosis motibus tumultuantem videris, non fratrem, sed pravas concitationes oderis, à quibus oppugnatur. Sin à cupiditatibus, & curis anticipatis miserè exagitatum, maiore illum misericordia Galat. 6 prosequere, ne & tu tenteris; utpote natura mutabili præditus, quamque adversa incursare facilè possunt.

C CXXX. Quo pacto ratione valentes illi ordines supernatum virtutum à Deo ordinatim illustrantur, à principe ac primo omnium ordine usque ad secundum, & ab hoc ad tertium, & deinceps ab hoc ad alium, & ad omnes denique lumine divino penetrante: eodem & sancti à divinis angelis illuminati, vinculoque spiritus colligati, & uniti, honore illis pares, & æquales fiunt. Qui enim inde usque à priscis sanctis per singulas ætates incedentes in mandatis Domini sanctimoniam vitæ colunt, illisque adhærescunt, perinde ut ipsi, Dei gratia secū communicata illuminantur: similes catenæ aureæ, in qua singuli ansam unam efficiunt, dum unusquisque præcedenti fide, operibus, charitateque connectitur. Quia connexione, ut diximus, una quædam catena in Deo fiunt, quæ citò rumpi non potest.

CXXXI. Si quis ut hypocrita fucatus, aut ob facta sua reprehensione dignus, aut ad breve tempus fractus, & abiectus est, aut aliquantum ex negligentia in aliqua parte officij sui claudicat, perfectè sanis non annumeratur: sed tanquam inutilis, & reprobus abiicitur, ne, dum catena intenditur, ipse faciat ut eius con- D iunctio dirumpatur & intervallum detur in his, quæ proximè, artissimeque sine intervallo cohærebant: & utrisque molestiam, doloremque pariat, dum priores propter sequentium, & hi propter præcedentium separationem crucientur.

CXXXII. Qui unionem cum ultimo omnium sanctorum cum charitate, & humilitate, vehementique desiderio non expetit: sed prava quadam adversus illum infidelitate tenetur, nunquam penitus eidem unietur, neque cum eò primis, & antecedentibus sanctis quasi in ordine militari adscribetur, etsi omnem fidem, charitatemque erga Deum, & sanctos universos habere videatur. Eiicietur enim ab ipsis foras, ut qui locum sibi constitutum, & ut ei hæreret ante sæcula à Deo definitum, per humilitatem non susceperit.

CXXXIII. Luctum secundum Deum humilitas præcedit, sequitur gaudium, & lætitia quanta dici non potest. Humilitati porrò secundùm Deum spes salutis E agnascitur. Quò enim magis quispiam se ex animo omnibus peccatoribus sceleratiorem ducit, eò magis spes unà cum humilitate augescit, & in corde eius floret, fidemque facit, per hanc salutem partum iri.

CXXXIV. Quò profundiùs in humilitatem quispiam descendit, seque indigniorem indicat, qui salvetur, hoc acerbius luget, & lachrymis indulget magis: quibus pro portione respondet, quæ in corde eius scaturit spiritualis voluptas, qua cum spes quoque ut fons scatet, & simul crescit, persuasionemque adipiscendæ salutis ex certa & confirmata certiorem confirmationemque reddit.

CXXXV. Considerare se ipsum unusquisque debet, & intelligere. neque soli spei absque luctu secundùm Deum, & humilitate spirituali: neque humilitati, & lachrymis absque spe, & gaudio spirituali istarum comitibus fidendum esse. F

CXXXVI. Est quæ putatur humilitas, ex negligentia, & segnitie, vehementique damnatione conscientiæ, progenita. Verùm nulla est, quoniam luctum lætificum adiunctum non habet.

CXXXVII. Est quidam luctus humilitate spirituali carens, quo qui lugent, peccata eo purgari arbitrantur: in quo frustrà sunt: nam dulcedine spiritus, quæ mysticè in intellectuali animæ cubiculo innascitur, privantur, & bonitatem Dei minimè gustant. Idcirco tales ira facilè accenduntur, mundumque, & quæ in mundo visuntur, perfectè contemnere nequeunt. Enimverò qui hæc omnibus numeris non despexerit, nec ex animo oderit, neque salutis suæ firmam, & indubitatam spem habere unquam poterit: sed cùm fundamentum supra petram non iecerit, huc illuc incertus, ac dubius iactabitur.

CXXXVIII. Luctus duplex est effectus. Nam & aquæ instar per lachrymas flammam omnem affectuum vitiosorum restinguit, animamque à maculis, & sordibus inde natis expurgat: & instar ignis per G præsentiam sancti Spiritus cor vivificat, incendit, inflammat, calefacit, atque ad Deum amandum, desiderandumque impellit.

CXXXIX. Vide, & pernosce quid in te humilitas, & luctus efficiant, & inquire, quem ex illis in horas utilitatis fructum percipias: qui est novitiis, ac tyronibus omnis curæ terrenæ abiectio, nulla erga parentes, cognatos & amicos, affectio, eorumque abnegatio: liber à sollicitudine omnium rerum, & facultatum animus, earum dispicientia, non solum usque ad acum, verum etiam usque ad ipsum corpus.

CXL. Quemadmodum flammæ camini iniecto pulveris extinguuntur: ita sollicitudines huius vitæ, & affectus in rem vilem, & minimam, accensum in precibus fervorem cordis tollunt.

CXLI. Qui res exteriores, & homines, & omnia demum huius vitæ, integro cordis sensu, & cum gaudio abnegavit, & oblitus est, affectionemque ut morum transiit, in mundo, & iis quæ in mundo sunt, hospes, H ac peregrinus est, colligens in se animum suum, & in una mortis memoria, cogitationeque occupatus. Quocirca etiam de extremo iudicio, & retributione semper est sollicitus, & in his planè ut captivus detinetur, ex talibusque cogitationibus, & commentationibus timore, supra quam dici potest ingenti percellitur.

CXLII. Similis est damnato cuipiam, & vinculis onerato in huius vitæ theatro, qui timore iudicij admodum gravidatus, ab eodem tanquam carnifice aliquo raptari, & ad mortem duci videtur: nihil aliud secum volvens, quàm dolorem & cruciamenta, quæ ex æterno supplicio subiturus sit. Cum autem hunc timorem ex animo deponere nunquam possit, fit ut inde progeneretur alius timor, qui eum nulla rerum humanarum cura tangi patitur. Sic enim vivit perpetuò, ac si cruci clavis affixus, doloribus ad mortem vehementer urgeretur:

urgeretur : nec in cuiusquam vultum oculos intendere sineretur ; nec ignominiæ ab hominibus createæ ullam rationem duceret. Nam quia se ipse omni ignominia, contemptuque dignum ex animo reputat, quas illi iniurias sibi moliantur, nihil pensi habet.

C X L I I I. Omnes ciborum, potus, vestiumque delicias, & ornatum detestabitur, qui timorem mortis concepit : nec cum sensu voluptatis aut panem comedet, aut aquam bibet : tantummodo quæ necessitas exigit, corpori suo prælibabit, ut in vita manere queat. Voluntatem suam funditus abnegabit, & cum discretione omnia imperata ut servus exequetur.

C X L I V. Qui se patribus suis secundùm Deum pro servo mancipavit, propter metum inferni supplicij, quamvis iussus, non eliget, quæ dolorem cordis eius mitigent ; nec quæ vinculum timoris eius dissoluant: nec ad ista vel amicè, vel assentatoriè, vel cum imperio inducentibus obtemperabit : sed quæ ipsum hunc timorem augeant, ea potiora censebit : & quæ istuc vinculum arctius astringunt, ea volet : & quæ hunc carnificem corroborent, amabit. Atque in his ita perdurabit, ut qui nullam omninò liberationem sibi polliceatur. *Spes* enim libertatis, doloris levamentum est : eaque fervide pœnitenti non conducit.

C X L V. Vnicuique vitam suam divinæ voluntati convenienter auspicanti, timor supplicij, & ex eo natus dolor utilis est. Qui autem citra hunc dolorem, citra vinculum, & tortorem hunc incepturum se imaginatur, non modò fundamentum actionum suarum super arenam collocat : sed etiam domum suam in aere absque fundamento se constructurum opinatur, quæ fieri neutiquam potest. Dolor enim iste statim omne gaudium parit : & hoc vinculum, omnium peccatorum, malorumque affectionum vincula dirumpit: & carnifex iste non necem affert, sed vitam sempiternam conciliat.

C X L V I. Qui à dolore, quem æterni supplicij formido ingenerat, resilire, eumque effugere noluerit: sed animum ad eum applicabit, & eius sibi vincula magis astringet, hunc ille breviore via ductum, quod sequitur, ante conspectum regis regum statuet. Quod cum factum fuerit, simul eius gloriam clare conspexerit, subitò vincula dissolventur, & timor carnifex procul aufugiet, & dolor cordis eius in gaudium convertetur, erumpetque fons, manans ad sensum quidem lacrymis, instar fluminis ; ad intellectum verò tranquillitate, mansuetudine, & dulcedine ineffabili. Insuper fortitudine, & ad omnem obedientiam expedita voluntate, & cursu in via mandatorum libero ; quod adhuc tyronibus, & qui primum ad religiosum vivendi genus introducuntur, non conciditur : eorum autem, qui ad medium huius spatij proficiendo iam ascenderunt, proprium est : consummatis verò atque perfectis hic fons, corde subitò variato, & immutato lumen fit.

C X L V I I. Qui intra se Spiritus sancti lumen habet, eius radios non ferens, pronus cadit, vociferatur, & clamat cum stupore ac timore multo, ut qui supra naturæ captum quippiam, nec in sermonem, cogitationemque cadens viderit, ac senserit : imitaturque hominem, qui alicunde accensis ab igne visceribus ardens, nec ustionem flammæ perferre potis, mente velut alienatus est, nec in potestate ullo modo esse potest. Lacrymis autem perennibus exhaustus, & ab his refrigeratus, ignem desiderij vehementius accendit. Hinc porrò lacrymas profundit uberius, & ea profusione ablutus, coruscat splendidius. Vbi demum totus ignitus, instar luminis erit, tunc impletur quod dicitur, *Deus diis unitus, & cognitus* : & tantum fortasse, quantum iam sibi copulatis unitus, & his qui cognoverunt revelatus est.

C X L V I I I. Quantum à nobis cognosci voluerit Deus, tantum etiam revelatur. Quantum fuerit revelatus, tantum à dignis cernitur, & cognoscitur. Tale quid experiri, aut videre is solus potest, qui prius Spiritui sancto unitus cor humile, purum, simplex, contritum laboribus, sudoribusque suis sibi comparaverat.

C X L I X. Ante luctum, & lacrymas (nemo vos inanibus verbis seducat, neve ipsi nos seducamus) non est in nobis pœnitentia, nec vera pœnitudo, nec timor Dei in cordibus nostris, nec cognovimus ipsum, nec sensit futurum iudicium, & æterna tormenta anima nostra. Etenim si hæc sibi parasset, & in his fuisset, mox etiam lachrymas emisisset. Sine his quippe nec durum cor nostrum molliri unquam potest, nec anima nostra spiritus humilitatem consequi : nec nos humiles evadere. At enim qui talis non fuerit, Spiritui sancto uniri nequit : cui qui purgatus ante, & sic unitus non fuerit, nec spectare & cognoscere Deum valebit: nec dignus est, qui mysticas humilitatis virtutes doceatur.

C L. Sicut qui discenti syllabas colligere, de rhetoricis, aut philosophicis dogmatis, atque præceptis narrat, non solum nihil prodest : sed potius inchoatam auditionem perparum curare, & ab ea desciscere facit: propterea quod ingenium eius, quæ dicuntur, minimè capit : Ita qui tyronibus, & præsertim ignavioribus de perfectione concionatur, non solum non illis commodabit : sed etiam efficiet, ut retrò abeant. Nam cum ad virtutis altitudinem respexerint, & quantum ab eius fastigio absint cogitaverint, & se ad eius culmen ascendere non posse statuerint: & quæ particulatim cæperát, ea contemnent, & in desperatione absorbebuntur.

C L I. Cum ij, quibus adhuc motus vitiosi imperant ac dominantur, audiunt hominem secundum Deum perfectum quovis homine, quavis animante ac bellua se immundiorem iudicare, dedecore affectum gaudere, maledictis appetitum bene precari, persecutionem perpeti, pro inimicis suis cum lacrymis, & dolore cordis Deum rogare suppliciter, primum fidem non accommodant sibi illos similes facere conantes. Deinde à divinis scripturis refutati, & à sanctis, qui hæc opere, factisque suis demonstrarunt eversi ac prostrati, non posse se ad ista pertingere confitentur. Sed cum audiunt, his non præstitis, se nequaquam saluatum iri, tum plane nolentes vitiositatem suam exscindere, & ob peccata commissa pœnitentiam agere, se ipsos desperant.

C L I I. Virtutem simulantes, & vellere quidem habitus aliud foris apparentes, cum aliud sint secundum interiorem hominem, pleni forsitan omni iniquitate, pleni zelo, & contentione, & fœtore obscœnarum voluptatum : multi, qui oculum purgatum non habent, nec ex fructibus eorum illos cognoscere possunt, tanquam nulli vitio servientes, & sanctos colunt honorantque. Viros contra pietate, virtute, simplicitate cordis præstantes, ac verè sanctos, ut vulgares ludificantur, illisque despectis prætereunt.

C L I I I. Huius mundi homines garrulum, & ostentatorem potius aptum ad docendum, & ipsum talem esse decernunt : silentij autem amantem, & ab otioso sermone sibi diligenter caventem, agrestem, & mutum appellant.

C L I V. Loquentem in Spiritu sancto, alta sapientes, & diabolica superbia laborantes, ut alta sapientem, & superbum aversantur, verbis eius attoniti magis, quam compuncti. Ab utero matris autem, aut ex disciplina, & institutione rotundè ac disertè loquentem, & in pernitiem ipsorum mentientem, mirificè probant, & laudibus ornant. Atque ita horum nullus est, qui rectè, & ut rei natura requirit, videre ac discernere possit.

C L V. *Beati mundo corde*, inquit Dominus, *quoniam ipsi Deum videbunt.* (Mat. 5.) Ast mundum cor non una virtus, non duæ, non decem consueverunt absoluere, sed omnes, ut breviter dicam, velut una, eaque ad summam perfectionem exculta. Verumtamen ne sic quidem per se, ac sola, citra præsentiam, & actionem Spiritus sancti id possunt. Quemadmodum namque faber ærarius artem suam per instrumenta ostendit, citra vim autem, & actionem ignis opus nullum efficit : ita etiam homo facit omnia, & virtutibus tanquam instrumentis utitur. Nihilominus nisi ignis spiritualis adsit,

instrumenta

A instrumenta illa nihil efficacitatis : & utilitatis habent: quandoquidem animæ sordes, & saniem non abstergunt.

C L V I. Vbi profunda humilitas, ibi & lacrymarum abundantia : ubi hæc, ibi & præsentia sancti, & adorandi spiritus, unde puritas omnis, & sanctimonia conciliatur ei, in quo is operatur : videturque ab eodem Deus, & videt ipsum Deus. *Super quem enim respiciam*, inquit, *nisi super humilem, & quietum, & trementem sermones meos?* Isaiæ 66.

C L V I I. Perturbationes, & affectus cum vitio coniunctos debellare quidem homo potest, extirpare, & radicitus evellere non potest. Et cum mali non committendi potestatem acceperit, tamen eiusdem etiam non cogitandi haud accepit. Pietatis porrò est, non solùm bona facere, sed etiam mala non cogitare. Qui B igitur mala cogitat, cor purum possidere nequit, cum id inde ceu speculum à luto inquinetur.

C L V I I I. Cordis puritatem hanc esse existimo, non solùm a nullo affectu concitari : sed etiam nihil improbum, aut ad vitam hanc pertinens animo volvere, quoties placuerit: solamque Dei cum amore immenso conservare memoriam. Nam in puro lumine purè Deum oculus videt, cum inter aspectum illum, & Deum nihil aliud sese interponat.

C L I X. Hoc ego *ἀπάθειαν* esse affirmo, non modò abhorrere a factis, ad quæ affectibus impellimur : sed etiam ab eorum concupiscentia alienari, & insuper ab eorundem cogitatione quoque nudari animum: ut cùm volumus, supra cœlos simus, extra omnia quæ aspiciuntur, sentiunturque, veluti clausis nostris sensibus, & animo ad ea quæ sensum superant, ingrediente, virtutem seu facultatem sentiendi, quemadmodum alas aquila secum ferente.

C L X. Mens absque sensibus actiones, & functiones suas non exerit : nec ullo modo absque mente suis C officiis funguntur sensus.

C L X I. Illud est, ac dicitur cor mundum, quod in se nullam rerum temporalium cogitationem, aut ratiocinationem cernit : quodque Deo sic adhæret, & sic cum eo unitum est, ut neque molestorum, ac tristium, neque lætorum, iucundorumque huius vitæ meminerit; verum ita vivit, ut contemplando in tertium cœlum, ac paradisum rapiatur : & arrhabonas bonorum sanctis promissorum intueatur, ipsaque sempiterna bona inde pro captu naturæ humanæ conspiciat. Atque illud mundi cordis verum signum, ac documentum certum est; in quo quis & mensuram munditiei cognoscit, & quasi in speculo semetipsum contemplatur.

C L X I I. Qui extra domum est, intus inclusos non videt : sic mundo crucifixus, aut mortuus, rerum mundi nihil sentit.

C L X I I I. Vt corpus exanime nec ad viventia, nec ad exanima secum iacentia ullo sensu fungitur : sic qui spiritu è mundo excessit, & cum Deo est, non potest sensum aliquem mundi habere, aut eius rebus affici : quantumvis corporis necessitatibus satis cogatur D facere.

C L X I V. Anima ante mortem moritur, & ante resurrectionem corporum resurgit, opere, virtute, experientia, veritate. Mortali quippe sensu ab immortali mente profligato, & mortalitate à vita expulsa, anima velut è mortuis existens, se ipsam convenienter videt (ut qui è somno surrexerunt, seipsos vident) quique eam exsuscitavit Deum cognoscit : quem perspiciens, & velut gratias agens, à sensibus, toteque mundo alienatur, voluptate repleta ineffabili, & in ipso omnem motionem suam intellectualem componit.

C L X V. Quædam à nobis conferuntur, quædam nobis cœlitus a Deo suppeditantur. Quantum enim per sacros labores, ac sudores purgamur, tantum per lumen compunctionis splendescimus : & quantum lumine splendescimus, tantum lachrymis purgamur: quorum illud sponte, ac per nos impendimus : hoc vicissim desuper datum recipimus.

C L X V I. Multi sua conferentes, divina more consueto non recipiunt, quod exemplis Cain, & Esau E patet. Nisi enim quis cogitatione recta, seu consilio Genes. 4. & 27. sincero, & pio affectu, & ardenti fide, & magna cum humilitate sua obtulerit, Deus super ipsum non respiciet, nec oblata suscipiet. Hoc nisi fiat, nec Deus vicissim sua, sic offerenti contribuet.

C L X V I I. Mortuus est mundus, & qui mundi sunt, sanctis adversantur. Hinc ipsorum bona opera videntes non vident ; & in Spiritu sancto prolatos eorum sermones divinos audientes, prorsus nequeunt intelligere. Contra, nec qui sunt spirituales, mundo deditorum, improborumque perversa opera videre sustinent : nec eorum verba ex animi passionibus profluentia capiunt : sed ipsi quoque videntes quæ in mundo sunt, non vident : & mundanorum voces audientes sic affecti sunt sensu, quasi eas non audirent. Atque ita nulla his cum illorum, illis cum horum, spiritualium, inquam, hominum rebus communio, & societas F intercedit.

C L X V I I I. Quemadmodum lucis & tenebrarum manifesta est distinctio, & eorum nequit fieri coniunctio (*Quæ enim conventio lucis ad tenebras?* inquit, 2. Cor. 6. *aut quæ pars fideli cum infideli?*) sic inter eos qui Spiritum habent, quique non habent, summa est distantia, atque disiunctio. Illorum namque conversatio in Philip. 3 cœlis est, cum angeli iam ex hominibus facti sint : isti in avitis tenebris, & in umbra mortis adhuc sedent, terræ, ac rebus terrenis affixi. Illi lumine sub intelligentiam cadente, & occasum nesciente : hi tantum hac sensibili luce illustrantur. Illi seipsos, & proximos vident emori : hi videntes seipsos, & proximos animas efflantes in dies singulos, se esse homines, & ut homines morti deberi ignorant : & hoc ignorantes, nec futurum iudicium, nec resurrectionem, & persolvendam cuique, prout vivens in hac vita meritus est, mercedem, credunt.

C L X I X. Si Spiritus S. compos es, omnino ex his G quæ ab ipso in te fiunt cognosces, quæ Apostolus de illo scripsit, cùm ait : *Vbi spiritus Domini, ibi libertas.* 2. Cor. 3. Et : *Corpus quidem mortuum est propter peccatum : spiritus autem vivit propter iustificationem.* Rom. 8. Et : *Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentiis suis.* Galat. 5. Quicunque enim in Spiritu sancto baptizati sunt, totum Christum induerunt : & filij lucis Galat. 3. sunt, & in lumine non occiduo ambulant : & videntes Luca 8. mundum non vident : & audientes quæ mundi sunt, 1. Cor. 2. non audiunt. Sicut enim litteris est traditum de carnalibus hominibus, eos videntes non videre, & divinas res audientes non intelligere, neque capere posse, quæ sunt spiritus, stultitia enim est illis : sic mihi de iis cogita, qui Spiritum S. intra se continent. Gestant quidem corpus : sed in carne non sunt: *Vos enim*, inquit Apostolus, *in carne non estis, sed in spiritu : siquidem* Rom. 8. *spiritus Dei habitat in vobis.* Mortui sunt mundo, & mundus ipsis. *Mihi enim*, ait, *mundus crucifixus est, &* Galat. 6. *ego mundo.*

C L X X. Qui hæc signa, & mirabilia in se facta H novit, revera Deum, & signa in se gestat, cùm Deum, id est, ipsum Spiritum sanctissimum incolam habeat, loquentem, & operantem in se, quæ à Paulo dicta sunt. Qui verò hæc in se nondum cognovit, ne sibi verba det, etiamnum caro & sanguis est, caligine desideriorum carnis opertus videlicet : *Caro autem & sanguis regnum Dei*, (quod est spiritus sanctus) *non consequentur.* 1. Cor. 15

C L X X I. Per sacrosanctum baptisma peccatorum remissionem accipimus, & à veteri maledicto liberamur adventuque Spiritus sancti sanctificamur : perfectam autem gratiam, iuxta illud, *Inhabitabo & inambulabo, in eis*, non tunc adipiscimur, hoc enim firmiter, con- 2. Cor. 6. stanterque credentium, & fidem ex operibus ostendentium est. Baptismo enim lustrati, si ad nequam, & turpes actiones declinemus, ipsam quoque sanctificationem funditus amittimus. Per pœnitentiam porrò,

per

A per confessionem, & lachrymas pro portione veniam priorum delictorum impetramus, & ita demum sanctificationem cum cælesti gratia recipimus.

C L X X I I. Pœnitentia turpium actionum maculæ,& labes eluuntur,& Spiritus sanctus * deinde communicantur, non quidem simpliciter, sed secundum fidem, dispositionem, & humilitatem eorum, qui toto animo pœnitentiam agunt: neque hoc solum,sed etiam post perfectam peccatorum remissionem à patre, & fideiussore acceptam. Quocirca expedit pœnitere quotidiè, ut iubemur. Nam illud, *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cælorum*, indefinitum nobis huius rei faciundæ tempus subindicat. Mat. 3.

C L X X I I I. Sanctissimi spiritus gratia Christo nuptis animabus pro arrha datur. Et quemadmodum fœmina sine arrha non est secura, coniunctionem cum viro stabilem,& indissolubilem fore: ita nec animæ fit certa fides,eam aliquando cum Domino,& Deo suo in

B omnis ævi spatia futuram,aut arcano, & inexplicabili modo cum ipso copulatum iri, & inaccessibili eius pulchritudine fruituram, nisi eius gratiæ arrhabonem acceperit, ipsamque in se ferens habuerit.

C L X X I V. Quomodo chartæ symbolicæ,seu instrumenta inter contrahentes, nisi testes idonei subscripserint, firmi ac certi arrhabonis vim non habent: sic neque antequam mandata Dei opere fiant,& virtutes acquisitæ sint, certa gratiæ illuminatio contingit. Quod enim in pactis, & conventis sunt testes, hoc in spirituali arrhabone mandatorum executio, & virtutes. Nam per hæc unusquisque saluandorum perfectum arrhabonem obtinet.

C L X X V. Quemadmodum sponsa ante nuptias arrhabonem duntaxat à sponso accipit, pactam verò dotem, & promissa simul dona post nuptias exspectat. Sic & sponsa fidelium Ecclesia, & uniuscuiusque nostrûm anima, primum quidem à Christo sponso solum arrhabonem spiritus accipit,æterna autem bona,& re-

C gnum cœlorum post emigrationem ex hac luce exspectat: per arrhabonem plenè persuasa, sibi pacta sine ulla fraude eventura. Primum per mandatorum obedientiam quasi conventa scribuntur: deinde per virtutes subscribitur, & signum additur. Tunc sponsus Christus animæ sponsæ annulum, sive arrhabonem spiritus largitur.

C L X X V I. Quemadmodum sponso diutius peregrinante, aut aliis in negotiis occupato, & interim nuptiarum tempus extrahente, si sponsa irata eius amorem contempserit, libellumque arrhabonicum aut deleverit, aut consciderit, confestim eorum spe, quæ à sponso expectabat frustratur. Perinde in anima fieri solet. Nam cùm quis certantium dixerit, quousque mihi afflictiones tolerandæ sunt: laboresque asceticos parvipenderit, ac per negligentiam mandatorum, prætermissionemque pœnitentiæ quotidianæ pacta quodammodo deleverit, & consciderit, statim & arrhabonem, & spem erga Deum perdit penitus.

D C L X X V I I. Sicut sponsa, si amorem suum ad alium, quàm ad debitum sibi sponsum transtulerit, & cum eo vel clam, vel palam cubilibus consueverit, non solùm nihil promissorum à sponso munerum sperabit: sed potius, nec immeritò, accusationem, & pœnam ex legibus expectabit: ita nobiscum fieri solet. Si quis amorem erga sponsum Christum ad alius cuiuspiam rei desiderium apertè converterit, aut occultè cor eius eo obsessum fuerit, eius anima sponso odiosa, & execrabilis ipsiusque coniunctione, ac thalamo indigna erit. Dixit enim; *Ego diligentes me diligo.* Prov. 8.

C L X X V I I I. Arrhabo in his qui ipsum adepti sunt, non est enunciabilis, non intelligitur & intelligitur, non tenetur & tenetur, non videtur & videtur, vivit, loquitur, movetur, & possidentem se movet. Avolat ex arcula in qua sub signo concluditur: & iterum præter spem in ea reperitur: ut possessor eum nec constanter manere, nec sine reversione recedere arbitretur: & non habens eum tanquam habens, & habens tanquam non habens sit, itaque sentiat. E

C L X X I X. Quemadmodum si quis noctu in ædibus sit, earumque ianuis undique occlusis, si unum ostiolum, aut fenestram aperuerit, & eum repentè fulgur coruscum circumfulserit, ille oculis tantum splendorem non ferens, mox se tuetur, lumina claudit, & extimescit. Sic etiam inclusa anima in sensibilibus, si extra hæc aliquando, ut per fenestram, mente prospexerit, à fulgore arrhabonis, qui in ipsa est, à Spiritu sancto, inquam, illustrata, claritatem luminis sustinere non valens, subitò & mente percellitur, & tota in se ipsam pavitans contrahitur, velut in domum quandam sub sensibilia, & humana refugiens.

C L X X X. Quemlibet ex huiuscemodi indiciis animadvertere oportet, ecquid arrhabonem spiritus à sponso & Domino Christo acceperit. Si accepit, eum retinere studeat. Si accipere nondum meruit, in id incumbat, ut per bona opera, & pias actiones, ferventissimamque pœnitentiam accipiat, acceptumque mandatis servandis, & virtutibus insuper comparandis custodiat. F

C L X X X I. Quemadmodum tectum quantumvis ædium per fundamentum, & reliquam ædificationem stat: ita vicissim fundamenta ut tecto sustentando utilia, & necessaria iaciuntur: & neque tectum sine fundamento constitui solet, nec fundamenta citra tectum usum ullum, aut commodum in vita habent. Sic etiam divina gratia mandatis obeundis conservatur,& actiones mandatorum, propter donum Dei fundamenti loco ponuntur: & neque gratia spiritus in nobis manere consuevit, nisi mandata operemur: neque mandatorum operatio absque gratia Dei commoda nobis, & fructuosa est.

C L X X X I I. Sicut domus tecto carens, aut incog[nita] conditoris sic extructa cum inutilis est, tum præterea ædificatorem ridiculum facit: sic qui fundamentum, nempe observationem divinorum mandatorum, constituit, muros excelsarum virtutum excitavit, nisi etiam spiritus gratiam se accepisse cum anima sua viderit, atque cognoverit, imperfectus, & G perfectis miseratione est. Etenim ea hisce duabus de causis omnino spoliatus est. Aut enim pœnitentiam vilipendit: aut virtutibus colligendis, ut in negotio immenso defecit, & nonnulla prætermisit; quæ quanquam nobis minima videntur, tamen ad domum absolvendam necessariò requiruntur, citra quæ tectum per gratiam spiritus imponi neutiquam potest.

C L X X X I I I. Si Dei filius idcirco in terras delapsus est, ut nos cum Deo patre, cui eramus inimici, per semetipsum in gratiam reduceret; sibique nos per sanctum, & consubstantialem spiritum suum, ita ut scire, & cognoscere possemus, copularet, qui hac gratia excidit, quam aliam, amabò, consequetur? Prorsus, nec Patri reconciliatus, nec Filio per Spiritus sancti participationem coniunctus, atque unitus est.

C L X X X I V. *Nunquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant?* ait Sapiens. Ego aio, quis intolerabilem illum, cælestemque ignem corde suscipiet, & non inflammabitur, ac relucebit, & divinitatis ipse quoque radios emittet, secundum analogiam purgationis, & communicari ignis videlicet? puritatem enim communio, communionem illuminatio sequitur. Sic homo planè Deus per gratiam evadit. H Prov. 6.

C L X X X V. Qui Spiritu sancto est impertitus, turbulentis cupiditatibus, voluptatibusque absolvitur, naturæ autem, & corpori, quin serviat, facere non potest. Et simul vinculis turbidi appetitus exemptus, immortalique gloriæ, & dulcedini devinctus est, semper in cœlo esse, & cum Deo versari, & ab eius conspectu, deliciisque nunquam satiantibus ne ad momentum quidem abstistere contendit. Porrò mortali corpore, ceu pedicis implicatus,ab eodem trahitur,

A & ad terrena distrahitur: indeque tantum mœrorem suscipit, quantum, ut arbitror, anima peccatoris à corpore separata experitur.

CLXXXVI. Quemadmodum qui corpus, qui vitam, qui voluptates, qui mundum amant, & consectantur, iis instar mortis est ab his longius ac [illegible] qui castitatem, qui Deum, qui res cælestes ac [illegible] [illegible], qui virtutem diligunt, vel paululum ab his animo, & cogitatione separari plagam mortiferam [illegible]. Si enim qui lumen adhuc [illegible] [illegible], cùm paulùm oculos clauserit, aut quispiam illi eosdem operuerit, dolet, & id ægrè patitur (præcipue cùm necessarium aliquid, aut admirabile aspicit, & contemplatur) quanto magis, qui Spiritu sancto illustratus, bona illius verè videt, & intelligit, & vigilans & dormiens, *Quæ oculus non vidit, & auris non audivit, & in cor hominis non ascenderunt, in quæ & angeli prospicere desiderant*, si ab horum contemplatione ab aliquo abstractus fuerit, contristabitur, & affligetur. 1.Cor.2.

B

CLXXXVII. Quandoquidem bipartitus est homo, ex corpore [illegible], & anima [illegible], etiam mundus ei convenienter creatus est, visibilis, & utrinque [illegible] opera, & curæ operum apte, & idoneæ distributæ. Quod etiam de visis, & somniis verum esse [illegible]. In quibus enim mens vigilans est occupata, aut volutatur, in his item per somnum aut vanè ludit, aut philosophatur. Sive enim de humanis rebus [illegible], fatui negotio [illegible]: sive divina, & cælestia meditetur, visa contemplatur, & in [illegible] Propheta [illegible] (*Et iuvenes vestri visiones videbunt*) non decepta: sed [illegible]. Ioel.2.

CLXXXVIII. Quando pars animæ, in qua sunt cupiditates, & libidines [illegible] commixtionem corporum, delicias, voluptatesque huius vitæ irritata fuerit, talia similiter in somniis anima videt. Sin pars [illegible] cives, & [illegible] belluæ efferatur, ferarum, & serpentium incursus, bella & pugnas somniat: & cum quibus habet controversiam, [illegible]. Sin pars [illegible], in qua viget ratio, [illegible], tum volatus in aëra, sublimes thronos, populorum principatus, in curribus alios præcedentes, alios [illegible] per somnum imaginatur.

C

CLXXXIX. Illorum tantummodo vera sunt visa (quæ non somnia, sed visiones, & apparitiones vocari debent) quorum mens [illegible] Spiritus simplicitatem, & ab omni turba, ac servitute passionum libertatem invenit: quorum in rebus divinis, & in futuris præmiorum, suppliciorumque mercedibus meditandis, expendendisque [illegible] consumitur: quorum vita aliarum vitæ præstat, distractione, & sollicitudine vacans, quieta, pura, plena misericordiæ, cognitionis cælestium, & bonorum fructuum, quos Spiritus sancti cultura produxit. Qui alia via ingrediuntur, eorumque omnia falsa, confusa, & universè nihil aliud, quàm manifesta deceptio.

D

CXC. Multi solitarium, alij mixtum, id est, cœnobiticum vitæ genus beatum numeraverunt: alij præesse populo, admonere, docere, Ecclesias [illegible], & ordinare, unde compluribus alimonia qua animæ, qua corporis tribui solet. Ego nullum horum alteri prætulerim: neque hoc laudandum, illud vituperandum dixerim: Generatim, & in omnibus operibus, actionibusque vita propter Deum, & secundum Deum acta, longè beatissima est.

CXCI. Sicut diversis artibus, ac scientiis vita humana continetur, dum alius hanc, alius illam tractat, [illegible] atque confert, & [illegible] communicant [illegible], [illegible] ætatem [illegible] in spiritualibus videre licet. Quamvis enim [illegible] ætatem exercent, & alij alia vivendi via incedant, omnes tamen utrinque ad eundem scopum concurrunt.

E

CXCII. Scopus, & consilium omnium secundùm Deum certantium est, Christo Deo complacere, & per communicationem Spiritus sancti patris gratiam recuperare, per eundemque salutem suam comparare, & acquirere: in hoc enim omnis animæ, & cuiusvis hominis salus sita est. Quod nisi fiat, inanis est labor, & vanum opus nostrum: infructuosum omne iter vitæ, quod in ea currentem huc non deducit.

CXCIII. Qui toto mundo relicto, quietis agendæ ad montem secessit, indeque ostentabundus ad eos qui in mundo sunt scribit, aliosque beatos prædicat, alios laudat, & illis adulatur, a [illegible] cum fœminis fornicaria, pannosa, & pessima copulatus, & in regionem longinquam, ad [illegible] communionem, atque adeo memoriam peregrè abeunti: deinde oblito scopi, propter quem in montem venerit, ad eos qui [illegible] polluuntur, cupide scribente, & eos ut beatos extollenti [illegible] certè, & corde ipso similiter illis afficitur, eorumque complexus [illegible].

F

CXCIV. Quam valde in medio mundo viventes, sensusque, & corda sua ab omni vitiosa cupiditate purgantes laudandi, & pro beatis prædicandi: tam valde, qui in montibus, & speluncis habitant, si laudes, prædicationes, & gloriam hominum concupiscant, [illegible], & [illegible] sunt: nam apud Deum qui scrutatur corda nostra, adulterorum loco [illegible]. [illegible] veluti antiquitus ille Iudæorum populus a Deo fornicatur, ut inquit David. Hier.17. Ps.105.

CXCV. Qui fide certa, ac firma in Deum, valere mundum, & suas sibi res habere iussit, Dominum esse misericordem, & pium, & in pœnitentia ad ipsum accedentes suscipere credit. Cumque [illegible] eundem velle servos suos per ignominiam honorare, per summam paupertatem ditare, per iniuriam, & contemptum glorificare, & per mortem æternæ vitæ socios [illegible], per ea haud secus, quam certis [illegible] currere [illegible] quæ in ipsis sunt [illegible], tanquam per scalas [illegible], per quas angeli ascendunt, & descendunt, laturi opem ascendentibus. Supra verò Deus sedet, nostramque voluntatem diligenter, ac pro viribus ad opus perduci exspectat: non solum ut nos laborantes aspiciens lætetur: sed etiam ut mercedem, tanquam debitum, pro sua benignitate nobis persolvat.

G

CXCVI. Dominus certa & magna cum fiducia ad se venientes cadere nequaquam sinit: sed eorum infirmitatem cernens, adiuvat, & auxilium fert, manumque potentem desuper ipsis porrigens, ad se reducit. Adiuvat porrò apertè simul, & occultè, ut cognoscant, ut & non cognoscant, donec totis scalis ascensu superatis, ipsi appropinquaverint, totique toti uniantur, & terrenorum omnium obliviscantur, illic eius consuetudine fruentes, sive in corpore, sive extra corpus, nescio, & cum eo conversentur, bonisque nullo sermone explicabilibus oblectentur. 2.Cor.12.

H

CXCVII. Iustum est, primùm cervices nostras iugo mandatorum Christi supponere, nec, quasi œstro percussi essemus, refugere, nec retrocedere: sed rectà, & [illegible] ambulare, & nos ipsos renovare, qui revera Dei paradisus sumus: donec [illegible] per Spiritum sanctum ingressus, in nobis [illegible]. Tum, qui ideo cum totum incola [illegible], magistratu [illegible], cui ex nobis præceperit, & quod ministerium ei crediderit, id in manus sumat, et [illegible] arbitrio eo fungatur alacriter. Verum id ante tempus requirere, aut datum ab hominibus admittere non licet; sed Domini, ac Dei nostri mandata perseveranter servanda, cætique nulla expectanda sunt.

CXCVIII.

CXCVIII. Cùm divinarum rerum administratio nobis commissa fuerit, & in ea excelluerimus, si à spiritu ad aliam administrationem, opusve, aut actionem transire iubemur, ne refragemur. Deus enim nec otiosos esse nos, nec in uno atque eodem opere, in quo initium fecimus, usque ad finem vitæ vult persistere: sed proficere, & ad meliorum adeptionem semper incitari, in divina nimirum, non in propria voluntate procedentes.

CXCIX. Qui propriam voluntatem iugulavit, iam usu voluntatis omnino caret: quo nihil eorum caret, in quibus vita inest, & motus. Nam in quibus sensus non inest, etsi moventur, & crescunt, ut plantæ, ea tamen naturali voluntate impelli, ac moveri, augereque non dicimus: sunt enim inanima. Omnia vero animata, etiam naturalem voluntatem habent. Qui ergo religiosis exercitationibus, & diligentia sua voluntatem propriam mortificavit, & interemit quodammodo, & ἀθέλητος (sine usu voluntatis suæ) effectus est, omnino à natura propria descivit; & quoniam velle non habet, nec boni quippiam, aut mali potest operari.

ANNOTAT. Hæc sano modo accipienda sunt; nam qui voluntatem suam mortificavit, is nihil mali agere potest; cum ex voluntate per amorem Dei mortificata: & cum Christo crucifixa, quà talis est, nihil mali proficisci possit. At qui mali quidpiam agit; is hoc ipso indicat: se voluntatem suam nondum mortificasse: quia si mortificasset, utique respectu mali mortificasset, & sic malum non perpetraret: quod dum perpetrat, vivam se adhuc voluntatem ad malum possidere demonstrat. Quod vero ait: *talem nihil boni amplius agere posse*, id ideo dicit: quia velle huiusmodi hominis, potius est velle superioris, cui quis se subiecit, vel Dei, quam proprium. Quare sicut Apostolus dicebat: *Vivo ego iam non ego, vivit vero in me Christus*; ita is, qui ad hunc perfectionis gradû ascendit, dicere potest: Volo ego, iam non ego; vult vero in me superior, vel Deus: & sic quicquid boni facit, id ei, cuius nutu & gubernatione regitur, adscribit: perinde ac si ipse prorsus nihil operaretur.

CC. Qui suam voluntatem necare studet, Dei voluntati parere debet, ac pro sua divinam induere, eamque in corde suo serere, & inserere. Adhæc inspicere accuratè, utrum quæ plantata, & insita sunt, alia in profundum radicibus tendentia exurgant: alia in cicatricem coëuntia, & trunco inolescentia, arboris speciem præbeant. Si creverint, floruerint, fructum speciosum, ac dulcem protulerint, ut ignoret ipse & terram, quæ prius semen excepit, & radicem, in quam illud supra captum humanum; & verbis haud dici potest, vivificumque plantarium insertum est.

CCI. Qui propter timorem Dei propriam voluntatem exscindit, illi, nescio, quomodo inscienti Deus voluntatem suam ipsius largitur ac donat, eamque indelebilem in eius pectore custodit, & oculos cordis eius aperit, ut ipsam cognoscat, & ad eandem implendam vires sufficit. Hæc autem gratia sancti Spiritus operatur, citra quam nihil fit.

CCII. Cum totis viribus, summa voluntate, & alacritate, ac desiderio incitatissimo, quæ a Deo mystice, & ad nostram intelligentiam obscurius didicimus, quæque ab illo mandata sunt nobis, impleverimus, nilque penitus prætermiserimus, tunc nobis ut fidelibus, & obedientibus, germanisque discipulis, & amicis apertè revelatur: sicut olim sanctis discipulis, & Apostolis suis revelatus est, & similiter omnibus, qui per eos in nomen ipsius credidissent. Tunc filij Dei secundum gratiam esse incipimus; ut Paulus ait: *Quicunque spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei. Quod si filij, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* Rom. 8.

CCIII. Qui digni sunt habiti, ut cum Deo in coniunctione spiritus essent, gustarentque eius bona inenarrabilia, eorum nullius oblatæ ab hominibus infamis, & despuendæ gloriæ desiderio, amoreque ducitur. Sed nec auri aut vestium, aut lapidum, qui ab insipientibus pretiosi censentur. Divitiis affluentibus cor non apponit: nec à regibus, & principibus cognosci vult, qui non imperant, sed à multitudine ipsis potius imperatur. Psal. 61.
Tales non valde ut magnos, & sublimes admiratur, ac suspicit: nec existimat, eos familiaribus suis maiorem honorem, & decus conciliare. Nec aliud quidquam hominibus illustre, & splendidum expetet: nec ut quispiam ab opibus ad inopiam, aut à principatu, & summa potestate, conspicuaque dignitate ad extremam ignominiam, & contemptionem devolui metuit.

CCIV. Si omnium peccatorum tuorum veniam sive per confessionem, sive per angelicum habitum, quem induisti, consecutus es, quantum hoc tibi charitatis in Deum gratiarum actionis, & humilitatis argumentum erit? quoniam mille dignus supplicijs, non ea solùm effugisti; sed insuper adoptione filiorum Dei, & gloria, & regno cœlorum dignatus es. Hæc mente versans, semperque recogitans, promptus, & paratus esto, ne quando contemnas eum, qui te honoravit, & mille tibi delicta condonavit: sed in omnibus factis illum honores, & glorifices, ut ipse te vicissim maiore honore afficiat, quem super omnem creaturam aspectabilem extulit, germanumque amicum suum nominavit.

CCV. Quantum anima corpori, tantum homo intelligentiæ particeps toti mundo antecellit. Noli, homo, ad imaginem rerum conditarum attendere, & inde ea te honorabiliorem existimare: sed ad impertitam tibi gratiam respiciens, intelligentisque, & ratiocinantis animæ tuæ dignitatem perpendens, Deum lauda, qui te plus quàm omnia quæ videntur, cohonestavit.

CCVI. Cogitemus, quo pacto Deum glorificare possimus. Glorificatur autem non aliter, quam quomodo à filio glorificatus est. Per quæ enim ille suum patrem glorificavit, & vicissim à patre suo per eadem glorificatus est, ea nos quoque sedulo faciamus, ut per illa glorificemus eum, qui se patrem nostrum cœlestem appellari non refugit, & glorificemur ab eodem gloria filij, quam habuit apud eum, antequam mundus fieret.
Quæ porro illa sunt? Crux, id est, mundus in animis nostris planè mortuus, tribulationes, tentationes, & si quid aliud passionum Christi est; quæ in multa patientia sufferentes: Christi passiones imitamur, & iis glorificamus patrem ac Deum nostrum, ut gratia filij ipsius, & cohæredes Christi. Ioan. 17.

CCVII. Anima, quæ inclinatione affectuque ad ea quæ subiecta sunt oculis nondum se perfectè liberatam sentit, contingentia sibi molesta, & persecutiones allatas à dæmonibus, & hominibus, absque mœstitudine tolerare nequit: Sed affectioni erga res humanas astricta, & alligata quodammodo, pecuniæ iactura mordetur, facultatumque spoliatione dolet, & plagis corpori suo inflictis, maiorem in modum cruciatur.

CCVIII. Si quis à propensione, & concupiscentia rerum sensus moventium animam suam abstraxerit, Deoque univerit, & devinxerit, non solum pecunias, ac possessiones suas despiciet, illisque amissis, velut si aliena, & ad se nihil pertinentia amisisset, tranquillo erit animo, verum etiam acerba corpori suo illata cum gaudio, & qua decet gratiarum actione sustinebit, semper videns exteriorem quidem hominem iuxta Apostolum corrumpi: interiorem autem de die in diem renovari. Alioqui tribulationes secundum Deum hilariter, & læto animo perferri nequeunt. In his enim perfecta cognitio, & sapientia spiritualis exercetur: quibus qui caret, in tenebris ignorantiæ ac diffidentiæ perpetuo incedit, nec videre patientiæ, & consolationis lumen ullo modo potest. 2. Cor. 4.

CCIX. Omnis suo iudicio sapiens, & disciplinis interioribus eruditus, divina cernere, & cognoscere

A mysteria dignus nunquam erit, donec humiliari, & magnifica existimatione sui deposita, stultus fieri voluerit. Nam qui istuc facit, & divinis in rebus sapientes fide firmissima sequitur, eorum ductu simul in civitatem Dei viventis ingreditur, ducenteque, & illuminante se divino spiritu, videt, ac discit, quæ aliorum hominum nemo vidit, aut videre, & intelligere unquam potest, & tunc θεοδίδακτος, à Deo doctus fit.

CCX. A Deo doctos, huius mundi sapientum discipuli pro fatuis habent, cùm ipsi vere sint fatui, terrena, & insipienti sapientia ingeniosi scilicet, & acuti, quam stultam fecit Deus, secundum Apostolum, & quam theologica vox pronuntiat terrenam, animalem, diabolicam, plenam contentionis & invidiæ. Hi enim quoniam extra divinum lumen sunt, & admirabilia quæ in ipso videre haud queunt, in lumine manentes, quæque in eo sunt aspicientes, & alios docentes, errore captos, & seductos arbitrantur, cum ipsimet seducti sint, & inexplicabilia Dei bona non gustaverint. [1. Cor. 1. Iaco. 3.]

B CCXI. Hac sola de causa, qui gratia Dei repleti, cognitioneque ac sapientia superna instructi sint, his qui in mundo sunt se obiicere, & eos videre volunt, ut illis mercedem aliquam per suggestionem charitatis Dei, & studiosas actiones concilient, si modo audiant, si modò intelligant, & desistant: quandoquidem qui spiritu Dei non aguntur, in tenebris ambulant, & nesciunt neque quo vadant, neque ubi offendant. Fortassis enim aliquando erigentes se ex arrogantia qua oppressi sunt, veram S. Spiritus doctrinam complectentur, Deique voluntatem sine fuco ac sincerè audientes, pœnitentiam agent, atque ita aliquod spirituale charisma accipient. Quod si hanc eis utilitatem parare non poterunt, lachrymis cordis eorum cœcitatem prosequentes, in suos nidos revertentur, noctes & dies pro eorum salute vota facientes. Nunquam enim alterius rei causa molestiam capient, qui cum Deo sunt assidui, & omnibus bonis redundant.

C CCXII. Etiam hodie sunt, qui omni motu non recto vacent, viri sancti, & divino lumine pleni, in medio nostrum versantes: qui adeò mortificarunt membra sua, quæ sunt super terram, ab omni immunditia, & furente concupiscentia, ut non solum per sese mali quippiam non cogitent, nec ad id committendum incitentur: sed neque ab aliis ad hoc sollicitati, quietum animi sui statum aliqua ex parte mutare noverunt: quando memoria tenent, quæ quotidie legunt, & psallunt divina oracula. His illi de divinis rebus in sapientia spiritus docentibus, ut stultis, fidem non habent. Nam si perfectè divinas scripturas nossent, crederent verbis Dei, & bonis quæ is humano generi donavit. Quia verò huiusce modi bonorum ob arrogantiam, & socordiam participes non sunt, etiam hos qui participes sunt, & eos docent, increduli calumniantur. [Coloss. 3.]

CCXIII. Quisnam œconomiæ Verbi Dei in carne scopus est, qui in omni divina scriptura revelatur, & à nobis legitur, nec intelligitur? An hic utique, ut consors factum nostrorum, quæ illic sunt, suorum consortes faceret: & quod ipse per naturam est, ad illud genus nostrum per gratiam eveheret, denuò nos in Spiritu S. generans, & illico in regnum cœlorum inducens, vel potius hoc in nobis habere donans: ut non adhuc speremus illud ingredi: sed iam id ipsum possidentes clamemus, *Nostra autem vita abscondita est cum Christo in Deo.* [D] [Coloss. 3.]

CCXIV. Baptismus libertatem voluntatis nostræ, & quod spontis nostræ est, minimè tollit: sed id nobis largitur, ut nolentes diabolus sua tyrannide amplius premere non possit. In nostro autem arbitratu positum est, post baptismum aut volentes servare mandata Domini, in quo abluti sumus, Christi nempe, & in via legum eius ambulare: aut per improbas actiones de recto isthoc itinere ad adversarium atque inimicum nostrum diabolum declinare.

CCXV. Qui post baptisma voluntatibus maligni

E cedunt, & eius consulta perpetrant, sese à sancta baptismatis quasi matrice abalienant, secundùm illud Davidis: neque enim alienatur unusquisque: aut naturam cum qua creatus est mutat: sed bonus creatus à Deo (malum enim Deus non facit) immutabilis natura & essentia (sicut creatus est) cùm sit, velut libera mente hæc seu bona, seu mala eligit & facit. Quemadmodum enim gladius naturam suam non mutat, seu bene seu male utare, sed ferrum manet: sic & homo operatur, & facit, ut dictum est, quæ vult, à sua autem natura non deiicitur. [Psal. 57. alienati sunt peccatores à vulva, ἀπηλλοτριώθησαν οἱ ἁμαρτωλοὶ ἀπὸ μήτρας. Hoc enim alludit Simeon, & eodem τῇ μήτρας vocabulo utitur.]

CCXVI. Non si unius miserearis, saluaberis: sed si unum contempseris, in ignem mitteris. Nam ut illud, *esurivi, & sitivi*, non semel, aut unum diem, sed tempus vitæ universæ significat: sic & pasci Christum, potari, indui, & si quid præterea hæc comitatur, non semel, sed semper, & erga omnes servos ipsius suscipiendum Deus, & Dominus noster professus est.

F CCXVII. Individuum divisum, & ipsum totum in unoquoque pauperum, quomodo quidam se unis includunt? Pone centum esse pauperes, & unum Christum (neque enim ulla ratione divisus est Christus) qui ergo ex nonaginta novem singulis dederit obolum, unum autem iniuria affecerit, aut percusserit, aut vacuum dimiserit, cui nam hæc fecit? An non illi utique, qui dixit, & semper dicit, & dicturus est, *Quamdiu uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis?* [Matt. 25]

CCXVIII. Qui centum mendicis dederit eleemosynam, potest autem & aliis dare, potareque, & cibare multos, quos se rogantes, & eius misericordiam implorantes dimittit, ut qui Christum ipsum non paverit, ab eo iudicabitur: quandoquidem & in illis omnibus ipse est, qui etiam in uno quolibet minimorum à nobis alitur.

CCXIX. Qui omnibus egentibus omnia ad explendam hodiernam necessitatem præbuit, & cras possit idem præstare quibusdam fratribus, & tamen sinit eos fame, siti, & frigore interire, ipsum illum non curavit mori, & contempsit, qui dicit, *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* H

CCXX. Ex his licet cognoscere, quomodo Dominus ad se omnia pauperum, & fratrum nostrorum transferat, & sibi facta interpretetur. Ad iustos dicit, *mihi fecistis*: ad illos, qui in sinistra, *mihi non fecistis.* non enim solum intuetur eos, quorum miserti sumus, aut qui iniuriam acceperunt, aut fraudati, aut mille alia mala perpessi sunt: sed etiam despectos, ut hoc ad condemnationem nostram sufficiat. Neque enim illos, sed ipsum despicimus Iesum Christum, qui omnia ut sibi facta ducit, quæ illis fecerimus.

CCXXI. Idcirco pauperis cuiusque faciem suscipere voluit, & cuivis pauperi se assimilavit, ut nullus in se credentium adversus fratrem suum elevetur: sed unusquisque fratrem suum, ut proximum, ut Deum intuens, minimum sese non fratris, sed eius qui fratrem fecit, reputet, & ut ipsum creatorem eius excipiat, & honoret, omniaque ad eius obsequium, & ministerium impendat & exhauriat, & quemadmodum Christus & Deus suum ipsius sanguinem ob salutem nostram exhausit. G

CCXXII. Qui iussus est proximum eo loco habere quo semet, planè non per unum diem, sed per omnem vitam sic eum habere debet. Et qui omni petenti iussus est dare, hoc facere iubetur, quamdiu vivit. Et cui cupit ab alio sibi præstari quæ vult bona, ab eo postulabitur, ut eadem ipse aliis præstet. [Deut. 6. Matt. 5. Matt. 7.]

CCXXIII. Quemadmodum igitur qui habet proximum eodem loco quo se, nihil præ proximo habere sustinet. Sin autem habuerit, nec liberaliter impertiverit, donec & ipse ad paupertatem redigatur, & proximus suis exæquetur, cum Domini præceptum non implevisse censetur. Nec cum, qui omnibus petentibus dare volens, si usque ad obolum, aut frustum panis pervenerit, quempiam rogantem inanem dimiserit: nec qui

non

A non facit proximo, quæcunque sibi ab alio fieri desiderat? Sic qui omni pauperi, ac minimo cibum, potum, vestem dedit, aliáque omnia officia iis præstitit, unum autem, & solum neglexit atque contempsit, id perinde accipietur, ut si Christum Deum esurientem, ac sitientem despexisset.

Annotat. Rectè timuit Simeon, ea, quæ c.223. tradiderat, nimis dura visum iri. Verè enim dura sunt. Quid si nec vera? *Non enim ut aliis sit remissio, vobis autem tribulatio, sed ex æqualitate,* inquit Apostolus 2. ad Cor 8. Cohortans fideles, ut egenis opem ferant: Quæ æqualitas non in hoc consistit, ut qui quid habet, exæquetur nihil habenti: sed in hoc, *ut qui multum habet, non abundet,* dando videlicet egenis id, quod superfluum est; *& qui modicum, non minoret,* hoc est; ut qui pauper est, liberalitate aliena adiutus, non magis atque magis in egestatis incommoda incurrat; nam ut

B quis necessaria ad vitam eroget; seque pauperi erogatis omnibus parem efficiat; id ut interdum eximiæ charitatis indicium esse queat; nulli tamen per se loquendo præcipitur; quique id non observat: nullius mandati divini reus peragi potest.

CCXXIV. Dura hæc, & onerosa omnibus fortasse videbuntur. Quare existimabunt se consentanea cogitare, si ita secum cogitent. Quisnam hæc præstare potest, ut omnibus serviat, victumque ministret, & horum nullum negligat ullo modo? Sed Paulum audiunt, disertè clamantem, *Charitas enim Christi urget*

2. Cor. 5. *nos, æstimantes hoc quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt.*

CCXXV. Quemadmodum generalia mandata particularia complexu, & amplitudine sua continent: sic & generales virtutes particulares virtutes suo ambitu coërcent. Qui enim vendit facultates suas, & eas in pauperes dispertit, simulque ac semel ipse pauper fit, omnia mandata particularia in uno, & simul executus est. Nec enim de cætero opus habet petenti dare, aut non averti ab eo, aut non fœnerari illi. Sic qui nullum precandi finem facit, in hoc omnia includit: nec

C amplius septies in die Dominum laudare, & vespere, & mane, & meridie necesse habet: ut qui iam omnia implevit, quæ canonicè, distinctisque temporibus, & horis precamur, ac psallimus. Sic etiam, qui Deum in se

Ps. 118. habitare scit, à quo hominibus scientia data est, totam scripturam divinam percurrit, & totum qui ex lectione colligitur fructum percepit: nec amplius volumina legere cogetur. Cur enim cogeretur, cùm eum, qui scriptoribus sacras Scripturas inspiravit, apud se collocutorem habeat, & ab eo absconditorum mysteriorum

Mat 13. arcana doceatur? Quin ipse aliis liber à Deo inspiratus erit, nova, & vetera afferens mysteria, conscripta digito Dei in ipso, ut qui perfecerit omnia, & quieverit in Deo (qui est summa perfectio) ab omnibus operibus suis.

CCXXVI. Quodnam primum est, & maius, & quomodo hæc ordine fieri consueverunt? Primum est oratio, deinde illuminatio, postea illustratio, & hinc ingeneratur visio rerum, quæ in lumine sunt. Quomodo enim sole non lucente quispiam illustrari? aut

D qui oculos perfectè illuminatos non habet, quomodo quempiam videre potest?

CCXXVII. Quies monastica, est imperturbatus animi status, liberæ, & exhilarantis animæ serenitas, basis quædam cordis, nullis agitata turbis, nullis inundata fluctibus, contemplatio luminis, mystica Dei cognitio, sermo sapientiæ, abyssus consiliorum Dei, raptus mentis, pura cum Deo conversatio, oculus pervigil, intellectualis adoratio, unio & copulatio cum Deo, terminus, Deificatio, & in magnis asceticæ vitæ laboribus sine labore requies.

*FINIS.*

E

S. PATR. NOSTRI SIMEONIS

# IVNIORIS

## THEOLOGI ABBATIS MONASTERII S. MAMANTIS in Xericerco.

*DE ALTERATIONIBVS ANIMÆ & corporis, quæ ex varietate cæli aut aëris, quæque ex elementis, ex cibis; interdum etiam ex dæmonibus existere in nobis solent,*

## DISSERTATIO.

*Interprete PETRO POSSINO Societatis IESV Presbytero.*

FRATRES & Patres, debet monachus quæ in anima contingunt alterationes mutationesque, non solum nosse & intelligere; sed etiam causas ipsarum, quales tandem sint, undeque in ipso existant. Aliquando enim subita exoritur animæ lætitia, aliquando simili modo mœstitia ipsam invadit & gravedo vehemens. Atque interdum quidem ad compunctionis motum ac sensum facillima est: interdum obcallescit, & ad lapidis duritiem riget. Alias rursus mansueta & humilis est, at paulò post vaga mente, cogitationibusque dispersis tum iracunda & rabiosula ad omnes fratres. Et nunc quidem remissa ac languida fit segnisque ad omne opus: aliàs vero experrecta & vigil, ac ad omnem obedientiam prompta, ut etiam circumstantes aut obvios provocet & quasi convicio excitet ad rectè agendum. Nonnumquam rursum in seipsam collecta & devota: mox passim effusa; tum subcontumax ac impudens. Nonnumquam omnium benevolè & cum charitate reminiscens, eosque ad se provocans: aliàs neque illos, neque qui coram adsunt intueri sustinet. Nonnunquam denique contrusa in se ipsam undique & quasi in angustiis suffocationem patiens, ut vitam etiam recuset. Aliàs autem in tantum sese dilatans in ipsâ quasi exundat lætitiæ vis, ut cohibere seipsam nequeat, quantumvis id conetur.

Hæc naturâ comparatum est ita fieri circa naturales innovationes animæ & corporis; dum nos pro virili contendimus in exercitio virtutis & mandatorum adimpletione. Verùm quemadmodum in hunc modum alteratur anima, ita & mens nostra, consimilique hæc cum illâ vicissitudine ac ratione commutatur. Est enim interdum acuta ad intelligendum: acutior & micantior illis quæ intelligentiâ versat intra se percurrendis & discernendis, celeriter. Nonnumquam ad utrumque lenta & tarda. Ac aliquando quidem eadem velut amens & muta surdaque fit, aliàs solers quidem & diserta, attentáque & prudens, expeditique consilii, rursus aliquando cæca, aliquando perspicax, acie oculi eo usque acri ac vividâ, ut etiam usque ad profunditatem altitudinemque mysteriorum contemplando penetret, pene ultra quam pervenire homini fas est, viam sibi per vim quandam aperiens. Interdum simplex & ad omnem contemplationis motum procincta & libera. Septáque eadem ac in se reducta seséque coram ostentantes malorum illecebras ne attendens quidem aut ullam earum cogitationem capiens. Sic tamquam prorsus non essent. Interdum verò voluptatum imagines varias fingens, versans & reciprocans alternatim

A æſtu, ſeque in omnem nequitiæ ſpeciem induens, aut potius tamquam flamma in virentibus lignis à multo fumo ſuffocationem quandam patiens, res maxime nefarias ultrò deſignans, non ſolum quà obiecta invitant occaſionum præſentium, ſed abſentia etiam quædam procul accerſens, ſibique admovens ſtulta & fallacia ſibi in ſe ipſa deformat idola mendacium cogitationum. Quâ vice rerum cor licet multum gemens & reluctans anxiéque conteſtans, nequaquam ſe acquieſcere, nihil tamen proficit ad ſedandam tempeſtatem, mentémque ab inſanis cogitatis deducendam. Et hæc quidem hactenus de alterationibus mentis & intellectualis noſtræ divinæque animæ. Quæ verò contingunt circa corpus inæqualitates quamvis ad diſcernendum notabiles, cognituque nobis faciles videantur nequaquam tamen tales ſunt. B Huius enim partis pleráque omnis ferè mutatio à naturá eſt. Noſtra quippe anima immutabilis naturá ſub ſtantiáque eſt. Similiter autem & mens eodem modo & conditione naturæ ſimul cum ipsâ à creatore edita. Sola utraque nimirum arbitrio ſeſe movens proprio & libero impetu voluntatis virtutem vitiumve participans. Hoc eſt quod aliis verbis dici ſolet, lucis illas aut tenebrarum pro arbitrio electionis ſuæ participandarum communiter in omne ævum dominas & capaces ac quaſi hæredes conſtitutas. Anima inquam & mens alteri horum, ut dictum eſt, arbitrio delectus & voluntaria adhæſione affectus liberi affixa, ſi quidem bono, bonæ fiunt, ſin autem malo, malæ evadunt. At corpus & naturá mutabile, utpote compoſitum; & ſubſtantiâ fluxum, ut quod ex materia corruptibili fluxáque conſtet, commixtione aut contemperatione conſtitutum contrariorum invicem. Ex calido ſiquidem & frigido, ut talium conſulti vere dicunt, exque ſicco atque humido ſubſtantia eius eſt. Cæterùm ipſum per ſe ipſum electione arbitrioque caſſum eſt, immo ſi dicendum eſt, & motu: niſi ſi quis caducitatem eius & fluxum in corru- C ptionem motum ſubſtantiæ eius naturalem quendam dixerit, qui utique irrationalis eſt. Si autem irrationalis, & culpæ expers, neque obnoxius Dei iudicio. fomes verò, concupiſcentia, libido, voluptas, gula, intemperantia, ſomnolentia, deſidia, luxus veſtium & ſimilia omnia, quæ plerique corpori imputant, tamquam id in ea feratur, non ſunt tamen eius propria; quod apparet in morte, quando remota anima nihil horum corpus appetit. Animæ igitur per organa corporis iſti motus ſunt. Hæc illa tibi indulget, hæc appetit deiuncta neceſſitudine lutulentæ carnis, ex quo ei ſemel agglutinata concrevit. Cuius in cœno ſibi placet, immundę ſuis inſtar obſcœnis ſeſe gaudiis immergere volutaréque geſtiens. Nemo igitur ad hæc à proprio corpore impelli ſe trahique opinetur. Non ita eſt. Quid ergo? commoda mentem attentam, finxit Deus hominem, pulvere è terra ſumpto. En ego tibi oſtendi corpus, oſtende iam & tu mihi quæ qualéſque perturbationes ac cupiditates in ipſo ſint, profectò nullá demonſtrare potes. Quid *Gen. 2. 7* deinde? ***Et inſufflavit in faciem eius Dominus Deus, & factus eſt homo in animam viventem***, & ſurrexit è terra, & ambulabat Spiritu ſcilicet qui iam in ipſo erat pro poteſtate arbitrioque ſuo movente corpus, fomes verò, D indeliberatus irrationaliſque motus ſecretarum partium: furor inquam ille ac libido nequaquam adhuc erant. ſed erat in ipſo vita concors ab inteſtinis tranquilla diſſidiis & individuæ conſenſionis ſecuritate felix ſtatus. Videamus igitur ne fortè eo quod non eſſet mulier, aut quia non erat præſtò copia ciborum ſalivam moventium, idcirco neque ad libidinem neque ad gulam homo moveretur. Quando igitur produxit de humo Deus arbores omne genus fructiferas, ſpecioſas viſu, guſtatu ſuaves? Quando verò Adam & Eva nudi ſimul erant in Paradiſo nec erubeſcebant; Vides neque quod eſſet Eva fœmina, nec quod nudus uterque ullum cuiquam illorum continentiæ diſpendium eſſe oblatum. Sed quamlibet nudi, mutui tactus experientiâ carebant. Ac neque ulla perturbatione pudoris, neque naturalis corporibus pruriginis ſtimulo tentabantur. At

E poſt peccatum & tranſgreſſionem eiectis ambobus è paradiſo, Deoque nudatis, divináque eius excluſi gloriâ, tum demum, ut ſcriptum eſt, cognovit Adam uxorem ſuam quæ concepit & peperit. Igitur, cariſſime, ſi Deum ſyncerè amaveris & tu, & in eius dilectione manſeris, nulla tibi unquam pertubatio dominabitur, nec te ſub ditionem ſuam corporeæ neceſſitatis tyrannis unquam ulla rediget. Quemadmodum enim ad nihil corpus moveri poteſt ſine animâ: ſic neque Deo unita per charitatem anima inde abduci ulla vi poteſt ad voluptates cupiditatéſve corporeas. Sed neque ad alias concupiſcentias quaſvis viſibilium aut inviſibilium rerum aut vitiorum, tenetur enim adſtrictus dulci Dei charitate impetus cordis eius. Illa igitur Creatoris, ut dictum eſt, ſui complexu conſtricta age quâ tandem ratione queat corporei fomitis flamma corripi, aut omnino cupidinis ullius carnalis affectui mancipare conſenſum ſuum, nullo certe modo. Quod verò F mutationes illas attinet quæ ex naturali conditione corporis neceſſariò in ipſo exiſtunt; eæ ſane manifeſtæ ſunt, cadunt enim æquè in omnes etiam ſanctos, aliquando enim bene valere dicitur cùm primæ qualitates inducias agunt, aliquando in morbum trahi, quoties unum quodpiam ex quatuor elementis aut exuperans abundaverit, aut infirmius in minores quàm proportio temperamenti requirit, ſui ipſius reliquias defecerit, quod nimirum aut ipſum ſupra cætera prævaluerit: aut ipſis in ſe inſurgentibus reſiſtendo impar ſuccubuerit. Ex quibus deſtillationes fluxioneſque exiſtunt, & extremarum interdum partium reſecandarum neceſſitas: & videlicet animalis interdum totius corruptio, nihil ex his detrimenti capiente noſtra anima. Quoniam pleraque horum ex intemperantia cibi potuique proveniunt: eorumque ex indigeſta, maléque mixta & congeſta copia. Quædam tamen ortum habent ex ventorum mutatione atque aëris, quo, ut pote natura frigido, frigus ſæpiuſculè concipiente ſolito maius, quæ frigidioris naturæ ſunt imbecilliora ſcilicet fiunt. Quæ verò calidi temperamenti ſunt, G robuſtiora vegetioráque. Cùm verò rurſus fervore vehementiori aër incanduerit, frigida quidem refoventur & quaſi reviviſcunt: ut videmus ad ſolem muſcas, & id genus inſecta, vigere volitaréque vitali tepore colluſtrata & confota radiorum eius, valentia iam & ſtrenua ad omnem expediti motus micare facultatem. Contra verò quæ calidiorem concretionem habent prorſus inflammantur & liquefacta reſolvuntur: atque ad omnem actionem ac motum pariter imbecilla fiunt & languida. Adeóque in univerſum unaquæque res iuxta proportionem temperamenti proprij in aëris, & ventorum mutatione, mutationem ſuſcipit. Cæterùm præter hæc quæ diximus alia eſt etiam animantium propria mutatio, quæ vel ex cibatu potúque nimio, vel ex ieiunio ſummo exiſtit. Neque hæc ſolum, ſed etiam ex multo ſomno aut multá vigiliâ, ex labore aut deſidiâ corporeâ fit etiam alia quædam mutatio in nobis. Alia rurſus ex inexiſtente corpori materiâ & naturali in nobis calido commoto exiſtit motio evaporantis ſurſum fumoſi incendij, ut fit cùm aquâ ſuper iniecta prunæ H ardentes extinguuntur, qui vapor aliquando in ſolum caput, aliquando toto corpore diffunditur. Super hæc omnia verò, alia rurſus eſt, permiſſione boni noſtri Dei & Domini, ingruens in nos à dæmonibus ad eruditionem & ſalutarem correctionem, tentatio. Qualis verò hæc eſt; gravedo ipſa corporis & ex maximè terreſtribus ac craſſis eius fæcibus lenteſcens torpor triſtitiæ. Quando etiam ſine novâ apparente causâ in pœnam titillationis unius vanæ gloriolæ, cui fortè indulſerimus conſenſum aut delectatiunculam voluntariâ, aut quod in ſuperbiam elati ſimus, quodque de aliis temerè iudicium præcipitaverimus, qui multorum quotidianus eſt lapſus vel alias multas ob cauſas iſti dæmoni condonamur in interitum quidem carnis, contritionem verò animæ, probationemque & exercitationẽ ampliorem eius, tum ut capto interim experimento miſericor-

A dissimæ compassionis Dei erga nos totum in ipsum ex syncera præparatione animi transferamus amorem, desideriáque omnia & spes in ipso fixas, exque ipso aptas & suspensas habeamus. Verùm enimverò non hæc omnes intelligunt. Sed animales quidem alterationes ac mutationes corporis qui paulum ultrà principia aliquousque in virtutis via processerunt, per partes horum aliqua quisque sentiunt: prout scilicet in ipsis fieri quippiam contigerit. De iis enim qui toti adhuc in tenebris iacent, nullus nobis sermo. Mutationes autem quæ in mente existunt, ut diximus, & vicissitudines soli perturbationum victores perfectique & puri, expeditæ vitiis animæ & libertatem virtute nactæ perspectas scilicet habuerint. Neque id ipsi ex se, sed eius cuius sunt, quique illos ut suos curat, institutione docti. Nonnunquam siquidem ex inæqualitatibus quæ subin se mentem interpolant, anima coarctatur mœstaque fit, affluente paulo ante gaudio repente mulctata,
B Verumtamen virtute utens, conatumque intendens, emergit, & mentem erigit. Vice versa nonnumquam ex iis quæ patitur anima, propagatur compassio in mentem, quæ & ipsa sensu involuitur malorum eius, & nocte ingruente veluti oppressa, imbecille quidem tenebris cogitur, non acquiescit tamen: sed lucem vel amissam omni vi quærit, vel elabentem retentat mordicus: ex qua interdum victrix auxiliatem quoque radium in animam mittit. Alias ex inæquali rursus vicissitudine habitudinis corporis utraque vexatur, & quasi subiuguntur gravi tyrannide. Nonnumquam obsessæ licet circúmque oppugnatæ exterius, belli quidem quasi fragorem audiunt, & facili sensu repulsáque defunguntur, salvo intus statu beatæ pacis, qua gaudent interim in sinu. Alias versa vice civile perturbatorum affectuum bellum & seditionis tumultus fert atque agit intus omnia, tristi facie rerum & miserabili labore. Vt neque illa extrema patienti spes restet tranquillitatis reversuræ.
C Sic ista sese invicem infestant, dum & anima & mens a corpore, & mens ab anima rursus ipsa: anima verò vicissim à mente & corpore incommodum accipit. Neque verò individue semper anima, & mens turbantur, verum ex his quandoque anima sola patitur, mente ipsam quasi pro officio naturalis amicitiæ consolante. Aliquando mens excæcatur & obruitur, dum anima libera permanens virtute divini ignis abigit caliginem, & velum tollit, visúmque menti restituit. Propterea dixi o Patres & Fratres, oportere non solum notas esse nobis varietates mutationesque, ac contingere solitas in nobis alterationes; sed scire etiam prætereà unde ipsæ & quomodo & à quibus? qualésque spirent cogitationum venti, & ex quibus fontibus effluant atque exundẽ: flumina perturbationum, tentationumque, ut & domum animæ constabiliamus ad firmitatem resistendo parem, & gubernaculum navis nostræ dirigamus feliciter, non autem inerte, ignavéque tractemus. Horum autem cognitionem usus assiduus & experientia longæ vitæ suppeditat, cum exactione vitæ intra
D inviolatæ disciplinæ observationem sanctè transactæ. Sane opus est quisque Monachus scopum sibi ac finem quotidie præstituat, propositúmque velut in exemplari continuò cernat, quo quamque diem transigere ipsum deceat modo. Vt strenuus ad exercitium virtutis sit, neque ullo ab isto cursu, imperitiæ impedimento retardetur. Sic enim quamvis asperam, & laboriosam disciplinæ viam consuetudo & bene agendi usus atque habitus quasi coæquabit. Sicque Deo placebit assiduè proficiens & ascensiones in corde suo disponens, ex modicis ad maiora & perfectiora procurrens. Quo id quoque consequetur ut eorum de quibus egimus omnium perfectam scientiam consequatur, perituúsque aliquando magister evadat multorum aliorum: illuminans & verbi doctrina & vitæ exemplo convertantes secum, utpote illuminatus & ipse desuper, & revelans profunda iis qui cum desiderio quærunt profunda spiritus discere. In Christo Iesu Domino nostro, cui gloria & potestas in sæcula sæculorum. Amen.

E

# APPENDIX.

# SCHOLASTICI CVIVSDAM Dialogus, de Deo.

## AD SIMEONEM *Theologum.*

INTERROGATIO. RESPONSIO.

INTERROGATIO. Quid erat in mundo, antequam existeret? RESPONSIO. Deus, ipsius mundi parens & conditor. INTERROGATIO. Cùm nondum extaret mundus, quo tandem pacto in mundo erat? RESPONSIO. Quoniam mundus, etiam priusquam fieret, in Deo plane tanquam factus inerat: quemadmodum homines quoque necdum in hanc lucem nati, ut iam nati apud Deum sunt. Omnia quippe, etiam nondum procreata, in se ipso constituit, etsi id intelligentiæ nostræ imbecillitatem effugiat. INTERROGATIO. Si igitur in mundo erat Deus, antequam mundum ædificaret, ut ais, quid eo factum est, ubi illum produxit? Num ab eo secessit; an adhuc in eo manet? RESPONSIO. Loco quidem à creaturis suis ipsarum creator Deus separatus non est. Quò enim se transferret, quæso, qui ubique præsens adest, & divinitate sua implet universa, naturáque, & essentia, & subsistentia, cæterisque proprietatibus omnem naturam conditam excedit, ab eaque immenso, & incomprehenso discrimine secernitur. INTERROGATIO. Quâ ratione, cùm loco non distet, sed ubique præsens sit, quemadmodum affirmasti, ab omnibus tamen secernitur? RESPONSIO. Hæc quæstio difficilem intelligentiam, non item difficilem explicationem habet. Deo autem nihil est impossibile. Itaque potest tibi huius quoque rei plenam fidem facere, Age, intelligenter ausculta Sicuti mens humana nec cohibetur muris nec loco circumscribitur: sed corpus tantum domunculæ includitur, & vinculis constringitur, ipsa extra corpus liberè ubique vagatur; nec interim à corpore separatur, nec à domicilio procul distat: verùm & absens quodammodo, his adest, & cùm illis adest abest, præsentiamque cum absentia coniungit: Ita Deus ubique, & in omnibus, & extra omnia, & nusquam est natura, essentia, & gloria, quia circumscribi limitibus haud potest. INTERROGATIO. Qui ergo non circumscribitur, quomodo implet omnia: Qui implet omnia, quomodo incircumscriptus est, & nusquam est? RESPONSIO. Sane quidem consensu omnium Deus ubique est; & cùm impleat omnia, his quæ videmus omnino non permiscetur: sed eo modo quo diximus secernitur. Nusquam autem est, quod ad captum nostrum attinet. Nemo enim novit, ne angeli quidem, ubi sit Deus. Etsi enim illos assistere audis sed throno gloriæ: & cum procedentem inde claritatem contra aspicere nequeant, timore facies suas velant, stuporeque attoniti, hymnum divinum nunquam conticentes modulantur. Intolerabili namque maiestate perculsi, nec concipere possunt, nec cogitare ubi Dominus sit, aut qualis sit. Etenim si oculos in coruscum splendorem intendere non valent, quomodo ultro curiosè inquirant? Deum igitur esse, & ubique esse, & implere omnia tum angeli, tum sancti, qui se ipsos purgaverunt, & à divino spiritu illuminati, illustratique sunt, sciunt: ubi autem, aut quomodo, aut qualis sit, nemo

A omnium cognoſcit : ſed pater novit filium, & filius patrem, & Spiritus ſanctus patrem, & filium, ut potè illis conſubſtantialis, & coæternus. Hæc ſiquidem tria cùm unum ſint, & cognoſcunt ſe ipſa, & cognoſcuntur invicem, quod ipſe natura Deus, & Luc. 10. Dei filius prodidit. *Nemo novit patrem*, inquit, *ni-* 1. Cor. 2. *ſi filius, nec filium quis novit, niſi pater.* Et rurſum Apoſtolus : *Quis enim hominum ſcit quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis qui in ipſo eſt :* Sic quæ Dei ſunt ſeu divina, præter ſpiritum Dei nemo novit. INTERROGATIO. Quid ergo eſt, quod Matt. 18. Chriſtus dicit : *Videte ne contemnatis unum ex his pu-* Matt. 5. *ſillis, quoniam angeli eorum ſemper vident faciem patris mei ?* Et alibi : *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Tu nec Angelos noſſe autumas, qualis, aut ubi ſit Deus. RESPONSIO. Quemadmo-

B dum ſole lucente in meridie, quod inde emittitur lumen, clarè, ac manifeſte videmus, ipſum ſolem videre, ac noſcere nec quomodocunque poſſumus, & tamen nos eum videre haud falſo dictitamus : pari modo & angeli, & ſancti fulguris inſtar micantem ſpiritus gloriam intuentes, in ipſa & filium, & patrem cernunt. Non ita peccatores, & immundi. Illi enim cæcorum & nihil ſentientium ſimiles ſunt. Nam ut cæci ſenſibilis huius ſolis lumen fulgens non vident, ita ipſi divinum lumen ſemper lucens minime aſpiciunt, nec caloremeius ſentiunt. INTERROGATIO. Quid ergo corde & animo puri vident? RESPONSIO. Quia Deus lux eſt, & lux ſuprema ac nobiliſſima, aliud nihil niſi lucem vident, qui ipſum vident : quod patet eorum teſtimonio, qui viderunt faciem eius reſplendere ut ſolem, & veſtimenta Mat. 17. eius alba facta ut nivem. Et teſtimonio Pauli Apoſtoli, qui Deum lucem vidit, atque ad eius agnitionem Act. 9. converſus eſt : & ex aliis mille ſanctis. INTERROGATIO, Cur igitur, cum ſit æterna lux Deus, ſemperque luceat, non videtur ab omnibus? RESPONSIO. Quoniam à principio ita rem inſtituit

C Deus : ut nullam haberent communionem tenebræ cum lumine, nec impurus, & profanus cum puro, & ſancto. Quocirca etiam velut magnus hiatus, & Iſaia 59. murus peccata noſtra à Deo nos ſeparant ; præcipue cogitationes perverſæ, & ratiocinationes vanæ, atque inutiles quaſi murus excelſus nobis ſiunt, noſque a lumine vitæ diſſociant ac ſecludunt. Deus enim lux, & vita eſt : quo qui privati ſunt, mortui ſunt ſecundum animam : quibus cum aliis æterni ignis hæreditas, ac ſocietas debetur. INTERROGATIO. Ecquid illi, qui ad hanc metam non pervenit, ſalus deſperanda eſt? RESPONSIO. Cùm Dominus dicat. *In domo patris mei manſiones multæ* Ioan. 14. *ſunt*, planum fit, etiam vias ſalutis multas eſſe, quæ omnes in una via pœnitentiæ conſummantur, & per abſtinentiam à peccato ; ſive eleemoſynam, ſive peregrinationem, ſive quodvis aliud genus ſanctimoniæ, quo ad illa ſempiterna contendimus, mihi nomines.

D

E

# BASILII
# MONACHI
## PRESBYTERI ET PRÆFECTI LAVRÆ MALEINI,
## Aſceticæ vitæ deſcriptio.

F

### *QVORVNDAM ASCETICA, SIVE de Diſciplina Monachorum.*

OMNIS forma aſcetica aliter aliis convenit : ſiquidem non omnes æquè valentes ac robuſti, nec omnium eadem victus, ſtudiorumque ratio & modus : & nec verò iiſdem perturbationibus animorum, nec etiam æquè parum multumve omnes agitantur. Quocirca ordinem quendam aſceticorum operum univerſis ſimpliciter communem præſcribere, ac depingere difficile eſt. Ad ſingulorum enim, quos diximus, ætatem, regionem in qua vivunt, & naturæ conditionem, proprietatemque reſpicere, viciſſitudines, tentationum inſultus, animæque ſtatum & præſentem, & præteritum intueri, & ita unicuique ſacrum hoc certamen certantium laborum materiam proponere oportet. Verumenimvero in omni inſtituto aſcetico bene, hoc eſt, cum cognitione, & prudentia verſandum eſt : niſi poſt ſudores multos inertes adhuc, & marcidi velimus apparere.

G Etenim non circumſpicere quid nobis conducat ſpiritualium, corporaliumque pugnarum ſuſceptio, nec cum certaminibus corporeis cogitationes, commentationeſque ſpiritales coniungere, quantum fieri poteſt, hæc ignorantiam, faſtum, glorioſam de ſe opinionem, vagationem mentis, ac ſenſuum, & alia inſuper multa vitia progenerant. Corporalium porro certaminum opera ſunt ieiunium, vigiliæ, oratio, humicubatio, balneorum vitatio, nuditas, quies, ſilentium, meditatio, familiaritatum fuga, tum cogitationum, tum cæterorum deinceps omnium, uſque ad negligentiæ lapſum leviſſimum, & hauſtum aquæ ſincera confeſſio, omni veſpera totius diei, actorum, dictorum cogitatorum examen : rurſumque incipiente die, tranſactæ totius noctis diſquiſitio, conſtans labor manuum, & ante omnia ſollicitudinum ſuper fluxis, & caducis rebus, curarumque ſive illæ rationem habeant, ſive non habent, & reliquorum omnium, quæ cum his implicata ſunt, inanitas & amputatio. Porro corporalia non ita ſubtiliter, & minutè confiteri neceſſe eſt : neque ex compunctione ea accuratius ſcrutari, atque perpendere : conſueverunt enim admone-

H re voluptatis, & irritamenta, ac titulationes pariunt : quando hinc & affectione contingi, & ex ipſis recordationibus voluptate permulceri corpus ſolet. Spirituales autem cogitationes ipſa Dei cognitio eſt, cuius cauſa laborem omnem præmolimur : quæ quidem ex vera, & magna humilitate ducit originem, ex qua, & per quam, ut nonnulli ſentiunt, Deum quiſpiam cognoſcit. Cognoſcit autem, ſi ſeipſum terram, ac cinerem, & omnibus mortalibus, etiam manifeſtè, palamque ſceleratis, & omni generi vitiorum ſervientibus deteriorem ex animo reputat. Quod ſi non ita de nobis ſentimus, noſtra nos fallit opinio. Iam vero ſpirituales cogitationes ſunt, memoria mortis, & iudicii, & diſceſſus noſtri ex hoc corpore, in frangendis ſedandiſque turbidis motionibus, & peccatis devitandis cura & providentia, atque in cuſtodia ſen-

ſuum

A suum diligens animadversio, suo iudicio parum tribuere, nihil uspiam immoderatum, nihil elatum, nihil à prudentia alienum volutare. Commentationum autem spiritualium argumenta sunt ipsa rerum quæ cernuntur, quantum fas est, contemplatio, notio, comprehensio, Christi passionum memoria, eius œconomiæ præstantia, Dei, Angelorum, aliorúmque & intellectui, & sensui subiectorum consideratio, & quæcunque demum utilitatem habent.

Cæterum de differentia, & forma asceticorum ita disseramus licet. Institutum asceticum non simplex quiddam, & uniforme, sed varium, universorúmque rectè, & cum virtute factorum comprehensivum par est arbitrari. Quocirca ciborum abstinentiam, sollicitudinum, curarum, & familiaritatum vacatio comitetur: deinde solitudo, silentium, oratio, meditatio, vigiliæ, & omnino quæcunque corporeis contentionibus, ac certaminibus à viris spiritualibus B coniungenda, immiscendáque supra diximus; quibus accedat mensa brevis, & frugalis, indumentorum item, & calceamentorum raritas, ac vilitas; quod item de aliis, quibus corpus indiget, usque ad vasa, instrumentúmque domesticum intelligi volo. Vestis detrita, spiritus contritus, pedum & manuum occultatio, oculorum, aurium, reliquorúmque sensuum, ad perfectionem huius instituti consequendam refrenatio, & præterea congressionum declinatio.

Discrimina porrò ciborum, ac potionum sic habent. Quidam sale, & pane vescuntur, ignorantes, ut opinor, salem omnium maximè urinam genitalem procreare: quæ quo magis abundaverit, eo voluptaria illa perturbatio turbas maiores ciere solet, dum id quod collectum est, excernere ac profundere quærit. Idcirco usum salis, præsertim multi, quemadmodum etiam alimenti, ac potus, & aliorum quæ nobis per- C mittuntur usum immodicum cùm ob alia, tum ob causam à me prolatam repudiare, & cavere oportet. Ascetis itaque idonea, & congruentia nutrimenta sunt panis & aqua, aut etiam minuta & cruda olera. Sed in his etiam relinquenda, quæcunque admodum humida, & crassi succi, aut gustatu acria sunt. Huiusmodi siquidem semen generant, & libidinem accendunt. Stomacho autem infirmo, languentique olera cocta cum pane adhibenda, aceto etiam addito, & nonnunquam oleo. Quod si nihilominus in his concoquendis stomachus delassabitur, ad legumina cocta, & aliquando oleo tantum perfusa, pane omisso veniendum erit. Si rursum natura, & stomachus hæc conficere non poterunt, utendum erit oleo minimè valenti, & supra dictis, cum pane, sed mensura conveniente, ut panis quidem unciæ sumantur sex, totidem leguminum, aut olerum: diligentia naturam adiuvante videlicet. Quanquam & in his quæ succum crassiorem, & inflationem habent, quia sangui- D nem, & semen efficiunt, reiici debent. Cui rei vitandæ, etiam parciore potu necessario utimur. Semel in die corpus cibo reficere, mensura circumscripta ac definita, commodum, & utile est. Bonum item bis, ter, quater, & sæpius, si ratio ita postulet; ut in morborum vehementia, aut aliqua alia de causa. Veruntamen quomodo in una, sic in cæteris refectionibus fugienda est saturitas. Hoc quoque sciendum, pervigilare, & sitim tolerare, castitatis esse adminicula exploratissima. Sed hæc omnia probè struuntur, & aptantur, si voluntas, mansuetudo, humilitas, subiectio præstructæ sint. Vigiliarum porrò hæc est ratio. Statim adveniente nocte instituenda pervigilatio ad horas duas, & audita hora octava surgendum. Hunc terminum transilire monachos non decet. Alij usque ad tertiam, quartam, quintam ante matutinam synaxin, & nonnunquam per totam noctem extendunt vigilias, præcipuè quibusdam festis, aut publicis ad sacra celebranda die sequenti futuris conventibus. Matutino autem somno E secundum synaxin abstinent, quandoquidem ille monachismo non est consentaneus. Similiter & à meridiano temperant; quoniam sedare, & comprimere vitiosos affectus, & castitatem tueri volentibus id mirificè conducit. Et quando per æstatem modicè meridiantur: quod & alio tempore faciunt, si necessitas urgeat; etenim ad nocturnas vigilias somnus de prandio, sive meridiatio, hortatrix quædam, & adiutrix est. Opera autem cupide vigilantis sunt, oratio, statio sine acclinatione, & vagatione aspectus, versiculorum recitatio, crebra genuflexio, perscrutatio, & examen cogitationum, profusio lacrymarum, tum ex contritione spiritus, tum ex consideratione eorum, qui ante nos certaverunt, observationéque, quantum & quam egregie illi in virtutibus profecerint, & quantopere nos careamus bonis omnibus. In F vigiliis autem secundum prandium laudatur opus aliquod manuum, & labores alij corporales, oratio item & meditatio.

De quiete, cæterisque proprietatibus statuum virtutis hæc dicimus. Quietis meta ac scopus est, perfecta ab hominibus, à sollicitudinibus cuiúsque rerum pereuntium secessio atque seiunctio, ut nec videas quenquam, nec videaris à quoquam; præsertim temporibus quibusdam constitutis. Etenim aspicere, & aspici quietem impediunt, atque confundunt. Diebus reliquis ascetam decet usque ad nonam, aut sextam, minimum ad tertiam horam extra cellam pedem non efferre: nec pati ab ulla re hoc tempus sibi imminui; nisi spirituale quippiam, & necessarium ita exegerit. Quod si quem ministrorum vocare opus fuerit, signo ex composito id fiat, paucísque cum eo colloquatur. Si denuò necessitate aliqua prorsus compellente è cella prodierit, studiose curet, uti silentium servet, apud se sit, internæ meditationi vacet, G subtristis sit, & animo suo moderetur. Sed ista cogitet, dum adhuc intra cellam est, dum ad Ecclesiam vadit, dum illam ingreditur. Dum porro egreditur, quam citissimè cellam repetat, nec ullius causa redeat, etiamsi inconsiderati, & inepti quidam ei molestiam facessant. Omnia quæque dicit, quæque facit, cum mansuetudine, & lenitate, ac sine distractione dicat, & faciat: etiamsi nonnulli imperiti ad indignationem eum impellant. Est quoque in rem ascetæ etiam solum pœne semper cibum capere, & celerius à mensa surgere. Facilè se immiscere, sive crebro omnibus se ingerere, magnam vim malorum complectitur. Communem autem cum aliis mensam non abrumpere; ne nondum satis exempta fame cogantur surgere, qui accubuerant, cum viribus imperfectè revocatis, prætérque voluntatem suam, & sententiam. Nec tamen plusquam decorum est, eam producere: id enim affectum non laudabilem, & delicias sapit. Turba H interdum super mensam excitata, festinare eam comprimere atque componere, repentéque surgere, & ad cellam mox se recipere. Quod idem aliis temporibus commota discordia, & litibus facere oportet. Sit ergo asceta consideratus, consultus, attentus, non insolens, sermone suavis, moribus simplex, patiens, in prosperis, & adversis semper imperturbatum animi statum æquabiliter conservans: hæc quidem ut sibi propria, illa tanquam à Dei misericordia sibi donata suscipiens; ut nec gloria gestiat, nec tribulationibus concidat. Timeat nihilominus, ne fortè rebus ad voluntatem procedentibus negligens, audiat: *Récepisti bona in vita tua.* Omnes igitur verbo, & factis honoret illisque ad genua, & pedes se prosternat, singulari amore universos amplectatur, omnibus assurgat, semet ipse accuset, mitis sit, bona sua libenter cum aliis communicet, sit etiam acer, gravis, & inexorabilis, cùm res ipsa poposcerit. Ab omnibus se abstineat, & ad omnes accedat; in sermone cautionem adhibeat, séque ipsum diligenter observet, loquatúrque cum charitate, benignitate, consolatione aliorum, quantum fieri poterit. Inspiciat insuper, & perpen- *Luc. 16.*

dat studia, modum institutionis, quidque secundum rationem, quid contra fiat, quid affectus mali, quid ira, quid mansuetudo, & quæcunque talia in quibus efficiant, ut cum unoquoque commodè, congruentérque agat.

Hoc quoque non ignorandum, de quo me fugit supra differere. Post matutinam, aut vespertinam synaxin, antequam in cellam suam se conferat, maximè cui commissus est fratrum cœtus, de necessariis interrogantibus modestè respondeat. Reliquum diei & noctis eo modo, quo docuimus, transigat: conducit enim asceta intus sedere. Hora tertia, aut sexta licitum est ei post prima certamina cum omnibus ad Ecclesiam accedere, propter diligentiam, & observationem ordinis, ac psalmodiæ, quæ ab ipso requiruntur, & reliquam disciplinam præstandam. Hoc porro etiam cum silentio, custodiaque sensuum fiat. Solent namque formæ, & species per hæc animis vt libro impressæ, data occasione, certatores ad se meditandas, versandásque impellere, quod periculosum ac perniciosum est.

# IOANNIS CARPATHIORVM EPISCOPI AD MONACHOS EX INDIA, EORVM Rogatu, capita hortatoria LXXXII.

*CAPITA ISTA HORTATORIA HIC prætermissa sunt cum iam reperiantur in hac eadem Bibliotheca nempe Seculo septimo pagina 535. & sequentibus.*

## *EX CAPITIBVS THEODORI Edesseni.*

### I.

SANE quidem quantum in nobis est, ad conficienda Dei mandata nosmet ingeramus, compellamúsque; ne malarum cupiditatum, ac voluptatum exitiosarum, catenis insolubilibus constringamur, & de nobis quoque eadem, quæ de ficulnea infructuosa sententia feratur; *Excide eam, ut quid etiam terram occupat: Omnis enim arbor, quæ non fecerit fructum bonum*, inquit, *excidetur, & in ignem mittetur.* (Luc. 13. Mat. 3)

II. A cupiditatibus, & blandimentis superatus, & in mundo vitam vivens, celeriter in retia peccati incidet. Peccatum autem semel receptum admissúmque, ignis est in stipula, lapis deorsum vergens, torrens transitus dilatans, & huiusmodi alia, quæ de eo cantantur: & quem subegerit, ei perditionem omnimodis adducit.

III. Anima quamdiu præter naturam suam agrestis est & effera, voluptatibúsque velut spinis obsita, ferarum monstrosarum domicilium est, iuxta illud; *Quoniam ibi requiescent onocentauri. Ibi nidificavit ericius*, & occurrent dæmonia onocentauris: quæ sunt diversæ passiones ignominiæ. Vbi verò in statum naturæ suæ convenientem revocata fuerit (potest enim quando voluerit, diligenti labore, dum carunculæ huic copulata est, seipsam cicurare, atque ut latis à Deo legibus consentaneum est, vitam traducere) quæ prius in ea versabantur feræ diffugiunt, nostræ autem vitæ custodes adveniunt, ob conversionem huiusmodi diem lætitiæ agitantes: & sanctissimi Spiritus gratia adest, ipsam docens, quo pacto tuta sit in bono, & ad meliora gressum promovere queat. (Isa. 34.)

IV. Vt affectus, sive passiones ne turbent animam, eámque præliabundæ ne adoriantur, in nostra quidem potestate situm non est. Vt illæ cogitationes in animis nostris ne immorentur, & de nobis passiones triumphent, hoc situm est. Prius igitur, quatenus in nobis non est, peccato caret. Alterum, si fortiter resistamus, & vincamus, coronas conciliat: sin præ lentitudine, & ignavia herbam porrigamus, supplicium creat.

V. Tres sunt principes passiones, è quibus cæteræ progignuntur omnes, amor voluptatis, pecuniæ, honoris seu gloriæ; quas sequuntur alij quinque spiritus nequam. Inde magnum passionum existit examen, & genera vitiositatis quam plurima. Qui igitur tres illas duces ac principes devicit, eodem labore alias quinque pessumdedit, ac deinde universas passiones subiugavit.

VI. Quæcunque affectibus non probis succumbentes egimus, eorum etiam ipsæ recordationes animam non sine affectu disturbant. Cum autem etiam affectibus istis implicitæ cogitationes ex animo penitus deletæ fuerint, vt amplius eam non attingant, id argumento est, peccata priora remissa esse. Quandiu namque anima motibus vitiosis concitatur, eius subiectio significatur, & peccati in eam dominatio patet.

VII. Affectus circa res corporis nostri, & materia constantes, per afflictationes corporis minui, & marcescere solent. Qui autem animæ proprij, & occulti sunt, per humilitatem, mansuetudinem, & charitatem evanescunt.

VIII. Concupiscentiam enervat cum humilitate continentia: iram effervescentem lenit, ac mitigat charitas; cogitationes vagas, ac dissipatas orationum ferventium crebritas cum memoria Dei congregat. Atque ita tripartita animæ vis, & facultas purgatur. Quam ad integritatem suam reducens divinus Apostolus; *Pacem*, inquit, *sequimini cum omnibus, & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum.* (Hebr. 12)

IX. Dubitatum est à nonnullis, vtrum cogitatio excitaret affectionem, an affectio cogitationem, quod quidam hoc, alij aliud affirmarent. Mea sententia est, affectionibus cogitationes cieri. Nam si affectiones in anima non essent, earum cogitationes ipsas non commoverent.

X. Cum degentibus in mundo, & res cum tempore labentes, vnde passiones existunt, tractantibus, dæmones bello practico luctantur. Iis autem qui in locis solis; & desertis habitant, quia ibi nulla rerum copia, per cogitationes molestiam, ac turbas facessunt. Pugna porrò posterior priore multo est laboriosior, ac difficilior. Nam quæ in rebus committitur, & tempore, & loco, & opportunitate indiget. Ast animi pugna facilè incipitur, difficulter sedatur: nulla interposita requie insidias tendit, & oppugnatum lacessit. In huiuscemodi lucta quæ oculos fugit, oratio pura nobis data est propugnatrix: vnde & perpetuitas eius lege præscripta est, vt quæ etiam citra corpus præstari queat: animum siquidem ad certamen istuc sub aspectum non cadens firmum, validúmque reddit. (Luc. 18.)

XI. Absolutam passionum mortificationem sanctus Apostolus illis verbis declaravit, *Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentiis.* Cùm enim passiones mortificaverimus, & concupiscentias sustulerimus, & prudentiam carnis spiritui subiecerimus, tum accepta cruce Christum sequimur. Institutum quippe anachoreticum nihil est aliud, quam passionum mortificatio, & vitæ in Christo absconditæ manifestatio. (Galat. 5. Coloss. 3. Rom. 7.)

XII. Quià rebellione corporis mortis huius ærumnose habentur, & bello adversus ipsum in horas fatigantur atque lassescunt, non carnem, sed semetipsos (Rom. 13.)

accusent.

A accusent. Nisi enim ipsimet vires ei addidissent, curam eius facientes in desideriis, non sic ab ea vexarentur. An non vident, quomodo qui eam crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentiis, & mortificationem IESV in corpore suo circumferunt, adiutricem potius ad virtutem, Deique legi cedentem, & obtemperantem, quam adversariam, & oppugnatricem habeant? Sic igitur ipsi quoque faciant, & eadem requie perfruentur. Nam iuxta proverbium, δὸς αἷμα καὶ λάβε πνεῦμα, da sanguinem, & accipe spiritum. 1.Cor.4

XIII. Omnis contentio rationis in aliquam interdictam cupiditatem, sive nutus, seu inclinatio voluptatis, peccatum est monacho. Primum enim cogitatio incessit, per partem passioni obnoxiam mentem obscurans. Deinde anima non reluctans, sive luctam non sustinens, ad voluptatem propendet, ac de cætero contentio dicitur, quæ, vt diximus, peccatum est. Ac si duret diutius, passionem, quæ dicitur, commovet:

B deinde pedetentim ad ipsum opus actione perpetrandum venit. Ideo beatos nominat Propheta, qui parvulos babylonios allidunt ad petram. Quod exemplum prudentes, & cordati satis intelligunt. Psal.136.

XIV. Angeli cum charitatis, & pacis ministri sint, super nostra pœnitentia, progressuque ad virtutem gaudent. Hinc nos spiritualibus implere visionibus student, & ad omne opus bonum sese adiutores præbent. Contra, dæmones cum sint fabricatores nequitiæ, virtute in nobis imminuta lætantur, conatúmque adhibent, vt animam nostram in fœdas rerum imagines inflectant.

XV. Sicut qui sano, & integro sensu corporis præditus, novit a quo morbo corpus ipsum occupetur: qui autem non novit, stupore laborat: sic nimirum etiam mens, quamdiu efficiendo valet, quid possit novit, & scit unde in se passiones violentius penetrent, atque in illa parte pugnam acrem molitur. Per-

C inertem autem, si absque sensu & stupida dies conterit, similis in tenebris nocturnis pugnanti, dæmonúmque machinationes non videnti.

XVI. Fides est mente conceptum bonum. Ea timorem Dei nobis ingenerat: timor autem Dei mandatorum observationem docet, quæ practice dicitur. Ex practice beata apathia germinat: cuius stirps est charitas, omnium mandatorum plenitudo, quæ ipsa complectitur, & continet.

XVII. Anima humana, secundum Gregorium Theologum, tripartita est. Constitutam igitur in rationali parte virtutem, prudentiam, & intelligentiam, & sapientiam vocat. In irascente, fortitudinem & patientiam. In concupiscente temperantiam, & continentiam. His omnibus asperta est iustitia apte, & convenienter operari faciens: & per prudentiam quidem cum adversariis potestatibus pugnans, ac pro virtutibus propugnans: per temperantiam verò sine per-

D turbatione res intuens: per charitatem homines universos, vt seipsum diligere suadens: per continentiam voluptatem omnem amputans: per fortitudinem demùm, & patientiam ad pugnas invisibiles obarmans. Hæc animæ bene sonantis organi harmonia, sive concentus est.

XVIII. Qui temperantiæ studet, & beatam castitatem comparare desiderat, (quam qui apathiam nominabit, non errabit) cum humilitate cordis divina implorata gratia, carnem comprimat, & in servitutem redigat, & quod concupiscit habebit. Qui autem intemperantia ciborum farcit corpus suum, a fornicationis spiritu vellicabitur. Quemadmodum enim multa aqua flammam ignis extinguit: sic carnis, & turpis alicuius phantasiæ incendium, ardorémque fames cum animæ humilitate coniuncta delet.

XIX. Qui Christum diligis, ab anima tua iniuriarum memoriam penitus exclude, nec ullo modo des locum odio. Nam quod est ignis ardens in lini calamo, hoc in corde latens iniuriarum recordatio. Quin immo ora ferventer pro eo, qui tibi molestus fuit: & si quid manus tua invenit, bene illi facito, vt liberes animam tuam à morte, & in tempore orationis tuæ liberè audeas loqui. E Mat.5.

XX. In animabus humilium requiescet Dominus: in cordibus autem superborum passiones ignominiæ; quas quidem nihil æquè adversus nos corroborat, vt cogitationes elatæ: & nihil tam ex anima herbas malas eradicat, vt sancta humilitas: vnde & passionum interfectrix iure appellata est. Marc.11

XXI. A pravis cogitationibus anima tua munda sit, & optimis illuminetur. Ne unquam effluat tibi ex animo quod dictum est, cor voluptatis cupidum, esse retinaculum, & catenam è corpore exituræ animæ. Laboriosum autem & industrium, portam apertam. Revera enim puris animabus corpore excedentibus angeli duces fiunt, ad vitam beatam eas perducentes. Sordidatas contra, & impœnitentes, heu mihi, dæmones abripient. F

XXII. Vide ut excandescentiam, & iram in te manere neutiquam sinas. Vir enim iracundus, inquit, non orat: in cordibus autem mansuetorum requiescet Dominus. Quod si affectus iræ animo tuo dominabitur, meliores te invenientur, qui in mundo vitam degunt.

XXIII. In quavis tentatione, & in omni bello oratio tibi semper præstò sit, ut arma inexpugnabilia, & Christi adiuvante gratia victor evades. Sit autem pura, quomodo sapiens magister nos admonet. Inquit enim; *Volo enim viros orare in omni loco, levantes puras manus, sine ira, & contentione:* qualem orationem qui negligit, tentationum, passionúmque deditius est. 1.Tim.2.

XXIV. Dies festos haud potationibus, sed renovatione mentis, & animæ puritate transigendos cogita. Quod si ventri servias, & poculis indulgeas, eum ad iram provocabis, qui festorum dierum primus auctor est. G

XXV. Qui fovet serpentem in sinu, & qui cogitationem malam in corde, ambo moriuntur: ille aculeo venenato percussus in corpore: hic in animum immisso veneno mortifero. Verùm genimina viperarum ne cunctemur occidere: & perversas cogitationes in corde ne patiamur, ne acerbè cruciemur.

XXVI. Bonum, & breve caput à quodam audivi, cùm diceret: nihil eorum quæ purgant corpora, postea simul est cum purgatis. Virtutes simul purgant animam, & cum ea simul permanent.

XXVII. Pulchra omnino, & speciosa (si modo cum terminis, & legibus consentiat, quas principes, & duces eius à sancto Spiritu docti posuerunt) monachorum viuendi ratio. Militem enim Christi sollicitudine vacantem, & cum rebus caducis nihil rei habentem, & ab omni cogitatione, actionéque mundana planè liberum ac solutum esse oportet, iuxta verbum Apostoli, *Nemo militans Deo, implicat se negotiis secularibus ut placeat ei, cui se probavit.* Necesse est igitur monachum à rebus fluxis, & labentibus alienum esse, nec vlla voluptate titillari, aut cupiditate commoveri, mortificatum, non sectantem delicias, non temulentum, non segnem, non pigrum, non pecuniæ, non gloriæ cupidum. Nam nisi quis se ab his exemerit, angelicæ illius vitæ cursum tenere haud poterit. Qui verò pro eo atque convenit in ea versantur, iis iugum istuc suave, & onus leve est, divina spe ipsum levante videlicet. Prorsus istiusmodi vitæ curriculum suave, actio delectabilis, pars bona est, & ab anima, à qua possidetur, nunquam auferetur. H 2.Tim.2 Mat.11. Luc.10.

XXVIII. Varios ac sumptuosos cibos, deliciásque mortiferas noli concupiscere. *Quæ enim in deliciis est*, inquit, *vivens mortua est.* Quin & ipsam parabilium saturitatem repudia, si potes: quandoquidem à saturitate ventris cavere iussi sumus. 1.Tim.5. Luc.21.

XXIX. Dum in cella tua quiescis, facies, ne sessio tua ratione careat, & otij plena sit. Nam qui incautè

ambulat

ambulat, eius labor inanis est. Potius aliquid non inutile operare. Collige animum tuum. Memento diei supremi. Cognosce vanitatem mundi, quam sit fallax, quàm infirma, quàm nihili. Cogita de tremore coram ratiocinatore horribili: & quo pacto acerbi exactores speciatim nobis obiecturi sint actiones nostras, verba, & cogitata, quæ ipsi suggesserunt, nos autem admisimus. Memento etiam suppliciorum apud inferos, & quo in statu sint illic conclusæ animæ, in quali timore, in quali exspectatione. Pone item ante oculos magnum illum, & terribilem diem, quo ad unum omnes resurgemus, vltimámque sententiam, & iudicem, cui verba dari nequeunt. Reputa tecum pudorem, qui peccatores occupabit, dedecus, conscientiæ accusationem, & quale sit, expelli à Deo, & proiici in ignem æternum, in tenebras exteriores, vbi fletus & stridor dentium. — Mat. 8. — Tum quoque alia pœnarum genera omnia indagare ne desinas: & lacrymarum flumine irriga genas tuas, vestes, locum in quo sedes. Vidi certè huiusmodi considerationibus multos non mediocrem lachrymarum copiam elicuisse, & laudabilem maximè luctum acquisisse, omnesque facultates animæ mirandum in modum purgavisse.

XXX. Quietem sectantibus, viuendi norma legibus definita est, nempe ieiunatio, quantum vires ferunt, humicubatio, & omne genus afflictio, propter futuram requiem. Ait enim Apostolus, *Non sunt condigne passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* — Rom. 8 — Præcipuè autem, & inprimis oratio pura, & propemodum nunquam interrupta, nunquam cessans. Hæc murus est securitatis, portus tranquillus, virtutum custodia, fatigatorum requies. Oratio lugentium consolatio, cum Deo collocutio, invisibilium visio, eorum quæ expetuntur certitudo, angelorum vita, ad bona cohortatio, a malis dehortatio, rerum sperandarum substantia. Hanc tu virtutum reginam, vir religiose, apprehende totis viribus, & ora dies atque noctes, seu lætus es, seu tristis es. Ora autem cum timore, ac tremore, sobrio, & vigilanti animo, vt oratio tua Domino sit acceptabilis. *Oculi enim domini super iustos*, inquit, *& aures eius in preces eorum.* — Ps. 33. —

XXXI. Perfectum odium, quod Davidicus sermo docet, — Ps. 138. — est odisse dæmones, tanquam salutis nostræ adversarios atque hostes: & istuc ad virtutem exercendam magno est adiumento. Quis igitur est, qui perfecto odio oderit inimicos, vt nec opere, nec cogitatione peccet? Quandiu enim vasa, seu instrumenta amicitiæ ipsorum, id est, causæ passionum, in nobis fuerint, quonam pacto illos vt debemus oderimus? Cor quippe ad voluptates propensum, hoc odium apud se alere non potest.

XXXII. Vestis nuptialis est apathia rationalis animæ, quæ ab omni mundana voluptate aliena, omnes vitæ concupiscentias abnegavit: cogitationibus autem divino amore plenis, meditationéque purissima visionum lucidissimarum collustrata est. At mens passionibus desiderij suffocata, & in his occupata, veluti pannis laceris ac sordidis induta, fit despicabilis. Nam & ille, qui manus & pedes vinctus, & in tenebras exteriores proiectus est, ex talibus cogitationibus, & actionibus contextum indumentum gestabat. Quem rex cœlestis divinis illis, immortalibusque nuptiis indignum pronuntiavit. — Mat. 22. —

XXXIII. Si castitatem amas, abstinentia escarum afflige, & doma carnem tuam & orationi puræ deditus, iram & furorem procul abs te repelle. Puritatem porrò mentis obtinere desiderans, vigiliis, divinarúmque scripturarum meditationi vaca, & Spiritus sancti verba ne deficiant in ore tuo.

XXXIV. O fugiamus philautiam, seu nimium amorem sui, qui omnia odit, meritò sapiens quidam dixit. Primum enim hoc omnium, & grave bellum, & instar cuiusdam Tyranni in cogitationibus nostris exiit. Post quod illa tria, & quinque alia (de quibus suprà) animam nostram dilacerant.

XXXV. Miror, si quisquam epulis distentus, apathiam possit acquirere. Apathiam verò intelligo, non abstinentiam à peccato, secundùm opus, hæc enim continentia dicitur; sed illam, quæ in mente cogitationes cum passione coniunctas radicitus extirpat, quam & puritatem cordis appellitamus.

XXXVI. Si quis voluerit stare adversus insidias diaboli, — Eph. 6. — easque irritas, & inanes reddens, & divinæ gloriæ particeps fieri, Dei opem, & auxilium lacrymis, & gemitibus, & insatiabili desiderio, ferventique animo die ac nocte exposcere debet. Quo qui potiri vult, animam suam ab omnibus vitæ blandimentis, malisque cupiditatibus, & omnibus passionibus expeditam, & immunem efficiat. Nam de huiusmodi animabus dictum est a Deo, *Inhabitabo, & inambulabo in eis.* — 2. Cor. 6. — Et, *Qui diligit me, mandata mea servat, egoque & pater ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* — Ioan. 14. —

XXXVII. Qui oppugnantes, & obturbantes se passiones instar pugilis decertando vincere, & exscindere contendit, plures armatos, & auxiliarios secum ad pugnam educat; nempe humilitatem animæ, & laborem manuum, & reliquam omnem defatigationem, seu mortificationem asceticam, & procedentem ex afflicto corde cum multis lacrymis orationem, quemadmodum psallit David, *Vide humilitatem meam, & laborem meum, & dimitte omnia peccata mea.* — Ps. 24. — Et alibi, *Auribus percipe lacrymas meas.* — Ps. 38. — Et, *Fuerunt mihi lacrymæ mea panes die ac nocte.* — Ps. 41. —

XXXVIII. Adversarius, & inimicus vitæ nostræ insidias nobis struens, ratiocinationibus quibusdam elevat, & extenuat peccata nostra, eorúmque sæpenumero oblivionem inducit: ut paulatim laborem remittentes, lapsus nostros non reputemus. Et quamvis admissa per pœnitentiam condonata nobis existimemus, semper tamen ea memoria retineamus, ac lugere non cessemus: ut humilitatem contubernalem bonam perpetuò habentes, vanæ gloriæ, & superbiæ laqueos evadamus.

XXXIX. Etiam hoc te Christi amantem non lateat, unam passionem, ubi locum apud te inuenerit, & in habitum radices egerit, solere in idem stabulum alias quoque introducere. Et quanquam passiones, earúmque concitatores diaboli sæpe invicem adversantur, tamen exitium nostrum omnes concorditer, & consensu quærunt.

XL. Cùm fratres ad nos venientes suscipimus, ne id turbas, & quietis amissionem interpretemur, ne charitatis vinculo excidamus. Nec illos ita suscipiamus, quasi ipsis gratiam præstemus; sed quasi ipsi potius in eo gratiam suscipiamus, & ad hoc obligati simus, rogantes, & hilariter hospitio eos accipiamus, sicut Abraham Patriarcha fecit. — Gen. 18. — Idcirco & Ioannes Theologus ita nos docet, *Filioli, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere & veritate.* Et rursum, *In hoc cognoscimus, quod ex veritate sumus, &c.* — 1. Io an. 3 —

XLI. Patriarcha Abraham, quoniam opus hospitalitatis exercebat, & mensam apponebat indiscriminatim planè omnibus, piis atque barbaris, dignus est habitus, qui angelos, & in ipsis universorum Dominum admirabili, & inaudito exemplo convivas acciperet. Quare nos similiter hospitalitati perstudiosè, alacritérque demus operam: ut non angelos modò, verùm ipsum quoque Deum recipiamus. Etenim, *Quandiu*, inquit Dominus, *fecistis uni de his minimis, mihi fecistis.* — Mat. 25. — Omnibus igitur benefacere bonum est: sed iis præcipuè, qui beneficio respondere nolunt.

XLII. Quem cor suum non reprehendit propter mandatum Dei prætermissum, aut negligentius curatum, aut propter cogitationes parum bonas, hic est puro corde, & dignus qui audiat, *Beati mundo corde.* — Mat. 5. —

XLIII. Sicut unguentum pretiosum, tametsi in vase, seu pyxide reponatur, nihilominus suavi expiratione sua aerem inficiens, non solùm propè astantes, sed vicinos omnes voluptate suaveolentiæ permulcet,

ita

A ita virtutibus præditæ, ac Dei amantis animæ fragrantia, per omnes corporis sensus dispertita, intuentibus repositam intus virtutem ostendit: Quis enim videns linguam nihil absonum, & ineptum loquentem, sed quidquid audientibus prodesse possit, oculos depressos, aures nihil leuium cantionum, verborúmque admittentes, pedes compositè ac decenter incedentes, vultum risu haud diffusum, ad luctum autem, & lachrymas paratum magis, quis, inquam, ista videns non cognoscat multam intus latentem virtutum suaveolentiam? Idcirco & Salvator ait, *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cælis est.* Mat. 5.

XLIV. Cùm passiones nos atrocius exagitant, & iugum nobis imponunt, frequenter nobiscum dubitamus, cur ista patiamur. Sciendum igitur, quia divinis contemplationibus affixi, & occupati non sumus, eiusmodi nos tyrannide opprimi, & captivos duci. B Nam si quis mentem suam Domino, ac Deo nostro sic affixerit, vt ab eo abstrahi nulla vi possit, fidelis est Salvator ipse omnium, ut animam talem ab omni servitute pravarum motionum liberet, iuxta verbum illud Prophetæ, *Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi, ne commovear.* Ps. 15. Quid porrò dulcius, aut tutius, quam habere Deum semper à dextris, regentem & custodientem nos, nec sinentem commoveri? Quod quidem vt assequamur, in nobis situm est.

XLV. Præclarè à patribus dictum, & dici aliter non potest, hominem alia via non inventurum requiem, nisi sic apud animum cogitet, se, & Deum in mundo solos esse, & mente alibi nusquam vagetur; sed illum solum concupiscat, illi soli inhæreat. Talis veram requiem, & a passionum tyrannico dominatu, libertatem inveniet. *Adhæsit*, inquit, *anima mea post te.* Ps. 62. Sin me Philantia invaserit, ex anima Dei memoriam expellit: omnium quippe malorum parens est. C Dei memoria deficiente, non mediocris passionum strepitus, ac tumultus in nobis exoritur.

XLVI. Qui philautiam è corde suo radicitus evulsit, facilè etiam reliquis perturbationibus Deo adiuvante, imperabit. Ex ea siquidem ira, tristitia, iniuriarum tenax memoria, studium voluptatis, immoderata lætitia, verborum licentia progenerari consueverunt, quando ab illa devictus, etiam reliquarum servus est. Philautiam autem nominamus, passioni obnoxiam ad corpus affectionem, ut appetitibus carnalibus satisfiat.

XLVII. Quem quis amat, ei perpetuò, & omninò quam coniunctissimè adesse desiderat, & omnia quæ ipsum à colloquio, & permansione apud dilectum prohibere queunt, aversatur ac refugit. Certum est igitur, etiam qui Deum amat, optare semper cum eo esse, & habere cum illo consuetudinem: id quod nobis per puram orationem contingit, ad quam incumbendum pro viribus, illa enim nos Domino familiares reddere D solet. Eiusmodi erat qui dicebat, *Deus Deus meus, ad te de luce vigilo Sitiuit in te anima mea.* Ps. 62. Vigilat enim mane ad Deum, qui mentem ab omni vitio procul abducit, & divino amore continenter vulneratur.

XLVIII. Ex continentia, & humilitate apathiam, ex fide cognitionem nasci didicimus: ex quibus ad discernendum, & ad Deum contemplandum anima proficit. Divina autem charitate in sinum collecta, alis puræ orationis ad eius altitudinem sine cessatione ascendit: donec *occurrat in agnitionem filij Dei; in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi*, ut ab Apostolo scriptum est. Ephes. 4.

XLIX. Hoc primum nobis certamen est, minuere passiones, & vi summa eas debellare. Secunda pugna, virtutes comparare, & non sinere animam nostram inanem, atque otiosam esse. Tertium stadium spiritualis itineris est, sobriè, vigilantérque custodire, quæ collegimus.

L. *Finem sermonis pariter omnes audiamus*, inquit Ecclesiastes. *Deum time, & mandata eius observa: hoc est enim omnis homo.* E Eccl. 12. Ego, inquit, summariam, & compendiosissimam tibi salutis viam monstrabo, *Deum time, & mandata eius observa.* Timore, non quem supplicia in animis excitant: sed perfecto illo, & qui perfectos facit: quem propter præcipuum quendam amorem erga eum qui hoc iussit, habere debemus.

## Ex vita Sanctæ Syncleticæ.

### I.

QVi prius per vitam in actione positam altiùs non ascendit, eum ad alios docendos aggredi periculosum est. Sicut enim si quis in domum ruinosam susceptis hospitibus, eius casu damnum grave afferat: sic isti, cùm semet antea non tutò, ac bene ædificarint, etiam ad se disciplinæ causa ventitantes secum F perdunt. Oratione enim ad salutem capessendam illos advocant, morum autem improbitate, quos ita congregarunt, potius lædunt. Nuda enim verborum doctrina, & institutio picturis, quæ vitiosis coloribus constant, ac brevissimo tempore afflatu ventorum, & aspersione pluviarum abolentur, similis est. At verò doctrinam quæ exemplum coniunctum habet, nullius ævi longinquitas obscuraverit, ac deleverit. Dum enim sermo talis firma, & solida in animum insculpit, ea fidelibus pro monumento sempiterno largitur.

II. Si in cœnobio vivis, cave locum mutes: id enim tibi detrimento magno futurum est. Quemadmodum enim avis ova deserens, ova illa irrita, & in fœcunda efficit: sic monacha, aut monachus de loco in locum transiens, refrigescit, & fidem mortuam gerit. G

III. Nec panem usque ad saturitatem comedas, nec vini potum appetas.

IV. Tria sunt prima, & præcipua inimici nostri capita, è quibus omnis improbitas enascitur, cupiditas, voluptas, tristitia sive ægritudo. Ex uno hæc pendent. Ac voluptas quidem mediocriter subigi, domarique potest: cupiditas neutiquam. Nam illa per corpus exercetur; hæc ab animo incipit: ægritudo ex ambabus paratur. Ne itaque cupiditatem operari sinas, & reliqua nihil agent. Sin primum foras proferre caput permiseris, cum secundo confusum, negotium tibi facesset. In orbem enim reciprocantia, respirare, & erigi animam collapsam non patiuntur. Scriptum est enim, *Ne des aquæ exitum*, quoniam difficile retineri potest. Eccl. 25.

V. Non omnia prosunt omnibus: unumquodque ab unoquoque circumspiciatur, ac certò, quantum valeat, cognoscatur. Nonnullis conducit viuere in cœnobio: nonnullis potius in solitudinem secedere. Vt enim plantæ quædam locis humidis, quædam siccis melius crescunt: sic & hominum quidam in locis H altioribus fœlices sunt: quidam in humilioribus conservantur.

VI. Est ascesis secundùm Deum, est etiam quam contendit inimicus, quámque discipuli eius sequuntur. Quo igitur pacto divinam, & regiam à tyrannica, & dæmonica internoscemus? Sine dubio ex proportione. Iuvenis es, & corpore sano? ieiuna, vigila, labora: obrepit enim cum imbecillitate senectus. Quandiu potes, thesaurum collige, vt cùm amplius non poteris, collectum invenias.

VII. Qui in mundo leges frangunt, in carcerem coniiciuntur, quamvis nolentes: at nos propter peccata nostra nosmetipsos carceri includamus; ut quod hìc sponte perferimus supplicium, per id ab horribili pœna in futuro sæculo liberemur.

VIII. Ieiunas? ne morbum simules: nam qui non ieiunant, eadem solent fingere.

A IX. Si bonum cœpisti, ne retrocedas, cùm te inimicus progressu arcere voluerit, tua enim patientia destruetur. Etenim qui se pelago commiserunt, primùm quidem ventos secundos sortiti, velorum sinus pandunt: pòst, si venti surgant contrarij, non ideo nautæ navim à cursu detorquent: sed ubi paulum quieverunt, aut etiam contra adversantem procellam nitentes, navigationem continuant. Ita nos quoque, si venti adversi inciderint, crucem veli loco expandentes, absque metu navigare pergamus.

X. Dicebat item admiranda illa fœmina, consecratas Deo animas sollicitudine carere nunquam debere: iis enim maximè se opponit inimicus. Nam & quiescentibus ipsis fugit, & victus contristatur: paulúmque recedens, observat, quando paululum obdormiant: & ita invadit: ac per quæ securum se quispiam arbitratur, per ea ipsa illum evertit, ac prosternit. Sicut namque impossibile est hominem non habere scintillam saltem honestatis: ita contrarium in B bonis reperitur. Pugnantium quippe inter se bonorum, & malorum pars quædam in partibus adversariis est. Sæpe igitur homo omni turpitudine cinctus, omnique intemperantia involutus est, attamen eleemosynas confert, & cum bonis habet commercium. Alij de perfectioribus temperantiam consectantur, ieiunium, & quæ in ascetico vivendi genere laboriosiora sunt: sed fortasse iidem sunt tenaces, aut obtrectatores. Itaque parva, quasi non possint nocere, contemni non debent: quando & lapidem diuturnius stillicidium atterit, & imminuit. Maxima ergo bonorum quæ inter homines visuntur, à divina gratia in eos proficiscuntur: quæ autem parva videntur mala, per nos ipsos repellere docti sumus. Qui ergo magna, Dei gratia adiutus, devicit, modica autem vilipendit, insigne damnum accipiet. Dominus enim noster, C vt germanus pater, filiis gressum ponere nitentibus manum porrigit: & qui à quocunque gravi periculo nos eripit, contra leviora nosmet solos, arbitrij nostri libertate moveri sinit. Qui porrò in parvis facilè manum dat, quonam modo hic, quæ maioris momenti sunt, servabit?

## *Ex Eliæ Presbyteri, & defensoris sententiarum Florilegio florilegium.*

Potest unusquisque Christianus semper sollicitus ac suspensus, tentationem exspectare: vt cùm venerit neve miretur, neve terreatur: sed grato animo tribulationis laborem, molestiámque sustineat: & mente psallens cum Propheta dicat, *Proba me Domine, & tenta me.* Nec verò alibi dixit, *Disciplina tua me subvertit,* sed, *Correxit me in finem.* 1. Cor. 14 Ps. 25. Ps. 17.

Principium omnis boni timor Domini: finis autem D amor, & desiderium eius.

Principium omnis boni ratio seu contemplatio actuosa, & vicissim actio contemplativa. Nec enim actio citra contemplationem est laudabilis: nec contemplatio ab actione deserta, probata est & accepta.

Omnes virtutes præcedunt misericordia, & veritas, quarum proles est humilitas, & quæ ex patrum sententia inde enascitur, discretio: sine qua neutra, nec misericordia, inquam, nec veritas finem, ac terminum suum videre potest.

Actio iugum contemplationis aspernans, huc illuc circa inutilia, instar vitulæ al cuius vagatur, & oberrat. Contra contemplatio honoratam practicæ tunicam repudians, non est speciosa ac decora, etiamsi talis videri per simulationem contendat.

Anima generosa, & virilis ut mulier attenta & sedula, tota vita sua lampades duas, practicam scilicet, & contemplativam ardentes habens, facit quæ debet. E contrario anima voluptatibus soluta, ac remissa, facit quæ non debet.

E Ad consummatam vindicationem à vitiis non sufficit animæ voluntaria afflictatio, nisi etiam non voluntariis inflammata, minimè enervata diffluat.

Anima gladio similis est: nisi per ignem, & aquam transierit, hoc est, per labores voluntarios, & involuntarios, dum quotidianas tentationes repercutit, firma & infracta non permanebit.

Quemadmodum voluntariarum tentationum tres sunt causæ generalissimæ, sanitas, divitiæ, & gloria: sic voluntariarum totidem sunt, detrimentum seu damnum, contumeliæ, invaletudines. Atque hæc quibusdam ad ædificationem, quibusdam ad destructionem contingunt.

Vna cum anima subsistunt, & cohærent cupiditas, & tristitia: cum corpore voluptas, & dolor. Causa doloris est voluptas. Nam dum acerbum doloris sensum effugere volumus, ad voluptatem confugimus. F Cupiditas autem tristitiæ mater est. Etenim à scopo cupiditatis aberrantes, in mœstitudinem incidimus.

Qui virtute est præditus, intrinsecus, & in animo suo inclusum possidet bonum: vanæ gloriæ cupidus sola cogitatione conceptum, & imaginatitium. At verò malum probus superficie tenus, voluptati deditus profundum habet.

Non sæpe invenitur, qui vitium sollicitè, & cum cura non oderit: sæpius autem qui effectricibus eius causis etiam attentius inhæreat.

Quibus non est semper apud animum proposita pœnitentia: iidem etiam in peccata frequentius labuntur. At qui non ex proposito culpam contrahunt, iis certò persuasum est pœnitere: & quamobrem pœniteant, haud ita crebrò causam habent.

Sensus, & conscientia (αἴσθησις καὶ συνείδησις) in G verbis, quæ ore proferuntur, conveniant, ut divinum Verbum, quod se in medio, in nomine suo congregatorum affuturum promisit, per proterviam, Mat. 18. aut immoderationem eorum quæ dicuntur, aut fiunt, ne pudefiat.

Non qui operibus animæ suæ iniuriam non infert, hic etiam à dictis incontaminatam tuetur: nec qui linguæ moderatur, iam nulla eam impuritate inquinavit. Qui enim cogitatione delinquit, quod tertium est, facit.

Non poteris faciem virtutis aspicere, si adhuc vitij vultum iucundè consideras. Tunc autem hic tibi odio prosequendus videbitur, si illius gustum, experientiámque concupiveris, & à spectanda improbitatis forma oculos quàm longissimè abduxeris.

Per cogitationes præcipuè, non per opera dæmones animæ bellum movent. Ipsa enim opera per se necessaria sunt. Et illorum quidem auditio, aspectúsve causa est: cogitationum autem consuetudo, & diaboli.

H Neque corpus sine ieiunio, & vigilia, neque anima sine veritate & misericordia, neque mens sine consuetudine, & meditatione divinitatis purgari potest. Atque hæ istarum rerum copulæ nobilissimæ sunt.

His quas diximus virtutibus in orbem exercitata anima, quietissimum sibi à tentationum strepitu castellum constituit, quod est patientia: *In patientia enim vestra possidebitis animas vestras,* ait Scriptura. Sin aliter fecerit, velut non munita urbs, etiam longinquo Luc. 21. adhuc tumultu & clamore, exterreri, & vectibus pusillanimitatis quassari atque contundi solet.

Non quicunque in loquendo, hi in cogitando quoque prudentes, & considerati sunt. Qui autem cogitando, hi etiam in sensibus exterioribus cauti, ac providi inveniuntur. Etsi enim sensus nos omnes vectigales, seu tributarios habet, non tamen ei ab omnibus æqualiter vectigal penditur. Complures enim ex simplicitate naturam, & conditionem eius nescientes, quemadmodum honorem ei debitum impertiantur, ignorant.

A Prudentia sua natura indivisa, variè dividitur. Huic enim eius maior pars datur, huic minor, quod aucta virtus practica, & comites sibi virtutes generales adiungens, bono quantum potest quemlibet compleverit. Plures enim prout in vita in actione constituta claudicarunt, ita prudentiam quoque sortiti sunt.

Ad res secundum naturam pauci intelligentes deprehenduntur, ad ea quæ circa naturam sunt, multi. Nam cùm timidè in his cognoscendis versantes, totam suam naturalem intelligentiam exhauserint, parum in illis sapiunt: plurimum autem in supervacaneis, & natura haud laudabilibus.

Silentij rationabilis & tempus, & modus convivæ sunt, quibus omnigenas epulas apponit veritas: quæ facit, vt mendacij pater in animam peregrinantem ingrediens, nihil eorum inveniat, quæ cupiebat.

Verus eleemosynarius est, non qui spontè ac libens erogat superflua: sed qui necessaria sua B surripientibus condonat.

Ne propter morbi acrimoniam turbidiore sis animo: sed per industriam medicamentis efficacibus adhibitis, eum de pelle, qui sanitatis animæ curam geris.

Ne exasperteris adversus eum, qui tibi nolenti in eius medicas admouit: sed ad detractam molestiam respiciens, te miserum indica, illum lauda, qui Deo ita providente, huius levationis ac sanitatis causa fuit.

Quantum senseris labores, tantum tibi placeat, qui tui probandi eos tibi creat: perfectæ enim purgationis causa tibi fiunt, sine qua mens puram fundere orationem non potest.

Cùm reprehenderis, aut taceas oportet, aut sedatè, leniterque adversus reprehendentem te defendas: non ut tua commendes: sed ut castigatorem ex igno- C rantia fortasse errantem corrigas, & velut lapsum erigas.

Nec superbus sua vitia, nec humilis suas virtutes cognoscit. Tegit enim vitia quidem illius mala, huius autem bona ac Deo placens ignorantia.

Honore paribus superbus exæquari se non patitur in bonis. In malis autem suam infirmitatem cum improbissimis comparans, tolerabilem putat.

Vituperatio animam robustam, ac solidam, laudatio ad bona languidam, & inertem reddit.

Divitiæ in auro, virtus in humilitate consistit. Quomodo igitur qui auro caret, pauper est, quamquam foris non apparet: sic qui sine humilitate in certamine monastico versatur, Deo non placet.

Sicut absque auro non est mercator, etiamsi ad mercaturam faciendam valde sit idoneus: ita nec absque humilitate monachus iucunda virtutum possidebit, D quamvis prudentiæ suæ multum fidat.

Expedit athletæ spirituali minora factis suis cogitare, & maiora quam pro pusillanimitate sua facere. Sic enim hominibus venerationi erit: & apud Deum ut fidelis operarius non erubescet.

Qui timet ne inter discumbentes in thalamo nuptiali peregrinus appareat, eum aut omnia Dei mandata probè servare, aut ad unam humilitatem eniti oportet.

Coniunge simplicitati continentiam, veritatémque humilitati copula, & videberis contubernalis iustitiæ: ad cuius mensam omnes reliquæ virtutes amant congregari.

Mitis, & clemens natura speciosam animam, membrorum autem stabilitas, & quietudo quietam demonstrat.

Primum bonum est, non labi in ulla re. Secundum, lapsum suum præ verecundia non celare, nec se impudentem in eo ostendere: quin potius humiliari, & idcirco reprehensum se quoque pariter reprehendere. Quod nisi fiat, quidquid Deo offertur, parum valet.

Ad afflictiones voluntarias, etiam non voluntarias adiungere oportet, detrimenta, inquam, & invaletudines, quæ a diabolo nobis importantur. Quas qui E non permittit, sed recalcitrat, & stomachatur, perinde facit, ac qui panem suum non cum sale, sed cum melle tantummodo comedere velit: qui panis non voluptatem semper socialem, sed satietatem semper vicinam habet.

*Dominus*, inquit, *custodiat introitum tuum, & exitum tuum*, epulatum scilicet, & verborum introitum, *Psal. 120.* & exitum, in continentia. Nam qui in his duobus est moderatus, & continens, cupiditatem oculorum fugit: iram verò ex vecordia natam mitigat: quibus cavendis monacho ante omnia, & omni ratione studendum est diligenter. Sic enim & in actione firmior, & in contemplatione evadit solidior.

Quidam circa introitum escarum admodum diligenter, & cauti sunt, circa exitum autem verborum F negligentes. Tales nesciunt *auferre iram à corde suo, & amovere malitiam à carne sua*, vt est apud Ecclesia- *Eccl. 11.* sten, per quæ cor mundum ab innovante spiritu creari consuevit.

Voluptas eorum quæ sub ventre sunt, in iis qui re- *Psal. 50.* ligiosis institutis exercentur, corpore marcescente desinit: at verò gutturis, & palati manet. Danda igitur opera, vt per cautam ablatam, tollatur probrum ac dedecus, quod ex causa consequitur: ne in futuro sæculo alienus à virtute continentiæ inventus erubescas.

Necesse est nosse ascetam, quando, & quibus cibis, corpus suum ut hostem alere, quando ut amicum ad epulas invitare, iterúmque ut imbecillum, & ægrotum confortari debeat: ne per imprudentiam, & quæ debentur inimico, ea amico, & quæ amico debita, inimico apponens, utrumque offendat, & tempore tentationis G oppugnatores habeat.

Cùm is qui alitur, nudum alimentum potius ducit omnibus delicijs, tum veniens gratia lachrymarum, eum consolari incipit, ut omnis alterius suavitatis oblivifcatur: utpote quam incomparabilis harum suavitas iam absorpserit.

Qui per latam viam incedendo se dilatat, ei in angustum contrahuntur lacrymæ: scaturiunt autem illi, *Mat. 7.* qui arctam, & angustam viam diligit.

Et peccatori, & iusto ægrè est. Sed huic quidem, quia nondum penitus desciuit malum: illi, quia nondum apprehendit verum bonum.

Domus animæ patientia, continetur enim illa: facultates autem, & victus humilitas, alitur enim per illam, & sustentatur.

Qui vituperationes non tolerat, laudibus non ornabitur: & qui ante voluptatem animum convertit H ad dolorem, illius molestiam, & sollicitationem effugiet.

Ne te alliges modico, & non servies grandiori: ex parvo enim peccato magnum existere, & effingi quodammodo, formarique consuevit.

Non prius passiones omnes succides, quàm terram, unde illis incrementum, inaratam reliqueris.

Quidam corpus duntaxat, quidam animam prætereà expurgare laborant. Alij siquidem adversus peccatum operis tantummodo vires ac robur acceperunt: alij item adversus perturbationes: adversus cupiditatem verò, seu concupiscentiam longè paucissimi.

Ἐμπαθὴς est, in quo vis peccandi in rationem dominatur, & si interea foris non peccetur. Ἡδυπαθὴς, in quo efficientia peccati ratione infirmior est, licet intus afficiatur. Προπαθὴς, qui libertati, seu potius servituti mediorum adhæret. Ἀπαθὴς, qui horum omnium discrimen ignorat. Dispereunt autem ab anima ἐμπάθειαι per quietem & attentionem.

Animam sponsarum amore vulneratam, oratio cum sponso consociare solet.

Vt sol nunquam est sine radio: sic in mente semper sit, & maneat oratio, sine qua sollicitudines rerum sub sensus cadentium velut quædam nubes non aquosæ

A circumvolantes, mentem à perfruenda claritate sua impediunt.

Per angustam portam orationis mens perturbationibus agitata intrare non potest, ni prius cognatas sollicitudines posuerit: sed in his quæ circum tabernaculum eius, hoc est, circa corpus sunt, semper occupata cruciatur.

Virtus orationis fames ciborum voluntaria: fames autem illa est, vt rerum mundanarum sine summa necessitate nihil neque audias, neque videas. Qui huic rei non providet, ieiunij sui ædificium consolidare, ac stabilire nequit, facitque eo orationem rumpi, ac dissolvi.

Mens, nisi in omnibus quæ sensu percipiuntur moderata & parca fuerit, attollere sese in superna, dignitatémque suam cognoscere non potest.

Oratio lachrymis fulcita ab anima omnes cogitationes eidem inimicas expellit, quas elatio animi, consuetudine scurrilitatis confirmata introducit. Quam
B qui exterminat, vnà cum ipsa malum, vnde omnis licentia loquendi profluit, exterminat.

Spiritualis actio etiam sine corporis actione commendari solet. Beatus igitur, qui spirituale opus corporali præstantius censuit: per ipsum enim huius defectum supplet, absconditam vitam in oratione, Deóque manifestam vivens.

Rom. 12. Hortatur nos Apostolus, vt simus in fide patientes, spe gaudentes, orationi instantes, vt bonum gaudij apud nos perduret. Quod si hoc ita est, vtique qui non est patiens, non est fidelis, qui non gaudet, non sperat: causam enim gaudij orationem, abiicit, dum ei non instat.

Si mens ab initio cum mundanis cogitationibus commercium habens, tantam sibi earum amicitiam peperit, quomodo ex assiduitate orationis non perinde eius familiaritatem adipiscetur? nam in quibus quis
C diu moratur, inquit, in his & dilatari consuevit.

Sicut infans se habet ad ubera matris extinctæ, ita mens ad orationem, quæ ipsam consolari non potest. Ad eam autem quæ potest, vt puerulus in maternis ulnis suavissimè obdormiscens.

Post sponsam quæ in Canticis introducitur, potest etiam Oratio sponsa amatori suo dicere, *Illic* (in lugubri videlicet cubiculo, viræ virtutibus deditæ) *dabo*
Cant. 7. *tibi ubera mea*, si toto affectu me dilexeris.

Nisi verba orationis in ipsa animæ viscera penetrarint, lachrymæ per vultum manare non poterunt.

Agricolæ respondent segetes, quamvis non inspectis antea quæ terræ committit seminibus. Ast monacho enixius verba orationis secum pertractanti, lachrymarum rivi profluunt.

Clavis regni cœlorum oratio est. Hanc qui tenet pro eo ac decet, quæ sunt in ea amicis ipsius bona re-
D posita cernit. Sola autem præsentia circumspicit, qui in ea libertatem, fiduciámque non est consecutus.

Non potest animus inter orandum Deo fidenter di-
Ps. 115. cere, *Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis*, nisi à pusillanimitate, socordia, voracitate, & ingluvie, quibus delinquitur, desiderio meliorum sese asseruerit.

Cùm ab externis anima sese vacuam præstiterit, tum eam flamma quædam undique complexa quodammodo, ceu ignis ferrum, totam candentem efficit: & cùm sit anima eadem, non tamen est contrectabilis, vt neque ferrum ignitum manibus contingi potest. Beatus qui in hac vita talis spectari meruit, & simulachrum suum (hoc est animam Dei imaginem) natura velut luteum, gratia igneum aspexit.

Novitiis adhuc, seu tyronibus lex orandi tanquam molestus aliquis, & morosus Dominus imponitur: provectioribus autem est amor, quo esurientes velut ad convivium sumptuosum compelluntur.

Qui probè in vita activa versantur, eos oratio interdum ut nubes obumbrans, vrentes cogitationum radios ab illis arcet, ac defendit: interdum lachrymarum quasi stillicidiis eos perfundit, ac spiritualia quæ
E contemplentur demonstrat.

Per cogitationem mens ad intellectualia transit: per ratiocinationem ad rationalia ratio: ad actionem per imaginationem sensus.

Cùm mentem tuam à perturbatione circa corpora, circa escam, & pecuniam liberaveris, tunc Deus, quod feceris pro munere puro agnoscet, & te remunerans aperiet oculos cordis tui, vt in absconditis in eo divinis legibus perspicuè mediteris: quæ intellectuali Ps. 118.
gutturi tuo propter emissam ex se suavitatem super Ps. 18.
mel, & favum dulciora erunt.

Non poteris animum à corporum, pecuniarum, epularum concupiscentia invictum reddere, nisi eum in puram tutiorum regionem introduxeris, ubi mortis, & Dei memoria super eum scaturiginis instar erumpens, è terreno corde omnem cogitationem insurgentem eluet.

F Nihil neque cogitatione mortis horribilius, neque recordatione Dei mirabilius est. Illa tristitiam salutarem continet; hæc lætitiam donat. Ait quippe Propheta: *Memor fui Dei, & delectatus sum.* Et Ps. 76.
Sapiens: *Memorare novissima tua, & in æternum non* Eccl. 7.
*peccabis.* Est porrò impossibile quemquam secundum illud obtinere, nisi antea prioris amaritiem gustaverit.

Quandiu mens gloriam Dei revelata facie non videt, non potest anima, eius affecta sensu dicere: *Ego* Ps. 34.
*autem exultabo in Domino, & delectabor super salutari* 2. Cor. 3.
*meo.* Velamen enim philautiæ positum est super cor eius, quod ei non sunt revelata fundamenta mundi, qui sunt sermones maiorum. Atque istuc velamen absque voluntariis, & non voluntariis laboribus ab ea non auferetur.

Non est cum Christo crucifixus, qui motiones carnis adhuc sentit; nec illi consepultus, qui cogitationes adhuc animales post se trahit. Quonam igitur modo Rom. 6.
talis cum eo resurgat, vt in novitate vitæ ambulet? G

Sol quem cernimus, radios suos in domum clausam non immittit. Contra, sol quem animo videmus, radios suos in animam, quæ sensus rebus aspectabilibus apertos habet, minimè proiicit.

Apis prata pervolitans, inde generandi mellis materiam colligit; anima verò sæcula perlustrans, ac circumspiciens, variam inde dulcedinem menti comparat.

Cervus ubi serpentes comederit, ad fontes aquarum veneni restinguendi currit. Anima divinis iaculis saucia, irrequieto amore in eum, à quo vulnerata est, fertur.

Quemadmodum grani præstantia è spica, ita sincera contemplatio per orationem declarari consuevit. Habet autem spica quidem circumdantes sese aristas, velut quasdam hastulas, ad arcendas aves seminilegas: contemplator verò sapientes rationes in tentationibus, quibus eas perimit. H

Orationi perfectæ cogitationes angelicæ, mediæ, spiritales, introductoriæ, seu novitiæ adhuc, naturales comparari solent.

Olim veteres de area, & torculari primitias in templo offerre iubebantur: nunc nos virtutis practicæ pri- Deut. 18.
mitias continentiam, & veritatem: contemplativæ autem charitatem, & orationem Deo offerre oportet: & per illas irrationabilis cupiditatis, atque iræ impetus retundere: per has autem cogitationes inanes, proximorúmque insidias.

Praxis est, non tantùm bona posse bene facere; sed etiam ea ut oportet facere: cùm nimirum is, qui facit, opportunitatem temporis, & modum, sive mensuram agendis adhibet.

Lamentatio, & carmen, & væ in domo animæ pra- Ezec. 2.
cticæ propter laborem inveniuntur: contra, vox exul- Ps. 117.
tationis, & confessionis propter cognitionem in tabernaculo contemplantis exaudiuntur. Practicus quidem hortantibus molestiis dissolvi cupit, & esse cum Christo. Contemplativo placitum est magis in Phil. 1.
carne permanere, tum propter gaudium, quod ex Ibid.

precibus

A precibus exspectat, tum propter utilitatem, quæ per illum ad proximos derivatur.

Practicus in precibus velamen habet super cor suum, nempe notitiam rerum sensibilium, quod quidem tolli ac revelari propter habitum non potest. At contemplativus, quoniam eo non tenetur, Dei gloriæ revelata facie partem aliquam videre potest.

Apud peritiores theoria praxin, apud rudiores praxis theoriam antecedit, & ambæ in finem bonum desinunt: id quod promptius est videre in his, quibus contemplatio actione prior est.

Hortus quidem, & paradisus est intellectualium contemplatio, in quæ cognitionis sectator cum precibus vt in domum ingreditur: practicus autem videtur tanquam viator præteriens velle inspicere: sed non permitti, quia id ultra spiritualis ætatis eius sepem est.

B Passiones corporeæ feris bestiis, ad animam verò pertinentes, volucribus sunt similes. Verùm illas a terrena vinea fugare, ac dispellere practicus potest, non etiam genus volatile, nisi theoriæ possessionem adierit, quamvis ad interna sua custodienda summum studium, diligentiamque adhibuerit.

Mens nondum perfecta in fructiferam orationis vineam intrare non sinitur: sed ei velut mendico racemario sola, & nuda, & vix etiam, psalmorum decantatio conceditur.

Quemadmodum non omnes, qui ad regis colloquiū admittuntur, cum eo prandere possunt: sic neque qui cum oratione miscent colloquia, omnes ad eam quam habet theoriam aspirant.

Frænum iræ, opportunum silentium; cupiditatis à ratione aversæ, cibus moderatus; impotentis animi, oratio distractione carens.

Et qui altum infra, & qui altum supra subire vult,
C ille vt sensibilem, hic, vt intellectualem margaritam acquirat, nisi nudentur, vnus veste, alter sensu, ambo suo voto frustrabuntur.

Qui apud se est inter orandum animus, velut sponsus cum sponsa in thalamo colloquitur. Qui autem ingredi non sinitur, stans foris, cum gemitu clamat, *Quis me deducet in ciuitatem munitam?* aut quis me ducet, donec in precibus meis faciendis in vanitates, & insanias falsas amplius non respiciam? *Ps. 107. Ps. 39.*

Qualis est palato cibus sine sale, talis est animo sine animadversione, & intelligentia usurpata oratio.

Anima quæ orationem adhuc consectatur, & persequitur, parientis gerit imaginem: quæ verò eam comprehendit, puerperæ, quam partus suus gaudio implevit.

Olim Amorrhæus in montibus habitans, egressus ascendere contendentes vulnerabat. Nunc improbitas eos repellit, qui ante expiationem simplicitate sua altiorem orationis gradum conantur ascendere. *Ios. 10. Iud. 11.*

Puram orationem dæmones natura oderunt, quos percellit non psalmorum multitudo, vt externos hostes integer exercitus: sed horum trium consensus,
D atque concordia, animi cum ratione, rationis cum sensu.

Oratio nuda orantes tanquam panis confirmat. Quæ cum aliqua contemplatione coniuncta est, impinguat. Quæ vacat specie, & simulacris, vini odorati instar est, quo repleti, insatiabiliter admirantur & obstupescunt.

Certatorem necesse est sensum suum ad simplicem, & uniformem alimoniam contrahere, mentem autem ad orationem, cui se distractio non admisceat. Sic enim passionibus expeditus ac liber eò veniet, vt inter preces ad Dominum rapiatur.

Super canibus virgam quatiens eos in se irritat: dæmones autem qui puram supplere orationem nititur.

Etiam anima practica, depositis perturbationibus, cùm ab improbis dæmonibus, & cogitationibus urgetur, vt ad vanitates, & insanias falsas respiciat, cùm
E illa in Canticis ait, *Exspoliavi me tunica mea, quomodo induar illa? lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?* *Cant. 5.*

O Dei amantem animam, cui dicere audet; narra mihi pastor bone, ubi pascis oves tuas? & ubi accubare facis in meridie agnos tuos? ut eos sequens, non sim errabunda in alienis gregibus. *Ioan. 10. Ezec. 34. Cant. 1.*

Anima practica rationem orationis tenere desiderans, nec valens, etiam ipsa cum sponsa in Canticis ita clamat. *In lectulo meo per noctes quæsivi quem diligit anima mea: quæsivi, & non inveni illum, vocavi, & non respondit mihi. Surgam (per orationem ferventiorem) & circuibo ciuitatem per vicos & plateas, & quæram quem diligit anima mea.* *Cant. 3.*

Cùm ob gaudium ex oratione perceptum anima tota in lacrymas solvi cœperit, tum ipsa quoque cum libertate sponsum sic alloquitur. *Descendat dilectus meus in hortum suum, & comedat velut fructum pomorum suum,* quæsitum labore solatium. *Cant. 5.*

F Cùm anima activa ex præstantia, & pulchritudine rerum conditarum ipsum conditorem admirari cœperit, & in voluptate inde hausta suas habere delicias, tum ipsa quoque obstupefacta sic exclamat. Quam speciosus es, mi sponse, paradise patris tui, *Flos campi, & cedri eius, ut cedri libani. Sub umbra illius quem desideraveram sedi: & fructus eius dulcis gutturi meo.* *Cant. 1. Eccl. 24. Cant. 2.*

Si enim qui regem in domicilium suum recipit, adeo fit conspicuus, & illustris, & id omni gaudio anteponit, quid sentire par est animam, quæ cum purgata est, regem regnum suscipit, vt habet eius minimè fallax promissio. Et quid non foras proiiciet quod eius quietem impedire videatur? quid autem non introducet, quod illi placeat? *Ioan. 14.*

Qui lectas a rege vocandum exspectat, quid aliud cogitabit, quid meditabitur, nisi orationem, qua illi placere queat? Hoc si faciat anima quælibet, ad illius tribunal imparata non veniet.

G Beata anima, quæ hodie Domini sui adventum exspectans, totius diei, atque etiam noctis laborem plane pro nihilo ducit, quod statim sibi mane appariturus sit.

Omnes videt Deus, vident autem Deum, qui dum orant, nihil vident. Et quicunque Deum vident, etiam exaudiuntur ab illo. Qui non exaudiuntur, nec vident illum. Beatus porro qui credit se videri à Deo, quoniam pes eius eo nolente non commovebitur. *Ps. 72. Luc. 17. 1. Cor. 2.*

Regni quod intra nos est bona, quæ oculus pulchritudinis cupidus non vidit, auris ambitiosa non audivit, & in cor Spiritu sancto vacuum non ascenderunt, auctoramenta quædam, & arrhabones sunt bonorum, quæ iustis in futuro Christi regno dabuntur. Et qui in his, quæ dixi, quæque sunt fructus spiritus, non oblectatur, futuris illis perfrui non poterit.

Guttæ roris terræ sulcos inebriant: affectiones autē animæ, inter orandum è corde emissi gemitus irrigui.

Non tam difficile est cohibere fluminis impetum, ne deorsum feratur, quam præcipitem retrahere, &
H compescere animum, ne se in ea quæ oculis cernuntur effundat, ac dispergat, & ad superna, cognatáque cum voluerit, se precando colligere: tametsi hoc secundùm, illud autem præter naturam est.

In mundo hoc aspectabili, velut alius quidam mundus videtur homo; in intellectuali autem mundo velut alius quidam mundus ratio. Etenim cœli, & terræ, & eorum quæ in medio sunt ille huic quidam nuntius est: animi autem, & sensuum, & quæ cum eis cōiuncta sunt, interpres, & explanatrix est ratio, sine quibus mundi ambo surdi essent.

Non ita gaudens incedit captivus post longum tempus liber factus, vt mens ab affectibus vindicata, ad cœlestia, tanquam propria, exultanti pede graditur.

Qui non orat, sed magis orando vagatur animo, ei psalmus barbarus apparet, & ipse psalmo barbarus: ambo autem furiosi dæmonibus.

Non idem est, quibus crucifixus est mundus, &, qui mundo crucifixi sunt. Illis enim clavi sunt ieiunium, & vigiliæ: his inopia, & contemptus: & absque his labores priorum sunt inutiles.

Nec cui virtutis parum est, propter ignaviam, nec cui nimium est, propter arrogantiam, apathiæ portum tenebit. Quia enim ibi omissio, hic exsuperantia intercedit, neuter bonis ex iustitia debitis fruetur.

Sicut terra si solum semen, aut modico cum fœnore reddat, & agricolæ labori non multiplici proventu respondeat, non ipsum copiosum, & beatum facit: ita nec practicum opus, nisi voluntatis erga Deum singulare, ac præstans studium accesserit, quempiam iustum efficere queat.

Nec omnes qui non diligunt proximum, eum odisse possunt, nec qui eum oderunt, diligere: & aliud est invidere eius progressui, aliud, & quidem supremæ nequitiæ gradus, non solùm cruciari ob ea quibus ille præcellit, ac superior est: sed etiam bona eius, quasi talia non sint, calumniari.

Aliæ sunt passiones corporeæ, aliæ animæ, aliæ secundum naturam, aliæ præter naturam: Qui igitur alias quidem repellit, alias non curat, perinde facit, ut qui sepem altam, ac densam contra feras excitat, volucribus autem conspicuos rationalis vineæ botros depascentibus collætatur.

In omnibus membris corporis voluptas sedem habet: sed non omnes æque turbat. Aliis quippe magis secundum concupiscentem animæ partem molesta est, aliis secundùm irascentem, aliis secundum ratiocinantem, per malitiam scilicet, quæ passio est omnium deterrima.

Non est necesse, sensoria, seu organa sensuum tanquam urbis alicuius portas aperire: necesse est autem, dum necessariò aperiuntur, non ingredi vanitas, quibus bella, & pugnæ in anima excitantur.

Opus concupiscentiæ voluptas est, iracundiæ repentina, & acris ira, perversitatis invidia. Nec verò est in pace cum infimis, qui non cum summis decertat: nec in portum mediocritatis passionum invehi potest, qui vi, & coactus Dei mandata servat.

Multi in crucem afflictionis ascendunt, pauci eiusdem clavos admittunt. Voluntariis, & animi iudicio susceptis incommodis, ac mortificationibus multi se subiiciunt, non voluntariis autem, & ultrò oblatis ij tantùm, qui honoris desiderium ex animo eiecerunt.

Omnes pelliceas tunicas multi exuerunt: sed vanæ gloriæ tanquam ultimam illi duntaxat, qui sui complacentiam velut eius matrem detestati sunt.

Dixit quidam è Patribus, non est gens in orbe terrarum, ut Christianorum gens: & non est in ea quidquam comparandum monachorum ordini. Hæc autem sola sunt, quæ illis non mediocriter nocent, mutua iniuriarum memoria, & condemnatio: quæ vitia, qui è corde suo exegit, angelicam in terris vitam vivit.

Vir sanctus, cùm vidisset quendam peccare, amarè flens dixit: hic quidem hodie, & ego planè cras. Atque hic quidem omnino pœnitebit: ego verò minimè.

Iudicare proximum, morbus animi pessimus est omnium. Non enim solum iudicantem gravissimi supplicij reum constituit, ut qui Deo munus & dignitatem præripiat, & hoc modo ἀντίθεος, ut ita dicam, hoc est, Deo contrarius Deus fiat: sed etiam in quo alium iudicat, in id ipsum eum incidere facit, præsidio, & auxilio Dei propter iudicandi temeritatem nudatum videlicet. Et iudicatus quidem onere levatur, si adversus iudicantem non exulceretur. Qui autem iudicat, illius onus sibi imponit, id quod nobis Publicanus & Pharisæus ostendunt.

Quis non horrescat, quis non obstupescat, quis mente non excedat? *Deus pater neminem iudicat: sed omne iudicium dedit filio:* filius clamat, nolite iudicare, & non iudicabimini, & Apostolus similiter, *Nolite ante tempus iudicare, quoad usque veniat Dominus*; Et iterum, *In quo iudicio iudicas alium, teipsum condemnas*; & tamen homines relictis peccatis suis, abstulerunt à filio iudicium, & se mutuò condemnant. Et quidem cœlum super hoc obstupuit, & terra cohorruit, ipsi verò stupore mentis oppressi non sentiunt. *Ioan. 5. Mat. 7. 1. Cor. 4. Rom. 2. Isa. 29.*

Dicebat Abbas Isaias, si tibi in mentem venerit iudicare proximum, propter peccatum aliquod, prius tecum cogita, te illo sceleratiorem esse; & quæ bona facere te putas, ne credas Deo placere: ita iudicare proximum non sustinebis.

Frater quidam separatim in monasterio Monidiorum habitans, cùm die quodam sederet, ac fleret pro consuetudine, sopore correptus est, & ecce Christus ei astans, voce, vultúque hilari, homo, quid est tibi? inquit: cur ita ploras? respondit frater: quia lapsus sum, Domine. Tum, qui apparebat, surge. Et qui iacebat, non possum, Domine, nisi manum mihi porrexeris. Mox manum tendens erexit illum, rursum hilariter addens, quid lacrymaris homo, quid contristaris? Subiecit frater, non vis me lacrymari, & contristari, cùm ego toties te contristaverim? Illico protendens manum qui videbatur, posuit eam super caput eius, eáque recepta dixit; ne te affligas, adiuvat te Deus. De cætero, quoniam tu contristatus es, ego adversum te amplius non tristabor. Tua enim causa sanguinem meum dedi: quanto magis etiam benevolentiam meam cuilibet animæ pœnitenti impertiam? Tum frater ex eo viso se colligens, cor suum lætitia cumulatum invenit, certóque cognovit, Deum secum misericordiam fecisse; & ex eo semper in multa humilitate, illi gratias agens perseveravit.

Interrogatus Abbas Mius à quodam milite, num Deus pœnitentiam susciperet, postquam eum multis verbis erudivit, & velut initiamenta Christianitatis docuit, adiecit tandem, dic mihi dilecte, si rupta fuerit lænula tua, numnam eam abs te abiicis? nequaquam, subiicit miles; sed sarcio, rursúmque utor. Hic senex. Si tu igitur vestimento tuo parcis, Deus plasmati suo non parcet?

Frater quidam quæsivit ex Pœmene Abbate in hunc modum. Si homo præoccupatus fuerit in aliquo delicto, & in viam redierit, ecquid illum suscipit Deus? Respondit senex, qui hoc facere hominibus præcepit, an non multò magis ipse faciet? Mandavit siquidem Petro, his qui peccassent in se, & pœnitentiam egissent, noxam dimittere usque septuagies septies. *Galat. 6 Mat. 18.*

Alius frater ita percunctatus est Abbatem Sesoam. Quid faciam, pater, quoniam in peccatum incidi? cui

# DECERPTA E FLORILEGIO
## CVIVSDAM ANONYMI,
## sive Petri Abbatis,

### EX ANACHORETARVM
*dictis potissimum.*

DIXIT senex, si quis se Christianum pium profiteatur, potissimùm si is presbyter, aut monachus sit, & in Sanctam Catholicam Dei Ecclesiam facinora quædam, aut hæresin aliquam sensim videt irrepere, eamque cum libertate non redarguit, sed dies suos tacitus transigit, ac dicit, qui servas, serva teipsum: & ita cum silentio præterit, etiamsi hæresi non communicet, nihilominus cum ea damnationi, & cum magna pœna obnoxius est.

Si quis te præsente, & spectante quomodocunque peccaverit, ne ipsum iudices; sed te maiorem illo peccatorem statue, etiamsi mundanus fuerit.

A ille, resurge. Et frater, resurrexi, & iterum incidi: resurge iterum atque iterum. Et frater, quo usque tandem? donec deprehendaris, inquit, sive in bono, sive in delicto. In utro enim homo invenietur, in eo
Eccl.11. hinc emigrabit.

Si videris, inquiebat senex, quempiam ridentem, aut comedentem largiter, cave ipsum indices. Illud potius dicito; beatus est hic, quia peccato caret, atque ob id animam eius gaudia pertentant.

Dicebat senex, si oculis tuis quempiam peccato se obstringentem conspexeris, mox dicito, anathema tibi satana; hic enim culpam non sustinet; & muni cor tuum, ne iudices fratrem tuum; alioqui Spiritus sanctus abs te recedet. Rursum tibimet dicito tacitus, sicut iste victus est, ita & ego; & plora, & implora divinum auxilium, & comparere ei, qui non volens passus est. Nemo enim velit peccare in Deum; sed omnes fallacia dæmonis circumve-
B nimur.

Noli, monache, mundanum vilipendere in animo tuo; solus enim Dominus occulta cordium cognoscit.
Act.1. Honora autem omnes propter Dominum, vt & te honoret omnium Dominus.

Si habitas cum fratribus, ne cui occasionem des, à communitate fratrum separandi sese, ne in illo sæculo iudiceris. Fuge autem vehementer scandalizare quem-
Mat.18 piam, & non secluderis à regno cœlorum cum his, qui ponunt scandala.

Improbior est occultè maleficus, quàm apertè iniu-
Gen.49. rius; quocirca etiam gravius punietur.

Qui dolos consuit, & occultè nocet, serpens est secùndum scripturam, sedens in via, & equi mordens calcaneum.

Qui in eodem proximum partim laudat, partim vituperat, is vanæ gloriæ, & invidiæ subditus est. Ac per laudes quidem occultare invidiam conatur: per vituperationem seipsum præ illo commendat.

C Qui reprehensus nequiter tacet, in corde memoriam iniuriæ fovet. Qui autem mansuetè, & pacificè respondet, ac se defendit, iniuriæ immemor habebitur.

Si quis laboriosus, & in virtutis excellentia industrius fuerit, nemo illum spernat; quin talem assumite potius, quoniam & Deo inprimis placet, & comitibus suis est utilis. Persuadeant id vobis bina castra, Hebræorum, & Allophylorum, & David cum Go-
1.Reg.17 liatho singulare certamen iniens: præterea qui naufragium passi, & per iustum inter eos inventum servati sunt, sicut scriptum est. *Ne timeas, Paule, Casa-*
Act.27. *ri te oportet assistere:* & ecce donauit tibi Deus omnes qui tecum nauigant.

Omnium quæ aguntur à nobis, scopum, & finem quærit Deus, num ea ipsius, an alterius rei causa agamus. Cùm audis porrò scripturam dicentem, quia tu
1.Reg.26 retribues unicuique iuxta opus suum, intellige Deum non secundùm ea, quæ præter scopum legitimum
D fiunt, etiamsi bona videantur, bona retributurum: sed secundum ea videlicet, quibus finis iustus, ac debitus fuerit propositus. Non enim ad facta, sed ad consilium, ac propositum, quo fiunt, divinum iudicium respicit. Sunt quædam natura bona, quæ ab hominibus factitantur: sed eadem rursum propter causam aliquam bona non sunt. Exempli gratia, ieiunium, vigiliæ, oratio, eleemosyna. Natura igitur hæc opera bona sunt: sed si ex iis vana captetur gloria, bona esse desinunt. Laborum in colenda virtute susceptorum præmia sunt impassibilitas, & cognitio; hæc namque regnum cœlorum conciliant: quemadmodum contrà passiones & ignorantia pœnas sempiternas. Qui ergo bona ista propter gloriam hominum, non propter ipsum bonum quærit, scripturam audiat, *Petitis, & non*
Iacob 4. *accipitis, eò quòd malè petatis.*

Virtus non est manifestatio multarum, variarúmque actionum, quæ per corpus exercentur, sed cor sapientissimum, spe sua innixum, quod scopus re-ctus operibus secundum Deum copulat. Mens quippe sine actionibus corporeis quod bonum est efficere potest: corpus autem sapientia cordis destitutum, tametsi operetur, non potest fructum inde percipere.

Abbas Agatho aiebat, non oportere monachum committere, vt eum conscientia sua quacunque in re accuset. A senibus item accepisse se, animam similem videri puteo, quem si haurias, purgatur: sin terram aggeras, aut aliud quippiam, evanescit. Sibi animam videri ipsam conscientiam intelligendam, quam qui obedientiam colit, pellucidiorem reddit. Qui autem dicto audiens non est, obfuscat, & obscurat.

Ne despicias conscientiam, optimam semper consiliariam: divinam siquidem, & angelicam tibi voluntatem suggerit, & à secretis animi inquinamentis liberat, & in discessu ex hac vita fiduciam largitur.

Abbas Bessarion moriens affirmabat, monachum esse debere instar Cherubim, & Seraphim, totum oculeum. F

Verbum Pœmenis Abbatis est, non egere nos alia re, quàm vigilanti, ac provido corde. Hoc quoque dicebat, nequitiam inimicorum post eos esse absconditam.

Senex qui iam ad alium senem accessit: cúmque sermonem conferrent, dixit alter, ego mundo mortuus sum. Excepit alter, ne confide, frater, donec egrediare ex hoc corpore. Nam quamvis tu dicas te esse mortuum, at certè diabolus non est mortuus.

Continentia virtutum omnium cognomentum est. Quocirca continentem continere in omnibus, oportet. Quemadmodum enim in corpore humano vel minimum, ac tenuissimum membrorum ablatum, totam eius coagmentationem, structurámque dissolvit, ac informe illud reddit: ita qui vel vnam virtutem negligit, nescio quomodo universam continentiam deformat. Quare non solùm in corporeis virtutibus, sed in iis item, quæ interiorem nostrum hominem G purgare possunt, cum industria elaborandum est. Quam enim is vtilitatem capit, qui corpus impollutum conservat, & animam inobedientiæ, atque contumaciæ dæmoni, ceu adulterio contaminandam substernit? aut quomodo coronabitur, qui nec ventri, nec ulli cupiditati corporeæ, vt neque arrogantiæ, & vanæ gloriæ fræna iniicit? qui non satagit libræ, qua lumen iustitiæ examinetur, quæ nullam personarum acceptionem admittit, quæ ipsa opera iustitiæ in spiritu humilitatis conficit.

Dicebat Beatus Epiphanius, Deum peccatoribus pœnitentibus ipsam quoque summam, sive sortem condonare, à iustis autem etiam fœnus exigere. Atque hoc est, quod Apostolis dixit, *Nisi abundaverit iusti-* Mat.5.
*tia vestra plusquam Scribarum, & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum.*

Dixit senex, Deus peccata mundi perfert ac patitur, eremi, sive solitudinis non patitur. Qui enim in mundo vivit, complures peccandi occasiones habet. Qui H verò mundum deseruit, si se ipsum custodiat, & certamen suum certet, à rebus externis quidem peccandi ansam nullam habet.

Si tædio caperis, à vitiis multimodis oppugnatus, exitus ex hac vita, & acerbitatis suppliciorum illic paratorum memor esto. Præstat autem Deo per orationem adhærere, & agglutinari quodammodo, quam per memoriam rerum externarum, etiamsi id utiliter fiat.

Omnes aliæ perpessiones aut partem animæ irascentem, aut concupiscentem solam attingunt, aut etiam rationem, vt oblivio, & ignorantia. Acedia verò omnes animæ facultates invadens, omnes ferè passiones æqualiter excitat. Quamobrem & omnium aliarum passionum gravissima est. Bene igitur Dominus adversus eam remedium præscribens, *In patientia vestra,*
inquit, *possidebitis animas vestras.* Luc.21.

Abbas Antonius aliquando sedens in solitudine, magno rerum spiritualium torpore, cum offusa animo caligine afficiebatur, dicebátque Deo; Domine, cupio salvari, nec sinunt me cogitationes meæ. Doce me quid faciam in tribulatione mea, vt salver. Surgens itaque, & paulùm è cella progressus, quendam sibi similem, & manibus laborantem conspicit. Deinde ab opere surgentem & precibus se dedentem; rursúmque ad opus sedentem, & catenam contexentem: hoc enim opus facere videbatur. Denuò, cùm diutius laborasset, surgentem, & precationi incumbentem: Tum angelus Domini ad Antonium corrigendum, tuendumque missus; sic facito, ait eidem, & salvaberis. Quibus auditis Antonius multo perfusus gaudio, corpore abiecto, sic faciendo saluti suæ consuluit.

Interrogatus est senex à quodam fratre, hunc in modum. Quid est, quod in cella mea sedens acedia laboro? respondit ille, quia nondum neque speratam requiem, neque futurum supplicium vidisti. Nam si hæc probè nosses, etiamsi cella tua scateret vermibus, vt ad collum usque tuum pertingerent, aut te planè obruerent, sustineres utique, & socordiam omnem abs te amoveres.

Quidam frater interrogavit Abbatem Pœmenem, quid sibi faciundum putaret, quoniam in cella sedens, spiritu negligentiæ, ac desidiæ turbaretur. Cui senex hoc responsum dedit. Neminem contemnas, aut indices; nec de quoquam detrahas, & Deus tibi requiem præbebit, sessioque tua perturbatione carebit.

Rursum quæsitum est ex eo, quare in officio nunquam obtorpuisset. Quia, inquit, quotidie mortem exspecto.

De acedia quidam frater abbatem Pœmenem interrogavit, cui ille. Acedia cuiusuis boni principio hominem oppugnat, nec est illa peior vlla passio. Sed ubi quispiam eam esse cognoverit, comprimit, cùm sese ad patientiam, & diligentiam excitaverit.

Senex quidam perpetuò affligebatur, & malè habebat. Contigit vt uno anno bene haberet. Quod ille graviter admodum ferens flebat, dicebátque, dereliquit me Deus, & non visitavit me.

Dicebat abbas Pœmen, si tres simul habitent, & unus quidem quieti rectè vacet, alius incommoda utatur valetudine, & gratias agat, tertius idem animo puro præstet, hi tres unum opus faciunt.

Monachus omnibus rebus adversus dæmonem certans, cum eius opera oculos perdidisset, non sibi aspectum restitui, sed patientiam donari à Deo flagitabat. Propter tolerantiam igitur Deus illi vt rursum aspiceret largitus est.

Dixit senex, ne velis non contemni, Et væ homini, cùm nomen eius maius quàm pro factis fuerit.

Antonius Abbas dixisse fertur, veniet tempus, quo homines insaniant. Et cum quempiam non insanientem viderint, insurgant in illum, dictiténtque eum insanire, quia non est illorum similis. Sed certatorem his neutiquam moveri oportet.

Qui sincerè pœnitet, à diabolo subsannatur. Sed hoc pœnitenti argumento est, Deo placere eius pœnitentiam.

Abbas Ioannes Colobus cognomento, discipulo suo dicebat. Honoremus nos unum, & omnes honorabunt nos. Quod si unum contempserimus, qui est Deus, contemnent nos omnes, & ad perditionem tendimus.

Dicebat senex, qui fugis, fuge homines, & ludificare mundum atque homines, sæpe te pro fatuo gerens.

Vanam gloriam prohibet opus occultè factum: superbiam, Deo adscribere omnia rectè facta.

Vana gloria, & avaritia mutuò se generant. Etenim qui inani gloriæ student, divitias quærunt: & qui divitias quærunt, inani gloriæ student. Sed hi ut mundani. Nam monachus cùm pauper sit, magis gloriolam affectat: pecuniam verò habens, eam præ pudore abscondit, ut qui negotium tractet habitui suo minimè proprium, atque conveniens.

Vanæ gloriæ in monacho proprium est, ex virtute, quæque eam sequuntur, laudem consectari. Superbiæ autem, propter bona opera elevari, & cæteros aspernari, eáque sibi, non Deo attribuere. Vanæ gloriæ, & superbiæ in mundano proprium est, propter pulchritudinem, divitias, potentiam, prudentiam tollere spiritum, manitérque gloriari.

Dicebat senex, ne sis notus Præposito, neve ad eum frequenter adeas. Nam inde fies liberior, & de cætero præpositura honorem ambibis.

Dicebat Abbas Esaias, væ nobis, quia cum pauperibus, & obscuris parentibus nati sumus, nosmet ignoramus: & cum paupertatem, abiectionémque propter Deum spoponderimus, æquare nos diuitibus, & illustribus contendimus. Væ nobis, quia cum divitibus, & potentibus congredientes, conversantésque, placere illis quærimus: pauperes autem, & suppliciter nos adeuntes, quasi molestiam exhibentes aversamur, ac repellimus.

Dicebat Abbas Isidorus, si vos ascetæ ieiunatis, ut legibus vestris consentaneum est, ne efferamini. Quod si ea de causa elato estis animo, quid utilitatis capitis ex vestro ieiunio? Conducit enim homini edere carnes potius, quàm ieiunare, & insolenter sese iactare.

Dicebat senex, virtutum caput, & summam, charitatem nobis comparemus. Nihil est ieiunium, nihil vigiliæ, neque labor, si charitas absit. Scriptum est enim: *Deus charitas est.* Idem referebat, dictum à Patribus, diabolum omnia posse imitari. Si dixeris de ieiunio, ipse nihil vnquam comedit. De vigilia, nunquam dormiuit: humilitatem & charitatem imitari non potest. Laboremus igitur, vt humilitatem, charitatemque in nobis habeamus, & oderimus superbiam, quæ diabolum de cælo præcipitauit. 1. Ioan. 4

Frater quidam ex sene sciscitatus est, quomodo homo donum diligendi Deum possit adipisci, tulitque huiusmodi responsum. Si quis viderit fratrem suum in peccato, & pro eo ad Dominum clamauerit, tunc cognoscit, quemadmodum Deum diligere debeat.

Discipulus Abbatis Arsenij tanquam de alio quodam narrabat, qui forsitan ipsemet erat. Senex quidam in cella sedens, vocem audivit, veni, & ostendam tibi opera hominum. Qui surgens, abiit, & perductus est in locum quendam, ibique monstratus ei æthiops ligna cædens, & inde onus magnum componens: quod cùm in humeros tollere, & portare conaretur, non valebat. Et pro eo vt onus minueret, abiens, alia ligna cædebat, onerique apponebat. Atque hoc diu faciebat. Procedens inde aliquantum angelus, ostendit ei hominem stantem super lacum, & haustam inde aquam in vas detritum immittentem, iterúmque inde in lacum effundentem. Dixitque ductor, veni, & ostendam tibi alium, & ecce videt sacerdotem, & viros duos equis insidentes, lignáque transversim portantes, volentésque ingredi, nec se alter post alterum humiliabat, vt ligna rectà inferrent. Idcirco extra portam remanserunt. Tum ad eum ductor. Hi sunt qui portant iugum cum superbia, & nolunt sese corrigere, & per humilem Christi viam incedere: idcirco extra regnum Christi manent. Qui autem ligna cædit, homo est, qui quidem nonnunquam bona opera facit: sed quoniam iis mala admiscet, ea ipsa bona opera perdit. Necesse est igitur quemvis ad opera sua cautum, ac providum esse, ne in vacuum laboret.

Sancti patres Scetæ, quasi vaticinantes de extremo sæculo dixerunt, quid nos laboravimus? Respondit unus ex eis; vita insignis, nomine Ischyrion: nos Dei mandata servavimus. Exceperunt senes. Successores nostri,

A nostri, num servabunt? Et ille, ad dimidium operis nostri perventuri sunt. Rursum Patres, quid illi, qui eos sequentur? Responsum illius ætatis qui erunt, nullum penitus opus exercebunt. Experientur autem tentationem, in qua qui probati fuerint inventi, maiores nobis, & patribus nostris erunt.

Omnes perpessionibus animi vacare penitus, est impossibile. Omnes autem saluari, ac Deo reconciliari, non est impossibile.

Quidam affirmarunt, dæmonas dæmonibus obniti ac repugnare. Ego vero iudico, omnes ad exitium nostrum incumbere.

Arbitror quatuor modis hominem peccare, surreptione, deceptione, ignorantia, affectu. Ac primi quidem tres facile pœnitentiam sibi agendam agnoscunt. Sed qui ex affectu peccat, nec experientia, nec tempore ad pœnitentiam venit, pœnam habet, quam mens [illegible] non potuit.

B Interrogatus, responde voce humili, ac decenti. Non interrogatus quiesce. Alio interrogato, tu digito [illegible] labium.

Quæ tu unum patrum sunt, ne alium patrare sinas, ne etiam [illegible] abs te auferatur, detorque alteri, & divitiis tuis [illegible]scat alius, tu autem humilieris.

Sicut n[illegible]est quenquam fornicarium in Ecclesiam ingredi, ita & invidum, furiosum, & iniuriæ memorem.

Nisi quis universas Dei leges probè servaverit, in gehennam ibit: nec illi quidquam sola fides, aut quædam duntaxat mandata servata proderunt. Neque hoc tantum, sed nisi etiam convenienter ea servaverit, omnino idem ei continget.

Lacrymæ Esau non erant pœnitentiæ, sed iræ & angoris lacrymæ.

Non hoc tantum quæritur, propter Christum pati: sed insuper casus adversos generose, & cum summa iucunditate perpeti necesse est, in quo ipsa coronæ, & præmij expectatio consistit. Quod nisi fiat, pro præmio etiam supplicium consequetur.

C Dixit senex, ne antè facias quidquam rei, quàm conscientiam tuam examinaveris, an secundum Deum sit, quod facturus es.

Dicebat rursum, qui monachus tantummodo tunc orat, cum stat ad orandum, is planè non orare dicendus est. Aiebat præterea, se totis viginti annis in una cogitatione expugnanda laborasse: ut scilicet omnes homines tanquam unum intueretur, & discretionem omnium virtutum esse maximam.

Qui proximum in iram adversus se furenter erumpentem tolerat, quodammodo fornacem trium puerorum sustinet.

Petram sive scopulum allidunt fluctus: similiter primus impetus ad peccatum, si effectus non sequatur, si nihil agat, homini non nocet. Scriptum est enim, omne peccatum nisi perfectum, non esse peccatum.

Quid faciet quispiam tentatus in somnis ad carnis ludibrium? Responsum. Quemadmodum si quis adversarium suum dormientem inveniat, & percutiet, non potest irridere quem percussit, quasi eum vicerit: non

D enim, ut victor, inde laudem, sed damnationem potius aufert: ita etiam de tentatione in somnis cogitandum est.

Quatuor virtutes homini sunt propositæ, quibus Satanas adversarius, Adamum è paradiso eiecit, ieiunium, oratio, opus manuum, & continentia corporis. Per escam supplantatum, & pudefactum, in fugam coniecit, ut se occultaret, ne coram Deo appareret, & is oranti peccatum condonaret. Postquam vero è paradiso eiectus est Adam, erat illum diabolus per peccatum in aliud peccatum, desperationis, inquam, impulsurus, sperans eum de cætero in potestate sua retenturum. Sed benignus Deus non ignorans artes diaboli, dedit Adamo opus manuum, ut operaretur terram, de qua sumptus esset: ut de opere sollicitus, diaboli fraudes repelleret. Nititur ergo, & pugnat diabolus omnimo-

E dis contra ieiunium, contra orationem, contra opus manuum quod magnam eius malitiam retundit. Pugnat etiam adversus virtutem positam in corporis continentia. At si quis quatuor istas virtutes exercere merebitur, omnium aliarum compos fiet.

Quid faciet homo, ut donum virtutis accipiat? Responsum. Cùm quis artem aliquam discere vult, posita omni sollicitudine, sese præ omnibus hominibus vilipendit, non reputans quàm sit formosus, aut æqualis cuipiam: & per humilitatem scientiam artis adipiscitur. Ita monachus: si omnem humanarum rerum curam deposuerit, seseque infra omnes homines deiecerit, tum virtutes invento hoc eius opere ad eum venient. *Adhuc te loquente*, inquit, *dicet, ecce adsum.* *Isai.52.*

Qui dignum sacerdotio honorat, & sanctum vocat, hominem honore, & gloria afficit. Qui vero indigno id facit, is sacerdotio honorem habet. Tu considera utrum sit honorabilius. Secundum fortasse. Hæc audiens, prorsus inter hæc ne discerne: potius horresce, cùm ad divina mysteria accedis. F

Vnde cognoscat quispiam orationem suam Deo placere? Responsum. Si homo non caverit, ne proximum suum in quacunque re, seu ad corpus, seu ad animam pertinente lædat, eius oratio Deo abominabilis reiicietur. Nam gemitus eius, qui passus est iniuriam, orationem iniuri[illegible] si ad Deum pertingere non sinit. Ac nisi citò cum proximo in gratiam redeat, in omni vita sua a peccatis suis non absolvetur. Scriptum est namque, *quæcunque ligaveritis super terram, erunt etiam ligata in cælis.* *Mat.16.*

Si audiero de quoquam, eum mihi maledicere, quid agam? Responsum. Statim surge, & primum ora pro eo; mox pro teipso, ac dicito. Domine IESV CHRISTE, miserere fratris illius, & mei inutilis servi tui, & protege nos à malo per preces Sanctorum tuorum, Amen.

# LEONIS IMPER.
## ex Meditatione extremi iudicij Canticum Compunctionis.

G QVIS tandem me humo turbine venti aliquo sublatum, ad brevissimum tempus abducet ad vallem lachrimarum, ut visis ibidem suppliciis memet lugeam?

Heu heu quomodo rugiet tellus, cum nutu supernæ potentiæ dirupta, locos horribiles nunc latentes aperiet. Ah triste spectaculum!

Profundè cavata sepulchra, tenebris, & caligine plena recessus immensus, & antra caliginosa abdita servantur omnibus, qui vitam ob flagitia exitiosam duxerint.

Illic cubans immitis potor sanguinis, dirùm frendet, appetit, cauda remulcet, apertisque faucibus expectat devorare peccatores mei similes.

Misericors fili Dei, da mihi imbres lachrymarum, priusquam me tegat sepulchrum, hospitem, & nudum à recte factis: priusquam severissimi exactores inquirant in actiones meas. H

Illic stridor dentium, eiulatus, & lamentatio, tartarus caloris expers, solis nescius, & umbrosus. Illic luctus gemitibus refertus, & rivi lachrymarum.

Trutina & lanx opera ad amussim examinans probat, alia elevans, alia deprimens: ubi erunt peccata mea, quæ in hac vita ex prava consuetudine perpetravi.

Terret me procella, & tumultus ventorum, horror tempestatis, & pressura creaturarum, sonitus tonitruorum alternantium, ac fulgurum pavor. *Luc.21.*

Stupor & tremor erit videre omnia flumine ignis

A per viam angustam ambulat, atque Eden hæreditatem habent, in mansionibus intemeratis permanentes.

Luc. 16. Divites ardebunt igne inhumanitatis, & pauperes in tabernaculis, atque in sinu Abrahæ conspicientes, guttam aquæ rogabunt; nec erit qui illis tribuat. Formidemus omnes.

Matt. 5. Da mihi, Virgo, pedicas & laqueos vitæ huius vanæ, ac perituræ effugere, & vires suffice, quibus ad vitam futuram curram, & à stridore dentium me libera.

ODE VI.

Iudex est incorruptus, Iudicium imprimis formidabile, ira intolerabilis, & tribunal hoc nulla potest calliditate, versutiáque circumveniri. Angeli cum timore, & tremore ministrant, libri occulta mortalium produnt. Apoc. 20. De cætero depone mores improbos, anima, & amaras B funde lacrymas.

Cùm hinc emigravero, ne, Virgo, me deseras. Tunc enim nequam spiritus animam meam captabunt. Heu me, qua ratione effugiam illos, aut quid faciam? Heu me quomodo horribiles locos pertransibo? Tu spes mea, tu portus meus, & ante te ego famulus tuus me prosterno.

ODE VII.

Quis erit sensus animæ, cùm positi fuerint throni, & ad iudicandum iudex ille integerrimus consederit, & libri exhibebunt hominum actiones, cogitationes, & consilia? Væ tibi tum ô vilis anima, & miserrima.

Oratorum ad persuasionem accommodatæ argumentationes, & orationis ornamenta, artificia, verborum strophæ, ac fallaciæ desinent, sapientes omnes obmutescent, libri operum loquentur hominibus, angelisque simul audientibus.

C Innumerabilium angelorum exercitus astabit, ac thronum circundabit. Homines autem universi stabunt tristes, necessitatem horriferam videntes, & sententiam iustissimam metuentes.

Ps. 71. Aspersione roris tui, intacta Virgo, ardorem libidinis meæ restingue. Nam in te Verbum Dei sicut pluvia in vellus descendit, fidelibus gehennæ rogum extinguens.

ODE VIII.

Tunc ordines fidelium examinabuntur, Episcopi quoque, sacerdotes, levitæ, monachi: nam in ordine suo quisque resurget, ut quisque actorum suorum rationem reddat.

Trepidabunt omnes Principes, opulenti, reges, & dynastæ, consules, ac Præsides. Ab omni Christiano quæretur quomodo pacta conventa in baptismo inita servaverit.

Patefactis, & manifestis omnibus omnium actionibus, tremendam iudex proferet sententiam, & iustos à dextris constituet, peccatores in supplicium dimittet.

D A flamma gehennæ, à tenebris, & verme, à stridore dentium, & tartaro, à lacu ignis, & omnigenûm pœnarum libera, Virgo, te in fide collaudantes.

ODE IX.

Mortalis omnis rebus caducis deditus, tunc voluptates irridens atque contemnens, & acerbè plorans dicet, ubi pater, ubi mater, ubi liberi, ubi noti, ubi amici, ubi cognati, ubi honoris imaginatio? omnia evanuerunt.

Ibi animæ lamentabuntur, & frendebunt, à cognatis, & amicis separationem perpetientes. Fratres enim divellentur, pater à filio, amicus ab amico, coniuges à coniugibus locis tormentorum sæviter discernentur, ac disiungentur. E

Reges instar infantum flebunt, & expellentur Principes ab Eden, proiicienturque in gehennæ ignem: hinc illinc videntes angelos, à quibus eò compellentur, illisque supplicantes, verum nihil proficientes.

En amici, diei horribilis necessitatem audivistis omnes. Præoccupemus Christi faciem in psalmis, & precibus. Ora pro nobis Virgo, orent angeli, Præcursor, sanctorum Apostolorum duodenarius, omnes denum sancti, Amen. Psal. 94.

# CANON, SIVE
## Canticum agentis animam.

F

### Ex Græcorum Euchologio.

ODE I.

Adeste, congregamini omnes, quotquot vitam pie sanctéque actitastis, & lamentamini animam à Dei gloria extraneam; quando impuris dæmonibus quam diligentissimè servivit,

Iam universum vitæ meæ tempus tanquam fumus evanuit, affueruntque angeli à Deo missi, qui miserabilem animam meam requirerent, nec miserti sunt.

En astat turba spirituum malignorum, habentium descripta peccata mea; vociferantur, vilemque & abiectam animam meam impudenter sibi poscunt.

De cætero ad quem clamabo? quis ex nimio dolore proficiscentes lacrymas, & gemitum cordis mei suscipiet, nisi tu, longè purissima & castissima, & Christianorum, peccatorumque omnium spes Maria? G

ODE II.

Eia boni amici, & noti mei, cur me non lamentis & luctu prosequimini, quondam dilectum, & amicum, & fratrem vestrum, nunc autem Deo vobisque omnibus ignotum ac peregrinum.

Charissimi fratres mei, quoniam actiones meas à iugo trutinæ redargui cernitis, Christi universorum Dei ac Domini clementiam mihi impetrate.

Memores, dilecti, amicitiæ quæ mihi vobiscum fuit, Christum exorate, ut me infelicem, in cruciatu iacentem vitamque exhalantem respiciat.

Bona mater Dei mei inclina ad me autem tuam è sublimi multæ gloriæ tuæ; audi ultimos gemitus meos, manumque tuam mihi porrige.

ODE III.

Heu me perditum, heu me afflictum. Protendo manus ad amicos meos, profundo ex oculis lachrymas, & qui misereatur mei nemo est. H

Venit lucta animæ exitiabilis, & conversis ad Deum oculis angelos lucis inclamo; finite, inquam, adhuc paulum me vivere. Sed surdos appello.

Angelorum catervæ, & qui ex omnibus mortalibus Christum diligitis, me lugete, me plorate: anima siquidem mea nemine dolente vicem meam à corpore secluditur.

Sanctissima domina, nunc miserare æstuantem, & quo se vertat nescientem, atque ad unicum præsidium tuum respicientem animam meam. Ne, ô pia, me dæmonibus addici patiare.

A

### ODE IV.

Videam te Christe, lumen spirituale in me lucentem, saltem ad breve tempus. Non te amplius videbo, quoniam nubes dæmonum repentè me invasit, & nefandorum facinorum meorum caligo me operuit.

Valete omnes dilecti, quorum viscera super me miserrimo & calamitosissimo commota non sunt. Nam si vel unico verbo Dominum meum rogassetis, ego, ad quas abiturus sum, tenebras evasissem.

Vale magne Dei princeps, divine præses Michaël. De cætero quippe nomen sanctum tuum ad opem mihi ferendam non invocabo. Iam labia mea silent, & lingua mea ceu vinculo astringitur.

Vale quoque, Christi Dei mei illibata, & à viro integra parens. Post hac imaginem tuam à lapsibus meis ærumnosus ego haud intuebor. Extinctum est enim lumen meum, & nox me occupavit.

B

### ODE V.

Fratres mei vestras huc aures advertite, & miserabilium verborum meorum sonum exiguum placide minimeque aliud agentes auscultate, & omnes a Domino mercedem accipietis.

Ecce iam cum dolore anima ab hoc gravi corpore separatur. Ne igitur illud terræ mandatote, indignum est enim sepultura huiusmodi; sed raptatum foras, canibus devorandum proiicite.

Quid, quæso, mihi prosit hoc corpus meum funebri psalmodia a vobis honorari, & animam per horrenda supplicia iactari? Relinquite insepultum, ut canes cor meum absumant.

Fortassis viatores prætereuntes, & ossa à canibus relicta aspicientes, compuncti ex præcordiis clamabunt; succurre, domina, animæ huius infelicis corporis.

C

### ODE VI.

En, atrociter, & subito à corpore miseram animam trahentes abstraxerunt, eamque ad iudicem horrendum ac terribilem abducunt. Ergo recordati consuetudinis nostræ, ô amici, mei memores estote.

Sanctissimi angeli Dei omnipotentis miseremini mei, meque ab omnium scelerum meorum pœnis exigendis liberate. Nullum namque opus bonum habeo, quod actionibus improbis velut in libra possim contra appendere.

Revertimini simul sacratissimi angeli, tribunal Christi circumsistite, positisque genibus cum fletu & clamore illi dicite: omnium conditor miserere; opus manuum tuarum, ô pie noli abs te repellere.

Intactam dominam Dei nostri matrem adorantes rogate, ut vobiscum eius genibus provoluta, ad misericordiam illum inflectat. Nam cum mater & nutrix sit, negare ei nihil poterit.

D

### ODE VII.

*Mat. 22.* Nunc omnes terræ fines super me misero ingemiscite, mecumque lachrymas coniungite. Affertur enim de cœlo horribilis sententia, ut ligatis manibus & pedibus foras proiiciar.

Ab omnibus desertus, ad te miseræ vitæ meæ custodem gemo & clamo. Æternorum vinculorum meorum afflictionem aspice, & pro me orando ne desice.

Quoniam traditus sum dæmonibus, & in profunda inferorum illi me vi detrahunt, video plane omnes mei oblitos esse. Sed tu angele Domini memento mei.

Mater Christi mei quomodo oblita es mei? quomodo non flexisti eius viscera, qui ut saluaret quos finxit, a latere suo profudit sanguinem. Eheu, quam Christi mei viscera clausa sunt.

E

### ODE VIII.

Dei in posterum non meminero, nam apud inferos non est memoria Domini: sed tenebris miserè opertus sedebo, omniumque hominum communem resurrectionem exspectabo, iudicatusque in ignem mittar.

Deus desinet mei meminisse, desinet angelorum multitudo, & archangelorum frequentia, prophetarum, Apostolorumque, cœtus, martyrum, & iustorum omnium catervæ. Solus igitur excedam, quæ mihi mala ipsemet intrivi.

Lamentamini, & lugete me nunc inferni intima, abysse, vermis, tartare: omnia cruciamenta me deplorate. Solus quippe de Christianis ego infelix manibus vestris traditus, ad tormenta acerba perducor.

F

Dei mater abyssum despice, animam cruciatibus addictam vide, genibus inclinatis plora, ut precibus tuis moveatur, qui pro me restituendo sanguinem suum effudit.

## ALIVS CANON, SIVE *Canticum peccatoris, ad Sanctißimam Deiparam.*

Ex eodem.

### ODE I.

QVOMODO, ô domina, vitam meam impuram, & immensorum peccatorum meorum multitudinem lamentabor? Nescio quid dicam tibi, castissima, & malè metuo. Sed adiuva me,

G

Vnde exordiar dicere ego miser de improbitate mea, & delictis nefandis? Ah, quid me de cætero fiet? Verùm age; domina, & mei ante exitum ex hac luce miserere.

Omnem viam peccatorum cùm ambulassem, immaculata virgo, salutis semitam haud quaquam inveni. Sed ad bonitatem tuam confugio, ne me ex animo pœnitentem aspernare.

Mortis horam, ô purissima, terribileque tribunal assiduè cogito. Sed peccandi consuetudine vehementer ad peccatum illicior. Fer mihi opem.

Bonorum exitiabilis inimicus cernens me nunc nudum, & patrono ac tutore destitutum, & à divinis virtutibus alienissimum, ad devorandum me irruit. Præveni, & averte illum ô domina.

### ODE II.

H

Dei mater & domina nostra, infelix ego innumerabilibus me delictis sordidavi. Et quo posthac me conferam, quem desperatio penitus occupavit?

Proh dolor, imaginem Dei in me ego miser mentis arrogantia contaminavi. Quo in posterum me vertam? Festina virgo ad auxilium.

Planè nullus mortalium fuit unquam, qui tam nefanda in lascivijs ac libidinibus tam fœdè perpetrarit, & sacrum baptisma inquinarit.

Culmen ipsum scelerum attigi, virgo sacratissima. Succurre celeriter: nam cœlum & terra adversus infinita scelera mea vindictam acerbè flagitant.

### ODE III.

Angelorum ordines, & exercitus, virtutes cœlorum potentiam filij tui contremiscunt, ô castissima. Ego verò desperatus omni timore vaco.

Vniversa

Digitized by Google

Vniversa tellus attonita cohorruit, cùm me tam liberè & perversè peccantem perspiceret, uberemque filij tui misericordiam cum stupore mirata est.

Templum corporis mei malè conspurcavi:& templum Domini, quod mortales cum tremore ingrediuntur, ego perditus & effrons subire audeo.

Ne, quæso, domina, ne me pro hospite, & peregrino habeas, qui iam ut indignus præsidio filij tui exclusus sum penitus: sed me quoque ab immunditia flagitiorum meorum ablue.

### *ODE IV.*

Adamus, ô virgo, unicum filij tui mandatum transgressus, exilium est meritus: ego verò desertor & prævaricator Dei, infinitatem transgressionum mearum quomodo dignè lamentabor?

Cain, qui quondam fuit homicida, fratremque suum interfecit, à Deo maledictus est. Quid agam ego audacissimus, qui cùm occiderim animam meam, tamen non erubesco?

Esau gastrimargia & deliciis sollertem ego æmulatus, animam & corpus pollui, ebrietate & libidine vitam meam defœdavi. Quis iam me calamitosum non deplorabit?

Tu qui bonus es, divino lumine tuo morbos animæ meæ sana, quos mihi exitij machinator diabolus inseruit. Ab acerba huius servitute me expedi. Nunc enim à patrono me desertum videns, in sinu ridet.

### *ODE V.*

Ratio vivendi mea est luxuriosa, anima inquinata, & vita miserrima: corpus meum totum peccatis vehementer conmaculavi. Idcirco accelera Virgo, & opitulare mihi.

Finis adest, nec possum ferre. Arguit me conscientia, proponit enim mihi scelera mea, vitamque incertissimam; & tribunal filij tui, Virgo, me terrefacit.

O verè immaculatissima, corpus hoc vitiatum fluvius ille igneus & inextinctus, & vermis irrequietus exspectant. Sed tu precibus tuis ab his me libera.

Tremore corripior & consternor propter insidias maligni. Ante finem enim vitæ, perditor ille stridet super me dentibus, méque à virtutibus nudum, ut captivum detinet.

### *ODE VI.*

Dolosus ille septuplicem flammam passionum in me succendit, totumque me cordis adulteriis interficit. Sed tu mater Dei fluentis lachrymarum me riga, & me repellere noli.

In fovea delictorum meorum suffocatum me ne derelinquas, domina. Improbissimus enim hostis me desperatione conflictantem videns, ridet. Sed tu potenti manu tua me erige.

Formidabile est iudicium, ô misera & stolida anima mea, & pœna horribilis atque sempiterna. Nihilominus vel nunc ante matrem iudicis, ac Dei tui supplex procumbe. Cur enim te ipsam desperas?

Ego perditus omnem spem meam in te collocavi, domina, ne modò avertas à me faciem tuam. Ne clauseris mihi benigna viscera tua, mater Dei, sed me tuendum suscipe.

O intaminata virgo, ego ob multitudinem immensorum peccatorum meorum repletus sum tenebris oculique animæ meæ, & mens mea immutata sunt. Quare tu luminis tui splendoribus ad dulcedinem in vacuitate passionum sitam celeriter me revoca.

### *ODE VII.*

Mater virgo quæ unum in essentia, trinum in personis Deum peperisti, & ulnis gestavisti, flammantem passionum fornacem in me restingue, & lachrymarum flumine me ablue.

Adventum mortis horreo, & iudicium illud pertimesco; peccare interim neutiquam desino. Miserere, & serva me precibus tuis, immaculata virgo.

Gemitus perennes mihi largire, domina, fontemque lachrymarum, ut tam multa flagitia mea, vulneraque inexplicabilia eluam, quò vitam æternam adipiscar.

Multitudinem peccatorum meorum indicavi tibi: Nemo enim mortalium, ô domina, filium tuum Dominum nostrum adeo ad iracundiam provocavit: cui me deprecatione tua reconciliare propera.

In hora iudicij ne me inter damnatos colloces, Domine, qui es natura misericors, sed propter preces maternas mei captus misericordia, inter oves tuas à dextris me constitue. *Matt. 25*

### *ODE VIII.*

En ego servus tuus, incorruptissima virgo, multo cum timore & desiderio ad te accedo, gnarus quantum sæpenumero tua valuerit deprecatio. Valet sanè plurimum, ô benedictissima, apud filium matris supplicatio, & eius viscera commovet.

Assume Archangelorum choros, supernorumque exercituum multitudines, præcursorem, Apostolorum cœtum, Prophetas, Martyres minorum maiorumque gentium, & pro me Deo supplica.

Et nunc, & illa die auxilium tuum inveniam, in qua cùm defecerit spiritus meus, dæmonibus sine mora ereptum, ab eorum tyrannide vindica, nec me illis tradi permittas.

Iudicem misericordem & benignum expecto filium tuum, ô linguis omnium prædicanda; ne me despicias, sed eum mihi redde propitium, ut me tum ad dexteram tribunalis sui incorrupti statuat. In te enim speravi.

Angeli, Archangeli, Principatus, Dominationes, Seraphim, Virtutes, Potestates, Throni cum Cherubim multoculis, nunc glorificatum filium tuum venerantes, te quoque, Virgo mater, unà reverenter colunt.

# SIMEONIS
## ARCHIEPISCOPI THESSALONICENSIS,
## de Divino Templo: de eius Ministris, Episcopo, Sacerdote, Diacono: de sacris eorum vestibus: de sacrosancta mystagogia, sive missa.

### *AD PIOS QVOSDAM Cretenses Commentariolus.*

A

## Capita huius Libelli.

*Præfatio.*
*De sacrosancto templo.*
*De sacra mensa.*
*De templo, seu potius de naue templi.*
*De Episcopo, Sacerdote, Diacono.*
*De sacris eorum vestibus.*

## De Mystagogia, siue Missa:

*Vtrum conueniat sacrificantem Episcopum esse mitratum:*
*Pompa per templum, ante liturgiam.*
*Missa catechumenorum.* B
*Missa fidelium.*
*Officij conclusio.*
*Orationes in prothesi quorsum spectent.*
*Ad sacerdotes pia admonitio.*

## PRÆFATIO.

1\. DIVINA impulsi charitate quæsiuisti, à nobis, quorumnam tandem signa, & argumenta sint, quæ in sancta synaxi, siue Missa peraguntur; & quid sibi sacra ornamenta velint. In charitate igitur vicissim accipite, quæ super his pro nostro modulo Spiritus sancti charitate confisi scribimus, & in primis de præstantissimo opere veneratione charitatis Dei, qui nos sic dilexit, secundum scripturam, *ut filium suum unigenitum pro nobis daret.* Venit ergo ad nos in charitate, & qui ubique præsens adest, habitauit inter nos, ex virgine infans procreatus, & ab ætate in ætatem gradatim prouectus, ut ego ab omni macula purgarer, eiusque dictis, & factis ad sanctitatem adducerer. Postremò temeptipsum quoque in communionem mihi dedit. Quoniam enim carne e virgine suscepta mihi unitus est, necesse fuit utique unionem quoque actu, & opere ipso ad fideles uniuersos dimanare. Hæc est enim reformatio, & vita mea. *Nisi manducaueritis*, inquit, *carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Item, *Ego viuo, & qui manducat me, & ipse viuet propter me.* Hoc per mysterium benigne præstitit. Atque ideo baptismi lauacro nos regenerat, suamque generationem ab omni affectione segregatam nobis donat. Per manuum verò impositionem, & insufflationem unguenti gratiam impertitur, quod nimirum unguentum ipsemet est. *Vnguentum enim*, inquit, *effusum nomen tuum.* Qui unxit semetipsum quà Deus, & unctus est, quà homo. Proinde & nos ex bonitate sua ungens, suaueolentem, & vitalem spiritus gratiam nobis elargitur. Quod autem tertium, & summum est, nos sui participes efficit: & id in tradendis mysteriis ostendit. Accepit enim panem, & sacrificauit; & calicem similiter. *Et hoc quidem*, ait, *est corpus meum; hic verò sanguis meus.* Nec sacrificauit modò, verum etiam ad eius nos communionem vocauit, his verbis, *Accipite & comedite.* Et, *Bibite ex eo omnes.* Nec tantummodo tunc illud ipse fecit: sed per aptos, & idoneos nihilominus omni tempore faciendum concessit. *Hoc facite*, inquit, *in meam commemorationem.* Haud immerito. Sic enim & ipse perinde uti nos humanos artus induit, & cum esset Deus immutabilis, nihilominus homo nostri similis apparuit, quò diuinitatis eius consortes ac socij fieremus, diuinissima illud & inexplicabili ratione actum est, ut quibus alimur, & quæ bibimus, iis se misceret qui ubique est, panemque & vinum in corpus & sanguinem diuina sua potentia transmutaret, qui est omnipotens. Per hæc nobis inseritur & immiscetur, cumque sit sol iustitiæ, nobis lucet, & pro portione puritatis illustrat. Nec radiis duntaxat suis simpliciter ut sol agit, sed insuper ex impuris pura reddit, luminique recipiendo accommodat. Quando igitur huiuscemodi est sacrificij mysterium, & hic finis humanæ naturæ à Christo susceptæ (per eam quippe consortes Dei, & dij per gratiam euadimus) etiam Ecclesia Dei maiore quodam ac diuiniore studio in eo tractando versatur, quodque ab initio accepit, eo assiduè operatur, & per sacra symbola, siue cærimonias docet, quæ omnem cogitationem vincunt. Tam autem magnifica sunt etiam quæ oculis in hac sacra functione subijciuntur, ut nemo non ea admiretur. Verum non omnium mentes ad eorum quæ illic obeuntur, cognitionem penetrant; multi hærent, horumque rationes & causas exquirunt. Et sanè vim eorum nulla commentatio assequatur. Nec humanus solùm, sed nec angelicus intellectus comprehendere ac docere queat, quo pacto Deus homo factus sit, & quomodo sese hominibus communicet, aut eorum quippiam, quæ ab Ecclesia promulgantur, & administrantur. Veruntamen non omnino profanos, ac rerum ad se pertinentium ignaros Deus nos reliquit: sed quantum de iis sciri, & inuestigando inueniri, atque intelligi potest, tantam nobis sciendi, inuestigandi, & intelligendi occasionem suppeditauit; quandoquidem nostra causa ea omnia instituta, ac perpetrata sunt. Quantum igitur ea nos cognoscere possumus, quantumque nobis minimis, abiectissimisque concessum est, de iis, quæ nos esse aliquid putantes, interrogastis, cum charitate, magnam partem ex sanctorum Patrum voluminibus comparata supellectile disseremus.

Ioan. 3. 2. · C · Ioan. 6. · Cant. 1. · D · 3. · Matth. 26. · E · Matt. 4. · 4. · F

## DE SACROSANCTO Templo.

PRimum igitur de diuino templo agemus. Nam cùm templum & sacerdos instrumenta sint, sacrificio deseruientia, ille operans hoc, altare ad id exhibens de utroque dicere consentaneum est. Ergo templum quamuis lapidibus & lignis constet, tamen cœlesti gratia præditum est. Ab Episcopo enim mysticis precationibus consecratur, oleo sacro perungitur, totumque Dei habitaculum redditur: nec omnia omnibus, sed alia sacerdotibus, alia laicis habet peruia. Et quoniam in adyta (inaccessa, seu secretiora) & ea quæ sunt extra adyta bipartitò diuiditur, Christum ipsum nobis imagine quadam repræsentat, duplici natura subsistentem, diuina & humana, quorum hæc sub aspectum cadit, illa minimè. Similiter hominem, ex anima & corpore cohærentem. Trinitatis item mysterium præclare adumbrat: quæ cùm per essentiam inaccessa sit, ex prouidentia qua rebus consulit uniuersis, & potestate cognoscitur. Præterea mundum hunc aspectabilem, & illum alium, qui cernendi sensum effugit, imitatur. Quin immo aspectabilem solum. Cœlum quidem per sacrum tabernaculum siue sacrarium; terrestria verò per templum reliquum. Alio consilio sacrum templum ut tripartitum, seu trifariam diuisum consideratur, in locum inquam ante templum, seu vestibulum, in ipsum templum, & in sacrarium, quibus partibus tribus Trinitas, & cœlestes beatarum mentium ordines per tres ternarios distincti, piorum item populus sub triplici discrimine, sacerdotum videlicet, fidelium perfectorum, & publice pœnitentium significatur. Insuper quæ in terris, quæ in cœlis, & super cœlos sunt sacræ ædis constitutio, & habitus denotat. Narthex terrena, media templi cœlum, sanctissimum tabernaculum siue sacrarium, supercœlestia, seu quæ in cœlis sunt.

G · 5. · H · 6.

A

## DE SACRA MENSA.

IDcirco & in sacrario templum per tremendum altare; sacræ mensæ videlicet, cœli Dominum concipiendum proponit, quæ & sancta sanctorum, cathedra, locus Dei, requies, propitiatorium, magni sacrificij officina, Christi monumentum, & eius gloriæ tabernaculum vocatur. Et quidem per velum altaris cœleste Dei tabernaculum significat, vbi angelorum agmina sunt, & sancti requiescunt. Per κιγκλίδας, hoc est, cancellos, differentiam eorum, quæ sensu, ab his, quæ sola intelligentia percipiuntur. Quatuor autem veli partes cum quatuor angulis habet sacra mensa, quoniam plenitudo Ecclesiæ ex quatuor mundi finibus contexta est: & in quatuor illis angulis quatuor Euangelistarum nomina, quandoquidem per illos Ecclesia

B

7. consociata & constituta est, & vniversum terrarum orbem Euangelij annuntiatio peruagata est. Statim post ipsam alia mensa visitur, quæ κενοτάφια, secundum carnem dicitur, quia sepulcrum est & thronus Iesu. Et partim quidem est vt sindon, quo mortui corpus involutum est; partim vt gloriæ amictus; sicut etiam psalmus dum imponuntur dici solitus, ostendit,

Psal. 92 *Dominus regnavit, decorem induit*, &c. E lapide porro est altare, quia Christum refert, qui & petra nomina-

Mat. 21. 1 Petr. 2. Num. 20 tur, tanquam fundamentum nostrum, & caput anguli, & lapis angularis; & quia petra, quæ olim profluentibus ex se aquis veterem Israel potauit, huius imago fuit. Nunc enim nos nouum Israel potat non petra aquam scaturiens: sed æternæ vitæ fluenta præbens, viuum, inquam, Verbi sanguinem. Per sacram verò assessionem Verbum incarnatum, & in cœlis ad dextram patris considens: per gradus, cuiusque sanctorum virorum, & angelorum ordo ascensusque, &

8. per Episcopum IESVS significatur. Quem & sacrum Euangelium in altari conspicuum, & crux sacrificium eius indicat. Sub mensa deinde repositæ sunt reliquiæ martyrum, vtpote quorū spiritus Christo magno martyri semper adsint. Præterea tanquam Ecclesiæ fundamēta hos altare continet, quæ primùm Christi, postea per ipsum etiam martyrum sanguine condita est. Vnguen-

C

to delibutum est, quoniam plenitudinem efficientiæ spiritus, & viuum vnguentum quod sacrificatur habet. Palla autem circumuestitur & ornatur, quoniam quæ super eo fiunt, consideratu difficilia sunt, nec ab omnibus comprehendi queunt. Est autem editum splendidissimumque, vt solium Dei. Per ordines verò sacrarium ingredi solitorum, virtutes extra mundum, siue cœlestes nobis suggeruntur. Et per suffitionem ab altari inchoatam communicans sese, & fragrans spiritus gratia. Per accensa lumina, ea quæ in sanctis inest perpetua ac indeficiens illuminatio. Atque hæc ab Ecclesia per tabernaculum siue sacrarium imaginanda offeruntur.

## DE TEMPLO, SEV POTIVS *Naue Templi.*

VNiversè autem per id quod extra sacrarium est, seu per nauem templi, terrestrem hunc mundum, vt suprà diximus, aut etiam cœlum, quod cernimus,

D

cogitationi obijcit. Quando enim ante templum vota facimus, cœli id loco habemus, & paradisi in Eden similitudinem gerit. Quapropter etiam quædam vela in sacris monasterijs, dum extra psallunt, interijciunt, quæ ingredientes abstrahunt, eo declarantes, Chri-

9. Ephes. 2 stum ad nos vsque descendisse, mediumque parietem maceriæ dissoluisse, dataque pace in cœlum nos subuexisse. Quinetiam qui criminibus sese fœdarunt, intrare non audent. Cum solemni ritu templum dedicamus, huius rei typum quendam exprimimus. Cùm in eo preces concipimus, & sacra præ omnibus veneranda conficimus, altare velut alterum cœlum habe-

E

mus. Terrestrium autem significationem ideo continet, quod ibidem omnes simul concurrunt, congreganturque, ac Deum pariter comprecantur. Qui est ante sacrarium ambo siue suggestus, lapidis a monumento devoluti nos admonet, vbi etiam angelicam personam sustinentes diaconi & sacerdotes, illi quidem in Missæ officio, hi in matutinis Euangelium inde clara voce recitant. Templi pulchritudo, creaturarum pulchritudinem docet. Lumina sublimè ardentia, stellarum fulgores; camera, seu fornices firmamentum imitantur. Oleum autem, ceram, & thymiama offerimus.

Illud ad diuini olei (hoc est, misericordiæ Dei) excitandam memoriam. Hanc, vt quemadmodum illa ex mille floribus extitit, sic nos integram, & perfectam nostri oblationem, omniumque rerum nostrarum sacrificium quoddam per ipsum insinuemus. Hoc autem thymiana, inquam, in signum diuinæ charitatis, quæ se in omnes effudit, & fragrantiæ spiritus. Ac sacer- F

dotes quidem intra sacrarium diuinos hymnos ordientes, primorum ordinum iuxta Deum imaginem gerunt. Diaconi cum lectoribus & cantoribus psalmos, & Scripturas sacras ordine excipientes, medios cœlestium cœtus, siue choros subostendunt. Populus vniuersus de fide rectè sentiens, cantica modulantibus proposito ac voluntate consociatur, Dei misericordiam eliciens. Ad quem se aggregare, aut maleficum, aut non orthodoxum nefas est. *Nulla enim societas lucis ad tenebras.* Si quis autem ad lucem conuersus fuerit, tum 1 Cor. 6.

ab his qui lucis sunt non excluditur. Et hæc quidem diuinum templum, vt in quadam effigie nobis exhibet: tametsi plura his licet illis hinc intelligere, qui considerandi facultatem maiorem à Deo acceperunt.

## DE EPISCOPO, SACERDOTE, *& Diacono.*

SAcerdos præcipuè in sacris litteris angelus Domini omnipotentis appellatur, vt qui diuina præcepta Malac. 2.

annunciet, & diuinam voluntatem impleat. Quin & Iesum repræsentat. Eius enim potestatem per consecrationem est adeptus, & præ illo amplius hierarcha siue Episcopus, qui & in cathedra Christi sedere scri- G

bitur, & potestatis eius diuitias obtinet, vt Dei gratia ligare & soluere possit. Nam hierarcha Apostolorum est successor. Vnde etiam tanquam Christi imago, 11.

rem diuinam facturus, sacra vestimenta induit, quæ omnia significationem, considerationemque spiritualem complectuntur: de quibus pro virili nostra dicemus. Paulò autem superiorem videbimus iis qui tabernaculo consecrantur, & in tres ordines secernuntur, Episcopi, inquam, presbyteri, & diaconi. Quorum Episcopus dicitur φωτιστικός, illuminatiuus, vtpote qui diuini luminis impertiendi auctoritate pollet; omnes enim ab eo accipiunt: inaugurationem & characteres, sacerdotes & clerus, dedicationem templa: baptismum, remissionem peccatorum, sanctificationem, mysteriorumque communionem laici. Omnia vt ex lumine fontis gratiæ Episcopalis. Presbyter autem dicitur τελεστικός, sacrificatiuus, vtpote cui tantum ad sacra peragenda sacrificatoria, non autem communicatiua gratia data sit. Baptizat enim & sacris operatur, non potest autem

H

initiare ordinibus, nec alium creare sacerdotem, aut quicunque sunt de sacro ordine. Diaconus λειτουργικός, 12.

ministratorius dicitur, vt qui ministri locum teneat, & citra sacerdotem facere nihil possit, quod est vltimi ordinis angelici.

A

## DE SACRIS HORVM vestibus.

QVisque horum trium ordinum pro ratione sui status vestes induit. Diaconus quidem, quæ angelicum ordinem referunt. Presbyter hæc eadem, quandoquidem diaconi charismate sive dono prius est affectus, & gratia sacrificatoria, quam ἐπιτραχήλιον indicat. Hierarcha & hæc, ὠμοφόριον insuper, quo Dei filius homo natus significatur. Igitur stola sacra prius contectus στιχάριον, lucidi vestitus angelorum imitamen induit. Sæpius enim in veste fulgenti angelos apparuisse novimus, vt & illum in monumento Saluatoris

Marc. 16 coopertum stola candida. Præterea purum, & ab omni inquinamento liberum sacerdotalem statū esse oportere docet; propter quam puritatem etiam sacerdos hac gra-

B tia dignus iudicatur: quod ipsum testatur, cùm se induens, hæc verba pronuntiat, *Exultabit anima mea in*

Esai. 61. *Domino, quia induit me vestimento salutis*, & quæ sequuntur. Et Diaconus, angelicum sortitus ordinem, vt dictum est, hoc amicitur, fertque in humeris quod ὀράριον nominant, quod quasi alas habet, vt illorum spirituum qua præstant, intelligentiæ

13. celeritatem demonstret. Quare & Cherubim facies obuelantia imitans, ipse quoque dum cingitur, quodammodo, vt rei divinæ particeps & administer futurus, operitur. In ipso item orario SANCTVS, SANCTVS, SANCTVS, scriptum est, quo ministratorius sanctorum angelorum ordo exprimitur. Episcopi autem στιχάριον desuper descendentia habet flumina quæ dicuntur, & gratiam docendi in ipso repræsentant. Nam & inter angelos non omnibus est idem ordo & gradus; sed ibi quoque alij inferiorum magistri sunt. Vocantur autem flumina, propter vocem Saluatoris

Ioan. 7. in Evangelio dicentis, *Qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aquæ vivæ*. Hoc idem pallio Episcopali notatur. Flumina quidem habet propter ea quæ diximus. Pocula verò pro typo veteris & novæ gratiæ: quæ etiam fluminibus quasi innatant; quod aliud sibi vult, quàm magistro, sive doctori ex duobus

C testamentis ad docendum hauriendum esse. Et hactenus de stichario. Ἐπιτραχήλιον sacrificalem, & è cœlo descendentem spiritus gratiam menti subiicit. Ob hoc enim & Episcopus & sacerdos à capite illud induens, *benedictus Deus*, inquit, *qui effundit gratiam super sacerdotes suos*. Vnde eo quilibet sacerdos vtitur, quotiescunque sacrificat. Cingulum nota est ministerij, à Saluatore nostri causa suscepti, quo & functus est in hoc sæculo, & in futuro propter nos functurum se

14. pollicetur. Ait enim, *Præcinget se, & faciet illos dis-*

Luc. 12. *cumbere, & transiens ministrabit illis*. Præterea eius potentiæ magnitudinem insinuat: cui rei testimonio sunt, quæ tum verba proferuntur, *benedictus*, inquit, *qui præcingit me virtute*. Cæterùm hierarcha insuper à zona dependens ἐπιγονάτιον supergenuale fert, quod victoriam adversus mortem, nostræque naturæ immortalitatem, & vires Saluatoris contra maligni dæmonis tyrannidem robustissimas ostendit. Quamobrem & rhomphææ simile est, & lumbis alligatur, vbi hominis robur situm prædicant. Hoc ipsum verba, quæ

Psal. 44. in cinctu adhibentur, confirmant. *Accingere rhomphæa tua super femur tuum potentissime*. Ἐπιμανίκια verò actio-

D nis divinæ omnia efficientis significantia sunt, & Iesum suis manibus sacrificium corporis & sanguinis sui per se obtulisse: cui conveniunt, quæ iis induendis recitantur. *Dextera tua, Domine, glorificata est in virtu-*

Ps. 117. *te*. Et *Manus tuæ fecerunt me, & plasmaverunt me*.

Iob. 10. Quin etiam vincula manuum Saluatoris, in quibus ad

15. Pilatum deductus est, quidam per ἐπιμανίκια expressa volunt. Iam verò sacrum φελώνιον sublimiorem, & supernè collatam spiritus virtutem sub quadam effigie monstrat. Imprimis saccum, quo per ludibrium Saluator indutus est, idcirco & sacci formam habet. Nec

E enim in eo sunt, quæ appellantur μανίκια seu manicæ. Manifestius hoc exhibet, quo cooptati Episcopi vestiuntur, & saccus dicitur. Sed & reliqui Episcopi φελώνιον, plenum crucibus induti (quod etiam πολυσταύριον, quasi dicas, multicrucium vocari solet) clarè docent, quoniam passionis Domini signum est, se illum imitari, qui per passionem & crucem veram iustitiam consummauit, & libertatem nobis tyrannico iugo depulso recuperauit. Hinc & cùm induit illud sacerdos, dicit: *Sacerdotes tui Domine induantur iustitia, & sancti tui exultatione exultabunt*. Ps. 131. Reuera enim iustitia per crucem nobis exultationem peperit. Et hæc sunt quibus diaconus & sacerdos ornantur, dempto tantùm epigonatio: atque hæc mysteria continent, vt à nobis explicari potuerunt. Hierarcha autem cum epigonatio 16. etiam reliquis ornatur, quoniam omnium gratiam obtinet, peculiariter autem & Episcopalem virtutem, & sacrum ὠμοφόριον sibi circundat, quod ex lana confe- F ctum, in orbem humeros, antè & retro convestit. Hoc genus indumenti sine dubitatione à Verbo carnem ex Virgine propter nos susceptam, humanæque naturæ Isai. 53. assumptionem declarat. Ideo enim ex lana quoque texitur, quoniam erraticam ovem, hoc est, naturam nostram signat; & quoniam ipse quoque agnus pro nobis occisus vocatus est. Ipsa item verba, quæ humeris eo tegendis profert, sententiæ huic suffragantur. Ait enim, *Sublata in humeros, Christe, natura quæ erraverat, assumptam Deo & patri illam obtulisti*. De sacris vestibus hactenus.

## DE MYSTAGOGIA, SIVE Missa.

### *Vtrum conveniat sacrificantem Episcopum esse mitratum.*

APerto capite Episcopi & sacerdotes orientis omnes, excepto Alexandrino Patriarcha sacris funguntur: non ob humilitatem aliquam, sed ob causam G altiorem, & longè diviniorem videlicet, quam divinus Eph. 1. 4. Paulus ponit ac docet, Christum caput nominans, nos 1. Cor. 6. autem membra ipsius; & oportere nos Christum ca- & 12. put nostrum honorantes, caput inter orandum nuda- 17. tum habere. Nec ob hoc tantùm, sed quia etiam nudo capite qui consecratur, consecrationem accipit. Atque ita quemadmodum cùm ordinatur, & sacris operari debet. Et hierarcha potissimùm, quoniam & dum consecratur, à Deo tradita eloquia, sive sacrum Evangelium supra caput habet, in sacrificio divinissimo peragendo velato capite conspici non debet. Obiiciat fortasse quispiam, hinc sequi, Alexandrinum Episcopum, & alios quàmplurimos, ex veteri traditione tecto capite sacris operantes, non ritè ac sanctè facere. Istuc non dico. Nam illi id antiqua nixi Exo. 28. traditione, quæ magis legi antiquæ respondet, ita fa- 29. ciunt, quando & legis sacerdos Cidarim, quam & Leuit. 8. mitram vocabant, in capite gerebat. Quo eodem nomine hierarchæ eas gestantes, appellare consueverunt. Ac fieri potest, vt eo capitis tegumento aut spineam Domini coronam, aut sudarium, quod fuit H super caput eius, in mentem nobis revocent. Veruntamen cùm & hi id ipsum quibusdam sacrificij momentis necessariò deponant, beati Pauli traditionem potius servandam hoc ipso testificantur. Hierarcha igitur sacra perpetraturus, de throno in quo aliis circumstantibus sedit descendens, Dei Verbi ad nos condescensionem figurat.

A

### POMPA PER TEMPLVM ante Liturgiam.

INdutus autem sacram stolam, sacratissimam eius incarnationem, & ad portas etiam templi vsque gradiens, eiusdem in terras adventum, præsentiamque, & quo pacto se vsque ad mortem & inferos dimiserit, animi oculis ingerit. Hoc enim sibi volt, quod occasum versus, & ad portas vsque deorsum procedit. Extra sacrarium porrò divinas preces ineunti, diaconi assistunt, qui non modò Apostolorum, verùm etiam angelorum, quos Christus in mysteriis suis ministros habuit, locum tenent. Cùm sacerdotes in sacrario sua quoque psalmodia absoluta egrediantur, sanctorum Angelorum super Christi resurrectione & ascen-
B sione delapsus concipiendus est. Ac dum præferuntur faces, & diaconi bini, iterumque bini cum sacro Evangelio præcedunt, & Episcopi latus vtrumque item diaconi tegunt, à tergo autem sacerdotes reliqui sequuntur, & illud. *Venite Christum adoremus,* clarissima voce cantant, & Episcopo faustum acclamatur, paulò post precationem illud elata voce recitante, *Sapientia erigite, &c.* resurrectio & ascensio Domini in imagine proponitur Diaconus etenim sic voce
19. clarisona Saluatorem in vitam redijsse nuntiat. Chorus autem sacerdotum & diaconorum, vt iam diximus, Apostolos Domino præsentes, eumque intuentes, sanctissimosque Angelos, Episcopus ipsum Dominum redivivum discipulis apparentem, & in cœlum proficiscentem quadam figura reddit. Quocirca totum templum extra sacrarium terram, ipsum verò sanctissimum sacrarium sedes cœlestes referre docuimus. Vnde quod secundùm Davidis vaticinium Dominum deducebant
Psal.23. Angeli, alios in superis appellantes illis verbis: *Attollite portas principes vestras,* ac Dominum Iesum regem gloriæ nominabant, eumque potentem confitebantur. Ecclesia similiter facit, dum solemni pompa ducendo Episcopum in sacrarium, ingredientem laudibus cele-
C brat. Idem portæ sacrarij, antequam veniat clausæ, rursumque ad eius introitum apertæ significant.

### Missa Catechumenorum.

CVm verò ingressus circum sacram mensam thus adolet, ea cæremonia Spiritus sancti præsentiam monstrat, qui post Christi in cœlos ascensum ad nos venit. Etiam τρικηρίῳ signans Evangelium hierarcha, docet illuminatione per incarnationem Iesu, duplici natura constantis, non solùm in terra homines, sed in cœlis quoque angelos illustratos fuisse, & eum ipsum qui caro factus sit, Dei filium esse. Hymnus
20. τρισάγιος, qui mox sequitur, mysterium Trinitatis ostendit, quod incarnatio vnius de Trinitate hominibus promulgauit. Præterea angelorum hominumque conspirationem atque consensum. Idcircò & intus à sacerdotibus, & foris à clericis & laicis cantatur: quandoquidem per Christum angeli & homines vnius Ecclesiæ societatem coniunxerunt. Quod ipsum Episcopus declarat, dum rursus τρικηρίῳ Evangelium signat, & in eodem Trinitatis prædicationem contineri indicat, & id confirmari ac stabiliri precatur. Sed & sacro thro-
D no conscenso (quod Christum ad dexteram patris considentem notat) & ibi τρικηρίῳ signans, sanctificationem per Trinitatem factam. & Christum, vbi in cœlum migrauit, splendorem Trinitatis (cuius typus est lumen) & benedictionem nobis tribuisse confirmat. Sedendo Christi assessionem imitans, & assessores habens coëpiscopos & sacerdotes, Apostolorum figuram & similitudinem gerentes, pacem om-
Ephes.2. nibus precatur, quod vnionis concordiæque sym-
21. bolum est. Christus enim est, qui soluit inimicitias in carne sua, *& fecit vtraque vnum*, quæ in cœlo, &

E quæ in terris sunt, inquit Paulus. Deinde ad Apostolorum missionem ad gentes in memoriam nobis redigendam, Apostolica scripta recitantur. Interea non diaconi, sed Episcopus, & sacerdotes sedent: quoniam ipsi quoque Apostolicam gratiam perceperunt. Ante Evangelium cantatur hymnus Alleluia, quo quidem adventus gratiæ Dei, quod est Evangelium, insinuatur. Ipsa porrò eius recitatio, Evangelium post ascensionem Domini per vniversum mundum à discipulis annunciatum monet. Quocirca & prius Apostoli epistola, deinde Evangelium legitur. Quia primum quidem corroborati sunt discipuli, postmodum orbem longè lateque peruadentes, Evangelium disseminarunt. Ante Evangelium thymiama datur; propter datam ab eo gratiam spiritus toti mundo. Dum Evangelium legitur, Episcopus ὠμοφόριον deponit, servitutem ac subiectionem suam 22.
F erga Dominum demonstrans. Quoniam enim ille per Evangelium loqui cognoscitur, & tanquam coram adest, ipse tunc monimentum incarnationis eius gestare non audet; sed ab humeris ablatum, diacono tradit, qui illud dextra complicatum retinet, ipsi Episcopo astans, & dona sacra præcedens. Item τρικήριον manu tenet, per quod intelligimus, Iesum conspectum iri in futuro sæculo ab omnibus, qui pro nobis incarnatus, & vulneratus est; & cùm de Trinitate sit, nos divinitatis suæ splendoribus illuminat. Descendens de cathedra Episcopus, & pro Imperatoribus Deum clarè rogans, ac post Evangelium τρικηρίῳ populum signans, per Evangelium pium imperium & sacerdotium constitutum ostendit, atque vt ita per gratiam Trinitatis permaneant, precatur.

### MISSA FIDELIVM.

VBi ad aram prodiit, precationum opus incipit, seque mysterij ministrum demonstrat. Catechumeni illico dimittuntur, solique fideles manere iubentur,
G quoniam tempus hoc consummationis tempus repræsentat. Ait enim, *Postquam prædicatum fuerit Evan-* Mat.24.
*gelium in toto mundo, tunc veniet consummatio. Cùm in fine miserit angelos suos*, inquit, *& separauerint malos de medio iustorum.* Hoc & Ecclesia agit, dum 23.
clamans catechumenos exire, fideles tantùm remanere præcipit. Vnde etiam perspicere licet, quantum sibi fideles cavere debeant, ne communicent cum iis, quibuscunque nulla potest esse communio: ac præsertim sacerdotes. Si enim nefas est communicare in precibus, quanto magis in sacrificio? Qui etiam palam peccantium fidelium oblationes propter sacrificium non debent temerè admittere; sed pœnitentiam prius requirere. Communio enim fit pro oblata parte, & sacrificio indignos eo participare nefas. Cum divina dona proponenda sunt, prius in omnium conspectu manus lauat Episcopus, indicans hac cæremonia, se ad liturgiam purum, & nulli reprehensioni affinem, aggredi, & cum munditia sine omni immunditia, quantum fieri potest, accedere, mysteriaque mundissima tractare oportere. Posthæc veneranda dona cum comitatu & pompa splendida circumferuntur, lectoribus diaconis, sacerdotibus cum lampadibus, & sacris vasis præ-
H euntibus ac sequentibus. Hac processione extremus, & maiestatis plenus Christi aduentus præmonstratur. Ideò & ὠμοφόριον cum cruce præcedit, quo docetur, Iesum, & signum eius de cœlo ostensum iri. Quod
mox sequuntur diaconi, qui Angelorum ordinem referunt, id quod & flabella quæ dicuntur, & à sancto Dionysio alæ vocantur, significant. Secundùm hos qui divina dona portant, ac postea reliqui omnes. Et qui in capite gestant sacrum ἀέρα (quod nodum & mortuum Deum expressum habet, agnum 24.

A dictum) hi templo obito, & populo ad preces excitato,
ad altare ingrediuntur, omnesque pro Episcopo orant
nec tum alius, quàm regni Dei meminerunt. Hæc
autem omnia docent, quomodo in fine mundi, appa-
rente Saluatore, postquam mali à Deo alieni recesse-
rint, non alia erit hæreditas fidelibus, quàm regnum
Dei. Regnum autem Dei est ipse Christus, cuius œco-
nomia spectatur in eo, quòd se humiliauit vsque ad
Phil. 2. Luc. 15. mortem; quod pro nobis occisus est: quod occisum
illius & vivificum corpus vulnera inspicienda exhi-
buit, & immortalitatem adeptum contra mortem
triumphum nobis largitum est, ex vulneribus suis in-
corruptionem, & vitam, & divinitatem cum angelis
nobis impertiens, & alimentum ac potum, & vitam,
& lumen, ipsum panem vitæ, verum lumen, vitam
25. æternam, qui est Christus Iesus. Quare pompa ista
simul & secundum adventum Saluatoris, & sepultu-
ram eius ante oculos ponit: quoniam ipse erit, vt di-
B ximus, quem in futuro sæculo contemplabimur. Pro-
cidunt autem in genua omnes fideles ante sacerdotes,
ac iure id quidem partim ipsorum preces, & sui me-
moriam in missa cogitantes: partim divina dona ve-
nerantes. Quamquam enim sacrificata nondum sunt,
tamen in prothesi) in minori altari in sacrario, vbi
panis à sacerdote consecrandus primò ponitur, quasi
dicas mensa seu altare propositionis) Deo dicata, &
ille se ad supernum altare suscipere dixit. Quamvis
igitur nondum in sacrificium adhibita, nihilominus
ad id parata, & consecrata Deo, & typi Dominici
corporis & sanguinis sunt. Si ergo sacris hisce dono-
rum verorum imaginibus honorem, adorationemque
tribuimus, multò magis ipsa vera, & per hæc expressa
dona nobis honoranda atque adoranda sunt, vt magnus
Basilius scribit: siquidem ab offerentibus in corpus &
sanguinem Christi conversa sunt. Quin & propter
sacra vasa sacerdotibus flectere genua oportet, tametsi
ex iis tria sunt vacua. Omnia enim propter divina
dona in ipsis sacrificata, sanctificationem participant.
26. Nec mirum si quædam inania sint. In honorem quippe
divinorum donorum hæc circumferuntur atque vt tum
videntes ea, tum appropinquantes sanctificentur om-
C nes. Imposita mensæ sacra dona, cooperiuntur, quia
non omnibus ab initio cognitus fuit Iesus: & licet
corpus assumpsisset, non tamen ab abscondita divini-
tate ac providentia sua discessit: sed incomprehensus
& infinitus est semper, tantumque duntaxat cogno-
scitur, quantum ipse revelat. Preces autem prono ca-
pite petit ab omnibus Episcopus, agnoscens & ipse
semetipsum, & ad opus istuc tremens ac pauens, il-
Iacob. 5. ludque Apostolicum implens, *Confitemini alterutrum
peccata vestra, & orate pro invicem.* Non enim fidit
sibi, cùm ipse quoque homo numeretur. Signat verò
populum, postquam pro eo sacerdotes oraverunt, orans
Deum pro ipso, sicut ipse omnium preces exposcit.
Quamobrem non Kyrie eleison populus clamat: sed,
***ad multos annos Domine***, quasi rogans Deum, vt sa-
crificet fœliciter, & in ea functione ætatem longius
extendat. Ingresso eo sanctuarium, ianuæ clauduntur,
tur, quod mysteria videri ab omnibus non deceat; ve-
27. rùm ab iis solum, qui sacerdotio sunt initiati. Præte-
rea quomodo inter angelos primi divina claritate sine
medio fruuntur: secundi per primos, & postremi per
medios (vt cœlesti præditus sapientia docet Dionysius)
sic item in Ecclesia est videre. Hierarcha quippe sine
D medio ad divinam mensam accedit; sacerdotes autem,
& sacrorum ministri per ipsum. Per sacerdotes deinde,
& ministros, in tremendæ communionis, sacrorum-
que hymnorum societatem populus venit. Post primam
precem sacri symboli quod dicitur, fit salutatio, quo-
niam scil. per sinceram Trinitatis confessionem, &
vnum de Trinitate incarnatum, inter nos vniti sumus,
ipsaque confessio cum angelis nos consociauit. Et quia
diligere debemus invicem, quando & Christus per cha-
ritatem pro sacrificio oblatus est. Et communicaturum
illi ita vacantem accedere oportet. Et quia in futura
E vita omnes amici, nullus ibi inimicus erit: procul enim
inde proiicientur. Relinquuntur porrò tecta sacra dona,
donec sacrum symbolum absoluatur; quoniam omnia
de Iesu purè confiteri, atque ita demum apertè ac sine
integumento ipsum intueri convenit. Posthæc hierar- 28.
cha sacrificans altari astat, & divina laudans opera,
atque pro omnibus gratias agens, ad angelos aggrega-
tur, victorialemque cum iisdem hymnum acclamat,
SANCTVS, SANCTVS, SANCTVS, quod idem popu-
lus præstat. Ex quo intelligimus, in futuro sæculo
easdem nos laudes cum illis, quibus coniungemur, Deo
cantaturos. Deinde hierarcha laudato divinorum ope-
rum omnium maximo, vnigeniti incarnatione, rursum-
que præclarissimo opere œconomiæ illius, morte scili-
cet pro nobis oppetita, ad recolenda mysteria progre-
ditur, & sancta verba, quæ Saluator ipse sacrificans
protulit, clarè pronuntiat. Postmodum gratiis actis
pro omnibus, donisque oblatis pro omnibus, divinum F
sibi auxilium, & super dona proposita gratiam spiritus
implorat, per quam & his signo crucis, invocatione-
que spiritus consecratis, statim Iesum, qui est verè
panis & poculum, ante se positum videt. Eius namque
corpus ipsum est panis, & eius ipsemet in calice san-
guis; & pro vniverso mundo hostia, communeque
propitiatorium, & vivæ deliciæ, infinitaque lætitia,
& regnum cœlorum, & solum revera bonum in Sacra
mensa mortalibus vniversis proponitur. Quocirca
etiam pro omnibus hierarcha fidenter precatur. Con-
cipit enim fiduciam, benignum & patientem coram 29.
se positum pro sacrificio intuens, laudat, & omnium
nomine eum obsecrat, sanctorumque hominum, qui
ex hac vita migrarunt, memoriam vsurpat: ante alios
Virginis Dei matris, quæ ipsum clauso vtero peperit:
testans & in hoc, nobis cum sanctis societatem inter-
cedere, & per istuc sacrificium nos illorum consortes
esse, qui fiduciam apud diligentem & dilectum ha-
beant, qua nos ei reconciliare, & vnum cum eo effi-
cere queant. Tandem vbi rogauit, vt vno ore, & vno
animo Deum collaudemus, & misericordiam magni
Dei Iesu Christi super nos invocauit, cœlesti patri nos
adoptandos offert, orans vti per naturalem eius filium G
a peccato purgati, secundùm gratiam filij euadere, &
qui pater est cœlestis, eum dignè vocare patrem possi-
mus. Quod autem patrem appellamus in oratione Do-
minica, quam tunc pronuntiat, signum est concordiæ
in futuro sæculo, & vnionis cum Deo in Spiritu san-
cto per vnigenitum eius filium. Vnde hierarcha pacem 30.
precatus, & gratiis actis, & Iesu invocato, vti se san-
ctorum participem faciat, & mereantur etiam cæteri
per ipsum participes fieri, postquam sacris absolutis ad
communionem devenit, *ὠμοφόριον* recipit, declarans
hac re, se prius ministrum fuisse, & sanctum illud in-
dumentum in se capessere veritum. Quoniam autem
perfecto opere, & ad eleuandum panem, atque in
partes dividendum, & ad capiendum, aliisque distri-
buendum accedit, necesse est illum omnia dignitatis
suæ sacra symbola inducere. Et cùm hierarchæ præci-
puum indumentum sit *ὠμοφόριον*, illud necessariò assu-
mit. Indutus igitur, & in altum sublato pane, dicto-
que SANCTA SANCTIS, ille quidem ad sacrum illud
sacræ mensæ, & viuum alimentum sanctos omnes vo-
cat, dum dicit, SANCTA SANCTIS: populus vicissim
consona voce clamat VNVS SANCTVS, VNVS
IESVS CHRISTVS *in gloria Dei patris.* Quod à Pau- H
lo scriptum resonabit in extremo die, quando Iesu *fle-* Phil. 2.
*ctetur omne genu, & omnis lingua confitebitur, quoniam
Dominus Iesus est in gloria Dei patris.* Hoc igitur com-
munis vnio fidelium, consensusque in proclamando
incarnato filio Dei, qui regnabit super omnes, *Et regni* Esai. 9.
*eius non erit finis*, vt scriptum est, sine vlla dubitatio-
ne significatur. Quin etiam ad vocem SANCTA SAN-
CTIS, quod respondetur, VNVS SANCTVS, pri-
mùm quidem sanctitatem Dei, qua ex semet sanctus
est, & ab eo omnes sanctificatos sanctitatem adipisci
annuntiat, & rationem causamque humilitatis

complectitur

A complectitur: quasi dicatur, quis nostrum mundus, aut quis sanctus est? vnus solus sanctus Iesus Christus, qui benignè nos sanctificabit. Quod autem eleuatur panis, Iesum in crucem sublatum intellige.
31 Quare & poculum, seu calix proponitur, ipsa quæ ex sacro eius latere manarunt sanguinem, & aquam continens. Pane igitur in frustulla quatuor, forma crucis diviso, ea deponit, & in eo Iesum crucifixum contemplatur: nec est alia talis contemplatio, qualis, Deum altissimum talem pro nobis factum contemplari. Superiorem autem portionem, cum ea crucis figura expressa, in calicem immittit, mysteriorumque vnionem facit. Post, ferventem aquam in calicem iniicit: quo testatur, etiam mortuum Domini corpus, divinaque anima ab eo separata, nihilominus vivificum mansisse, divinitate nimirum, operationibusque spiritus vniversis ab eo
B neutiquam divulsis. Et quia aqua fervens vitalem speciem ob calorem præbet, tempore communionis adhibetur: vt labiis admotis, & sanguini communicantes, ita afficiamur, quasi è vivifico illo latere biberemus.
32 Afferuntur huius rei rationes à summis viris aliæ quoque & singulares, verum nobis ista sufficiat. Nam vt ex verbis ad hanc ferventis aquæ iniectionem addi solitis intelligere licet, hic quem diximus, Ecclesiæ scopus est. Ait enim, *feruor sancti Spiritus*. Immo verò etiam quod in perfectè sanctificata fervens aqua inditur, hoc liquidius declarat. Non enim foret opus, si alius esset finis, id in donis facere, cùm in extrema
Mat. 11. liturgia in calice id factum sit. Alias autem partes in multas particulas dividens Episcopus, etiam in hoc Dominum sacrificantem imitatur, fregit enim panem, vt scriptum est, deditque discipulis suis. Primus ipse panem, ac tremendum calicem participat: neque enim alius illi porrigit, nisi forte quispiam eiusdem ordinis adsit, Episcopus videlicet. Deinde aliis omnibus, manum & maxillam sibi osculantibus communionem carnis impertiens, etiam in futuro sæculo indissolubili nexu nos vnum cum Illo fore denuntiant. Manus autem & gena osculum suscipiunt, illa quidem vt ministra, & quæ tremenda illa tangit: hæc, quia sermonis instrumentum est, vnde preces; & propter charitatem, communionemque in Christo,
C quod & verba internecti solita probant. CHRISTVS IN MEDIO NOSTRVM. Præterea propter alapam, quam ibidem Dominus pertulit: quo recordetur
33. Episcopus, qualem humilitatem Dominus nos docuerit, nec vllo modo in tam divinis magnisque functionibus efferatur. Vbi porrò ij qui de sacrario sunt, in sacrario communicarunt: & ordini convenienter (vt & in futura vita futurum Paulus docet,
1. Cor. 15 *vnusquisque*, inquit, *in ordine suo*) manibus & ipsi divinum panem acceperunt, & calicem libarunt, posteaquam sanctissima dona cooperta etiam populo exhibentur. Quod monet, non esse fas, vt dictum est, omnes hæc aperta aspicere. Quod si quis ad communionem est paratus etiam hic cum religione ac timore accedens, non sine medio; sed per fistulam seu cannam de manu Episcopali communicat. Atque ita
Tit. 1. oratione super hæreditate Dei, & populo acceptabili fusa, abit, donis suffitum adhibens, & adiiciens, quæ assumptionem Domini, & in posterum gloriam prædicationis significant, veluti sic eum alloquens:
34. Tu vsque ad nos descendisti, & inter nos visus es, &
D in cœlum ascendisti. Te assumpto gloria virtutis tuæ omnem terram impleuit. Per quam & nos sacrificantes tua mysteria, & participamus te, & quotidie ac perpetuò habemus te. Posthæc sacris à prothesi ablatis, diacono quidem disco super caput, sacerdotibus autem manibus calices tenentibus, ipse gratiis actis, & manibus lotis egreditur, quodque vocatur [illegible], in populum distribuit. Quoniam enim Episcopus Christum, vt docuimus, exprimit, ipsum & sacrificauit, & participauit, & sacratis viris impertiuit. Sanctificationem autem participare opus est populum, quanta

E quidem à precibus, & tremendo sacrificio intellectuali modo fidelibus communicata est. Et quoniam etiam per vestes quasdam, vt quæ corpus contexerint, sanctificationem accipere oportet, per [illegible] id fit. Est autem sanctificatus panis in prothesi repositus, ex quo medium exsectum ad sacrificium offertur. Hic postea vt lanceola signatus, & divinis verbis super se factis, loco donorum tremendorum videlicet iis qui non communicarunt, dispertitur. Quod Episcopus vbi fecit, & populo bene precatus est, finem missæ imponit.

*OPVSCVLI CONCLVSIO.*

AC nos [illegible]idem Missæ sacratissimæ arcana fusius explanare volebamus: sed cùm id intelligentiæ nostræ tenuitas prohibeat, & summi ac divini quidam viri pro excellenti cognitione sua de his conscripserint, eò vos mittentes, conticescimus. Quæ verò
F attulimus, non ea ipsi excogitauimus: sed ex Patribus, & pietatis doctoribus præcipuis, qui de his sublimia scripserunt, hausimus, & expressimus. Erat in animo de iis quoque differere, quæ in Prothesi fiunt: verùm quia de his similiter iidem explicauerunt, nos verba facere nihil attinet: pauca duntaxat admonebimus.

EIVSDEM

# SIMEONIS
## THESSAL. ARCHIEPISC.
### De Sacris Ordinationibus Liber.

## CAPVT I.

*In quo rationem suæ scriptionis explicat, & vnius cuiusque ordinationis functiones enarrat & distinguit.*

G CLERICVS. En à te edocti sumus quæ ad
35. divinum templum pertinent & cum eius cognitione multa alia novimus, Cæterum sancte domine explica quoque nobis quæ sacras ordinationes spectant. EPISCOPVS. hoc certe faciam, cum nobis qui consecrati sumus scire necessarium sit rationem divinorum mysteriorum quorum participes sumus, vt quo magis cognoscimus quibus donis & gratiis dignati sumus, eò æquiorem & gratiorem servitutem benefactori nostro exhibeamus, & pro viribus divino operi agendo cum timore studiose incumbamus. Qua ratione multiplicem mercedem pro modico certamine & labore consequemur, remunerationem accipientes merita nostra excedentem, talemque qualem à Deo hominem accipere par est, hic secundum vires tribuens, & velut creatura, & creaturarum pusilla porticula ille vt solus creator & omnipotens. Contra autem nullo modo fiat: condemnatio pro mercede ei retribuatur, qui de talento sibi credito rectè non fuerit negotiatus, vel divinam illam mnam in terram
H defoderit, aut aliquo modo adulteraverit. Sed propitius sit nobis deus, dei vivi filius, & solus magnus Episcopus, saluator mundi, qui Christus est, purus, sanctus, peccati expers, princeps Pacis, pacisque conciliator, corde mitis, & humilis, qui bonus est pastor, animam ponens pro ouibus suis donecque nobis ipsum amare toto animo, atque vt ipsi placitum est per ipsum ipsius ovile pascere, & sacra divini eius sacerdotij munera vnumquemque nostrû secundû gradum ipsi impositû, eius voluntati obsequentes perficere, & adimplere, vt cû ipsi placuerimus, et tandem vniamur, & per ipsum

A com divino eius grege nos quoque saluemur. Nunc materiæ propositæ inchoanda tractatio.

Duæ sunt igitur extra Sanctuarium manuum impositiones, lectoris & hypodiaconi. Sunt & aliæ, officiorum videlicet, & Deputati, sive, vt ita dicam, Cereoferi, quæ ante lectorem celebratur. Ista nescio qua ratione non fit amplius, & nunc veluti deficit. Vigebat autem ante paucum tempus in Thessal. Ecclesia, & in antiquis formulariis describitur. Ordinationes autem eximiæ & propriè dictæ quæ intra Sanctuarium fiunt & in ipsa sanctissima mensa, tres sunt in Trinitatis similitudinem de quibus loquitur S. Dionysius, Diaconi, Presbyteri, & Episcopi. Istam quidem [illegible] ministrationem, velut ad Ministrum pertine[illegible], & duabus aliis subordinatam. Nihil enim minister sive Diaconus
B sine Episcopo vel Presbytero facit. Hanc autem perfectivam, quæ scilicet ad Presbyterum spectat, quæque sacrificij & baptismatis mysteria, & alia quædam operatur, non autem omnia; nec enim Ordinationes. Nam gratiam communicativam non habet, neque aliquid aliud perfectivum, vel illuminativum producere potest, sed mysteria solum & baptismum perficere.

Verùm Episcopus illuminandi vim habet, eo quod Patrem luminum imitatur, ipsiusque virtutem abunde possidet, & per ipsum omnis ordo, omne mysterium & Sacramentum. Ipse enim ordinatione sua & baptizare valet, simul & sacrum vnguentum conficere; & quæ ad ministerium, & perfectionem, & illuminationem pertinent, perficere, & legere, & psallere, & Monachos constituere, & domos dedicare, & gradus sive officia distribuere, & matrimonio coniungere, & virgines congregare & consecrare, omnia denique per gratiam Christi præstare. Omnia enim Ecclesiastica ab ipso velut luminis fonte perficiuntur: Ideo Episcopus illuminativus vocatur. Nunc autem ab eo gratiæ dono incipiemus, quod est omnium minimum, vt breui ad perfectum accedamus.
C Hoc etiam ita visum est magno Dionysio, qui à Diacono incipiens ad Episcopum progressus est. Nos igitur & de hoc, & de aliis quoque dicere volentes, à primo Sacerdotij charismate, qui lectoratus est, incipiemus.

## CAPVT II.

*Ritus Ordinationis Lectoris illiusque sacra explicatio.*

HIc ergo ad Episcopum adducitur, dato prius testimonio quod sanctæ sit vitæ, quod sacra conversatione & promotione dignus, literasque sacras didicerit. Episcopus autem sacram stolam indutus, & pallium, quod in omni sacri mysterij confectione gestare solet (hoc enim repræsentat Iesum Deum & incarnatum) Deo benedicit, gratias convenienter agens in omni Dei opere, sed maximè pro homine qui in ipsius ministerium eligitur. Finita Trisagij oratione à Clericis luminaria tenentibus, quia tum illuminatio fit, & gratia communicatur, Episcopus
D vestem nigram quæ humilitatis & religiosi timoris Symbolum est, benedicit, & consecrandum iubet eam induere. Quo facto ad eum adducitur, & benedicitur, signo crucis ab eo ter manu peracto: postea obsignatur. Tondet enim Episcopus capillos capitis eius in figuram crucis, divinum & tremendum Trinitatis nomen super eum invocans, ex qua omnis sacra consecratio & mysterium. Primùm quidem capillos in vertice capitis tondet dicens, In nomine Patris; Postea in fronte dicens, & filij: Deinde ex latere capitis dextro dicens, & Spiritus sancti; iterumque ex latere sinistro crucem perficit, inferens, vbique nunc & semper. Omnes autem ad vnam eamque invocationem respondent, Amen, confitentes simul & confirmantes quæ ab Episcopo fiunt. Capillorū E
autem detractio & resectio consecrationem significat: Capilli enim totius sunt corporis flosculi de eo efflorescentes, qui detractione sua indicant primitias ab homine Deo offerri.

Fit autem illa capillorum resectio in crucis figuram propter Iesum; quoniam ipse incarnatus & crucifixus sanctificat: In nomine autem Trinitatis; quoniam solus Deus est omnium creator, & consummator. Postremò fit in vertice, à quo Tonsura incipit (maior enim Tonsura & integra ab aliquo Clerico perficitur) quoniam Christus omnium est caput, & vertex, sigillumque & signum iis qui propter ipsum perficiuntur. Ipse quoque iis insidet, & Rectores sanctificat, F
eorumque est caput. Confecto igitur in vertice maiore sigillo, vt ipsius sanctificatio ab eo velut à radice in vniversum hominem perveniat, iterum adducitur ad Episcopum.

Adductus igitur ad Episcopum, iamque per tonsuram consecratus, & phenolio sive camisio, quod est sacrorum indumentorum primum & veluti primitiæ, benedicto, manumque Pontificis deosculatus per collum induitur, non secus ac si iugum Sacerdotij subiret, Deique protectioni subiiceretur, & ministerio devoveretur. Deinde signo crucis ter obsignatur super sigillum tonsurâ impressum: Et Episcopus ponens manum super illud sigillum, (qua re virtus Dei protegens & gratiam communicans ab eo demonstratur) Deum precatur vt consecrandum sibi Electum sanctificet, & cum omni sapientia & prudentia divinorum oraculorum lectionem & meditationem exerceat, sicque gratias agens hanc orationem complet. Oratione completa iterum obsignat eum ad Sacramenti consummationem, pacemque illi precatur propter pacem à Deo obtinendam, & cum eo vnionem; & dicere eum iubet, si in lectorem ordinatus est, lectionem G
ex Apostolo; si verò in Cantorem, ex Psalterio. Sicque data illi pace & precatus, consecratum dimittit vndique signo crucis velut muro inctum & munitum. Nonnulli verbis lectis attendunt, eaque velut proœmia & argumenta futuræ Consecratorum vitæ æstimant.

Sic igitur qui lector constitutus est legit ab eo tempore scripturas propter populum positas, sacra scilicet Prophetarum & Apostolorum oracula, à Diaconis vel Presbyteris iussus, stans in medio, aperto capite eo modo quo obsignatus est. Nec hoc tantùm, verumetiam Sanctuarium ingrediens vt Sanctuarij Minister, lumina accendit, ignemque affert Sacerdoti, præceditque Cereos accensos ante sancta dona gestans; oblationes quoque, & aquam, & fervidam Sacerdoti affert, & exornat quæ ad templum spectant; cæteraque subministrat, hymnos quoque divinos psallentibus præcinit, sive canonem incipit, atque vt absolutè dicam, Divinorum minister est in templo. Hæc autem omnia cum pietate & tremore agere debet, & quarum rerum minister est, attendere; cogitare quoque se Dei esse, & eorum qui ad eum appropinquant, & cum sanctis se ministrare, illucque accedere quo se conferunt Angeli & habitant. H

## CAPVT III.

*Ritus Ordinationis Subdiaconi, eius officia & sacra horum explicatio.*

POST Lectores, sequitur, vt diximus, Subdiaconorum ordo, qui lectoratu excelsior est, vtpote Diaconis tantùm postpositus. Lectoribus autem & Psaltis licet post susceptum divinum sigillum legi-

A timo matrimonio jungi; Subdiaconis autem nō ampliùs. Illi igitur postquam lectoris sigillum primùm acceperunt, & bene ministrarunt, tempore huic Ordinationi suscipiendæ definito offeruntur. Tempus autem est annus ætatis vigesimus. Pontifice igitur stante ante portas regias, Missa nondum incepta adducitur qui manus impositionem Subdiaconi accepturus est, vestem nigram indutus, & porphyreum camisium. Accenduntur que luminaria, quod in omni Ordinatione fieri solet in gloriam magni luminis, & demonstrationem illuminationis divinitus subministratæ. Deinde iussu Pontificis camisium deponit, & Sticharium induit Pontifice ipsum benedicente: Sed priùs ad Orientem versus ter Deum adorat autorem & Subministratorem illuminationum, velut ad maiorem illuminationem, quæ Stichario significatur, accedens. Porphyream quidem vestem exuit, quæ passionis indicium est, ut pote vibices adhuc sanguinolentas indicans: sed album sticharium demonstrat puriores gloriæ Dei radios, B amictumque perturbationis expertem. Eum etiam cingunt, ut doceant eum non posse ampliùs vestem castitatis suo arbitrio possidere, sed ipsam circa lumbos eius in humilitate constringi per temperantiam & castitatem, cum in posterum uxorem ducere non possit.

Adiens igitur Episcopum ab eo signatur, quia Iesus qui mortificatus est, & vivit, ipsum inaugurat, & ipsi consecratur. Manus quoque illi imponitur, quoniam oratio à Deo gratiam & protectionem recipit. Ipsa autem est eiusmodi: *Quia tu posuisti in Ecclesia gradus & ordines, hunc quoque suscipe, ut adstet portis templi sancti tui, &c.* Et cum gratias egit, eumque signavit, mantile imponit Episcopus eius humero, manibus autem malluvium tradit: ipse verò Episcopi manus deosculatus hæc accipit. Huncque honorem ei defert, eo quod huiusmodi minister um consecutus est. Episcopus autem manus extendit, & consueta recipit; sicque ordinatus benedicitur, & salutans Subdiaconos, C ut factus eiusdem ordinis, ad eos abit, executurus Subdiaconorum munia; custoditque portas sacras, ne quis Prophanorum intra Sanctuarium ingrediatur: tangit quoque vasa sacra, & pulchro ordine ea disponit, ut Sacerdotes præparata invenientes dona deferant, & in maximo introitu ea suscipiens, vasa inquam sacra quæ supersunt, conservat, & Ministris (sive Subdiaconis aliis) tradit. Fas enim non est inferioribus quàm isti sunt, ea tangere. Catechumenos quoque expellit tempore constituto, cum scilicet dicit Diaconus, *Catechumeni procedite.* In Litaniis crucem tenens cæteros præcedit. Subdiaconi insuper cereostata in divina mensa; & triceriuum Sanctuarij, & luminaria præparant, & adornant: Ideo in omni sacra operatione cum Episcopo inserviendum est, accedunt illi ad sacras portas post Diaconos, ibique mysteriorum communione fruuntur. Sic se habent ea quæ ad Subdiaconos sive Ministros pertinent.

D

## CAPVT IV.

*Ritus Ordinationis Diaconi, eius officia, & sacra horum explicatio.*

POst hos veniunt Diaconi, qui & Ministri & Levitæ velut à legalibus illis, dicuntur. Veruntamen nihil est æquale istis & antiquis: Quoniam hi umbræ serviebant, illi verò veritati, & Apostolicis Diaconis, quorum Stephanus primus erat, adnumerantur; quique non solùm mysteriis inserviunt, sed etiam administrant ea quæ in Ecclesia sunt officia. Hoc etiam huc usque fieri videre est. Præcipuos enim & selectos è Diaconis in Episcoporum ordinem admittunt: Cruces quoque in capite gestant, & indices constituuntur. Eorum quidem unus quæ ad magnam Ecclesiam pertinent tam pro Clericis quàm pauperibus, administrat E iuxta sanctissimum Stephanum: Alius verò quæ ad sacra tantùm: Alius quæ ad vasa sacra, & Ecclesiasticam disciplinam: Alius quæ sunt Sacerdotum & iudiciorum inter eos exercendorum disponit & curat, actaque describit, archivis inserit, & custodit: Alius sacrarum domuum quæ in urbe sunt, curam gerit, ut omnia in eis bene se habeant, præsertim quæ ad Ecclesiarum Sanctuaria: Alius ad religionem vel meliorem frugem conversos protegit & procurat; atque, ut absolutè dicam, ordo iste ad magna quæque agenda admittitur.

Quapropter qui in Diaconum promovendus est, non prius ordinatur quàm sicut Subdiaconus testimonium idoneum præstiterit, & vitæ sanctæ conveniens: Veluti cum Stephanum promoverunt, non prius constituerunt eum Diaconum quàm cognovissent, & testimonium accepissent eum Spiritu sancto plenum, sapientia & virtute præditum. Testimonium igitur de eo F perhibent septem Presbyteri, non autem Diaconi, quoniam testimonium quod de eo perhibetur, perfectum esse debet, & à perfectis redditum. Debet quoque esse ætatis perfectæ, ne sit in operibus reprobandus: Nam qui ætate nondum est perfecta, nihil firmum & ratum in rebus mundi agere potest, multò magis ætatis esse debet perfectæ qui divinis rebus inservit, ut annorum numero & securitatem & maiestatem sibi conciliet. Hoc statuunt divini Patrum Spiritu sancto actorum canones qui res omnes Ecclesiasticas modo consentaneo disponunt, & digerunt. Si autem nonnulli divini Episcopi discretione quadam istos annos in Monachis sibi subditus breviant, & contrahunt, hoc ideo fit quod Monachis voluntatem suam facere non licet, sed aliorum. Quod si hoc verum esse visum fuerit, forsan & audere rationabile erit: attamen quæ à canone statuta sunt observare decet; id enim est subiectio. Adducitur ergo qui Ordinationem Diaconatus suscipit; primumque testimonium illi perhibetur, non G à duobus vel tribus, sed à septem Presbyteris, ut accessuro ad sancti Spiritus ministerium. Ideo à perfectis testibus videlicet Sacerdotibus, & quæ Spiritus sunt perfectè possidentibus, iuxta numerum eligitur, ut firma sit & rata quæ per eos fit electio & testimonium. Nam Sacrorum Ecclesiæ mysteriorum ministrum oportet ab omnibus eligi, ut electio suspicione vacet, & sit secura; cum omnes Stephano testimonium perhibuerint, quod sapientia & fide plenus fuerit. Testes autem propriis manibus testimonium suum confirmant, videlicet quod moribus & vitæ instituto dignus sit Sacerdotio fungi, & quod sit ætate ad ministrandum perfecta.

Si nondum Subdiaconus factus est, priùs, ut diximus, consecratur in Subdiaconum antequam Missa inchoetur, Episcopo in inferioribus portis ei manum imponente, & eum consecrante, cum ministret non precibus quæ fiunt in altari, sed iis qui exterius sunt, aliisque secundum gratiam operibus. H Si verò prius ordinatus est Subdiaconus, idoneus est ut post Sanctorum Donorum consecrationem ante postremam orationem silentio facto; sive antequam Diaconus dicat, omnium Sanctorum memoriam agentes, ter in medio stans ter elata voce dicat istud, Quicunque fideles. Quo quidem ex una parte exequitur sacrum Subdiaconi ministerium, ipsos Catechumenos eiiciente, & fideles solos ad sacram mysteriorum celebrationem & communionem admittente, & convocante: Quæ huiusce rei firmior & solidior ratio est. Diaconus enim iam iam ordinandus veluti reddit & exhibet Subdiaconi opus, non secus ac Presbyter ordinandus legit Evangelium, sanctaque super caput in introitu gestat. Ita quoque qui ex Subdiacono in Diaconum ordinatur, omnibus fidelibus testatur se purum & immaculatum à tot testibus & à Deo maximè indicatum, consecrari.

Post orationem igitur, & postquam dictum est, *Et*

A *erunt misericordia magni Dei*, iussu Episcopi adducitur à duobus Diaconis, & in Sanctuarium introducitur; accensisque luminaribus in gloriam Dei primi luminis, & demonstrationem diuinæ illuminationis ter altare circumambulat tenentibus & ducentibus eum Diaconis aliisque præcedentibus, & Choream componentibus, & elata voce hymnum, *Sancti Martyres*, canentibus, atque etiam, *Gloria tibi Christe Deus*; Ter etiam reuerentiam & inclinationem sanctæ mensæ facientibus, semel in unaquaque chorea, siue altaris circumitione velut Christo ipso in throno Dei illic consistente & sedente cum mysteria celebrantur. Ter igitur circumeunt in honorem Trinitatis. Diaconi autem eum tenent, eo quod ad eorum ordinem & dignitatem accersendus est. Canticum autem Martyrum canitur, eo quod qui adducitur, huius vitæ certamen pulchrè peregit; fidem seruauit, castitatem custodiuit, & propterea coronatur. Hinc tum Ecclesia non solùm B Martyres choreæ socios inuocat, diuinamque misericordiam nobis adesse & largiter affluere impetrat. Verumetiam mysteriorum principem Christum, Apostolorum & Martyrum gaudium præclarè & iustè laudat & celebrat, quoniam ipse est victoriæ & coronarum præses, & autor, utpote qui pro nobis mortuus est, atque ut vincamus superexaltatus. Nec hoc tantùm, sed etiam prædicanda est in sancta Trinitate consubstantialitas. Ipsa enim verè est exultatio & gaudium choreæ festum in cœlis celebrantium, maximè cum Sacerdos, & Sanctorum minister consecratur.

Post tertiam igitur Choream quam Angeli quoque agunt maiore quam nos lætitia: (Nos enim cognitione antecedunt, & quæ fiunt magis quam nos sentientes eorum admiratione capiuntur) ordinandus in conspectum Episcopi adducitur opere ostendente quod electus est, & præsentatur antea probatus idoneus ut Deo ministret. Inclinat igitur caput in ser uitutis argumentum, atque ut demonstret se cum gratiarum actione C & humilitate gratiæ dona recipere. Ter in capite cruce signatur in primitias Ordinationis, tribus diuinis Trinitatis personis super ipsum elata voce inuocatis, quia ex ipsa omne donum per unum ex ipsa verbum incarnatum, & in carne crucifixum. Deinde unum genu flectit, quo subiectionem suam & consecrationem testatur. Adducitur enim, quoniam, ut ait Dionysius, unum & solum sacri ministerij accipit donum, ministrare, exhortari, & catechizare. Nam adducit solùm, & exhortatur, & exclamat ut accedant, non tamen perficit: dicit enim, *Benedic*, non autem benedicit: *Et Dominum deprecemur*, exhortatur, sed non precatur: Et *Sapienter attendamus*, non autem perficit. Se habet igitur ut ministrans, non ut perficiens. Vnum & solum genu flectit; quia unius scilicet diuini ministerij constituitur Minister; hoc autem non à seipso, sed permissione à Presbytero accepta: est enim alterius potestati obnoxius. Postquam igitur genu flexerit, & sacræ mensæ capite incubuerit, eo quod ipsa Christum D significat omnium caput, & in ipsa est unguentum chrismatis, Spiritus gratia, mysteria quoque, ipsiusmet Iesu, proposita tunc & aperta: quandoquidem adducitur Minister ei, qui propter nos sacrificatus est; & ipsius oracula mensæ quæ eius est sepulchrum imposita sunt, & subtus hanc reliquiæ sunt sanctorum Martyrum quos ad auxilium hymnus inuocauit; quia qui adducitur electione Martyr est, & vitam piè peregit, & purè post frontem mensæ affixam Iesum apud se inuocauit ad misericordiam ipsius sibi conciliandam; & habitationem Patris & Spiritus promerendam, suscipit supra caput Episcopalem dexteram, quæ demonstrat gratiæ adumbrationem, & illius à Christo participationem, quandoquidem & ipse Apostolis manus imposuerit. Ipse etenim eleuans manus, dixit, *Benedic eos*, & Spiritus descendens capitibus eorum insedit; ideo manuum impositione gratiam omnes accipiebant. Et sicut manus Dei nos creauerunt, sic nunc manus disponit, ad reformationem & recreationem hominum.

E Et quoniam *dextera Domini fecit virtutem*; *& dextera Domini exaltat, & dextera Domini glorificata est in virtute*; scriptum quoque est, dextera tua, & brachium tuum Filius Patris; & illuminatio faciei tuæ, Spiritus sanctus; ipsa me deduxerunt, & adduxerunt in montem sanctum tuum, altam illam & cœlestem Ecclesiam tuam, & in tabernacula tua; in quibus ipse habitat qui est in cœlestibus.

Cum autem Diaconus exclamauerit, Attendamus: (Oportet enim rebus maximis omnes attendere, & tum decenter sese componere, & colligere) Episcopus edicit clara voce, *Diuina gratia*, testificans gratiam commune esse donum Trinitatis, & eam aduocans. Adiungit, *Quæ semper infirma curat*, Humiles enim sumus & admodum infirmi, præsertim ad hæc Dei opera. Quapropter ab ea manat curatio infirmitatum nostrarum; hanc etenim virtutem possidet. *Et deficientia supplet*, inquit: Non enim nos à nobis ipsis G aliquid possidemus, aut valemus; sed ipsa est gratia quæ omnia potest, & distribuit quæcunque habemus, quæque supplet quod in nobis deficit. *Promouet*, id est, designat, constituit, perficit: simul autem cum verbo datur gratia. Omnipotens enim, & per se absoluta, & consummata Dei virtus tempore opus non habet. *Hunc N.* Nomen profert, ut illud superiùs scribat, notumque sit Angelis & hominibus, cum Dei constituatur Minister, *Religiosissimum Subdiaconum in Diaconum*. Honorat & prius Dei donum, & possidentem, ut Dei seruum, ut gratiæ diuinæ possessorem, & per Christum operantem. Cum dic ordinans, *In Diaconum*, & gratiam donat, & qui ordinatur, Diaconatum Episcopi verbo statim accipit: Efficax enim est per sanctissimum Dei Spiritum, eo quod non ut homo, sed ut Pontifex loquitur cum gratia, & gratiam producit, & gratia operatur. Efficax enim & operatiuus est sermo Dei, & omnia operatur unus & idem Spiritus. Tunc quidem statim è Subdiacono G fit Diaconus. Nihilominus tamen opus adhuc habet mysterio & perfectione precum Episcopalium, & cæterorum omnium quæ in Ordinationum paradigmate continentur. Non enim vox sola sufficit, ut Subdiaconus promoueatur, nec dicere in Diaconum, vel quemuis alium gradum promoueatur; sed cum hoc oportet etiam caput eius sacræ mensæ incumbere, & flectentem genu manum Episcopi impositam habere, & descriptas preces & orationes recitari, & cruce signari, & dignum proclamari, & sacram salutationem fieri. Hæc enim omnia ordinandum perficiunt, & omnia quæ præscripta sunt, fieri necesse est, cùm in cæteris Sacramentis res ita se habeat, ut omnia quæ constituta sunt peragantur, & nihil eorum prætermittatur, utpote eorum unoquoque peculiarem rationem habente.

His superaddit Episcopus, *Precemur igitur pro eo ut veniat super ipsum gratia sanctissimi Spiritus*, simul quidem & Dei gratiam inuocans, simul quoque & se H per eam operari testificans, & uniuersam Ecclesiam aduocans tam pro se quàm pro ordinando ut huic operi cooperetur. Nam si Petrus cooperantem suis precibus habuit Ecclesiam, multò magis ipse. Ideo omnibus dicentibus Kyrie eleison ter in honorem Trinitatis, ipse ter signat ordinandum in nomine Trinitatis eum per crucis signum consecrans. Postea manum habens ipsi impositam precem recitat, qua Deo supplicat ut gratiam sacri Diaconatus in ipsum immittat, cumque iuxta Protomartyrem Stephanum faciat bonum Oeconomum & dispensatorem officij Diaconatus, cæteraque, ut moris est, precatur. Deinde alta voce sanctæ Trinitatis gloriam celebrat. Tunc igitur in aduentu spiritus omnium fidelium fit commemoratio. Vnus enim primorum Diaconorum rogationes infert, dicens, *Deprecemur pro ordinante Episcopo, & opere manuum eius*. Hoc est, pro eo qui promouetur ad gratiæ donum, ut in eo immaculatè conseruetur. *Pro Imperatoribus & urbe, omniumque Christiano populo.*

Oportet

A Oportet enim in adventu gratiæ pro omnibus fidelibus orare, & eorum memoriam facere. Tunc enim locuples spiritus donatio omnibus in certaminis præmium dispensatur. Ipsum quoque ordinandum tunc oportet ardentius pro omnibus intercedere: Nam ut à Patribus didicimus, quæcunque Ordinandus secundum Deum tunc precatus fuerit, accipit, & pro quibus rationabiliter petierit, obtinet, velut tum sanctificatus & gratia donatus. Ideo sæpius multos fratrum qui ordinabantur rogavi, ut cum ordinarentur, pro me orarent, & mei recordarentur, ut misericordiam à Deo consequeter.

Episcopus igitur recitatis rogationibus manum habens capiti ipsius impositam, per eam enim gratia operatur, secundam dicit orationem, quæ postulat ordinandum per adventum sancti Spiritus repleri, fide, sapientia, virtute & sanctificatione. Hæc autem vera cum humilitate ait, dicens, se manuum suarum impositioni non confidere, sed per divinæ misericordiæ visitationem dignis gratiam donari; ita ut per manuum impositionem divinæ misericordiæ visitatio significetur, & gratia indignis adveniat. Deinde vehementer petit eum ab omni peccato esse alienum; quia nullus est à macula purus, nullusque sufficiens ad huiusmodi ministeria. Petit insuper ut cum bene ministraverit laboris mercedem à Christo accipiat. Sicque Deo alta voce laudato (oportet enim gratias illi agere pro omnibus divinis donis) ter iterum illum signando mysterij consummationem adimplet; deinde Ordinatum è mensa erigit.

Aspice autem & attende Trinitatem ubique prædicatam, & operantem in nobis, atque divina dona consummantem. Episcopus enim adductum statim ter cruce signat, in primitias consecrationis & ordinationis. Deinde secundò iterum eum signat ter post invocationem divinæ gratiæ, & in eo per crucem operatur donum gratiæ in medio mysterio per virtutem Trinitatis, omnibus cum cantu dicentibus Kyrie eleison. Tertiò denique post orationes pronuntiatas iterum illum ter cruce signat, ut iam per divinam virtutem à se integrè consecratum, & constitutum vel Diaconum, vel Presbyterum, vel Episcopum. In illis enim ter similiter id fit, ut laudetur & celebretur Trinitas, atque signo crucis operari ostendatur, in principio scilicet operis, in medio, & in fine: quoniam ea sola causa est & cœpti, & profectus, & executionis, quæ etiam Trinitas Deus est, omnium rerum causa. Præterea cum sint tres horum, ut Angelorum, ordines, Diaconi, Presbyteri, & Episcopi; & Angelicus numerus ex novem ordinibus consistat, qui ter in se Trinitatem continet & prædicat, per tria crucis signa in ordinandis ter repetita rectè effingitur & exprimitur. Cum autem Episcopus ordinatum à sacra mensa erigit, significat hac exaltatione se eum ab ordine minore & humiliore ad subliniorem deducere, ideo iacentem & humilem erigit, & attollit.

Postea circumponit ei vestimenta gradui analoga. Primum ante ordinationem iubet zonam sticharij solvere, & malluuium manibus deponere; quo significat eum transferri ab ordine minore in maiorem, & ministerium accipere, attamen non materiale, sed materiæ expers: Non enim ut portas occludat, neque ut luminaria accendat, aut Catechumenos expellat, constituitur, sed ut mysteriis ministret, in quorum conspectu contremiscunt Angeli. Cinguntur quidem & isti horarijs suis, at certo tempore, videlicet in sola communione, in signum contractionis spiritus, & timoris, & humilitatis. Ideo ordinatus, ut Angelorum ordinem consecutus, horario circumcingitur, quod naturam Angelorum intelligibilem indicat: Et sicut alæ quarum figuram habet, significat quoque humeris in sublime suspensum: habet etiaminscriptum Trisagion Angelorum canticum. Hoc insuper sigillo crucis obsignat Episcopus: Ille verò Episcopum osculatur, eiusque manum; ostendens se donum diligere, illudque

& ipsum dantem, ut beneficum rerum eiusmodi largitorem honorare. Hic verò sinistro illius humero horarium adaptat, eo quod Diaconus minoris est adhuc & subiecti ordinis, Ministerque unius & solius operis, ad ministrandum scilicet & serviendum tantùm institutus, Cum verò initiabitur in Presbyterum, tunc stolam in dexterum quoque humerum accipiet: velut tunc & ministrandi & sacrificandi potestate donatus.

Horarium autem dicitur quia ipsum grat à conspicuum reddit, & gloriæ Dei pulchritudine & splendore exornat. Ille enim horario velut alis conspicuus fit & splendidus, pietate & virtute circum tectus: sed præsertim dum Communionis fit particeps Seraphim illa imitatur, quæ, ut scribitur, sex alis prædita sunt, quarum duabus facies suas velant, duabus aliis pedes & reliquis volant, Sanctus, Sanctus, Sanctus clamantia. Nec hæc tantùm sex alæ significant, verumetiam Crucifixi typum gerunt. Alæ enim supernæ & infernæ sunt, veluti lignum crucis erectum; quæ verò ex lateribus eorum repræsentant & lignum transversum. Ideo Diacono ut Seraphim figurantibus flabellum à Pontifice traditur: Illud autem alas Angelorum designat, ipsa quoque Cherubim & Seraphim, cum & Seraphim flabellum depictum habeant, quæ typum gerunt eorum quæ in lege obumbrabant arcam, & ea quæ Sancta Sanctorum dicebantur. Nam si hæc tunc erant in umbra, multo magis veritate comparente locum habere debent. Sunt etiam hic verè Angelorum multitudines, & multi Patrum nostrorum eos viderunt & contemplati sunt domum replentes. Angelorum autem ordinem & vices sustinent, qui ad sacrum altare pertinent. Reiiciendi tamen non sunt rerum divinarum typi & imagines, quippe qui nos ad prototypa manuducunt.

Tradens igitur Episcopus Diacono flabellum, eum iubet primùm osculari sacram mensam utpote qui in ea gratiam susceperit, deinde manum Episcopalem, velut per ipsam ordinatum: Tertiò genam propter charitatem, & in divinis unionem; & quòd amabilis sit in Christo qui bona per spiritum distribuit, & dilectus qui accepit. Postea & Diaconos osculatur, priùs uniuscuiusque horarium deosculans; demonstrans hac actione, & veluti dicens, per hoc donum vobis sum unitus, & æqualis factus, & unum vobiscum, eiusdemque vobiscum ordinis. Illi verò invidia procul in charitate eum resalutant, seseque demonstrant socij sui & æqualis amatores ab ipso in spiritu amati, & ipsius amantes.

Diaconus igitur sic consecratus & consummatus stat ad ministrandum, flabellum manu tenens, donec sancta extollantur & demonstrentur: Tunc illud deponit finito ministerio, accedit enim communionis tempus. Ideo postquam Episcopus & Presbyteri communicaverunt, ipse ante quemvis alium Diaconum cum pio timore accedit, & divinum panem, ut moris est Diaconis, manu ab Episcopo accipit, & calicis aliquid labiis degustat ante omnes alios: Præ cæteris enim ut recens consecratus honoratur propter divinæ gratiæ in ipso innovationem & consecrationem. Et septem diebus continuis cum Sacerdote ministrat, tum ob honoranda Spiritus gratuita dona, tum ut operis habitum contrahat: Tum etiam ne divini operis aliqua fiat interruptio integrâ dierum hebdomade, quæ præsentem nostram vitam significat septimanarum more prætereuntem, in qua integra Dei opus indesinenter facere debemus. Nam in futuro una est, & successione carens dies, una quoque & indeficiens divini operis perfectio & consummatio. Hoc modo perficitur Diaconi Ordinatio.

CAPVT

## CAPVT V.

*Ritus Ordinationis Presbyteri, & myſteriorum quæ in ea continentur explicatio.*

PResbyter, qui à Dionyſio Teleſticus ſive myſteriorum operator vocatur, ut ſæpius diximus, eo quod myſteria conficiendi virtutem habeat, veluti communionem, baptiſmum, & preces, non tamen gratiam iſtam cum altero communicandi, neque alium in Preſbyterum conſecrandi, ſic ab antiquo creatur. Inquiritur ab Epiſcopo de vita & ætate: Triginta autem annorum eſſe debet; ideo Preſbyter, id eſt, ſenior nominatur, veluti iuvenilem ætatem ſupergreſſus, & Chriſtum ætate exprimens. Ipſe enim docere cœpit poſt acceptum baptiſmum, redditumque de ipſo in ſpiritu teſtimonium, qui velut ordinationis à Patre vicem gerebat. Scribit enim Lucas, *Et ipſe Ieſus erat incipiens quaſi annorum triginta.* Ille igitur ætate perfectus eſſe debet, quoniam Chriſti conſtituitur Sacerdos, rerum divinarum doctor, & myſtagogus.

Teſtimonium igitur à Preſbyteris referens, & idoneus ad hoc opus electus adducitur ut conſecretur. Sed antea ſecundus panis in menſa propoſitionis in oblatione quæ in ea fit, offertur, ut ordinatus eum manibus accipiat. Poſtea ſacra faciente Epiſcopo miniſtrat, & quæ ſunt Archidiaconi facit, & accepta benedictione Evangelium legit, divinumque panem ſuper caput in magno introitu geſtat, Diaconatus officio ſic fungens. Poſitis igitur divinis donis, & velo quod aer dicitur, ſive agnus, ſedet Epiſcopus, & accenduntur luminaria, quæ illuminationem ſignificant, & lucis per gratiam donationem. Tum Ordinandus tentus à Diaconis, utpote prioris ſui ordinis, ducitur uſque ad ſacras Sanctuarij portas. Demonſtrat equidem ſe adhuc Diaconum eſſe, cum ab æqualibus teneatur. Quum verò pervenerit ad portas à Diaconis quidem dimittitur, eò quod ultra eorum ordinem promoveatur. Ipſum autem ſuſcipiunt duo è Preſbyteris præcipui, quia ad eorum ordinem procedit. Archidiacono autem & cæteris Sacerdotibus præcantibus ter circumit & choream facit circa divinam menſam effingens ipſe & commendans Angelorum & Sacerdotum choream. Ter autem eam conficit, Trinitatem laudibus celebrans, & ſanctos Martyres invocans, ipſe quoque agonis in Chriſto decertator, & propter Chriſtum in Eccleſiæ diſciplina multa paſſus Poſtremò Chriſtus laudatur, ut Apoſtolorum gaudium, & Athletarum ſive decertatorum exultatio: Quorum prædicatio erat Trinitas conſubſtantialis quæ omnes glorificat.

Sic facta chorea, & Altaris circuitu, adducitur à Preſbyteris velut electus, & ad divinum opus, & gratiam quantum poſſibile eſt, idoneus repertus. Epiſcopus autem alacriter ſurgit: Non enim tardus eſt circa Dei dona, ſed præparatus & gaudens ſtatim ſignat Ordinandi caput, primitias ordinationis per triplex crucis ſignaculum decerpens. Deinde Ordinandus ambos pedes flectit propter ſervitutem, & ad Deum acceſſum: Conſecratur enim ad maiora. Quoniam autem priùs diaconatus gratiam ſuſcepit, & Miniſter erat, nunc verò Sacerdos & initiator ſacrorum myſteriorum, & orationum, & baptiſmatis, & ſacrificij conſtituitur, frontem altari imponit, & velut affigit. Altare enim eſt gratiæ donorum theſaurus. Epiſcopus autem manum imponens (Ipſa eſt enim communicativa donationis divini Sacerdotij, & imitatur omnipotentem, & omnia operantem, protegentem, omniaque inſpicientem & moderantem Dei dexteram) invocat divinam gratiam, & conſecrandum è Diacono Preſbyterum creat, gratiam Spiritus Ordinando advenire deprecans. Omnibus dicentibus ter Kyrie eleiſon, ipſe Epiſcopus ter ſignat Ordinandi caput, ſignum crucis imprimens perfectionis operatiuum. Sic facta prima prece, & exclamatione ad Deum, poſt rogationes à primo Preſbytero recitatas, & ſecundam precem, eiuſque exclamationem erigit Ordinatum è ſacra menſa, ita demonſtrans, ut diximus divinum aſcenſum eius ab humilioribus ad diviniora, & altiora, melioremque & præſtantiorem ſtatum. Demonſtrans quoque quod Ieſus deſcendit è cœlis, & homo factus deſcendit per crucem uſque ad Inferos, & ſuſcitatus & exaltatus; nos ſecum ſuſcitavit, & ſuſcitans exaltat. Hoc igitur in omni adoratione & proſtratione ſignificamus, cum inclinamus nos, & erigimus, Chriſtum deſcendiſſe, & ſe ſuſcitaſſe, nos quoque lapſos ſecum ſuſcitaſſe.

Poſtea Horarium à ſiniſtro humero in dexterum transfert, quod poſterius eſt anterius agens, & hoc modo velut ſub iugum mittit ordinandum. Conſpicere enim debet, & conſiderare per ſymbola quam acceperit gratiam; & primùm quod ſecundum unum & ſolum Diaconatus opus contraxerit debitum: Nunc verò ad myſteria, & Sacerdotium univerſum, unde maius illi impendet iugum, ita ut totius operis debeat eſſe Miniſter & Curator. Ideò ſecundò cingitur, velut vocatus ad maius opus. Phænolio quoque induitur: quod indumentum eſt album ſine Manicis totum circumdans & operiens corpus. Album eſt propter puritatem, & ſanctitatem, & divinæ gloriæ amictum: Deus enim amictus eſt lumine ut veſtimento, & Angeli veſtem albam amicti ſæpius apparuerunt. Manicis autem caret, ut repræſentetur ſaccus quem Salvator pedes iter faciens induebat. Cooperit autem totum corpus à capite ad pedes uſque propter ſupernam erga nos providentiam, & Dei virtutem qua nos continet & conſervat. Manibus verò attollitur à latere dum ſacra fiunt opera; quo alis fiat conſimile propter ſignificandam angelicam quam adeptus eſt dignitatem; atque etiam eo quod iſta elevatione manus ipſius apparentes operationis virtutem declarant, & internam Dei cooperationem in iis quæ Sacerdos operatur.

Primùm igitur Epiſcopus hunc renuntiat, & deprædicat, cum horarium accipit, & ex poſteriore parte ſiniſtri humeri in dexteram imponit, duabus partibus anterius pendentibus, quod tunc eſt perfectum ἐπιτραχήλιον ſupercollare, & ita vocatur. Indicat autem gratiam deſuper à capite deſcendentem, ut inquit David, velut unguentum ſuper caput deſcendens ad fimbriam veſtimenti, & bonum Sacerdotij Chriſti iugum: Et, ut dicunt quidam, ut ſignificetur eum geſtantem humeris crucem ad paſſionem trahi, cum ipſe Sacerdos paſſionis myſteria operetur. Horario igitur eum induens Sacerdos, ait, Dignus. Et phænolion, ut diximus, ipſi imponens dicit quoque, Dignus. Optat eum eſſe dignum, & coram omnibus fatetur, & velut dignum accepiſſe dignitatem. Qua in re modeſtum eſſe & humilem oportet accipientem, Quis enim dignus? Hoc idem cantant qui ſunt intra & extra Sanctuarium, Epiſcopum imitantes. Deinde admonetur oſculari ſanctam menſam, ut gratiæ plenam, atque ut in ipſa ſanctificatus: poſtea Epiſcopalem dexteram, ut per eam ordinatus, & inſuper genas propter divinam charitatem, & pacem, & eo quod genæ precum ſint organon, & quoniam amat, & amatur; conſecrat & conſecratur. Propter hoc omnes Preſbyteri lætantes eum ut æqualem & eiuſdem ordinis factum ſalutant, illique demonſtrant charitatis & amoris vinculum.

His peractis illicò ſtat à latere inclinatus menſæ, & in ſeipſo orat donec tollatur velum, & divina fiat ſalutatio. Tum enim Preſbyterorum primus venit, & quæ ſunt ſalutationis peragit, iterumque ſtat divinæ menſæ inclinatus, & Dei miſericordiam invocans. Cum autem Epiſcopus ſignaverit, & conſummaverit dona

A dona invocatione divini Spiritus; tunc advocatur iterum Ordinatus, & Episcopus accipiens dextera manu secundum panem integrum sanctificatum ei tradit, palmas in modum crucis componenti in divinæ passionis demonstrationem, atque etiam eo quod in palmis vulneratus est pro nobis crucifixus, eique dicit, Accipe hoc depositum, illúdque custodi ad adventum Domini cum illud à te requisiturus est. Res hæc tremore & horrore omnino plena est. Ostendit enim eum mysteriorum Dei Oeconomum factum, séque sacrificandum accepisse IESVM ipsum panem viventem, & non alium; ipsúmque & illius Sacerdotium ut depositum ipsi creditum esse, eáque teneri servare; Sacerdotium videlicet, & sacram actionem immaculata, eo quod Dominus rationem administrationis istorum ab eo requiret. Vbi nunc sunt qui sacerdotij gratia accepta, officia sacerdotalia quibusdam occasionibus pietatis speciem & opinionem reverà autem nihil pietatis habentibus negligunt, & supinè B habent, semel tantùm idque perfunctoriè ea contingentes & exercentes? Huiusmodi rationem incuriæ postulabuntur, quidnam fuerit quod eos ab exercendo munere prohibuerit. Tum enim Pœnitentiam agentes à Sacerdotij exercitio penitus removeantur. Quandiu autem Sacerdotium retines, & non prohiberis, operi sacro quantum homini fieri poterit insiste. Est enim opus illud mundi salus & conservatio.

Postquam igitur Episcopi manum osculatus est, & cum cordis contritione egressus est, defert, elatas manus habens, sacrum panem ad mensam, & capite manibus incumbente orat, memoriam faciens & suipsius & Episcopi qui ipsum ordinavit, omniúmque Clericorum & Laïcorum, omnibúsque salutem deposcit: Viventium quoque Orthodoxorum & mortuorum recordatur. Ipsum enim Dominum manibus tenet, eiúsque manus vasa sunt; ipse qui tenetur IESVS-CHRISTVS, est ei, & manibus, & capiti unctio: C Ideo hic ut & in omnibus innovant Latini Presbyteros suos legali more ungentes, quod Dionysius non dicit. Ita stans Presbyter post capitis inclinationem, & orationem, *Attende Domine Iesu-Christe*, admonetur iterum, & fert divinum panem, & in disco ponit, cum sit exaltandus: Tunc enim Episcopus divinum panem in disco positum elevat, & hunc simul eo. Vnum est enim Christi corpus. Sic cum hostiæ divisionem peregit, quæ spectant ad unionem partis eius cum calice, & quæ ad communionem pro more perficit. Postquam igitur sanctissimis mysteriis communicavit Episcopus, ante cæteros Presbyteros venit Ordinatus, honore præ cæteris habitus propter recens acceptam gratiam, & renovationem à divino spiritu iam factam. Vnde iuxta consuetudinem vivifici panis particeps per Episcopum factus, & dexteram & genam eius osculatur, deinde tremendo calici communicat. Redditus sic verè perfectus, & tremenda communione sigillante & obsignante Sacramentum Ordinationis, D in quodam loco altaris subsistit, & sacratissimum calicem manibus tenens de divino sanguine tradit Presbyteris & Diaconis accedentibus, opere testificans se consecratum esse in Sacramentorum Sacerdotem, & ea aliis communicandi facultatem & auctoritatem accepisse.

Postrema oratione facta, post depositionem divinorum donorum in Prothesi, Diaconus recens ordinatus Rogationes tunc recitat, iam testificans & demonstrans populo se constitutum esse Dei Ministrum, gratiam rogationes pro ipso faciendi accepisse, ad preces & orationes populum exhortandi (Est enim ordinis purgativi & ministerialis) & cum Deo consecrandi. Ideo in sacris precibus conspicitur Sacerdoti inservire, populo edicens, *Dominum deprecemur*, cum Sacerdos preces ad Deum dicturus est. Sacerdos autem recens ordinatus orationem Deo offert, quæ liturgiæ postrema est, & post Ambonem dicitur: quo ipse ostendit, & testatur se Sacerdotem factum, & Mediatorem esse ipsis in iis quæ sunt ad Deum. Quia etiam E recenter gratiam accepit, precatur pro populo. Oratio enim illa cum sit postrema, omnia bona pacémque à Deo luminum Patre postulat pro Sacerdotibus, Imperatoribus & Laïcis. Sed primùm benedictionem Episcopalem accipit, sicque egreditur ostendens se Episcopo subiectum esse, & ab eo consecratum. Postquam precatus est, iterum benedicitur, quæ sunt obedientiæ & submissionis adimplens velut in mercedem sacri sui ministerij. Sic ergo Presbyter consecratur, & ordinatur.

Si autem Monastici fuerit ordinis sacras vestes deponit, & consuetas ordini suo induit, benedictionéque accepta abit, & sacrificat unoquoq; die per hebdomadem, ut iam declaratum est, ut ad opus & verba sese assuefaciat, & Sacerdotij virtus sine interruptione per sacrorum hebdomadem qua vita præsens universa gubernatur, permaneat: ut hoc opere sollicitè in præsenti sæculo defunctus, ad indeficientem illam & æternam sacram operationem, & immediatam Christi communionem occurrat. Præterea velut magna F spirituali gratia donatus debet iuxta numerum donorum spiritus æqualibus diebus indesinenter quæ sunt gratiæ operari, ut antea scriptum est.

Si verò secularis fuerit, vestimentis induitur; quæ Diaconus vestire solet, sacerdotalem dignitatem indicantibus, quæ propter pietatem violacea sunt, vel nigra, & secundum vestem, *ἱμάτιον*, dictam, adaptata. Vestem enim huiusmodi Lectores & Psaltæ, omnésque Sacerdotes propter divinum ministerium induunt, eo quod eiusmodi vestis facile connectatur & adaptetur cuicunque Sacerdoti; vel quod quilibet ea indutus nullo negotio sacerdotales vestes induere possit immediatè cum secularibus, quibus coniungi possunt quæ sunt corpori commoda. Vnde est quod Lector antequam sigillum accipiat, statim cum benedicendus est illud induat, nigrum propter humilitatem significandam, ut diximus, & animi compressionem: Hæc enim sunt luctus signa. Amplum quoque & longum est, ad pedes usque pertingens propter pietatem G & divinam charitatem. Circumcingitur etiam eo quod ministrare debet. Crucis quoque figuram tenet longitudine & manicis. Hæc igitur vestimenta omnibus communia sunt, atque, ut dicitur, ex Imperatorio dono & privilegio in honorem Sacerdotij: Senatores enim iis vestiuntur, umbellas etiam sive pileos ipsi Imperatores gestant. Propriam autem ordinis sui vestem habet Lector, quæ Camision vocatur, habétque Phænolij parvi vel Sticharij ex lino figuram, & Sacerdotij primitias, cum parvum sit, & perfectionem à Deo emanantem designat. Est autem coloris purpurei propter purpuream Salvatoris vestem; vel albi; propter Sacerdotij puritatem, & illuminationem à Deo fluentem. Quapropter Diaconi & Sacerdotes vestimenta induunt his imatiis supernè similia, & umbellas in capite, cæteráque gestari solita, omnia Crucis figuram exprimentia, ut & ipsa umbella. Iure sanè meritóque cum crucifixi propter nos sint Ministri, non secus ac H ij qui supra caput maximè, cruces gestant. En hactenus quæ ad Diaconos & Presbyteros pertinent, explicavimus.

## CAPVT VI.

*Ritus Electionis Episcopi amplè describuntur, corúmque mystica explicatio traditur.*

IAm incipimus de magna illa gratia, illuminativo scilicet Episcoporum ordine verba facere; ideo pro viribus illam contemplabimur, & explicabimus, licet vires nostras superet horum intelligentia. Est enim donorum quæ hominibus à Deo fiunt maximum &

perfecti

A perfectissimum, à quo omnis donatio & illuminatio immittitur. Ipsa est fundamentum, principium, & fons pietatis, radix quæ Christum ipsum repræsentat, & gestat. Quapropter quæ in illius initiatione fiunt, omnia perfectiora sunt. Nos igitur de illis dicemus, quantum licet & possumus: Vos verò mentem dictis advertite, & videte ab ipso initio huius divini ordinis altitudinem & sublimitatem. Omnibus quidem vitæ puræ in orthodoxa fide tantùm amore capitis quærere & persequi licet cæteros Sacerdotij gradus, Lectoris sigillum, Subdiaconi manus impositionem, Diaconi & Presbyteri ordinationem, & in his ordinibus promotiones quasdam, & ministeriorum dignitates. Verùm Episcopatum nemini quærere licet, nec possibile sine electione & suffragiis. Nam si quis humanum patiens hunc assequi præter sacras definitiones adnisus fuerit, illum tamen sine sacris suffragiis non consequetur. Vnde diligenter attendendum est ne quis violentè in B Episcopatum ingrediatur, ne quis eum requirat, ne quis ambitus faciat, ut ait aurea loquens. Eos similiter qui eliguntur, & suffragiis prævalent, id præstare debent nullo acti humano affectu, sed Apostolicè, vel potius divinè. Quanquam enim ab Apostolis suffragium inceperit, cum in ordinem duodecimi qui ceciderat promotus est Matthias; attamen electio primùm a Salvatore cœperat, qui dux est & consummator salutis nostræ; propterea Andream elegit, & Petrum & Ioannem, & Iacobum, Philippum & Nathanaël, & Matthæum, reliquúmque Discipulorum chorum, ad quos postea dicit, non vos me elegistis, sed ego elegi vos, ut eatis & fructum feratis, & fructus vester maneat, quos etiam piscatores hominum, & sal terræ, & lumen mundi, & Iudices Israël, & Assessores ipsius, & ovium eius Pastores, & solvere, & ligare potentes, & Sacerdotes, & sacrorum operatores, & Doctores, & Prædicatores dixit & instituit: Prædicatores quoque Evangelij, & Doctores terræ vocavit, & effecit. C Oportet igitur eos qui consecrandi sunt, eligi & ordinari ab ipso per eos qui sunt ipsius, præsertim si ut vult, electio fiat. Ordinatio tum verè ab ipso erit, & divina per dignos & condignè pro ipsius Ecclesia erunt celebrata. Si igitur ab indignis facta fuerit, per ipsos tamen, ut didicimus, gratia operatur, verùm ad destructionem, non ad animarum & Ecclesiæ ædificationem, idque præter Christi intentionem gratiam à Patre per Spiritum sanctum distribuentis.

Quemadmodum igitur Episcopatus præ cæteris est divinum Christi opus; sic etiam legibus statutum est qua ratione in iis qui eum suscipiunt, agendum sit. Primus Episcopus, qui Christi typus est, convocat qui sub ipso sunt Episcopos, primorum Apostolorum ordinem tenentes, ipsiúsque gratiam & virtutem ab eo emanatam possidentes, remque cum iis communicat. Cum igitur opus sit divinum & desiderabile, omnes ad hoc conveniunt. Si omnes Provinciæ Episcopi adsunt, bene est. Hoc postulat canonica constitutio, D opúsque est & Præceptum Apostolicum: Omnes enim aderant in Electione Matthiæ. Si hoc fieri non potest, ex omni cœtu tres adsint propter sanctam Trinitatem, quoniam hæc est omnium creatrix & perfectrix, cæteris consentientibus, & quæ de hac Electione indicant, mandantibus. Hoc in Christi baptismate conspicitur, Patre cum Spiritu sancto testimonium de filio perhibente. In transfiguratione quoque filius cum iis de seipso testatus est, baptizatus est, gratiámque dedit, & divino lumine coruscavit. Ideo in duobus vel tribus testibus, inquit, stabit omne verbum. In Apostolis idem observatum fuit: Tres enim à cæteris exempti electi sunt, Petrus, Ioannes, & Iacobus frater Domini, qui ut ait Paulus, videbantur esse columnæ. Tres quoque servator præ cæteris & eximiè mysteriis maioribus adhibuit, Petrum, Ioannem, & illius consanguineum Iacobum.

Omnibus igitur præsentibus, vel necessariò tribus, primus Episcopus iubet eos in loco sacro sedere, & E suffragia dare. Oportet enim divina divino iussu & exhortatione fieri. Ipse quidem primus cum iis non ingreditur, tunc vel hoc ipso Iesum Deum & hominem figurans, qui corpore absens potestatem suam dedit, & per eos operatur qui sui sunt. Nec hoc tantùm, sed etiam ut vices Christi agens divinum suffragium ipse iterum obsignet, & approbet. Ne autem videatur cum ipsis non agere, sed ipsis assentiens & unanimis appareat, aliquem ex iis qui illi ministrant vice sua functurum cum iis mittit, è Clero selectum, qui potissimũ esse solet Chartophylax. Ideo in medio Episcoporum sedet, non ut Chartophylax, ea enim ratione cathedram inter Episcopos non habet, vel aliquis alius Clericus, sed ut vices agens magni Episcopi. Sedet igitur & per ordinem interrogat Episcopos, non tamen cum iis fert suffragium. Magni enim Episcopi sententia ab initio data est, ut Episcopi suffragium ferrent, iterúmque dabitur finitis suffragiis, eo quod illius sen- F tentia divinæ sortis locum tenebit. Propter hoc præter Episcopos qui illic sunt nullus alius fert suffragium. Venientibus igitur illis cum Chartophylace quò suffragia dare mos est, ante divinam Christi imaginem cerei tres accenduntur in gloriam & typum sanctæ Trinitatis, & quod ab ea nobis veniat omnis illuminatio, & multò magis hæc divinissima. Ideo hinc Tricerij emanat origo, cuius usus viget in omnibus sacris Episcopi operationibus: quo evidenter indicatur perfectam illuminationem à sola & perfecta Trinitate emanare. Deinde primus Episcoporum Epitrachelium sive stolam sacerdotalem, quæ supernam gratiam, ut diximus, designat collo circumponit, & ad Orientem ter adorat, Deum in personarum Trinitate benedicens. In his enim divinis & maximis rebus à Deo incipere edocti sumus, & ante omnia ipsi benedicere, exordiúmque à Deo & precibus facientes gratiam spiritus ad nos attrahere, sicque divinum opus aggredi. Ideo G facta prece ab omnibus qui illic sunt, invocatur divinus spiritus ut adveniat, & inhabitet in eis.

Postea trisagio Angelorũ hymno decantato, & prece à nobis recitata, quæ Salvatoris est, & reliquis aliis dictis quæ mysterio conveniunt, utpote, Benedictus es Christe Deus noster propter Apostolos quos Christus elegit; per eos in Spiritu sancto terram universam indagine cinxit & cepit: Et illud, velut in medium Discipulorum advenisti, ô Salvator, ut cum ipsis Christus esset; & istud, Intercessione omnium Sanctorum & Deiparæ, ut per ipsos divinam Christi pacem consequantur: Et sicut sancti concordes cum pace Christo uniuntur, sic & illi concorditer electionem & divina suffragia perficiant. Episcopus officium initians orationem extensam pronuntiat, facto prius in significationem adventus gratiæ thuris suffimento: Imperatorum quoque meminit, ut Ecclesiæ defensorum; & Archiepiscopi, ut in Christo pauperis, qui in figura linguarum flammearum immisit in Apostolos Spiritum sanctum. Meminit etiam divini sacerdotij, & fraternitatis H Episcopalis, nempe per gratiam velut eiusdem ordinis, & comministrorum, & Coepiscoporum. Tum fit dimissio in gratiarum actione Deo per sanctam eius matrem, & Apostolos suos per quos gratia Dei dispensatur. Omnium quoque Sanctorum, ut super eos descendat divina misericordia.

Denique precibus pro invicem factis secundum divinum præceptum sedent ad suffragia colligenda. Sedēt autem Episcopi ex utraque parte, non super thronos, sed super scabella quædam parva, cum illic non adsit Archiepiscopus: Chartophylax autem similiter in medio eorum sedem habet, sed superiorem, eo quod Archiepiscopi locum occupet, qui & sententiã unumquemque rogat, ab Episcoporum primo incipiens, & secundum ordinem procedens. Consentientes igitur in unam personam, ut Episcopatu dignam, ipsius nomen à Chartophylace, vel aliquo alio Ministro præsente, & inferiùs sedente, in charta scribitur ad hoc præparata. Illic autem multi non adsunt, propter secretas inquisitiones.

A tiones quæ ibidem fiunt, sed Episcopi soli, & Chartophylax cum ministro qui illi est a commentariis cum nomina scribuntur. Si igitur omnes convenerint, spiritus est opus: Si verò contentio aliqua oriatur, non equidem bonum est. Si verò contingat propter scrutinium, eo quod qui scrutantur homines sunt; iterum bonum est, verumtamen plurium suffragia secundum canones prævalent. Tres tamen viri pij in gloriam & typum Trinitatis eliguntur e pluribus, vel ex omnibus, & scribatur quot suffragiis prævaluerunt. Primus electus post primum ponatur, sicut à gratiâ factum est: Non enim hic oportet gradus & dignitates præferre, sed virtutem & meritum, cum suffragia sint ad idoneos operi eligendos instituta, non ad promovendum eum qui prævenerit, & virtute caruerit. Nam sæpe præferendi sunt Sacerdotes Episcopis, & Sacerdotibus & Episcopis pij Monachi, vel Laici. Qui primus electus est, B dignus est quoque qui primo loco ponatur. Postquam inscriptio facta est, surgunt Episcopi, & suffragia ad Archiepiscopum per Chartophylacem mittuntur. Sciendum autem quod in suffragiis ferendis, si opus est Episcopum aliquem ex minori urbe ad maiorem eligi, & synodo tum interfit, eligendus ipse reliquorum mandato è Synodo secedit, & ipso absente sententiæ de ipso feruntur, & si idoneus ad maius ministerium visus fuerit, electus ponitur. Ex quo dicitur, gradus præferri non oportere; sed virtutem, & primò probatum Episcopatum uniformi consensu affectibus vacuo, vel secundò, vel tertiò, ut divina gratia decrevit, inscribi debere secundum suffragiorum ordinem. Innovatio certè est, dignitates & gradus præferre cum novum hoc sit & recens, & ab initio ita factum non fuerit, ut inquisitione facta cognovimus.

Episcopi igitur post lata suffragia discedunt. Archiepiscopus ergo suffragia accipiens, diiudicat apud se C Electos, & in quem animo inclinaverit, ad eum mittit, illique significat ut Episcopatum accipiat. Considera autem mysterium divinæ gratiæ, & integritatis affectu carentis, in iis qui student divina divine in Ecclesia peragere. Archiepiscopus cum suffragia feruntur, præsens non est, propter solam suffragiorum sinceritatem conservandam, ut actio liberè & sine dissimulatione fiat. Si etenim hac ratione adesse non possit, ne sane adsit. Absentibus autem iis qui suffragia tulerunt, ut omnis affectus humani occasio tollatur, magnus Episcopus, quemadmodum sors aliqua divina ipsis relicta, iterum solus eligit de tribus iam electis præstantiorem. Si ergo castitas & puritas conscientiæ hic adsit, ut ego spero, quomodo Dei voluntas scopum non attinget? Propterea qui primus ab Episcopis iudicatus fuerit dignus, Electione illi significata, si eam acceptaverit (si verò non, secundus, vel tertius; si verò noluerint illi, iterum alij similiter eliguntur) quicunque inquam ex illis electionem acceptare eique se submittere voluerit, ad magnum Episco- D pum adducitur, & cum eo verba facit, an sit eam suscepturus, & completurus Ecclesiæ mandatum: Et inclinatione facta se opus suscepturum pollicetur. Hoc iam Arrhabon & pignus est spirituale. Si enim datum hominibus verbum firmum est, nec irritatur, multò magis quod Deo datur. His actis mox abire iubetur & præparari. Ista sunt nuptialis fœderis & Arrhabonis primitiæ. Dies etiam prius annuntiatur, qua universa Ecclesia simul cum universis ordinibus congregetur. Oportet enim Ecclesiam ad nuptias petitam, Deo teste, & Angelis ipsius, & Sanctis; & fidelibus omnibus eum suscipere, & sponsam ipsius fierique Christo desponsata est, pro qua libenti animo sanguinem & animam dedit in dotem & redemptionis pretium: oportet quoque ipsam pascere, & pro eâ sollicitum esse, quæ charitatis in eum specimen edidit.

Coacta igitur universa Ecclesia qui ad Episcopatum electus est, sese intra templum & venerandum Sanctuarium recipit: deinde omnibus lampades & luminaria accendentibus ad demonstrandum divinum gaudium propter Ecclesiam viro sacro, & velut casto E sponso, & insuper divina illuminatione perfuso, matrimonio coniungendam, stolam sacerdotalem induit Electus ad significandam supernam gratiam, & phænolion sive casulam propter illustrem claritatem & puritatem. Ipso autem Deum benedicente oratio Trisagij dicitur, Pater noster, aliaque tempori consentanea, eo quod divinum cum sit opus, Dei invocatio præcedit, & oratio sanctificans, & ad Deum animum reflectens. Finita oratione, & facta absolutione stat Electus ante tremendum Sanctuarium in sacris ipsius portis. Dum autem qui luminaria gestant in medio templi subsistunt, in ipsum, dicere malim in Deum, inspicientes, qui ab Archiepiscopo missi sunt, sacrum significationis decretum pronuntiant, videlicet, Sanctissimus Archiepiscopus, & quæ cum ipso est, divina Synodus advocant & adsciscunt sanctitatem tuam in Episcopum sanctissimæ N. huius Eccle- F siæ. Ipse autem hæc audiens, modestè, ut decet, de se loquitur; & se excusat. Deinde primùm gratias Deo agit, qui eum supra meritum honorare dignatus est: Postea Archiepiscopo, & sacræ Synodo, qui eum huiusmodi operis Ministrum elegerunt, & eo dignari voluerunt. Denique ut Dei Amicus Deum piè deprecatur, ut ipsius gratia, & eligentium precibus provinciam sibi commissam rectè administret. Hoc modo sponsus Ecclesiæ sibi demandatæ in conspectu throni Christi, & monumenti eius, sanctorumque Angelorum & hominum constituitur. Cum autem consenserit, & Ecclesiam susceperit, de ea curam providam habere tenetur.

## CAPUT VII.

G *Ritus omnes ordinationis & consecrationis Episcopalis ad finem usque Missæ qua consecratur, sigillatim describuntur, & mystica uniuscuiusque explicatio breviter enarratur.*

His sic peractis quæ pertinent ad ordinationem & consecrationem præparantur. Instante igitur die dicta omnes Episcopi Electores congregantur, adest quoque Archiepiscopus Ordinationem cum ipsis facturus, vel potius Christus operans quæ peculiaria sunt, quæque ipse tradidit. Congregatur quoque omnis Cleri multitudo; & antequam Missa inchoëtur, Anabathra ponitur, & super eam thronus in quo sedet magnus Episcopus, infra verò ex utraque parte positi sunt alij throni in quibus sedent Episcopi. Deinde Cantores venientes primum adorant magnum Episcopum, ut salvatorem Christum Sacerdotum principem, faustis acclamationibus ingeminantes, *in multos annos Domine*; quo suum propter divinum opus gaudium non modo demonstrant, verum etiam illi continuum & perpetuam in opere perseverantiam deprecantur. Deinceps & cæteri Clerici per ordinem similia H faciunt, & stant iuxta ordinem qui peculiariter de hac re descriptus est. Tandem venit Electus præcedentibus ipsum Clericis, ipsoque Chartophilace, & Ministro qui ex suis ab initio illi aderat. Cum verò electus tres fluvios pertransiit in solo per gypsum figuratos, qui doctrinæ donum ad quod vocatus est, significant, subsistit super urbem ob oculos descriptam quæ ipsius Episcopatum indicat: In cuius summitate Aquila similiter describitur, puritatem, rectitudinem, & altitudinem Theologiæ subindicans, quod de Filio tonitrui Theologo, Discipulo Virgine, qui in Christi sinu requiescere solebat, vulgo scribunt. Ideo lucis radios habet Aquila qui Theologicum & gratia donatum significant.

Stans igitur super illam urbem, ipsius inscriptionem

A recitat, quæ dicendorum securitatem declarat. Deinde sacrum fidei symbolum rectè & invariatè refert, ut à Patribus positum est, cæterasque Orthodoxorum Patrum confessiones. Affirmat quoque se ad Episcopatum assequendum nihil dedisse, seque ovile suum sanctè & irreprehensibiliter gubernaturum. Denique propriam subscriptionem recitat per quam quæ dicta sunt, confirmat, & confitetur, protestans se hanc doctrinam Orthodoxam, quæque confessus est, gregi suo prædicaturum, & ad finem usque servaturum. His peractis ad Aquilam procedit, ad Theologiam videlicet, & doctrinæ sublimitatem. Postea capite ipsius à Cartophylace nudato per quod gratiam accepturus est, testans Christum & Archiepiscopum suum a quo ordinatur, sibi caput esse, illud inclinat, inclinatione subiectionem demonstrans, & Christi gratiæ cum humilitate acceptionem. Chartophylace autem tenente eum qui signandus est per collum, &
B exclamante, *Iubete*, surgunt Episcopi, & qui est in Anabathra Archiepiscopus; extendensque manum desuper, & cum cruce signans ait, Gratia sanctissimi Spiritus per mediocritatem meam promovet te in Episcopum vel Metropolitam civitatis N. & reliqua. In fine autem crucis signum facit, quo demonstrat non se, sed Christum per ipsum ordinare. Psaltis autem cantantibus illud, *In multos annos Domine*, (Orandum enim est gratiam Dei nobis abundè suppeditari) Ascendit Electus, & sedente Archiepiscopo illius osculatur genu, sese velut coram Deo inclinans, tam propter servitutem indicandam quam propter dexteram eius quæ divini operis est adiutrix, quæque ipsum ordinavit. Genam quoque osculatur ut Ordinatoris sui propter charitatem in Christo, & unionem. Abit quoque ad Episcopos Electores quos in ore osculatur, ut iam cum iis incipiens eiusdem esse ordinis, tum etiam propter sacra labia quæ ipsum elegerunt, & in Christo charitatem & pacem.

Sic iterum ad Aquilam subsistit capite inclinato:
C Et Chartophylace dicente, *Iubete*, Surgunt iterum & Episcopi & ipse Archiepiscopus, qui manu extensa exclamat, Gratia sanctissimi Spiritus sit tecum, eumque cruce signans dimittit. Hoc modo Electus arrhas matrimoniales Ecclesiæ consequitur, fitque perfectè illius sponsus, & crucis illud signum pro annulo nuptiali accipit, osculumque sacrum affectu humano carentem tradit, ut ait Paulus, salutantes in osculo sancto, & Ecclesiam iam ipsi traditam manu accipit. Ideo & facta hactenus præclarè in hac causa, & pacta magnifica, & munera ante nuptias data, & dona Sponsi Sponsæ oblata hæc sunt, fides in Deum verissima, quæ nulla impietate laborat, & recta confessio, & promissio conservandæ Ecclesiæ sibi desponsatæ in charitate & pace, & salutis distributione. Nondum tamen perfectè illius est vir, neque desponsatus, & iam ipsam possidens, neque unum corpus & membrum cum ipsa factus; sed hoc iam fieri incipit, verùm non absolutè, sed in matrimonio magni & puri mariti, cum ipse præclaram dotem, sanguinem videlicet suum tradens eam
D sibi ipsi nuptum collocavit; irreprehensibilis ipse & castus immaculatam efficiens quæ prius meretrix erat, & gloriosam quæ nudata, & puram quæ sordibus contaminata erat, & reginam quæ mala & fœda erat ancilla.

Incepta enim sacrorum operatione primus Episcopus Missam inchoat, primumque introitum cum Episcopis & Sacerdotibus more consueto facit. Electus autem in Secretario sese vestit, & supergeniculare sibi circumponit: Iam enim castissimæ sponsæ Ecclesiæ arrham habet, signum nempe victoriæ & resurrectionis speciosi sponsi Iesu Christi Dei nostri per crucem in castitate & puritate datum. Hæc enim demonstrat supergeniculare quod est velut ensis è zona dependens, crucemque figurans; habensque resurrectionem inscriptam, quæ Christi potestatem in mortem significat. Ipse equidem ad introitum non egreditur,
E sed honoratur ut sponsum iam iam ducturus, & privatim præeunte pompa introitum facturus. Sic autem fit ille introitus. E Secretario educitur, & præeunte Diacono, tenentibus eum duobus Presbyteris venit per dexteram templi partem, & soleam usque ad Sanctuarium, ubi quæ ad divinum matrimonium spectant, perficiuntur, quæ sic se habent.

Post primum igitur introitum matrimonium hoc Spiritus, nempe ordinatio, perficitur, eo quòd sic res ab initio hanc ordinis consequentiam nacta fuerit. Dominus enim noster incarnatus est, & pro nobis passus, & resuscitatus, deinde in cœlos assumptus est, quæ omnia primus introitus indicat. Post hæc Spiritus sanctus descendit, qui Salvatoris successores ordinavit, & eiusdem dignitatis effecit. Inde est quod Pontifice cum reliquis ad altare velut in cœlos ingresso, antequam ad communem thronum velut ad supercœlestem sedem
F ascendat, Ordinandus adducitur, & consecratur, atque ita eâdem sede potitur. Nam post Trisagium hymnum decantatum, qui Angelorum est ode, & consentiens superiorum & inferiorum melodia, facto per tricerium in crepidine sanctæ mensæ crucis signo, non autem in Synthrono propter ordinationem (Deus enim cum vult nos sanctificare & exaltare nobiscum humiliatur) tum Ordinandus à Presbyteris præsentatur. Licet enim factus sit sponsus Episcopatus perfectus, & sigillum crucis atque osculum acceperit, ut nuptiarum pignus, nondum tamen istius Ecclesiæ vir est, neque filiæ regis quam desponsavit, dignitatem accepit, cum nondum ipsi connubio iunctus fuerit, neque maritus factus, nec eius fidei commissa sit, nec in unum Spiritum cum ea coaluerit. Hæc enim omnia spiritalia sunt, & illuc caro non accedit, quoniam per eam filios gignit quæ neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo gignuntur.

Ideo & Presbyter adhuc appellatur ante matrimonii celebrationem, quoad usque vir Ecclesiæ, & Episcopus fiat & vocetur. Adducitur autem à Presbyteris ad
G portas usque Sanctuarij, interiùs verò ab Episcopis duobus primis ut actionis testibus: Verùm suscipitur ab iis quoniam ad eorum ordinem progreditur. Ter autem chorea facta circumit sacram mensam: Interim cantantur hymni in tono diem festum agentium, & panegyrim celebrantium, Martyresque ut nobis indulgentiam impetrent magno clamore invocantur. Cantatur quoque hymnus, *Gloria tibi Christe Deus, Apostolorum gaudium, Martyrum exultatio*; Sed exultatione & lætitia gestientes, Quia Trinitas consubstantialis eorum prædicatio. Ordinandus magno Episcopo adducitur ad crepidinem sacræ mensæ, velut lapis firmus positus & stabilitus super fundamentum Ecclesiæ. Quod ad hymnum, *Gloria tibi Christe Deus*, non novimus omnino quod in ordinationibus quæ Constantinopoli fiunt, decantetur. In Thessalonicensium verò Ecclesia hoc invenimus, postquam bis dictum est, *Sancti Martyres*. Quod necessarium est: Nam illic quidem Martyres tantùm in Chorea invocantur, Hic verò etiam Salvator
H ipse, qui unus de Trinitate incarnatus est, & ipsa quoque Trinitas consubstantialis glorificatur.

Omnibus divinissimis Episcopis circundantibus ordinandum, & ipsum tangentibus ut appareant primo consentientes, primum sigillum, & ordinationis primitiæ à primo Episcopo fiunt capiti illius qui ordinatur. Postea flectit utrumque genu Ordinandus super crepidinem, & frontem sacræ mensæ incumbit, quandoquidem gubernat & ædificat ipse super fundamentum Apostolorum & Prophetarum. Recipit autem gratiam à Deo supercœlesti, cuius quidem veluti thronus est altare; cuius veluti manus est, Episcopi manus. Eâ igitur Ordinandi impositâ capiti, & alâ portatâ quæ columbam subindicat propter Spiritum sanctum, elata voce quæ in ea scripta sunt, promulgat, *Divina gratia*, & quæ sequuntur. Cantato deinde ter Kyrie eleison secundum sigillum fit super caput consecrandi; mox Evangelium aperitur, quod Christus est, & per ipsum

A Ecclesia eius; & apertum ponitur super caput, & cervicem Ordinandi. Qua actione significatur Christum habere pro capite, qui factus est Ecclesiæ caput, & omnia quæ Christi sunt illum cognoscere, omnemque illius cognitionem, quantum licet, habere; cum constituatur in ea quæ principatum eius spectant: omnem præterea mentem, & rationem, & sensus secundum Christum efformare & accommodare, eumque cervicem leni Christi iugo submittere, nihilque agere præter ipsius sententiam; quoniam Ecclesiam ipsius super caput & cervicem per Evangelium suscepit.

Eo igitur aperto, & imposito, sacrisque literis Ordinandi capiti incumbentibus, Episcopus primam precem precatur, *Vt Herus & Dominus Deus noster qui constituit in Ecclesia sua primùm Apostolos, secundò Prophetas, tertiò Doctores* & reliqua, *quique hunc vocauit ad Episcopalem dignitatem per manum meam & reliquorum Co-episcoporum, corroboret per adventum &*
B *virtutem, & gratiam sancti Spiritus, sicut Apostolos corroboravit & Prophetas, & ungat quemadmodum reges, & sanctificet ut principe. Sacerdotum, & eo sine peccato & macula conservato, & Episcopatu ornato in omni morum gravitate & severitate sanctum efficiat, ut postulet quæ ad populi salutem spectant, & ad obedientiam ipsi præstandam.* Quod equidem maximum est donum: & revera maxima bona hæc sacra præcatio præbet, cum tradat Ordinando Apostolorum & Prophetarum virtutem. Quippe per Episcopi dona gratiæ Apostolicis & Prophetiæ ... Hunc autem ungentum, inquit, *non secus ac reges*: quoniam illi ungebantur oleo a Spiritu, & nunc etiam reges unguntur ab Ecclesia, principatum ab ea suscipientes. Episcopi quoque propter ... principatum gratia Spiritus unguntur; *Constitues eos*, inquit Scriptura, *principes super omnem terram.* Sunt hi autem ... sicut Principes Sacerdotum, & antiquos illos Melchisedech, Aaron, & Samuel, ut etiam Apostolos quos factos gratiæ principes & Mystas constituit, ut in altare supernum
C ingrediatur, & agnum viventem sacrificet, & pro omnibus propitietur; atque ut sanctificatus ingrediatur in Sancta Sanctorum, & quæ vere Sancta sunt, operetur, permaneatque Dei Sacerdos irreprehensibilis, & immaculatus, omni puritate & morum gravitate ornatus, ... finem sanctum Dei sanctitate & gratia cumulatum.

Propter hoc enim Domine sancte: magnam dicunt esse illius sanctimoniam, quandoquidem & aliis Presbyteris sanctimonia inest gratia per spiritum sanctificantis, præsertim verò Episcopo qui sanctus ordinatur. Episcopus autem Imperatorem ungens, eum sanctum proclamat, sed verbo tantùm hoc per proclamationem dicit, propter unctionem sacri unguenti chrismatis, à quo fideles omnes & unguntur & sancti denominantur. *Fratres sancti*, inquit Paulus *vocationis cælestis participes.* Effice illum, inquit Episcopum sanctum, & ita illum ordinat precibus sanctitate donatum. Imperator equidem quæ sunt Sacerdotij non habet, neque Apostolorum, Prophetarum, aut
D Doctorum dona. Solum renuntiatur Pontifex unctione chrismatis: verum Episcopus per preces ordinationis accepit cum ipsis donis & sanctum esse, & quod maius est, ut in iis quæ pro alicuius salute postulaverit, exaudiatur. Hæc cum dixerit, alta voce pronuntiat Orationis conclusionem, *Quoniam sanctificatum est nomen tuum, glorificatum est regnum tuum.* Quia solus est natura Deus sanctus, & glorificatus: Ipse quoque est qui sanctificat, & glorificat, quique rex solus est & Episcopus. Postea exclamans laudat Trinitatem, à qua omnia consecrantur, & cuius sunt omnia eiusmodi dona. Verum enim vero Trinitatis invocatio ut in baptismate, ita & hic, & in omnibus sacris mysteriis sacras initiationes & consecrationes operatur.

Deinceps rogationes eo tempore à primo congregatorum Episcoporum meritò dicuntur. Pro superna pace, & omnium salute, pro Archiepiscopo velut operante divinissimum opus. Et pro operibus manuum
E eius, ordinatione scilicet; Pro ipso quoque Ordinando, & piis Imperatoribus; Pro urbe & omnibus fidelibus: Reliqui respondent, Kirie eleison. Ipso facto testante eum ab omnibus Episcopum consecrari: Omnes Enim Episcopi cum Archiepiscopo consentiunt, & comprecantur, & coordinant, cum simul contingant suscipientem ordinationem. Hoc autem fit in sola Episcopi ordinatione, quoniam in hac maxima donatione, & spiritus Dei accessione omnium fidelium memoriam agere oportet, ut misericordiam, salutem, & gratiam consequantur. Archiepiscopus autem manum habet impositam, ut gratiam Dei significet protectricem, & conservatricem, & sancti Spiritus adventum & virtutem, & obumbrationem tum fieri, potius vero gratiæ in Ordinando inhabitationem.

F Recitatis rogationibus statim ad secundam progreditur orationem, manum semper habens capiti illius qui ordinatur impositam. Qua ratione decet quæcunque precatur efficacia esse, & ea, qui manus impositione donatur, accipere. Oratio autem ipsa quam admirabilis! *Domine Deus qui eo quod non potest natura humana divinitatis ferre præsentiam, œconomica tua dispensatione constituisti nobis Doctores affectibus nobis similes, qui thronum tuum vicesque tenerent.* Papæ mysterium! potestatem & virtutem homo accipit, & throno ipsius Dei dignus iudicatur! ô rem mirandam! Cum non possit natura humana divinitatis præsentiam capere. Solum enim illud quod à nobis assumptum est, verbo secundum omnia unitum est, & ipsius mater Virgo verbum in utero suo ... donec pareret, excepit & continuit: Ideo omnium maximè post Deum honorari meretur, nosque tremenda eiusmodi Oeconomiâ maximo isto dono, Sacerdotio nempe Christi Dei nostri, digni facti sumus.

Ipse igitur orando pergit, *Et hunc declaratum & effectum Oeconomum sacræ Episcopalis gratiæ.* En Oeconomus ... efficitur: unde & fidelis & prudens, ut requiritur, esse debet. *Fac eum imitatorem veri Pastoris, qui animam posuit pro ovibus suis.* En Pastor,
G verum qui ... totis viribus curam gerere gregis sui rationalis, ô gratiam magnam! at & debitum. Mori debet pro ovibus Christi, ut ordinatione factus ipsius imitator, & Pastor secundum ipsum constitutus, potentque omnia quæ sunt eius per ipsum in sancto Spiritu operari, & administrare. Et addit, dicens, *Cæcorum ducem*, Infidelium videlicet ad fidem, insipientium instructorem, eorum qui propter ignorantiam ab hæresi possidentur, ut eos ad fidem orthodoxam revocet, aut etiam peccatorum ad Pœnitentiam, necnon *Institutorem, & correctorem* refractariorum & audacter contumacium. *Doctorem simplicium* secundum veram prudentiam. *Lumen mundi*, secundum Apostolos qui lumen mundi fuerunt, sicque à Christo vivo lumine vocati; & secundum Paulum, lucem mundi verbum vitæ tenentem. Tandem, *Vt cum animas sibi creditas, inquit, rectè gubernaverit.* Hæc est rei
H summa, omni studio conetur & efficiat ut salventur. Creditæ sunt illi animæ, magnum debitum! sed Deus maximam gratiam concedit certantibus, magnamque ... reportabunt. Vides magnam omnesque alias excedentem divini operis remunerationem, Episcopali scilicet officio redditam. Quæ verò illa? Quam præparavit, inquit, iis qui decertantur pro prædicatione Evangelij tui. En certaminis obligatio, & pro prædicatione, nempe Evangelij: Et qui decertant: velut Athletæ sunt. Quis autem hoc certamen decertavit? Ipse primus est Salvator, qui pro veritate testimonium perhibuit, bonamque illam confessionem confessus est, Quod Pater ipsius est Deus, & ipse Dei Patris Filius. Eum in hoc agone secuti sunt Apostoli Vnde Episcopus qui pulchrè pro Evāgelio decertaverit, sive in certaminibus & laboribus, sive etiam ad sanguinis usque effusionē, sive in tētationibus,

& persecutionibus, & contumeliis, sive in zelo, aut misericordia, aut aliis divinis operibus, cum Apostolis erit & ipso Christo, ut qui ipsius, & ipsorum gratiam retulerit, & cum iis glorificabitur.

Episcopus oratione completa exclamat, & glorificat imperium & misericordiam ipsius Filij qui pro nobis incarnatus est, & Patris eius & Spiritus; invocatione Trinitatis confirmans priùs dicta, & ordinandum perficiens: Propter quod sigillum postremum ipsius capiti imprimit in perfectionis & consecrationis argumentum. Et sic sacrum Evangelium attollens reponit in mensa; quia Ordinatus gratiam eius possidet, & totus est Evangelium, & Evangelij Christi divinum instrumentum. Deinde eum pallio ornat, ut ovium Christi Pastorem probatum atque ut ipsum Christum per gratiam factum. Denotat autem pallium Salvatoris incarnationem. Illud enim benedicens Archiepiscopus, osculante eum Ordinato, ipsius collo imponit, exclamans. *Dignus*. Ter autem clarè & magnifice interiùs & ab ipso Archiepiscopo cantatur, omnibus cum Superioribus ordinibus gratiam probantibus, & confirmantibus, & in ea admodum lætantibus.

Pallium autem manifestè significat, ut diximus, Verbi Dei Incarnationem; quoniam nos ovem perditam inveniens super humeros portat, naturamque humanam integram indutus, eamque sibi adunatus deificavit, atque idipsum quod assumpserat per crucem & mortem Patri pro nobis obtulit, & suscitatus nos exaltavit, Ideo pallium circumfert cruces, & è Lana texitur, & collo humerisque Episcopi imponitur, maximè verò secundum tempus circa humeros anterius & posterius. Nunc autem illud sumit ut præsens & ad manum, atque ut divinum iugum cervici impositum, & brevi illud ablaturus, cum scilicet Evangelium prædicatur. Illa autem Pallij cum Evangelium legitur remotio, significat servitutem & subiectionem Servatori devotam. Non audet enim Episcopus illud sibi circumponere, testificans Christum esse incarnatum & passum, & viventem, lectisque ipsius verbis quod illemet est qui loquitur. Removens autem à se Pallium indicat, se velut servum illius esse: sim utinam servus illius, & gratia sua circumdet! Illud præterea symbolum est, & Incarnationis, & Passionis, & vitæ. Ideo non audet illud induere, sed conspicit ante se gestatum, ut recordetur eorum quæ portendit, & contremiscat in cogitatione operum tanta admiratione & stupore dignissimorum.

Evangelio igitur prædicato, & mystico sacrificio confecto ab Evengelio usque ad tempus quo sunt exaltanda mysteria divina, sic facit propter ea quæ dicta sunt, quoniam sacrorũ operatio Salvatoris nostri opus est, & ipse est qui per nos Sacerdotes & servos suos sacrificat, & sacrificatur. A principio autem Missæ & in exaltatione divini panis, & in ordinationibus, & in aliis sacris mysteriis Episcopus semper, ut dictum est, Pallio ab humeris in orbem cingitur. Quod etiam tunc ordinatus à primo Episcopo accipiens, collum induitur, & dignus renuntiatur, utpote à Deo dignus effectus, & talis ab Angelis & hominibus cognitus, atque in posterum obligatus operi condignè & condecorè vivere & conversari, & eo dignum veluti precibus & votis acceptum sese præbere. Postea cum osculatur Pontifex, ut propter gratiæ magnitudinem sibi amabilem, & per ipsum æquali honore fruentem, & in Christo sanctificatum & unitum. Ipse quoque sacram mensam osculatur, eam ut gratiæ officinam honorans, in qua & consecratus est, & ordinationem accepit. Osculatur etiam dexteram quæ ipsum ordinavit, quasi & ipsa sit sanctificata, & gratia abundet, eamque communicandi ius habeat, itemque perficiendi & consecrandi per spiritum Sanctum, & benedictionem largiendi, divinaque dona distribuendi, per quam & ipse ordinatus est Episcopus, & consummatus. Osculatur insuper Pontificis genam ut sermonis instrumentum, ut precum Ministram, atque etiam propter charitatem & unionem. Amat enim & ipse communicantis gratiam. Vt autem amatus & dilectus verè in Christo solo amabili amat & diligit.

Mendax autem osculum, ut Iudas non figit, nec alapis genam cædit ut Deicidæ; sed contrà osculo testatur se eam honorare, sanctamque iudicare, & dilectissimam, atque etiam se eiusdem ordinis cum Episcopo consecrante, licet sub eo, esse factum: Hoc est enim eorum manum & genas osculari non autem labia. Nam labiis osculatur sibi ordine æquales, & qui antè ipsum ordinati sunt Episcopi, & ab ipsis mutuis osculis honoratur, ut ipsis unitus, ut charissimus, ut gratia divina donatus, ut Collega iisdem secundum omnia prærogativis dignatus, amans & amatus, pacificus, & Cooperator, atque ut in divinis mysteriis eorum Comminister.

Vnde in Ordinationibus Archiepiscoporum, Patriarcharum scilicet, Patriarcha ordinatus, nec manum ordinantis, nec genas osculatur, sed primùm divinam mensam osculatus ascendit ad altaris crepidinem, & more consueto tradit osculum. Postquam ipsius Ordinator sacram mensam primùm osculatus fuerit, ut sacratum operationum fontem, osculatur ordinati Patriarchæ manum, ut divino Spiritu secundum omnia primi, & ipsorum Patriarchæ; os quoque ipsius osculatur propter unionem, vel genam propter subiectionem: similiter faciunt cæteri Episcopi, qui cum ipso hunc ordinaverunt. Etsi enim una est Episcopatus gratia, & virtus, & ordo ex Deo primo, & solo Patre & Episcopo emanans, Patrias tamen habet filiationes, & gratias differentes, ut unusquisque ordo postulat, cum Pater, & Filius, & spiritus Sanctus una sint in Trinitate divinitas & natura. Vnum autem est principium Pater, quemadmodum Filius, & Spiritus, secundum omnia consentiens; una eorum voluntas, & una motio & virtus. Ex Trinitate autem omne decus & bonus ordo tam rerum superiorum quàm inferiorum procedit. Ideo unusquisque superiorum ordinum in se possidet primum, medium, & postremum ordinem, atque è Doctoribus est, & in iis sunt Doctores, & Patrum Patres: quandoquidem, ut diximus, ordo est in Trinitate inconfusa, consubstantiali, per omnia sibi consentiente, quæ sine principio est, & omne principium antecedit. Pater quidem sine principio est; Quæ verò ex ipso, principiata dicuntur, & horum unum est genitum nempe filius, alterum procedit nempe spiritus sanctus. Est tamen indivisibilis Trinitas, unaque est illius ut substantia, ita & virtus. Ex ipsa igitur est, ut ait Paulus, omnis paternitas & ordo in cœlo, & in terra.

Cum igitur, Deo favente, huc devenerimus, paucis edisseremus qua ratione Patriarchæ ordinatio perficitur; Et si Episcopus est, qua ratione constituitur Patriarcha; & qua ratione si non est Episcopus. Sunt enim hæc contemplatione & consideratione digna: verùm quæ sunt Episcopi paucis perficiemus. Post sacram istam salutationem Archiepiscopus osculatus iterum sacram mensam in thronum communem ascendit, ut Christus in cœlos; Ordinatus quoque eandem osculatus ascendit, & à dextris primi Episcopi adstat, atque ut mox consecratus primum inter Episcopos locum tunc obtinet. Deinde facta Imperatorum & primi Archiepiscopi fausta acclamatione, stat & ipse sub manu cum cæteris Episcopis. Cum autem sedetunt omnes Episcopi & Presbyteri, & Apostoli verba legenda sunt, adit Archiepiscopum, ut benedictionem accipiat ab eo, eamque det lectori. Hæc autem pacis dandæ ratio mysterium est, quo significatur à Deo donari. Non licet autem ei hoc agere sine sententia germani, & Diœcesani Pontificis; præsertim in ipsius Ecclesia, & ipso præsente, qui Pastorum primus est & princeps. Ideo per benedictionem permissionem accipit. Lecto Apostolo pacem precatur Lectori, secundas post Archiepiscopum ferens. Ipse enim Archiepiscopus pacem precatur ei qui Evangelium legit.

A Sic perficitur divina Missa, stante Ordinato ante omnes Episcopos Missam simul facientes. Pronuntiat etiam primam exclamationem precis Cathechumenorum, & consequenter reliquas preces. In divina verò communione primus divinum panem manibus ab Archiepiscopo accipit, & cum eo communicat: postea tradit Archiepiscopo divinum sanguinem per sacrum calicem, & illi iterum Archiepiscopus, quandoquidem licet misericordia, & humanitate Dei divina sibi mutuo tradant homines, attamen unus est per omnes operans & datus. Deinde quoniam bono primum participant primi, & qui ad eos dignitate sua propiùs accedunt, (Ordo enim continet omnia, & nihil est bono ordine penitus privatum) post divinam communionem Archiepiscopus ad instar Salvatoris divinum panem dividens omnibus distribuit. Ordinatus autem Episcopus accipiens primum divinum calicem cum accedentibus Episcopis & reliquis eum communi-
B cat: Deinde lavatis manibus sacrum antidorum iussu Archiepiscopi populo præbet; quo iam Ordinatus demonstrat, & testatur populo se per antidorum sanctificationem omnibus communicare.

## CAPVT VIII.

*Ritus Enthronismi Episcopalis, & salutationis Imperatori à recens ordinato data describuntur.*

POstea in una templi parte versùs Prothesin in Cathedra Episcopali inthronizatur, præparato ibi throno in figuram & argumentum Enthronismi in Ecclesiam suam. Enthronismus ille magnifico cum apparatu, ut nunc Patriarchæ, prius fieri solebat, circa Ecclesiam inthronizandi Episcopi, convocatis per
C literas Archiepiscopi ad hunc Enthronismum celebrandum Provinciæ Episcopis. Nunc verò Barbarorum incursionibus, & ingruentibus in Ecclesias tentationibus & perturbationibus celebritas illa cessavit, & in sola magna Ecclesia peragitur in hunc modum.

Præparato & proposito throno in quo sedet Archiepiscopus, & peplo solito ipsi adaptato, factaque prece à Presbytero, & præsentibus Episcopianis omnibus trisagion cantantibus & cereos deferentibus, & circundante plebe inthronizatur Ordinatus Episcopus à Sacerdotum primo, & eo qui post ipsum secundus agit, terque à Presbyteris in throno collocatur, exclamantibus, *dignus*. Deinde eo sedente faustis acclamationibus, Imperatores prosequuntur, Archiepiscopum, & ipsum ordinatum, & sic celebratum dimittunt. Populus autem accedens, atque etiam Clerici sacrati osculantur Ordinati manum, & benedicuntur qui cum fide concurrunt. Cum enim sit recens ordinatus,
D totus est purgatus & illuminatus, gratiaque in hac nova consecratione abundantius ab iis suppeditatur qui eam superne acceperunt. Neque etiam tunc benedicere prohibetur, licet alterius sit urbis Episcopus, cum huius rei, ut recens ordinatus; potestatem habeat. Accipit quoque Mandyam sive Pallium undulatum velut Doctor eius qui divinam gratiam è cœlis dicitur excepisse; quia gratia è cœlis in nos effusa est, & per Encolpium, sive per crucis reliquiis gravidæ quæ collo appenditur traditionem, ut per divinum Arrhabonem confirmatur: quoniam etiam personam Christi sustinet, & in Christo primi Episcopi. Quia denique sponsus Ecclesiæ Christi factus est, & hac ratione omnem habet potestatem benedicendi, & precandi quamvis gerentem alius urbis Episcopus, non tamen ordinandi. Benedicit autem publicè & confidenter per hunc solum diem. Ideo postquam ab altari recessit, equo insidens gyrat urbem sacerdotum & ministrorum coro-
E na cinctus, crucisque signo signat omnes, & benedicit: urbem quoque signo crucis sanctificat; & preces faciens ut novus factus Episcopus divinam insuper gratiam qua per novam consecrationem donatus est, communicat, & sanctificationem benedictione largitur. Quapropter, ut apud Deum confidentiam consecutus, & ordinatione sua potens, ad Imperatorem mittitur ipsi bene precaturus, & sicut ut Christus Domini per Spiritum, Christum Domini chrismate factum benedicit, & precibus corroborat. Unde ad eum accedit; & quæ salutaria sunt, ei precatur. Hic ordo prius decenter, & secundum Deum amanter observabatur: ideo Episcopi oratio plurimùm erat utilis & efficax. Nunc verò contrarium observatum orationem reddit inutilem.

F Antiquitus mos erat ut mitteretur Referendarius cum Episcopo in Cæsaris Palatium, Pinsque Imperator stationem fieret donec veniret Episcopus. Eo igitur accedente licebat Diaconus, Dominum deprecemur, & Episcopus orationem legebat: præstoque erat Thuribulum, ut scribitur in vita S. Amphilochij. Hoc nunc facit Patriarcha quinta die nova: Episcopus accepto Thuribulo, thure incenso Imperatorem perfundit, & cum ipso communicat divinam gratiam & sanctificationem. Inclinante caput Imperatore, ut significatur in vita S. Ambrosij, impertiebat illi benedictionem Episcopus, ut recens ordinatus, & novo spiritu innovatus, & valens in Christo benedicere & sanctificare. Postea Imperatorem in ore osculabatur propter eam quæ in Christo est pacem, charitatem, & sanctificationem. Sanctus namque est Episcopus non modo mysteriorum communione, & ordinatione, verum etiam hoc ipsum habent ordinatione sua cum Imperatore communicabat. Nam et si solus Imperator charismate quidem sanctus est, Episcopus verò ordinatione. Post osculum honorabat Episcopus inclinatione capitis Imperatorem propter mundanam potestatem, & discedebat.
G
Multi religiosi item Imperatores cum muneribus donabant, ut pro ipsis precatum, & honorifice dimittebant, ut sanctificatum. Sic Magnus Constantinus non modo divinum Sylvestrum, sed et alios Episcopos propè omnes qui erant in Synodo honorifice comitabatur & deducebat, & conspiciebatur largitionibus eos prosequens, & membra eorum qui propter Christum passi fuerant, ut cæteris magis pretiosa honorans. Nunc autem fit omnino contrarium: Expectatur quidem Episcopus, venit, precatur; nihil tamen honore propter Christum dignus iudicatur, sed potius dedecoratur, & eo qui benedicitur multò minor habetur, & illius secundum servitutem Minister, Lectoribusque vilior, qui die quinto novo cum Patriarcha & cæteris clericis Imperatoris manum genuflexique osculantur. Accedens enim coram Imperatore sese prosternit, & precatus illius dexteram osculatur. Quomodo qui precatus est hoc facit? Quamobrem Imperator Sacerdotis manum osculatur, Ordinatus verò Episcopus post ora-
H tionem habitam Imperatoris manum? Hoc fit planè præter rationem & inconsequenter. Vide verò quantum & quale sit id quod fit. Sanctificatus Spiritu, consecratus Episcopus, qui manum habet sanctificatam, ita ut possit & ordinare, & benedicere, & cruce signare vivos pios, ipse non solus ligatur. Manus verò ad benedicendum non consecratas, sed mundanas, labiis sacris & sanctificatis, quæ iam heri & unoquoque die tremendam communionem attingunt, non tantùm serviliter osculatur, sed etiam sedenti Imperatori adstat. Si privata persona esset, hæc quidem ne sic oportet, cum dixerit Apostolus, Regem honorate. Si verò Christi est Episcopus, & Christi locum tenens, sic fieri non oportet: in Christum enim recurrit dedecus, quoniam non è vulgo ille est, sed è personis consecratis, & virtutem Apostolicam corpore possidentibus. Verùm ista non tam ab Imperatoribus quam ab adulatoribus fiunt, qui eos humanis verbis falsa persuasione commovent ad

ad maiora perpetrandum, ita ut audeant & promovere Episcopos, & translationes facere. Papæ! Ordinatum per Spiritum Sanctum huius Ecclesiæ Pastorem, ab iis constitui alterius Pastorem qui non habent Sacerdotij potestatem & virtutem, & præter Spiritus sententiam! Si ædificationis Ecclesiæ causa oportet aliquem Episcopum in maiori urbe constitui, hoc à Spiritu statuendum est, à quo & ordinatus est, non autem à mundana potestate.

Multi etiam Duces & Abbates Monachorum, qui Deo consecrati sunt, & gratia Dei animabus præsunt, sic præter Spiritus voluntatem agere convincuntur: Soluunt enim & ligant, ab iis potestate accepta, qui gratiæ virtutem non acceperunt. Ordinantur quoque, multisque imperant, nihil omnino curantes eorum qui gratiæ donum possident. Ideo afflictiones & contusiones nostræ multæ factæ sunt, & præ omnibus gentibus contemptibiles, & minimi habiti sumus, & dum violentè festinamus ea quæ non decet attingere, & iis quos non oportet imperare, nobis alienigenæ dominantur; dumque facimus quæ Deo displicent, inimici nostri Deique, consequenter nobis insultant, & quæ nobis sacra sunt, possident, Deoque consecratis potiuntur: Eheu, existimantes lucrum aliquod facere, propria nostra perdidimus. Messes, & fructus nostros colligunt inimici nostri, eaque ante oculos nostros comedunt. Sed utinam fiat huius gravissimi mali quædam sanatio, & quæ sunt Cæsaris dimittantur Cæsari, & quæ Dei Deo, ut omnia fiant Dei Benedictione digna, consistantque sacra & conserventur, & secularia augeantur; non autem contrarium, ut ab invicem corrumpantur. Quoniam qui à principio inimicus noster est, & molestus corruptor in eiusmodi rebus festinat, ut Sacerdotium cum viris piis committat, illudque atterat, sacraque & divina evertat. Sed evertatur à Domino malus, vivantque sanctè, & Deo amanter fideles & pietatis studiosi, & mercedem sententiæ Christo dilectæ reportent, libertatemque per Christum ab his gravibus molestiis, omnifariamque bonorum augmentum.

Ordinatus autem Episcopus, postremaque salutatione in Synodo functus proprium locum occupat, non ampliùs eget cæteris quæ typo continentur, sed ut Episcopus existens quæ ad suam Ecclesiam spectant, curat. Cooperatur quoque sacris operibus accedens ad Synodum à seipso cum opus est, & advocatus. Osculum ter datur ordinando præter illud quod fit in Sanctuario. Primum quidem post indicationem, utpote tum factus Ecclesiæ sponsus cuius possessionem aggreditur. Cum videlicet nullo existente suaveolente suffitu vel roseo liquore adducitur Ordinandus ad Archiepiscopum sedentem, & ad Episcopos circa ipsum ex utraque parte sedentes, terque sese prosternit, & osculatur genu, manum, & genam Pontificis, & in ore Episcopos tum sedentes; nondum enim est Episcopus, iussus autem sedet, non in throno Episcopali, sed privatim inferius, in loco depressiore: Quo significatur eum Ecclesiam tantùm despondisse, & sponsalium primitias accepisse, nondum enim vir eius est, vel Maritus. Ideo velut qui tantùm dederit symbola & Arthabonum primitias cum Amicis & fratribus Sponsæ ea peragit quæ ad amicitiam confirmandam inserviunt: unde eos osculatur ut iam Amicus, & sedet cum eis, & consulit cum eis; non tamen consider, cum thronum nondum assecutus fuerit, nec honorem & dignitatem Patris Ecclesiæ; nec enim ipsis cooperatur, cum ordinare non possit. Consilium verò dat solùm, sive sententiam dicit, & eorum quæ sunt sponsæ curam gerit, possessionum scilicet & negotiorum ad Ecclesiam spectantium.

Secunda salutatio fit cum perficiuntur Sponsalia, traditque sponsus, & accipit pignora, & mutuas donationes ante matrimonium fieri solitas, eaque agit quæ Patri conveniunt, & ad ipsum referuntur, veluti quod rectam fidem confessus, & œconomiam sibi creditam se bene administraturum sincere pollicitus primitias matrimonij accipiat, & in illius possessionem per parvum sigillum veluti per Arthabonem mittatur: Tunc enim sine ungeneto & suffitu osculum facit. Osculum verò Ordinationis quod fit in sanctuario cõsummativum est & matrimonij & unionis, quia vir & maritus Ecclesiæ constituitur. Sed de eo dictum est, cum de ordinatione verba faceremus.

Nunc autem tertium dicimus illud quod fit extra sanctuarium, sicut & alia oscula, illud nempe quod fit in Synodo, & post ordinationem, cum recens ordinatus veniens sedentibus Archiepiscopo & Episcopis ter sese prosternit coram magno Pontifice, ut subiectionem suã demonstret, & Trinitatem honoret. Postea surgente paululum Archiepiscopo, ut ipsum honoret velut Episcopum, stantibus verò aliis Episcopis, æqualis enim est eis, & eiusdem honoris, accedit & consuetam facit salutationem: Archiepiscopi scilicet genu, manum, & genam osculatur; Episcopos verò stantes in ore. Hoc peracto iterum in medio stat, & postquam sese coram Archiepiscopo inclinavit, assidere iubetur. Sedet autem in loco Ecclesiæ suæ debito, iam illius capturus possessionem: ideo enim fit illa salutatio, ut thronum suum accipiat, & Synodi promulgetur Assessor, & cum aliis iudex. Nam secundum ordinem throni sui & honoratur, & sedet, & sententiam dicit, & cætera operatur. Cum autem per gratiam hæc acceperit, offert aliquid suave-olens, veluti roseum liquorem, & quæ suffitum apta sunt facere per eum qui ceremoniis ordine agendis Præpositus est, qui in huiusmodi & præit, & ordinatum deducit.

Cum igitur sic Episcopus institutus, omnia quæ legibus statuta sunt perfecerit, Scripto etiam accipit testificationem securitatis causa eorum quæ de ipso dicta factáve sunt; diploma nempe omnia continens, institutionem ipsius, mores, Sacerdotium, suffragia, & à quibus suffragia accepit, quáve ratione Episcopatum Canonice suscepit. Hoc testimonium Archiepiscopus subscribit & Bullâ propriâ obsignat, ut sit illi promotionis & institutionis ad Episcopatum testificatio.

## CAPUT IX.

*Ritus & ceremoniæ electionis & promotionis Patriarchæ Constantinopolitani, tam antecedentes quàm consequentes, ipsius electionem & promotionem, enarrantur, sive Electus fuerit Episcopus, sive Presbyter, sive nondum Presbyter.*

QUum autem Episcopus fit Patriarcha videamus, quid in eius consecratione observari soleat. Patriarcha ex hac vita ad Deum profecto nullus omnino Episcoporum ad magnam Ecclesiam accedit, ne sedem hanc invadere velle videatur: Sed Imperator ea de causa sacram Episcoporum Synodum convocat, ea utens autoritate sibi antiquitus à divinis Patribus ut Ecclesiæ defensori concessa. Advocat igitur in urbem Regiis suis literis, vicinos Episcopos quantum fieri potest, nam si omnes adessent res esset planè canonica. Illi igitur secundum Regias literas simul cum iis qui in urbe tum versantur in loco sacro congregantur. Ex antiqua autem consuetudine soli non congregantur, ne schismata inter eos & tumultus contingant. Congregantur autem non in magno Patriarchij templo, eo quod non est, Patriarcha, neminique licet illud accedere, sed in divina Sanctorum Apostolorum Ecclesia, tum propter gratiam Apostolicam, tum propter ministerium Apostolicum. Circa eos appensæ sunt Apostolorum imagines, velut in loco suffragiorum ferendorum historia Apostolorum cœlitus Spiritum recipientium depingi consueta est. Oratione igitur & tribus luminibus, & thuris suffitu, & monimento, & absolutione ab Episcoporum primo perfectis, cæteris simul psallen-

tibus, & comprecantibus ordine sedent, solo Chartophylace ipsis considente. Suffragia autem secundum consuetudinem, ut diximus in tres personas feruntur, lataque ad Imperatorem à Chartophylace & duobus Episcopis deferuntur. Vnius de tribus à Concilio nominatis electio antiquitus Imperatori ut uncto, à Patribus permissa est, eo quod omnes sunt à Synodo electi, & digni eo honore iudicati.

Qui igitur è tribus electus est, & declaratus, & ab ipso Imperatore præsente dignus pronuntiatus, hoc enim fit ut plurimùm propter operis magnitudinem, & grave actionis momentum, quod qui noverunt, reverentur, electioni consentire persuasus, eáque accepta, indicta die declarationem excipit, convocatis omnibus qui illic sunt, Episcopis, Presbyteris, Archimandritis, Hegumenis, Clero, & populi magna parte, velut promoto communi Patre, omnibus quoque Principibus lampades gestantibus facta prece, ut dictum est, ab electo Patriarcha, & dimissione, solemnis illa Patriarchæ electi declaratio siue indicatio à maximis Senatoris Principibus pronuntiatur. Imperatoris enim personam gerunt, Imperator verò quæ Synodi sunt administrat, ut unctus Domini, & defensor atque Minister Ecclesiæ cum unctus est, constitutus, idque tum pollicitus. Quapropter qui declarationem pronuntiant, sic loquuntur, *fortis & sanctus Dominus noster & Imperator, & divina, sacráque & magna Synodus advocant sanctitatem tuam ad excelsissimum thronum Patriarchij Constantinopolitani.* Testantur quod Imperator non à seipso, sed quæ Synodus statuit simul cum Synodo pronuntiat, & solum ministerium hic præbet. Quapropter nugantur quidam rerum novarum inventores invidia impulsi cum dicunt, Imperator Patriarcham creat. Nullomodo id facit Imperator, sed Synodus ministrante pio Imperatore, ut demonstratum est; non tantùm quoniam defensor est, & Imperator unctus ab Ecclesia, sed etiam ut cooperetur, & ministret, & diligat, & firma conservet quæ ad Ecclesiam spectant: Tenetur enim propter Ecclesiæ pacem hæc inter Orthodoxos observare.

Postquam igitur electus sese ab onere subeundo modestè & honestè excusavit, Ecclesiámque suscepit, omnes Episcopi illum adeunt, & adoratione colunt, similiter Clerici & Laïci benedictione ab eo accepta, quia Sponsus Ecclesiæ est. Si igitur ille Electus Patriarcha Episcopus est, ordinatione non eget, sed tantùm Enthronismo. Si verò Presbyter, ordinatur & in thronum collocatur. Si autem Electus non erat Presbyter, postquam ut fieret consensit, secundum ordinem & gradum quem habet promotus, primùm in Presbyterum consecratur, & consecratus solemni declaratione inauguratur. Post declarationem autem illam & paululum antequam Episcopus ordinetur, vel inthronizetur, fit id quod dici solet Promotio: Hoc est, Confessio Imperatoris per os proprium, honorémque defert Ecclesiæ testificans se electum ab Ecclesia diligere & amplecti quem statuit Synodus Ecclesiam pascere, haberéque illum & agnoscere in nomine Sanctæ Trinitatis à qua imperium accepit, in Archiepiscopum Constantinopoleos novæ Romæ & Oecumenicum Patriarcham. Non igitur creat illum Imperator, neque illi dat aliquid, sed operi iam facto consentit, & obsequitur. Clarum est quod nihil illi dat; sed potius ab eo accipit, & veluti Minister est rerum Ecclesiasticarum. Nam cum electo sacram virgam propria manu tradidit, ad eum accedit, & illi caput inclinat, & aperit, & sicut moris est, benedictionem accipit, osculatúrque electi Patriarchæ manum.

Clariùs adhuc patet Imperatorem nihil illi dare, sed hæc facere ut ostendat se amore in Ecclesiam ferri, & quæ ab ea constituta sunt, confirmare. Quoniam si electus Patriarcha est Episcopus, nullóque consequenter egeat Episcopali ministerio ad ordinationem, id tamen fieri solet. Prætereà hoc facit Imperator, ut demonstret se Ecclesiam honorare, non ut illi imperet: Nam Imperator electum ad se venientem antequam illum videat, blandè & amanter prosequitur, Pallium undulatum illi mittens, & crucem sinu gestari solitam, quæ ut pignus velut Minister & Custos conservat. Ideo virgam, ut honorabilius potestatis Pastoralis Symbolum, ipse manu tradit propter honorem & securitatem, atque ut demonstret se Pastorem quem Deus elegit, charitate complecti. Testimoniorum tamen evidentissimum hoc est, iubet ut præparetur equus phaleris pulchrè insignitus, & illi Electus insideat, frænaque equi prehendat vice Imperatoris, comes pedes incedens, ut olim Sancto Sylvestro fecit magnus Imperator Constantinus, & sic pedibus incedat per aream Regiæ, & viam publicam donec ad Patriarchium perveniat. Si autem est Imperatori filius, eques sequitur, & omnis Senatus. Sic igitur ad Ecclesiæ honorem fit ea quæ vocatur Promotio, sed hæc omnia ad Christum referuntur.

Si Electus Episcopus est, ut diximus, post solemnem declarationem statim est Patriarcha, nulloque alio indiget præter solum Enthronismum. Promotus in Ecclesiam venit, templúmque ingressus & sanctum Altare, Epitrachelium & Pallium sibi circumponit, & accepto Thuribulo & Thure, prece facta suffumigat sacram mensam, & thronum sanctum superiorem, vt sibi concessum, iterumque sacram mensam, osculaturque sacrum Evangelium, & sanctam mensam iterum, velut Christum & Ecclesiam quam accepit. Postea reddens Thuribulum Diacono ab eo suffumigatur, & tempore adveniente benedicit Deum, qui eum tantis donis dignatus est: quoniam etiam ab oratione incipere debet qui Ecclesiam accepit, cum oratio unionem cum Christo cuius est Ecclesia, significet. Hinc etiam Trisagij oratione facta Diaconus ambonem ascendit, ibique supplicationem protensam pronuntiat, in qua Imperatorum memoriam facit, & ipsius Patriarchæ: Patriarcha autem dicta apud se oratione protensæ supplicationis exclamat, quia misericors, &c. & dimissione facta, faustaque acclamatione ad multos annos decantata, ut Sacerdotium perseveret incolume, crucis signo facto abit.

Crastina verò die congregatis Imperatoribus & Principibus, & ferè omni populo Liturgia magno cum apparatu celebratur à Patriarcha, assistentibus ei Episcopis omnibus, & Clero, & urbis Sacerdotibus. Oportet enim omnes adesse Pastoris sui Enthronismo, & eum in cathedra conspicere velut ipsum Dominum nostrum Iesum Christum Filium Dei viuentis, & ab ipso in his initijs tum maxime benedici, pacémque ab eo de Sacerdotali throno suscipere, eámque illi vovere, & acclamare. Pax autem illa est Servatoris nostri, quæ omnem intellectum superat, hæreditas nostra, suavis compellatio & æterna expectatio, ut quemadmodum precatus est, unum cum ipso simus, Patréque eius & Spiritu. Illa igitur est quæ nos Deo & Angelis coniungit, quæ bona nobis abundè suppeditat in hoc & præsenti seculo, cuius pacis Iesu non est terminus, quam ad crucem procedens nobis in hæreditatem reliquit, ut dictum est, quamque à mortuis suscitatus primùm pronuntiavit, & dedit, nobisque inseuit. Hanc divinam pacem qui zelotæ sunt fidei, & verè Christiani audire desiderant ab Episcopo, quique sciunt quæ sit salutatio illa pacis, orant sacros Episcopos quandiu vivunt, in throno sedere, & pacem ipsis dicere & precari, ut scriptum est in vita magni Petri Alexandrini, qui sæpe verecundabatur hoc facere, reverens virtutem quæ est in throno Episcopali, quam sæpius corde puro conspiciebat. Post mortem etiam magno cum desiderio petierunt videre Pastores suos mortuos in throno suo sedentes; hoc modo credentes se divina pace frui. Hoc certè accidit Alexandriæ in divino illo Petro post eius cædem; Et in Vrbe regia & Christi amante in Patre S. Chryso-

stomo, quem longo post mortem tempore in thronum suum collocarunt, quique tum, ut dicunt, divina gratia aperuit labia, & illud, Pax vobis, pronunciavit.

Nunc autem nescio quomodo hoc contemnitur, quamvis thronus adsit, & signum Crucis semper conficiatur, & sacra Cathedra substitat, pronuncieturque ab Episcopo, *Pax vobis*, priusque Diaconus inclamet, *Attendamus*: Nullus tamen ad hoc mentem advertit, neque audire desiderat, neque respondet, *Et cum Spiritu tuo*. At Gregorius Theologus vocem amat & desiderat, vocátque eam dilectam pacem, rémque & nomen dulce, quam dare & percipere per orationem procurat. Sed ut probabile est, dictio illa maxime potens & efficax, eo quod exigua sit, ignoratur; & obtinuit consuetudo, ut ne quidem audiatur, & sentiatur, frustraque dicat Diaconus illud, *Attendamus*, & Episcopus ipse languide & supine; non autem cum cura & studio pronunciet illud, *Pax omnibus*, vel, *Pax vobis*. Sed serio his advertendum est, & quæ nobis tradita sunt, custodienda; præsertim quæ à Christo, qui est pax nostra, cuius pacem Petrus nobis imprecatur, & ubique Paulus, discipulorumque omnium & Sacerdotum Chori. Attendendum autem est ne hoc fiat pigritia quadam & supinitate, vel doni neglectu, vel maximi beneficij ignorantia, vel inimici malignitate nos a pacis cogitatione & inquisitione avertere volentis, semperque quærentis charitatem & nostri cum Christo unionem tepidiorem & frigidiorem reddere. Hinc igitur Episcopo sedente in throno qui est Christi, Sacri & Laici stantes fixis oculis in eum velut in Christum cœlo missum intueantur: Et cum Diaconus profert, *Attendamus*, Episcopus dicat, alta voce, *Pax omnibus*, vel, *Pax vobis*, Omnes verò capita inclinantes respondeant, *Cum Spiritu tuo*. Hæc est illa pax quæ nos unit Christo & sanctis eius. Sic igitur Episcopi hoc pronunciantes sedeant, stent verò reliqui ordine suo.

## CAPVT X.

*Ritus Enthronismi Patriarchæ, seu collocationis in thronum, si Electus est Episcopus; & eius mystica explicatio.*

PAtriarchæ autem Enthronismus, sive in Cathedram collocatio fit hoc modo. Si Episcopus ordinatus est, post promotionem accedit ad magnum Sapientiæ Dei Templum, ibique precatus, & monumento, ut dictum est, facto recedit. Die autem dicta instante omnibus congregatis accedit, & ornamenta Episcopalia, cum sacco induitur, & Missam incipit, Metropolitis eum de more venerantibus, & in loco consueto sacras Stolas vestientibus, qui postea in tempore Introitus Missæ advocantur. Introitu facto fausta acclamatio inferius non fit, sed in Synthrono, velut in Episcopi ordinatione. Trisagio decantato, & oratione finita ceteri traduntur, & plurimi accenduntur propter spiritus gratiam significandam, quæ tum in Episcopo innovatur ad Ecclesiæ Catholicæ administrationem suscipiendam & aggrediendam per ipsius in divino Throno Patriarchico collocationem. Credendum enim est gratiam abundantius & profusius in eum advenire, ut corroboretur ad maius divinum opus & ministerium pro omnibus Ecclesiis subeundum. Nam secundum proportionem ministerij demandati, maior unicuique illuminatio, & gratia, & virtus à Deo suppeditatur: *Habentes*, inquit, *donationes differentes secundum gratiam nobis datam, sive Prophetiam secundum rationem fidei, sive ministerium, in ministrando*: reliqua insuper enumerat Apostolus.

Cæterum Patriarcha licet Episcopus, secundum tamen ministerium quo fungitur maiorem accipit gratiam, maxime cum in dignitate illa constituitur: Ideo accenduntur luminaria, omnibus stantibus secundum ordinem suum in gradibus suis, duoque primi Episcopi prodeunt, & electum accipiunt ex utroque latere, & in divinum Thronum collocant, exclamantque illud, *Dignus*, quod postea ter cantatur ab omnibus sacris hominibus qui sunt intra sanctuarium, térque ab omnibus qui sunt extra, Psaltis & Clericis. Iterum secundò surgunt, & sedent clamantes, *Dignus*, & iterum ter intus, & extra sanctuarium illud psallitur; & tertiò similiter ab iis in sedem collocatur, terque, *dignus*, dicitur, & psallitur, à sacratis intra, & a Psaltis extra. Tunc fausta fit acclamatio, quæ est sacrum quoddam mysterium Christi Cruce & morte sua vincentis, & carne resurgentis, & exaltati, mundum fide ad se trahentis. *Ipsa est enim victoria quæ mundum vicit, fides nostra*, ut ait dilectus Discipulus: Quæ per Episcopos regnum Christi quod antea Christum persequebatur, Christo subegit. Ideo in hac acclamatione Imperatores prædicantur pij, non infideles, nec aliena sapientes, eorúmque anni optantur multi, utinam permaneant semper: Nam regni Christi non erit finis. Episcopatus autem cum regno faustis acclamationibus denunciatur, eo quod Episcopatus regnum Christo subegit, & Christianorum Imperium constituit: Christi verò regnum est æternum; dicitur enim, *Tu es Sacerdos in seculum*, hoc est semper, *secundum ordinem Melchisedech*, non autem secundum legem. Ea de causa clamante Diacono, *Sapienter attendamus*, alta voce profert Patriarcha, *Pax omnibus*: Ad quod omnes, ut diximus, magna cum cura attendere oportet; Episcopos verò & Presbyteros attentos stare & ei respondere, *& Spiritui tuo*, sicque sedere: Populum similiter pacem accipere, & Spiritui tuo resonare. Hæc est enim Servatoris hæreditas & donatio nobis concessa, postremáque oratio, ut unum cum ipso simus. Prima quoque ipsius vox post resurrectionem, *Pax vobis*. Propterea collocatio Patriarchæ in Thronum suum tam magnifice, tantóque fit cum apparatu, ut quemadmodum servator sedens in cœlis pacem inde omnibus donat & prædicat, ita Patriarcha e sede sua tricerio benedicit, velut a cœlesti throno præbens per Servatorem Trinitatis gratiam & illuminationem.

## CAPVT XI.

*Ritus ordinationis & consecrationis Patriarchæ Constantinopolitani, cum Electus non est Episcopus; & huius ritus rationes quædam mysticæ.*

QVæ sequuntur, eodem modo fiunt, quo in cæteris Liturgiis. Si Episcopus est, ita fit ut dictum: Si verò electus Presbyter est, non Episcopus, ordinatur primùm Episcopus; posteà in Thronum collocatur. Ad Episcopum enim Thronus pertinet, eo quod Christi virtutem abunde possideat. Hoc autem ritu fit ordinatio. Patriarcha electus sanctissimum ingrediens Tribunal adorat sacram mensam, & osculatur. Cum verò pervenerit ad gradus divini Synthroni ter ad Orientem adorat, & vestes Episcopales induitur. Ecclesiastici autem Diaconi, sicut Angeli sacras Stolas, sive Tunicas induti, benedictionem primùm ab eo accipiunt, & ei sic ministrant. Episcopi autem cum Mandyis sive longis Palliis, stant tantùm. Omnes igitur Archieraticas vestes induti, Sticharium undulatum propter puritatem & doctrinam, Epitrachelium sive Stolam Sacerdotalem, & zonam propter gratiam superne venientem, supergenuale propter temperantiam, & fortitudinem contra mortem, deque ea victoriam, supermanicalia verò & saccum propter divinam virtutem, & per passiones immortalitatem. Solum est Pallium quo non induitur: Est enim Episcopi propriũ.

A Stans igitur cum facco, & hoc habitu demonſtrans ſe nondum eſſe Epiſcopum, ſtantibus quoque omnibus Epiſcopis & Clericis, quæ ſuperſunt è Canone complet, & Confeſſionem ſuam coram omnibus recitat, rectam fidem ut purum deſponſationis ſuæ donum exponens. Qui Epiſcopus ad Patriarchatum transfertur, quia Confeſſionem ab initio dedit cum ordinaretur, non opus habet eam iterum proferre. Sed cum nondum factus eſt Epiſcopus, neceſſe eſt ut antè ordinationem ſuam edat illam in Eccleſia, & intra Sanctuarium, ut omnium qui ſunt in Sanctuario princeps & Pater per Spiritum conſtitutus. Eandem autem edit quam omnes electi Epiſcopi edere ſolent; eo ſolùm excepto quod ſubiectionem Patriarchæ non promittit: Cum enim in Patriarcham ordinetur cui ſubiicietur, niſi ſolùm Canonibus quos confitetur ſe ſervaturum?

B Facta igitur Confeſſione propria manu ſcripta, & ſubſcripta, Epiſcopi vt teſtentur ſubiectionem ſuam, eum adorant, quoniam magnæ Eccleſiæ ſponſus factus eſt; atque ab eo benedicti in loca conſueta extra Tribunal ſecedunt, & veſtes Epiſcopales induunt omnes. Presbyteri quoque benedictionem ab eo accipiunt. Cum autem qui ſecundas inter Presbyteros agit, oblationem de more fecerit, Miſſa inchoatur. Primo introitu facto Diaconi & Presbyteri per Templum egrediuntur, & oratione introitus completa, bini de more in Sanctuarium ingrediuntur. Epiſcopi verò à Chartophylace, & iis qui cum ipſo ſunt, advocantur, iiſque præeuntibus à dextris & ſiniſtris, Sanctuarium ingrediuntur, binique adorantes Electum, ſtant ſe undum ordinem. Cereorum diſtributione facta, & luminaribus pluribus accenſis in demonſtrationem divinæ illuminationis, vt ſæpius diximus, & adventus Spiritus & illuſtrationis; maximæ quoque propter hoc alacritatis & gaudij in cœlo & in terra, Electus à duobus primis Epiſcopis hinc inde aſſumitur, cæteri verò ſequuntur, ſed Clerici omnes antecedunt,

C dùmque præclarè & magnificè decantatur hymnus, *Sancti Martyres*, ter ducitur Chorea ex conſuetudine circum ſacram menſam propter lætitiam cœleſtem, omnibus, ipſo quoque electo, in unaquaque Chorea ad ſacram menſam velut ante Dei Thronum, ſeſe abiicientibus, atque proſternentibus.

His peractis, ſtatim ſi adeſt Heracleæ Epiſcopus, ille quæ ad Patriarchæ ordinationem ſpectant, exequitur; eo quod ut dicitur, Byzantium à Severo Imperatore Heracleæ ſubiecta fuit, & uſque ad magnum Conſtantinum Epiſcopatus fuit Heracleæ Metropoli attributus. Aſcendit igitur ſuper crepidinem omnibus Epiſcopis ipſum iuvantibus, & contingentibus, vt conſenſum ſuum in illius ordinatione demonſtrent,

D quam ſimul decreverunt, ordinandum omnes quoque ſimul in Spiritu Sancto conſecrant. Hunc primum de more Heracleæ Archiepiſcopus ter cruce ſignat, hac actione primitias ordinationis delibans. Si verò non adeſt Heracleæ Archiepiſcopus, Primus eorum qui adſunt Epiſcopus ordinationem cum aliis facit. Poſtea Ordinando genua flectenti, fronte quoque & capite in ſacram menſam incumbenti manum ordinans illi imponit, & cæteri illum contingunt. Deinde quæ ſunt in ala ſeu Spiritu deſcripta, legit Ordinans, iſtud nempe, *Divina gratia.* Hoc facto, ſecundum facit ſigillum, ſive Crucis ſignum cum pronuntiatur, Kyrie eleiſon. Ordinandus poſtea Evangelium apertum ſuſcipit ſuper caput & cervicem, pronuntiatúrque prima oratio, manu ordinantis ipſi impoſita. Oratione completa ſecundus Epiſcopus ſuppl cationes facit. Sic iterum Ordinans ſecundam orationem perficit. Ea finitá tertiò ordinandum Cruce ſignat in figuram Trinitatis, & ordinationis conſummationem: nam ſola Trinitas conſummationem & perfectionem operatur: Deinde Evangelium ab eo tollit, & Altari imponit, & Ordinatum erigit, velut gratia exaltatum & excelſum factum. Pallium demum accipiens & Cruce ſignans

E Ordinato circumponit, exclamans *Dignus* (Ipſum enim crucifixus dignum reddidit) quod intra & extra ſanctuarium ter clarè & magnificè decantatur, omnibus conſentientibus, & gaudentibus, & quæ gratiæ ſunt, confirmantibus.

Opere ſic confecto ordinator de crepidine deſcendit, eam autem aſcendit Patriarcha ordinatus, ut perfectè conſecratus Epiſcopus, & omnium primus. Ideo manum ſuper ſacram menſam eo imponente, ipſe Ordinator venit, velut ſub eius poteſtate conſtitutus, & oſculatur ſacram menſam, & manum, genam quoque vel os ab eo in Patriarcham ordinati, & conſequenter ordine conſervato omnes Epiſcopi. Sic ipſe Patriarcha, & cæteri omnes iterum ſacram menſam deoſculati, ut fontem gratiæ, & Chriſti monumentum, in ſacros gradus & Synthronum aſcendunt velut in cœlum propter ſuperiores ordines ſignificandos. Denique

F quæ ad Enthroniſmum ſpectant, ut ſcriptum eſt, perficiuntur, & conſequenter fauſta fit Imperatorum, & novi Patriarchæ acclamatio, ut dictum eſt. His ſic actis Apoſtolus legitur, benedictionem accipiente Heracleæ Epiſcopo, & pacem annuntiante: Divinum quoque Evangelium legitur, in eo pacem annuntiante ipſo Patriarcha. Divina Miſſa conſequenter ab ipſo Patriarcha de more perficitur. Hæc fratres de ſacris ordinationibus à nobis, vt cognoſcere valuimus, expoſita ſunt, & magna ex parte in modum Hiſtoriæ deſcripta. Hoc vobis interrogantibus præſtitimus, ad maiorem eorum qui iam illa noverunt, inſtructionem. Sufficiant igitur quæ dicta ſunt. *Clericus.* Sufficiunt Domine, & ex iis plurimùm lætati ſumus: Quæ enim ignorabamus, cognovimus, & pulchrum Eccleſiæ ordinem admiramur. *Epiſcopus.* Verè admiranda ſunt Eccleſiæ myſteria; Dei enim ſunt opera facientis mirabilia, & ingentia, hominibus inuſitata: & maximè hæc Oeconomiæ opera, velut poſtrema, & univerſo mūdo ſalutaria. G

## CAPVT XII.

*Demonſtratur Chriſtum officia uniuſcuiuſque gradus Ordinationum per ſeipſum exercuiſſe.*

HAs Ordinationes Servator, ut diximus in ſemetipſo ſuſcepit, & demonſtravit, & uniuſcuiuſque gradus officium per ſeipſum executus eſt, fundamentúmque fuit, & exemplar primitivum omnis boni quo Eccleſiam ſuam donavit. Eſt enim Dux & Princeps vitæ & ſalutis noſtræ, myſteriorum Præſes, & initiationis operator, perficiens ipſe & perfectus: Ipſe ſolus eſt ipſiſſima perfectio & conſummatio. Quemadmodum igitur tunc Baptiſmum & Chriſma ſuſcepit propter nos, cum baptizatus Spiritum deſuper accepit: H Ita quæ ad Sacerdotium pertinent ſecundum ipſius gradus operatus eſt ante baptiſmum, & poſt baptiſmum. Lectoris officio functus eſt, cum annum agens duodecimum in medio Doctorum ſedit, eos audiens & interrogans. Præterea populo legens in medio Synagogæ, ut apud Lucam ſcriptum eſt, *Qui ſurrexit ut legeret, & datus eſt illi Liber Iſaiæ Prophetæ*, & quæ ſequuntur.

Quæ autem ſunt Subdiaconi & Diaconi fecit, cum Parentibus ſubiectus eſt, & iis miniſtravit, & in die feſto cum iis aſcendit in Templum; cum etiam Nummularios è Templo eiecit, quod Subdiaconorum eſt, & prohibuit ne quis vaſa in Templum inferret, & propoſita menſa diſcipulorum pedes lauit, ſeque Miniſtrum vocavit.

Munera quoque Presbyteri & Doctoris peregit cum ſtatim poſt baptiſmum deſuper Spiritum accepit, teſtimoniúmque filij dilecti à Patre reportavit. Perfectus enim tum erat corpore, annorum triginta incipiens eſſe, ut ſcriptum eſt. Ideo ſtatim agonem ſubiit, ieiuniiſque & precibus vacavit, & tentationem ter ab

inimico suo Diabolo passus est, tandémque eũ pro nobis vicit, & deiecit, trophæum erexit, Discipulos elegit & assumpsit, Pœnitentiam prædicavit, & ad eam vocavit, signáque multa operatus est, animas prudenter rexit, Peccatores ad se convertit, & aggregavit, quæ omnia sunt Sacerdotij munera. Insuper maximum aliud testimonium velut ordinationem accepit, cum transfiguratus est, & divinam Deitatis suæ gloriam denudavit, ut quantum hominibus licet, conspiceretur, perque divinum corpus suum fulgores & fulgura coruscavit, apparuitque vt nubes divinus Spiritus, vbi medius erat: & vox desuper à Patre venit, *Hic est Filius meus in quo mihi complacui, ipsum audite.* Illud autem, *ipsum audite*, aliquid est amplius baptismate, & excellentius, atque signum supernæ vocis quæ tum facta est, & Sacerdotij Episcopalis, ipse enim est æternus Sacerdos. Sed iam Pater de eo testimonium perhibebat, & quod ille Discipulis suis dicebat, *Qui audit vos, me audit*, idem Pater & de eo dicit, ipsum audite, testificans eum esse Doctorem & Pastorem nostrum, & Episcopum, & imaginem suipsius vivam, vt Verbum & Sapientiam subsistentem, & characterem connaturalem, ideo illum audire adhortatur & iubet.

In seipso quoque Christus demonstravit virtutem ministerialem, consecrativam, & illuminativã, in quas Dionysius virorum sacrorum divisit officia. Ante baptisma subiectus fuit Parentibus, Templum adiens, legens populo, & ministrans. Baptizatus autem & accepto Spiritu virtutem consecrativam exhibuit, baptizando discipulos, eos ad sanandum mittendo, oleo ungendo, ipsemet operando miracula, & sanitates Illuminativam verò cum transfiguratus est, & perfectiùs atque illustriùs à Patre commendatus est, Spiritumque secum possedit, & Spiritus illuminationem Discipulis præbuit, & aliquanto perfectius adhuc eos illuminandi virtute cumulavit per adventum ignearum linguarum, ut quod acceperant, cum aliis communicare possent. Cuius transfigurationis, seu manifestationis, & revelationis divinitatis suæ secundum videntium vires, naturalis quoque splendoris, & gratiæ, & virtutis, cum testimonio perf. ctiori supremi Patris, & ordinationis veluti per nebulam, & per vocem cœlitus editam promulgationis, oculatos testes & Præcones habuit Apostolorum selectos & eximios. Qua voce edita solus relictus est, ut ait Lucas, quoniam ipse solus erat cui testimonium perhibebatur, & qui demonstrabatur. Cum Apostolis autem alios habuit testes fide dignos è Prophetis electos. Collegit enim sibi testimonia tam ex veteri quam ex nova lege, ut veritatem demonstraret. Duos ex umbra adduxit Testes, eo quod figuræ, typi & umbratilia imperfecta sunt; tres autem ex gratia, quoniam resplenduit gratia & veritas: Ecclesia quoq; prædicat Trinitatis mysteriorum principis & auctricis cognitionem, & perfectissimam possidet Dei intelligentiam & virtutem.

Ideo Christus à Patre & Spiritu testificatus, & renuntiatus ut perfectus, postquam divinitatis argumenta demonstravit, statim Coryphæos Discipulorum primæ illuminationis participes facit, gratiæque & fulgoris deitatis suæ communionem dedit. Quapropter cum tantum splendorem ex eo coruscantem oculis corporeis ferre non possent, *in faciem*, inquit, *ceciderunt*. Postea & alios cum eis elegit. Nam post transfigurationem, ut iterum ait Lucas, magnus & solus Episcopus qui omnia in seipso continet, & propter nos omnia factus est, primos Episcopos constituit, secundos verò Presbyteros, atque ante faciem suam, ut Evangelium prædicarent, dimisit.

Tandem seipsum sacrificavit, & mysteria nobis dedit. Per crucem autem sacrificatus pro nobis, mortuus & suscitatus Patri nos reconciliavit, & primitias Spiritus insufflatione dedit. Perfectiori adhuc ordinatione ascendens discipulos consecravit per igneas illas linguas Spiritus unicuique eorum distributas, & insidentes, Vnde omnes æqualem gratiam acceperunt, & Spiritu sancto repleti sunt. Ideo electi sunt ab initio Discipuli, & ad oves perditas missi, & gratiam acceperunt, & gratiam ut aliis præberent iussi. Nec tamen hoc modo perfectè consecrati sunt. Nondum enim propitiatio pro omnibus oblata fuerat Patri, victima & hostia voluntaria & immaculata, benignus scilicet Deus noster, qui ipse pro nobis sacrificatus est, & Primitiæ naturæ nostræ factus, homo pro nobis factus est. Ille igitur nobis clementer unitus statim gratiæ dona nobis præbuit. Et primùm sanctam ipsius matrem & Virginem adventu Spiritus, gratia sua cumulatam ad bene gestandum iterum corroboravit; atque ut ipsum ex se ineffabiliter & in personæ unitatem incarnatum ferre posset, virtutem præbuit, & Virginem puram, ante partum, parientem, & post partum conservavit. Postea cum Iosepho mysteriorum cognitionem gratiosè communicavit. Deinde magis longè dissitis, ethnicis, piè tamen viventibus seipsum per stellam manifestavit, in specu & præsepi iacentem. Ita quoque Angelis & Pastoribus simplicioribus propter imaginis analogiam & æqualitatem innotuit: Nam Pastor ipse est, licet animarum, & ovium rationalium Dominus, velut qui eos creavit, beneficiis afficit, & magna cum cura custodit, & immortalis ipse existens perpetua vigilantia ipsis providet: Præterea & Simeoni qui appellabatur iustus innotuit infans, & ab eo agnitus est Deus, Annæ similiter: Puriùs verò & perfectius Baptistæ, qui ante prædicatus fuerat Amicus; quique in omnibus & in ipsa morte ipsius Præcursor fuerat.

Omnium autem evidentissime ipsius Discipulis, quos præparans ad Apostolatum, & totius mundi capturam, vocavit Piscatores hominum, lumen & sal mũdi, Iudices & Pastores, & cætera, quibusque paulatim ut expediebat, gratiam dedit. Tandem ut communis victima oblatus, inimicitia soluta, & exinanita morte, assumptus est ad Patrem, deferens victimam, divinóque honore exaltavit naturam humanam. Denique nobis per ipsum Patri reconciliatis perfectiorem gratiam concessit, fonsque gratiarum Paracletus nobis præsens adfuit, à nobis peregrè non discedens; (Est enim ubiq;, ut omnia semper vivificans & continens) sed seipsum manifestans, & purgatis, transmutatisque per Filium Patris beneplacito & virtute propria, ut ei consubstantialis & cooperator, clariùs & evidentiùs sese demonstrans, & patefaciens; atque, vt ita dicam, totus in nobis per gratiam inhabitans, & in unoquoque divisus, ipse tamen indivisus permanens. Gratiâ, vt diximus, inhabitat, non tamen personaliter, licet natura præsens sit ubique, & super omnia, infinitus existens. Non enim personâ incarnatur, atque nobis inest, sicut nec Pater, sed per gratiam in nobis & inhabitat, & manet, & operatur. Solus Filius incarnatus est, in nobis tamen personaliter non habitat, sed in eo solo quod assumpsit, ut ex primitiis nostris velut è fonte, generis coniunctione gratiam accipiamus, & per eum Filij Patris legitimè efficiamur. Verùm ille Filius Dei est naturalis, nos verò adoptione, & per gratiam.

Vides mysterium, Deus nobiscum Emmanuel, ut nos deificemur. Sed naturâ Deus ille est, & Filius; nos autem positione gratiosâ: Ideo & Pater, illius Pater est, sed naturâ; Pater autem noster, sed secundum gratiam; sicut & Deus ipsius est propter id quod à nobis assumpsit; & Deus noster, quia Creator. Illud est quod post resurrectionem dixit, *Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum. Clericus.* Hæc alta sunt & divina, plurimúmque luminis cognitioni nostræ addunt. *Episcopus.* Opera sunt gratiæ ipsius: Ipsius enim gratia, illuminatio est, quoniam ipse vera lux est. Me igitur & vos per ipsum gratia illuminat, sicut lumen in lampade, & sustinentem illuminat, & qui sunt circa ipsum. Deo igitur gratias qui nos humiles & abiectos dignos fecit qui hæc sua fratribus annuntiaremus.

A

# CAPVT XIII.

*Breviter describuntur, Oeconomi, Sacellarij, Sceuophylacis, Chartophylacis, & Protoecdici officia. Explicatur istorum principalium officialium ordinatio, & qua ratione à sacra ordinatione distinguatur.*

VErba nunc faciamus de cæteris ordinationibus. *Clericus.* Ita Domine: Dignum est enim & utile de omnibus edoceri: Doce nos quænam illæ sint. *Episcopus.* Protopresbyterorum, Archidiaconorum, Cathecumenorum, seu Abbatum, & cæterorum qui in diversis ministeriis quæ officia dicuntur, differentes administrationes Ecclesiasticas obtinent, quorum varij B sunt ordines & munera. Ex iis Oeconomus ordinatur, qui possessionibus, & proventibus, & sportulis quæ unicuique tribuuntur, providere debet. Oportet enim eum de his curam gerere in utilitatem publicam, & Ecclesiasticorum emolumentum & conservationem. Hoc testatur Oeconomia Stephani, & reliquorũ Diaconorum, qui non solùm ministrabant doctrinæ, & prædicationi, ut Stephanus & Philippus; sed etiam fratrum necessitatibus & mensis. Ille verò *Magnus videlicet Sacellarius* sacrorum Monasteriorum curam gerit, & in iis bonum ordinem procurat, & quæ ad ea spectant, pro viribus inquirit. Iste autem, hoc est, *Sceuophylax, seu Vasorum custos,* custodit vasa, & sacris providet, & quæ ad hymnos & templum pertinent, bono ordine disponit, vestium quoque Episcopalium, & cæterorum sacrorum sollicitudinem habet. Iste autem, *hoc est, Chartophylax,* Presbyteris præsidet, in ordine continet, & quæ eos spectant, scrutatur, produ- C ctos ad ordines examinat, atque ut ordinentur Episcopo adducit, & proponit. Procurat etiam ut matrimonia legitimè celebrentur. Negotiis Episcopalibus, & iudiciariis inserviens ea dirigit, & disponit cum sententia Episcopi: Commentarij & acta publica illius custodiæ commissa sunt. In summa, totus est Episcopi dextera. Qui hunc sequitur, *Sacello Præpositus,* Quæ pertinent ad sacras domos quæ sunt in urbe disquirit, atque ut bonus ordo secundum disciplinam canonicam in iis observetur, sollicitudinem gerit, & maximè eorum quæ sunt in Altari & Sanctuario, ne præter decus aliquid in iis fiat, vel sacra negligantur. Alius iterum, *Protoecdicus, seu primus Defensor* delegatur, Vt revertentes ab Apostasia recipiendi curam habeat, atque ut prævaricationes legis vindicet, eosque qui homicidij aut alterius criminis Rei sunt, examinet & in D eos inquirat, quod si quid auxilij ad eorũ salutem procurandam ab Ecclesia postulent, ipsis præstetur. Qui etiam potissimum ordinantur Iudices, cum divinum Evangelium in manus accipiunt: & quod maius est, ad Episcopum prope accedunt, primique sunt sub ipso Ministri.

Post istos plures sunt alij, quorum unusquisque sacram functionem, alius aliam, nanciscitur. Illam verò non simpliciter, atque ut sors tulit, exercent; sed accepta Spiritus gratia, ut benedictionem & sanctificationem, & licentiam, & virtutem ad agendum per gratiam ab Episcopo consequantur, quia & hoc ab Apostolis traditum est; Vt de Barnaba & Paulo scriptum est, quod orantes Apostoli imposuerunt illis manus, & ad opus miserunt. Ideo & hic ordinationes fiunt, verùm extra, non intra tribunal. Intra enim, ut diximus, tres tantùm ordinationes fiunt, Diaconi, Presbyteri, & Episcopi: In quibus etiam Episcopus pronuntiat illud, *Divina gratia*, propter doni perfectionem. Nec tantùm quod ordinatio illa sit perfectior, sed etiã eo quod universalis sit, & non partialis. Omnes enim Diaconi unam gratiam, sed perfectam secundum ministerium possident; unam quoque Presbyteri virtu- E tem ad mysteriorum operationem: Vnam denique vim & energiam omnes Episcopi ad munera Episcopalia exercenda, licet in eis varij sint thronorum & principatuum ordines. Ideo gratia communis Sanctæ Trinitatis in istis universalibus & communibus ordinationibus invocatur, idque fit in sacra & divina mensa.

In iis autem ordinationibus quæ fiunt extra Sanctuarium, utpote quorum ministeria varia sunt & exteriora, non ita dicitur. Sed Ordinando caput admonitu Chartophylacis inclinante, & detectum habente, velut gratiam à Christo per Episcopum accipiente, atque ut illi subiecto, túmque Chartophylace, *Iubete,* pronuntiante; surgit Episcopus, velut divinum opus significans, & gratiam quasi præbens, manúmque extendens sic dicit, *Gratia sanctissimi Spiritus promovet te,* vel Oeconomum, vel aliquod aliud officiorum quæ F in sanctissima Ecclesia nostra frequentantur. Et statim cruce illum signat, quo facto sedet Episcopus. Interim cantatur acclamatio, ad multos annos, qua gratiæ Deo aguntur, optatúrque Ecclesiam per Episcopos semper proficere, & augeri, donáque conferre. Postea ordinatus ad Ordinantem accedit, illiúsque genu osculatur propter subiectionem; manum, vt Episcopi dexteram quæ ordinationem perfecit, & genam propter unionem & gratiam. His actis osculatur quoque eos qui sunt sui ordinis: si primi ordinis primos, si secundi secundos, vt eorum Collega factus. Sicque iterum humillimè salutato Episcopo in locum proprium ad quem ordinatus est, abit, gratias agens de dono suscepto. Si verò è numero est primorum Iudicum, Evangeliúmque ipsi dat Episcopus, ante osculum hæc adiicit: Dicit Dominus, *In quo iudicio iudicatis, iudi-* G *cabimini.* Tremendus sermo: vt enim quis iudicabit, iudicabitur. Oportet enim secundum Evangelium iudicare; atque ut ipse ait, non secundum speciem, sed rectum iudicium iudicate. His dictis salutationem exequitur.

Illud igitur dicere, *Gratia sanctissimi Spiritus.* Vniversale aliquod & perfectum donum non significat, nec ex Subdiacono Diaconum, vel ex Diacono Presbyterum consecrare, sed aliquem perseverantem in Diaconatu vel Presbyteratu unum aliquod ministerium sacrum ad bonum Ecclesiæ ordinem conservandum insuper operari. Illud verò à gratia Spiritus accipit, videlicet à differentibus gratiæ donis quæ unicuique ordini, vt inde augeatur, & perficiatur, conferuntur. Partiale igitur est, & uni gradui inhærens. Alius enim eiusdem gradûs & ordinis iterum aliud possidet; fiunt autem hæc omnia secundum Ecclesiæ definitionem & consuetudinem. Omnia autem ista sacra officia conferri debent viris sacratis, Diaconis videlicet & H Presbyteris, non autem secularibus, & sacerdotio nondum ordinatis. Nam officia illa sacra sunt, & per sigillum Episcopale & gratiam spiritalem imprimuntur; eáque non oportet assumere qui ordinatione carent, ut fieri solet in Trapezuntiorum Metropoli. Hoc enim est contra ordinem canonicum: Et maximè quia istorum officiorum plurima multis Sacerdotibus præsunt: Nullomodo autem oportet ordine carentem sacrato alicui præesse.

Similis ratio est de officio spiritalis paternitatis. Illud conferendum non est Monachis Idiotis, nullam prorsus ordinationem habentibus. Nam adeo sacratissimum hoc est, ut solis Episcopis conveniat, non autem Presbyteris, quemadmodum canones loquuntur. Eo autem officio funguntur Presbyteri vrgente necessitate cum licentia Episcopi, illoque absente, non præsente. Crimina tamen maiora, veluti sunt fidei abnegatio, homicidium, & personarum sacratarum lapsus ad Episcopum referre oportet; & alia quæcunque fugiunt & excedunt cognitionem suscipientis confessionem, omnia quoque agere cum Episcopi consilio: Nam opus illud est Episcopi proprium, ut manifestum

A nifestum est ex literis permissoriis. Si enim Presbyterorum hoc esset proprium officium, non darentur illis licentia, & mandatum ad excipiendas confessiones. Ergo si Canones hæc tam attente & studiose de Presbyteris constituunt, quo iure hoc conceditur iis qui nullo sacerdotio fruuntur? Oportet enim confessiones excipientem & benedicere & orationem absolutionis super absoluendum dicere, & indulgere, & pœnas imponere, & eos qui digni sunt, divinorum mysteriorum participes facere. Qua ratione hæc omnia perficiet, qui nulli sacerdotio est initiatus?

Dicet forsan aliquis, id præstabit propter permissionem Episcopi, & eo quod ad eum hæc omnia refert, verum quæ huius rei necessitas, cum canonibus non consentiat? Nam si de Presbyteris sic loquuntur canones, ut in eo tantum ministrent cum necessitas id postulat, abest Episcopus, & cum illius absentis
B licentia, quomodo operabitur qui sacerdotium non accepit? Dicunt enim Patres hanc esse ipsissimam Apostolorum gratiam; Apostolorum autem gratiam habent Episcopi non Presbyteri; Presbyteri vero, ut iterum iidem dicunt, septuaginta discipulorum gratiam possident. Quapropter fidelibus qui Samariæ à Philippo uno ex septem Diaconis baptizati fuerant, Petrus & Ioannes manus imposuerunt, ea de causa de Ierusalem Samariam venientes ut Spiritum Sanctum acciperent: Illud vero unguentum ab Episcopo solo conficitur, cuius rei gratiam non habet Presbyter. Diaconorum autem in hoc maximo ministerio nusquam meminerunt canones. Ergo si Presbyteri sine licentia Episcoporum hanc facultatem non habent, & Diaconorum non meminerunt canones; quo iure homo idiota, nullo Sacerdotij charactere insignitus administrabit hoc mysterium, & sacrum Pœnitentiæ ministerium? Cum igitur connexione sermonis nostri ducti ad hoc mysterium enarrandum, Deo
C volente devenerimus, quæ ad sacras ordinationes spectant, iam priùs interpretati, de eo nunc pro viribus verba faciemus.

*OBLATIONES IN PROTHESI quorsum spectent.*

Caput istud cum sequente admonitione ex errore omissum erat pag. 773 ante librum de sacris ordinationibus.

SEcundùm traditionem primùm quidem sacerdos panem offert, deinde calicem adiungit. Post etiam partes offert Deo, aliam quidem in honorem Dei matris, alias pro Sanctis, alias pro fidelibus viuis ac defunctis. Quæritur itaque quam vim habeant istæ partes, & utrum in corpus Domini transmutentur: & quid iis conferant, pro quibus offeruntur. A Patribus docemur, partes oblatas multum prodesse personis, quarum causa offeruntur; est enim sacrificium pro illis oblatum Deo, sicut & sacerdos inter offerendum inquit, *Suscipe Domine sacrificium istud.* Quæ igitur pro sanctis offeruntur, ad gloriam eorum & honorem, ad augendam dignitatem, & divinam claritatem valent. Quæ autem pro fidelibus qui obdormierunt, ad remissionem peccatorum, & divinæ gratiæ
D adeptionem. Quæ pro viuis, pro iis quidem, quorum tota vita pœnitentiæ est addicta, ad pœnarum condonationem, ad peccatorum remissionem, ad spem vitæ æternæ. Nam & Sancti per divinum sacrificium exaltantur, & fidelibus, ut dictum est, divina misericordia impenditur. Sed quam est utile hoc opus, si pro dignis administretur, tam periculosum ac damnosum, si pro his qui quantum in homine est, dignos se se non præstant. Pars enim pro quopiam oblata, propè divinum panem iacens, dum ille sacrificatur, & corpus fit, statim sanctificationem & ipsa participat. In calicem verò missa, sanguini unitur. Quare &
37. animæ, pro qua oblata est, gratiam conciliat. Efficitur itaque intelligibilis communio. Et siquidem pietatem colentium est, aut eorum qui quanquam peccaverint, piacula tamen subierunt, modo non aspecta-

E bili, ut dicebamus, in anima communionem spiritus homo suscipit. Sæpe autem, quod comperimus, corporalem quoque utilitatem invenit. Quod si quis sceleribus abstinere non vult, & ad communionem istam haud idoneus est, sacrificium pro eo oblatum in damnationem illi cedet. Unde cavendum sacerdoti, ne ab eo oblationem accipiat, neve pro talibus offerat, qui abiecto omni pudore peccata committunt, ne forte cum ipsis damnetur. Ex hoc autem & tentationes & tribulationes sequuntur. Idcirco, inquit Paulus, *inter vos multi infirmi & imbecilles; & dormiunt multi.* 1 Cor. 11

*AD SACERDOTES PIA admonitio.*

F NEcesse est porrò & sacerdotem in maximis hisce operibus Dei sibi attendere, & diiudicare semetipsum, ut scriptum est, & adhibere cautionem pro viribus. Si enim circa alios adeò providum esse oportet, multo amplius circa se. Etenim manducans & bibens indigne, sive communicans tantum, iudicium sibi manducat, & bibit, multò magis qui indigne sacrificat. Quod cùm ita sit, quantum possumus nobis attendamus, qui sacris faciendis destinati sumus, & omnimodis puritati studeamus, & iniuriarum oblivicamur. Humilitas & charitas in animabus nostris augeantur. Hæc enim opera sunt illius, qui à nobis sanctificatur. Ut & in præsenti sæculo digne ipsum participemus, & in futuro eius ineffabilem, & æternam communionem mereamur, gratia & benignitate eiusdem Christi filij Dei vivi, quem decet gloria cum Patre principij experte, & sanctissimo, ac bono; & vivifico Spiritu, nunc & semper, & in om-
G nium spatia sæculorum. Amen.

EIUSDEM

# SIMEONIS THESSALONICENSIS EPISCOPI LIBER SIVE DIALOGVS de Sacramento Pœnitentiæ.

CLERICVS. Ita certe, sanctissime Domine, non modo æquum est & utile, sed etiam necessarium nos de his rebus docere.

H EPISCOPVS. Ego quoque ad hoc paratus sum, & mihi pro viribus earum explicatio curæ erit: nam salutis fidelium post baptismum summa est pœnitentia, & aliud purgatorium, altérque baptismus per confessionem & humilitatem in lacrymis & laboribus secundum vires susceptis fœliciter institutus, cuius pœnitentiæ initium fuerunt publicani & peccatores cum pœnitentia ad Christum accedentes, & ab eo suscepti, & latro quoque in cruce solum confessionem edens & fidem; atque memento mei pronuntians. Ipse Apostolorum coryphæus cum post negationis lapsum flevisset amare, & misericordiam consequutus est, & trinâ interrogatione pristino statui restitutus, quodque maius, ovium Christi pastor constitutus est, ut eas cum attentione & mansuetudine pasceret, atque à lapsu suo, & post lapsum receptione sua, lapsos pœnitentes recipere disceret, idemque cum ipso discerent omnes Ecclesiæ pastores: nullus enim omnino homo est qui nõ peccet, primúsq;

A ego & super omnes fideles peccavi, veniámque & salutem postulo.

CLERICVS, quam verè omnes huius veniæ indigemus, cum omnes continuo peccemus? EPISCOPVS, verè frater, quis enim gloriabitur se cor habere purum? Vel quis ab omni sorde purus, ut scribitur, licet diem unum vitæ impenderit? Sive consideretur ob peccatum originale peccator, sive baptismo illuminatus, statim licet invitus in aliquod malum inciderit. Fieri enim non potest, ut vel in infantiæ ignorantia non aliquando contingat vel patrem, vel amicum, vel cognatum aliquem illius causa peccasse. Sed istius rei causa contingit, ut statim illi macula & peccatum tribuatur, cum homo licet gratiam acceperit, ob hoc solum & quæ carnis sunt, statim ac generatus est imprudenter & sine mente quærat & appetat. Hoc autem ex transgressione venit, qua simul & formatus est, & nondum intelligens peccat, quia in peccatis secundum Davidem concipitur. Si igitur fieri potest, ut infanti recenter nato, & baptizato non inuratur peccatum aliquod, multo sane magis nobis omnibus, qui licet ratione utamur, in

B omnibus tamen & secundum, & præter sententiam nostram, magis verò secundùm animi nostri sententiam perpetuo peccamus, idque vltro negligimus: quod enim ex oblivione & ignorantia peccamus, ex incuria nostra procedit: non est autem in hoc malo excusando laborandum, sed solum pœnitendum est, ut Baptista, & Dominus, atque ipsius discipuli prædicarunt: pœnitere oportet, & Laïcos, & Monachos, & Clericos, & Sacerdotes, & Episcopos, & nullum pœnitentiæ sese eximere, quia omnes peccavimus & peccamus, & omnes pœnitentiæ agendæ rei sumus. Ideo servator noster, & ipsius Baptista dixerunt, pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum. Ipse enim cœlorum Rex prope adest omnibus, quia prope est Dominus omnibus eum invocantibus in veritate. Ego autem disertè & manifestè omnibus qui mecum sunt: Exclamo per gratiam IESV-CHRISTI, pœnitentiam agamus, ut servemur: prope enim Dei regnum, & cum divinissimo Paulo: nunc propior est salus nostra; vivit enim Sal-

C vator noster & Iudex, deponamus igitur opera tenebrarum, & induamus arma lucis.

Quod autem confessio & pœnitentia necessariæ sint Sacerdotibus, & Monachis & Laïcis, Apostolus testatur, dicens: confitemini alterutrum peccata vestra, orate pro invicem ut sanemini: ex eo quod ait, confitemini alterutrum, & orate pro invicem, docet omnibus utilem esse peccatorum confessionem: & pœnitentiam, quam antea, ut diximus, prædicaverat Baptista, & Salvator operatus fuerat, recipimus peccatorum confessiones, & maxime publicani, prodigi, meretricis, Zachæi, Latronis è cruce, aliorúmque complurium. Hoc præterea multis parabolis demonstrat, sed Præsertim per prodigi parabolam, qui omnia quidem fecit, quæ ad pœnitentiam spectant. Cum enim diceret, peccavi in cœlum, & coram te, confessionem fecit; cum verò, non sum dignus vocari filius tuus, contritionem subindicavit, & suiipsius con-

D demnationem per sponte factam sui increpationem. Cum autem dixit, fac me ut unum ex mercenariis tuis; humilém cum spe supplicationem: de nemine enim desperandum. En igitur ex Evangelio pœnitentiæ fructus, quos postulat ipse Baptista convertere se à peccato, Sic enim fecit luxuriosus ille qui servatus est, relinquens luxuriem & vitam impuram, rediit ad patrem ut ipsi confiteretur. Peccavi enim confidenter dicit, nec hoc simpliciter, sed in cœlum, & coram te, impia videlicet & scelesta operatus, & cœlestibus contraria, & coram te tui contemptor visus sum, neque te sanctum creatorem meum, ullo modo reformidavi, neque reveritus sum, aut pudore suffusus excolui. Vere se ipsum condemnare, inquit enim, non sum dignus vocari filius tuus: præterea desiderare, & quærere, humilium, reorum, & debitorum opera, & officia: dicit enim fac me ut unum ex mercenariis tuis. E

Hæc quoque præstitit & docuit Apostolorum chorus, maximè autem propter hoc laborantes ad eos veniebant, morientes currebant: Ipsi verò ad peccantium conversionem magno cum desiderio festinabant, quos & corripiebant, & exhortabantur, & à malis consiliis suis avertebant, & cum opus erat recipiebant: denique toti erant in eorum salute procuranda occupati. De quo nobis, viris sacratis dico, diligenter curandum est, hócque clamo, & mihi, & Collegis meis Episcopis, alios ad pœnitentiam vocare & agere opus esse omniũ excellentissimum, nobisq; præ ceteris debitum conveniens, prædicationisq; effectum & finem, ut & impios & atheos ad fidem convertere, cum pulchrum sit infideles ad fidem trahere, hoc enim Salvatoris & Apostorum eius proprium est, quanquam nunc hoc rarum sit deficiente virorum apostolicorum zelo, & persecutionibus recens ingruentibus vehementiùs. Optimum verò & pulcherrimum secundũ hoc, atque etiam illi æquale est, fideles conservare, & totis viribus, omniq; studio ad pœnitentiam convertere. Ideo nos oportet donec F veniant, eos sustinere, neq; conversionem ab ipsis quærere, sed pœnitentiæ œconomos currere, scrutari, inquirere labentem, & omnibus modis trahere, & urgere ad Deum, atque à peccato abducere, & ad Deum adducere: hoc erit Episcopo vice prædicationis Evangelij, magis verò ipsa prædicatio. Quid est enim aliud prædicatio quàm perditorum salus, & eorum qui ceciderunt resurrectio, qui à meliori deciderunt, ad illud conversio? Quod igitur est lapsis circa fidem prædicare, eo quod qui illos ad Deum convertit instar oris Dei est ex indignis dignos faciens: hoc idem est, eum qui peccavit convertere: qui enim convertit peccatorem ex errore viæ suæ similiter os Dei est, & Christo dignus, velut animam de morte servans, & peccatorum multitudinem operiens, ut scriptum est.

Propter quam causam sermo doctrinæ ab Ecclesiæ spiritu suscitatur, & traditur, & Episcopo necessarius est, & debitè conveniens, sed fucatus esse non debet, nec varie ornatus, nec ex sermonibus artis externæ compositus, verùm simplex, pro viribus institutus ad G animarum instructionem, morum correctionem, & bonam constitutionem, stantium confirmationem, lapsorum fruitionem, eorum qui longe submoti sunt reductionem, concussorum & tumultuantium consistentiam, omnium denique quoad fieri potest, utilitatem: nam artes, & differentes methodi cum natura ortæ non sunt, sed natura posteriùs inventæ: Deus verò naturam corrigens, ex rebus simplicibus à natura datis, & non variegatis eam corrigit. Ideo incarnatus est per nostram ipsam naturam reformans, & refringens naturam: Verbis igitur simplicibus, & à spiritu præsertim emanãtibus doceat doctor, ut & corrigatur, & sibi prosit, & humiliatus, de variis sermonis sui floribus, non se inaniter ostentet, nihil suos auditores iuuans, & debitum non exolvens: hoc omnis prædicationis & doctrinæ finem esse putet, vel auditoribus, & sibi obnoxiis prodesse, vel debito satisfacere: Væ H mihi, inquit Apostolus, nisi Evangelizavero: sæpe etiam demonstrat non esse tantopere festinandum ad alias sacras actiones, & Sacramenta, ipsúmque baptismum peragendum, sed aliquando præponendam esse prædicationem, ut plures convertantur, dicens: Non enim misit me Christus baptizare, sed evangelizare. Quanquã enim baptizaverit & Timotheum & Stephanæ domum, & plures alios; attamen prædicationem his præposuit. Propter quid? quia primum infidelem oportet convertere ad fidem, & eum postea baptizare. Baptizare igitur, est Sacerdotis alicuius, convertere vero Doctoris. Sed nunc video, hæc Sacerdotum multos Sacramenta contemnere, simul & verbum doctrinæ, & divinam, salutarémque prædicationem: semel quidem cum fastu,

A & phantasia quadam ducti sacra facientes, raro verò precantes, & nunquam prædicantes, magnificè sedentes, & iudiciorum sæcularium curam gerentes, unde pugnæ, tumultúsque omnes nascuntur, lites, & altercationes inutiles animabus noxiæ, & infestæ. Illos video animum anxie occupantes: in bonorum corruptibilium sollicitudine, vitæ autem suæ spiritalis, velut iis magis spiritales qui ipsis subsunt, inquisitionis sacrarum scripturarum, observationis sacrorum Canonum, vel aliarius in Patrum scripta sacræ diligentiæ nullam habentes; nec de Ecclesiis, nec de Christi ovili sollicitos, licet hæc Paulus edicat, attendite vobis ipsis, & universo gregi in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Domini & Dei, quam acquisivit sanguine suo; hæc autem non venturis lupis, sed jam præsentibus. De reditibus suis & propriis negotiis frequens est multis sermo; de thesauro verò cœlesti animarum servandarum, nec extra istorum numerum meipsum colloco: ego enim negligens cum negligentibus incurre culpam sustineo. [illegible] debitum apud me perpendens, & meipsum & fratres meos lugeo, atque illud ut dictu necessarium, jam dico, & expono: munus scilicet esse & debitum nostrum quod detrectare non possumus, urgere fratres ut pœnitentiam [illegible].

B Pœnitentia enim unum est è Sacramentis, & propriè dictum: Episcoporum est eam in fidelibus [illegible], & iis ad hoc [illegible]. Qui [illegible] perunt, illud tum Episcopis diligenter procurent, non ad carnale aliquod lucrum corrugendum, quod damnum est, & reverà damnum. Aliqui, non enim omnes dico, sicut nec omnes Episcopos, ad hoc diligenter animum advertant, neque præter Canones diiudicent, ne quis præter Canones agens, in seipsum [illegible] peccata derivet. Nemo igitur [illegible] accuratiùs agere: quis enim illis ad ejusmodi [illegible], & sincerior, aut attentior? neque iterum deceptus [illegible] hominibus [illegible], & [illegible] Verum quis [illegible] confidentiam [illegible]

C Vnde hanc authoritatem deprompsit, si illos aspernatur, & contra illorum definitiones, agit? Omnino à seipso aget, nulláque facto tum securitas erit; non enim a successione patrum emanat. Vnusquisque igitur apud se firmum, ratúmque statuat nihil agere præter Patrum definitiones & Canones, cum illi sint à variis authoribus Deo afflatis instituti, & sufficientes velut à spiritu compositi, ut animi morbis & affectibus medeantur remediis admodum salutaribus, & sanitatem efficaciter procurantibus: de quibus dicere nos non oportet cum clarissimi sint, multíque locis scripti reperiantur, & à multis ad dilucidam cognitionem explicati.

D Debent igitur omnes secundùm Canones judicare, nec attendere nescio quibus aliis extra canonicas definitiones compositis, quoniam gratia ad nos per successionem descendit: à fonte enim gratiarum Domino & Salvatore nostro in Apostolos eius venit; ab Apostolis autem in patres; à patribus nostris ad nos. Si igitur quæ patrum sunt conservamus, gratiæ successio in nobis erit firmaque & stabilis constitutio & professio nostra: Si verò aliter quàm à patribus constitutum est, egeris, dubia erit & incerta. Sed quid cogit præter Canones agere? Vehemens cujusdam pœnitentiæ demonstratio, & delictorum perfecta confessio, & ex animo contritio, & humilitas, & malorum operum [illegible] ex corde sincerum odium illius fuga, & promptus animus ad opera pœnitentiæ cum temperantia & misericordia exequenda, hæc

E pulcherrimè patres docent. Amplectere talem & quæ sunt charitatis ipsi confirma: corrobora fratrem tuum, & quæ ad pœnitentiam spectant, diligenter [illegible], & ipsum experire. Si ex eo didiceris [illegible] pœnitentiæ fructu ipsum duci, & quæsierit aliquid de tempore pœnitentiæ statuto convenienter & utiliter sibi subduci & detrahi, ut cum illo quod bonum est, communices, non prohiberis: omnis enim Sacramentorum scopus est omnes bono unire.

Hoc si non contempseris à patribus consequeris, & accipies authoritatem: ego quoque in hoc opere collega tuus, & studiosè collaborans bono tecum sum animo: confidentiam adde animosè festinanti; potius in ulnas eum complectere, & pro viribus, convenienterque ipsius bono animo eum curare satagito. Si quis autem frigidus & animo duplex, & verbo solo conversionem demonstrans, opere autem nullo modo; non solum ad aliquid boni faciendum tardus & piger, sed etiam ad proprium vomitum redire paratus, Sanctos veluti deridens, & gestibus subsannans, vel humilitatem & zelum simulans; in

F paucis verò probatus, statim post doni participationem tepidus, vel etiam frigidus, prioribúsque iterum implicatus fuerit, à te talis longe absit, ne alienis communices peccatis. In vase cœnoso non est immittendum prætiosum unguentum, & præcipimur margaritas ante porcos non proiicere, nec dare sancta canibus: Ista iis qui in Dominum benevoli videntur, præstanda sunt, non autem impuris, sanguinem vorantibus, & raptoribus: de istis tamen non est desperandum, neque aliquis reiiciendus, sed, ut diximus, unusquisque quærendus, & recipiendus est, & ad pœnitentiam excitandus, quæ semper expectanda est, cum spes ad finem usque perseveret: Sanctorum tamen communione non oportet eos dignari, ne in damnationem imprudenter tradentibus [illegible], ut & accipientibus.

G Confessionem autem non oportet simpliciter edere, sed ut Salvator noster demonstravit, cum Zachæum & meretricem suscepit: ille enim cum majestate qualam & contritione confessus est, & promisit quæ iniquè gesserat se correcturum, & opera divina additurum. Ecce enim, inquit, dimidium bonorum meorum Domine do pauperibus, & si aliquem defraudavi, reddo quadruplum: Illa verò accipiens alabastrum unguenti, & stans ad pedes eius, & retro plorans, non enim audebat coram, cœpit lachrymis rigare pedes eius, & capillis capitis sui tersit, & deosculata est pedes eius, & unguento unxit: Ideo dixit ei Iesvs, remittuntur tibi peccata tua, quoniam dilexit multum. Cui autem paucum dimittitur, parum amat: Zachæo autem, hodie salus huic domui facta est. Vides propter alacrem animi ad bonum propensionem, & conversionis veritatem, statim datam esse cum salute remissionem, sed non pœnitentibus: *Discedite à me, inquit, qui operamini iniquitatem*; & blasphemantibus in Spiritum

H sanctum dixit: nunquam remittetur, & remittere nolentibus, non remittetur vobis; & nisi pœnitentiam egeritis ait, similiter peribitis; & non obedientibus ei, ecce relinquetur domus vestra deserta. Ideo sincere & in humilitate agenda est pœnitentia, & non sicut quidam dicunt, quod est ridiculum, comedentibus & bibentibus cor ad confessionem aperitur. Quapropter crapula oppressi, ut nihil amplius dicam, audent confidenter quæ pœnitentiæ sunt agere; ipsi contraria facientes, & in oppositum gradientes ei qui dixit, attendite vobis ipsis, ne crapula & ebrietate graventur corda vestra, & repente veniat super vos ruina. Quomodo cor conteret, qui sic se habet? quomodo compungetur? qua verò attentione & humilitate quæ ad confessionem spectant, operabitur?

Sed

A Sed hæc non sic agenda sunt, sed oportet confessorem ut in loco nitido, præclaro, & sacro, privatim, & extra tumultum sedere cum reverentia hilarem, animo, vultúque mansueto, divinam charitatem oris habitu & moribus demonstrātem: confitentem autem cum fiducia, divino timore & reverentia in conspectu confessoris, potius verò in conspectu ipsius Christi sedere, cum per confessorem Christo confiteatur, qui remissionem largitur; cúmque exhortari debet confessor omnia indubitanter dicere in humilitate, & veritate, nihilque occultare.

Tres sunt in homine facultates, rationalis, irascibilis, & concupiscibilis: de delictis omnibus quæ per illas committuntur, tractabimus: si confitens ignorat qualia illa sunt, à confessore de illis commonendus & interrogandus est; quoniam in his tribus, ut ait Magnus Gregorius Nyssenus, vel rectè agimus vel labimur. In rationali facultate fides est, & quæcunque per mentem aguntur, ideo de fide oportet eum interrogare, ne forte aliquando lapsus fuerit, vel blasphemaverit, quod procedit & secundum mentem, & secundum sermonem: tria enim alia possidemus, in B quibus vel rectè agimus, vel cadimus; mentem & quæ circum eam sunt, sermonem, & quæ sermonis sunt; actiones, & quæ ad eas spectant, in quibus & rationalis & irascibilis, & concupiscibilis operantur: primùm quidem mens in corde producit, vel bonas cogitationes ad eas attendens, vel malas non attendens. Hinc attendentibus per rationalem facultatem, memoria Dei, & fides recta, oratio & attentio rectè diriguntur, laudatio quoque & gratiarum actio Deo redditæ, quæ ut diximus, ad rationalem pertinent: ad irascibilem facultatem per mentem pertinent, zelus excitus pro pietate, & sacris hymnis, & agendis Deo gratiis, ardens & vehemens. Ad concupiscibilem verò per mentem, charitas in Deum, & in proximum vera & genuina, amorque in divina, bonæque & spirituales cogitationes.

His contraria non attendentibus accedunt; mente quidem homini minimè temperanti, per rationalem facultatem recta non cogitare de recta fide, & uno in trinitate Deo, & Verbi incarnatione, & cæteris quæ C ad Deum referuntur; his adjungenda ingratitudo, blasphemia, & rerum ad apostasiam vergentium, & diabolicarum phantasiæ per irascibilem zelum in malis demonstrare, in fratrem aliquid moliri, invidere, fascinare, furere, vindictam quærere & alia pleraque iratum plena peragere. Per concupiscibilem verò, ambitiosum esse, pecuniarum animo cupidum, quæ proximi sunt concupiscere, contra rationem & decorum bona aliena amare, aut marcescentem carnis pulchritudinem, pravos concupiscentiæ motus cogitatione conservare, res sordidas animo nutrire & fovere: omnisque generis impuritatem, velut jumenta vivere, & jumentis pejora animo agitare, hæc hisque similia secundum trifidam illam distinctionem ad mentem spectant.

Iterum rectè agit homo secundum sermonem, per rationalem facultatem, piè & sanctè commotus & impulsus ad fidei sermones, cum publicè D & confidenter dumtaxat Catholicam Fidem confitetur, cum laudat & celebrat, gratias agit, docet divina, interpretatur, veritatem in omnibus profitetur, judicium justum judicat, bona & divina omnia loquitur. Per irascibilem verò, sermone cum zelo ad virtutem excitare, in Dei gloriam, & fratrum defensionem loqui, adversariis contradicere, impiè agentes, & legum prævaricatores redarguere, coram Regibus & Principibus confidenter loqui, & eos terrefacere, justitiæ patrocinari. Per concupiscibilem autem, Deum laudans & celebrans, enarrans ejus opera, & laudibus eum super omnia efferens, & pro aliis deprecans, pacem cum fratribus procurans, eósque invicem reconcilians, pro illis apud Reges & Duces, quibus verbis modisque poterit intercedens. E Sermone verò labitur homo, per rationalem, cum malè instigatus Deum linguâ blasphemat, eum abnegat, gratias illi non agit, nihil secundum conscientiam facit, pejerat, mentitur, nihilque utile omnino profatur. Per irascibilem, cum verbo conviciatur, injuriam infert, fraude circumvenit, prodit, falsum testimonium perhibet, calumniatur, detrectat, vituperat, & cum quicquid contra proximum loquitur, malum est. Per concupiscibilem verò cantilenas meretricias profert, sermones turpes & ridiculos deblaterat, fabulosa & anilia eructat, impura quælibet verba effutit, quæ ad sermonem spectant, sunt ejusmodi.

Hominis autem ad actiones suas attendentis præclarè facta sunt, per rationalem quidem facultatem, intenta Hymnorum recitatio, vehemens Dei laudatio sibiipsi attendere, mentem in seipso colligere, continuò orare, pro recta in Deum fide & honore, & laudatione seipsum laboribus & tribulationibus exponere, atque in his quæ recta sunt & divina immotum permanere. F Per irascibilem, operibus generosè se gerere erga virtutem, justè agere, pro justo laborare, zelo ardere in mandatorum Dei operationem, largiter de bonis suis pauperibus impertiri, propter Christum bonis privari, eorum quæ sunt secundùm carnem nullam curam habere, fugere de mundo, quæ ad mundum spectant contemnere, fratribus ministrare, vigilare, & nudum esse, & humi cubare, vigilare & stare, & genua flectere, jejunare, illotum permanere, corporaliter propter Christum affligi sæpius, & martyrium oppetere, quod actionum Christianorum postrema est & humana. Per concupiscibilem autem, castitatem propter Christum servare, virginitatem custodire, cum charitate pauperum misereri, carceres, & infirmos propter Christum visitare, orphanis & viduis præesse, & prodesse, propria negotia fratris adjuvandi causâ deserere, tandémque sæpius cum charitate seipsum pro fratribus dare, sicut pro nobis fecit Christus. Contrariæ verò sunt hominis labentis secundum rationalem facultatem actiones; G ad divinas Ecclesias non accurrere, quæ ad honorem Dei faciunt non curare, pro Deo, rebúsque divinis non laborare, sed potius divina rapere, & communia habere, prophanare, contra Dei servos efferri, eos probris, & molestiis afficere. Per irascibilem in operibus; fratres verberare, occidere, commoda illis obvenientia intercludere, omnibus modis affligere. Per concupiscibilem, fornicari, adulterari, lascivè, & petulanter vivere, & omni immunditiei genere se polluere, incestisque & luxuria, quibus adhuc jungenda sunt, iniquè per turpe lucrum agere, rapere, furari, & inebriari, helluari, cæteráque concupiscentiæ gravia & horrenda opera perpetrare.

In his igitur omnibus tenetur unusquisque confitentium seipsum examinare & scrutari, & confessor de unoquoque eum interrogare; & si quid boni præclarè fecit, laudare, & ad hoc illum exhortari & confirmare: si verò deprehenderit eum in aliquibus lapsum H per confessionem & pœnitentiam, ut poterit eum corriget, & ad Deum reducet. patrum definitiones secutus, & spiritali eorum judicio & discretioni adhærens.

Verumtamen & illi ipsi qui sibi videntur non lapsi, quod ut ego existimo fieri non potest, omnes pœnitentiam agere tenentur: existimare enim se non labi, labi est, & peccatorum maximum, quod infeliciter animi vesanâ quadam elatione patiuntur, dicentes aliquando te novimus, pro non peccavimus. Quod autem hoc sit maximum peccatum, dilectus & virgo testatur, dicens, si dixerimus quod peccatum non habemus, nos ipsos decipimus: si confiteamur peccata nostra, fidelis est, & justus ut remittat nobis peccata: vides confessionis virtutem: Omnes igitur ad eam edendam festinemus, quia omnes eâ opus,

A opus habemus, & testis Dei frater dixit, confitemini alterutrum peccata, orate pro invicem ut sanemini: vulnerati enim sunt omnes, vibicésque & livores peccatorum gestant, nullusque est qui sanatione non indigeat. Vnus solus est sine peccato, qui & humiliter medetur, & per humilitatem dat nobis medelam: cum nobis invicem accidere & humiliari iubet, & ab invicem sanari: si vero sanatus est aliquis, & ad virtutum operationem animo prompto, qui est eiusmodi, hoc à se ipso & proprio marte non aggrediatur, sed cum patris benedictione, & canonem perficiat, non proprium, sed eum viva voce accipiat, & cum animi subiectione illum requirat, nullusque quovis modo sibi confidat, neque per seipsum illum æstimet, hoc enim à christiana vita longè abest, quia proprio arbitrio vivere non est Christi, cum Christus usque ad mortem obediens fuerit patri suo. Si igitur ille, quis illo maior? qua ratione Christi est, qui non se-
B cundum Christum vivit? quocirca Christi est qui secundum Christum vivit. In humilitate, suam ipsius voluntatem non faciens, sed divinam tantùm, atque ut salvator in subiectione permanens, oransque, verumtamen non voluntas mea, humanitatis videlicet, sed tua fiat. Quæ divina voluntas ipsius est cum Patre & sancto Spiritu. Ideo ut duplicis naturæ duas quoque possidet naturales voluntates, & theantropos unus existens naturali eo humanam voluntatem qua præditus est, eámque purissimam, nullique accusationi & calumniæ, obnoxiam patri subiecit, & primam voluntatis rebellionem delevit, duásque naturales operationes ditavit, unus personâ existens ineffabiliter, duabus vero naturis duplex, per quas totaliter nos renovans deificavit.

C

# THEORIANI ORTHODOXI,
## CVM CATHOLICO Armeniorum colloquium.

*EX BELLARMINO DE Scriptoribus Eccles.*

THeorianus quidam Græcus vir doctus, missus fuit à Manuele Imperatore ad Armenos, ut eos ab erroribus circa fidem Christianam revocaret: quod ille egregiè præstitit anno Dom. 1170. Extat *dialog. Theoriani Orthodoxi cum generali Armeniorum*, éstque dialogus lectu dignus, quamvis Genebrardus
D lib. 4. Chronologiæ conetur excusare Armenos ab errore Petri Gnaphæi, tamen indicent lectores, an rectè excusaverit.

## *IMPERATORIVM Diploma, missum ad Reverendissimum & Religiosissimum generalem Armeniorum.*

ANno ab orbe condito * VICIↃ. ↃIC. LXXVIII. imperij piissimi, & Christiani, & divinitus coronati Domini MANVELIS, in Porphyra nati, Comneni, decimo & octavo, indictione tertia, die XV. mensis Maij adjuvante nos

*Hic annus est à nato Christo 1170.*

E Deo, limites Romanorum attigimus, quumque * generali Armeniorum, domino Norsesi, præpotentis & sancti Imperatoris nostri nomine salutem dixissemus: datas ad ipsum Imperatorias sacras literas ei reddidimus, exposita simul benigna voluntate, quam erga ipsum præpotens & sanctus Imperator noster gereret; & quod maximo desiderio tam ipsius, quàm subditorum eius unionem cum sancta universali & Apostolica Ecclesia expetens, nos minimos servos suos tam longo locorum ex intervallo, & adeo duro itinere ad insignem ipsius sanctitatem ablegasset. Ea quum Generalis audisset, hæc ad nos loquutus est.

*Palatij nomen, ad quo patebant Augustæ.*

** Vulgò Catholicum vocant.*

Agimus Imperatori sancto gratias, quod & nostri curam gerat, minimorum ex iis qui pro sancto ipsius imperio preces fundunt; & quod orbis universi curas sustinens, nostri quoque non sit oblitus.

F

*Postridie nobis arcessitus dixit.*

Posteaquam datas ad me imperatorias & sacras ordinati coronatique divinitus & piissimi Imperatoris literas perlegi, tam ipsius quàm sanctæ Romanorum Ecclesiæ voluntatem perspexi: quod videlicet, si nostros circa fidem orthodoxam errores corrigere velimus; paratus sit & sanctus Imperator, & sancta generalis ac Apostolica Ecclesia, nos tanquam fratres recipere. Volumus ergo doceri, quænam illa sint, in quibus adversus fidem aberremus: ac si quidem ex instituto canonum per sacrarum literarum, & consentaneas demonstrationes convicti fuerimus, emendationem illam alacriter acceptabimus. THEORIANVS. Obsecro eximiam illam sanctitatem tuam, ut orationem nostram cum insita sibi mansuetudine excipiat; nec graves ac molestas sibi nostras interrogationes ducat. Esto au-
G tem constitutum inter nos, velut ex stipulatu & promisso partis utriusque, ut si quid audiverimus, quod adversari rectæ sententiæ videatur, non continuo pronuntiemus, id hæreticum esse: sed diligenter interrogemus, ac erudiamur de vocis cuiusque significato, & illius mente, qui ea sit usus. Cavendum quoque nobis à ruditate interpretis, qui non solùm grammaticam non novit; sed ne solutam quidem orationem Græcam rectè tenet: ne ipsius ignorantia vel lapsus nobis imputetur. GENERALIS. Rectè ais, ita fiat. THEORIANVS. Misit epistolam ad præpotentem & sanctum Imperatorem eximia sanctitas tua, qua de quibusdam fidei capitibus, & consuetudinibus Ecclesiasticis tractat. Itaque sanctitatem tuam eximiam interrogo, itane sentiat, ut in ea perscriptum est, an aliquid eorum quæ in illa perscripta sunt, nullius momenti ducat. GENERALIS. Ita tum sentiebam, & ita sentio, sicut in ea perscripsi. THEORIANVS. Quas synodos re-
H cipis? GENERALIS Nicænam, sanctorum CCCXVIII. patrum: Constantinopolitanam, sanctorum & instinctu divino gubernatorum CL. patrum: & Ephesinam, sanctorum CC. patrum, in qua Nestorius ab officio remotus fuit. THEORIANVS. Quorum doctorum scripta & doctrinas adprobas? GENERALIS, Magni illius Athanasij, sancti Gregorij Theologi, Basilij magni, sancti Gregorij Nysseni, sancti Ioannis Chrysostomi, sancti Ephræmi, sancti Cyrilli Alexandrini antistitis, & multorum aliorum. THEORIANVS. Ergo lectionem epistolæ tuæ inchoemus & capitum in ea comprehensorum mentem fraterne consideremus, an prædictos sanctos patres, & sanctas synodos sequatur. GENERALIS. Recte dicis, ita fiat.

*Armeni Ecclesiæ Romanæ pollicentur consensum, si in religione errasse ratione convinci possint.*

*Conveniens conciliis & doctoribus Ecclesiasticis, quorū authoritate Armenorū error reprehenditur.*

A

### † *Tum perlegentes, ad eum locum venimus, ubi scriptum erat:*

Primus error Armenorum in Christo unã esse naturam. Error ex loco Cyrilli malè intellecto natus, loci interpretatione corrigitur.

Dicimus in Christo naturam unam esse, non secundùm Eutychen confundentes, nec secundùm Apollinarem detrahentes, sed secundùm Alexandrinum antistitem Cyrillum, in Orthodoxia, quæ in libro contra Nestorium scripsit, unam esse naturam SERMONIS incarnatam. THEORIAN. S. Cyrillus non dixit unam in Christo naturã, nec unam Christi naturã; sed unam naturã SERMONIS, ac deinde subiicit, INCARNATAM. Tua verò sanctitas, nescio quo pacto incogitanter & liberè naturam unam in Christo dixit, ac miror equidem, cur vocem à sancto viro positam mutare sit ausa GENERALIS. Non mutavi: nam idem significat natura Christi, & natura Sermonis incarnata. THEORIANVS. Non idem significat, absit: nam Christi nomen utrumque coniunctum significat, Deum simul & hominem: propterea dicimus, Sermo caro factus est, at verò, CHRISTVS caro factus, non dicimus. Idem & inde patet, quod nemo sanctorum unam Christi naturam dicat. Vnam verò naturam SERMONIS, tum sanctus Cyrillus, tum sanctus Athanasius ante ipsum dixit, quippe cùm dicimus unam naturam SERMONIS, divinam hoc filij naturam significat: cùm verò adiicimus INCARNATAM, sicuti S. Cyrillus, in secunda ad Successum epistola fecit; tota ratio administrationis cum carne comprehenditur. GENERALIS. Et quis sanctorum hominum post unionem hoc expressè dixit? THEORIANVS. Omnes, quorum nomina supra recensui sti. GENERALIS. Ostende nobis unum ex eis, & satis erit: nam quod ab uno dicitur, ab omnibus dicitur, quod omnes ab uno divino spiritu afflati fuerint. THEORIANVS. Non unum duntaxat ostendam, sed universos: adiuvante Deo, quos nominatim supra commemorasti, saltem auscultando ne defatigeris, & omnium tibi testimonia proferam. GENERALIS. Propterea convenimus, ut veritatem inveniamus: nec in huiusmodi negotiis defatigari debemus. THEORIANVS. Antequam ipsa dicta proferamus, necessarium arbitror, ut quid essentia vel substantia sit, quid natura, quid hypostasis, quid persona, dicatur. Propterea te interrogo, quomodo hæc accipias? num ut exteri scriptores, an uti doctores Ecclesiæ definierunt? GENERALIS. Nos amborum de vocibus hisce propositis finitiones novimus, & eas ad rectitudinem dogmatum pietatis scienter dirigimus. THEORIANVS. Ego plurimum in his extraneos ab Ecclesiæ doctoribus dissidere video. Nam illi eruditi homines exteri individuum, sive hypostasin, & unum numero substantiam definiunt; quod sanè divini patres non admittunt, quippe patres illi gubernati divinitus, substantiam & naturam esse universalia dicunt, quæ scriptoris exteri speciem vocarunt, quapropter in sacrosancta Trinitate, naturam unam & unam substantiam, hypostases verò tres tradiderunt: natura nimirum & substantia plures hypostases continente, hominum quidem certè natura quum una sit, infinitas habet hypostases; puta Petrum & Paulum, & homines sigillatim universos. Aristot. autem individuum, & unum numero, sive hypostasin, propriè substantiam definiit, his verbis usus: substantia, quæ propriissime, primúmque ac maximè sic dicitur, est; quæ neque de subiecto quodam dicitur, nec in aliquo subiecto est, veluti hic homo, vel hic equus. Quo igitur pacto fieri potest, ut alieni ab ovili nostro cum doctoribus nostris hac in parte concilientur, quum hi substantiam & naturam universale quiddam, illi singulare definiant? GENERALIS. Nos quoque substantiam & naturam de universalibus accipimus, personam verò & hypostasin de singularibus. THEORIANVS. Macte animo, beatissime pater, ob hanc satisfactionem: qui & in hac parte cum sanctis patribus consentis. Quid igitur? horum ne finitiones ac declarationem exponemus, an solum hoc nobis sufficiet, quod substantia & natura quiddam universale sint; hypostasis & persona, singulare? GENERALIS. Si tibi molestum non erit exponere, lubens equidem audiam. THEORIANVS. Nihil ego meum proferam, sed quidquid ipsa nos Ecclesiæ lumina docuerunt. GENERALIS. Idem & ipse cognoscere gestio, quid nimirum Ecclesiæ doctores tradiderint. THEORIANVS. Sancti patres ita substantiam definierunt. Substantia primum & proprie est, quidquid per se subsistit; nec esse suum habet in alio. Quid autem id quod per se subsistit? quod per se est, ac non propter aliud, vel in alio suum esse habet: hoc est, quod non eget alterius alicuius extra se ad hoc, ut existat; quale quiddam est color, puta niger, aut albus: quæ per se nequeunt existere sine corpore, quod ea recipiat, ac propterea colorem non dicimus esse substantiam. Ipsum verò corpus, cui color inest, ad hoc coloris haud indiget, ut corpus sit, imò mutatis coloribus, ipsum non mutatur, nam ex albo nigrum fit, ex nigro flavum, aliúmve colorem induit; ipsum verò semper, id quod est, manet. Itaque propter corpus color est, ut id colore tingat; non autem corpus propter colorem, sed ex seipso, color itidem in corpore suum esse habet, corpus autem in colore, sed in seipso existit, eam ob rem corpus substantiam vocamus, quum per seipsum subsistat, & in seipso, non in alio suum esse habeat. Quidquid ergo per se subsistit, & in seipso, non in alio existit, est substantia. Sunt autem hæc vel ex materie, vel expertia materiei. Materialia sunt, terra, aqua, aër, ignis; & res ex his compositæ, lapis, arbor, corpus animatum. Expertia materiei, anima ratione prædita, Angelus. Hæc igitur, uti modo aiebam, substantia dicuntur, quippe Deus ultra substantialis est, supra omnem positus essentiam, & si quid his etiam ulterius, atque hoc modo iam cognitum habemus, quid substantia sit. Natura verò, est horum cuiusque, iam recensitorum, motus & quietis principium, quatenus in ipsis primis existit, non secundum accidens, verbi gratia, terra quidem movetur, quatenus germina producit fœtus, omninóque alteratur; quatenus secundum hæc ipsa in id mutatur: sed eadem quiescit, quod transitionem de loco ad locum attinet, omnino immobilis & itineris expers. Itaque motus & quietis huiusmodi principium, quod terræ substantialiter inest, nec ex causa quadam accessit, naturam vocamus. Ipsum verò naturæ nomen ab nascendo factum est, id est, ab existendo, quo fit, ut substantiæ naturæque nomen idem significet: utrumque deductum à verbis paria denotantibus, & existendi significationem habentibus, neque tantum nomine tenus idem est substantia & natura, sed etiam re; aut saltem proximum quiddam, non enim motum ipsum, & quietem rerum, naturam esse diximus: sed principium, hoc est, causam secundum quam non accidentariè, sed substantialiter moventur & quiescunt substantiæ. Hypostasis autem, est res existens & substantialis, in qua congeries accidentium, tanquam in uno subiecto, re & effectu existit, itaque substantia est ipsa res, quæ existit: hypostasis vero, tum id, quod existit; tum quæ in eo veluti per accidens, considerantur. Ac persona est id, quod per actiones & proprietates suas, manifestum & distinctum ab aliis, eiusdem naturæ consortibus, indicium sui præbet, veluti Michaelus Archangelus, quum de corpore Mosis adversus diabolum disceptabat, & quum divina Danieli oracula pandebat, unam se nobis personam, à cæteris secretam Angelis, monstrabat. Itaque

B

Aliud Christus, aliud Sermo, sive Verbum.

Armeno, patres unius orthodoxi authoritas, loco est omnium.

C

Quid substãtia, quid hypostasis, & quo dũ inter utrumq; discrimé.

D

Nomine substãtiæ & naturæ universalia intelligũtur, et nomine hypostaseos singularia.

*Arist. in Categor. ca. de substantia.*

E

Definitio substãtiæ. Quid sit per se subsistere.

F

Quid natura.

G

Substãtia & natura idem.

H

Quid hypostasis.

Quid persona.

† *Genebrardus lib. 4 Chronographia pag 605. vindicat Armenios ab errore Monophysitarum, & Theorianum Nicetámque carpit, quod sanam Armenorum mentem non perceperint. Tu illum consule, qui tamen in hac re non penitus nobis probatur.*

A cognitio alicuius, quam ex effectu consequimur, vt eius effecti auctorem personam vocemus docet, atque hoc nomen à cognitione, quæ sensu fit; ad eam, quæ fit mente translatum est; quum enim singulos homines per aspectabilem vultum cuiusque formam, ex oculorum intuitu reliquis ab hominibus secernamus: idcirco & id, quod per actiones ac proprietates suas ab eiusdem substantiæ consortibus seiungitur, personam appellavimus, atque hæc personæ descriptio est, videtur autem quodammodo idem significare, quod hypostasis: aut parum, aut nihil differre. Hisce præcognitis, idem nimirum esse substantiam, quod naturam, idem hypostasin, quod personam: quæcumque de substantia dicentur; aptanda naturæ, & quæcumque de hypostasi; personæ. GENERALIS. Sane quam eruditè patres hæc definierunt, & perspicuè declararunt. Equidem & auctoritates ipsorum dictáque requiro, ut quo pacto hæc de Deo pertractantes accipiant, intelligam: & nos quoque iuxta scopum eorum, colloquium hoc instituamus.

B THEORIANVS. Ecclesiæ doctores hæc, ita uti sanctitas tua supra dixit, accipiunt: substantiam scilicet, ac naturam de universalibus; hypostasin & personam, de singularibus. GENERALIS. Hoc ipsum mihi de patrum dictis monstrari cupio, ac deinde Deo propitio colloqui de iis incipiemus, quorum causa convenimus.

*Basil.* THEORIANVS. Fiat id quoque quando sic tibi videtur: adeóque prodeat in medium doctissimus reapse Beatus ille Basilius, nam eius, ad Terentium scribentis, hæc verba sunt: Non idem esse, de Deo quum loquimur, substantiam & hypostasin: etiam ipsi, mea quidem opinione, fratres occidentales indicarunt, nam linguæ suæ angustiam reveriti, ipsum Vsiæ nomen lingua Græca reposuerunt: ut si quod in sensu discrimen esset, id ei perspicua minimeque confusa vocum diversitate saluum esset. Si tamen & nobis indicanda paucis nostra est opinio, dicemus eam substantiæ rationem esse ad hypostasin; quæ rei communis est ad

C peculiarem, nam quisque nostrum & communi ratione substantiæ, particeps est essentiæ; & ob peculiares sibi proprietates, hic vel ille est. Sic & ibi, substantiæ quidem ratio communis intelligatur, ut bonitas, divinitas, aut si quid aliud: hypostasis verò, in proprietate paternitatis, aut facultatis sanctificantis, cernitur. Consimilia verba sunt eiusdem divini hominis, ad Amphilochium, sanctissimæ Iconiensis Ecclesiæ lumen, scribentis. *Eiusdem Basil. authoritate id confirmat.* Substantia & hypostasis, inquit, ita differunt; uti commune ac singulare, puta, quæ animalis est ad unum aliquem hominem ratio, propterea substantiam divinitatis unam confitemur, ut essentiæ ratio minime diversa reddatur: hypostasin vero singulare quid dicimus ut inconfusa nobis & explicata de Patre, Filio, sanctóque Spiritu sit notio, quippe si separatas cuiusque notas non consideremus, ut paternitatem, & filietatem, ut sanctificationem; sed de communi notione essentiæ, Deum confiteamur: fieri nullo modo potest, ut rectè fidei ratio reddatur. Itaque necesse est, ad commune adie-

D cto peculiari, hanc fidei normam confitendo sequi. Commune est divinitas, peculiare paternitas, hæc conjungentes dicamus: Credo in Deum Patrem. Rursus in confessione filij consimile fiat, & communi peculiare jungentes, dicamus: Credo in Deum Filium. Similiter & de Spiritu sancto, verbis consentaneo modo conceptis, dicamus: Credo in divinum Spiritum illum sanctum: ita quidem ut ubique servemus in confessione divinitatis unitatem; ac nihilominus personarum peculiare discrimen in separatione proprietatum, quas in singulis mente intelligimus, confiteamur. Qui vero substantiam & hypostasin idem esse dicunt, personas saltem diversas fateri coguntur, ac dum tres hypostases dicere recusant, Sabellij scelus non evitare deprehenduntur: qui & ipse notionem hanc plerumque confundens, personas dividere

E conabatur, eandem hypostasin dicens, prout usus exigeret, transformari. Cæterum si quis fortasse testimonia sancti patris huius, ex epistolis deprompta, non satis idonea putet: adjungemus alia de ipsius expositione peculiari, quam de fide composuit, & ut ei subscriberet, Eustathium illum Armenium impulit, *Basil. ad Eustath. Cæsariē.* qui opinionis contrariæ suspicionem de se nonnullis iniecerat. Ea in expositione Basilij verba hæc sunt: Itaque par est eos apertè fateri, qui secundum ea verba credant, quæ à patribus nostris Nicææ sunt exposita, & quidem in ea sententia, quæ integre de verbis elucet. Sunt enim, qui & in hac ipsa fide veritatis sermoni fraudem faciunt, & pro lubitu suo mentem verborum in ea positorum trahunt: quando Marcellus etiam, impiè convellens hypostasin Domini nostri IESV-CHRISTI, eúmque nudum sermonem docens, præ se ferre ausus est, hinc eius opinionis sibi subministrata principia; male scilicet sententiam vocabuli consubstantialis exponens. Itidem illius

F Afri Sabellij quidam impietati adhærentes, dum idem hypostasin & substantiam opinantur esse, hinc adstruendæ blasphemiæ suæ occasiones rapiunt, quod in fide perscriptum sit: Si quis dicit, ex alia esse substantia vel hypostasi filium Dei, hanc anathematizat sancta universalis Ecclesia. Non enim ibi dixerunt, idem esse substantiam & hypostasin, quippe si unum & idem voces hæ denotarent, quid opus erat utramque poni? Manifestum si est, id eam ob causam factum, quod alij Filium de substantia Patris esse negarent, alij de alia hypostasi esse perhiberent, itaque positum illud est, ad eversionem pravæ sententiæ: hoc salubris doctrinæ declarationem continet. Quod si de aliis quoque sanctis hominibus testimonia suppeditanda sunt, magnus ille divinis in rebus Gregorius prodeat, cuius in libro de Theologia 1. hæc ipsa verba sunt. *Nazian. loca.* Medium quum dico, veritatem intelligo: ad quam solam si respiciamus, & pravam illam contractionem, absurdioremq; hanc etiam divisionem vitabimus, rectè faciamus: ut non ad unam hypostasin oratio nostra cogatur, idque hoc solo metu, ne deos plu-

G res constituamus: ex quo fieret, ut nuda nobis nomina relinquerentur, existimantibus Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, eundem esse. Item paulo post. Omnino Deum unum retineamus necesse est, & 3. hypost. sive tres personas esse profiteamur, servata etiam uniuscuiusque proprietate: Retinebimus autem Deum unum, de mei quidem iudicij sententia, si & Filius & Spiritus ad unam causam referantur, neque tamen vel compingantur, vel commisceantur, tum ratione unius & eiusdem divinitate (ut sic loquar) motionis voluntatísque, tum ipsius substantiæ identitatis: tres verò hypostases retinebimus, si nullam animi nostri commistionem, vel resolutionem vel confusionem cogitabunt: ne dum unitatem amplius veneramur, quam rectum fuerit, totam in nihilum redigamus. Idem magnus ac divinus vir in oratione, qua pacem composuit: *Alius Nazian. locus id confirmat.* Credimus, inquit, in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum eiusdem substantiæ ac majestatis, in quibus & baptismo sua perfectio constat, tam in nominibus, quam in rebus, (nostri hæc, quisquis

H in eo initiatus es) quippe qui abjuratio est Deum negantis impietatis, divinitatísque confessio, atque ita perfectionem adipiscimur, unum quidem, quoad essentiam & individuam adorationem agnoscentes; tria vero, quantum ad hypostases, vel personas, ut quidam loqui malunt, nec enim indecore se gerant, de his qui rixantur: perinde ac si pietas nobis in nominibus, non in rebus consisteret. Quid enim dicitis, qui tres hypostases adfertis? an eo hoc dicitis, quod tres essentias existimetis? scio vos adversus eos, qui sic existimant ingentem clamorem excitaturos, unam enim & eandem horum trium essentiam statuitis, quid vos, qui personas dicitis? num unum veluti quiddam compositum fingitis, quod tres vultus aut humanam omnino formam habeat? vos quoque

reclamabitis,

A reclamabitis, absit: nec Dei faciem, quæcumque tandem illa est, vnquam videat, qui ita sentit, quid ergo (nam & hoc interrogare lubet) aut vobis hypostases denotant aut vobis personæ? nimirum esse tria, quæ dividantur; non naturis sed proprietatibus, optime, quo pacto magis aliqui consentiant, & idem dicant, quam quum ita sentiunt, alioqui syllabis discrepantes? Similiter & in oratione, qua laudat Athanasium, Alexandrinæ lumen Ecclesiæ: Quum enim, ait vna substantia, & tres hypostases à nobis pie dicerentur, quod alterum divinitatis naturam, alterum personarum trium proprietates declaret, ac simili quidem modo ab Italis intelligerentur, verum ob linguæ illius angustiam, verborumque inopiam, hypostasin ab essentia distinguere non possent, eaque de causa in illius locum personarum induxisset nomen, ne tres substantiæ admitterentur, &c. Isdem in oratione de luminibus, inquit, Deum quum dico, vno pariter & triplici lumine perstringor: triplici quidem, quantum ad proprietates, sive hypostases, vt quidem appellare malunt, sive personas (nec enim de nominibus contendimus, quamdiu syllabæ ad eandem sententiam tendunt)

*Alius locus eiusdem Nazianz.*

B vno autem, quantum ad substantiæ, hoc est, divinitatis, rationem. Satis, opinor, hi celeberrimi doctores de rebus modo propositis, nimirum de substantia & natura, de hypostasi & persona, nobis perscripserunt; aperteque tradiderunt, illas vniversalis rei significationem habere, has singularis. GENERALIS. Iam tempus fuerit, vt auctoritates in medium proferas, de quibus sanctorum hominum mentem perspiciamus, quippe de substantia & natura, de hypostasi & persona, consentimus; nulla penitus in re dissidentes, nam illa prius etiam, quam abs te doceremus, intelligebamus: sed ex ore tuo lubebat audire quænam de his vestra esset sententia. Nunc ergo dicito, quisnam sanctorum Patrum naturas duas post vnionem statuerit. THEORIANVS. Primum ceu tempore primum, magnum illum Athanasium proferre par est, cuius hæc ipsa verba sunt in epistola ad Epictetum Corinthi Episcopum. Ex hoc absurditatem perspicere potestis, Si sermo vnius est substantiæ cum corpore, de terra naturam suam habente: sicque consubstantialis est patri sermo, iuxta confessionem patrum: etiam ipse pater vnius erit substantiæ cum

*Athanas. ad Epictetum.*

C corpore de terra facto. Et cur Ariani indignamini filium dicentibus esse creaturam; quum ipsi dicatis, patrem vnius cum creaturis esse substantiæ? GENERALIS. Quid ad dictum illud philosophe? THEORIANVS. Grauiter eos tangit, qui dicunt, vnam esse naturam Sermonis & carnis. Ac vide obsecro, quam admirabili ratione sanctus vir Athanasius in tertia figura syllogismum nectat. Quippe iam antea pro confesso habetur, quæcunque de substantia dicenda veniunt, eadem & naturæ accommodanda. Hoccine in confesso est, an non? GENERALIS. Omnino id quidem. THEORIANVS. Commutemus ergo substantiæ nomen cum naturæ vocabulo, & dicamus: Si eiusdem est naturæ sermo cum corpore, de terra naturam suam habentes, sique sermo vnius est cum patre naturæ, iuxta confessionem patrum: etiam ipse pater erit eiusdem cum corpore terreno naturæ, quo fit, vt si qui dicant, sermonem vnius esse cum corpore substantiæ, (valet autem hoc tantundem, ac si dicas, eiusdem naturæ) sequitur, & patrem esse vnius cum corpore substantiæ ac naturæ, quo quid absurdius? Quid

*Substantia & natura aduersus hæreticos naturam vnicã in Christo æquiualētes.*

D ergo de hoc impossibili discimus? Sermo non est eiusdem cum corpore substantiæ, nec eiusdem naturæ quod si sermo nec eiusdem est cum corpore substantiæ, nec eiusdem naturæ: planum est, esse illum substantiæ naturæque diversæ. Si naturæ diversæ, omnino alia natura sermonis est, alia corporis, non ergo Christus vna natura est. Quod si primam hanc B. Athanasij propositionem, Si sermo vnius est substantiæ cum corpore de terra naturam suam habente: quam accuratè facta sit, perspexerimus: maximum thesaurum repere-

E rimus, quippe non frustra positum est; De terra naturam suam habente. GENERALIS. Rectissime dicis, sed pergito. THEORIANVS. Accedat & sanctissimus Cyrillus, cui vos magis innitimini, testimonium orationi nostræ perhibiturus, qui in priore ad Successum epistola inquit: Par est, quod absurditatem attinet, dicere; quod corpus in divinitatis naturam mutatum sit, & vicissim, quod sermo mutatus sit in naturam carnis, nam sicut hoc fieri nequit, quum ipse sermo sit incommutabilis & alterationis expers; ita nec illud alterum, non enim creatorum quidquam ad naturam divinitatis transire potest, & caro quoque creatura est. Idem perspicue epistola ad Eulogium tam pro se naturas duas profitens, quam sanctissimos orientis Episcopos, idem tradentes, propugnans: Reprehendunt, ait nonnulli factam ab orientalibus Episcopis expositionem, & cur, inquiunt, naturas duas dicentes Alexandrinus Episcopus ferre potuit, aut probauit? & paulò post subiicit. Sic & in causa Nestorij; quamvis duas naturas, discrimen carnis & sermonis significans, dicat: (nam alia natura sermonis est, alia carnis) vnionem tamen nobiscum non confitetur. Nos

*Cyrillus.*

*Ex inspersione ... naturas in Christo astruit.*

F enim his vnitis vnum Christum, vnum Filium, vnum Dominum confitemur: vnam denique naturam sermonis incarnatam, ac paulo post. Itaque nosse naturarum duarum discrimen, non est vnum Christum in duo secare. Rursum post alia. Nec illud ignorent. Vbicunque fit vnionis omnino mentio, non vnius rei coitio significatur sed vel duarum, vel plurium, & inter se natura discrepantium. Qui ergo dicit vnionem, videlicet carnis animatæ ac mente præditæ, cum sermone, quique duas naturas dicunt: eorum hæc mens est, atque sententia, verum postquam vnionem confessi fuerimus, non amplius a se invicem vnita discrepant: sed vnus deinceps filius est, vna sermonis incarnati natura. Ecce in his S. memoriæ Cyrillus aperte dicit, duarum naturarum discrimen nosse, non esse Christum vnum in duo secare. Hoc enim vos vereri soletis, at beatus ille Cyrillus vanam hanc vestram formidinem reiicit. Quin & idem in altera ad Successum epistola eadem se sentire, his verbis ostendit. Itaque modum assumptionis humanæ, naturæ humanæ animo considerantes, naturas duas coiisse per vnio-

*Duarum naturarum distinctio Christi vnitatem non impedit.*

G nem videmus, citra divisionem, confusionem & mutationem. Caro enim, caro est, non divinitas, licet Dei caro facta sit: similiter & sermo Deus est, non caro, licet dispensatione quadam carnem propriè suam fecerit. Quum igitur hoc animo consideramus, minime delinquimus, dicentes hunc in vnionem concursum ex duabus naturis factum. Sed tamen post vnionem naturas à se invicem non dividimus, nec vnum & impartibilem in duos filios secamus: sed vnum dicimus filium, & vti patres loquuti sunt, vnam naturam sermonis incarnatam. Quantum ergo mente atque oculis animi duntaxat videre possumus, quo pacto vnigenitus ille factus sit homo: duas naturas esse dicimus, at vnum Christum & Dominum, & Filium, Dei sermonem, qui homo factus & incarnatus est. Quid clarius hoc quærimus? naturas enim duas esse dicimus Rursus idem ille B. Cyrillus in enarratione libri Leuitici, de purgatione lepræ disserens, ait: Totum igitur rursus servatoris nostri mysterium, & purgationem, quæ per sacrosanctum baptismum fit, respice. Duas aves accipi viuas & mundas iubet, vt per has volucres hominem illum cœlestem intelligas, hominem pariter & Deum, in duas, quidem naturas) quantum ad id

*Duabus auibus mundis ad purgationem lepræ adhibendis duplicem Christi naturam intelligit B. Cyrillus.*

H quod de vtraque dici convenit) distinctum: (quippe sermo erat, exortus è Deo in carne mulieris) non tamen divisum, vnus enim ex ambobus Christus. Propterea duæ sumuntur aves, & ambæ rursus vnius instar intelliguntur. Vides, vt vbique beatus ille Cyrillus naturas duas confiteatur? Quin & in altera ad Successum ait epistola: Qui Dominum nuda carne passum dicit, alienum à ratione voluntateque cruciatum fecit. At si quis dicat, cum

*Vnus ex parte ... Domini ... humana ... B. Cyrillus.*

A participem mentis, & animæ passum, vt spontaneus sit cruciatus; nihil dicere prohibet, cum in hominis natura passum, quod si verum est, cur non duas naturas extitisse dabimus post vnionem, citra vllam divisionem? quare si quis ait. Christo pro nobis carne passo: nihil aliud dicit, quam Christo pro nobis natura nostra passo. Vides, vti clarissime naturas duas B. Cyrillus post vnionem confiteatur? Etiam magnum illum in rebus divinis Gregor. videamus. Ait enim in oratione de filio: Deum appellari putemus, non Sermonis, sed eius, quod oculis cernebatur. Qui enim proprie Dei Deus esse possit? quemadmadmodum & pater dicitur, non eius, quod cernebatur, sed sermonis, erat enim duplex. Itaque partim hæc de vtrisque propriè, partim non propriè dicuntur; diverso scilicet modo, quàm in nobis res habet: nam Deus propriè quidem noster est Deus, non autem propriè pater, & hoc illud est, quod hæreticos in errorem trahit, vocum, scilicet harum coniunctio, permutatis inter se vocabulis, propter naturarum coalitionem, cuius hoc argumentum est, quum naturæ cogitando distinguuntur, etiam ipsa simul vocabula distinguuntur. Vides cum Christum appellare duplicem? Kursus ait: Quum naturæ cogitando distinguuntur, etiam ipsa simul vocabula distinguuntur, verum videamus & sequentia. Paulum dicentem audi: Vt Deus Domini Iesu Christi, pater gloriæ. Christi quidem ille Deus est, pater autem gloriæ, nam licet vtraque natura copulata sit quiddam vnum; non tamen hoc à natura est, sed propter coitionem. Audi quid dicat: Licet vtraque natura copulata sit quiddam vnum; non tamen hoc à natura est. Si verò non vnum à natura est, relinquitur omnino, duo esse à natura. Item in 1. ad Cledonium epistola, disertis verbis ait: Naturæ duæ, Deus & homo, quemadmodum & anima & corpus, non tamen duo filij, nec dij, sicut nec hic quidem duo homines, tametsi Paulus ad hunc modum internam externamque partem hominis appellauerit, aitque vt paucis rem complectar, aliud quidem atque aliud sunt ea, de quibus Seruator constat; (nisi adspectabile sit idem cum inadspectabili, & temporis expers idem cum eo quod tempori subest) non tamen alius atque alius, absit hoc, ambo enim hæc copulatione vnum sunt, Deo nimirum humanam naturam, & homine divinitatem suscipiente, vel quocumque tandem alio verbo quis hanc rem exprimendam duxerit. Dico autem aliud atque aliud vice versa, atque in Trinitate res habet, illic enim alius atque alius, ne hypostases confundamus: non autem aliud atque aliud, quòd tria sint vnum & idem, quoad divinitatem. Vides quam accurate de rebus divinis loquatur? Aliud, ait, atque aliud sunt ea, de quibus Seruator constat: hoc est alia atque alia natura. Nam aliud neutro genere positum, de natura dicitur. Alius verò de hypostasi, atque hoc progrediens vlterius manifesto declarat. Illic, ait, nimirum in divinitate, alius atque alius, ne personas confundamus: non autem aliud atque aliud, quòd tria sint vnum & idem, quoàd divinitatem. Quin & vlterius inquit. Sicut & illud, per Christũ omnia facta esse, & Christum in cordibus nostris habitare, non secundũ eam Christi partem dicitur, quæ in oculos cadit: sed eã, quæ intellectu percipitur, permistis videlicet, vt naturis, sic etiam nominibus, seque ratione connaturalitatis invicem complectentibus. Hæc de magno illo Greg. Theolog. protulisse satis est. Eiusdem verò sententiæ sanctum quoque Gregorium Nyssensem Episcopum fuisse demonstrabo, in lib. ad Simplicium his verbis vtentem. Quoniam duo de Christo agnoscimus, hoc divinum, illud humanum, vnum natura divinum, & vnum dispensatione humanum: idcirco æternitatem divinitati equidem attribuo, creatum verò humanam ad naturam referimus. Audistine quo pacto & hic divinus vir dicat, duo nos de Christo agnoscere, hoc divinum, illud humanum, deinde, vnum natura divinum, inquit, & progressus vlterius: Creatum,

*Naziãzenus.*

Est in Christo aliud & aliud, sed nõ alius qui a ali differunt naturæ: sũt autẽ C naturæ in Christo distinctæ: alius verò, dici personã vnica autẽ in Christo persona est & hypostasis. Contra sit in Trinitate.

D *Gregor. Nyssen.*

E ait, humanam ad naturam referimus. Ecce divinam in Christo naturam, & naturam humanam manifeste confitetur. Quin & Basilij liber adversus Eunomium scriptus, eadem docens, hæc verba continet, Mediatorem illum Dei & hominum, sicut à magno illo Apostolo appellatur, nihil ita demonstrat, vt filij nomen vtriusque naturæ, divinæ ac humanæ, ex æquo accommodatum. Idẽ enim & Dei filius est, & filius hominis per dispensationẽ factus est. Vides, vti duas naturas, divinam & humanam, confitetur? Eadem facientem videre licet in quarto eiusdem argumenti libro, vbi hæc verba sunt. Vbique temperamentum eius, quod humanum est, cùm illo, quod divinum, prædicans Apostolus, nihilominus in vtroque, quod cuique proprium est, perspicit. Hæc & de iis, quæ vtrique naturæ propria sunt, tradit; veluti quæ reapse sint, & animi consideratione percipiantur. Hinc paulò post subiicit: Ac ne quis naturæ temperamenti expertis passionem in cruce attribuat, per alia clarius errorem huiusmodi corrigit, mediatorem cum Dei & hominum, & Deum appellans: vt, quoniam duo de vno dicantur, de vtroque quod vtrique competit, intelligatur. Hic apertissime duo de vno dici prædicat, nimirum naturas duas. Similiter & in oratione de filio secunda, clarius idem duarum naturarum proprietates, etiam post ineffabilem illam evacuationem, salvas & integras esse tradit. Credimus, inquit, in vnum Deum Patrem ingenitum, & in vnum filium genitum, Iesum Christum, eiusdem substantiæ cum Patre, secundum divinitatem, & nobiscum, secundum carnem: non duos, sed vnum filium, saluis naturarum proprietatibus. Quin & magnus Ambrosius Mediolanensium Pontifex, ad Apollinarem scribens, sic ait: Discrimen carnis & divinitatis seruemus. Vnus in vtroque loquitur filius, quoniam vtraque natura in ipso est, verum licet idem loquatur, non * vno tamen modo loquitur. Nam vides in eo nunc quidem Dei maiestatem, nunc autem passiones hominis. Consentanea vero iam dictis & in secundo ad Gratianum Augustum libro tradit. Homo Iesus Christus Dominus maiestatis, dicitur crucifixus, quia consors vtriusque naturæ, id est, humanæ atque divinæ. Sed & in libro ad Sabinum Episcopum idem vir sanctissimus ait: Quum esset in proprietate divinitatis exinaniuit se, & accepit plenitudinem naturæ & * perfectionem humanæ, sicut Deo nihil deerat; ita nec hominis consummationi; vt esset perfectus in vtraque * natura. GENERALIS. Equidem arbitror ante multos curæ tibi fuisse, libros vti colligeres, sanctorumque virorum auctoritates de naturis duabus excerperes. THEORIANVS. Ea verò multæ curæ, multique temporis egent, quæ rara sunt, & inventu difficilia. De duabus autem naturis non penuria, sed supra modum ingens abundantia copiaque reperitur in omni à Spiritu Dei profecta scriptura, quanta scilicet est aëris late diffusi amplitudo. Quare si etiam pluribus opus sit, paratus sum & alias proferre. Et quidem mox licet audiamus magnum illum philosophum atque martyrem Iustinum, de iisdem loquentem in libro de Trinitate, capite decimoseptimo. Quum audieris, inquit, de vno filio voces contrarias, convenienter partire naturis ea, quæ dicentur: si magnum ac divinum aliquid, divinæ naturæ attribuens; sin exiguum & humanum, ad humanam naturam referens. Sic enim & ipsarum vocum discrepantiam vitabis, natura qualibet sibi cognata recipiente & quum filium tam ante omnia sæcula, quam recens ortum iuxta litteras sacras confiteberis. Hæc divinus ille Iustinus. Ioannes autem Chrysostomus in epistolæ ad Timotheum scriptæ interpretatione sic ait: Mediator amborum consors est, quorum scilicet est mediator; quippe mediatoris est, vt coniunctus eorum vtrique, quorum mediator est, participet. Ac paulò post. Si ergo non coniunctus est cum natura patris, non est mediator, sed est ab eo separatus. Quemadmodum enim cum hominum natura coniunctus

*Basilius.* Christus ex duplici natura mediator Dei & hominum i gr o... icitur.

F

Confessio fidei Basilij de Christi duabus naturis.

*Ambrosij loci. Primus non extat in* G *editis. Epistolarum l.7.ep. 47.*

* *Nostri legunt. perfectionem.* * *nostri forma.*

*Iustinus.*

H

*Chrysost.*

A

*Conc. ilium Chalcedonense.*

ctus est, quoniam ad homines venit: ita & cum Dei natura, quoniam à Deo venit. Cum hisce sanctis patribus consentiens sancta illa magnaque & vniversalis synodus Chalcedone nutu Dei, pioque decreto Augustorum congregata, statuit vnum & eundem esse Christum, Filium, Dominum, vnigenam, in naturis duabus citra confusionem, mutationem, divisionem, separationem adagnitum: nequaquam naturarum discrimine sublato propter vnitionem, sed salua potius proprietate vtriusque naturæ, ac in vnam personam & vnam hypostasim coëunte: non in duas personas partitum vel divisum, sed vnum & eundem filium vnigenam? Deum sermonem, Dominum Iesum Christum. GENERALIS. Omnino duas dicere naturas, speciem quandam divisionis introducit: ac vereor equidem, ne devitato Eutychis barathro, quod est vnam naturam dicere, in Nestorij barathrum incidamus, per duas naturas, duas personas introducentes.

Error Eutychis Contra Nestorio

B

probat posita duplici natura in Christo, duas hypostases & personas non esse concludendum

THEORIANVS. Nestorius vero duas naturas separatas aiebat, non vnitas in vnam personam, atque hoc sanè denotans sanctus ille Cyrillus, in epistola quam ad Eulogium scripsit, ait: Sic & in causa Nestorij, quamvis duas naturas, discrimen carnis & sermonis sanctificans, dicat, (alia namque natura sermonis est, alia carnis) vnionem tamen nobiscum non confitetur. Nos enim his vnitis, vnum filium, vnum Dominum confitemur, vnam denique naturam sermonis incarnatam. Tu igitur, iuxta sapientis illius Salomonis admonitionem, nec ad dexteram, nec ad sinistram incesseris, sed media regiaque via. Sunt enim quatuor hæreses ex diametro inter se pugnantes duo de divinitate: ac duæ de natura humana. In divinitate Sabellius quidem aiebat esse naturam vnam, hypostasin: Arius verò tres hypostases, ac tres naturas diversas & alienas à se invicem. Nos verò nec in vnum tria commiscemus, ne Sabellij morbo laboremus: nec in tria peregrina & aliena inter se dividimus, ne in Arij furorem incidamus: sed naturam vnam in tribus hypostasibus prædicamus. Rursum de incarnatione Dei sermonis vel ex diametro inter se pugnabant Nestorius & Eutyches. Quippe Nestorius aiebat duas naturas separatas, & duas personas, & duos Christos, & duos filios; Eutyches verò naturam vnam, & vnam hypostasin; Nos autem dicimus vnam hypostasin, vnum Christum, vnum Filium, in duabus perfectis naturis, divinitate inquam, & humanitate, inseparabiliter & citra confusionem vnitis. Itaque semita media regiaque, secuti diximus, incedito: (quemadmodum Gregorius ille Theologus ait: Medium quum dico, veritatem intelligo: ad quam solam si respiciemus, rectè faciemus) nec est quod numerum duum reformides. Quemadmodum enim, quum in divinitate tres hypostases dicimus, nullam naturæ divisionem: sic & in hac dispensatione, cùm duas naturas dicimus, nullam ipsius hypostasis divisionem facimus, atque hoc illud est, quod Gregorius Theologus in 2. ad Cledonium libro dicit: Dico autem aliud versa vice, atque in Trinitate res habet illic enim alius atque alius, ne hypostases confundamus: non autem aliud atque aliud, quod tria sint vnum & idem quoad divinitatem. Rectè verò quamlibet seriem verborum religiosi huius Theologi considera. Dico, inquit: in Christo aliud atque, aliud, nam aliud neutro genere positum, naturam significat; adeoque aliam atque aliam naturam in Christo dicit. Alius verò significat hypostasim, ideo subiecit: Non alius atque alius. Etiam illud inspice: Versa vice, atque in Trinitate res habet. Nam in Trinitate vna natura est, sed non itidem vna hypostasis. In Christo autem vna hypostasis est, at non itidem vna natura: hoc scilicet denotat illud Vice versa. Nam ibi natura vna est, ac tres hypostases: hic autem vna hypostasis, & duæ naturæ. His dictis, religiosissimus Episcopus Gregorius, sanctissimi Generalis consobrinus, voce magna exclamat: Ego

Sabellius Arius quatuor hæreses duas de divinitate, duas de humana natura pugnantes im provida de Deo hominū cogitatio peperit.

*De Nest. & Eutyche*

C

Vt satisfaciat generali Armeniorum, docet etiam si duplex natura duplicē personā non esse constituendā. De hypostasi & natura.

D

*Hæc repetuntur ex superioribus.* Rationibus superius allatis cōvictus Episcopus Armenus in sententiam Ecclesiæ Romanæ de Christi duabus naturis descēdit.

E

Romanus sum. Anathema non dicenti duas in Christo naturas. Postridie religiosissimus Sappirij Episcopus advenit, itaque cum illo Generalis seorsum ea communicabat, quæ de proposita quæstione dicta fuissent. Etiam ostendit ei quascunque sanctorum hominum auctoritates habebat, duas in Christo naturas dicentium. At is, quod disertus esset, ad lubitum suum eas pervertebat, itaque quum Generalis eum valde resistentem, ac repugnantem deprehenderet; nos arcessebat, & his verbis vtebatur: Petrus hic Episcopus, qui præsens est, colloqui tecum de argumento, quod inter nos tractauimus, cupit. Ait enim, sanctum virum Cyrillum vnam dicere naturam post vnionem. THEORIANVS. Vbinam hoc, Domine Episcope, S. Cyrillus dicit? EPISCOPVS. In secunda ad Successum epistola, adversus eos, qui dicunt: Si vna natura facta est post vnitionem, necesse est eum in natura sua passum: sic ad verbum ait: Qualia verò passum ipsum in natura propria necesse est, si post vnitionem, vna filij natura dicatur incarnata? Videsne, quod post vnitionem, vnam naturam dicat? THEORIANVS. Et quænam est illa propria filij natura, in qua necesse non est, eum esse passum? EPISCOPVS. Divinitas filij. THEORIANVS. Ergo filius in natura propria non est passus? EPISCOPVS. Absit hoc, quippe natura divina sic comparata non est, ut pati possit. THEORIANVS. Tamen reapse Christus passus est? EPISCOPVS vero, sed in natura nostra, quæ sic comparata est, vt patiatur. THEORIANVS. Ergo Christus naturas duas habebat, vnam sic comparatam, vt pateretur: alteram non vt pateretur.

Nova concertat, cum Episcopo Sappirij, qui disputatio-

F

ni superiori nō interfuerat. Adversus naturarum in Christo diversitatem proponitur Cyrilli cōtextus. Theorianus arguté & cum vehemētia vrget adversarium. Iterum Gregor.

G

alta voce se Romanum profitetur novissima argumétatione confirmatus. Postquā probatū est duplicem in Christo naturam, dubitat generalis an liceat dicere ex duabus naturis distinctis vnā constari:

His quum obturatum esset os religiosissimo Petro, supradictus religiosissimus Episcopus Gregorius surgēs: Ego Romanus sum, inquit, & cum Romanis sentio. Post biduum rursus arcessiti, ascendimus in cœnaculum, ad sanctissimum Generalem, quumque consedissemus, omnes sic alloquutus est: Nihil ambigui est, duas in Christo naturas dicere, si confiteamur eas vnitas inseparabiliter in vnam hypostasim, quemadmodum Sanctus ille Cyrillus in prima ad Successum epistola loquitur: Quantum, inquiens, mente atque oculis animi duntaxat videre possumus, quo pacto vnigenitus ille factus sit homo: duas esse naturas dicimus vnitas, at vnum Christum, & Filium, & Dominum Dei Sermonem, qui homo factus & incarnatus est. Quinetiam omnia illa lumina Ecclesiæ, quorum auctoritates antea philosophus adduxit, hoc ipsum expresse clamant: itaque manifestis, & apertis, & veris adversari, non est hominis Christiani, ac de his quidem posthac minime laborandum. Quid autem prohibet, quo minus & duas naturas in vno Christo, & vnam naturam, propter expertem divisionis & separationis naturarum vnionem, confiteamur? Quippe sanctum illum Cyrillum in altera ad Succesum epistola sic diserte dicentem, reperimus: Non de iis duntaxat, quæ natura simplicia sunt, vnum vere dicitur: sed etiam de illis, quæ compositione copulata sunt, quale quiddam est homo, ex animo & corpore constans, nam ea diversæ sunt formæ, nec eiusdem inter se substantiæ: verum vnita naturam hominis vnam absoluunt, quoniam igitur ex animo & corpore, quæ diversæ naturæ sunt, vna natura hominis absoluitur, atque dicitur: non absurdum arbitror, ex divinitate humanitateque Christi vnam absolui dicique naturam. Hoc soluito, ac satisfactum nobis erit. THEORIANVS. Satis erat magnæ sanctitati tuæ ad hoc, vt perspiceres, non vnam esse dicendam naturam in Christo post vnionem, prolata sancti viri, Gregorij Theologi, à nobis auctoritas; quæ extat in altero de filio oratione, ac huiusmodi verba continet: Licet vtraque natura copulata, sit quiddam vnum; non tamen hoc à natura est, sed propter coitionem. Quum ergo dicit; Non hoc à natura est, dare scilicet prohibet, ne vtraque copulata, vnum natura dicantur. Quid dilucidius

H

Dubitationis causam ex hominis compositione petit. Theorianus satisfacit quæstioni propositæ probans post vnionē fatendū semper esse duas in Christo naturas.

cidius

A cidius hoc requiris? GENERALIS. Sic textus in Armenica scriptura non habet. THEORIANVS. Mendosus est ergo liber tuus. Mox Theorianus, qui eius dicti Syriacam interpretationem excerptam haberet, eam Generali porrigens, ait: Lege Domine. Generalis autem arcessito quodam ex iis, qui Syriacè legere nossent, legi iussit, & ita scriptum reperit, vti Theorianus dixerat. Itaque Theorianus: Hoccine sufficit, inquit, Domine? an etiam & aliam requiris auctoritatem? Nam equidem, Syriacè non novi, sed ita perscriptum in Syrorum libris Cellouij reperi, atque hoc reperto, maximopere gauisus sum. GENERALIS. Quando in Armeniorum scriptura textus ita non habet, aliunde certior fieri volo, debere nos duas in CHRISTO naturas post vnionem fateri, non vnam. THEORIANVS. Facillimum id quidem est

B perspectu, qui agere malitiosè nolit. GENERALIS. Mihi verò ne contingat vnquam agere malitiosè, præsertim diuinis in rebus; nec vlli alij qui ex Christi præscripto viuere velit: sed confirmari desidero, ne inconsideratè, perque subreptionem pronuntiem.

*Naturæ vnitæ citra mutationem.*

THEORIANVS. Fateris vnitas esse naturas citra mutationem & alterationem? GENERALIS. Omnino, quippe sanctus ille Cyrillus in epistola ad Succensum sic ait: Par est, quod ad absurditatem attinet dicere, corpus esse mutatum in naturam diuinitatis: &, Sermonem esse mutatum in naturam carnis, nam sicut hoc fieri nequit, quum ipse Sermo sit incommutabilis & alterationis expers; ita nec illud alterum, non enim creatorum quidquam ad naturam diuinitatis transire potest, & caro quoque creatura est. THEORIANVS. Ipse nos subleuasti à negotiis, qui sanctum Cyrillum testem doctrinæ nostræ produxeris. Nam si fieri nequit, vt in substantiam vel naturam diuinitatis creatum aliquod transeat; & ipsa quoque caro, creatum est: quidnam de hoc colligatur, dicito. GENERALIS. Quid hoc sit, ignoro, quidnam est, quod colligis? THEORIANVS. Carnem & sermonem non vnam esse naturam. GENERALIS. Equidem non oblitus sum eorum, quæ à sancto Cyrillo prolata sunt antea, quum diceret: Quale

C quiddam est homo, ex animo & corpore constans, nam ea diuersæ sunt formæ, nec eiusdem inter se substantiæ: verum vnita, naturam hominis vnam absoluunt. En hic quoque naturæ duæ, anima & corpus, neque tamen vel anima corporis in naturam conuersa est, nec corpus in animæ naturam transiit: sed ambobus intra fines suos manentibus, vna de his absoluta natura est, itaque non est ex eorum numero, quo fieri nequeunt ex duabus naturis vnam fieri naturam, nam ecce hoc in hominis est compositione.

*Locus Cyrilli de animæ & corporis vnione explicatur.*

THEORIANVS. Exemplum illud nostræ compositionis ad hoc duntaxat à sancto Cyrillo est vsurpatum, vt ostenderet, posse de duabus ac diuersis vnam hypostasin fieri: sicut ex animo & corpore Petrus verbi gratia, vel Paulus. Pugnans enim contra Nestorium qui fieri posse negaret vnam ex diuersis naturis hypostasim, ideoque in duos Christos, & duos filios, vnum & impartibilem Christum stultè divideret; hominis exemplum adduxit, vt ostenderet, quemadmodum ex anima & corpore constat vnus homo: sic ex diuina humanaque natura Christum vnum existere. Exponamus & causam, si placet, ob quam in homine compositio ex anima & corpore, natura dicatur vna.

*Cur natura vna in homine compositio ex anima & corpore.*

D Quippe dicimus, Naturam humanam à Christo instauratam: non autem, naturas instauratas. Itidem quoties S. S. patres duas naturas in Christo dicunt, animam & corpus, vnam naturam, accipiunt; At in Christo naturam vnam dicere prohibitum est. GENERALIS. Cognoscere primum cupio, à quibus sic prohibitum, naturam vnam in Christo dicere: deinde causam, ob quam sit prohibitum, si placet, audiemus, nam mihi quidem ab aliquo sanctorum Patrum hoc esse prohibitum, non videtur. THEORIANVS. Ex eo, quod duas illi naturas

E dicunt, vnam non esse dicendam, intelligitur. Nam si duæ, non vna: sin vna, non duæ. GENERALIS. Ex eo duntaxat prohibitum ais, quod duas ipsi dicant: an & auctoritates habes, quæ hoc disertè prohibeant? THEORIANVS. Satis hoc esse tibi debebat, verum & sanctorum magnorumque hominum auctoritates habeo, disertè hoc prohibentes. Ac Gregor. quidem Theologi dictum illud, licet vtraque natura copulata, sit vnum quiddam, non tamen hoc à natura est: illud igitur omittere lubet, quando tu sic in Armenic. libri textu scriptum negas: producam verò sanctum illum Ambrosium, Mediol. Episcopum sic expresse loquentem in lib. adversus Apollinarim: emergunt alij, qui carnem Domini dicant, & diuinitatem, vnius esse naturæ. Quæ tantum sacrilegium inferna vomuerunt?

*Ambros. de incarnation. sacr. ambro. c. 6.*

F Eadem B. ille Gregorius Nyssenus, in libro & ipse adversus Apollinarim scripto, clamat: Si ergo in adversantibus sibi proprietatibus, horum vtriusque natura cernitur, carnis inquam, & diuinitatis: quomodo duæ sunt vna? B. quoque Chrysost. in epist. ad Acacium monachum ait: Vnum filium, vnam dico personam vtraque copulata, quæ tamen citra confusionem, ac diuisionem, agnoscatur: non in vna sola natura, sed in perfectis naturis duabus. Quid ad hæc ais? GENERALIS. Non iam hoc pronuntiandæ sententiæ, sed exercitationi modo destinatum tempus est. Suo vero tempore quid mihi videatur, adhibita cautione conuenienti & accurato iudicio, pronuntiabo. Cæterùm si placet, promisso fac satis. THEORIANVS. Cui? GENERALIS. Causam dicito, propter quam prohibitum sit, vnam in Christo naturam dicere.

*Rationē reddit cur non liceat dicere naturam vnam in Christo.*

THEORIANVS. Quorum vna natura est, eorum & communis est ratio, quorum verò ratio est communis, eorum & eiusdem substantiæ est existentia. Nunquam verò Christi diuinitas eiusdem est substantiæ cum eius humana natura, itaque non potest horum vna esse ratio, quorum verò nunquam vna ratio est, eorum naturas semper à se inuicem differre, cuivis est perspicuum, quippe sicut neganti opponitur aiens, sic dicere, Christum naturas esse duas, opponitur illi, Christum esse naturam vnam.

G Nunquam vero negans & aiens de eodem pariter vera sunt, ergo nunquam duæ sunt vna. Quod si placet etiam modo logicæ disciplinæ magis accommodato theorema propositum examinemus. GENERALIS. Placet omnino. THEORIANVS. Quidquid existit, si vnum est, & plura: non secundum id vnum est, secundum quod plura: sed si est vnum & plura, secundum aliud est vnum, & secundum aliud plura. Plura verò dico, quæ plus vno sunt, sicut exempli gratia videmus in sacrosancta Trinitate, quæ vnum est, & plura, vnum, natura: plura personis. Igitur alterius respectu, est vnum, & alterius, plura. Nequit ergo fieri, vt eatenus plura sit, quatenus est vnum: vel eatenus vnum, quatenus plura. Nam si fieri potest, esto, diuinitas secundum hypostases vnum quiddam: (nequit autem hoc esse) vel vicissim, secundum substantiam multa sit, quod ipsum quoque non potest esse. Sic & de Christo pro confesso, vnum quid esse, secundum hypostasin. Rursus in confesso est, iuxta sanctorum Patrum auctoritates Christum esse duo, respectu naturarum, nequit ergo fieri, vt vnum sit, quoad naturas. Quidquid igitur existit, si vnum est, & plura; respectu alterius vnum est, & alterius respectu, plura: quòd demonstrandum erat, vt Geometrarum more loquamur.

*Demonstratio Geometrica: quæ docet vnū & plura de eodē dici non posse respectu eiusdē.*

H Per Geometricas enim necessitates, quas vocant, theorema demonstratum est. GENERALIS. Ego naturam vnam dico respectu indiremptæ vnionis, ne Christus in duos Christos diuidatur. THEORIANVS. Vtram ergo naturam dicis? diuinam, an humanam, an præter has aliam, nec diuinam scilicet nec humanam? GENERALIS. Vnam naturam compositam dico ex diuinitate ac humanitate.

*Probat in Christo esse non posse naturam cōpositam ex diuina & humana*

THEORIANVS. Si vnam naturam compositam dicis,

A dicis, mutationem & confusionem naturarum introducis, ex quibus vna fuerit composita natura. Iam, si placet, in vna quadam composita natura propositam quæstionem exploremus. Hoc [illegible] vnum est omnino compositæ naturæ. Nam ex terra, & aqua, & igne, & aere constat, & est [illegible] vna natura [illegible] composita. Verum mutatio & alteratio præcessit earum naturarum, de quibus factum est: & [illegible] nec est, nec dicitur aliquid earum naturarum, de quibus est compositum, quippe nec ignis est, nec esse dicitur, nec aliud quid eorum, quæ ad [illegible] compositionem concurrerunt. At ea non est in Seruatore ratio, sed naturæ manserunt incommutabiles, vnione indissolubili ad perfectionem vnius hypostasis coeuntes: ac nunc quælibet in vnum coeuntium naturarum & est & dicitur [illegible] mutationis expers, propterea [illegible] perfectus Deus, & homo perfectus est atque dicitur, quippe non [illegible] mutatio, vel confusio quæ ad constituendum Emmanuelem [illegible]; neque [illegible] vna natura [illegible] esse Christus, nam hoc in ligno, aliisque talibus locum habet. GENERALIS. Cur sancti patres exemplum illud hominis [illegible] deorsum, ad dispensationem seruatoris accommodant, si quidem eius similitudinem non retinet, cuius exemplum est? THEORIANVS. Proferunt [illegible] hoc de nobis ipsis exemplum, ad declarandum istud circa Emmanuelem mysterium, vt demonstrent; vnum esse Christum, non duos, vti Nestorius aiebat, vt superius est indicatum; licet exemplum ipsum in altero non [illegible]. GENERALIS. Quid tum ergo [illegible] videtur [illegible] de hoc exemplo [illegible] repugnat [illegible]. THEOR. [illegible] per [illegible]. Nostrum [illegible] seruator noster ad discipulos suos inquit: Sequimini me, ac faciam vos piscatores hominum. Ergo si exemplum per omnia seruabimus, dicendum erit Apostolos è vita traxisse homines ad mortem, hoc enim piscator facit, trahit pisces ad eorum interitum, sed absit, vt ita de [illegible] sentiamus. Rursus alio loco scriptura de CHRISTO dicit: Procumbens sopitus est instar leonis, & catuli leonini: quis excitabit eum? Itaque nisi piè huiusmodi accipiamus, & ad sacræ scripturæ scopum ea dirigamus, atque interpretando duntaxat eò referamus; quò pertinent: non tantum in absurditates, sed etiam contumelias infinitas prolabemur. GENER. Sapientissime loqueris, verum vti tu dicis, exemplum hoc hominis eo tantum à sanctis patribus vsurpatum, vt ostendatur, quemadmodum ex anima & corpore vnus homo constat, ita & Christum vnum ex diuinitate humanitateque constare: sic & ipse dicere possum, eos ad hoc [illegible] illud hominis exemplum, vt ostendant perinde atque anima & corpus vnam hominis naturam absoluant, vti S. Cyrillus loquitur: ita etiam ex diuinitate atque humanitate naturam vnam esse absolutam, nec in homine mutationem naturarum [illegible] compositarum commutam, nec in Christo. THEORIANVS. Nisi prohibitum esset à sanctis patribus, ne vnam in Christo naturam, post factam vnionem, dicamus, fortassis ausus fuisset aliquis itidem, vt tu dicis, hoc exemplum interpretari, licet ipsa rerum natura sic illud accipi non permittat, vti demonstrabitur, nunc quum tales ac tot sancti viri hoc prohibuerint tanquam sacrilegum: (Quæ, inquit Beat. ille Ambrosius, tantum sacrilegium inferna vomuerunt?) ceu pium recipere, hominis nulla mente præditi fuerit. GENERALIS. Dixisti supra, ne ipsam [illegible] rerum naturam pati, vt sic acciperetur, quidnam igitur est impedimento? quove pacto natura rerum in his aduersatur? THEORIANVS. Natura de vniuersalibus & communibus dicitur, non de particularibus & indiuiduis. Homo quidam est vniuersale, nam de Petro, & Paulo, & omnibus sigillatim hominibus prædicatur, quapropter & vna natura dicitur. Omnes enim homines ex anima ratione prædita & corpore constant, hominisque definitionem recipiunt, nimirum hanc: Animal ratione præditum, mortale. Definitio vero naturam rei subiectæ demonstrat, quam ob causam indiuidua propriam definitionem non habent, Christus autem nec vniuersale, nec commune quiddam est: vna nimirum est hypostasis, vna persona quasique indiuiduum, non [illegible] Christi sunt, ex diuinitate atque humanitate [illegible] constans [illegible] dicetur. Ea propter vna nequit esse natura, nam particularis & indiuidua natura reperiri [illegible], sed omnis natura vniuersalis est, deque pluribus dicitur. Non longe abeamus, natura diuina prædicatur de Patre, de Filio, & Spiritu sancto: itidemque Angelorum natura de Michaële, Gabriele, & cæteris: hominum denique, de Socrate, Platone, de reliquis particularim hominibus. Similiter & bos, & equus aliaque talia, de [illegible]. Quoniam ergo natura quiddam est vniuersale, Christus autem quiddam vniuersale non est: manifesto patet, hominem [illegible] naturam. Itaque cùm & ab ipsa natura rerum, & sanctis viris interdictum sit non modo supervacaneum, sed nimis audax quoque mea fuerit opinione, vnam in Christo [illegible] Cyrilli verberat auctoritas, cum ait. Vna natura Sermonis [illegible] quamobrem [illegible] dixerit vnam naturam Sermonis incarnati, quapropter agitata mens mea, cum dixi, sursumque pedibus suis, vt ita loquar, requiem quæriens: tandem in eam sententiam venit, vt diceret; Nisi voluisset indicare, naturam vnam sermonis & carnis esse post [illegible] hæreticorum naturas duas sermonis dixit, vt aduersus [illegible]. THEORIANVS. [illegible] Athanasij librum [illegible] Arrianos [illegible] legisti, quippe si legisses, nullam mens tua successionem experiretur. [illegible] tradidisse duas naturas sermonis, vnam creatam, & alteram [illegible] illud lumen orbis Athanasius: Beatus ille Alexander Arrium [illegible] Non semper Deus Pater, [illegible] de nihilo filius est, & creatura est, & existendi principium habet, nam cum Deus nos creare vellet, tunc eum propter nos fecit, & [illegible] nuit eum sermonem, & sapientiam, & filium sermonem vel rationem, propter creata sermone rationeque prædita, quæ condidit: sapientiam, propter eos, quos erudit: filium propter eos, quos adoptauit. Addebat etiam, alium esse in patre à natura, & proprium substantiæ ipsius [illegible], in quo illum fecerit: quodque natura sua mutationi sit obnoxius, & per communicationem, vt homines iusti, Deus appelletur, alienus interim à Dei natura. Item vt erucam & brucum, sic & ipsum potestatem Dei dici. Patrem quoque filio [illegible] esse, nam filium, qui principium habeat, expertem principij non posse [illegible] cognoscere. Nec [illegible] accurate patris naturam non nosse, sed ne [illegible] quidem. Huiusmodi alia [illegible] tur, & hæc quidem ex illo magno Athanasio. Dicamus & nos quæ [illegible] vnde suum ille [illegible]. [illegible] enim, alium esse insitum patri Sermonem, & ipsius substantiæ proprium, dixisse Christum ad Iudæos aiebat: Noui patrem, & sermonem eius seruo: quibus in verbis eum sermonem intelligebat, quem insitum ipse dicebat, [illegible] sermonem vocare [illegible] dicebat, patrem ad filium hæc verba protulisse: De vtero ante luciferum te genui. Et [illegible] ad populum, propter

Margin notes (left): B. Exemplum [illegible]. C. Gen 49. Retorquet Generalis exemplum ab animæ & corporis vnione. D. ad confirmandum vnam naturam in Christo. (right): E. F. G. H.

A

propter Iordanem: Hic est filius meus dilectus. Et in transformatione similiter. Hinc aiebat: Si pater per sermonem ad filium loquebatur, alius scilicet erit sermo, quam filius. Igitur adversus hanc opinionem magnus Athanasius ille dimicans, vnam naturam sermonis incarnatam dicebat, non vnam increatam & Dei substantiæ propriam, aliam creatam & ab eadem alienam. Atque hinc beatus ille Cyrillus id verbum mutuatus, vnam dixit naturam sermonis incarnatam. Et hoc est, quod ait; vti patres loquuti sunt: patres appellans magnum illum Athanasium, & reliquos qui se impio illi Ario opposuerunt. GENERALIS. Plurimum mihi profuisti, mi frater, ignorabam enim ex hæreticis aliquem hoc dixisse, nunc mens mea, perceptis magni Athanasij verbis, quietem adepta est.

B

*Breuis repetitio eorum quæ hactenus disputata sunt.*

THEORIANVS. Habes, sanctissime Domine, testimonia sanctorum hominum plura de eo, quod naturas duas in Christo & credere debeamus, & confiteri; minimeque naturam vnam in eo dicere, quin & causam audiuisti, propter quam patres dixerint vnam naturam incarnatam, itaque nihil post hac negotij nobis de hoc facesses, sed malam in rem eat vnius in Christo naturæ confessio: nam ex ea non exiguum nascitur offendiculum, nec ignorat magna sanctitas tua, vocem aliquando non malam, quæ male tamen ab aliquibus intelligeretur & exponeretur, reiectione dignam à patribus esse indicatam, qualis & * Christiparæ vox est, Deiparæ, virgini tributa. Nam & Christiparam dicere poteramus. Christum enim peperit, Deum & hominem; quod ipsum nomen propriè denotat. Sed quod eius nominis significatum à Nestorio nequiter acciperetur, velut sacrilegum a sanctis hominibus repudiatum est. Debes ergo, sanctissime Domine, illam quoque vocem, indicatam à sanctis sacrilegam (quæ tantum, ait Ambrosius, sacrilegium inferna vomuerunt?) vti sacrilegam missam facere: nec indicium tuum illorum iudicio firmius ducere, nec pati, tuum vti indicium pluribus, occasionem offendiculi præbeat. GENERALIS. Rectè dicis, sed date mihi quartæ synodi de fide definitionem, quam quum ei obtulissemus, ad quietem nos compositurì discessimus.

** Cur Mariam hic Deiparam voluerit ...tis.*

C

Postridie eius diei, Episcopus Cessunij Ioannes Syrus appulit; & intellecto Generalem Armeniorum, multoties habito cum Romanis colloquio, verbis eorum adsentiri, iamque per omnia cum eis convenire: (probat enim aiebant alij, quæ ab ipsis dicuntur, nihil adfirmans extra sacras scripturas a Romanis proferri: sed ex sanctis patribus, quos ipsi quoque veneramur, suam eos doctrinam adserere) ad Generalem ascendit & : Quid hoc rei est, inquit, Domine, quod de tua insigni sanctitate audio? Tune Romanis, errores Nestorij probantibus, adsentiris? GENERALIS. Ego Romanis non adsentior, imò nec Patriarchæ Constantinopolitano, nec ipsi excelsissimo supra omnes Imperatori, vel propter dignitatem Patriarchalem, vel maiestatem Imperatoriam paruissem, nisi veritatem ipse agnovissem. Eam verò negare nequeo, nec sanctis patribus adversari possum. Respondit Generali SYRVS. Audivi te quoque naturas duas in Christo confessum esse. Nosti vero, Nestorij nos opinionem sequi, si duas naturas confiteamur; & pro Trinitate quaternionem, propter naturæ alterius accessionem, habituros. GENERALIS. Heri, ac nudiustertius, propeque totam hanc septimanam, plurimum laboravimus, quotidie colloquentes. Hodie vero, & cras, quiescere volumus, animumque remittere. Post triduum verò, si placet nobiscum aderis in colloquio, quodque tibi ad animum acciderit, dices, nos quidem id lubenter audiemus. Cæterum vbi advesperasset, accessit ad Theorianum doctor Bartan, nesciente Generali, & ait: Episcopus ille Syrus, & noster Generalis, totam hodie diem inter se colloquuti sunt de vna, duabusque naturis. Tum Theorianus; Vellem, ait ad

D

E

Bartanem magistrum, quænam illa sint, quæ ille Syrus ad dogmatis sui probationem dicat cognoscere. Bartan verò: Nihil, inquit, vltro citroque nostrum ad Generalem protulit, nisi hoc. Si duas in Christo naturas dixerimus, non Nestoriani duntaxat erimus: sed & quaternionem loco Trinitatis in divinitate confitebimur, propter naturæ alterius accessionem. Tum Bartani Theorianus: Et quibus, ait, probationibus hoc demonstrabat? Nec auctoritatibus, inquit, Bartan, nec syllogismis orationem suam probat, sed tantum ita contentiosè ac inconsideratè voces confusas effundebat, vt sacerdotibus suis aliquid dicere videretur. Theorianus verò Bartanem interrogans: Quid, ait Generalis ad ista dixit? Dixit inquit Bartan, tota ista septimana plurimum laboratũ esse, quotidianis colloquutionibus habitis, nunc aliquot diebus labores remittendos. Vbi verò colloquiũ denuò inchoabimus, inquit, ipse nobis adesto, si placet, ac quicquid ad animum tibi acciderit; dicito, nos quidem id libenter audiemus. Post aliquos dies arcessiti, ascendimus in cœnaculum, vbi per quoque colloquuti eramus; Invenimus autem Syrum illum Episcopum ad dextrum Generalis latus adsidentem, & Armenios Episcopos sedentes singulos suo loco, quumque nos ad sinistram Generalis pro more considere iussi fuissemus, deinde consedissent & Episcopi: (quippe primas in consessu nobis offerebant) multo tempore nihil omnino quisquam ad alterum vlla de re proferebat, sed commune silentium erat. Igitur vbi iam plurimum temporis præteriisset, his verbis Generalem Theorianus alloquutus est. Audivi quosdam esse, qui dicāt si duas in Christo naturas confiteamur, non modo nos futuros Nestorianos: sed etiam Trinitatis loco quaternionem prædicaturos Ac miror equidem, quonam pacto, qui hæc dicunt, perspicere non potuerint, minimè Nestorium propterea depositum fuisse, quod duas naturas diceret (hoc enim illustri & clara voce divini patres vniversi prædicant. Cyrillus quidem his verbis, Duas naturas esse dicimus: Gregorius verò Theologus, Naturæ duæ, Deus & homo: cæterique omnes quos antea tibi produxi testes) sed quod diceret naturas duas invicem separatas, divinam seorsum, itidemque seorsum humanam. Ea propter & duos filios, & duos Christos esse Fanaticus ille statuebat: alium filium esse delirans, qui ex Deo & Patre sit; alium, qui ex virgine, quam ob causam & sanctam illam virginem vocare Deiparam nolebat. Quod autem minimè Nestorius vnionem confessus sit, sanctus ille Cyrillus in epistola ad Eulogium his ipsis verbis ostendit: Sic & in causa Nestorij, quãvis duas naturas, discrimen carnis & sermonis indicans, dicat: (alia namque natura Sermonis est, alia carnis) vnionem tamen nobiscum non confitetur. Nos enim his vnitis, vnum Christum, vnum Filium, vnum Dominum confitemur. Ad id vero quod subiicitur; Trinitatem fore quaternionem, si duas naturas in Christo confiteamur: pro nobis sanctus ille vir Athanasius satisfaciet, cuius in Epistola ad Epictetum Corinthi Episcopũ hæc ipsa verba sunt: Insigni pudore adficientur, qui vel cogitatione putarunt, posse pro Trinitate fieri quaternionem, si corpus esse de Maria dicatur. Si corpus, inquiunt, vnius esse substantiæ dicamus cum sermone, Trinitas manet Trinitas, quod hæc ratio nihil ei peregrinum inferat. Sin humanum dicamus illud ex Maria corpus, necesse est, aliquid Trinitati accedere, quod corpus illud secundum substantiam ab ea sit alienum. Hæc quum ita dicunt, non cogitant, quo pacto seipsos evertant. Nam si maximè corpus ex Maria non esse dicant, sed eiusdem cum sermone substantiæ: nihilominus quod vereri se simulant, ne sentire videantur, id ipsum eos iuxta sententiam suam dicere constabit, nimirum esse quaternionem. Quippe sicuti filius, secundum doctrinam patrum; eiusdem existens cum patre substantiæ, non ipse Pater est, sed filius cum patre substantialis dicitur: ita & illud consubstantiale sermoni corpus non erit ipse sermo, sed aliud quiddam cum sermone. Si aliud quiddam est;

F

*Agitur in eos qui duas in Christo naturas cõstituentes Nestorianũ esse docendebant.*

G

*Quid Nestorius senserit de duabus naturis Christi & quid Ecclesia Catholica.*

*Obiectiones de quaternione refutatio. Ratio eorũ qui posita humana natura in Christo,*

H

*pro Trinitate quaternionem obtrudebant.*

sane

A fane fecundum ipfos facrofancta Trinitas erit quaternio. Nam vera planéque perfecta, & expers illa divifionis Trinitas nullam recipit acceffionem: fed ifta ab eis excogitata Trinitas. Et quo pacto Chriftiani erunt, qui alium præter verum Deum excogitant? Rurfus & in altero fophifmate ftoliditatem ipforum perfpicere licet. Si propterea, quod fit atque dicatur in facris literis humanum ex Maria corpus Servatoris, pro Trinitate quaternionem dici putant, velut acceffione facta propter corpus; multum fanè falluntur, creatum exæquantes opifici,& exiftimantes aliquid accedere divinitati poffe: ignorant denique, non ut aliquid accederet divinitati, Sermonem factum effe carnem; fed ut genus humanum redimeret. Quinam igitur opinantur adfumptum à Sermone corpus, & vivificationem aliquam ad divinitatem Sermoni adferre? nam potius ei, quod humanum erat, magna B contigit acceffio de Sermonis cum eo focietate ac unione, quippe de mortali factum eft immortale, de animali factum eft fpirituale, de terra ortum fupra cœleftes portas evafit. Trinitas quidem certè Trinitas eft, etiamfi Sermo corpus ex Maria fumpferit, nullam nec acceffionem admittens, nec diminutionem: fed perfecta femper eft, & una in Trinitate divinitas agnofcitur, atque hoc modo Deus unus in Ecclefia prædicatur, pater ille Sermonis. Audis quo pacto Beatus Athanafius, divinum quendam zelum fpirans, eos tangat, qui corpus eiufdem effe fubftantiæ cum Sermone dicunt? Pudore adficientur, ait. Item, Non cogitant quo pacto feipfos evertant. Et rurfus, Stoliditatem ipforum perfpicere licet. Infipientes & ftultos vocat. Et hæc quidem Athanafius, nos autem alio quoque modo, fi placet, impietatem eorum redarguemus. Generalis. Mihi fane videtur, ad eiufmodi erroris agnitionem, non effe opus ampliori refutatione. Nam qui adfentiri fancto viro Athanafio non vult, modo Chriftianus eft, tantopere occlamanti eorum vefaniæ, qui corpus eiufdem effe cum Sermone fubftantiæ negant; & quaternionem in divinitate, C loco Trinitatis, fieri fomniant: cuinam mortalium, nunc in terris exiftenti, fit adfenfurus, equidem non video. Quid tamen complures, aut omnino litteras facras non legunt; aut legunt illi quidem, fed aliud quafi agentes, non ftudiosè; qua de caufa mentem earum intimam ignorant: rectè feceris, & acceptum Deo, nobifque gratum præftiteris, fi errorem eorum confutaveris; modo id tibi placeat, & alia facere via poffis. Theorianus. Multi fatanæ, qui malis oblectatur, & genus humanum odit, extitere difcipuli, vel inftrumenta potius, ad multorum perniciem, qualis erat abominabilis ille Severus, qui Antiochiæ thronum per tyrannidem obtinuit. Is minime præceptum illud reveritus, quo dicitur; Execrabilis, qui in itinere cæco caufam erroris præbet: plurimos in errorem à recta revocatos via, in perniciei barathrum miferabiliter præcipitavit, quum facere diverfum deberet, nimirum ab errore ad veritatem divertere, quod quidem & præfulatus ipfius ab eo requirebat. Verum D & auribus, & multo magis à corde reiectis Dei mandatis, quæ ita præcipiunt: Per portas meas ingredimini, & iter populo fternite; déque via lapides amovete: id operam dedit, ut non ad ftructuram illius vivi templi, fed potius ad ruinam & offenfionem plurimum, lapides in via vitæ per infamiam fpargeret, adeóque verbis & fcriptis naturam Emanuelis unam tradidit; veritus, ne Trinitatis loco quaternio fieret, haud cogitans mifer, uti quidem videtur, nomen Trinitatis non habere fignificationem naturæ, fed numeri perfonarum vel hypoftafium.

*Incarnatus filius Dei non ad novæ perfectionis acceffionem, fed ad generis humani redemptionem.*

*Humana natura in Christo multis dignitatis titulis aucta propter divinitatis coniunctionē.*

Quo igitur modo collegit ille quaternionem, quum nos minimè confiteamur Dei Sermonem adfumpfiffe hypoftafin, fed noftrum illud in feipfo conftituiffe? adeóque ftatuamus, Emanuelem effe unam hypoftafim, & unum filium? Quod fi novus ac vanus ille Theologus tres naturas in fancta Trinitate confitetur; deinde natura Emanuelis humana, quam nos E confitemur; ad fuas illas tres naturas adiuncta, pro Trinitate quaternionem, fieri concludit: optime id quidem facit, quippe feipfum artificiosè peritéque fuperat, ab uno folo Deo, ad opinionem de pluribus diis deflectit. Sin unam divinitatis naturam & ipfe confitetur, duáfque naturas in Chrifto: undenam ei naturarum quaternio proficifcatur, fcire nequeo. Nec item fieri poteft, ut in Trinitate quaternionem hypoftafium, abfque alterius hypoftafeos acceffione cogitemus.

His dictis, oculos Generalis in Syrum illum Epifcopum coniecit, quumque videret eum vultu in terram defixo, nequaquam infpicere: converfus ad Theorianum, innuebat ei Syrum uti adfpiceret. At is Syrum intuitus, fubrifit; & ad Generalem ait: Eft Domine, quod infignem fanctitatem tuam interrogem; téque obfecro, ne tibi grave fit, eius indicare folu- F tionem. Generalis. Si Deus intellectum eius mihi dederit, non gravabor illam tibi exponere. Theorianus. Sint hic, velut in hypothefi, tria igne potiora, quæ tamen unius naturæ fint, auri fcilicet. Si horum unum in ignem coniecero, plane ignitum illud duarum naturarum erit; Ignis inquam & auri, deinde hoc unito reliquis duobus necdum ignitis, interrogo: quot nam fint hæc ignita? triane, ceu prius? an propter ignis naturam facta funt quatuor? Generalis. Huius interrogationis folutionem exponat Ioannes religiofiffimus Epifcopus Ceffuuij. Theorianus. Quid vero fanctitatis tuæ prudentia dicit? ignis ne natura numerum five quantitatem trium illorum auxit, an non? Generalis. Mihi quidem non auxiffe videtur. Theorianus. Atqui prius hæc tria unius erant naturæ, nunc in uno duæ naturæ confpiciuntur. Generalis. Hoc quoque in confeffo eft. Theorianus. Non igitur eft neceffe, Trinitatem illorum ignis vi potiorum, fieri quaternionem, propter alteram illam naturam, videli- G cet ignis, Generalis. Non eft neceffe. Theorianus. Ineptiunt ergo, qui dicunt, neceffario nobis quaternionem pro Trinitate confitendam, fi naturas duas in Chrifto demus.

*Exēplū infigne.*

*Exēplū accōmodatiffimū & notādum.*

His dictis, furgens ille Syrus Epifcopus, nullo verbo prolato, cœnaculo cum facerdotibus fuis egreffus eft. Interrogatus autem á facerdotibus fuis, cur nihil cum philofopho loquutus effet: non fibi licere dixit, in aliena fynodo de huiufmodi rebus loqui. *** humanitate non erat, nam divinitate nufquam abeft. Ergo quatenus homo, non quatenus Deus ingredi voluit, adeóque voluntate præditus erat, etiam quatenus erat homo. Item alibi; Volo, inquit, ut ubi fum ego, & ipfi fint. Si quatenus Chriftus eft Deus, fupra illud, Ubi eft, (quatenus enim Deus eft, in loco non eft:) fieri vero nequit, ut natura creata fupra idem illud ubi fit: fane, quatenus homo eft, vult ut ubi fit ibidem & ipfi fint, adeóque voluntate præditus erat, etiam quatenus erat homo. Rurfus alibi. Quum veniffet ad locum fitire fe dixit; & obtulerunt ei vinum felle miftum, quo guftato, non vo- H luit bibere. Secundum quam partem ipfius dixeris eum fitiiffe? fi fecundum divinitatem, adfectibus erit obnoxia divinitas eius quæ natura fua potum appetiverit: fin quoad humanitatem, fane quatenus fitiit, eatenus & quòd naturæ non conveniebat, bibere noluit: erátque voluntate præditus idem, etiam quatenus erat homo, & alibi dicitur: Circumibat in Galilæa Iefus, non enim Iudæam obire volebat, quod eum Iudæi ad necem quærerent. Si circumitio carnis naturæ competit, non ei iunctæ in eadem hypoftafi divinitati: nimirum quatenus erat homo, idem in Galilæa circumambulans, Iudæam obire non voluit, & idem voluntate præditus erat etiam quatenus erat homo. Et alibi; Inde egreffi Galilæam pertranfibant, nec id quemquam fcire volebat. Item alio loco, Inde movens abiit ad Tyri Sydonifque fines, & domum ingreffus

*Deeft folium unū.*

*Theorianus contra Monothelitas.*

A ingressus neminem id scire volebat: neque tamen latere poterat. Si Christus, quatenus erat Deus, potentia per se subsistens erat: & infirmitas, quatenus homo: (licet crucifixus est, inquit Apostolus, ex infirmitate: vivit tamen potestate divina) ergo quatenus Deus erat, domum ingressus, neminem id scire volebat: neque tamen latere poterat, adeoque voluntate præditus erat idem, etiam quatenus erat homo. Alibi quoque dicitur: Et accessere discipuli, dicentes: Quo nos abire vis, & pascha manducandum parare? Si manducatio paschatis ad subiectos legi pertinet, Dominus autem quatenus homo, non quatenus Deus erat, legi subiectus fuit: ergo quatenus erat homo, pascha manducare voluit, & erat idem voluntate præditus etiam quatenus erat homo. Reperies & alia sacris in oraculis infinita, quæ Emanuelem voluntate præditum fuisse demonstrant, etiam quatenus erat homo. B DOCTOR. Quinam voluntates appellare debemus? naturales, an * hypostaticas? THEORIANVS. Naturales, quippe si voluntates hypostaticas dicemus, tres in sacrasancta Trinitate voluntates concedemus, quoniam tres sunt hypostases. Igitur ut una voluntas est in sacrasancta Trinitate, quoniam una natura: sic duæ voluntates in Christo sunt, quoniam duæ naturæ, sicut est indicatum: DOCTOR. Valde me iuvisti per exemplum illud sacræ sanctæ Trinitatis: estque mihi persuasum debere nos voluntatem naturalem dicere, non hypostaticam. Itaque quum duas in Christo naturas concedamus, necessario duas quoque voluntates confitebimur, divinam & humanam. THEORIANVS. Humana voluntas intelligenda est, non arbitraria, vel eligens: sed tantum naturalis. DOCTOR. Et quid est naturalis voluntas? Quid eligens? THEORIANVS. Voluntas naturalis est vis & facultas id appetens, quod secundum naturam est omniúmque proprietatum, quæ naturæ substantialiter adsunt, conservatrix: secundum quam semper ei, C quod à natura voluntate præditum est, hoc ipsum inest, ut ad volendum sit comparatum. Non idem est autem, comparatum esse ad loquendum, & loqui. Nam quidquid præditum est vi loquendi, comparatum quidem est ad loquendum: sed non semper loquitur: quoniam id quidem est substantiæ, rationéque naturæ continetur: hoc vero consilij & loquentis arbitrio formatur, quo fit, ut naturæ quidem sit, semper comparatum esse ad loquendum, hypostasis autem, quodam modo loqui: sicut ad volendum esse comparatum, & quodam modo velle. Arbitrium verò, & electio, siquidem propriè loqui volumus, in Dominum non cadunt. Nam arbitrium post habitam de ignota re quæstionem, & deliberationem sive consilium & iudicium, adfectio quædam est ad id, quo de iudicium factum est: post quam electio sequitur, alterum pro altero diligens. Dominus autem, qui nudus homo non est; sed etiam Deus, & qui novit omnia, nec considerationis ullius eget, nec inquisitionis, nec consilij, nec iudicij: & tum coniunctionem cum bono naturaliter habet, tum aversionem à malo. Quapropter arbitrariam aut eligentem voluntatem Domino non tribuimus, sed naturalem. D Tum religiosissimus Episcopus ISAACVS dixit: Sufficiunt hæc de duabus voluntatibus Emanuelis, iis quidem, qui non contentiosè, quæ dicta sunt, audiunt. Nunc, si placet, etiam de geminis actionibus dicito. THEORIANVS. Ad demonstrandum actiones Christi duplices, apud vos oratione prolixa non opus esse arbitror, qui sacris litteris estis innutriti. Nam expuere, lutúmque de sputo conficere, cæcique pupillas inungere, hominis omnino actio est, quippe divinitatem expuere non dicemus, si nón insani simus. At lutum illud in oculum & lucem convertere, id verò divinitati omnino attribuemus. Eiusmodi quis infinita reperiet, si oracula divina diligenter inspexerit. Erit autem res tota perspicua de gladij quoque candentis exemplo. nam is pariter & secat, & urit: estque dubio procul ustio quidem non ferri, sed ignis: sectio vero, non E ignis, sed ferri, effecta denique diversarum naturarum sunt, tam sectio, quam adustio. Verum propter unionem, non ignis tantum esse dicimus hanc ustionem, sed etiam ferri. Sic enim loqui solemus. Hoc ferrum urit. Sic quoque rem considerabimus. Animæ est, corpus suum animare ac vivificare, quod quidem ex amborum dirempta patet, nam anima tempore mortis à corpore suo dirempta, corpus mortuum manet. Quum ergo divinitas eius nunquam nec à corpore, nec ab anima dirempta fuerit: quo pacto vim istam animæ, vivificantem scilicet, non habuit eius divinitas? nimirum à corpore indirempta, eique copulata hypostatice, mortuum manere corpus haud sinebat, quippe dum inest anima corpori nunquam illud mortuum est. Nam quum anima sit spiritus vitalis, corpus ipsum vivificat, sicut etiam alicubi sapiens ille F Salomon, de impiis quibusdam & de astrorum cultoribus loquens dixit: Luto vilior est vita ipsorum, quoniam ignorarunt eum, qui finxit eos, & efficacem animam inspiravit eis, ac spiritum vitalem eis adflavit. GENERALIS. Quicumque conscientiam suam pedibus proculcat, præsertim in doctrina fidei: non dignus est appellari Christianus. Ego vero Deum testem appellans fateor, me & eiusdem vobiscum fuisse fidei, & esse; ex quo libros sacros inspexi: cuius scilicet es ipse fidei, & in medium abs te producti S. patres. THEORIANVS. Si sic credebas, & nunc credis: quare scribebas in epistola: Dicimus unam in Christo naturam? GENERALIS. Equidem respiciens ad illud exemplum ab homine sumptum, quo sancti patres usi sunt: homine inquam ex anima corporéque composito, quúque post unionem esse natura dicitur una, & naturas, ex quibus est compositus, inconfusas & mutationis expertes retinet: minimè mihi seu multoties tibi iam dixi, falli videbar. Præterea putabam, beatum illum Cyrillum, quum dicit unam naturam Sermonis incarnatam, hoc ipsum indicare G velle. A pluribus audiebam denique, Romanos exemplo Nestorij duas naturas separatas statuere, quamobrem vnius naturæ vocem vehementer propugnantes, pro SEPARATIS naturis, VNAM reponebamus. Interim mente sic sentiebam, & sentio, quemadmodum ipse nobis declarasti per eas demonstrationes, quas ex divinis litteris contexebas. Itaque si nunc aliud caput habes, adiicito: vt etiam de illo, si videbitur, colloquamur. THEORIANVS. Ergo rursus ex epistola tua legere pergemus. GENERALIS. Age vero.

Quum igitur legeremus, ad eum locum venimus, vbi scriptum erat: Habitavit in utero virginis novem mensium & quinque dierum spatio. Dixit ergo THEORIANVS. Vnde quæso id habes, quod novem mensibus & quinque diebus habitaverit in castissimæ Virginis vtero? GENERALIS. Accepimus à doctoribus nostris, primigenia quinque diebus in matrum suarum alvo diutius existere, quam fœtus non primigenios, atque huic opinioni fidem conciliant ex illo sapiente Salomone, de se ipso dicente: Decem mensium spatio defixus in corpore fui: H quibus verbis hoc indicare vult, quod non modo novem mensibus in utero matris suæ fuerit, sed etiam decimi partem aliquam cœperit. Noster igitur Emanuel, tanquam fœtus primigenius, par temporis spatium in utero matris exegit. THEORIANVS. Salomon Hebræorum more tempora metiens, decem mensium spatio se in corpore defixum fuisse dicit, quippe menses Hebræorum minores sunt nostris mensibus.

Nam secundum Lunam menses suos dimetiuntur, adeóque Lunæ principium faciunt: ac vicissim Lunæ finem, mensis sui finem. Nunquam vero Luna dies xxx. vel xxxi. instar nostrorum mensium habet, itaque iuxta numerum Hebræorum mensium Salomon dixit; Decem mensium spatio defixus in corpore.

*[Margin notes:]* Aptissimũ aliud exẽplũ. — * Vel personales. [illegible] in Christo voluntates non fuerunt personales sed naturales. — Quid voluntas naturalis. — Quid arbitriũ & electio. — Actiones Christi duplices. — Nova quæstio quot mẽsibus in utero virginis Mariæ Christus mãserit an decẽ eo paucioribus. — Menses Hebræi. — S[illegible] do apta

Cæterum

Cæterum lumen illud orbis, Ioannes Chrysostomus, in oratione de nativitate Domini nostri Iesu Christi, qua etiam clare demonstrat, quando natalis Servatoris celebrandus sit, cuius quidem orationis hoc est exordium: quæ olim patriarchæ parturiebant, prædicebant vates, iusti videre desiderabant; ea nunc evenerunt, hodiéque consummata sunt: sub huius igitur orationis medium Chrysostomus ait: Quum Ioannem Elisabetha sextum iam mensem in utero gereret, Mariæ conceptio principium habuit. Hinc iam cognito conceptionis Mariæ principio, novemque mensibus à conceptione numeratis: quando pepererit, sciemus. Non menses novem & dies quinque dicit, uti tua sanctitas scripsit. GENERALIS. Nos orationem illam Chrysostomi non habemus, at enim hoc emendatu facillimum fuerit, itaque missum id faciamus, & sequentia videamus.

Vlterius ergo legentes epistolam, ad caput de festis pervenimus, in quo hæc erant verba: Quod nativitatis & baptismi festum uno eodemque die celebramus, id recte fieri multis testimoniis docemus. Primum omnes Ecclesiæ sic factitabant, inde usque ab Apostolis. Altera ratio, quod Evangelista Lucas id testatur, quippe commemorat, in festo propitiationis, quod est mensis Tisronis die x. hoc est, XXVII. Septembris: quo Zacharias pontifex templum ingressus fuit, & suffitum fecit & Angelum adspexit. Ad hæc THEORIANVS. Vnde constat, ait, diem x. mensis Tisronis esse XXVII. Septembris? GENERALIS. Ex Hebraico. THEORIANVS. Quinam ex Hebraico? atqui menses Hebræorum nostris mensibus non respondent: nec ipsorum mensibus, nostri, quod sane manifestum est in paschate, propter id enim etiam aliquando Martio mense, aliquando Aprili Pascha celebramus, cum illud Hebraicum Pascha non sequamur. At illi nunquam à primi apud eos mensis, videlicet Nisanis, die XIV. recedunt, quemadmodum lex Mosaica præcipit, quo fit, ut qui primus apud eos mensis est, nonnunquam in eum, qui apud nos Martius dicitur, nonnunquam in Aprilem incidat, ideoque menses ordine cæteri necessario sequuntur eum, qui apud ipsos primus est: ac septimus ipsorum mensis, quo festum propitiationis apud eos celebratur, non semper in Septembrem nostrum incidit: sed est necesse, nonnunquam ut anticipet, nonnunquam accedat tardius. Vnde num ergo certus es, diem XXVII. Septembris, esse Tisronis x. GENERALIS. Sic à maioribus nostris accepimus.

THEORIANVS. Qui accepistis? per scripturam? an citra scripturam? GENERALIS. Citra scripturam. THEORIANVS. Ex iis, quæ dicta sunt de inæqualitate nostrorum & Hebræorum mensium, manifestum est, non te scire certo, an dies x. Tisronis sit XXVII. Septembris, quod quum ignores, nec Ioannis conceptionem nosti: ut scilicet eius mense sexto, reperire Domini conceptionem possis. GENERALIS. Equidem ea in re certitudinem non habeo, corrigetur tamen hoc quoque, Deo propitio, si quæ maioris momenti sunt emendata fuerint; nam ego Beati Chrysostomi orationem, qua docet, quando natalis CHRISTI celebrandus sit: (cuius ipse supra mentionem fecisti) hactenus non vidi, imò ne quidem audivi, aliquam Chrysostomi orationem eius argumenti exstare, potius intellexeram, esse quandam, de hoc orationem sancti Epiphanij, Cypri Episcopi: quam ipsam quoque non vidi. Aiunt enim Beatum Epiphanium, qui esset Hebræus natione, de literis Hebræorum, & annalium scriptore Iosepho adfirmasse, natalem Servatoris die XX. Decembris celebrandum. Cum eo consentire dicunt, & ea scripta, quæ Titus Hierosolymis Romam deportaverit, quum eam urbem caperet.

Verum non magnopere sollicitus equidem fuero de festis, aliisque consuetudinibus Ecclesiæ, modo sententiis de fide conveniamus. THEORIANVS. Quid autem de illius hymni, quem Trisagium dicimus (quod ter in eo Sancti nomen repetatur) adpendice? Num illam inexaminatam relinquemus? ut, quoniam in actis sanctæ ac universalis quartæ synodi traditur, qua forma id temporis eum illi divini patres pronunciaverint, nos eorum in illo hymno pronunciando forma contenti simus, an & argumenta promenda, probandumque, Fullonis illius appendicem ab Ecclesia pro abominabili & ridicula duci? GENERALIS. Tu vero recte, qui de Trisagio nos admonueris, quippe magnorum Ecclesiæ doctorum auctoritates invenimus, quæ soli filio hymnum illum Trisagij attribuere videntur, ac sæpe mecum illas equidem considerans, admodum anxius hæsi: adeoque arbitror, eius appendicis auctores, illis permotos auctoritatibus, eam fecisse, nosque docuisse, quoties de sancta Trinitate divinum illum hymnum canimus, nullam faciendam appendicem: at quoties eum de filio duntaxat pronuntiamus, interdum quidem addendum; Qui crucifixus es propter nos, interdum verò: Qui resuscitatus es: vel illud, Qui adsumptus es sursum: nimirum ut pro tempore mysterij, apta quoque subnectatur appendix: & illam vocem, Deus: & alteram, Fortis: & tertiam, immortalis: de Deo propter nos cruci fixo, deque mortuis suscitato, & sursum adsumpto Christo Deo nostro intelligamus. THEORIANVS. Sequitur ergo, ut quum pronuntiatis hunc hymnum cum appendice, filium ter sanctum appelletis. GENERALIS verò, nam recte facimus eum non modo ter sanctum, sed millies sanctum appellantes: quemadmodum magnus ille Athanasius in oratione de carnis adsumptione Trinitateque loquitur: Non ter modo sanctus, inquiens, sed infinite sanctus, & omnem supra sanctitatem positus. THEORIANVS. Patrem verò, sanctumve spiritum, ter sanctos non dicitis? GENERALIS. Non. THEORIANVS. Et unde profecta est isthæc distributio, ut vel soli filio hymnus hic tribuatur, vel toti Trinitati: non autem vel patri soli, vel soli Spiritui sancto? GENERALIS. Sic a sanctis hominibus edocti sumus. Nec longe abiuerimus. Magnus ille Athanasius in oratione de carnis adsumptione ac Trinitate, cuius supra mentio facta est huiusmodi profert: Vidimus eum, nec speciem, nec pulchritudinem habebat. Nam antea viderat eum in divina gloriosáque forma, sedentem in alto sublimique solio: quum Seraphi maiestatem eius verbis hisce concelebrabant: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Sabaoth, postea verò videt eum adsumpta servi forma, similem hominibus factum. Videtur divinum hunc virum soli filio videri ter sanctum illum hymnum attribuere: Quum, inquit, Seraphi maiestatem eius verbis hisce concelebrabant: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Sabaoth, postea verò videt eum adsumpta servi forma, similem hominibus factum. Quin & S. Epiphanius in oratione de sancta Deipara, similia dicens: Beata, inquit, inter mulieres quæ sermonem ex te incarnatum peperisti: sermonem illum, qui patris est filius: sermonem, qui Deus sæculis prior: sermonem, qui expers est principij, & æternus: sermonem, qui eiusdem est substantiæ cum inseparabili Trinitate: sermonem, qui cum Patre ac Spiritu sancto adoratur; sermonem, qui consors est solij paterni: sermonem qui Cherubis insidet: sermonem, quem illæ quadriformes bestiæ verbis hisce concelebrant; Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Sabaoth. Plenum est cœlum & terra maiestate ipsius. Videtur ut & ille soli filio ter sanctum hymnum attribuere videatur? ait enim: Quem illæ quadriformes bestiæ verbis hisce concelebrant: Sanctus, Sanctus, Sanctus &c. Quin & beatus ille Chrysostomus in oratione de benedicto, cuius initium, Dominum miraculis in miracula: verbis his eadem dicit: Hodie rex maiestatis in terra sic concelebratur, uti vates descripsit: & lætitiæ cœlestis participes terrigenas facit: ut ostendat amborum se Dominum, qui utrinque consona voce

A

*Respondet Theorianus adductis auctoritatibus.*

concelebretur. Propterea superi quidem illi salutem istam in terris indicantes canebant: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Sabaoth plena est universa terra maiestate ipsius: inferi verò cum lætitia cœlesti celebrationem suam coniungentes, clamabant: Hosanna filio Davidis. Vides hæc tria magna Ecclesiæ lumina videri filio soli ter sanctum illum hymnum attribuere? THEORIANVS. Benedictum abs te, videri, non enim attribuunt, sed attribuere videntur, videntur autem, sed quibus obsecro? Qui penetrare ad profunditatem sententiæ magnorum istorum divinorumque hominum nequeunt. Quum Seraphi maiestatem eius concelebrabant, inquit eximius ille Athanasius: sed non ait: Solum concelebrabant, absque Patre ac Spiritu sancto, quippe si totam Trinitatem concelebrabant, necessario scilicet concelebrabant & filium, quapropter rectè dixit Athanasius; Quum Seraphi eum concelebrabant. Sic & sanctum Epiphanium & Beatum illum Chrysostomum, & cæteros sanctos homines, quoscumque talia scribentes repereris, intelliges. Fuerit autem res tota perspicua per exemplum, hoc modo. Mulier quædam, non regio prognata genere, imò nec illustri quidem admodum filiam venustissimam habuit: forma, pudicitia, prudentia mulieres eius temporis universas superantem. Eam videns imperator omnibus præditam fœmineis virtutibus, ac sinceris quidem, miniméque fucatis: uxorem sibi accepit, & imperatoria, pro more, corona redimivit. Appetente vero tempore, quo urbs universa faustis vocibus Augustis acclamare consuevit: quidam matri Augustæ. Veni, ait, ut filiam tuam ab urbe tota faustis excipi acclamationibus, audias. Tum GENERALIS intercupto Theoriani sermone: Intelligo, inquit, quid dicere velis, quando illæc acclamatio fausta, communis est Augusto cum Augusta: rectè quis dicere potest, quòd qui Filium, Patrem quoque concelebrent, & Spiritum sanctum. Hæc enim omnia tam simul, quam seorsum enunciata, vera sunt: modo solius vox non adiiciatur.

B

*Exempli notatio.*

THEORIANVS. Liberasti nos molestia, sanctissime Domine, nimirum sequitur Seraphos non filio duntaxat hymnum illum ter sanctum cecinisse: sed universæ Trinitati. Propterea non addendum est illud; Qui crucifixus est: nec alia quæpiam appendix. Quinquam & aliunde probari potest, magnum illum Epiphanium non de solo filio ter sanctum hymnum intellexisse: idque de verbis dicti eius, antea positis. Ait enim: Sermonem, qui consors est solij paterni: sermonem, qui Cherubis insidet. Certè non hoc vult, non solum filium Cherubis insidere, sine Patre ac Spiritu sancto, nam antea solij paterni consortem dixit, idem de concelebratione maiestatis intelligendum. Communis est sessio, communis celebratio. Nec parum nobis ad hunc sensum & illud confert, quod in Actis Evangelista Lucas in extremo scribit. Ait enim Paulum hoc verbum protulisse: Rectè Spiritus sanctus per Esaiam vatem loquutus est ad patres nostros hisce verbis: Vade ad populum hunc & dicito: Auribus audietis, & non intelligetis: videntes videbitis, & non perspicietis, &c. Quid ergo? Solumne Spiritum sanctum dicemus in alto sublimique solio confidentem, Esaiæ vati præcipere: Vade ad populum hunc & cætera, quoniam Beatus Paulus sancti duntaxat spiritus meminit? an Patrem quoque cum filio? GENERALIS. Hoc iam solutum est, nec quidquam dicendum amplius. THEORIANVS. Deinceps videamus, quid in epistola tua de unguento perscripseris. GENERALIS. Recte dicis, fiat.

C

D

Itaque caput de unguento legentes, hæc scripta reperimus. Rursum præcepit ipsa scriptura, ut iis oleis holerum, quæ sesaminum vocant, unguentum nostrum conficiatur, non ex olivarum arboribus, atque hoc re ipsa verum est. Causa rei est hæc, quod in Armeniorum regione non sunt oliveta ab aeris in ea regione frigus, itaque necessitas ipsa flagitat, ut oleum illud, quòd in ipsa regione reperitur, ad usum unguenti adhibeatur, qua in re nullum, ego spirituale delictum video. THEORIANVS. Miror Domine, cur ad Imperatorem hoc perscripseris, nam plurima hic oliveta video, & quidem olei satis. GENERALIS. Verum ista unguenti confectio principium habuit ad orientis plagam intimam, ubi nulla sunt oliveta: indéque nos acceptam servamus hactenus.

E

*Disputat. de unguento quod ex oleo debeat fieri.*

Deinde capitis eiusdem parte proxima perlecta, sic scriptum invenimus. Sicut vinum sanguinis Christi materies est, & cuiuscumque sit coloris recipi debet: sive nigrum, sive rubrum, sive album vinum fuerit: quoniam per ministerium sacrificatur, & Christi fit sanguis. THEORIANVS.

Exemplum hoc tuum parum ad ipsam rem quadrat, non enim de coloribus nobis est quæstio: sed de subiecto, sive materie. Nosti enim, diversis ex arboribus vinum fieri. Nam ex pomis, & cerasis, & aliis fructibus, & herbis quoque conficitur: sed ad hoc sacrificium non adhibetur, nisi duntaxat ex vite factum. Sic & de oleo, fit ex lauro, iunco odorato, & aliis multis oleum: sed à sanctis patribus oleum olivæ cæteris est prælatum, atque hoc cuilibet cognoscere licet, tam ex sancto Dionysio Areopagita, quam aliis sanctis hominibus non paucis. Nec minoris est momenti argumentum, quod ex ipso nomine contexitur, quippe si simpliciter oleum dicatur, ex oliva factum intelligitur, at quum laurinum, vel iunceum, vel sesaminum, & huiusmodi alia... Quemadmodum enim si navim dicam, factam de lignis, clavis, & pice non dicitur navis lapidea; sed si navim lapideam significare velimus, lapideam adiicimus; absque qua appendice nunquam ex sola navis appellatione, lignea navis intelligetur: eodem modo statuendum de oleo & oleo sesamino. Quapropter oleum absque appendice dicentes, ex oliva factum significant. GENERALIS. Hoc quoque correctu facillimum fuerit.

F

*Vinum ex vite natum tantùm locum habet in sacrificio Missæ.*

His ita dictis, sacerdotes eius psallere cœperunt hymni vespertini seriem extra Ecclesiam, de more ipsorum. Et THEORIANVS. Cur extra Ecclesiam sacerdotes tui stant, ait, quum psallunt? GENERALIS. Scriptum est: In omni loco dominij eius.

G

*De statione intra Ecclesiam disputat. nobilissima de loco ad orandum idoneo.*

THEORIANVS. Similiter scriptum est: En celebrate Dominum omnes servi Domini, stantes in domo Domini. Et rursus: In Ecclesiis Deum celebrate, & alia sunt infinita eiusmodi. Sed interrogo, unde hoc accepistis? GENERALIS. Doctores nostri, qui seriem & ordinem rerum Ecclesiasticarum nobis tradiderunt, solam divinam administrationem intra sacrum templum perficiendam statuerunt, ingrediente solo pontifice, reliquo populo foris stante: cætera fieri extra templum debere, nec id citra rationem ordinarunt. Nam valde veteribus nova præstant, ut umbræ veritatis, quippe mactatur intus Dei filius pro totius mundi salute, maioremque reverentiam exhibere nos templo nostro quam illi apud Hebræos, par est. Etenim illi, si puri essent, in id sanctum ingrediebantur, quod mundi vocabant; non tamen in tabernaculum, quod sanctum sanctorum dicebatur, & umbra sacri apud nos templi erat. Nos verò toti coinquinati sordibus, quo pacto sanctissimum Dei templum ingrediamur? quòd quum Doctores nostri non ignorarent, ita fieri debere statuerunt.

H

*Cur Græci extra templum non in templo orandum existimaverunt.*

THEORIANVS. Doctores vestri, qui hæc ordinarunt, contraria statuisse videntur illis trecentis decem & octo sanctis ac divinitus gubernatis patribus, qui Nicææ convenerunt. Etenim illi sic in decimo Canone ad verbum aiunt: De iis, qui fidem Christianam citra coactionem, & facultatum ademptionem deseruerunt, aut absque periculo, vel eiusmodi quopiam, quod durante Licinij tyrannide contigit; visum est sanctæ Synodo: tametsi humanitatem nullam mereantur,

*Nicæna synodus.*

A benignè ut tamen cum eis agatur. Quotquot ergo verè pœnitentiam agunt, tres annos inter audientes exigent fideles, & annos septem inferioris erunt ordinis, & biennio citra * oblationem cum populo precabuntur. Vides tam fœde lapsis à Canone præscribi, tres tantum ut annos auditores sint, hoc est, extra Ecclesiam stent in * Ferula, sacrásque literas audiant. Tui verò sacerdotes semper inter auditores hærent.

* Id est, perceptionem sacramentorum.

* locus, ubi stabant qui erant veluti sub ferula.

Quod deinde canon ulterius? Et septem, inquit, annis erunt ordinis inferioris; hoc est, Ecclesiam quidem ingredientur, sed in parte * ambonis postica stabunt, & cum catechumenis exibunt. Annos denique duos fidelibus adstabunt, & cum eis precabuntur: non tamen sacramentorum quoque perceptionem impetrabunt, donec biennium præterierit. Si ergo constricti excommunicationis pœna, templum tamen ingrediuntur. GENERALIS. Nunquam animum isti canoni hactenus adverti, tuæ quidem orationi plurimum momenti affert. Sed de his esse solliciti non debemus, modo circa fidem ut dixi, consenserimus.

* hoc est, suggesti.

B THEORIANUS. His igitur in præsentia dimissis, definitionem quartæ Synodi, si placet, inspiciamus: quam hesterna die tibi obtulimus. GENERALIS. Ita fiat. Lubet enim de vocibus quibusdam, in ea positis, interrogare. Sed prius utrumque librum inter se conferamus, & videamus, an sibi respondeant: deinde quæramus de iis, in quibus hæremus.

## SANCTI IV. CONCILII *definitio.*

C Sufficeret quidem ad perfectam pietatis cognitionem & confirmationem, hoc eruditum ac salubre divinæ gratiæ Symbolum, quod & perfectam de Patre, & Filio, & Spiritu sancto doctrinam tradit, & incarnationem Domini fideliter excipientibus exhibet: sed quando illi, qui prædicationem veritatis abolere conantur, per suas hæreses novas quasdam doctrinas pepererunt, aliis susceptæ propter nos administrationis Dominicæ mysterium corrumpere audientibus, & Deiparæ vocem Virgini tribuendam negantibus, aliis confusionem & commistionem introducentibus, & unam esse carnis divinitatísque naturam stulte comminiscentibus, adeóque per hanc confusionem monstruose statuentibus, diuinam unigeniti naturam esse passibilem: ea propter hæc sancta, magna, & universalis Synodus, eos ab omni contra veritatem machinatione volens excludere, doctrinámque traditam antiquitus immotam adserens, ante omnia statuit, ut sanctorum trecentorum novemdecim Patrum fides inconvulsa permaneat. Ac propter eos quidem, qui

D Spiritum sanctum oppugnant, doctrinam de substantia Spiritus à sanctis illis centum quinquaginta Patribus, aliquot post annis in Augusta urbe congressis, traditam confirmat; quam illi universis notam fecerunt, non quasi quiddam adferentes, quod prioribus deesset: sed suam de Spiritu sancto sententiam adversus illos qui potestatem eius abolere conabantur, sacrarum literarum testimoniis illustrantes: propter eos verò, qui sacramentum Dominicæ dispensationis falsariorum more corrumpere tentant, & impudenter purum hominem esse nugantur eum, qui de sancta Virgine Maria procreatus fuit; Beati Cyrilli qui Alexandrinæ pastor Ecclesiæ fuit, synodales ad Nestorium & Orientales Episcopos litteras sibi consentientes amplexa est, tum ad Nestorianæ dementiæ confutationem, tum ad interpretationem pro iis institutam, qui pio zelo symboli salubris intellectum desiderant, atque his epistolam quoque beatissimi sanctissimique Archiepiscopi Leonis, illius maximæ Romæ præsidis, ad sanctæ memoriæ Flavianum Archiepiscopum, evertendæ depravationis Eutychianæ causa scriptam, veluti magni illius Petri confessioni convenientem,

* id est, Constãt.

E & columnam quandam rectæ sententiæ publicam, adversus malarum opinionum auctores ad orthodoxa dogmata stabilienda, merito coniunxit. Nam & iis hæc opponit sese, qui sacramentum dispensationis in duos filios distrahere nituntur; & eos cœtu sanctorum expellit, qui passibilem dicere divinitatem unigeniti audent; & iis resistit, qui in duobus Christi naturis commistionem vel confusionem excogitant, & eos exterminat, qui sumptam de nobis servilem formam, cœlestem esse, vel alterius cuiusdam substantiæ delirant; & eos, qui duas quidem Domini naturas ante unionem fabulantur, unam verò post unionem fingunt, anathematizat.

Sequentes ergo sanctos illos patres universi consona voce unum & eundem filium Dominum nostrum Iesum Christum confitendum esse docemus: eundem in divinitate perfectum, & eundem perfectum in humanitate: vere Deum, & eundem verè hominem, ex

F participe rationis anima corporéque constantem: eiusdem cum patre substantiæ, secundum divinitatem, & eundem nobiscum eiusdem substantiæ, secundum humanitatem: similem nobis per omnia, excepto peccato: ante sæcula quidem ex patre genitum, quoad divinitatem, extremis verò diebus eundem propter nos, & salutem nostram, natum ex Maria virgine Deipara, secundum humanitatem: unum & eundem Christum filium Dominum, unigenitum, qui duabus * ex naturis citra confusionem, mutationem, divisionem, separationem agnoscitur; nequaquam naturarum discrimine propter unionem sublato, sed utriusque naturæ proprietate salva potius, & in vnam personam unamque hypostasin coeunte non in duas personas discerptum, vel divisum; sed unum & eundem filium unigenam, Deum sermonem: Dominum Iesum Christum: sicut olim vates de ipso, & ipse nos Dominus Iesus Christus erudit, & symbolum illud Patrum nostrorum tradidit: His ergo cum omni undique accuratione diligentiáque à nobis sancitis, sacra & universalis synodus decrevit, nemini fas esse fidem aliam

* al. in naturis.

G proferre, vel in litteras referre, vel componere, vel amplecti, vel alios docere. Si qui verò fuerint ausi fidem aliam vel componere, sive proferre, vel docere, vel aliud iis symbolum tradere, qui de Paganismo, sive Iudaismo, sive secta quacunque veritatis ad agnitionem se convertere volunt: eos, si fuerint Episcopi vel clerici, tam Episcoporum, quam clericorum ordine removet, sin monachi, vel laici fuerint, anathemati statuit esse subiectos.

Posteaquam Concilij decretum recitatum fuisset, atque liber Armenicus Romano respondere deprehensus, satis essent denique declaratæ concilij voces, sanè tolerabiles, quæ Generali visæ fuerant obscuræ: Theorianus hisce Generalem verbis compellabat: Vides sanctissime Domine, sacrum illum cœtum. D C. X X X. divinorum Patrum, in oppidó Chalcedonensi

H congregatorum, non modo nihil extra dogmatum rectitudinem vel loquutum esse, vel sensisse: sed ne una quidem peregrina voce ad huius divini decreti expositionem usum. Nam fidem patrum se maiorum ætate retinuit, & ipsa quoque verba. Ostendam verò tibi, si placet, ex quibus antiquioribus Sanctis patribus hi beati patres vocem quamlibet huius decreti sumpserint. Complures quidem certè de Cyrilli commentariis usurpatæ sunt, quem vos magis, quam alios, sequi decrevistis.

GENERALIS. Perlubenter id quidem audiemus, si dicere tibi libuerit.

THEORIANUS. Si dicere non libuisset, non promisissem, verum per incisa singula concilij decretum recitetur, & ad quodlibet incisum decreti dictum illius à quo sumptum est adiiciatur.

EX DECRETO. Sequentes ergo sanctos illos patres, universi consona voce unum & eundem filium, Dominum nostrum Iesum Christum confitendum esse docemus.

A

*CYRILLI, ex I. ad Successum epistola.*

Edocti sumus à scriptura sacra, sanctisque patribus, ut unum filium & Christum confiteamur.

*EIUSDEM, ex epist. ad Eulogium.*

Nos unitis hisce, Christum unum, eundem unum filium, unum Dominum confitemur.

Ex decreto. Eundem in divinitate perfectum, & eundem perfectum in humanitate.

*CYRILLI, ex epistola ad Ioannem.*

Idem perfectus in divinitate, ac perfectus idem in humanitate.

B

*EIUSDEM, ex epistol. ad August.*

Praeterea si hoc quoque prius attester, rectè me facturum arbitror, quemadmodum enim perfectus est in divinitate genitus ille de patre sermo, sic & in humanitate perfectus est, secundum ipsius humanitatis rationem: nec expers animae corpus adsumpsit, sed animatum potius per animam rationis participem.

Ex decreto. Verè Deum, & eundem verè hominem, ex participe rationis anima corporéque constantem: eiusdem cum patre substantiae, secundum divinitatem, & eundem nobiscum eiusdem substantiae, secundum humanitatem: similem nobis per omnia, excepto peccato; ante saecula quidem ex patre genitum, quoad divinitatem; extremis verò diebus, eundem propter nos, & salutem nostram, natum ex Maria virgine Deipara, secundum humanitatem.

C

*CYRILLI, ex epistol. ad Ioannem.*

Deum perfectum, & perfectum hominem, ex anima participe rationis & corpore constantem: ante saecula quidem ex patre genitum, quo ad divinitatem; extremis verò diebus eundem propter nos, & salutem nostram, natum ex Maria virgine, secundum humanitatem: eiusdem cum patre substantiae, secundum divinitatem, & eundem nobiscum eiusdem substantiae, secundum humanitatem.

Ex decreto. Unum & eundem Christum, filium, Dominum, unigenitum qui duabus in naturis citra confusionem, mutationem, divisionem, separationem agnoscitur.

*CYRILLI, ex I. ad Successum epistola.*

D

Itaque modum adsumptionis humanae naturae animo considerantes, naturas duas coivisse per unionem videmus, citra divisionem, confusionem, & mutationem: Caro enim caro est, non divinitas, licet Dei caro facta sit: similiter & sermo Deus est, non caro; licet dispensatione quadam carnem propriè suam fecerit.

*EIUSDEM, ex eadem epistola.*

Duas naturas esse dicimus, unum verò Christum Iesum, Dominum Dei sermonem incarnatum.

*EIUSDEM, ex epistol. ad Nestorium.*

Nec carnem dicimus in divinitatis naturam esse conversam, nec ineffabilem Dei sermonem in naturam carnis translatum. Est enim incommutabilis & inalterabilis, semper idem manens, secundum scripturas.

E

*EIUSDEM, in epist. ad Eulogium.*

Sic & in causa Nestorij, quamvis duas naturas, discrimen carnis & sermonis significans, dicat: (nam alia natura sermonis est, alia carnis) unionem tamen nobiscum non confitetur. Nos enim his unitis, unum Christum, unum filium, unum Dominum confitemur.

Ex decreto. Nequaquam naturarum discrimine propter unionem sublato.

*CYRILLI, ex epist. ad Nestorium.*

Non tanquam naturarum discrimine sublato propter unionem.

F

Ex decreto. Sed utriusque naturae proprietate potius salva.

*CYRILLI, ex II. ad Successum epist.*

Licet enim unus à nobis dicatur unigenitus Dei filius incarnatus, & homo factus: non tamen ideo commistus est, de ipsorum opinione, nec vel natura sermonis in naturam carnis transiit, nec carnis natura in naturam sermonis: sed utroque in sua proprietate manente simul ac intellecto, secundum expositam à nobis modo rationem.

Ex decreto. Et in unam personam, unamque hypostasim coëunte.

*CYRILLI, ex epist. ad Ioannem.*

G

Et tanquam in una persona unitis. Unus enim Dominus Iesus Christus, tametsi naturarum discrimen non ignoratur.

*EIUSDEM, ex II. ad Nestorium epist.*

Uni ergo personae omnes in Evangelio voces attribuendae sunt unique hypostasi sermonis incarnatae. Christus enim Iesus Dominus est, secundum scripturas.

Ex decreto. Non in duas personas discerptum, vel divisum: sed unum & eundem filium unigenam, Deum sermonem, Dominum Iesum Christum.

*CYRILLI, ex epist. ad Successum.*

Non in duas personas filius discerpitur: sed mansit unus & idem Dominus Iesus Christus.

H

Ex decreto. Sicut olim vates de ipso, & ipse nos Dominus Iesus Christus erudiit, & symbolum illud patrum nostrorum tradidit.

*CYRILLI, ex epist. ad Nestorium.*

Sic sanctos sensisse patres inveniemus. Ex decreto. His ergo cum omni undique accuratione diligentiáque à nobis sancitis, decrevit sacra synodus nemini fas esse, fide aliam proferre, vel in litteras referre, &c.

*CYRILLI, ex Ephesina Synodo.*

His ergo recitatis, decrevit sacra Synodus, nemini fas esse, fidem aliam proferre, &c. Theorianus. Vides, sanctissime Domine sacram hanc synodum Chalcedone habitam, à recta patrum sententia ne paullum quidem recessisse: sed ipsa verba cum mente verborum retinuisse? Generalis. Equidem in hoc decreto nihil invenio, quod orthodoxae fidei

adverse

adversetur: adeoque miror, quî factum sit, ut nostri maiores impudenter ad id calumniandum progrederentur. THEORIANVS. Apponamus, si placet, eorum quoque patrum auctoritates, qui partim ante Cyrillum, partim post eum illustres extiterunt, tam verbis quam sententiis sanctæ Chalcedonensi respondentes. GENERALIS. Id verò supervacaneum fuerit, quippe Cyrilli supra recitatæ auctoritates sufficiunt. THEORIANVS. Videamus ergo, si placet, quot & qualibus sectis divinum hoc decretum sese obiiciat. GENERALIS. Id verò præclarum fuerit intueri, ne quid eorum nobis desit, quæ deinceps eius stabiliendi causa proferri debent. EX DECRETO. Vnum & eundem filium, Dominum nostrum Iesum Christum, esse confitendum: universi consona voce docemus.

THEORIANVS. In his obturat os Paulo Samosateno, & Nestorio, qui hominem adorabant, & in duos filios ausi sunt eum dividere, aliumque dicere filium natura sermonem, & alium rursus filium per gratiam Christum Iesum, qui nomen filij per unionem & coniunctionem cum naturali filio sit adeptus: qui denique non confitebantur unum & eundem filium, carnis quidem expertem ante descensum & hominis assumptionem e incarnatum verò eundem post descensum, & hominis assumptionem nostri causa factam. EX DECRETO. Eundem in divinitate perfectum, & eundem perfectum in humanitate. Quum in divinitate perfectum dicit, Arianorum blasphemiam reiicit. Nam illi Deum quidem esse Christum dicunt, sed imperfectum & patrem minorem Deum tradunt. Quum autem inquit; Et eundem perfectum, in humanitate: non Arianorum modo, sed Apollinaristarum quoque dementiam refutat. Arius enim nugatur, sermonem assumpsisse carnem omnino inanimam: Apollinaris autem, animatam quidem carnem, sed mentis expertem: quo fit: ut imperitè ambo imperfectam Domini humanitatem tradant. EX DECRETO. Vere Deum, & eundem vere hominem. Hæc propter Manem posita sunt, qui eum purum fatetur Deum, non etiam hominem: & propter Paulum Samosatenum, & Artemam, qui divinitatem eius pernegant, purum hominem confitentes.

EX DECRETO. Ex participe rationis anima, corporeque constantem. Hic rursus Appollinarim oppugnat, qui Dominum nostrum Iesum Christum non dicebat animam habuisse mente præditam; sed dumtaxat vitalem: itemque Manem & Valentinum: incarnationem eius negantes. EX DECRETO.

Eiusdem cum patre substantiæ: secundùm divinitatem. Hoc propter Eunomium & Arium, qui unigenam illum sermonem diversæ à paterna substantiæ, & creaturam, & mancipium, impiè prædicabant. EX DECRETO. Et eundem nobiscum eiusdem substantiæ, secundum humanitatem. Hoc propter Marcionem, & Manem, & Valentinum, qui eum per opinionem ac phantasiam dumtaxat aiebant hominem apparuisse, non reipsa, & naturaliter hominem factum confitebantur. EX DECRETO. Ante secula quidem ex patre genitum, quoad divinitatem. Hoc propter Simonem, & Eunomium, & Arium, qui generationem ipsius ex patre factam ante secula, negabant. EX DECRETO. Extremis verò diebus eundem propter nos, & salutem nostram, natum ex Maria Virgine Deipara, secundùm humanitatem. Hoc propter Photinum, & Theodorum, & Diodorum, & Nestorium, qui existendi principium ei dant ex Virgine, ac tradunt eum hominem esse, qui ob virtutem profectu quodam & incremento sit deificatus; non Deum de Deo, qui amore generis humani citra mutationem homo factus sit. EX DECRETO. Qui duabus in naturis citra confusionem, mutationem, divisionem, separationem agnoscitur; nequaquam naturarum discrimine propter unionem sublato, sed utriusque naturæ proprietate potiùs salua, & in unam personam unamque hypostasin coeunte. Ista propter Nestorium, & Apollinarim, & Eutychem, qui naturas diversas, Sermonis, inquam, & carnis eius, unam naturam absoluisse dicunt, amissa scilicet singularum proprietate: quo fit, ut secundùm ipsorum doctrinam, non amplius in Christo vel esse passibile quidquam statuere possimus, propter divinitatem ipsius, passionis expertem; vel quidquam impassibile, propter ipsius humanitatem, passioni obnoxiam. His ita recitatis & declaratis, Generalis & Theor. inquit: Equidem post recitationem huius decreti nihil in eo deprehendi quod orthodoxæ fidei repugnet, sicut & pridem fassus sum, miror etiam, qui factum sit, ut nostri maiores impudenter ad id calumniandum progrederentur. Sed arbitror propterea, quod hæc sancta universalis, magnaque synodus, adversus plures se sectas obiiciat, ut indicatum est, multos adversus eam ab hoste salutis humanæ calumniatores fuisse suscitatos, pro multis illis vulneribus, quæ ad cor ipsum ei sunt à synodo inflicta. Rectissimum sanè decretum est, uti quod à Spiritu sancto per tot talesque sanctos patres dictatum fuerit, quippe nulla synodus tam frequentem sanctorum Patrum collectorum numerum habuit. Cæterùm modo tibi quiddam apertum, quod hactenus vulgo proditum non fuit. Ante CC. annos quidam generalis Armeniorum fuit cui nomen Ioannes, vita doctrinaque magnis sanctisque patribus par, & qui disciplinas exteras universas, adeoque philosophiam ipsam non summatim attigisset; vita quidem divina haud scio an omnibus, plurimis certè præivit dignus habitus, tam vitæ, quàm doctrinæ gratia, qui hoc sacro gradu solioque Generalium potiretur. Hic divino repletus zelo, contra * Monophysitas ruebat, & toto eis propemodum Episcopatus sui tempore tam scriptis, quàm lingua infligere vulnera non desijt: cuius & sacram memoriam honorificè pieque celebramus. Huius divini beatique viri commentarius est apud me, quem contra Monophysitas scripsit pluribus scripturarum testimoniis, & enthymematis, & valentibus syllogismis, & notionibus communibus, & demonstrationibus refertus. Eum beatæ memoriæ Generalis Gregorius, qui non multo ante me illustris in hoc solio fuit, ita confirmavit, ut eius in extremo hæc verba præscriberet: Sic & ego credo, quemadmodum sanctissimus Generalis Ioannes hic scripsit; & ita non credentes, anathematizo. Ac legamus sanè paulum ex eo, si placet, ut hunc virum agnoscas, veluti leonem ex unguibus. Theorianus. Equidem hoc scriptum lubentissimè audiam.

Quum ergo recitatum fuisset procemium, Theorianus ad Generalem: Obsecro, inquit, eximiam sanctitatem tuam, ut hic liber describatur, ac mihi tradatur: quo Græcum factum habere in * Romania possimus, ad honorem patris ipsius, utque per eum auctor à nobis ipse celebretur. Generalis, perplacet.

Itaque descriptus & nobis traditus est, qui eum ad urbem * Augustam deportavimus.

Secundùm hæc Generalis ita nos compellabat. Beatus Paulus inquit; Optarem ipsemet esse à Christo anathema, pro fratribus meis, cognatis mihi, quod carnem attinet, dumtaxat ut ipsi salutem adipiscerentur. Idem ego de mea gente dico, & quandoquidem bonus pastor etiam mori debet pro suis ovibus, omnem machinationem atque studium adhibeo, & omnibus omnia fiam; ut omnes, aut aliquos omnino servem: quo & ipse dicere possim: En ego, & liberi, quos Deus mihi dedit. Quo autem modo sim id facturus, audi. Ab hodierno die scribere litteras ad Armeniorum Episcopos ubique gentium incipiam, quibus eos ad Synodum invitabo. Ea quum habita fuerit, in medium proponam auctoritates omnes, quotquot Armenij habent, & pro ipsis esse videntur. Proponam & illa sacrarum litterarum testimonia, quæcunque tu mihi protulisti. Ac primum quidem ero ex parte Armeniorum, contra vos disserendo contendens: deinde paulatim, ac pedetentim, nec sine multo consilio, convenienti & tempore & modo, detegere incipiam Armeniorum errorem, qui hactenus obtinuit: Re-

* qui unam in Christo naturam credunt.

* sic adpellabatur imperiũ orientale

* Constantinopolim.

Rom. 10.

A dargnam eos & de libro sanctæ memoriæ Ioannis illius Generalis Episcopi, quem librum tibi descriptum obtuli: de omnibus illis denique demonstrationibus, quas eruditio tua mihi suppeditavit. Ad summam, Romanus ero, proque Romanis, immo pro veritate, adversus Armenios decertabo: ac spe infallibili fretus erga Deum futurum mihi polliceor, ut oves meæ vocem meam audiant, ac me sequantur, & erimus, Deo iuvante, unum ovile, & unus pastor. Quod si ad me universi accesserint, bene erit: ac benigno Deo gratias agere non desinam: sin autem (quod evenire nolim) cum iis, qui me sequentur, & mecum consentient, veritatis doctrinam confirmabo, & ad præpotentem sanctumque nostrum Imperatorem, & sanctissimum ac universalem patriarcham, meos auctoritatis præcipuæ pontifices mittam, qui fidem orthodoxam scripto comprehensam adferent, manu mea B subnotatam, & omnium mihi subiectorum rectè sentientium Episcoporum subscriptiones continentem, quique tam voce propria, quàm per scripturam nostro nomine pariter & amplexorum veram sententiam Armeniorum, eam confirmabunt. Atque huic comprehensæ scripto fidei hoc quoque præter alia, insertum erit, nos habitam Chalcedone magnam, universalem, quartam illam sacram Synodum recipere cum iis sanctis patribus, quos ea recipit: quos autem è diverso anathemati subiicit, eos nos quoque anathematizare; nimirum Eutychem & Dioscorum, & præter hos Severum, & Timotheum Ælurum, & omnes, qui adversus eam nugas meras effutiverunt. Quotquot autem cordis oculos ad veritatis lucem clauserint, & se viris illis sanctis doctiores existimabunt æterno anathemati tradam. Deinde quum hæc omnia in urbe Augusta, synodo interveniente, corroborata fuerint, ac reversi mei pontifices: siquidem pissimus Imperator iusserit, & ipse urbem Augustam ingrediar, adoraturus & res ibidem sanctas ac veneratione dignas, & Apostolis parem ac sanctum Imperatorem, & sanctissimum patriarcham. Quibus dictis, è conaculo expulit C universos, & animo dolorem præ se ferente, plenisque lacrymarum oculis ita nos adfari cœpit.

Obsecro benignum & sanctum Imperatorem nostrum, ut postea quam mei Pontifices Constantinopolim ingressi, & hæc, quæ diximus, omnia confirmata fuerint: iubeat sanctissimum & universalem Patriarcham, ornatum pontificalibus suis, quæ gestare consuevit, quoties sacrum ministerium peragit, in *ambonem conscendere, vel in sacrum sanctum illud solium post sacram mensam collocatum, crucem sanctam manibus suis tenentem, & venerabilia ligna; audienteque toto Ecclesiæ corpore ac populo, genti Armeniorum bene precari, quæ totum prope seculum execrationi subiecta fuit: deinde curet ferias concipi preces etiam pro iis Armeniis qui obdormierunt; ut Deus, qui omnium vult salutem, profectum hoc ex ignoratione, non malitia, delictum eis remittat. Quum ergo videremus eum, hæc corde contrito, & cum gemitibus ad nos proferentem: nos quoque moti sumus ad commiserationem, totique meras in lachrymas & lamentationes soluti. Deinde cùm paulum temporis in- D tercessisset, quasique ploratus conquievisset; Theorianus dixit,

* suggestum.

Has preces tuas, Domine, præpotenti & sancto Imperatori nostro exponemus. Inde tradita nobis epistola ad piissimum, & sanctum, & Christianum Imperatorem nostrum, qua & illud complexus erat, se magnam illam, & universalem, sanctamque synodum quartam Chalcedone habitam, recipere, pacificè nos dimisit, tactuque capite nostro, bene nobis est precatus. Nos autem actis Deo pro his omnibus gratiis, Constantinopolim continuis itineribus proficiscebamur, Deum interim & collaudantes, & prædicantes, cui quidem omnis maiestas, honos, adoratio, & magnificentia, sæculis infinitis competit, Amen.

*F I N I S.*

E

# MANVELIS PATRIARCHÆ CONSTANTINOPOLITANI Responsa ad Bellæ Episcopi interrogationes.

Sacratissimvs Dyrrachij metropolita Romanus, dilectus in Domino frater, & nostræ mediocritatis comminister, nostræ hodie assidens mediocritati synodicè præsidenti cum sacratissimis suis fratribus, Cæsareæ Cappadociæ Metrophane: Sardiis Andronico: Philadelphiæ Phoca: Ponto Heracleæ Nicephoro: Smyrnæ Georgio: Methymnæ Michaële: chartam in medium ut legeretur protulit: in qua erant interrogationes piissimi Bellæ Episcopi, quærentes synodicas solutiones. Erant autem interrogationes huiusmodi. F

1. Quidam cùm per odium, aut aliam quamlibet ob causam à suis uxoribus discessissent, peregrè degentes, non revertuntur: & cùm incertum sit ubi agant, sic eorum uxores durant per quinque annos vel plures: An eas oporteat aliis coniungi viris.

2. Quidam sacerdotes in magna Quadragesima præsanctificatos divinos panes in panariis recondentes, iis deinde opera dæmonis ex septo divino subreptis à muribus, & cane ostium aperiente, vel etiam cùm sacerdos sacrificaret, & ad mensas precationes legeret, delitescens mus post oblationem, consecratum divinum corpus subripuit, Quam censuram merentur sacerdotes? G

3. Sacerdotes quidam à suis antistitibus excommunicati excommunicationem contemnunt, & sub pœnis cùm sint, ingrediuntur & sacrificant: Quonam modo sunt hi plectendi?

4. Laici cùm secundas contraxerunt nuptias, liberis procreatis post quadragesimum annum postulant ad tertias convolare, ob præexistentium liberorum educationem, & ne passim peccent: An sine reprehensione id faciant?

5. Antimensia scimus facta, postquam antistes per se operatus fuerit dedicationem, & ex panno substrato circumvolventeque mensam, in frusta dissecto & scripto, sacerdotibus dare, nec posse sine his sacrificare: Vbi igitur horum est defectus, quid faciendum, ne sine sacrorum celebratione sacerdotes maneant?

6. Quidam sacerdotes in magna Quadragesima benedictiones clàm fecerunt: quales tandem sunt nuptiæ, & quibus tenentur pœnis sacerdotes, qui sic sacras preces conceperunt? Ad has igitur interrogationes mediocritas nostra tales solutiones protulit. H

## Responsio I.

Qui ob quamlibet causam ab uxoribus suis recesserunt, & alibi degunt, excommunicationem merentur si perseverent, nec velint ad uxores reverti. Si verò incertum ubi sint, & mandato earum inquisitio processerit, præterieritque quinquennium ex quo viri disparuerunt, in bello fortè capti, aut quo alio modo de medio sublati; uxores eorum per legem non prohibentur aliis coniungi viris. Aliæ autem quarum adhuc viri supersunt, suos viros quærant.

2. Qui sic deliquerunt sacerdotes, ut præ sanctificatos panes à se factos, canes templi ostium aperientes de medio sustulerint, ad tempus in cognitione Antistitis positum, à sacrorum operatione cessent, quod diligenter non caverint. Alij autem, qui panes in oblatione per mures amiserunt, inculpati maneant (multa enim eiusmodi sæpè accidunt) qui etiam aliam oblationem mensæ apponent, oblationeque facta sacrificium perficient.

3. Excommunicati qui sacrificant, depositione sunt digni, idque in Episcopi ipsorum cognitione positum esto.

4. Qui tertiis nuptiis implicari volunt post annum ætatis quadragesimum, ut Polygamiam Christianis non convenientem quærentes, re infectâ dimittentur: Quod si etiam vim inferant, censuram subibunt.

Antimēsia.

5. Antimensia in omnibus sanctis mensis poni necesse non est, sed in iis de quibus incertum consecrata sint nec ne. Nam antimensia, consecratarum sanctarum mensarum locum obtinent: nec iis opus est ubi mensas consecratas esse constat.

Sanctæ mensæ Consecratæ. Nuptiales benedictiones in quadragesima non fiunt.

6. Sacerdotes qui in magna quagragesima nuptiales fecerunt benedictiones, si per simplicitatem id fecerint, mediocri correctione sunt digni; sin autem per malitiam & clam commiserint, maiore pœnâ, quæ antistitis iudicio irrogabitur. Ab iis autem facta connubia, ut sacrâ precatione munita, rata inconcussaque manebunt.

*Habuit illud mense Iulio indictione 8. & viridis cera sigillum.*

SANCTI PETRI

# MAVRICII

## DICTI VENERABILIS, ABBATIS CLVNIACENSIS IX. Vita, & Scripta omnia, quæ reperiri potuerunt.

*NVNC PRIMVM EX MM. SS. CODD. partim emendata, partim recens edita, studio & industria D. Martini Marrier, monasterij S. Martini à Campis Paris. Monachi & Professi, & Andr. Quercetani Turonens.*

ITEM PANEGIRICVS PETRI Pictaviensis Monachi, eidem Petro Abbati Cluniacensi dictus.

---

## SANCTI PETRI VENERABILIS Abbatis Cluniacensis vita.

*Ex Chronico Cluniacensi.*

PETRVS primus, Abbas nonus Cluniacensis, fuit electus in octavis Assumptionis beatæ Dei Genitricis Mariæ, & incepit regere anno Domini 1122. Hic PETRVS cognomento Mauritij †, ex nobilissimis Arverniæ magnatibus originem ducens ab ipsis infantiæ cunis à parentibus Deo sub Monastica observatione militaturus oblatus est, & à sancto Patre HVGONE in extremum vitæ suæ Monachali benedictione insignitus. Postea tempore domni Pontij Abbatis Cluniacensis Prior Viziliacensis factus, Ordinem strenuè rexit, Inde Prior de Domina factus, defuncto venerabili viro domno Hugone II. huius loci Abbate, à magnis famosisque, qui tunc florebant, huius loci Monachis ac personis Religiosis in universo acclamantibus Conventu, in Abbatem eligitur: & à Chrysopolitano Archiepiscopo eodem die benedicitur, cùm esset annorum circiter xxx †.

† *al.* Mauritij, *vel ut quidā volunt.* Mauriacensi.

† *al.* xxviij.

Suscepto Abbatiæ regimine, humilitatis præcipuè cultor, & sanctimoniæ magnificus & singularis custos extitit. Incessus eius gravis, sermo maturitatis, & gratiæ plenus, mores bene compositi, totus iocunda gravitate, gravique iocunditate redimitus, omnibus exemplar honestatis & monasticæ gravitatis præferebat. In suspiciendis confessionibus singularem suo tempore gratiam obtinens, in curandis occultis confitentium reatibus speciali callebat solertia: ita ut ipsum solum crederes, qui sciret curare sua, & aliena vulnera non detegere & publicare. In corripiendis apertis vitiis plus Patris exercuit quàm Iudicis, plus clementiæ quàm rigoris, plus misericordiæ quàm censuræ. Statura corporis conspicuus adeo, ut inter omnes sui temporis personas vultus venustate, membrorum positione, morum compositione præclarior extiterit.

Cum vir idem Petrus venerabilis Abbas Cluniacensis ex Hispaniis rediens in Aniciensi civitate devenisset, rusticus quidam affuit qui & serpentem corpus suum intrasse lacrymabili lamentatione deplorabat, & per singula momenta morti proximum fieri. Quod vir Dei audiens, multum condoluit; cui & dixit: O frater, inquit, hæc nostra non sunt, sed Sanctorum Dei tantùm, quia omnia possibilia sunt credenti. Ego pro te Dominum exorabo, mane autem facto, idem vir sanctus piæ promissionis non immemor, Oratorium sancti Mayoli Missam celebraturus intravit. Cùm verò de Ascensione Domini Missam celebraret, illum qui torquebatur adesse constituit. Cùm verò Evangelium legeretur, & ad illum locum devenisset, ubi dicitur, *serpentes tollent*, miser tunc os aperuit, & serpens caput emisit. Quem Pater, cunctis qui aderant stupentibus, in medium proiecit. Homo verò corruens ferè spiritum præ angustia exhalavit. Missæ verò solemnitate completa ad infirmum accessit, qui ab eo confessionem suscipiens, & cum sacrosanctis mysteriis communiens, incolumen remisit ad propria.

Scientia singulari vir vitæ Venerabilis Petrus Abbas Cluniacensis suis temporibus floruit, nullusque sibi maior fuit. Quod usque in hodiernum diem multiplicia eius scripta ostendunt, quæ in processu ipsius inseremus sigillatim, licet in his ordo servetur minimè.

Durante tempore suæ administrationis multa scripta edidit vir vitæ Venerabilis Petrus noster Abbas Cluniacensis. Nam scripsit diversas Epistolas cum tanta gravitate & stylo tam excelso, quòd alter Augustinus videatur esse in sanorum † descriptione librorum.

† *f.* sanctorum.

In, primis Epistolarum liber eius in sex libros dividitur.

Primus liber continet xxxvj. Epistolas.

Secundus liber continet LI.

Tertius liber continet VII.

Quartus liber continet XLIII.

Quintus liber continet IX.

Sextus liber continet L. inter quas inseruit Tractatum quinque Capitulorum distinctione divisum, & omnium quæ dicta sunt, vel dici possunt, argumentorum rationibus adversus Iudæorum inveteratam duritiam.

Primum Capitulum ostendit quòd Christus filius Dei sit.

Secundum Capitulum ostendit quod Christus specialiter Deus esse probatur.

Tertium Capitulum ostendit, quòd Christus, non sicut Iudæi putant, temporalis Rex, sed æternus sit & cœlestis.

Quartum Capitulum ostendit, Quòd Christus non

sicut Iudæi desipiunt adhuc venturus sit, sed iam certo & præordinato tempore, ad mundi salutem venerit.

Quintum Capitulum ostendit, & determinat de ridiculis atque stultissimis fabulis Iudæorum.

Inseruit etiam idem Petrus Venerabilis Abbas Cluniacensis librum quem edidit & scripsit contra Petrobrusianos hæreticos, qui dicebant primò pueros baptizari inutiliter, quia credere non possunt.

Secundus error erat, quia dicebant basilicas vel altaria fieri non debere, quoniam Ecclesia Dei, prout affirmabant, unitate fidelium congregatorum constaret.

Tertius error erat, quia dicebant Crucem Domini nec adorandam nec venerandam, sed magis confringendam & conculcandam esse.

Quartus error erat, quia dicebant Missam nihil esse, nec celebrari debere.

Quintus error erat, quia asserebant vivorum beneficia nihil prodesse defunctis.

Sextus error erat, quoniam dicebant Deo non esse cantandum.

Idem Iste Petrus noster Cluniacensis Abbas ipso existente in Hispaniis cum Imperatore, transtulit de Arabico in Latinum Alchoranum de lege Mahometi hæretici. Et tamen in Cluniaco scripsit fortissimè adversus prædictam sectam, Opus suum dividens in quinque Libros, qui Libri dividuntur per Capitula.

Iste Idem Petrus Cluniacensis Abbas scripsit de Miraculis quæ suis temporibus advenerunt, sive facta sunt. Et de his duo extant Libri.

In primo siquidem Libro de xxviij. miraculis determinat cum magna & Ciceroniana elegantia, non solum in his operibus, suis, verum in omnibus.

In secundo narrat xxx.

Item scripsit idem Petrus Sermones quatuor valde utiles & elegantissimos, quorum.

Primus de Transfiguratione Domini est.

Secundus Sermo de Laude Sepulchri Domini est.

Tertius Sermo de sancto Marcello Papa & Martyre est.

Quartus est inscriptus in veneratione quarumlibet Reliquiarum.

Insuper egregius ille Pater Petrus Venerabilis Cluniacensis Abbas scripsit Epistolam ad Petrum de sancto Ioanne societatis suæ veteranum, contra eos qui dicunt Christum nunquam se in Evangelius apertè Deum dixisse. Hæc Epistola utilis & necessaria, plena instructionibus quamplurimis.

Scripsit idem rythmum in laudem Salvatoris.

Rythmum de sancto Hugone.

Rythmum de S. Benedicto.

Item rythmum de Resurrectione Domini.

Fecit hymnum in honore sanctæ Mariæ Magdalenæ.

Item alium hymnum in honore matris Domini.

Fecit & Prosam de eadem Virgine Maria gloriosa.

Nunc est videndum de gloriosi Patris nostri Petri Venerabilis Abbatis Cluniacensis prudentia, erga suorum Religiosorum provisionem. Nam in libro quodam statutorum huius Monasterij Cluniacensis ab ipso edito asserit, quòd tempore suæ assumptionis in Abbatem, in ipso Cluniacensi Monasterio erant Religiosi plus quàm trescentum, sicut ipse testatur. Ipse namque ait. Notum facio igitur ego frater Petrus humilis Cluniacensis Abbas omnibus istud legentibus. Quòd quando ad hoc officium ante xxviij. annos assumptus sum, magnam quidem Ecclesiam: religiosam & famosam inveni, sed pauperrimam, magnarum expensarum, & comparatis redditibus cum expensis, nullorum penè redituum. Trecenti erant vel eo amplius fratres, nec centum de propriis sumptibus domus illa procurare valebat. Turba hospitum, semper pauperum infinitus numerus. Congregata de omnibus decanis annona vix quatuor mensibus, aliquando nec tribus: vinum undecumque collectum, nunquam duobus aliquando mensibus, nec uno sufficiebat. Panis parous niger, & furfureus. Vinum maximè aquatum, insipidum, & verè villum, præter alias & multo cum fœnore acceptas expensas. In emendo solummodo annonam & vinum, plusquam viginti millia solidorum Cluniacensis Camerarius expendebat. Has angustias ego videns, habito cum sapientibus fratribus, qui tunc vivebant consilio, prout mihi & ipsis rationabile visum est, mesatica per Decanias constitui. Et ut Conventum Cluniacensem de pane & de fabis, & earum sagimine quidam ex Decanis uno mense, quidam tribus hebdomadis, quidam quindecim, quidam octo diebus, hoc est, integro anno procurarent, ordinavi. Et ut super annuatim hæc constitutio servaretur, universorum fratrum assensu & voluntate & in Capitulo præcepi, & scripto firmavi. Hoc ita ut decretum est, multis postmodum annis servatum est.

Tempore huius beati Patris Petri Venerabilis Cluniacensis Abbatis, anno videlicet 1131. dedicatio magnæ basilicæ Cluniacensis à domno Papa Innocentio secundo facta fuit.

Anno Domini 1153. propter nimiam & effrenatam longe plus solito pessimorum raptorum malitiam, qui præcipue in res Cluniacenses furiose desæviebant, rogatu domni Petri Abbatis Cluniacensis, & amicorum Cluniacensium, dominus Oddo sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, & Apostolicæ sedis Legatus, dominus Eraclius Lugdunensis Archiepiscopus electus, cum suffraganeis Lugdunensis Ecclesiæ, hoc est Eduensi, Matisconensi Cabilonensi Episcopis: cũ Comite etiam Burgundionum Willermo, Comite Cabilonensi altero Hullelmo, Gumberto de Bello-ioco, Iocerranno Grosso, Hugone de Berziaco, Hugone de Scalciaco, & aliis Burgundiæ nobilibus non paucis, convenerunt apud Matisconem in Ecclesia sancti Vincentij. Qui tractarunt ibi circiter spatium trium dierum de negotiis, & præcipuè de pace Ecclesiæ Cluniacens. reformanda: ita quòd coram universo clero & populo civitatis prædictæ, Decretum est ab eis iam prælibatis Dominis, ut Monachi dicti & laici, & omnes res ad Cluniacum pertinentes, quæ infra terminos Araris, Ligeris, & à Rhodano fluminum continentur, additis partibus illarum terrarum, quæ infra Eduensem civitatem & castrum Canonis, quod est ultra Cabilonem, constitutæ sunt, plena & secura pace maneant. Et quicumque per dictum Cluniacum transeuntes cum ipsis & rebus ipsorum securi & pacifici permaneant & conserventur. Ita quòd prædicti domini de omnibus suis promiserunt prædictos Cluniacenses servare indemnes, tam in rebus quàm personis, etiam usque procedere contra taliter malefacientes dictis Monachis Cluniacensibus vel rebus ipsorum ad arma, & obsidenda castra vel loca, in quibus tales malefactores se retraxerunt. Et habitatores Civitatis Cluniacens. promiserunt ibidem dum hæc peragerentur, quòd quotiens essent requisiti de procedendo ad arma, cum dictis Nobilibus & Dominis, quòd irent, &c. Et etiam Prælati ex parte eorum contra tales promiserunt similiter procedere, &c.

Tempore insuper huius præfati Petri Venerabilis Abbatis Cluniacensis, anno salutis humanæ 1155. vir illustris Henricus Wintoniensis Episcopus, rogatu dicti domni Petri Abbatis, & ab Adriano Papa IV. litteris invitatus, simul etiam à Rege Franciæ Ludovico Iuniore, & omnibus ferè Burgundiæ personis & Baronibus evocatus, Cluniacum venit, eandemque Ecclesiam gravis † alieni ponderis oppressam, prudentia & expensis suis omni fere debitorum alienavit onere. Itaut tam ex persolutione debiti, quàm etiam in comparandis possessionibus, necessariis etiam rei familiaris comparandis, sicut ex ore eius auditum fuit, prolatumque ab ipso quod plusquam septem, millia marcharum argenti expenderit. Pavit enim per annum 460. Monachos tunc existentes in dicto Monasterio

† gravis alieno pondere.

A sterio Cluniacensi, ut habetur in libro Capituli dicti Cœnobij Cluniacensis. Iste Henricus Wintoniensis Episcopus fuerat olim huius Monasterij Cluniacensis alumnus & Monachus, ac nostrûm nostrique Cœnobij benefactor singularissimus suis temporibus & maximus.

Anno Domini 1171. præfatus dominus Henricus Wintoniensis V. Idus Augusti obiit.

*De religiosis & Monachis illustribus tempore Venerabilis Patris nostri Petri Abbatis Cluniac.*

SVscepit vero Cluniacensis Ecclesia, & sæpe, ut dixi, suscepit multorum & diversorum, non in terra, sed in cœlo thesaurizantium gazas. Auro igitur & topazio longe cariora Cluniacus à Leodiensi Ecclesia munera suscepit, quando magnificos viros, & summa
B cum laude ac dulcedine recolendos ad nos venientes, humili Collegio Cluniacen. copulavit. Nam à temporibus beati Patris nostri Hugonis usque ad ipsius Petri Venerabilis Abbatis Cluniac. dies Leodiensis Ecclesiæ Cluniacum tres Canonici, Zelon scilicet, Tezelinus, & Algerus, magni suis temporibus magistri, humilitatisque discipuli venere.

Quorum primus, videlicet Zelon, multo tempore pro Ecclesia, ad quam venerat laborans, singulari scientia, & prædicabili lingua non solum audientium mores instruxit; sed & corporalem novæ Ecclesiæ fabricam plus cunctis mortalibus post Reges Hispanos & Anglos construxit.

Sequens Spiritualibus tantum studiis totum suum hominem occupans, in sancto proposito longævus consenuit. Et prius Cluniaci sub sancto Patre Hugone, dehinc Vizeliaci cum domno Rainaldo Abbate eius nepote, & demum Lugdunensi Archiepiscopo degens, laudabilem vitam sancto fine conclusit.

C Tertius Algerus nomine, humilitate, puritate, vitæ totius sinceritate longe præcedentes exsuperans. Vnde de isto Petrus Venerabilis Abbas Cluniacensis libro I. Miraculorum narrat, quòd, ut de beato Iob dicitur, ipse Algerus vere simplex & rectus, timens Deum, & recedens à malo erat. Sæpe multumque sibi institisse dæmones Venerabili Petro Abbati suo conquestus est.

Iste Algerus erat subtilis ingenio, facundus eloquio. Ipse namque pro Ecclesiasticis negotiis ad diversas personas, & ad Ecclesias multas insignes Epistolas conscripsit. Et item inter cætera ingenij sui monumenta duos Tractatus edidit Ecclesiasticis valde utiles negotiis, & Catholicæ fidei.

Quorum primum intitulavit de misericordia & iustitia, quem tribus divisit particulis.

Quarum prima temperando iustitiam misericordia, sufficienter agit de malorum tolerantia.

Secunda de Ecclesiasticis peccatoribus, & eorum canonica correctione.

D Tertia de his qui extra Ecclesiam sunt, & eorum sacrilega communione.

Alium verò Tractatum edidit tanto nobiliorem quanto sublimiorem, utpote de re mirifica & necessaria, de Sacramento scilicet Corporis & Sanguinis Domini.

Hoc opus in tres partes dividitur.

Prima expeditè agit de veritate & virtute Corporis Christi continens xxij. Capitula.

Secunda de ipsius Sacramenti variis quæstionibus, distincta decem Capitulis.

Tertia sub xiv. Capitulis agit de ministris Ecclesiasticis, & extra peccatoribus hæreticis.

Petri Venerabilis iam sæpe nominati Abbati Cluniacensis temporibus Petrus Pictaviensis floruit, vir illustrissimus & doctissimus, qui plures ad Petrum Cluniacensem Epistolas scripsit, & multa alia, quæ apud nos sunt omnia.

E Eodem tempore floruit Richardus Monachus Cluniacensis, origine Pictaviensis, qui magnus Historiographus sacræ Scripturæ fuit. Scripsit enim ab Adam Chronica usque ad tempora Frederici.

Hugo Catula nobilis miles se promittens Monachum facturum, in signum cuius sibi à Petro Abbate Cluniac. comam abscidi fecit, & in huius testimonium custodiri. Quo facto præfatus Hugo mutato proposito Hierosolymam ire proponens, Petrus Venerabilis Abbas Cluniacensis ipsum ab itinere revocat, ei insinuans & demonstrans maius bonum minori præferendum. Nam maius bonum est Deo perpetuò in humilitate & paupertate servire, quàm cum superbia & luxu Hierosolymam iter conficere. Quibus à præfato Hugone consideratis, Monachus iam sæpe nominati Petri Venerabilis Abbatis Cluniacensis factus est.

F Albericus suo tempore Cluniacensis Monachus, deinde Hostiensis Episcopus, factus est Legatus sedis Apostolicæ in partibus Hierosolymitanis. Quare scribit Petro Cluniacensi & Religiosis eiusdem, ut eum in eorum orationibus pro sua peregrinatione commendatum habeant.

Domnus Natalis prius Tresbacensis Abbas, fit deinde Monachus Cluniacensis, dimissa tamen Abbatia Tresbacensi. A cuius rei proposito multi ipsum perturbare volentes, præfatus Petrus Venerabilis Abbas Cluniacensis Innocentio Papæ humiliter supplicat pro eo domno Natali in quadam Epistola ad dictum Innocentium transmissa, sic in fine eiusdem. *Quia, inquit, ergo non alibi quàm in sinu vestro, hoc est, in Cluniaco, requiescere maluit: Provideat ei, ut dixi, pietas paterna quietem, quam iusto ordine post Marthæ mereatur habere laborem.*

Hugo Turonensis Archiepiscopus, cùm in infirmitate esset Monachus Cluniacensis effectus à Clero postulatus est, ut reverteretur unde exierat. Non siquidem requirebatur ut mercenarius, qui videns lupum dimittit oves & fugit; Verum Pastor, qui pro domo
G Israël sibi commissa, murum se opponere, & stare in prælio in die Domini consuevit. Qui Hugo de communi schemate Cleri, ad Martini sui nigrum habitum conversus est.

Abelardus, Petrus nomine, ab erroribus fidei per Petrum Venerabilem Abbatem nostrum, & sanctum Bernardum Abbatem Clareval. revocatus, quæ antea de fide dogmatizaverat perfidè, Monachus Cluniacensis factus est. Et deinde mens eius, lingua eius, opus eius, semper divina fuere, semper Philosophica, semper eruditoria meditabatur, docebat, fatebatur. Et sicut de Magno Gregorio legitur, momentum aliquod præterire solebat minimè, quin semper aut oraret, aut legeret, aut scriberet, aut dictaret. Lectio ei continua erat, oratio frequens, silentium iuge: nisi cùm aut fratrum familiaris collatio, aut ad ipsos, in Conventu de divinis publicus sermo eum loqui urgebat. Quare ipsum Petrus Venerabilis sollicitè commendans, tale de ipso scripsit Epitaphium.

*Gallorum Socrates, Plato maximus Hesperiarum, &c.*

H Reluxit illis diebus Matthæus vir non obscuri secundum carnem generis, ortus ex Rhemensi Provincia, utroque parente & nobilitate insignito, & mundanis opibus locuplete. Huic in pueritia litteris traditus est. Qui postquam adolevit, in Laudunensi Ecclesia clericale officium adeptus est. Et statim à primis annis, quæ multorum Clericorum depravatum morem cum ætate cœpit & honestate invalescere, & levitatem vel lasciviam consodalium fugiens & execrans, quod pettarum & in huiusmodi hominum genere, famosis honestate & religione Clericis adhærebat. Inter quos quendam probatioris vitæ Clericum, Rhemensis Ecclesiæ tunc Thesaurarium eligens, qui Radulphus nomine, Viridis cognomine dicebatur, ei se specialiùs religiosa familiaritate devovit. Dehinc eodem Radulpho rapto, & in Remensem Archiepiscopum

assumpto,

assumpto, non deseruit quem elegerat Matthæum: sed aliquamdiu sub ipso Remensi iam Ecclesiæ Canonicus perseveravit. Qui postmodum Matthæus monasticam aspirans vitam, Ecclesiasticos honores dimisit. Et propter celebrem relationis famam, Cluniacum eligens, apud S. Martinum de Campis, Monachi habitum suscepit, & congruè. Erat enim idem S. Martini Monasterium sub Cluniacensi Monasterio, in Ordinis, Religionis, ac fervoris proposito, pro modo suo ita consimile, & in tantum conforme, ut velut simulacrum ceræ impressum, multis aliis ad Cluniacum pertinentibus Monasteriis, originalis sigilli imaginem familiariùs repræsentaret: & exceptis locorũ distantiis, quæ simul esse non possunt, non diversa, sed prorsus unum sint. Cum itaque ibidem domnus Matthæus in Monasterio sancti Martini per annos septem claustri ordinem ferventissimè tenuisset, iussione Abbatis successit in Prioratum, Priore suo iam defuncto. Qualiter verò, quantumque se iam dictus Matthæus factus Prior, imò etiam semper Deo subditis, & quibusque proximis ac remotis exhibuerit, vix explicari posset, tamen quam brevissimè exequamur.

In primis vir Dei exhibebat se Deo, ac substernebat, vera cordis & corporis contritione præteritorum actuum, vel negligentiarum pœnitudine, mundi contemptu plenissimo, ac pene singulari inter multa millia Monachorum in Deum devotionis affectu. Morabatur assidue in claustro cum fratribus, & post plurimos, mundi discursus: pene velut ea, cui adhærebat claustri columna, sacræ lectionis intentus studio inviolabiliter perdurabat. Vix poterat eum commissi Prioratus cura saltem ad horam à fratrum Collegio segregare, vel ab intentione semel in Deum defixa quolibet mundus occupationis suæ vino retrahere. Cumque sub ducatu eius fere trecenti fratres, tam intra, quàm extra Monasterium Domino militarent, eisque corporalia subsidia providere vel per se, vel per alios ex officij debito cogeretur, Marthæ quidem importunas exactiones ex toto effugere non valebat, sed tamen toto animæ desiderio Mariæ otio inhiabat.

Talem insuper domnus Matthæus subditis, eisque ad vitæ suæ terminum exhibuit & conservavit: ut non solum quantum ad Deum, sed etiam quantum ad se misericordiam & iudicium eidem Deo secure cantaret. Misericors in subditos erat, necessaria eis pro viribus præparando, & unicuique secundum Apostolicam & Benedicti Regulam, prout opus erat, multo labore quæsita largiendo. Mos ei erat infirmorum, pauperum, hospitum, inquantùm Prioratus officium patiebatur, per seipsum potiorem curam gerere.

Exhibebat Matthæus omnibus communem tam corde quàm verbis dilectionis affectum. Et inquantum (salva præpositi gravitate) poterat, iocundum se & hilarem quibuscumque alloquentibus offerebat. Ad omnes quidem, iuxta Patris Augustini verba, congruum charitatis habebat affectum. Ad eos verò quos poterat eiusdem charitatis effectum. Fecerat ea charitatis virtute Monasterium suum præ cunctis totius Franciæ Monasteriis commune universorum hospitium, & velut generale absque alicuius exceptione cunctorum asylum Episcoporum, Abbatum, Nobilium etiam laicorum quotidianus concursus, Monachorum & Clericorum agmina, pauperumque nunquam deesse poterat turba: domos universas, hospitia cuncta assidue pene replebat. Suscipiebantur alacriter omnes, nec in suscipiente boni vultus hilaritatem tanta advenientium importunitas turbare poterat. Hinc erat quòd inter cæteros Principes, qui eum harũ & similium virtutum fama exciti diligebant, quique illi de suis multa largiebantur, Ludovicus Rex Francorum, Rexque Anglorum Henricus singulari ipsum amore amplectebantur, adeuntem se gaudenter suscipiebant, multo susceptum honore colebant, ac discedentem nunquam fere vacuum remittebant.

Postmodum Petrus Venerabilis Abbas Cluniacensis domnum Matthæum, habita de ipso tanta fama, ad Ordinis adiutorium, suæ vocationis anno primo Cluniacum evocavit, eique statim Ordinis & claustri curam imposuit. Ad cuius rei adiutorium magnum hunc, & vere Christi non segnem operarium, verum insignem, eum ad introitum vir Venerabilis Petrus Abbas Cluniacensis expertus est.

Cùm itaque iam sæpe nominatus domnus Matthæus tractus ad urbem fuisset, causa schismatis Pontiani erga Ecclesiam Cluniacensem incitati, pacificandi: Eo schismate diffinito & penitus absorpto domnus Matthæus redire cum sociis ad propria festinabat. Sed qui nescientem vocaverat Deus, reditum impedivit, & quia super pauca fidelis fuerat, eum super multa ut expertum dispensatorem promovit. Iniungit ei cum honore Papa Honorius secundus, maioris honoris & oneris pastoralem curam, & eum labori suo socium adhibens in Episcopum Albanum consecrat. Provectus ergo domnus Matthæus ad sublimem Pontificalis ordinis gradum, & super Ecclesiæ candelabrum ad lucendum omnibus qui in domo Dei erant, magnifice exaltatus, nihil de monacho quorundam more dimisit. Sed sicut de magno Martino legitur, eadem in corde eius humilitas, eadem in vestitu eius vilitas mansit. Nihil de officiis, nihil de cantibus, nihil de prolixa Cluniacensi Psalmodia, quarumlibet curarum prætextu reliquit. Servabat in palatio instituta claustri, & mundo expositus firmo & longo usu, velut innato religionis proposito, à secularium vanitatibus se quasi septo firmo secernebat.

Possent quidem adhuc plura de ipso digna memoria litteris tradi. Verum illud tacendum non est, quòd suis diebus parem non habuit sibi. Tandem Prima adventus Domini hebdomada, vir beatus domnus Matthæus Albanensis Episcopus omnimodum iam naturæ defectum post multos labores & certamina ferre non valens lecto decubuit. Qui ante decessum eius ab hoc seculo, gloriam, quam sibi Deus præparaverat, videre meruit. Et finaliter die Nativitatis Domini diem in Christo Iesu clausit extremum. Qui in Ecclesia sancti Fridiani sepultus est.

Gregorium insuper tempore Petri Venerabilis Abbatis Cluniacensis, Monachum eiusdem fuisse legimus. Iste Gregorius vir illustris & doctissimus fuit. Qui, iuxta Hieronymum, studuit semper sacræ Scripturæ. Ex quo vitia carnis non amavit. Ipsum mirum in modum Petrus noster Venerabilis Abbas Cluniacensis commendat ac laudat, quod qui voluerit videre, legat in Epistola xx. libr. IV. Epistolarum ipsius Petri Venerabilis Abbatis Cluniacensis.

Eiusdem Petri Venerabilis Cluniacensis Abbatis temporibus fuit Monachus Cluniacensis, Raynaldus Archiepiscopus Lugdunensis, qui primo Monachus Cluniacensis, deinde Abbas Viziliacensis, Postremo Archiepiscopus Lugdunensis, cuius Epitaphium Petrus ipse Venerabilis fecit †.

† Habes infrà cum aliquot aliis epitaphiis inter eius Scripta.

De Geraldo sanctæ Cluniacensis Ecclesiæ Monacho scribit Petrus Cluniacensis Abbas in libro primo Miraculorum, cap. 8. eius vitam & mores sanctos. Iste in habitu clericali serviebat sancto Hugoni Abbati Cluniacensi, à quo tandem factus est Monachus in Cluniaco. Cui à beato Patre Hugone propter eius vitam laudabilem, regimen & administratio Ecclesiæ sancti Salvatoris Nivernensis commissa fuit. Tandem à Petro Venerabili Abbate Cluniacen. evocatus factus est Prior in Monasterio de Alto-iugo, in quo loco finem vitæ peregit. In quo siquidem Prioratu de Alto-iugo, dum vigilias observaret, & ne intempestivè fratres surgerent sollicitus provideret, frequenter in eadem Ecclesia voces cuiusdam melodiæ audiebat, & merito. Quoniam illorum est audire cœlestia, quorum aures dedignantur audire terrena. Iste requiescit in dicto loco de Alto-iugo.

A Vir vitæ Venerabilis Petrus Abbas Cluniacensis & alium discipulum habuit nomine Armanum. Hic itaque dum esset nobilis, & miles, dives in sæculo, tractus divino spiritu, ac mundo renunciare disponens, prius equos & vestes multi pretij, magnúmque pondus argenti, & omnia penè sua Cluniacum direxit, & sic pauper & peregrinus Hierosolymam petiit. Ibi Domini adorato sepulchro, & sanctissimorum locorum visione aliquanto tempore recreatus; cùm vitæ terminum quem sibi summopere adipisci desiderabat, differri videret, rediit, atque Cluniaco habitum Religionis induit. Cum quo & animum ita ab omni mundano affectu mutavit, ut nec omnia bona, nec privata diversarum exercitationum lucra, spirituali cordis eius ardori satisfacere possent. Non ei dies ad orationem, non nox sufficere poterat. Vix cibo aut somno eo studio indulgebat.

B Eidem Armanno novitio contigit post Domini Natalem, nocte quæ diem præcedit Beati Ioannis Evangelistæ, ut in Cella novitiorum cum aliis novitiis ipse adhuc novitius iaceret, ipse solitis orationibus fatigatus cum se in lectum collocasset, & levi somno solutus, ursum tam terribilem vidit, ut omnem humanum terrorem eius incomparabiliter tremendæ visionis horror excederet. Quare & ecce clamare terribiliter cœpit, sicque perseveranter, ut omnes fratres de lectis suis surgere, & ad se undique concurrere cogeret. Qui etiam domnum Petrum Venerabilem advocare coacti sunt. Ex cuius visione,
C terrore, ac formidine, idem Armannus excitatus somnium quod viderat incipiens contemnere, rursus quem dormiens viderat, integre vigilans supra ipsum eundem Ursum conspexit, tantum in aëre sublevatum, quo eum si vellet manu contingere potuisset. Cuius stupendus erat rictus nefandi oris ultra omnem modum horrendi, ut de eo scriptum est, *Per girum dentium eius formido*, ungues longissimè recurvi, & se ad rapiendum avidissimè exerentes, tota hirsuti corporis habitudo quasi in prædam iam iamque rapiendam dirissime infremebat. Et sic eum diabolus diu terrore fatigatum à mente sua excedere coëgit, sed Dei misericordia liberatus. Tamen ex terrore illo tantam contraxit debilitatem, ut Conventui per triduum interesse non potuerit. Hæc Petrus Venerabilis Abbas Cluniacensis narrat.

*Lib. 1. Mirac. cap. 18.*

Fuit & alius, ut de magno Benedicto legitur, gratia Benedictus & nomine. Qui priusquam ad monasticalem ordinem venisset, religiosus valde Presbyter extitit, qui apud Cluniacum mutato habitu, verus est
D factus Monachus. Corpus quippe attenuatum, facies macilenta, capilli incompti, ipsaque canitie venerandi, vultus demissus, oculi vix nunquam patentes: os sine requie sacra verba ruminans, non in terra, sed in cœlo positum, hominem indicabant. Silebat perpetuo, nisi cum eum certa & gravis causa loqui cogebat. Verba eius brevissima à nugis, iocis, atque omni prorsus otiositate aliena. Si quando vero de spiritualibus sermo erat, nunquam sine suspiriis, nunquam sine lacrymis fiebat, psalmodia indeficiens, scripturarum sanctarum nocte dieque meditatio. Propter quod & Psalterium glossatum semper circumferebat: quoniam Psalmos non perfunctorie, ut quibusdam moris est, sed summa cum attentione atque devotione cantabat. Ubi si quid quod non intelligeret, offendisset, ad glossas statim oculum convertebat. Diem totam psallendo, meditando, noctem vigilando & orando peragebat. Habebat idem Benedictus pro Cella domum orationis in turri altissima atque remotissima, in honore sancti Michaelis Archangeli consecratam. Iam si eius per singula vitam describere vellem, non transeunter ab illo commemorandum, sed diutius esset immorandum.

*Petr. ipse Venerab. lib. 1. Mirac. c. 20.*

Cùm idem beatus vir domnus Benedictus infirmitate gravatus in lecto iaceret, respiciens domum infirmorum in ipsa vidit infinitam multitudinem albatorum advenire, & paulatim omne domus illius spatium
E complere. Cumque domum præclarissimis illis spiritibus repletam vidisset, fratrum Conventum esse suspicatus, custodem infirmorum bonæ religionis virum Ogerum nomine vocavit, eique dixit: Frater Otgeri, hiccine ordo noster est, ut Conventus albis indutus infirmariam veniat? Crede mihi hodie video, quod nunquam retro contigisse audivi. Sed cum frater ille nullum albatorum in infirmaria illa esse affirmaret, adhuc in eadem opinione persistens adiecit. Miror valde, quomodo hæc dicere potes, cùm non pars domus, sed tota eiusdem albatis viris plena sit, & te ipsum, ubi nunc loqueris, ex omni parte iidem circumdent. Tunc tandem intellexit cui hoc dicebat, non hominum illum Conventum, sed Beatorum esse Angelorum. Et parvo in-
F tervallo suscepit, ut servus Domini Benedictus ab illis quos viderat albatis & gloriosis spiritibus ascitus obiret, beatámque animam tradens, ad regna cœlestia, ut dignum est credere, cum ipsis. *

Gaufredus vir nobilis fuit, Dominus Castri, quod Sinemurum vocatur. Postquam multum tempus magnificè in seculo conversatus est, tractus divino spiritu mundo renunciavit atque cum filio & tribus filiabus apud Cluniacum habitum Religionis induit; ubi sanctè ac sine querela diu conversatus, meritò Religionis atque prudentiæ Marcigniacensium sororum Prior effectus est. Quarum curam dum per aliquot annos humiliter & benigne administrasset, morte mortalium molestia corporis tractus, defunctus est.

G Ipsius Petri Venerabilis tempore fuit Bernardus Monachus Prior Cluniacensis, totus religiosus, totus erga Conventum laboriosus, & Ecclesiam Cluniacensem semper summa cum charitate amplectens. Quem ipse Petrus Venerabilis Abbas Cluniacensis commendans Epitaphium de ipso Bernardo tale quod sequitur descripsit.

Egregius senior cui nil iuvenile cohæsit,
Bernardus Prior hac pausat humatus homo.
Hic post militiam cœlestia castra subintrans,
Consenuit, certans hoc in agone diu.
Iste sibi pro te nunquam Cluniace pepercit,
Huic sibi nulla dies absque labore fuit.
Sic bene totius pondus tolerando diei,
Nummum promeritum sero reportat ovans.
Huius vos fratres memores estote sepulti,
Nec cadat ex animo, quod tegat ossa solum.

Huius Petri Venerabilis Abbatis Cluniac. Monachus & Religiosus fuit domnus Radulphus, qui tandem scripsit mores & gesta, ac vitam mortémque ipsius
H Petri Abbatis Cluniacensis.

Verum enimverò obmittendum est minimè, qualiter Angelus Domini locum ubi fratres moriuntur, Cruce Christi signaverit. Quod miraculum Petrus ipse Cluniac. Abbas descripsit in hunc quod sequitur modum. Quoniam antiqui hostis aperta contra Christi milites prælia, &c. *Integra narratio extat lib. 1. Mirac. cap. 19. quam hic repetere superfluum fuisset.*

Tempore huius Petri Venerabilis Abbatis Cluniacensis numerus fere quatuor centum Monachorum in Cluniaco redolebat. Quorum quidam habitabant in sylvis illi loco proximis, inter quos ipse aliquando Petrus Abbas conversabatur cum ipsis fratribus. Eorum enim habitacula sanctorum Patrum Monachorum in præfatis sylvis erant Capell. devot. sicut in Capella sanctæ Radegundis, sancti Romani super Boutavannum, Capella S. Vitalis prope Cluniacum, Capella sancti Ioannis de Bosco, & Ecclesia de Costa, in quibus locis cum magna devotione Christo militabant.

Ex quibus omnibus supradictis, & ratione quorum Ordo Cluniacensis, & ipsius Monastica Religio extensa, & propagabatur usque ad vallem Iosaphat,

sepulchrum Matris Domini nostri Iesu Christi, ubi Geldninus Monachus Cluniacensis illius vallis Monasterij Abbas extitit.

Et item ipsi Monasterij Cluniacensis Monachi cum Monachis, & fratribus habitantibus in sancto monte Thabor, ubi Deus transfiguratus est, sortiti sunt confraternitatem.

Consequenter ipsi Cluniacenses obtinuerunt Monasterium, quod Cantor dicitur, quod est in suburbio Constantinopolis civitatis.

Tandem & per successum temporis isti Patres Cluniacenses traxerunt in suam confraternitatem & societatem, Ecclesias, Collegia, & Monasteria usque ad numerum fere cccxiij. Et sub ipsius Abbatiæ Cluniacensis subiectione fuerunt tam Abbatiæ, Prioratus, Decanatus, Præpositura, officiaque tam mediate quam immediate eidem subiecta, circa duo millia vel amplius.

Nunc de triumpho Patris domni Petri Venerabilis Abbatis Cluniacensis quem in schismate Pontij Abbatis septimi obtinuit, de versibus Petri Pictaviensis inserendo, pauca dicenda sunt, quem ille stylo nimium prolixo prosequitur.

*Iam tibi Petre novi celebrantur ubique triumphi,*
*Iam tibi sub pedibus pars inimica iacet,* &c.†

† Habetur infra cum cæteris eiusdem Petri Pictav. scriptis.

Nunc etiam de glorioso fine Petri Venerabilis Abbatis Cluniac. dicendum est ex dictis Raduphi ipsius B. Patris Monachi, qui vitam & mores tanti Patris descripsit, & eius mortem.

Anno vere Dominicæ Incarnationis 1157. prima ipsius anni die, reverendus & cum multo amore recolendus domnus Petrus Abbas viam universæ carnis ingressus est: & illa hora sancta anima eius discessit, qua credimus Verbum Dei natum de Virgine matre. Et bene hanc horam ut ascenderet elegit qui nato descendenti humiliter semper servivit. Nascente ergo Christo Iesu de Virgine matre in terris, Petrus virgo assumitur in cœlis, ut qui gaudium singularis nativitatis devotè celebraverit, cum peregrinis quamdiu vixerat, modo in hora eius nativitatis reciperet fructum devotionis in sede æternitatis. Factum est autem magnum miraculum in hac gloriosi Patris venerabilis Abbatis Cluniacensis corporis & animæ separatione. Quia cum ipse sanctus migravit à corpore, ut nullum fieret impedimentum divinis officiis sanctæ matris Ecclesiæ, præcipuè illius diei, dicta Letania ab Episcopo, & finitis orationibus, defertur sancti Patris corpus ad locum, ubi corpora mortuorum lavabantur: & ibi vestimentis nudatum glorificati hominis gratia cunctis videntibus & stupentibus apparebat. Erat enim corpus ipsius mortuum vitro purius, nive candidius, & mirabili quadam pulchritudine cœleste corpus in terrenis adhuc existens. Quis crederet illam sanctam carnem cilicio aliquando fuisse tectam, ieiuniis afflictam, meditationibus & contemplationibus sanctis attenuatam, vigiliis maceratam? Erat profecto iam quasi in quadam futuræ gloriæ transformatione splendidissimum, sine macula & ruga dotium cœlestium præsagium ferens. Osculabantur discipuli caput Magistri, sugebant aquam qua lavabatur, & unusquisque quod poterat, rapiebat.

Sepultus est itaque beatus Petrus Venerabilis Abbas Cluniacensis in capite maioris & novæ Basilicæ, cum magno honore & grandi dolore suorum filiorum, ab illustri & reverentissimo viro Wintoniensi Episcopo.

Rexit itaque gloriosus vir Petrus Venerabilis hoc Cluniacense Monasterium 34. annis, & quatuor mensibus, cum tribus diebus. Alibi tamen reperi quod rexit 35. annis, & iacet iuxta altare S. Iacobi, & retroarmaria reliquiarum capsæ omnium Sanctorum iuxta portam per quam itur retrochorum à manu dextra, cuius Epitaphium sequitur,

Paret in hac urna quod non sit vita diurna.
Qualescunque sumus morte coæquat humus.
Dum Petrus moritur pius Abbas, ius sepelitur,
Pax cadit, ordo iacet, flere morique placet.
Ille salus patriæ, mundi decus, arca sophiæ,
Nescius invidiæ, vena fuit veniæ.
In natale Dei solemnis mane diei.
Mortuus, obtinuit plurima quæ meruit.

*Aliud eiusdem Patris Petri Venerabilis Cluniac. Abbatis Epithaphium.*

Tempore Bernardi Clarevallis floruit olim.
Arvernus patria Petrus Venerabilis Abbas,
Hic Cluniacensis, instructor Catholicorum,
Contraque schismaticos, Iudæos, & Mahumetos
Tractatus scribens, nec non volumina multa,
Sermones varios, dictamina prosa metroque.
Nobilis ille fuit, sed moribus altior omni.
Regnans perpetuo, nunc sedibus Omnipotentis.
Supplicet assiduè pro cunctis Religiosis,
Præcipuè nobis Cluniacensibus impetret alta
Gaudia cœlorum, decurso tempore nostro.
Hic Petrus vixit, qui cœlo lumina fixit.

## *VETERVM, DE S. Petro Venerabili, Cluniacensi Abbate IX. & eius Operibus, Testimonia.*

### S. BERNARDVS EPISTOLA CCLXXVII. ad Dominum Papam Eugenium pro Abbate Cluniacensi.

STVLTVM *videtur scribere ad vos pro Domino Cluniacensi* †, *& ei quasi velle patrocinium ferre, quem omnes sibi patronum habere desiderant. Sed scribo, etsi non necessariè illi, satisfaciens tamen affectui dico meo, non alterius: ipso enim quia corpore non possum, prosequor amicum peregrinantem. Quis nos separabit? Nec altitudo Alpium, nec nivium frigora, nec longitudo itineris. Et nunc præsens sum, in litteris his assistens illi. Sine me poterit esse nusquam. Debitor sum dignationi eius, per quam dignus habitus sum assumi in id gratiæ. Sed debito ipsa absoluit gratia, quia necessitas in voluntatem transiit. Honorate virum, ut verè honorabile membrum in Christi corpore. Vas est in honorem, ni fallor, plenum gratia & veritatis, refertum plurimis bonis. Remittite eum cum lætitia, quamplurimos de suo reditu lætificaturum. Dignemini eum ampliori, ut dignum est, gratia, & ita ut deplenitudine eius omnes, cum redieris, accipiamus. Sane si quid petieris, in nomine Domini Iesu, non debet apud vos pati difficultatem. Nam si nescitis, iste est, qui manus suas extendit ad pauperes Ordinis nostri: iste est qui possessionibus Ecclesiæ suæ, quantū cum pace potest suorum, libenter frequenterque largitur ad victum. In nomine Iesu cur dixerim audite. Si enim petierit (quod suspicor vereorque) dimitti à regimine Monasterij, quis illum noscens in nomine Iesu petere putet? Fallor, si non solito timoratior, si non seipso melior factus sit, ex quo vidistis eum. Quanquam pené ab introitu suo in multis Ordinem illum meliorasse cognoscitur: verbi gratia, in observantia ieiuniorum, silentij, indumentorum pretiosorum & curiosorum.*

† et ro scilicet.

### Idem Epist. CCLXXXIII. ad eundem pro Gigniacensibus.

A*pud Cluniacum occurrimus Gigniacensibus spe pacis, pro qua laboratum multum, elaboratum nihil*

A *Nam totum quatriduanum laborem nostrum sola demum secuta est ruina spei, &c. Siquidem Abbatia una ne per singula evagemur, tota destructa est. Caeterum de tantis amissis multa dimittere parati fuimus, cum illi tam minimum obtulerant, ut venerabilis Abbas Cluniacensis, qui affectuosius quam efficacius pro reformanda pace laborabat, nec dignum relatu indicaret. Itaque non provenit compositio, quia reparatio tam ridicula offerebatur. Dicebant autem, Quidnam maligni de nostris totum malum fecerunt. Quid ad nos? Ipsi viderint, &c. Denique ipse Dominus Abbas istiusmodi tergiversationes palam refellebat & convincebat, affirmans iuste ab Ecclesia repeti, quod per Ecclesiam amissum esse constabat.*

## Innocentius Papa II. in diplomate quodam MS.

B *INnocentius Episcopus, servus servorum Dei, dilecto in Christo filio, Theobaldo Priori Monasterii sancti Martini de Campis, eiusque successoribus, &c. Eapropter, dilecte in Domino fili Theobalde Prior, tuis petitionibus annuentes, beati Martini Monasterium, cui auctore Domino, ex Venerabilis fratris nostri Petri Abbatis Cluniacensis institutione praesides, praesentis decreti auctoritate munimus, &c. Datum Laterani per manum Gerardi S. R. E. Presbyteri Cardinalis ac Bibliothecarij, X. Calend Aprilis, Incarnat. Dominicae ann. 1142. indict. VI. Pontificatus vero Domini Innocentij II. Papae an. 14.*

## Eugenius Papa III. in alio Diplomate.

*EApropter, dilecte in Domino fili Odo Prior, tuis iustis petitionibus annuentes, beati Martini Monasterium, cui auctore Domino, ex Venerabilis fratris nostri* PETRI *Cluniacensis Abbatis institutione praesides, quemadmodum caetera Cluniacensis Coenobij membra, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, &* C *praesentis scripti privilegio communimus, &c. Datum Parisius per manum Hugonis Presbyteri Cardinalis tenentis vicem domni Guidonis S R.E. Cardinalis & Cancellarij, VI. Non. Julij, Indict. X. Incarn. Dominicae ann. 1147. Pontificatus vero domni Eugenij Papae III. anno 3.*

## Petrus ipse Venerabilis libr. 2. Miracul. cap. XII.

*FRatres & isto [ Hugone II. ] ita subtracto, novae electioni diem statuunt, proximis quibusque & remotis, ut ad diem statutum conveniant, indicunt. Congregatur cum quibusdam Episcopis & Abbatibus, multus Monachorum populus, & in octavis Assumptionis beatae Virginis, unanimiter sibi melius consulentes, in praesentium scriptorem conveniunt. Mandant iam dicto Papae huius suae electionis assensum, & ab eo rescriptum hoc quod fecerant confirmans suscipiunt.*

## D Monachus Clun. Anonymus in tractatu de reliquiis S. Stephani Protomartyris.

*HAs vero beati Stephani reliquias, necnon & dentem sancti Baptistae Ioannis domnus ac venerabilis Petrus Abbas studio & diligentia, quam erga sacra & divina omnia gerit singulis crystallinis phylacteriis, gemmis & auro pulcherrime decoratis includi honestissime fecit, & unum ad dextram, aliud ad sinistram super altare maius, in catenis argenteis, sicut modo cernitur, appendi mandavit.*

## Robertus de monte in Supplemento ad Chronicon Sigeberti ann. Domini 1158.

*CAlendis Ianuarii Venerabilis Petrus Cluniacensis Abbas ingressus est viam universae carnis.*

## Matthaeus Paris Histor. Angl. In Henrico II. sub annum 1155.

E *PEr idem tempus Henricus VVintoniensis Antistes praemisso thesauro suo per Abbatem Cluniacensem,* * *absque licentia Regis ab Anglia clam recessit. Quapropter Rex tria eius complanari fecit castella.* * Petri scilicet.

## Henricus de Gandavo lib. de Illustrib. Eccl. Scriptoribus.

*PEtrus Abbas Cluniacensis, scripsit ad diversos diversas Epistolas, sententiis utiles, & verborum venustate placentes. Scripsit etiam visiones & revelationes quibusdam suo tempore ostensas.*

## F Nicolaus de Clamengiis Cantor Baiocensis, Epist. ad Galiotum de Petramala.

*EX recentioribus autem primo Bernardus occurrit, deinde Ildebertus Cenomanensis, Ivo Carnotensis, Odilo, Hugo, &* PETRUS VENERABILIS *Abbates Cluniacenses, Hugo denique & Richardus Canonici sancti Augustini Regulae sectatores.*

## Ioan. Trithemius lib. 2. virorum illustrium Ord. S. Bened. cap. 123.

*PEtrus Abbas Cluniacensis, in scripturis sanctis eruditus, & saecularis doctrinae non ignarus, ingenio & eloquio clarus, non minus religione & morum integritate, quam scientia venerabilis, scripsit Sermones ad fratres utiles & elegantes lib. 1. De Vita solitaria lib. 1. Epistolarum ad diversos lib. 1. Scripsit etiam quaedam mirabilia, & revelationes varias suo tempore factas, quae a multis habentur. Alia quoque nonnulla edidit, quae necdum vidi.* G

## Idem Thritemius libro de Scriptoribus Ecclesiasticis.

*PEtrus Abbas Cluniacensis, ordinis S. Benedicti, vir in divinis scripturis iugi exercitatione doctus, ingenio placidus, sermone dulcis atque compositus, & ad persuadendum satis idoneus, conversatione devotus & laudabilis, ac regularis observantiae zelator insignis, nomen suum scribendo posteris notificans, ad utilitatem legentium quaedam devota composuit opuscula, de quibus ista feruntur.*

*Relationes multorum lib. 1.*

*De conversatione Eremitica lib. 1.* Suscepi litteras tuas.

*Epistolarum ad diversos, lib. 1.*

*Alia quoque nonnulla edidit, quae ad notitiam meam non venerunt.*

## G. Paradinus libr. 2. Histor. Lugdun. cap. 35.

H *ANno Domini 1157. erat Eraclius Archiepisc. Lugdunensis, frater Petri Venerab. Abbatis Cluniacensis, ambo viri excellentes vita sanctitate, & litterarum scientia.*

## Chronicum rerum Burgundionum ad ann. 1122.

*POst Pontium* HUGO *fit trium mensium Cluniacensis Abbas: & eo mortuo* PETRUS *cognomento* MAURICIANUS, *sive Venerabilis, cuius nonnulla scripta extant, eidem Coenobio praeficitur.*



Digitized by Google

## Antonius Possevinus in Apparatu sacro, Tomo III.

*Sanctus Petrus Cognomento Venerabilis, nobilis Arvernus, Abbas Cluniac. 9. & Generalis octavus, die octava Assumptionis beatissimæ Virginis renunciatus ann. 1123. postea functus officio generalatus annos 35. menses 4. & dies 4. obiit Cluniaci plenus virtutum, scientia, ac dierum an. 1157. octavo Kal. Ianuar. ibidem sepultus inter altare SS. Iacobi & Philippi, & altare S. Dyonisij. Scripsit autem.*

*Revelationes multorum, lib. 1.*

*De conversatione Eremitica lib. 1.* Suscepit litteras dilectionis.

*Epistolarum ad diversos, lib. 6.*

*In quibus inseruit librum contra Iudæos, & alterum contra Petrobrusianos hæreticos. Cum vero degeret in Hispania ex Arabico vertit in Latinum Alchoranum Mahometi, quem Cluniacum reversus confutavit quinque doctissimis libris, qui & impressi sunt.*

*De miraculis sui temporis lib. 2.*

*De transfiguratione Domini.*

*De laude Sepulchri.*

*De S. Marcello Papa & Martyre.*

*De veneratione Reliquiarum quarumlibet, Ser. 1.*

*Adversus negantes Christum nunquam se in Evangeliis aperte Deum dixisse, Epistolam uberem atque perutilem ad Petrum de S. Ioanne.*

*De vita S. Matthæi Cardinalis Alban. lib. 1.*

*De diversis Monachis Epitaphia.*

*De laude Salvatoris.* }
*De Resurrectione.* } *Rythmos.*
*De S. Hugone Abbate.* }
*De B. Virgine Maria.* }
*De S. Benedicto.* } *Hymnos.*
*De S. Maria Magdalena.* }

*De ead. Beatissima Virgine Maria, Prosam.*

*Eius autem quædam opera Parisiis excusa ann. 1522. apud Damianum Hincman. & Ingolstadij apud Alexandrum Vissenhorn anno 1546.*

* Hos nec vidi, nec reperire potui, quãvis diligent. sollime quæsierim.

## Martyrologium Monasticum Benedictinum, ad VIII. Calend. Ianuar.

*Cluniaci Natalis Sancti Petri Mauritij Abbatis, doctrina & sanctitate clarissimi.*

## Kalendarium Sancti Leonarij Bellimontis.

*Octavo Calend. Ianuar. depositio domini Petri Cluniacensis Abbatis.*

# PETRI PICTAVIENSIS MONACHI PANEGYRICVS;

*PETRO VENERABILI ABBATI Cluniacensi IX. dictus, in primo adventu eius ad Aquitaniam secundam.*

## *EPISTOLA PETRI PICTAVIENSIS ad Dominum Petrum Abbatem Cluniacensem.*

DOMNO venerabili & Patri dulcissimo, Petro sanctæ Cluniac. Ecclesiæ Abbati, Petrus Pictaviensis peccator & infirmus Monachus filialis in Christo dilectionis affectum. Sicut præcipere dignati estis, Pater amantissime, versiculos illos quos olim iuvenis, eo tempore quo me de luto fæcis, & de lacu miseriæ eduxistis, in omnipotentis Creatoris, à quo omne bonum habetis, & vestra laude composui, nunc tandem emendatos edidi, & in capite Epistolarum vestrarum ordinate descripsi. Illos autem vestros, quibus æmulorum nostrorum brutam Barbariem potentissime confutastis, ibidem apposui. * Qui licet aureo suo fulgore argenti nostri pauperculum candorem reverberent: multum tamen animo meo placent, quia contra hostes nostros quasi evaginatum gladium tenent. Si quis autem adversum me indignatur, quod nomine meo aliquid intitulare, & libris vestris apponere ausus fuerim, sciat hoc non mea præsumptione, sed vestra (cui nefas duco contradicere) iussione factum esse. Ego vero cum in omnibus, tum etiam in hoc vobis obtemperare non dubito: non arrogantiæ studio (quam semper à me longe faciat Dominus,) sed obedientiæ devotione, præsertim cum sciam multos probatæ religionis & humilitatis viros, hoc idem de quibuslibet scriptis suis olim studiose fecisse. Quos certe magis in hoc quantulocunque opusculo nostro imitari affecto, quam quosdam nostri temporis scriptores: qui nescio qua vel cautela, vel imperitia ubique nomina sua supprimunt, incurrentes apocryphorum scriptorum vecordiam: qui sive de falsitate, sive de hæresi, quibus (ut fertur) sua omnia fermentabant, redargui fugientes, nusquam propria vocabula prætulerunt. Non ergo me hinc aliquis ante tempus indicare festinet, sed Deo & conscientiæ meæ me dimittat, & ipse, si voluerit, Ovidium sine titulo scribat. Vos autem, Pater charissime, filioli vestri (quem Christo Domino in secundo baptismate genuistis) indesinenter memorem Deus omnipotens hic & in æternum custodiat. Valete semper in Domino.

* Hos tetecimus inter cæteros ipsius Petri Vener. versus.

### *Incipit Panegyricus.*

Plaudite felices, hilarescite Cluniacenses.
Redditus est vobis moribus alter Hugo.
Nobilis ille fuit, magnisque parentibus ortus:
Hunc quoque præclarum reddit origo patrum.
Ille super cunctos, quos excolit ac veneratur
Gallia Lugduni, & nobilitate nitet.
Hunc Latiæ gentes regum de stirpe potentes,
Arverni populi progenuere duces.
Vatibus antiquis æquatur acumine mentis:
Par illi nostro tempore nullus erit.
In prosa Cicero novus est, in carmine Maro:
Sicut Aristoteles disputat aut Socrates.
Æquiparat primos, superat cum laude secundos,
Qui nos eloquiis edocuere sacris.
Vix Augustinus subtilius abdita cernit:
Vix hunc Hieronymus ulla docere potest.
Nil huic Gregorius clarè blandeque loquendo:
Nil huic Ambrosius rhetoricando tulit.
De tanto sensu breviter quid sentio dicam,
Ne tibi sim lector rusticus, aut nimius.
Musicus, Astrologus: Arimeticus, & Geometra,
Grammaticus, Rhetor, & Dialecticus est.
Sed iam pertimeo succumbere materiei,
Mores egregios dum recitare volo.

Obsecro

A Obsecro quid primum referam? succurite Musæ
Dicite de tanto carmina digna viro.
Ingenio facili gravitas accedere morum,
Raro solet, nec sunt hæc duo sæpe simul.
Inde magis stupeo, quod & in iuvenilibus annis
Splendida lux iuvenum Petrus utrumque tenet.
Cui merito laudem recitat studiosa iuventus,
Laus etenim proprie nostra fit eius honor.
A patre perpetuo datus est lux unica mundo,
Qua duce terrigenæ cœlica regna petant.
Simplicitas in eo simul, & prudentia regnant,
Iugis sobrietas, atque pudicitia.
Maxima virtutum comes illi semper adhæret,
Intus & exterius semper eam retinet.
Lingua referre nequit, quam sit discretus ubique,
Quamque sit ad cuncta congruus officia.
Non opus est multis implere volumina verbis:
Qui brevis & bonus est, ille Poeta placet.
B Cum benè Petre tuos aliquis laudaverit actus,
Alter Virgilius, alter Homerus erit.
Mitis, pacifice, clemens, affabilis, apte,
Quam bonus existas dicere nemo valet.
Præbeat ergo locum nobis annosa senectus,
Nec regimen sacrum sola tenere velit.
Robusti iuvenes animi virtute venite.
Vos populi sancti publica cura decet,
Hic est ad summos qui vos invitat honores,
Quos sibi primævo sobria vita dedit.
Hunc Cluniace tibi tellus Arvernica misit,
Qua nihil uberius Gallia nostra tenet.
Felix quæ tantum meruit producere fructum:
Pluribus Ecclesiis edidit ipsa patres.
Semper clarorum genitrix solet esse virorum:
Inde tibi datus est Odilo magnificus.
Prodiit hinc etiam Iuliani dulcis alumnus:
Qui bene Turonicæ præfuit Ecclesiæ.
Arua tuis scriptis vernant Arverna Sydoni,
Et veteris linguæ tu reparator eras.

C *Quando iterum pro reformanda Monasteriorum pace advenit.*

Dic mihi, Musa, quid est, quod sic Aquitania plaudit,
Nec sua gaudia iam dissimulare potest?
Cur etiam tu, quæ nuper mœrere solebas,
Nunc hilari facie, carmina læta canis?
Tempore transacto solummodo flere iuvabat,
Et lacrymis lacrymas addere continuas.
Has etenim solas nobis pius ille reliquit,
Qui sub patre Deo spes mea tota fuit.
Hunc fortasse tibi venturum fama susurrat?
Felix lætitiæ causa sit ista tuæ.
Ast ego fallaci non possum credere monstro,
Quod vix aut nunquam dicere vera solet.
Quod tamen audivi? iam fertur proximus esse:
Portat eum pietas, ponite vincla rei.
Pictavis exulta, quia iam tua mœnia lucent,
D Tuque suburbani nobilis aula loci.
Quamvis schismaticos habeas, & seditiosos:
Si pacem quæris, pax tua Petrus adest.
Angeriacenses frustra producitis enses:
Omnis conatus vester inanis erit.
Nescitis miseri cui bellica tela paratis,
Hic est quem bello vincere nemo potest.
Vultis scire quibus dux noster vincitur armis?
Reddite vos illi, mox superatus erit.
Credite quæso mihi, mihi credite quæso sodales,
Vestraque dura pio subdite colla patri.
Pacificus venit, nolite repellere pacem:
Vult iterum vestros conciliare reos.
Sic memores estis dulcedinis, ac pietatis,
Quam profugis etiam fratribus exhibuit?

E Sic memores estis doctrinæ spiritualis,
Quam vobis toties lingua diserta dedit?
Tunc geminata sacri fulgebant gaudia festi,
Cum tantus nobis Angelus hospes erat.
Non fuit inter nos sub eodem tempore quisquam,
In quo non eius gratia larga foret.
Certabat pietas fervens in pectore sancto,
Aut bona dando bonis, aut miserenda reis.
Quas tibi summe Deus laudes, quæ vota rependam,
Tristitiam placuit cui relevare meam?
Iam fugiant lachrymæ, suspiria longa quiescant.
Petrus adest, redijt maxima nostra salus.
Mittis eum populis iterum bone rex Aquitanis,
Dum cupis Ecclesiam pacificare tuam.
Auxiliare tuo rex invictissime servo,
Vt duplicata tibi lucra reportet ovans.
F Hic tibi de multis placuit, qui signifer esset,
Militibusque tuis civica iura daret.
Qui nos instrueret, qui nos in agone doceret,
Artibus Æthiopes vincere posse sacris.
Hunc igitur nobis longævo tempore serva,
Qui multos populos ad tua regna trahat.
Lucifer in terris cœlesti luce coruscans,
Porrige quæso pias ad mea verba manus.
Suscipe dicta tui solita pietate Poetæ,
Et minimi Petri carmina parua lege.
Ille tuus minimus ego sum, Petre maxime, Petrus,
Qui pro laude tibi parvula scripta dedi.
Tempus erat primum, cum gens Aquitana triumphum
Fecit in aduentu, Dux generose, tuo,
Vix mihi notus eras, nisi quantum partibus istis
Fama tui radios luminis intulerat.
Nec poterat certè tam clara lucerna latere,
Fixit in excelso quam Deus ipse loco.
Totus ubique tuo fulgebat lumine mundus,
Et toto celebris ibat in orbe sonus.
De probitate tua, iam mens tibi nostra vacabat,
G Teque videre mihi maximus ardor erat:
Cum subito lætus circumsonat undique rumor,
Iamque pius præsens fertur adesse Pater.
Currimus extemplo, læti procedimus omnes,
Plaudit in occursum sexus uterque tuum.
Laudibus ergo novis sacra protinus aula resultat,
Nec laicus quisquam tunc sine voce fuit.
Certatim ruimus sacratos cernere vultus,
Teque prior nostrum quisque videre cupit.
O facies hilaris, nec honore severior ullo,
Quam pia, pulchra nitens, imperialis eras!
Clamabant oculi germen regale venusti,
Quique verecundus pinxerat ora rubor:
Vestis, & incessus humili de pectore, testes,
Dicebant mundum te reputare nihil.
Quid moror? ingrederis novus intra mœnia Pastor
Ingrediens offers oscula sancta gregi.
Longa mihi fuit illa dies, audire volenti,
Esset in eloquio gratia quanta pio.
Nam laudata nimis fuerat facundia nobis:
Sed quis eam digna laude referre potest,
H Audivi, fateor, sed inenarrabile quiddam:
Audivi linguam Principis egregiam.
Sermo potens, de te non audeo scribere quicquam,
Ne tenuem calamum tam grave frangat opus.
Te coram linguæ Cicero rex ille Latinæ,
Si quid forte velit dicere, mutus erit.
Tu Socratem vincis, reddis sine voce Platonem,
Rhetoricos omnes tu trepidare facis.
Obstupui, fateor, tanta dulcedine verbi,
Incipiens mecum taliter ipse loqui.
Fama nihil dignum tanto Pastore ferebas,
Plus aliquid video vox tua quam cecinit.
O miranda nimis virtus, & gratia regis,
Qui tanto servos ditat honore suos!

A Quicquid enim sanctum, vel quicquid habetur honestum,
Et quæcumque boni principis esse decet:
Nobilitas, virtus, sapientia, sermo disertus,
Hæc sunt, huic homini gratia nulla deest.
Tunc magis atque magis tua me dilectio traxit,
Et totus rapior mox in amore tuo.
Sessio, vox, vultus, incessus, & actio tota,
In te lux hominum, plena decoris erant.
Si residere tibi claustrali more placeret,
Terrebat species religiosa leves.
Si iocundari privata locutio vellet,
Sermo repellebat tristia cuncta tuus.
Si iocunda forent semoto verba rigore,
Semper erant sancto seria mixta ioco.
Nec dulcedo Patris monachi gravitate carebat,
Nec monachi gravitas absque decore fuit.
B Quanta sit in culpis discretio percutiendis,
Quis bene, quis digne commemorare potest?
Cum tu discernis, pietas sic temperat iram,
A te puniri quærat ut ipse reus.
Soli plectuntur virga graviore rebelles,
Audient esse tuo si quis in imperio.
Verum quid facio? si linguis mille sonarem,
Non posset calamus cuncta referre meus.
Qui neque tunc potuit, licet hoc tentaverit ipse,
Præsentans magno munera parva viro.
Tantus namque pij fuit in me fervor amoris,
Vt mihi sæpe loquens, talia verba darem.
Quid facis, infelix, & cur tua musa quiescit,
Teque pio dubitas munere patri:
Crede mihi, pius est, non dedignabitur ullum,
Qui se sponte suo voverit obsequio.
Nunquid amor tantus propria mercede carebit?
Aut labor iste tuus nunquid inanis erit:
Sic ego commonitus præsumpsi de pietate:
Et plusquam merui, de pietate tuli.
Suscepit parvum pietas amplissima carmen:
C Suscepit servi parvula vota sui.
Quid tibi lux orbis pro tanto munere reddam,
Quod fuit in manibus pagina nostra tuis:
Legerunt oculi paupercula dicta beati:
O quam læta dies extitit illa mihi!
Illa dies totis a me celebrabitur annis:
Qua Pater & Dominus factus es ipse meus.
Sed cito, proh dolor! hæc habuerunt gaudia finem:
Tempora lætitiæ parva fuere meæ.
Discessit sine me, sine quo mihi vivere mors est,
Discessit Pastor, me remanente, pius.
O mea magna salus, cur me sic deseruisti?
Et cur tam subito perdere te merui?
Cur non illud iter, saltem gradiendo, peregi?
Cur non vel famulus sive pedester eram?
Quælibet & nostro penderet sarcina collo,
Et possem servis servulus esse tuis?
Certe nulla meum tardassent aspera cursum:
Vicissent miseros hæc via longa pedes.
At nimis infelix, nec tanto dignus honore,
D Factus sum vacuus spe fugiente mea.
Attamen abscedens hæc ultima verba dedisti,
Quæ quasi Patris adhuc pignora certa gero:
Petre recepturus te desero, desine flere:
Transacto modico tempore noster eris.
En ego iam multos transegi flebilis annos,
Et promissa Patris dulcia non video.
Hactenus in lachrymis ex illo tempore vixi,
Nec mea mens ex tunc absque dolore fuit.
Quamvis extiterint relevantes pectora quidam,
Te memorem nostri qui retulere mihi.
Sis memor ergo mei precor, ô dulcissime rerum,
Respiciat lachrymas cura paterna meas.
Evigilet pietas, qua semper totus abundas,
Et cuius sentit naufragus omnis opem.
Quid sic ardenter cupiam, si forte requiras:
Nil aliud prorsus quam tuus esse volo.
Me tibi perpetuum devovi tradere servum: E
Te volo post Christum semper habere Patrem.
Redde Petrum Petro, minimum, Petre maxime, summo:
Sic tibi sit Petrus claviger ille pius.
Sic in te magni sapientia crescat Odonis:
Ordinis ipse viam sic reparare queas:
Lucida Maioli sic in te vita resurgat:
Plurima sic Domino de grege lucra feras.
In te sic Odilo, magnusque refloreat Hugo,
Spiritus amborum sit tibi Petre duplex.

*In laude triumphi eius Romæ habiti contra Pontium & Pontianos, qui memoratum Petrum ab Abbatiali dignitate extrudere moliebantur.* F

Iam tibi, Petre, novi celebrantur ubique triumphi:
Iam tibi sub pedibus gens inimica iacet.
Iam Pater egregie, quia victor ab urbe redisti,
Pontionistarum perfida lingua silet.
Ora proterva canum rabidos posuere latratus:
Sensibus amissis corda maligna stupent.
Non ita sacrilegi contingere posse putabant,
Cum vomerent rigidas ore tumente minas.
Cum tibi plaudentes similem revocasse magistrum,
Criminibus variis libera frena darent.
Vere nulla potest hominum versutia summi
Iudicis æternum vertere consilium.
Salve magnorum fortissime victor agonum,
Salve cui Christus ensis & hasta fuit.
Vicisti, dilecte Deo, frustraque prophanus
Exeruit vires in tua damna furor.
Ecce, velit, nolit gens impia, turba rebellis,
Cluniacus totus ad tua iussa tremit.
Ecce, velit, nolit, regalia sceptra tenebis,
Atque triumphator imperiosus eris, G
Quid facis impietas? quid bruto pectore versas?
Quid loqueris? certe nil prohibere potes.
Certe Petrus adest, Petrus Abbas Cluniacensis,
Petrus mors vitiis, exitiumque tuis.
Cuius dura satis tua sentiet arma libido,
Cuius non fugies plebs scelerata manus.
Quo regnante nihil poterat regnare superbum,
Quo duce criminibus iam via nulla patet.
Iste, licet doleas, licet hoc nullatenus optes,
Victor magnificus iam sua iura tenet.
Gens inimica Deo, voluisti, nec potuisti:
Sed Deus ut voluit, mox etiam potuit.
Tu reprobare probum reprobata mente volebas,
Noluit hoc Christus, & tibi posse tulit.
Cui merito soli grates & munera laudis
Solvimus, ob nostri mira trophæa ducis.
Qui de tam validis ereptum cladibus illum,
Alta super populos sceptra tenere facit.
Plaudimus ergo tuis, Pastor venerande, triumphis,
Reddimus & summo debita vota Deo.
Sic probat ipse suos per multa pericula servos: H
Sic inimicus eo præcipitante ruit.
Sic dedit esse malis bonus auctor in ordine rerum,
Vt pereat reprobus proficit unde pius.
Vivit enim iusto vir iniquus, iustus iniquo,
Vt veterum Patrum pagina sacra docet.
Læsa quidem modicum respublica nostra videtur:
Multa sed hæc nobis læsio lucra refert.
Miro namque modo res contigit, unde nocere
Se putat impietas, hinc bona multa facit.
Nulla tibi deerat iuvenis perfectio sanctæ,
Iam poteras Patres æquiparare tuos.
Solum restabat, ne lux sub nube lateret,
Sed toto radios spargeret orbe suos.
Hactenus Oceanus te noverat, atque tuarum
Conscia virtutum Gallia sola fuit.
Dumque sibi soli tantum genuisse patronum,
Plauderet egregio germine facta potens:

A Est nova causa novi divinitus orta triumphi,
Quo tibi Romanum jam favet imperium.
Ipsaque sacra tuas admirans Curia vires,
Totius ad mundi frena regenda vocat.
Quid Latias urbes, quid Rheni littora, quidve
Pannonicam gentem proxima regna loquar?
Iam tua Barbaricos penetravit gloria fines,
Laudat & indomitus bella peracta Gethes.
Quemque prius modico certaminis igne probatum,
Pars non terrarum fecerat una ducem;
Nunc ope cœlesti bivantus hoste fugato,
Tota triumphantem terra videre cupit.
Grande lucrum facimus, quia causa seminator hujus,
Corruit ex toto perfidus ille draco.
Cumque caput lubricum sustollere nititur anguis,
B Rumpitur, & moriens atra venena vomit,
Interiere nigri præstigia fœta colubri,
Nec patitur monstrum vivere Roma diu:
Sed mox ancipiti gladio fera colla trucidans,
Defendit Petrum Petrus ab hoste suum.
Non potuit ultra sub ovini velleris umbra
Horrida in agnorum membra latere lupi.
Omnia quæ fuerant habitu pietatis aperta,
Sacrilegæ mentis impia furta patent.
Totius Erudini coluisse fertile [illegible],
Et noce [illegible] Ital[illegible] defuisse solum.
Hic illum sacri sententia prima Senatus,
Heu! male vicino truserat exilio.
Tentavit proprias eremita relinquere sylvas,
Et semel abjecto rursus honore frui.
O quantos populos talibus vitiasset iniqua,
C Ni celerem nobis Roma tulisset opem!
Quanta diabolico cecidisset agmina telo,
Plebis & indoctæ quanta ruina foret!
Unum de magnis subito advenisse Prophetis,
Rumor in occiduis partibus ortus erat.
Iamque novum sectam vulgaris fecerat error,
Dum putat nunc aliquem rustica turba Deum.
Hic novum Moysen, hic Daniel, ille Ioannem:
Alter Helisæum, vel Salomona vocat.
Alter eum tenui circumdare brachia ferro,
Martyrijque novum fert tolerare genus.
Alter ab humanis epulis omnino sequestrem,
Non nisi cœlestem sumere posse cibum.
Quilibet altari nudis assistere plantis,
Laudat, & innumeras continuare preces.
At qui major erat [illegible],
Clamitat in medio talia verba foro.
Currite languentes, hominémque requirite sanctum,
Currite, Martinus ecce secundus adest.
Cui placuit spretis Cluniensibus, ut per arenas,
Trans mare Tyrrhenum quæreret ipse Deum.
D Nunc igitur rediens, ut pristina tuta reposcat,
Angelico monitu plurima signa facit.
Forsitan [illegible] Martinus in orbe revixit,
Qui [illegible] omne malum.
Sed quis tot vana furiosi [illegible] vulgi,
Vel ridere satis, vel memorare potest?
O quoties, electe Deo, trepidavimus omnes:
Utpote quos verus sollicitabat amor?
Ne levibus nugis gravitas Romana faveret,
Verteret & lubricus sobria corda magus.
Nec doctos etiam Brutos, rigidosque Catones,
Tentaret variis illaqueare dolis.
Triste quidem dictu, sed maximus ille Girardus,
P[illegible] hac potuit calliditate capi.
Quid [illegible] ultra fines, si facerit ipse Senatus,
Urbique [illegible] tota faveret ei?
Sed procul [illegible] Deus hoc avertat ab urbe,
Quæ sub se populos totius orbis habet.
Nil ibi sacra fides damnorum pertulit unquam,
Quo fidei magnus sceptriger ille sedet.
Cujus purpureo fundati sanguine muri,
Nec sævas hyemes, nec fera bella timent.

Non impar Paulus eadem quoque mœnia servat. E
Et simul ambo tenent imperiale decus.
Tantis Principibus commendatam civibus urbem,
Nullius erroris secta nocere potest.
Vobis ergo Patres, summique Tonantis amici,
Carminis ac laudis vota referre libet.
Vos etenim spectat [illegible] triumphus,
Quem [illegible] vestro [illegible] pugna fuit.
Hic est ille [illegible] quem vos voluistis,
[illegible].
Sub vestris Aquilis [illegible],
[illegible].
Sæpe ferum sacris hostem contriverat armis,
Sæpe graves [illegible].
Sæpius [illegible] gelida sub nocte vagantes,
Sæpe Moabitas depopulatus erat.
Multoties [illegible] Assyriorum F
Repulerat [illegible].
Denique nullus eum belli [illegible] terror,
Nunquam [illegible].
[illegible] Patres:
[illegible].
[illegible],
[illegible].
[illegible],
[illegible] nos.
Nec [illegible].
[illegible].
[illegible].
Romanæ [illegible]:
Non sine consilio cœlesti credo fuisse,
Quod prope civili jam titubante statu, G
[illegible] tuendo,
[illegible].
Sit [illegible] regali dignus [illegible],
Solus [illegible].
O quibus æthereas aperire & claudere portas,
Et secreta Dei cernere cuncta licet.
Vobis [illegible] datum est, quænam sint [illegible],
[illegible] quæ mentem [illegible] tota tui.
Vos oculis vestris, quos nulla abscondita fallunt,
Sic [illegible] Petrus, dux[illegible] patet[illegible].
Nam [illegible] honore,
Iudice [illegible] qui bonus esse potest.
Felix, à vobis qui fortior esse putatur
Omnibus, & sancto dignior imperio,
Inde procul [illegible],
Nulla virtutis [illegible].
Nec velut quondam crebro [illegible],
Sanguinis [illegible], quod sibi vena negat.
Sic habet ille aliquid, per[illegible] paterno
Religionis inest, ac probitatis amor.
His sibi visse sui veteres, atavique probantur:
His habuit, colunt semper [illegible] parens.
Nonne Arvernorum clarissima gloria quondam H
Extitit, & patriæ lumen, honorque suæ
Sanctus Mauritius? quem nostra Aquitania raptum
Deflet adhuc, cum quo decus atque potentia gentis
Tota sepulta foret, nisi quod generosa remansit
Progenies, in qua velut transfusa relucet
[illegible] virtutis imago?
Terge igitur lachrymas Aquitania: quidquid in illo
[illegible] dolebas,
[illegible] fœnore reddit.
Nec [illegible] pulcra de conjuge natos,
[illegible],
[illegible],
Vivere [illegible] Otto [illegible].
Cumque [illegible],
In septem reliquis [illegible] splendore [illegible],
Tu tamen inter eos [illegible] & inclyte Pastor
Splendidius rutilans, ut cætera lucifer astra,
Clara tui generis radiando sidera vincis.
Felix mater ave, cui tales edere partus,
Virgo Maria dedit: tu nostri temporis ævo

A Profers occiduis ingentia lumina terris.
Cumque alias superes felici germine matres,
Tu quoque in egregio meruisti vincere Petro,
Quem pius ille parens hominum, rectorque serenus
Propterea ad summos conscendere iussit honores,
Vt bene pro patriis pugnando legibus, omnes
Antiochi vires bellorum turbine frangat,
Et renovet nostro Machabæi tempora seclo.
Vos autem summi qui regna tenetis Olympi,
Vos inquam Patres, ad quos mea Musa recurrit,
Carmine finito, quid vestra in laude peregi,
Auxiliatores votorum posco meorum.
Nunc igitur primum te cœli ianitor alme,
Qui, tuus ut miles Cluniensia sceptra gubernet,
Præcipitas reprobum sacra de sede tyrannum,
Per tua in æquoreis vestigia fluctibus olim,
Per fidei titulos, & per tibi tradita iura,
B Per Latium Romámque tuam, clavésque per illas,
Quæ possunt reserare polos, & claudere cui vis,
Pérque sacrum quo sic à te est dilectus amorem,
Vt solus populis ex omnibus ipse placeret,
Qui dux castrorum fieret princepsque tuorum:
Obsecro, supplico, postulo, flagito, deprecor, oro,
Fac meminisse sui Petrum, Petre maxime, Petri.
Te quoque Paule sacer, cuius doctrina salubris
Ecclesiam Christi toto fundavit in orbe,
Te vas electum, tuba cœlica, maxime præco,
Poscimus, exaudi nostri suspiria voti.
Ambo simul Domini & Patres succurrite quæso,
Vt pius, egregius, mitissimus, atque benignus,
Cum peragrando sui longe lateque professi
Imperij terras, urbes, castra, oppida, villas,
Nobilium procerum sese comitante senatu,
Dignatus fuerit nostras invisere partes,
C Totaque quam gemino terrarum limite gentem
Vltimus Oceanus Ligerináque littora claudunt,
Ingentes dederit pro tanto Principe plausus.
Ac populorum concurrentibus undique turbis,
Quisque videre prior vultus properaverit illos,
Qui desperatas faciunt hilarescere mentes,
Qui tristes homini possunt dissolvere curas:
Tunc mihi magnorum longe post terga virorum,
Ignoti vulgi numerosa in plebe latenti,
More suo factam dignatus tendere dextram,
Serve meus, dicat, accede, & alacrior esto.
Non ultra factis promissa implere morabor.

*Quando ad Aiam Insulam transfretavit.*

DVm placet Aienses, pie Pastor, visere fratres,
  Obsequium præstant ipsa elementa tibi.
Totus opertus erat pluviis australibus æther:
  Vt tua vela videt territus imber abit.
D Ne tumidæ fierent sævis aquilonibus undæ,
  Mox ut eas intras ventus & aura fugit.
Multa polum nubes caligine texerat atra:
  Te ascendente ratem cuncta serena patent.
O sacer & felix, cui tam gratanter obedit,
  Summa Dei virtus quicquid in orbe creat.
Iam memor esse tui dignare vir inclyte servi,
  Obsecro ad effectum iam mea vota trahe.
Fac me posse tuos Clunienses cernere tecum:
  Sic honor & virtus, vitáque longa tibi.

*EIVSDEM PETRI PICTAVIENSIS Monachi, ad Calumniatorem.*

SCio invidiam quamdiu hoc seculum steterit, nun-
quam penitus morituram. Quamvis ergo unde
mihi invideatur ego non habeam: quis enim pauperi
invidet? prouidenda tamen responsio est his qui san-
ctissimos se arbitrantes, nos quasi de vanitate for-
sitan & adulatione notabunt. Quibus nos apertis-
E sime respondemus: Hanc nostram paginulam non
adulationi, sed communi utilitati servire. Audiat
igitur noster iste sanctissimus, quæ sit huius rei uti-
litas. Naturale quodammodo & proprium est nobi-
lium & ingenuorum animorum, quanto maioribus
laudibus attolluntur, tanto amplius ad probitatem
eniti. Et quidem mihi, quod viro reverentissimo,
cuius laudes parumper attentare præsumpsi, nulla de-
sit perfectio, luce clarius constat. Sed quia omne da-
tum optimum, & omne donum perfectum desursum
est descendens à Patre luminum: quotiens in aliquo
Dei gratiam prædicamus, ad ipsum sine dubio largi-
torem tota laus ipsa refertur. Scriptum est, *Laudate
Dominum in sanctis eius.* Quòd si opponatur, sanctos
post hanc solummodo vitam debere laudari: nos econ-
tra referimus ipsum Dominum Christum Ioannem
Baptistam adhuc in carne viventem laude præcipua
F commendasse: Nathanael quoque ad se venientem
verum sine dolo Israelitam vocasse. Item legimus
Paulum Apostolum discipulos vel Coapostolos suos
multotiens summis laudibus extulisse. Ipse etiam di-
xit. *Honore invicem prævenientes, &c, cui honorem,
honorem.* Sulpitius Severus beatissimo adhuc viuente
Martino, multa de virtutibus eius scripsit. Celeber-
rimi patres Ecclesiæ Augustinus, Hieronymus, Am-
brosius, Paulinus, multis sese alterutrum laudibus
honorant. Ex quibus etiam beatus Paulinus iam apud
Nolam Campaniæ relicta seculi dignitate presbyter &
monachus, in laude magni imperatoris Theodosij li-
brum elegantissimum legitur conscripsisse. Sidonius
vir eruditissimus, & ardentissimi ingenij, ex Præfe-
cto & Consule antiquus Arvernorum Episcopus:
quantis præconiis omnes pœne sui temporis illustres
viros efferat, Epistolæ ipsius tam in metro quam in
G prosa elegantissimæ, intelligentibus testes existunt.
Sed & inclytus martyr Cyprianus, quibus laudibus
vel Papam Cornelium, vel Celorianum lectorem,
aliósque sanctos adhuc cum diabolo & cum mundo
pugnantes in suis Epistolis prosequatur, clarum est.
Fortunatus etiam noster Pictaviensis sive Presbyter
sive Episcopus, qui satis in Poëtica claruit, Grego-
rium Turonicum, plurimósque alios Episcoporum sui
temporis, regem quoque Sigibertum, quam plau-
sibili Panegyrico extulerit, non ignoramus. Tempus
mihi priusquam sermo deficiet, si singillatim dicere
cœpero, quot vel quanti Patres nostri & viri reli-
giosissimi mutuis sese laudibus honorare, commen-
dare, exhortari, non adulationis causa (ut quidam
nostrorum temporum imperitissimi, & antiquitatis
omnino nescij, somniant) sed quadam humanitatis
ac pietatis honestissima consuetudine, studuerunt.
Iam vero si ad gentiles Philosophos veniamus: quis
eo tempore vel historiam vel aliquid ad liberalium ar-
tium disciplinam pertinens, nisi in laudibus Regum
H aut Imperatorum scribebat? De quorum numerosa
multitudine illud mihi occurrit, quod vir gravissimus
Tullius in libris de Republica scripsit: scilicet Prin-
cipem civitatis gloria esse alendum, & tamdiu stare
Rempublicam, quamdiu ab omnibus honor Principi
exhiberetur. Sufficiant ista invidiæ: iamque noster
iste sanctissimus erubescens, Dominos & Patres no-
stros debitis laudum præconiis reverenter à nobis ex-
coli atque honorari permittat. Nam qui bene lauda-
bilis est, nunquam de virorum laudabilium laudibus
irascetur.

*Adversus Barbarum.*

BArbare crudelis, homo bestia, livida pestis,
Carpere qui laudes Petri Venerabilis audes.
Non habeo mirum, te nobis frendere dirum.
Nam quod sic sævis, proprium solet esse Suevis.
More tuæ gentis de nostro carmine sentis.
Quid laus, quid carmen, quid vitæ dulce levamen,

A Quid pax, quid pietas, quid virtus, quid sit honestas,
Barbare tu nescis: ideo livore tumescis.
Ergo tace Cymber, ne te meus obruat imber.
Si non desistis, non solum versibus istis,
Sed multis libris indicam prælia Cymbris:
Et genus omne tuum luet impia crimina tecum.

*Epitaphium Gelasij Papæ secundi.*

VIr gravis & sapiens actu, verboque Ioannes,
Cum prius ex Monacho pro multa strenuitate
Archilevita foret, & Cancellarius urbis;
Præsule Paschali meritis ad sidera rapto,
Præmeruit tandem sacram conscendere sedem,
Dignus post primum Gelasius esse secundus.
B Sed quia rege fuit non præcipiente levatus,
Horrendum fremuit Princeps, & filia dulcis
More suo profugum suscepit Gallia Patrem.
Si licuisset ei (pro certo crede,) sub ipso
Virtus, & pietas, & honestas cresceret omnis:
Et pax Ecclesiæ toto floreret in orbe.
Nam rapuit mors atra virum, cum Pontificatus
Vix ageret primum pastor venerabilis annum.
Bina dies iam restabat, cum Cluniacensi
Dormiit in proprio Romani iuris asylo.
Hic igitur positus dilectos inter alumnos,
Cum Patribus sanctis requiescit, & optat ut orbis
Conditor, & iudex veniat quandóque potenter,
Et cineres lapsos in pristina membra reformet.
Felix inde nimis semper Cluniace manebis,
Quod Pater orbis Apostolicus, summúsque sacerdos
Ecclesiæ, matrisque tuæ specialis, apud te
Transiit ad superos: in te requiescit humatus.
Nec minus hic etiam felicem credimus illum,
Cui dedit ipse pius magno pro munere Christus,
Vt monachi Monachum, Patrem quoque pignora chara
C Iugiter aspicerent, lachrymisque rigando sepulchrum,
Sacris in precibus specialem semper haberent.

*Epitaphium Adefonsi Episcopi.*

VRbs est Hispanæ regionis, quam Salamancam
Indigenæ dicunt, hanc ordine Pontificali
Rexit Adefonsus, tumulo præsente sepultus.
Qui de Concilio Remensi dum remearet,
Hic finem fecit pariter vitæque viæque.

EIUSDEM PETRI

D PICTAVIENSIS

MONACHI EPISTOLA
AD DOMNVM PETRVM
Abbatem Cluniacensem.

*REVERENTISSIMO DOMINO AC Dulcissimo Patri suo Petro sanctæ Cluniacensis Ecclesiæ Abbati, Petrus Pictaviensis peccator & infirmus Monachus, quicquid optimo Patri devotissimus filius.*

VIdi, Pater charissime; inspexique libellum studiosius, qui vix aliquo temporis intervallo de manu mea recedens, quanto frequentius legitur, E tanto amplius legentis animum trahit: quanto subtilius discutitur, tanto dulcius sapit. Et ô scriptura omnifaria laude dignissima! quæ, vt Flaccus ille ait,

*Iudicis argutum nusquam formidat acumen,*

fons sapientiæ, fons eloquentiæ, fons eruditionis, omnes ingeniorum nostrorum lucernulas subito coruscantis eloquij fulgore reverberasti. Ego certe me hactenus aliquid scire putabam. Iam vero, vir disertissime, non solum mei similes, verumetiam omnes nostri temporis, qui vel valent, vel se aliquid valere putant in litteris, in vestri comparatione quid sumus? Vere ego cum vestra lucidissima, sapientissima, & argutissima dicta respicio, ac deinde ad mea inepta, puerilia & insulsa recurro; valde quod me aliquid unquam scire putaverim, erubesco. Et quidem noveram iam diu est, universis Galliæ nostræ Philosophis, his maxime temporibus, quibus ad occasum cuncta ruunt, sed & ipsa studia, vestri acumen ingenij præminere. F Verum ex quo præfatum codicem vidi, non modo istis, quia parum est, vestram excellentiam præfero: sed & quibusque anteriorum temporum perfectissimis eam comparare non dubito. Ita quippe omnium liberalium disciplinarum scientiam vos assequutum videmus, ut nisi ab illo, per quem dona scientiæ unicuique distribuuntur, cor vestrum occulta inspiratione iugiter illustrari sciremus: hominem pene adhuc primævum, & (quod mirabilius est) nostri seculi ætate, quo funditus intermissa & emortua cernimus studia literarum, tanta comprehendere potuisse, ultra quam credi valeat, miraremur. Nam, vt de divinis litteris taceam, quas utrumque Testamentum memoriter retinendo, in promptu semper habetis: quis unquam Plato subtilius, quis Aristoteles argumentosius, quis Cicero pulchrius aut copiosius aliquando quicquam disseruit? Quis Grammaticus instructior, quis Rhetoricus ornatior, quis Dialecticus fortior, quis Arithmeticus numerosior, quis Geometricus regularior, quis Musicus cantilenosior, quis Astronomicus perspicatior extitit? Sed & si de G sanctis Patribus aliquid dicere audeamus, vos ab unoquoque quatuor fluminum Paradisi, quæ post sanctos Evangelistas totum orbem irrigant, aliquid simile reportastis: quia cum Hieronymo velox, cum Augustino profusus, cum Ambrosio profundus, cum Gregorio clarus inceditis. Expergiscimini ergo, vir eloquentissime, & fidelibus conservis doctrinæ cibaria, quibus certe cunctis decessoribus vestris plenius abundatis, non solum loquendo, sed etiam scribendo, erogare studete. Ita quippe non nobis solummodo, verum quibúsque remotissimis: nec præsentibus tantum, sed & futuri temporis Christianis multum prodesse valebitis, si more Patrum vestrorum, prout vobis Spiritus divinus suggesserit, in Sermonibus, in Epistolis, diversisque Tractatibus, tam præclari monumenta ingenij posterorum memoriæ relinquatis. Ad hoc enim sublimi Ecclesiæ suæ specula sanctitatem vestram providentia superna constituit, quatinus per viam Sion ad æternæ Hierusalem gaudia festinantes, ab infestantium Babyloniorum incursionibus defendatis, H omnésque viatores erraticos, ad viæ regiæ semitam, tota die & nocte non tacendo, reducere valeatis. Date igitur operam, ô magnum nostri seculi decus, ô clarum sidus mundo divinitus ortum: ne creditus vobis thesaurus inutiliter lateat, sed magis magisque nummulariis erogatus, pérque vestram industriam centuplicatus, nobis & vobis sublimem immortalitatis gradum acquirat. Scio me valde temerarium esse, quia taliter exhortari vos audeo, sed ignoscat mihi serenissima pietas, de qua multum præsumo. Nam quia, Pater amantissime, iactantiam omni studio declinatis, non mediocriter timeo, ne forte quasi sub hac intentione nimium latere velitis. Providendum est, vir discretissime, ne dum laudari ab hominibus nimium fugitis, ea quibus à bono

A patrefamilias fidelis ille servus Evangelicus plurimum laudari merebitur, omittatis. (Mat. 25.) Considerate obsecro, quia si sancti Patres nostri huiusmodi occasiones inveniendo nihil olim scripsissent, sed quamlibet bonam vitam inerti silentio transegissent, proculdubio nec tantos Deo populos acquisissent, nec apud nos modo tam celebrem, dulcémque memoriam habuissent. Scribendo autem, & Deo placere meruerunt per duplicem fructum sanctæ prædicationis, & cunctis post se venientibus exemplum præbuerunt piæ imitationis. Inde est quod tantum sui amorem fidelium cordibus impresserunt, dum in eis Deus loquens attenditur, & doctrina sancti Spiritus honoratur. Fit autem divina gratia mirabiliter operante, ut dum charitatem Dei legentium vel audientium mentibus accendunt, ipsi etiam apud fideles Dei causa amoris eius amabiles & desiderantissimi existant: quodque pia iocunditate admirari possumus, B iampridem mortui in suis sermonibus vivant: & cum corporaliter non videantur, spiritualiter quotidie præsentiam suam nobis exhibeant. Verum quid facio ego, maiestati vestræ talia persuadendo, & quasi rem difficilem vel alienam à personæ vestræ officio, verborum superfluitatibus extollendo: cum scribendi studium speciali prærogativa Cluniacenses Abbates à temporibus antiquis obtineant? Nec certe sola auctoritate compelluntur ut scribant: sed & si non fecerint, sicut degeneres, multúmque patriæ formæ dissimiles, necesse est erubescant. De quorum Patribus gloriosissimis, solus ille pro exemplo nobis sufficiat: qui & prima civitatis nostræ fundamenta locavit, primúsque tantæ Reipublicæ princeps, primus tanti Cœnobij Pater, primus tantorum in Christo filiorum genitor & nutritor esse C promeruit. Odonem dico beatissimum, vitæ sanctitate præcipuum, doctrina & miraculis gloriosum. Qui quoniam non solum apud nos: sed & per omnes pene Latinitatis Ecclesias, maxime ob istiusmodi studia celeberrimus esse dignoscitur: cunctis successoribus suis huius officij gratiam iure hæreditario transmisisse, suóque principio quasi dedicasse videtur. Quod si quosdam eorum nihil penitus scripsisse obiicitis: excusatur Heimardus cum utroque Hugone: quibus videlicet illa eruditionis perfectio defuit. Excusatur Maiolus, quia fortassis ad hoc vacuum tempus non habuit. Vos autem quam excusationem affertis, qui si istis comparemini, solam inter eos linguam habetis? Orantem pro me beatitudinem vestram Deus misericors & omnipotens hic & in æternum custodiat: domine sancte, meritoque venerabilis & dilectissime Pater.

D

# SANCTI PETRI MAVRICII DICTI VENERABILIS, ABBATIS CLVNIACENSIS Epistolarum libri sex.

## *LIBER PRIMVS.*

### EPISTOLA I.

*Summo Ecclesiæ Dei Pastori, & nostro speciali Patri Domino Papæ Innocentio, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, devotissima humilitatis obsequium.*

DOMINVS Burdegalensis Archiepiscopus inter cætera bona sua, quæ & ipse non ignoratis, E multo erga vos fervens amore, per partes nostras nuper transitum fecit: & de prosperis successibus vestris nos non minimum lætificavit. Et quoniam ob reformandam pacem Ecclesiæ Dei, totam vos operam impendere, omne studium adhibere, nullum laboris periculum renuere retulit: motus sum animo ad vobis scribendum, quia corpore non poteram ad collaborandum. Doleo quidem, & non parum, teste illo quem fallere non possum, contristor, quod sine me labores tantos hoc maxime tempore toleratis: sed fragilitas cerei vasculi mei tanta est, ut, sicut sæpe expertus sum, ad Italiæ soles prius pene cogatur liquescere, quam incipiat apparere. Vidistis ipse, qualiter hac de causa nuper apud Pisas & vobis inutilis, & mihi ipsi importabilis eram, ut nisi cito recedere festinassem, vitam simul & negotia terminassem. Ea sola & tota causa est, quæ me tamdiu vobis absentem facit. F Quæ si aut removeri, aut temperari utcunque posset: nihil me de reliquo à paternitatis vestræ vestigiis avellere, nulli casus filium à paterno latere abrumpere prævalerent. Interim quod possum facio, & his litteris charitativa præsumptione, & filiali devotione admoneo, vt Ecclesiæ Dei onera, quæ nostris diebus non humana, sed divina censura humeris vestris imposuit, viriliter subportetis: neque quantalibet laborum diuturnitate fatigemini. Quoniam qui in vobis solo spiritu suo universam Ecclesiam univit, & totum pene orbem pedibus vestris subiecit: paucissimos, qui supersunt, inimicos subiiciet, & nomen Catholicum super omne nomen hæresum & schismatum, vt assolet, attollet. Vnde constanter, ut hactenus, vos habete, quoniam nunquam effectu frustrari potest ea oratio, qua Christus pro Petro oravit, vt non deficeret fides eius: (Luc. 22.) G sed potius ipse lapsos erigeret, trepidos confortaret, dubios confirmaret. Habetis cum tota Ecclesia vobis à Deo commissa, & me in membris Christi ultimum, vestrumque pariter Cluniacum: qui quamdiu fuerit spiritus in naribus nostris, ad obediendum, ad collaborandum, fortassis etiam ad commoriendum parati erimus. Nulla certe mutabilium rerum permutatio nos mutare, nulla varietas variare: nihil nos à Pastore, nihil à Petro, nihil à Christo, quæ omnia in te uno habemus, separare poterit. Sit ubicunque occurrerit habitatio vestra, manebit vbique vobiscum obedientia, & devotio nostra: quoniam & secundum Poëtam,

——*Veios habitante Camillo,*
*Illic Roma fuit.*

& Petrus in carcere, Clemens in exilio, Marcellus in catabulo, non minus quam Laterani Ecclesiæ præfuerunt, & oves Christi eis ut veris Pastoribus obedierunt. Recordamini Ecclesiam semper laboribus crevisse, passionibus multiplicatam esse, tolerantia H cuncta resistentia evicisse. Adaugeat vobis spem perfectæ victoriæ, ipse iam elapsus numerus annorum: quia qui per septem annos feliciter contra Dei adversarios dimicastis, in octava resurrectionis, velut post devictos inferos, Alleluia cantabitis: & Ecclesia quæ post Christum suum de torrente in via bibit, propterea exaltabit caput. (Ps. 109.)

(Harum Epistolarum seriem ac dispositionem, ordinem suum genuinum restituimus, iuxta fidem ac testimonium Chronici Cluniacensis.)

### EPISTOLA II.

*Singulariter venerando & specialiter amplectendo, domino & Patri suo Matthæo Albanensi Episcopo, F. Petrus humilis Cluniacensium Abbas, Salutem, quam promisit Deus diligentibus se.*

AVdiens nuncios vestros, legens litteras vestras, agnoscens indeficientem erga nos amorem vestrum: erubesco quod nihil dignum tanto affectu

compensare

A compensare valeo, nihil tantæ charitati sufficiens retribuere me posse cognosco. Nihil plane, quia etsi universa nostra vobis impenderem, nec sic digna rependerem. Vt enim Salomon ait in Canticis, *Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.* (Cant. 8.) Nihil est ergo quantum ad istud omne quod habeo: & ideo nihil in istis, meritis vestris condignum invenio. Est tamen aliquid, quod non nihil esse videatur. Si charitate non ficta diligens diligatur: hoc certe tam magnum est, quam magna & ipsa charitas est. Hanc reverentiæ vestræ, prout valeo, integro corde rependo: vnde iam aliquid vobis retribuisse confido. Statum nostrum, super quo sollicitam dilectionem vestram agnovi, à benigno Salvatore benigne atque pacifice disponi noverit, præter quod Hispania morte regis Aragonensis novis motibus turbata, quibusdam Monasteriis nostris consimilem perturbationem minatur. Reliqua per fratres B nostros Petrum & Bernardum domno Papæ vobisque nota fecimus. Sed quod eis festinantibus & nobis occupatis tunc mandare nequivimus, nunc litteris præsentibus intimamus. Domnus Trecensis Episcopus, ut nostis, charissimus noster, paratus est, ut dicit, dare nobis in Ecclesia sua unam præbendam, sicut Carnoti vel Aurelianis antiquitus datæ sunt: ut redditu illius multa, quam non ignoratis, Cluniacensium fratrum indigentia relevetur. Hoc si secundum Deum fieri potest, rogo ut per vos fiat. Sin autem, nec totum mundum lucrari, quolibet animæ periculo volo. Constantinus presbyter, Cluniacensis hostis, & antiqui schismatis auctor, cumulo malorum priorum etiam recens periurium adiecit: & die causandi cum Stephano in præsentia nostra suscepta, me inscio, sicut audivi, Pisas profectus est, vt solitis mendaciis curiæ nostræ iudicium subterfugiat. Super quo per vos C domno Papæ intimari peto: ne presbytero nostro iudicium Ecclesiæ nostræ, à qua nil læsus est, subterfugere liceat. Nam si aliter fieret, & à tam vili persona tantam Ecclesiam deformari permitteret, plusquam ad præsens dicere possim, Cluniacenses suos quod tamen salva maiestatis eius reverentia dictum sit, perturbaret. Abbas Bonævallis, quæ iuxta Carnotum est, cum quampluribus honestis & sapientibus viris, vt asserit, Cluniacum venire disponit: si per consilium sapientiæ vestræ licentiam recedendi à domno Papa impetrare potuerit. Nostis enim causas, quibus irritatus diu a suis teneri non possit. Vnde & super hoc litteras sibi mitti precatur. De statu domni Papæ & vestro, quem prosperari tam pro communi utilitate, quam pro vestra requie, avidissime desidero, mihi quod est, remandate: ut cognitis quæ circa vos sunt, aut congaudeam, aut col- D laborem.

## EPISTOLA III.

*Venerabili & charissimo nostro domno Aimerico Sedis Apostolicæ Cardinali & Cancellario, Fr. Petrus humilis Cluniacensium Abbas, salutem.*

DOleo, & non parum contristor, quod sicut negotiis nostris, & quorundam aliorum expediret, morari vobiscum aliquamdiu in curia, corporis fragilitate & contrarij aeris qualitate prohibente, non possum. Sic ita natura mea universa Italicæ regionis elementa simul & alimenta sibi nociva quam maxime sentit: ut illuc ire mortem, redire vitam arbitretur. Vnde frequentius in causis emergentibus, vices meas literis meis committo: ut per eas expleam quod per me non valeo. Rogo igitur sinceram erga me iam ab antiquo amicitiam vestram, ut in negotio præsenti (quod meum non nisi ex charitate est) ipsa magis quam ego charitas audiatur, & probatæ veritati

E magis quam mihi scribenti credatur. In partibus nostris, quod vos ex parte nosse existimo, sic rerum ordo mutatus, sic pax Ecclesiastica inter plurimos perturbata est, ut corporis Christi membra contra se invicem insurgant: & velut si digitus oculum eruere minetur, vel manus pedem abscindere tentet, ita se intestina discordia vastant, & non tam gladiis quam odiis, non tam percussoribus quam cupiditatibus insectantur. Et quod amplius perversum est, minoribus maiores, subditis Prælati, Monachis Episcopi, sic infesti sunt: ut non sicut Pastores gregem pascere, sed sicut vere secundum Evangelium mercenarij, ad lanam tondendam, & lac emulgendum toto annisu intendere videantur. (Ioan. 10.) Hæc querela cum multorum monachorum adversus multos Episcopos sit, Anianensis tamen Monasterij contra Biterrensem Episcopum nuper importabilem querelam accepimus. Quam si per singula explicare tentavero, nimius vel forte tædiosus apparebo. F Ad quod vitandum, tacendi consilium assumpsi: pro universis, quæ diffusius enumerare potuissem, breviter deprecans, ut fratres illos ad vos venientes benigne audiatis, & exaudiatis: & ut spiritualis monasticæ religionis defensor, Anianense monasterium nobile, &, ut ipse vidi, religiosum, tam pro salute animæ vestræ, quam quia sub tuitione Apostolica ab antiquo constitutum est, à tantis oppressionibus eruatis.

## EPISTOLA IV.

*Totius reverentiæ & dignitatis viro, vere sacerdoti Dei, Hugoni Rothomagensium Archiepiscopo, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, sanctorum sacerdotum honorem & gloriam.* G

MAndavit nobis reverenda charitas vestra in fine litterarum suarum, quatinus esse charissimi fratris & filij vestri Guillelmi rescriberemus vobis. Nos autem in ultimo quasi de re contemptibili eius mentionem facere refugientes, in primis ut dignum est eum ponimus, quem nequaquam in superno ordine novissimum locum iam tenere speramus. Delatus sancto desiderio suo, & laudabili studio vestro, ad pauperis Martini diversorium, dici non potest quo gaudio exultaverit, quantas Deo gratias egerit: quod post tam longos terrarum circuitus, ad patris sinum filius, ad nutritoris gremium alumnus redisset, atque in eius manibus extremum se fundere spiritum speraret. Hoc gaudio cum venimus, exultantem invenimus. Adaucta est ei tanta de adventu nostro lætitia, ut iam pene totius incommodi oblitus, seipsum vix caperet: & nisi lectus, quo decumbere cogebatur, ægrum H proderet, vultus & gestuum alacritas sanissimum indicaret. Visitatum se à Deo, datum sibi esse supra quam petiisset, aut intelligeret: ad se venientibus, & singulis & omnibus fatebatur. Nihil sibi iam deesse, securum se misericordiam Domini præstolari, vocationem suam non iam timere, sed optare, assidue protestabatur. Quotidiana à nobis visitatione frequentatus, peccata confiteri, Deo gratias agere, fratrum se orationibus commendare non cessabat. In huiusmodi studiis constitutum, cum eum paulatim viribus extenuari, ac magis magisque debilitari cerneremus: à domno Vizeliacensi Abbate eum inungi, ac sacri corporis viatico refici fecimus. Deinde Salvatoris advenientе nativitate, post auditam Missam sancta rursus communione confortatus, ad diem usque sancti Ioannis Evangelistæ sensim corpore deficiendo pervenit. Qua die cum post Vesperas more solito ad eum visitationis gratia cum fratribus venissem, valdeque aggravatum vidissem: sumpto ab Ecclesia Dominico corpore, manibus eum propriis cœlesti pane cibavi. Post paululum, loqui cessavit. In quo silentio à

media

A media nocte inchoato per totam sequentem diem perdurans, vespertina hora nil iam terrenum sentiens, loqui omnibus nobis admirantibus cum quanto poterat clamore huiusmodi verba cœpit. Domine miserere, chare Domine miserere, Domine misericordiam: &, vt nobis videbatur, aliquando, Martine domine miserere. In hac diutina & non interpolata misericordiæ invocatione, die sanctorum Innocentium, innocens anima nobis omnibus astantibus & orantibus miserias mundi excessit: &, vt dignum est credere, ad misericordiam, quam devote toties flagitaverat, pervenit. Cuius corpus in claustro infirmariæ ante Capellam beatæ Matris misericordiæ à nobis honorifice, vt decebat, sepultum, gloriam resurrectionis inde per Dei gratiam suscitandum, expectat: & interim pro requie spiritus, sui repræsentatione ad intercedendum quoslibet transeuntes invitat. Ad ultimum
B notum vobis facio Clericum, quem in obsequium beato huic fratri vestro dedistis, iniunctum officium ita fideliter & devote implesse, &, licet alieno servitio, nostram in tantum gratiam adquisisse: ut & si omnes ei defuerint, nos deinceps nu latenus possimus deesse. Pro quo sanctitatem vestram rogamus, vt eam fidem experiatur à vivis, quam studuit servare defunctis. Supplicat super eo paternitati vestræ beatus ille in extremis agens: cuius ultimis precibus & quasi testamentariis literis aliquid negare, non dico vestrum, sed nec aliquorum bonorum est.

## EPISTOLA V.

C *Venerabili, & in Christi charitate totis animi viribus suscipiendo, Domino Atoni Trecensi Episcopo, Frater Petrus humilis Abbas Cluniacensium, salutis & dilectionis plenitudinem.*

VNde incipiam nescio. Vnde exordium faciam penitus ignoro. Serenam diem tenebrosa nubila contexerunt, nitentes solis radios caliginosi aëris fumositas obduxit, meridianus fulgor teterrimarum repente umbrarum faciem induit. Rerum natura mutata est, oriens in occasum conversus est, ignis prævalidus subito extinctus est, funis argenteus ruptus est, amicus ab amico disiunctus est. O amicitia res inter mortales admodum pretiosa, sed quanto carior, tanto rarior, quò abisti? Quò terras perosa secessisti? Vt quid miseros homines, animorum firma coniunctio, reliquisti? Cur absentia tua cuncta deserta fecisti?
Gen. 8. Fortassis ut de columba illa antiqua legitur, non inveniens vbi pes tuus requiesceret, ad arcam redisti: & ab architecto Noë suscepta, diluvij pericula effu-
D gisti. Vere inquam tu columba æternæ pacis amica, felle carens, nihilque nisi diligere sciens, vndas tumultuum, fluctusque discordiarum universam terram obtinentes, horruisti: nullúmque in imis requiei locum inveniens, festino reditu ad superos revolasti. Tu Noe mundi fabricatoris manu recepta, cœlorum intima penetrasti, & extima cuncta discessu tuo in invicem commovisti. Inde conspirantia in mutuum interitum terrena omnia cerno, inde regna in se consurrexisse conspicio: inde totam mundani corporis molem compagibus dissolutis labefactari passim ac diffluere video. Inde est quod nec proximus proximo, nec amicus amico, nec frater fratri, nec patri filius fidem servat: inde quod omnium necessitudinum iura violantur, inde quod sanguis universarum superficiem iam tinxit terrarum. Sed quid ego de iis, quæ extra sunt, conqueror? Quid remota defleo? Quid aliena deploro? Vbi domestica turbantur, quid externa curantur? Qui mihi ipsi convenire nequeo,
Eccl. 14. cui pacem servabo? Si mihi nequam, cui bonus ero? Sed quorsum ista? Te, te inquam, respiciunt olim, unanimis amice, aliquando charissime, & iuxta Flac-

E cum, non quidem nunc, sed quondam animæ dimidium meæ. Queror itaque me à te impie dimidiatum, non integrum remansisse: queror, quod indissolubile putabam, charitatis te vinculum dirupisse: queror pactum fœderis, in quod mecum iuraveras, temerasse. Forte me tecum austerius iusto agere respondebis. At ego longe remissius quam debeam, quamque tua in me peccata meruerint, me loqui profiteor. Quod si quæris quæ illa sint, & iam dixi, & adhuc replico: in vno te omnium malorum reum factum esse, Apostolo teste, qui ait. *Qui totam legem observaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.* Iacob. 2.
Hoc unum charitatem esse, nemo qui dubitet. In hoc uno ostendisti, quando nil te lædentem, fidem servantem, sibique a te servari credentem amicum deseruisti. Sed dices forsitan. Nihil horum quæ obi-
F cis agnosco, fidem teneo, charitatem conservo. Esto, fidem tenes, charitatem conservas. Probatio dilectionis, exhibitio est operis. Si ignis est, calet. Si calet, non diu flammas continet. Si diu continuerit, mox ignis esse cessabit. Solebant à partibus vestris ad nos frequentes venire legati, nuncij nuncios prævenire, sequentibus epistolis primæ anticipari, à Trecis usque Cluniacum strata publica euntibus ac redeuntibus continuari. At nunc invia facta sunt omnia, impenetrabiles Riphæi montes interpositi, innavigabile Indorum pelagus effusum, & quod astringit Scythicum glaciali frigore pontum, accessum prohibent: novum linguæ silentium, manibus otium, & dictandi imperitia, & scriptorum inopia indixit. Nusquam in arundinetis calami, nusquam in avibus pennæ, nusquam in quadrupedibus pelles. Hæc quia desunt universa, magnus ille tui erga amicum amoris affectus indicari non potest. Nunc igitur quia expecta-
G vi, & non sunt locuti, auscultavi & non fuit qui re-
Iob. 32. sponderet: prior, in verba prorumpo, quoniam etiam infido fidelis esse cupio. Evigila ergo saltem excitatus, revertere vel revocatus, loquere vel interrogatus. Rescribe, non in corde & corde loquens, sed simplici corde quod est, non quod non est, confitens, si amor ille à superno amore derivatus, quo pariter ad beatam vitam aspirare olim cœpimus, adhuc permanet: ut si eum in suo statu manere cognouero, simul gaudeamus: si imminutum sensero, ad reintegrandum eundem simul etiam laboremus. Quod si me aliquo insusurrante hanc mutuam, quæ in nobis esse debet, læsisse charitatem suspicaris: paratus sum aut nævum diluere, aut quantacumque à te inflicta mihi verbera fuerint, æquo animo tolerare. Si audacius quam debui forte loquutus sum, oro des veniam: quoniam non ex superbiæ inflatione, sed ex amoris præsumptione ista protuli. Nec ut Abbas Episcopo: sed ut verus in Deo amicus vero, ut arbitror, scripsi amico.

## EPISTOLA VI.

H *Venerabili domino & charissimo patri Atoni Trecensium Pontifici, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, Sanctorum Pontificum gloria & honore coronari.*

SPes mutui colloquij, & expectatio diu desideratæ vestræ confabulationis, quam in proximo me adepturum confido, animum post literarum vestrarum lectionem in verba prorumpere volentem compescuit, aggestum rationum iam comportatum dispersit, fontis venam iamiamque profluere nitentem, velut obice indito, obturavit. Nam vanè me laborem impendere, tempus insumere reputavi, si quod pectoris tui lateri familiari collocutione communicare possem, literario opere notum facere maluissem. Quod nisi mentis meæ conatibus obviaret, dicerem forsitan myrrhæ & aloes, ut verbis vestris utar, plusquam libras centum non frustra me misisse. Sicut

enim

A enim talibus remediis amato ne putrescat subvenitur corpori: sic ergo languescenti, ne paulatim difflueret, paravi subvenire amori. Sed & si amor incorruptus myrrha mea & aloe non eguit devoti tamen cordis obsequium contemni non debuit. Licet enim de Domini corpore Psalmus Deo dicat, *Non dabis sanctum* Ps. 15. *tuum videre corruptionem*, & hoc divina virtute, non aromatica factum fuisse nemo sapiens dubitet: tamen Ioseph & Nicodemus, qui talibus vnguentis Dominum iunxerunt, fructum devotionis suæ apud eum minimè perdiderunt. Ita & ego vnguentis quidem meis, & si nihil inviolato amori contuli: ea tamen exhibendo affectus mei devotionem ostendi. Nec incongrue, qui mel & favum dulcium sermonum, ut Epistola vestra testatur, mittere solebam: nunc austeriorum verborum myrrham & absinthium misi, quia & de Sponsa in Canticis dictum legi: Cant. 4. *Favus distillans* Cant. 5. *labia tua, mel & lac sub lingua tua.* Et de Sponso: *La-* B *bia eius distillantia myrrham primam.* Labia ergo non semper mel, sed aliquando myrrham distillant: quia loquentes pro rerum qualitatibus quandoque dulcia, quandoque mordentia verba dispensant. Exinde delectabile totius Epistolæ vestræ iter iocundo animo ac pede libero incedebam: cum subito in funem argenteum offendi, eoque gressibus implicatis pene corrui, & nisi ab amico, non a doloso quolibet extentum intellexissem, exclamare volui: *Et funes ex-* Ps. 39 *tenderunt in laqueum: iuxta iter, scandalum posuerunt mihi.* Putastis enim, quando dixi, funis argenteus ruptus est, me pecuniam cogitasse: & quia dando manus vestras cessasset, ruptum funem dixisse. Sed quomodo de verbis meis talis vobis innasci potuerit intellectus, quomodo tam synceri animi mei dicta opinio vestra tam prave potuerit interpretari, non satis mirari sufficio. Pene, pene, ut dignum esset, C adversus amicum stomachando dicerem, nisi excedere formidarem. Mat. 6 *Vbi est thesaurus tuus, ibi est cor tuum.* Non ego, non ego talis, etsi multum inutilis, non ego inquam talis, qui deserviam mammonæ: non ego inimicus pecunia redemptus, non ego de illis qui tamdiu diligunt quamdiu accipiunt, qui avaritiam magis quam iustitiam colunt, qui amicitiam propter pecuniam conservant. Non sunt, non sunt tales amicorum nomine honorandi: sed cupidorum ignominia detestandi. Absit, absit à me talium consortium, quos non tantum divina sapientia, sed etiam mundana prudentia execratur. Horat. In tales Poeta ironice invehitur dicens.

*O cives, cives quærenda pecunia primum est,*
*Virtus post nummos.*

Et alibi non iam deridens, sed quod verum est, pronuncians, ait.

*Vilius est argentum auro, virtutibus aurum.*

Gratis venerandam paternitatem vestram & semper dilexi, & in æternum Christi charitate donante diligam: quia secundum Apostolum, *Non quæro quæ* 1. Cor. 12 *vestra sunt, sed vos.* Vos, inquam, quæro, de vobis non de pecunia peritura in sempiternum gaudere concupisco, gaudio illo quod, iuxta Domini sententiam, D Ioan. 16. *nemo tollat à nobis.* Quod dum sumus in corpore, dum vacat nobis, dum est tempus acceptabile, dum sunt dies salutis, providere satagamus, *Antequam*, ut Salomon Eccl. 12. ait, *rumpatur funis argenteus, & recurrat vitta aurea, & conteratur hydria super fontem: & spiritus revertatur ad Deum qui fecit illum.* Ecce quid in fune argenteo intellexi, non scilicet ligamen aliquod, vel metallum, sed præclarum charitatis vinculum quo anima Ionathæ alligata est animæ David: & de quo Rom. 2. Apostolus: *Ante omnia*, inquit, *mutuam in vobismetipsis charitatem continuam habentes: quod est vinculum perfectionis.* Sed quia iam proposita brevitas, & proximum, ut iam dixi, colloquium finire verba præcipiunt, reprimendus est stylus, ut quod hic minus scribitur, ibi latiùs differatur.

# EPISTOLA VII.

*Venerabili Domino & unanimi nostro Atoni Trecensi Episcopo, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, quod sibi.*

E GAudeo & immodice gratulor, non ita me à mente vestra excidisse, ut suspicabar. Putabam etenim diutino illo ac monstruoso silentio vestro me posthabitum, & facili mobilitate vestri animi statum à pristinæ charitatis stabilitate mutatum. Sed cum nuper missa reverentiæ vestræ amicabilium querelarum Epistola rescriptum expectarem, ut secundum eius tenorem de cordis vestri dubio iudicarem prævenit illum non omnino sopita dilectio: séque adhuc F spirare paucis quidem sermonibus, sed magnis affectibus indicavit. Quod me, vt dixi, valde lætificatum, & velut ex quadam desperatione in spem reductum, ad rescribendum super his quæ scripsistis breviter animavit. Mandastis siquidem ut charissimum filium nostrum Petrum à cura Gatensis Monasterij absolverem: & eum alio ad Deo serviendum dirigerem. Nos verò quoniam magis ex ipsius vos corde quam ex vestro locutum, ipsis etiam literis indicantibus, cognoscimus, atque ipsius non vestræ voluntati scribendo satisfecisse: vestræ potius voluntati, quam literis obtemperare decrevimus. Remittimus ergo eum dilectæ paternitati vestræ, quatinus eum non ut annuum, sed ut perpetuum: nec ut tantum vivum, sed, ut etiam scripsistis, mortuum Priorem in æternum possideatis. Sic ergo eum commendatum habete, ut nec eum redisse, nec nos eum remisisse pœniteat. G Quando ad partes Aquitanicas ivimus, per vos iter agere proposuimus: sed propositum nostrum itineris acceleratione, ac temporis brevitate intermittere coacti sumus. Sed præeunte misericordia Dei quod tunc non potuimus, in proximo implere curabimus: nec prius parietes domesticos revisemus, quam de mutua in Domino præsentia gaudeamus. Expectabitis ergo alium adhuc nuncium nostrum, per quem certum ad vos mandemus adventum nostrum.

# EPISTOLA VIII.

*Petrus humilis Cluniacensium Abbas, Stephano presbytero iurisperito, Salutem.*

LOngam Epistolam fecisti, sed non bene in ea, cum Iurisperitus appelleris, Rhetoricam conservasti. Quod si ignoranter, indulgendum: si scienter, contumaciæ imputandum. Placandum, non exasperandum iudicem in oratione, artis regulæ præci- H piunt. At contra, literæ, quas misisti, improperia sonant, contumelias redolent, minas spirant. Tali suadela, nihil unquam nisi ab invitis impetratum est. Precibus, non minis, obsequiis, non contumeliis, solet quod petitur impetrari. Nihil igitur à nobis tali remedio te consequuturum speres. Insipide enim & indoctè perorasti, dum eum, quem placare etiam commotum debueras, benevolum ante & beneficum irritasti. Accede ergo magis ad contra nos insurgentes, & adversum nos te non minimis, sicut scripsisti, præmiis invitantes, nec perdas promissum ab aliis lucrum: à nobis non recepturus nisi quod literæ promeruerunt, & iustitia dictaverit responsum.

A

## EPISTOLA IX.

*Dilecto filio suo magistro Petro, Frater Petrus humilis Abbas Cluniacensium, oculum videntem, & aurem obedientem.*

LAboranti tibi, fili dilectissime, in secularis literaturæ scientia, & gravi humanorum studiorum fasce onustato misertus: cum nullam labori mercedem, nullum oneri tuo levamen videam, te tempus inaniter consumere ingemisco. Si enim vere philosophanti hic solus & certus finis est, ubinam vera beatitudo consistat agnoscere, & agnitam adipisci, vt ea adepta de misero possit esse beatus, nec beatitudo valeat dici, cui boni aliquid deest, summum autem bonum beata æternitas est: quis dicere audeat eum philosophari, qui universis laboribus suis non ad æternam beatitudinem, sed ad æternam miseriam tendit? Sudaverunt in huius beatitudinis inquisitione antiquorum ingenia, & quod altissimè reconditum latebat, velut de occultis terræ visceribus multo conatu eruere contenderunt. Hinc artium adinventiones, hinc multiplices argumentationum perplexiones, hinc sectarum in invicem con pugnantium infinitæ dissensiones: quarum aliæ in corporum voluptatibus, aliæ in animi virtutibus beatitudinem constituebant: aliæ supra hominem quærendam esse censebant, aliæ aliud asserentes omnibus contraibant. Hos errare, & quod in supernis celabatur, in imis quærere, & mendacij confusione mortales in terris falli, Veritas de cœlis intuens, eorum miseriæ condolens, de terra orta est: & ut à talibus videri posset, similitudine carnis peccati assumpta, his & similibus malis laborantibus clamavit, dicens, *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis: & ego vos reficiam. Tollite iugum meum super vos.* Et quia eos profunda veritatis ignorantia teneri vidit, magisterij voce assumpta subiunxit. *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris.* Et cum in montem conscendisset, aperte non tantum vbi vera beatitudo invenienda esset, sed etiam qualiter ad eam perveniendum esset, edocuit: & omnium beatitudinem investigantium curiositatem compescuit, dicens. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Ecce sine Platonicis meditationibus, sine Academicarum disputationibus, sine Aristotelicis laqueis, sine Philosophorum doctrinis, inventus est locus & via beatitudinis. Sileat ergo humana præsumptio, audito divino magisterio. Conticescat falsitas, quia docet Veritas. Deserat docentis cathedram homo, quoniam ad docendum residet Deus homo. *Beati*, ait, *pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Quid igitur, charissime, scholas oberras? quid & doceris & docere conaris? Quid per millia verborum, quid per multos labores inquiris, quod simplici sermone, quod parvo labore, si volueris, assequi poteris? Quid inani studio cum Comœdis recitas, cum Tragœdis deploras, cum Metricis ludis, cum Poëtis fallis, cum Philosophis falleris? Quid iam non philosophiæ, sed quod pace tua dictum sit, tantam stultitiæ operam impendis? Stultitiæ, inquam. Nam & hoc veri Philosophi dictum est: *Nonne stultam fecit Deus sapientiam mundi?* Curre ergo, fili mi, ad propositam tibi à cœlesti Magistro, totius philosophiæ unicum fructum, regni cœlorum beatitudinem: quam adipisci non poteris, nisi per veram spiritus paupertatem. Verus enim, ut supra dixi, Magister totius mundi scholæ præsidens, & cathedras falsa docentium evertens, pauperem spiritu dixit esse beatum, quoniam ei esset summa beatitudo reposita, hoc est regnum cœlorum. Aggredere viam paupertatis, qua itur ad beatitudinem regni cœlestis. Viam, inquam, aggredere paupertatis, non tantum corporeæ, quantum spiritualis: non tantum rerum, quantum humilitatis: non tantum carnis, quantum mentis. Eris tunc verus Philosophus Christi, cum in te stultam fecerit ipse sapientiam mundi. Nam si secundum eundem Apostolum volueris esse sapiens, stultus esto ut sis sapiens, neque te Logicæ garrulitatem, Physicæ curiositatem, vel aliud quidlibet scire glorieris, nisi Christum Iesum, & hunc Crucifixum. Quia si ipso donante esse merueris: erit de te gaudium Angelis Dei: qui gaudent super uno peccatore pœnitentiam agente: erit & sanctis hominibus multa lætitia, quia dum gaudet unum membrum, congaudent omnia membra. Erit & mihi super omnia iocunditas, qui te quasi unicum filium * suscipiam, lacte pietatis alam, gremio amoris consovebo, inter Christi parvulos educabo, inter tyronum multitudinem armis cœlestibus armabo, & ad spiritualem militiam quantum licuerit animabo, tecúmque pariter contra hostem pugnabo. Aderit supernum auxilium, ut in castris cœlestibus pariter militantes hostem vincamus, vincentes coronemur: & veraciter philosophantes, ad philosophiæ debitum finem, beatam æternitatem scilicet, pertingamus.

Mat. 11. Mat. 5. 1. Cor. 1. Luc. 15. 1 Cor. 12. * excipiam.

B C D E F

## EPISTOLA X.

*Præcordiali filio, Magistro Petro, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, amorem veræ sapientiæ.*

SI verborum multitudine, quod de te cupio, assequi me posse sperarem: multis chartulas verbis implere satagerem. Sed quia regnum Dei, ad quod te invito, non est in sermone, sed in virtute, virtus tibi divina est invocanda, virtus animi exerenda: ut quælibet tibi ad salutem obstantia forti annisu animi exuperes, & non per latam & spatiosam viam, quæ ducit ad mortem, sed per angustam, quæ ducit ad vitam, tibi esse ad gradiendum agnoscas. Quæ arcta incipienti, paulatim proficienti dilatabitur, ut timori amore succedente, quod modo forte desperas fieri posse, te magis animo, quam voce cantantem audiam. *Viam mandatorum tuorum cucurri: cum dilatasti cor meum.* Viriliter ergo age, & confortetur cor tuum: nec mollescat oblectatione rerum cito periturarum, cui promittitur omnimoda iocunditas æternorum. Hoc interim commonitorium, fili mi, multum in Christo charissime, tecum habe: & me non frustra hæc monuisse, quam cito veniendo ostende.

G 1. Cor. 4. Mat. 7. Psal. 118.

## EPISTOLA XI.

H

*Summo Pontifici, & nostro speciali Patri, Domino Papæ Innocentio, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, Salutem & obedientiam.*

SVperfluum quidem est, Patrem pro filiis, Pastorem pro ovibus, Petrum pro Ecclesia deprecari. Sed quoniam sæpe ab aliis libenter animus audit, quæ etiam per se facere concupiscit, atque ad ea quæ iam facere delectatur quandoque magis aliorum suggestionibus provocatur: idcirco ego sublimitatis vestræ, etsi humilis, tamen devotus filius, pro Aurelianensi Ecclesia paternam pietatem convenio. Rogo, ut amore Crucis Christi, cuius nomine & vexillo eadem Ecclesia singulariter gloriatur, eius calamitatibus subvenire dignemini, ut quæ passionibus Christi per patientiam secundum Apostolum communicans, duris, & diutinis tribulationibus fatigatur, vestra pia iam tandem provisione relevetur. Videtur insuper

hoc

A hoc iam superna dispositio velle, quæ corda cleri & populi exitialiter, ut nostis hactenus divisit, ut audivimus, sic insperata commutatione univit: ut nec in tanta multitudine reperiatur, qui non integro corde domni Heliæ Venerabilis Abbatis sancti Sulpitij, viri equidem religiosi, prudentis & literati electionem voluerit, laudaverit, confirmaverit. Quoniam igitur longus esse refugio, consulo pariter & deprecor, ut tantis tantæ Ecclesiæ infortuniis finem celerem imponatis: & quod a Deo factum videtur, vos Dei Vicarius in isto confirmetis. Sentiant, si placet, sibi apud vos prodesse preces humilitatis meæ, & locum quem apud gratiam vestram me habere suspicantur, utrum sic se habeat, laudandi operis effectu monstrare.

## EPISTOLA XII.

B

*Venerabili & dilecto nostro, domno Guillelmo Ebredunensi Archiepiscopo, Frater humilis Cluniacensium Abbas, Salutem.*

SI querela locum inter amicos habere posset: non satis conqueri possem de amico, à quo non dico munus aliquod maximum, sed ipsum mihi colloquium, ipsa est visio denegata. Quia si hæc merces amicitiæ est, ferendum patienter est. Aut si forte monachalis humilitas sublimitati Pontificali vilui, non secundum gradus diversos mirum est: sed secundum amicitiæ privilegium magnum miraculum est. Neque enim vetus amor honorum sentit vicissitudinem: qui in omni casuum permutatione, integram C semper novit amico servare fidem. Igitur si huic nostræ querimoniæ, vobis honestum, nobis utilem vultis finem imponere, quod prius neglexistis, nunc saltem implere curate. Venite ergo ad nos cum præsenti nuncio, vt per istum expietis quicquid ante deliquistis: & quem verbis promisistis, re amicum ostendatis.

## EPISTOLA XIII.

*Charissimo Fratri Odoni, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, Salutem.*

Psal.9. DEo gratias. *Desiderium pauperum exaudivit Dominus: præparationem cordis eorum audivit auris eius.* Optaveram diu, & multum optaveram, qualibet occasione sumpta charitati tuæ, mi dilectissime, D scribere: vt affectus meus, qui se tibi, locorum remotione prohibente, manifestare viva voce non poterat, literarum saltem mortuis figuris insinuaret. Sed duro Ægyptiorum imperio urgente, qui manus meas magis in cophino servire, quam scribendi studio vacare docuerunt, qui luteis operibus eas inquinari, non Dei sacrificiis mundari, hucusque coegerunt: non potui quod volui, eaque de causa hactenus conticui. Vnde ei nihil dicere per multum tempus coactus sum, cui si semper loquerer, mutus tamen mihi viderer. Ea est causa, quod non, vt scribit eruditio tua aliis alia accipientibus, tu solus à me reportasti silentium: quia omnibus verbis & schedulis cariorem tibi servavi affectum. Qui quoniam diu tacuit, non incuria, ut dictum est, sed violentia fuit. Sed sufflavit vis spiritus tui emortuos cineres pectoris mei, & ignes diu consopitos afflatu suo recalescere fecit: dum desideratam dilecti Epistolam desideranti, sed non suspicanti transmisit. Accensus est, ea perlecta, animus meus, & subito in invisibiles flammas excusso torpore exarsit: quas quidem vtcumque concipere, sed quas nullis indiciis ad plenum valeam explicare. Irruerat

E forte eo tempore, quo literas illas accepi, grando negociorum: & exactores mei acrius solito debita reposcebant, itaque variis expostulationibus vrgebant, vt totum me sibi suo arbitrio vendicantes, nihil mihi de ipso reliquisse viderentur. Cumque in his constitutus, dilectionis tuæ, vt dixi, literas suscepissem: dubius fateor hæsi, & vtrum tibi respondere, an exactoribus primo deberem satisfacere, quadam aliquamdiu incertitudine fluctuavi. Vicit ad ultimum ratio, & nulli me magis quam tibi charitatis debito debitorem consulta protinus indicavit. Adiuncta est rationi Apostolica vox: & qualiter debitoribus reddere debita debeamus, ostendit. Quæ licet, *cui tributum tributum, cui vectigal vectigal, cui honorem honorem,* reddi præcipiat: Rom.13. cum tamen dicit, *Nemini quicquam debeatis, nisi ut invicē diligatis:* docet omnibus debitis præponderare debitum charitatis. Quia si præponderat, primo solvendum esse declarat. Primo igitur tibi respondere, F primo maius debitum solvere: primo scribenti charitati morem me gerere oportebat. Sed quid dicam? quid loquar? Cupio respondere literis tuis, & ecce miro modo agitur: quia inde me ad loquendum provocant, inde magis mihi silentium important. Nam quoties frater charissime, eas lego, toties beatæ animæ tuæ faciem velut in clarissimo speculo intueor: & quid animi in transeuntibus, quid studij in æternis geras, omni clarius luce conspicio. Video te, velut de sublimi specula Sion, quid in inferioribus Hierico geratur despicere: & mundana omnia fastidientem, de crasso, ac fumoso nostro aëre in auras ætheris liberas evasisse. Cerno non quidem completum, sed iam iamque complendum esse in te, quod Apostolus ait. *Nescitis quoniam Angelos iudicabimus? quanto magis secularia?* Et item, *Sancti de hoc mundo iudicabunt.* 1.Cor.6. G Quoniam his tantum merito de mundo iudicare datum est, qui extra mundum sunt, qui pedem de eius muscipula subduxerunt: qui gratulando cantare possunt cum Propheta. *Laqueus contritus est, & nos liberati sumus.* De quibus Salvator, *De mundo non sunt,* in- Ps.123. quit, *sicut & ego non sum de mundo.* Quid plane aliud Ioan.17. de te innuunt literæ illæ? Quid illusores, & illudentes? Quid illiterati pessimi, & literati peiores? Quid bestia de abysso ascendens? Quid tota series literarum Colos.3. alind indicat, quam te ea quæ sursum sunt sapere, non quæ super terram? At ego adhuc super flumina Baby- Ps.136. lonis sedens, & flens, qui in salicibus infructuosis suspendi organa: quomodo cantabo Canticum Domini in terra aliena? Illud in te, charissime, hoc in me dum intueor, perpendo, considero: verba, vt dixi, adimit, silentium indicit. Nec de aliis iudicare audeo, quia non cum iudicibus solum sustineo: sed cum reis supplicium formido. Nec illam in alios ferre sententiam volo, quam ipse evadere quæro, ne sim de illis, de quibus Apostolus: *in quo (ait) alium iudicas, teipsum condemnas.* Sed tu, mi dilectissime, qui Rom.2. H non, ut illi de quibus scribis, pravi illusores sibiipsis, sed mundo & eius Principi, velut avi illusisti, qui bestiam de abysso ascendentem evasisti, qui eius dentes orbem conterentes contrivisti, colla conculcasti, cornua confregisti: tu (inquam) libere de his loqui, tu secure disputare, tu subtiliter investigare, investigata invenire, & inventa poteris diffinire. In te igitur quæ in me transfudisti, refundo, vice mea te fungi præcipio, stylum quem occupato ingerebas, otioso remitto: quoniam rectius latices a largissimis fontibus, quam ab exilis rupibus expectantur, melius syderum fulgorem incolumes, quàm lippientes oculi contemplantur: longe similius intuentium species in aqua pacata, quam turbata formatur. Aperi ergo labia, repleatur os tuum laude, & dic quæ mihi dicenda proponebas: ut quia amore quietis & silentij spiritualis Liæ fructum ex te ad præsens perdimus, Rachelis in te singulari pulchritudine oblectemur. Debet is labor valde tibi esse iocundus, nec à tam fructuoso opere aliquatenus corpus cessare: vt dum mens divina meditan

A meditando, manus scribendo, oculi legendo, lingua loquendo, totus homo interior, atque exterior cooperando laborat, holocaustum medullatum Deo offeras: ut qui te totum sæculo subduxisti, integrum te sacrificium Deo impendas. Memento & amicorum in his beatis laboribus, & maximè in sacris orationibus: quia non debent frustrari oratione pia, qui tibi junguntur dilectione sancta.

## EPISTOLA XIV.

*Dilecto Fratri Theotardo, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, salutem.*

Ioan.1. QVid est? ut voce Iudæorum vtar, quousque animam nostram tollis? quamdiu renitentem trahis? B quousque me tenaci cathena circumagis? O quàm grave dilectionis vinculum, à quo nec reus solvitur, nec innocens expeditur! Fortius hoc omni ære, gravius omni pondere: quia *fortis est ut mors dilectio: dura sicut infernus æmulatio.* Cant.8. Hac compede vinctus teneor, hoc pondere pressus aggravor: hac cathena quocunque pergo, vincior. Fert ista animus nunquam tui immemor, & cum semper regiones regionibus, provincias provinciis commutet: te solum nunquam mutare, nunquam à se repellere valet. Quare hoc? Nunquid à te ducatus? nunquid regna? nunquid mundi gloriam? nunquid montes, ut dicitur, aureos præstolatur? Non hoc, charissime, non hoc: non hoc certe à te amicus animus expectat. Quid igitur? Nosti ipse. Quid loquendo fatigaret? tibi te ipsum remitto. Tu esto inventor, index & cognitor horum. Et ut C aliquid dicam, precare illum pro me, quem pro posse veneror, & diligo in te. Quem licet meditetur mens mea, licet loquatur lingua mea: longe tamen ab eo deuiat via mea. Redde ergo vicem amico, vt qui nec inter servos laboris tui obliviscitur, in suavi, quod multo facile est, requie tua, constanti semper memoria teneatur. Hæc breviter scripro præmisi, dicturus ipse, Deo volente, in proximo, quæ prætermisi.

## EPISTOLA XV.

*Venerabili & Charissimæ sorori nostræ, domnæ Adelæ, Frater Petrus humilis Abbas Cluniacensium, Salutem, & omnem à Domino benedictionem.*

QVoniam de obitu semper dilecti nostri Domini regis Anglorum, nihil adhuc dilectioni vestræ mandavimus: causa hæc fuit, quoniam & multus mœror, quo nondum nos expedire possumus, hoc prohibuit, & tantæ calamitatis nos primos relatores esse, D non immerito piguit. Verum, quia si quid scimus, vos scire placuit: noveritis nihil nos aliud adhuc noscere potuisse, quàm per octo dies in quadam villa iuxta Rothomagum, lecto eum decubuisse, domnum Rothomagensem Archiepiscopum ei assidue adhæsisse, munitum ab eo omnibus Ecclesiasticis sacramentis, in optima pœnitentia, & fidei confessione quarto Nonas Decembris de sæculo migrasse. Corpus eius, sicut disposuerat, Rothomagum delatum, & inde à Roberto Comite filio suo apud Radingas tumulandum, Angliam versus deportatum est. Normania tota civilibus, & externis iam bellis fremit. De statu regni transmarini, nihil adhuc certi audivimus. Nam qui nobis hæc retulerunt, citissimè à Normannia aufugerunt. Misimus tamen iam cursores duos, unum domno Rothomagensi, alium domno Wintoniensi: qui festinanter quidquid de eis, & ab eis cognoverint, nobis in proximo renuntient. Pro regis defuncti æterna salute tanta constituimus, quanta nunquam Cluniaci pro alio constituta sunt. Quid vos E pro eo agere debeatis: superfluum est, ut nobis videtur, mandare.

## EPISTOLA XVI.

*Charissimo in Christo fratri & Germano Pontio, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, Salutem, quam sibi.*

COnquereris me tui oblitum, germanitatis immemorem, nihil tibi ex multo tẽpore iam scripsisse: & majestatem meam humilitatem tuam contemptui habuisse. At ego silentij mei ita iustissimas causas reputo, vt vix culpam effugiam, si vel nunc loqui tentavero. F Vt enim taceam, quæ optime nosti, mundi tumultus, rerum occupationes, causarum implicationes, quibus me cathenis sæpe constrictum vidisti, & gemuisti, quæ satis à scribendo excusare me possunt: illud modo tãtum in lite versetur, quòd frater ex Deo, quòd germanus ex carne, quòd intimus ex affectu, à me ut perfuga recessisti, ut dolosus evasisti, ut fur matutinus, ne dicam nocturnus, me contempto, inviso, insalutato fugisti. Fuerat cohabitatio tua mecum fere decennalis: quo toto tempore, quanta inter nos de divinis collata, quia fervens de spiritualibus sermo, quam frequens de præsentium contemptu collatio, qualis de æternorum appetitu cohortatio fuerit, & ipse nosti, & ego non in toto oblitus sum. Efferbuerat inter nos eo ardore fervor charitatis, ut qui te solo impulsu naturæ cœperam diligere: iam non te nollem nisi ex Deo, & in Deo amare. Erat mihi ad te recursus ab G humanis, & à marinis fluctibus, in te velut in portu tutissimo quiescebam: & ruinam mundi assidue minitantem, quasi hostis mei interitum pophetantem, lætus audiebam. Miserias tam meas, quàm aliorum deplorantem, &, Parce Deus, inclamantem, hilaris & aggaudens auscultabam: & non inani vanitate, sed devota charitate eadem inclamabam. Erat turris, in qua manebas, mihi turris fortitudinis à facie inimici, de qua in hostium ora frequenter specula iaculabamur, & nos ipsos ab eorum iaculis valli nostri munimine tutabamur. Hæc & multa his similia rerum spiritualium instrumenta, qui contempsit, qui abjecit, qui calcavit: fidei desertor, amicorum proditor, naturæ contemptor, nunquid literis meis dignus est? nunquid epistola mea recreandus est? nunquid nuncio meo visitandus est? Est, est, meo iudicio gravi pœna dignus, & omni venia indignus. Sed admiscenda est iudicio misericordia, & sic demum danda indulgentia: si is qui à nobis contemptor exiit, satisfacturus redierit. Laudo quidem in te amorem pretiosorum martyrum Christi, ad quorum adoranda sepulchra fugisti: quæ ego etsi corpore absens, tamen H spiritu præsens toto mentis affectu, colo, suspicio, adoro. Sed eam charitatem spernere non debuisti: pro qua conservanda magni illi testes Dei, præfulgida sydera cœli corpora tradiderunt, sanguinem effuderunt, vitam ipsam Creatori omnium impenderunt. Non debuisti, inquam, vivens perdere, quod illi nec mortui perdiderunt. Ne ergo ultra scribas mihi, Dilige diligentem te: sed scribe, Dilige contemnentem te, & ama deserentem, & sequere fugientem. Scripsisti etiam mihi de tunica transmittenda. Egóne illi tunicam mittam, qui me non indiget, qui sibi sufficit qui secundum Apostolum iam dives factus est, & 1.Cor.4. sine me regnat? Cur exigit vestem meam, qui deseruit tectum meum? An illa iniuria meretur præmium, cui extremũ debetur supplicium? Hic, hic, plane exclamandũ esset, Parce Deus: ubi maxime læditur iustitia eius. Sed mittam, mittam tunicam, ne imputetur avaritiæ, si lex servetur iustitiæ. Eam tamen volo interponi legẽ, ut ea suscepta, aut domum (vt dixi) redeas: aut nullam

ultra

A ultra tunicam à me, vel pallium quæras. Et ut me in ultimo non ludo, sed serio loquentem audias, hortor plane ut redeas: quia nunquam contraria contrariis, sed semper similia similibus conveniunt. Monachum Monachis, Clericum Clericis, laïcum laïcis cohabitare, nec ordines proprios confundere decet, ne fortè iuxta Poëtam,

Horat. *Humano capiti cervicem pictor equinam,*

iungere videaris, & mulierem formosam superne in atrum piscem desinere cogas. Nec ego sacros Ecclesiæ ordines, quos unum vera fides, & sincera charitas facit, sibi contrarios dico: sed propter vestium, ciborum, consuetudinum varietatem, in eadem domo sibi non congruere iudico. Audio etiam Apostolum dicentem: *In qua vocatione vocatus es, in ea & permane.* (1. Cor. 7.) De orationibus dominis meis tantis, totque sanctis martyribus pro me à tua charitate exhibitis, gratias plurimas ago: & ut quamdiu ibi fueris, & semper fiat, supplex magis corde, quam voce imploro.

B

## EPISTOLA XVII.

*Summo Pontifici, & nostro speciali Patri, Domino Papæ Innocentio, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, fidelem obedientiam.*

Execrabile facinus, puniendum flagitium, inauditum nostris seculis scelus: de nece eorum, qui pro iustitia usque ad sanguinem restiterunt, ad aures pietatis vestræ credimus pervenisse. Dolendum quidem morte eorum, quos sacrilega homicidarum crudelitas innocentes peremit: sed multo magis dolendum, quod condignam impietatis suæ pœnam, nec dum illa plusquam belluina crudelitas invenit. Ecce enim qui à conspectu hominum iam periisse debuerant, cruentis C mentibus, & adhuc sanguinem distillantibus manibus de impunitate sibi blandiuntur: & quasi de bello triumphum reportaverint, unde confundi debuerant, gloriantur. Quorum impunitas arma cæteris ministrat furoris: ut sicut post Aurelianensem Subdecanum ad domnum Thomam Parisiensem, quia Prior inultus remanserat, persecutorum gladius se convertit: ita etiam post hunc ad alios transeat, & pari sententia Clericos, Canonicos, Monachósque involvat. Quoniam igitur regalis gladius in tales nimium obtusus est, rogamus, & omnes legem Dei zelantes nobiscum deprecantur, ut Episcopalis, immo spiritualis gladius, *quod est verbum Dei*, (2. Tim. 2.) secundum Apostolum, non sit alligatum: ut eo percussi moriantur peccato, vivant autem Deo. Hac de causa nuper in partibus nostris, Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum, ac multorum D religiosorum & sapientum personæ congregatæ sunt, & consilio habito in huiusmodi sacrilegos severitatis sententiam protulerunt. Confirmet ergo, si placet, Apostolica auctoritas, quod ab eis bene actum est: suppleat si quid minus severe decretum est, ut & impij debita ultione puniantur, & ab eorum imitatione cæteri deterreantur. De cætero quam reverendæ vitæ sit, quamque fidelis Apostolatui vestro domnus Rothomagensis Archiepiscopus fuerit, quantumque pro pace vestra laboraverit, non est necesse vos instrui, quem plene de his omnibus instructum credimus. Supplicamus igitur paternitati vestræ, ut ita paci eius & iustitiæ provideatis: quatinus & Deo possit reddere quod Dei est, & Cæsari quod Cæsaris est, ut si fieri potest, & divinæ censuræ non displiceat, & majestatem regiam non offendat.

E

## EPISTOLA XVIII.

*Cum dulcedine recolendo, cum honore nominando, Domino, & Patri Atoni Trecensium Episcopo, Frater Petrus Cluniacensium humilis Abbas, se ipsum totum.*

Ad partes Arvernicas tenaci negotiorum unco, paschalibus adhuc feriis instantibus, tractus, nuncium beatitudinis vestræ, quem Cluniaco direxistis, Silviniaci multis iam diebus me sustinentem inveni. A quo cum literas lætus suscepissem, & in eis me de adventu vestro, sicut condixeramus, certificari sperarem, subito pro spe desperatio, pro gaudio mœstitia exorta est: cum enim, cui mox occurrere festinabam, & quem iam ad fores meas pulsare credebam, nec dum suæ domus limina excessisse cognovi. F Cúmque excusationibus subsequentibus animi mei molestiam utcunque lenire studerem, diu conatus non potui: quia insufficientes, ut salvo amore vestro irasci liceat, ad omnia inveni. Quid enim? Etsi, ut literæ sanctitatis vestræ sonant, præcepto Domini Papæ communis Collecta facta est: si nulli parcere potuit cura exactoris, si propter ariditatem receptorum exiguitatem, in hortum descensum est, si proprij fructus comesti, hoc est, de proprio quod deerat ærario suppletum: nunquid his exactis via exclusa est? aut nusquam postea iter patuit? An quoquam progrediendi nulla deinceps facultas fuit? An omni itinere frequentato, solum Cluniacense iter invisum, & velut barbaricis gladiis cruentum, fugiendum visum est? Ita plane, ita hoc iter mihi vitare videmini, ac si venienti latro iugulo immineat, leo insidians secus viam lateat; G flammivomo hiatu draco prædam, iam iámque rapturus insistat. Sed estote, estote, inquam, securus: nec latro timendus, nec leo metuendus, nec draco, Deo, méque comitante, formidandus est. Sed quid rursum persuadere conor? quid iterum exhortari molior? quid demum meam frustra operam insumere nitor? Spes mea, quæ me sæpenumero fefellit, ne sperare totiens negata debeam, vehementer cogit. Sed tamen charitatis, quæ nescit extingui, ardore denuo suscitata, adhuc clamare non desinit: & quousque optata consequatur, requiescere nescit. Clamoribus igitur continuis ad ostium amici instare deliberat: ut si non eo quod amicus eius est, propter improbitatem tamen eius surgat, & det ei † quotquot habet necessarios. († panes. Luc. 11.) Unde multo vehementius quam ante institerat, instat: & ut certum adventus vestri tempus designetis, summopere precatur. Expectat enim vos vestra Cluniacus, quæ nullatenus plenè lætabitur: quam præsentibus, & spiritualibus vestris benedictionibus repleatur. H Esse nostrum, super quo amicitiam vestram sollicitari cognovi, prosperum esse sciatis: túncque nihil cumulo gaudiorum deesse, cum Dei gratia largiente, vos nobiscum contigerit adesse.

## EPISTOLA XIX.

*Charissimo, & speciali amico nostro Dulciano, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, salutem.*

Quantum amoris affectum erga vos, & olim, & nuper maxime corde conceperim, utinam opere parere possem. Agnosceret profectò vestra prudentia quod ignorat, & meritis suis se qualemcunque amicum emisse, ipso rerum experimento probaret. Quem enim non emerent tanta pretia meritorum, tot charismata gratiarum totiens nobis & nostris impensa congeries beneficiorum? Quem, inquam, non ad dilectionem

A vestri allicerent, immo compellerent, prudentia humilis, humilitas sublimis, scientia cauta, dulcedo compta, egregij mores, lingua polita, vita limata? Hæc certe, quæ omnes trahere debent, me quoque iustitiæ instrumenta traxerunt: ut vestri memoriam in pectoris mei arcano altissimè recondam, nec eam quolibet casu ab intimis meis avelli permittam. Ea de causa, & vos ipsum mihi quandoque in Christo uniri opto, ut de illorum numero esse possitis, quos iuxta Prophetam, *Deus inhabitare facit unanimes in domo.* (Psal. 67.) Quia si istud ad præsens vos forte differre plurima impedimenta coëgerint, hoc saltem mihi poscenti animus amicus non neget: ut si non vos, tamen alterum vestrum, hoc est unum de filiis, Deo, à quo eum accepit, non tam donet, quam reconsignet. Si hoc donum per manum meam Cluniacensi Ecclesiæ feceritis: erit ille mihi in filium, vósque per eum, vt confido, promerebimini patrem habere Deum. Super hoc quid sitis acturus, nuncio vel literis suspensum certificate. B

## EPISTOLA XX.

*Dilectissimo, atque in Christi visceribus specialiter amplectendo, fratri Gisleberto, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, pro angusta Cella, latitudinem cæli.*

SVscepi literas dilectionis tuæ, charissime frater, Sabbato sancto Dominicæ sepulturæ, & eas quia prius non potui, altari assidens iam officiis inchoatis perlegi. Nec pœnituit tali eas loco & tempore me legisse, cum earum lectionem multum mihi senserim profuisse. C Nam inclusionis & solitudinis tuæ recordatus, me mundo expositum medullitus ingemui: & te ei morientem, ne dicam mortuum, gratulans intellexi. Gavisus sum, & de salute tua non mediocriter te esse sollicitum, & mei non fuisse oblitum. Exultavi in Domino, novellam plantationem spem fructus sequentis festinatis iam floribus anteferre: cui & si incrementum dare non potui, rigationis tamen, licet exiguum, ex bono cordis affectu beneficium impendi. Cumque totius Epistolæ seriem diligenti oculo non semel perlegens, invenissem me ad scribendum fraternitati tuæ sollicite admoneri, teque quantulamcunque exhortationem meam avidissime esurire: lætatus sum quidem te panis illius, in quo solo viuit spiritualis homo, delectabili esurie cruciari: sed agnoscens à quo hunc peteres: errorem de proposito pietatis nascentem adverti. Si enim verum est, quod ait Scriptura, *sapientiam scribe in tempore otij: & qui minoratur actu, ipse percipiet eam,* (Eccl. 38.) quomodo quicquam ad sapientiam pertinens scribere poterit, cui nullum otium, cui unum & molestissimum tota vita negotium est? D Quomodo percipiet eam, qui non solum actu minime minoratur, sed etiam importunissimis rerum secularium actionibus magis, magisque in dies cumulatur? Quomodo à divinis deliciis ieiunus quicquam saporum proximis eructabit, cum iuxta vulgare proverbium, amarum os nunquam mel spuere possit? Quomodo dabo quod non accepi, cum dicat Ioannes Baptista. *Non potest homo accipere quicquam, nisi ei datum fuerit de cœlo?* (Ioan. 3.) Tu potius, tu qui omni terreno cares negocio, cœlesti abundas ocio, lectione continua reficeris, oratione assidua saginaris, cuius sicut adipe & pinguedine repletur anima: tu, inquam, labiis exultationis deberes esurientem me reficere, sitientem potare, ex superabundante spiritus tui sagina cordis mei ariditatem impinguare. Quia si forte obstinatius, vt cœpisti, instans, etiam invitum loqui compellis, & pro auribus quas tibi adhibere debueram, os aperire: nescio quid tibi congruentius proponere possim, quam quod à corde tuo nulla unquam delere queat oblivio, nulla temporum varietas abolere, nulla per Dei gratiam animi mobilitas commutare. E Nam quantalibet alia dicta fuerint, labiis memoriæ elapsa complexibus facile evanescent. Hoc tanto difficilius animum fugiet quanto familiarius ipsis corporis sensibus semper occurret. Cellam itaque, cuius obiectu in medio mundi positus à mundo secerneris, cuius ope, intimos vastarum solitudinum recessus penetrasse videris, cuius inclusione, nec remotissima Ægyptiorum deserta æmularis: hanc, inquam, Cellam tibi propono, ut secundum antiqui cuiusdam Patris dictum, ipsa sola eloquentius omnibus magistris tacendo te doceat. Hanc certe non audire non poteris, quando eam quotidianum salutis tuæ monitorem habebis. Fuge, ait quidam Patrum, homines, & tace, & salvus eris. Hieronymus. Aut scuto, aut pedibus, mors vitanda est. Et Hieremias. *Sedebit solitarius, & tacebit: quia levabit se super se.* (Thren. 3.) Et David. *Dedisti*, ait, *metuentibus te significationem, ut fugiant à facie arcus.* (Psal. 59.) Hæc te Cella, dilectissime, à facie divini iudicij fugientem suscepit: hæc te secundum Esaiam, (Esai. 2.) F quasi fossa humo *à facie formidinis Domini venientis percutere terram*, abscondit: hæc velut parvula Segor, à Sodomæ, hoc est, mundi incendiis illæsum servavit. (Gen. 19.) Hæc Heliæ, quondam Achab & Iezabel per deserta fugienti latibulum præbuit: (3. Reg. 19.) ubi ille constitutus, vocem Dei sibi familiariter loquentis audiuit, ubi non in spiritu, non in commotione, non in igne, sed in sibilo auræ tenuis, hoc est, in subtili & paucis perceptibili, spiritus sui inspiratione hominibus eum adesse cognovit. Hæc Paulum illum, huius quod elegisti propositi caput, sexagenaria occultatione celavit: & multo tempore alimentis cœlestibus pastum, novissime, teste Antonio, ad panem vitæ perpetuo edendum transmisit. Hæc te mortali huic vitæ, non tantum mortuum, sed etiam sepultum, sui conclusione tibi ipsi assidue repræsentat, & quodammodo tibi, atque Colossensibus G Apostolica voce inclamat. *Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* (Coloss. 3.) Quod licet spiritualiter intellectum, tibi multisque aliis commune sit, si tamen etiam corporaliter cogitetur, tuum pene singulariter hoc tempore sit. Nam etsi plurimi carnalibus actionibus moriuntur, nullus tamen ante carnis mortem, carnis sepulcrum ingreditur. Tu autem, ut verè te mundo ostendas mortuum, ipsum adhuc vivens intrasti sepulcrum. Sed attendendum tibi est, charissime, & omnimodis satagendum: ut quod de te humana opinio existimat, hoc in te diuinus oculus agnoscat. Ingressus es quippe, ut dixi, sepulcrum; ideóque quicquid mundi prius in te vixerat, totum tecum necesse est esse sepultum. Nam nulli sepultura debetur, nisi ei qui iam vita carere probatur. Sicut enim sepulcrum mortuo, sic tantummodo mortuus debetur sepulcro. Alioquin, ut mortuum non sepelire ducitur inhumanum, ita viventem tumulare agnoscunt perniciosum. Oportet ergo, ut qui Christo commortuus ei consepeliris: nihil in te mundanum spirare patiaris. Habes quidem septum speluncæ tuæ, quæ à te accessus hominum prohibet: sed adhibe & murum, qui solus H malignorum impetus spirituum coërceat. De quo Esaï. *Salvator ponetur in ea murus, & antemurale.* (Esai. 26.) Salvator ergo murus sit tibi impenetrabilis, turris sit tibi inexpugnabilis, foramen petræ, caverna maceriæ: quæ in cruce clavis & lancea perforata, tutissimum tibi contra hostes vniversos receptaculum, sua vulnera præparavit. In quibus constitutus, & eis per patientiam communicans: & ipse ab hostium incursionibus tutus esse poteris, & eos viriliter propellere valebis. Nam sine hoc munimine, nec solitaria reclusio, nec corporalis afflictio, nec ad longinqua trasmigratio quicquam prodesse poterit: sed potius ad concertandum acriore adversarios stimulo concitabit. Vnde & ipse Dominus, ut non mitigari, sed vehementius instigari solitudine, atque ieiuniis inimicum salutis humanæ demonstraret, & suos ad ei resistendū præpararet; non priusquam in desertum à spiritu duceretur, nec antequam 40. diebus ac noctibus ieiunaret, diabolum ad se tentandum admisit.

A admisit. Testes sunt & Patres antiqui, Antonius, Hilarion, Macharius, & cæteri ob solitariam conversationem acrioribus adversarij impugnationibus fatigati. Nam claustralium communiter viventium cohabitatio, castrorum ad pugnam ordinatorum multitudini videtur comparari: ubi quisque tanto securius adversus adversarium dimicat, quanto sibi vicinius adiutorium de commilitonis dextera sperat. In illo enim prælio, non solum de sua quilibet præliator virtute præsumit, sed etiam de aliorum dextra, lævaque compugnantium viribus, quandoque magis quam de suis confidit. Laborant ibi singuli, & saluti suæ insidiantes perimere, & coadiutores modis omnibus defensare. Nec minus intelligunt in morte sociorum periculum, quam in vita inimicorum sentiunt detrimentum. Ad solitudinis singulare certamen tanto periculosius agitur, quanto serius alienum auxilium dimicans præstolatur. Quodque periculo accrescit, non ut in acie fieri solet, multi contra multos, nec ut in duello, unus contra unum: sed inusitato prœliandi more, solus contra plurimos & numero & virtute præstantes, dubia sub sorte contendit. Idcirco, ut verbis beati illius, &
B magni Patris Benedicti utar, illorum est hanc vitam arripere, qui bene instructi fraterna ex acie, ad singularem pugnam eremi sola manu, vel brachio divinæ tantum virtutis solatio adiuti pugnaturi. Et ideo oportet, charissime, ut Scriptura loquitur, sollicitum te ambulare cum Deo tuo, magnoque oneri validos humeros præparare, & illas in partes scutum fidei circumferre, in quas intentius inimicum tela ignea iaculari. Frustra quippe illud dextro lateri tutando adhibebis, si ipse in lævum specula intorserit. In cassum pectori antepones, si se ipse in terga converterit. Hoc quare dicam, sapienter adverte. Habet hostis adversus unumquodque propositum familiaria tela, nec eisdem contra omnes iaculis utitur, sed variis contra diversos armis armatur. Aliis ille laicos, aliis Monachos, aliis
C subditos, aliis prælatos, aliis otiosos, aliis negotiosos insidiis appetit: & multiplici astutia, sed eadem nequitia, adversus universos deſævit. Inde est, quod proprio solitarios, & maxime reclusos, bello persequitur: & velut ad singulare certamen provocatus, singulari in eorum interitum sævitia instigatur. Ingerit eis ex singularitate superbiam, ex otio desidiam, ex taciturnitate multiloquium, ex paupertatis timore avaritiam. Nam magnum & singulare esse, quod solitariæ reclusionis professionem elegerit, quod aliorum amplas vias fugiendo, angustissimum iter assumpserit, quod eorum tepiditatem multo spiritus fervore evicerit, quod fere nullum huius propositi æmulatorem habeat, solitario laudator dolosus insibilat. Item quia, secundum Scripturam, in desideriis est omnis otiosus, succedente desidia succedunt desideria: totum illud tempus, quod subtractum fuerat occupationibus, vanis noxiisque impenditur cogitationibus. Irruit præceps agmen multiplicium tentationum, & velut in vacua & in
D vacante discurrens domo, tuba vitiorum confusis clamoribus universa perturbat. Concluditur intra Cellulam mundus universus, & angustum septum vix unius hominis capax, multarum terrarum urbes, regnáque complectitur. Fit quietissimum otium, turbulentissimum negotium, & cum nihil corporis sensibus nisi solitudo occurrat, familiari accessu, animæ visibus se mundus cum suis omnibus repræsentat. Nunc sibi iudiciale tribunal magnus eremita usurpat, nunc episcopalibus infulis caput exornat, nunc multis monachorum millibus præsidet, nunc quælibet alia Ecclesiasticæ dignitatis culmina penetrat: & se, cum pluribus prodesse maiore animæ suæ lucro potuerit, otiosum torpere deflens, propositique oblitus, omni labore laboriosius ipsa sua quiete laborat. Nec innumera alia longe illis deteriora replico, quæ miserum hominem, postquam semel hostibus terga dederit, exerto in eius necem gladio persequuntur: nec ante plerumque absistunt, quam de sanguine eius cruentas manus crudeles homicidæ re-

portent. Sic furentibus intra mentis arcana variarum E
rerum affectionibus, cum nihil de cogitatis præter vacuam Cellulam anima teneat: præ tædio dormitans, ipsius miserabilis tædij non in Deo, sed in mundo, non in se, sed extra se quærit remedium, pro quo maius incidit detrimentum. Nam quia semel assumptum propositum eremitam deserere pudet, quæritur occasio frequentis alieni colloquij: ut qui multa de se tacens tormenta patitur, aliorum saltem confabulationibus relevetur. Aperitur arcta reclusionis fenestra, & velut ad divinum oraculum confluunt examina populorum. Dat responsa divinus Propheta omnibus, & quasi de singulis si tacuerit, sit Deo redditurus rationem, universorum causas audit, examinat, & discernit. Ibi plene de diu meditatis animo satisfacit: & sicut post [illegible] famem cibo famelicus reficitur, ita ille avidis morsibus
confluentium turbis satiatur. Obserata quidem est F
ianua, vel forte lapidibus obturata: sed per angustum fenestellæ aditum recipit, quicquid per ostij [illegible] nem non admittit. Non in [illegible] ad eum concurrentium corpora, sed [illegible] quæ sola animum à recto proposito avocat, corporum cura. Exundat ab ore copia verborum, & longi [illegible] silentij de cisterna dissipata prorumpit. Cum que de multis millibus singuli [illegible] recedant: solus ille tot, si [illegible] gat. Talibus [illegible] tertius ad tempus sopita resurgit: & ut [illegible] acutissima paulatim aquæ rigore † lenita, demum velut ipsa [illegible] sævior ad urendum insurgit. [illegible] re potest, quam ad [illegible] dium redeat: & rursum se sub religionis velamine, tumultuosis verborum occupationibus [illegible]. Quia † frigore.
si forte ex sanctitatis reverentia, vel confiteantur homines servo Dei peccata sua, vel [illegible] quia pœnitentiam dare non potest, requirunt, sive se orationibus eius ex devotione commendent: non solum se iam cœlo dignum esse iudicat, sed etiam de veteranis oblationes suscipere non recusat. In quorum uno, spiritu
superbiæ, aliorum se metiens opinione decipitur: in G
altero per eandem superbiam, quæ initium est omnis peccati, ad avaritiæ idololatriam dolose inducitur. Nam qui penuriam professus fuerat, paulatim opes congregat: nec prius desistit, quam alienis reatibus proprium
penu farciat. Simulat ea colligens indigentiæ supple- Eccl. 10.
mentum, vel si quid suæ necessitati superfuerit, indigentium adiumentum. Vult dispensator fieri alienorum bonorum, qui possessionem abiuraverat propriorum. Hac occasione Dei servus [illegible] efficitur famulus, ut cum se fingit egenorum utilitati prospicere, cupiditati suæ liberius valeat inservire. Ea de causa omnes ad subveniendum pauperibus exhortatur, ut dum Paulus ministrans sanctus esse creditur, Ananias fraudator nullatenus æstimetur. Hoc astu, tugurium pauperis fit regum gazophylacium, solitarij inopia Salomonis opibus antefertur: & de spelunca egestatis Indorum thesauri largissime profunduntur. [illegible], de cura
pauperum, ad culmina transfertur ædificiorum. Inde H
subiecta omnia curiose perlustrat, fundamenta iacit, perpendiculum extendit, structuræ suæ longitudinem, altitudinem, & latitudinem studiosus geometer dimetitur: Ecclesias ædificat, urbes mœnibus ambit, flumina pontibus obnubit, & se solum destruens, universa construit. Ita solitudinis professor in medio seculi conversatur, Cellula clausus inter frequentias populorum discurrit, nundinas & angiportus sollicitus mercator oberrat: fit ei requies tormentum, sessio labor, silentium pœna, clausura infernus. Sic, sic cæcatus lumine mentis, clausúsque tenebroso carcere, rursus ad molam inquietudinis redit: utque Samson Allophilis
fit quondam fortis, dæmonibus eremita ludibrium. Hæc Iud. 16.
tibi, charissime, pauca de multis, sed quæ vehementius [illegible] propositi homines perturbare solent, breviter ante cordis tui oculos reduxi: ut contra omnia quidem hostis tentamenta brachium fortitudinis exe-

Mich. 6.

A eras, sed adversum ista professionis tuæ magis familiaria mala, magis cautus existas. Præmissa enim munditia, carnisque continentia, de qua vel in modico exhortari te superfluum iudicavi: licet nihil intentatum relinquere Satanas soleat, hac inquam promissa, & velut in fundamento virtutum firmiter collocata, Hebr.12 quam Apostolus vocat sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum paupertatis & veræ humilitatis tibi est fabrica construenda, & quæ ipsius cœli intima penetrent, altissima fastigia erigenda. Nam, Mat.5. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Hæc in Christo tuo, cuius crucem portas, cuius sepulchrum inhabitas, cuius in te resurrectionem expectas, specialiter effulserunt. Hæc in terris Deus homo ambulans, itineris sui vestigia hominibus dereliquit: per hæc suis gradiendum esse, cœlestis Magister ostendit. Pauper ille fuit, Luc.9. non habens ubi caput reclinaret: nec is per quem mundus factus est, mundum ingrediens propriam domum, in qua nasceretur, invenit: sed Mat.17. *reclinavit eum mater in præsepio, quia non erat ei locus in diversorio.* B Pauper ille fuit, qui de censu regibus reddendo consultus, cum nihil apud hominem unde illum posset reddere invenisset: ad inexhaustos Deitatis thesauros se contulit, & quod de domestica arca non potuit, de ore piscis hamo Petri Apostoli persolvit. Pauper fuit, qui cum panis esset angelorum, pane sæpe reficiebatur publicanorum. Pauper ille fuit, quem nunquam seges propria pavit, nunquam vitis ab eo culta potavit, nunquam gregis sui vellus protexit, nunquam pecunia, quæ vel ex innumeris miraculis congregari potuisset, ditavit: qui nec cœnaculum, ubi ultimum Pascha iam passurus cum discipulis manducaret, habuit, sed à patre familias mutuavit dicens. Luc.22. *Vbi est diversorium, ubi Pascha cum discipulis meis manducem?* Sis & tu huius Dominicæ paupertatis amator C pariter & imitator, neque te propter aliorum necessitates, quantalibet pecunia implices: qui ne pro tuis indigentiis implicareris, omnes à te talium sollicitudinum modos explicuisti. Faciant sibi qui te consuluerint, amicos consilio tuo, immo Domini, de mammona iniquitatis: neque te habeant erogatorem suarum pecuniarum, quem esse existimant contemptorem propriarum. Quia si institerint, dent si ita volunt Priori tuo, dent fratribus tuis: ut vel ad proprios usus ab ipsis retineantur, aut per manus eorum aliis distribuantur. Sed & si ipsi fratres tui institorem talium te esse præceperint, & de paupertate tua sibi negotiari, non adquiescas, meamque auctoritatem coactioni eorum obiice: licet in his nullum sit periculum inobedientiæ, in quibus ratio contradicit iustitiæ. Sit Cella tua vacua pecunia, repleta iustitia, indigens opibus, referta virtutibus: vt quia non est conventio Christi ad Belial, ita exinaniatur rebus terrenis, ut possit in ea cœlestibus locus esse thesauris. Nec ipsius corporis tui te nimium cura sollicitet, ne fortè oculum in cœlo defixum, D rursum in terras respicere cogat: & semel cornina cupiditate cadaveri inhærens, ad arcam redire contemnat. Gen.8. Præstolare post Deum à Priore tuo sobrium vi- 1.Tim.6. ctum, & non superfluum vestitum: quæ iuxta beatum Apostolum ab eo consequens, his esto contentus. Sic pauper, & pauper spiritu, pauperem Dominum tuum sequere: vt non tantum de egestate rerum, quantum de spiritus paupertate, hoc est humilitate, in ipso Domino glorieris. Noli ambulare in magnis, neque in mirabilibus super te: quia si te mirabilem putaveris, mirabilem in sanctis suis nequaquam admirari poteris. Nam defixa mens in admirationem creaturæ, nullo modo proficere potest ad considerationem creatoris. Pondere enim, quo in inferiora demergitur, ad superna respicere prohibetur. Non tibi blandiatur propria solitudo, nec vilescat aliorum multitudo: sed omnibus te inferiorem & viliorem non solum lingua pronunciâ, sed etiam intimo cordis crede affectu. Hoc est plane, Mat.11. secundum Domini sententiam, esse mitem & humilem corde. Præpone vitam eorum

E vitæ tuæ, actus eorum actibus tuis, laborem eorum quieti tuæ, opera eorum otio tuo: vt dum alienos profectus attendis, de propriis operibus non extollaris. Cogita quanta illis non desint quæ tibi adesse non possunt bonorum operum exercitia, quorum & si affectum habere valeas, effectum tamen vltra assequi nullatenus possis. Es quidem, & tu iumentum Domini: sed clausus stabulo eius, recubas & ruminas pabula eius. Sunt illi equi fortes parati in diem belli, in quibus eques cœlestis residens, fortiter expugnat, & perimit principem mundi. Aguntur isti freno obedientiæ, concitantur stimulis disciplinæ: anheli & sæpe latera cruentati viam mandatórum Dei discurrunt, nec, nisi cursu consummato bravium comprehendant, quiescunt. Hi pondus diei & æstus non Cellulis clausi, sed sub divo constituti tolerant: iugum obedientiæ forti cervice sustentant, iacula iracundiæ fortiter ab hostibus & proximis intorta, patientiæ scuto repellunt. Qui nihil sibi de mundo, nec seipsos reservant: & sicut de F simulacris legitur, *Oculos habent & non videbunt, aures* Ps.113. *habent & non audient, manus habent & non palpabunt, pedes habent & non ambulabunt, non clamabunt in gutture suo.* Egentes, angustiati, afflicti, quibus interdum virtute obedientiæ, nec ipsa bona operari licet: pro quibus plerumque ac si pro malis operibus pœnas luunt. Super hæc omnia, te quiescentem & feriatum mundus adorat, hos laborantes & fatigatos magno contemptûs, & amaritudinis calice potat. Hos tibi & omnem cuiuslibet, religionis Ordinem antepone: vt cum omnibus te postposueris, omnibus ab inspectore cordium præponi merearis. Nam vocatus es ad nuptias, in quibus si vltimum elegeris locum, audies ab invitatore. *Amice, ascende superius.* Sic angelo superbiæ calcato, Luc.14. Christi tui paupertate ditatus, humilitate cœlis altior factus: iam contra præmissum acediæ spiritum armare, & eum virili dextera, qua iam dictos prostraveris, elide. G Facilis erit eius subiugatio, frequentes de fortioribus hostibus victorias assequuto. Noli coinstante confugere ad perniciosa remedia, nec in hac parte ncibo morbum curari æstimes: sed ea tibi adhibe medicamina, quæ & lædere nesciant, & festinata salutem efficacia reddant. Oratione ergo primitus quasi primo, & præcipuo bono tam hoc quam cætera mala propellere consuesce, atque in ea totam mentis intentionem defige. Hac orantis corpore quiescente, vincuntur furentes aëriæ potestates, hac tentationes validissimæ fortissimè superantur, hac infestantes cogitationes vt muscæ importunissimæ abiguntur, hac fugantur spissæ Ægyptiorum tenebræ: hac infulget mentibus lumen invisibile, hac cordis oculus carnis adhuc crassitudine obvelatus cœlestia rimatur, hac ipsum increatum & creantem omnia spiritum, humanus, prout homini licet, spiritus contemplatur. Huic cœlesti theoriæ te amodo victurum devovisti, propter hanc mundi latitudinem fugiens, angustiis te solitariæ speluncæ coarctasti: ne ab hoc intuitu mundanarum rerum te multi- H plex visio revocaret, corporeis oculis firmos parietes obiecisti. Inter quos clausus, nec aspectus hominum reformidans: quanto es ab illis remotior, tanto Deo adesto propinquior. Seiunctus ab aliis illi adiungere, vt qui corpore à corporibus segregaris, spiritu spiritibus coniungaris. Ad hanc singularem orandi gratiam hortatur Propheta. *Venite*, ait, *adoremus, & procidamus ante Deum: ploremus coram Domino qui fecit nos.* Ps.94. Et Apostolus. *Sine intermissione orate, in omnibus gratias agite.* Et ipse Dominus. *Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem.* Mat.26. Et ad cavendas, & ad repellendas tentationes, orationis bonum summum docens esse præsidium. Et quia hoc imperfectè donum in terris esse non potest perpetuum, Nam & Ioannes Apostolus dicit. *Factum est silentium in cœlo quasi media hora*, non mense, aut die, vel hora, nec ipsa etiam media, sed quasi Apoc.8. media hora: ostendens magnum quidem profectum esse orationis, sed longum esse non posse tempus orantis. Oportet vt orationem meditatio sancta sequatur,

A in quam velut in pedissequam domina relapsa quiescat, de qua valentior quasi post quietem resurgat. Sed quoniam & ipsa vt tota spiritualis, alio adhuc & inferiore sustentaculo indiget: lectionis divinæ suffragium adhibeatur. Quo recreata, clauso quoque libro quod legerit retractet: & diu retracta orationi velut famula subministret. Sicut enim ignis adipe iniecto in maiores flammas pabulo pinguedinis suscepto erumpit, sic orationis fervor, meditationis, atque lectionis sagina impinguatus, in largissimos divini amoris æstus consurgit. Hæ sunt deliciæ filiorum regis, hæc mensa à matre Sapientia præparata: hæ cœlestes epulæ, ad quas in plateis clamitans, parvulos, non magnos invitat, dicens. *Si quis est parvulus, veniat ad me.* Et deinde. *Venite, comedite panes meos: & bibite vinum quod miscui vobis.* Prov. 9. Hunc panem, non nisi ab omnibus escis humanis ieiunus comedit, hoc vinum, non nisi omni alio potu abstinens haurit: quia qui carnalibus, secundum beatum Gregorium, voluptatibus pascitur, æternarum deliciarum epulis indignus habetur. Sed novi, charissime,
B quia & ista sunt ardua, nec est cuilibet facile in istis tantummodo studiis vitam transigere. Sequatur ergo hæc tria præcedentia opus manuum: vt cum spiritualibus rebus defatigati, carnisque pondere à summis in ima deiecta mens labitur, non ad vaniloquia hominum, sed ad beatum corporis exercitium convertatur. Plantari non possunt arbusculæ, rigari nequeunt sata, neque aliquid ruralis operis exerceri, reclusione perpetua prohibente: sed quod est vtilius, pro aratro convertatur manus ad pennam, pro exarandis agris, divinis literis paginæ exarentur, seratur in cartula verbi Dei seminarium: quod maturatis segetibus, hoc est libris perfectis, multiplicatis frugibus, esurientes lectores repleat, & sic panis cœlestis lethalem animæ famem depellat. Sic plane, sic verbi divini poteris fieri taciturnus prædicator: & lingua silente, in multorum populorum auribus manus tua clamosis vocibus personabit.
C Clausus tenebris speleo tuo, & in codicibus tuis, terras ac maria peragrabis: in publicis Ecclesiæ conventibus lectoris ore verbum Dei de sublimi loco speculator inclamabis, in remotis claustrorum & domorum angulis illud idem servis Dei silentibus insusurrabis. Professio te eremitam, devotio faciet Evangelistam: vt quod per teipsum non poteris, tuis laboribus promerearis. Animet te ad hoc agendum non parvum laboris præmium, quod pro omnibus consequeris, quibus hoc laudabili studio subvenire poteris. Nam quotquot tuorum voluminum lectione superbiam prostraverint, luxuriam subegerint, avaritiam contempserint, iram domuerint, à quibuslibet malis vel caverint vel pœnituerint: vt manipuli sudoribus tuis collecti, æternarum frugum tuarum horrea cumulabunt. Et dum cum vita hominis, opera eius finiri soleant, & cum deficiente deficere: tu nec mortuus morieris, nec à vita deficiens à bono opere cessabis, quando operibus tuis ad vitam mortuos revocabis. Tantoque tempore etiam post mortem tuam apud Deum extendetur lucrum operum
D tuorum, quanto, vt ita dicam, durare potuerit vita librorum tuorum. Quod si aut oculorum læsione, aut capitis dolore, aut forte tædiosa assiduitate, vel nequiveris, vel nolueris hoc solo opere manuum esse contentus: aliis quoque operum exercitiis vices alterna, ad comenda vel purganda fratrum capita pectines apta, thecas acuum subtili manu & docto pede torna, vascula vinaria, quæ iustitias vocant, vel similia concavare, & componere tenta. Sed & si palustria prope sunt loca, mattas antiquum Monachorum opus compone, super quas aut semper aut sæpe dormias: quas quotidianis aut frequentibus lachrymis infundas, quas frequenti genuum coram Deo inflexione atteras: vel, vt beatus Hieronymus ait, aut fiscellam texe iunco, aut lentis canistrum plecte viminibus. Istis & consimilibus studiorum sanctorum laboribus totum beatæ vitæ tuæ tempus occupans, nec quantumlibet adversariis, quo se immergere valeant, vel in corde

E tuo, vel in Cella tua spatium relinques: vt cum Deus virtutibus suis cuncta repleverit, nullus diabolo, nullus acediæ, nullus reliquis vitiis locus supersit. Iam in nocturnis diurnisque officiis, non parva temporis portio consumetur: quibus tractim & intente vt soli licuerit canendis, tanto te maius necesse est studium adhibere, quanto non velut gratuitum in his obsequium Deo impendis, sed quasi debitum censum vt servus Domino reddis. Hunc ad sacra redemptionis nostræ mysteria, his vniversis bonis corde mundato, & manibus purificatis accede: & tantum salutis humanæ remedium, te ipsum secundum Apostolum prius probans, vel continua, vel frequenta. 1.Cor.11 Invitat te ad hæc ipse decor, & opportunitas loci: quem te nuper demonstrante vidi, &, vt dignum erat, laudavi. Vbi tu sacro altari assistens, & cui assistas intelligens mente tunc maxime in cœlestibus conversare, & à mortalibus ipso
F quoque corpore seiunctus, immortalibus & beatis spiritibus totus coniungere. De ieiuniis & vigiliis, sive quibuslibet carnis exasperationibus, nulla à quolibet tibi est, vt mihi videtur, lex præfigenda: quoniam & propria complexio, & vsus præteritus, & præcipuè talium rerum gratia tibi à Deo data vel danda nescitur. Tu tibi, qui omnia intima & extima tua nosti, in talibus præceptor existe, tu tibi eos terminos, quos transgredi non sit necesse adhibe: hac ratione sollicite conservata, vt in his & in omnibus actionibus tuis discretionem virtutum omnium matrem sequaris, quæ idcirco omnium mater dicitur, quia nisi eas ipsa vt filias mater nutrierit, statim cuncta virtutum soboles interibit. Vnde oportet te ita æqua lance vitam tuam moderari, vt ea carni subtrahas, quæ eius possent militare superbiæ, & ea illi tribuas, quæ tantum necessitati satisfacere possint naturæ. Cui si plus iusto concesseris, abundantia insolescens super se elevabitur: vel si iusta negaveris,
G sub seipsam miserrime deiicietur. Linguæ autem quæ alia regula indicetur, nisi ea quam Propheta sibi à Deo poscit, dicens. *Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis?* Ps. 140. Qui, vt sancti Ecclesiæ Doctores dicunt, idcirco labiis suis ostium postulat: vt sicut ostium necessitate tantum aperitur & clauditur, sic oris tui ostium vtilitati aperiatur, nugacitati vel vanitati claudatur. Aperiatur fratribus ad ædificationem, claudatur ad obloquentium vel murmurantium detractionem. Aperiatur ad exhortationem supervenientium religiosorum, claudatur ad verbositatem curiosorum. Et vt breviter dicam, aut audiatur aliquid vtile, aut dicatur: vel si ista non fuerint, silentij censura à solitario non rumpatur. Et vt hanc viam mandatorum Dei non angustato, sed dilatato, iuxta Psalmistam, corde currere valeas, & perfectionis ac perseverantiæ virtutem consequi: Ps. 118. charitatis oleo lampadem mentis reple, & divini amoris flammam magis magisque quotidianis incrementis in teipso accende, quam nec aquæ multæ extinguere valeant, nec flumina obruere queant. Cant. ult. Hac dilectionis pinguedine dura cordis cervice lenita, iugum præceptorum Dei, quod asperum prius putaveras, fiet suave: onus quod grave tibi videtur, fiet
H leve. Hac postquam imbutus fueris, erit tibi Cella tua toto mundo latior, ieiunium refectio, vigiliæ somnus, opus otium, labor requies. Nec quicquam te gravare poterit, quem spes amorque æternorum velut geminis alis ad cœlestia sublevabit. Hanc charitatis latitudinem à supernis derivatam ad proximos vsque derivare, teque non soli tibi vivere repute: qui pro omnibus, & si non ex officio, tamen ex ea quam dixi charitate, Deo assistere debes. Esto vt Moyses pro populo in his quæ ad Deum sunt. Exod. 18 Funde principaliter pro Ecclesia Dei devotas maxime hoc tempore preces, pro his qui ei præsunt, & secundum Apostolum, pro omnibus qui in sublimitate sunt. 1.Tim. 2. Pro religiosis congregationibus, & specialiter pro vniversis fratribus tuis Cluniacensibus, atque pro singulis, de quibus te vnctio Spiritus sancti docuerit, auribus divinæ pietatis importunus adesto: quodque si præsens essem facerem, genuflexo deprecor,

deprecor, & mei omnium miserrimi memor esto. Sic in Cella reclusionis tuæ vivifica clausus sepultura, Iesu Christo, sicut suprascripsi, consepeliaris: atque ut ille Ioseph & Nicodemi unguentis delibutus est, tu quoque iam dictis talium virtutum odoribus ne putrescere sepultus possis, inungeris: quo nectare in cœlum usque spirante, sacrificium in odorem suavitatis oblatum in conspectu Altissimi redolebis. In hoc sepulchro dum advixeris, erit vita tua abscondita cum Christo in Deo: quatinus post carnis mortem resurrectione carnis & spiritus subsequuta, cum Christus apparuerit vita tua, tunc & tu appareas cum ipso in gloria.

## EPISTOLA XXI.

*Summo Pontifici & nostro speciali Patri Domino Papæ Innocentio, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, sinceram dilectionem, & fidelem obedientiam.*

SI domnum Lugdunensem Archiepiscopum venerabilem filium sublimitatis vestræ, mea vel alicuius commendatione apud vos indigere cognoscerem: filiali de vobis confidentia, multa de ipso vel pro ipso facere verba studerem. Sed quia nota vestræ sapientiæ probitas eius, experta Apostolatui vestro fidelitas eius, abundanter, ut credo, eum commendabilem faciunt: nolui pro illo superflue deprecari, qui & pro aliis dignus est exaudiri. Hoc tantum dicendum esse iudicavi, ut pro filiis vestris Cluniacensibus, quos benigne fovet, ei si placet gratias agatis. Et quia terra nostra, ut nostis, sine Rege & Principe existens quibuslibet exposita raptoribus est: ut de pace stabilienda, pro qua satis sollicitatur, magis ac magis satagat, admoneatis. Cito etiam cum gratia, & benedictione vestra remittendum esse, & nos oramus, & ipsa multiplex regionis necessitas implorat. Nam quanto universæ regioni illi eius magis est necessaria præsentia, tanto minus tolerabilis esse probatur absentia.

## EPISTOLA XXII.

*Venerabili & charissimo nobis Atoni Trecensi Episcopo, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, salutis & dilectionis plenitudinem.*

MIror si in cor tam unanimis amici ascendere potuit, mutuam dilectionem ita à me posthabitam, ut apices vestros viderim, & eis nihil responderim. Non est à vestra sublimitate hoc de mea humilitate aliquatenus sentiendum: à quo, ut arbitror, ante poterit vita recedere, quam illa, quæ me vobis copulat charitas, in aliquo tepere. Audivi quidem literas illas à quodam allatas fuisse, sed sollicite omnia investigans, nec literas videre, nec earum latorem potui reperire. Causa igitur non respondendi, melius imputari potuit negligenter mittenti. Nam si congruenti cautela missæ fuissent, oculum nostrum minime latuissent. Iam quia stultum est sana curare, integra resarcire, non oportet multa pro dilectione inter nos augenda vel conservanda verba facere: quam & hic crescere, ut æstimo, impossibile est, & quæ à statu suo minui, Dei iuvante gratia, nullatenus potest. Aliorum, quæ postmodum scripsistis, responsionem fratri Hugoni Camerario nostro iniunximus. A quo, quia eum ad partes vestras in præsenti dirigimus, requirite, & audietis.

## EPISTOLA XXIII.

*Summo Pontifici, & nostro speciali Patri Domino Papæ Innocentio, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, salutem & obedientiam.*

FRatres Luxovienses nuper ad nos venerunt, scripta paternitatis vestræ nobis deferentes: in quibus & destitutio quondam magni Luxoviensis Monasterij paterna pietate à vobis defletur, atque ut in eodem loco de fratribus nostris Abbatem & officiales necessarios concedamus, nihilominus nobis iniungitur. Per quos nimirum secundum literarum tenorem omnipotenti Domino ibidem laudabiliter serviatur, & tam nobile Monasterium in sui status prærogativam & pristinam integritatem, divina cooperante clementia, reparetur. Quod præceptum debita quidem reverentia suscepimus, sed pro sui difficultate non mediocriter formidamus. Nam sicut novit sapientia vestra, in negotio Religionis facilius possunt nova fundari, quam vetera reparari: quia secundum beatum Gregorium, hominibus aliter institutis durum valde videtur, in mente veteri nova meditari. Qui enim nova tantum ædificat, eum in veterum destructione non oportet laborare. Qui autem vetera reparare nititur, duplici cure constringitur: quoniam illi & veterum destructio, & novorum incumbit ædificatio. Super hæc, & vestræ Cluniacensi Ecclesiæ, nos qui rem novimus, valde timemus: ne frequenter, sicut sæpe fit, ad alias Ecclesias translatis fratribus nostris, quod aliis refrigerium, nobis inferat detrimentum. Postposuimus tamen omnia ista, & fratribus supradictis ad nos venientibus Abbatem, & officiales necessarios, iuxta quod nobis iniunctum fuerat, dare parati fuimus. Sed illi nobis valde damnosa, sibi parum utilia postulantes, acquiescere nostro consilio noluerunt: & sicut dicebant, die constituta pro eodem negotio ad nos reversuri, ad propria redierunt. Hæc idcirco reverentiæ vestræ notificamus, ut si ulterius in his instare voluerint, & de Cluniaco Abbatem petierint, nequaquam eligant quod ignorant: sed in nobis qui melius vultum pecoris nostri agnoscimus causam suam constituant. Hoc si fecerint, providebimus nos fideliter tales Ecclesiæ ministros, per quos omnipotenti Domino in monasterio Luxoviensi, quantum ipse dederit, laudabiliter serviatur: idemque locus, & si non ad pristinam integritatem, ad meliorem tamen statum, divina cooperante clementia, reparetur. In hanc sententiam si placet, & nobis & ipsis rescribite.

## EPISTOLA XXIV.

*Venerabili, & non ficta charitatis brachiis singulariter amplectendo, Domino & Patri Guidoni, Chartusiensi Priori, & cæteris fratribus, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, salutem ad quam suspirant æternam.*

CVm exundantem erga vos sincerum cordis mei affectum verborum signis explicare pertento, fateor, in ipso conatu deficio. De aliis quibuslibet assidue tractanti, verborum copia affluit: cum vestri amore & memoria tota repleta sit anima mea, se ipsum quærens explicare animus succumbit. Similis fit vasi usque ad summum quolibet liquore repleto, à quo si subito inditum obicem retraxeris, velut de vacuo nil profluere admirando stupebis. Cumque naturali ordine repletionem exinanitio subsequatur, mirum in modum ipsa repletione exinanitioni exitus denegatur. Sic prorsus mihi vobis sæpe scribere volenti contingit,

A cum sit nonnulla vel parva dicendi materia: sed, ut dicitur, inopem me copia facit. Additur difficultati studium brevitatis, qua moderni nescio qua innata segnitie delectantur: & conceptus illos brevi cogor compendio terminare verborum, quibus vix sufficeret multitudo librorum. Quando enim explicare potero, quomodo à vobis corpore seiunctus, tota vobis mente coniungar: quomodo alibi manens, vobiscum semper maneam, quomodo cum aliis conversans, intra sacri collegij vestri numerum spirituali cohabitatione converser? Quando referre valebo quam gravis mihi sit, teste eo quem fallere non possum, ipsa vestra corporalis absentia: qua si carere possem, non solum miserum quantum ad me nomen Abbatis, sed etiam totum cum suis omnibus, mundum exuere nullo modo dubitarem? Quando vel disertissimi cuiuslibet facultate, etiam si liber sermonibus detur excursus, pro-
B ferre sufficiam, quanta formidine sub divini iudicij dubio infelix merito mens mea vacillet: cum imminens maxime ex officio periculum nec manendo sapienter valeam evitare, nec fugiendo liceat declinare? Nec adeo sum cæcus, ut non videam, nec adeo insipiens ut non intelligam, nec adeo infidelis ut non credam, standum mihi in proximo esse ante tribunal
1.Cor.5. Christi: ut referam secundum beatum Apostolum, quæ per corpus gessero, sive bonum, sive malum. Et cum Salomon idem confirmet, dicens. *Cuncta quæ*
Eccl.ult. *fiunt adducet Deus in iudicium pro omni errato, sive bonum sive malum sit*: terreor vitæ meæ incerto, & cogitans infinitum aggerem miseriarum mearum, alto cordis dolore actus suspiro. Attendo gravissimam curarum sarcinam, debilibus humeris impositam: & onus cui vix giganteæ possent vires sufficere, cerno pusilli homulluli colla deprimere. Cogor asellus elephantorum castra dorso portare, & cum armis Saulis pro ca-
C stris Israel contra Goliath puer, & rusticus ad bella
Apoc.12 procedere. Video draconem de cœlo proiectum, tertiam partem rutilantium stellarum de summis ad ima, cauda trahentem: & adversum sanctæ mulieris semen acrius solito prœliantem. Cumque ille peritissimus perdendi artifex, multiformibus insidiis cœlestia castra infestet: me ignaro, me infirmo, me timido duce nesciente, non valente, non audente resistere, spem sibi victoriæ de Christi militibus glorians repromittit. Contra quem nisi cito Michaël missus fuerit, accusator
Hebr.10 fratrum impius prævalebit. Hoc plusquam dicere possim metuens, & horrendum esse incidere in manus Dei viventis sciens: gemino coarctor periculo, dum me mihique commissos attendo. Nam, sicut beatus Gregorius ait, in illo tremendi iudicij examine, uniuscuiusque testimonium vix sibi soli sufficiet, quanto minus sibi & proximo? Quomodo ergo tot millibus ubique terrarum diffusis, quos raro vel nunquam videre datur, ante Christum vivorum & mortuorum iustum iudicem adero, quando vix mihi adesse potero? Qualiter, secundum beatum Patrem Benedictum, de nu-
D mero commissorum rationem reddere prævalebo: qui de propriæ vitæ studio requisitus, mutus forsitan apparebo? Si astra non sunt munda in conspectu eius, quanto magis homo putredo, & filius hominis vermis? Quod si hoc ab illo dictum est, qui sic conversabatur, ut divina sententia homo simplex & rectus & timens Deum, ac recedens à malo diceretur: & qui pro suis ita sollicitabatur, ut quotidianas pro eis hostias immolaret, dicens, *ne forte peccaverint filij*
Iob.25. *mei*: quid dicet homo dormiens, homo negligens, homo nec sibi nec suis providens? Magnum, magnum pastoralis officij periculum, ad quod velut cæci ad præcipitium, lætantes nostri sæculi homines currunt: & gravius lædendi, de summis dignitatum gradibus, in profundum inferni corruunt, & antiquorum gladiatorum more, parvo temporis spatio voluptatibus & superbia saginam nutriunt: quam in spectaculo perditorum, diabolo in æternum devorandam offerunt. Felix & iam beatitudini æternæ participans exoccupatorum otium, quibus libera & absque impedimento in cœlum via paratur: qui & hic Deo, si non negligant, facile per invisibilem charitatem iunguntur, & statim post carnis funus eidem per ipsam visionis speciem sociantur. A quorum felici requie & quieta felicitate me seiunctum dedens, inter me & ipsos interpositum caos doleo, sed ad eos transire non valeo. Sed quid dolori meo satisfacere cupiens, aures vestras ar[...]endis, cum Maria, Domini sermonibus occupatas, verborum importunitate repleo? *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & vola-*
*bo & requiescam*? Quantum tamen ad votum animi Psal.54.
mei, elongavi fugiens, & mansi vobiscum in solitudine: expectans eum qui salvum me faciat à pusillanimitate spiritus, quæ me his de causis exanimat, & tempestate mundana, quæ quasi suffocandum undique circumvallat. Misereminì igitur mei, saltem vos amici mei: & sicut ego ista dictando meas vobis lachrymas fudi, ita vos coram piissimo redemptore, vestras F
pro me dignamini fundere. Misi ad hoc assidue commonendas mentes vestras, secundum eum Salvatoris imagine crucem: ut eum crucifixum pro eo in hoc mundo crucifixi contemplantes, cum illum pro vestra multorumque salute deprecamini, mei quoque in sacris precibus vestris nullo modo obliviscamini. Sit vobis in signum amicorum, qui stat iuxta Prophe-
tam in signum populorum: ut sicut Domini vestri memoria à pectoris vestri sacrario nunquam separatur, Esa.11.
ita servi vestri miseria, si fieri potest, à vestris affectibus nullo tempore divellatur. Misi & vitas sanctorum Nazianzeni & Chrysostomi, sicut mandastis. Misi etiam libellum sive epistolam beati Ambrosij contra relationem Symmachi urbis Romæ præfecti pagani, qui sub nomine Senatus idiolatriam in urbem reduci ab Imperatoribus postulabat. Qui licet in G
sua relatione orator acutissimus videatur, ei tamen & prosa & metro tam supradictus venerabilis Pater, quam noster insignis Poëta Prudentius potentissime responderunt. Tractatum autem beati Hilarij super Psalmos ideo non misi, quia eandem in nostro codice quam & in vestro corruptionem inveni. Quod si & talem vultis, remandate, & mittam. Prosperum contra Cassianum, sicut nostis, non habemus, sed pro eo ad sanctum Ioannem Angeliacensem in Aquitania misimus: & iterum si necesse fuerit, mittemus. Mittite & vos nobis si placet, maius volumen Epistolarum sancti patris Augustini: quod in ipso pene initio continet Epistolas eiusdem ad sanctum Hieronymum, & sancti Hieronymi ad ipsum. Nam magnam partem nostrarum, in quadam Obedientia, casu comedit Ursus. Salutat vos totus Conventus noster devoto corde, & quidam, quibus loqui licet, corde simul & ore. Inter quos Frater Petrus notarius noster, se nominatim scribi rogavit. Omnipotens Deus noster Iesus Christus, qui hic nos univit spirituali cordium affectione, in regno suo nos uniat sempiterna cohabitatione: & non intrans in iudicium cum servis suis, suppleat per H
gratiam quod deest meritis nostris.

## EPISTOLA XXV.

*Domino, & Patri in Christo reverentissimo Abbati Cluniacensi Petro, dignationis eius servus & filius, Carthusiensium pauperum inutilis Guigo famulus, perpetua pace gaudere per Christum.*

CRucifixum crucifixus & ipse, crucifigendi misistis. Gratias itaque reddimus, pro qualitate muneris, charitati muneratoris. Veruntamen vestra in literis quas misistis expressa charitas, nostræ etsi magnam præstat consolationem infirmitati, non minorem tamen humilitas confusionem ingerit extremitati.

A mitati. Vnde petimus per eam, qua in nos indignos
vestra fervent viscera, dilectionem: ut quando no-
stræ exiguitati vestra scribere dignatur serenitas, ita
de propria cogitetis ædificatione, ut infirmitatem no-
stram periculosa non infletis elatione. Et illud præ
omnibus & super omnia quæsumus, & defixis in ter-
ram genibus obsecramus: ne vilitatem nostram pa-
tris nomine dignam ulterius æstimetis. Satis & super
satis est, si frater, si amicus, si filius appelletur,
qui nec servi nomine dignus habetur. Valete. Salu-
tate reverendos Patres & Dominos nostros, quibus
paternam curam impenditis: quorum pariter & ve-
stris precibus nostram illuminari cæcitatem, roborari
infirmitatem, & aboleri petimus iniquitatem. Dom-
ni Arberti maioris Prioris infirmitatibus, tanquam
antiqui ac familiaris amici, nostro dolore compati-
B mur. Dominum quoque Petrum vestris literis specia-
liter inditum, specialiter & ipsi salutamus. Pro vi-
sitatione etiam, quam nobis vir egregius Prior clau-
strensis & domnus Hugo de Crecero nuper exhibue-
re, paternitati vestræ gratias agimus. Incolumem
vos assiduo virtutum profectu, ad nostrum & totius
Ecclesiæ gaudium, clementia divina conservet.
Apud fratres nostros, nostra commendatione non
indigetis. Ipsemet enim vestris meritis, vestrisque
literis, eorum visceribus vestram memoriam insolu-
biliter alligastis.

## EPISTOLA XXVI.

*Speciali mihi amore charissimo fratri & filio*
*Petro, Frater Petrus humilis Cluniacensium*
C *Abbas, salutem æternam.*

POstquam a nobis, mi charissime, corporali præ-
sentia discessisti, & strepitus mundanos, qui te
nobiscum, nosque tecum sæpe ab intimis hebescere
cogebant, fugiens, ad otium qualecunque te tran-
stulisti: frequenter tibi scribere, atque tam tuum sta-
tum addiscere, quam meum dulcedini tuæ notificare
proposui. Sed seculo quod, ut sic loquar, me sibi
totum colligavit, nullatenus vel ad dictandum cor,
vel ad scribendum manum relaxare volente, id huc-
usque implere non potui. Hac de causa tamdiu tuum
esse rescire, tamdiu te de me certificare, non tam di-
stuli, quam differre compulsus sum. Nunc tandem
durissimi Domini iugo vix ad horam me fugitando
subducens, hæc paucula furtim scriptitando direxi.
Congratulor quidem quieti tuæ, at gaudeo paci tuæ:
si tamen talis est, unde & tu interim gaudere debeas.
Et licet ego in pelago fluctuem, nimiumque adversis
flatibus ac tumidi maris feris æstuationibus navi con-
quassata, de vita diffidam: te iam portum tenentem,
& iras maris aërisque secura mente ridentem, lætus
D aspicio. Cuius rei certa argumenta sunt, quod cum
te mihi semper adhærere deberet, tam multus amor,
quo te amplectebar, quam multa utilitas, qua te in-
digebam, instanter commonerent: supposui tamen
velle meum voluntati tuæ, præposui salutem tuam
necessitati meæ, prætuli otium tuum negotiis meis.
Tu autem nullam huic nostræ benevolentiæ vicem
reddere curans, quod salvo amicitiæ privilegio dixe-
rim, videris tibi vivere, tua curare: ea quæ sunt
aliorum, & quod est deterius, amicorum vilipende-
re, inventa ut passer domo, reperto ut turtur nido,
columbarum miseriis gementium, & ungues aquila-
rum, accipitrumque formidantium pericula, securo
animo siccisque oculis sustinere. Sed absit, ut sic de
corde tuo sentiam: de quo non aliud, quam quod de
meo, sentire consuevi. Non hoc de corde tuo sen-
tio, non hoc illi impono, quod unanime mihi esse
non dubito. Sed queror, quod perturbationibus &
angustiis nostris tametsi compatiaris: compati te ta-
E men nullis indiciis demonstraveris. Potuisti enim, &
si non eripere, saltem condolere. Potuisti, & si
non subvenire, saltem admonere. Potuisti, & si
non sublevare, saltem confortare. Nam si impoten-
tia auxilium subtrahebat, quis verba inhibebat? Si
facultas adiuvandi deerat, quis sermonem retinebat?
Quis animum a dictando, manum à scribendo pro-
hibebat? An otium tibi defuisse causaberis? An li-
teras te nescisse probabis? An aliud aliquid obstitisse
monstrabis? Nihil certe. Restabit ergo negligentia.
Hanc solam si pœnitendo obieceris, veniam prome-
reri poteris. Sed parcam pudori, continebo ma-
num, retraham habenas, suspendam stylum, mo-
derabor sermonem: ne ultra quam ratio patitur, in
amicum invehar. Do veniam. Faciam ipse, quod
te non fecisse reprehendo. Volo plenius scire, quo-
F modo te habeas. Nam si bene, si quiete, si libere,
quod semper optasti, Deo vacare prævales: si locus
ad hoc plene famulatur, si dedisti somnum oculis
tuis, & palpebris tuis dormitationem, donec inve-
nias locum Domino, tabernaculum Deo Iacob, gau-
debo. Sin aliter, quantum ad locum spectat, aptum,
ut arbitror, providebo. Non enim possum non esse
sollicitus de salute tua, quam ut meam desidero, &
propter quam absentiam tuam omni mihi molestia mo-
lestiorem tolero. Laudo enim quod optasti, effero
quod tractasti, prædico quod inchoasti. Quia si non-
dum possum quod potuisti, volo tamen quod voluisti.
Quid enim? Quis hoc non vellet? Quis tantum bo-
num non concupisceret? Quis à tanto malo eruі nol-
let: quo vita perditur, quo mors adquiritur, quo
Deus expellitur, quo hostis admittitur? Rerum enim,
quas fugisti, mundanarum implicatio, aut mortem aut
G vicinum morti periculum inferunt: ita ut nullus fere
unquam se his implicaverit, qui horum alterum non
incurrerit. Nec multum refert hoc maxime tempore,
quo quis habitu, qua quis professione, vel simulatitio
religionis proposito sese curis exterioribus immisceat:
cum omnes pene quicumque occasione Ecclesiastica
rebus secularibus occupamur, non in eis quæ Iesu
Christi, sed quæ nostra sunt quæramus, gloriam, po-
tentiam, voluptatem, pecuniam, & si qua sunt alia
quæ videntur carni commoda; sed multa animæ ge-
nerant incommoda. Qui non ita saltem terrena tra-
ctamus, ut partim terram, partim cœlum cogitemus,
aut quod perversum, sed tolerabilius esset, ut minus
cœlum, magis terram sapiamus: sed, quod est omni-
no perversissimum, prorsus cœlum postponentes, ter-
ræ prorsus inhærentes, veraciter fateri possumus,
*Quoniam humiliata est in pulvere anima nostra, conglu-* Ps.43.
*tinatus est in terra venter noster.* Super quibus in in-
finitum progredi loquendo, ipsa cogente materia, im-
mo miseria, possem: sed quia illa me sæpe deflentem
audisti, & quid de huiusmodi sentiam plenissime
nosti, supersedendum iudicavi: ne extra metas cur-
H rum agere, & præter viam currere videar, neve cui-
libet legenti casu aliquo nota fiant, quæ solum te nos-
se volui. Veni ergo ad me celeriter, ut tutis amici au-
ribus credere possim, quæ chartis plerumque infideli-
bus committere non præsumpsi.

## EPISTOLA XXVII.

*Summo Pontifici & nostro piissimo patri domno*
*Papæ Innocentio, Frater Petrus humilis*
*Cluniacensium Abbas, salutem,*
*& obedientiam.*

DIes tribulationis & angustiæ dies hæc, quia se- Esa.37.
cundum Prophetam, *Venerunt filii usque ad par-* 4.Reg 18
*tum, & virtus non est pariendi.* Venerunt nuncii Sen- 4.Re.24.
nacherib, blasphemantes Deum cœli: irruit Nabucho- & 25.
donosor, & captivavit populum Dei: nec defuit Doeg, 1.Re.22.

qui

qui extenderet manum in sacerdotes. Domini. Lamentabilem historiam cogor retexere, quam præcordiorum dolore interrumpente, lachrymis velim nolim interfluentibus, vix, vt arbitror, potero explicare. Sed quia, proh dolor! hoc à martyrum temporibus tam inauditum scelus me vidisse contigit: silere cum maluissem, loqui invitum oportuit. Regressi ab vberibus vocantis Ecclesiæ, à concilio pietatis vestræ, vt Grex Dominicus simpliciter ambulans, luporum morsus incurrimus: & nostris seculis insolita rabie dispersi, captivati, vulnerati, & rebus omnibus pene expoliati sumus. Aderat in comitatu nostro non ignobilis, neque vltima pars Ecclesiæ Dei, Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum legio, Monachorum non parvus numerus, Archidiaconorum, nobilium, clericorum, & religiosarum personarum populus. Horribile spectaculum, tantas, tamque necessarias Ecclesiæ Dei personas videre distrahi, dissipari, vulnerari, atque gladiis insequentibus vbi vbi per diversa fugari. Episcoporum atque Abbatum plurimi ad proxima castra violenter abducti, & quidam eorum post verbera, & vulnera, barbarica immanitate incarcerati sunt. Inter quos Dominus Remensis, cui nec ætas, nec dignitas adesse potuerunt: post multas iniurias, & vulnera turri conclusus tenetur. Dominus Petragoricensis similia expertus est. Sed quid ego de singulis quasi solis loquor, cum Bituricensis & Senonensis suis pene omnibus amissis, vix ad pontem Tremulum tremuli & anheli pervenerint, & ibi cum Ebredunensi, Trecensi ictu hastæ, de equo deiecto, & inde graviter infirmato: cum Lemovicensi, Attrebatensi, Belicensi, Redonensi, atque aliis Episcopis: Abbatibus etiam Lemovicensi, Vizeliacensi, sancti Michielis de Clusa sancti Germani Parisiensis, Corbiensi, Noviomensi, Burguliensi, sancti Sulpitij, sancti Remigij, Crassensi. sancti Ioannis de Prato, de monasterio Hender, Melundensi, Salmurensi: & aliis quampluribus secundo carcere inclusi teneantur? Refertus est burgus ille, & constipatus multitudine sanctorum: quæ velut Hierusalem obsessa à Babyloniis, pedem vltra protendere non audet. Nulli tutus ingressus, omnibus negatur egressus. Nec multa spes in aliquo, nisi in illo qui educit vinctum de domo carceris: & in vobis, sanctissime Pater, qui eius vices in terra geritis. Clamat igitur ad vos sicut ad singulare præsidium, nobilis illa Ecclesiæ Dei portio: & sibi citissime subveniri, sicut filiis à patre precatur. Postulo & ego socius periculorum, per quem vobis ista scribi elegerunt: vt quia tanta pro Deo & vobis eos contigit pericula subire, festinet vestra pietas eorum cito periculis subvenire. Postulo, inquam, quia postulandum mihi est, ne sanctos socios, qui itineri nostro quadam charitatis confidentia adhæserant, contempsisse videar. Nam de meis iniuriis plura dicere supersedeo, qui dum cum Domino Vizeliacensi Abbate armatis hostibus pro pace sociorum obuius occurrissem, primo impetu multa nostra ictu lanceæ confossa, in partem cedere coacta est. Fratres nostri fugari, famuli capti: res pene omnes ablatæ. Ego ad proximam villam me conferens, tamdiu delitui, donec conductu hospitis nostri, ad pontem Tremulum, quo alij præcesserant, vespertinis horis & ipse perveni. Inde ergo cum sociis vocem querulæ lamentationis emittens, rogo pariter & consulo, ne rem tantam parvipendendam putetis: si nomini Christi, si honori vestro, si vtilitati Ecclesiæ, aliquando consulendum esse iudicatis. Si enim hoc negligitur, quid curabitur? Si rigor iustitiæ, si severitas Ecclesiæ in damnis publicis dormit: quando in privatis evigilabit? Precatur nobiscum, & consulit sacer captivitatis conventus: vt non solum in actores nequitiæ huius, sed & in toto Lunensi Episcopatu apostolicæ vindictæ mucro resplendeat: quatinus eo sublimiter renitente non solum prope positi, sed etiam in extremis Christianitatis finibus constituti terreantur. Lunensis Episcopus nobis in brevi apparens, lunarem eclypsim nimis immaturè passus est: quem dum per totam dietam nobis lucere credidimus, vix per integram legam socium habere potuimus. Longus fui, sed, vt audacter loquar, in tanta re longior esse debui. Iam si quid minus dictum est, sapientia vestra suppleat, & disponat.

## EPISTOLA XXVIII.

*Pro meritis venerabili, pro effectu erga nos dilectissimo, domno Bernardo Claraevallis Abbati, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, salutem præsentem, & salutem æternam.*

DIu est, frater charissime, ex quo bonæ conversationis tuæ aromata spirituali suavitate fragrantia intimo cordis odoratu hauriens, teque ante diligere quam nosse, ante venerari quam contemplari incipiens: te videre, te amplecti, tecum de animæ profectibus loqui desideravi. Cuius rei effectum hactenus præstolatus, quod de his charitati tuæ scribere decreveram, distuli. Malui quippe vivo sermone secreta cordis mei tibi aperire quam hæc scedulæ calamo percurrente committere. Sed multa terrarum intercapedo, multa negotiorum & tribulationum nobis ingruentium amaritudo, hoc ne contingeret, hucusque prohibuerunt. Faciam ergo necesse est quod permittitur, & modo quo possum, quia isto tantummodo possum, fraternitati tuæ mihi, vt dixi, ante charæ quam notæ, quod me in quibusdam movet, aperiam. Novi enim te eruditione secularium, &, quod est longe vtilius, scientia divinarum literarum instructum pariter & ornatum, & relicta Ægypto, Ægyptiorum spoliis & Hebræorum opibus sic ditatum: vt & aliorum indigentiam ipse dives permanens supplere, & de dubiis certam ferre sententiam valeas.

Obiiciunt itaque nostris, quiddam vestrorum. Non, inquiunt, vos regulam, cuius rectitudinem sequi proposuistis, vt ipsis operibus monstratur, sequimini: immo distortis gressibus ignotas semitas, & devia quæque sectamini. Proprias namque leges ipsi vobis, prout libuit, componentes, has sacrosanctas dicitis: Patrum præcepta pro vestris traditionibus abiicitis: in eadem re, quod monstruosum videtur, magistri & discipuli existitis. Insuper ad augmentum prævaricationis, & divinæ irritationis, coram Deo & sanctis eius voto vos astringitis: quod transgredientes, reos vos violati absque dubio ostenditis. Promittit siquidem secundum Regulam beati Benedicti, vos in castris cœlestibus militaturos: atque iuxta ipsius instituta, indeficientem obedientiam servaturos. Hæc præmissio. Videamus vtrum sic se habeat conversatio.

Et per ordinem cuncta aggrediamus, in suscipiendis noviciis quomodo regulam servatis, cum non nisi post annum, spiritibus si ex Deo sunt probatis, eos suscipi præcipiat: vos autem ipso quo adveniunt, vt ita loquamur, momento, nulla ratione servata, eos suscipiatis? Vnde contingit, vt quia incaute recipiuntur, incautius recepti conversentur: & quia ad quod veniunt venientes non intelligunt, iam cæteris sociati, quid agere debeant nesciunt: dumque in stadio more athletarum ante pugnam non exercentur, ad conflictum venientes cum pugnare debeant fugiunt, & cum fortiter dimicantes vincere, vtpote talium inexperti, facillime vincuntur.

Vsum quoque pelliciarum, diversarum pellium qua auctoritate vobis defenditis, cum in eadem regula nihil de huiusmodi reperiatur?

Fœmoralia sanè de vestiario hos, qui in via diriguntur, accipere, & revertentes ibidem reponere iubet: vtique præter illos nulli ea ferre permittens.

De stramentis autem lectorum vtrum magistrum sequamini ipsi videte, cum certe plura & diversa,

A quam regula præcipiat vobis,& supponatis, & superponatis.

Vt duo pulmentaria cocta fratribus omnibus sufficiant & vt tertium de pomis aut leguminibus si fuerit vnde addatur, in sæpe dicta regula legitis: an ita teneatis, gnoscitis.

Fratres transgressores & professionis suæ prævaricatores, illos videlicet, qui collum iugo regulæ subducentes,& de monasteriis fugientes ad seculum revertuntur, vsque tertio si reverti & pœnitere voluerint, recipi iubet: & si postmodum hoc fecerint, omnem eis reversionis aditum denegari. Sed vos sicut cætera, sic & istud quoque contemnitis: & quotienscumque libet, advenientes contra regulæ præcepta suscipitis.

B De ieiuniis vero regularibus quid dicemus, quæ sic abiecistis,sic pro velle mutastis: vt vix parvas ipsorum reliquias magis forte humano pudore quam divino timore retinueritis? Nam cum monachis præcipiatur, vt à Pentecoste vsque ad Idus Septembris, quarta & sexta feria ieiunet vsque ad nonam:nisi labores in agris habuerint, aut æstatis feruor nimius fuerit: cumque ab eisdem Idibus vsque ad caput Quadragesimæ, vt ad nonam semper reficiant iniungatur, vos econtrario tota æstate omnes ferias pares facitis, & ieiuniorum eandem formam quotidie bis comedendo servatis. Reliquo autem tempore quando vultis ieiunando, quando vultis ieiunia soluendo: non ipsos regulæ, sed regulam vobis subiicitis.

Opus manuum, quo sancti Patres eremitæ & antiqui Monachi semper vsi sunt, quo ipsi Apostoli victum sibi & aliis ministrabant, de quo Deus reatum primi hominis hac quoque pœna plectens ait, *In sudore vultus tui vesceris pane tuo.* De quo & David, *Labores manuum tuarum quia manducabis: beatus es, & bene tibi erit*, ita abiecistis: vt nec istæ omnes auctoritates ad operandum vos cogere possint, nec obedientia quam iuxta regulam Deo vos exhibere promisistis, delicatas ocio manus de sinu ad opus extrahere valeat. Ge. c. 3. Ps. 127.

C Nostis etiam inibi præceptum esse, vt omnibus advenientibus sive discedentibus hospitibus inclinato capite vel prostrato omni corpore in terra, Christus in eis a fratribus adoretur, qui & suscipitur. Non ignoratis & illud iussum, Aquam in manibus Abbas hospitibus det. Pedes hospitibus omnibus tam Abbas quam cuncta Congregatio lauet. Sed nec istud tantillum voti vestri contemptores servare curatis.

De ferramentis, & rebus monasterij brevem Abbas habere præcipitur: sed vel negligentia habere non curat, vel superbia habere dedignatur.

Ad hæc, cum his,qui ob debitas laudes Deo decantandas ad Ecclesiam occurrere non valent, præcipiatur, in loco vbi sunt cum divino timore genua flectere: more vobis solito legibus propriis vtentes, & communes contemnentes,cum nec istud valde grave sit, tamen negligitis, & alia quædam inventicia facientes, parvum hoc præceptum sicut & maiora vilipenditis.

Mensam quoque Abbatis cum hospitibus, & peregrinis esse semper iubet: vt videlicet Christum semper habere mereatur, qui dictorum se esse dicit. *Hospes fui, & suscepistis me.* Istud quoque tantum & tam leue bonum, quasi pro nihilo ducentes, contemnitis. Matt. 25.

D Vbicumque sibi obviant fratres, iunior à priore benedictionem petere præcipitur, nec apud vos tenetur.

Ad portam monasterij senex sapiens poni iubetur, nec ponitur.

Vt pulsantibus vel clamantibus Deo gratias portarius respondeat, aut benedicat, imperatur, nec observatur.

Illud autem, illud, inquam, omni rationi & auctoritati adversum, quomodo tuemini, quod iam semel stabilitatem & conversionem morum, & obedientiam vno in loco professos: rursus alio in loco stabilitatem rursum conversionem morum, rursum obedientiam vovere, & priorem fidem irritam facere compellitis? Ita quippe, ita inevitabili periculo vobis adquiescentes cingitis: vt ad quamlibet partem se verterint, prævaricatores non esse non possint. Nam si prius votum servaverint, secundi rei tenebuntur. Si secundum, prioris noxa constringentur. Nec soli hoc patientur, sed par cathena vos ipsosque constringet & fortasse vos durior. Debent enim deceptores, deceptis pœnas habere maiores. E

Sed & inde si potestis sufficientem excusationem prætendite, quod contra eandem totiens nominatam regulam vestram, vestrã certe, vestram, vel saluantem vel condemnantem: alterius & noti monasterij monachos, sine permissione Abbatis proprij, aut literis commendaticiis, indifferenter suscipitis, & quod vobis nolletis fieri, alteri facitis. Ea propter & respectum fraternæ charitatis amittitis, neque secundum divinum præceptum, quod dicit, *Hoc est præceptum meum vt diligatis invicem*, proximum sicut vos ipsos diligitis. F Ioan. 15.

Super hæc omnia, quod omnibus iniustum & contra Ecclesiastica decreta esse perspicue patet, & vnde ab vniversis iuste iudicamini, nequaquam relinquere vultis: sed contra totius orbis morem, proprium Episcopum habere refugitis. Quod quam sit absurdum, etiam imperitis manifestum est. Vnde enim vobis chrisma? Vnde sacri Ordines? Vnde Ecclesiarum consecrationes, & cimiteriorum benedictiones? Vnde ad postremum omnia, quæ sine Episcopo aut Episcopi iussu canonicè fieri non possunt? Certe in his non solum monachorum, sed & omnium regulam exceditis Christianorum.

Ecclesiarum parochialium, primitiarum, & decimarum possessiones, quæ ratio vobis contulit: cum hæc omnia non ad monachos, sed ad clericos canonica sanctione pertineant? Illis quippe, quorum officij est baptizare & prædicare, & reliqua quæ ad animarum pertinent salutem gerere, hæc concessa sunt: vt non sit eis necesse implicari secularibus negociis, sed quia in Ecclesia laborant, de Ecclesia vivant, vt Dominus dicit. *Dignus est operarius mercede sua.* At vos quare hoc vsurpatis, cum nihil horum quæ diximus facere debeatis? Et cum illum non feratis laborem, cur laboris suscipitis mercedem? G Luc. 10.

Sed & de secularibus possessionibus à vobis more secularium possessis, quid respondebitis: cum in nullo in hac parte ab ipsis discrepare videamini? Nam castra, villas, & rusticos, servos & ancillas, &, quod deterius est, thelonearia lucra, & fere cuncta huiusmodi emolumenta indifferenter suscipitis: non legitime tenetis, contra infestantes modis omnibus defenditis. Vnde contra monastici Ordinis instituta, causas seculares religiosi tractant, monachi causidici efficiuntur, accusant & accusantur, testes fiunt, contra Apostolum iudiciis intersunt, atque sub prætextu iuris proprij tuendi, cordibus in Ægyptum revertuntur: incendium Sodomæ à Sodomis iam egressi respiciunt, manum mittentes in aratrum, retro respiciunt, & idcirco regno cœlorum apti esse non possunt. In his omnibus professionis & voti vestri transgressores vos esse, apertissime ostendimus. Si enim constat regulam hæc præcepisse,& vos hanc servare vouisse: cum constet hoc vos hactenus non fecisse, patet, vt diximus, non servatæ promissionis vos prævaricatores existere. Nos vero hæc omnia vti præcipiuntur observamus, & ex integro, quicquid in regula tenenda Deo promisimus, custodimus. 1. Tim. 2. H

Ad hæc nostri. O, ô! Pharisæorum nouum genus, rursus mundo redditum! qui se à cæteris dividentes, omnibus præferentes, dicunt quod Propheta dicturos eos prædixit. *Noli me tangere, quoniam mundus ego sum.* Sed vt his quæ in vltimis posuistis in primis respondeamus: dicite veri observatores regulæ, quomodo vos eam tenere iactatis, qui nec breve illud capitulum, vt ipsis vestris verbis ostenditur, servare curatis, quo

dicitur,

A diciteur, vt monachus omnibus se inferiorem & viliorem non solum sua lingua pronunciet, sed etiam intimo cordis credat affectu? Hoccine est inferiorem se credere & pronunciare, aliorum facta deprimere, sua extollere, contemnere alios, sibi magnum videri: cum Scriptura præcipiat, *Cum feceritis omnia quæ vobis* Mat.17. *præcepta sunt, dicite: Servi inutiles sumus?* *Non iusti-* Ps.142. *ficabitur*, inquit Propheta, *in conspectu tuo omnis vi-* Esai.64. *vens.* Et Esaias: *Velut pannus menstruatæ, omnes iustificationes nostræ.* Et vos sancti, vos singulares vos in vniverso orbe verè monachi, aliis omnibus falsis & perditis secundum nominis interpretationem, solos vos inter omnes constituitis: vnde & habitum insoliti coloris prætenditis, & ad distinctionem cunctorum totius fere mundi monachorum, inter nigros vos candidos ostentatis. Et certe hæc vestium nigredo, antiquitus humilitatis causa à Patribus inventa, cum à vobis reiicitur, meliores vos ipsis candorem insolitatum præferendo indicatis. B De magno tamen illo & admirabili, vereque monacho Martino non legitur, quòd albo & certo, sed quòd nigro & pendulo pallio processerit. Inde quoque & regulam, cuius defensores magis quàm observatores videri vultis, valde transgredimini: qua iubente didicistis, vt de vestium colore aut grossitudine non causentur monachi. Cuius manifestissimi prævaricatores esse convincimini, qui colorem humilitati & abiectioni magis competentem abiicitis: & illum, quo etiam in scripturis gaudium & sollemnitas figuratur, album scilicet, contra iam dicta regulæ mandata assumitis. Act.1. Cumque in valle lachrymarum positos, quibus præcipitur, vt semper luctui, nunquam lætitiæ intendant, deceant vestimenta luctum & pœnitentiam designantia: vos econtra in miseriis felicitatem, in mœrore gaudium, in luctu lætitiam, vestium candore monstratis. Sed ne magis iniurias verborum verbis vlcisci, quàm obiectis ex ratione respondere videamur: his quibus vos iuste impetere possemus ad præsens omissis, ad ea quæ obiecistis taliter respondemus. Et vt eo ordine quo à vobis posita sunt obiecta diluamus: dicimus nos in observatione regulæ, nequaquam devia quæque sectari, sed per omnia ducentis regulæ rectitudinem sequi. Privatis legibus Patrum traditiones non supponimus, quoniam C & ipsæ à sanctis Patribus inventæ sunt: quos Deo placuisse sancta vita & multa miracula testata sũt & testãtur, quibus & licuit talia mandare, & nobis licet talia observare. Plane licuit, semperque licebit, vt pastores ovibus suis quæ recta sunt præcipiãt: & oves pastoribus vt Deo obediãt. Voti nostri nos nitimini ostẽdere transgressores, cuius nos veros sic ostendimus observatores.

Nam in suscipiendis novitiis regulam omnium servamus, quoniam illum sequimur qui dixit. *Omne quod dat mihi Pater ad me veniet: & eum qui venit ad me non eiiciam foras.* Quem non sequeremur, si eos, qui ad ipsum ab ipso inspirati veniunt, eiiceremus fo- Ioan.6. ras. *Nemo enim*, ait, *potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Si igitur quem Pater trahit, & Filius suscipit, ac Spiritus, qui vbi vult spirat, inspi- Ioan.3. rat, expelleremus: quid aliud quam Deo resistere videremur? Certe non tantum venientes suscipere, sed etiam non venientes ad veniendum invitare invenitur, dicens. *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis: & ego vos reficiam.* Et de nostri Ordinis iugo ferendo Mat.11. subinfert. *Tollite iugum meum super vos, & discite à* D *me, quia mitis sum & humilis corde. Iugum enim meum suave est, & onus meum leve.* Et vt nihil fingere, sed totum divinis auctoritatibus videamur firmare: dicite qui non nisi annuum monachum vultis, nunquid illi, cui Salvator dicebat. *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus: & veni sequere me*, annum remorandæ conversionis indicebat? Mat.19. Nec refragari potestis, totam summam Ordinis nostri his brevibus verbis Domini contineri. Nam quid est aliud dicere, *omnia quæ habes da pauperibus*, &c, *veni sequere me*: nisi esto monachus? Sed forte dicetis. eum

E hoc non fecisse. Nunquid dicere potestis, Dominum hoc non monuisse? Quod si iste non implevit, impleuit ille, qui, cum ei diceret Dominus, *Sequere me*, & Mat.8. & Luc.9. respondisset, vt ad sepeliendum patrem cum prius ire permitteret, & Dominus addidisset, *Sine mortuos sepelire mortuos suos, tu autem veni, & annuncia regnum Dei*, surgens sequutus est eum. Nunquid non dicam annum, sed vel diem, aut horam, antequam converteretur, ei indixit: ac non potius remorari etiam pietatis causa volentẽ, ne moraretur coëgit? Et certe sapientia Dei per Solomonem dicit. *Fili ne tardes converti ad Deum; & ne differas de die in diem. Nescis enim* Eccles.6. *quid superventura pariat dies.* Et vt maiora aggrediamur, quosdam Apostolorum de mari, quosdam de theloneo, alios de diversis mundi commerciis vocatos cernimus: & ilico Apostolos videmus. Sed ne hæc magis veneranda miracula, quam imitanda exempla esse dicatis: ad vitam illam primitivæ Ecclesiæ recurramus, quam esse eam, quæ apud nos servari debet, F quis sanum sapiens negare potest? Quæ namque est vita monachica, nisi quæ tunc dicebatur Apostolica? Hanc sane & illam eandem esse, ipse beatus significat, cum tractans qualiter debeant fratres necessaria accipere, ait, sicut scriptum est, *Dividebatur autem singulis, pro vt cuique opus erat.* De proprietariis quoque idem sancit, quod Petrus Apostolus tenendum esse de- Act.4. creuit: cum Ananiam & Sapphiram propria habere volentes, terribili morte damnavit. Act.5. Ad hanc ergo conversationem, quam sive monachicam seu Apostolicam dixerim, nil refert, quicumque veniebat, ab Apostolis suscipiebatur: ilico cæteris iungebatur, nec per annum, vt apud vos, differebatur. Nunquid his omnibus auctoritatibus non adquiescitis, nec adhuc hominibus aditum venientibus ad Deum reserabitis? Sed forte adhuc perstatis, & dicitis. Regulam beati Benedicti tenere vovistis. Nos econtra Nunquid iam dicta à professione exclusimus? Nunquid regulam servaturos nos vovimus, & Evangelia negavimus? Nunquid dicta & facta Domini & Apostolorum eius imitari beatus Benedictus prohibuit? Nonne Petrus ait, *Christus passus est pro nobis, relinquens* 1 Pet.2. *vobis exemplum vt sequamini vestigia eius?* Certe Christus omnibus quos vocabat, vt se sequerentur dicebat. Recolite Evangelia, & fere vbique sic invenie- G tis. Sequi autem pro imitari positum à doctoribus nostris accepimus. Super hæc omnia matris charitatis regulam in his, & in reliquis, nos sequi profitemur: quæ hoc sibi propriè vendicat, vt quicquid secundum eam fit, rectum non distortum, æquum, non iniquum, iustum, non iniustum esse, manifestissimum fit. Vt enim Dominus ait, in ipsa *universa lex pendet & Prophetæ.* Et beatus Gregorius. Omne mandatum de sola dilectione est, & omnia vnum præceptum sunt. Quia Mat.22. quicquid præcipitur, in sola charitate solidatur. Atque post pauca. Præcepta dominica, & multa sunt, & vnum. Multa per diversitatem operis, vnum in radice dilectionis. Hinc beatus Augustinus. Habe, inquit. charitatem, & fac quicquid vis. Hanc charitatis, vt diximus, regulam sequentes, novitios, mox vt veniunt, suscipimus: immo etiam secundũ Dominum vt veniãt invitamus, & implemus quod Ioannes in Apocalysi ait. *Et spiritus & sponsa dicunt, veni: & qui audit dicat veni.* Nec contrarij sumus regulæ, quoniam charitatis Apoc. vlt. oculum erga salutem proximi apertum habemus. Perpendimus quippe, quia si eum ab ordine nostro tam H aspere deterreremus, ad seculum revertens post Satanam converteretur & qui ad salutem veneat, in perniciem laberetur. Cuius perniciei reos nos ante subtile examen districti iudicis inveniri formidamus: si quem salvare condescendendo possumus, perditum iri nostra austeritate permittimus. Retractamus & hoc, quia sæpe etiam invitis bona præstantur. Hoc dicimus, quod apud nos sæpe contingere cernimus. Nonnulli huic iugo colla sua submittentes, post aliquantum temporis diversis seu tentationibus seu

A tribulationibus oppressi, ad fæces mundi, quas dimiserant, reverterentur: nisi cogitarent quod semel fecerunt non posse se absque damnatione æterna prævaricari. Qui si aliquando hoc præsumunt, postmodum tamen hoc timore compulsi, ad ovile proprium revertuntur: & quia aliter saluari se non posse cognoscunt, velint, nolint; seruant quod vouerunt. Ipse quoque beatus Benedictus quē nobis obiicitis, pro nobis loquitur. Sic, inquit, Abbas omnia temperet atque disponat, vt animæ salventur. Sed & Dominus in Evangelio, *Si oculus tuus fuerit simplex: totum corpus tuum lucidum erit.* (Luc. 11.) Hoc est, si intentio bona fuerit, & cuncta opera recta existent. His auctoritatibus, hac ratione confidimus, nos iuste agere: & beati Benedicti præceptum, qui in nullo scripturis divinis contrarius esse potest, in suscipiendis nouitiis optime conservare. His
B omnibus adiungimus illud, quod isto fraternæ charitatis intuitu, licet plerumque magistris Ecclesiæ Dei patrum instituta transgredi & ad vtilitatem animarum regularū præcepta moderari. Ad hoc enim omnium divinarum scripturarum oculos tendit, & hæc eius finalis causa est, vt sive arguendo, sive obsecrando, sive increpando, sive parcendo, sive corripiendo, sive quocunque modo agendo, salus animarum provideatur: & homo, ad cuius doctrinam scripta sunt quæcunque scripta sunt, Deo, à quo disiunctus fuerat, iterum coniungatur. De his multa in Canonibus Ecclesiasticis invenimus, a sanctis videlicet Patribus bene prius sancita, & à subsequentibus iuxta rationem temporum certis de causis mutata: vt est, verbi gratia, de illis, qui in hæresim vel in aliquod damnabile peccatum, & publicum corruunt, quos primi Canones ad pristinum clericatus vel dignitatis gradum accedere prohibent, sequentes vero necessariis cogentibus causis, aliquando permittunt. Sic & de Presbyterorum filiis, ne presbyteri fiant, & de Episcopis ne ad aliam sedem transferantur constitutum est: sed in multis vtilitatis gratia non seruatum. Papa etiam Gregorius Anglos noviter ad fidem conversos, contra prædecessorum,
C suorum, ac multorum Conciliorum statuta, in quinta linea copulari permisit. Hæc & multa his similia a quibusdam Patribus statuta, ab aliis certa necessitate vel vtilitate immutata, persæpe reperiuntur. Synodus Nicæna secundo Capitulo dicit. Frequenter sive ex necessitate, sive alio quolibet modo transgredi contigit homines Ecclesiasticos canones. Et sanctus Papa Leo. Vbi, inquit, necessitas fuerit, ad vtilitatem Ecclesiæ qui potestatem habet, ea dispenset. Ex necessitate enim fit mutatio legis. Item Felix Papa. Contemplari oportet, inquit, quod vbi occurrit necessitas, sæpe Constitutiones Patrum transgredimur. Hæc diximus, istis vos expugnantibus exemplis & testimoniis cinximus: vt nullus iam evadendi vobis supersit locus. Cum enim audiatis, necessitatis, sive vtilitatis gratia posse Patres mandata moderari: negabitis hominem ad monachatum nisi post annum posse suscipi? Et quæ maior necessitas aut vtilitas, animarum salute, potest inveniri: Illa necessitate, illa vtilitate, ne dilati pereant, ad nos venientes aliquando sine mora suscipimus. Et quia iam dicto charitatis oculo salutem proximi sic agendo procuramus: nec regulæ, quæ tantum salutem hominum requirit, nec alicui divinæ Scri-
D pturæ contraimus, immo implendo quod volunt, eis in omnibus concordamus.

Post hæc requiritis, qua auctoritate vsum pelliciarum & diversarum pellium nobis defendimus: cum in regula nihil de huiusmodi reperiatur. Sed & nos requirimus, qua auctoritate ea auferre conamini. Quam cum afferre nō potueritis, quod re vera non potestis, nos nostras in medium afferemus rationes: & ex his nos nil male agere vestiti pelliceis demonstrabimus. Verba igitur regulæ in primis discutiamus: & si nobis pelles abstulerit, ilico dimittemus. Audite ergo, vnde nos impetitis. Vestimenta, inquit, fratribus secundum locorum qualitatem, aut aerum temperiem dentur;

E quia in frigidis regionibus amplius indigetur, in calidis vero minus. Hæc ergo consideratio penes Abbatem sit. Hæc dicens, nullam vestimentis certam metam præfixit, nihil necessitati abstulit, in arbitrio Patris spiritualis totum posuit: & tam in his, quam in cæteris similibus necessaria conservans, superflua tantum resecavit. Vnde & alibi dicit. Quod superfluum est, amputari debet. Apostolus quoque idem confirmat. *Carnis*, ait, *curam ne feceritis in desideriis.* (Rom. 13.) Inde beatus Gregorius. Cum carnis curam in desideriis facere prohibemur: in necessitatibus concedimur. Igitur secundum hæc Apostoli præcepta, iuxta beati Benedicti suprascripta dicta, secundum illa quæ de Actibus Apostolorum alio inducit, dicens, *Dividebatur singulis prout cuique opus erat*, (Act. 4.) iuxta omnia quoque divinarum literarum mandata, licet Abbati superfluitate recisa, pellicias vel cætera indumenta fratribus
F largiri, & more boni Pastoris ovibus sibi commissis cuncta necessaria providere. Et ne exempla deesse videantur, ipsum Deum primis hominibus post lapsum huiusmodi indumenta dedisse legimus. *Fecit*, inquit, *Deus Adam & uxori eius tunicas pelliceas, & induit eos.* Cum ergo hæc indumenta non pro gloria, sed pro ignominia, non pro deliciis, sed pro pœnitentia, non pro honore, sed pro dedecore, Deus eis contulerit: quare vos ac si delicias, & aliquid magnum, pelles monachis auferre conamini? Hæc plane huiusmodi (Genes. 3.) indumenta in exilio positos patriæ recordari commonent, quæ ab ea expulsi, in sustentanda fragilitate se accepisse recolunt. Sanctos quoque Prophetas pellibus vsos Apostolus in laude martyrum memorat dicens. *Circumierunt in melotis, in pellibus caprinis.* (Hebr. 11.) Helias namque Propheta zona pellicea accinctus fuisse describitur. (4 Reg. 1.) Et de Ioanne Baptista Evangelium loquitur. *Erat Ioannes vestitus pilis cameli: & zona pellicea circa lumbos eius.* (Matt. 3. & Marc. 1.) Beatum Antonium Eremitarum Patrem, pellicea vsum fuisse legimus. Hinc & de ipso beato Benedicto legimus in Dialogo. Eodem quoque tempore hunc in spelunca latitantem, etiam pastores invene-
G runt. Quem dum vestitum pellibus inter fruteta cernerent, aliquam bestiam esse crediderunt. Si vtique in vsu pellium peccatum esse crederent, nequaquam tanti viri, qui omnibus imitandi proponuntur, his vti voluissent. Sed quia inter superflua & necessaria distinguere noverant, superfluis longe remotis, cum & ab ipsis necessariis maioris virtutis merito in multis abstinerent: ista tamen indumenta, quibus vtentes monachi non esse dicuntur, sibi retinuerunt, & Prophetæ & Martyres sancti ea ferentes permanserunt. Sed & illud, quod de tunica & cuculla subsequitur, quam discrete, quam provide, quam charitative dixerit, quantumque à vestræ indiscretionis inhumanitate discordaverit, si nondum perpendistis, tandem animadvertite. Mediocribus, ait, locis sufficere credimus per singulos cucullam & tunicam. Cucullam hyeme villosam, in æstate puram aut vetustam. Quod quæso hic præceptum? quæ coactio? Quid hic dicitur: quod à nobis non servatur? Sufficere credit, non præcipit: nec omnibus in locis, sed mediocribus locis monacho cucullam & tunicam. Nunquid credere est præcipere? Nunquid mediocria
H loca sunt omnia loca? Hoc mandatum transgredimur, hinc voti prævaricatores dicimur. Sed si nos pelliciis vtendo, quoniam de eis regula reticet, prævaricamur: prævaricamini nobiscum & vos, qui simplici floco & cuculla contenti esse non vultis, & vltra regulæ metas quæ nihil de his loquitur, multiplices, & quotquot, libet tunicas induitis, & eas absque aliqua discretione fertis. Si vero responderitis, quod quidam vestrorum nostris aliquando responderunt, videlicet hoc vos causa necessitatis agere: respondebimus & nos similiter, necessitate, hoc est, frigoris importabili asperitate, pellium munimenta portare. Et si hac ratione immunes vos à regulæ transgressione videri cupitis: eadem ratione nos regulæ transgressores non esse, nihilominus [illegible] declaramus.

A declaramus. Cum ergo vestimenta fratribus secundum locorum qualitatem, aut aerum temperiem, dari regula iubeat, cum hanc considerationem penes Abbatem esse decernat, cum, secundum Apostolicam sententiam, dividi singulis provt cuique opus est, præcipiat, cum carnis curam in desiderijs Apostolus fieri prohibeat, sed in necessitatibus permittat; licet plane Abbati, licet his, quos indigere viderit, necessaria subsidia, seu in vestibus, seu in quibuscumque libuerit rebus pro velle ministrare. Nec tantum licet, sed etiam prævaricatæ regulæ reus existeret, si quod regula exhiberi egentibus charitativè præcipit, non exhiberet.

Fœmoralia sane eadem ratione necessitatis, munditiæ & honestatis nobis defendimus: recolentes insuper Deum præcepisse, ne summus sacerdos sine fœ- B moralibus lineis ad altare suum accedere præsumeret, ne si hoc faceret, pœnam mortis incurreret. Et licet cuncta illa sacerdotalia, vel Leuitica indumenta, sive ornamenta, Ecclesia Dei moribus magis quam corporibus coaptet, & non literam mortificantem, sed spiritum vivificantem sequatur, sunt tamen quædam, quæ more illo antiquo adhuc in Ecclesia decoris causa observantur, vt quæ erant futurorum significativa, sint præteritorum repræsentativa: sicut, verbi gratia, quædam in pontificalibus vestimentis morem pristinum imitari cernimus, quæ non ob superstitionis observantiam, sed ob vtriusque legis spiritualem, vt di- (1.Cor.10.) ximus, consonantiam fieri intelligimus. Nam licet secundum Apostolum, *Omnia illis in figura contingerent*: sacramento tamen honestas seu vtilitas aliquando coniungebatur. Et quamvis in fœminalibus lineis ministris Dei castitas indiceretur: tamen honestas velan- (1.Cor.12.) dorum inhonestorum non excludebatur, immo sollicite præcipiebatur. Vnde & Apostolus. *Inhonesta*, inquit, *nostra abundantiori honore circumdamus*. Huius ergo rei honestas quidem intelligitur: necessitas autem apertius exponeretur, si de talibus, sicut de cæteris, liberè loqui permitteremur. Honestum tamen est, vtile est, necessarium est: & idcirco contra regulam, quæ nulla, vt sæpe iam diximus, necessaria interdicit, nec in hoc aliquid agimus.

C De stramentis autem lectorum quæ obiecistis, miramur quomodo obiicere potuistis. An enim obliti estis verba regulæ, quæ dicit, Lectisternia pro modo conversationis, secundum dispositionem Abbatis sui accipiant? Vnde quod Abbate permittente, nobis & supponimus & superponimus, si superflua desunt, iuste secundum regulam sine aliquo inobedientiæ periculo facimus. Ea propter quoniam argui de prævaricatione non possumus: iniuste reprehendentes de non recta reprehensione, rectius reprehendere possumus.

Hinc ad duo pulmentaria quæ intulistis veniamus, & tam de ipsis quam de panis & vini mensura, quid regula dicat videamus. Panis (inquit) libra vna propensa sufficiat in die, sive vna sit refectio, sive prandij & cœnæ. Quod si cœnaturi sunt, tertia pars à Cellarario reservetur, reddenda cœnaturis. Ecce qui de iota vno, aut vno regulæ apice calumnias machinamini: insurgite, irruite, invenistis quid dicatis, quid obiiciatis, hic plane nos damnare, hic prævaricatores arguere, hic voti transgressores vocare, sine contradictione potestis. Si enim propensa libra panis in die D monacho non suffecerit, si vel modicum supra libram, vel pro libra aliud sumpserit, nisi integram tertiam partem ad opus cœnæ sibi reddendam Cellarario non alteri reddiderit: si plus vel minus de libra in prima refectione comederit, quam vt tertia pars ad servandum residua sit, id est vt nec plus tertia parte, nec minus comedenti supersit: quid aliud quàm à Deo condemnamur, à paradiso excludimur, vt periuri & filij perditionis in inferno retrudimur? Quid tamen de illis dicetis, qui extra equitant, & necessitate monasterij per diversa euntes multo tempore à monasterio absunt? E Nunquid semper panem suum trutinato poterunt? Nunquid semper & vbique Cellararium monasterij secum habere valebunt, cui quando bis comederint, tertiam partem libræ suæ ad cœnam illam recepturi, (Mat.23.) nec de alio pane comesturi, commendare valeant? Vere liquantes culicem, & camelum glutientes, decimantes mentham, & anetum & ciminum: & relinquentes quæ sunt grauiora legis, iudicium, & iustitiam, & veritatem. Sic quippe sentientes, quid aliud (Luc.11.) quam Deum verborum venatorem magis, quam cordium scrutatorem esse, videri vultis? Cumque ad cor semper respicere dicatur, & simplicitate oculi totum corpus lucidum fieri, ipse confirmet: vos econtra, magis cum linguæ motus, & sonum omnium auribus communem notare, talia dicentes, sentire videmini. Et F cum probetur materiam salutis nostræ propter suam immensam pietatem libentissime perquirere, quod ex multis scripturarum locis conicere, immo aperte co- (Gen 18.) gnoscere quilibet potest; vt verbi gratia, cum ad Abraham loquens, pro decem Sodomitarum iustis se (Mar.10.) cæteris indulgere promisit, & viduam duo tantum minuta offerentem laudauit, & cum danti calicem aquæ frigi- (Luc.15.) dæ, mercedem reddit, & bonæ voluntatis hominibus pacem annunciat: vos econverso velut ei insidiantem ipsū nitimini comprobare. Hoc certe facitis, cum hæc & alia regulæ verba, non vt oportet, intelligitis, non vt decet, exponitis. Hoc facitis, cum proferentium verba, magis quam corda, Deum attendere dicitis. Non ita, non ita sensit sanctus, qui spiritu omnium iustorum plenus fuisse dicitur, non ita sensit: sed audite quid senserit. Intellectum eius verba sequentia demonstrant. Quia si labor, inquit, forte maior factus fuerit, in arbitrio & potestate Abbatis erit: si expediat aliquid augere, remota præ omnibus crapula, vt nunquam subrepat monacho indigeries, quia nihil (Luc.21.) sic contrarium est omni Christiano, quomodo crapula, sicut ait Dominus noster, *Videte ne grauentur corda vestra in crapula*: hæc dicens: quid aliud quam necessitatem retinuit, vitium amputauit, atque in arbitrio Abbatis cuncta huiusmodi esse censuit? Sed & omnia verba eius de mensura potus tractantis, nonne huic nostræ intelligentiæ astipulantur? Quæ brevitatis gra- G tia libenter intermitteremus: sed quia his maxime eius intentio, atque discretio cognosci potest, oportet vt ea ponamus. Vnusquisque, ait, proprium donum habet ex Deo: alius sic, alius vero sic. Et ideo cum aliqua scrupulositate à nobis mensura victus aliorum con- (Eccl.19.) stituitur. Tamen infirmorum contuentes imbecillitatem, credimus eminam vini per singulos sufficere per diem. Quibus autem donat Deus tolerantiam abstinentiæ, propriam se habituros mercedem sciant. Quia si loci necessitas aut labor, aut ardor æstatis amplius poposcerit, in arbitrio Prioris consistat, considerans in omnibus ne subrepat satietas aut ebrietas: licet legamus vinum omnino monachorum non esse. Sed quia nostris temporibus id monachis persuaderi non potest, saltem vel hoc consentiamus, vt non vsque ad satietatem bibamus, sed parcius: quoniam vinum apostatare facit etiam sapientes. Dicite ergo syllabarum discussores: nonne hæc omnia indiscretionem vestram condemnant? nonne sententiam nostram omnimodis approbant? Donorum diversitates diversis à Deo donari dicit, & ideo cum scrupulositate mensuram victus aliorum constituit: constituendo tamen nihil H præcipit, sed eam mensuram quam ponit, posse sufficere fratribus credit. Si labor, aut ardor, aut qualibet necessitas amplius poposcerit, in arbitrio Prioris constituit: superflua & vitiosa tantum more solito resecans, & idcirco satietatem, aut ebrietatem caveri in omnibus admonens. De pulmentariis etiam nihil affirmando, nihil præcipiendo, sed totum sub moderatione ponendo, ita scribit. Sufficere credimus ad refectionem quotidianam, omnibus mensis cocta duo pulmentaria propter diversorum infirmitates: vt forte qui ex vno non

A potuerit edere, ex alio reficiatur. Si ergo quisquam infirmitatis propriæ causa ex duobus illis non potuerit edere, non oportet eum ex tertio refici? Quod si nec ex tertio, non debet ei quartum offerri? Sic etiam diversa diversis pro qualitate infirmitatum, hoc est, prout cuique opus est, superfluitate semper & vbique recisa, non debent charitativè impertiri? Hoc sanctus ille intellexit, hoc scripsit, hac de causa nihil aliud de talibus diffinire, nil præcipere voluit: sed pro qualitate locorum, temporum, morum, infirmitatum, & diversorum accidentium, cibos, potus, vestes, & ad extremum vniversa tam corporibus quàm animabus necessaria, subditis à Patribus dari sancivit: animarum saluti tantummodo intentus, & eam, sive dando, sive subtrahendo, sive parcendo, sive corripiendo, procurare sollicitus. Hoc ostendit omnibus fere in locis Regulæ suæ, hoc specialiter dicit in Capitulo superius dicto, quo tractat si omnes debent æqualiter
B necessaria accipere. Sicut, inquit, scriptum est, *dividebatur singulis, prout cuique opus erat.* Vbi non dicimus, vt personarum, quod absit, acceptio sit, sed infirmitatum consideratio. Vbi qui minus indiget, agat Deo gratias, & non contristetur. Qui vero plus indiget, humilietur pro infirmitate, non extollatur pro misericordia: & ita omnia membra erunt in pace. Huic rationi regula charitatis, quæ ad vniversa se extendit, & omnia sua rectitudine recta facit, attestatur: vti beatus Augustinus in libro de moribus Ecclesiæ Catholicæ contra Manichæos scribens, dicit. Continent se igitur hi qui possunt, qui tamen sunt innumerabiles, & à carnibus, & à vino: duas ob causas, vel propter fratrum imbecillitatem, vel propter libertatem suam. Charitas præcipuè custoditur, charitati victus, charitati sermo, charitati habitus, charitati vultus aptatur. Coitur in vnam, conspiraturque charitatem. Sciunt hanc commendatam esse à Christo, & Apostolis, vt si hæc vna desit, inania sint omnia: si hæc adsit, plena sint omnia. Hanc violare, tanquam Deum, nefas ducitur. Hanc si quid offendit, vnam diem durare non sinitur. His & similibus satisfecimus, nisi obstinata voluntas maneat vestra tuendi, & magis
C disponatis quæ vestræ sunt litigando defendere: quam probatæ rationi, & auctoritati adquiescere. Transeamus ad reliqua.

Act. 4.

Opponitis deinde, nos contra Regulam plusquam tertio fugitiuos suscipere. Nos vero ad ista. Miramur, valde miramur, vnde istud novum Evangelium ortum est, quod contra totius orbis fidem dimicat, & spem veniæ peccatoribus interdicit. Dicãt, qui post trinam prævaricationem reverti volẽtibus aditũ claudunt: cur Christus Petro postquam ter negauit, non tantum indulsit, sed & pascendas oves suas tertio commisit, eumque maiorum maximum & Apostolorum principem constituit. Dicant, vtrum scriptura mentiatur, quæ dicit. *Septies cadit iustus, & resurgit.* Dicant quid eis de verbis Domini videatur, quibus Petro interroganti quoties peccanti fratri deberet indulgere, an vsque septies: respondit, *non dico vsque septies, sed vsque septuagesies septies.* Ostendant quomodo intelligunt, quod alibi ipse Dominus ait. *Si dimiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris, dimittet & vobis Pater vester cælestis peccata vestra*, nec diffinitum numerum remissionis præfecit, sed indiffinitè posuit: dans intelligi, quod quoties quis fratri indulserit, toties ei Deus indulgeat. Hinc in oratione quam Ec-
D clesiæ suæ dimisit, addit. *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Vnde non dubitatur, quod quotiens quæ nostris debentur, dimittimus: totiens, vt diximus, nobis debita, hoc est, peccata nostra à Deo dimittuntur. Sed quare exemplis immoramur, cum nullum sanæ fidei lateat, converti ex corde volentibus ianuam misericordiæ vsque ad vltimum spiritum semper esse reseratam: & fontem domus David in ablutionem peccatoris & menstruatæ, per omne præsentis vitæ spatium indifferenter paten-

Prov. 13. Mat. 24. Matt. 6. Mat. 6. & Luc. 11. Zach. 13.

E tem, nulli negari? Verba quoque Regulæ, quæ prave vel parum intelligentes, ista dicere præsumpsistis, in nihilo vobis suffragantur. Et vt pateat verum esse quod dicimus, ipsa ponamus. Si frater, inquit, proprio vitio de Monasterio exierit, aut proiectus fuerit, in vltimo gradu vsque tertio recipiatur: iam verò postea sciat sibi omnem reversionis aditum denegari. Non, inquit, denegetur: sed, sciat sibi denegari. In qua sententia cum nihil præcepti inveniatur, non obicem misericordiæ posuisse, sed terrorem temerariis intentasse cognoscitur. Ergo desinite talia loqui, & non scripturas vestro sensui, sed sensum vestrum scripturis applicate: & converti veraciter cupientes, absque vlla retractatione, etiam millies suscipite. Alioquin Deo contrarij & Regulæ adversarij inveniemini.

In ieiuniis vero regulam nos optime sequi credimus.
F Quod si non creditis, exponimus. A Pentecoste vsque ad Idus Septembris, sicut ipsi opposuistis, quarta quidem & sexta feria vsque ad nonam ieiunare præcipimur: & aliis diebus ad sextam prandere. Hanc tamen prandij sextam continuandam dicit si necessarium fuerit, & in Abbatis ponit providentia: vt sic omnia temperet, atque disponat, qualiter & animæ salventur, & quod faciunt fratres, absque murmuratione faciant. Et quia horam illam refectionis sicut cæteris diebus, ita quoque duabus illis feriis continuandam dicit, hoc est, ad sextam posse fratres ex necessitate comedere: quia hoc in Abbatis providentia ponit, quia sic omnia Abbatem temperare atque disponere præcipit, vt animæ salventur, quia vt fratres absque vlla murmuratione faciant, quod faciunt, providetur, cum à Pentecoste vsque ad Idus Septembris omnem feriam ad sextam ex præcepto Abbatis comedendo continuamus, nil nos offendere credimus, neque à Regulæ statutis deviare existimamus. Ab Idibus autem Septembris vsque ad caput Quadragesimæ, secundum Regulam ad nonam semper reficimus: diebus Dominicis propter vniversalis Ecclesiæ decreta, & quibusdam duodecim lectionum solennitatibus exceptis. Dies autem Dominicos etiam apud vos observari audivimus. Quia si nos in iam dictis festivitatibus bis comedendo peccauimus, quoniam id Regula
G non permittit: peccatis nihilominus & vos, qui diebus Dominicis bis comeditis, quoniam nec ipsos à serie ieiunij in Regula invenimus exceptos. Si vero honore Domini Dominicis diebus ieiunia soluentes iustè agitis: & nos Domini & servorum eius honore, bis in eorum solenniis comedentes nihilominus iuste agimus.

De opere manuum, quod superioribus Capitulis adiunxistis, sufficientissimas habemus rationes: quæ & vestra obiecta prorsus invalida demonstrantes, ea longe propellant, & quæ apud nos geruntur, approbent, & manu teneant. Et vt hoc apertissime pateat, videamus non tantum quid de opere manuum Regula præcipiat, sed etiam quare illud præcipiat. Otiositas, ait, inimica est animæ. Et ideo certis temporibus occupari debent fratres in labore manuum: certis iterum horis in lectione divina. Ecce audistis quia operari iubet: animadvertite, vt diximus, ob quid iubeat. Otiositatem esse inimicam animæ prædicat: & ideo ne animæ, cui inimica cognoscitur, nocere valeat, tam lectione, quam manuum labore eam excludere satagit. Dicite ergo. Si aliis bonorum operum exercitiis idem potest fieri, non videtur vobis bene Regula
H servari? Si, inquam, aliis bonis operibus (nam multa alia bona opera præter opus manuum possunt inveniri) occupare semper totius diei spatium monachi possunt: cum ad hoc tantum ne ociosi sint operari præcipiantur, nonne illa agentes à prævaricatione Regulæ omnino alieni permanent? Plane ita, certe ita: velint, nolint adversarij. Quocunque bono exercitio, otiositate, fugata, Regula custoditur: nemo hæc agentium iuste transgressor dicitur, calumnia illata longe reiicitur. Nisi autem essent opera præter rusticationem Deo

acceptabilia,

A acceptabilia, nequaquam Iudæis diceret Dominus: *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam.* Si sane corporalia opera spiritualibus exercitiis præferrentur, nequaquam Maria ad pedes Domini sedere, & verba eius indesinenter audire à cæteris operibus otiosa elegisset: nequaquam sororem suam solam ministrare permisisset, nequaquam Dominus eam optimam partem elegisse dixisset. Ergo, si orando, legendo, psallendo, iniuncta religiose implendo, vel alia quælibet huiusmodi bona agendo animus occupatur, Regula, ut diximus, perfectè servatur: quoniam hæc operando, Monachus non otiosus, sed bene negotiosus in omnibus comprobatur. Et ut aliquod supponamus exemplum, discipulum ipsius beati Benedicti sanctum Maurum, ad has Galliarum partes pro construendis secundum ipsius doctrinam Cœnobiis ab ipso directum, legimus hunc morem in Monasterio, quod in Andegavensi Episcopatu construxerat, tenuisse: ut quia eis sine proprio labore

B cuncta necessaria suppeditabant, omisso manuum opere spiritualibus, ut diximus, exercitiis exercitati, otiosi non essent, sicque sibi nuper à Sancto traditam Regulam, bona semper operando, optime conservarent. Quòd si se beatus Maurus contra professionis suæ votum agere intellexisset, cum in intellectu huiusce rei nullo modo falli potuisset: nequaquam sic suos vivere permisisset. Qui etiam si voti prævaricator esse non vereretur, & operari manibus, vel resolutione nollet, vel fastu dedignaretur: nec Deus pro ipso tam mira & multiplicia opera operari, nec ipsis mortuis eius precibus vitam reddere dignaretur. Hinc ad sequens Capitulum, cui non esset respondendum, quia nec esset opponendum, veniamus: & inde nos maxime transgressores, ne Cistercienses offendantur, cognoscamus. Sed dicite qui hæc opponitis: utrum ludo, an serio hoc dicatis. Nam si ludo, frater à fratre deludi non debuit. Si serio, insulsa interrogatio deberet, magis silentio contemni, nisi putaretur ei non posse responderi.

C Obiicitur nobis, cur omnibus venientibus, sive discedentibus hospitibus, tam Abbas, quam cuncta Congregatio in terra non prosternitur, vel cunctorum in conspectu omnium hospitum capita non inclinantur: cur aquam in manibus Abbas hospitibus non dat, cur pedes hospitibus omnibus tam Abbas quam cuncta Congregatio non lavat. Affirmatur ab obiectoribus Monachos salute fraudatos, nisi hæc ut sonuerunt, servare voluerint. Et, ô homines puerorum more papiliones sequentes! pugnantes, sed non nos, sed aërem verberantes: inania opponentes, discretionis matris virtutum semitam non sequentes, & ideò à rectitudine itineris deviantes, dicite quæsumus. Voti prævaricatrix, & idcirco æterna salute defraudata indicabitur Cluniacensis, seu alia quælibet Congregatio: nisi omnibus advenientibus vel discedentibus hospitibus cum Abbate suo inclinaverit, aut ante eos prostrata iacuerit? Damnabitur, nisi pedes & manus hospitibus omnibus laverit? Oportebit igitur,

D aut Conventum in domo hospitum assidue morari: aut hospites in claustro, & fratrum officinis hospitari. Neque enim aliter iniuncta poterunt implere, nisi simul detur & manete. Assiduitas quippe advenientium: assiduitatem expetet ministrantium. Vnde fiet, ut quos Monachos esse vultis: iam Monachi esse non possint, & cum secularibus commanentes, nomen Monachi & vitam amittant: & dum hoc unum Regulæ mandatum indiscrete servare contenderint, cætera deserant, nec istud etiam obtineant. Sic plane, sic continget, sic eveniet: Clericis, militibus, rusticis, clientibus, mimis, & diversarum qualitatum hominibus, ipsis quoque, quæ ab hospitali charitate non excluduntur, mulieribus, Monachi cohabitabunt: & illi singulares, illi mundo mortui, illi quibus nec ipse communis aëris usus libere hauriri permittebatur, communi hominum conversationi quam reli-

E querant, iterum commiscebuntur. Tanta certe est advenientium fere semper frequentia, ut si omnibus inclinare, vel ante omnes prosterni oporteat, si omnibus manus & pedes abluere expediat: cum eis ab ortu Solis usque ad occasum, ut diximus, fratres omnes necessarium sit, & tam in metanœis, quam in ablutione manuum & pedum totam diem expendere: cum nec multoties ad id operis per omne diei spatium valeant sufficere. Cessent igitur ab omni divino officio, cessent à servandis reliquis regulæ decretis, cessent ab ipsa refectione corporea: non Primam, non Tertiam, non Sextam, non Nonam, non denique Vesperas, non Completorium, non Missas celebrare curent. Hæc omnia pro manuum & pedum ablutione dimittant, & vel muta sit Ecclesia, vel quærantur, qui fratrum in his omnibus suppleant vicem. Nonne hæc ridicula videntur? Nonne talia ipsi insensati detestarentur? Nonne hæc non debere fieri, ipsa bruta animalia vociferarentur? Facimus tamen

F quod possumus, & per totius anni spatium unaquaque de tribus peregrinis hospitibus manus & pedes abluimus, panem cum vino offerimus: Abbate in ordine suo id faciente, nullisque, nisi infirmis qui hæc implere non valent, exceptis. Sic de regula quod valemus, implemus: ne reliqua illorum causa dimittamus. Oportet enim, ut Dominus ait, & ista facere, & illa non omittere. Et quoniam ipsa ratio, etiam nobis tacentibus, clamat, & obiecta vestra longe proiicit: oportet ut ad illa, quæ superius posuimus recurramus, & inde à nobis Regulam integre conservari probemus. Sic, inquit beatus Benedictus, Abbas omnia temperet, atque disponat, ut animæ salventur. Omnia dixit, nihil excepit. Si igitur pro salute animarum, licet Abbati omnia temperare, atque disponere: licuit hæc quæ dicta sunt sic temperare, ut & hospitibus nulla necessaria deessent, atque honorificè, charitativè, & diligentissimè susciperentur, & procurarentur, neque Ecclesia Dei propriis officiis defraudaretur, aut regularis observantia, vel ad modicum, intermitteretur.

G Quia brevem ferramentorum & rerum Monasterij Abbas non habet, eum vel superbum, vel negligentem dicitis. Et quare alio in loco legitur, Decani tales eligantur in quibus securus Abbas partiatur onera sua? Non potest, inquam, Abbas onera sua aliis imponere, & quod per se multis & diversis implicatus negotiis facere non valet, per vicarios implere? Et quare illud hic ei denegatur, quod alibi conceditur? De significanda quippe hora operis Dei loquens, ait: Significanda hora operis Dei, die, noctúque sit cura Abbati, aut ipse nunciare, aut tali sollicito fratri iniungat hanc curam, qui aptus sit. Quod igitur, ut diximus, hic & ubique illi ex necessitate conceditur: cur in iam dicto Capitulo negabitur? Novimus certe Episcopos sine Presbyteris, & Coadjutoribus esse posse, si soli ad cuncta diœcesis suæ utilia potuissent sufficere. Sic & Abbatem, Cellerarium, & Infirmarium, & Eleemosynarium, custodem hospitum, & pro cæteris officiorum ministris solum esse oporteret, si

H sufficere ad omnia tenenda valeret. Sed quia unum ad universa dispartiri negotia, aut impossibile, aut multum difficile est: plures expedit facere, quod unus non valet implere. Hinc Iethro culpans Moysen de talibus, ait: *Elige tibi viros, quos nosti ad hoc utiles esse, & esto tu populo in his quæ ad Deum sunt: illisque leviora permitte: s, graviora, quæ per alios diffiniri non poterunt, tu diffini.* Credidit Moyses sapienti, & sic fecit. Hoc imitari, & nostros Patres convenit, & ferramenta vel quaslibet res Monasterij numerandas, sive conservandas fratribus ad hoc utilibus, quando sibi non vacat, committere. Bene ergo sic intellecta Regula servatur.

De genuflexionibus regularium horarum quicquid Regula iubet, omnimodis custodimus, & antequam Horam decantare incipiamus, ubicunque simus cum

 timore

*Ioan.6.* *Luc.10.* *Exod.18.*

timore divino genua flectimus. Prohibet hoc aliquando nimius imber, condensa nix, lutulenta tellus: & tunc loco metanœæ, Psalmum, *Miserere mei Deus* decantamus: & tali commutatione, præceptum, quod implere non possumus, recompensamus.

Mensam Abbatis nostri iuxta Regulam, cum pauperibus & peregrinis non esse causamini, sed iuste inde arguimini. Est quippe cum hospitibus semper & peregrinis. Quoscunque enim Abbas substantia Monasterij reficit, nonne mensæ propriæ participes facit? Et certe per Dei gratiam, omnibus pauperibus, omnibus hospitibus sufficiens apud nos pro posse charitas exhibetur, & unicuique congruus honor defertur. Quod si isto modo impleri à nobis Regula secundum vos minime potest, & hoc esse mandatum, ut cum Abbate manducent, affirmatur: fit & istud quandoque de honestis personis. Nam indecens credimus ut præsente Conventu, quarumlibet personarum non cunctis placitura incongruentia indiscrete introducatur, & ipsis forte bonis inde scandalum oriatur. Si vero opponitis, non in Conventu, sed extra Conventum mensæ Abbatis hospites sociari debere. Respondemus, hac occasione Abbates à fratribus olim se sequestrare solere, & sub prætextu hospitum, lautioribus sibi & familiaribus epulis indulgere, neque de ovium suarum pastu curare. Et secundùm Prophetam, [Ezec. 34.] quod salvo mystico intellectu dicimus, quod crassum videbant, assumebant, & quod debile erat, proiiciebant. Et cum lympidissimam aquam biberent, reliquam pedibus suis conturbabant, & gregem Domini turbida & cœnosa aqua potabant: hoc est, sibi optime providentes, de cæteris non curabant. Qui quoniam bono præcepto male abutebantur, novo vlceri novum emplastrum superponendum fuit: & præceptum quod aliquando salubre fuerat, salubriore consilio commutandum. Ea propter, ut vitium de virtute ortum, rursum virtute extingueretur, cum de communi mensa ad singularem Regula transmisisset, iterum de singulari ad communem Regula rationis & charitatis adduxit.* [*reduxit.] Vnde & Abbates nostri, nisi infirmitas obstiterit, nobiscum semper comedunt, & aliquando cum hospitibus, quando tales adsunt, aliquando sine illis: à communi tamen mensa nunquam vel raro discedunt; hospitibus autem & peregrinis nihil deesse patiuntur. His de causis nos contra beati Benedicti statuta nil agere credimus: qui pro tempore & personis, ut sæpe jam diximus, huiusmodi mandata Abbati contemperanda permisit.

Sequentis capituli, quod proposuistis facilis & congrua patet responsio. Vbicumque enim sibi obviant fratres, junior à Priore benedictionem petit, Benedicite, dicendo, si extra regularia loca fuerit, humiliter inclinando: sed nihil ore proferendo, si infra officinas regulares sibi occurrerit. Quod si semper loquendo hanc peti debere dicitis, videant discreti, utrum superfluæ loquutioni utile silentium imponi, aut supponi debeat: Superfluam vero idcirco dicimus, quia ad id quod æque bene silentio potest fieri, linguam non esse necessariam, & ideo superfluum* [* superfluam.] existimamus: maxime cum nullius sermonis propter hanc salutationem proferendi in regula facta fuerit mentio. Sed & si hoc, provt vultis, indifferenter concederetur: forte ab aliquibus non plenè maturitate fundatis, inania pro utilibus, ludicra pro seriis, maledictiones pro benedictionibus proferrentur. Hoc ne contingat, censura silentij prohibemus: unde his servatis rationibus, à regula non deviamus.

Ad portam Monasterij senem sapientem poni dicitis Regulam præcepisse, nec nos hoc facere. Nos autem dicimus: Si Portarius noster sapiens fuerit, senex autem non fuerit: prævaricatæ Regulæ rei, & ob hoc inferno digni iudicabimur? Quid si & senectutem & sapientiam in eadem persona invenire nequiverimus? An hac de causa, nisi & senex ætate, & sapiens moribus, ad portam Monasterij non ponetur? Et quid est quod scriptura dicit, [Sap. 4.] *Cani sunt sensus hominis: & ætas senectutis vita immaculata?* Super hæc nisi pulsantibus, & clamantibus idem Portarius Deo gratias responderit, aut benedictionem vociferatus fuerit, etiam si cuncta alia humanitatis officia advenientibus exhibuerit, tamen secundùm vos nihil proderit: nec etiam universa Regula optime in aliis conservata, nisi iam dictus, ostiarius Deo gratias celsa voce insonuerit, sufficere poterit ad salutem. Hoc videat ratio, videat veritas, videant veritatis amatores: & nobis tacentibus quod inde sentiunt, proferant. Nos autem ad portam Portarium cur poneremus, qui nec portam habemus? Portæ quippe nostræ non clauduntur per diem: sed assiduè patentes, sine personæ discretione introitum advenientibus præbent. Nec necesse est aliquem pulsare, nec necesse est aliquem clamare: quia non tantum murorum aditum, sed etiam hospitij introitum apertum invenit, & illico recumbens, universa parata reperit. Ne cogantur vero fratres extra domos proprias manere, sapientem & honestum famulum iuxta manere & jacere facimus: qui meridianis horis, sive aliis quibus ostia cuncta Monasterij ex consuetudine clauduntur, pulsantibus vel clamantibus non tantum vocis clamore, quantum obsequij exhibitione respondeat. Sic certe, sic agendo, non prævaricatores, sed pro posse nostro Regulæ conservatores existimus.

Nunc tandem, nunc ad illa veniamus, quæ cum tanta admiratione protulistis, quæ omni rationi & auctoritati contraria esse dixistis. Illa discutiamus, quibus inevitabili periculo nobis adquiescentes dicitis cinctos, ut ad quamcumque partem se verterint, prævaricatores non esse non possint. Hoc certe de illis dicitis, qui post semel promissam alibi stabilitatem, conversionem morum, atque obedientiam: rursum alio in loco stabilitatem, rursum conversionem morum, rursum obedientiam sub alio Abbate promittunt, atque priorem fidem irritam, quantum in ipsis est, faciunt. His nos subjungimus: Cum pro Regula vos agere dicatis, quare contra eam vos esse monstratis? Et quam nos non tenere arguitis, quare nos ab ipsius tramite sequendo repellitis? Sic enim legimus, ubi de Monachis peregrinis, qualiter suscipiantur, tractatur. Si vero postea, inquit, voluerit stabilitatem suam firmare: non renuatur talis voluntas. Ecce quem ante, utpote Monachum, certum erat stabilitatem suam alibi firmasse: si rursum firmare alio in loco voluerit, non prohibetur, quin potius, ne talis voluntas renuatur, præcipitur. Quem si reatu desertæ primæ professionis teneri cognovisset, certum est, quia hoc minime laudasset: certum, quia nullo modo permisisset, certum, quia omnimodis prohibuisset. Neque vero tantum virum, tanta scientia, spiritu quoque Prophetiæ ita repletum, ut vix eum aliquid latere posset, in tali tantáque re culpa latere potuisset. Nam cui occulta manifesta erant, manifesta occulta fieri minime potuerunt? Quod si stabilitatem firmare Monacho peregrino conceditur, ut in loco quem elegit stabilem se semper esse oportere intelligat, nec ultra inde sibi licere evagari: nihilominus Patri Monasterij obedientiam illum promittere expedit, vt habeat cui loco Christi obedire debeat. Conversionem vero morum rursum polliceri quid oberit, cum non tantum bis in professione, tam millies in confessione, tam Deo, quam hominibus quotidie morum conversionem & vitæ emendationem, cum præteritorum malorum pœnitentia promittere debeat? Si vero stabilitatem, conversionem morum, & obedientiam, ei post primam promittere licet: licet & professionem facere. Nam quid aliud in professione, quam stabilitas, conversio morum, & obedientia à Monacho promittitur? Quod si hoc Monacho peregrino non negatur, quare non omni legitime venienti concedetur?

A tur? Sed neque timendum, ne secunda professione prioris prævaricator iudicetur: quoniam non diversum, sed idem quod prius promittit. Si enim aliquid priori voto contrarium, aut minus continens Deo promitteret: sine dubio reus existeret. At quoniam idem quod prius promittit, ut diximus, in nullo delinquit. Videat tantum, ut quod se facturum Deo respondet: implere omnimodis satagat. Sed forte opponitis: Quomodo secundam professionem omnem Monachum posse facere, & conversionem morum, atque obedientiam secundo posse promittere affirmatis: cum non reliqua, sed solam stabilitatem firmandam, & non ab omnibus Monachis, sed à solis peregrinis Monachis Regula dicat? Ad quod nos. Quod à peregrinis Monachis stabilitas firmari possit, ut ipsi cognoscitis, regulæ auctoritate probatur. Quod vero ab omnibus aliis Monachis, non tantum stabilitas, sed & conversio morum, atque obedientia, hoc est, integra professio iterum fieri possit: sumpta ex ipsius Regulæ verbis ratione probamus. Nam scilicet iuxta Regulam secundo stabilitatem firmare licet: iuxta rationem secundo conversionem morum, atque obedientiam promittere. Quod si prævaricatur, qui conversionem morum & obedientiam secundo promittit: prævaricatur nihilominus, qui secundo stabilitatem firmat. Nam si sequens votum priore quassatur, non in parte, sed in toto quassabitur. Si, inquam, conversionem morum, & obedientiam Monachus secundo promittere non debet, quoniam idem alteri iam ante promisit: nec stabilitatem secundo firmare potest: quoniam jam ante se stabilem fore alio in loco firmavit. Sed certum est iustum esse, quod de stabilitate firmanda Regula mandat. Iustum est igitur, quando à Monasteriis ad Monasteria legitimè venientes, cum stabilitate etiam conversionem morum & obedientiam, coram ipsorum cœnobiorum Abbatibus profitentur. Sed & si rectè peregrinis Monachis hoc agere conceditur: non rectè cæteris omnibus cum Abbatum propriorum concessione venientibus negabitur.

G Cur autem noti Monasterij Monachos sine proprij Abbatis permissione, aut literis commendatitiis suscipiamus, aut quam inde rationem prætendamus, quæritis: atque nos in huiusmodi re contra charitatem fraternam agere dicitis. Nos vero sicut defendimus ea quæ recta putamus: sic nunquam excusandas excusationes in peccatis assumere volumus. Scimus namque non debere aliquem alicuius Monachum, absque eius permissione: suscipere quamdiu ut verus pater filio, & ut bonus Pastor ovi propriæ, cuncta tam animæ quam corpori necessaria, ea scilicet, sine quibus, nec anima salvari, nec corpus potest sustentari, providerit. Quod si horum aliquod defuerit, licet fratri, etiam invito Abbate, locum sibi tam inutilem, imò tam noxium & perniciosum deserere, atque suæ animæ interitum modis omnibus declinare: locúmque alium in quo hoc quod prius non poterat, implere

Matt. 18. Luc. 14. D possit, quærere. Si enim oculus eruendus, si manus vel pes abscindendus est, si pater, mater, uxor, filij fratres & sorores sunt odiendi ne Christus amittatur: nihil plane relictum est, cui non debeat salus animarum præponi. Neque enim voti, vel professionis transgressor dici Monachus potest, si loco qui votum implere non sinebat dimisso, ad eum in quo votum persolvere queat, transmigrat: ut cum Propheta dicere valeat,

Psal. 65. *Reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea.* Arguendus potius esset, & dignus morte iudicandus: si tantæ rei dispendium parvipendens, mortem suam stulta patientia sustineret. Hinc Ecclesia Cluniacensis ab Apostolica Sede concessionem retinet, taliter ad se venientes recipere, quod tamen non ut privatum, aut singulare: sed velut omnibus commune, & licitum obtinet. Ita quippe venientes, non solùm illa Ecclesia, sed & universa Christi Cœnobia suscipere, retinere, atque fovere debent.

E His additis & multa invectione extollitis, dicendo quod proprium Episcopum habere refugimus. Nos vero respondemus illud veritati contrarium opposita fronte existere: quoniam patet nos proprium Episcopum habere. Quis enim rectior, quis verior, quis dignior Romano Episcopo Episcopus potest inveniri? Nonne ille est, quem cæteris præesse non humana, sed divina auctoritas sanxit? Nonne ille est, cui [illegible]ctum est, *Tu conversus confirma fratres tuos.* Nonne

Luc. 22. Matt. 16. ille est, cui dictum est, *Tibi dabo claves regni cælorum? Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcumque solveris super terram, erit solutum in cælis.* Hunc unum solum & maximum nos habere Episcopum gloriamur, huic soli specialiter obedimus: ab hoc solo, si causa, quod absit, exigeret, interdici, suspendi, atque excommunicari possemus. Hoc ipsius Sanctæ Sedis irrefragabilis sanxit auctoritas: nec unius tantum, sed multorum decreta inde apud nostram matricem Ecclesiam conservantur. Hæc ipsi ita condiderunt, ut non hanc, de qua loquimur, Cluniacensem Ecclesiam alteri Episcopo prius eam possidenti auferrent, sed à F fundatoribus, qui eam in proprio alodio construxerant rogati, in propriam retinuerunt, atque soli Romano Pontifici eam in æternum subjacere decernentes, pluribus hoc privilegiis confirmaverunt. Præcepto vero ipsius, quoniam ab ipso utpote nimium remoto non valemus, à quolibet Catholico Episcopo chrisma, oleum, sacros ordines, Ecclesiarum & Cimiteriorum consecrationes, & cætera his similia suscipimus, atque Apostolicæ Sedi, cui non obedire nefas est, in his, & in omnibus obedimus: & ideo nec Monachorum, nec Christianorum regulam, quod nos facere dixistis, infringimus. Si autem adhuc perstatis, & nos male agere jactatis: illum quem obtendimus impetite, & nobis dimissis de his cum ipso agite. Nos enim quia contraire non debemus, obedire volumus, nec de eius unquam, quod nulli mortalium licitum est, iudicio iudicare. Hoc non soli Cluniacenses obtinent, sed & quampluribus datum cernimus: & longe ante Cluniacum conditam, multis aliis Monasteriis ab eadem Apostolica Sede G concessum videmus. Cuius Sedis Præsules cum magni sapientia & religione fuerint, & quorundam ex ipsis merita miraculorum quoque fulgore solemniter in mundo claruerint: incredibile est, aut decipi in talibus potuisse, aut contra conscientiam suam talia agere voluisse. Eo namque animo, ea intentione, qua nostrorum temporum Apostolici quieti Monachorum providentes, ea quæ diximus quampluribus Monasteriis contulerunt: antiquiores quoque Romanæ Ecclesiæ Præsules simili de causa in multis à jugo Episcoporum libera esse Monasteria decreverunt. Unde beatus Gregorius in Epistola Castorio Ariminensi Episcopo: Luminoso, inquit, Abbate referente, plurimis in Monasteriis multa à Præsulibus præjudicia atque gravamina Monachos pertulisse comperimus. Oportet ergo, ut tuæ fraternitatis provisio, de futura quiete eorum salubri disponat ordinatione: quatinus conversantes in illis, in Dei servitio gratia illius suffragante, mente libera perseverent. Missas quoque H publicas in Cœnobio fieri omnimodo perhibemus, ne in Dei servorum recessibus, & eorum receptaculis, ulla popularis præbeatur occasio Conventus, quia non expedit animabus eorum. Nec audeat ibi Episcopus Cathedram collocare, vel quamlibet potestatem exercere, imperandi, nec aliquam ordinationem quamvis levissimam faciendi, nisi ab Abbate fuerit rogatus, quatenus Monachi semper maneant in Abbatum suorum potestate, ut remotis vexationibus ac cunctis gravaminibus, divinum opus cum summa animi devotione perficiant. Item ipse alibi: Visitandi, exhortandique gratia ad Monasterium quoties placuerit, ab Antistite civitatis accedatur. Sed sic charitatis officium illic impleat Episcopus, ut grava-

men

A

men aliquod Monasterium non incurrat. Sed & alio in loco: Quam sit necessarium Monasteriorum quieti prospicere, & de eorum perpetua securitate tractare, anteactum nobis officium, quod in Cœnobij regimine exhibuimus, informat. Et quia in plurimis Monasteriis multa à Præsulibus præjudicia atque gravamina Monachos pertulisse cognoscimus, oportet ut nostræ fraternitatis provisio de futura quiete eorum salubri disponat ordinatione: quatenus conversantes in illis, in Dei servitio, gratia illius suffragante, mente libera perseverent. Sed ne ex ea, quæ magis emendanda est, consuetudine, quisque Monachis quicquam molestiæ præsumat inferre: necesse est, ut hæc, quæ inferius enumeranda curavimus, ita studio fraternitatis Episcoporum debeant custodiri, ut ex eis non possit ulterius inferendæ inquietudinis occasio reperiri.

Interdicimus igitur in nomine Domini nostri IESV CHRISTI, & ex auctoritate beati Petri Apostolorum Principis prohibemus, cujus vice huic Romanæ Ecclesiæ præsidemus, ut nullus Episcoporum aut secularium ultra præsumat de redditibus, vel rebus,

B

vel chartis Monasteriorum, vel de Cellis, vel villis quæ ad ea pertinent, quocumque modo, vel qualibet occasione minuere, vel dolos, vel immissiones aliquas facere. Si ergo illis hac de causa licuit, quod in anterioribus Canonibus non inveniebatur, sancire: plane & istis licitum fuit, eadem ratione ea de quibus nos impetitis decernere & constituere: ut sicut illi ex parte, ita isti ex toto, quia sic expedire videbant, Monachos ab Episcoporum oppressionibus liberarent. Nam quicquid potestatis vetustissimi & primi obtinuerunt, id totum in recentissimos & novissimos transfuderunt. Quod igitur Ecclesia Dei tantis temporibus sub tot & tantis Patribus ratum habuisse cognoscitur: irritum fieri debere quis judicare audeat, nisi qui se sanctis Patribus meliorem tumente superbiæ spiritu judicat? De his ita.

Deinde subjungitis interrogando, Quæ ratio vel auctoritas possessiones Ecclesiarum parochialium, primitiarum, & decimarum nobis contulerit: cum hæc non ad Monachos, sed ad Clericos Canonica sanctio-

C

ne pertineant. Nos vero, sicut in supradictis, sic & in istis Catholicæ Ecclesiæ auctoritatem prætendimus: atque ipsius sanctionibus nos parochiales Ecclesias, & idcirco ipsarum primitias & decimas legitimè possidere, confirmamus. Nam si tribui Levi hæreditas inter fratres suos data non est, ut expeditiores ad Dei cultum & circa divina mysteria redderentur, neque ab eis secularibus impedimentis revocarentur, atque ideo primitiis, decimis, & oblationibus aliorum alerentur: rectè eadem Monachis conceduntur, qui, sicut illa tribus rerum temporalium hæreditate privati sunt, ac divinis servitiis die noctúque insistunt. Qui namque justius fidelium oblata suscipiunt Monachi qui assiduè pro peccatis offerentium intercedunt, an Clerici, qui nunc, ut videmus, summo studio temporalia appetentes, spiritualia, & quæ ad animarum salutem pertinent, omnino postponunt? Et qui de suis non cu-

D

rant, quomodo aliorum animas salvare contendent? Male quippe medebitur alteri, qui suo languori subvenire non prævalet. Et ut Dominus ait: *Cæcus cæco si ducatum prabuerit, ambo in foveam cadent.* (Matt. 15.) Hoc dicimus, salvo intellectu illo, quo novimus per officium Clericorum divinis quidem mysteriis Ecclesiam salvari: sed quorundam talium parum orationibus adjuvari. Quia ergo Monachi ex maxima parte fidelium saluti invigilant, licet sacramenta minimè ministrent: æstimamus ipsorum primitias, decimas, & oblationes, & quæque beneficia eos dignè posse suscipere, quoniam & reliqua populo Christiano necessaria à Presbyteris & Clericis faciunt exhiberi. Illa vero dicendo, nequaquam Clericos ab Ecclesiarum & Ecclesiasticarum rerum possessionibus excludere volumus: sed Monachos hæc omnia legitime posse obtinere, istis rationibus & auctoritatibus approbamus. Si enim

E

ipsi pro officio Baptismatis, Pœnitentiæ, Prædicationis, ac cæterorum Sacramentorum populo exhibitorum de redditibus Ecclesiasticis vivere volunt. Cur Monachi pro orationibus, pro Psalmis, pro lachrymis, pro eleemosinis, ac multiplicibus bonis ob salutem populi Deo oblatis, rebus Ecclesiasticis & devotorum oblationibus non utantur? Et ut hæc non à nobis commentata ratione, sed magis Canonum auctoritate roborata videantur: eorumdem Canonum verba in medium deducantur. (*Can. 12. q. 12. si Episcopum.*) Si, inquiunt, Episcopus unam de parrochialibus Ecclesiis suis Monasterium dedicare voluerit, ut in ea Monachorum regulariter Congregatio vivat: hoc de consensu Concilij sui habeat licentiam faciendi. Item: Cum præteritis sanctionibus notissimum habeatur, quæ de rebus Parrochialium Ecclesiarum pars Episcopo conferatur, opportune tamen duximus decernendum, ut si Episcopus tertiam partem, quam de rebus eisdem sanctione sibi debitam novit, aut ipsi Ecclesiæ, cujus res esse patebit, aut alteri Ecclesiæ, cui elegit, conferre decreverit, & licitum maneat, & irrevocabile robur ejus sententia ferat. In quo ultimo Capitulo,

F

licet suam partem Episcopum cuilibet Ecclesiæ dare posse dixerit: de tota eum idem posse facere non negavit. Quod plene demonstrat, superius scripta auctoritas. Ergo secundum hæc & similia, quæ ob prolixitatem hic ponere recusamus: Ecclesias & earum universa bona ab Episcopis absque venalitate nobis collata, liberè, justè, canonicè possidemus. Post ista, peregrina quædam & inaudita nobis opponitis: ut ad hæc prius stupere, quam respondere cogamur. Culpatis siquidem, & in nullo à secularibus differre dicitis: quoniam castra, villas, & rusticos, servos, & ancillas habemus &, quod deterius est, teloneatia lucra, & ferè cuncta hujusmodi emolumenta indifferenter suscipimus, non legitimè tenemus, contra infestantes modis omnibus defendimus. Additis quod hac de causa proposito religionis seposito, officium Causidicorum assumimus, accusamur & accusamus, testes ex nobis producimus, contra Apostolum judiciis intersumus: & idcirco regno cœlorum apti esse non possumus. Congruum autem esset, ut ipsi qui proposuistis, ea quæ proposuistis vera esse, non tantum nudis verbis, quibus parum movemur: sed, cui cedere cogimur, scripturarum auctoritate firmaretis. Sic quippe jus postulat, ut qui aliquem impetit, quod objicit probet: quoniam actori probatio semper in-

G

cumbit. Nos tamen contra hunc judiciorum morem hic agemus, & vobis parcentes, quos sua non posse probare novimus, nostra taliter approbabimus. Scimus quidem Domini esse terram & plenitudinem ejus; orbem terrarum, & universos qui habitant in eo. Sed & alibi in eisdem Psalmis legimus: *Cœlum cœli Domino: terram autem dedit filiis hominum.* (*Psal. 113. Psal. 23.*) Constat igitur Domini esse cœlum & terram, hominibus autem terram cum dedisse ad tempus: ut si ea bene uterentur, post terram mererentur & cœlum, & quæ sua erant ex potestate, hominum fierent ex ipsius beni-

H

gnitate. (*Esa. 11.*) Qua misericordissima benignitate, & benignissima pietate, licet appendat tribus digitis molem terræ, & libret in pondere montes, & colles in statera: eandem tamen terram, & terrena dona ab eisdem hominibus, quibus ea dederat, suscipit, &, ut ita loquamur, suis sumptibus cœleste regnum emi permittit: nec inde lucrum suum, sed hominum salutem requirit, atque eam ut proprium quæstum amplectitur. Hinc est quod cum cibum esurientibus, cum potum dari * præcipiat: prius tamen panem in segetibus, vinum creat in vitibus, fructibus arbores, fœtibus animalia onerat. (* sitientibus. *Matt. 10.*) Aquam ipsam, qua repleri calicem, atque indigenti danti mercedem repositam esse confirmat, ex fontibus oriri, atque per universa defluere flumina facit: & ad extremum omnia, propter quæ bonam voluntatem largientium remunerat, ipsis largitoribus primum ipse largitur. Inde Dei

Ecclesia

A Ecclesia tam ex veteri Testamento, quam ex novo sumpta auctoritate, cuncta non sibi, sed Deo oblata, eius vice suscipit: atque inde quosdam suorum qui talibus egent, quique nil in mundo proprium possident, Clericos videlicet & Monachos, sive pauperes, vel quoscunque necessitatem harum rerum pati cognoscit, charitative sustentat. Vnde Monachi, nam de his tantum nunc sermo est, cuncta fidelium oblata, sive in mobilibus, sive in immobilibus suscipiunt: atque orationum, jejuniorum, & cæterorum bonorum instantiam benefactoribus recompensant. Sed quia de rerum immobilium susceptione in præsentiarum arguimur: de his ad præsens respondeamus. Regulam igitur in primis obtendimus. Tractans quippe de novitiis suscipiendis, ait: Res si quas habet, aut eroget prius pauperibus, aut facta solemniter donatione conferat Monasterio. Dicendo ergo res si quas habet, nullam rem excepit. Quod si rem nullam excepit, nec fundum aliquem, nec villam, nec rusticos, nec servos, nec ancillas, nec aliquid huiusmodi excepit. Sed constat nihil exceptum esse. Patet B igitur, hæc, quæ posuimus, excepta non esse. Huic decreto regulæ consonant beati Gregorij dicta superius descripta, quibus interdicit ut nullus Episcoporū, aut secularium, præsumat de redditibus vel rebus, vel chartis Monasteriorum, vel de cellis, vel villis quæ ad ea pertinent: quocunque modo, vel qualibet occasione minuere, vel dolos, vel immissiones aliquas facere. Non interdicendo ne de his quispiam aliquid minuere, vel in his dolos aut immissiones aliquas facere præsumat: apertissime ostendit, redditus, res, cellas, villas, Monachos legitime posse possidere. Nam nequaquam molestari eos de talibus interdiceret, si illa eos injuste retinere cognosceret. Et cum terrarum multiplices sint redditus, rerúmque diversarum diversa varietas comprobetur, cumque villæ sin incolentibus, viris scilicet ac mulieribus, diversarum conditionum esse non possint, nec aliqua in istis beati Gregorij dictis exceptionis determinatio inveniatur: plane sine aliqua exceptione quoslibet redditus, C quaslibet res, quaslibet villas, paritérque diversarum conditionum, hoc est vel liberæ, vel servilis incolas, Monachos recte habere posse ostenditur. Sed forte opponitis, sine adminiculo harum omnium rerum, ex propriis laboribus & agricultura, Monachos necessaria sibi providere debere. Hoc vero quam indecens & impossibile sit, neminem credimus latere: Et ut primo impossibile demonstremus, quomodo fieri potest, ut gens languida, oleribus & leguminibus fere nullas vires corpori dantibus, imò ipsam vitam vix sustentantibus enutrita, & idcirco non parum debilitata, asperrimum ipsis quoque rusticis & bubulcis agriculturæ laborem ferat, & tam duram ruris eversionem & subversionem: aliquando æstus ardore, aliquando imbrium, nivium, & frigoris importunitate sociata patiatur? Et qui sibi ipsis ipsum etiam vilem & debilem cibum abstinentiæ causa plerumque subtrahunt: quomodo tanti laboris asperitatem, & assiduitatem ferre D poterunt? Qui si hæc omnia corporis viribus ferre possent: quando sine aliorum adjumento necessaria victus & vestitus sufficienter sibi parare sufficerent? Post impossibile, indecens quoque ostendamus. An non videtur indecens, imò indecentissimum, ut fratres, qui assidue in claustro morari, silentio, orationi, lectioni ac meditationi, ac cæteris regulæ præceptis & Ecclesiasticis ministeriis intentissime operam dare præcipiuntur, his omnibus dimissis, rusticationi & vulgaribus operibus intendant: & qui, ut byssus tabernaculi, interiora sua preciositate, & subtilitate, hoc est, cœlestium subtili contemplatione ornare debuerant, ut cilicium extrinsecus positum, ventorum impulsiones, imbrium inundationes, & universas aëris perturbationes, hoc est, mundanorum operum nimias occupationes, eos ab intimis extra trahentes sustineant? Quod quoniam & indecens & impossibile,

E ut diximus, esse probatur, necessario alia quibus sine multa indigentia ordini suo studere valeant, Monachis vos permittere oportebit. Quod si permittere non placuerit, nos Sanctorum auctoritate permittente, ea obtinebimus. Audistis sane superius beatum Gregorium hæc Monachis concessisse: audite etiam & dedisse. Sic namque in eius vita legitur: Vbi Gregorius liberam disponendarum rerum suarum nactus est facultatem, sex Monasteria in Sicilia fabricans, sufficientibus fratribus cumulavit. Quibus tantum prædiorum contulit, quantum posset ad victum quotidianum Deo illic militantium, sine indigentia suffragari. Sed & de beato Mauro ita legitur: Beatus vero Maurus altera die ad invisendum recipiendúmque fiscum, quem isdem Rex ad ipsum contulerat Monasterium, est egressus. Et alibi: Per idem tempus Clotarius Andegavis veniens, viro Dei ad Monasterium se ire velle mandavit. Cui cum à viro Dei ut veniret remandatum fuisset: paucis secum assumptis, ire perrexit. Cumque venisset, tradidit ad ipsum locum fiscum regium, qui Blazon nuncupatur. Villam etiam quæ Longus-campus dicitur, ibidem auctoritate Regia delegavit. Bea- F tum nihilominus Columbanum fere universa, quæ Monachos habere improbatis, habuisse invenimus, multósque alios sanctos Monachos: quorum merita multis & magnis miraculis divinitas approbavit, quorum nque memoriam solemniter Ecclesia recolit. Et ut his, quæ præmisimus, aliquid adhuc rationis adiungamus, quis non judicet rectius, melius, & utilius esse, ut cuncta illa superius sigillatim posita illi possideant, quos assumptus Ordo & Religionis propositum cogit legitime possidere, quam illi qui & negligentia & minoris propositi securitate sibi à Deo concessa, non tantum salubriter regere contemnunt, sed etiam incongruenti circa ipsas res amore, & incauta ordinatione seipsos interimunt? Nam quamdiu à secularibus obtinentur, uti fere & in omnibus cernimus, seculariter disponuntur. At postquam ad Religiosos eorum* ius transfertur, si non solo nomine, sed & ipso effectu religiosi sunt, profecto à Religiosis religiose tractantur. Et vt, verbi gratia, nominatim aliqua subjungamus, si castrum aliquod Monachis detur: jam G castrum esse desinit, & esse Oratorium incipit. Nec vltra quisquam exinde adversus corporeos hostes in corporali acie dimicat, sed spirituales spiritualibus jaculis propellere consuescit. Itaque fit, vt quod ante diabolo militabat, jam Christo militare incipiat: & quod ante fuerat spelunca latronum, domus efficiatur orationum. Eandem rationem de rusticis, servis, & ancillis afferre possumus, qua Monachos ista similiter legitime posse possidere, optime comprobamus. Patet quippe cunctis, qualiter seculares domini rusticis servis & ancillis dominentur. Non enim contenti sunt eorum vsuali & debita servitute: sed & res cum personis, & personas cum rebus sibi semper immisericorditer vendicant. Inde est, quod præter solitos census, ter aut quater in anno, vel quoties volunt, bona ipsorum diripiunt, innumeris servitiis affligunt, onera gravia & importabilia imponunt: vnde ple- H rumque eos etiam solum proprium relinquere, & ad peregrina fugere cogunt: &, quod deterius est, ipsas personas, quas tam caro pretio, hoc est suo Christus sanguine redemit, pro tam vili, hoc est pecunia, venundare non metuunt. Monachi verò tametsi hæc habeant, non tamen similiter, sed multum dissimiliter habent. Rusticorum namque legitimis & debitis solummodo servitiis ad vitæ subsidia vtuntur, nullis exactionibus eos vexant, nihil importabile imponunt: si eos egere viderint, etiam de propriis sustentant. Servos & ancillas, non vt servos & ancillas, sed vt fratres & sorores habent: discretáque ab eis pro possibilitate obsequia suscipientes, nihil gravaminis eos incurrere patiuntur, sicque secundum Apostolicum præceptum, *Tanquam nihil habentes, & omnia possidentes existunt.* Præscriptis ergo auctoritatibus & rationibus,

*carum.

1.Cor.6.

A rationibus, jam, vt credimus, ipsis quoque cæcis claret, non solùm instè, sed etiam laïcis justius Monachos supradicta habere posse. Telonearia autem lucra cur prohibemur habere, cum ea sæculi Principes legitime inveniantur habere? An non legitime tenere videntur, quæ Apostolus eis à subditis reddi præcipit, (Rom. 13.) dicens: *Cui tributum tributum, cui vectigal vectigal?* Legitimum sane nobis videtur, quod cum vbique terrarum fiat, ab Ecclesia Dei, quæ nihil injustum patitur, non reprehenditur. Nemo inde excommunicatur, sed nec aliquis in causam vocatur. Quod cum ipsi absque alicujus contradictione, sicut & cætera sui juris obtineant: quare non similiter ea Ecclesiis, & Monasteriis Dei largiri, quare non & Monachi sicut reliqua, sic & ista ab illis recte suscipere valeant? Si verò beatum Matthæum opponitis de teloneo à Domino vocatum, post ad illud, vtpote ad injustum officium, non fuisse reversum, cum Petrus & alij Apostoli piscati periti, atque inde similiter à B Domino vocati, postmodum inveniantur piscati fuisse, atque ob hoc piscationem justam esse probasse, respondemus, hoc in nullo partem vestram juvare, neque nostram in aliquo infirmare, quoniam non exactiones violentas, quas Matthæus reliquit, sed justas censuum consuetudines, quas Ecclesia recipit, nobis defendimus.

His omnibus additis, & Monachos Causidicos esse causamini. Tria ergo objecistis, & accusatores, testes, ne Iudices eos fieri prohibuistis. Hæc vero tria sigillatim perscrutemur, & utrum sic constet vt dicitis, subtiliter indagemus. Accusatores itaque, sive actores in propriis causis, quæ lex, quæ ratio Monachos fieri prohibet? Si enim ea, quæ prædicta sunt, Monachis concesseritis, necessario oportet, vt & istud concedatis. Nam si præcesserit rerum mundanarum possessio, consequens erit, vt contra infestantes possidentium sequatur & actio. Alioquin si calumniatoribus & invasoribus sua exponere voluerint, mox C possessores esse desistent. Quod si & istud egerint, offensam mox largitoris Dei incurrent: quoniam illa quæ juris ipsius fuerant, alienis relinquentes tacendo, nec invasoribus resistendo, ei auferre non timent. Hoc ne proveniat, ne Ecclesia Dei, quæ justè possidet, impiis diripientibus perdat: ne servi Dei amissis propriis egeant, & idcirco Deo servire nequeant: licet Monachis causas proprias honestè, simpliciter, religiose, absque litigio, injurias quas patiuntur, vindici potestati exponere, & non vt vltionem de adversario, sed vt quæ ab adversario ablata sunt recipiant, vt Monachos decet quærere. Si verò ad hæc dicitis, debere Monachos secundùm Canonica instituta per Advocatos causam suam agere, nec nos huic auctoritati contraimus: si tamen Advocati semper adesse potuerint, per quos causæ ipsorum bene, quantum justitia permiserit, defendantur. Quod si aliquibus præpedientibus causis, nam frequenter hæc solent accidere, D Advocatos habere non valuerint: videtur ante per Monachos id debere fieri, quam rem Ecclesiasticam permittamus amitti. Testes autem veritatis Monachos quis esse prohibeat, cum innumeros sanctos Dei conspiciamus, tam constantissimè testimonium veritati perhibuisse, vt nulla mors, nullus corporis cruciatus, silentium eis imponere quieverit, vnde & martyrum, hoc est, testium nomen meruerunt: & Ioannem Baptistam legamus venisse in testimonium, *Vt testimonium perhiberet de lumine*, & Dominum ipsum audiamus in Evangelio dicentem: *Si ego testimonium perhibeo de meipso, & testimonium perhibet de me qui misit me Pater*: atque de Spiritu sancto, *Cum venerit Paracletus, ille testimonium perhibebit de me*: & de Apostolis, *Et vos testimonium perhibebitis*, Ista posuimus vt ostendamus Monachos non celare, imò secundùm congruentias causarum & temporum, veritati testificari debere: quia juxta quod quidam sapientium olim dixit, æquum non est mentiri, & E veritatem abscondere. Cur etiam à judiciis arceantur, cum Apostolus dicat: *Nescitis quoniam Angelos judicabimus? quanto magis secularia?* Et sicut ipse alibi ait: (1. Cor. 6.) *Spiritualis judicat omnia, & ipse à nemine judicatur.* His igitur vniversis auctoritatibus, & rationibus, quæ objecistis cassamus, quod tenemus, approbamus: sed vestra, improbare nolumus, quamvis in quibusdam valeamus.

Hoc tamen reducere ad mentem charitas vestra debet, quod divina mandata, partim mobilia, partim sunt immobilia. Divina vero mandata diximus, non solùm ea quæ per seipsam in carne divinitas apparens hominibus tradidit, aut ea quæ per Apostolos teneri constituit, sive illa quæ ante susceptam carnem per Patriarchas vel Propheas mandavit: sed etiam illa, quæ post Apostolos Apostolici viri Apostolica vestigia secuti, vnanimi multorum Catholicorum consensu servari præceperunt. Idem enim divinus Spiritus, qui priorum Patrum cordibus se infundens, humanæ saluti congruentia per eos dedit præ- F cepta: per hos quoque, qui recentiores videntur, hominum salutem operari, salubria jubendo, non destitit. Per diversos igitur præcones Domini verba edita veneramur, in diversis organis ejusdem spiritus flatum agnoscimus. Horum ergo præceptorum, vt diximus, quædam pro ratione causarum & temporum mutantur: quædam se mutari nulla ratione permittunt. Et vt ea quæ vltima dividendo fecimus, quia digniora sunt, exponendo prima faciamus: de immobilium numero dicimus esse, nam cuncta non vacat colligere, illud maximum & primum dilectionis Dei mandatum, secundum quoque huic simile de proximi dilectione: sed & humilitatis, castitatis, & veritatis præcepta, quibus licet similia multa sint alia, hæc tamen ad elucidandum quod volumus nobis sufficere credimus. Ista namque nulla inveniuntur ratione, nulla unquam dispensatione immutata. Quis enim Catholicorum Patrum, ne Deus ex toto corde, ex tota anima, & ex tota mente diligeretur, præcepit: vel parum quid mandato huic detraxit? Quis proximum G non vt seipsum à se diligendum esse negavit? Quis vel in modico superbire indulsit? Quis fornicari, quis mentiri, quis furari, quis rem proximi concupiscere vnquam permisit? Patet ergo hæc, & multa alia esse prorsus immobilia. Inter alia vero, quæ moveri dispensativè possunt, Patrum auctoritatem sequentes, ea esse dicimus, quorum pleraque in Ecclesiasticis Canonibus invenimus, quæ sicut pro communi totius vel propria alicujus Ecclesiæ vtilitate, cum non existerent inventa sunt: sic rursum pro communi totius vel propria alicujus aut gentis, aut Ecclesiæ salute, prævia in omnibus charitate mutata sunt. Et quia nec ista omnia facile numerari possunt, sufficiant illa quæ in superiori hujus opusculi parte posuimus. Quæ quoniam jam scripsimus, iterum scribere recusamus: Nam qui nosse voluerit, ibi scripta reperiet. Ad hoc autem nos ista ponere legentes noverint, vt ostendamus ea regulæ decreta, quæ nos prævaricari dicitis, inter H ista, quæ mobilia vocamus, ponenda: atque ideo cum charitas præcipit, cui in omnibus obediendum est, absque vllius prævaricationis timore movenda. Quid enim coëgit regulam de non transferendis Episcopis à præcedentibus Patribus datam immutari, nisi melius providens Ecclesiis charitas? Quid hæreticos, & criminosos post condignam de criminibus pœnitentiam, quod primi Patres prohibuerant, Ecclesiis Dei præfecit, nisi multorum saluti consulens charitas? Quid Presbyterorum filios espiscopari, contra sanctorum Apostolicorum antiqua decreta aliquando jussit, nisi earundem personarum vtilitatem Ecclesiæ vtilem esse judicans charitas? Quid Anglis conjugia indulsit, à quibus cæteros inhibuit, nisi novella eorum fidei timens charitas? Quid multa in hunc modum vetusta præcepta mutavit, quid nova instituit, quid nunc ista, nunc illa mandavit: nisi pro moribus,

temporibus,

temporibus, locis, nunc generaliter, nunc specialiter, semper tamen humanæ saluti sollicite inserviens charitas? Cum igitur sub iure charitatis omnia canonica mandata, immo secundum Domini sententiam universa Lex contineatur & Prophetæ, quis vestrum dicere audebit, beati Benedicti regulam charitatis dominio non subiacere? Quomodo charitati regula subdita non est, à qua per Sanctum illum condita est? Si enim sine charitate condita est, sine Deo condita est. Deum vero esse charitatem, Ioannes Apostolus dicit. *Deus charitas est.* (1. Ioan. 4.) Sed & si sine Deo facta est, sequitur quia iam nihil est. Nam Deus Christus ait. *Sine me nihil potestis facere.* (Ioan. 15.) Quod si hoc credere errare est, sequitur ut charitati velut doctrici regula cedat, ac se pro dominantis arbitrio regi permittat. Nam si præter eam quicquam sibi vendicare voluerit, nihil iam se sequentibus proderit. Sed forte adhuc ad priora recurritis, & dicitis. Quoniam beati Benedicti regulam vos servare vovistis, oportet ut vota reddatis. Ad quod nos. Si millies illud iteraveritis, id millies à nobis responsi accipietis. Regulam vovimus, charitatem à voto non exclusimus. Si charitatem exclusimus, regula dici non potest quod vovimus. Si enim rectitudo regulæ desit, regula iam constare non poterit. Rectitudo autem regulæ, charitas est. Si ergo charitas excluditur, rectitudo excluditur. Si rectitudo excluditur, restat ut tortitudo sequatur. Si tortitudo sequitur, necesse est, ut regula destruatur. Simul quippe rectum, & distortum consistere nequeunt. Iam regula destructa, quid vos sequi profiteamini indicate. Aut enim regulam cum rectitudine, aut sine rectitudine tortitudinem vos sequi oportebit: id est: aut cum charitate regulam, aut sine charitate nebulam retinere necesse erit. Sed sicut nebulam impossibile est teneri: sic sine charitate patet regulam à nemine posse servari. Vnde constat, quod quando non ficta charitate, quam Apostolus damnat, sed vera, quam ipse celebriter collaudat, (1. Cor. 13.) proximo aliquid impendimus, beati Benedicti regulam absque ullo errore sequimur: quoniam aliter de ea sentire, nihil est aliud quam errare. Nec regulam igitur sine charitate vovemus, nec eam sine charitate, ut hac ratione probatur, tenemus. Tenemus itaque regulam. Tenemus eam plane hac ratione, etiam in omnibus illis, propter quæ nos eam prævaricari, in tota vestra invectione dixistis.

Cuius invectionis capitulis singulis licet superius singillatim responderimus, nunc tamen universaliter respondemus: quia in novitiis quos infra annum suscipimus, regulam optime conservamus: quoniam charitate providemus, ne cum fervore spiritus ad Deum venientes liceat Sathanæ ad sæculum, immo ad interitum retrahere. Vnde eius tentationibus longum dare tempus nolumus, nec diu protrahi pugnam permittimus: quoniam periculosa est pugilis infirmi congressio cum robusto, incauti cum doloso, eius qui tertiam partem stellarum cœli trahere dicitur in terram, cum homine in terra posito: illius qui ipsi invictæ divinitati, & prius in cœlo, & postea in terra resistere conatus est, cum vase fictili, concitè ab illo, nisi Deus iuverit, conterendo. Ex ore itaque eius cibum rapere quærimus, ac secundum Iob conterere molas iniqui, & de dentibus ipsius auferre prædam contendimus. (Iob 29.) Et quia, ut præfati sumus, charitate hoc facimus, regulæ per charitatem conditæ, atque animarum tantum salutem, quoquomodo, non uno secundum vos modo quærenti, in nullo contrarij sumus. Nam & nos cum expedire videmus, illo uno vestro modo libenter utimur: hoc est annum ad novitij susceptionem integrum expectamus. Aliquando post dimidium annum ceteris illum fratribus aggregamus. Multotiens non tantum mensem aut hebdomadam: sed nec biduum præstolamur. Semper tamen quod animabus utilius esse perpendimus, facere non differimus. Sic charitatem sequentes, regulam sequimur, Deo obsequimur. Vestibus verò pelliceis eadem charitatis regula nos ideo vestit, ut corpus à frigore, anima defendatur à murmure. Quamvis in hoc capitulo ipsius regulæ datum de vestibus præceptum, ac simpliciter ut ponitur susceptum, nobis ad huiusmodi vestes habendas sufficiat. Quod quia nos iam plene supra ostendisse credimus, nunc iterare refugimus. Femoralia quoque necessitudini, & honestati consulendo, quæ nulla necessaria prohibet, cuncta honesta amplectitur, sæpe dicenda charitas nobis concessit. Vnde regulariter nos ea habere cognoscimus. In stramentis lectorum si qua ex necessitate addita, supposita vel superposita nobis sunt, certum est quia ex charitate sunt, & idcirco regularia non esse, veraciter dici non possunt. Nam nos, uti semper in superioribus diximus, superflua modis omnibus detestamur, contra regulam esse dicimus, amputanda penitus profitemur. Absit enim ut de charitate virtutum omnium fonte purissimo, cœnum vitiorum nos velle deducere quisquam suspicetur. Quia iuxta Apostolum, *Non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati.* (1. Cor. 13) Et quia omnia suffert, & omnia sustinet, videant utrum eam habeant, qui non solum malorum malitiam ferre nequeunt, sed nec fratrum indigentiam sustinere, vel necessaria ministrando eam supplere, cum possint nolunt. Hoc eodem charitatis scuto ab impugnantium ictibus in cunctis subsequentibus capitulis nos munimus: quod certe tantæ soliditatis ac fortitudinis est, ut nullo quantumlibet valido irruentium impetu penetrari valeat. Hoc & in pulmentariorum obiectione obtendimus, eoque nos, si mediocris & necessaria pro infirmitatibus & qualitatibus fuerit adiectio, bene munimus. Hoc in fugitivorum multiplici susceptione utimur, ne scilicet non suscepti, ad porcorum siliquas revertantur, & quam Evangelicus ille fugitivus, patre propitio reperto evasit, fame consumpti male pereant. Hoc protecti, ab opere manuum meliora ei opera præponendo quiescimus: quoniam ut de multimodo spiritualium operum exercitio taceamus, nullo, nisi insano, contradicente, melius est orare quam arborem secare, testante Apostolo qui dicit. *Corporalis exercitatio ad modicum utilis est, pietas autem ad omnia.* (1. Tim. 4.) Hinc est, quod non omnibus advenientibus hospitibus pedes abluimus, non ante omnes prosternimur, quoniam incongrua pedum ablutione nolumus molestare, quos charitas in omnibus præcipit lætificare. Sed nec frequentiæ hospitum, numerus fratrum plerumque sufficeret, ut omnibus pedes ac manus abluere absque reliquorum præceptorum detrimento prævaleret. Quod quia charitate mutatum, aliquando apud nos fit, aliquando non fit, irregulare non est. Sed quid universa, quæ supradicta sunt, percurrentes, lectori forte tædium generamus? Sic de ieiuniis, sic de mensa Abbatis cum hospitibus & peregrinis, sic de ferramentis vel rebus monasterij: sic de universis, ut cuncta breviter expliceamus, quæ in superioribus obiecta sunt, quibus & tunc latius respondimus, charitas per Patres nostros, prout temporibus & moribus ac locis congruere vidit, dispensavit; neque in his voluntatibus vel voluptatibus hominum, sed æternæ eorum saluti inservire studuit. Hoc sane uno ea, quæ iusta esse defendimus, iniusta monstrare potestis: hoc uno nos victos vobis victoribus cedere compelletis, si quæ lege charitatis nobis defendimus, ad charitatem non pertinere, rationibus certis ostenderitis. In his enim omnibus, ut sæpe iam diximus, ea solum protectrice tuti, hostibus cunctis inexpugnabiles permanemus. Nam quia secundum Dominum, *Hæc est, in qua universa Lex pendet & Prophetæ*, (Mat. 22.) & secundum Apostolum, *Plenitudo legis ac finis præcepti est*, (Rom. 13.) omnem legem plenam, omne præceptum finitum, hoc est perfectum ea dispensante existere, quis Catholico sensu audeat negare? Sed forte vos

vos ad ista. Sic regulam charitate vos mutasse dicitis, ac si sine illa à sancto illo conditam affirmare velitis. Quod si sentitis, certum est quod erratis. Quomodo enim condendo regulam charitate carere potuit, qui spiritu omnium iustorum plenus fuit? Si vero hoc sentire ac dicere refugitis: cur quod charitate à tanto viro institutum fuerat, mutare contenditis? An fortasse vestram charitatem eius charitati præponendam esse iudicatis? An illum oculum, qui sub momento temporis totum mundum collectum conspicere potuit, videndi & providendi acumine vos vincere posse putatis? Si igitur, ut diximus, regulam Sanctus condere sine charitate nullo modo potuit, patet quod à nemine mutari debuit. Quapropter aut iniuriam Sancto, eius scripta mutando, & superordinando, facietis: aut eum venerando, præceptis ab eo datis in omnibus obedietis. Super hæc ipsum nomen regulæ quomodo stare queat ignoramus, si non eam ut regulam, & præviam sequimur: sed ad placitum inflectimus ac mutamus, &, ut sic loquamur, regula regulæ facti, non eam, ut diximus, sequamur, sed ipsam nos sequi cogimus. At nos e contra. Optimos certe beati Benedicti vos defensores ostenditis, cui defendendo maiores iniurias irrogatis. Iniurias verò irrogatis, quando sic eum tentatis laudare, ut laudi aliorum Sanctorum videamini detrahere. Neque enim Sancti crescere de aliorum imminutione volunt, ut aliorum detrimentum, ipsorum videatur incrementum. Hoc namque apud illos, quos superbia dividit, non apud illos, quos charitas unit, contingere solet. Sed ut quod dicimus manifestius fiat, interrogamus. Sanctis illis, quos prædecessorum Patrum statuta mutasse supra diximus, licuit ea mutare an non? Si dixeritis, non licuit: respondemus. Male igitur egerunt, quicumque priora decreta mutaverunt, male egit illicita concedens Anglis matrimonia sanctus Gregorius, male egit mutans Catholicam Synodum Catholica Synodus, male egerunt quamplures & noti sanctitate Romanæ Sedis Præsules, aliorum sanctorum Pontificum Romanorum præcepta mutantes: male egit ipse Paulus, sibi quasi ipsi existit contrarius, quando quod prius Timotheum discipulum circumcidendo fecerat, postmodum ad Galathas scribens, terribiliter prohibuit dicens, *Ego Paulus dico vobis, quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit.* (Gal. 5.) Hoc concesso, quod iustum putabatur, iniustum deprehenditur, qui sancti hactenus fuerant sancti esse cessabunt: Ecclesia tanto tempore errorem sequuta, errasse iudicabitur, & nunc tandem vobis prædicantibus ad terminum iustitiæ reducta, vera sequi incipiet. Si hoc dicere superbum, & blasphemum iudicatis, sapienti consilio prima eos mutare potuisse statuta dicetis: aut forte, quod solum superest, tacebitis. Sed si tacueritis, Pharisæorum vos usos consilio monstrabitis: (Mat. 21.) qui nec fateri veritatem volentes, nec eam impugnare valentes, interrogati à Domino de Ioannis baptismate, utrum de cœlo esset, an ex hominibus, silentium elegerunt. Quod si tacere refugientes, hoc quod modo præmisimus responderitis, eis scilicet licuisse, aliis verò non licuisse, interrogamus causam. Respondebitis Romanos Pontifices, tam pro insigni & nota sanctitate, qua præditi erant, quam pro toto universalis Ecclesiæ regimine sibi commisso hoc agere potuisse: Concilia quoque Catholica ob collectorum auctoritatem, & sanctitatem idem meruisse, nostris autem, quia similis sanctitatis, & auctoritatis non fuere, similiter non licuisse. Si sanctitas & auctoritas in causa est, & hæc illis Sanctis dispensandi priorum statuta licentiam contulerunt: conferent hanc & nostris, quos sanctitas & forte similis Sanctos effecit, par quoque pro commissis à Deo officiis auctoritas eis non defuit. De Sanctitate rectos mores, Deumque ipsum testem habemus, qui eos sibi placuisse, & viventibus ipsis, & etiam mortuis, miraculorum multorum ostensione declaravit. Testis est & Ecclesia, eorum inter Patres Sanctos memoriam recitando, & festa solemniter celebrando. Parem vero auctoritatem pro sibi commissis à Deo officiis eos habuisse diximus: quoniam licet maiorem aliis Ecclesiæ Patribus Romani Pontifices, hoc est, etsi per omnem Ecclesiam Petri auctoritatem habeant, parem tamen in hoc ij, quos defendimus, habent: ut sicut Romani Præsules omni, & sicut alij Pontifices singulis Ecclesiis præsunt, ita isti Monachis suis pari per omnia potestate, & auctoritate principantur. Nam licet Romanus Præsul aliorum errores corrigere speciali potestate valeat, habent tamen illi suam super suos integram potestatem, & culpis remotis parem in præcipiendo, ut diximus, auctoritatem. Et si ita est, quod plane ita est, constat si non est, aliud quod obiciatur, quia plenam Patres nostri in mutandis pro salute commissorum regulæ quibusdam, quæ pro tempore datæ sunt, observantiis potestatem habuerunt: quamvis eorum sanctitatem ad hoc probandum afferri, nulla cogeret necessitas. Quid enim? Et si sancti non fuissent, magistri esse desisterent? An ne modo, nisi Sanctus fuerit, Ecclesiæ præesse poterit? An necesse semper erit miracula consulere; ut qui præferri cæteris debeat, possimus agnoscere? Et quid est quod Dominus ait, *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi. Omnia quæcumque dixerint vobis, servate & facite: secundum opera vero eorum nolite facere?* (Mat. 23.) Dicendo enim, secundum opera vero eorum nolite facere, non sanctos, sed sceleratos eos fuisse ostendit. Nam nullo modo eorum opera imitari prohibuisset, si bona esse cognovisset. Quæ quia imitari prohibuit, certum est, quia mala esse iudicavit. Patet ergo, quia etiam malis rectoribus omnis à subditis exhibenda obedientia est. Ex quibus colligitur, quia & si sanctitas supradictis Patribus deesset, auctoritas sola Prælationis ad exhibendam eis obedientiam sufficeret. Licuit ergo eis etiam sanctitate remota, subditis suis quæ dicta sunt imperare: licuit & subditis imperata servare. Sed adhuc vestrum responsum poscimus. Dixistis, pro insigni & nota sanctitate, & pro commissi à Deo regiminis auctoritate Sanctis sequentibus priorum Sanctorum statuta licuisse mutare. Quæ ratio insufficiens nobis videtur. Quomodo enim sanctitas, & auctoritas subsequentium, sanctitati & auctoritati præiudicare potuit præcedentium? Quomodo sanè sanitas* sanctitati, auctoritas auctoritati, absque alterutriusque sanctitatis & auctoritatis detrimento quicquam auferre potuit? Auferre vero dicimus, cum quod prior constituit sequens commutat. Quod autem de præcedentium decretis subsequentium mutavit auctoritas, aut melius prioribus, aut deterius fecit. Si melius, non plene bona fuit priorum institutio. Vnde sequitur deteriorem fuisse. Si deterior fuit, deteriores institutores habuit. Si vero subsequentes deterius priorum instituta mutaverunt, constat quia ipsi deteriores fuerunt. Apparet ergo, priores vel posteriores Patres, nisi defendantur, laudis incurrere detrimentum. Aut enim priores optima instituerunt, & mutari optima à subsequentibus non debuerunt, aut si mutantes mutando iuste egerunt, patet quia illa optima non fuerunt. Iam error institutionum in caput redundat institutentium. Vt enim ait Scriptura. *Ex verbis tuis iustificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.* (Mat. 12.) Si ad ista aliqui charitatis scuto Sanctos à culpa defendere volueritis, Dei nos gratia iuvante nec vos ipsos defendere prævalebitis. Sed quousque audiamus: respondere quid possumus? Sine hoste quippe pugnare, nihil est aliud quam aërem verberare. Restat igitur charitas. Hac si hunc nodum solvere volueritis, citissime, facillime, rectissime poteritis. Hæc est enim, ut sæpè diximus, in qua universa Lex pendet & prophetæ. Hæc est, quæ plenitudo legis, & finis præcepti est. Hæc est, quæ, ut Apostolus

* sanctitas.

Apostolus ait, *diffusa in cordibus sanctis per Spiritum sanctum qui datus est eis*, diversis temporibus per diversos Sanctos diversa loquens: ipsa non varia, non divisa, non multiplex, sed simplex, stabilis, inconcussa, semper eadem perduravit. Ut enim materfamilias tota domus propriæ utilitati intenta, quosdam famulorum ad terram bobus exercendam, quosdam ad fodiendam vineam, aliòs in silvam ad ligna cædenda mittit, alios ignem succendere, alios aquam afferre iubet: hunc ad nundinas commercij causa dirigit, illum cur piger sit increpat, istum de strenuitate collaudans ad meliora hortatur: ipsa tamen quamvis diversa sint quæ præcipit, diversa non efficitur, nec diversitas iussionis diversitatem facit utilitatis, quoniam ad unum quiddam & simplex, hoc est ad domus utilitatem, omnis illa officiorum varietas se colligit, & illud unum innumera ministeria operantur: nec reprehendenda est, si huic istud, & illi aliud præcipiat, quia ad unum illud, quod præmisimus, perficiendum, multa illa præcipit, nec sibi adversa, quia est diversa, iudicanda: sic charitas, quoniam ad domus Dei tantummodo utilitatem cuncta iubet, sibi adversari non est dicenda, sed per quoscunque, & quodcumque, & quandocumque iusserit, est absque retractatione sequenda. Nam & si diversa mandata per diversos nuncios, diversis temporibus ab illa data sunt, adversa tamen non sunt in mandatis, nunciis, & temporibus: quædam quidem videtur diversitas, sed quia divinæ voluntati, & humanæ saluti universa famulantur, nulla in his potest esse adversitas, quæ cuncta ad hoc unum dispensat ignorans falli charitas. Et sicut contumax, & damnandus servus iudicaretur, si dominæ aquam afferri præcipienti responderet, Quia heri præcepisti ut ligna de silva succidens, domum deferrem: iam ulterius nec aquam deferam, nec aliquid alterius ultra operis agam, sed semper ad silvam vadam, & ibi ligna succidens domum deportabo: & illa dicente, Illud heri fuit necessarium, & idcirco iussi, iam quia necessarium non est, fac istud quod modo necessarium est: illeque præcipientis reverentiam ac domus utilitatem parvipendens, nullo pacto obedire vellet, immò ad augmentum contumaciæ conservos aquam deferre volentes prohiberet. Sic iudicandus est, qui magistræ charitati, omnia licet diversa & diverso tempore per diversos, ad Ecclesiæ tamen utilitatem cuncta præcipienti, obedire refugit. Sic plane iudicandi sunt, qui iubenti charitati, & modis omnibus salutem tantum hominum quærenti, ut novicios infra annum cum viderint expedire suscipiant, ut vestes necessarias fratribus largiantur, ut magis spirituali quam corporali exercitio occupentur, ut multa his similia de animarum tantum salute solliciti faciant, respondeant. Quia olim hæc mandata per sanctum Benedictum tradidisti, illa mutari non patiemur, neque tibi aliquando de his obediemus. Qua dicente, tunc temporis ad tolerandos labores, fortior erat natura hominum, utpote seculo valentiore: nunc vero mundo senescente & iam morti proximo, quicquid in mundo est, elanguit, & ideo pleraque tunc necessaria modo facta sunt contraria, quod nunc necessarium est, facite. Non enim est meum a[...]uius temporis sic novicios deterrere, ut dum volo per annum probare, sequatur reprobare. Non est, inquam, meum cibi, & potus, atque vestitus, vel ceterarum rerum indigentiam, pro diversitatibus infirmitatum, regionum, ac temporum non supplere: ne dum non reddo homini quod suum est, non possit ipse reddere Deo quod eius est. Superba superstitione salutaribus monitis obtemperare dedignantur: nec contenti à iure charitatis se solum subducere, alios ei parere cupientes, qua valent instantia, suæ tentant transgressioni sociare. Sic vos, ô Cistercienses, agere, sic charitati resistere: sic nec regulam, pro qua vos certamini obieceratis, probamini tenere. Sed redeamus ad quæstionis vestræ solutionem. Quam ut lucidius soluere possimus, ipsam rursus quæstionem solutioni, sed brevioribus verbis proponamus. Dixistis. Aut sine charitate B. Benedictus regulam, aut cum charitate condidit. Sed sine charitate eum illam condidisse, nemo vestrum audet affirmare. Cum charitate igitur eam non negatis conditam. Iam quia per charitatem condita constat, mutanda non fuit. Si mutanda non fuit, tenenda fuit. Aut ergo mutando iniuriam sancto infertis, aut tenendo ei in omnibus obeditis. Et nos ad hæc. Quia per charitatem regula condita est, constat: quia ideo mutanda non fuit, non constat. Immo quia per charitatem condita est, sequitur quia mutanda fuit. Et ut hoc pateat, charitatis officium requiratur. Et quod est charitatis officium? Unum & solum charitatis officium, humanam salutem modis omnibus quærere. Hoc eius esse officium ipse Dominus, hoc Apostoli, hoc omnes Sancti eius clamant. Iustum esse quicquid illa præcipit, omnes, ut sæpe iam diximus, divini libri testantur. Et quod maius argumentum? In ipsa universam legem, & prophetas pendere Dominus dicit. Hanc plenitudinem legis & finem esse præcepti, Apostolus testificatur. De hac beatus Augustinus ait. Si hæc una desit, inania sunt cuncta: si hæc sola adsit, plena sunt omnia. De hac & ipse alibi. Fructus autem totus est charitas, sine qua nihil est homo, quicquid aliud homo habuerit. Atque alio in loco. Habe charitatem, & fac quicquid vis. Igitur ut saluti humanæ consulat, facit quicquid vult. Quod si ei licet quicquid vult facere, licuit regulam facere, licuit & mutare. Nec iniuria Sancto facta dicenda est, quia non ab alio mutata est: sed ab ea, quæ diffusa in corde eius per Spiritum sanctum, qui datus erat ei, ipso in condendo regulam tanquam organo usa est. Et quia non æmulatur, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, ij qui ea pleni sunt nihil horum sciunt. Et quia æmulatione inflatione, ambitione carent, indignari nesciunt. Iniuria ergo Sancto facta non est, quia suam charitatis regulam pro temporis illius congruentia fecit: ac postquam utile fore vidit, quod fecerat immutavit, quodque servari decuit de eadem regula reservavit. Sicut ergo non esset consequens dicere, iniuriam notario factam, si quod prius scripserat, vel ab ipso, vel ab alio immutari dictator certa de causa faceret, quam causam forte ipse solus nosset: sic nec sequitur beato Benedicto factam iniuriam, si vel cuncta, vel aliqua eorum, quæ per eum charitas scripserat, vel per ipsum si sic voluisset, vel per alium quia sic voluit, ratione præmissa mutavit. Sed nec indignum est Sancto, charitatis vocari notarium. Ioannes enim in Epistola sua Deum charitatem vocat. (1. Ioan. 4.) Et Gregorius sanctus in Homiliis ait. Spiritus sanctus amor est. Amor vero charitas est. Ergo Spiritus sanctus amor est. Non est igitur ei indignum, Spiritus sancti esse notarium. Nam & eius notarij Prophetæ omnes fuerunt. Non dedecet autem eum similem esse Prophetis. Si igitur Sancto illi regula immutata ab immutantibus iniuria facta est, & prioribus quos supra memoravimus sanctis à subsequentibus, & eorum decreta mutantibus iniuria facta est. Et ut maiora dicamus, legi ab Evangelio, Moysi à Christo iniuria facta est. Quod si idcirco nec Moysi, nec legi, nec canonicis statutis, nec alicui divino mandato, nec his per quos ipsa mandata promulgata sunt, aliqua est facta iniuria: quoniam per Spiritum sanctum, quem charitatem esse probavimus, quid saluti hominum per diversa tempora congrueret provisum est: & licet quædam in mandatis sint mutata, & ipsa mandata per mutatos sint data, ipse tamen mutatus non est, quia incommutabilis est: patet quia regula sancti Benedicti in quibusdam suis capitulis,

absque ipsius iniuria, vobis quamvis invitis concedentibus, mutata est. Per charitatem namque mutata est, per quam Verbum caro factum est, ut ait Apostolus. *Propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos Deus, filium suum misit in similitudinem carnis peccati.* Quia igitur mutata sunt quædam in regula, charitas fecit: & quia absque iniuria Sancti mutata sunt, charitas fecit. Nec potest aliquis, quod nos iustificare volentes, ista dicamus. Non enim nos iustos videri volentes hæc dicimus, sed Patrum nostrorum instituta à vero non deviare, & eos, qui illa, ut ab eis præcepta sunt, servaverint, non errare, tam ratione quam divinis auctoritatibus comprobamus. Nobis ergo transgressionis nævo à vobis obiecto purgatis, iam pro vobis agite, & ab ipsius regulæ prævaricatione vos, si potestis, immunes monstrate. Prævaricari quippe vos regulam dicimus quando eius rectitudine non servata, hoc est, charitate, quæ plenitudo legis ab Apostolo dicitur, neglecta, vestræ potius voluntati eam in plerisque inservire cogitis. Vnde in quibus regulam sine charitate servatis, ut ex præcedentibus colligitur: non iam regulam, sed rectitudine remota tortitudinem servatis. Ad ista forte vel verbis, vel cogitatu respondetis. Et ubi nos à præceptis regulæ charitatem excludere dicitis? Vbi animarum saluti providere negligitis. Et ubi nos animarum saluti providere negligimus? Vt exempli causa aliqua ponamus. Nonne animarum salutem, atque idcirco charitatem negligitis: quando fratribus necessaria negatis, quando eos frigore usu pellicearum negato affligitis, quando hac violentia (nam multi vestrum hoc inviti sustinent) eos vel ad murmurationem, vel ad fugam compellitis? Sed & si sunt aliqui, qui hoc quoquomodo sustineant, procedente tempore corrupto corpore morbis, sanitatem frigore perdunt, & languidi sæpe perpetuo facti, Deo servire nequeunt. Sic certe discretiva charitate relicta, in murmurantibus, fugientibus & languentibus, animarum saluti providere negligitis. Hoc quoque vestrum propositum nos magis mirari faciunt ipsius verba regulæ, in quibus Monachos pelliciis uti non esse prohibitum, etiam negligenter legentes advertere possunt. Sicut enim superius, quando de hoc capitulo agebamus, diximus, nulla prohibitio, nullum præceptum ibi super hac re legitur: cum potius ut pellicias monachi habeant, ibi præcipiatur. Nonne cum regula dicit, vestimenta fratribus secundum locorum qualitatem, aut aerum temperiem dentur, quia in frigidis regionibus amplius indigetur, in calidis vero minus, & hæc consideratio penes Abbatem sit: pelliceas & cætera indumenta necessaria duntaxat fratribus largitur? Si hoc secundum regulam aëris qualitas, hoc est regionis frigiditas poposcerit: præcepto regulæ eas dari debere dicimus. Nam quod regionis poscit frigiditas, poscit necessitas. Quod necessitas, hoc plane & charitas. Iam si quis dicit charitati non cedendum, Deo utique indicat contradicendum. Dei igitur & regulæ mandato contradicit, qui monachos pelliciis uti non debere dicit. Sed adhuc fortasse opponitur. Licet hoc regula non iubeat, monet tamen ut Monachus ad meliora transeat. Bene certè dixisti, monet. Nam plane monet, non præcipit. Quod si tantum monet, non compellit. Qui enim monet, ut fiat quod vult suadet. Sed qui præcipit, ad faciendum quod præcipit præcipiendo compellit. Suadet itaque regula meliora, non ad ea violenter compellit. Cur ergo vos compellitis, quod compellere regula non vult? An forte sanctiores illo, qui eam composuit, estis? Vnde inquam tanta vobis auctoritas? Dicit Apostolus. *Vellem omnes homines esse sicut meipsum.* Et Dominus in Evangelio. *Non omnes capiunt verbum istud. Qui potest capere, capiat.* Et alibi cuidam. *Si vis perfectus esse, vende omnia quæ habes, & da pauperibus: & veni, sequere me.* Nihil certe horum præcipiendo, sed commonendo. Et cum hic mos sit omni divinæ scripturæ, ut quandoque quæ præcipienda sunt præcipiat, quandoque illa, quæ magis ardua videt, moneat: vos hanc eius regulam scilicet dedignantes, ad quod tantum monitis provocandi essent, eos cogere non formidatis. Sed & mihi videtur, quod ad pelliceas non ferendas non solum non cogendi, sed nec monendi sunt, in his duntaxat regionibus, monachi. Quomodo enim inde aliquem monere debeo, unde illum ad deteriora lapsurum vel novi vel timeo? Si enim proximum ut me ipsum diligo, eius saluti in omnibus ut propriæ consulere debeo. Nam aliter, non eum ut me diligo. Et hæc certissima charitatis regula est, ut quod fratri video esse necessarium, non prohibeam, non eum ad ferendum incongruum, & noxium laborem violenter impellam: sed si valeo, omnia, quibus indiget, ei studeam impendere: si non valeo, eius necessitati compatiendo, pietatis studio noverim condescendere. Quid vero prosit sine charitate corpus laboribus conficere, Apostolus docet dicens. *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest.* Et ne prohibere eos, qui non compulsi, sed sponte carnem suam quibuslibet austeritatibus pro Deo domare contendunt, videamur: agnoscant legentes, non hoc nos ista dicendo intendere, nec à bono spontaneo aliquem velle revocare, sed ne inviti ad illa cogantur quæ sui propositi non sunt, vel quæ nociva sunt, præcedentibus auctoritatibus prohibere. Sicut enim eos, qui oblectamenta mundi fugientes, eius aspera ob maius meritum discretè amplectuntur, omnino scimus esse laudandos: sic illos, qui alios ad id, quod non proposuerunt, & quod non expedit violenter cogere volunt, dicimus non esse prorsus audiendos. Hæc tibi, frater charissime, Epistolarum brevitatem rerum necessitate supergressus, scripsi: in quibus aliorum verbis meum quoque intellectum expressi. Nam præter austeritatem verborum, quæ ad partium latentem simultatem designandam posui, reliqua omnia ut edita sunt intellexi. Erit à modo tuum, si aliter senseris, & hoc quoque mihi tuo per omnia revelare: ut re diligenter discussa, & per te maxime diffinita, & eorum, qui super hac re scandalum patiuntur, dubietas auferatur: & charitas, quæ re vera in multorum cordibus & linguis quotidie læditur, longe remota omni invidiæ rubigine confirmetur.

## EPISTOLA XXIX.

*Venerabili & intimo mihi Domino Bernardo Abbati Clarevallensi, Frater Petrus, humilis Cluniacensium Abbas, sinceræ charitatis affectum.*

Revertenti mihi nuper de Pictavensi pago, Lingonenses Canonici occurrerunt, & nil tale suspicanti, unum ex fratribus nostris, cum universo clero & populo Ecclesiæ suæ, se in Episcopum concorditer & canonicè elegisse, Lugdunensi Metropolitano id consulente, & confirmante, dixerunt. Institerunt toto nisu, tam precibus suis, quam mandatis, & literis Domini Lugdunensis: ut quia Monachus noster erat, quod de eo fecerant, & ipse confirmarem. Hæsi aliquamdiu, nolens carere utilitate personæ: concessi ad ultimum, cedens importunitati rogantium. Sic à me quod petierāt impetrantes, præterito beatæ Dei Genitricis festo apud Anicium regalem Curiam, cui ipse necessitate, non voluntate interfui, adierunt: & à Domino Rege Francorum, electum suum quantū in ipso erat, confirmari rogaverunt, & obtinuerunt. Nam audita rex electione, & visa, quæ forte tunc ad me venerat, persona: quod de ea Lingonensis Ecclesia fecerat, collaudavit, & de regalibus, sicut solet fieri, manu

propria

A propria solemniter investivit. Cumque ita cleri, populi, Metropolitani, ipsius quoque, ut dixi, Principis in hanc unam sententiam, in hunc unum electum vota convenerint, quosdam Lugdunenses voluntatem vestram a communi omnium proposito, nescio quibus rumoribus avertisse, & contra id quod factum fuerat irritasse, ante paucos dies accepi. Quod ut comperi, maluissem super his præsens cum præsente conferre, quam literis cogitata mandare. Hoc quia & temporis vestra, & mea non interpolata negotia impediunt: facio quod possum, quia quod volo non possum. Non sane miror, nec mirandum est, si bono viro mala audita displicuerunt: sed advertendum fuit, quia sicut vera, sic & falsa esse potuerunt. Vnde priusquam id cognosceretur, non erant vel tribunalibus iudicum, vel cathedris Pontificum inferenda. Cogitandum fuit, quod tamen apud unanimes amicos antes, familiari querela depono? hunc de quo sermo est, vestræ Cluniacensis
B Ecclesiæ Monachum, & dilecti vobis Abbatis esse filium. Attendendum fuit, personas illas, à quibus hoc quod vos movit, dilectio vestra accepit, iustâ adversus Cluniacensium bella, tanta animositate ex aliquanto tempore suscepisse: ut nec linguas ab iniuriis, nec manus à sacrilegiis continere potuerant. Videndum fuit, si sublimi prudentiæ vestræ aliorum maledicorum verba fide recipi debuerunt, quorum os locutum est vanitatem, impudenter mentiendo, & dextera eorum
Psal. 143. dextera iniquitatis, irreverenter innocentes Monachos verberando. Quapropter tantis tamque manifestis inimicis credere, tantis tamque manifestis hostibus fidem dare, nec vestrum, nec aliquorum bonorum est. Credite magis domesticis quam extraneis, notis quam ignotis, amicis veridicis quam inimicis maledicis. Credite mihi, qui & domestici, & noti, & amici apud vos nomine glorior: qui etsi à communi mendacio, quo omnis homo mendax est, immunis esse non possum, absit tamen ut ibi non caveam mendacium, ubi cavere possum. Conveni ipse hominem, audito quem supradixi rumore, & quæ dicebantur proponens, ne veri-
C tatem differretur paternè rogavi, admonui, adiuravi. Dixi me non ut perscrutatorem mysterij rectorem, sed ut fidum commissorum custodem ad conscientiam eius velle accedere: nolle me patefactis animarum vulneribus illudere, sed mederi. Adieci quicquid ad eliciendam veritatem utile occurrere potuit: nec dissimulavi intima parietis, acutæ interrogationis fossorio perscrutari. Post quæ omnia id responsi accepi, nunquam se amictu mendacij cor suum mihi velasse, nunquam velare proposuisse. Certum sibi esse, quod si mentiretur mihi, mentiretur & Deo: de fide commissorum nil se dubitare, eorum quæ dicebantur ita se esse immunem, ut si velim, iniecta omnia securissimæ sacramento expurget. Novi ipse à quibus, & quare, & qualiter verba illa, quæ scandalum vobis pepererunt, excogitata, aucta, dissiminata fuerunt. Quæ si vobis per me ipsum liberè colloqui liceret, ad unguem exposuissem & quam tenebrosa abysso, perspicuam mentis vestræ
* caligine al. aciem, caligosa * mendacij nubes offendere conata
D sit, ad liquidum indicassem. Quod cum potero, faciam. Interim amplectendam mihi semper dilectionem vestram rogo, & per eam, quæ nos in domo Dei unanimes fecit, obsecro, ne nævo mendacij Cluniacensis Congregationis corpus deformare, non dico velitis, sed nec patiamini: quoniam non hoc illi uni ascribere, sed nobis, & singulis, & omnibus imputare, pudor ipse obiectæ infamiæ compelleret. Quia
1.Cor.12 *cum dolet unum membrum, condolent omnia membra: & cum patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra.* Nec existimet sanctitas vestra, me ad defendendum Monacho nostro episcopandi gradum, hoc dicere; quoniam episcopari Monachos nostros, nec novum, nec admirabile nobis est, cum tot, ut ipse nostis, de Ecclesia illa; famosa Ecclesiarum fulserint & fulgeant sydera: sed qua malum nomen diffamari super filia Israel, nec verus Israëlita facere, nec verus Israëlita potest sufferre. Quod si Lingonensi Ecclesiæ
E multi sæculares clerici, quorum nec multa religio, nec multa scientia eminebat, Episcopali nomine non tantum patiente, sed etiam laudante Ecclesia olim principati sunt: quid indecens, si religiosæ Ecclesiæ religiosus, sapiens, litteratus Monachus, inde in pontificem Lingonensem electus est, unde Episcopales, Patriarchales, & ipsa omnium vertex Ecclesiarum Apostolica & Romana Sedes, Patres sibi assumere consueverunt? Quod si forte, ut totum quod sentio exhauriam, Monachi Monachos, religiosi religiosos, Cistercienses Cluniacenses vererentur, & minus de illis, de quibus magna confidere deberent, confidunt: purgetur ista suspicio & omne animal consimile sibi diligere, eique magis adhærere, natura ipsa docente, discat. Vnde si in animalibus tantum natura prævalet: in hominibus & hoc Monachis, non tantundem auctor naturæ va-
F lebit? Diliget ergo si Monachus fuerit Lingonensis Episcopus Cistercienses, & ceteros Monachos quia diligere novit, ... non diligendo manus tenere ... Nec ... Monachus aliud audebit, quam nos facere diligendo, videbit.

## EPISTOLA XXX.

*Venerando & charissimo ... Theotardo ..., Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, totum quod est.*

MEmoria tua semper, ut nosti, mihi suavis & grata, dum occurrit quod pene assidue fit, cor meum spinis curarum dilaniatum, vepribus sollicitudinum exasperatum, ut hausta pigmenta, ut unguenta fragrantia sic leniunt, sic refovent: ut me iam me non esse sentiam, & eum qui fueram oblitus, in virum alterum me mutatum gaudeam. Quid fiet ergo, quid fiet, charissime, in re illa quam spe felici sustinemus, in vita dico immortali & beata: quando in hac mortali, & misera, plenaque vomitibus sordiumque humanis mentibus innasci, hoc adhuc infelicium affectibus inesse
G potest? Quid fiet, quando anima sanctorum, ignoto illius supernæ dulcedinis pastu, sicut adipe & pinguedine replebitur: quæ modo adhuc ieiuna & squalens macredine, immo iuxta Evangelium, fame malè periens, tantopere tantillo gustu lætatur? Quid fiet, quando illi, supra quam felices inebriabuntur ab ubertate do-
mus Dei, & torrente voluptatis eius potabuntur, quoniam apud eum est fons vitæ: si guttula illius abundantiæ hic delapsa hæc operatur? Hæc tamen est, dilectissime, quæ te, ut nosti, semper dilexi, semper colui, semper tibi etiam absens adhæsi. Hæc est, quæ magnis spatiis, multis temporibus, à me seiunctum, nunquam ab animo meo avelli passa est, quæ animæ meæ conspectibus te frequenter, immo pene continue, ingerens, nunquam absentem esse permittit. Hæc est, quæ toto hoc tempore cor meum assidue stimulans, & diuturnæ absentiæ tuæ impatiens, ad scribendum charitati tuæ quotidie invitat, quæ nisi curarum obiecta repulsa fuisset, antequam ... cogitata implesset. Facit ergo, etiam nunc vix permissa, quod potest, & dilectum absentem requirens, dormientem suscitans, venire
H differentem invitans, monet, hortatur: & quia differentem hucusque sustinuit, etiam ex imperio præcipit, ut vel antequam ad Montem-Pessulanum iter aggrediar, vel postquam reditum cognoverit, statim venire festinet. Et quia novum casum fratrum Lupiciaci morientium audivi: volo ut maturius, immo quam citius poteris, iter acceleres, & usque ad proximam Dominicam septuagesimæ, tuam nobis Cluniaci præsentiam exhibere non omittas. Non autem ideirco quod plus solito nunc tibi timeam, aut mortem iam te plusquam soleam formidem: maxime cum nec mortem alicubi fugere, utique mortalis, possis, & longe amplius tibi expe-
ctanda, exoptanda, quam fugienda sit: sed ut videam Aaron meum, stantem inter mortuos & viventes,

Marginal notes: Luc.15. Psal.35. (beside "mus Dei, & torrente voluptatis…"); Num.17. (beside "ctanda, exoptanda…").

& istis quidem curæ, illis autem sepulturæ operam impendentium. Veni ergo, veni: & ne te leviter invitari æstimes, iterum dico veni.

## EPISTOLA XXXI.

*Venerabili & dilectissimo Domino, Bethleemitico Episcopo, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas Salutem.*

FRater quidam montis Thabor, ut dicebat, Monachus, habitu peregrinus, nuper ad nos veniens, de beatitudine vestra bona plurima nobis retulit: & inter omnes Orientis Ecclesiasticas personas, Cluniacensis monasterij vos singulariter amicum referens, animos omnium nostrum, ad diligendam & amplectendam reverentiam vestram magnifice incitavit. Quem enim non incitaret, quem non ex intimis commoveret, non cuiuscumque, sed Bethleem tunc Episcopi, in humiles & remotos pauperes Christi, ab eius spiritu excitata dilectio? Bethleemitici inquam Episcopi, præsepis Dominici custodis, illius præsepis ad quod cum sit Dominum vix ... Ioseph & virgo Maria admissi fuerunt: ... quod ... mortali carne ... & in quo ... terræ locis, cæli Rex primitus requiescere voluit, sicut legitur, *Reclinavit eum mater in præsepio.* ... Bethleem gloria ... Deo ab Angelis cantatum est, qui inter homines bonæ voluntatis vos computans, charitatis pacisque ... omnem sensum exuperat, cordi vestro inspiravit: & nos ... ad longe positos, charitatis ... per immensa terrarum & pelagi spatia extenderetis, animavit. Hoc nos experti sumus, qui in occiduo & pene ultimo orbe, hoc est Cluniaci, positi, Orientalium specierum fragrantiam sentimus & in odore unguentorum, hoc est, preciosarum virtutum vestrarum, velut adolescentulæ, hoc est inferiores, currere cœpimus. Curremus ergo, nec nisi comprehenderimus, currendo deficiemus: donec per affectum, quo currimus, ad domum non transeuntem, sed æternam in cœlis, pertingamus: ubi non tantum de inchoata, sed tantum de consummata dilectione, & perpetua cohabitatione in Christo lætantes, et vobiscum sempiterne cohæreamus. Sit ergo sublimis mater Bethleem, Cluniacensi filiæ in sempiternum coniuncta: ut quo corporali nequeunt visione, hoc spirituali & sincera expleant dilectione.

Luc. 2.

Philip. 4.

## EPISTOLA XXXII.

*Summo Ecclesiæ Dei Pastori, & nostro speciali Patri, Domino Papæ Innocentio, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, filialem in Christo dilectionem.*

APostolicæ maiestati vestræ humilitas mea sæpe scribens, & sæpe rescribens, auribus vestris totius mundi audiendis vocibus occupatis procax aut nimia esse formidat. Sed solet paterna pietas non solum verbosantem, sed aliquando etiam delinquentem filium tolerare. Quem interdum ut corrigat, pro excessibus verberans: non potest tamen ipsa inter verbera non amare. Inde sumpta audacia, pro domino Lugdunensi Archidiacono paternam benignitatem filialis præsumptio rogat: licet quantum ad ipsum nulla petitionis præsumptio sed tuta videatur esse precatio. Meretur hoc, ut confidenter loquar, honestas personæ eius, meretur hoc erga sublimitatem vestram obedientia & famulatus eius, meretur hoc circa vestros sedulitas, & devotio eius. Honestas personæ eius, quia inter Lugdunenses constitutus, non quidem ut Iob in terra Hus: sed pro modulo suo, si tamen maximis liceat minima comparare, ut Stephanus diaconus inter condiaconos, ita hic eiusdem nominis archidiaconus: inter concanonicos prudentiæ & honestatis vexillum sublimius extulit, & eo tempore, quo apud huiusmodi homines omnia pene corrupta sunt, insigne clericalis ordinis inviolatum servavit. Quis enim unquam eius vitam infami aliquo nomine fœdavit? Quis eius honestatem in honesta aliqua suspicione ne dicam accusatione, tentavit? Quis eius à puero conversationem, quod pertaetum est, aliquo susurrio, non dico probro, sollicitavit? Meretur hoc, ut dixi, obedientia & famulatus eius: quia: ut aliis omissis, de instanti tempore loquar, pene solus, immo solus, iniunctam per Legatos vestros in Lugdunensi Ecclesia Apostolici præcepti servavit obedientiam: & quod iam non accusans dico, solus universorum vitavit contumaciam. Meretur hoc circa vestros sedulitas & devotio eius, quibus omnes vestros, & specialiter Cluniacenses, quos specialius vestros credit, amplectitur, iuvat, defendit. Non tantum vero illos, sed quoscunque nota aliqua religionis religiosos esse præsumit, colligit, sustinet obsequitur: & utrumque vel domos suas, non solum hospitium, sed eorum esse asilum, assidua pene eorum receptione vel procuratione, demonstrat. Ista omnia sanctissimo Patri bonum filium, etiam absque commendatione mea, scio quia gratum exhibent: sed utinam testimonio meo, quod videndo & audiendo perhibeo, gratiorem paternæ pietati exhibeant! Est ei causa coram Patre cum quibusdam, quos quia & ipsum nostis, non est necesse inde sapientiam vestram instruere: maxime quia eius vos vicarium esse cognoscitis, qui reddet unicuique secundum opera eius.

## EPISTOLA XXXIII.

*Summo Pontifici, & nostro speciali Patri, Domino Papæ Innocentio, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, Salutem & obedientiam.*

MAgna materies multa me loqui cogeret, sed auribus maiestatis vestræ importunus, aut nimius esse formido. Lapropter, dilectæ & diligendæ paternitati vestræ humiliter suggero, literas nuper a vobis mihi directas, me filium vestrum, & totum semper vobis subditum & devotum Conventum, quoniam insolita & damnosa præferebant, graviter vulnerasse. Insolita, inquam, & damnosa præferebant, quia decimas, quas usque ad hæc tempora, per ducentos & eo amplius annos vestra Cluniacensis Ecclesia indifferenter ab omnibus suscepit, & indifferenter omnibus reddidit, auferebant. Insolita, inquam, & damnosa præferebant: quia quod vere nunquã de quolibet paruo Cluniacensis Ecclesiæ membro factum audivimus, in magno Monasterio Gigniaco post quadraginta dies divina officia propter repetitas parochiæ suæ decimas interdicebant. Et cum à sanctis prædecessoribus vestris multis privilegiis confirmatum sit, ut fratres Cluniac. non solum omnium parochiarum suarum decimas absque alicuius contradictione susciperent, sed etiam quas propriis excolebant sumptibus retinerent: noluerunt tamen uti hac potestate, retentes scriptum esse, *Væ illi per quem scandalum venit.* Vnde humiliter ac modeste decimas tam rusticorum quam mancipiorum suorum, non solum Monachis, Canonicis, sed etiam quibuslibet Clericis, Presbyteris, militibus, raptoribusque persolvunt. Cumque ipsi in avessis debitas, atque indebitas decimas, vel qualibet alia pacifice reddant: cur non & ab aliis quiete suscipiant? Dedi ipse Cisterciensibus fratribus, teste Domino Claravallensi Abbate, quibusdam in locis decimas: sed tanta raro est, per Dei gratiam, ipsorum & aliorum religiosorum ubique terrarum

Matt. 18.

A in circuitu nostro numerositas, vt si omnibus decimas indulserimus, iam decimam fere numeri nostri partem perdamus. Nam si brevitas pateretur, ostenderemus quamplura monasteria nostra ita à diversis religionibus circumsepta, ut ad duas vel unam leugam, unum vetus quinque vel septem novis monasterij separatur. Quæ in parochiis nostris, & cum assensu, & sine assensu nostro contra ius canonicum constructa, maiorem partem iam parochiarum nostrarum obtinent. Quibus omnibus si decimæ concedantur, oportebit, ut nostri, aut, sicut dixi, numerum suorum minuant: aut forte in quibusdam locis loco pariter, & domibus cedant. Rogat igitur, venerabilis Pater, fidelis & semper subiecta maiestati Apostolicæ Congregatio vestra, vt ab amore paterno novi filij veteres non expellant: quoniam & si novi diligendi, non tamen propter novos, nisi promeruerint, sunt veteres
B abiiciendi. Recordamini, quantum ab antiquis in populo Dei primogenitis deferretur: ut nisi Esaü primogenita vendidisset, nunquam ei licet sanctior Iacob in primogenitorum dignitate, non dico præferretur, sed nec etiam conferretur. Si ergo primogeniti sumus: dignum est, ut quod non vendidimus, pro iunioribus non perdamus. Si alter res processerit, quod salva Patris gratia dico: aut sua mecum Ecclesia retinebit: aut sine me hoc usque iuste possessis carebit. Nostis ipse cor meum: cuius vtinam, vel hac, vel qualibet occasione non subitum, sed antiquum compleatur desiderium. Vnde iteratis precibus precatur universitas filiorum vestrorum, rogo & ipse qualiscunque tamen vester: ut si aliud ad præsens non placet, sententiam saltem interdicti usque ad Pascha Domini differatis: quatinus infra hoc spatium sapientes fratres ad vos mittere, & per eos tam de his, quam
C de aliis vobiscum agere possim.

## EPISTOLA XXXIV.

*Venerabili fratri & dilectissimo amico, domno Aimerico Apostolicæ sublimitatis Cardinali & Cancellario, Frater Petrus humilis Cluniacensis Abbas, Salutem.*

CVm naufragium imminet, nusquam tutius quam ad portum: cum pericula formidantur, nusquam salubrius quam ad amicum recurritur. Ea propter quoniam ventis è regione propellentibus navis nostra naufragium perpeti reformidat: vos potissimum elegit, cui & pericula nota facere, & per quem contraria universa valeat evitare. Quod si multa materies multiplicare me verba coëgerit, rogo vos patienter ferre: quia nemo potest breviter dicere, quod ver-
D borum multitudo vix valet explicare. Possunt quidem quandoque multa breviter dici, sed ubi brevitas sententiarum pondera non extennat: non ubi intellectui multa necessario intelligenda defraudat. Invaluit & segnitia modernorum, quæ mox superfluum vocat, quicquid cum eius desidia non concordat. Non sic apud antiquos, quorum si sapientia vestra recordari voluerit, etiam longissima nostra novissima reputabit. Accepi litteras à maiestate Patris, humilitati meæ transmissas: quæ si, ut mihi soli missæ sunt, me solum læderent, facilis unius hominis læsioni consolatio subveniret. At nunc in communem Monasterij nostri interitum literæ militant, quæ tanto amariores videntur, quanto præter solitum apparuisse probantur. Nam quæ olim mel & lac à paternis uberibus filiis profundebant: meo nunc tempore, quod humili corde, sed non sine intimo dolore dico, myrrham absintiumque propinant. Quod si propter peccata mea, quod non discredo, tempestas hæc contra Christi naviculam, quam ipso committente perita manus illius regit, insurrexit: ut voce Prophetæ utar, *Tollat me, & mittat in mare, tantum cesset mare à naufragantibus.* Quid enim? Nonne Ionæ 1.

E illa est, de qua nunc agitur, Cluniacensis Ecclesia, illius, cui Deo auctore præsidet, dicta & credita præ totius mundi subditis Ecclesiis singularis filia? Nonne illa est, qua etsi quælibet alia gradu Ecclesiastico celsior, nulla tamen inventa est in Patris gratia prior? Nonne illa est, quam summi Ecclesiæ Dei Pastores, sancti eius prædecessores, à primo, ut dicitur, fundationis lapide velut in gremio suo foverunt, dilexerunt, auxerunt, provexerunt? Nonne illa est, quam fovendam, diligendam, augendam, provehendam, ab illis officio suscepit, verbis promisit, in generali Capitulo confirmavit? Sed nunc novo ordine de luce tenebræ ortæ sunt, dies in noctem mutatus, serena cœli facies in horrendam tempestatem conversa. Et ne forte suspicemini, me hæc velle verbis exaggerare: noveritis me amico in veritate loquentem, non solum ad exaggerandum nihil dicere, sed ipsum aggerem perturbata-
F rum cogitationum vix posse explicare. Novi ipse cor meum, novi & sacri conventus plusquam dicere possim mœstificatum animum: quoniam ea isto tempore audierunt, quæ nunquam ante audita nullo pacto sperare potuerunt. Quando enim solo arbitrio, sine iudicio, quælibet non dico Clun. non dico Ecclesia, sed saltem vilis muliercula suo iure ab Apostolica iustitia spoliata est? Quando res aliena aliis absque illorum, cuius est, assensu, vel voluntate concessa est? Quando de aliorum bonis violenter extortis, grata Deo oblatio facta est? Hoc præcipiunt nobis literæ Apostolicæ, ut à monachis vel canonicis regularibus decimas non accipiamus: cum nos monachis, clericis, canonicis regularibus, & si dici posset, secularibus, monialibus, militibus, raptoribus, etiam persolvamus. Nec de illis decimis loquor, quas de agricultura sua rustici seu agricolæ reddunt: sed de illis quas fratres nostri propriis manibus, vel sumptibus excolunt. Inde habent Cluniacen-
G ses plura & vetera: unde Cistercienses singularia & nova se dicunt habere privilegia. Sed scientes sententiam Domini, *Væ illi per quem scandalum venit*, nolunt uti potestate concessa: ne existentes origo & causa scandalorum, digni iudicentur, ut suspendatur mola asinaria in collo eorum, & demergantur in profundum maris. Sed aiunt quidam de alieno munifici. Hi pauperes sunt, illi divites. Debent ergo divites pauperioribus subvenire. Et recte. Sed attendant quod ait Salomon, *Vbi multæ divitiæ, multi & qui comedunt eas.* Et quia *quandoque ditior est pauper in tugurio, quam rex in solio*, quia ille si satur est, iam nullius eget: iste multis millibus dum providere non sufficit, mendicat. Novit mundus, in quos usus Cluniacus redditus agrorum, in quos pecunias, in quos decimas: in quos quæ habet, expendat. Requirat prius & conferat diligenter curiosius indagator Cluniacenses, & Cistercienses redditus cum
H expensis: & demum de divitiis, vel paupertate sententiam ferat. Sed esto. Pauperes illi, divites isti. Agatur iudicio *Non accipies*, inquit Lex æterna, *personam pauperis, nec honores vultum potentis.* Item in Exodo. *Pauperis quoque non misereberis in iudicio.* Si misericordia impendenda est pauperi, nunquid irroganda est iniuria à paupere? Si danda est ei eleemosyna, nunquid exercenda est ab eo rapina? Monstruosum prædæ genus, si laboret divitibus sancti pauperes extorquere, quod pessimi divites pauperibus solebat auferre. Nec blandiantur sibi illi fratres nostri, si hæc propriis manibus non faciunt: quia non ascendit in montem Domini, nec stat in loco sancto eius tantum innocens manibus, sed mũdo corde. Vnde qui verbis de corde prodeuntibus aliorum manus exagitat, alienum se ab eorum opere nulla dissimulatione excusat. Contuli ego, dum ex charitate rogaverunt, quasdam eis decimas: sed aliud est, quod sponte Deo offertur, aliud quod violenter aufertur. Fuisset utcunque tolerabile, certis hoc & paucis locis concedere: sed tanta est per gratiam Dei multiplicatio novæ segetis, ut si, velut illi exigunt, novis veteres coguntur cedere, antiquos labores oporteat deperire. Dilexi ego, & semper diligere volo fratres illos, sicut

Matt. 18.
Eccl. 5.
Lev. 19.
Exod. 23.
Ps. 14.

A mihi nostra & ipsorum Congregatio attestatur: sed attendendum eis est si servi Dei sunt, ne eorum occasione, vel, quod peius est, studio, charitas virtutum omnium perfectio & finis lædatur. Nam, ut quod verum sentio dicam, tale inde scandalum præparatur, quod nostro quidem tempore incipere, sed nostra nunquam ætate valeat terminari. Non unde obedientia subtrahatur: sed unde, quod maius est, charitas perimatur. Perimatur dico, non lædatur, quia vere non tantum apud nostros, sed apud universos, in quos decretum hoc prolatum est, non solum læditur, sed etiam extinguitur. Novit prudentia vestra Ecclesiam Dei unguento, non cauterio indigere baculo sustentandam, non impulsu præcipitandam esse: maxime hoc tempore, quando viribus exhaustis magna pars ipsius membris trementibus nutat, & late iam patente scandalorum campo, dies instare videntur, de quibus Dominus B in Evangelio, *ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.* [Matt. 24] Iam de sententia super Gigniacentes absq; vocatione, absque audientia prolata, quid dicam, non invenio. Nam excepta tempestate, quæ per dominum Pontium excitata est, nunc primum in monachos Cluniac. excommunicationis, vel interdicti sententia ab Apostolica sede promulgata est. Sed & illud, quod in eadem Domini nostri Epistola continebatur, quasdam sibi litteras fraudulenter extortas: non parvum mihi & his, qui audierunt, stuporem ingessit. Quis enim fraudem hanc fecerit, quis extorserit, quis tanti criminis auctor fuerit, cum diu inter nos quæreremus, invenire non potuimus. Hoc tantum recolo, me à S. Ambrosio cursorem Domino Papæ, & vobis misisse: atque per eum scriptum huiusmodi capitulum, sicut ex eadem, quam misi, membrana postea collegi, in hæc verba C transmisisse. Ut monachis de Miratorio, qui decimas auferunt fratribus nostris Gigniacensibus, & à potentibus faciunt eos deprecari †, scribatur, ut decimas reddant. [† deprecedari.] Cum hic, rogo, fraus esse potuit? Si cursoris, mirum est, quod tantillus homullulus, tantos orbis iudices fallere potuit. Si capituli, neque hoc minus mirum. Nam cum fraus dicatur, quando studio fallendi falsitas prætenditur, veritas occultatur: quomodo fraudulenter litteræ extortæ sunt, quæ nihil veritatis, studio fallendi occultaverunt, nihil falsitatis prætulerunt? Quod si quilibet hoc Patris nostri auribus insusurravit, tunc ei dignum erat credere: quando eo præsente, qui scripsit, falsi eum aliquid conscripsisse poterat comprobare. Ante autem de indiscussis sententiam ferre, quid est aliud, quam solo arbitrio absentem damnare? Non se putabunt, nostri tale apud suum Dominum meritum reposuisse, pro cuius obedientia & servitio dicuntur se, suáque pene omnia expendisse. Sed ne iactare propria videar, ista interim conscientiæ ipsius dimitto: pro universis quæ numerare possem deprecans, ut Ecclesia sibi à Deo commissa, & si non augmenta, saltem nulla quæ non meruit, sentiat detri-D menta. Memor sit propriis se manibus illam Ecclesiam consecrasse, quod eius prædecessores nonnullos valde certum est præoptasse. Quam si diminuerit, videbitur destruxisse quod visus fuerat construxisse. Insultabunt, quod iam ex parte cœperunt nobis inimici eius, quorum multitudo ubique, & si non aperte contradicit, tamen aperte odit, nec cessabunt dicere quod solent dicendo frequentare. Ecce Cluniacenses habete Papam vestrum, quem vobis spreto monacho vestro elegistis. Talem spem talis digne sequitur merces. Sed quia, charissimi, magni, quam semper in vobis habui, amoris fiducia me diffusius forte quam debui loqui compulit: rogo ne miremini, quoniam & magnum Ecclesiæ nostræ super hac re murmur, & lingua, quæ deerat, mediatoris nuntij, me tanta imprimere chartis verba coëgit. Nunc igitur ea spe, qua vobis post Dominum Papam universa Ecclesia Dei, & specialiter Cluniacensis innititur, laborate obsecro, ut in melius sententia commutetur: quia mirum sapientibus videri non debet, si homini tantis totius mundi curis in diver-E sa distracto, quilibet sua quærens subripere potuit: sed valde mirum videbitur, si postquam perniciosum cognoverit, tantus pastor ovibus non providerit. Quod si præsens aliud non placet, sicut cum litteris propriis rogavi, illius noui interdicti asperitatem usque ad proximum pascha differat: quia usque ad tempus illud mittere ad eum, etiam antequam ista audirem, nuntios idoneos proposueram. Sed tempus præfixum tam breve est, ut nisi cito cum indulgentia nuntius remittatur, Gigniacense monasterium in ipsa Domini Nativitate, quod vix sine lachrymis dico, divinis officiis careat: & corda fratrum nostrorum nunquam delendus sævæ amaritudinis dolor inurat. Has familiares litteras illi tantum post vos, rogo, videant, qui negotium nostrum non impedire, sed pro viribus studeant adiuvare.

F

## EPISTOLA XXXVI.

*Charissimis & venerabilibus fratribus nostris, Domno Abbati Cisterciensi, Claravallensi, Pontiniensi, & aliis in Christi nomine congregatis, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, Salutem & veram in Domino dilectionem.*

QVo affectu, dilectissimi, inter omnes religionis professores universitatem vestram semper dilexerim, quo honore veneratus sim, quibus, quod non improperans dico, beneficiis quosdam vestrum pro posse, & tempore prosecutus sim: novit testis & conscius meus in excelso, novit & integra ubique terrarum posita nostræ Ecclesiæ Congregatio, noverunt, & si non omnes, tamen multi vestrorum, quos aut per me ipsum G agnoscere, aut quorum notitiam aliis mediantibus quolibet modo accipere prævalui. Causa huius meæ erga vos dilectionis, non retributio percepti, vel spes percipiendi alicuius temporalis commodi fuit: sed ille totius negotij origo & materies extitit, quem quia in se non poteram, in vobis talibus officiis excolebam. Venerabar in vobis nouæ institutionis feruorem, laboris instantiam, victus parsimoniam, vestitus vilitatem: & alia innumera monastici propositi sonantia humilitatem. Amplectebar totius animi brachiis sanctorum exercitia operum, & bonum nominis vestri odorem inhians hauriebam: nec aliquem sinistra de vobis interpretantem pacatus audire valebam. Non eram contentus ista solus de vobis sentire: sed vester prædicator effectus, nostris & alienis conuersationis vestræ præconia prædicabam: & priuatim, ac publice multis laudibus quæ vestra sunt efferens, etiam auersos ad vestrum amorem multorum animos conuertebam. Et quia per gratiam Dei cum inuidia tabescente iter non habui, [Sap. 9.] dedit ipse efficaciam sermonibus meis, & fratrum nostrorum corda ille qui facit utraque unum, ita unitate H spiritus sui vobis unierat: ut sicut fide, sic & charitate, [Ephes. 2.] iam non duæ, sed una Congregatio credi posset. Instabam ego augendo & confirmando amori: ut salus, quæ sine charitate servari non potest, illæsa maneret, & signum disciplulatus Christi in nostris appareret, quo suos discipulos ab alienis distinguendos docuit, dicens, *In hoc cognoscent omnes, quia mei estis discipuli: si dilectionē habueritis adinvicem.* [Ioan. 13.] Gaudebat, ut credo, de concordia nostra ordo cœlestis, & Evangelistæ pacis, pacis spiritus [Mat. 13.] hominibus bonæ voluntatis collætabantur. Sed non tulit invidus hostis aliorum se diutius felicitate torqueri: & inimicus homo semini divino nocturnum superseminavit zizania. Iecit inter nos pomum discordiæ, ut recedente una & sola charitate, universa virtutum genera minore labore valeat effugare: & præciso bonorum omnium capite, membra simul omnia cogātur interire. Sic plane, sic fecit, quando ne à vestris decimæ Cluniacensibus fratribus vel aliis redderētur, & hoc privilegio Apostolico firmaretur: nescio quibus, quia scio nō omnibus, persuasit. Quis enim credat hoc

A vobis omnibus persuasum? Quis, inquam, credat semel mundo mortuos, ei iterum viuere velle? Quis credat sanctum Collegium vestrum luxus & seculi delicias pro Christo spreuisse: & nunc pro egestate, sordibus & miseriis litigare? Sed non debent, aiunt quidam ex vestris, laborum nostrorũ decimas alieni accipere. Parco longissimis & ex diuinis auctoritatibus congestis responsionibus; quæ epistolari breuitate facile comprehendi non possunt †. Hoc tantum infero, antiquis modernos, patribus filios, iustitiæ ordine subdi: & quod Ecclesiam constat salua fide & charitate hactenus tenuisse, periculosum, si mutetur, existere. Patrum temporibus decimas, non tantum laici, sed Ecclesiæ Ecclesiis, monasteria monasteriis, & de rusticorum operibus, & de propriis laboribus persoluunt. Si igitur horum metas exceditis, quid nisi maledicis detrahendi occasioné datis? Sed de lucro res agitur. Quod certe, quod lucrũ putatur, ubi & fama læditur, & charitas periclitatur? Nam, ut quod verum est, fratribus & amicis fatear, hoc uno verbo velut uno iaculo amicorum pariter & æmulorum pectora terebrastis: & Episcopos, clericos, Abbates, monachos, ipsos etiam ad quos peruenire potuit, laicos, ad iram vos unanimiter concitastis. Nec potuit Satanas nequitiæ suæ utilius inuenire consiliũ, quam ut eos, quos mundus admirabatur, ne admirans imitaretur, nota cupiditatis inureret: & alios læsionis sui stimulatos, ab eorum amore reuocaret. Sed urget nos, inquiunt aliqui vestrorum, paupertas. Et ubi est, quod ait Dominus: *Væ illi per quem scandalum venit?* Et iterum: *Expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo eius: & demergatur in profundum maris.* Ubi est, quod ait Apostolus: *Non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem.* Nonne & hæc vox vestra esse deberet, Non manducabo ex decimis his in æternum, ne fratrem meum scandalizem? Et Apostolus quidem ne idolothyta manducasse putaretur, hæc dicebat. At vos quid dicetis, quos, ut saluo fraterno amore loquar, illicita comedere non fert dubietatis opinio, sed indubia certitudo? Sed forte dicitis hanc scandalorum sententiam nostros magis arguere: qui quod eis superfluit, nolunt pauperioribus erogare. Concedo, quod ditiorum copia aliorum debet inopiam sublevare. Sed quis nostrum, vel vestrum ditior, an pauperior sit: nec tempus est quærendi, nec facultas disserendi. Hoc tantum interrogo. Si ditior non vult pauperiori propria tribuere, pauperior debet ditiori sua auferre? Quis magis videtur iniustus, diues parcus, an pauper violentus? Quis maiore dignus est supplicio, retentor propriorũ, an raptor alienorum? Sed hæc ego, dilectissimi, non amaro animo dico, sed sicut fratres meos charissimos moneo. Nec tantum ad hæc scribenda me coegerunt lucra decimarum, quam damna animarum. Quæ enim vobis vel nostris ultra spes in laboribus, quæ in ieiuniis, quæ in vigiliis, quæ in castitate quæ in eleemosynis, quæ in aliis sacrorum operum exercitiis, remota, ut supra dixi, charitate esse poterit? Quid memorem Apostolica verba, quæ semper mente tenetis? Quid replicem, quæ assidue ruminatis? Nostis, quid Apostolus de linguis hominum & angelorum, quid de facultatibus erogatis in pauperes: quid de tradendo corpore ita ut ardeat, quid ipse Dominus de munere ad altare oblato, dicat. Hæc ideo breuissime tango, ut cum ista, quæ digniora sunt, absque charitate nihil esse probantur: reliqua omnia quæ inferiora sunt, nihil penitus sine illa valere monstrentur. Et ne diu longioribus Epistolis aures sanctitatis vestræ detineam, legatione functus gregis mei oro pariter & consulo, oro ut supplex, consulo ut amicus: ut in causa ista, quæ nunc agitur, decimarum, vobis pariter & nobis consulatis, vobis ne infamiam, nobis ne violentiam inferatis, & ne nobis simul, ac vobis charitatem Christianarum animarum unicum remedium auferatis. Nihil sacer Conuentus vester poterit consultius inuenire, quam si charitatem, quæ Deus est, inter nos non permittitis interire.

† posset.

Mat. 18.

Col 8.

B

C

D

1. Cor. 13

Mat 5.

## EPISTOLA XXXVI.

*Charissimis & venerabilibus fratribus in Christi nomine apud Cistercium congregatis, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, Salutem, ob quam conuenerunt, æternam.*

E Relatum mihi est à pluribus, quod literæ, quas præterito anno charitati vestræ mea humilitas destinavit, quosdam vestrorum læserint: & a stabilitate non tam nouitiæ, sed antiquæ dilectionis eorum animos paulum commouerint. Quæ postquam didici, ferre non valui: ut tanta tam diu inter nos habita charitatis dulcedo, quibuslibet occasionibus, vel in modico amarescat. Vnde iterato præsentem Epistolam mitto, ut si ita est, ut audiui, læsioni, quam prima intulit, sequens medeatur: & glutino sancti Spiritus diuersa coniungente, quantalibet nostrarum scissura mentium uniatur. Viderint primæ illius Epistolæ lectores, quo eam spiritu legerint, quo sensum eius interpretati sint. Nam ego me, quod tamen sine fastu F aliquo dictum accipite, non superbiæ, sed humilitatis, non discordiæ, sed pacis, in dictando spiritum habuisse, & teste eo quem fallere non possum, charitati quam in cordibus nostrorum, decimarum illarum occasione, periclitari videbam, eo modo prouidere voluisse. Et quia, *Væ peccatori*, dicitur, *terram ingredienti duabus viis*: nolui iuxta Prophetam in corde, & corde loqui, nec coram amicis, inter quos omnia nuda esse debent, duplicitatis velamine cor velare: ut dum nodum sine tegmine sapientia vestra videret, communi congregatorum consilio ad dissoluendum efficacius G laboraret. Hæc tota fuit causa scribendi, quæ si tunc ignota aliquos scandalizare potuit: nunc saltem me manifestante retecta, opto & precor, ut fratribus charissimis ad plenum satisfacere possit. Quiesco enim, & quiescam in vobis, delector & delectabor in vobis: etiam læsus non discedam à vobis. Quod tamen tantopere cupio seruare vobis, seruate nihilominus & nostris & nobis.

Eccl. 2.
Psal. 11.

SANCTI PETRI
# MAVRICII
DICTI VENERABILIS,
ABBATIS CLVNIAC. IX.
## Epistolarum.

### LIBER II.

H

### EPISTOLA I.

*Petrus humilis Cluniacensium Abbas, nec nominandæ sacti hæresum.*

Dicit bestialis insipientia, profunda stultitia, & omnimoda ineruditio tua erraticos sensus tuos contemnere, nec saltem vili responsione dignos esse persuadeant: sunt tamen duo, quæ ad tibi respondendum, animum erga te nauseantem instigant. Vnum, quo gregis mei infirma curare, contracta solidare, perdita requirere, debilia confortare præcipior: alterum, quo consociatas tibi simplices oviculas diutina cohabitatione tabe tua infectas esse formido.

A formido. Non quod talis sis, cui fidem accommodare aliquis, aut possit, aut debeat: sed quia tuo illo insulso, & ridiculoso eloquio, sicut nullum attrahi potuisse confido, sic forte incautis aliquibus te materiam illicita cogitandi talibus næniis dedisse, non nego. Vnde vel te, si legere volueris, & intelligere valueris, scriptura hæc brevis ad salutem, à qua excidisti, revocare poterit: vel ab aliis conceptam forsitan scandalorum materiam amputabit. Vetustissima hæc tua hæresis est, & ab Apollinari quodam erroneo antiquitus adinventa. Quæ mox, ut spirare visa est, Patrum est validis rationibus & innumeris auctoritatibus suffocata. Quas quia nec ad manum habere, nec forte intelligere bruto pectore posses, hunc tibi brevem, satisque, ut æstimo, cuilibet clarum confeci tractatum: ut aut meo, si fieri potest, labore à tam scelesta opinione resipiscas, aut si in reprobum sen-
B sum datus es, absque meo discrimine pereas. Et ne ultra rem differam, velut scarabeus de veteri putredine creatus mussitas, & stridore dissono aures fratrum exasperas: dicens Salvatorem nostrum humanam non habuisse animam, cum in eo carnis humanæ non neges naturam. Monstruosum quidem hoc tempore de fide disputare, quando iam princeps mundi de mundo eiectus est: quando iam dominatur Christus à mari usque ad mare, quando iam omnes docibiles Dei facti sunt: postquam secundum Esaiam, *repleta est* Esa. 11 *terra scientia Domini sicut aqua maris operientis*: postquam Sathanas diuturno tempore Paganis impugnantibus, Hæreticis disputantibus fidem Christi persequens, ita pharetram nequitiæ suæ exhausit, ut nulla, qua eam lædere possit, ei iam sagitta supersit. Ita eius omnibus retecta est fraus, sic maligni spiritus dolus ad lucem sancto Spiritu prodente perductus: ut simplices quique dolosissimo illi quasi avi illudant
C & ille fortissimus iam nec dignus à viris superari iuxta Beati Iob verba, *ancillis Dei ligatus, & subditus*
Iob 40 *ingemiscat*. Quod si te, aut servum Dei, aut ancillam talia suggerens invenisset: sicut ab aliis, sic à te labore victus, facili recessisset. Sed quia te neutrum, hoc est, nec virum, nec feminam reperit: ut iumentum vilissimum incustoditas mentis tuæ fores effringens, a stabulo Samaritani fur nocturnus abegit, & per vallium concava, per montium aspera cursitare violenter coëgit. Ea de causa dum te ad gregem, à quo aberrasti, reducere satago, præsumptuosus forsitan fio: dum eam fidem, quæ super Christum Dei vivi filium fundata, Prophetarum vocibus prædicta, Apostolorum ministerio tradita, martyrum sanguine consecrata, gentium plenitudine, Angelorum congratulatione est celebrata, meis velut rudem firmare rationibus quæro. Sed excusabit, ut credo, temeritatem meam charitas: quam, si de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta procedit, nulla poterit temerare iniqui-
D tas. Audi ergo iam, & si homo es, humanos saltem indue animos: ut si ea, quæ Dei sunt, non potes, vel ea quæ tua, id est, hominis sunt, advertas.

Hominem te esse, ut credo, agnoscis: ex quibus substantiis constes, intelligis. Dei filium ad terras descendisse de cœlis, & hominem assumpsisse, nec ipse diffiteris. Hominem, inquam, eum ad salvandum hominem factum, ut & nos te credere dicis. Cum hæc ita sint, tua te credulitate convenio. Hominem Dei filius assumens, totum an dimidium assumpsit? Respondes, dimidium. Rursum interrogo. Hominem Dei filius salvans, totum an dimidium salvavit? Respondes totum. Vide iam saltem boninis oculis, in quod te barathrum nefanda professio proiecit. Dicis filium Dei, hominem dimidium, hoc est, solam carnem, absque rationali anima induisse: totum vero hominem, hoc est, simul animam & carnem salvasse. Et quæ ratio, ut interim auctoritates scripturarum taceam, ô hominum stolidissime, quæ, inquam, ratio patitur, ut quod non assumpsit Salvator salvaverit: cum tota ratio salvationis fuerit, veritas assumptionis? Nam nihil humanitatis divinitas assumpsit, nisi quod salvare disposuit: nec rur-
E sum aliquid salvare disposuit, nisi quod assumpsit. Itaria sunt hæc duo, nec ab alterutrum seiungi possunt: dum nec natura salvatur, nisi quæ suscipitur, nec e converso suscipitur, nisi quæ salvatur. Vnde tuam satis mirari non possum insaniam, & animum altissima stoliditate sepultum: qui cum corpus & animam humanam à Christo salvanda fatearis, solam cum carnem suscepisse contendis. Elige tibi horum alterum quod volueris: quia quicquid elegeris, pari à me laqueo constringeris. Quoniam quicquid hominis à Deo est susceptum, totū necesse est esse salvatum: vel quicquid salvatum, totum necessario oportet fuisse susceptum. Sed scio, quia hoc ultimum eligis: ut non omnia quidem hominis suscepta, sed omnia dicas esse salvata. Si ergo secundum te omnia salvata sunt, secundum me omnia suscepta sunt. Nam si nihil salvatum est, nihil susceptum est. Si ali-
F quid salvatum est, aliquid susceptum est. Si totum salvatum est, totum susceptum est. Sed te etiam, ut dixi, concedente, totum salvatum est. Igitur velis, nolis, invincibili ratione cogente, totum susceptum est. Quod si totum susceptum est, anima dignior pars hominis exclusa non est. Dignior, inquam, carne anima est. Sine qua quid aliud caro, quam truncus inutilis est? Et ut melius intelligas, quam perverse desipias, scrutare quid carni, quid animæ creator utriusque indiderit: & tunc forsitan quod volo suggerere, apparebit. Distinguens quippe auctor naturæ rerum visibilium & invisibilium partes, multiplicem rerum creatarum infinitatem sub speciebus tantum quatuor coartavit: ut quibusdam essentiam, aliis vitam, melioribus sensum, optimis largiretur rationem. Quæ tria sequentia & potiora animæ, primum, solum & vilius carni humanæ concessit. Fecit ut esset anima vitalis, sensibilis, rationalis: cum nihil carni præter luteam originem, & membrorum
G corporalium congruentem harmoniam tribuerit. Cúmque ab humo eius materiam sumens, hominem in principio sic orsus esset, nihilque humana caro nisi otiosam essentiam retineret: inspiravit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viventem. Quo facto collatum est carni ab aliena, quod ex propria substantia non habebat: ut vivere, sentire, atq; uti ratione ad omnia posset, sine qua non solum ista non habere, sed nec etiam illam suam vilem diu integram conservare materiam valuisset. Nam quid carnalis remota spirituali substantia valeat, ipsa humana caro spiritu absente declarat. De quo si non meis rationibus, tuis saltem, ut puto, obtutibus credes. Quomodo ergo fieri potest, ut ad salvandum totum hominem Deus hominem assumens, partem, quæ minima est hominis, assumpserit: & eam, quæ excellentissime maior est, dereliquerit? Quo certe ordine fieri potuit ut summa contemnerentur, infima susciperentur? Qua ratione fieri potuit, ut natura, quæ per se, nec ratione intelligere,
H nec sensu sentire, nec qualibet vita vivere potest, summæ illius maiestatis capax esse valuerit: cum constet, quod nulla creatura creatoris susceptibilis esse possit: nisi eum & intellectu agnoscere, & amore diligere, & spontaneo valeat obsequio venerari? Et cum secundum Scripturam, Non corpus, sed *anima iusti sedes sapientiæ* esse dicatur, nec nisi per imaginem suam, quæ non in corpore, sed in anima humana est, Deus in sanctis hominibus sedere, ambulare, inhabitare, gratia mediante scribatur: quid de homine illo sentiendum est, quem non ut alios sanctos sola gratia replevit, sed in quem, secundum Hieronymum, tota divinitatis vnda se contulit, & in quo secundum Apostolum, *Omnis plenitudo divinitatis inhabitat*, & ipse personaliter totus Deus totū Colos. 2. hominem de massa hominis assumptum replet. Nunquid ita apud rationale animal ratio sopitur, ut gratiam Dei non nisi rationali anima mediante hominibus credat infundi: ipsum autem Deum remota anima brutæ carni in sempiternum personaliter fateatur uniri? Sed quid ego ad ea, quæ forte non intelligis, declaranda laboro? Attende ipsum hominem quem confiteris: & ex

verbis

A verbis tuis te condemnari agnosces. Hominem certe Salvatorem esse fateris. Quod si hominem fateris, cur hominem negas? Cur in eodem verbo, tibi te contrarium non aduertis? Hominem enim, ut dixi, fateris, & hominem neges. Negas plane hominem, dum animam negas. Quando namque stulte, ut aliquid secundum te dicam, hominem sine anima vidisti? Aut igitur ostende mihi sine anima hominem, aut si Christum dicis hominem, ex carne & anima eum fatere hominem. Nisi enim æquivoce dicatur, quando solum nomen commune est, ut cum dicitur, aut pictus, aut sculptus aut synecdochicè, ut exanimis homo: nulla ratione vocare poteris hominem, quem anima subtracta facis semihominem. Vide ergo quàm apostatico spiritui te huc usq; deludendum præbueris, quantisque te nesciens diabolicæ impietatis laqueis implicaveris: ut eam in Christo

B neges substantiam, qua remota non pars tantum fidei adimatur, sed tota simul humanæ restaurationis veritas perimatur. Si enim Christus animam humanā non habuit, aut belluinam habuit, aut ipsa divinitas, quod te sentire persensi, vitalis & sensibilis spiritus officia expievit. Quod utrumque ita consimili absurditate horrescit, ut qui alterutrum de Christo senserit, Christianus iam esse non possit. Nam si eum belluinam habuisse animam dixero, belluam quantum ad animam fuisse fatebor. Belluam vero Christum dicere, quis vel infidelium auditus poterit tolerare? Hoc concesso, & bellua Christus erit: & sicut bellua humana ratione carebit. Quod si humana ratione caruerit, quis nostræ fidei veritatem, quis salutis humanæ spem, quis cœlestium litterarum auctoritatem defendabit? Ait enim Evangelium. *Iesus proficiebat sapientia, ætate & gratia, apud Deum & homines.* Ait item. *Iesus autem plenus Spiritu sancto, regressus est à Iordane.* Et propheta. *Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ &*

Luc. 2. Luc. 4. Esai. 11. C *pietatis & replebit eum spiritus timoris Domini.* Et alius. *Vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.*

Ps. 44. Act. 10. Idem & Petrus Apostolus. *Quem unxit*, inquit, *Deus Spiritu sancto, & virtute.* Et ætatis quidem incrementis, naturæ ordine paulatim corpus animatum & sensibile augeri, anima quoque bruta, quoniam vitalis & sensibilis est, ipsorum mutorum animalium corporibus confert. Quæ si & in Christo fuit, idem carni eius præstare potuit. Sed nunquid sapientia & gratia apud Deum & homines proficere potuit? Nunquid Spiritu sancto plena ab Iordane reversa est? Nunquid spiritum sapientiæ, intellectus, consilij, fortitudinis, scientiæ, & pietatis, & timoris Domini super bestialem animam requievisse: & eam tantis gratiæ donis replevisse fatebimur? Nunquid iuxta Prophetam, unctam oleo lætitiæ, hoc est, secundum Apostolum, Spiritu sancto &

D virtute præ consortibus, id est, præ cunctis electis hominibus dicemus? Oportet sane ista quæ dixi, & innumera alia quæ prætermisi: aut carni, aut animæ, aut deitati Salvatoris tribuere. Nam nihil in Christo præter hæc tria fuisse, quisquam hæreticorum ausus est, vel potuit commentari. Sed carni soli ista dare quis poterit, quæ non dico sanctum Spiritum, sed nec aerium spiritum, ut supra dictum est, per se suscipere idonea est? Quis verò deitati profectum sapientiæ & gratiæ seu aliarum virtutum augmentum tribuet, quæ nec detrimentis minui, vel quibuslibet incrementis potest augeri: nisi qui in cœlum os suum ponens, impie in Deum blasphemus est? His duabus substantiis exclusis: remanet de qua agebam bestialis anima. Hanc autem quis non videat charismata ista non potuisse percipere, quam certum est omni ratione carere? Nam quæ temporalium causas rerum non potest discernere, multo magis æternarum & divinarum impos & incapax probatur existere. Quod si nec caro sola, nec bestialis anima, nec deitatis substantia dona illa spiritus in se suscipere, natura contradicente potuit: consequens & necessarium est, ut ea rationalis anima, carni coniuncta susceperit. Iam anima belluina a Salvatore explosa, restat ut divisionis supra factæ reliquam partem prosequar. Et ne exciderit, ipsam di-

E visionem, quam secularis disciplina disiunctam vocat, replico. Dixi. Si Christus animam humanam non habuit, aut belluinam habuit, aut ipsa divinitas vitalis & sensibilis spiritus officia explevit. Sed quia belluinam non habuit, ut puto probatum est: iam quod Deitas animæ officia non expleverit, probandum est. Nam si deitas animæ officia in Christi corpore explevit, vitale & sensibile corpus effecit, hoc est vivere & sentire caro Christi a deitate percepit. Vt enim vivat & sentiat, confert, ut sæpe dictum est, omnis anima corpori. Dedit igitur vice animæ, ut viveret & sentiret, deitas corpori Christi. Quæ si ita se habent, cum anima per corpus, & corpus ex anima sentiat, & patiatur: iam quicquid caro Christi passa est, oportet &

F deitatem simul passam fuisse. Iam quam late pateat campus blasphemiæ, quilibet, etiam me tacente, advertere potest. Quia enim, ut dictum est, quicquid sentit caro vel patitur, anima per eam sentit, vel patitur: necesse est ut deitas, quæ vicem animæ tenere dicitur, per carnem sentiat & patiatur. Patietur igitur deitas mærores infantiæ, labores pueritiæ: esuriet panis, sitiet fons, fatigabitur virtus, laborabit requies, tristabitur gaudium: & ad ultimum tot tormentis durissimis impassibilis torquebitur, æternus deficiet, vita morietur. Et hæc omnia quidem Deum, sed per hominem passum, Catholici confitemur. Aliud est enim, ex adiunctione unius personæ Deum in homine humana passum dicere, aliud in natura impassibili aliquid doloris, aut iniuriæ pati potuisse. Quod ille astruit, qui Deum pro anima in humano corpore extitisse dicit. Et quoniam apertis immorandum non est, compendio res terminanda est. Aut enim in carne assumpti hominis Deus pro anima fuit, & idcirco passionibus humanis succubuit: aut

G si hoc sentire impium & detestabile est, eam Christi caro animam, quæ absque deitatis iniuria humana passa sit, habuisse credenda est. Et quia bestialem non habuisse probatum est, non nisi rationalem habuisse confitendum est. His de rationali Salvatoris anima rationibus præmissis, quæ aut mentibus, ut credo, rationabilibus satisfacere, aut bestiales animos cæteris ostentui facere valent: iam ea quæ in divinis dogmatibus principalem obtinet locum, scripturarum auctoritas proferatur: ut gemino, rationis scilicet & auctoritatis remedio, vel si infidelis fuerit rationi necessariò cedat, vel si fidelis, sacris auctoritatibus adquiescat.

Mirum sane, vnde fœda hæresis aliquando emergere potuit: cum sicut carnem, sic & animam Salvatoris, Prophetica, Evangelica, Apostolica vox ita pari & pene continuo clamore loquatur, ut vel aures non habere, vel eas more venenatæ aspidis obturasse, eam non exaudiens videatur. Nonne David in ipsius Christi persona loquens ait, *Non derelinques animam meam in inferno?* Et, *Erue a framea Deus animam meam & de manu canis unicam meam?* quæ verba sunt de eius passione. Et, *Anima mea illi vivet:* quod est de resurrectione. Et, *In manus tuas commendo spiritum meum*, qui utique spiritus in homine non nisi anima est. Et Esaias, *Pro eo quod tradidit in mortem animam suam.* Et Hieremias. *Foderunt foveam animæ meæ?* Nonne in Evangelio Dominus mentionem animæ suæ pene semper inducit, dicens, *Potestatem habeo ponendi animam meam, & iterum sumendi eam.* Et, *Nemo tollit à me animam meam, sed ego pono eam, & iterum sumo eam.* Et, *Nunc anima mea turbata est.* Et, *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Et, *Maiorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Et, *Animam meam pono pro ovibus meis:* Et cum memoria universa enumeret? Sufficiunt hæc, & superabundant: ut & animam Christum habuisse, & eam rationalem fuisse cæcis quoque palpantibus demonstretur. Et ut ea, quæ principalia, hoc est, Evangelica sunt, magis assumam: quando turbatam & tristatam animam suam Salvator dicit,

Ps. 15. H Ps. 30. Esa. 53. Hier. 18. Ioan. 10. Ioan. 12. Mat. 26. Ioan. 15. Ioan. 10.

deitatem,

A deitatem, in quam turbationis vel tristitiae accidentia cadere non possunt, pro anima fuisse negat: quando potestatem se habere ponendi animam suam, & sumendi dicit, irrationalem nullo modo existere potuisse declarat. Irrationalem quippe animam moriendo ponere bruta animalia possunt: resumere vero eam, quoniam post corpus nulla eius substantia est, omnino non possunt. Spiritus enim post carnem deficiens, non habet iam ad carnem reditum: quia communem moriens habuit cum carne defectum. Proprium est igitur irrationalium spirituum, nunquam extra proprium corpus subsistere: sicut rationalium nec post corpus unquam deficere. Quaedam namque imago vel similitudo deitatis rationali substantiae à creatore indita est: quam vel beatam, vel miseram, semper tamen necesse est esse aeternam. Quae quia in bestiali

B spiritu non est, cum suo corpore pariter eam interire necesse est. Vnde anima a bono pastore pro ovibus in mortem posita resumi non posset, si post mortem non extitisset: nec post mortem subsistere potuisset, rationalis ut homini non fuisset. Quid vero aliud & illa vox crucifixi Domini, quam praemissam in Psalmo supra posui, quid plane aliud indicat, cum ait, *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum?* Luc. 23

Nunquid non paucis verbis universas talium errorum positiones vno velut impulsu praecipitat, unoque gladij ictu cerviceem erectam in communem perniciem ecat? Neque enim in manus Patris commendavit spiritum, qui nihil post mortem existeret: nec deitatem commisit, quae nil minus, nil maius recipiens, parque per omnia Patri, commendatione non indiget. Quia ipsis ituum, hoc est, bestialis & divini, opinione seposita:

C restat ut spiritum, videlicet animam rationalem, in manus Patris commendasse, & cum iuxta Evangelium inclinato capite tradidisse credatur. Sed & si ad Apostolicum Symbolum sermo recurrat, omnis Christiana lingua Dominum Iesum Christum mortuum, & sepultum, & ad inferna descendisse fatetur. Qui quoniam in carne non descenderit, triduana corporis indicat sepultura. Nec quia in sola divinitatis natura, invicta ratio manifestat. Prudentia quippe, non potentia, percussisse superbum scribitur: quem sola potentia percussisset, si damnatum Archangelum percussurus, in sola deitate ad inferos descendisset. Oportebat autem, & hoc aeternum consilium exigebat, ut superbus mundi princeps a natura quam vicerat superandus, iactantiam dolosae suae victoriae saepe victus amitteret: & sicut de eo humana caro per Christum in terris triumphaverat, ita & apud inferos per ipsum humana anima triumpharet.

## EPISTOLA II.

D *Venerabili & in Christi corporis membris plurimum praecellenti, Domino Petro sanctae Lugdunensis Ecclesiae Archipraesuli, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas spiritum consilij & fortitudinis.*

Ex quo, venerabilis & dilectissime mihi, excellentiam sublimitatis tuae mea humilitas agnoscere meruit: tenacissimo dilectionis glutino, ut te non ignorare credo, mea anima tibi adhaesit. Sicut vero ea quae neminem fallit, conscientia mihi attestatur, dilexi in te non Antistitis dignitatem, non divitis divitias, non potentis potentiam, non eam, quae te circumstare poterat, quamlibet rerum temporalium affluentiam: non illi, inquam, omnia dilexi, quae videbantur esse circa te, sed ea tantum quae agnoveram, & quae sola diligenda erant in te. Dilexi certe in te, erga divina animi puritatem, erga humana morum honestatem, amorem verae sapientiae, in Episcopali fastigio sincerae mediocritatem vitae. Istis & consimilibus animi tui multis & magnis virtutibus illectus, etiam cum longe

E positus esses tecum eram: neque à te saltem minimo temporis spatio divelli poteram. At postquam de Vivariensium colle ad Lugdunensium montem te divina dispositio transtulit, atque de sublimi sublimiorem fecit: coepisti quidem esse propinquior loco, sed utinam nequaquam disiunctior animo. Quod me dixisse minime miretur, quam in te veneror sapientia tua: quoniā non ex affectu conquerentis, sed ex cautela loquutus sum praemonentis. Licet enim prudentiam tuam non facile moveri quibuslibet susurrationibus noverim, neque te arundinea mobilitate circumferri sciam: tamē quia scriptum est, *Corrumpunt mores bonos colloquia mala.* 1.Cor.15 Et versu, qui iam in proverbium versus est, dicitur,

*Vnda cavat lapidem, non vi, sed saepe cadendo:*

Praecavendum tibi arbitror, ne labiis iniquis & linguae dolosae insibilationibus, quibus frequenter in-

F quietaris, aurem non dico corporis, quod aliquando non agere non potes: sed aurem cordis, quod semper potes, inconsiderate accommodes. Fraudulento quippe obsequio saepe tales corda dominorum sollicitando circumveniunt: & consulentis specie deterius inimicis famulando inimicantur. Deterius plane inimicis, quia ut optime novit sapientia tua, multo facilius externus quam internus, multo levius remotus quam admotus, longe promptius atrox quam blandus hostis vitatur. Illius namque tanto minus potest nocere crudelitas, quanto minus ei praebetur credulitas. At istius tanto magis nocet tecta saevitia, quanto maior saeviendi sub amoris velamine ei datur licentia. Hoc ideo dicere volui, ut charissimi mei erga te mutui amoris custodiam fieret solertior diligentia: nec eam a proposito suo revocare posset cuiuslibet detractoris invidentia.

G Si enim verum est quod Apostolus ait, *charitas nunquam excidit:* 1.Cor.13 & illud quod in Cantico Canticorum legitur, *Aquae multae non poterunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam,* Cant. 8 & inter nos hanc hucusque constat charitatem fuisse: certum est, quia nec excidendo lapsum incurrere poterit, nec multitudine aquarum, hoc est, hominum mala murmurantium, flamma eius extingui, nec instantia quorumlibet velut tetri fluminis violentia obrui. Apertius autem exponere, quid suspicando ista praemittere voluerim, nulla me ratio cogit, quia & tui ingenij subtilitas hoc facile advertere potest, & me eorum, qui inde notati scandalizari possent, pudori vel irae consulere oportet. Sufficit hoc nosse me istis omnibus ad hoc vnum tendere, vt charitate illa, quae diversa coniungit, ita quod iam esse coepimus, vniti permaneamus: ut nec diversitas locorum, nec scissurae cordium, nec divisiones linguarum, nec varij eventus rerum, unitatem nostram, qua vere in Deo unimur, dividere valeat: aut mundi mobilis & transituri instabilitas à sui eam stabilitate ac firmitate convellere. Ad hoc sane unum & solum, singulariter &

H praecipuè hanc inter nos charitatis unitatem firmari concupisco: ut eius utilitatem non solum ad salutem nostram, sed etiam ad multorum aliorum referre studeamus. Nam si, ut eam nomino, hoc vere illa virtus est, quae charitas dicitur, non tam suae, quā aliorum saluti invigilare, & pro ea omnimodis laborare debet: quia, ut omnibus notum est, de ea ab Apostolo dicitur, *Charitas non quaerit quae sua sunt.* 1.Cor.13. Quod cum omnibus immineat, ut debitores mandati, quo eis praecipitur, *Diliges proximum tuum sicut teipsum,* Leu.19. Mat.22. omnibus aeque ut sibi consulere debeant maxime hoc eis incumbit, quibus specialiter aliorum cura commissa est, quibus quasi pro ovium, filiorum civium custodia, Pastoris, Patris, speculatoris nomen impositum est. Inter quos sancta paternitas tua non minimum, immo magnum & praecipuum Dei dispositione obtinet locum: ita vt in omnibus Christiani populi spiritualibus principibus nullū omnino habeat maiorem, nisi sanctae & summae sedis Apostolicae praesulem. Magna, inquam, & vere praecelsa, totaque coelestis est dignitas Episcopalis officij: nec minus magna & vere timenda, totáque terribilis formido Episcopalis periculi. Tibi enim, ut bene recolit

pastoralis

A Ezec. 3. pastoralis ſollicitudo tua, per Ezechiel. à Domino dicitur: *Fili hominis, ſpeculatorem dedi te domus Iſrael.* Et item: *Si non annuntiaveris iniquo iniquitatem ſuam, ſanguinem ejus de manu tua requiram.* Et rurſum: Ezec. 33. *Si ſpeculator viderit gladium venientem, & non clamaverit, & venerit gladius, & tulerit aliquem, ſanguinem ejus de manu ſpeculatoris requiram.* Et per Hieremiam. Hier. 1. *Ecce conſtitui te hodie ſuper gentes & regna, ut evellas & deſtruas, diſperdas & diſſipes, & ædifices & plantes.* Poſſem ſimilibus teſtimoniis infinitum opus contexere: ſed quia ſapienti & cuncta hujuſmodi cognoſcenti loquor, oportuit de multis pauca proponere. Sed quorſum hæc omnia? Ut excitetur paſtoralis ſollicitudo tua ad ſubveniendum Eccleſiæ Dei ſub tua cura laboranti: maxime hoc tempore, quando inſtant tempora periculoſa ante ab Apoſtolo prædicta, 2. Tim. 3. *quando omnes quæ ſua ſunt quærunt, non quæ* Iesu Christi, quando inter multos mercenarios vix aliquis paſtor invenitur, quando ſalute gregis contempta, abſque labore paſtorali paſtoralibus mercedibus inhiant, quibus Deus exprobrat per Prophe-

B Ezec. 34. tam: *Lac comedebatis, & lanis operiebamini, gregem autem meum non paſcebatis.* Et item: *Væ paſtoribus qui paſcebant ſemetipſos.* Et rurſum: *Ecce ego ſuper paſtores, & liberabo gregem meum, ne ſit eis in direptionem, & non paſcant amplius paſtores ſemetipſos.* Vere mercenarii, non paſtores, qui de mercedibus gregis impinguati & ornati incedentes, glorioſi & ſublimes apparentes: ſalutari, Mat. 23. honorari, & ab hominibus vocari Rabbi gaudentes, ſecundum Domini ſermonem primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in ſynagogis amant: vident lupum in ovium interitum venientem, & fugiunt: cernunt peſtilentioſi aëris corruptione infectas oves deperire, nec ſuccurrunt: mutua tabe conſumi, & tacent: diverſis mortium generibus interire, & rident. Sed quia non eſt propoſiti operis, aut officii mei, contra tales nunc agere: reprimendus eſt ſermo, & tecum potius quod cœperam prosequendum. Ad hoc enim te credo tali tempore in ſublimi Eccleſiæ ſpecula à Deo conſtitutum: ut aliis tacentibus, tu pene ſolus quæ Dei ſunt mundo inclames:

C ad hoc inter duces ſpiritualis prælii conſtitutum, ut aliis fugientibus, tu cum paucis hoſtem devincas: ad hoc non tantum Epiſcopi, ſed Primatis, vel Patriarchæ nomine inſignitum, ut non tantum populo te majorem, ſed etiam ipſorum principum te principem agnoſcas, & univerſis magis prodeſſe, quam præeſſe ſtudeas. Accingere igitur gladio ſuper femur tuum potentiſſime, accendatur velut Num. 25. ignis zelus tuus: recordare Phinees, Heliæ, & Iesu 3. Reg. Matt. 21. 1. Joan. Christi: quorum unus luxuriantes gladio peremit, alius ſuperbos cœleſti igne exuſſit, tertius avaros flagello de templo ejecit. Hæc ſunt certe tria illa, quæ Joan. Apoſt. in Epiſtola ſua commemorat: *Omne,* ait, *quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ambitio ſeculi.* Quæ licet ſecundum hanc Apoſtolicam vocem, totum mundum communi peſte infecerint: in Patriarchatu tamen tuo, ſed maxime in Provincia, ſive in propria, quod magis tibi timendum eſt, Diœceſi, quaſi ſpecialem ſibi ſedem viſa ſunt conſtituiſſe, atq. innumerabiles lethali morbo occupaſſe. Sed quid ego de militibus, quid de popularibus referam: cum videam clericos,

D &, quod mihi gravius eſt, noſtri, hoc eſt, monaſtici Ordinis viros, propoſiti ſui oblitos, etiam laïcis inhiantibus, quæ reliquiſſe videbantur rurſus appetere, à tabernaculo Dei & à Moyſe ductore ad Pharaonem & Ægyptum rediiſſe, & quæ vomuerant, ut in mundiſſimos canes avidiſſime reſorbuiſſe: & qui ut aurum in domo Dei fulgere debuerant, ut vile lutum ſe per omnes plateas omnium pedibus conculcandos proſtraviſſe. Nonne de talibus Hieremias lamentari cogitur, & dicere: Thren. 4. *Quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus, diſperſi ſunt lapides ſanctuarii in capite omnium platearum?* Et item: *Filii Sion incliti & amicti auro primo: quomodo reputati ſunt in vaſa teſtea, opus manuum figuli?* Hoc plane fere de univerſis Provinciæ tibi à Deo commiſſæ Monachis ac Monaſteriis loquor: ut qui ſalva gratia bonorum, qui inter eos commorantur, dixerim ſe dicunt

E Apoc. 2. Monachos eſſe, & non ſunt, ſed ſunt ſynagoga Satanæ. Quid enim illi ſibi de Monacho, præter nomen & habitum, vendicant? Ubi enim in eis vel eſt, vel apparet Monachi humilitas? Ubi charitas? Ubi illa, quæ beatos facit, paupertas? Ideo autem dixi, quæ beatos facit, quia ea paupertate, quæ miſeros facit, ſummopere diſcere cupiunt, magnoque ære laborant. Et juſte equidem: Sicut enim inquirentes Dominum non deficiunt omni bono, ita relinquentes eum omni neceſſe eſt abundare Pſal. 33. malo. Dicunt hujuſmodi homines ſe Monachos, hoc eſt, ſingulares & unicos in mundo eſſe: cum turbis & tumultibus hominum corde & opere miſceantur. Affirmant, ſe Apoſtolica, hoc eſt, communi vita degere cum præter victum atque veſtitum cætera omnia eis communia ſint: Sed magnum ſi Eccleſia, ſi refectorio, ſi dormitorio communi utantur: ut non corda canentium, ſed Eccleſia una ſit: non cibi comedentium, ſed refectorium commune ſit: non veſtes dormitorii, ſed dormitorium idem ſit. Concedo & ego magnum hoc apud tales eſſe: Sed utinam vel hoc ſervetur. Utinam plane

F vel hoc conſervaretur: ut vel in eiſdem omnes domibus habitarent, & non ſibi ad convivandum, ſive ad commanendum, aliorum & à ſuo ordine alienorum domos eligerent. Taceo quæ ſequuntur, non tantum eis parcens quantum pudori meo, qui talia proferre erubeſco: & ſancto noſtri Ordinis nomini conſulens. Qui quamvis nulla immundorum contagione maculentur: tamen à minus eruditis, & talium infamia ſcandalizatis nomen Domini blaſphematur. Unde & de his Scriptura loquitur: *Væ his per quos nomen Domini blaſphematur.* In Iſa. 52. quo namque non propter iſtos nomen Domini blaſphematur: qui in hypocriſi omnem ſanctitatem mentiri volentes, ſed jam non valentes, quia occulti eſſe non poſſunt, publici Apoſtatæ ſiunt: qui ſecundum figuram mulieris proſtitutæ divaricant pedes ſuos omni tranſeunti, & perverſa obedientia inclinant dorſum malignis ſpiritibus, præcipientibus incurvare ut tranſeamus? Iſa. 51. Fluxi, inſtabiles, præcipites, ſuperbi, cupidi, avari, quorum profeſſio prævaricatio, quorum ſtabilitas pervagacitas, quorum converſio eſt à Deo averſio, quorum obedientia contumacia, quorum clauſtrum totus orbis,

G quorum Deus venter, quorum Abbas propria voluntas, quorum jugum nullum, quorum mortificatio eſt omnimoda carnis oblectatio. Hi loca Deo ſacrata male vivendo temerant, domum orationis ſpeluncam la- Mat. 21. tronum faciunt: ibi perditis operibus diabolo non vitulos aut arietes, ſed animas ſuas ſacrificant, dicentes ſe noſſe Deum, factis autem negant. Iſti ſunt ligna infructuoſa, inutiliter terram occupantia, digna incidi, digna comburi: peſſimi coloni vineæ, fructum in tempore ſuo reddere contemnentes, & hæreditatem filii in injuſtitia detinentes. Faciendum eſt eis, quod patremfamilias malis agricolis feciſſe Evangelium loquitur: *Malos male perdet, & vineam ſuam locabit aliis* Mat. 21. *agricolis, qui reddant ei fructum temporibus ſuis.* Ita à te, qui hujus patrifamil. vices obtines, talibus faciendum eſt: ut ſi fructus juſtitiæ dediſſe de Domini vinea domino reddere noluerint, nequaquam ejus hæreditatem eos occupare patiaris. Hæc enim mala ad cumulum perditionis eorum in tantum inveterata obducto callo induruerunt:

H ut jam nec correptionis verba audire, nec etiam quælibet durissimæ diſciplinæ verbera ſentire poſſint. Squamæ quippe ſunt in corpore Leviathan, de quibus dicitur: Job 41. *Una uni conjungitur, & nec ſpiraculum quidem incedit per eas.* Una alteri adhærebit, & tenentes ſe nequaquam ſeparabuntur. Sed hanc diabolici corporis peſſimam unitatem atque duritiam, durior verbi Dei gladius dividere acutior ſpiritualis pharetræ ſagitta penetrare poterit. Cujus gladii memorat Apoſtolus: *Et gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei.* Et de ſagitta Pro- Ephes. 6. Iſa. 49. pheta: *Poſuit,* inquit, *me ſicut ſagittam electam, in pharetra ſua abſcondit me.* Hanc ſagittam videlicet te, venerabilis atque amantiſſime Pater, in pharetra conſilii ſui Deus ab æterno uſque ad hæc tempora abſcondit & nunc de arcu fortitudinis ſuæ ad conterendos inimicos ſuos,

A vt credimus, emisit : & gladium hoc est, verbum suum in ore tuo posuit, quod secundum Apostolum non est alligatum, & de quo dicitur, *Maledictus qui prohibet gladium suum à sanguine* Hoc gladio, iuxta Psalmistam, dividuntur linguæ impiorum : & iniquitates & contradictiones in ciuitate. Sanctifica ergo rursus manus tuas Domino, quæ semel sanctificatæ sunt in sacerdotio : quia secundum B. Gregorium, nullum gratius offertur Deo sacrificium, quam zelus contra peccatum. Pudeat generositatem sanctæ animæ tuæ prouinciam tibi commissam, Ecclesiastica dignitate omnibus Gallicanis Ecclesiis superiorem, & religione esse inferiorem. Vt enim cernere datur, per totam occidentis plagam, & maxime intra hanc nostram Galliam, religiosa loca, & quæ nunquam fuerant frequentissime oriuntur, & quæ inueterauerant renouantur. In Lugdunensi vero Provincia è contrario, & noua fere nulla orta sunt, & vetera jam pene nulla sunt. Fuerit hoc tempori & strenuitati tuæ à Deo reservatum: ut si nova condere non est facultas, saltem ad vetera renovanda adsit totus nisus atque voluntas. Habebis ad huius rei adjutorium, totum quale esse potest posse meum, & illum qui tibi ad omnia sufficit Deum. Sit tuum eius accepta gratia incipere : erit illius opus suum à te cœptum perficere.

2.Tim.2.
Hier.48
Psal.54.

B Licet igitur hoc opus valde arduum esse non ignorem: de Dei tamen gratia & tua probitate confidens, hortor, supplico, moneo, & per omnipotentis IESV CHRISTI misericordiam obtestor, vt tam bonum, tam Deo placens, tam salutiferum studium, nullæ à corde tuo curæ pellere valeant : sed maneat in mente tua radix sanctæ intentionis, quovsq; ad optabilem fructum gloriosæ prodeat actionis. Nam nec mihi desunt innumerabiles rerum temporalium sollicitudines : pro quibus tuam necessario, ut moris est, sollicitare possem beatitudinem. Sed non est nunc mihi super auro & argento quæstio : non est super injuriis deprædationibus, exustionibus, & variis ac multiplicibus rerum nostrarum damnis; ad aures majestatis tuæ solita interterpellatio. Illud unum, illud singulare, illud præcipuum, & sæpe dicendum, sæpe rogandum oro, rogo, obsecro, ut huic divinæ rei, cui nihil humanum non dico præponi, sed nec componi debet, cuncta supponas : & teipsum etiam, si necesse fuerit, ut bonus Pastor pro tanta tantarum ovium salute impendas.

C Paratus sum & ego, ad quem non ex cura, sed ex charitate hoc pertinet, nec meis nec mihi pro hac Dei causa parcere: nihilque in præsenti remunerationis sperans, non tantum mea, sed & meipsum impendere. Hæc certe tota & sola ad te scribendi causa fuit. Cæterum tibi videndum, ne frustra fuerit. Oro ergo in fine Epistolæ mihi dulcissimam & totis visceribus amplectendam dilectionem tuam ut semotis aliquantulum occupationibus, amici literis in hoc quoque pro te solliciti locum tribuas, & eis vel horam ad studiose legendum provideas. Repende, inquam, hanc meo labori vicem, ut quod ego immodicis curarum distensionibus impedientibus vix potui scribere, tu inter tuos quotidianos tumultus studeas legere. Nec deterreat à lectione prolixitas, quam iusta, ut ipse ignoscis, peperit necessitas.

## EPISTOLA III.

D *Summo Ecclesiæ Dei Pastori, & nostro speciali Patri Domino Papæ Innocentio, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, fidelem obedientiam.*

NOn satis verbis aperire valeo, quantum pro insito mihi vestræ paternitati amore de resciendo statu vestro sollicitus, quantumque à partibus vestris audire, quod cor meum lætificet, exoptem. Quid autem amplius cor meum lætificare poterit, quam si prospere, si pacificè, si triumphaliter vos degere audiero? Vt enim quod apud me sentio dicam, hoc in me desiderium ita

E omnibus aliis, quæ in corde humano esse possunt, desideriis dominatur: ut excepto illo quo cœlestia desiderãtur affectu, hic omniũ ut dictum est, desideriorum affectibus principietur. Nec mirum, si sic ardenter finem laborum vestrorum exopto : cum propter hoc unum à principio Apostolatus vestri nullum pro modulo meo subire laborem recusaverim, in nullo quod expediret mihi vel his, quæ commissa mihi erant, pepercerim : & quod forte majus his omnibus est, nunquam fidelior, quod ipse melius novi, ut vere Patri filius esse potuerim. Nam inter studia partium, inter divisiones cordium, inter schismata tam nostrorum, quam extraneorum, seu prope seu longe constitutorum, exerto semper gladio, quantum personæ aut officij mei qualitas patiebatur perstiti, nec illum unquam à sanguine etiam charissimorum cum necesse fuit prohibui. Quoscunque mihi & Cluniacensi Ecclesiæ qualibet amicitia junctos, Reges & Principes, nobiles & ignobiles, magnos & pusillos agnovi : hos majestatis vestræ pedibus subdere, per meipsum sive per alios loquendo, scribendo, mandando, terrendo, mulcendo, pro posse non distuli.

F Sed quia non ad hoc cœpi, ut opera mea, si qua erga vos recta fuerunt, jactem compescendus est stylus, & hoc tantummodo dicendum : quoniam hæc idcirco tetigi, ut agnosceret sapientia vestra, me jure pacem vestram desiderare, pro qua non parum contigit laborasse. Est & illud, quod non solum me, sed & omnes ad hoc optandum movere debet: quod universorum & totius Ecclesiæ pax de pace vestra pendet, quæ sicut generaliter, paucis schismaticis exceptis, vos in summum Pastorem assumpsit, ita sine vestra requie nunquam requiescere poterit. Cujus laboribus, quos pro Christo & pro vobis sustinet, quod salva sublimitatis vestræ reverentia dixerim, non parum gratiæ debetis : quia sicut illa vobis filialem, ita vos ei paternum impendere decet amorem. Et sicut mihi videtur, omnes quidem præcepto dominico sunt diligendi, sed juxta quod vita vel actus eorum exigit, in amoris discretione aliis alij sunt præferendi. Hoc ad quid inferam, attendat paululum vestra nobis super aurum & topazion chara paternitas.

G Nam inter illos, quibus magis debitrix totius amoris & beneficij est charitas vestra, domnum Albanum Episcopum hucvsque existimavimus. Quid enim ille pro vobis fecerit, quid pertulerit, quid perdiderit, quam fidelis in regno Ecclesiæ, cui præsidetis, ingrediens, & egrediens, ad imperium vestrum fuerit, supersedeo referre : cum & sapientiæ vestræ hoc bene notũ sit, & tam diutina infirmitas, imò ipsa mors, cujus januis vix tandem reductus est, satis indicare possit. Quæ omnia eum propter immensos labores, & assiduos per totum pene mundum procursus & excursus pertulisse, ob vestra nisi fallor servitia, omnibus manifestum est. Cum igitur se totum vobis impenderit, cum nota universis religio eius, cum scientia eius, cum virtus corporis eius ab exordio præsulatus vestri non nisi vobis militaverit, & militando pene defecerit : non satis ego vester, ego, ego, inquam, vester, & qui mecum hoc noverunt mirari sufficimus, quod non dicam maximum pro tam magnis servitiis beneficium, sed nec modicum, quando maxime postulavit, meruerit habere rescriptum.

H Tunc certe, quod prorsus subdita & humili, & idcirco audaci mente dicimus : tunc plane omnino clausa sunt ei viscera misericordiæ, & responsionis vestræ, quando ipse vobis ut Patri aperuit omnia intima conscientiæ suæ. Tunc vere exsiccata est fontis ubertas, quando magis exposcebat rigari terræ ariditas. Debuit, ut mihi videtur, plus amoris mereri nudata conscientia : non debuit propter ablatum cordis velamen pristina imminui gratia. Vt enim quod jam vulgare factum est referam, si inter amicos omnia nuda, inter talem Patrem & talem filium nulla secreta debuerunt esse velata. Quæ si ipse aliis, non vobis soli revelasset, Patris forsitan commotio iusta fuisset. At cum non nisi illi,

cui

A cui nihil talium celare debuit, cor ſuum denudavit, non iram, ſed gratiam, vt videtur, ampliorem promereri debuit. Hæc, Pater chariſſime, me breviter vobis ſcribere, filialis, & idcirco fidelis, compulit affectus: ne qui de vobis magis merentur, minus conſequi videantur, & ea de cauſa quam plures à veſtro ſervitio deterreantur. Conſulo igitur, ſi tamen conſilium meum inter ſapientiorum, non tamen forte fideliorum, conſilia admittendum cenſetis: vt Epiſcopum veſtrum, collateralem veſtrum, fideliſſimum veſtrum, quem multum exacerbare ex hoc, niſi ſapientia indignationem comprimeret, potuiſtis, lenire quam cito remiſſis litteris ſtudeatis. Recolite, nullum unquam nimium amari potuiſſe: recolite, nullum unquam plus juſto amicis abundaſſe: recolite quod ait Salomon, *Amici ſint tibi multi*. Et ideo nunquam talibus vos ſatis abundare credatis: maxime hoc tempore, quando, vt ipſe quotidie experimini, abundavit iniquitas, & refriguit charitas multorum. Paraverat ipſe poſtquam
Eccl. 6.

B convaluit, ſuſcepto à vobis mandato redire ad vos: ſed poſtquam de ſilentio illo veſtro accepit, ignorans quid illud portenderet, & ipſe ſilere propoſuit. Rumpatur ergo infructuoſum, quod nunquam fuiſſet, ſilentium, & aut eum cum illo, quem vos & eum decet, honore ad vos redire facite: aut apud nos, hoc eſt intra Gallias, ad deſtruendos ſchiſmaticos, & cauſam veſtram, quæ & Dei eſt, manutenendam, quod vobis & Romanæ Eccleſiæ pluſquam ad præſens propter feſtinantiam dicere poſſimus expedit, poteſtative, quovſque vobis illum revocare placeat, remanere facite. Vtinam daretur auribus veſtris otium, quod quia ad præſens non habent, cogimur ori noſtro etiam valde neceſſarium rerum imponere ſilentium. De hac igitur re & de pace veſtra, quam omnimodis deſidero & deſideranter expecto, remandate quod eſt: ut aut ſi eſt, gaudeam, aut ſi nondum plene eſt, qualiter adimpleatur, quicquid poſſum & etiam meipſum impendam. Hoc inſuper rogo, vt cauſa noſtri Romanum morem de retinendis diu nunciis infringatis: & quam cito curſorem noſtrum cum rei poſtulatæ certitudine ad nos remittatis.
C

## EPISTOLA IV.

*Petrus humilis Cluniacenſium Abbas, Giloni olim Tuſculano Epiſcopo.*

MVlta quidem dilectioni veſtræ loqui, enormitas materiæ imperat: ſed ſtylum ſe diffundere volentem, Epiſtolarum, & maxime modernarum, modus, ne etiam in neceſſariis diffluat, coanguſtat. Qui ſi à propoſitis & neceſſario conceptis non cohiberetur: non jam Epiſtola, ſed liber conficeretur. Quis enim non videat, quanta ſit loquendi materia, imò lugendi? Chariſſimum fratrem, &, vt ſic dicam, vterinum, à viſceribus vnicæ matris non cum parvo eius dolore avulſum, ſic lapideum permanere: vt nec ſuæ ſeparationis recordari, nec matris doloribus compati, nec confratrum charitate revocari, nec ad reſipiſcendum quibuſlibet incantationibus videatur

D animari? Tantum ne valet peregrinæ mulieris amor, ut meretricia oblectamenta, ſponſæ caſtis amplexibus præponantur? An tanti pendendi ſunt cives Babylonicæ confuſionis, vt civibus pacificæ Hieruſalem præferantur? An calix aureus Babylonis, quo potantur Reges terræ, dulcior ad ſorbendum viſus eſt, quam ille Chriſti, de quo ipſe ait: *Calix meus inebrians quam præclarus eſt!* At quid iſta? Vt pace veſtra loquar, quoniam tam præclarum membrum Eccleſiæ Dei ad præſens ab ea ſeparatum dolemus: quoniam tam dilectum fratrem à confratribus disjunctum lugemus, quoniam à Romana & Catholica Eccleſia Epiſcopum, quoniam à Cluniacenſi eius Monachum deſciviſſe videmus. Sed forte vos ad hæc, nos errare, nos deviare, nos deceptos eſſe inclamabitis. Nos vero quidem
Pſal. 22.

E Vt longa diſputatio conquieſcat, vt infinitarum argumentationum objectio conticeſcat: vt ambitio, cupiditas, ſacrilegium, ſimonia, perjurium, vis armata, homicidia, quæ pro parte non veſtra, ſed Papæ veſtri militant: vt hæc, inquam, omnia, & adhuc deteriora, ſi qua eſſe poſſunt, ſeponantur: hoc unum attendite, hoc inſpicite, hoc conſiderate, ubi Eccleſia eſſe exiſtimanda ſit, quæ in omnibus mundi nationibus eſſe credenda eſt: in angulo urbis Romæ, an in toto orbe, in particula Aquitaniæ, an in mari uſque ad mare: in pauciſſimis & pene nullis hominibus, an in omnibus quæ ſub cœlo ſunt gentibus. Aut enim nobiſcum eſt Eccleſia, & ovile, in quo ſunt oves veri paſtoris, de quibus ipſe, *Oves meæ vocem meam audiunt*: veſtrumque ovile non oves, ſed hœdos ad ſiniſtram ponendos continet. Super quibus vobis exprobrat Eccleſia dicens, *Paſce hœdos tuos iuxta tabernacula Paſtorum*: aut ſi vobiſcum eſt, heu! multum regnum Chriſti arctatum eſt. Si, inquam, vobiſcum eſt Eccleſia, falſa eſt vox Patris Filio
Joan. 10.
Cant. 1.

F promittentis, *Dabo tibi gentes hereditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* Falſa eſt vox Prophetæ. *Dominabitur a mari uſque ad mare, & a flumine uſque ad terminos orbis terræ.* Falſum eſt, & illud quod ait: *Omnes quaſcumque feciſti, venient, & adorabunt coram te Domine, & glorificabunt nomen tuum.* Falſa certe iſta omnia, ſi tam parva eius hæreditas & poſſeſſio facta eſt, ut non niſi Petri Leonis turres, & Comitis Pictavienſis paucas munitiunculas poſſideat. Si hoc verũ eſt, jam Chriſtus quod aſſumpſerat deponat, & qui jam poſſeſſione quolibet regulo factus inferior eſt, regium quoq; nomen amittat: nec eum quiſlibet vocare Regem regum, vel Dominum dominantium audeat. Si hoc verum eſt, jam Chriſtus gratis mortuus eſt, qui tam pauciſſimos morte ſua lucratus eſt. Hoc ideo dicendum putavi, ut agnoſcat eruditio veſtra, periculoſiſſimè vos opinionem veſtram totius mundi ſententiæ præponere: magiſq; ſuperbæ obſtinationi paucorum quam devotæ unanimitati multorum acquieſcere. Cum enim &, canonica decreta hoc habeant, ut majori & ſaniori parti in omni negotio cedendum ſit: qui tantis numero, tantis ſcientia, tantis ſanctitate non cedit, non ſapientia, ſed inſania agi credendus eſt. Plura hinc dici poſſent, ſed ſapienti, quod vos & fuiſſe ſcimus & futurũ eſſe confidimus, pauca ſufficiunt. Revocat igitur vos communis mater Eccleſia, revocat quodammodo ari chriſtius, quæ iterum vos Chriſto peperit, Cluniacenſ. Eccleſia: parata vos iterum piis ulnis excipere, parata dulcius quam ſecerat fovere, parata omne pro vobis onus ſubire, parata vos rurſum Chriſto, Eccleſiæ, ac Domino Papæ reſtituere.
Pſal. 2.
Pſal. 71.
Pſal. 85.

G

## EPISTOLA V.

*Dulciſſimo ac piiſſimo Patri noſtro Domino P. Abbati, Frater Theotardus Prior de Charitate indignus, totúſque Conventus, quicquid devotiſſimi filii.*

SI condignas veſtræ paternitati gratias referre poſſemus, pro immenſis beneficiis quæ nobis immeritis ſervis veſtris exhibere dignamini, dignum utique eſſet, ut hoc omnimodo ſtuderemus. Sed quoniam plene & efficaciter non poſſumus, ſaltem tantæ gratiæ debitores nos eſſe fatemur. Quomodo vero veſtris reſpondere valemus beneficiis, cum pro nobis veſtris exiguis ſervis tantum feceritis, quantum vix aut nullo modo faceretis pro magnis Dominis? Vt tamen veſtra cognoſcat benignitas, beneficiorum nos eſſe memores, & teneri debitores: ipſa ex parte memoramus, quamvis rependere non poſſimus. Cellarariũ noſtrum, & nos omnes in illo ſummo ſuſcepiſtis cum honore, exhibuiſtis dilectionem, & optimam dediſtis mulam, dilectionis probationem. Miſiſtis nobis Dominum Petrum, exemplar cordis veſtri ad nos, qui cor veſtrum
H

A cordibus nostris inferret, & sua præsentia quantum vobis placet nos lætificaret. Ad cumulum denique tantæ pietatis dedistis nobis magnæ martyris magnas reliquias, magnum thesaurum, magnas divitias: quæ nobis sunt super aurum, & lapidem pretiosum nimium. Pro his omnibus, illi, à quo est omne bonum, & B. Mariæ, & vobis, dulcissime Pater, quantum possumus referimus gratias. Noverit enim vestra paternitas, quod & nos & Burgenses nostri magnam ex his habemus consolationem, & magnam de vestra sancta dilectione certitudinem. Benedictio Domini & vestra super nos, & super filios vestros. Quod debuissemus ponere in principio, in fine ponimus. Iterum gratias agimus de hoc quod nobis promisistis, festivitatem B. Mariæ apud nos vestra præsentia honorare. Vnde de his, & de cæteris vestrum nosse vestrúmque velle nobis remandate, præsertim si possimus vos invenire Cluniaci usque ad festum S. Petri: quia si potuerimus præparare Novitios, ad benedicendum mittemus.

B

## EPISTOLA VI.

*Venerabili atque intimo nobis Domino Theotardo Priori, ac dilectissimo nobis Conventui de Charitate, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, totius salutis, gratiæ & benedictionis plenitudinem.*

Legimus & relegimus intenti literas vestras, quæ tanto cor nostrum gaudio exhilarabant, quanto vos lætificatos sonabant. Cur enim non lætificaret nos vestra lætitia, quibus illud totum debemus quod possumus: cum & de illis, quibus longe minus quam vobis debemus, nobis præcipiatur scilicet gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus? (Rom. 12. Philip. 4.) Nam vt verbis Apostolicis utar quod est gaudium meum atque corona, nonne vos ante Dominum? Quæ licet meis erga vos, vt illius laboribus non debeatur: spem tamen, quam non dat boni operis effectus, poterit forsitan sperare bonæ voluntatis affectus. C Et si enim multa non conferimus: si quid tamen in nobis multum dilectionis esse potest, multum diligimus. Adjuvat, & accendit non mediocriter ignem hujus amoris vestra charitas: quando quod proprie bonorum filiorum est, quod salva ea reverentia, quæ pignoribus sanctorum debetur, dixerim, etiam parva munuscula pro magnis ducitis: quando non datum, sed dantis affectum consideratis, quoniam ex modica scintilla vos multum flammare monstratis. Conservet in vobis, & adaugeat hunc charitatis affectum vera charitas Deus: quo ei & hic adhæreatis per spem, & in æterna vita conjungamini per speciem charissimum fratrem nostrum Petrum, quem de latere nostro ad vos direximus, ut partem cordis nostri commendatum habere: vt quem ante pro vobis quasi simpliciter dilexistis, jam pro nobis, si potest fieri, dupliciter diligatis. D Festum summorum Apostolorum Petri & Pauli nos Cluniaci facturos, & beatæ Dei Genitricis assumptionem, quia vos velle cognovimus, apud vos esse celebraturos per Dei misericordiam confidimus.

## EPISTOLA VII.

*Sincera charitatis visceribus confovendo, Fratri Theotardo Priori de Charitate, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, in Spiritu sancto discretionem adipisci spiritum.*

Scribis mihi sæpe, charissime, & frequentes nuncij sibi invicem succedunt, quos ad me cum deprecationibus dirigis: vt te à cura quam tibi imposui absolvam, & secundum quod dicis, Deo absque occupationis onere servire permittam. E Obiicis naturæ imbecillitatem, æstatis intemperantiam, morborum incommoditatem. Detrimenta multa pati domum tibi commissam, te talia patiente, nec ad negotia sufficiente, denuncias. A me exigis quod à te impossibilia exigo, & quod humeros tuos ad ea ferenda, quæ ferre non valent, compello, affirmas. Agnosco ego querelas, non corvino, sed columbino de corde prolatas: ideóque neque illis moveor, neque injuriis, vt à quibusdam, qui non ea quæ Dei sunt sapiunt, solet fieri, ad injuriose respondendum accendor. Te tantum advertere ea quæ dicturus sum, rogo. Quod prorsus facere non poteris, nisi obstinatæ voluntatis appetitum fregeris. Non enim capax veri consilij animus esse poterit, nisi velle suum utilitati propriæ ratione subdiderit. Sunt sane sapienti multo magis appetenda amara salutifera, quam dulcia mortifera. Præponenda contristans vtilitas, supponenda noxia voluntas. Hoc ad quid dicam attende. F Audio quidem te de difficultate pastoralis officij conquerentem, sed video te ipsum tibi causas ipsius difficultatis inferentem. Video te inquam, contra impositum officium, contra obedientiæ virtutem, contra matrem virtutum charitatem, & ideo contra salutem tuam agere. Dum enim ætati non parcis, dum assiduo labore te conficis, dum corpus morbis innumeris conquassatum magis ac magis indiscrete vivendo conteris: universa hæc, quæ à me tibi sunt objecta, incurris. Sic namque te habendo, contra impositum officium agere comprobaris, quia sicut quotidie cernitur, succumbunt jumenta oneri, quibus non datur victus necessarius operi. Fortissima etiam quæque animalia deficiunt, si & labor diutius protendatur, & laboris nullum levamen subsequatur. Clamant sancti Doctores nostri perimendum hostem, nutriendum civem. At tu ex adverso hostem perimere nequis, dum hostem pariter & civem extinguere conaris. Nam non erit qui hostem opprimat, si civis succumbat. (Lev. 5.) Non penitus abrumpi, sed retorqueri caput immolatæ avis ad pennulas lex jubet. Tu autem lege Dei contempta, ad abrumpendum caput à corpore toto conatu laboras. G Sed non suscipit Deus holocaustum, quod contra legis suæ decreta cernit oblatum. Suggessit Diabolus Christo, vt se perimeret, dicens: *Si filius Dei es, mitte te deorsum.* (Matth. 4.) Sed noluit spontaneo præcipitio interire, qui tamen venerat pro mundi salute animam ponere. Vt doceret vtiliter quidem carnem esse mortificandam, sed non more homicidarum crudeliter perimendam. *Nemo*, ait Apostolus, *carnem suam odio habuit: sed nutrit & fovet eam, sicut & Christus Ecclesiam.* (Ephes. 5.) Sicut, inquit, Christus Ecclesiam. Nutrit quippe Christus & fovet Ecclesiam, non malitiam: justitiam, non impietatem; naturam, non iniquitatem. Ostendit Apostolus Christum sequendo, se ita se fovere Ecclesiam: dum discipulo, cui inter cætera dixerat, *exemplum esto fidelium in verbo in conversatione, in charitate, in fide, in castitate*, quia stomachum dolebat: postmodum, ait, *Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino utere propter stomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates.* (1. Tim. 5.) H Sic post Christum summus doctor Ecclesiæ, vt etiam corpori sobriè provideret, discipulum admonebat, non interitum violenter compellebat. Cui & ille obedivit, & laboriosum prædicationis, & Ecclesiasticæ administrationis officium, non fugitando, nec reclamando, sed manendo & persistendo explevit. Posses & tu, qui de impossibilitate causaris, injunctum officium implere: si, discipulus veritatis, acquiesceres obedire. Si, inquam, præcepto patris obedire, si fratrum charitati velles obtemperare: & crimen inobedientiæ effugeres, & impositum tegiminis quantumlibet grave onus, ferre prævaleres. Nec miteris me crimen inobedientiæ nominasse, cum multis hoc criminibus Propheta præferat, dicens:

Quoniam

A 1 Reg. 15. Quoniam *quasi peccatum ariolandi est, repugnare, & quasi scelus idololatriæ, nolle adquiescere.* Mandaui quippe sæpius, vt propter nimiam, quam ipse fateris, morborum incommoditatem, à Conventu, aliorum infirmorum more, paululum secedens requiesceres, nec fecisti. Iussi, vt paulo remissioribus alimentis vtereris, nec obedisti. Præcepi, vt dispositioni fratrum, quorum erga te charitatem exuberare gaudebam, quantum ad infirmitatis tuæ leuamen pertinebat, obtemperares: nec audisti. In quo fraternæ charitatis contemptu, non parum te deliquisse, si bene perpendis, recognosces. Remota enim paternæ iussionis auctoritate, quod de cordibus fidelium ac piè viventium subditorum etiam Prælatis charitas præcipit, non est aliquo modo contemnendum. Quod si fit, non ille, qui charitatis verba proferre videtur, sed ipsa, quæ verba eadem profert, charitas spernitur. Quam qui spernit, eam nullo modo habere probatur. Iam vero charitatem
1 Cor. 13. B non habenti quid prosit ieiunium, vel quælibet corporis exasperatio, ab Apostolo audi. Si, inquit, *tradidero corpus meum ita vt ardeam: charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Abstine ergo a carnibus, abstine à piscibus, abstine & si volueris ab omnibus, affl ge, verbera, contunde iumentum tuum: non dederis somnum oculis tuis, non dormitent palpebræ tuæ, noctes vigiliis, dies laboribus transige: velis, nolis audies Apostolum, etiam si tradideris corpus tuum vt ardeat, nihil tibi prodest. Iam hoc non est seruum Domino servire non posse, sed nolle: immo ad maiorem contumeliam, ante velle mori quam obsequi, ante interire quam seruire, prius à facie eius fugitando delitescere, quam seruitutis onera tolerare. Sed iam quia finire verba festino, revoca quæso, dilectissime, ab hac intentione animum tuum, in breuissimo certamine pro sempiterna requie desudando contende: noli vt piger seruus in terra talentum abscondere, fit tibi pro tanta, si perstiteris, reposita mercede permodicus vitæ præsentis labor. Et vt laborando durare possis, interdum requie labores alterna: vt non, sicut hucusque fecisti, obstinate laborando, ad laboris defectum, sed discrete operando, ad laboris profectum, quod forsitan non diu diff. retur pervenire contendas.

C

## EPISTOLA VII.

*Nobilissimo regum & nostræ societatis amico, Sigivardo Norvvegiæ regi, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, in præsenti feliciter, in futuro felicissime cum Christo regnare.*

Omnipotenti & æterno Regi toto cordis affectu gratias agimus, qui menti vestræ timorem & amorem suum inspirare dignatus, in vobis amorem cœlestium terrenis affectibus præualuisse ostendit. Cum enim in extremis finibus orbis atque sub gelido axe seculorū dispositor vos constituerit, meridiano tamen sui spiritus calore intantum vestrum Aquilonale frigus temperauit, vt soluta infidelitatis & corporis glacie,
Cant. 4. de vobis etiam cantari possit. *Surge Aquilo, & veni Auster: perfla hortum meum, & fluent aromata illius.*
Esa. 43. D Et illud. *Dicam Aquiloni, da: & Austro, noli prohibere.* Vere enim omnes, & præcipue nos, qui cæteris vos affectuosius diligimus, gratulanter famam vestræ erga Dei obsequium devotionis audimus, qualiter quæ Dei sunt reveremini & diligatis, qualiter regium fastum suavi Christi iugo affectuosissime subiec ritis, qualiter vos protectorem Ecclesiæ Dei constitueritis, qualiter inimicos crucis Christi à fidelium dominatione non tantum in vestris, sed etiam in remotissimis meridiei & orientis finibus, vt bellica terra marique & olim repuleritis, & nunc etiam maxima classe repellere festinetis. Super hæc omnia, quod in animo vestro tantus Spiritus sancti feruor exarsit, vt tantam regni excellentiam, & tantam rerum opulentiam contemnendi, ac pro æterno regno viam peregrinationis arripiendi vobis affectum inspirauerit: ipsi omnium bonorum largitori grates quas possumus agimus, & vt hoc ad effectum perducere satagatis, votis omnibus exoramus.

E

## EPISTOLA VIII.

*Dilectis filiis & fratribus nostris de Norantona, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, Salutem, gratiam, & benedictionem.*

Cum omnes ad Cluniacensis Congregationis corpus pertinentes communi charitatis debito diligamus, vos inter reliquos speciali quodam affectu complectimur. Et licet locum vestrum corporali aspectu
nunquam viderimus, intuitu tamen veræ dilectionis, vos non tantum quotidie, sed & continuè intuemur. F
Facit hoc bonæ conversationis vestræ fama, sed specialiter Thomas ille vester, immo noster: quo & si personaliter caretis: pro eo tamen nos & nostra omnia possideretis. Est enim nobis intimus, & tantum in Christo charissimus, vt cum innumera Cluniaco sæpe vestra Anglia munera miserit, nihil vnquam isto gratius aut carius obtulerit. Non igitur grauet vos eius absentia: quia plurimum, cum tempus fuerit, vobis ipsius apud nos poterit conferre præsentia. Quod si sapienter negotiamini, ibi merces vestras debetis exponere, vnde maiora lucra suo possitis tempore reportare. Patienter igitur tantæ ad præsens ferte dispendij iacturam, quia quod, vt diximus, modo sentitis damnosum, iuvante Domini gratia, quandoque experiemini lucrosum.

## EPISTOLA IX.

*Summo Ecclesiæ Dei Pastori, & nostro speciali Patri, Domino Papæ Innocentio, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, humilem obedientiam, & devotum obsequium.* G

Multa interpositarum terrarum longinquitas, quæ multo spacio nos à vestra paternitate separat, cogit nos prolixiores, quàm aures vestræ pati consueverunt, quandoque literas dirigere. Nam si in proximo vos haberemus, frequens inquietudo negociorum ad vos se sperans habere posse recursum, compendiosior in verbis existeret. Sed quia & multarum spaciis terrarum, & plurimorum, quod magis veretur, interpositionibus gladiorum, sed ad vos rursum penetrare posse pene desperat, fit importunior in referendo, magis cogitans quid cura illi debeat paterna conferre, quam quid in sua relatione eam tædeat audire. Ideo venia danda est prolixitati, si quod suum est, non negatur necessitati. Audiui, & in literis Domino Albanensi Episcopo directis legi, sublimitatem vestram eidem mandasse: vt ad vos reditum accelararet, & suam vobis præsentiam exhiberet. Perve-
nit hoc & ad aures multorum, de vestra pace & salute non parum sollicitorum: qui omnes eo dilectionis voto, quo vobis astricti sunt, valde mirantur, tale à vestra maiestate processisse decretum, quod si bene perpenditis, vestris vtilitatibus prosit nihil, obsit plurimum. Et vt taceam, quod nisi per inimicorum manus, in eius captionem vel necem vestri causa paratas, ei ad vos iter non sit: quid etiam si pervenire integer possit, in medio bellorum imbellis, quid in medio armatorum facturus est inermis? Magis ille quia sacerdos Dei est, manuum H

A Exod. 14. ad Deum cum Moyse extensione, quam alieni sanguinis effusione, & iram Domini avertere, & Amalech superare consuevit. Quod si longe melius Moyses in monte orationis secretum dante, quam in campo bellis patente hostes populi Dei superare prævaluit: & Episcopus vester, vere quicquid hostis insibilet, vester, multo magis & vobis Patri suo, & universæ Christi Ecclesiæ orationibus & consiliis nobiscum, quam tumultibus & præliis vobiscum prospicere valeret. Videtur hoc non solùm insipientiæ meæ, sed & plurimorum sapientum, & religiosorum virorum sapientiæ: de quibus & Dominus Claravallensis Abbas, qui totum se, vt nostis, negotiis vestris impendit, eidem Domino Albanensi coram Vizeliacensi & Pontiniensi Abbatibus se valde dolere, quod ad partes illas à vobis accersiretur, dixit: Super quo tam ego, quàm plures partium nostrarum personæ, sapientiæ vestræ scribere proposuimus: sed ab ipso Domino Albanensi prohibiti, propositum dimisimus. Festinat enim jussionem vestram, in quantum licuerit, totis viribus adimplere. Vnde & B diversos tanti itineris labores, adhuc diutina illa infirmitate satis debilis aggredi, & Italiam magis bellorum tumultibus, quam montium rupibus exasperatam penetrare disposuit. Serenate igitur, obsecro, erga tantum tamque vobis vtilem ac fidelem virum, si quod vel leviter fuit animi vestri nubilum: talémque vos ei exhibete, qualem eum erga vos pro certo cognovimus esse. Et sicut aliis literis fideli ausu admonui, ita & adhuc moneo: vt si quid forte austerius literæ, quas sæpe mittit, in auribus vestris sonuerint, æquo animo accipiatis, magisque dulcem scribentis affectum, quam scriptorum elementorum verba signetis. Meliora sunt enim, vt me melius nostis, Prov. 27. vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula: salubrior que mordens pietas, quam mulcens iniquitas. Nec magnitudini vestræ indignum est, dicere, quod de vtroq; hoc genere hominum maximus ille Rex & Propheta dicebat, *Oleum peccatoris non impinguet caput* Psal. 140. *meum: sed, corripiet iustus in misericordia, & increpabit* C *me.* Quod ille quidem non facit, sed morem habens in corde & corde non loqui, pium vobis servat affectum in mente: sed quod sibi videtur, severiore demonstrat sermone. Hunc eum loquendi morem habere, longe vobis durius non absens literis, sed præsens verbis sæpe in faciem ipse expertus sum: sed cor vnde illa procedebant cogitans, æquanimiter omnia passus sum. Quis enim non ferat, imò quis non gratias agat: non publice arguenti, sed secreto quasi in cubili cordis commonenti, seu corripienti charitati? Non tamen ille scribens vel loquens, quicquam imperat vt Dominus: sed quæ dicenda sunt humiliter suggerit vt subjectus. Venientem ergo ad vos vel prope vos Episcopum vestrum, eo, quo nostis apud Deum, & apud homines honore dignum, si placet cum honore, & maxime cum illo, quem à vobis promeruit, amore suscipite: vt & illi quod justum est retribuatis, & alios hoc exemplo magis magisque ad vestrum obsequium accendatis. Sed ne in D partibus Italicis hoc tempore, quo in Christi messe pauci sunt operarij, ociose immoretur: oramus, vt si placet eum ad nostras Gallias remittatis, vbi quanto notior, tanto nobis vobisque poterit esse vtilior. Ibi quantam vestri habuerit auctoritatem, tantam ibi vestram operari poterit vtilitatem.

E

## EPISTOLA XI.

*Singulariter venerando, & specialiter amplectendo, Domino & Patri Matthæo Albanensi Episcopo, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, salutem, quam promisit Deus diligentibus se.*

CHristianorum nobilissimus Orator Hieronymus, in quadam sua Epistola: Multa, inquit, in orbe monstra generata sunt. Centauros & Sirenas, Vlulas & Onocrotalos in Isaïa legimus. Iob Leviathan & Behemot mystico sermone describit. Cerberum & Stymphalidas, Aprúmque Erimantium narrant fabulæ Poëtarum. Triformem Gerionem Hispaniæ prodiderunt. Sola Gallia monstra non habuit, sed viris semper fortissimis & eloquentissimis abundavit. At cum tanti viri testimonio expers talium prodigiorum nostra semper à seculis Gallia fuerit: heu! nostris diebus suprascriptis omnibus longe informius F monstrum peperit. Felicia priora secula, quæ ne tam pessimo fœtu deturparentur, diu sterilia permanserunt. Sed nostra tempora, miseranda, quæ infanda fœcunditate detestandam sobolem profuderunt. Habuit ætas illa, licet fabulosè, Evandrum Caci peremptorem, Herculem Cerberi alligatorem, Hydræ eumdem multorum capitum detruncatorem. Portentum vero noviter apud nos exortum, sicut non est qui vinciat, ita non est qui extinguat. Ita omnes qui invisum prodigium, mox vt apparuit, suffocare debuerant, enervati sunt: vt vel nihil mali actum, vel nihil novi ortum esse, suo silentio fateri videantur. Sola pene in vestro solito justitiæ zelo, ultima in vestris viribus spes remansit: quas tanto majores huic negotio adhiberi oportet, quanto magis de vestro auxilio omnium nostrum intentio pudet. Et quia hoc quasi proœmio satis, vt credo, intentum † vos reddidi: ne diu suspensum teneam, queror ego, queruntur fratres nostri omnes, ad quos hoc pervenire potuit, queritur totus Monachicus ordo, & communem injuriam pari querela deplorat. Expulsos à sedibus suis Monachos Virdunenses, Clericos pro eis intrusos, sua deseruisse, aliena occupasse: sola vi, nullo judicio, in messem proximorum falcem misisse, & propriis cultoribus, esurientibus eorum avidissime fruges devorasse. Et quod majus ostentum? Quod detestabilius monstrum? Quod portentosius prodigium? Solebant Clerici diversorum ordinum, Canonici diversarum professionum: & quid de minoribus agam? ipsa Ecclesiæ cacumina, Episcopi dico, consueverant Pontificalem dignitatem pro abjecta Monachorum vilitate commutare, & de summis Ecclesiasticorum honorum gradibus, ad humilem se hujus propositi ordinem inclinare. Nostis & ipse, in quanto apud antiquos Patres Ordo iste honore fuerit: non ignoratis quanto studio eum Apostolica Sedes præ cæteris Ecclesiæ institutionibus coluerit, non latet quantos Deo fructus feracius aliis Christi segetibus protulerit. At nunc nescio quo judicio præjudicium passus, nec sua retinere jam præprævalet: cum aliena sua facere in melius commutando soleret. Contemnitur, expellitur, conculcatur: & jam nec laïcali consortio dignus habetur. Quodque nec de furibus fit, antequam audiatur, condemnatur: antequam sub judice de culpa agatur, proscribitur, ante reatum cognitum, vt reus addicitur. Sed vt adversarij aiunt, fuerint propter mala sua Monachi expulsi, expellendi, arrogaverit sibi fama consentiens judiciale decretum: quid etiam personis peccantib. sanctus Ordo peccavit? Quid aliis delinquentibus, justitia promeruit? Cur cum reis innocentia condemnata est? Cur malis Monachis secundum quosdam expulsis, monastica institutio expulsa est? Vt quid saltem malis illis boni

G † attentos

H

Monachi

Monachi non succedebant? An quia nusquam tales inveniri poterant? O quam innumerabilis Monachorum turba, per supernam gratiam nostris maximè diebus multiplicata, universa penè Gallica rura operuit! vrbes, castella, oppida implevit, quam variis vestibus, institutis, Domini Sabaoth exercitus, sub vna fide & charitate, in eiusdem Monastici nominis Sacramenta iurauit. Aut ergo omnes isti pro expulsis introducendi expulsoribus defuerunt: aut tanta multitudine eis in nauseam versa, inopes eos, vt dicitur, copia fecit. Et ne diu Ecclesiasticis negociis occupatas beatitudinis vestræ aures detineam, rogamus instanter, & nobiscum Dominus Catalaunensis Episcopus, ac multæ aliæ nostri ordinis personæ deprecantur: vt detis operam abstergere ab ordine nostro tantæ dedecus ignominiæ, ne reverentia semper huic professioni ab Apostolica Sede conseruata, vobis Domino Papæ assidentibus depereat: neve tanta, si multa remanserit, iniuria risum inimicis monastici Ordinis præbeat. Nec miremini me vehementius de ista, quam de propriis sollicitari causis, cum communia bona semper maluerim præferre privatis.

## EPISTOLA XII.

*Beatissimis, & singulariter honorandis ac nominandis Dominis ac patribus Carthusiensibus, Domino Guigoni Priori, & cæteris fratribus, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, æternam à piissimo Saluatore Iesu Christo salutem, & à consolatore spiritu plenissimam recipere consolationem.*

Audita, dilectissimi, & vix credita Apostolici numeri, & cœlestis Collegij vestri tam subita & inopinata imminutione: fateor, quasi in extasi raptus diu stupui. Occurrebant mihi, & quasi violenter cordi meo se immergebant, hinc rei novitas, illinc abyssus consiliorum Dei, hinc preciosa in conspectu Domini mors sanctorum eius, illinc mortis eiusdem ex humano affectu dolor: qui etsi sanctorum funeribus non debetur, ex diligentium tamen cordibus ipsa vi dilectionis extorquetur. Sed cum per aliquot dies ista mecum reputans, & quasi cum amicis B. Iob in terra sedens ac mœrens conticuissem: statui dilectioni vestræ mihi semper aurum & topazion charæ scribere, atque statum animi vestri modo quo poteram rescire. Neque enim permitterem Epistolam meam me prævenire, si adeundi sanctitatem vestram mihi aliquatenus facultas data fuisset. Sed cum vniversorum consonaret sententia obstante immenso nimium aggere, neminem ad vos equitem posse ingredi, peditem me posse pergere desperaui. Nam re vera, si vel illud fuisset possibile, non recusassem etiā hoc cum magno labore tentare. Vnde licet quam citius potero hoc me facturum confidam, hunc tamen nuncium quasi subsecuturi præcursorem vobis interim mitto. Et quamvis secundum vulgare proverbium, stolidissimum videatur, humeris ligna ad siluam deferre, & aqua vrceo allata mare infundere: nihil tamen diffusa in cordibus vestris per Spiritum sanctum, qui datus est vobis, charitas potest contemnere, quod ex eiusdem charitatis videatur fonte descendere. Hortor igitur & obsecro, ac mecum quæ Cluniaci Domino Christo seruit, & vobis ex corde compatitur, tota fraternitas deprecatur: ne casum hunc cordi apponatis, ne inde plus iusto doleatis, ne iustorum morte, qua magis gaudere debetis, vos ipsos multis aliis confectos laboribus afficiatis. Nam si res bene perpenditur, non est quod vobis dolorem importet: sed est plane quod ingentem lætitiam subministret. Quis enim dolor illis debetur qui dolorem euaserunt? quæ lachrymæ, qui lachrymarum omnem materiam exuerunt, qui ad vitam illam pervenerunt, de qua in Apocalypsi Ioanni vox de cœlo ait, *Absterget Deus omnem lachrymam ab oculis sanctorum, & mors non erit vltra, neque luctus, neque dolor*? (Apoc. 21.) Quid, inquam illis dolendum est, qui quod diu desideraverunt, nunc tandem consequi meruerunt? Quid sane illi viventes exoptabant, nisi quod Apostolus de se dicit, *Cupio dissolui, & esse cum Christo*? (Philip. 1.) Nam quis viator prolixum iter laboriose peragens, & eodem itinere ad desideratam requiem tendens, tam stultus est, vt nunquam ad requiem pervenire, nunquam asperrimum viæ laborem velit finire? Quis agricola tam durus, vt hyeme vrgente, pluuiis ingruentibus, æstu feruente, terram tantum proscindere, semina serere, nunquam fructus exoptet percipere? Quis negociator terra marique sæpe latrones perpessus, semper pavidus, semper suspectus, multa multotiens flagella vel vulnera passus: non toto affectu animi tantis malis carere, & multo cum lucro patriam parentesque revisere concupiscat? Quis hæres à patre constitutus, non omnis mentis annisu ad concessam hæreditatem pervenire ambiat? Sic plane, dilectissimi, sic vere & absque dubio sic, sic de istis mortuis vestris immo & nostris mortuis est sentiendum, credendum, dicendum: quia & , secundum Evangelium, finita arcta via, quæ ducit ad vitam, perducti sunt ad vitam quæ dicit, *Ego sum resurrectio & vita*: & agriculturæ labore cessante, iuxta Psalmistam *qui seminaverunt in lachrymis, iam in gaudio metunt*: & similes negotiatori quærenti bonas margaritas, multum de negotiatione sua etiam morientes lucrati sunt, qui vnam preciosam margaritam omnia vendentes emerunt, vtpote quibus vivere Christus erat, & mori lucrum, & boni filij ad hereditatem benigni patris moriendo pervenerunt. De qua Propheta, *Cum dederit*, inquit, *dilectis suis somnum, ecce hereditas Domini*. (Matt. 7. Ioan. 11. Ps. 125. Matt. 13. Philip. 1. Psal. 126. 1. Thess. 4.) Vnde oportet, vt ait Apostolus, *non contristari vos de dormientibus, sicut contristantur qui spem non habent*: nec quasi infelicibus eis condolere, sed quasi vt vere est, iam sempiternè beatis toto animo congaudere: quia & valde incongruum videtur sociis vestris in superna lætantibus vos pro eis deorsum dolere. Si quis tamen dolori locus esse potest, hic tantum videtur, quod eis quiescentibus vos adhuc laboratis, quod eorum cursu iam consummato vos anhelantes curritis, quod eis iam victoriarum palmam tenentibus, vos adhuc in certamine desudatis. Sed huic cogitationi facilis occurrit consolatio: quia quod illis iam contulit gloriam, vobis proficit ad coronam. Hoc enim camino, quo illi omni decocta rubigine splendificati sunt, vos etiam non inferius, quia nec eis mitius, immo fortasse durius, quoniam prolixius purgamini. Nam etsi cum eis mortui non fuistis, mortis eorum gladio animas vestras pertranseunte, mortem nequaquam morientes tolerastis: quam idcirco duriorem sensistis, quia cum deficientibus ipsi deficere non potuistis. Fecit hoc Dominus vt vos probaret, vt vos vobis etiam in hoc conflictu fortes aut infirmos ostenderet: vt virtutem vestram mundo ostendendo, infirmos roboraret. Nam quos ante mundus noverat in pace fortes, hos Dei gratia largiente agnoscit in bello constantes. Libet æstuanti erga vos affectus mei desiderio se per verba diffundere: sed negociorum importunitas, ne nimis diffluat, cogit multa breviare. Quapropter quia superno iudici ea via tentationis vos ex parte aggredi placuit, qua Iob iustus tentatus est, & quia tanti vos habuit cœlestis censura, vt ad tanti viri flagella perferenda vos idoneos iudicaret: libeat in subversione cellarum & oppressione fratrum, omni cordis tranquillitate clamare, quod ille à vento deserti domo subversa, & filiis ac filiabus eius ruina extinctis, adorans dixit. *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum.* (Iob. 1. 1. Cor. 10.) Aderit Dominus, qui *non permittet aliquem tentari supra id quod potest*, vt suo tempore aliis in duplum restitutis, sicut ad illum incolumes filij & filiæ, ita

A ad vos nunc extincti fratres revertantur, atque à vobis nunquam dissociandi, in æternum coniungantur. Lætificate igitur nos, non parum vobiscum mœstificatos. Quod continuo fiet, si vos mœstitiam deposuisse, quam citius nobis innotuerit.

## EPISTOLA XIII.

*In cathedra seniorum collaudando, venerabili & dilectissimo Domino, domno Henrico, VVintoniensium Episcopo, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, post honorem Pontificij stola gloriæ indui.*

B Magna multumque amantibus tædiosa terræ marisque intersticia, quæ vestram Britanniam à nostra Celtica Gallia diviserunt, sicut à mutua visione, sic à familiari colloqutione nos hactenus diviserunt. Vnde ego metuens, ne diuturna divisio corporum divisionem quoque pariat animorum: animi mei abdita, quæ verbis non potui literis vobis cõmunicare decrevi. Nam recordatus pristini amoris, & illo eum tempore petere formidans, quo maxime isdem mutuus vestræ charitatis affectus pluribus proficere posset: quando multorum post Deum salus de vtriusque nostrum moderamine pendet, ignem diu sub cinere consopitum ne in toto deficiat, quo possum flabello suscitare contendo. Expectaui quidem, & diu suspensus sustinui, si forte aliquid iocundum a vestris partibus audire mererer: sed vt aliquid vel ludendo dicere liceat, frustra à vestro occidente mihi solem oriri sperabam, in cassum marinos turbines nostri dici obscura serenare credebam, superfluo à lateribus Aquilonis Austrinis flatibus frigora nostra posse tepefieri suspicabar. Sed fortassis, & hunc nostrum ludum dignitas vestra nõ æquo animo acceptabit. Quid igitur faciam? Si seria dixero, gratus non ero. Si allusero, nec sic placebo. Si questus fuero, asper videbor. Si accessero vt laudator, notabor vt adulator. Quod ergo placendi consilium? C Quod, nisi quod ipse dederitis? Date, date, inquam, consilium: & iubentis mandata, mea statim sequetur obedientia. Arbitror tamen, & etiam me scire confido, quid super his vestra mihi præceptura sit sapientia. Et hoc vnde? Quoniam sicut impossibile est, lucem tenebras generare: sic fas non est, sapientem aliquid sapientiæ contrarium iubere. Inde certum mihi est, quod nec alludentem, nec querulum, nec adulantem quæ supra posui me esse cenßebitis: sed veri fidem amici à me vobis servari mandabitis. Fateor, iam quasi ab ore vestro prolatum verbum suscipio, & hoc me servaturum, si mihi idem repensum fuerit, modis omnibus repromitto. Teneor iam sponsione mea, & ipse mihi libens quæ nunquam excutiam, vincula inieci. Fidem veri amici me vobis servare promisi. Quod si ita est, falsi amici perfidiã me expedit detestari. Falsus vero amicus essem, si in corde & corde loquens, aliud mente tegerem, aliud ore proferrem. Vnde quia inter amicos omnia nuda, nihil vltra illi tegere disposui, cui omnia etiam intima revelare proposui. D Familiari ergo ausu conqueror, excellentiam vestram citius iusto dudum adversum me commotam fuisse, & pro re levissima fixam amicitiæ gravitatem mobili facilitate commouisse. Nostis ipse quid hoc fuerit, quod hac de causa reticeo: quia nec memoria dignum esse iudico. Hoc non dico vile vel leve, sed nihil prorsus fuisse ostenderem, si literarum prolixitatem propter legentis fastidium non vitarem. Quod igitur nec gravi causa extante fieri debuisset, nulla præcedente materia factum est: & cor magni illius & singularis amici in contrarium versum est. Vnde qui nihil talium merueram, multa pertuli: & quem intimum amicum credebam, ex insperato hostem persensi. Hostem autem voco non mala inferentem, sed bona denegantem: non inimicitias effectu ostendentem, sed affectum amicitiæ subtrahentem. E Nec ego replico frequentes querelas, quibus aures legatorum nostrorum in Angliam transfretantium implere consuestis: nec monstruosa illa, quæ apud Charitatem in nos commissa sunt, memoro: quorum ipse altor, non defensor, vel certe mediator esse debuistis. Ista, inquam, & si qua sunt alia, taceo, nec quem mihi laboro placare, videar forsitan provocare. Ad hoc solum tota querela mea concurrit, quod me anno præterito per multum temporis in Anglia morante, vobiscum pene iugiter adhærente: habere vos sinistri aliquid adversum me minime dixistis, & hoc tamen in corde continuistis. Multa de multis inter nos conferebantur, hoc profundo silentio tegebatur. Nihil aliarum rerum à nobis familiaris sermo vester abscondebat: hoc nescio quid meditans mens vestra summo studio in intimis recondebat. Impendebantur à liberalitate vestra innumera mihi nostrisque beneficia: sed hoc vnum, quod pro munere duceremus, tenax celabat conscientia. F Et quid multa? Oportet vt materiam verborum fertilem, brevis sermo coartet. Sit iste, si placet, mutuarum finis querelarum. Indulgeo ego prior absque aliqua pœna, multa quæ in me non iuste commissa sunt. Indulgentiam & mihi, etiamsi non peccaui, postulo. Pœnam vero peccatorum pro velle fomendam, potestati vestræ concedo. Scio regij sanguinis animum, cum se vicisse cognoverit, tunc multo magis victum. De cætero me & totam Cluniacum melius quoque quam VVintoniam possidete: & nostræ amodo Pater patriæ, Rector, Abbas, & Episcopus estote.

## EPISTOLA XIV.

*Intimo amico suo, domno Stephano. Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, Salutem quam sibi.*

Anima mea iam de vestra, vt de sollicita, pro salute illius meditando, loquendo, scribendo, G requiescere nescit. Cœpisti, charissime, cœpisti currere, non desistas. *Omnes currunt, sed vnus accipit bravium. Sic curre, vt comprehendas.* Vide ne latro 1.Cor.1. malignus impediat iter tuum. Non enim tu de Hierusalem in Hiericho descendere, sed de Hiericho ad Hierusalem cœpisti ascendere. Sed facilis, vt ait quidam, Virg. vi. Æneid.

*— descensus Auerni,*
*Sed revocare gradum, superasque euadere ad auras.*
*Hic labor, hic gemitus, —*

Istud ad quid? Vt sapienter advertas, ad vitia demergentia in interitum pronam esse humanam naturam: ad virtutes sublevantes ad cœlum difficulter se attollere humanam segnitiem. Nam fugiens laborem, appetens requiem, supponit brevem parvumque laborem doloribus perpetuis: præponit voluptatem horariam 1.Ioan.2. delectationibus sempiternis. At non ita amator æternorum, non ita auditor Apostoli dicentis, *Et mundus transit, & concupiscentia eius.* Sed quia multa de his tecum contuli, & plura in proximo collaturum me spero, longam Epistolam iam facere nolo. Maxime vero, quia H iam spiritum Dei tibi locutum sensi, & cor tuum plene tetigisse cognoui. Hoc tantum cave, ne gratiam eius in vacuum accipias, nec eundem spiritum à Deo tibi datum extinguas. Veni ergo ad me cito, sicut & tecum condixi, & postmodum remandaui: ut si qua adhuc de his sunt dicenda, dicantur, & quæ implenda, impleantur. Hac prima hebdomada Quadragesimæ, & sequenti, me Cluniaci dilectio tua inveniet.

A

## EPISTOLA XV.

*Charissimo amico nostro domno Hugoni Catulæ, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, salutem & multum amorem.*

MAgno dilectionis affectu, quo erga vos teneor, compulsus, non possum de salute vestra non gaudere, & de periculo dolere. Nostis, qua cathena non mihi, sed Deo, immo quod verius est, mihi propter Deum astrictus teneamini: cum nullo cogente, sed spiritu Dei inspirante, corpus & animam vestram coram testibus in manu mea mysteriis cœlestibus consecrata posuistis, vos ipsum in monachum pro arbitrio meo tradidistis, in signum redditionis comam à me præcidi & servari voluistis: habitum religionis die constituta Cluniaci vos suscepturum iurastis. Et nunc, vt audio, contra divinam sententiam, quæ dixit, *Non periurabis, reddes autem Domino iuramenta tua*, & contra Prophetam, qui ait, *Reddam tibi vota mea quæ distinxerunt labia mea*, Hierusalem ire disponitis. Sed quis sapientem in tantum posse desipere credat? Credat, credat qui voluerit, ego me penitus credere diffiteor. Indignum est vt de tanto tamque gravi & veraci amico, ea à me credantur quæ de quolibet scurra credere vix quilibet posset. Sed quia, licet sapienti, laico tamen & militi loquor: debeo his, quæ versari in corde vestro rationabiliter videntur, respondere. Fortassis enim apud vos dicitis. Quæ vita quod opus, quæ conversio, sepulchro Domini potest componi? Ad quod si quis ierit, quid simile facere poterit? Ad quod ego. Minora pro maioribus bonis possunt dimitti, pro minoribus autem maiora, vel pro paribus paria nunquam debent immutari. Maius est vero Deo perpetuo in humilitate & paupertate servire, quam cum superbia & luxu Hierosolymitanum iter conficere. Vnde si bonum est, Hierusalem, vbi steterunt pedes Domini, visitare: longe melius est, cœlo, vbi ipse facie ad faciem conspicitur, inhiare. Qui ergo quod melius est, promittit: quod deterius est, pro meliore compensare non potest. Nam si cuilibet centum promisistis solidos, salua sponsione ducentos potestis reddere: sed solos quinquaginta sine prævaricatione nullo pacto valetis exoluere. Tractate ista sapienter, & cavete ne vnde Deo placere festinatis, inde graviter ei displicere incipiatis. Rogo igitur, vt cum præsentium latore vero amico vestro venire acceleretis: vt quod his literis nolo mandare, vivo vobis sermone valeam intimare.

B — *Matth. 5. Psal. 65.*

C

## EPISTOLA XVI.

*Charissimis & honorandis fratribus nostris, Prioribus Obedientiariis, & aliis per diversas terrarum partes diffusis, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, salutem & æternam à Domino benedictionem.*

D

SI vestræ charitatis affectus, si viscera pietatis, si vbera misericordiæ erga me qualemcumque servum vestrum & ministrum vigent, nunc precor experiar. Vnde absens corpore præsens spiritu, pedibus sanctitatis vestræ toto mei cordis affectu prosterno: & vt à vobis audiri merear, quantis possum precibus imploro. Ancilla Dei carnalis mater mea, spiritualis soror vestra, Marciniacensis monacha Raingarda, post diutinam & optimam cum sanctis sororibus conversationem, secundum Domini voluntatem, vij. Kal. Iulij commune debitum mortis in sancta confessione exoluit. Quæ quoniam dimissis omnibus ad vos specialiter de seculi naufragio confugit, & in vobis totam spem salutis suæ reposuit: non solum meis precibus, sed & ipsius devotioni debetis, vt animæ illius ad æternum translatæ iudicium succurratis. Orat ergo & per filium mater, & pro matre filius: vt tricenarius Missarum ei per loca vbi possibile fuerit, persoluatur, & xij. pauperes reficiantur. Reliqui sacerdotes duas pro eius requie Missas decantent, absque officio & Missa generali, quæ iuxta morem agitur: & exceptis his quæ charitas Dei diffuderit in cordibus vestris, per Spiritum sanctum, qui datus est vobis.

E

## EPISTOLA XVII.

*Charissimis fratribus & filiis, Iordano, Pontio, Armanno, Frater Petrus humilis & indignus fratrum Cluniacensium Abbas, fraternum vt fratribus, paternum vt filiis dilectionis affectum.*

F

INuestiganti mihi diutissime, & sollicite huc illucque circumductis oculis disquirenti, quibus communicare cordis mei secreta, vel apud quos animi nuper conceptum dolorem exponere, & si fieri posset, etiam deponere valerem: nemo iustius occurrit quam vos, quibus & eadem causa mœrendi, & communis est mecum materies mœrorem solandi. Adhibete animos, & affectus vbi vbi dispersos pariter congregate: nec legendum negligenter putetis, cui non solum vestra studia, sed etiam vosipsos debetis. Non debet aliqua cordium vestrorum portio rei, de qua nunc agitur, quibuslibet impedimentis deesse, per quam vos divinitatis dispositio perduxit ad esse. Regresso mihi nuper à Pisano Concilio, post multa, quæ in illo itinere incommoda provenerunt: omni mœrore tristior nuncius occurrit, & alternas confabulationes, quæ de euasione periculorum, de incolumitate sociorum, de aliis prosperis eventibus, vt mos est, cum gaudio proferebantur, repentino suo adventu turbauit. Nam inter loquentes taciturnus assistens, inter lætantes nubilum mœroris indicem vultum prætendens ad me propius accessit, & funereas literas mihi nihil tale suspicanti ingessit. Ego, vtpote qui nuncium domesticum agnoscerem, & vnde esset scirem & a partibus illis nihil mihi sinistri nunciari posse præsumerem; velut securus Epistolam à notis missam suscepi, & quasi optima referentem citato eam oculo percurrere cœpi. Cumque præmissa salutatione ad sequentia festinarem, subito quasi trabea mole repulsus hæsi, velut saxo caput percussus obstupui, sicut acri vulnere telo transfixus ingemui: quando beatæ matris meæ celerem, & velut furtivum de mundo recessum, litera silenter loquente cognovi. Tunc nimia doloris vi pectus vrgente, & literis antequam eas perlegerem lachrymarum nimietate humefactis, à loco, quem iam exosum habebam, cito surrexi, & secretiora petens aliquanto liberius gemitu, & fletibus impatienti ad horam animo satisfeci. Inde cum vltra modum mœror procederet: meoque iam contempto imperio, etiam à magnis, quæ aderant, personis consolari renuerem, nox supervenit, & quod alij non poterant, quiete sua doloris quantulumcumque magnitudinem sedauit. In crastino dilectam animam pro Redemptori commendaturus, ad altare accessi: & sacrificium spiritus contribulati salutari hostiæ adiungens, repropitiari eius excessibus divinam clementiam imploraui. Aderant in comitatu nostro venerabiles & præcipuæ dignitatis viri Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, sapientes clerici, religiosi monachi, Remensis, Rothomagensis, Trecensis, Constantiensis, Sagiensis: & alij quamplurimi de diversis partibus terrarum congregati. Hi supradicti Concilij occasione itineri nostro indissolubilis socij adhæserant, & ab eadem Synodo mecum pariter redibant: horum benigna consolatione, & maxime illorum reverenda societate compulsus, ne mœstitiæ meæ nubilo

G

H

A nubilo tantorum virorum serena iocunditas offuscaretur, violenter tandem me mihimetipsi subegi, & verum comprimens mente dolorem, fallacem sciens sociis *sanct *hilaritatis repente vultum exhibui. Qua mea permutatione & ipsi mutati, qui prius cum dolente doluerant, me consolatum rati, gaudenti pariter aggaudere cœperunt. In hoc simulatitio alacritatis gaudio, postquam quod reliquum erat vitæ spatium emensum est: ipsis, vt decebat, Cluniaci solenniter exceptis, ego Marcieniacum, valedicens eis, velociter profectus sum. Nam & hoc mihi stimulos adaugebat, & quasi sæuius infl(i)cto vulnere conscientiam cruentabat: quod illud lumen meum me inviso, absente, insalutato, extinctum fuerat. Vnde quod dum adhuc spiraret, saltem in extremis, heu; videre non meruerem: iam subtractum ab oculis, clausumque sepulcro, vel lachrymis rigare quærebam. Veni ergo, & magnum illum, ac sacrum B ancillarum Dei gregem, mœstitia mortis eius penè cum ea sepultum inveni. Fuerat illa cum cœlesti illo sanctarum sororum collegio per viginti fere annos sic conversata: vt sicut earum singultus, gemitus, luctusque fatebantur, pene maluissent ei commori, quam ea subtracta vivere. Mugiebat Ecclesia beatæ Virginis matris, ad quam primitus pro more orandi causa diverti. Mugiebat, inquam, & velut exitium omnibus immineret, suspiriis illarum & singultibus respondebat. Putabam me solum filiali tantam matrem affectu diligere: sed dum eas attenderem, omnes eius cogebar filias iudicare. Augebant ipsæ luctu suo meum mœrorem, & dum eam gratis solo pietatis affectu deflerent: quid ego naturæ, quid Deo deberem, docebant. Tandem luctuosa oratione finita agendam incepi, & velut tunc defungeretur, quia prius non potueram, tunc vniversa de more compleui. At vbi ad commune colloquium ventum est, explicare non possum tantam piarum ingeminationem querelarum. Nam vt innumera taceam, quæ nec referre, nec recolere facultas est, hæc se matrem, illa filiam, ista sororem, ea famulam, se amisisse testabantur. Dicebant hanc tristium fuisse solamen, infirmatum robur, debilium baculum, indigentium auxilium, & ad postremum C necessitudinum omnium supplementum. Obmutuerant diversa negocia causarum, nec de ipsis quotidianis necessitatibus tractabatur. Vna totum monasterium lingua, defunctam Dei famulam loquebatur. Nec ista tantum in sacri loci penetralibus agebantur: exteriora quoque & adiacentia omnia consimili querimonia murmurabant. Pauperes, quibus semper pro posse munifica fuerat, vitæ subsidia sibi periisse gemebant. Circumposita sanctimonialium pauperrima loca, quibus sæpe conferre consueverat, quod sibi subtrahere solebat, velut suam matremfamilias deflebant. Milites ipsi & laici, quibus pro officio respondere & servire cogebatur, iam se Marciniacum nescire dicebant. Sed quid multa? Induerant vniversa mœroris vultum, & tota facies monasterij tenebroso quodam pallore horrebat. Non cessabat tamen sacer Conventus ab oratione: & Deo singulæ, Deo omnes dilectam animam commendabant. In crastino Capitulum ingressus, priusquam pene os ad loquendum aperirem, D iterato gemitu cuncta protinus impleuerunt: & quicquid à me vtcumque dictum est, totum vberrimis lachrymis perfuderunt. Absolui tandem pro officio matris animam, quam ipsæ lachrymosum amen respondendo, ad vitam absque dubio perduxerunt æternam. Inde cum vniversis Ecclesiam ingressus, salutaria rursum pro ea sacramenta obtuli: ac postmodum ad eius sepulchrum accedens, super venerandum corpus solemnem cum oratione absolutionem dedi. Cumque & animæ requiem, & corpori ad vitam implorassem resurrectionem: beatæ matri infelix filius valedixi, & sic ab illa non animo, sed corpore tantum recessi. Exacta itaque Marciniaci triduanæ mœstitiæ sepultura, tertia iam die velut de morte resurgens, animam resumpsi, ac loco egressus, vobis ô charissimi E mei, hoc communis matris lamentabile Epitaphium scribere decreui. Elegi vos ex millibus, quibus mecum collachrymandi eadem possit esse affectio: quibus non dissimilis mecum probatur esse conditio. Volo igitur vnius matris filios, secum pariter eius funus deflere: ne qui flere noluerit, eius se indicet filium non fuisse. Nolo, nolo, vt luctui nostro se quilibet importunus consolator immisceat: vel Apostolicum testimonium velut pro se faciens prætendat, quo ait, *Nolumus vos ignorare, fratres, de dormientibus, vt non contristemini.* 1. Thes. 4. Quod si dixerit, respondebo Apostolum hunc istis intellectum abstulisse, & quod dixit sub distinctione protulisse. Nam postquam dixit, *non contristemini*, subiecit, *sicut & cæteri qui spem non habent.* De infidelibus ergo, non de fidelibus sermo erat; qui putabant cum corpore animam interire: qui dicebant nulla post mortem meritis præmia superesse, F qui carnis resurrectioni consueverant derogare. Flebant illi mortuos desperantes resurrecturos, flebant charissimos: nunquam se eos existimantes in æternum visuros. Ea de causa fletus spei Christianæ contrarius Apostolico mandato desiccandus erat, infidelis tristitia à fidelium cordibus expellenda: fides resurrectionis vehementius commendanda. At non noster talis fletus, quem fundimus: non futurorum desperatione, sed naturæ compassione. Non noster talis dolor, quem generat non fidei defectus: sed nulla lege prohibitus mutuæ germanitatis affectus. Hoc fletu antiqui iusti carnis proximos defunctos fleuerunt, hoc dolore magni Patriarchæ charorum suorum funera prosequuti sunt. Hinc de Isaac dicit Scriptura. *Introduxit Rebeccam in tabernaculum Saræ matris suæ, & intantum dilexit, vt dolorem, qui ex morte matris acciderat, temperaret.* Gen. 24. Quis ergo nos, charissimi, prohibeat super pia sanctæ matris morte dolere: cum audiat tantum patrem de propriæ matris occubitu doluisse? Quid si & pij patris piissimus filius Ioseph in medium adducatur, de quo legitur, quod mortuo Iacob ruit super faciem patris flens & deosculans eum? Genes. vlt. Cuius corpus cum de Ægypto tulisset, in terra Chanaan humasset: adiunctis fratribus & Ægyptiis comitantibus planctu magno atque vehementi septem diebus exequias celebrauit, Chananæis dicentibus. Gen. vlt. *Planctus magnus est iste Ægyptiis, locoque nomen imponentibus, planctus Ægypti.* G Sed nec ille singularis inter primos Patres Rex & Propheta David nobis deerit, qui sciens quod naturæ deberet, cum prius admirabili charitate extinctos inimicos planxisset: fratricidam, & insuper patricidam filium operto capite lugebat, dicens. 2. Reg. 18 *Absalon fili mi, fili mi Absalon quis mihi tribuat, vt ego moriar pro te?* Sed quid istos velut solitarios replico: cum omnium veterum mos fuerit ex naturæ benignitate descendens, quoslibet affines vel maiores de medio factos *functos deflere, & publico luctu eorum exequias celebrare? In quo societatis humanæ quædam reverenda concordia commendabatur, quæ piis mentibus esset quoddam desolationis solatium, & ad æterna disquirenda magnum ex defectum præsentium incitamentum. Hoc affirmat & liber Sapientiæ in quo dicitur. *Fili super mortuum produc lachrymas: & velut dira passus incipe plorare.* Eccl. 38. Non est ergo contrarium fidei, non H dissonans ab Ecclesiæ moribus: si super piorum funera pij homines pia intentione compunguntur, & quo ipsi demigraturi sint, velut quodam præludio perloquuntur. Nam in eo quod alios mortuos plorant, se quoque mortales factos deplorant: à qua misera mortalitate se per Christi gratiam erui, & ac beatam immortalitatem perduci, huiusmodi oratione exorant. Quod si ad Evangelium stylus transferatur, apparebit non frustra dictum beatæ Virgini matri. *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Luc. 2. Qui eius animam non pertransisset, nisi ineffabiliter quodam humanitatis affectu, de morte Dei & sui filij doluisset. Quæ licet non dubitaret mortem filij sui esse vitam mundi: cum tamen dirè doluit morientem, quem mirè noverat à morte

homines

A homines erroentem. Maneat ergo inter nos, ô dilectissimi mihi, occultus nostræ deplorationis affectus: & his exemplis beatos matris cineres defleamus, sitque iam delectabile quod fuit lamentabile: vt quæ nos viuens peperit cum dolore ad præsentem miseriam, iam carne mortua pariat cum iocunditate ad sempiternam gloriam. Pariet, inquam, animas precibus, quæ vt dixi, nostram carnem peperit cum doloribus: sitque illi hoc ad singulare refrigerium, cum eos, quos ex se mundo protulit, cælo quoque secum intulerit. Audeo & de ipsa hoc dicere, ne quis hoc me temere iudicet affirmare: quoniam & conuersio eius à mea opinione in nullo dissentit, & conuersatio ipsius mecum nihilominus per omnia sentit. Talis enim extitit, quæ, inquantum homini cognoscibile est, & sibi sufficere, & alios debet adiuuare. Veniat ergo tantæ feminæ conuersatio admiranda in medium, vt ea cognita me vera dicere cognoscatis, & animos mœstitia exasperatos

B iocunda lectione, & mutua collatione leniatis. Erit hoc absentis & defunctæ matris quædam viuax præsentia, & imago verorum æmula a cordis nostri penetralibus non recedet, qua nec post occasum vobis occidere nec post tumulum valeat interire. Cogit ipsa rei vtilitas, de qua agitur, non silere: ne si dicenda tacuero, tantam vobis materiam videar inuidere. Non debet alicui nostrum aliquid fieri singulare: quibus non solum charitas, sed etiam natura totum voluit esse commune. At ego nec claritudinem possessionis, nec quantamlibet in ea commendandam suscepi gloriam carnis: quarum illa rerum multis superior, paucis inferior erat, sed deuotum Deo animum, mundi contemptum, cœlestium appetitum. Ad quæ vt compendiosius transitum faciam, cum in flore fœni adhuc recubant, iuncta esset viro, alligata mundo: ad ea velut captiuus ad libertatem, vinctus ad solutionem, exul ad patriam suspirabat, & se coniugali vinculo præpeditam, hominibus ignoto, Deo cognito mentis

C angore deflebat, ea de causa cum ciues ciuitatis illius cui inhiabat, vel ad quam suspirabat forte occurrissent, adorabat, suspiciebat, colebat: & abiecta omni domestica & mundana cura, se totam in eorum affectus, & obsequia transfundebat. Suscipiebantur monachi, trahebantur heremitæ, & omnes habitu vel fama religionis ornati, passim ad hospitandum, etiam cum resisterent, cogebantur. Non audebat iam quilibet talium per terram eius iuri funditam commeare, quin ad eam diuerteret, & vno die vel pluribus apud ipsam manendo, deuoto erga diuina animo satisfaceret. Flebat remotis arbitris coram notæ sanctitatis viris, & profundos gemitus profundebat, quod à lege viri nondum soluta, seruire seculo cogeretur, aliorum curam gerere, sui neligere: exterius tumultibus implicari, interius occupationibus impediri, præsentia amplecti, futura contemnere, & iram sibi in die iræ malis innumeris thesaurizare. Hæc dicens prouoluebatur ad genua sanctorum, & velut cum Maria peccatrice, pedes eorum lachrymis abluebat. Orabat eos, vt pro se ad fores æternæ misericordiæ instanter pulsarent: quatinus quæ per se audiri non merebatur, eorum precibus mediantibus audiretur. Producta est eousque talis intentio, nec à cœpto cursu potuit fatigari: donec fa-

D moso illi Roberto de Brussello ad se venienti, & se cum aliquandiu moranti, impulsa violento æstu animi se in monacham ignorante viro redderet: vt eo defuncto, vel concedente, statim ad fontem Ebraudi, si superuiueret, demigraret. Fecit hoc, & timori Dei, quem conceperat, velut inferiori mole superiorem adiungens, beata spe Domini misericordiam expectabat. Et ne coniugem, cui idem quod sibi debebat, tanto charismate fraudare videretur, eum adit, occulta detegit, secreta pandit, horrenda æternæ mortis mala intentat, optanda vitæ æternæ gaudia commendat, prædicat fallacis mundi contemptum, obsecrat celerem ab eo recessum. Tandem tanti dux femina facti, ad hoc maritum impellit: vt Deo sibi vitam largiente,

E congruo tempore se cum ea velle renunciare spoponderet. Quod si alterutrum prius obire contingeret, superstes statim votum vtriusque compleret. Nam nec ipsi in toto expers diuini timoris vixerat, fide singulari vigens, orationes frequentans, sepulchra sanctorum annuatim disquirens, eleemosynis insistens, hospitum indiscreta susceptione, vltra quam dici possit, exultans. Hoc inter coniuges pacto firmato, cum innumeris, & maximè præliis vtriusque deuotioni obuiantibus, res protraheretur, superuenit mœroris dies, quo coniuge de vita sublato, sicut turtur socio viduata remansit: in quo casu qualiter se habuerit, quam virili tantum infortunium animo tulerit, quam fidelem se viro coniugem, quod perrarum est, etiam post mortem, ostenderit, si narrare incipio, deficio, si aggredior, vincor; si conor, deiicior. Credite, charissimi, vereor verba mea, & cogitans quæ dicenda, &

F qualiter sint dicenda, penè acceptum desero. Sed quid agam? Ignorantia prohibet, amor impellit, materia deterret, charitas adhortatur, pondus premit, natura instigat. Sed meo hic iudicio magis timenda est inutilis taciturnitas, quam quælibet incompta loquacitas. Dicatur ergo vtcunque, quod prope nefas esset silere. Decumbente illo, assidebat lecto immota, suique oblita, nisi eius salutem meditabatur. Ad quam procurandam totis mentis facibus ardebat, à qua ne vel in modico infirmantis intentio auocaretur, ab omni cura corporali eius primo animum absoluit, testamentum eo præsente composuit, lites diremit, hæredes instituit, castra diuisit, & ad vnguem vniuersa perfecit. His ita ordinatis, vt animæ suæ iam liber à corporalibus consuleret, velut de quadam docentis cathedra me audiente admonebat, vt conscientiam scrutaretur, peccata confiteretur, sua pauperibus & monasteriis largiretur: tremendum esse Dei iudicium, multam eius misericordiam, spiritui absolutionem, corpori prouideret, dum adhuc viueret, sepulturam. Intona-

G bant clamoribus omnia, luctu & lachrymis vniuersa miscebantur: confusæ populorum voces cœli altissima quatiebant, filiorum corona, familiæ multitudo, nobilium caterua mœsta gemebat: sola mulierem excedens siccis oculis virili constantia perdurabat. Iudicabat satius esse occupare animum vtilitate morientis, quam sociari populi fletibus inutiliter abiecta ratione dolentis. Vnde postquam confessione munitum, corpore Christi refectum, monachali cucullo indutum, gaudens pariter & mœrens præmisit: corpus eius innumera hominum præcedente & subsequente multitudine Celsinanias detulit, ac eum monachis inter monachos vt monachum tumulandum contradidit. Ita terræ terram commendans, & velut quoddam depositum suo tempore restituendum committens, ad procurandam requiem spiritui totam operam conuertit, & amoris stimulis agitata, vniuersa perlustrat, prouincias oberrat, Ecclesias visitat, monasteria circuit, exhaurit in pauperes ærarium, facit sibi amicos de mammona iniquitatis, nefas putat, si quem nisi munere donatum relinquat. Orat pro defuncto, orat & pro seipsa: vt & illi peccatorum remissio, & sibi detur à peccatis conuersio. Ordinat interea fugam, & mundo nouis rursum retibus gressus eius impedire quærenti spe remanendi data beata fraude illudit. Nam ma-

H gnis amicis monentibus vt demum nuberet, posse se magnarum opum & potentiæ copulam inire, maiores rerum successus in promptu adesse, ita respondit. Et quidem facio quod consulitis, & quam in breui potero, nouos thalamos iteratò nupta intrabo. Tali responso velut alta curantem diabolum deludens, & condigno talione fallaciæ principem fallens: prædam quam ille iam faucibus se continere credebat, hæc furari & subripere qua poterat arte, curabat. Celat ergo imo in pectore salutis suæ arcanum, & quasi raptoribus thesaurum abscondit: vt ab omnibus posset esse tutum, quod omnibus maneret occultum. Sed quia aliquorum agenda egebat auxilio, duobus tantummodo

mysterium

A mysterium aperit, quorum nota fides & constantia credenda eis omnia suadebat. Vni, qui laicali licentia vivebat, omnem vt strenuo fugæ apparatum committit: alij probatæ religionis monacho spiritualia secreta prodit. Constituitur dies, quo de Ægypto exeat, quo graui diu fasce depressa, à iugo Pharaonis colla subducat. Sustinentur spe libertatis iam leviora Ægyptiorum onera, & opera lutosa in breui commutanda feruntur. Expectatur novum Pascha, quo abiecto fermento malitiæ & nequitiæ epulari liceat in azymis sinceritatis & veritatis. Et, ô quanta interim dissimulationis arte mentem vultu velabat, quanta de se seculo promittebat, quam hilarem se, etiam plus solito, quibuslibet exhibebat. Videbatur se totam seculo devouisse: & nunc magis quam ante secularibus commodis inhiare. Sed in abscondito Deo canebat. (Psal. 37.) B *Domine ante te omne desiderium meum: & gemitus meus non est à te absconditus.* Appropinquabat optatus dies, & fervens spiritu animus requiescere nesciebat. Nocte itaque diem mundi vltimam præcedente, Nicodemum æmulans nocturna advenit: & ô inaudita devotio, sepulchrum coniugis adiit, & clam vniversis, præsente tantum iam dicto monacho, se contra illud proiecit, & lachrymarum fonte laxato, largis illud imbribus inundauit. Deflebat in conspectu pij conditoris primo defuncti excessus, deplorabat & proprios infinito cum mœrore reatus. Satiato dehinc post multum noctis spacium luctuosis planctibus animo, ad confitendum conversa, ordiri ab initio & narrare vniversa coniugis, & deinde propria peccata seu crimina cœpit, & confitendo ad mediam vsque fere noctem processit. Loquebatur velut ore defuncti, & quasi commutatis personis in coniuge vir pœnitebat. His ita expletis, & veteri peccatorum fœce penitus exinanita: obsecrat vt se omnium criminum ream, sacerdos & Vicarius Christi, vt vulnera animæ suæ patefecerat, duris medicinæ legibus subdat, & apud Marciniacum perpetuo pœnitentiæ carcere claudat. Hunc enim supra- C nominato fontis Ebrandi Monasterio prætulerat, quoniam & venerabilis Robertus, cui se devoverat, iam vitam mortalem excesserat, & post primum claustri ingressum more illarum Sanctimonialium extra pedem protendere nefas ducebat. Horrebat plane saltem cernere, quod ei iam cœno deformius sordebat, & non superbo, sed superno animi fastu terrena omnia vt abiectissima contemnere incipiebat. Ideo præ cæteris locis sacris Marciniacum elegit, vbi velut columna cœlesti apta ædificio, immobilis perpetuo permaneret: & proprium præ oculis semper habens sepulchrum, vt mortuam se continua lamentatione defleret. Nec timuit mutatæ sponsionis notam, quando mutati loci occasio, eius extitit aucta devotio. Nam licuit ei locum eligere, vbi Christo tenacius posset inhærere. Suscepto dehinc à monacho, quod ipsa sibi paraverat grauis pœnitentiæ iugo, à terra mente simul & corpore surgit, & ipsis nocturnis tenebris celans opera sua, ac coniugi sepulto vltimũ vale dicens: ab eius sepulchro ipsa iamiamque sepelienda D recessit. Electo deinde sapientium quorundam & nobilium comitatu, vt consueto more ea quæ mundi sunt sapere videretur, velut Cluniacum itura, & sanctos fratres pro viro rogatura, patrium solum deserit, & alienos fines peregrinando ingressa, Cluniacum sicut dixerat, contendit. Quo devota perveniens, & quantum sibi ac loco congruere iudicabat, de suis largiens, impletis omnibus quæ proposuerat, festina redit. & votis iter prævenientibus, tandem Marciniacum, inde Paradisum ingressura ingreditur. Suscepta est immenso fratrum & sororum gaudio, qui nescientes quid animo gereret, vt novam hospitam multo eam honore colebant. Erat tunc domus illa valde rebus necessariis attenuata: vtpote quæ ferè centenarium sororum numerum continebat, & quoslibet advenientes indifferenter propriis sumptibus procurabat. Erat & angusta loci possessio, & redditus agrorum

E vix parvo numero sufficiebant. Tunc & sub Domino Gaufredo Semmurensi erat Gerardus loci sollicitus procurator: de cuius devota & sincera conversatione in libro Miraculorum primo plenius memoraui. Is sicut erat totus divinis operibus & sacris cœlestibus celebrandis perpetuo occupatus: quibusdam virtutum viris, quos ipse noverat, sibi associatis, aures misericordis Domini precibus impleuerat, vt domum suam visitaret, & sibi servientibus necessaria provideret. Hic quodam die dum Altari astans, Missam de more celebraret, sicut ipse, Christum verbi sui testem adhibens, affirmabat: vocem ad se delapsam audivit in hunc modum. Quod petiisti, noveris te consecutum. Inde cum nocte more solito cubitum isset, aspexit, vt referebat, in somnis, & ecce columba niueo candore decora ad eum accessit: & supra atque in circuitu volitans, F eum ad se capiendum quodammodo volatu domestico invitabat. Quam ille manu comprehensam, gaudens Hugoni sororum Priori offerebat. At ille lætus eam suscipiens, fractis, ne auolare posset, alarum remigiis lignea cauea includebat. Hæc qui referente Gerardo audierunt, de ipsa interpretati sunt: quæ vera fuisse, ipse rerum exitus indicauit. Nam superveniente die sacri loci penetralia introgressa, convocato monasterij Priore, accersitis sororibus, adhibitis etiam ad inspetatum spectaculum sociis, hæc ad eos orsa est. Diu, charissimi, communi lege vivendi socios nos mortalis vita habuit, & ab ipsis infantiæ cunis ad ævum iam fere senile perduxit. Percurrimus omnia, lustrauimus oculis vniversa, probavimus quæcunque gratiora promittere potuit, nec aliquid horum quæ coram cernuntur, curiosa sagacitas intentatum reliquit. Divitiarum copia, parentum turba, amicorum populus, alti sanguinis decus, ampla potestas, carnis voluptas, superbia vitæ, nil in terris extra se quærere suaserunt. Nihil ergo in imis vltra nobis restat quærendum. Invenimus quicquid terra promittere, quicquid reddere potest. Sed videte, si ista nobis sufficere possunt. Multum viximus, sed sic G est, quasi nec momento temporis vixerimus. Plura habuimus, sed quæ iam habita transierunt, nostra iam dicere nullo pacto valemus. Carnem oblectauimus, sed nec quamlibet paruas reliquias delectationis tenemus. Nunquam igitur ista nos satiant, sed quanto magis his inhianter vescimur, tanto magis nos ieiunos sui saturitate dimittunt. Vnde quærenda sunt alia alibi remedia, quæ esuriem reficere, sitim extinguere, egestatem valeant propulsare: instigat ad hæc infida mundi amicitia, quæ illos tantum decipit, quos in se spem posuisse cognoscit. Et vt de proximo exempla sumantur, quid coniugi nostro tanta de vobis merito, qui vobis arma, qui equos, qui pecunias, qui terras largiebatur, vos fidi, vos intimi, vos præcordiales amici, saltem sine corporalibus expensis defuncto retribuistis? Quem pro eius æterna requie exorastis? Quem sanctorum adistis? Quem monachorum rogastis? Quam vel modicam eleemosynam erogastis? Cumque respondissent, se verè nihil horum fecisse, H adiecit. Doctores, ait, mei effecti estis, & quid agere, vel quid cauere debeam, indicastis. Non potero à vobis amodo expectare, quod tanto vestro Domino & amicò vos video denegasse. Stultum esset in homine vltra spẽ ponere, cum nec in amicissimis spẽ quilibet valeat invenire. Agendũ mihi est pro meipsa, nec in alio spes propriæ salutis reponenda, ne forte dum alienum ociosa præstolor auxilium, per meam culpam amittam divinũ. Laboret corpus dum vivit, & pro seipsa Deum anima exoret: ne si prius defecerit, non sit qui pro mortua interpellet. Et vt brevi sine multa cõcludã & vobis quod hucusque celaui, aperiam: nunquam ostij limina, quod videtis, excedam, nunquam me mundus sub divo videbit, nunquam ab hac, quam mihi elegi, vlterius exeam sepultura. Ad hæc illis insurgentibus, & quasi in amentiam subito mœrore versi essent, domui ruinã, si retinetur, inclamantibus, indeque ad lachrymas conversis

A rursum ait. Post tempestatem quies, post pluviam serenitas redit: & post fletus vestros risus more nobis notos succedet. Interim vos redite ad seculum, ego cor[illegible] vobis iam vado ad Deum. Et hæc dicens, commutata sororibus claustrum ingreditur, & crine amputato, veste mutata, corde gaudente, columba iam dealbata à domno Hugone Priore secundum visionis tenorem in caveam includitur, & sanctis mulieribus beata iam mulier associatur. Gaudet erepta de Babylonis fornace, & de igne in refrigeriũ introducta, atria Domini ingressam se esse lætatur. Discurrit iam lætabũda per gramina Paradisi, & in loco pascuæ collocata super aquam refectionis educatur. Carpit ut ovis Dominica avidis morsibus amœnos flores: & pinguia prata oberrans, antiquam famem copioso pastu compensat. Congregat in brevi multarum opes virtutum,

B nec patitur in via mandatorum Dei aliis segnior inveniri: sed æquans nova velocitate priores, festinat veteres citatis gressibus anteire. Ac primo se omnibus humilitate subjicit, ancillam fatetur, famulam exhibet, quia secundum Dominum, non venerat ministrari, sed ministrare. (Maria.) In qua virtute ita omnibus complacebat, vt nihil de affectu defraudantes, toto eam cordis amplecterentur complexu. Quid vero de cordis contritione, de quotidiana confessione, de continua lamentatione memorare potero: quando nec Ninivitis in contritione, nec David in confessione, nec Maria in lamentatione inferior apparebat? Nec primo tantum conversionis tempore, ut quibusdam moris est, ista egit: sed toto quoad vixit, ævo, corpus labori, cor pœnitentiæ, oculos lachrymis dedicavit. Erant illi lachrymæ suæ panes die ac nocte, ita sæpe spiritualiter diceret animæ suæ.

C *Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me?* & consolando subjiciebat. *Spera in Deo quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei, & Deus meus.* (Ps. 46.) Testabantur sorores ita eam plerumque fletibus affici, ut pene videretur exanimari. Prosternebatur in corpore in conspectu piissimi Redemptoris humilis eius ancilla, & cum aliquando flexis genibus oraret, violento æstu animi in terram, etiam cum nollet, deiiciebatur. Tanta erat in ea vis spiritus, ut animo ad cœlestia rapto, quandoque impos proprij corporis videretur. Occultabat se tamen quantum poterat, sed dum semper Ecclesiam occupat, sola semper esse non poterat. Vigiliis insuper & ieiuniis immanem corpori persequutionem indixit, & intantum his & aliis laboribus vires & carnes exhausit: ut carnibus exinanita, cute ossibus adhærente, nihil post aliquot annos Marcimiacum advenienti, ut filio mater alludens, secreto diceret. Gratias Deo, quia superflua mundi amisi, veteres carnes, quibus seculo servieram, perdidi. Iam novas induam, quibus nova Deo obsequia impendam, Psalmos, quos & in seculo didicerat, assidue decantabat. Cum igitur omni studio spirituali theoriæ intenderet, &

D animum omni virtutum provectu, quotidianis incrementis ad cœlestia sublevaret: ad Marthæ eam ministerium transtulerunt, & propter singularem industriam Cellarariam esse monasterij præceperunt. Nam non erat illa columba seducta, non habens cor: sed erat columba super rivulos aquarum, simplicitatis (Osee 7. Cant. 5.) Evangelicæ lacte lota, & serpentis non malitia sed prudentia prædita. Retulerat de Ægypto spolia Ægyptiorum, quæ Hebræis fratribus impenderet, & quibus Deo in deserto huius peregrinationis serviret. Vnde obedientia compellente, invita de claustro educitur, & curam sororum suscipere cogitur: in quo officio qualiter ministraverit, vix à me explicatur. Agebat eo studio curam universorum, ut amore mater, obsequio ancilla omnium diceretur. Exercebatur ardor dudum conceptæ charitatis, & ignis in eius pectore diu occultatus in flammas prorumpere gestiebat. Oportebat, ut quæ Deum ex toto corde in silentio diligere didicisset, se quoque secundum Domini mandatum diligere proximos eis obsequendo probaret. Servabat tenaci memoria nomina singularum,

E & velut de libro quotidie proferebat: cum nominare aliquam quælibet earum necessitas exigebat. Scripserat in mente sua, quo unaquæque corporali incommodo laborabat & morbos earum vel qualitates sollicita annotaverat: ut posset unicuique absque errore subvenire, cum nihil eam talium contingeret ignorare. Noverat eas ut nobiles & delicatas, ut fragiles & infirmas, pro sexu, pro loco, pro usu, multis egere, & ideo mentem, ne quid eis deesset, multo sollicitabat angore. Occupabat omnium servilium cura officiorum, & ancillarum Dei se famulam esse gavisa, vilia quæque ministeria procurabat. Variabat in corde suo diversos apparatus ciborum, & talium inexperta, coquinæ disciplinam addiscere cogebatur. Huic assa, illi elixa, salsa isti, insalsa alteri providere, sollicita circa frequens ministerium satagebat. Præparabat ipsa,

F coquebat ipsa, inferebat ipsa: & ut nil sibi de mercede periret, nihil sibi de labore imminui patiebatur. Collegerat uno suo in corde animos singularum, & quid unaquæque magis affectaret agnoscens, effectu operis omnium affectibus consonabat. Cumque sæpe paupertas charitatis eius divitiis non responderet, tristabatur, dolebat: & quia satisfacere universis pro voto non poterat, magno tormentorum supplicio torquebatur. Et cum a non habente multa exigerentur, secundũ regulam patientiam servabat in corde, mansuetudinem referebat in sermone: nec inanis ab ea recedere poterat, quam mẽtis hilaritate, ac verborum iocunditate replebat. In qua virtute ita præcelluit, ut sorores omnes ea defuncta attestarentur numquam per viginti fere annos, quibus inter eas cõversata est, verbum aliquod durum ab eius ore vel leviter se audisse. Sic semper hilaris, semper jocunda, non solum nihil nubilum præ-

G ferebat: sed & si quas tristitiæ nebulas in perturbatis mentibus aliquando offendisset, sereno verborũ lumine exturbabat. Habent hoc proprium sanctæ mentes, ut semper in spirituali gaudio conversentur: & non in seculo, sed in Deo exultantes, implent quod Apostolus ait. *Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete.* (Phil. 4.) Quod non frustra ab Apostolo ingeminatum, si quis attendit, intelligit. Nam sicut nequam homines pessimi corde tenebras in vultu prætendunt, & quo demigraturi sint furiosorum verborum horrore præloquuntur: sic sanctæ animæ gloria felicis conscientiæ serenatæ, & spe futurorum bonorum aggaudentes, nil nisi lætum sapere, nil nisi iocundum loqui noverunt. Ita famula Dei discens à Christo mitis esse, & humilis corde, & audiens ab eo. *Beati mites*; & à Propheta, *Diligit mansuetos Dominus:* (Mat. 5. Ps. 146.) cordis humilitati & verborum mansuetudini operam dabat, & ancillis Domini sui, ut de beata Cecilia legitur, sicut ovis argumentosa deserviebat. Et licet ita in verbis suis omnibus complaceret, nihil tamen ludicrum, nihil otiosum ab ea proferebatur: sed eum linguæ loquendi modum imposuerat, qui & regulam non excederet, & omnibus satisfaceret. At

H cum ad quarumlibet rerum collationem aut sponte aut vocata accedebat, tunc vere erat sentire, quid intus gereret, vel quid apud se sedula cogitatione versaret. Nam, ut quod sentio fatear, superabat quoscumque vidisse me recolo, gravitate simul & sanctitate verborum: ut si eam audires, non mulierem, sed Episcopum loqui crederes. Totus sermo eius sacro sale conditus, nihil insipidum exhibebat: totus de cœlo pendebat, totus præsentium contemptum, amorem invisibilium præferebat. Nec poterat diu, quando secretius agebatur, de talibus siccus sermo haberi: sed mox quo spiritu loqueretur, affluentes lachrymæ prodeuntes prodebant. Nam recolo quoties, me Marcimiacum veniente, super filij velut super patris genua fleverit, ream se clamans, absolutionem postulans, mundi mala deflens, desiderio Christi anhelans. Inde cum se in terram prosterneret, & ego eam debita reverentia elevare conarer: non assentiebat, sed immota permanens, ac si numquam ante pœnituisset, novis rursum lamentationibus pœnitebat. Gemebat incolatum suum

A prolongari, & ut cito finiretur, votis, precibus, gemitibus implorabat. Inter huiusmodi verba, cum me simul filium & patrem vocaret, a patre pro officio absolvi rogabat, filium materno animo, singulari sapientia instruebat. Cúmque iam recedere tempus urgeret, hoc semper vale novissimum erat. Fili, sancto Spiritui & beatæ matri Virgini te commendo. Hoc quippe etiam in seculo, semper in usu habuerat; & ita os suum assuefecerat: ut præ cæteris sacris verbis, sanctum Spiritum, & beatam Virginem nominans frequentaret. Et merito hæc duo loquens coniungebat, ut ex quo coniuncta sunt, nunquam divisa esse, ipsa sua loquutione doceret. Iam ut ad priora regrediar, cum quicquid apud te virium, quicquid scientiæ, quicquid studij erat, Deo & domesticis sororibus impenderet: nullo modo tamen hospitum & pauperum oblivisceba-

B tur, hos honorifice suscipiens, istis sollicitè providens, ut nec illis congrua, nec istis deessent necessaria. Cura tamen propentior circa pauperes erat, quorum egestas in corde mulieris sanctæ præponderabat, ut quos maior premebat indigentia, maior illis adhiberetur præ alijs diligentia. Ea de causa si quid de commissa obedientia superesse poterat, in usus eorum devote expendebat. Erogabantur frequentes eleemosynæ, vestes pro posse parabantur, & aut emebantur novæ, aut veteres sororibus subreptæ dabantur.

Luc. 6. Omnibus secundum Evangelium petentibus absque quæstione, quicquid cibi vel indumenti undecumque corradere poterat, tribuebat. Quosdam vero quos & filios ludens vocitabat, quotidiano victu & sumptibus reficiebat. Pausabat in eis mens dedita Deo, & velut ab antiquis mundi laboribus requiescebat, nunc tandem reputans invenisse se locum Domino, tabernacu-

Psal. 131. C lum Deo Iacob. Quicquid enim in pauperes dispergebat, sibi totum congregari gaudebat: sciens proprium esse lucrum, quod ab alijs credebatur substantiæ detrimentum. Sed quid his plura? Ita de universis magna matrefamilias curam agebat, ut sororibus ministrans Martha, hospitibus serviens Sara, pauperibus piè providens Tabitha crederetur. Sic femina virtutis abnegans semetipsam, tollens crucem suam & sequens Christum: quicquid sibi olim in seculo vixerat, totum vivens alijs expiabat. Vivebat, inquam, Deo, vivebat proximis: Deo ad obediendum, proximis ad obsequendum ut pro modulo suo voce Apostolica dicere

Gal. 2. posset. *Vivo autem iam non ego, vivit vero in me Christus.* Cúmque difficile sit, mentem fusam per diversa facile se recolligere posse, & contractus terrenis actibus pulvis non leviter à mentis oculis abstergatur: hoc in ea admirandum apparebat, quod ab exterioribus ad interiora rediens, nunquam se ab intimis recessisse indicabat. Succedebat illico profundum ver-

D bis silentium, hilaritatis civilitas cœlesti gravitate permutabatur, post publica negotia fletus uberes exundabant. Mirabantur hæc mihi referentes sorores, animum tam subito ad varia permutari, nec posse tantis occupationibus à suo proposito in aliud derivari. Efferebant in ea Marthæ negotiis nihil otio Mariæ detrahi, nec Mariæ quietem Marthæ laboribus impediri. His studiis ita sibi omnium animos unierat, sic sui affectum in universorum cordibus collocaverat, ut me-

† miro. ro † eam amore diligentes, matrem illam monasterij nominarent. Sed quamdiu, ô anima, verbis immoraris? Quamdiu, quod tandem dicendum est, differs? Scio quid refugias, novi quid dubites, adverto quid verearis. Times audire mortuam, cuius vitam, si fieri decuisset, etiam hic optasses æternam. Metuis extingui lucernam tuam, ne invisæ tenebræ luce fugata succedant. Horrescis in absynthium mel converti, diem in noctem mutari formidas: cuius te dulcedo reficere, cuius te claritas solebat illustrare. Quæ si de alijs tanta meruit, quanta de te eam æstimas promereri? Quid enim talem [illegible] a [illegible] eduxit? Quid ita dilexit? Quid in humanis affectibus tibi non dico contulit; sed saltem æquavit? [illegible] erant [illegible] illi alij filij, sed in amore

E materno collati videbantur alieni. Fuerat illa tui non semel tantum mater: quæ multo cordis angore te parturiebat frequenter. Iteratur, inquam, ei frequentes partus: & quotidiano ad omnes casus tuos pavore innovat [illegible] dolor eius patiebat. Sollicitabatur assidue [illegible], & [illegible] cogitatum impendens, [illegible] sæpius [illegible]. Metuebat omnia tibi, neque aliquid [illegible] putabat. Suspendebat animum ad omnes eventus [illegible] etiam optimos formidabat. Quocumque regressum convertere audiebat, [illegible] exteras claustra sequebatur. Si ad Britannias transfretasti, si Italiam penetrasti, si Romam [illegible] gavit, Alpium horrenda [illegible], Appennini profunda exuperavit: pericula universa [illegible], & ad omnes asperos casus co-

F mes [illegible] permansit. Officij onera tu quid [illegible] sentiebas, sed illa [illegible]. Tu portabas, sed illa supportabat. Tu [illegible] sed illa vires precibus [illegible]. [illegible] satagebat, [illegible] singulas, [illegible] omnes, ut pro te satagerent, pro te [illegible] misericordis Domini [illegible] implorarent: debere hoc eas [illegible], debere tibi, debere sibi, charitati ex [illegible], tibi ex debito, sibi ex obsequio. Hoc [illegible], hoc fratribus, hoc advenientibus in defesse dicebat: & omnes absque [illegible] longe amplius pro te quam pro se exorabat. Super hæc toto conatu [illegible] precibus [illegible], & omnes coram Deo animi vires exhauriens, [illegible] pro te Domino [illegible] essundebat. Canonem precum ipsa sibi præfixerat, ut si forte alia intermitterentur, illud pro salute tua quotidie Domino solveretur. Suggesserunt sæpe [illegible] sorores, [illegible] tionibus competentes, & à nimia pro te sollicitudine inhiberes. Quod & fecisti, sed nihil prohibendo pro-

G fecisti. Quomodo ergo hanc [illegible] videbis: Qualiter [illegible] narrabis. Quo spiritu [illegible] cernere, quibus verbis [illegible], quibus [illegible] ad destinatum tantum funus sufficere prævalebis? Veniendum tamen est ad finem, & [illegible] exspectanda: donec ipsa creatura liberetur a servi-

Rom 8. tute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei. Quiete [illegible] ancilla Dei [illegible] in lectulo, & [illegible] resumendum, [illegible]. Et ecce conspicit decoram [illegible], & ut sequeretur, [illegible] vocare. Evigilans illa, & aliquandiu [illegible], quæ se ad nocturnas laudes suscit[illegible], [illegible] surgit & velut mente [illegible] ta, citato [illegible] ad Ecclesiam festinare disponit. Sed oculis [illegible] conversis, cum omnes [illegible] circumiacentes videret, errasse se cognoscens, [illegible] caput ad dormiendum deponit. Quæ mox ut primum [illegible] soporis attigit, eandem quam prius personam, eodem quo prius ordine se vocantem videt. Vnde rur-

H sum experrecta, eadem quæ primitus, cogitare incipiebat. Sed tertio [illegible] reversa, tertio sopori reddita, tertio a [illegible] est, ut sequeretur, vocata. Additum etiam, ut sub celeritate veniret, neque ultra in veniendo moras faceret. Inde cum tertio evigilasset, [illegible] signum vocationis: & ilico [illegible], sororibus se defungi mandavit. Fit statim [illegible] concursus ad eam, & lectum [illegible] so gemitu [illegible] omni parte circumdant. [illegible] runt [illegible] filiæ, & quasi [illegible] deberent, damnum, ut dicebant, irreparabile lamentantur. Nec poterat quisquam [illegible] affectus, & mœror [illegible] posse putabatur. Iacet illa [illegible] & iacet moriens, integro [illegible] perducit. Colloquitur sororibus, confitetur peccata, petit absolvi [illegible] bus: [illegible] tatur a [illegible], nec aliquid [illegible] mittit. [illegible] ardens fide fervet, ut pene se-

Mat. 18 & Luc. 18. cundum Dominum, grano sinapis potuisset æquari: qui nec lógo vitæ cursu veterascere, nec gelidæ mortis

A incurſu potuit refrigeſcere. Inde ſua poſtulatione oleo ſacro inuncta, Chriſti corpore ad æternitatem refecta, humilitate munita, confeſſione ſecura, Crucem cum Domini imagine ſibi deferri rogavit. Qua allata, ad iteratos gemitus concitat Monaſterium. Adhibet ori ſuo Dominicã effigiem, & pedes eius lingua allambens, vultui ſuo tota virtute corporis imprimit. Adorat, Salvatoris paſſionem, & eius mortem ac vulnera ſalutem conferre adiurat. Nullam ſibi gloriam, nullam ſpem ſupereſſe ſalutis, niſi in Cruce Domini ſui, omnibus audientibus profitetur. Cumque expleta oratione, circumſtantes à vultu eius imaginem Domini amovere tentarent, accenſo calore fidei ait. Quid vultis auferre Dominum meum? Permittite eum mihi quamdiu viuo, ad quem ſtatim ſum moriens tranſitura. Ita non imaginem, ſed ipſum Chriſtum in cruce illa ſe videre reputans, ab amplexu eius divelli non poterat. Tandem infirmitate ſimul & oratione fatigata, corporis viribus ſenſim deficientibus, tertia iam die ex quo morbo correpta fuerat, ad extrema B pervenit. Agebatur tunc ſolenni more Nativitas Præcurſoris Domini: & licet in luctibus, attulerat auſpicia gaudiorum. Nam quia ipſe ſummus præco æterni gaudij fuerat, congruum erat hanc ea die de luctibus ad gaudia tranſmigrare, de qua voce Angelica dictum fuerat, *Et multi in nativitate eius gaudebunt.* De Luc. 1. quorum numero ut crederetur, in nativitate illius defuncta eſt, in cuius nativitate gaudium multis ab Angelo promiſſum eſt. Illa ergo die, quæ vere ei dies fuit, qua ad ſempiternam diem tranſiit, iacebat pene exanimis Chriſti ancilla & omni corporis virtute emortua, ſolius ſpiritus detrimenta non noverat. Vigebat in ea ſolus defecto corpore animus, & in cœleſtibus mente ſuſpenſa, horam, qua Dominus domus veniret, expectabat. Et iam eo appropinquante, viſum C eſt ſororibus, ut eam à lecto levatam in cinere & cilicio componerent. Cumque manus ad hoc faciendum aptarent: Sinite, ait, & me paululum ſuſtinete. Et cum eam dimiſiſſent, converſa ad Dominum, Novi, inquit, piiſſime Redemptor, quo corpus hoc deferatur: nec quo anima ſit transferenda, ignoro. Habet corpus Domine ſuum ad præſens in terra hoſpitium: anima autem, ô benigne Ieſu, ô æterne Salvator, ubi hac nocte hoſpitabitur? Quis eam ſuſcipiet? quis occurret? quis conſolabitur? Quis à morte, doloribus, mœroribus liberabit? Quis locum, vitam, quietem, poſt tot mundi labores, providebit? Nullus, ait, niſi tu pie Ieſu Salvator meus. Longe fient à me omnes proximi mei, nec potero invenire refugium, niſi apud te, Deus meus. Tibi ergo quod creaſti committo, tibi me omnium malorum ream confiteor, à te miſericordiam quam diu expectavi, nunc poſtulo, & in manus tuas corpus & animam meam commendo. Iam D nunc, inquit ſororibus, me accipite, & quo portare volebatis, deferte. Tunc velut ab initio in novos fletus & lachrymas univerſis commotis, ſublevata eſt: & in cinere & cilicio, exul, inops, humilis Chriſti ancilla repoſita eſt. Inde poſt modicum, hora, hora illa, qua pius redemptor pro mortuorum vita moriens inclinato capite tradidit ſpiritum, mitis eius famula placido fine tranſivit ad Dominum. Teſtatique nobis ſunt qui affuerunt, iam exanimi corpore, glorificati hominis vidiſſe ſe gloriam. Vultus eius luce clarior renitebat: & quæ in aliis perimit, in ipſa decorem mors vitalis adauxit. Sed mirabitur forte aliquis, cur ea quæ de magno Martino dicta ſunt, mulieri longe impari adaptaverim. Quæ ſi quis cogitaverit, advertat quanta in ſcripturis canonicis leguntur, quæ de Chriſto principaliter dicta, ad corpus ſanctorum, cui † ipſe caput eſt, referuntur. († cuius.) Hæc quia innumera ſunt, ea ſingillatim referre nolo, ſed eum ad ſcripturarum latitudinem remitto. Recolat quanta in Martyrum natalitiis, quanta in confeſſorum feſtivitatibus de Prophetis, de Pſalmis, de Evangelio recitentur: quæ ita ſervis congruunt, ut Domino nihil minuant. Noverit

E non indignari Dominum de indiſcreta cum ſervis communione verborum, quibus ipſe univerſa pene nomina ſua impoſuit, & quæcumque audivit à patre nota eis fecit. Et ne peccatores iuſtis æquari ſcandalizetur, ſciat non de meritis, quæ omnibus incerta ſunt, ſed de miraculis, quæ univerſis nota ſunt, parem me ferre ſententiam. Quid enim? Et ſi mortuos Chriſtus ſuſcitavit, ſi leproſos curavit, ſi cæcos illuminavit, ſi dæmones effugavit: ſi & alij mortuos ſuſcitaſſe, leproſos curaſſe, cæcos illuminaſſe, dæmones effugaſſe creduntur, Chriſto propter ſimilia opera componi dicuntur? Non eſt iniuria, ſed laus nominis Dei cum non in uno, ſed in multis mirabilis dicitur Deus in ſanctis ſuis. Et ne in hoc faciei miraculo ſolus putetur iuſtus eſſe Martinus, accedat & peccator Theophilus: qui, ut ſcriptura apud plures iam uſitata narrat, poſt quadraginta dierum pœnitentiam, Chriſti corpo- F re ſuſcepto facie refulſit ut Sol. Vnde quid mirum ſi poſt multorum annorum pœnitentiam & commendabilem vitam, beatæ feminæ vultus inuſitato candore enituit: cum poſt paucorum dierum contritionem tantis criminibus deturpata facies, ut Sol fulgore prævaluit? Potuit hoc in noſtri temporis muliere Chriſtus facere, quod in illius temporis peccatore Theophilo, & iuſto Martino voluit demonſtrare. Quod ſi res ipſæ conſimiles ſunt, quid rerum ipſarum conſimilia verba à me reformidanda ſunt? Ergo ſimiliter dicatur, quod non diſſimiliter actum eſſe probatur. Nec idcirco pares iudicari videbuntur: quia parilitatem non facit ſimilitudo miraculorum, ſed æqualitas meritorum. Enituit ergo viſibili ſplendore ſpiritus ipſe viſibilis emortui corporis vultus, & quod ad regionem lucis filia lucis migraverit, caro facta lucida demonſtravit. Exinde circa beatæ mulieris exequias ſanctæ Congregationis obſequia quis explicare ſuf- G ficiet? Apparebat vere in eis magnum quoddam exemplar amoris æterni, & ſtatus ſupernæ Hieruſalem in illo ancillarum Dei officio præmonſtrabatur. Fervebat ardor ſpiritu Dei inſpirante conceptus, & ab ubertate domus Dei rivulus charitatis in eas derivatus, pietatis uberibus profluebat. Non valebant ſatiare animos pſallendo, flendo, orando. Et licet hic corpore remanſiſſent, toto eam affectu ad peregrina euntem comitabantur. Implorabant Dominum ne fruſtraretur ab expectatione ſua: & ut eius longos gemitus pius redemptor conſolaretur, ſupplicatione aſſidua precabantur. His ſacris ſtudiis noctem proximam diei continuantes, ſequentem quoque lucem præcedentibus adiunxerunt. Qua tandem die frequentatis pro eius æterna requie ſacris oblationibus, cum ſanctæ ſorores vigiliis, Pſalmodia, orationibus, ac lachrymis fatigatæ vix ſubſiſtere prævalerent, delata ad tumulum eſt, & grata Deo, chara hominibus, vivens Chriſto, mortua H mundo, Chriſtiano pro more ſepulta. Receſſerunt mœrentes ſorores, ſecum eam à tumulo cordibus referentes. Quam licet in ſepulchro exanimem reliquerint, apud ſe eam vivere dum vivunt perpetuò confitentur. Iam ego vobis, ô ſanctiſſimæ ſorores, quid pro tanta mihi impenſa gratia reddere, quid pro tanto munere rependere, quid pro tantis beneficiis retribuere dignè valebo? Nam ſervaſtis animam meam mihi, eripuiſtis eam à morte, oculos meos à lachrymis, pedes meos à lapſu. Liberaſtis me de laqueo venantium, & à verbo aſpero. Factæ eſtis domus paſſeris, petra refugium herinaciis. Hæc, inquam, omnia mihi fuiſtis, quando illud lumen meum à tenebris fugiens excepiſtis: quando flamma ſacri pectoris veſtri tandiu, ne extingueretur, foviſtis, quando magis ac magis æterni amoris fomite id accendendo, nunc tandem æterno lumini iam lumen individuum adiunxiſtis. Manet vobis in cœlo repoſita etiam huius beati operis veſtri merces, nec benignus Salvator erga ſalvatam peccatricem ſtudiorum ſalutarium obliviſcetur: quia qui miniſtratum ſaluti corporeæ calicem aquæ frigidæ perire non poſſe fatetur, multo magis ſalvandæ Mat. 10.

A in perpetuum animæ tantam à vobis operam impensam, perditum iri nullatenus patitur. Luc. 15. Gaudent Angeli Dei super uno peccatore pœnitentiam agente: qui tamen nondum a corpore mortis huius liberatus, adhuc cum carne peccati & nequitia mundi & Angelis apostaticis, incertus de belli exitu pugnat. Gaudete & vos, dilectissimæ, quibus de pœnitentia peccatricis vestræ certissima gaudendi materia datur, cuius ad eos fines pœnitentiam prævia gratia perduxistis, ut iam non sit unde ei timere, sed unde congratulari secura lætitia debeatis. Det augmenta lætitiæ vestræ, quia in vobis speratis quod in ipsa tenetis, quoniam pro certo consimile certamen laborum similitudinem quoque pariet præmiorum. Ecce sepulta iacet in conspectu pietatis vestræ humilis Dei ac vestra ancilla: & licet exanimis ac silens, vivo tamen ac muto, si advertitis, clamore hortatur. B Offert assidue seipsam vobis, ingerit oculis vestris cineres suos: & ut sui recordemini, & vestri non obliviscamini, ut soror sororibus, mortua mortalibus inclamat. Ostendit quid ipsa nunc, quid post paululum vos, ubi corpora vestra humanda, quo spiritus sit migraturus commendat. Cernitis quotidiano intuitu sepulchra vestra, & hospitia mortalis naturæ coram semper intuemini: ubi quamdiu mors dominatur requiescere, & unde morte absorpta speratis resurgere. Sit ergo hic vester continuus vobis sermo continuus, & ad concupiscenda toto nisu perpetua, ipse vos temporalium, quem cernitis, defectus inflammet. Seruntur interim velut in horto arborum semina, sic in sacro Cimiterio vestra corpora: 1. Cor. 15. quæ secundum Apostolum viuificari non possunt, nisi prius moriantur, nec resurgere nisi decidant, nec revirescere nisi putrescant. C Oportet plane illa putrescere, ut possint revirescere: arescere, ut possint florere: occidere, ut possint resurgere: mori, ut possint vivere. Toleranda est hyems præsentis vitæ, & nivium, imbriúmque magnanimiter asperitas sustinenda, quamdiu arborum fructuosa amœnitas latet, quamdiu nondum apparuit quid eritis, quamdiu vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Colos. 3. Veniet tempus, quando aëre serenato, gelidis tempestatibus ver æternum succedet: cum Sol nunquam occasurus exoriens, splendore tenebras, calore frigora uniuersa propellet, & incognito terris lumine mundum natura stupente perfundens, veteri nocte deturbata, novam & continuam diem adducet. Tunc tepore mirabili tellus fœtata in novos flores ac fructus semina corporum vestrorum erumpere coget, cum corruptibile hoc incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem. Tunc affectu & reipsa cantabitis, quod voce ac fide cantatis, Cant. 2. *Flores apparuerunt in terra nostra:* quando Sponso cum ardentibus lampadibus occurrentes, ad nuptias nunquam finiendas intrabitis. Tunc & cum Propheta gratulando dicetis. Ps. 27. *Et refloruit caro mea, & ex voluntate mea confitebor ei.* Erit enim tunc voluntaria, non coacta confessio; quando iuxta alium Psalmum, D Ps. 53. *Voluntariè sacrificabitis Domino, & confitebimini nomini eius, quoniam bonum est. Vbicumque enim fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ: quia cum Christus apparuerit vita vestra: tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria.* Mat. 24. Et vos, quibus hanc epistolam scripsi, fratres mei, tantæ matris filij erubescite degeneres videri; sed à qua sumpsistis vitæ huius originem, ab ipsa in vos deriuate cœlestis, cui vos à puero deuouit, amorem. Quæ fuit mater corporum, sit rursum genitrix animorum: ne qui ei consimiles estis corporibus, dissimiles, quod absit, inveniamini moribus. Parturiat vos exemplo & precibus, donec formetur Christus in vobis: ut per eam illum habere mereamini patrem, per quem ipsam meruistis habere & matrem.

## EPISTOLA XVIII.

*Domino venerabili & Deo digno Pontifici, Petro Lugdunensis Ecclesiæ Patriarchæ, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, merito Pontificij cælesti cathedra sublimari.*

E QVod dulci affectu vestri memoria menti meæ impressa sit, & velut diligenti sculpturæ imaginatione formata: utinam sic intellectualibus animi tui oculis esset apertum, sicut in mentis meæ recessibus latet occultum. 1. Cor. 2. Sed quoniam nemo scit hominum quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est, & incommunicabile manet hominibus humanæ mentis arcanum: nec tu cordis mei abdita liquido cognoscere, nec ego ea ad plenum quolibet nisu valeo F explicare. 1. Cor. 2. Spiritus tamen ille, qui secundum Apostolum, scrutatur omnia etiam profunda Dei, novit me eo tibi uniri amore, ut te etiam Lugduni constitutum mecum ubique circumferam: nec possis aliquo terrarum interiecto abesse, quem singularis dilectionis continuata recordatio mihi semper facit adesse. Vnde fit, ut de longinquo fiam proximus, de remoto contiguus, de diviso coniunctus, de seiuncto inhærens: quatinus nullo iam modo inter nos abinvicem seiungere valeat odiosa regionum longinquitas, quos firmis nexibus iungit inseparabilis animorum propinquitas. Hoc remedio meam de absentia tua mœstitiam longe positus consolari soleo. Diu enim absens factus, & iam consolari soleo: sed iam iuxta constitutus eo modo te videre non parum esuriens, diebus ieiunij hoc G meum ieiunium soluere decrevi. Eapropter precor beatitudinem tuam, ut hac instanti Quadragesima diem mihi, locúmque colloquij designes: ut & desiderio meo satisfaciam, & de communi utilitate, quantum in me fuerit tecum aliquid agam. Lætatus sum quippe in his quæ dicta sunt mihi, pastoralem sollicitudinem tuam non ex toto consopitam de pace gregis sibi commissi prudenter tractasse: & de repellendis ab ovium incursione lupis, non solum diuina, sed etiam humana virtute in quantum Episcopo fuit licitum, cogitasse. Quod quam laudabile sit, quamque Deo gratum, nullus ignorat, & Propheta prædicat. Esa. 52. *Quam pulchri,* ait, *super montes pedes annunciantis & prædicantis pacem, annunciantis bonum, prædicantis salutem!* Quæ quamlibet de æterna pace dicta sint: nihil tamen refert & de præsenti hoc intelligere, quæ est quoddam vestigium, & imago pacis æternæ. Super qua in hac nostra misera regione est singulariter satagendum, quæ in tantum bonis Principibus destituta, raptoribus exposita, filiis Belial, id est sine iugo, est referta: ut hoc de ea dici possit, quod de Israëlitarum terra scriptum legitur, Iud. 17. *In illis diebus non erat Rex in Israel, sed unusquisque quod sibi rectum videbatur hoc faciebat:* quamvis H nostrates non quod rectum, sed quod sibi pessimum videtur, hoc tota aviditate faciant. Spondeo igitur huic glorioso tuo inceptui, & beato oneri me, nisi ipse prior defeceris, totos humeros suppositurum: & omnem pro eo, si necesse fuerit, laborem subiturum. Ad hoc cum præsentibus literis mitto anulum aureum in signum amoris, pretiosi & ignoti generis lapidem continentem: atque in se aliquid quod sit pretiosius ipso habentem. Nam omnem sanguinis fluxum exsiccare dicitur. Habe ergo missa propter mittentem chara, & intellige charitatem tuam mihi desiderabilem super aurum & lapidem pretiosum multum, & dulciorem super mel & favum. Nec à pontificali dextera anulus recedat, ut mei memoriam continuè cordi tuo melle assidua sui repræsentatione compellat.

A

## EPISTOLA XIX.

*Unanimi dilectione diligendo, singulari honorificentia honorando Domino Henrico Vvintoniensi Episcopo, Frater Petrus humilis fratrum Cluniacensium Abbas, præsentis prosperitatem & æternæ salutis beatitudinem.*

EXpertus damna diuturni silentij, iam simile refugio: & qui, ne in verbis excederem, tacere elegeram, silentia iam ipsa formido. Ea propter & nuntium vix adhuc à vobis reversum sinceræ dilectioni vestræ iterum cum literis transmitto. Et quamvis mutuum colloquium iter prolixum, & maxime mare interpositum, nobis invideat: non poterit tamen Oceanus minaci facie sua, saltem amicabilium literarum baiulos impedire, nec truci fluctuum suorum terrore pacis prævios retardare. Inde universam rerum naturam superare decrevi: ut nec hyemis aspera, nec æstatis torrida, nec aquarum profunda frequentes literæ vereantur: & resistentia dilectioni nostræ victa se quoque ipsa elementa loquantur. Ita plane, ita aggere literarum, & turbine nuntiorum, si qua in vobis adhuc residua est, duritiam obruere deliberavi: ut semel immenso aggestu sepulta ad perturbandam nostræ pacis concordiam nusquam in æternum aspiret. Sed & quod Salomon de amico ait, ***Limen ostiorum exterat pes tuus,*** quia per me non valeo, per meos Deo donante implere curabo. Agnosco in me, si tamen & apud alios ita est, amicitiæ consuetudinem: ut quanto magis me amicus frequentat, tanto magis in corde meo fervor ipsius amicitiæ crescat. Est & quoddam vestigium amoris æterni, ut qui plus eo accensus fuerit, plus satietur: & qui magis satiatus fuerit, multo amplius accendatur. Firmus ergo amoris nexus, indissolubilis cathena nos longe ab invicem remotos uniat: nec eam, ut puerili levitate aranearum telas, detrahentium loquacitas ventosa disrumpat. Recordetur, & caveat sapientia vestra sapientiæ Proverbium, quod ***princeps qui libenter audit verba mendacij, omnes ministros habet impios.*** Absit vero, ut vos verba mendacij libenter audire credam: Non, inquam, hoc credo, sed ad cavenda multiformia adulantium sive obsequentium verba, singularem industriam vestram sollicitam esse desidero. Est enim lingua, ut scriptura loquitur, inquietum malum, plena veneno mortifero. De quo Propheta, ***Venenum aspidum sub labiis eorum.*** Omnibus, sed maxime his, qui in sublimitate sunt, inimicans. Quod eo magis debet studium sollicitare cavendi, quanto maiorem, si talibus acquiescant, habent facultatem nocendi. Quod si veris rumoribus commoveri tutum non est, quantum falsis credendo conturbari periculosum est? Unde de Roberto pacis corruptore, & pessimo inimicitiarum satore, qui seminavit dolores, sed nondum messuit eos, vos consulere volui: à cuius sanguine, reverentia & amore vestri ductus, hucusque gladium continui. Qui non inter quoslibet, sed inter me & vos, ut comperi, zizania seminavit: nec adhuc tamen ut inimicus homo iudicari promeruit. Super quo vestram mihi voluntatem remandate. Monachum vobis, non cursorem misissem: nisi Sacristam in proximo iterum molestare cavissem. Bis ergo iam suscepto cursore nostro, remittite & vos, saltem semel, nuntium vestrum. Solent enim Marciniacum venire, Lugdunum adire, Provinciam penetrare, & ultra, citráque universa lustrare, solámque Cluniacum velut Scyllæos canes aut confragosos scopulos declinare. Sed iam non imputo, quod à mea vestraque memoria deletum esse confido. Et ut paucis multa comprehendam, sic de nobis ac nostris præsumite, ut nulla de his diffidentiæ vestigia sentiam remansisse.

B

Eccl. 6.

C

Prov. 19

Iacob. 3. Ps. 15.

D

E

## EPISTOLA XX.

*Dilectissimo Domino, & intimo amico, domno Henrico venerabili Episcopo, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, præsentem & æternam salutem.*

SIcut languenti corpori medicinæ remedia adhibere necessarium est: ita iam plene curato ingerere superfluum, immo aliquando noxium est. Unde ego dum putavi mutuum, quem adinvicem habueramus, amorem vel in modico læsum: dissimulare non potui, quin ad curandum eundem verborum multorum antidota propinarem. At nunc constanter manente in nobis amoris firmi proposito, & indissolubili charitatis vinculo utrimque firmiter alligato, parcendum verbis videtur: ut quæ per gratiam Dei nihil in corde vestro præteritorum simile possunt curare, nequaquam sinantur mentem multis utilitatibus occupatam sui multitudine onerare. Quid enim ad amorem augendum, vel confirmandum loquerer, cum vestrum erga nos affectum magis opera quam verba testentur? Quid germano nostro nuper ad vos venienti, quid quotidianis nuntiis, quid ipsis cursoribus, honoris, gratiæ, beneficij impenderitis: nec ipsi ad plenum referre, nec ego vobis condignas aliquo modo gratias valeo agere. Quid & illud operum vestrorum sublime cacumen prædicem, quod vasa domus Domini direpta à Babylonis regali largitate ut Cyrus, Sacerdotali sollicitudine ut Esdras, ad templum revocastis: & Christum, quem velut iterum crucifigendum vestri temporis Iudæi suis vestibus spoliaverant, eodem rursus tegmine revestitis? Conspicit ipse, ut credo, pijs misericordiæ suæ oculis intentionem vestram, & licet necesse non habeat quolibet indumento contegi, delectatur tamen sancti devotione obsequij: quoniam qui sanctarum mulierum, cum necesse non habuerit, moriturus pretiosum suscepit unguentum, iam mortuus & suscitatus in cruce sua, vestium non recusabit, quod illo unguento pretiosius est, aurum. Sed nos quantum ad vos, nihil tanto amori dignum, nihil tantis beneficiis congruum rependere possumus: nisi hoc quod quicquid sumus vestrum est, quicquid scimus vestrum est, quicquid possumus vestrum est. Ostendit hoc in omnibus Ecclesiæ nostræ Conventibus super universos amicos & benefactores nostros, secunda post domnum regem Angliæ mentio vestra, singularis in omnium fratrum orationibus memoria vestra, specialis & pene quotidiana apud Deum & homines commendatio vestra. Et quia mihi, ne prolixus vobis fierem, ad præsens interdixi: breviter dico, ne quidquam sibi longa terræ, marisque discrimina de remotione vestra lucrentur, sed amorem, quem nobis laborat subripere terrarum longinquitas, cui non ulla † corporum spatia præiudicant, in nobis & uniat & consolidet charitas. Post ista noverit amicus & sollicitus de nobis animus, nos & rempublicam nostram bene valere, optime vigere: quamvis non in me, in nostris tamen per Dei misericordiam pristinæ religionis, charitatis, & famæ fulgorem nitere, me Pisas profectum multa perpessum, cito iisse, citius rediisse, ibi infirmatum celerius quam sperassem sanatum, multa tulisse, pauca retulisse, in omnibus tamen propitiante Domino abundare. Ea omnia plenius & securius Deo vitam largiente mandabimus. Nam plerumque infidelitas chartarum propriis Dominis plusquam proditoria lingua nocuit. Ad finem, ut melius insideat animo, sanctum beatæ matris meæ funus charissimo & sublimi amico commendo: & ut in Abbatiis & aliis diœcesis vestræ Congregationibus ei per vos tricenarius Missarum persolvatur, & aliqui pauperes reficiantur, humiliter postulo. Obiit viij. Calendas Iulij, die scilicet sancti

F

1 Esdr. 1 7. & 8.

G

Ioan. 12.

H

† nulla.

Ioannis Baptistæ. Nomen eius Raingardis, professio Marciniacensis monacha, officium Cellararia.

## EPISTOLA XXI.

*Venerabili & amantissimo Domino nostro, domno Henrico Dei gratia Wintoniensi Episcopo. Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, salutem & seipsum.*

MAteriam scribendi non habeo, sed ad semper scribendum magna mihi estis ipse materia. Vnde si plus iusto forte frequentibus Epistolis vos inquieto, mirum videri non debet: cum & amor verbosius tacere nesciat, & inexhausta loquendi materia deficere prorsus ignoret: Satisfacio ut possum hac arte desiderio meo: ut cui quotidie, si facultas daretur, præsens colloqui vellem, nuntiis vel sponte quæsitis, vel casu inventis, quod implere non valeo, recompensem. Inde est quod per istum fratrem nostrum monachum vestrum aliquid scribere volui: cum nullam, ut dixi, materiam haberem scribendi. Erit vestrum à modo in necessariis non silere, cùm videatis me multo vestro amore impulsum, in superfluis non posse tacere.

## EPISTOLA XXII.

*Charissimo filio Petro, Frater Petrus humilis fratrum Cluniacensium Abbas, per boni filij servitutem benigni patris hæreditatem.*

POst colloquium Aquitanici Principis, quem calice Babylonis inebriatum, Christi calice potare non potuimus, nec schismatico sapore, quo nimium imbutus est, Catholico antidoto exhaurire: regressum magis quam processum pluribus ex causis utilem iudicans, retroredire disposui. Non ea tamen via qua veneram regrediens, sed per ultimos Andegavorum, Cenomanorum, atque Normanorum fines iter faciens: totoque pene occidui Oceani littore peragrato, in Franciam cum sociis meis me recepi: atque Parisius adorandam Salvatoris Nativitatem exegi. Ibi ergo positus, & tui recordatus, immo numquam vel brevissimo temporis spatio oblitus, quanto tuam, cum adest, iocundius amplector præsentiam, tanto molestius tolero absentiam. Ad hanc molestiam aliquantulum pro ratione temporis leniendam, de locis campestribus tibi in sublimi montis vertice constituto scribere volui: ut tali saltem remedio, & te mihi mente dum hæc legis præsentiore exhibeas, & quantum inter meorum humilitatem camporum, tuorúmque altitudinem montium differat, sollicitus advertas. Tu quippe in monte positus libero cœlum oculo contemplaris, ego in imis constitutus, & de illorum iam pene numero existens, qui iuxta Prophetam, *Introibunt in inferiora terræ*, (Ps. 62.) non nisi late patentes campos, & largissimis spatiis rura diffusa intueor. Tu ipso loci situ mundum subiectum pedibus calcare videris: ego pedibus universorum substratos, cum Psalmista defleo, dicens. Conculcaverunt me inimici mei tota die. Tu sylvarum densitate circumseptus, in alto velut in profundissima valle absconderis: ego flantibus undique ventis expositus quo flatuum violentia impellit diversitas, quasi præceps actus arripior. Tu vix terram gressibus tangens, mentis conatu in superna suspenderis: ego stabili planta terræ inhærens, proh dolor! assiduo vestigia puluere fœdo. Et, ô utinam tenui & cito abstergendo puluere gressum fœdarem, & non me totum luto secularium negotiorum, necessitate aut aliquando etiam voluntate, immergerem. Si quando immergor: utinam vel statim emergerem: ac Deo cum Propheta cantarem, *Eripe me de luto, ut non infigar.* (Ps. 68.) Sed non quia miserias meas lugeo, idcirco tuæ fœlicitati invideo. Non invideo, inquam, sed congaudeo: quoniam bonorum vitam etsi imitari nequeo actu, pio tamen semper institui colere affectu. In montibus igitur tuis nostrarum vallium recordare: quoniam & Moyses in montem Dei conscendens, populi in campestribus constituti oblitus non est, sed pro eo (Exod. 32.) Domini misericordiam instanter deprecatus est. Et licet ei semper in montibus familiarior cum Deo fuerit colloquutio: tamen pro his qui in inferioribus remanserant, frequentior fundebatur oratio. Interminabatur quidem per Legislatorem populo Deus dicens. *Si quis tetigerit montem, morte morietur*: sed tamen ne moreretur populus, in monte principaliter (Exod. 19.) agebatur. Quicquid sane Moyses in monte solus agebat, hoc omnium in vallibus constitutorum saluti proficiebat. Ipsis quippe ascendit, ipsis xl. diebus ieiunavit, ipsis legem digito Dei in tabulis scriptam accepit, ipsis veniam sacrilegij multis vix precibus impetravit: ipsis non solum montis solitudinem, sed etiam propriam vitam, quantum in ipso fuit impendit. Sic & Dominus atque Salvator post salutarem prædicationem, post corporum humanorum curationem, post multiplicium miraculorum operationem, in montes conscendebat, sicut Evangelium loquitur, *Et dimissa turba, ascendit in montem solus orare.* (Mat. 14.) Et rursum. *Subiit ergo in montem Iesus, & ibi morabatur cum discipulis suis.* (Ioan. 7.) Et secundum quod alibi legitur. *Noctibus quidem in monte Oliveti morabatur, diluculo autem in templum veniens docebat.* (Luc. 21.) Sed & quod hoc assidue faciebat, Evangelista Lucas indicat, dicens. *Et egressus, ibat secundum consuetudinem suam in montem Olivarum.* (Luc. 22.) In ipsa etiam montis solitudine, non cum aliis, sed remotum ab aliis orasse, alius Evangelista confirmat: qui eum dixisse discipulis memorat, dicens: *Tunc ait discipulis suis, Sedete hic donec vadam illuc, & orem.* (Mat. 26.) Et Lucas sequitur. (Luc. 22.) *Et ipse avulsus est ab eis quantum iactus est lapidis, & factus in agonia prolixius orabat.* Licet ergo tantopere secretum orationis peteret, non pro se tamen, sed pro persequutore populo orabat, dicens. *Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste.* Non enim ne pateretur orabat, qui ut pateretur advenerat, sicut ipse paulo ante dixerat. *Propterea veni in horam hanc*: (Ioan. 12.) sed ne passione sua, qua mundus salvabatur, gens Iudæorum perfida damnaretur. Semper vero eum non pro sua, sed pro mundi salute orasse, qui eum Salvatorem & Agnũ Dei esse, qui tollit peccata mundi intelligit, nullatenus ignorat. Quia ergo, fili charissime, in montis conscensu ac solitaria conversatione, iuxta tibi collatam gratiam, Dominum & eius famulum imitaris, in cæteris quoq; prout poteris imitare, ut sicut ego bonæ voluntati tuæ solitudinis quietem providi, ita tu meis laboribus aliquod orando levamen provideas. Affectui enim, quo te in Christi charitate toto animi nisu, ut nosti, complector, non solum orationes tuas, sed ut Paulus Philemoni ait, teipsum debes. (Ad Ph. 1.) Quid enim mihi non debeas, cui vix aliquem amando æquavi? Quid mihi non debeas, qui nec mihi ipsi plusquam tibi unquam debere volui? Nec mirandum, si tantum de me potueris promereri: cum moribus & conversationi tuæ condigna vix retributio valeat inveniri. Quo enim aut quanto pretio, ut de cæteris virtutibus tuis taceam, mihi vel moribus meis consimilem vel conformem potero aliquando mercari? Si scripturarum sanctarum libuit abdita rimari, te semper paratissimum reperi. Si de secularis literaturæ scientia, gratia tamen divinæ, aliquid conferre complacuit, promptum & perspicacem inveni. Si de mundi contemptu, & cœlestium amore sermo fuit, qui cæteris frequentius & familiarius inter nos versabatur: in tantum verba tua à terrenis seiuncta nil mortale sonabant, ut iam mihi dicere videreris, *Ut non loquatur os meum opera hominum.* (Ps. 16.) Quæ me ab hu-

manis

A manis occupationibus redeuntem, atque Aquilonari frigore congelatum, velut austrini flatus tepore sic resolvebant, & ita in divinum amorem spiritus calore liquabant, ut etiam hinc à Psalmista dici posset, Ps. 147. *Emitte verbum tuum, & liquefaciet ea. Flavit spiritus eius, & fluent aquæ.* Et ego cum sponsa in Canticis cantare. Cant. 5. *Anima mea liquefacta est, ut dilectus loquutus est.* Erant mihi universa fastidio, onerosa omnia sentiebam, velut sub gravi fasce pœnæ succumbens gemebam. Illis sociatus de quibus in Iob legitur, Iob. 26. *Ecce gigantes gemunt sub aquis.* Nulla usquam requies, nullum à quolibet levamen, donec ad te reditum ipsa mihi necessitas indicebat. At postquam aliquantulum secreti tecum nancisci poteram, ac brevia saltem tecum colloquia: quasi multo pabulo confortatus, viribus innovatis ad laborem acrior insurgebam, implens quoque divinum illud mandatum. Exod. 23. *Si videris asinum proximi tui succubuisse in via, non pertransibis, sed sublevabis cum eo.* B Tuo certe studio secundum beatum Gregorium, quasi anchoræ fune, ne in alta pelagi contrariis flatibus abriperer, retrahebar: & littori proximus, licet etiam ibi multum fluctuans, inhærebam. An à mente excessit, de mundi multiplicibus miseriis frequens illa & fervens collatio? An menti, ut dicitur, tradita est illa propriorum periculorum lachrymosa deploratio? An memoriæ sublata est, terrena omnia fugiendi, & soli Deo vacandi toties repulsa intentio? O quoties clausis ianuis, nullo nobiscum admisso mortalium, illo tantum teste, qui de se cogitantibus, aut conferentibus nunquam deest, formidolosus sermo habitus est, de cordis humani cæcitate, atque duritia, de diversis peccatorum laqueis, de variis dæmonum insidiis, de abysso iudiciorum Dei: quam terribilis sit in consiliis super filios hominum, quod quibus vult, miseretur & quos vult indurat, & quod nescit homo utrum amore, an odio dignus sit: de incerta & formidabili vocatione nostra, de dispensatione salutis humanæ per incarnationem Filij Dei, ac passionem facta, de tremendo ultimi iudicij die, de incomprehensibili divini examinis C severitate, qua in perpetuum malos punit, de inenarrabili misericordia, qua æterna bonis præmia reddit! Horum, & similium à mundano strepitu semota collatio, mihi quodammodo in medio hominum heremum referebat, & Domini tabernaculum repræsentabat: ad quod à mundi tumultibus, veluti Moyses Exod. 17. & Num. 10. à Iudæorum lapidibus, confugiebam. Fatigatus litibus hominum, & forensium disceptatione causarum, hic quiescebam. Sollicitatus in modica rei familiaris cura, & confectus multiplici dissensione, hic recreabar. Molestatus prædonum irruptione, nostrorum interfectione, varia locorum depopulatione, hic mœroris animum commutabam. Nævos de seculi sordibus contractos hic diluebam, & fermentum azymis sinceritatis, & veritatis contrarium hic expurgabam. Et quid multa? Vere secundum Esaiam, Esai. 4. hoc tabernaculum mihi erat in umbraculum diei ab æstu, & in securitatem, & in absconsionem à turbine, & à pluvia. Nec hoc solum domi, sed quocumque gressum converterem, te mea vestigia comitantem habebam. D Hoc nobis pariter per diversa terrarum spatia gradientibus nec Solis ardor, nec gelidus Boreas, nec ventorum turbines, nec nimbosa dies, nec lutosa tellus, nec aspera montium, nec devexa vallium, abstulerunt. Vbique quiescentibus paululum magni maris fluctibus, hoc nobis mansit secretum. Ita te in omnibus unanimem habebam, ita quod in me advertebam, in te cognoscebam, ut in te uno & pene solo, illam veræ amicitiæ diffinitionem expertus sim, idem scilicet velle, & idem nolle: ut nunquam mihi potuerit placere, quod tibi displicebat, nec displicere quod tibi placebat: & iuxta id quod dictum à quodam legitur, non duobus corporibus duæ, sed una utrique corpori videretur inesse anima. Quia si tantus in nescientibus Deum esse potuit amoris affectus, ut non substantias confundendo, sed voluntates uniendo, hoc dicere possent: quid mirum si charitas Dei, quæ diffunditur in cordibus hominum per Spiritum sanctum, E Ephes. 3. in eo nos univit, qui facit utraque unum, quique patri de discipulis ait, Ioan. 17. *ut sint unum sicut & nos?* Sed iam tempus est querelarum, ut quod diu parturivi, nunc tandem pariam. Nam tu, tu, inquam, in hanc charitatem offendisti, tu divinam unitatem divisisti, tu pactum cœleste rescidisti: quandò amicum amicus, intimum intimus, & ut iam pro imperio loquar, prælatum subditus, magistrum discipulus, Abbatem monachus, ne dicam dominum servus, reliquisti. Sed & si servum vocarem, in quo excederem? Regula enim præcipit, ut omni obedientia monachus se subdat maiori. Si omni, tunc & servili: sed omni, igitur servili. Servus ergo meus es. Conqueror itaque servum meum dominum fugitantem, latibula quærentem, sequi renuentem, servire nolentem. Imitando certe Dominum & Deum tuum, obedientiam usque ad mortem promisisti: sed hanc nec usque ad modicum laborem servasti. F Descendit ille obiens de cœlis ad terram, tu refugis ire de terra ad terram. Psal. 18. *A summo cælo egressio eius, & occursus eius usque ad summum eius:* tuus nec de Algido monte Christi causa egressus, nec brevi itinere exacto, ad ipsum potest esse regressus. Non sane tantis te putabam montium nivibus opprimi, ut charitatis ignem in te patereris extingui. Sed dicis. Obedientiæ ego limitem non excessi, quia patris permissione remansi. Sed tu non eam spontaneam accepisti, sed extortam importunis precibus rapuisti. Hoc plane non fuit obedire. Quid ergo est obedire? Vt monachorum lex loquitur, propriam relinquere, & magistri voluntatem implere. Vnde in eadem regula scriptum est. Secundus humilitatis gradus est, si quis propriam non amans voluntatem, desideria sua non delectetur implere: sed vocem illam Domini factis imitetur, dicentis, *Non veni facere voluntatem meam, sed eius qui misit me.* Voluntas igitur præcipientis magis quam verbum, affectus magis quam vox, intellectus magis quam sonus, vero monacho observanda sunt. G Sed dixisti. Ego quidem manebo, sed Deum pro vestra salute exorabo. Sic & Saul perverse Deo sacrificare magis quam obedire eligens, & cupiditatem suam eius voluntati præponens, audivit à Propheta. 1 Reg. 15. *Numquid vult Deus holocausta & victimas, & non potius ut obediatur voluntati eius?* Constat igitur, quia Præpositorum voluntati obediendum est: & tunc demum est vera, & salubris obedientia discipuli, cum sua postposita, non tam vocem, quam voluntatem sequitur magistri. Nam quando importunitate, seu pusillanimitate sua contrarium voluntati magistri discipulus extorquet præceptum: non ipse magistro, sed magister ei obedisse dicendus est. Sic ego tuæ voluntati obediens, quem nolle pergere vidi, ut remaneres concessi. Tu ergo ordinem pervertisti, tu caput in caudam mutasti, tu præpostero gradu me ultimum, te primum constituisti: dum patrem filius, dum magistrum discipulus, dum Abbatem monachus sequi contempsisti. Ecce me laborante, tu quiescis: me vigilante, tu dormis: me clamante, tu taces: me pugnante, tu vacas: me orbem lustrante, tu in tuo monte resides. H Non sic bona femina Ruth, quæ socrui Noëmi, cui diu adhæserat, valde instanti, ut ad suos reverteretur, respondit. Ruth. 1. *Ne adverseris mihi, ut relinquam te, & abeam. Quocumque perrexeris, pergam: ubi morata fueris, & ego morabor. Quæ te morientem terra susceperit, in ea moriar, ibique locum accipiam sepulturæ. Hæc mihi faciat Deus, & hæc addat, si non sola mors me & te separaverit.* Sed fortasse mulier tibi videbitur Ethnica, nec admittenda in testimonium. Et tamen illa, cuius vetus Scriptura, & Evangelium honorificè meminit: & de cuius germine Dei filium humanam carnem suscepisse scribit. Veniat tamen & ille alienigena quidem natione, sed vir virtutis laude merito inter viros ponendus. Ethai videlicet Gethæus, qui relictis patriis erroribus, magno illi regi David adhæserat, eiusque socius individuus

A erat. Cui regem à facie patricidæ filij fugientem cum multa sociorum manu præcedenti, & ad pugnandum pro eius salute parato, ipse rex ait. *Revertere, & habita cum rege: quia peregrinus es, & egressus es de loco tuo. Heri venisti, & hodie compelleris nobiscum egredi: Revertere, & reduc tecum fratres tuos. Ostendisti gratiam & fidem.* Et respondit Ethai regi, dicens. *Vivit Dominus & vivit Dominus meus rex: quoniam in quocumque loco fueris domine mi rex, sive in morte, sive in vita, ibi erit servus tuus.* Et ait David Ethai. *Veni & transi.* Sed quid illam mulierem, hunc autem & illum alienigenam dixi: ac si hoc pro tua causa faciat, & non magis rationi meæ inserviat? Quanto enim in illa sexus infirmior, quanto utrique à Deo cultus ante remotior: tanto fides, & charitas utriusque laudabilior. Sed illorum laus tuam minuit laudem, illorum fides tuam notat infidelitatem, illorum fervor tuum condemnat teporem.

B Hoc namque nurus socrui, hoc miles regi, quod monachus non servat Abbati. Cogebantur illi ab ipsis dominis reverti, sed eos relinquere, nec in magnis periculis volebant: tu orantem, ne deseratur, Dominum, desertor pariter & contemptor, non audis. Video Heliam iamque rapiendum, & equis, curribusque igneis per altissima aeris spatia in cœlum sustollendum cum Helisæo iter agere, eique dicere. *Sede hic, quia Dominus misit me usque Bethel.* Et secundo: *quia Dominus misit me ad Iordanem.* Et tertio. *Sede hic, quia Dominus misit me usque Hiericho.* Cui tertio audio respondentem Prophetam. *Vivit Dominus, & vivit anima tua, quia non derelinquam te.* Quem quia, ut verus magistri amator discipulus deserere noluit, & eum ad cœlestia sustolli conspexit, & ut eius spiritus in se duplex fieri posset, obtinuit. Ait, inquam: Helisæus Heliæ. *Vivit Dominus, & vivit anima tua, quia non derelinquam te.* Tu autem mihi quid? Vivit Dominus, & vivit anima tua, quia non sequar te. Sed fortassis ideo sequi contemnis: quia me sicut Heliam in cœlum posse rapi desperas. Quòd si hæc causa est, rogo ne

C desperes. Rogo, inquam, ac moneo ne desperes: quoniam hæc tota & sola simul gratia nobis causa est, ut non solus ego sicut Helias, sed tecum pariter in cœlum rapiar. Ecce plus quam Helias Helisæo, plus ego tibi, si volueris, spondere audeo. Raptus est ille solus mirante, & clamante discipulo: rapieris tu mecum omni conspiciente populo. Miraris forte quod dico, & me quasi insanum loqui suspicaris. Sed non insanio quia quod dico Apostolico testimonio confirmo. *Rapiemur*, ait, *in nubibus obviam Christo in aera, & sic semper cum Domino erimus.* Quod Dominus ipse confirmat. *Mittet*, inquit, *Filius hominis angelos suos cum tuba & voce magna, & congregabunt electos eius à quatuor ventis, à summis cælorum usque ad terminos eorum.* Si ergo de electorum numero esse studuerimus, ab electis angelis congregabimur, & in nubibus obviam Christo in aera non divisi, sed iuxta Apostolum simul rapiemur: nec reversuri ut Helias, sed semper cum Domino erimus. Ideo, ut supra dixi, hæc tota nobis causa est, domi vel extra, in itinere vel ubique simul

D manendi: ut hic pariter Domino serviamus, & illuc pariter rapti in æternum convivamus. Sed novi quod ad hæc dicturus sis. Patria, ad quam nunquam redire disposui, ne te sequar adversatur. Ad quod ego, Abraham quidem iussu Dei patriam deseruisse, nec ad eam postmodum rediisse concedo. Quod tamen Iob in terra Hus, quæ patria eius erat, vir simplex & rectus, & timens Deum, & recedens à malo fuerit, non ignoro. Loth in Sodoma, cuius tamen non indigena, sed colonus erat, aspectu, & auditu iustum fuisse ab Apostolo Petro audio. Magos ab Oriente ad pueri Iesu præsepe venientes, & eum cum oblatione munerum, ut regem, Deum, & hominem adorantes, licet per aliam viam, tamen in regionem suam regressos fuisse lego. Quod si Abraham, quem supra posui, obiicis: dico eum, utpote perfectum virum, in infidelis patriæ desertione sibi nihil timuisse, sed infirmiori posteritati sapienter providisse. Timebat enim ne progenies

A eius à Deo electa inter idololatras, & moribus corruptos conversaretur, atque à cultu divino malorum exemplo paulatim revocaretur. Unde suis etiam se quid sequi oporteret, ostendens: nec ipse ad dimissam patriam reverti voluit, nec filium illuc reduci permisit. In quo quid de subsequentibus fieri vellet, ostendit, præcipiens servo suo. Cave ne unquam filium meum reducas illuc. Constat ergo, quia non sibi, sed posteris providebat, qui tantopere illuc reduci filium prohibebat. At tu quibus provides filiis, qui ita patriæ reditum perhorrescis? Si utique bonis detestanda patria esset, nec Iob, ut iam dixi, in sua mansisset, nec magorum devotio ad eam rediisset, nec ipse Dominus suis in ea se ostendisset. Non patria igitur, sed mores patriæ, si mali sunt, à bonis fugiendi sunt. Quod si salvo sanctitatis proposito, licet in patria manere, quanto-

F magis & transire? Sed forte adhuc perfectorum hoc esse causaberis. Qui ergo ad perfectionis propositum vocatus es, de imperfectione tractabis? Qui iuxta Apostolum, te in ante extendere debes retro redibis? Qui quotidiano profectu teipso maior fieri debes, inferior eris? *Estote*, ait Dominus, *perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est.* Laudo plane, quia laudabile est: si parentum, si amicorum, si cognatorum tibi est aspectus formidini, si verba gravia si mora suspecta: ne affectu carnali quantumlibet à recto proposito aspectu commoveant, verbis inclinent, mora detineant. Laudo vere sollicitam à malis cautelam, sed non laudo etiam in bonis pertinacem sententiam. Quod si ista te terrent, si adhærentes domesticos, velut impugnantes adversarios reformidas (sunt enim inimici hominis domestici eius) erige turrim Sion contra faciem Damasci: assume armaturam Dei, in qua possis universa tela inimici ignea extinguere. Si perituratum rerum cogitatio in mente submurmurat, æternarum eas delectatio compescat. Si ausus fuerit serpens vel per eorum ore quicquam insibilare, non solum non au-

G diatur, sed mox caput nequam virili robore conteratur. Si peste inhabitatoris, qua te inficere volebant, ipsos, si dici debeant, amicos, vel parentes, adhuc infectos videris, non ante absistas quam eos salutari admonitione purgatos saluti restituas: ut vasis pessimi hostis direptis, de ipso nobilem coram Deo triumphum reportes. Decet enim, ut non te illi debilem, sed tu eos fortes, ut non te illi carnalem, sed tu eos spirituales, ut non te illi terrenum, sed tu eos cœlestes efficias. Studendum ergo tibi est, non ut imperfectum in fuga confidere, sed ut perfectionis filium imperfectis domesticis virtutis exempla præbere. Non enim fugienti, sed permanenti, non cedenti, sed resistenti; non succumbenti, sed vincenti victoriæ laurea datur. Vellem & ego, si facultas daretur, nec fallaciter teipso conicio vellem. Vellem certe secundum Esaiam, meipsum abscondere fossa humo, à facie formidinis Domini, qui in proximo venturus est percutere terram, & quærere mihi locum, non solum spiritualem, sed etiam corporalem in foramine petræ in caverna maceriæ. Sed si non datur, vel quousque detur, æmulemur

H eum, qui inter populorum frequentias, & regales epulas, & auratos parietes, dicebat. *Ecce elongavi fugiens, & mansi in solitudine.* Et velut intra septa montium, sic intra arcana cordium nobis solitudines ædificemus: ubi à veris mundi contemptoribus vera tantum heremus invenitur, ubi nullus externus admittitur, ubi mundanorum tumultuum turbo, fragorque sopitur, ubi sine ullo corporeæ vocis sono in sibilo auræ tenuis vox Dei loquentis auditur. Ad hanc, fili dilectissime, solitudinem, dum sumus in hoc corpore, & peregrinamur à Domino, in medio quoque turbarum positi, assiduè recurramus: & quod in extremis orbis finibus quæreremus, in nobismetipsis (nam & regnum Dei intra nos est) inveniamus. Ibi solitarium arcani silentium adoremus, & procidamus ante Deum: ploremus coram Domino qui fecit nos, effundamus coram illo

corda

Marginal references: 2. Reg. 15. — 4. Reg. 2. — 1. Thess. 4. — Matt. 24. — Gen. 12. — Iob 1. — 2. Pet. 2. — Matt. 2. — Gen. 24. — Phil. 3. — Mat. 5. — Mich. 7. — Ephes. 6. — Esai. 2. — Psal. 54. — Luc. 17.

A corda nostra: &, ut ait beatus Hieronymus, nostras pariter, mundique miserias lugeamus. Est quippe nobis multa lugendi materia, ut quæ propria sunt, taceam, quod mundus in maligno positus est, quod instant tempora periculosa, quod abundavit iniquitas, & refrixit charitas: quòd verè nunc defecit sanctus, quod diminutæ sunt veritates à filiis hominum: quod omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt: quod non est qui faciat bonum, non est usque ad unum: quod quotidie perditi homines Iudaica rabie crucifigunt sibimetipsis filium Dei, & ostentui habent: quod sine intermissione thesaurizantes sibi iram in die iræ, assidua igni æterna seipsos pabula subministrant. Et quis universa enumeret? Ista & his similia intentiore intuitu conspicientes, atque intra mentis heremum coram Domino deflentes, ut carbo carbonem, alter alterum accendamus, ne fons ille misericordiæ semper patens super nos se contineat, obsecremus: in domo B luctus cum sapienter mœrentibus, non in domo convivij cum stultis epulantibus esse eligamus, ut & nobis à Domino dicatur. *Et vos igitur nunc quidem tristitiam habetis. Iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* (Ioan.16.) Ecce autem dum hæc scribo, luctui nostro congruens luctuosus nuncius supervenit, & cum uberibus lachrymis memorandum illum, illum Gerardum nostrum, nostrum plane nostrum à nobis recessisse, &, ut quod vere sentio dicam, non de vita in mortem decidisse, sed mortem vita commutasse narravit. Quod ubi repentina relatione cognovi, ut in re inopinata fieri solet, aliquamdiu hæsi. Dehinc cum coram fratribus vix voce ad hoc sufficiente absolvens, interiore me igne urgente surrexi, & Ecclesiam petens mox agendam incepi. Vbi eius dulce funus quamvis absentis, & tarde cognitum, multis, ut dignum erat, lachrymis prosequens, & vigilia Epiphaniæ Domini sacri corporis, & sanguinis pro eo ipse hostiam offerens, piam animam pijssimo redemptori, cui semper adhæserat, C commendavi. Vt enim cætera eius bona taceam, quæ proprium & prolixum exposcerent tractatum: in quo rectius Domini promissum implebitur, dicentis, *Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum: in me manet, & ego in eo:* (Ioan.6.) Et rursum, *Ego sum panis vitæ qui de cœlo descendit: si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum:* quàm in hoc nostro mortuo, qui quo ad vixit, panem hunc vitæ, hoc est corpus Domini sui, pene quotidie semper ad vitam suscepit? Vivit, inquam, vivit in æternum: qui cum bonæ conscientiæ testimonio semper manducavit panem, qui dat vitam in æternum.

## EPISTOLA XXIII.

*Venerabili & intimo nobis Domino, & patri Heinrico VVintonien. Episcopo, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, salutem.*

D MVlta quidem, & magna à vestra magnificentia nobis, & vestris Cluniac. impensa beneficia, multas & magnas merito exigunt gratiarum actiones. Sed illud unum nuper collatum, sui magnitudine inter alia, licet magnifica, transcendit, & excellentius benignæ mentis vestræ affectum nobis commendat. Quis enim vel hebes non videat, quanta in corde ingenuo vis dilectionis extiterit, quæ disruptis, mordacibus curis, postpositis regalibus negociis, tantis reipublicæ vestræ implicationibus intermissis, sublimitatem vestram ad invisendos humiles, & devotos filios vestros Cluniacum traxit? Lætatus sum supra modum istud audiens, sed tristatus sum supra modum, tanto me hospiti occurrere non posse cognoscens. Nec me plane retinere ab itinere potuissent, quælibet, vel quantali- E bet nostra negocia. Quod enim huic negotio par? Sed sola me detinuit, quam præcavere non potui, ignorantia. Tam tarde quippe ad me pervenit vestri adventus certitudo, ut secundum dies, quos à cursore accepi, nullo pacto nec in Nivernensi Comitatu consequi vestigia vestra valerem. Ea de causa cum iam abruptis universis provincialibus retinaculis, non tam ire quam discurrere ad vos usque voluissem, impossibilitate cogente ultra quam dicere possim mœstus remansi. Vnde quia per me non potui, per quos possum dilecti iter prosequor: & per fratrem Drogonem socium nostrum sapientem, & vobis, ut æstimo, notum, singulari Domino & amico, quæ scribere non licuit, mando.

## EPISTOLA XXIV.

F *Venerabili Domino, & patri charissimo Heinrico VVintonien. Episcopo, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, salutem, & se totum.*

VOlenti sæpe mihi scribere vobis, & cor meũ hoc saltem remedio, amico communicare: occurrit quod alibi nusquam. Impatiens enim animus, & se verbis indicare gestiens, loqui æstuat, & veretur. Æstuat, ut se aperiat: veretur, ne displiceat. Timet, ne si multum taceat, alienus: si multum loquatur, videatur importunus. Ita fit, ut & loqui, & tacere pariter reformidem. Sed malo quandoque in verbis excedere, quam quæ dicenda sunt, reticere. Hoc dixi, ut frequentibus, quas mitto, literis, viam faciam: & ad eas sæpe legendas, etiam pigritantem amicum oculum vestrum aperiam. Eligo magis verbosus amicus permanere, quam taciturnus sensim ab amore languere. Et ne ultra vel me scribentem, vel vos legentem suspendam, illud unum, illud singulariter, illud præ G omnibus, & super omnia hac vice omnium rogo, & per eam salutis vestræ spem, quam in vestra Cluniaco habetis, obsecro: ut Ecclesiæ illi vestræ, cui post Deum animam vestram commisistis, corpus etiam non negetis. Erit hoc largitatis vestræ donum omni nobis munere charius, quod omnibus Anglicis thesauris gratius accipiemus, si in hoc vos munificum senserimus. Decet Cluniacum corpus vestrum saltem post spiritum possidere, ut cui vos in monachatu vovistis, ei post functum sacerdotium vos reddatis. Congruum, est ut locus ille carni vestræ sepulturam provideat, qui toto mundo devotius, animæ vestræ perpetuis requiem precibus providebit. Super his commune rescriptum instanter postulamus, & nobis ac Capitulo mitti rogamus. De cætero fratrem Durannum, & eius universa negotia vestræ magnificentiæ commendamus: quem quia gratiam coram vobis invenisse audivimus, eum ad præsens ad Angliam destinamus. Specialiter autem de manerio centum marcarum vos rogamus, ut sicut illud dono quidem regis, sed maximè vestra benevolentia & studio Cluniacus possidet: ita qualiter in pace semper possidere valeat, provideatis.

H

## EPISTOLA XXV.

*Charissimo Domino, & patri venerabili Heinrico VVintonien. Episcopo, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, salutem.*

LÆtatus sum in his quæ dicta sunt mihi. Solebam olim conqueri de silentio vestro, quod dignationis vestræ literæ circumpositis quibuslibet missæ, me solum prætteribant: nunc quas possum gratias ago, quoniam

&

A & Epistolæ sæpe exhilarant, & nuncij lætificant. Nuper enim & quidam ignotus mihi clericus Antisiodori, & Prior Montis-acuti Cluniaci, præsente Conventu tam amicabilia & magnifica retulerunt: ut ferventes iamdudum in amorem vestrum universorum animos multo magis accenderent, & calentes vehementius ignirent. Extulerunt corda audientium in sublime, & tanti muneris largitori medulatum omnes sacrificium obtulerunt: qui cor vestrum clementi manu ad eorum humilitatem diligendam inclinavit, & fortem columnam, cui specialius tota domus eius Cluniacensis innitatur, erexit. Et ne longus fiam, iteratis per præsentium latores precibus rogo, ne in his quæ per fratrem Durannum rogavi, repulsam patiar! ut in loco illo locum vestro corpori eligatis, cui cæteris devotius B animam devovistis.

## EPISTOLA XXVI.

*Innocentius Episcopus, servus servorum Dei dilecto filio Petro Abbati Cluniacensium, salutem, & Apostolicam benedictionem.*

SVper sollicitudine atque diligentia, quam erga nos, & beati Petri negociate exhibere cognovimus: omnipotenti Deo, & tuæ devotioni gratias agimus. Benedictus igitur Dominus Deus Israël, qui visitavit & fecit redemptionem plebis suæ. Qui etiam ita nobiscum magnificare dignatus est misericordiam suam, ita fecit prosperum iter nostrum: ut ab urbe Roma usque Barrum, vix aliqua civitas, castrumve remanserit, quod beato Petro & nobis subiectum, & obediens non C existat. Qua in re gaudemus divinæ manus antiqua coruscare miracula, dum sancta Ecclesia quanto amplius sub malleo tribulationis tundi conspicitur, tanto altius sublevatur, † & more aromatum, quo magis verberibus teritur, eo latius adoramenta suavitatis effundit. Et quidem optabile nobis erat si quemadmodum nobis per litteras indicasti, personæ tuæ possemus habere præsentiam: ut vel sic labores nostri diurni, atque nocturni valerent Deo propitio mitigari. Sed quoniam æstivi fervores, & aëris intemperies, necnon fragilitas complexionis tuæ id minime patiuntur: charitatem tuam hortamur in Domino, quatenus his omissis, una cum sacro Cluniacensi Collegio, orationibus consuetis insistas: ut benignitatem, quam Conditor noster voluit nobis hactenus exhibere, felici consummatione perficiat: & diutinis laboribus sponsæ tuæ, atque Christiani populi, sub iugo illius tyranni Siculi macerati, vestris & aliorum religiosorum precibus inclinatus, iam nunc optatum finem imponat. Quod profecto, sicut de ipsius pietate confidimus, velociter consummabitur. De cætero præfatum Conventum per te in Domino salutantes: nos & fratres D nostros tuis, & eorum orationibus commendamus. Data in territorio Potentiensi X I I I. Kalen. Augusti.

† sublimatur.

## EPISTOLA XXVII.

*Summo, & nostro speciali patri domno Papæ Innocentio, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, salutem & obedientiam.*

GRatias quas possum ago, quod paterna pietate filio pepercistis, & fragili complexioni meæ, ne in via deficerem, providistis. Cui condescensioni non debeo videri ingratus, quia iure exuit hæredem, qui non est munificus in hæreditatis datorem. Decreveram per præsentium latores mittere digna Patri, & E Ecclesiæ laboranti, etiam in temporalibus subvenire. Sed quia per me ipsum hoc facere disponebam, distuli. Mandate igitur, si placet, locum ubi congrue usque ad Pascha Domini, aut ipse si potuero, aut alij certe nuncij nostri vos invenire valeant. Per quos rursum & vos invisere, & Ecclesiæ necessitatibus valeam subvenire. Interim esse vestrum & statum pacis, mihi & nostris non parum nosse cupientibus, per istos remandate.

## EPISTOLA XXVIII.

*Summo Pontifici, & nostro speciali Patri Domino Papæ Innocentio, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, obedientiam & amorem.* F

RVmor ad nos usque pervenit, quod quidā paternitatis vestræ auribus importuni existant ut Dominus Vizeliacensis Abbas de Vizeliacēsi monasterio ad Lingonen. Ecclesiam, de Abbate in Episcopum transferatur. Hos ne audiatis, & nos rogamus, & ipsa ratio implorat. Nec tātū implorat, sed, ut audacter & veraciter loquar, imperat, & compellit. Imperat plane, & compellit: quia cum iure maiestas Apostolica omnibus dominetur, soli tantum rationi subiici gloriatur. Qualem ille faciem loci illius auctoritate vestra à nobis ibi positus invenerit, qualem iam reddiderit, ne longum faciam, vos quidem audistis, sed nos cognovimus: vos forte nostis, sed nos melius. Super aridum & caligosum montem levatus in signum, ita eum pinguem religione, sic eum luminosum bono nomine reddidit, ut in partibus nostris Vizeliacus, excepta Cluniaco, in nostris Ordinis studiis nullum patiatur habere priorem, vereque etiam de ipso dici possit. *Mons coagulatus, mons pinguis: mons in quo placitum est Deo habitare in eo.* Quodque valde difficile, & ideirco mirum est, labore huius nec turba ibi secretum, nec clamor silentium, nec strepitus ordinem, nec mundus monachis potest auferre quietem. Vnde vestræ sapientiæ providendum est, ne longo tempore & multo labore parta bona, momento depereant: quia & domus diuturno sudore constructa, una die destrui; & arbor multis annis vix ad fructum provecta, subito eradicari; & puer magna nutricum cura, tandem in virum perductus, uno potest ictu occidi. Hoc de Vizeliaco, Abbate sublato, provenire timemus. Quod si cum ratione, & auctoritas iuvare non potest, recordamini primam curam debere vos vestris: & audite Apostolum dicentem, *Operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei.* Et qui suorum curam negligit, & maxime domesticorum, non est meum sequentia adiungere, nec Patri Apostolico, saltem de Apostolo aliqua duriora proferre. Scitis ipse quid sequatur. Hoc ideirco dixi, quia & si Lingonensis Ecclesia vestra, multomagis Vizeliacensis vestra, multomagis Cluniacensis vestra. Quod igitur magis vestrum est, auctoritate & ratione magis à vobis diligendum, & conservandum est. Quod tunc fiet, si domno Abbate in locum proprium restituto, nullum adversa suadentem audieritis.

G Psal. 67.

Gal. 6. 1. Tim. 5.

H

## EPISTOLA XXIX.

*Venerabili & dilectissimo mihi domno Bernardo Claraevallis Abbati, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, valere semper in Domino.*

QVantum reverentiæ, quantum amoris tibi anima mea in penetralibus suis conservet, novit ille

quem

A quem in te veneror & amplector. Feci hoc, etiam dum adhuc absentia tua, vultum corporis tui mihi invidens, abscondebat: quia iam fama velocior corpore, beatæ animæ tuæ faciem, oculis mentis meæ modo quo poterat, inferebat. At ubi quod diu negatum fuerat, tandem sum allecutus, & phantasmata somniorum veritate succedente evanuerunt: adhæsit anima mea tibi, nec ab amore tuo ultra divelli potuit. Ita charitas tua totum me sibi deinceps vendicavit, ita virtutes tuæ & cogniti mores rapuerant, ut nihil mihi de me quod tuum non esset, relinquerent, nihil tibi de te non meum esse permitterent. Mansit in me constanter ex illo tempore, & utinam sic in te maneat Christi causa cœpta, mutua charitas, quæ sola, quia nunquam excidere novit, morem suum, quantum ad te pertinet, in me optime conservavit. Cumque hanc
B omni auro chariorem, omni gemma clariorem, in sinu meo reposuerim, in thesauris absconderim: miror quod tanto tempore, non qualia vellem indicia, huius à te custoditæ charitatis acceperim. Ago quidem gratias, quod sæpe per quoslibet salutationibus missis, non penitus te amici oblitum signasti. Sed queror, quod certiora per literas indicia hactenus non dedisti. Certiora dixi, quia nescit charta impressum mutare sermonem; cum loquentium lingua, addendo, vel demendo, iniunctam mutet sæpius veritatem. Unde, quia ut electus præliator, paratus in diem belli, pro Ecclesia Dei periculis, dextra, ut læva uteris, & per arma iustitiæ à dextris & à sinistris contemnis: nuntios meos, quos domno Papæ dirigo, ex parte amicitiæ tuæ securè committo: quoniam qui alienorum causis assistis, tuorum negotiis deesse non poteris. Per quos, ut querela mea sopiatur, esse tuum, ac reditum, & statum domni Papæ, non solum legatis meis, sed & literis tuis committe. Utinam & te à curia laboriosa, & me à cura periculosa expeditum, ut semper optavi,
C numquam mutandus unus locus retineret, una charitas uniret, unus Christus susciperet.

## EPISTOLA XXX.

*Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, Giloni utinam fratri, spiritum consilij, & timoris Domini.*

Silerem, non loquerer; quiescerem, non scriberem: si charitas spreta spernere, si læsa potuisset dolere. Sed quoniam, iuxta scripturam, & item secundum eandem, omnia suffert: non potui, vel contemptus contemnere, vel læsus ulcisci. Non quo tanti fastigij virtutem, humilitati meæ inesse, vel iactem, vel suspicer: sed quia mihi conscius sum, eam tibi etsi non servasse, tamen hactenus servare voluisse. Attestatur huic erga te affectui meo, & qualitas temporis
D ipsius: in quo cum ipsa charitas vix apparere auderet, simulachrum charitatis se mentiri charitatem nullo modo potuisset. Hoc & Salomonis illa sententia. Non
Eccl. 12. agnoscitur in bonis amicus, nec absconditur in malis inimicus. At è diverso me & bonis tuis numquam affuisse, & malis numquam defuisse: si recolis, agnoscis. Hic plane, hic secundum meam, & fortasse etiam secundum sapientum sententiam: hic, inquam, est integer veræ amicitiæ modus, si non magis prosperis quam adversis amici, amicus communicat: si mala eius, non minus quam propria sentiat. Hanc erga te, licet non habuerim, habere tamen, ut dixi, conatus sum: quam in tantum habui, in quantum habere nisus sum. Hanc læsisti, quando te à nobis separasti. Hanc sprevisti, quando invitatus, rogatus, adiuratus, redire contempsisti. An non læsisti, quando à Christiani orbis corpore membrum peritile, hoc est, teipsum, infandi schismatis gladio præcidisti? An non læsisti, quando ab universali Ecclesia Christianus, & à Romana Episcopus, & à Cluniacens. monachus recessisti? An non læsisti pariter & sprevisti, quando E
præcisionis tuæ dolore stimulatos, & ideirco reclamantes, revocantes, retrahentes, me aliosque fratres tuos hucusque non audisti, contempsisti, respuisti? *Laboravi clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ:* defecit vox Ps. 68.
clamando, stylus obtusus, articuli attriti scribendo, periculum multiplex intentatum, preces effusæ, ratio invicta ostensa. Sed nec minæ terrere, nec preces mulcere, nec ratio reditum potuit suadere. Nosti, quid Pictavis dictum, quid Gratianopoli, anno proximo præterito, à te mihi ac fratribus, qui mecum venerant, fuerit promissum. Testis est anulus, & fides arctius suo lapide anulo illigata, quam mihi velut subsecuturi obsidem, cum eodem quem dixi, anulo reconsignasti. Sed à me quidem anulus custoditur, à Deo data fides servatur; & adhuc ut fides fidelis appareat, expectatur. Pentecostes tamen illa, quæ in terminum reversionis F
coram testibus præfixa fuerat, transacta est: & iam anni alterius eadem festivitas in proximo est. Sed forte ea spe, ut tunc innuebas, rem distulisti: qua sperabas ab imperatore Lothario, aut Petrum Leonis Innocentio Papæ præferri: aut utroque deposito, in Apostolica sede alium sublimari. At nunc, quid ultra novarum rerum, vel moliri, vel præstolari poteris: quando & Lotharius mortuus est, & Petrus extinctus est, & Innocentius in Papam, ac summum Pontificem, primo ab urbis parte, postmodum à toto urbe, & tandem à tota orbe sublimatus est, & tota vanitatis spes, divini oris gladio undique circumcisa est? *Revertere, revertere Sunamitis: revertere, revertere.* Nec mireris, quod te Cant. 6.
Sunamitem vocaui, quia & zelo tam diu obstinatæ voluntatis rapior, & salutis tuæ amore instigor. Nam, quod pace tua dictum sit, Sunamites verè hucusque fuisti, qui à fratribus & domesticis tuis recedens, apud alienos captivus, fere per decennium exulasti. Non sinas, ut de Behemoth legitur, cor tuum indurari sicut Iob 41.
lapidem, nec stringi ut malleatoris incudem: quæ G
quanto frequentioribus ictibus tunditur, tanto durius in semetipsam repressa densatur. Moveat cor tuum saltem sero, fraterna totiésque repetita admonitio: moveat corpus tuum non ad hostes, sed ab hostibus ad cives & parentes, felix transmigratio. Lætabimur magis de reddito, quam prius gaudebamus de possesso: & si non abuti hoc verbo volueris, eo eris gratior, quo fuisti tardior. Quod si consilium meum hoc iam non novum, sed antiquum tibi placet, scripto vel certo nuntio remanda: ut quia rari amici, multique te inimici circumstant, sicut veniendi consilium, sic si necesse fuerit, dare possim & veniendi subsidium. Si aliud, quod à te Deus avertat, forte deliberasti, & illud significa: quia, ut aliquid in fine literarum mordacis veritatis adiungam, si & ista contempseris, non poterimus te plusquam tu diligere, nec iam revocare, si deliberasti tam obstinate perire.

## EPISTOLA XXXI. H

*Venerabili & nobis dilecto Domino Guillelmo Aurasicensi Episcopo, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, salutem.*

Cum sapientem & religiosum vos & fuisse sciam, & esse non diffidam: mirari non satis sufficio, quod primitias præsulatus vestri, (quæ rogo, ea qua dicuntur, pace suscipite,) tanto studio monachorum insectationibus dedicastis. Quos enim religionis maior professio, religioso magis Episcopo commendare debuisset: nescio unde emergente occasione, duriorem, ut dicitur, præ cæteris experti sunt hostem, qui præ aliis vos magis debuerant sentire parentem. Et cum scriptura dicat, *Dominus iustus concidet cervices peccatorum*, decuisset, ut mihi videtur, & gladium exami- Psal. 128.
nis vestri prius splendescere in colla resistentium impiorum, quam limari, vel exeri in iugulos obedientium

monacho

A monachorum. Nec deesse potuissent, proh! mactandæ mucroni vestro victimæ, cum tot pepererit infelix terræ vestræ fertilitas diversorum graduum sacrilegos, schismaticos, hæreticos, tam occultos, quam publicos: ut si parcere non decrevisset, ante potuisset hebescere, quam universos extinguere. Quod si forte ad illa illibato acumine perdurasset, tunc demum iustum fuerat converti ad levia monachorum, cum fuissent desecta gravia laicorum. Sed quod magis indecens, ne dicam, turpe est: non de gravibus, vel levibus vitiis, sed de rebus pecuniariis, inter sanctum Episcopum & religiosos monachos, quæstio versatur. Nec attendit Apostolus episcopis, aut monachis, sed ipsis laicis, dicens, *Omnino delictum est, quod causa sunt inter vos.* (1 Cor. 6.) Sed quia vos tam divinarum, quàm humanarum legum peritum novi, utpote qui aliquando de his vobiscum publicè & privatim contulerim: recordamini legis divinæ, quæ dicit. *Quicquid vovisti, reddes pro salute tua Domino.* Et, *noli transgredi terminos antiquos, quos posuerunt † patres tui.* (B. Deut. 23. Prov. 22. † statuerunt.) Recolite, & illud Romanæ legis. Nihil tam iuri naturali conveniens est, quam voluntatem Domini, volentis in alium rem suam transferre, ratam haberi. Hæc ideirco dico, quia cum constet apud nostros, & forsitan vestros, ne dicam apud vos, fratres de Podioleno Ecclesiam Sancti Martini, dono prædecessoris vestri Arausicensis Episcopi & concessione domni Vrbani Papæ, non tantum iuris proprietate, sed & corporali possessione, legali, quod ipse nostis, tempore possedisse: à vobis tamen nimia, ne dicam iniusta & damnosa, ne dicam calumniosa vexatione, quod numquam hactenus, fatigantur. Qui cum & instrumenta factæ donationis, & subsequutæ, vt ipsi dicunt, & nos vidimus, transactionis ostenderint, quæ si probabilia sunt, vicem testium obtinent: nec sic pacem quam persequuntur apprehendere, nec requiem talibus præcipue necessariam, à Patre filij, ab Episcopo monachi, obtinere prævalent. Insuper quod de tanto viro credere valde durum esset, C nisi rerum ipse effectus doceret: Apostolica scripta, quæ alios iuvare consueverunt, fratribus illis præter solitum nocuerunt. Quæ cum charitati vestræ, ut audivi, præciperent, ut in illa interdicti sententia à vobis in Ecclesiis promulgata, manus sibi decisoria reservaretur, octo tantum diebus obedistis: cui obedientiæ annuam inobedientiam rependistis, cum Ecclesias illas, contra præcepta Apostolica, divinis officiis vacare fecistis. Sed quid plura? Parcite si placet amicis, fratribus, filiis, ne gloriæ vestræ maculam inferre velitis: & de ignominia vilium hominum gloriari, & de spoliis egenorum ditescere cupiatis. Quod si non placet, denunciate diem, in quo licet nihil de amico lucremur, Apostolico examine, & quæ vestra sunt retinere: & quæ aliena, non vestra esse, quamvis iusto serius cognoscatis. Sed inuiti causas intrabimus. Ad quas nisi unco violenti traheremur, lites iudiciorum, maxime Episcopalium subterfugere: & gratum voluntati, & congruum esset professioni.

## EPISTOLA XXXII.

D *Nobilissimo Principi, & charissimo amico nostro, domno Amedeo Comiti & Marchioni, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, salutem & æterni participium principatus.*

GLoriosus rex Francorum Ludovicus, & ante miserat, & nunc iterum nobis misit nuntios suos: quos & vobis dirigi, & per manum nostram, quod à vobis petierint impleri rogavit. Qui quamvis per seipsum, utpote, insignis flos & præfulgidum germinis vestri sidus, cuncta quæ voluerit, apud vos debeat obtinere: quia tamen me precum suarum mediatorem elegit, rogo ut sicut ipse hoc per me petendo, efficacius se impetrare confidit, ita vos largiendo, non frustra eum istud sperasse monstretis. (E) Cumque ipse superna gratia, & regni terminos pene duplicando, & iuveniles annos virtutibus adornando, summa vestri generis gloria fit: non debet aliquam in precibus suis pati repulsam, cui & regia magnitudo, & sanguinis communio, cuncta de vobis sperare suadent. Et cum derivato à patre nomine, regis patruus dicamini: decet vos & eius regno consulere, & ipsi ut filio in omnibus providere. Quod utrumque simul implebitis, si eum in præsenti negotio audieritis. Sed nolui illud his, quas mitto, literis inserere: quia plenus id ab ore nuntiantis, quam à manu scribentis accipere poteritis. Hoc postquam agnoveritis, quod tamen & iam audistis, oro ne innocenti puero Patrum peccata, ne Reginæ vel regalium aulicorum veteres forsitan culpæ, novo Regi noceant: quia iuxta divinam Prophetæ sententiam, *Non portabit filius iniquitatem patris, nec pater iniquitatem filij:* (Ezec. 18.) date operam, quod & facere pro cunctis mortalibus, natura ipsa compellente, debetis, pro- (F) fectibus & honori ipsius: quoniam & in profectu eius vos proficere, & honorem ipsius vobis, ut credo, gloriam parere sentietis.

## EPISTOLA XXXIII.

*Venerabili & intimo nobis domino Atoni Trecensium Episcopo, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, salutem quam sibi.*

FEstinante ad reditum nuntio vestro, & quadragesimalis temporis opportuna importunitate prohibente, respondere nuper literis vestris non potui. Potuissem quidem cuilibet dictanda ingerere, sed malui in cor vestrum ex corde meo, quam ex ore alterius mandanda transfundere. (G) Illud quare maluerim, hæc causa est. Habent vina hunc morem, ut de vase in vas frequenter transfusa, à virtute naturali languescant: si recentia hauriantur, vini saporem integre servasse probantur. Sic verba per aures alienas, aliorum cordibus committenda, referentium inscitia, incuria, industria: aut non intellectam, aut neglectam, aut depravatam, quandoque augent, mutant, minuunt veritatem. Vnde quia certius quisque cor suum quam alter agnoscit: verius seipsum quam alter exponit. Illud ut fugiam, istud ut assequar, proposui semper quando vacat, amico, cui me totum debeo, non cuilibet, sed mihi ipsi me exponendo committere: ut & falsitatis suspitio tollatur, & dilecto præ cæteris, remotis cæteris per seipsum animus colloquatur. Mandastis quid de Ordinibus apud Charitatem factis, novo homini nova verba loquenti respondere deberetis. Ad quod respondeo, non debere veterem & expertum veteri inexpertorum novitatem verborum: quia & frenorum in primis impatiens equus, diuturno cursu paulatim lentescens, nec stimulis ad ultimum proprio iam cruore imbutis obedit, & pugil recenti virtute importabilis, infirmiori persæpe collegæ succumbit, & mucro noviter exacutus, vel feriens, vel otiosus hebescit. (H) Ita omnium rerum novarum immoderatus modus se habet, ut ipsa sui novitate sibi & aliis admirandus, in primis ferveat, citiusque sperato tepescat. Præstringit oculos chorusci instar splendoris, qui sicut se repentinus ingerit, sic vix visus recedit: itaque noctem illustrat, ut densiores tenebras recedens relinquat. Durandum est ideirco, & novitatis levitas constanter ferenda: quia qui adhuc recenti spiritu fervens, putat omnia sibi licere, cum exhausto pectore nihil potuerit, discet nunc loquax quandoque silere. Proferentur suo tempore, nova loquenti, de thesauro Romanæ Gazæ privilegia nova & vetera: quibus ut monachi Cluniacenses à quo maluerint Catholico Episcopo sacros Ordines suscipiant, Apostolica auctoritate decernitur, & omnis

contra

contradicens, nisi admonitus resipuerit, anathematis vinculo innodatur. Misissem sanctitati vestræ exemplaria eorum, sed quia ille, de quo agitur, nostrum te amicum hucusque, aut exhibuit, aut dixit, non est lædendus amor: qui si est, apparebit: si non est, non latebit. Eapropter proposui ei scribere, & de his alterum experiri. Qui si amator est, amici gratia querelam deponet: si non, non vobiscum, sed nobiscum de his aget. Non est iustum, ut de re, quam nec vobis, nec pro vobis, sed nobis, & pro nobis fecistis, aliquid molestiæ sine nobis sentiatis. Ero ipse scutum vestrum, quo protectus aut iacula immissa ab hoste non sentietis: aut nisi me transfixo, sentire non poteritis. Sed ecce dum hæc paro, velut futuræ litis diremptor, nuncius intervenit: & rem de qua agebam, pacis transactione, iudiciis exemptam retulit. Dixit, Trecensi cum Antisiodorensi Episcopo de pace convenisse, & post collatam de re iam dicta quæstionem, omnium sopita simultate, pacificè abinvicem recessisse. Quæ utrum sic se habeant, rescribite: ut si verum est, adgaudere; si falsum, ad ea quæ præmisi me celerius valeam expedire. De sequenti quod literis indidistis capitulo, id responsi accipite. Missus est à festo Sancti Martini nuncius Romam, unus ex circumpositis nobis prioribus, quem quia non agnoscitis, nec nomino: idoneus tamen, qui in hebdomada mediam Quadragesimam proximè præcedente, rediit. Dixit, se lustrando Cellas Cluniacenses, & Monasteria nostra cis Appenninum sita, in Italia moram fecisse: indeque usque ad mare Veneticum, omnia peragrando, Romam pro iniunctis negotiis summo studio contendere voluisse, nec potuisse. Capi monachos, spoliari Episcopos, interfici clericos: nec illis religionem, nec istis dignitatem adesse, vel in modico posse. Itinera obstructa latronibus, raptoribus campos, gladiatoribus silvas oppletas, ipsumque Latium singulatem olim Romanæ gloriæ sedem, non civibus, sed barbaris & hostibus sævissimis substratum gemere. Cumque sibi interclusa omnia cerneret, meliore usus consilio, misit loco sui fratrem quemdam, olim domni Matthæi Albanensis Episcopi Capellanum, virum quem & ipse novi strenuum, Domino Papæ, Cardinalibus, & cæteris, qui supersunt, optime notum: utpote qui multis annis in Curia moratus, & iter eorum per diversa prosecutus est. Huic omnia iniuncta iniunxit, & illum cum literis nostris vestrisque direxit. Hunc ante Pascha Domini, cum ipsius auxilio Domini rediturum expecto: cuncta reverentiæ vestræ, quæ retulerit, relaturus. Et si quid, quod non credo, perfectionis negocio illi defuerit, demum executurus. Pro Guarino clerico, monachum nostrum præcurrente, satis sobrium vobis Dominus Papa mandatum imposuit: ut si libera præbenda pateret, ei daretur: si non, prima quæ occurreret præberetur. Sed quæ vel Cluniaco ipsius Domini Papæ precibus & præcepto datata prius fuerat, non patet: vel quæ filio Odnini, non patet. Et quia præter has duas nulla, ut æstimo, ad præsens residua est, nulla danda est. Cum dehinc alia occurrerit, aut præceptum implebitis, aut à præcepti auctore sententiam immutari rogabitis. Interim, & si ille, ut audivi, Romam redierit, & illud notum facite.

## EPISTOLA XXXIV.

*Venerabili Domino, & suo pene solitario amico, Atoni Trecensium Episcopo, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, salutem, & se.*

MAgister G·buinus Archidiaconus vester, Dominica instantis mediæ Quadragesimæ Cluniacum venit. Interrogatus à me quo tenderet, quæ causa itineris esset respondit Romam se tendere, causam itineris legationem Lingonensium esse. At ego & vultum nubilum in eo, & Garinum fratrem eius cum eo attendens; intellexi dolos in vulpe latentes, nec dissimulandum ratus, conveni hominem, & nuda manu sermonis cor velatum retexi. Dixi frustra cum conari contra ictum fluminis, nequicquam vires intumere, posse illum undarum molibus obrui, non posse indomitam vim fluctuum retrorsum cogi. Cedendum vel ratione religioni, vel necessitate fortiori: subditum à Prælato, clericum ab Episcopo, precibus, non minis, humilitate, non contumacia: vultu supplici, non voce minaci, præbendam vel quidlibet tale extorquere non posse, impetrare valere. Quod si mallet in incepto persistere, quam consulto acquiescere, sciret addi quantulamcumque virtutem meam viribus vestris: priusquam utrumque deficere, quam sineret constanti iustitiæ pertinacem iniustitiam prævalere. Hæc audiens, velut telo compunctus, se à me proripuit: nec multum moratus, demum rediit. Dixit se saniorem reverti, quam recessisset, profuisse sibi austera, nihilque mellitum sonantia verba: amarum verè cor à vobis se retulisse, sed iam dulcedine amaritudinem commutasse. Velle se de cætero præcepto vestro, meo consilio subdi: orare ut mediator existens pacatum iam, & obedientem famulum Domino, filium patri, Archidiaconum Episcopo reformarem: darémque operam, ut talem vos ei restituerem, qualem se vobis amico studio comparasset. Necesse sibi esse propter susceptum legationis munus ire quò cœperat, sed fidelem veraciter non phantastice iam factum vobis, non contra vos iterum, fidemque deinceps domi forisque fideliter servaturum. Cumque se id mihi nondum persuasisse sentiret, apprehensa manu mea, indeque osculo petito, ut mos est, in talibus fidem dedit. Rogavit deinde, ut missis literis, quæ dicta factave fuerant, vobis nota facerem. Sic eo quo venerat die recessit. Sed quoniam iuxta quod dicitur, Fere nusquam tuta fides, cum iam propter præbendæ illius negotium, nuncium ad urbem præmisissem: ante primi reditum, secundum destinavi, qui iter eius aut anticipet, aut sequatur: ut si data fides forte vacillaverit, infidelem arguat, si permanserit, testimonium ferat. Præter hæc illud rogo, & consulo, ut secundum Domini Papæ mandatum, primam, quæ occurrerit, præbendam Guarino conservetis: & deinceps nondum habita promittere caveatis. Tutius est enim diu dicenda deliberare, quam post dicta pœnitere. Et ne miremini duas vobis simul epistolas mitti, scitote accidentia rerum ita continuata, ut vix prima elapsa de manibus, causa sequentis inccurreret: ut sicut pene simul oportuit scribi, sic simul etiam oportuerit mitti.

*Virgilius.*

## EPISTOLA XXXV.

*Reverendo Patri & excelso in verbo gloriæ, Petro Dei gratia Cluniacensium Abbati, Ato Trecensis Ecclesiæ humilis minister, alter ipse seipsum, & si quid est ultra.*

DEsiderabilem supernæ consolationis thesaurum in litteris vestris, sancte Pater, inveni, quæ super mel & favum dulces, lætificaverunt spiritum meum: in docendo spiritualem medicum, in operando, cœlestem exprimentes Philosophum: in quibus charitatis affectus, naturæ facundia, gratiæ redundat disciplina. Vos enim divini, ut credo, non ignarus consilij, tanquam ex Iacob factus Israel, & cogitatis fideliter, & profertis utiliter, & efficaciter adimpletis. Huius rei gratia, velut umbram æstuans, fontem sitiens, vestram desidero videre beatitudinem. Iocundatur vultus hilaritate confovendus & dulciloquio, lætatur animus vestro informandus exemplo: & utriusque hominis status desiderat videre visionem hanc gran-

A dem. Sufficit enim mihi ut videam vos ut vobiscum sim antequam moriar. Vos quidem, ut pace vestra fatear, alter nostri sæculi Ioannes videmini, qui doctrinæ fluenta de ipso Dominici pectoris fonte hausistis: unde his, qui & prope & longe sunt, eructare sufficiatis occulta cœlestium mysteriorum, documenta scripturarum, confutationes hæreticorum: ita ut omnes qui audiunt dicant, *Gloria in altissimis Deo, quia Propheta magnus surrexit in nobis.* Gaudens igitur gaudeo in Domino, quia religionis vestræ aromata, quæ mihi absenti suaviter, & mirabiliter redolent, oleum effusum nomen vestrum largiente Domino & oculis inspicere, & ut expressius loquar, manibus merui contrectare. Nomen vestrum mihi mel in ore, in aure melos, in corde iubilus. Nomen vestrum melius est, quam divitiæ multæ, unde festivam a nobilis personæ vestræ reverentiam,
B in qua multum Deo complacuit, piæ recordationis amplector desiderio, immo propter indissolubile dilectionis vinculum propriis visceribus alligavi stylo, ut ita dixerim, adamantino. Vos quidem estis vas aureum, vas electionis in domo Domini, speculum & forma vivendi: cuius munda coram Deo conscientia, coram hominibus bona fama, opera recta, verba utilia. Quod totum Deo spectat ad gloriam, vobis ad coronam, nobis & bonis omnibus ad generalem lætitiam. Cuius servitio & devotioni, meipsum, ultra quam credi potest, & expono, & exposui. Ideo autem aliquid in vobis laudare præterimus, ne sermo noster adulationem redolere videatur. Sed cogit nos vestræ religionis integritas, sapientiæ gloria, reverentia morum, funiculus triplex qui difficile rumpitur: ita ut in religione discretionem, in sapientia humilitatem, in moribus dulcedinem admiremur. Superest quod dignius est laude, inanis gloriæ remotio: quam sic penitus vacuastis ut in vobis impletum sit quod dicitur, Virtutis fructum sapiens in conscientia ponit, minus perfectus in gloria. Olivam uberem, & speciosam vocavit nomen vestrum Deus. Et ta-
C men ad vocem loquelæ grandis, ignis non exarsit in ea, nec combusta sunt omnia fruteta eius: quia sic virtutes vestras in occulto mentis abscondistis, ut odorem inanis gloriæ fugiatis. Prætereo ego minora bona maioribus obumbrata: virtutes vobis communes, & aliis singulares. In his omnibus, immo in uno horum omnium vulneratis cor meum, nec possunt aquæ multæ hanc extinguere charitatem: quia & si mundani fluminis unda cor meum circummovet, ignis tamen vestræ charitatis, assidue & memoriter ardens, fluctus inundantes absorbet. Sed insipiens ego, qui præsumo docere Minervam, qui totus cæcus volo illuminare videntem. Sed hoc facit illa, quæ nescit fucum simulationis, charitas scilicet, quæ iubet me totum exponere vobis. Volo linguam retinere, sed ipsa non permittit: stylum manu dimittere, sed ipsa interdicit. Timeo sermonem prolixum, & incompositum: sed ipsa dicit, Fac quod vis, quia singulari amico singulariter scribis. Mandastis ut vobis rescriberem de Abbate Pontiniacensi vel Episco-
D po Antissiodorensi, quid de Ordinibus apud Charitatem factis sentiret: vel si sermonem rigidum alicuius consilij malleo domuisset. Dixistis, vos scutum meum esse, quo protectus, aut iacula immissa ab hoste non sentirem: aut sine vobis transfixo, sentire non possem. Volo gratias reddere, sed munus gratiam transcendit, & ideo lingua à gratiarum actione quiescit. Veruntamen homo ille, sicut vos audistis, ante bellum arma deposuit: & qui se sibi leonem reddiderat, ad nos se agnum mansuetissimum destinavit, & ante tempestatem, navem submergens, quicquid erat querelæ in pace dimisit. Cognovit, quia ratione caret, ut novi antiquis, imperiti magistris, rudes præferantur emeritis. Nullam præbendam esse apertam, manifestis assertionibus declarastis. Magistro Guarino iuxta consilium vestrum præbenda conservabitur, nisi ab auctore sententiæ sententia commutetur. Nulli amplius præbendam promittam, quia etsi non lædit promittere, gravat tamen quandoque adimplere. Quod Gebuinum ita fervide convenistis, & post eum nuncium mittendo,
E altiorum astutia prævenistis, divinum fuit consilium, & vestræ sapientiæ certissimum documentum. Eapropter in ore nostro personat gratiarum actio, & vox laudis. De nuntio nostro & vestro, qui nunc venit, & alteri iniuncta iniunxit: laudamus, quoniam aliter fieri non potuisse cognoscimus. Sane expectatur à nobis sicut pluvia in vellus, ut frementium clericorum iram retundat, ut mucrone Apostolicæ vindictæ inobedientes coarguat, ut nescientes intelligere faciat, quanti sit ponderis Apostolica præcepta contemnere, & Cluniacensi nomini derogare. Ipsi enim sunt qui nec Deum timent, nec hominem reverentur: filij alieni, sapientes ut faciant mala, bene autem facere nescierunt muscæ morientes, quæ perdiderunt omnem suavitatem unguenti: muscæ Ægypti, à quibus inquietamur, quæ bibunt sanguinem de aqua factum, quorum omnium primogenita moriuntur: ventus turbinis veniens ab Aquilone, nubes excæcans, ignis involuens: mali animo, peiores lingua, pessimi vita. Vos autem, qui cum Domino ascenditis Hierosolymam, clamate ad Dominum clamore cordis altissimo, ut protegat nos sub umbra alarum suarum, donec transeat iniquitas: & ad nihilum deducat tribulantes nos, qui solus laborem & dolorem considerat. Salutat vos Manasses Rumiliacensis, reverendus filius noster, & singularis amicus vester. Salutat vos Odo Archidiaconus nepos meus, tam specialiter vester, quam singulariter noster. Salutat vos Nicolaus servus vester, qui in dilectione vestra nullam ponit mensuram, sed specialius omnibus vestram assiduè repræsentat memoriam. Hic adiutor noster est, & vestri gratia præcipuè nos diligit, & diligendo nos custodit. De Ascelino vestram paternitatem rogamus, ut eum nobis remittatis: quia Ecclesiæ sanctæ Margaritæ super omnes, & necessarius est, & specialis. Rogat hoc mecum Dominus Manasses speciali amore, qui multum vos diligit in veritate.

Hier. 4. Eccl. 10. Exod. 8. F

G

## EPISTOLA XXXVI.

*Summo Pontifici, & nostro speciali Patri, Domino Papæ Innocentio, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, obedientiam & amorem.*

ROgati rogamus, ut paterna pietas nobilis filiæ preces exaudiat: & eam eligendi libertatem, quam minoris nominis, inferioris dignitatis, Episcopatus, Abbatiæ, canonico & communi iure obtinent, nobili, magnæ, famosæ, Lingonensi Ecclesiæ, conservari iubeat: ut & ipsi simultatum occasiones amittant, & de pace eis per vos provisa, Deo & vobis gratias agant. Filium ducis Burgundiæ nostræ, maiestatis vestræ clementiam nunc primum adeuntem, vobis attentius commendamus: ut eo à vobis amore & honore suscipiatur: quatinus & bonæ spei filius, bonum Patrem se adiisse gratuletur, & vestro obsequio multomagis in posterum obnoxius reddatur.

H

## EPISTOLA XXXVII.

*Singulari reverentia & affectu colendo, domno Bernardo Clarevallis Abbati, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, salutem & seipsum.*

SCripsi nuper longiores, nunc breviores literas mitto. Quæ idcirco elingues sunt, quia in lingua latoris confidunt: nec alia fuit causa illarum, quam ut legentem ad portitorem mitterent, & ab eo exigi quod ipsæ reticebant monerent. Vnde dum has perlegitis, à ferente, ut referat quod istæ silent, perquirite: & ab

eo,

A eo, quod nec à me, nec ab eis poteſtis, audite. Eſt hic quem loquimur Gebuinus, mihi & vobis notiſſimus: mihi vobiſque, ut credo chariſſimus.

## EPISTOLA XXXVIII.

*Domino, & Patri reverendiſſimo Petro Cluniacenſium Abbati, ſuus Bernardus, quod ſuus.*

VIſitet te oriens ex alto, ô bone, vir quia viſitaſti me in terra aliena, & in loco peregrinationis meæ conſolatus es me. Benefeciſti, intelligens ſuper egenum & pauperem. Abſens eram, & abſens iam longo tempore: & recordatus es nominis mei, homo magnus, occupatus in magnis. Benedictus S. Angelus tuus, qui pio pectori tuo id ſuggeſſit. B Benedictus Deus noſter, qui perſuaſit. En teneo unde glorier apud extraneos, litteras tuas, & illas litteras in quibus tuam mihi animam effudiſti. Glorior, quod me habeas non modo in memoria, ſed & in gratia. Glorior, privilegio amoris tui. Refectus ſum de abundantia ſuavitatis pectoris tui. Non ſolum autem, ſed & glorior in tribulationibus: ſi quas dignus habitus ſum pro Eccleſia pati. Hæc plane gloria mea, & exaltans caput meum, Eccleſiæ triumphus. Nam ſi ſocij fuimus laboris, erimus & conſolationis. Collaborandum fuit, & compatiendum matri, (*Psal. 37.*) & ne de nobis quereretur dicens: *Qui iuxta me erant de longe ſteterunt, & vim faciebant qui quærebant animam meam.* Deo autem gratias, qui dedit ei victoriam, honeſtavit eam in laboribus, & complevit labores illius. Triſtitia noſtra in gaudium, & luctus noſter verſus in citharam eſt. Hiems tranſiit, imber abiit, & receſſit. Flores apparuerunt in terra noſtra, tempus putationis advenit. Amputatum eſt ſarmentum inutile putre membrum ille, ille iniquus, qui peccare fecit Iſrael: morte abſorptus eſt, traductus in ventrem inferi. (*Esai 28.*) C Fecerat quippe ſecundum Prophetam pactum cum morte, & cum inferno fœdus inierat. Ideoque iuxta Ezechielem, factus eſt perditio, & non ſubſiſtit in æternum. Alius quoque omnium ſicut maximus, ita & peſſimus inimicus, abſciſus nihilominus eſt. Et is erat unus ex amicis Eccleſiæ, ſed illis de quibus ſolet queri & dicere. (*Psal. 37.*) *Amici mei, & proximi mei adverſum me appropinquaverunt, & ſteterunt.* Si qui reſtant, cito ſperamus de ſimilibus idem iudicium. Prope eſt, ut revertar ad fratres meos: ſi vita comes fuerit, per vos, ſicut intendo, tranſiturus. Interim commendo me ſanctis orationibus veſtris. Salutamus fratrem Hugonem, Camerarium, & omnes qui circa vos ſunt, cum reliqua ſancta multitudine.

## EPISTOLA XXXIX.

*Glorioſo Principi, & magnifico Conſtantinopolitanæ urbis Imperatori Ioanni Calo. Frater Petrus humilis Cluniacenſium Abbas, ſalutem ab eo qui dat ſalutem Regibus.*

D GRatias omnipotenti Regi regum, cuius regnum, regnum eſt omnium ſeculorum: qui imperatoriam maieſtatem veſtram ſuper omnes Chriſtiani nominis principes exaltavit, & ad tuendam toto orbe Eccleſiam ſuam, velut in medio Orientis, Occidentis, Aquilonis, conſtituit. Vnde olim Aquilonalibus Barbaris, ſed & ultimis ac peſſimis Chriſtiani nominis inimicis Arabibus, in Occiduas, & Meridianas plagas irruentibus: regni veſtri partes, & ſi oppugnari, nunquam tamen expugnari, permiſit, ſed in vos magni illius Romani Imperij gloriam, nomenque transfudit. Voluit, ut ſicut poteſtas, ſic & vocabulum ad vos tranſmigraret: ac religione mutata, Imperio tranſlato, ſicut à Pagano Romulo Roma dicebatur, ſic à Chriſtiano reparatore Conſtantino veſtra urbs Conſtantinopolis vocaretur. E Hanc, ut dixi, velut metam intranſmeabilem, velut invictum obicem, velut præfixum, quem nunquam liceat tranſgredi, terminum: omnia providens ſupernus oculus Paganis regibus, Barbaris gentibus poſuit: quo Oriens terreatur, Boreas ſubdatur, Occidens defendatur. Iſto plane regni veſtri obice repulſi, & antiqui erroris, ſi qui ſuperſunt, Pagani, & novi hoſtes Chriſtiani nominis Turci, ſedibus proprijs contenti, in ſeipſos reprimuntur, ut nec aliena invadere audeant, & divini brachij virtute manum potentiæ veſtræ roborante, ſua etiam plerumque amittant. Super quibus regali magnitudini nos quidem, licet humiles, gratias agimus: à Deo vero æterna vos decorandum corona, ſi in his fideliter permanſeritis, nec in modico dubitamus. Præter hæc pro Hieroſolymitano Rege, pro Antiocheno Principe, pro univerſis denique Gallis noſtris, fidem veſtram & nobilitatem rogamus: ut quia F ipſi magnis urbibus, prædiis, parentibus, & locuplete patria, Domini Chriſti amore dimiſſis loca redemptionis humanæ, non altero quam ſui ſanguinis pretio mercati ſunt, & proprio aſſidue periculo defendunt, vos eiuſdem Chriſti veſtri amore eos ſuſtenteτis, foveatis, iuvetis, ne tanto zelo fidei, tantiſque laboribus parta, quod abſit, pereant. Erit illud non tantum merces fidei veſtræ, ſed etiam tutela non parva imperij veſtri: quando ſicut vos Aquilonis, ſic & illi impetus Orientis obtundent. Fecit hoc inter egregios Principes recenſendus Alexius pater veſter, cui ſicut in regno feliciter ſucceſſiſtis, ſic decet ut in tam bono opere felicius ſuccedatis. Qui inter multa laudabilia quæ geſſit, non paſſus Græciam ſuam, ſua univerſa bona includere: ad remotiſſimos manum beneficij ſui extendit, & non ſolum tranſmarina, ſed etiam tranſalpina loca copioſis muneribus, & precioſis ornamentis ditavit. Inter quæ Cluniaco monaſterio, omnibus Latinis Regibus & gentibus notiſſimo, eique ſubdito magno & religioſo loco, qui Charitas dicitur, Monaſterium iuxta ipſam regiam civitatem, quod Civitot vocatur, dedit, & in perpetuum Abbatis Cluniac. & Prioris de Charitate obedientiæ ſubiecit. G Quod noſtris aut mortuis, aut recedentibus, aut expulſis, alieni monachi invaſerunt, & iam ut audivimus, fere per triennium abſtulerunt. Oro igitur, & mecum univerſa Cluniac. Congregatio maieſtatem, & pietatem regiam deprecatur: ut nobis, & loco de Charitate per harum litterarum latores monaſterium ablatum reſtitui faciat, & pro æterna animæ ſuæ ſalute, ſervos Dei ibidem habitaturos ab iniurijs defendat, & in pace cuſtodiat. Et ut aliquid beneficij ſpiritualis vobis iſta facientibus rependamus, ſicut prædeceſſores noſtri, ac nos ipſi, reges Fr̄acorum, reges Anglorum, reges Hiſpanorum, reges Germanorum, ipſos imperatores Romanorum, ac vicinos vobis reges Vngarorum, confratres & comparticipes omnium beneficiorum Cluniac. congregationis fecimus: ita ſublimitatem veſtram, ex parte omnipotentis Dei, & beatiſſimæ Mariæ ſemper Virginis Dei Genitricis, & ſanctorum Apoſtolorum, & omnium Sanctorum in eiſdem ſpiritualibus beneficiis, plene & perfecte in quantum licet ſuſcipimus: ut omnipotens Salvator, & hic temporale regnum vobis adaugeat, & conſervet: & in futuro, cum ſanctis regibus vos ad ſempiternum perducat, Amen. H

## EPISTOLA XL.

*Venerabili, & magno Pontifici Dei Conſtantinopolitano Patriarchæ, Frater Petrus humilis Cluniacenſium Abbas æterni Pontificij ſtola indui, & gloria & honore coronari.*

QVamvis & terrarum remotio, & linguarum diviſio, nobis invicem & vultus invideant, & verba ſubducant: tamen unus Dominus, una fides, unum

A baptisma, una charitas & divisa coniungere, & affectus unire, & sermones debent aliquando communicare. Debemus eo glutine uniri in terris quo nunquam dissociandi cohærere expectamus in cœlis: ut illud in miseriis sit nobis refrigerium, quod in beatitudine perfectum erit præmium. utinam posset in me corpus, quod concupiscit spiritus, ut urbem à cœli rege Iesu Christo, & à principe terræ Constantino in Christo fundatam videre, & in ea non ædificia vel ornatus, sed fidem Deo subditorum Principum & prophetarum, Apostolorum, Evangelistarum, ac multorum Martyrum de diversis mundi partibus illuc translatorum vel ut commune Cemiterium videre, & adorare possem. Funderem qualescunque preces ad sanctos illos fidei, & spei nostræ Patres, magnaque mihi spes consequendæ gigneretur salutis: si quos eius habui prædicatores, habere mererer & pro ea intercessores. Viderem & optabilem B faciem vestram, & in vobis beatos urbis vestræ Pontifices venerarer: & ex eorum beatitudine, multiplicem miseriam meam, ut par esset, deflerem. Inirem fœdus nunquam dissolvendum, & in mutuum ac spirituale in amorem, nisi forte sperneretis, iurarem. Orarem præsens quod & absens rogo, ut me & Cluniac. fratrum omne in vestris populique vestri precibus spirituali charitatis dono susciperetis quod & a nobis, quod ad nos vel nostros pertinet, pari affectu consequeremini. Rogarem post illa, quod & nunc rogo, ut Cluniac. Ecclesiæ & Monasterio de Charitate locum, qui Civitot dicitur, iuxta Constantinopolim positum restitui iuberetis: ac Dominum Imperatorem, si necesse esset, pro eo restituendo rogaretis. Dedit illum Cluniaco, & Monasterio de Charitate, etiam apud nostros magni nominis, & gloriæ Imperator Alexius pater eius: cui sicut in regno, sic multomagis in iustitia & pietate illum decet succedere. Commendamus ergo excellentiæ Pontificali monachorum, & fratrum nostrorum humilitatem, ut per eos nobis nostra restitui faciatis: quatinus & iustitia quod suum est consequi, & à patre C filij mereantur exaudiri.

## EPISTOLA XLI.

*Charissimo & vere iam venerabili Fratri, domno Roberto Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, salutem.*

AGo gratias Deo adgaudeo, charissime, tibi: quod divini seminis, cuius olim in te flores in devotione, frondes in devoto sermone conspexeram, nunc in cœlesti, quod assumpsisti, proposito felices, ut fama se habet sanctorum operum fructus conspicio. Non possum dicere quam lætus audiam, qualiter mundani gloriam fastus, quam quidem non in te, sed te in ea sublimiter videre solebam, mentis tuæ pedibus contemnendo subieceris: qualiter luxus undique blandientes, & circumfluentium Babylonicarum flumina voluptatum, deliciis paradisi Dei, & torrente voluptatis eius commutaveris: quomodo quondam loquacis Curiæ lingua, D & regalis Aulæ pene solus interpres, nunc velut homo non audiens, & sicut mutus non aperiens os suum, negociosum otium & religiosum silentium elegeris. Monet me, & utinam ad imitandum, quod fœlici commercio regem rege, regnum regno, vitam vita, gloriam gloria: sed fallacem veraci, mortalem vitali, fugacem æterna commutaveris: & misera spe, quam in mundo habebas, deposita, beatam spem, & adventum gloriæ magni Dei, & Salvatoris nostri Iesu Christi, nunquam ab eo fallendus expectes. Congratulor te duri exactoris iugo abiecto, iugo Christi suavi, & oneri levi colla submisisse ac de lutosis Ægyptiorum operibus, ad Israelitarum munda sacrificia transmigrasse. Sed ne aliquid admonitionis subinferam, oportet te in hoc divino opere, quod cœpisti, sollicitum ambulare cum Deo tuo: ne à fervore incipiens, in teporem convertaris: ne lampas tua in mediis tenebris extinguatur, E ne dies in noctem mutetur. Quia, *multi vocati, pauci electi*: quia, *omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium*: quia, denarius diurnus non mane, vel sexta, sed sero redditur: quoniam, ut sæpe audisti, nota illa & superconcupiscibilis æternitatis merces, inchoantibus promittitur, sed perseverantibus datur. Sic igitur ambula, ut pervenias: sic curre, ut comprehendas: sic pugna, ut vincas. Aderit, si perstiteris, agoni tuo supernus inspector: qui conterens Sathanam sub pedibus tuis velociter, faciat te feliciter pugnare, felicius vincere, felicissime coronari. Iam, quod Cluniacum te venire, & locum illum, cui tot per te bona collata sunt invisere velle audivi: cordis mei cœptum gaudium sic cumulavit, ut sic posset charitas quod volebat, multo terræ, marisque spacio emenso, te ab Anglia in Burgundiam, à Radingia Cluniacum, eo, quo id mihi relatum est, momento temporis transtulissem. Hoc quia fieri non F potuit, oro ne spiritus bonus semel in corde tuo conceptus, quibuslibet occasionibus extinguatus, ne à tam utili tibi nobisque proposito animus avertatur: donec quod proxime & opto, & spero fieri, tam bonum effectum congruus affectus sequatur. Vtinam dies illa mihi lucescat, qua te in illa Ecclesia, sicut olim veteri homine indutū, sic tunc novo possim videre ornatum. Collætabitur tibi, quam ex parte tunc vidisti, cohors illa sanctorum, & quondam tantum animo, tunc & habitu ipso factum consimilem, congaudebit. Amplectar, & ego novo gaudio novum militem Dei, & de boni regis, sed mortalis, immo iam mortui aula, ad optimi & immortalis translatum palatia congaudebo. De sorore, quam ancillis Dei Marciniacensibus te velle sociare, per dilectum filium nostrum Thomam mandasti: laudo laude dignam voluntatem, consulo non differri paratam salutem. Parabo sicut Cluniacum fratri, sic Marciniacum sorori: ut geminata lætitia, non solum de tuo profectu gaudere, sed & de eius salute valeas exultare.

Mat. 22. & 22. 1. Cor. 9. Mat. 20. Mat. 10. & 24.

## EPISTOLA XLII.

G

*Reverendo Patri, & domno suo Petro sanctæ Cluniacensis Ecclesiæ venerabili Abbati, Gaufredus Dei gratia Cathalaunensis Ecclesiæ minister humilis, dilectionem filij voluntariam in omnibus obedientiam subiecti, & devotas sine intermissione orationes.*

EX eo quod filium, immo Æthiopem meum, tanto dulcedinis affectu suscepistis, ut in ipsis gratiæ vestræ initiis, ad Prioratum promoveritis: penes me coniecturam facio. Si enim tanto honore, tanto affectu suscipitur servus: quanto gloriosius, si occasio se offerret, susciperetur dominus eius? Sed sentio, sentio sanctitatis vestræ utilem industriam. Quasi in exitu domus meæ posuistis eum: ut in omnibus necessitatibus suis familiare inveniret reclinatorium. Sic soletis beare amicos vestros. Ne otiosi simus, semper alligatis quod portemus. Et Deus scit, paratum est nostrum velle, secundum nosse & posse. Sed hactenus. Rescri- H bat humilitati meæ sanctitas vestra, si tertia Hebdomada post Pascha inveniam vos Cluniaci, quia Dominica, *Ego sum Pastor bonus*, ero Stampis. & inde ad vos desidero proficisci: nisi grandis infirmitas, vel Dominus Rex me retinuerit. Benedicat nos Deus, Deus noster. Rescribite quod placuerit: sed magna negotia vestra, si quæ sunt, non intermittatis.

A

## EPISTOLA XLIII.

*Singulari & intimo mihi Domino & amico, gratia Dei Cathalaunensis Ecclesiæ præclaro Pontifici domno Ganfrido, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, salutem.*

VErum est, verum est quod ait Veritas: *Non colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus.* Sed & (Matth. 8)
econverso verum est, verum est. non colligunt de vite spinas, aut de ficulneis tribulos. Expertus sum in literis vestris quod dico: nec de oliva nisi oleum, nec de favo nisi mel, nec de pleno ubere aliud potui haurire, quam lac. Dubitandum erat de verbis, nisi ea opera
B prævenisset. Mercatus est amicos animus non nudo affectu amicos, quibus minus in ore, plus in corde; minus in verbis, plus in rebus indulgere consuevit. Teneo, non excidit, clericum meo tantum nomine se commendantem: per tot annos à vestra beatitudine domi retentum, tam unicè dilectum, tam sollicitè procuratum, tam studiosè edoctum. Teneo, non excidit, rursus alium priori recedenti successisse: sicque lar familiare semper a domesticis occupari. Teneo, non excidit, quid de Virdunensi Cella, quid de illa, quam nominare volo, sed non valeo, deliberastis, quid dixistis, quid quantum ad vos fecistis. Vos Cluniacensis, immo divini Ordinis per totum Franciam primum disseminatorem, auctorem, provectorem: vos inquam inveterati draconis de tot Monasteriorum cubilibus expulsorem: vos diuturni somni, & longi monastici torporis excitatorem: hæc & mille talia dum recolo, dum rumino, dum teneo, totus & integer in sacrum vestrum amorem flammesco. Inde est, quod de duobus vel alterum elegi: quos in non fictæ charitatis vertice, totius Belgicæ Galliæ ve-
C stræ amicis præponendos, non tantum credidi, sed & publicè prædicavi. Quid & illud, quod cum tantæ urbi non solum Episcopum, sed & Principem necessario vos esse oporteat: nihil de monacho Pontifex vendicet, nihil de religione Princeps usurpet, nihil de prisco ordine mundus furetur? Cum hæc ita sint, quæ mihi gratia, si filium vestrum, quem & Æthiopem vocatis, ut par erat suscepi: & apud me aliquandiu pro vobis retinui, & ad vos eo quo scribitis modo remisi? Sed remisi vere filium, non remisi Æthiopem, quia non est ille Æthiops qui non mutat pellem suam, quam & si fortassis aliquando nigram habuit, à nobis tamen, ut credo, candidam reportavit. Quæ & si adhuc magis candificanda est, date operam ut cerdo vel fullo peritus, quia non tantum Pontificali infula caput ornare, sed & virga Abbatis indomitorum dorsa domare consuevistis. Hic si æquè se habuerit, vobis meritum: si secus, à vobis exigam tormentum. Iam quod de adventu vestro significastis, felix illa dies, nullisque æquanda diebus, quæ vos vestramque Cluniacum simul videre meruerit. Sed absit ut sine me videat, & vestram
D mihi visionem invideat. Adero, & postpositis omnibus, nisi forte inevitabilibus, amico festivo, quod rarum nomen est, solemnis amicus occuram. Et hoc quidem omni tempore, sed si illo, quod mandastis, adventus vester maturatus fuerit: præsentia mea, ut confido, per Dei gratiam non deerit. In ultimo, quoniam, iuxta sermonem vestrum, nolo vos otiosum torpere, fratrem domni Garnerij Subprioris nostri, charissimi mei, ita vobis commendo: ut cum labore vestro probus, sapiens, literatus factus fuerit, nobis eum, sicut de altero fecistis, reconsignetis: ut semper quod vos spargitis, nos colligamus: quod vos seritis, nos metamus: quod vos molitis, nos comedamus.

E

## EPISTOLA XLIV.

*Honorandis atque in Christi charitate venerabiliter suscipiendis fratribus, apud montem Thabor Deo servientibus, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, salutem æternam.*

FRater quidam vestræ, ut dicebat, Congregationis, nuper ad partes Gallicas & Hispanas, habitu peregrini, orationis, ut asserebat, causa veniens, per nos transitum fecit: & de statu vestro, qui cusque nobis ignotus fuerat, de ordine, de studio religiosæ conversationis vestræ, nos, ut dignum erat, nõ minimum lætificavit. Adauxit multo magis, immo prorsus univit sancti- F
tati vestræ affectus cordium nostrorum; quod retulit, non solum communi fide, non solum monastica professione, sed insuper Cluniacensis Ordinis sollicita observatione, vos corpori nostro moderno tempore esse unitos. Gavisi ergo sumus in Domino, quod terræ illi sanctæ, à qua salutem fidei, & fidem salutis accepimus, aliquid bonorum studiorum, licet non per nos, per nostros tamen refudimus. Gaudere vero debetis & vos, si de semine, quod sevistis, fruges aliquas, si de virgulto à vobis plantato fructus, quamvis modicos recipere potuistis. *Debet enim*, ut ait magnus Apostolus, *in spe qui aret arare, & qui triturat, in spe fructus percipiendi.* (1. Cor. 9.)
Fuit & hæc gratia superni largitoris, nostræ vestræque Galliæ, nostris vestrisque diebus collata: ut præ cæteris mundi partibus, ante omnes mundi populos & nationes eligeretur: per quam sacra humanæ redemptionis loca, à iugo impiorum eruerentur, libertati restituerentur, & quæ prius quingentis fere annis, perfidis obstantibus, invia facta fuerant, iam pervia facta, orbis universi populis fidelibus aperirentur. Vos igitur, incolæ regionis sanctæ, sancti montis illius inhabitatores, G
cuius inhabitationem, transfigurato in eo Domino, Princeps Apostolorum Petrus, licet nesciens quid diceret, concupivit, cum ait, *Domine bonum est nos hic esse*, cuius sanctitatem iam mente sanctissimus extollens (Mat. 17. Marc. 9. 2. Pet. 1.)
dicit: *Hanc vocem nos audivimus cum essemus cum illo in monte sancto*: vos, inquam, charissimi, in monte sancto, sancti esse laborate: quoniam & hoc sanctus sanctorum admonet, & frequenter iterando replicat, & inculcat dicens, *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum.* (Levit. 19 & 20.)
Ideo, licet Christianis omnibus generaliter, monachis omnibus specialiter dicatur: vobis tamen quodammodo specialius dicitur, quos non tantum Christiana professio, non tantum monastica devotio, sed & ipsius, ut dixi, sancti loci inhabitatio, ad omne opus bonum promptiores exhibere, devotiores reddere, & in his constanter perdurantes beatiores facere debet. Ideo castitati, ideo humilitati, ideo charitati, omnem vos operam impendere convenit: ut nequaquam saluti vestræ opera vestra obvient, & Salvatorem vestrum salvare vos volentem impediant: quoniam, ut ipsi optime nostis, non sancta loca, sed sancta opera salvant. Et quia aut H
omnes, aut multi vestrorum, de cismarinis partibus ad transmarinas migraverunt: considerent animos, videant intentionem, quam hinc illuc transeuntes habuerunt. Attendant & quam nunc habeant, quia iuxta pagani, sed sapientis verbum:

*Cœlum non animum mutant, qui transmare currunt.* (Horat.)

Istuc ad hoc infero, ut si mutandos agnoscitis pristinos affectus, in melius commutetis: quia iuxta Dominum, (Luc. 11.)
*Si oculus simplex fuerit, totum corpus lucidum erit: si autem nequam fuerit, totum corpus tenebrosum erit.* Purificate ergo tam recta intentione quam sacris virtutibus oculum cordis, quo Christum in mõte suo non iam corporali, ut olim, sed spirituali gloria transformatum, ipsi spirituali immutatione transformati, nunc quidem per spem & amorem, in futuro autem facie ad faciem contemplari mereamini. *Nos*, ait Apostolus,

A 2. Cor. 3. *transformamur à gloria in gloriam, tanquam à Domini Spiritu*: à gloria scilicet fidei ad gloriam speciei, gloria virtutum ad gloriam retributionum, tanquam à Domini Spiritu quia spiritualia spiritualibus comparans, docet per Spiritum Dei, & hic dari nobis pluralitates gratiarum, & ibi conferri immensitatem gloriarum. Tam praeclaro igitur monti, & ipso nomine luminoso (sonat enim in nostram linguam verbum Thabor, lumen adveniens) huic certe tam splendido monti opera tenebrarum nullo pacto concordant, quia nulla societas lucis ad tenebras. (2. Cor. 6. Ioan. 5.) Omnes enim filij lucis estis, & filij diei, non estis noctis, neque tenebrarum. Non debet excidere à corde vestro, sacri loci vestri tam coelestis & celebris illustratio: quem omnipotens Pater voce, Filius glorificato corpore, Spiritus sanctus lucida nube decorare voluit. Tota plane divinitatis plenitudo locum illum consecrans, praeter universalem salutem, quam omnibus inde providit, vestros quoque B dies & tempora ista novissima praevidit. Admonuit tantis miraculis, tam sacris revelationibus, tanti loci inhabitatores, erga sacra vigilantissimos semper esse debere: nec ad praecepta coelestis Magistri, quibus ab olim subditus est orbis terrarum, surdas aures afferre: [illegible] quo in hoc monte vestro, omni humano generi imperatum est, (Mat. 17.) *Ipsum audite*. Cumque in omnem terram sonus iste exierit, & ipsos remotissimos mundi fines atque extremos angulos penetraverit: ubi primo auditus est, debet velocius & diutius exaudiri. Sed novi quia hoc facitis, & iuvante gratia Salvatoris omnium, multo magis facietis. Ea de causa mox ut de vobis audivi, vos mihi rapiens in cor meum, charitate plenissima, introduxi: rogans, ut quod vobis prior & à nullo invitatus impendo, hoc vos mihi & fratribus [illegible] Domino famulantibus, rependatis. Orantis videlicet pro nobis, orantibus pro vobis: ut fides & charitas, quae nos hic vobis etiam non visis & remotissimis [illegible], gratia Christi Domini & [illegible] Spiritus eius, [illegible] & colligentes coniungit. C [illegible] cognitione & affectum quem plen[illegible] omnibus vobis, & [illegible] Gratia Spiritus Sancti cum omnibus vobis. Amen.

## EPISTOLA XLV.

*Cum honore nominando, cum amore recolendo, Dei Sacerdoti, domno [illegible] Trecensium Episcopo, Frater Petrus humilis fratrum Cluniacensium Abbas, salutem & vitam beatam.*

SCripsistis, nil rescripsi. Misistis, nil remisi. Locuti estis, nil respondi. Quare hoc? Vt verbis Apo- (1 Cor. 1.) stolicis viro Apostolico loquens utar, quia non diligo vos? Deus scit. Sed mihi quid prodest, si Deus hoc scit, & amicus hoc nescit? Et, ô quid dixi! amicus hoc nescit? Quo enim pacto manet amicus, qui diligi se nescit? Aut quomodo stabit illa antiqua amicitiae D diffinitio, qua dictum est: quod amicitia nihil sit aliud, quam divinarum humanarumque rerum cum benevolentia & charitate consensio? Quae consensio, vel, sicut ait quidam Doctorum, charitas? Ad minus quam inter duos haberi non potest. Sed neque iuxta Tullium, neque iuxta Gregorium, convenire in una benevolentia vel charitate, duo vel plures poterunt: dum alternos animorum suorum affectus nesciunt, dum ad invicem [illegible] sua sibi non communicant, dum utrum sese diligant an odiant ignorant. Quorsum istud? Quia audivi, audivi, inquam, & quod [illegible] est, in vestris literis vidi, nam certum est [illegible], suggestum esse beatitudini vestrae, à nescio quo, ut sic dicam, exmonacho: fervorem [illegible] sed iam vestrae aut [illegible] meae, vel ex toto friguisse, vel admodum intepuisse. Quod E si auditum tantum, non creditum: ago gratias. Si auditum & creditum, suscito querelas. Sed quia neutrum mihi certum est, nec gratias ago, nec querelas suscito. Hoc dico primum, non esse me adeo in amicitia inconstantem, non adeo levem, non adeò instabilem: ut quod in hac vita, quam tenemus, & in illa [illegible], dulcius, honestius, utilius esse cognosco, abiiciam, ut tantam vitae suavitatem, sola mihi reservata amaritudine, relinquam. Quae enim, ut Ennius ait, potest esse vita vitalis, quae non in amici mutua benevolentia consistit? Quid dulcius quam habere cum quo omnia audeas sic loqui, ut tecum? Non igitur abiecta est, non refriguit: non intepuit mutua inter nos, quantum ad me, amicitia. Sed, ut salva mutua charitate liceat conqueri, etsi non intepuit, tamen intepuisse apud vos eadem amicitia visa est: quando F etsi falsidici illius verbis creditum non est, quia tamen tanti habuistis illa verba, ut inde mihi scriberetis, dubitatum est. Sed de his satis. Quod vero semel, & iterum, & tertiò scribenti nihil rescripsi, haec fuit causa. Primò noxia valitudo corporis, secundò festinantia cursoris, tertiò importunitas negotiosi temporis, quod me totum sibi tunc vacare cogebat, silere violento imperio coegerunt. Neque enim non [illegible] necessitate urgente, potest sic esse mutus tandem [illegible] meus, cui semper adhaeret & loquitur animus meus. Proposueram multa de multis scribere, sed quia illa non parum necessaria sunt, & magis vobiscum secreto conferenda, quam literis publicanda: contineo exundare in verba volentem spiritum, & reservo praesenti, quae non sunt [illegible] absenti. Rogo igitur, immo & obsecro, & si needum satis est, etiam supplico, ne qualibet terrarum distantia, ne Episcopalium negotiorum onera, mihi vel vestrae Cluniacensi Domui praesentiam vestram ulterius invideant: sed saltem usque ad Apostolorum festivitatem, Cluniacenses vestri Episcopum suum, quem iam diu [illegible] videre, videant: videant, inquam, & gaudeant, quia nil eos G magis laetificare poterit, quam si saltem ad modicum tam intimo amico, tam [illegible] Patre eis frui contigerit. Caetera, quae literis committere nolui, fidei portitoris commisi: ut quoniam tam mihi, quam vobis cognitus, &, ut credo, dilectus est, mea vobis perferat, vestra mihi referat.

## EPISTOLA XLVI.

*Glorioso & magnifico sanctae civitatis Hierusalem Regi, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, salvari ab eo qui dat salutem Regibus.*

OMnipotenti Regi regum, qui regali solio regiae civitatis suae Hierusalem celsitudinem vestram sublimavit, & glorioso diademate coronavit, gratias agimus: qui vos populo suo Principem, Ecclesiae suae defensorem, hostibus suis hostem, in tanta, tam sacra, tam nobili, tam famosa urbe constituit, &, quod his omnibus maius est, praecelso illo suo nomine insignivit. Cum enim ipse à Patribus, à Prophetis, ab Angelis, ab ipsis Iudaeis, à Gentilibus, dictus rex Israël, rex Hierusalem fuerit: vos eiusdem Hierusalem, vos ipsius viri H Israël post se, & pro se regem esse voluit: ut secundum personam vestram, & regnum vobis ab ipso commissum, virga aequitatis sit virga regni vestri, ut diligatis iustitiam, & odiatis iniquitatem: inimicos autem crucis Christi & nominis Christiani, Turcos dico & Sarracenos, Persas & Arabes, seu quoslibet Barbaros humanae, immo suae saluti adversantes, regatis in virga ferrea, & eos potenti dextra tanquam vas figuli confringatis. Ad quod viriliter exequendum, quia armis non possumus, animis prosequimur: quia gladio non valemus, precibus, ut possumus, bellicos sudores vestros iuvare satagimus. Date ergo illi, qui vos glorificavit, gloriam:

Digitized by Google

A gloriam : ut sicut Christus in sacerdotibus suis quotidie de diabolo eiusque Angelis triumphat, sic in regibus Christianis frequentia de gentibus trophæa reportet. Sic enim vobis decertantibus, & pericula nulla pro suo populo recusantibus, victoriam assidue subministrabit, gloriam gloria adaugebit : & post regnum transiens, æternum vobis cum sanctis Regibus providebit. Latorem præsentium venerabilem virum, dominum Drogonem Nivernensis Ecclesiæ Præcentorem, liberalitati vestræ commendamus : ut si forte necesse fuerit, ita vos munificum sentiat, quo & Deo & vobis gratias agat.

## EPISTOLA XLVII.

B *Venerabili & charissimo nobis Domino Patriarchæ Hierosolymitano, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, salutem & orationes.*

QVia Iesu Christi Domini gratia illius vos Ecclesiæ sacerdotem constituit, à qua veteris legis & novæ gratiæ sacerdotium cœpit, & Salvator ipse singulari sacrificio Deo mundum reconcilians, sacerdos simul & hostia esse voluit: sicut Ecclesiam, ita & eius Præsulem speciali affectu excolere, speciali reverentia honorare, speciali devotione, si facultas daretur, ei obsequi opto, ambio, desidero. Nec solus ego, sed quantacunque ubique terrarum diffusa est, humilis Cluniacensis Congregatio, hoc idem, ut dignum est, optat, ambit, & desiderat. Quia enim æternus sol, longe clarius matutino sole, à vestro Oriente nostri Occidentis tenebras illustravit, & à Hierusalem in C omnes gentes regni æterni Evangelium prædicari voluit : tanti beneficij debito obligamur, ut non solum sublimitati vestræ, tantæ sanctitatis loco præsidenti, verumetiam cuilibet minimo obsequenti, ubi possumus serviamus : eos autem, quibus impendere hoc non possumus, singulari, ut iustum est, affectu excolamus. Nam quia non datur, Ordine monastico prohibente, ut illa, illa inquam supercœlestia redemptionis nostræ loca invisere, osculari, lachrymis infundere corporaliter valeamus, nec adorare in loco, ubi steterunt pedes Domini, possumus : quod unum restat, effundimus coram illo corda nostra, vos eius Vicarium exorantes, ut pro nobis omnibus ipsi assistatis, & vices nostras, quod communis iubet charitas, suppleatis. Cumque devotione vel officio protrahente vel provocante, salutifera Nativitatis, Sepulturæ, Resurrectionis, Ascensionis, loca visitatis : spirituali affectu nos vobiscum ubique ducite, & pro vestris Cluniacensibus Salvatori piissimo supplicate. Hoc ego, hoc singuli, hoc omnes pariter supplicamus : & ut inconvulsam nostri memoriam perpetuo habeatis, corD pore absentes, literis præsentes rogamus. Addimus hoc precibus nostris, & quo possumus nisu deprecamur : quatinus vestram Cluniacensem Ecclesiam reliquiis sepulchri Dominici, & beatæ Mariæ, aliisque, quibus vobis visum fuerit, visitetis, ditetis, honoretis. Liberet diutius saltem hoc modo vobiscum loqui : sed quia præsentium lator ad iter festinabat, oportuit longa intercidi. Quem charitati vestræ ab ipso rogari, attentius commendamus. Est enim multa dignus commendatione, &, ut credimus, aut vobis aut multis vestrorum bene cognitus : Dominus scilicet Drogo Nivernensis Ecclesiæ Præcentor, qui iam tertio Hierosolymitanum iter aggressus, multis laboribus, spe felici multam sibi ut credimus, requiem comparavit.

## EPISTOLA XLVIII. E

*Venerabili & in intimis animæ recessibus recondendo, Domino Alberico Hostiensi Episcopo, & Apostolicæ Sedis Legato, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, salutem & vitam immortalem.*

PEregrinationi vestræ tam longinquæ, tam moros æ anxio corde compatimur : & eo, qui solus abdita cordium novit, teste, affectu & desiderio pene vobiscum peregrinamur. Licet enim obedientia & legatio Apostolica, ad illas Orientales partes vos transmiserit, & utilitas populi Christiani vos velut exules à solo proprio, & à fratribus vestris fecerit : dolemus tamen, quod eum, quem solum ordinis & cordis nostri solatium, post illum magnæ & piæ memoriæ Matthæum Episcopum in Romano palatio habebamus, quasi amisimus : dum tantis regionibus interpositis, tantoque mari comminante, reditum vestrum vix sperare audeamus. Et cum esse satis potuerit, quod vos occidens in finibus suis, Romæ dico retinens, valde à nobis remotum fecerat : nunc tandem vos oriens velut violenter rapiens, remotissimum facit : & non solum nuntium, sed nec tenuem de tam intimo fratre & amico famam ad nos saltem per aëra volare permisit. Literas tamen, quas in discessu vestro nobis ab urbe direxistis, suscepi, legi, relegi, & in Capitulo omnibus convocatis fratribus, ipse recitavi. Et licet nihil certi exinde de statu vestro audierim, & tunc quando à vobis missæ illæ literæ susceptæ sunt, & postmodum frequenter dulcem & commendabilem vestri memoriam eidem commendavi. Quod ipsi semper benignè accipiunt, verbisque & precibus quibus possunt, iter vestrum devotissimè comitantur : & ut dilectum, ut patrem, ut Dominum Christus Dominus sibi restituat, continue deprecantur. Et ut sicut surgente Domino de sepulchro, gavisi sunt Discipuli eo viso: ita vobis redeunte ab eodem sepulchro, gaudeant fratres vestri & filij instanter exorant. F G

## EPISTOLA XLIX.

*Singulari Patri & amico suo Domino Petro Dei gratia Cluniacensi Abbati, Ato Trecensis Episcopus, idem quod sibi.*

VT verbis utar Philosophi, principatum amoris locorum spatia dividere nequeunt, temporum incommoda separare non possunt. Affectus dominationis tenens & regens imperium, semper diligit, etsi quem diligit videre non possit. Vera enim amicitia oblivionem nescit, interruptionem non patitur. Non accipit ex impossibilitate solatium, neque ex difficultate remedium. Licet immineant agmina negotiorum, licet tumultuosis obstrepentium vocibus opprimatur : cum illo tamen mente versatur quem diligit, de illo cogitans, gaudens in illo. His amicitiæ legibus agitur, ut in vobis gaudeam, assidue cogitem de vobis, vestræ non immemor sanctitatis: in qua multoties susceptus, & consilium & auxilium me gaudeo invenisse. Beatus ego, qui eandem amoris vicem in vobis esse confido : beatior autem, si pro certo sit. Sed est quod amplius dissimulare nequeo, amicitia compellente ut proferam. O Deus! ubi frequentes epistolæ, ubi crebra consolatio, ubi illa solita eloquentia, qua amicum suum relevare solebatis? Sed forsitan calami non inveniuntur, incautum abest, desunt nuntij, via montuosa est, pericula comitantur. Sed satis dictum est sapienti. Dominus Theobaudus Senonensis Archidiaconus, hoc unum suspirat venire ad vos. Negotia nostra, quæ H

A magister Nicolaus amicus vester Romam portavit, melius quam sperebamus tractata sunt. Beneplacitum vestræ dignationis rescribite, ut sciam quid Archidiacono debeam respondere.

## EPISTOLA L.

*Dilecto & cum amore mihi semper recolendo, domno Atoni Trecensium Episcopo, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, Salutem quam sibi.*

Morem follis habes, charissime, qui spiritu, quo plenus est, emortuam fere scintillam ignescere, & in immensas quandoque flammas erumpere cogit. B Sic spiritus tuus, non ut ille aërius, sed ut credo diuinus, non quidem ergo te emortuum ignem pectoris mei, sed diu silentio tectum vaporem sermonis mei, sæpe scribendo, sicut follis assidue flando, suscitare nititur, & ad verba solita revocare molitur. Sed nolo, nolo, inquam, hoc æstimet amicus animus, vel tarditatem verborum, defectum iudicet animorum. Neque enim, etsi verba interpolantur, igneus ille vigor & cœlestis ergo seminis iam ab antiquo concepti, aut extinguitur, aut consopitur. Nam iuxta scripturam nec Cant. 8 ullo modo *aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.* Sed sicut pene ubique cernitur, [illegible] vel fornaces deprimentes exæstuantis [illegible] nec tamen foris lapidei repulsum [illegible] indicium. Ita vis charitatis meæ, qua te semper in imo pectoris reconditum teneo, curarum obstaculis, sicut & ipse ali- C quando vidisti assidue repressa, inesse quidem, vt est, semper amando potest: sed qualis intus lateat, vix aliquando per verba se prodere potest. Est & aliud, quod per aliquanta tempora mihi silentium suasit, & non [illegible] & ideirco [illegible] pertimesco. Aut ergo [illegible] ut [illegible] de te [illegible] concepi silentij vincula [illegible] otium, expertus agnoscit: maxime cum amor operum ex radice prodeat, & vigeat meditationum. Cur igitur tibi etsi [illegible], cum magis D indicari possem, continuis instans surdo clamoribus, procax? Vt enim [illegible] amico loquar, quis non desperet ergo ea, quæ sæpe [illegible] profectum tuū: cum circa eadem, quotidianum video defectum tuū: Quis iam annosam quercum, altis iam radicibus inrutentem, se evellere posse præsumat: cum molle vimen & recenti adhuc nativitate tenerum, a domestica humo nulli vis studiosior agricolæ abrumpere potuerit? Sed ut iam non per [illegible] & literis fidis, nota tandem nobis duobus secreta committamus: ubi est devotio illa, ubi est affectus ille cœlo appropians, immo ipsum [illegible], ut iam videbatur exuperans: quo te mihi, mihi inquam, imo ipsi, quod magis dicendum est, Deo, non dico in fratrem, sed, ut verbis tuis te familiariter arguam, in filium ac Monachum devovisti? Vbi fides data, ubi [illegible] ubi [illegible] dies: quando te mundum [illegible], [illegible] secularem fastum, humanum pau[illegible] qui sublimis adhuc & diues Episcopus devovisti? An oculus ille pervigil, & simul omnia integre cernens, quando hæc facta sunt [illegible] clausus erat? Aut illa cuncta simul & integrè audiens, quando hæc vicissim Mat. 5 [illegible] non pro [illegible] Evang. [illegible] vel seculi testibus, in quibus omne verbum stare dicitur, audiantur? An forte irruentibus agminibus

E episcopalium negotiorum, ista ab animo explosa sunt: & occupantibus aliis cogitantibus locum, ea quasi repulsa cesserunt. Sed ecce redeat redeat certe ad mentē, [illegible] iam fugata fuerat, [illegible] recordetur festivæ palmarum diei, publici quoque sermonis ad populum, quo a te dies illa solemniter illustrata est non obliviscatur, memor sit Capellæ illius Cluniacēsis, quæ longe vetustior huius nostræ Burgundiæ Ecclesiis, pictuiis decētibus decorata, & gestorum Christi clarioribus miraculis insignita, locum nobis secreti colloquij aptissimum præbuit. Nec mente excidat, quod Episcopo locum Abbas, ut dignum erat, in sede propria tribuit, reluctantem sedere coegit: ipse ei in matta Monastica, quæ sedi illi contigua erat, assedit. Collatio non de imis, sed de supernis habita est; aliquandiu, quia res F hoc exigebat, protracta est. Eousque ad ultimum deducta est, ut redeundi ad nos à vobis indiceretur dies, a nobis susciperetur, susceptus expectaretur, expectatus differretur: & licet te rogante, me concedente, de tempore in tempus dilatus, adhuc tamen à me expectatur, monetur, invitatur. Sed, ô quid faciam? Sacerdotem ab altari, Pontificem a populo, Pastorem ab ovibus, seiungere quæro? Frontem illam auri lamina radiantem, ineffabile nomen Dei gestantem, caput cidari decoratum, rationali pectus, superhumerali humeros adornatos, veste sacra & gemmata corpus præfulgens, [illegible] pedes sandaliis [illegible], inquam, omnia, & adhuc plura superius nominata, & hominem [illegible] indutum non iam terrenum, sed totum cœlestem signantia cœlis detrahere, [illegible] laboro; dum tantam sublimita- G tem, tantum fastigium humilitati monasticæ sociari ambio, & hominibus, qui omnium peripsema facti sunt, parem fieri concupisco? Novi, novi sacerdotalis ordinis dignitatem, agnosco sublimitatem: sed altiorem & securiorem his iudico humilitatem. Audio Mat. 23 Christum dicentem, *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi.* Sed recolo eundem adiungentem, Luc. 9 *Omnia quæcunque dixerint vobis, servate & facite secundum vero opera eorum nolite facere.* Reminiscor & ipsum, in Scribas & legis peritos invehendo dixisse. Mat. 23 *Væ vobis, qui tulistis clavem scientiæ. Ipsi non introistis, & eos qui introire volebant prohibuistis.* Item eidem, *Amen dico vobis, quia Publicani & Meretrices præcedent vos in regnum Dei.* Item ad ipsos. *Væ vobis duces cæci, qui dicitis, quicunque iuraverit per templum, nihil est, qui autem iuraverit in auro templi debet.* Item, *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui comeditis domos viduarum, orationes longas orantes. Propter hoc, amplius accipietis iudiciū.* Rursus eundem per antiquum Prophetam. *Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos.* Et post pauca. *Ecce* H *ego ipse super pastores, & requiram gregem meum de manu* Ezec. 34 *eorum. Et cessare eos faciam, ut ultra non pascant gregem meum, nec pascant amplius pastores seipsos: & liberabo gregem meum de ore eorum, & non erit eis ultra in escam.* Quorsum ista, ut attendens, charissime, Pontificalis ordinis fastigium, attendas & periculum. Agnoscens honorem, agnoscas & laborem. Diligens fortè gradum altiorem, formides, sicut ab antiquis dictum est, casum graviorem. Si alliciunt aliqua oblectantia, deterreant ab eorum amore longe plura, non solum ubi post mortem sperantur, sed hic etiam, ubi de proximo sentiuntur, pungētia, mordentia, amaricantia. Hæc, inquam, & illa deterreant, hæc & illa invitent: ut sancta periculosa fugias, & ad sancta securiora confugias. Quia, ut apertius loquar, sicut sanctis Episcopis præparatur in altis superior locus: ita, ut sic dicam, vita & moribus exepiscopis, reservatur in imis inferior infernus. Et ne forte quilibet me ad ista inconsulte monere Pontificem æstimet: accipiat non solus ille, sed mundus cum eo [illegible] exempla, quibus non solum Regia, sed & ipsa Pontificalis dignitas, hoc est, non tantū secularis, sed & Ecclesiastica sublimitas, esse docetur aliquando contemnenda. Hinc de regia vel seculari Evangelium. *Iesus* inquit, *cum cognovisset quod venturi* Ioan. 6

essent

A *essent ut raperent eum, & constituerent sibi regem fugit in montem.* Hinc de Pontificali, vel Ecclesiastica, *Puer autem crescebat, & confortabatur spiritu: & erat in desertis,* Luc. 1. *usque ad diem ostensionis suæ ad Israel.* Quod utique de Ioanne Baptista, filio sacerdotis Zachariæ dicens: ostendit eum in ordine vicis suæ more patrio & sacerdotiū habere potuisse, & illud tamen in fastu, luxu & delitus, vilitate, ieiuniis solitudine commutasse. Sed si opponatur, Ioannem Baptistam non adeptum, sed adipiscendum Episcopatum fugisse, succurrunt innumera exempla magnorum Præsulum, sanctorum Abbatum: qui non adipiscendos, sed iam adeptos honores fugientes, docuerunt post se, esse quidem in officio commisso constanter & fideliter standum, sed omni tamen officio, omni gradui, omni dignitati, interno urgente periculo, esse renuntiandum. Sed ne sanctum Iustum Lugdunensem Episcopum, ut de proximo exempla B sumantur, cum multis sanctis Coepiscopis, ne sanctum Hilarionem, Sirum Abbatem, eum multis sanctis Coabbatibus producere molestum sit: mitto legentem ad gesta antiqua Sanctorum, ut quæ dico aut nesciens discat, aut sciens, vera me dicere recognoscat. Non autem hoc dico, ut adeo tibi timeam, aut te salvari in instanti ministerio diffidam: sed quia his nostris pessimis temporibus mundi malitiam viribus excrevisse, hominum inertiam à virtutibus defecisse considero; quia abundantiam nequitiæ quasi ex adipe prodiisse, iustitiam & pietatem velut exangues remansisse video: opto tibi non quod fortius, sed quod quietius; non quod gloriosius, sed quod securius est: quia, ut ait pater Augustinus, melius est parvum bonum cum parvo malo, quam magnum bonum cum magno malo. Sed C esto, quantum ad animam nihil periculi sit, omnia tuta, omnia secura, maneat pastorem pro ovibus copiosa merces in cœlis: quid de latratibus canum, quid de insidiis, dolis, fraudibus, circumstantium, cohærentium, servientium? Nonne hæc sentiebat, hæc dolebat ille qui dicebat, *Domine, libera animam meam à labiis ini-* Ps. 119. *quis, & a lingua dolosa?* Item cum dicebat *Domine, divide linguas eorum: quoniam vidi iniquitatem & contradictionem in civitate:* nonne hæc fugere desiderabat, maxime cum superius dixisset, *Ecce elongavi fugiens, &* Ps. 54. *mansi in solitudine?* Nonne per sapientem ait Sapientia, Prov. 15. *Melius est ire ad olera cum charitate, quam ad vitulum* Prov. 21 & 25. *saginatum cum odio:* Nonne eadem rursum, *Melius est,* ait, *sedere in angulo domatis, quam cum muliere litigiosa.* Nunquid non hanc mulierem litigiosam, Ecclesiam dico tibi commissam, in quadam sui parte, quotidie, imò continue experiris? Nunquid ad lites eius, & perpetuas contentiones non obsurduisti? An te solum non quassant quæ audita amicos tuos defatigant? Hinc annui ad urbem Romam itus ac reditus, hinc frequentes legati a Galliis ad Italiam, de Italia ad Gallias, ab ortu Solis usque ad occasum, item ab occasu ad ortum, omnia lustrant, quietum inquietant, & cum his qui oderunt pacem pacificum esse volentem, gratis impugnare non cessant. Fugienda ergo sunt ista, ut mihi videtur, amice charissime, non amplectenda: beata D quies labori, securitas timori, salus periculis præponenda: ab hostibus ad amicos, ab extraneis ad fratres, imo ad filios & famulos veniendum, qui te ambiunt, qui de te longam famem suam reficere concupiscunt. Expectat te in Cluniaco tua ante Paradisum voluptatis, Paradisus claustralis, ubi lignum vitæ, ubi amœnitas iocunda, ubi areolæ aromatum consitæ à pigmentariis: quorum aspectu iocundaberis, odore oblectaberis, gustu satiaberis. Rependes & tu vicem filiis tuis, sacris virtutibus tuis: dum humiliando Pontificalem maiestatem, docebis non superbire monasticam humilitatem. Quod donec gratia Dei dante, Spiritu Dei inspirante fiat, interim rogando supplicat tibi semper devota unitas multitudinis nostræ, ut te eis tandem post longa secula repræsentes: passionis scilicet & Resurrectionis dominicæ sacratissimos dies sacerdos Dei cum eis peragas, & splendore adventus tui rutilantium dierum lumen adaugeas. Reliqua, super quæ se quærit E paternitas tua, præcipue de domino Theobaudo, Archidiacono, in ore filii vestri posui: quem, quia & meus est professione, & tuus devotione, direxit omnino tuæ mihi super omnia pene ista mortalia caræ transmittere studiose curavi.

## EPISTOLA LI.

*Charissimo filio Nicolao, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, perpetuam salutem in Domino.*

QVoniam ex quo te agnovi, bonum & remotum in corde meo tibi semper hospitium reservo: oportet & te aliquando vicem affectui meo rependere, & quod F potueris diligenti te compensare. Dominum Trecensem Episcopum, quem iam ab antiquo, vt nosti, in summa pectoris mei arce constitui: nescio quomodo factū invisibilem doleo, quem rursus appareat, literis & precibus directis invito. Tanto enim iam tempore se absentavit, ut cum per Dei & sui gratiam se, quod in proximo speramus, repræsentaverit: vereor multum ne illū sine indice non cognoscam, & deleta de corde meo non dilectione, sed dilecti imagine, coram astantibus cum occurrerit, erubescam. Ne igitur hoc contingat, da operam, ut maturius veniat: & in hebdomada Passionis & Resurrectionis Dominicæ, mœroris & gaudii, tristitiæ & consolationis, discipulus & Episcopus, Christi servos & monachos Christi, præsentia visitet, exhortatione suscitet: & tantos humanæ salutis dies non cum populis furentibus, sed cum quietis & hu- G milibus celebret.

SANCTI PETRI

# MAVRICII

## DICTI VENERABILIS

### ABBATIS CLVNIAC. IX.

### Epistolarum.

*LIBER TERTIVS.*

## EPISTOLA I.

*Venerabili & iocunda cordis memoria recolendo, Domino Henrico Wintoniensi Episcopo, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, Salutem quam præparavit Deus diligentibus se.*

H EX quo amplectenda reverentia vestra nuper à Cluniaco recessit, muta vobis permansit lingua mea, sed non tacuit de vobis conscientia mea. Siluit allocutio, sed non siluit devotio: tepuit loquacitas, sed non refriguit charitas. Nec mirum. Cum enim omnes pene Cluniacensis ovilis amici, cum omnes provisores cum omnes benefactores, in vobis uno confluxerint: non est mirandum, si per multos olim divisus noster amor, ad vos solum concurrerit. Sed quoniam istud apud vos constare certum habemus, non sunt de his multiplicanda verba: neque quod optime nostis, fastidiose replicandum. Illud tamen, quod nunc mihi fuit causa scribendi, requiro, illud summe pere mihi, vestrisque rescribendum depolco: quis regni Angliæ, sed maxime quis vester vestrorumque sit status, quæ corporis incolumitas, quæ rerum prosperitas: qualiter nostra quoque loca se habeant, utrum pace

A lætentur, an adhuc dubia sub sorte laborent: quæ nostrorum conversatio, quæ sit fama. Ista omnia idcirco à vobis requiro, quia vobis maxime nostra omnia innituntur, & a vobis singulare post Deum, ut nostis, auxilium præstolantur. Fratres nostri, filij vestri pro vobis assidue omnipotentis misericordiæ affectibus & precibus supplicantes, reverentiam vestram venerando salutant, & vt etiam apud Dominum eorum memoriam habeatis implorant.

## EPISTOLA II.

*Egregio & sublimiter venerando Alberoni magnæ Leodiensis Ecclesiæ magno Pontifici, ac nobili eiusdem Ecclesiæ Conventui, Frater Petrus humilis Cluniacensis Abbas, humilisque grex Cluniacensis ovilis, salutem.* B

VTinam humilitati meæ talis daretur facultas, qualis ab antiquo iam data est voluntas: ut amplectendam nobis & omnibus bonis personam vestram: vt sacrum & venerabile Ecclesiæ vobis à Deo commissæ collegium videre: ut iam dudum habeo, non chartis committere, sed ferventissimum charitatis affectum, quem ad vos ore ad os communicare vobis coram positis possem. Cum enim omnibus Christi Ecclesiis, quæ numerositate sua unius & Catholicæ Ecclesiæ corpus perficiunt, charitatis compagine honorem simul & amorem debeamus: inter omnes Germanorum Ecclesias, hoc vobis quadam familiari prærogativa debemus: quorum non solum amore provocati, sed etiam frequentibus beneficiis, & permaximis C muneribus ad mutuam benevolentiæ vicissitudinem rependendam, magnificè invitati sumus. Et frequenter quidem à magistris Ecclesiæ Dei, & ab innumeris populi Christiani Principibus multa Cluniacense Monasterium dona, multa beneficia percepit: sed cum hæc vestris donis, vestris beneficiis, vestris muneribus comparantur, licet magna sint & pretiosa, vilescunt. Suscepit verè Cluniac. Ecclesia, & sæpe, ut dixi, suscipit multorum, & diversorum non in terra, sed in cœlo thesaurizantium gazas: sed vestra xenia tanto aliorum munera superant, quanto homo pecoribus, quanto sapientia cunctis opibus antecellit. Auro igitur, & topazio longe chariora Cluniacus à Leodiensi Ecclesia munera suscepit: quando magnificos viros, & summa cum laude ac dulcedine recolendos à vobis ad nos venientes, humili suorum collegio copulavit. Nam ut alios ante nostra tempora venientes, nobisque vultu incognitos taceam: quando Leodiensis Ecclesiæ memoria apud Cluniacum perire poterit, quæ Hezelonem, Tezelinum, Algerum, Canonicos, magnósque suis temporibus magistros, humilitatis discipulos, &, ut ipsi qui vidimus, attestamur, veros monachos fecit? D Quorum primus multo tempore pro Ecclesia, ad quam venerat, laborans, singulari scientia, & prædicabili lingua, non solum audientium mores instruxit: sed corporalem novæ Ecclesiæ fabricam, quam aliqui vestrorum viderunt, plus cunctis mortalibus post reges Hispanos & Anglos, construxit. Sequens spiritualibus tantum studiis totum suum hominem occupans, in sancto proposito longævus consenuit: & prius Cluniaci sub sancto Patre Hugone, dehinc Vizeliaci cum domno Rainaldo Abbate eius nepote, ac demum Lugdunensi Archiepiscopo, degens, ibidem vitam sancto fine conclusit. Tertius, cuius vix memoriam sine lachrymis facio, humilitate, puritate, vitæ totius sinceritate secundum meum iudicium longè præcedentes exuperans: ita meo tempore apud nos vixit, intantum benigne & sancte conversatus est, ut licet à nobis carne recesserit, spiritu tamen, & memoria singulari nobiscum semper dum viuimus nō esse non possit. Qui & librum de Sacramento Altaris, auctoritatibus sanctorum patrum invincibiliter com-

E munitum, nobis & fidei suæ insigne testimonium, & contra quorundam modernorum, vel imperitiam, vel errorem, singulare præsidium, dereliquit. Inspiret igitur omnipotens spiritus, qui ubi vult spirat, cordibus vestris: ut sanctorum istorum, quos ante oculos mentis vestræ memorans reduxi, vitam & exempla imitemini: qui à vobis, ut dixi, venientes, & more magni Patriarchæ de terra, de cognatione, de domo propria egressi, peregrinatione sancta amissam patriam repererunt, & mundi superbiam in humilitatem, luxum in frugalitatem, divitias in paupertatem, commutantes, ad eam iam per Dei gratiam pervenerunt. Hac ergo recordatione, charissimi, velut quodam charitatis glutino vobis adhærentes, vosque vicissim nobis adhærere rogantes: ut hæc memoria apud vos sit continua, quæ & apud nos est perpetua, precamur. Hac confidentia fiducialiter vos etiam pro locis Cluniacensibus in Diœcesi vestra constitutis oramus, F qua à vobis nos non repelli, sed exaudiri speramus. Specialiter autem pro Domino Gerardo Priore de Bertreis, & domo sibi commissa vestram amicitiam deprecamur: qui non tantum nobilitate generis, qua vobis bene notus est, sed etiam honesta vitæ conversatione, qua à nobis commendandus est, hoc ut credimus, promeretur.

## EPISTOLA III.

*Illustri & glorioso regi Siciliæ, Domino & amico Rotgerio, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, Salutem ab eo qui dat salutem regibus.*

G PEr me, ait Dei Sapientia, *reges regnant, & legum conditores iusta decernunt.* Prov. 8. De quorum numero, quia vos esse cœlestis censura censuit, eidem supernæ moderationi quas possumus, gratias agimus: non tantum, quia sublimitatem vestram magnis populis prætulit, sed quoniam maxime eisdem populis vos præferendo providit. Inde enim lætamur, inde in Domino gloriamur: inde celsitudinem vestram, etsi vultu incognitam, veræ dilectionis brachiis amplectimur: & ut ad honorem nominis sui, ad salutem populi sui omnipotens Salvator vestram regalem potentiam magnificet, & conservet, humiliter & frequenter precamur. Quis enim non gaudeat, quis non totis viribus, si necesse fuerit, collaboret: ut post tantos bellorum & malorum turbines, tam profundæ pacis bonum à Deo per vos Siculis, Apulis, Calabris, multisque aliis gentibus collatum, conservetur, augeatur, dilatetur? Quis Ecclesiæ Dei se membrum agnoscens, de tantarum Ecclesiarum tam inconcussa & stabili pace per vos, ut dixi, & restituta & conservata, in Domino non exultet? Quis audiens clericos, monachos, milites, rusticos, onustos pecuniis & diversis mercibus mercatores, H omnéque genus hominum in terra vestra manentium, aut per eam transeuntium tyrannorum, raptorum, insuper ipsorum latronum, omni timore sublato, sua omnia pacifice obtinere: quis, inquam, tanta bona per unum bonum Principem tot tantisque hominum generibus impendi audiens, non quàs potest Regi regum gratias agat, & ut tali Regi regnum ab eo conservetur & augeatur, imploret? Ista me, ut dixi, ad vos amandum, primitus impulerunt; ista vt inter magnos reges, Romanos dico, Francos, Anglos, Hispanos, maximos Cluniacens. Ecclesiæ amicos & benefactores, vos quoque admitterem, coëgerunt. Ea de causa iam ex multo tempore pro pace, pro honore, pro salute vestra, & apud Deum precatorem, & apud homines prædicatorem me constitui: & ad idem agendum tam de nostris, quam de alienis, quos potui, attraxi. Testis est horum conscientia mea, testis Romanus Cancellarius, testis & ipse Dominus Papa: quem Pisis, quem Romæ, quem intra Gallias constitutum,

A trum, præsens verbis, absens literis, de pace vestra sæpe conveni: & ne inimicis vestris vestram pacem, usque perturbantibus crederet, & rogavi, & monui. Quod licet diu dilatum, sed nunc tandem ad effectum perductum, nos & omnes quicunque audire potuerunt, pacis amatores lætificat, & ad gratiarum actiones Deo persoluendas invitat. Rogo ergo, & in quantum possum vos, ut charissimum & summum amicum admoneo: ut hanc pacem Pastoris vestri, ac summi Ecclesiæ Dei Magistri toto affectu amplectamini, toto annisu retinere studeatis: quatenus & ipse de vobis, sicut de optimo & speciali filio, & vos de ipso sicut de benigno & singulari Patre, in spiritualibus pariter, & temporalibus gaudeatis. Filium nostrum Gaufridum, cum literis vestris omnem benevolentiam redolentibus ad nos venientem, vobis cum his literis B remittimus: atque tam ipsum quam commissum ei Monasteriolum, quod solum adhuc in regno Siciliæ vestra Cluniacus habet, regiæ clementiæ commendamus: & quia tam se quam locum eundem singulariter à vobis diligi retulit, gratias agimus. Idcirco autem dixi, adhuc solum illud nos in regno Siciliæ habere: quia quod non solum diu manere debeat, de tanti amici singulari amicitia omnino præsumo. Nam si hoc Deus cordi regio inspiraret, & per vos in regno vestro de iam iacto semine in multam frugem parvum illud principium multiplicaret: cresceret & in corde nostro multiplicandæ in terra illa monasticæ religionis affectus. Quia sicut bene nonit sapientia vestra, spes lucri maioris, maius efficitur fomentum laboris. Lucrum autem maius vocaui, multiplicatæ religionis augmentum, quam maior numerus Monachorum melius C potest servare, quam parvus: quia, ut ait Scriptura sacra, *Va soli, quia cum ceciderit, non habet sublevantem*: & sicut rursum loquitur, *Frater fratrem adiuvans, sicut civitas fortis & munita.* Maior ergo si fieri posset, fratrum vel locorum numerus, maiorem in nobis succenderet propagandæ religionis affectum: quia in eorum multiplicatione maiorem sentimus esse profectum. Nec utilior posset accrescere regiis gazis thesaurus: quam ille, quem de terris ad cœlos translatum præda non diripit, latro non subripit, & iuxta sanctum Evangelium, tinea non corrumpit, fures non effodiunt, nec furantur. Animet vos, & ad bene agendum magis magisque succendat, non solum, quod præcipuum est, timor Dei, maximum regnorum omnium robur, sed etiam, quam præmisi, probitatis vestræ fama per regiones hac illacque diffusa: quoniam magnifico regi timore Dei iustitiæ colla submittere gloriosum est, & famam optimam velle dilatare, utile simul & honorificum est.

Eccl. 4.

Mat. 6.

D

## EPISTOLA IV.

*Venerabili & charissimo fratri, Pontio Abbati Vizeliacensi, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, Salutem.*

EXpectaveram, ut fraternam non quidem senectutem, sed senectuti præponderantem, diuturnam laboris fatigationem, fraternæ inventutis robur exciperet: & non arundineo, sed eburneo baculo assiduis extenuatas vires sudoribus sustentaret. Sed aliter quam putaverim, cessit: nec requiem quam speravit in fratre, fraternus affectus invenit. Circumeo, satago, sollicitor angor, hac, illacque distractus: tum de propriis, tum de alienis negotiis, non sine magnis animi motibus curiosus. Laborat senior, quiescit iunior; & nec affectu, nec ætati deferens, umbra laborantis, ab æstu se abscondit laboris. Sed Deo gratias, reportat de laboribus propriis nobilem laborans triumphum: nec alteri inuidens gloriam, solus quam meruit, victoriæ obtinet palmam. Dormienti itaque fratri, nec pro fratre, nec pro fratribus à somno diutino evigilare volenti, indico: tantam támque diuturnam fratrum guerram, meo, meo, inquam, studio, mea cura, mea inquietudine, prævia & adiutrice Dei gratia consopitam: Eraclumque & Eustachium germanos, sacramentis inviolabilibus in perpetuum fœdus, amicitiámque iuratos. Hæc indicando & velut exprobrando mandavi, ut de pace fratrum meis ad præsens laboribus provisa, mecum gaudeatis: & deinceps de requie vestro studio nobis comparata, nos vobiscum gaudere faciatis. Vt tamen serio aliquid loquar, per filium meum charissimum Guillelmum mihi remandate, quo tempore Cluniacum, vel circa venire, & nobiscum loqui possitis.

E

## EPISTOLA V.

F

*Summo Pontifici & nostro speciali Patri Domino Papæ Innocentio, Frater Petrus humilis Clun. Abbas, obedientiam cum amore.*

VEnerabilis frater noster domnus Natalis, Resbacensis Abbas, à paternitate vestra nuper rediens, Cluniacum venit. Qui à nobis, ut decebat, honorificè susceptus, post duos aut tres dies inopinatam nobis voluntatem suam prius coram paucis, dein coram cunctis fratribus nostris aperuit: velle se scilicet Pastorali sollicitudine deposita, nobiscum quietius Deo servire. Sed nos licet de tanti viri nobiscum cohabitatione valde gavisi, utilissimam eius prudentiam, ac religionem Cluniacensi Ecclesiæ esse sciremus: monuimus tamen, vt Ecclesiam, ad quam vocatus fuerat, non desereret, ne forte multiplicia bona, quæ & ipse noveram per eum in domo illa sata & multiplicata, eius absentia deperirent. Cumque hoc & solus & cum sociis sæpe monuissem, sæpe replicassem: animum tamen eius à propositæ quietis desiderio revocare non potui. Et quia ipse & amore æternorum, ad transeuntia oculum mentis, nec ipsa occasione Ecclesiasticæ administrationis eum ullo modo velle reflectere prorsus cognovi: oro cum fratribus nostris pietatis vestræ servis & filiis, ut iam bonæ voluntati eius paterna benignitate adquiescatis, eiusque spirituale ac beatum otium, nec à suis monachis, nec à quibuslibet aliis inquietari ulterius permittatis. Sed nec sapientia vestra aliquem, utilitatem personæ ad eius inquietudinem prætendentem audiat: quoniam licet vestræ Resbacensi Ecclesiæ, sicut ipse non ignoratis, valde utilis fuerit, Cluniacensi tamen, quæ familiarius vestra est, non inutilis esse poterit. Quia ergo non alibi, quàm in sinu vestro, hoc est in Cluniaco requiescere maluit: provideat ei, ut dixi, pietas paterna quietem, quam iusto ordine post Marthæ meretur habere laborem.

G

H

## EPISTOLA VI.

*Pontio fratri, Frater Petrus Abbas humilis, Salutem.*

AIt Paulus Antonio pulsanti. Nemo sic rogat, ut minetur. Nemo cum precibus iniuriam facit. Et minaris si non recipiaris, cum moriturus adveneris? Hæc vox mea est. Quod Paulus Antonio, hoc ego Pontio. Rogas & minaris, & cum precibus iniuriam facis. Mellitum quidem, sed tamen gladium exeris. Nisi tibi provideam, vindictam de cœlo minaris. Sed quia cum Deo litigare nolo, nec tutum mihi est tam valido obviare torrenti: necesse est cedere fortiori, in cuius tu potentia confisus, potentem impotens, fortem debilis, pauper divitem non vereris. Obsecro parce minis, parcat ut ipse Deus, non tantum mihi, sed etiam tibi: ut cum nobis peperceris, parce tuum facilius mereatur audiri.

# EPISTOLA VII.

*Venerabili & charissimo fratri Gregorio, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, consideranda mirabilia de lege Dei.*

GAudeo, & ut dignum est, vehementer exulto, quod inter innumerabiles nostri temporis miseros, pene te solum beatum invenio. Huius tuæ beatitudinis non ego novus prædicator sum, nec a me primum inventa loquor, sed voces Christi Domini tui in te, qui membrum eius es, non incongrue transfundo: qui loquitur in Psalmis, *In capite libri scriptum est de me.* Dicit caput, quod verum est, de se. In capite libri scriptum est de me. Dico & ego, nec falli me credo, In capite libri scriptum est de te. Si enim beatus dicitur in capite Psalmorum, cuius voluntas in lege Domini, cuius meditatio in lege Domini, die ac nocte est: cur ego te beatum non æstimem, non dicam, non prædicem, cuius voluntatem in lege Domini, cuius meditationem in lege Domini, cuius oculos in legendo legem Domini, cuius os in sonando legem Domini, cuius non solum articulos, sed & omnes artus in scribendo legem Domini nocte, ac die persistere, imo desudare video? *Beati,* inquit alius Psalmus, *qui scrutantur testimonia eius: in toto corde exquirunt eum.* Nonne igitur secundum has sententias, non meas, sed Spiritus sancti, non hominis, sed Dei, iure te beatum prædico? Quocunque enim me negotia trahunt, quascunque domos adire, quæcunque penetralia vel recessus domorum penetrare cogunt: Gregorium cum sermonibus, Gregorium cum Epistolis, Gregorium cum diversis tractatibus, cum infinita scedarum vel librorum congerie invenio. His undique ac semper litera tua ambitur, sinus impletur, gremium gravatur [illegible] & Monachum longe melius [illegible], quem quondam legi Philosophum in Academia philosophantem [illegible] tempore Christi languidos enerves & miseros orbem terrarum implevisse: non [illegible], sed sibi vivere, nihil [illegible] agere, talentum [illegible] Gregorium [illegible] & secundum alium quendam, cum loquendo vel scribendo quam maxime prodesse possent, veluti pecora inutilem vitam silentio transigere. Sed quid est, quod dixi, loquendo, vel scribendo: cum vix [illegible] legendo [illegible] studere [illegible]? At tu non ita, sed iuxta Hieronymum dicentem, Ama studium scripturarum, & carnis vitia non amabis: non solum a te hoc sancto studio carnis vitia exclusisti, sed insuper gratiarum & virtutum spiritualium fruges de præmisso [illegible] multam messem congregasti. Utinam certe, utinam sic mea mitigarentur negotia, utinam sic se offerrent otia, ut tecum frequenter talia meditari, tecum tractare, & meditata ac tractata, possem tibi verbo vel scripto quolibet communicare. Interim quod instat, agatur. Proposuisti tria capitula, teque de tribus ipsis quæ nonnunquam nodos implicant: meque ad dissolvendum ipsos, velut solutorem idoneum elegisti. Quod quidem neque in aliis ego sum. Voluntati tamen tuæ, & charitati, qua tibi astringor, pro posse deesse nec debeo, nec possum.

Prima propositio tua est, qua te & tecum multos alios moveri asseris: utrum beatæ Virgini matri, cui dictum est, *Ave gratia plena* atque adiunctum, *Spiritus sanctus superveniet in te: & virtus Altissimi obumbrabit tibi,* & in qua, iuxta Hieronymum tota divinitatis unda se contulit: utrum certe illi in adventu Spiritu sancti die Pentecostes facto super Apostolos, aliquid gratiarum auctum sit. Sic enim proponis: Si aliquid gratiæ super, quam prius habuerat, accepit, illud accepit, quod non habuit. Quod si habuit, non accepit. Et ad his. Nec tamen credimus, quod hæc ex aliquo scripturæ divinæ [illegible] Ac [illegible]. Si enim totã Actuũ Apostolorum [illegible] legimus, nihil in eo unde [illegible], ne dicam huius rei argumentum quis possit elicere, ut arbitror inveniemus. Nam cum ex auctoritate Evangelica plenitudo omnium gratiarum fuerit in Maria, in cuius carnem tota se divinitatis unda contulit, & singulari ac insolita veneratione ab Angelo salutata, gratia plena, Spiritu in eam super omnem creaturam superveniente, & virtute Altissimi obumbrata fuerit: mirum atque stupendum mihi videtur, quomodo alia superveniente gratia indiguerit, quæ Dei filium in utero virginali de Spiritu sancto concepit. Confirmandi sane & corroborandi, Spiritu sancto adveniente, adhuc infirmi erant Apostoli, adhuc carnales & divinorum sacramentorum, quæ per orbem terrarum fidelium mentibus infundere debebant, minus capaces. Et quia in omnem terram exiturus erat sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum, congruum erat, ut omnium linguarum genera cognoscerent, ne in nationes gentium missi, linguarum varietatem aliquatenus ignorarent. Numquid dicendum est Mariam cum Ioseph & puero, Angelo in somnis apparente, in Ægyptum profectam, ante hunc solemnem Spiritus sancti adventum, Ægyptiorum linguam ignorasse? Hæc certe verba tua sunt, quæ ex epistola mihi a te missa excerpsi. Hæc verba & ex parte videntur quærere, utrum aliquid, ut iam dictum est, plus gratiæ sancta illa Virgo & mater Domini in illo Pentecostes die acceperit: & ex parte velle astruere, quod nihil plus quam ante habebat, acceperit.

Quod ut antique prævidencio sanctoris forte sententiæ loquar, utrum ita, an aliter sit, clarius videbitur: si gratiæ à gratiis secernantur, si maiora à minoribus Spiritus sancti charismata distinguantur. Maiora vero Spiritus sancti charismata dico, quæ ad perficiendam iustitiam hominis pertinent, ut ea de quibus Apostolus scribit. *Nunc autem manent, fides, spes, charitas, tria hæc. Maior autem his est charitas.* De qua ipse alibi apertius. *Charitas,* inquit, *de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.* Hæc est illa charitas, non tantum faciens, sed omnino perficiens iustitiam: ad quam cæteræ virtutes iustitiæ cooperatrices, velut ad matrem filiæ respiciunt, de cuius radice exoriuntur, de cuius stipite velut fructuosissimæ arboris, [illegible] species omnes dependent. Ibi castitas, ibi humilitas, ibi veritas, ibi sinceritas, ibi obedientia, ibi omnis iustitia. Lege Apostolum, & invenies cætera singillatim exposita. Lege Evangelium, & audies Christum, *In hac universa Lex pendet, & Prophetæ.* Hoc est charisma, maius omnibus charismatibus: hæc est gratia, maior, ut sic dicam, omnibus gratiis. Hæc est, inquam, illa maxima & superexcellens gratia: de qua Gabriel beatæ Virgini ait, *Ave gratia plena.* Hac gratia hanc singularem virginem a tempore prolatæ angelicæ salutationis sic plenã vel repletam esse intellige: ut ei aliquam creaturarum, sive terrestrium, sive cœlestium præferre nefas sit, conferre insuper absurdissimum sit. Hac virtutum universarum gratia, cunctis creaturis excellentius illud omnipotentis Creatoris, non tantum spirituale, sed etiam corporale hospitium impleri, & ornari decebat, ut sapientia Dei, quæ se delectari per singulos dies, quæ se ludere in orbem terrarum, quæ delicias suas esse cum filiis hominum per Sapientem fatetur: quæ nec delectari, nec ludere, nec deliciari, nisi in sacris virtutibus & sanctis affectibus potest, in hac sancta & supercœlesti Virgine matre sua, præ cunctis hominibus vel Angelis virtutum gratia plena magis delectaretur, luderet, deliciaretur. Præ cunctis plane creaturis, & in terris virtutum gratia exornari, & in cœlis sublimi gloria illam decuit clarificari: quæ sola inter omnes creaturas, matris Dei nomine meruit decorari. Nam cum multi dicantur Martyres Dei, cum multi dicantur Apostoli Dei, cum multi dicantur Prophetæ Dei, cum multi dicantur Angeli Dei, cum multi dicantur diversorum ordinum sancti Dei: ipsa sola dicitur mater Dei. Unde iustum erat, ut iuxta quod Apostolus ad Hebræos loquitur, Sicut Moyses fidelis famulus in domo, sicut Christus unicus filius dominans in domo: sic ipsa eius mater

1 Cor. 13
1 Tim. 1
Mat. 22
Prov. 8
Hebr. 3

virtutibus

A virtutibus & gloria toti familiæ post ipsum in eadem principaretur domo. Sicut igitur est in ipsa singulare, ac super omnia post Deum, nomen matris Dei: ita est singularis, & super omnia post Deum in terris, & in cœlis gratia & gloria eiusdem matris Dei. Vnde quantum ad illam gratiam pertinet, quæ per Spiritum sanctum & virtutem Altissimi, vtpote conceptricem, genitricem, ac nutricem omnipotentis Filij Dei, eam decuit purgari, sanctificari, glorificari: die Pentecostes nihil ei additum credo imo absque omni hæsitatione confirmo. Quis enim sani capitis hoc vnquam vel suspicari potuit, vt quantum ad aliquam partem iustitiæ spectat, post filij Dei in ipsa conceptionem, & de ipsa Natiuitatem, aliqua gratiæ portio ei addita fuerit: cum ipsam ante ista Angelus gratia plenam dixerit? Nonne hoc absurdum, imo nefarium esse quilibet etiam valde brutus B aduertit, vt concipiens, vel pariens Deum, imperfecta fuerit: post conceptionem vero vel partum diuinum ad perfectionem ante non habitam peruenerit? Quis hoc non tantum abiiciat, sed non etiam exhorreat? Nihil enim ei vsque ad vltimum vitæ mortalis terminum, gratiæ perfectricis accessit, quod Deum concipiens & pariens non habuit: quia ex quo gratia plena dicta est, semper eadem gratia plena permansisse, absque augmento aliquo credenda est. Quod si nullo tempore vitæ suæ, post sæpe dictam Conceptionem vel Natiuitatem, ei aliquid præfatæ gratiæ additum est: nec die Pentecostes ipsi in talibus aliquid adiunctum est. Quia enim quod plenum est, nulla ex parte vacuum intelligitur: nihil ei addi potuisse cognoscitur, quæ plena gratia prædicatur. Quid enim virtutum spiritualium ad iustificandam vel sanctificandam animam pertinentium, die illo Pentecostes acciperet, quæ inter cætera hoc in plenitudine Euangelizatæ gratiæ accepit, quod nullus Apostolorum vel die iam dicto, vel aliquo vitæ suæ tempore accipere meruit? Nam licet magna & immensa dona Apostoli ea maxime die à datore gratiarum Spiritu Dei acceperint: nullus tamen illorum hoc donum meruit, vt in carne mortali vsque ad carnis mortem absque peccato omnino esse potuerit. Hinc verba illa Apostoli Iacobi prolata sunt, *In multis offendimus omnes.* Hinc & illa Ioan. *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus: & veritas in nobis non est.* Hinc & illa magni Apostoli. *Nihil mihi conscius sum; sed non in hoc iustificatus sum.* Quod ergo nec die Pentecostes Apostoli accipere meruerunt: hoc multo ante Pentecosten tempore, de qua agitur mater Virgo, accepit. Vnde Augustinus contra Cœlestium Pelagianum, in libro de perfectione iustitiæ hominis: Cum de peccatis, inquit, agitur, nullam prorsus de matre Domini volo haberi quæstionem. Vnde enim scimus, quod ei plus gratiæ collatum fuerit advincendum ex omni parte peccatum; quæ concipere ac parere meruit, quem constat nullum habuisse peccatum? Hac ergo sancta Virgine excepta, si omnes sanctos & sanctas dum hic viuerent, congregare possemus, & interrogare vtrum essent sine peccato: sine dubio respondissent, quod de se Ioannes etiam Apostolus ait. *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus: & veritas in nobis non est.* Hactenusque Augustinus. Nullo autem pacto esse potuit, vel debuit, ipsa ratione hoc ipsum vociferante, vt Spiritus sancti sacrarium, filij Dei reclinatorium, totius D deitatis solium, qualibet vel parua peccati nubecula postmodum subintrauerit: & cor illud conceptæ deitatis luce præfulgens, aliquis vel modicus tenebrosæ cogitationis fugax saltem volatus fuscauerit. Ergo secundum ea quæ præmissa sunt, beatæ matri Virgini, nec die Pentecostes, nec aliquo post Conceptionem filij Dei die, quantum ad maiora & supra dicta gratiarum dona pertinet, nihil additum est. Sed sicut ei nihil additum in maioribus confirmo, sic ei aliquid in minoribus forte adauctum, non nego. Quæ sint vero illa minora, & sæpe fatus Apostolus docet. *Alij*, ait, *datur per spiritum sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ, alij gratia curationum, alij prophetia, alij discretio spirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio sermonũ:* & similia. Dicuntur vero minora respectu maiorum supra scriptorum: quia maiora illa sine minoribus ist saluare possunt. Nam sine sermone sapientiæ vel scientiæ, non dico sine sapientia & scientia; sine gratia curationum, sine prophetia, sine discretione spirituum, sine generibus linguarum, sine interpretatione sermonum saluari possum: sine charitate & ei cohærentibus sacris virtutibus non possum. Maiora ergo sunt, sine quibus salus non est: minora dicuntur, sine quibus salus integra esse potest. Vnde quantum ad illa maiora, nihil vt iam dixi, die Pentecostes adauctũ est beatæ Virgini: quantum vero ad ista minora, Apostolis quidem omnia data sunt, sed nescio vtrũ & beatæ Virgini. Decebat enim vt illis, quorum sonus exiturus erat in orbem, sicut & ipse scripsisti, terrarum, & quorum verba peruentura erant in fines orbis terrarum: daretur sermo sapientiæ, daretur sermo scientiæ, daretur F gratia curationum, darentur genera linguarum, & si qua alia tantæ prædicationis officio necessaria esse iudicauit donorum eorundem distributor Spiritus sanctus. Adiecta est eis ab eodem Spiritu Dei animositas cordium: sine qua nihil profuissent vniuersarum genera linguarum. Quid enim prodesset peritia loquendi, si non adesset virtus audendi? Quid plane prodesset multiplex scientia verborum, nisi pelleretur timiditas animorum? Vt igitur fortes & inuincibiles animo essent, induti sũt, sicut Christus eis promiserat, virtute ex alto: ne muti coram Barbaris gentibus apparerent, & ad quod mittebantur prædicare sufficerent, impleta sunt ora eorum omnium quæ sub cœlo sunt gentium verbo. De matre autẽ Domini quid dicetur? Quid dicetur, & de aliis sanctis mulieribus, quas fuisse cum Apostolis tempore illius magni aduentus Spiritus sancti, quis negare potest? Quis negare, inquam, potest eas tempore illo fuisse cum Apostolis, cum dicat Scriptura, Quod *regressi post Ascensionem Domini Apostoli à monte Oliueti Hierosolymam venerunt, & ascenderunt vbi manebat Petrus & Ioannes, & reliqui*, ac statim subdat. *Hi omnes erant perseuerantes vnanimiter in oratione cũ mulieribus & Maria matre Iesu & fratribus eius?* Neque enim dici potest, quod hæc vnanimitas orationis discipulorũ & mulierũ sanctarum dissoluta fuerit: vsque ad diẽ illum, quo etiã per signa visibilia super Apostolos & alios credentes, Spiritus diuinus descendit. Quod si vnanimitas illa & perseuerantia orationis, ac loci, vsque ad diem illum pro tacta est: vtique mater Domini, & mulieres illæ Saluatoris discipulæ, cum Apostolis & aliis credentibus permanserunt: nec ab ipsis vsque ad sacram illam diem donis cœlestibus insignem recesserunt. Ibi plane erat iam dicta sancta mater Domini: ibi Maria Magdalene, Iacobi, & Salome, & cæteræ quæ, vt Euangelium loquitur eum secutæ fuerant à Galilæa, ministrantes ei. Quid igitur? Accepit sancta illa virgo & mater Domini, acceperant & aliæ beatæ mulieres quæ aderant, eam, quam Apostoli, gratiam, vel munera Spiritus sancti? Acceperunt maiorem sanctificationem? Acceperunt maiorem, quam habuerant, cordis constantiam? Acceperunt eandem quam Apostoli linguarum gratiam? Et de beata quidem Virgine supradictum est, & omnino certũ est, quod ei nihil ad puritatis, nihil ad sanctificationis, nihil prorsus ad omnium virtutum spiritualium perfectionem accesserit. H Nihil enim ei augmenti ad iustitiæ vel sanctitatis plenitudinem, per illum Spiritus sancti aduentum accedere potuit: quam ante conceptum, & in conceptu filij Dei, omniũ virtutũ sanctificatione & perfectione idẽ Spiritus adimpleuit. Sed nec de aliis bonis mulieribus dubiũ est, quod eis multa de simili virtutũ gratia, ante illũ Spiritus sancti aduẽtũ deerãt: quarũ imperfectionẽ idẽ Spiritus, qui spirat vbi vult, & prout vult, secundũ mensuras sibi tantũ notæ donationis suæ perfecit. Cũ enim Apostolis ipsis ante diẽ plurima de perfectione defuerint: nõ mirũ si mulieribus multa perfici restabat. Accep[illegible] ergo illæ gratiã quã prius non habuerant, & sicut in eodem loco cum Christi discipulis facto de cœlo repente sono inuentæ sunt: sic nec ab eadem collata Apostolis gratia,

Iacob 3.
1 Ioan. 1.
1.Cor.4.
1.Cor.12.
Act 1.

A quantum ad speciales animi virtutes pertinet, exclusæ sunt. Sed quid de miraculis? Quid de linguis diversis? Et ista cum Apostolis beata virgo, ac mulieres iam dictæ acceperunt? Et aliorum quidem miraculorum potentiam discipuli Christi, & ante ipsius passionem susceperunt: præcipiente ipso, *infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones eiicite:* & post resurrectionem insuper, quando tam de ipsis, quam de credituris dictum est, *Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur:* & reliqua. Omnium vero linguarum gratiam non alio die, vel alio loco acceperunt: sed die Pentecostes, quando simul Apostoli & mater Domini, ac sæpe dictæ mulieres in cœnaculo vnanimiter in oratione perseverabant. Apostoli ergo & alij discipuli, qui adfuerunt, gratiam illam linguarum ea die acceperunt. Accepit igitur eam beata Virgo? Acceperunt & sanctæ mulieres? Sed certa est causa, qua discipulis hæc gratia data est Prædicaturi enim erant, vt supra dictum est, orbi vniverso Evangelium. Sed nunquid ad prædicandum idem Evangelium, beata Virgo vel reliquæ sanctæ feminæ missæ erant, vel mittendæ in orbem vniversum? Non vtique Mater enim Domini non ad prædicandum verbum Dei, sed ad generandum verbum Dei electa fuerat, nec ad aliquem gentium hac de causa mittenda erat. Sed nec mulieres reliquæ ad simile officium alicubi leguntur destinatæ. Non sexum femineum hoc decebat quod virilem, vt ad prædicandum per diversa mitteretur: cum mulieres magis debeant parare aures ad audiendum, quam aperire os ad prædicandum, maxime, cum Apostolus dicat, *Mulieri loqui in Ecclesia non permitto.* Et rursus de eisdem mulieribus. *Si quid discere volue int, domi viros suos interrogent.* Sed dicet aliquis. Nonne quædam sanctarum mulierum Hymnos, vel Cantica divina scripserunt? Sed aliud est cantare, aliud prædicare. Aliud psallere, aliud Evangelizare. Nam sicut virum sana doctrina, sic mulierē decent religiosa cantica. Inde est quod Maria soror Aaron submerso Pharaone, Delbora occiso Sisara, Anna nato Samuële, hæc ipsa virgo & mater Domini concepto Salvatore exultasse & cantasse leguntur. Nulla tamen harum vel aliarum mulierum in aliquo textu divino ad prædicandum missa narratur. Sola Maria Magdalena legitur nō quidē prædicasse, sed nunciasse discipulis, *quia vidi Dominum, & hæc dixit mihi.* Mater ergo Domini & reliquæ ei adhærentes sanctæ mulieres, quæ ad nullam mittebantur gentium, quid necesse habuerunt die Pentecostes accipere à Spiritu sancto linguas omnium gentium? Nam quod in Epistola tua legi, quando in Ægyptum cum filio fugit, non ignorasse eam linguam Ægyptiorum: si probatur ex scripturis, tenendum est: si non probatur, non multum instandum est. Quæ enim necessitas fuit scire eam Ægyptiorum linguam, cum nec Iudæi iam per totū orbem dipersi, quorum linguæ erat, Ægypto defuerint, nec interpretes deesse potuerint? Vt ergo breviter quod sentio exprimam, accepisse eam die Pentecostes gratiam illam linguarum omnium, nec affirmo, nec nego. Non affirmo, quia nullam necessariam vel probabilem causam, qua gratiam illam accipere debuerit, invenio. Non nego, quia fortasse alius invenire poterit, ad quod ego non dum sufficio. Hoc tantū cōstanter astruo, quod tamen supra iam dixi, beatæ Virgini post conceptū Dei filium, nihil de illis excellentibus sancti Spiritus donis, aliquo tempore, dum mortalis vixit, adauctum Dei inferioribus vero nihil superfluum aut indecens additum, sed si quid omnipotentis filij Dei matrem de talium numero habere decuit: absque dubitatione adiunctū. Sive tamen ei de huiusmodi charismatibus, quæ die Pentecostes data sunt Apostolis, totum aut aliquid datum sit: & maioribus, quæ prædicta sunt adiunctum, sive non: non idcirco inferior indicabitur Apostolis, nec aliquis ipsorum propter huiuscemodi dona vel qualibet alia, maior ipsa aut par ei esse censebitur. Nam neque Helisæus Heliæ præfertur, quia duplex in eo non virtutum spiritualium, sed miraculorum extrinsecus apparentium spiritus apparuit: nec, vt æstimo, Iudas proditor aut Petro Apostolo se conferet, quia par ei in miraculis visus est: aut Ioanni Baptistæ se istorum signorum fastu præferet, de quo in Evangelio legitur, quia *Ioannes Baptista signum fecit nullum.* Hæc mihi de proposita prima quæstione, absque melioris sententiæ, vt supra dixi, præiudicio, ad præsens videntur.

[Matt. 10. — Marc. vlt. — 1. Tim. 2. — 1. Cor. 14. — Exod. 15. — Iud. 5. — 1. Reg. 2. — Ioan. 20. — Ioan. 10.]

Secundæ propositionis tuæ hæc summa est, Qua ratione post conceptum Dei filium & naturæ humanæ in aluo virginali personaliter vnitum, gloriosa illa Maria aliquid in creaturis ignorauerit, & illam, in qua omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ etiam corporaliter erant absconditi, aliquid in creaturis latuerit: cum scriptum sit de quodam sancto, Animæ videnti creatorem angusta est omnis creatura. Et post pauca subiungit. Ex gratia itaque superaddita & meriti prærogatiua, quæ virgo simul & mater Dei meruit existere, etiam in carne posita videtur sua sapientia angelorum scientiam transcendisse: sicut etiam super omnem angelicam naturam credimus eam exaltatam esse. Si vero secundum divinitatis cognitionē alius alio fit beatior, alius alio sapiētior, hæc virgo etiam in carne omnibus angelorum ordinibus longe mihi sapientior videtur extitisse: cui datum est, non solum in carne præter carnem vixisse, sed ipsum etiam Dei verbum carnem factum genuisse. Hoc quidem scripsisti, sed vt de eruditione tua confido, non tam tua, quam aliena protulisti. Quis enim, vt compendio vtar, saltem mediocriter eruditorum ignorat, quod gloriosa illa, vt scribis, & vt verum est, Maria, post conceptum Dei filium, non dico tantum aliquid vel aliqua, sed etiam multa in creaturis ignorauerit? An non ignorauit multa in creaturis, quæ multa etiam ignorauit in rebus domesticis? An non ignorauit multa in aliis, cui necessarium fuit vt Ioseph sponsus ab Angelo admoneretur, & diceretur ei, *Surge, & accipe puerum, & fuge in Ægyptum: & esto ibi vsque dum dicam tibi?* An non potuit multa ignorare in creaturis; cui iterum necesse fuit, vt rursum angelus Ioseph in Ægypto appareret, & diceret. *Surge & accipe puerum & matrem eius, & vade in terram Israël: defuncti sunt enim qui quærebant animam pueri?* Nam si ipsa hoc & illud prius noverat, & Herodem scilicet quærere puerum ad perdendum, eum, & rursus post fugam suam in Ægyptum ipsum præscierat ante defunctum: superfluè & tunc hortatus est Ioseph angelus ad fugam, & post superfluo commonuit ad reditum. Cur enim angelus sollicitaretur, aut aliquem sollicitaret pro saluando puero: cuius mater omnia nosset, cuius persecutores omnes cognosceret, quorum voluntates, consilia, fraudes, subtili Spiritus scientia dignosceret, quorum vita, quorum obitus ipsam nullatenus latere posset? Dubia sūt ista: his tamē, quibus dubitare more quorundam Philosophorum de omnibus conceditur. Succedat tamen exemplum, post quod nec ipsis, qui omnia sub vtrum ponunt, hæsitare liceat: *Remansit*, inquit Evangelium, *puer Iesus in Hierusalem, & non cognouerunt parentes eius. Æstimantes autem eum esse in comitatu, venerunt iter diei, & requirebant eum inter cognatos & notos. Et non invenientes, regressi sunt in Hierusalem, requirentes eum.* Quomodo certe, quomodo opinari potuit bonus animus nihil in creaturis beatam Virginem latere, cum eam latuerit filium Hierosolymis remansisse, cum æstimauerit eum in comitatu esse: cum eo inter cognatos, & notos non invento, Hierusalem redierit, & vix post biduum requirendo invenerit? Sed audiatur ipsa Virgo, & magis ipsi de seipsa, quam cuilibet incircumspectæ opinioni credatur. *Fili, ait, quid fecisti nobis sic: ego & pater tuus dolentes quærebamus te.* Et vtique eum dolens per diversa non quæsisset, si vbi esset subtili spiritus indagine cognouisset. Quæ ergo vbi tantus esset filius ignorabat, quomodo omnia quæ in creaturis fieri poterant cognoscebat? Sed mirum est, vt proponis, quomodo illam in creaturis aliquid latuerit, in qua erant omnes thesauri sapientiæ & scientiæ etiam corporaliter absconditi. Sed hæc sententia, quam ex parte nescio quorum proponis, sicut nosti, Apostolica est: & non de illa beata & sem-

[Gregorius de S. Benedicto. — Matt. 2. — Matt. 2. — Luc. 2.]

per

A per nominanda virgine, sed de eius filio dicta est. In illo enim, hoc est Dei & ipsius filio, verè sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi: vnde nec aliquid eum sicut Deum in creaturis latere, nec quicquam eorũ quæ in cœlis, quæ in terris, quæ insuper apud inferos aguntur ignorare, possibile est. Qui enim solus creator est omnium, solus est rector & cognitor vniversorum. Eapropter licet in vtero huius Virginis ille in quo omnes hi thesauri latebant, etiam, vt dicis, corporaliter latuerit: non tamen ex thesauris illis sapientiæ & scientiæ in ipso absconditis, omnium rerum sciẽtiam, quamdiu hic mortaliter vixit, sancta hæc Virgo suscepit. Hoc enim solius Dei est, nec alicui mortalium in hac vita concessum est. Quod vero solius Dei est, participem habere non potest. Vnde & ipse per Prophetam loquitur. *Gloriam meam alteri non dabo.* (Esa. 42.) Et cui per quendam sapientem dicitur *Tu solus nosti corda filiorum hominum.* (2. Para. 6) B Si quis tamen hanc Apostoli de Christo sententiam, gloriæ beatæ Virginis voluerit adaptare: sic saltem hoc faciat, sic erga sanctam Virginem officiosus & devotus appareat, vt regulam fidei non excedat. Attendat & videat, quam caute Hieronymus in e libris de Christo ad ipsam translatis, incedat. Ait enim in quadam re simili. In Mariam vero, totius gratiæ, quæ in Christo est plenitudo venit. Statimque adiungit, Quanquam aliter. Totius enim gratiæ, quæ in Christo est, plenitudo in Mariam venit: quoniam Christus plenus gratiæ & veritatis in Maria conceptus, de Maria ad homines processit. Tamen aliter, quia non ipsa plenitudinem illam gratiæ, quæ in Christo est, quantum ad personam propriam spectat, suscepit. Aliud est enim in persona propria habuisse illam plenitudinem gratiæ, aliud personam illam genuisse, in qua erat illa plenitudo gratiæ. Sic forte, imo sic plane, vt mihi videtur, dici potest: absconditos in Maria thesauros sapientiæ & scientiæ, non quia in ea personaliter, hoc est quantum ad propriam eius personam pertinet, thesauri illi abscõditi fuerint: sed quia sacra illa ipsius viscera Christum Dominum, in quo vere personaliter erant absconditi, portaverint. Iam sequens illa sententia, quæ quasi ad roborandam opinionem falsam proposita est, quid valeat, prudentia tua advertat. C Nam facile est videre: non tantum tibi qui longe difficiliora citissime pervides, sed cuilibet etiam leviter attendenti, quod hæc sententia iam dictæ opinioni in nihilo suffragetur. Primo, quia non ex Canone tali est, cui omnimodam fidem præbere cogamur. Licet enim à sancto Gregorio hæc in Dialogo prolata sententia sit: nõ tamen eam debemus fidem quibuslibet scriptis Doctorum quam nos debere novimus summo sanctarum Canoni scripturarum. Nec tantum deferre compellimur post veteris ac novi Testamenti paginas alicuius quantumlibet docti & Catholici scripto quantum eidem Canoni divino. Vnde Hieronymo Augustinus. Absit, inquit, à sanctitate & sapientia tua, vt eam scriptis tuis velis auctoritatem dari, quæ soli dignitati sanctarum scripturarũ servatur. Cuiuslibet enim scripturã licet examinare, de scriptis autẽ illis nulli prorsus permittitur dubitare. Hoc in epistola Augustini, & si non per eadem verba, eandem prorsus continens sententiam invenies. Præter hoc etiam, si de illo divino D Canone sumpta esset, nec sic quidem ad probanda præmissa valeret. Quod cuilibet paulo diligentius advertenti statim patebit. Nam quia ait sanctus ille, Videnti creatorem angusta est omnis creatura: non inde sequitur quod nihil eum latere potuerit in creatura. Subiecit enim hanc sententiam verbis illis suis, quibus à sancto Patre Benedicto totum mundum velut sub vno Solis radio collectum visum esse iam dixerat. Potuit vero & ille sanctus, & totum mundum simul collectum videre: & potuerunt eum multa, quæ in mundo fiebant, latere. Nulla enim necessitas vrget fateri, vt quia totum mundum collectum vidit, simul etiam quæ in mundo fiebant cognoverit. Ipse quippe etiam communis intuitus noster hoc habet, vt de turri, vel monte vel aliquo sublimi loco multa simul terrarum spatia videamus: cum vix pauca aliqua eorum quæ in spatiis illis aguntur, discernere valeamus. E Et licet longè valentior nostro fuerit sancti illius a Deo dilatatus intuitus, in tantum, vt sicut dictum est totum simul mundum aspicere potuerit: vbi tamen legitur eum totum mundum collectum vidisse, non legitur omnia quoque eum, quæ in creaturis tunc temporis agebantur, aliquatenus agnovisse. Eapropter nulla est, vel à simili, vel à minori similitudo proposita: vt quia ille totum mundum simul collectum vidisse scribitur, idcirco sancta Virgo mater Domini cuncta, quæ in creaturis, dum in corpore vixit, fiebant, agnovisse credatur. Est adhuc & de hac sententia, quæ forte se discutiendam obtulit, quod dicatur. Nam quod ait ille, Videnti creatorem angusta est omnis creatura verum est, sed in futura vita. Quod enim creator hic à à mortali videri vt est, non possit, testatur illa orbi terrarum nota sententia. F *Non videbit me homo, & vivet.* (Exod. 33.) Nec tamen idcirco falsam hanc sententiam dico, vel sanctum illum eo temporis spatio, quo assuetam hominum visionem excessit, creatorem vidisse prout datum est, nego. Novi namque & alios fuisse, vel esse modos, vel modum videndi Deum: quo & Iacob cum se vidisse fatetur, cum dicit, *Vidi Dominum facie ad faciem*: (Gen. 32.) quo & de Moyse legitur, *Loquebatur Dominus Moysi facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum*: (Exod. 33.) quo & lxx senioribus Israel apparuit vt scriptum est, *Et viderunt Deum, & comederunt, & biberunt*, (Exod. 34.) quo & Esaias, *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & eleuatum*: (Esa. 6.) quo & Micheas, *Vidi Dominum sedentem, & omnem militiam cœli assistentem ei à dextris & sinistris*: (3. Reg. 22) & multa similia. Hinc sunt & illa verba Apostoli. *Videmus nunc per speculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem.* (1 Cor. 13.) Hinc & illa Ioannis, *Nondum apparuit quid erimus: sed cum apparuerit, videbimus eum sicuti est.* (1 Ioan. 3.) Cum ergo omnes isti Deum non illo futuræ vitæ modo, sed vnicuique congruenti modo viderint: sub nullius tamen horum conspectu, omnis creatura coarctata legitur. Potuit in isto Deum vidente fieri, quod in aliis Deum videntibus factũ non est: Sed quolibet modo vel sancti illi, vel sanctus iste Deũ viderint: eo res deducitur, quo nec illi, nec iste in visionibus illis suis totum quod in creaturis gerebatur, visionum suarũ tempore cognoverunt. G Quod, si vt iam dictum est, in visionibus suis multa eos in creaturis latuerunt, non valet quod allatum fuerat ad probandum, sanctam Domini matrem nihil in creaturis latuisse, nihil eorum, quæ in creaturis suo tempore gerebantur, ignorare potuisse. Quod si cuilibet sanctorum, quod tamen nusquam legitur, datum in præsenti ad horam fuisse: non inde cogeremur credere, quia & hoc beatæ Virgini datum esset. Esset enim hoc quoddam miraculi genus, non ad summa & maiora pertinens sancti Spiritus dona, quæ, sicut supra præmissum est, plus omni creatura beata Virgo habuit: sed ad illa media, inter quæ & miracula numerantur, quæ beatam Virginem in carne mortali positam accepisse, nemo in toto Canone divino legisse, vt puto, se recolit. Nec idcirco tamen minor facientibus miracula ab aliquo sanum sapiente æstimari poterit: quæ quod summũ & maius est accipiens, talibus, licet Spiritus sancti donis, nõ eguit. Quod si quilibet pertinacius instans, eam sine miraculis aut minorẽ miraculorum factoribus esse, aut videri dixerit: dicat & Christum eo Christiano H vel esse vel videri minorẽ, qui maiora quã Christus miracula operatus fuerit. De quo ipse in Evangelio, *Qui credit*, inquit, *in me opera quæ facio & ipse faciet & maiora horum faciet.* (Ioan. 14.) Maiora vero Christo miracula fecisse multos sæpe Christianos legimus. Quos maiores eo esse disputandũ non est: quia longe longius eo inferiores esse certũ est. Iã quia de verbis illis dialogi, ne ad probanda quæ proposita fuerant valere possint, satis actũ arbitror: ad sequentia stylus procedat. In quibus legitur videri quibusdã, quod sæpe dicta Virgo mater Domini etiã in carne posita, sua sapientia Angelorũ serẽitã trãscẽderit: sicut & super omnem angelicã naturã exaltata esse creditur. Et sequitur versus. Si enim, inquit auctor, secun-

A dum divinitatis cognitionem, alius alio fit beatior, alius alio sapientior: hæc Virgo etiam in carne omnibus Angelorum ordinibus longe mihi sapientior videtur extitisse, cui datum est non solum in carne præter carnem vixisse, sed ipsum etiam Deum carnem factum genuisse. Hæc verba vt quod verum est fatear, venerabili & charissimæ mihi dilectioni tuæ, non à te quidem, sed per prolata, & opinionem non tuam, sed quorundam proponentia, in tantum mihi absurda videntur, & de rudi & prorsus incircumspecto corde procedere, quod vix admirari sufficio. Quis enim admirari sufficiat, eum cui illa videntur non discrevisse quod perfacile erat, gratiam à gratia, laborem a retributione, meritum a beatitudine? Quid autem dixi gratiam à gratia, laborem a retributione, meritum a beatitudine? Hæc verba non nunc primum à me proferuntur, sed in Evangelio Ioannis leguntur. B *Ioan.1.* *Nos*, ait, *omnes de plenitudine eius accepimus, & gratiam pro gratia.* Quid est gratiam pro gratia? Accipiunt enim sancti eius geminam ab ipso gratiam, ita vt ex præcedente gratia sequatur & alia. Primo enim hic accipiunt gratiam operationis, ac pro ipsa alibi gratiam retributionis. Primo hic accipiunt gratiam sanctificationis ac pro ipsa alibi gratiam glorificationis. Nec enim simul & opus bonum faciunt, & boni operis mercedem accipiunt: neque simul in sanctitate & virtutibus perficiuntur, & virtutum & sanctitatis gloriam assequuntur. Hic enim operantur, ibi remunerantur, hic sanctificantur, ibi glorificantur. Quantum ergo ad morum puritatem, quantum ad vitæ perfectionem, quantum ad omnium virtutum sanctificationem pertinet: beata Virgo etiam in carne posita, omnem creaturam vel humanam vel angelicam summè transcendit. Quantum vero ad sapientiam, qua quorundam videtur etiam in carne posita Angelorum scientiam transcendisse, mihi prorsus non ita esse videtur. Si enim hoc concessero, labori retributionem, merito beatitudinem adiungam: & mercedem illam, gloriam illam, magnificentiam illam, qua vniversis creaturis post carnis mortem prælata est, eam ante mortem recepisse concedam. Hoc si concessero, omni auctoritate & ratione destitutus, Angelis & hominibus C contrarius ero. Nam si dixero eam in carne mortali positam Angelorum sapientiam non dico transcendisse, sed saltem sapientiæ eorum adæquasse, necesse erit, vt eam adhuc in terris positam, omni miseria mortalitatis exuam, omni incorruptione, immortalitate, beatitudine induam. Nam si in carne, vt dicitur, posita, sapientiam Angelorum assequuta est: etiam beatitudinem consequuta est. Neque enim angelorum sapientia sine beatitudine esse potest, quæ ideo vera sapientia est, quia beata est. Beata autem, non nisi beatitudine est. Beatitudo autem est, vt eam vel definiam vel describam, sine omni molestia totius boni sufficientia. Hanc autem beatitudinem, gloriosam matrem Domini in hac mortali vita assequutam non esse, quis nesciat? Nam si hanc assequuta esset, adhuc in terris posita omni corporali molestia caruisset, totius boni accepta iocunditate gauderet. Caruisset profecto indigentia, caruisset metu, caruisset dolore, & tandem omni corruptionis vel mortalitatis incommodo. Sed ita non fuisse, auctoritati Evangelicæ credentibus, vel rationem ipsam sciscitantibus, advertere perfacile est. Licet enim ipsa post filij Dei conceptionem omni peccato caruerit: dum tamen in D carne vixit, pœna peccati non caruit. Pœna vero contracta [illegible]. Si enim beatitudo est, quæ omni caret molestia, hanc ipsa in carne mortali assequuta non est, quæ in ea multa molesta passa est. Nam si egere non est beatitudinis, si timere non est beatitudinis, si dolere non est beatitudinis, si denique mori non est beatitudinis: tunc ipsa in carne beata non fuit, quæ in *Luc.2.* carne ista omnia toleravit. An non eguit, quando pariens suum & Dei filium, reclinavit in præsepio, quia non *Luc.2.* erat ei locus in diversorio? An non eguit quæ pro filio hostias Deo oblatura, quia agnum non potuit, par turturum aut duos pullos columbarum obtulit? An non timuit, quæ à facie Herodis in Ægyptum fugit? An E *Matt.2.* non doluit: cuius animam moriente Saluatore filio, iuxta iusti Simeonis verba, nimij doloris gladius pertransiuit? *Luc.2.* An non omnes præter peccatum miserias conditionis humanæ experta est? Et quid tandem? Nonne & mortua est? Hæc omnia certe contraria sunt beatitudini Angelicæ, quam eam assequutam etiam in carne mortali necesse erit dicere, si quis eam Angelorum sapientiam vel transcendisse dixerit vel æquasse. Sapientia enim vel beatitudo angelica, intantum individua, imo sic vnum sunt, vt nec eorum sapientia sine beatitudine, nec beatitudo sine sapientia esse possit. Alioquin, quod omnino stolidum & pecuale est sentire, esset eorum aut sapientia misera, aut beatitudo insipiens. Quod quia impossibile est, vt vel sapientia quantum in ipsa est misera, vel beatitudo possit esse insipiens: necesse est fateri angelicam sapientiam semper beatam, vel beatitudinem semper esse indivisibiliter sapientem. Vnde quoniam nullo pacto beatitudinem ab angelica sapientia F quilibet secernere potest: si sapientia angelica beatæ Virgini in carne mortali datur, consequenter & beatitudo Angelica concedetur. Quæ si ei in illa mortali carne conceditur, iam nec eguisse, nec timuisse, nec doluisse, nec ad vltimum obisse, imo nec hominem eam fuisse, dicetur. Detur ergo ei in carne mortali multa & magna sapientia: sed non tanta, quæ vel Angelorum sapientiam superet, vel adæquet. Licet enim sublimis illa & super cœlestis Virgo Sapientiam Dei, *Sap.8.* quæ attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter, amictam carne humana in vtero portauerit, genuerit, lactauerit, fouerit, nutriverit: non tamen dum mortalis vixit, eam vt Angeli agnovit, vel sicut illi revelata facie, & abiecto velamine comprehendit. Manet enim quod supra scriptum est, *Non me videbit homo, & viuet.* *Exod.33.* Videbant enim eum Angeli sicuti est, videbat eum mater Virgo, plusquam ab aliquo mortaliter vivente videri poterat. Videbat ipsa eum plena gratia, plena Deo, plena virtutibus, plena Spiritu sancto & virtute Altissimi, fide & incomparabili divini amoris plenitudine: videbant eum beati illi spiritus non fide, sed re, non ut homo per speculum & in ænigmate, sed facie ad faciem. Videbant eum clarius G in ipso gremio Virginis matris, quam ipsa posset videre beata Virgo mater: quia ipsa latentem in carne Deum ineffabili spiritus exultatione gaudens admirabatur, ipsi eum in carne, sicut & ante carnem, nullo carnis obstaculo præpediti cernebant, adorabant, contemplabantur, pascebantur. Vnde hoc non velatæ, sed revelatæ visionis divinæ pastu satiati, & cótemplatione clarissima summæ sapientiæ plenissime sapientes effecti, beati non esse non poterant: qui in eo, quem conspiciebant, beatitudinem integram possidebant. Qui igitur Christum, Dei virtutem & Dei sapientiã, longe clarius, subtilius, perfectius beata Virgine, dum mortalis, vixit, cernebant: nonne ipsa æterna ac summa Sapientia, quam conspiciebant, longe sapientiores beata Virgine erant? Plane sapientiores erant, qui non velatam, vt erat apud matrem, sed revelatam, vt est apud Patrem, videbant. Videbant eam certe sicuti est, & in ea visione singularem nullique in carne mortali concessam sapientiã possidebant ac beatitudinem. Quam iam retinebat plus omnibus sanctis beata virgo per fidem, spem, & sublimissimam charitatem: qua illi, vt dictum est, fruebantur facie ad faciem. Non igitur eam, quam angeli, beata H Virgo dum in carne viveret, sapientiam obtinebat: quia nondũ vt illi, quod postea fuit, beata esse poterat. Nam angelicam ei omnino sapientiam sine beatitudine cócedere, sicut est omni auctoritati & rationi contrariũ, sic est etiam non mediocriter stultũ. Quid esset enim angelica sine beatitudine sapientia: nisi, vt sic dicã, dæmonica quædam scientia? Dicuntur enim dæmones scientes, vel scij, quoniam plurima sciunt: sed quia beatitudinẽ nec re nec spe obtinẽt, omnino miseri & detestabiles sũt. Sapientes enim eos vocare non possũ, licet multa plusquã homines in rerum natura comprehendant: quoniam nec

sapientia

A sapientia dici potest quæ rebus divinis vel æternis non militat: nec eum sapientem, qui sibi divina vel æterna congruis officiis vel affectibus non procurat. Inde est quod & sapientia mundi stultitia dicitur: & sapientes, mundo, non Deo servientes, stulti vocantur. Non habuit ergo beata Virgo, dum moritura vixit, maiorem vel parem sanctis Angelis sapientiam: quia nec habere poterat beatitudinem, sine qua eorum sapientia nunquam esse potest: nec habuit dæmonum vel impiorum hominum sapientiam, quæ nec omnino verè dici sapiētia potest. Maiorem vel parem sanctis Angelis non habuit sapientiam: quia nec, vt dictum est, habere potuit beatitudinem quam illi obtinent re. Malorum angelorum vel dæmonum non habuit: quia nec est sapientia, quam ad beatitudinem non referunt, neque re neque spe.
B Sed plane habuit ingentem & omni sanctorum mortaliter viventium sapientiæ valde præferendam sapientiam: non eam, quæ more Philosophico de creaturis curiose disputat: sed eam, quæ Creatoris cognitionem devote ac sollicite investigat. Quantumcunque enim intellectus proficiat ad solam creaturarum veritatem perscrutandam, magis scientia quam sapientia dicitur. Ille autem intellectus, qui per creaturas, vel sine creaturis se in agnitionem & amorem solius Creatoris extendit, sapientia vere vocatur. Hanc itaque sapientiam, quæ cæteris affectibus posthabitis, in solius conditoris & omnium bonorum auctoris agnitionem & defæcatissimum amorem, adiuta ipsius conditoris gratia se totam diffundit, beata Virgo & mater Dei plus omni mortali in carne vivente obtinuit: & ea sapientia summè sapiens, conditorem suum & omnium, o uni mortali creatura excellentius agnouit, coluit, dilexit: & quantum hic à vivente videri vel comprehendi poterat, licet incomprehensibilem comprehendit. Hic meus de istis sensus est, charissime, quod absque præiudicio verioris sententiæ loquor, vt puto Catholicus. Sententiæ vero sancti Hieronymi quas velut ad confirmandam iam dictam pro ipsa opinionem in Epistola tua
C legi prorsus pro ipsa nihil faciunt: sed vel ad demonstranda virtutum privilegia, quæ mortalis adhuc accepit, vel ad ostendendam sublimem & omnem creaturam superantem ipsius gloriam, quam post carnis mortem percepit, positæ sunt. Sed distinguendæ sunt à studioso lectore, quoniam quandoque permixtim ponere videtur, & gratiam sanctificationis, qua in terris constituta benedicta, sanctificata, atque ad Deum in carne portandum, gignendum, educandum, idonea facta est: & gloriam sublimationis, qua post carnis mortem fortassis & resurrectionem decorata, glorificata, & super omnes choros hominū & angelorum exaltata est. Quandoque enim in duobus vel pluribus sibi proximis versibus, quandoque in eodem versu vtrumque & pene simul ponit: ita vt aliquando quæ terræ sunt cœlo, aliquando quæ cœli sunt terræ, hoc est, ea quæ beata Virgo vel in terris ante, vel in cœlis post, accepit, vel totum terræ, vel totum cœlo tribuere videatur. Si ergo vbicunque hæc diversa simul posita sint, propriis intellectibus reddita fuerint: error nullus vel
D dubietas erit, nec aliud pro alio acceptum, confusionem aliquam lectori generare poterit. Inde est, verbi causa, illud, quod in Epistola tua de verbis sancti illius positum legi. Credendum est beatam Virginem ampliora Angelis promeruisse virtutum privilegia: & percepisse gratiam, ab Angelis etiam collaudatam. Et illud. Si mirabilis est eorum virtus & firmitas perpetuitatis, mirabilior tamen in Maria, quam obumbrabit virtus Altissimi: vt vltra omnem virtutem Angelicam sit quod factum est in ea, & admirabile cunctis seculis sacramentum. Quæ partim in hac vita, partim in futura, in ipsa & de ipsa impleta sunt. Porro duo versus qui sequuntur, quorum primus sic incipit, Ac per hoc etiam angelis exinde maior præstatur gratia, vsque ad finem secundi, vbi legitur, Tanto clarior resultat in gloria: non de hac, sed de futura intelliguntur. Et ne longus singula discutiendo fiam, reliqua similia sic legenda, intelligenda, & distinguenda sunt.

E Tertia quæstio ex eiusdem doctoris de eiusdem sermone beatæ Virginis excerta est verbis, quibus dicit, Tempus non præiudicasse sacramento vniti hominis ac Dei, ita vt iam esset in illo per vnitatem personæ ab initio seculi, qui nec dum erat natus de Maria Virgine. His verbis moveri se sagax & circunspecta eruditio tua ideo fatetur, quod eum, hoc est hominem à Deo assumptum, qui nec dum erat natus de Maria Virgine; in illo, hoc est Deo, à quo assumptus est, ab initio seculi iam per vnitatem personæ fuisse affirmat. Pulsas ergo, & singulari nostro tempore vigilantia tua me velut circa talia studia frequenter dormitantem, imo etiam dormientem excitas: & non ad legendum tantum, sed & ad intelligendum quæ legero, instigas. Et
F vere in hoc huius tractatus loco, sic mihi tunc contigit. Sæpe enim, imo pene assidue, in nocturnis ipsius Dominæ nostræ officiis hoc legi audieram, nec ita vt nunc adverteram. Sed postquam flatus studiosi pectoris tui, in emortuum pene, quantum ad istud pertinet, intellectus mei igniculum sufflauit: aliquanto ac subito inde extorto lumine, præcedentes tenebras vtcunque fugauit. Vidi namque prout mihi videtur, verba illa sancti illius, præterquam se aliorum sanctorum de huiusmodi re tractatus habeant, aliquid novi sonare, intellectui tamen Catholico per omnia concordare. Et quoniam de tanti viri fide & sano intellectu, nusquam nostri temporis vel linguæ Ecclesia, saltem in modico dubitauit: vtpote quem inter præcipuos fidei suæ defensores, post Apostolos & martyres habet: ad defendendum Catholicum eius sensum, minus forte vsitatis verbis prolatum, omnem quam possumus operam dare debemus. Neque enim solus es, qui huiusmodi verbis eius moveris: cum meminerim me ante biennium, vel triennium cum quodam & erudito, & vt creditur religioso, eadem verba praue interpretante, non semel tantum, sed frequenter egisse. Nam sumpta ex verbis illis occasione, peregrina quædam & pene hæretica magis conicere quam astruere videbatur: antiquis illis
G hæreticis fere consonans, qui Saluatorem humanam carnem ante Virginem de cœlis attulisse, & suspicati sunt & professi. Quod sanctum illum sensisse nefas est opinari: cum eum ab hac suspicione, & singularis eruditio, & fides probatissima, & maxime ipsa eius verba non dubia, non obscura, sed certa & clarissima adiuncta his, de quibus agitur verbis, omnino defendant. Ait enim sic in sermone illo, vnde verba iam dicta excerpta sunt. Non quod iam, inquit, Iesus aut Christus esset ex Maria, sed quia in illo vnico filio Dei, iam vnitas personæ commendabatur: quæ occulta erat in mysterio. Quid apertius? Plane vt vides negat, quod Iesus aut Christus quantum ad carnem susceptam de Virgine, ante Virginem fuerit. Quis ergo eum quod tam aperte negat, sensisse fatebitur? Sed obiicis. Verum est quidem, quia hoc negat. Astruit tamen constanter & prædicat, tempus non præiudicasse sacramēto vniti hominis ac Dei. Et statim euidentius. Ita, inquit, vt iam esset in illo per vnitatem personæ ab initio
H seculi, qui nec dū erat natus de Maria Virgine. Ac post aliqua. Ideo iam Iesus erat in filio qui populū educebat, & Christus in eo qui tentabatur: quoniā per sacramenti vnitatem in Deo fuisse non dubitatur Et versu interposito. Scrutandæ, inquit, sunt scripturæ, in quibus vnitas in Christo commendatur personæ, cui non præiudicat tempus, ne vnus semper dicatur. Quid ad ista dicetur? Dicit iam fuisse in illo, hoc est in Deo, per vnitatem personæ eum, id est hominem, qui nec dum erat natus de Maria Virgine: dicit iā Iesum fuisse in filio, & Christum in eo qui tentabatur: dicit vnitati personæ Christi tempus non præiudicare ne vnus semper dicatur. Quomodo tempus non præiudicabit huic diversarum naturarum vnitioni: cum divina ab æterno semper fuerit, humana ex Virgine esse cœperit? Quomodo non præiudicabit tēpus, ne vnus semper dicatur: cū hanc diversarum naturarum, hoc est humanæ & divinæ vnitioné, nullum

A nullum præteritum tempus habuerit; sed ex tempore Virginis de ipsa assumpta, ac filio Dei vnita, vnum Deum & hominem & esse & dici fecerit? Non re inquam, sed sacramento, vel mysterio. Hæc etenim verba ab ipso ponuntur, cum tempus non præiudicasse sacramento dicitur: cum vnitatem personæ occultam in mysterio fuisse fatetur. Sed rursum quæris quod sit hoc sacramentum, vel quale hic intelligatur mysterium. Et prorsus, vt mihi videtur, tota hæc quantacunque difficultas quæstionis in verbis istis, vel circa ea versatur. Cum enim in omni sacramento duo semper quæri soleant, occultans & occultatum, signans & signatum: nam & hoc eius vel diffinitio vel descriptio notat, sacramentum scilicet dici cuiuslibet sacræ rei signum: quæri potest & de isto de quo nunc agitur sacramento, quid in eo occultum, quid manifestum, quid signans, quid intelligatur signatum. Nam de B nomine mysterij si quæratur, certum est, quia in hoc differt à sacramento: quod sacramentum semper aliquid tegere dicitur, mysterium tegi, non tegere prædicatur, licet aliquando alterum pro altero ponatur. Hoc est ergo totum quod intellectui legentis hanc obscuritatis nebulam superducit: quod in innumeris tam veteris testamenti, quam Euangelij sacramentis: quid pateat, quid lateat statim cernitur: in isto vero, de quo sermo est, sacramento, quid pro signo, quid pro signato accipi debeat non videtur. Quæritur enim, vt sicut verbi causa in antiquis sacramentis duo hæc diversa apparent: mare rubrum quod videbatur, & Christi baptismus qui eo mari præsignabatur: agnus Paschalis quem Iudæus comedebat, & Christus quem idem Iudæus occisurus, & Christianus comesturus erat: tabernaculum quod Moyses, vel templum quod Salomon construxit, ac nostri temporis Ecclesia, quam vtraque fabrica præsignauit: sicut, inquam, in his tribus sacramentis duo hæc distincta monstrantur, sic & in isto distingui quæruntur. Nam verbum mysterij quod similiter ponitur, clarius elucescit: præsertim cum Apostolus de re simili hoc idem verbum in epistola ponat, dicens mysterium temporibus æternis *Col. 1.* tacitum. Et ne diu quod alibi inveniri non potest C quærens, mihi laborem infructuosum, lectori prolixitatem tædiosam importem: nihil eum aliud sacramenti vel mysterij nomine intellexisse, nihil aliud distinxisse vel astruxisse arbitror: quam ipsum æternum & latens deitatis consilium, quod penes eum æternaliter fuit, sed hominibus temporaliter apparuit. Hoc indicant & verba ipsius, quæ disputationi prosaicæ interseruit, dicens. Quod si tibi novum videtur, quod pro te hominem assumpsit: noveris, quod semper cum eo & in eius consilio fuit, vt sic fieret: & nunc quando plenitudo temporis venit, id factum est, quod & in Christo semper fuit. Hoc certe totum, est, quantum mihi videre datur, quod asserit: hoc totum, quo vnitatem personæ Christi ex Deo & homine etiam ante Virginem factam docet. Hoc totum quod mysterium vel Sacramentum nominat: non quod iam, vt ipse fatetur, hoc est ante Virginem, esset Iesus aut Christus realiter: sed quod iam in immutabili deitatis consilio constabat æternaliter. Sicut enim semper Deus verbum apud Deum erat: sic in immutabili & æterno, vt dictum est, consilio, quod nondum re subsistebat, D verbum caro factum erat. Quid autem mirum, si hoc de Christo & ipse sensit, & nos sentimus: cum de quolibet hoc homine, & de ipsis etiam creaturis inferioribus, sentiamus. Nam de hominibus electis ait *Ephes. 1.* Apostolus, quod & sanctus ille ad confirmandum quod probare intenderat, adducit. Qui elegit nos in ipso, hoc est in Christo ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati. Qui ergo elegit homines antequam essent homines, & elegit vt essent sancti & immaculati, antequam esse possent sancti & immaculati: quid mirum si à Hieronymo, imo ab ipso Apostolo tunc dicitur fuisse Christus, quando nondum erat vnde dictus est Christus? Quid mirum plane, E si hoc dicitur de rationali animante: cum legatur simile quid dictum ab eodem Apostolo de irrationali, imo etiam de insensibili creatura. Loquens enim in Epistola ad Romanos de fide Abrahæ, eamque magnificè *Rom. 4.* commendans, introducit Deum ei dicentem. *Quia Patrem multarum gentium posui te ante Deum cui credidisti: qui vivificat mortuos, & vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt.* Ergo iuxta istam sententiam, vivificat Deus mortuos, & vocat ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt. Quod si Deus vivificat mortuos, *Luc. 20.* immo quod plus est, secundum aliam Evangelij sententiam, omnes ei mortui adhuc mortui vivunt: non quod vere quantum ad carnem vivant, sed quod apud eius, per quem victuri sunt, immutabile consilium iam quasi vivunt: si non solum mortuos, sed etiam quælibet alia nondũ existentia sic vocat velut iam existerent, quia futurum esse rerum illarum apud eius constans consilium iam existit: quid vel valde mirandum, F vel diu disputandum est, si in eadem persona Deus homini vniendus, iam ab initio seculi vnitus esse dicitur: cum non re ipsa, vt dictum est, sed firmo ac constanti deitatis consilio, vnitio illa ab æterno facta esse credatur? Nam & inde dictum est, qui fecit quæ futura *Ioan. 1.* sunt. Hoc confirmat & illa sublimis, ac orbi terrarum iam ab antiquo Evangelij nota sententia. Quod factum est, in ipso vita erat. Neque enim angeli vel homines, Sol & Luna, cœlum & sidera, mare ac terra, & quæ infra continentur: in verbo Dei substantialiter vivebant. Nam si sic in eo viverent, ei coæterna essent. Sed quod factum est, in ipso vita erat: quia in eius non mutanda voluntate vel consilio, quicquid creandum erat existebat: imo, vt verbo Evangelico vtar, in illa immutabili voluntate vel consilio, proprium esse sine dubio sortitum, iam vivebat. Quod si ista omnia in illo verbo Dei hoc modo vivebant: quare non illa carnis humanæ cum ipso verbo Dei vnitio, quæ suo tempore futura erat, hoc modo iam ab æterno facta non dicetur, non scribetur, non prædicabitur: maxime *Rom. 1.* cum Apostolus dicat, *Qui prædestinatus est filius Dei in virtute, secundum spiritum sanctificationis?* Homo enim ille à filio Dei assumptus, & congruo tempore ei perG sonaliter vnitus: ante omne seculum, ante omne tempus, ante omnem creaturam, filius Dei prædestinatione æterna factus est: & qui secundum Spiritum sanctificationis in Virgine supervenientem & ei obumbrantem, postquam iuxta Apostolum venit plenitudo temporis, in eadem Virgine essentialiter conce- *Gal. 4.* ptus, & de ea natus est: ipse iuxta psalmum ante luciferum iam dicta prædestinatione hac & sempiterno cõsilio eidem æternaliter vnitus est. Si ergo clarior vel verior sententia de verbis propositis non alluxerit, ista interim teneatur: & si tibi, charissime, cui hanc Epistolam scripsi, sic visum fuerit, secure lectio sæpe lecta legatur.

SANCTI PETRI

# MAVRICII

## DICTI VENERABILIS

### ABBATIS CLVNIAC. IX.

### Epistolarum.

*LIBER QVARTVS.*

## EPISTOLA I.

*Suo Trecensi Episcopo, Frater Petrus humilis, quod solet.*

H Ecce rediit Rex, Marte succincti duces iam domesticos lares revisunt: apparatus bellicus cõquievit,

A nullus Episcopum militare cogit: fervor æstatis qui timebatur, fugit, autumni temperies ad procedendum arridet, messes in horreis reconditæ sunt, musta jam in doliis fervent: nulla domus necessitas, nulla reipublicæ cura, iter amici ad amicum impediunt. Exclusa sunt omnia, quæ obtendi solebant, non veniendi argumenta: solum velle aut nolle, absque negotiorum involucris, absque excusationum operculis, jam nude retectum patebit. Ipse insuper Dominus Hugo, qui solus expectabatur comes itineris: vel Vizeliacum, vel Antissiodorum, vel etiam Trecas, si à vobis jussum fuerit, adibit: & si ante præmissus partibus vestris nuncius hoc dixerit, die Nativitatem beatæ Virginis subsequente, ad vos iturus iter arripiet: nec quousque vos vestris Cluniacensibus reconsignet, dimittet. Et quia desiderium, imò esuriem vos videndi satis, ut credo, aliæ literæ loquuntur: taceant istæ, ne forte toties iterata legatio dum nihil efficit, subtilius inspicientibus videatur aut superflua, aut contempta.

B

## EPISTOLA II.

*Suo Cluniacensi Abbati, suus Trecensis Episcopus, idem quod sibi.*

DE paupere vena ingenij nostri, vestris literis respondere parabam. Repressi tamen me, ne eloquentia vestra paupertatem verborum meorum sepeliret. Abbas Clarevallensis præsens erat. Carnotensis Episcopus domos nostras obsederat. Nicolaus meus, imò & vester, Roma redibat. Comes Theobaldus pro negotiis suis instanter & constanter me pervrgebat. Et ecce literæ amici, manus amici ingrediuntur. Furor me ipsum omnibus, imò & mihi, & gaudentes oculi desiderata pagina perfruuntur. Obstupuisti, fateor, & dulcedine literarum, & extirpatione negotiorum, quæ vos ita ore aureo suppressistis. Vere rediit Rex, siluit armorum strepitus aëris aspiravit clementia: sed messes

C in horreis reconditæ non sunt, quia eas messores non invenerunt. Spes fuit in oculis, sed ecce luctus in manibus quia tempestas à Domino immissa, faciem terræ nostræ vindemiavit. Musta in doliis non sunt: quia vineæ nostræ vix adhuc maturescere cœperunt. Frequens Episcopatus nostri necessitas, rei cura familiaris, prohibent ne exeamus. Sed si negotiis credimus, quando negotia finem habebunt? Eripiam me de corpore mortis hujus, & ibo ad illum quem diligit anima mea: ut videam voluntatem Domini, & visitem templum ejus. Quinta die ante festivitatem sancti Remigij, dominum Hugonem Trecis habere volumus, ut cum illo, & per illum, quos videre desideramus, jam tandem videre possimus.

## EPISTOLA III.

*Summo Pontifici & nostro Patri Domino Papæ Innocentio, Frater Petrus humilis Clun. Abbas, obedientiam & amorem.*

D

SI quid minus sapienter dixero, rogo ut pietas paterna supportet: Nam fortassis ineptum esse poterit, sed indevotum erga vos esse non poterit. Pro Domino Rege Franciæ, magno, nobili & speciali filio vestro, benignitatem Apostolicam deprecor: ut quia non solum Rex est, non solum magnificus rector Christiani populi est, sed etiam quia opus manuum vestrarum est, quem ad regnum provexistis, quem sacris manibus vestris inunxistis, quem Gallis nostris potentiorem patribus Regem designastis: si quid forte adhuc ut ætate juvenis inconsulte egit, ei condescendatis, & ejus forte errorem sapientiæ vestræ velamine contegatis. Est enim Patris, ut filij, & maxime tanti, & errorem emendet, & honorem conservet. Hoc pro dissidio, quod inter ipsum & Dominum Bituricensem Archiepiscopum est, dico. Est enim, sicut sensi, res non levis, & ne de gravi incepto graviorem vergat in exitum, multum cavenda. Spiritus autem consilij, qui spirat ubi vult, qui per vos Ecclesiæ suæ per totum orbem diffusæ assiduè consulit: etiam nunc per vos regno Franciæ non vili portioni Ecclesiæ suæ consulat: & tam de his, quam de omnibus, unctio ejus cor vestrum edoceat: Nam non est meum ultra procedere, vel sapientiam vestram, cui per Dei gratiam utile consilium non deerit, quid in isto negotio agendum sit, edocere. Præterea notum facio, Luxoviense Monasterium, cui anno præterito per fratres nostros Clun. providere voluistis, & verè, sed brevi tempore providistis, in deteriorem statum quam prius fuerat relapsum, omni pene Monastica religione & observantia destitutum, parum à secularibus differre, in tantum ut quod priscis temporibus cuncta Galliarum Monasteria anteibat, nunc pene universa vix à longe sequi videatur. Additur ad hoc malum hebetudo, ne dicam stultitia, Pastoris: qui ita gregi proprio præest, ut jam fere de Abbate nihil ei nisi nomen supersit. Quid plura dicerem? *Omne caput languidum, & omne cor mœre s. A planta pedis usque ad verticem, non est in eo sanitas.* Providean Pater filiis. *Esa. 1.*

E F

## EPISTOLA IV.

*Summo Pontifici & nostro speciali Patri, Domino Papæ Innocentio, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, obedientiam & amorem.*

MAgister Petrus sapientiæ vestræ, ut credo, optimè notus, nuper à Francia veniens, per Cluniacum transitum fecit: Quæsivimus quò tenderet. Gravatum se vexationibus quorundam, qui sibi, quod valde abhorrebat, nomen hæretici imponebant, majestatem Apostolicam se appellasse, & ad eam confugere velle respondit. Laudavimus propositum: & ut ad notum & commune refugium confugeret, admonuimus. Institiam Apostolicam, quæ nulli unquam etiam extraneo vel peregrino defuit, sibi non defuturam diximus. Misericordiam ipsam, ubi ratio postularet, sibi occursuram promisimus. Venit interim Dominus Cisterciensis Abbas, & de pace ipsius & Domini Clarevallensis, cujus causa appellaverat nobiscum & cum ipso pariter egit. Dedimus & nos operam paci ejus, & ut ad illum cum ipso iret, hortati sumus. Addidimus hoc monitis nostris, ut si qua Catholicas aures offendentia aut scripsisset aut dixisset: hortatu ejus & aliorum bonorum & sapientium, & à verbis suis amoveret, & à libris abraderet. Et factum est ita: Ivit, rediit, cum Domino Clarevallensi, mediante Cisterciensi, sopitis prioribus querelis se pacificè convenisse, reversus retulit. Interim à nobis admonitus, magis autem à Deo, ut credimus, inspiratus: dimissis scholarum & studiorum tumultibus, in Cluniaco vestra sibi perpetuam mansionem elegit. Quod nos senectuti ejus, debilitati ejus, religioni ejus congruere putantes, & scientiam ejus vobis ex toto non incognitam, magnæ fratrum nostrorum multitudini proficere posse credentes: voluntati ejus assensimus, & si sic benignitati vestræ bene placitum esset, benigne & cum gaudio nobiscum, vestris ut nostis per omnia, remanere concessimus. Rogo igitur ego qualicumque tamen vester, rogat devotissimus vobis Cluniacensis Conventus, rogat ipse per se, per nos, per præsentium latores filios vestros, per has quas ut scriberem rogavit literas: ut reliquos dies vitæ & senectutis suæ, qui fortasse non multi sunt, in Cluniaco vestra eum consummare jubeatis, & ne à domo, quam velut passer: ne à nido, quem velut turtur, invenisse

G H

se gaudet, aliquorum instantia aut expelli aut commoveri valeat: more quo omnes bonos colitis, & etiam istum dilexistis scuto defensionis Apostolicæ protegatis.

## EPISTOLA V.

*Summo Pontifici & nostro speciali Patri Domino Patri Innocentio, Frater Petrus humilis fratrum Cluniacensium Abbas, obedientiam & amorem.*

CONfisus de benignitate paterna soleo filiali præsumptione etiam remotos & ignotos majestati Apostolicæ commendare. In quibus quia me sæpe exauditum persensi, de notis & proximis me magis audiendum esse speravi. Unde Domnum Heraclium Lugdunensem Canonicum, nostrum carne germanum, pietati Apostolicæ, de ea confisus, commendo: cui nulla alia urbem adeundi causa extitit, quam ut Patrem viseret, ejúsque animum multiplicibus filiorum utilitatibus occupatum, sibi arctius conciliaret. Rogo pro eo, nec rogare erubesco: quoniam testimonium præteritæ juventutis ejus maxime inter seculares, ut dicitur, clericos, nec in precibus confundit, nec aures vestras ab his exaudiendis avertit. Quærat hoc, si placet, diligentia pristina, à Lugdunensi, in qua educatus & magis conversatus est, Ecclesia: quærat & à domino Stephano Archidiacono, cui si credi debeat, vos ipsum judicem facio. Suscipiatur ergo obsecro in affectu vestro, foveatur in gremio vestro: ut cum se à gratia vestra senserit non exclusum, ea instantius agere studeat; pro quibus & Dei & vestram gratiam sibi multipliciùs adquirat.

## EPISTOLA VI.

*Honorandis & diligendis fratribus, domno Lieni Abbati, domno Stephano Archidiacono, & toti sanctæ Lugdunensis Ecclesiæ Capitulo, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, salutem.*

PRæceptum Apostoli est, *Pacem sequimini cum omnibus & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum.* Item ejusdem mandatum est: *Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes.* Hæc ego & similia sacræ legis jussa attendens, fraternæ charitati & paci, sicut mihi conscientia attestatur, omnem jam ab antiquo operam dare disposui. Nec istud dilectionem vestram ex toto latere arbitror: cum excepto præteriti anni dissidio, jam per viginti fere annos nulla inter Lugdunensem & Cluniacensem Ecclesiam lis, nullum jurgium, nulla vel parva amicitiæ læsio Christo corda nostra ad invicem uniente, contigerit. Hanc unitatem temporibus reverendæ memoriæ Hubaldi, Rainaldi, Petri, Archiepiscoporum, devotè conservare studui, & ut à nostris integre conservaretur, pro posse semper effeci. Servavi igitur, & semper, ut dictum est, servare proposui, inter nostros & vestros pacis & concordiæ bonum: nec quosdam etiam antecessorum in sæpe commovendo animos vestros secutus sum, & ut vinculum hujus charitatis indissolubile maneret, assidue facere nisus sum. Admiror ergo, & adhuc familiarem coram vobis querelam depono: quod pactum pacis, in quod per manus sapientum & religiosarum personarum nondum finito anno convenimus: non quidem omnes, sed quidam vestrum ut mihi relatum est, dissolverunt, & ne apud Villam-francam domnus Lugdunensis Archiepiscopus secundum placiti tenorem, cimiterium dedicaret, etiam publice prohibuerunt. Quod utrum fieri debuisset, ipsi videte. Ut tamen quicquid ad nos pertinet, verbo & opere impleatur, moneo reverentiam vestram: & ne fastu aliquo me hoc dimittere putetis, etiam rogo, ut morbum discordiæ nuper sanatum nequaquam rursus serpere permittatis: & jam pacem, quam nos vobis non fictè servare volumus, vos quoque nobis ex corde servetis. Et ne in quemlibet vel parvum obicem, pes inter nos mutuæ pacis offendat: si quid forte de tenore pacti, quod tamen nescimus, restat implendum, parati sumus implere, & omnem quantum in nobis est, materiam dissidij vel scandali amputare. Non solum enim vobiscum, quos sicut viros Ecclesiasticos decet, pacem diligere credimus: sed etiam cum his, qui oderunt pacem, si fieri posset, pacifici semper esse vellemus.

## EPISTOLA VII.

*Summo Pontifici & nostro speciali Patri Domino Papa Innocentio, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, obedientiam & amorem.*

VErbosus sæpe sum vobis, & sicut timeo, onerosus. Consolatur hunc meum timorem pietas paterna, quæ vix filiis solet irasci: & si irascitur, cito solet placari. Clerus Luxoviensis, † & populus, & tota simul, ut audivi, Ecclesia destituta morte Episcopi sui, domnum Arnulfum Sagiensem Archidiaconum sibi in Pontificem & Pastorem elegit: & à domno Rothomagensi, ad quem jure canonico consecratio spectabat, consecrari more Ecclesiastico fecit. Eum, inquam, elegit, eum consecrari fecit: non solum quia optimi & singularis inter suos testimonij persona est, non solum quia nobilis literaturæ est, non solum quia prudentia & strenuitate vobis ut credo, non incognitus est: sed quia vester specialis filius, & Romanæ Ecclesiæ ab ipsa adolescentia familiaris alumnus est. Nam quis eum Romanæ Ecclesiæ alumnum non agnovit, qui eum audivit? Quis eum non à puero educatum in sinu Romanæ Ecclesiæ non putavit, quicunque eum de illa loquentem advertit? Quis eum non vere vestrum, quantum ad spiritum spectat, filium judicavit: qui ejus non tantum verba audire, sed quod nostro tempore perrarum est, scripta legere potuit? Quæ, (sicut Salomon ait, non agnoscitur in bonis amicus, nec absconditur in malis inimicus,) ita eum amicum schismatis tempore prodiderunt, ut pene superfluum sit, eum nos de fidelitate & amicitia commendare: quem tanti tempestatum & turbinum tumultus, fidissimum & devotum alumnum noscuntur probasse. Prosit ergo Ecclesiæ, quæ eum elegit, quæ illum sibi hac fiducia Pastorem præfecit: quod honestatem in eo, quod scientiam, quod in juvenili ætate morum maturitatem: quod tandem in ejus promotione vestram gratiam concupivit. Prosit, ut ejus electio & consecratio à Sede Apostolica confirmetur: nec contra eum non solum ejus, sed & totius Ecclesiæ Dei, quæ in partibus illis est, hostis, Comes Andegavorum aliquatenus audiatur. Quicquid enim dixerit, quicquid sub nomine appellationis à se factæ prætenderit: certum est eum appellasse, non ut gravatum, sed ut gravare volentem: non ut oppressum, sed ut opprimere cupientem: nec ut justitia pro se faceret, sed ut iniquitas æquitatem, ut falsitas veritatem vinceret, meditantem. Ne enim Episcopus Luxoviensis † Ecclesiæ fieret, voluit nequitiæ suæ moras lucrari: ut Pastore absente, non esset qui lupo resisteret, nec esset qui morsibus belluinis ne gregem Dei pessundarent, vel in modico obviaret. Videat hæc omnia sapientia vestra, provideat his omnibus pietas vestra: & ne tyrannus, ut dicitur, appellatione Apostolica non tyrannis, sed indigentibus debita, abutatur, permittat prudentia vestra.

† Lexoviensis.

Eccl. 2.

† Lexoviensis.

A

## EPISTOLA VIII.

***Venerabili Domino, domno Miloni Morinorum Episcopo, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, salutem.***

QVoniam charitatis læsio apud Deum tanti penditur, ut, sicut novit eruditio vestra, nec munus cum ea ad altare oblatum suscipiatur, nec eleemosynæ suffragentur, nec martyrium prosit, nec peccata dimittantur, imò jam dimissa ad actorem revertantur: non debeo dissimulare, nec animum adversus fratrem, & maxime Episcopum commovere, nisi forte justa fuerit zelo justitiæ commotionis materies: Nam pro justitia moveri, non est charitatis læsio, sed æquitatis actio. Vellem, si Deus gratiam largiretur, hunc animum erga omnes habere: vellem hunc etiam & vobis B integrè conservare. Quod ut melius possim, proposui non occultare animum meum vobis, nec in corde & corde loqui: sed quod me ad commovendum instigat, sicut amico absque ullo doli velamine denudare. Relatum nobis est, si tamen ita est, non à paucis, non à quibuslibet, sed à pluribus & magnis personis: vos, quod salua fraterna pace dico, ordinem monastico derogare, data qualibet vel leui occasione frequenter lacerare, in publicis inde conuentibus etiam declamare, eius boni etiam maxima extenuare: leues excessus, qui adhuc ut hominibus non Angelis aliquando lubripiunt, sermonibus rhetoricis aggrauare. Dictum est & hoc, in Synodo vestra coram cleri & populi multitudine imprecatum vos esse, ut Clun. superbiam Deus destrueret, populóque à vobis injunctum, ut hinc Dominum exoraret. Et utinam misericors Saluator in nobis & nostris, atque in omnibus suis, non solum superbiæ, sed & omnes usque ad solum Sathanæ parietes destruat: muros in eis Hierusalem spiritualis construat, indéque omnium bonorum preces exaudiat. Sed si hoc erat dicendum, non erat deridendum: si erat ad-C monendum, non erat prædicandum: si erat orandum, non erat declamandum. Nam esto: Superbi sumus, rei sumus, peccatores sumus. Sed non tamen erant peccata fratrum in Ecclesia prædicanda, non erant delicta Monachorum in exemplum populo proferenda: ne Monachos superbos, & maxime Cluniacenses, populus audiens, ad imitandum traheretur: ne superbiam, quam in Monachis audiebat notabilem, ideo in se minus damnabilem credere doceretur. Non satis idonea ad evitandam superbiam persuasio est, propositum exemplum superbiæ: cum magis contrariis humilitatis & aliarum virtutum exemplis, morbus superbiæ & aliorum malorum ab humanis pectoribus soleat expurgari. Oportuerat, sapientiam vestram, hoc non in Taravvanensi populo, sed in Cluniacensi capitulo prædicare: & ad humilitatis viam, fratrum nostrorum superbiam, ut Pontificem decet, sacris persuasionibus revocare. Fuerat hoc ingerendum sine populis, auribus ipsorum, non sine illis, D auribus populorum: ut eos exhortatio corrigeret, non derogatio diffamaret. Non enim de tam diversis & remotis partibus terrarum, Cluniacenses fratres audire, nedum exaudire poterant apud Tarvvanam Episcopum de eorum superbia disputantem: cum fortassis obtemperassent, si eum audissent se de talibus in Capitulo suo, cui bis aut ter interfuit, admonentem. In illo, inquam, Capitulo, cui, sicut dixi, bis aut ter interfuit: & ubi superbos illos de amicitiæ, beneficiorum, argumentorúmque promissione, non modicum exhilaravit. Non ita Episcopus Augustinus vera vel falsa fratrum mala populo prædicavit, vel in scriptis suis prædicari mandavit, cum dixit: Vbi oritur peccatum, ibi moriatur, nec ad plures ejus correctio quam notitia extendatur. Non ita Patres priores & Magistri Ecclesiarum Dei, non ita, ut de nostri temporis singu-E laribus viris loquar, domnus Guigo prior Carthusiensis: qui hoc de fonte veræ, non fictæ charitatis hauserat, ut mala cujusque auctori suo tantum nota faceret; bona cujuslibet non ipsi, sed eo absente omnibus divulgaret. Sed unde tamen hæc superbia? Cui Episcoporum Cluniacen. fratres resistunt? cui non obediunt? cui non serviunt? Cui non obedientiam justam, non obsequium pro viribus, non reverentiam præ cunctis pene aliarum Congregationum Monachis impendunt? Nescio, nescio: Deus scit. Si scirem, non paterer: si nossem, corrigerem. Video res Clun. velut totius reipub. Christianæ ærarium esse: de quo omnes hauriunt, quod pene exhauriunt, in quod tam pauca injiciunt, de quo plures multa accipiunt. Sed quia per gratiam Dei universos pene Latinæ Ecclesiæ Sacerdotes amicos habemus: precamur ut vos quoque inter reliquos propitium habeamus, cui & pauca illa F nostra, quæ penes vos habentur, exposita sunt: & plurima alia per diversas mundi partes diffusa, ad obsequendum reverentiæ vestræ, si tamen ita placuerit, parata sunt. Accedit ad hanc querelam familiarem, quod Canonicam Abba-villæ secularium Canonicorum quam comes de Pontivo Cluniacensi Monasterio quantum ad jus seculare pertinet, dedit: etiam Episcopus Ambianensis, ad quem ex Ecclesiastica cura pertinet, dedisset, nisi ei à vobis & à paucis aliis dissuasum fuisset. Sed quid ego hinc de aliis queror? Possum quidem de eis jure conqueri, sed de vobis magis habeo jus querendi. Cum enim & charitas communis, & amicitia singularis, nil contra amicum facere suaderent: excessistis amicitiæ metas, & nil vos lædentem amicum læsistis. Cumque sub ditione vestra secundum spem à vobis datam, incrementa multiplicia speraremus: cessit nobis spes illa in contrarium, ut non solum nihil infra metas Episcopij vestri vestra largitas nobis conferret, sed & aliorum donis & largitionibus contrairet. Probat hoc, ut accepi, apud Remorum urbem nuper factus Episcoporum Conventus: ubi cum Dominus Remensis Archiepiscopus, Suessionensis, Catalaunensis, Attrebatensis, & alij Episcopi, utique magni, G sapientes & religiosi viri, in negotio jam dicto assensum darent, solus inter omnes ab omnibus dissentiens apparuistis. Quare hoc? Si justa de causa, bene. Si non, ipse videte. Credo tamen in partibus vestris sanctum Bertinum, Abba-villam, Gastum, Romiliacum, & alia vobis contigua loca hoc judicare: quod fratres Cluniacenses Episcopalis auctoritas tam facile, tam severe non debeat condemnare. Parco verbis, ne amicum, quem placere contendo, provocare videar. Oro igitur in fine Epistolæ, oro ego, deprecantur & nostri: ut quod nobis de amicitia, sicut supra dixi, promisit benignitas vestra, observet veritas vestra. Absit enim, ut aliter faciendo quam promittendo sit in sancto ore vestro, est, & non: sed eadem implendo, quæ dicendo, sit semper in illo est.

## EPISTOLA IX.

H

***Vniversali & nostro speciali Patri, Domino Papa Innocentio, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, obedientiam & amorem.***

IMperator Hispanus, magnus Christiani populi princeps, devotus majestati vestræ filius, licet apud pietatem vestram multum possit & posse debeat: tamen quia inter modernos reges præcipuus amicus & benefactor Cluniacen. Ecclesiæ est, me ad præsens mediatorem, & apud vos intercessorem elegit. Pro quo ut exaudiri merear, quod facerem si præsens essem, nunc absens facio: & me cum omnibus fratribus meis, filiis vestris, qui hoc audire potuerunt, ad pedes pietatis vestræ, non tantum corde, sed etiam corpore ipso prosterno. Oro, ut quorum preces tam paternè, tam benignè, totiens & totiens vestri gratia admisistis: hac

A hac saltem vice nequaquam benignitate solita repellatis. Largitas enim paternæ gratiæ, qua nos pene semper audire soletis, ubique diffusa, ab omnibus audita, trahit multos ad nos, & frequentatis precibus compellit nos fatigare vos. Sed non ego pro Rege Hispano, non pro Romano, non pro quolibet mortalium preces funderem, si id justitiæ repugnare cognoscerem. Unde licet earum rerum, quibus non interfui, testis esse non possim, sapientum tamen multorum, magnorum probatorum etiam virorum testimonio, non minus quam oculis meis vel auribus credere compellor. Horum itaque omnium attestatione, ex quibus multi Clerici, qui jam Monachi, nonnulli Episcopi sunt, electionem Domini Salamantini Episcopi in Archiepiscopum sancti Iacobi, ab omni clero, ab omni populo, canonicè, pacificè, communiter factam, prædictus Imperator per humilitatem meam majestati Apostolicæ repræsentat. Et quia illa Ecclesia, ad quam electus est, tanti Apostoli corpore gloriosa, tot Sedis Apostolicæ privilegiis sublimata, inter omnes Hispanas Ecclesias caput extulit: nobilem, prudentem, honestam, probatam personam, præ aliis terræ illius Ecclesiis requirebat. Quam se invenisse tandem in isto læta, eum sibi, ut dictum est, concorditer in Pastorem elegit. Unde si quis post illam communem & solemnem electionem, alicui proprio incommodo inservire volens, ab illo desciverit: provideat sollicitudo paterna, ne illi liceat ob privatum lucrum bona publica impedire, vel ea de causa pacem tantæ Ecclesiæ perturbare. Astat igitur, & ad fores vestræ misericordiæ manu nostra pulsat Imperator Hispanus, Sancti Iacobi clerus & populus: ut electum suum non sublimiter, non superbè, sed humiliter & mansuetè ad vos venientem, suscipiatis: vinculum Apostolicæ severitatis, quod modestè pertulit, resolvatis: & quod potestatis vestræ solius est, translationem ejus de Salamanca ad urbem sancti Iacobi Apostoli concedatis. Et ut apud pium Patrem legati contemplatione, ipsa possit juvari legatio: vobis cognitum & dilectum venerabilem fratrem nostrum Natalem, nuper Resbaci Abbatem, paternitati vestræ direximus. Quem quia a Mariæ otio, quod apud nos elegit, invitum & reclamantem nostris viribus non potuimus: ad hoc suscipiendum negotium, cui resistere non potuit, obedientiæ virtute compulimus. Unde si placet, quem nos exasperavimus mittendo, vos lætificate, effectum precibus annuendo.

## EPISTOLA X.

*Summo Pontifici & nostro speciali Patri Domino Pap. Innocent. Frater Petrus humilis Clun. Abbas, obedientiam, & se totum ad omnia.*

Dominus Hugo Turonensis Archiepiscopus festinans adire majestatis vestræ præsentiam, in ipso devotionis suæ itinere apud Charitatem morbo correptus est. Quo ingravescente, cum jam de vita desperare cogeretur, monachicum ibidem indumentum suscepit: & per manum Prioris nostri de Charitate, religionis habitu suscepto, Cluniacensis Monachus effectus est. Quod Turonensis Ecclesia audiens, & ne hac occasione pastoralem curam relinquere vellet formidans, domnum P. Archidiaconum, domnúmque Hugonem Nuceriensem Abbatem cum aliis ad eum direxit: & ut ad ovile suum Pastor rediret, omni studio, tota diligentia, summis precibus rogare curavit. Noluit ille, nec multorum & magnorum virorum precibus reditum persuadentibus, adquievit. Instantibus illis, nec à cœptis precibus ullo modo desistere volentibus, & hoc tantum respondit: nihil se horum prius facturum, quam res vobis innotesceret, & a paternitate vestra quod sibi faciendum esset audiret. Supplicat ergo quantum potest nobilis illa & magna Turonensis Ecclesia, supplicamus & nos; rogat; quod longe præstantius est ipsa, ut nobis videtur, justitia, quatenus Patrem ad filios, Pastorem ad oves, Prælatum ad subditos, sublimitas vestra, cui omnium Ecclesiarum sollicitudo à Deo commissa est, redire persuadeat, & si sponte noluerit, etiam invitum compellat. Etenim, ut publica fama testatur, non mercenarius, qui videns lupum dimittit oves & fugit: sed Pastor, qui pro domo Israël sibi commissa, murum se opponere, & stare in prælio in die Domini consuevit. Sed unde rogo, unde supplico? Supplico quasi pro reo, cui aliquid indulgendum sit, cui commissum aliquod grave donandum sit. Sed si ego vos unquam agnovi, si dulcem affectum vestrum erga religionis professores, & maximè conservatores adverti: qui de bono melior, de clerico Monachus, qui de communi schemate cleri ad Martini sui nigrum habitum conversus est, non indignus ejus, & maximè prius adepta Pontificali sede judicabitur. Redisset quidem, si magnos & sapientes viros audire voluisset, non deterior, sed jam melior factus, ad Sedem propriam: sed sapienti humilitate expectare inde maluit sententiam Apostolicam. Non obsit ergo ei vel Ecclesiæ suæ, quod tamen superflue loquor, quod se totum dispositioni Apostolicæ proprio consilio, non alieno submisit: quod Martini, ut dictum est, habitum induit: quod tandem vester, &, ut sic dicam, magis propriè vester Cluniacensis Monachus factus est. Placuit sanctitati vestræ in quibusdam aliis, quos nominare possem, Episcopis, quod de communi clericorum vestitu, ad canonicalem habitum transierunt: placeat, & placebit ut credo, quod magnus Turonensis Archiepiscopus ad humilem Monachorum habitum se convertit, & sic habitum & vitam in melius commutando, Pontificali dignitati nihil melior factus detraxit.

## EPISTOLA XI.

*Venerabili Deique Sacerdoti A. Narbonensi Archiepiscopo, Frater Petrus humilis Clun. Abbas, salutem.*

Audiens à pluribus dignationem vestram propter exile servitium a nostratibus Remensis Concilij tempore vobis impensum, supra meritum gratiosam nobis existere: ad referendas benevolentiæ vestræ gratias per vos ab Hispaniis primo redire disposui. Sed quia multiplex curarum distractio propositum immutavit: per vos, ut proposueram, redire non potui. Quia ergo dilecto mihi præsentare non possum personam meam, dirigo Epistolam meam: in qua me præsentem sentiat, & quod à me audiret, ab ipsa audiat. Relatum mihi est ab amicis communibus, reverentiam vestram Episcopalibus negotiis jam usque ad senium detritam, magis magisque in dies atteri: & molestiis curarum irruentium oppressam, solito vehementius fatigari. Cumque in vita magni Martini scriptum legatur: Optata est seni missio post laborem: doleo laborare emeritum, qui justis sudoribus missionem promeruit, &, ut dictum est, de Marthæ laboribus ad Mariæ quiescentis transire otium concupiscit. Si tamen, quod salvo amicitiæ jure loquor, esset animus victor annorum, & cedere nescius senectuti: vererer Pontificalem sublimitatem à summis ad ima retrahere, & ut de Pontificatu ad Monasticum ordinem transitû faceret, invitare. Sed quoniam locus humilior tutior esse solet, altior vero ruinam semper formidat: fugiendus est, ut mihi videtur, mons patens universis auratum turbinibus: amplectenda est vallis, nullis aerum subjecta proventibus. Vallis hæc Cluniacus vobis esse poterit non solum humilitate, sed & situ ipso eandem significante: quæ multos non tantum inferioris, sed etiam vestri ordinis viros, pro Christo humiliatos

suscepit,

A suscepit, eósque suo tempore ad cœlestem sublimitatem provexit. Non igitur timeat humiliari in terris, à Deo super cœlos extollenda anima: nec pudeat eum se submittere hominibus, eum qui tali humiliatione conferri se non dubitat beatis spiritibus.

## EPISTOLA XII.

*Venerabili & præcordiali amico nostro domno Gaufrido Burdegalensi Archiepiscopo, Frater Petrus, humilis Cluniacensium Abbas, salutem, & sincerum affectum.*

INter varias pectoris mei curas, ingessit se aliquando cogitatio de amicitia, & quem cui amicum vel præponere vel subponere deberem, sollicita perquisivit. Cumque universas animæ latebras perscrutans, abdita universa omni discusso nubilo penetrasset: in- B venit in amicitia nulli supponendum, pene omnibus præferendum quantum ad se, illum, illum certe meum Burdegalensem Archiepiscopum: quem non dignitas Pontificalis, non sublimitas temporalis, mihi in spirituali & vero amico associavit: sed animus terrena spernens, cœlestibus inhians, mores compti, prudentia singularis, amicitia constans, & vere Christus ipse ad universa mutui amoris primordia se medium exhibens, indivisibiliter conjunxit. Hoc semper, ex quo Carthusiense iter sanctitatem vestram mihi notam fecit, firmissime cordi meo inhæsit, inhæret, & per Dei gratiam perpetuò inhærebit. Hæc quia præmittenda erant, præmisi: nunc quæ ordinem sequi debent, suppono. Ago quas possum gratias, quia non imparem in mutui amoris constantia vos inveni, quem de amici ad remotas Hispaniarum partes, & velut ad peregrina tendentis, mandatis & precibus tam devotum conservatorem habui. Commendavi ei Monasteria nostra, Abbatias, Prioratus & Cellas: & ecce non ejus tantum, sed & omnium nostrum vo- C ce attestante, fidissimum etiam in hoc commisso reperi. Redire per Provinciam vestram prius quidem disposueram: sed fortuitus rerum eventus, imò, quod verius est, Dei dispositio permutavit. Eapropter nec præsentia vestra mihi, ut nostis, charissima frui licitum fuit: nec de propositis Angeliacensis Ecclesiæ, & aliis negotiis vobiscum loqui, vel conferre facultas fuit. Scripsi tamen inde Domino Papæ, & omnia ei per proprios nuncios notificans, ipsi sanctitatis vestræ litteras destinavi. Oportet autem, sicut novit sapientia vestra, & ut inter nos tunc condictum fuit, rem secretam esse: ne dum corpus peccati in Ecclesia sancti Ioannis quærimus, re non suo tempore patefacta, quod Deus avertat, augeamus. Esse nostrum, super quo certificari vult sincera, humilis, & sublimis benignitas & dignitas vestra, tale esse cognoscite. Illud quidem præteritum iter nostrum, plus honoris quam personam, non dico Ecclesiam decet, habuit: quia etsi non decuit personam, decuit Ecclesiam, profectus vero temporalis, non quantum cupiditas vo- D luit, sed plus tamen quam meritum exegit. Quod vero ad personam spectat, utinam sospitatem corporis incolumitas Spiritus æmularetur! Quod autem ad Ecclesiam respicit, pace super omnia & mutua & generali fruitur, Christóque Domino suo ita ut nunquam, prout videtur melius, humiliter & devote deservit: & pro suo Domino & Patre Burdegalensi Archiepiscopo, à nobis sæpius, ut dignum est admonita, clementis Domini misericordiam deprecatur. Constantinum, super quo scripsistis, si hoc utile judicatis, ad quartam leugam revocate: & de universis Cluniacensibus negotiis non solùm ut legatus, sed ut ipse Cluniacensis Abbas, securè disponite. Nec enim absentem puto ubi vos estis: neque ubi ego sum, vos absens esse potestis. In fine, non tantùm pro me & vestra Cluniacensi Ecclesia vos Deum sollicitè exorare rogo: sed & E bonos illos partium vestrarum viros, quos ad Christi militiam & servitutem semper accingitis & fovetis, quatenus ut idipsum faciant deprecemini, magis corde quam verbis imploro.

## EPISTOLA XIII.

*Nostro Wintoniensi Episcopo, Frater Petrus suus Cluniacensium Abbas, salutem & totum cordis sui affectum.*

PRo Cluniaco rogare soleo, nunc pro Marciniaco rogo. Materia, ut nostis, est multa rogandi: Singularis domus, excellens religio, non tantùm mors, sed perpetua sepultura sororum sanctarum, quæ pro Christo suo ante mortem moriuntur, ante sepulchrum sepeliuntur. Præter hæc multarum parentum, F & præcipuè matris meæ, insuper & vestræ cœlestis in loco illo conversatio, felix excessus, beata sepulchra. Ista me ad orandum, vos ad exaudiendum compellunt: ut locum illum semper præ oculis habeatis, semper veneremini, semper colatis. Hac spe fratrem præsentium latorem, ab illis Dei ancillis ad vos & ad partes vestras directum, oro ut more vestro benignè suscipiatis, audiatis, & exaudiatis. Omnipotens & misericors Salvator noster, cui jugiter ut possumus pro vobis assistimus, statuat procellam vestram in auram, & sileant fluctus ejus.

## EPISTOLA XIV.

*Venerabili & præcordiali amico, domno Guarino Ambianensi Episcopo, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, salutem quam sibi.*

QVid dicam? quid loquar? quas tam sincero amico gratias agam? Divisit & vere divisit sapiens G dilectio vestra inter amicos & inimicos, inter veros & falsos: inter dantes verba, & exhibentes opera. Promittunt alij magna magnis meritis amicorum, & nihil solvunt. Nihil promisistis, & nullis erga vos meritis nostris, multa & magna solvistis. Hæc est causa, hæc summa materia, hoc indissolubile vinculum, quo vobis astringimur, quo vobis colligamur, quo licet absenti integra totius amoris & affectus nostri viscera vobis refundimus. Nec mirum: Quis enim non summoperè trahatur? quis non alliciatur, tantis ex parte vestra impensis? nullis, ut dictum est, ex nostra repensis beneficiis? Sed si plenum sacrificium, si integrum holocaustum offerre Deo disponitis, si caput & caudam simul immolare proposuistis: venite, venite, inquam, ad nos, ut videamus quem diu videre optavimus, & fruamur etiam hic in Christo, quo etiam alibi perpetuo frui desideramus. Hoc per eum, qui dilexit nos, & qui vobis inspiravit diligere nos, non tantum rogamus, sed etiam obsecramus: ut antequam H proxima æstas finiatur, Cluniacus vestra vos videat, & præsentia vestri diu exoptata exhilaretur & gaudeat.

## EPISTOLA XV.

*Dilecto & per omnia diligendo ac venerando amico nostro, Domno Sugerio Abbati Sancti Dionysij, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, salutem.*

O Infelix sors hominum, & si dici fas esset fortuna miseranda! Video sæpe invitis oculis quos videre nollem. Videre non possum saltem permulta secula semel, quos assiduè cernere exoptarem. Ad quid istud? Instant & astant mihi sæpe seculares & duri

rerum

A terum secularium exactores : quos si possem, ut dixi, summo studio evitarem. Dilectum vero meum illum, illum inquam meum etiam antequam meum, dilectum Abbatem sancti Dionysij, & ante utriusque Abbatiam mihi charum, & post de charo charissimum factum, nec post longa tempora videre possum. Retinet eum Francia, nostræque semper illum Burgundiæ invidet : ut nunquam illum apud Cluniacum nisi semel videre potuerim. De hoc igitur familiarem querelam depono, gratias quas possum agens, quod licet se ipsum nobis subtraxerit, beneficia tamen multimoda exhibere non desinit. Attestantur hoc fratres nostri in vestris partibus commorantes : dicentes in causis & necessitatibus suis, non modo patrem Monasterij sancti Dionysij, sed & suum Cluniac. in vobis invenisse Abbatem. Doleo inde tamen, non quia vos semper nobis gratis gratus : sed quia nos nil invenientes quid rependere possimus, vestris beneficiis semper videmur ingrati. Interim
B rogo quantum possum & supplico, ut vel Dei, vel amicitiæ, vel regni vestri, in cujus ultimis partibus constituti sumus, occasione, in Cluniaco vestra ante
Esa 60. proximè futurum hyemem vos videamus. Credo etsi veneritis, quia juxta Prophetiam, non tantum in futura vita, de qua hoc dictum est, sed etiam in præsenti gaudium & lætitiam videbitis, & gaudebitis, & lætabitur cor vestrum.

## EPISTOLA XVI.

*Reverendo Patri, & Domino Petro Dei gratia Cluniacensium Abbati ; Frater Bernardus Clarevallis vocatus Abbas, seipsum quantulus est.*

ITane jocari libet? Dignanter sane atque amicabiliter : sed si ita luditis, ut non illudatis. Nolite mirari hoc : nam suspectum id mihi facit vestra ipsa tam inopinata dignatio. Non enim multum temporis est,
C quod scribens ad vos coronam vestram debita reverentia salutavi : & non respondistis mihi verbum. Nec multo ante rursum ex urbe Roma vobis scripseram : & nec tunc quidem vel vnum iota recepi. Modo miramini, quod revertenti nuper de Hispania nugas meas denuo ingerere non præsumpsi? Quod si culpa est, quacunque ex causa non scripsisse : sine culpa profecto non erit, noluisse, ne dicam contempsisse, rescribere. En in quo pro me faceret justitia, quia id à me flagitatis : nisi mallem occurrere gratiæ redeunti quam retardare eam, dum vel me excusare inutiliter volo, vel alium accusarem in mente, quod ore non promerem : quòd hoc vera recuset amicitia. De cætero, quia charitas omnia credit, jam omnis suspicio de medio fiat. Gaudeo quod recaluistis priscæ amicitiæ recordari, & læsum revocare amicum. Libenter redeo revocatus : Felix qui revocor, nullarum jam memor sum injuriarum. En ego qui fueram vestræ profecto sanctitatis servus, & ante. Gratias ago, optime
D locatus sum : intimus vobis denuo factus, sicut dignamini scribere. Si forte intepueram, ut arguitis, haud dubium quin recalescam, fotus vestræ visceribus charitatis. Et nunc quod placuit scribere, obviis manibus suscepi : legi avide, libenter relego, & placet sæpius repetitum. Placet, fateor, jocus : Est enim & jocunditate gratus, & serius gravitate. Nescio siquidem quomodo inter jocandum ita disponitis sermones vestros in judicio, ut & jocus levitatem non redoleat, & auctoritas conservata hilaritatis non minuat gratiam. Porrò auctoritas ita conservatur, ut illud sancti viri vobis
Job 19. merito posset aptari : *Si quando videbam, non credebant mihi.* Ecce rescripsimus, & puto jam jure exigimus ampliora, quæ promisistis. Dignum est ut sciatis quæ penes nos sunt. Decretum est mihi, ultra non egredi de Monasterio, nisi ad Conventum Abbatum apud Cistercium semel in anno. Hic fultus orationibus ve-

E stris, & benedictionibus consolatus : paucis diebus, Job 14.
quibus nunc milito, expecto donec veniat immutatio mea. Propitius sit mihi Deus, ut non amoveat orationem meam, & misericordiam suam à me. Fractus sum viribus, & legitimam habeo excusationem : ut jam non possim discurrere ut solebam. Sedebo & silebo, si forte experiar quod de plenitudine intimæ suavitatis sanctus Propheta eructat, *Bonum est*, inquiens, Thren. 3.
*expectare Dominum cum silentio.* Et ne solus videamini mihi lusisse, puto jam non audebitis hoc nostrum silentium reprehendere, & more vestro appellare soporem : quod, ut puto, congruentius ac magis proprie, Esaïas cultum justitiæ nominat : & de quo legitis in hoc ipso Propheta, dicente Domino, *In silentio* Esa 30.
*& in spe erit fortitudo vestra.* Commendate me orationibus sancti Conventus Cluniacensis, salutato prius ex me, servo omnium, si dignum judicatis.

## EPISTOLA XVII. F

*Singulari veneratione colendo, totis charitatis brachiis amplectendo, individuo cordis mei hospiti, Domino Bernardo Clarevallis Abbati, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, Salutem, ad quam suspirat, æternam.*

QVoniam tam dulcibus & jocundis amici literis, quibus & ipse jocundus citus occurrere debuissem, tardus rescriptor occurro : mirabitur fortassis solers sanctitas vestra, & segnitiei vel contemptui, ut timeo, deputabit. Sed absit utrumque, nec absit tantum, sed prorsus utrumque abest : cum fere nihil unquam, quantum ad literas pertinet, vel libentius susceperim, vel studiosius legerim. Tarditatis causa ex parte extitit lator earum, qui Cluniacum veniens, nec me ibi inveniens : cum ipse non valde remotus, hoc est, Marciniaci essem, literas quas ferebat mihi nec detulit, nec misit, sed Cluniaci dimisit. Et ne velut accu- G
sare bonum virum videar : credo eum aut quibuslibet negotiis retractum, aut acerrimæ, quæ tunc incumbebat, hyemis austeritate, ne me conaretur adire, deterritum. Moratus sum & ego ibidem, tam nivibus quam negotiis detentus per mensem, & vix in initio Quadragesimæ domum redij. Suscepi tandem à Subpriore, cui traditæ fuerant, literas illas vestras. Tractus est statim animus, & cum in affectum vestri multum ante caleret : longe amplius per easdem litteras flatu pectoris vestri succensus, nihil ultra frigidum tepidúmve sibi inesse permisit. Tractus inquam, sicque tractus est : ut quod nunquam, nisi sacrorum reverentia librorum me fecisse memini, perlectam Epistolam mox exosculatus sim. Et ut eos quos poteram, quia tunc non omnes poteram, in vestræ charitatis affectum, more mihi solito excitarem, circumpositis quibusque quod mihi soli legeram relegi, eosque erga vos in majorem dilectionis affectum pro viribus commovi. Recondi
statim eas, & argenteis sive aureis, quos pro more mihi à patribus relicto, ad opus eleemosynæ mecum fer- H
re soleo, adjunxi. Nec incongruè : Nam super omne aurum & argentum vestra mihi gratia bona vestra charitas est pretiosa. Rescribere quod animo insederat sequenti die statim volui : sed à quotidiano, imò pene continuo exactore alia reposcente prohibitus conticui. Imperavit mihi plane silentium, cui resistere non poteram, durissimus imperator : & cura multiplex infinitarũ causarum, non uno tantum, sed multis me diebus silere coëgit. Transibant quandoq; quindecim dies, quandoq; integer mensis quandoq; continui menses, quibus scribere semper nitebar, nec imperatore jam dicto permittebar. Rupi tandem importunum vinculum, & licet ægrè, jugum oneris & sceptrum exactoris furtim scriptitando superavi. Ac ne superfluus videar, tantopere

A excusans tarditatem rescribendi, ipse excusare coegistis, dum dixistis: Non multum temporis est, ex quo scribens ad vos, coronam vestram debita veneratione salutavi, & non respondistis mihi verbum: nec multo ante rursum ex urbe Roma vobis scripseram, & nec tunc quidem vel unum iota recepi. Modo iterum, quod revertenti nuper de Hispaniis nugas meas demum vobis ingerere non præsumpsi? Quod si culpa est, quacunque ex causa non scripsisse: tunc culpa profecto non erit noluisse, ne dicam contempsisse, rescribere. Hoc quidem vos: Sed quid ego? Illud plane. Negare inquam, culpam quam imponitis nullo modo possem, si tanto amico primo scribenti rescribere debuissem: sed prout recolere possum, dum in urbe moraremini, scripsi ego prior, rescripsistis posterior vos. Non ergo ad me pertinuit rescribere, qui prior scripseram: sed vestrum fuit rescribere, quia prior scripseram. Et potuissem quidem rescribere etiam rescribenti, sed plena scriptoque meo ad unguem satis-

B faciens responsio vestra silentium mihi imposuit respondendi. Quod si ita est, culpa mihi imposita me deserens, vos incipit intueri, quia inculpabilem culpare, & sarcina aliena, ne dicam vestra, aggravare humeros fratris innocentis voluistis. Quod vero vice alia idem à me factum dicitis, quia rei memoria menti non inest, responsio deest. Quæ si forte adesse potuerit, aut probabilis excusatio, aut humilis satisfactio deesse non poterit. Sed addidistis: En in quo pro me faceret justitia. Et ego: Interim juxta causas præmissas pro me facit justitia, quia apud me non invenitur culpa. Jam non, si parcerem, & læsum quod de vobis dixistis, amicum me vocare potuissem: & læsionis vel injuriarum pœnam merito exigerem. Sed parco more meo, sed cuncta etiam non rogatus remitto. Nullarum, ut dixistis, memor sum injuriarum: Nam & hoc ad sequentem materiam pertinet, ut qui notas simultates de multorum cordibus non ludo, sed serio excludere satago, & ad excludendum vos incitare intendo: prior

C ipse omnibus indulgeam, & quod ut alii faciant laboro, ante ipse faciam. Sed rursum forte dicetis: Itane jocari libet? Libet equidem, sed vobiscum. Vobiscum certe, sed non ita cum aliis: Nam cum quibusdam aliis gravitatem excedere, vanitatem incurrere formidarem. At vobiscum vanitatem non vereor, charitatem, ne labatur, persequor. Unde dulce mihi est semper vobiscum loqui, & melleam inter nos charitatis dulcedinem jocundis sermonibus conservare. Caveo enim quantum possum de illorum fratrum numero esse, qui oderant Ioseph in corde suo, nec poterant ei quicquam pacifice loqui. *Gen. 37.* Utinam & sic, quod non glorians dico, omnes nostri vestrique fratres facerent, & à linea charitatis, qua sola post fidem & Baptismatis Sacramentum fratres dicuntur, & qua speciali consanguinitate sibi junguntur, non degenerarent, metuerentque quod ait Apostolus, *Periculum in falsis fratribus.* *2.Cor. 11* Utinam plane hoc omnes facerent, & cor a cogitatu doloso, linguam juxta Psalmum quem frequentant, à verbo aspero custodirent. Videntur ista, quæ præmisi, magna promittere, & velut ad

D pergenda maxima se præparare. Sed ne de his illud oblatum dicatur:

*Quid tanto dignum feret hic promissor hiatu?*

Fateor me non tantum maximam, sed nec magnam, nec modicam habere causam vobis scribendi: earum tamen rerum, quas magnas vel maximas seculares æstimant, & de quibus se magnos vel maximos fieri posse filii seculi sperant. Est tamen magna, & in tantum caritas omnes præcellens, ut excellentior omnibus ab Apostolo dicatur: Et si ejus nomen quæritur, ab eo charitas nominatur. *1.Cor. 12 & 13.* Hæc mihi tota, & sola causa scribendi fuit, quam me personæ vestræ integram servare confido: quamquam nostros vestrosque sibi ad invicem melius solito servaturos, vestro maxime studio non despero. Nam quantum ad eam charitatem spectat,

E quam vobis in abdito cordis mei jam ab antiquo reservo: videtur mihi quod aquæ multæ, ut scriptum est, non poterunt eam extinguere, nec flumina obruere. *Cant. 8.* Hoc in quotidiano usu multiplex experiens video, quod aquæ multæ non poterunt eam extinguere, nec flumina obruere. Quando enim eam, qui vel obrui potest sinceritas erga vos, & ignitum mei pectoris affectum quibuslibet susurronum tumoris rivulis: cum nec aquæ multæ detractionum potuerint eum extinguere, nec impetus Lingonensium fluviorum obruere. Nostis quid dico, nec ob aliud dico, nisi ut constantis in amoris proposito erga vos animi mei insignia recolens, stabilem de cætero me esse possim prudentia vestra prævideat. Præsumo & ego hoc idem de vobis nec a cordis vestri penetralibus, me cujuslibet impulsu posse excludi confido. Sed cum uterque nostrum pastor dicatur, cum ovibus nostra non parva ovium Christi multitudine sit referta, cum utrique præcipiatur, *Diligenter agnosce vultum pecoris tui:* *Prov. 27* videndum est si pecus nostrum nobis notum est,

F si valet, si languet, si debile, si robustum, si mortuum certe vel vivum. Nam cum dilectus ille discipulus dicat, *qui non diligit, manet in morte:* *1.Joan. 3* quid ego de languore pecudis meæ sollicitor, cum eam jam mortuam esse cognoscam? Si enim in morte manet qui non diligit, in qua morte manet qui odit? Si in morte manet qui non diligit, in qua morte manet qui detrahit? Ad quid hoc dico? Cerno aliquos tam de nostris ovibus quam de vestris, adversum se invicem jurata bella suscepisse: & eos, qui in domo Domini habitare unanimes debuerant, à charitate mutua descivisse. Video eos de ejusdem Domini esse familia, de ejusdem Regis esse militia: eodem nomine Christianos, eodem & Monachos nuncupari. Intueor non solum communis fidei vinculo, sed insuper ejusdem monasticæ regulæ jugo submissos: Dominicum agrum multis, sed diversis sudoribus excolere: Et cum eos, ut dixi, Christianum nomen conjungat, cum monastica professio uniat: sola eos nescio quæ occulta, & nefanda varietas separat, & ab illa sincera cordium uni-

G tate, in quam videntur congregati, disgregat. Et, ô res plena lamentis, nec ullis lachrymarum fontibus digne deflenda! superbum Archangelum de cœlis projectum rursum cœlestia occupasse, & qui in Aquilone sedem suam stabilire non potuit, in Meridiano, hoc est, in splendidiore cœli parte, eam firmasse. Vere ita plane, ita se fecisse gloriatur, quando expulso eo, qui habitat in cœlis, & cujus locus non in mutuo rancore, sed in fraterna pace factus est, mentibus hominum professione cœlestium, exemplo splendentium, jure tyrannico principatur. Cumque fortem illum, atrium suum diuturna pace custodientem fortior superveniens vicerit: cum mundi principem foras ejecerit, cum solium ejus, qui rex est filiorum superbiæ, etiam in læsis Christianis everterit: quibus putas planctibus erit dolendum, si eversum in aliis nequitiæ suæ thronum Sathan in Monachorum cordibus erexerit? Absit, absit, ut ille qui sic a Salvatore enervatus dicitur, ut ipsius etiam ancillis ligetur, ut ipsi a servis ejus velut avi illudatur: in tantum ipse servis ejus & an-

H cillis illudat, eisque ut vilibus mancipiis dominetur. Sed cur sibi adversantur? cur sibi detrahunt? cur ab invicem consumuntur? Veniat rogo, veniat materies litis in medium: & si quid justæ querelæ adversum se invicem afferre potuerint, æquis decernentibus arbitris terminetur. Quid exigis, quæso, frater a fratre? & ut in duobus nominatis omnium dissidentium varietas comprehendatur, quid exigis, inquam, frater Cluniacensis, a fratre Cisterciensi, vel è converso? Si urbes sunt, si castra, si villæ, si fundus, si possessio aliqua terrena vel parva, vel magna: si denique aurum si argentum si quælibet quantitas vel qualitas pecuniæ, id age propone. Adsunt judices non iniquitatis, sed æquitatis, omnes hujusmodi lites statim diffinire præparati. Facile pax refor-mabitur, læta charitas curabitur: postquam pro talibus vel similibus ortum fuisse tantum cordium dissidium

A cognoscetur. Sed video utrumque vestrum omnia ista abjecisse, nihil vobis in terris residui fecisse: pauperem Christum beata paupertate ditatos, vos sequi proposuisse. Non est ergo hic materies quam quærebam: Sed non desistam, non fatigabor, non quiescam, donec ad fundum inquisitæ veritatis perveniam.

Et fortasse inter vos litis hujus causa diversa consuetudo, varia Monastici Ordinis observatio: Sed si hæc, charissimi, tanti mali causa est: valde irrationabilis, & quod salva utriusque vestrum gratia loquor, valde puerilis & stulta est. An non videtur vobis irrationabilis, puerilis, & stulta, quam omnis ratio destituit, & cui omnis sanum sapiens contradicit? Nam si varia consuetudo, si multiplex rerum infinitarum varietas, Christi servos à mutua charitate divellere debet: quid jam pacis, quid concordiæ, quid unitatis, quid tandem de lege Christi non solum Monachis, sed & omnibus Christianis residuum erit, de qua à magno Apostolo dictum est, *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi?* Si inquam lex Christi, id est charitas, ab omnibus diversos usus sequentibus relinquenda est: nusquam plane ultra quærenda est. Nusquam enim inveniri poterit, postquam ab omnibus morem diversum sequentibus exclusa fuerit. Nonne, charissimi, totus orbis terrarum Christi Ecclesiis jam ab antiquo refertus est? Cumque omnem pene numerum excedat multiplicitas Ecclesiarum sub una fide, & eadem charitate Deo famulantium: tanta pene apud eas invenitur varietas usuum, quanta infinitas est locorum. Hoc in cantibus, hoc in lectionibus, hoc in omnibus Ecclesiasticis officiis: hoc in vestitu vario, hoc præter authentica, quæ mutari non possunt, jejunia, in jejuniis diversis. Hoc in universis similibus, quæ pro temporum, locorum, gentium, regionum varietatibus, a Prælatis Ecclesiarum, quibus secundum Apostolum, quantum ad talia pertinet, in suo sensu licet abundare, instituta sunt. Relinquent ergo omnes istæ Ecclesiæ charitatem, quia mutaverunt consuetudinem? Cessabunt esse Christiani, quia videntur in diversis usibus variari? Peribit ab his omnibus summum pacis bonum, quia unusquisque modo vario operatur bonum? Non ita sensit vita, & verbo Doctor Ecclesiæ Ambrosius, qui de jejunio Sabbathi loquens, quod Romæ servari viderat, & Mediolani Episcopus factus servari non invenerat, ait: Quando Romæ sum, jejunium à Romana Ecclesia servatum custodio. Quando Mediolani, morem ejusdem Ecclesiæ sequens, non jejuno. Hinc & Pater Augustinus bonæ matris suæ devotionem describens, narrat eam juxta morem, quem apud Africanas Ecclesias teneri viderat, oblationes suas contra Ecclesiarum Italiæ observantiam Mediolani voluisse offerre, sed ab Ambrosio prohibitam fuisse.

Galat. 6.

B

C

Sed quid in istis laboro? Frustra rem patentem multiplicibus, testimoniis vel exemplis cingerem: maximè cum nec apud antiquos ipsius Paschalis temporis dissonantia, nec apud Modernos ipsius sacrificij Christiani inter Græcos & Latinos nota varietas, charitatem lædere, vel schisma aliquod unitatis gignere potuerit. Testes sunt præcedentis ævi Patres sancti, & eorum, quos Ecclesiæ reliquerunt, approbati libri, quod alio tempore Oriens, alio Occidens, alio in eadem Britanniæ insula Angli, alio Scoti Christiani se licet antiquiores, Pascha Domini celebrabant. Testes sumus & nos temporis nostri qui Romanam Ecclesiam, & totam Latinam linguam offerre Deo salutare sacrificium azimi panis videmus: cum Græca Ecclesia, & maxima Orientis pars, ac Barbaræ, sed Christianæ gentes, sacrificare de fermentato dicantur. Cum hoc ita sit, nec antiqui, nec moderni propter tam celebres, & famosos usuum dissonantias a charitate mutua decreverunt: quia nihil quod fidem vel charitatem læderet, in his omnibus invenerunt. Ad quid istud? Ut si propter varios usus vestri, ô fratres, animi variati sunt, si propter diversitatem consuetudinum diversificati sunt, si propter alium, & alium morem ab Ecclesiarum institutoribus vobis traditum, à pacis vel unitatis charitate languerunt; tantorum Patrum tam venerandis exemplis in unum redeant, & more sanctorum, qui convaluerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello, a charitatis super omnem morbum formidando languore, convalescant.

D

E

Sed dicetis: Aliter usuum varietas accipienda est in diversis Ecclesiis, aliter in ejusdem ordinis viris. Si Ecclesiarum multarum usus salva fide, & charitate variantur, mirum non est: sed si ejusdem propositi & professionis homines, non eundem institutionum morem servaverint, mirum est. Est ne, inquam, hoc totum, quod vos charissimi ab invicem dividit? Est hoc totum quod charitatem in vos lædit? Est hoc totum, quod filios pacis inter se pacificos esse non sinit? Si laicus homo cum his qui oderant pacem pacificus erat, Monachus homo cum Monacho homine, nefando duello certabit? Filios lucis filios tenebrarum ne pacis bonum turbetur diligit: filius lucis, filium lucis quod ad propositum non ad Monachum refero, impugnabit? Si hæc certe tota est animorum vestrorum indignatio, si hæc tota charitatis læsio, facile curabitur, sed si abfuerit obstinatio. Attendite ergo ne lucem sensuum vestrorum propriæ sententiæ amor obnubilet, quia unitatem assequi non meretur quisquis non ipsam, sed quod vult, ipse tuetur. Unde rogo, ut absque studio partium & propriæ sententiæ defendendæ: utrum hæc justa dissidij causa sit discutiatis, & cum injustam esse cognoveritis, discissos animos uniatis: Nam ecce sub eadem regula uterque vestrum militat qua speciali militia salutem æternam se quisque vestrum posse consequi sperat. Quod si neuter vestrum spe sua frustratur, nescio quis locus discordiæ, quis dissidio, quis oblocutioni superesse jam possit. Dixistis enim mirum esse, si ejusdem propositi & professionis homines, non eundem institutionum servaverint morem. Ad quod ego: Si ejusdem propositi & professionis homines, non eundem institutionum morem servaverint, & tamen observationibus diversis ad eandem salutem, & æternam vitam pervenerint, quid refert? Quid plane refert, quid obest? si vario tramite ad eandem regionem, si multiplici via ad eandem vitam, si multiplici itinere ad eandem, quæ sursum est, Hierusalem pervenitur, quæ est mater nostra? Si enim tu ô Cluniacensis Cisterciensem, aut tu Cisterciensis Cluniacensem in assumpto proposito errare cognosceres, & juxta scripturam per viam, quæ videtur hominibus recta, ad interitum tendere provideres: justa fateor tibi esset causa fratrem corrigendi, revocandi, aut si audire te nollet, objurgandi & detestandi. Tunc certè si obloquereris, si contradiceres, si & odires; te juste judicare, te recte agere confiterer: maxime cum de talibus audiam magnum Prophetam Deo dicentem, *Nonne qui oderunt te, Domine oderam: & super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio oderam illos, inimici facti sunt mihi.* Gratularer insuper, te non surdum esse auditorem Scripturæ dicentis, *Discurre, festina, suscita amicum tuum, ne des somnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ.* Et illius: *Maledictus qui prohibet gladium suum à sanguine.* Tunc justas plane odiorum tibi causas esse faterer, & ad debellandos hostes Dei, & eos qui secundùm Apostolum in hypocrisi faciunt mendacium, gressus tuos, & ego accinctus zeli gladio comes individuus comitarer. At nunc cum sub eadem variis, sed sacris, institutis utrumque vestrum de terris ad cœlos tendere videam, & per diversas semitas ad idem bravium tendentes sic currere ut comprehendatis: non superest tibi, ut mihi videtur, causa aliqua indignandi, non odiendi, non obloquendi. Sed exigis adhuc, ut quod dixi probem, & quomodo sub eadem regula vel ejusdem regulæ professione, per diversos tramites tuto Monachus incedere possit, ostendam. Ad quod mihi perfacilis patet responsio, auctoritas juncta rationi non deest: posse & te Cluniacensem tuo more, & te Cisterciensem tuo more, & feliciter per viam mandatorum Dei currere, & felicius ad finem cursus

F

G

Psal. 138

Prov. 6.

Hier. 48.

H

1. Tim. 4.

debitum

A debitum pervenire. Et quia eam, quæ semper talibus præmittenda est auctoritatem præmisi: præmittatur & in hac serie ipsa, nec ratio modico saltem intervallo disiungatur ab ipsa. Sed quid obicis frater: Dico ejusdem regulæ professos, ejusdem regulæ mandata non similiter observare. Verum est, inquam, quod dicis, ejusdem regulæ mandata in quibusdam capitulis ab ejusdem regulæ professis dissimiliter observari. Sed ne hujusmodi Monachos propter ista reos existimes, ne hac de causa prævaricationis arguere audeas: audi cœlestem imò Regis cœlorum auctoritatem, *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit.* Audi & Apostolum: *Omnia vestra in charitate fiant.* Audi & Patrem Augustinum: Habe charitatem, & fac quicquid vis. Audi & ipsum Regulæ scriptorem, imò ipsius Regulæ dictatorem Spiritum sanctum: Sic, inquit, Abbas omnia temperet atque disponat ut animæ salventur, & quod faciunt fratres, absque murmuratione faciant. B Et quid clarius, quid apertius, quid lucidius? Nonne ipsa verborum serenitas absque omni prorsus nubilo se esse ostendit, & clarissimam veritatis lucem, remoto omnium nubium velamine mortalibus manifestat? Ecce magister cœlestis totum corpus tuum, ô frater, simplicitate oculi, hoc est universa opera tua, puritatis intentione, lucida esse docet: ecce post ipsum summus Ecclesiæ Doctor omnia tua in charitate fieri præcepit: ecce maximus post Apostolos Ecclesiarum instructor, omnem tibi quæ volueris faciendi potestatem, charitate manente concedit: ecce ipse, cui inniteris, Benedictus Pater, Abbatem sic omnia temperare jubet, ut animæ salventur, & murmur absit: & saluti sub eadem regula diversa sequentium metuis? Nonne cernis tutissimos ab omni periculo, quorum & quod majus est præcepta à qualibet varietatis mobilitate vel culpa, intentio salvandi animas juxta ipsam regulam excusat? Sed jam, ut & ipsa ratio auctoritatibus præmissis in omnibus famulari intelligatur, eique indivisibiliter cohærere: subjungantur aliqua de instanti quæstione capitula, in quibus C simplici oculo, sincera charitate, salvandarum animarum intentione, quædam mutata monstrentur: Nam his demonstratis, nihil, ut arbitror, quantum ad præsens negotium pertinet, tibi quærendum relinquam. Simplici namque oculo tu uteris, qui non nisi post annum novitio aditum claustri aperis: quia juxta Apostolum & Regulæ verba, Spiritum noviter venientis, utrum ex Deo sit, per totius anni spatium perscrutaris. Simplici oculo & tu uteris, quia advenientem infra ejusdem anni metam suscipis: quia eum per tantum temporis dilatum, ad pristinas fæces, & ad prioris vitæ detestanda mala redire formidas. Simplici oculo tu uteris, qui duabus tunicis & duabus cucullis, vel ejusdem generis paucis additis vestibus contentus es: quia & si non præceptum, consilium tamen vel existimationem scriptoris Regulæ sequi, quam alterius generis vestes addere vel assumere maluisti. Simplici oculo & tu uteris, qui usum mediocrium pelliciarum admisisti: quia debilibus, quia infirmis, quia delicatis, quia omnibus D quantum ad frigidiores terrarum partes pertinet, ne murmurarent, ne languerent, ne rationabili necessitate subtracta, & aliqui à proposito recederent, providisti. Simplici oculo tu uteris, qui non nisi tertiò fugitivos revertentes recipis: quia & ipsa regulæ verba conservare, & à frequenti fuga stultos vel instabiles Monachos studes, negato demum reversionis aditu, deterrere. Simplici oculo & tu uteris, qui plus quam tertio Monachum redeuntem recipis: quia times ne venia denegata, expositus hostibus pereat, & ovem vagabundam lupus, qui & clausas rapere ac dispergere solet, interimat. Simplici oculo tu uteris, qui absque exceptione aliqua regularia jejunia tam æstatis quam hyemis observas: quia & prout ea tradita sunt vis conservare, & prolixioris abstinentiæ cumulatiorem fructum recipere. Sed quod puro charitatis animo loquor, octo diebus Natalis Domini, Epiphania,

E Purificatione, qui vere per omnia dies Dominici sunt, jejunia a quibuslibet observari non satis approbo. Simplici oculo & tu uteris, qui & hos dies, quos prædixi, & omnem authenticam duodecim lectionum solemnitatem ab hac regularium jejuniorum consuetudine excipis: quia ipsum Dominum, quia Apostolos, quia quosdam alios Sanctorum, & sic honorare conaris, & omnium pene Religiosorum sic jejunantium morem imitari proponis. Simplici oculo tu uteris, qui opus manuum secundum regulæ præceptum observas: quia & regulæ obedire, & otiositatem inimicam animæ, secundum ejusdem regulæ dicta, talibus exercitiis, tam sacris non solum Monachicis, sed & Apostolicis institutionibus vis cavere, & in quantum facultas datur, juxta Patres antiquos, & vitæ necessaria providere. Simplici oculo & tu uteris, qui hoc opus manuum ex parte postposuisti: quia non in sylvis, nec in desertis, sed in medio urbium, & castrorum constitutus, & undique populis circumseptus, nec toties, & totiens ire F ac redire horum causa operum, per promiscuam utriusque sexus multitudinem, absque aliquo vel plurimo periculo potes: nec insuper opportuna loca, ubi talibus exercere operibus possis, plerumque possides: Sed ne inimica Religiosis otiositas te vacante locum tibi nocendi inveniat: aut ubi & quando potes manibus operaris, aut ubi non potes, opus hoc manuum operibus divinis per vices variando compensas: sicque ne domum pectoris tui vacantem nequam spiritus sibi vendicet, quibus potes sacris studiis totum vitæ tuæ tempus occupas. Simplici oculo tu uteris, qui in omnibus advenientibus vel discedentibus hospitibus, inclinato capite vel prostrato omni corpore in terram Christum adoras, eisque universis pedes abluis: quia præcipuum hospitalitatis bonum secundum Evangelij & regulæ decreta, summo excolere studio, ut decet, satagis, & tam sanctæ humanitatis exhibitione condignam mercedem tibi vendicare contendis. Simplici oculo & tu uteris, qui non ante omnes hospites prosterneris, qui non omnibus pedes abluis: quia impossibile omnino tibi esset ante tantam hospitum multitudinem assidue advenientem semper in terram G prosterni, omnibus pedes abluere: in tantum ut si ad ista continuè vacare velles, cunctis aliis Ordinis tui exercitiis omissis, nec istud solùm explere valeres. Et quia quod impossibile tibi esse perspicis omittis, quod hospitum susceptioni necessarium est pro viribus exhibes, eósque quo potes honore prosequeris: à jam dictis, quæ explere non vales, simplicitate oculi excusaris. Simplici oculo tu uteris, cui mensam Abbatis cum hospitibus, & peregrinis semper esse vis: quia & regulæ obedire, & hospitibus tibi humanius deservire videris. Simplici oculo & tu uteris, qui mensam Abbatis non semper cum hospitibus, sed semper cum fratribus esse decernis, quia multorum Abbatum, ut mitius loquar, profusioni, qui hospitum occasione sibi propitij, suis impij esse solebant, eam ad mensam communem revocando mederis. Simplici oculo tu uteris, qui velut Esdras legem, qui velut Machabæi ruinas templi Dei, H sic tu Monastici Ordinis plurima detrimenta multasque in multis multorum Monasteriorum morumque ruinas reparare laboras: & delicatis magis quam necessariis condescensionibus explosis, ad antiqui & primi fervoris morem, nostrorum temporum teporem revocare contendis. Simplici oculo & tu uteris, qui ita & Regulæ & Ordinis mandata moderaris: ut secundùm ejusdem Regulæ verba sit, & quod fortes cupiant, & infirmi non refugiant: ut qui pane non potest, lacte saltem ne vitam perdat, alatur: & qui anhelis cursibus propositum bravium comprehendere non valet, lento saltem pede ad illud pertingere doceatur: quia non minus patriæ inhabitator dicitur, qui ad eam post annum, quam qui post mensem revertitur. Quod tamen salvo itinerantium diverso labore dico, quia juxta Apostolicam vocem, *Unusquisque propriam mercedem accipiet, secundum suum laborem.*

Luc. 11.
1. Cor. 16
1. Cor. 3.

A Habes tu hujus propositi tui Benedictum auctorem, cujus licet lex, tu, ubi charitas jubet, ipso teste minime sequi cogaris: sequi tamen quia tanto viro congrua visa sunt, devotione laudabili delectaris. Habes, & tu institutionum tuarum eundem Benedictum auctorem, qui ad finem charitatis universa scripta sua redigi præcipit, & animarum saluti quoquo modo, illo vel illo ordine inservire. Habes & Maurum præcipuum inter ejus discipulos discipulum, qui ab eo missus ad Gallias, aliqua vel multa de ejus regula, eo, quem suprascripsi, oculo legitur immutasse. Habes, & plurimos post ipsum Monasteriorum Patres, quos Spiritus Dei pro temporibus, pro locis, pro personis, ad moderanda sæpe dictæ regulæ scripta actos esse: & vita præcellens, & innumera tam in vita, quam post mortem a Deo per ipsos facta miracula, luce clarius manifestant. Et quid ultra dicam? Simili ratione per rel quia omnia, quæ videntur diversa capitula currente, B simplicem oculum, quem alius charitatem, alius salvandarum animarum intentionem nuncupat, ubique reperies, & hoc modo nihil diversum, nihil dissonum, quia per charitatem fiunt omnia unum, in his quæ variè servari videntur, invenies. Istis adjicio, quod tamen omnibus patet, nihil pene talium in regula præceptum: sed cum conditionis additamento, & Abbatis temperamento prolatum. Quod etiam si imperativè dictum fuisset, nequaquam simplici oculo, id est, charitati Evangelicæ præjudicare potuisset. Talia enim, ut nosti, de numero præceptorum mobilium sunt: & quando charitas imperat, absque aliquo transgressionis timore movenda sunt. Nec suspecta esse debet hoc respectu regulam professis regulæ prævaricatio, quia regula illa alius sancti Patris, ex illa sublimi & generali charitatis regula pendet, ex qua & in qua, juxta Veritatis verba, universa lex pendet & Prophetæ. Quod si universa lex, utiquè & illius regula lex. Monachus ergo regulam patris Benedicti profitens, tunc eam vere servat, quando in servatis vel mutatis quibuslibet ejus capitulis, charitatis legem ubique conservat. Quid igitur? Si hæc certè, ô fratres, tota mutui erat causa dis- C sidij, nonne jam vobis prorsus excisa videtur? Nonne jam fraterna pace uniri debent corda Monachorum, cùm varia illa, propter quæ dissensio fuerant, simplex fecerit charitas unum? Nonne multa unum facit, quæ sub uno Monastici Ordinis vel unius regulæ proposito, diversa, sed bona sequentes ad unum summi boni vel sempiternæ vitæ debitum finem perducit? Fiat ergo pax, ô Hierusalem, in virtute tua, ut sequatur & abundantia in turribus tuis. Sed ne forte inveniamur de illis esse, qui dicunt pax, pax, & non est pax: scrutemur si qua adhuc divortij causa superest, ne fortè nobis dormientibus ac securis, repentinus de caverna sua anguis exiliat, & aliquem ex nostris vel vestris incautius quiescentem mordeat. Fortassis enim vestes illæ coloris diversi incentivum discordiæ præstant, & multiformis varietas vestium varietatem quoque parit & mentium: Nam ut penè assidue cerno, & omnibus ipsis quoque negligenter intuentibus advertere perfacile est, niger, ut sic dicam, Monachus D album fortuito occurrentem aliquo sidere respicit, albus nigrum vix media oculi parte, & quando se ingerit, contuetur. Vidi plurimos, nec recordor quotiens de nigrorum numero, occurrentem quempiam album quasi monstrum ridentes, & velut si Chimæra vel Centaurus, vel portentum aliquod peregrinum oculis ingereretur, voce vel gestu corporis se stupere signantes. Vidi e converso loquaces prius, & multa passim occurrentia ad invicem conferentes albos, nigro quolibet adveniente subitò obmutuisse, & velut ab hostibus hostium secreta rimantibus silentij sibi remedio præcavisse. Intuitus sum utriusque generis hominum linguas tacentes, oculos, manus, pedesque loquentes: & quod voce, ne proderentur, indicare nolebant, gestuum suffragio clarius inclamasse. Vocem mutam, membra loquacia, & perverso naturæ ordine, lapidibus clamosos, homines hominibus taciturnos. E Recordatus sum sæpè talia videns, illius Salomonici verbi, quod de simili hominum genere fatetur: *Annuit oculis, terit pede, digito loquitur, pravo corde machinatur malum, & omni tempore jurgia seminat.* Prov. 6. Et, ô pessimi Angeli, & à Deo projecti pravum & pertinax consilium! qui nolens se solum æternæ paci periisse, socios sibi suæ perditionis undecumque acquirit: & ut gloriosiore palma lætetur, cedros vel abietes Paradisi Dei, cujus ipse olim colonus extitit, violento nequitiæ suæ impulsu subruere conatur. Dolet sibi periisse hæreticum palmam, qua priscis temporibus Ecclesiam Dei lædere consueverat: & videns se fidem nullo jam pacto lædere posse, Spiritu Dei eadem fide replente orbem terrarum, ad charitatis mutuæ læsionem totum conatum convertit: Nam quia, ut infideles sint, hominibus Christianis jam persuadere non potest: toto conamine, ne se invicem diligant, elaborat. Jam Arij, F jam Sabellij, jam Novati, jam Donati, jam Pelagij, jam antiquioris horum execrandi Manichæi secta periit: jam innumerabilium hæreticorum nebulæ lucem fidei obumbrantes, Dei flante spiritu evanuerunt, & meram nobis diem omni remota caligine reliquerunt. Sed his succedens Africus turbo, omnia subitò turbare contendit: & quia fidem prævalere se cognoscit, læsione charitatis pristina damna recompensare molitur. Sed ut deploratione omissa, ad ea quæ cœperam stylum reducam: cur tibi, ô albe Monache, nigredo fratris tui non mentis, sed vestis, execranda videtur? Cur tibi, ô niger Monache, albedo fratris tui, non mentis, sed vestis admiranda creditur? Nonne uterque vestrum de ovibus Pastoris illius est, qui dicit: *Oves meæ vocem meam audiunt, & ego Dominus agnosco eas, & sequuntur me: & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, neque rapiet eas quisquam de manu mea?* Joan. 10. Et quis unquam Pastor, non dicam Deus, sed vel homo, de velleribus ovium suarum discoloribus disputavit? Quis unquam causatus est? Quis unquam magis albas quàm nigras, nigras quàm albas, suas esse oves judicavit? Quis unquam non utrum nigræ vel albæ, sed utrum nigræ vel albæ de eodem suo grege essent attendit? Et, ô malitia homi- G num! & ô innocentia pecudum! O constans in sua origine, creata in brutis animalibus substantia! ô perversa in rationali animante natura! Quis unquam albus aries nigrum dedignatus est? Quæ unquam ovis nigra albam detestata est? Nonne communiter, nonne pacificè, nonne omninò tranquillè, sine omni multiplicis coloris quæstione, absque omni inquietudine, caulas pastorales replent? Et quidem aliquando aries arietem cornibus impetit, ovis ovem crebris pulsibus tundit: sed hos vel has non varietas coloris ad pugnam excitat, sed innata cunctis animalibus ac modo quolibet ira excita provocat. At nunc, ut video, stolidior pecude homo, in honore positus non intelligit: & quod magis deflendum est, Monachus homo à charitatis unitate vario variatus colore sese disjungit. Noli, noli, oro te frater, si ovis Christi esse cupis, vario de vellere causari: quia nullum de ovili suo Pastor H ille projicit, nisi quem non coloris varietas, sed fidei vel charitatis læsio ab ovium suarum grege secernit. Non, inquam, secernit quempiam ab ovili suo propter colorem, qui de tam remotis regionibus, de tam diversis religionibus, in uno Christianæ fidei ovili Judæum congregavit pariter & Gentilem. Hoc fortassis docuit, & patientia illius Sancti Patriarchæ Jacob, qui decies à Laban immutatam mercedem æquo animo tulit: & nihil differre inter album & nigrum, vel varium pecus, eodem boni pastoris animo, & cura multicolorem gregem pascendo monstravit. Et cum dicat Apostolus, *In* CHRISTO IESU *neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed nova creatura.* Gal. 5. Et alio loco: *Ubi non est Gentilis & Judæus, circumcisio & præputium, Barbarus & Scytha, servus & liber, sed omnia & in omnibus Christus:* quis puerilis animus in tantum

A desipere potuit, ut vel variarum vestium colorem, vel
diversum consuetudinum morem, servata nova crea-
tura in Christo, aliquid, quantum ad salutem, differre
putaret? Quod si quantum ad salutem nil refert, cur
varius vestium color Monachos separat? cur schisma
generat? cur animos dividit? cur charitatem lædit?
Non est, non est causa aliqua, non ratio ulla, non
dico odiendi, non dico dividendi, sed nec grunnien-
di in istis. Habes tu idoneum defensorem albedinis
tuæ, simplicem, ut suprà dixi, oculum conscientiæ
tuæ: quo, ne longo temporis usu niger inductus, puta-
ret non nisi sub atro colore suo Monachum esse posse,
albam cucullam & tunicam induisti: & quia sub ni-
grorum habitu innumerabiles hujus ordinis tepefactos
à proposito cernebas, ad majorem & novum mona-
sticæ religionis fervorem, hoc hactenus insolito ve-
stium candore excitare arte laudabili voluisti. Habes,
& tu non dissimiliter probabilem auctorem nigredinis
tuæ, longissimum à patribus traditum consuetudinis
B morem: quo tutior tibi videris sequendo vetera, quàm
adinveniendo nova. Habes uterque utriusque coloris
tui inexpugnabilem propugnatricem ipsius communis
regulæ vocem: quæ præcepit ut de vestium colore
aut grossitudine non causentur Monachi, sed illius
coloris aut qualitatis vestibus utantur, quæ est in pro-
vincia, qua habitant, vel facilius inveniri, vel levius
comparari potuerint. Tuetur ergò albedinem tuam ra-
tio supra dicta, vel fortasse major, quam nondum novi,
aliqua. Tuetur & nigredinem tuam paterna auctoritas,
quæ omni rationi æquipollet, & quam inferiorem
judicari ab aliquo sanum sapiente non decet. Et cujus
Patris exemplum ad hoc asserendum afferre potero?
& quem majorem magno Martino reperire valebo?
Ille, inquam, ille magnus Martinus Monachus & Epi-
scopus, nigrarum colorem vestium suis vestibus dedi-
cavit. De qua re sic in ejus vita legitur. Quem cum
nigro ac pendulo pallio circumtectum, contigua de
latere jumenta vidissent, paululum in partem alteram
pavefacta cesserunt. Quod verò Monachus fuerit,
C Monasterium quod non longè ab oppido Pictaviensi,
Monasterium quod Mediolani, Monasterium quod
sibi Turonis construxit, testantur. Ecce Monachus
Martinus, ecce nigris vestibus contectus Martinus.
Sed quid & de his Hieronymus in Epistola ad Nepo-
tianum missa scribit? Vestes, ait, pullas æquè ut can-
didas devita. Monens eum scilicet, ut fastum vel ja-
ctantiam caveret, non solùm in candidis vestibus,
quibus tunc magis seculares utebantur, sed etiam
in pullis, quibus illius temporis religionis professores
uti consueverant. De his admirandus ille Nolanus
Episcopus Paulinus, jam dicti Martini, Ambrosij, Au-
gustini, Hieronymi, contemporaneus ac familiaris,
multisque sæpè ab ipsis, sed & à magno Papa Grego-
rio laudibus prædicatus: iter cujusdam nobilissimæ sed
ad religionis monasticæ propositum nuper cõversæ fœ-
minæ describens, sic in Epistola Sulpicio Severo dire-
cta loquitur. Vidimus gloriam Domini in illo matris &
filiorum itinere. In eo quidem, sed longe dispari cultu.
Macro illam & viliore asellis burico sedentem, tota
D hujus sæculi pompa, quo honorati & opulenti pote-
rant circumflui senatores prosequebantur: carrucis
nutantibus, faleratis equis, auratis pilentis & carpen-
tis pluribus gemente Appia atque fulgente. Sed splen-
doribus vanitatis prælucebat Christianæ humilitatis
gratia. Admirabantur divites pauperem sanctam, at
illos nostra pauperies ridebat. Vidimus dignam Deo
hujus mundi confusionem, purpuream, sericam, aura-
támque supellectilem, pannis veteribus & nigris ser-
vientem. Benediximus Dominum, qui humiles excel-
sos facit, esurientes implet bonis, & divites dimittit
inanes. Ecce non solùm viri antiquæ religionis, sed
etiam mulieres sanctitatis propositum assumentes, ve-
stibus nigris usæ scribuntur. Nam, ut quod sentio fa-
tear, visum est, ut mihi videtur, magnis Patribus illis
nigrum hunc, de quo agitur, colorem magis humilita-
ti, magis pœnitentiæ, magis luctui convenire. Qui- E
bus studiis, quia totam Monachi vitam maximè invi-
gilare oportet, decreverunt, ut color moribus, vestes
virtutibus, qua possent cognatione jungerentur. Vestes
enim candidas magis gloriam quàm abjectionem, ma-
gis gaudium quam mœrorem antiquitus designasse:
magis etiam Ecclesiæ, ut omnibus notum est, sic inter-
pretantibus, & Angelus resurgentis, & Angeli ascen-
dẽtis Domini præcones indicarunt: ipseque Salvator in
illa transformationis suæ gloria vestibus niveis præcla-
rus apparens, ostendit. Inde bonus & doctus vir Sido-
nius Arvernus Episcopus, quorundam vitia mordaci
reprehensione irridens, inter alia quibus in eos invehi-
tur. Procedunt, inquit, albati ad exequias, pullati ad nu-
ptias: ostendens eos in tantum moribus & actu con-
fusos, ut apparatum funereum nuptiali, nuptialem fu-
nereo, perverso ordine permutarent. Nam qui morem
communem temporis illius servabant, non albati ad
exequias, pullulati ad nuptias: sed albati ad nuptias, F
pullulati ad exequias procedebant: ut albati nuptiali
gaudio pullulati luctui funereo concordarent. Vidi nu-
per in Hispaniis constitutus, & admiratus sum, anti-
quum hunc morem ab Hispanis adhuc omnibus obser-
vari. Mortua quippe uxore maritus, mortuo marito con-
junx, mortuis filiis patres, mortuis patribus filij, defun-
ctis quibuslibet cognatis cognati, extinctis quolibet
casu amicis amici: statim arma deponunt, sericas vestes,
peregrinarum pellium tegmina abiiciunt, totumque pe-
nitus multicolorem ac pretiosum habitum abdicantes,
nigris tantùm vilibúsque indumentis se contegunt. Sic
crinibus propriis, sic jumentorum suorum caudis de-
curtatis, séque & ipsa atro prorsus colore denigrant.
Talibus luctus dolorísve insignibus, subtractos charis-
simos deflent: & integri ad minus spatium anni, in tali
mœrore publica lege consummant. Hac tanta auctori-
tate vel ratione tibi colorique tuo, niger Monache, sa-
tisfacio, nec tamen ideó albi albedinem condemno.
Laudaris tu quia Patrum tuorum sanctum non vis ex-
cedere morem: laudatur & ille, quia vestium insolito
candore, sui magis ac magis animi in sancto proposi- G
to excitat etiam hoc modo fervorem. Distinguit se
quodammodo tali colore, non à communi, quod nefas
esset, charitate, sed à multorum hujus ordinis nota
omnibus tepiditate. Cùm sis igitur sub uno pastore
IESV-CHRISTO, cum habites in uno ovili Ecclesiæ,
cùm ex una vivas æternorum fide & spe: tam tu albe,
quàm tu niger Monache, quid de variis velleribus, ut
parum austeriùs loquar, stultissimæ oves causamini?
Quid tam nulla, imò tam stulta de causa, contra vos
adinvicem movemini? cur tam puerili occasione pri-
mam illam stolam charitatis scinditis? Cur ipsa habita-
cula separatis? Cur vos ipsos non jam ovino, sed lupi-
no mordetis? Cur detrahitis? Cur laceratis? Videte,
cavete, ne hoc nomen innocentiæ, quo oves nuncupa-
mini, non de illis vos faciat, quas positurus est summus
Pastor à dextris, & de quibus ipse ait: *Oves meæ vocem* Ioan. 10.
*meam audiunt, & ego Dominus agnosco eas, & sequuntur*
*me: & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternũ.*
Sed, quod absit, inter illas vos constituat, de quibus le-
gitur & cantatur, *Sicut oves in inferno positi sunt, mors* Psal. 48.
*depascet eos.* Cernitis adhuc stultam esse causam, de co- H
lore disputare? Damnabilem, fratrem pro colore odire?
Pessimam, fratri pro colore detrahere? Si tota hæc mu-
tui causa erat dissidij, si sola tanti materia divortij; si
inquam schismatis monastici hæc sola & tota erat oc-
casio; nonne hac tam multis rationibus explosa, cor-
dium vestrorum jam vetus scissura unietur? Nonne læ-
sa charitas curabitur? Nonne ad pacis filios Evangeli-
ca pax revertetur? Satisfacite igitur paci, filij pacis, &
cum ea perpetuum fœdus inite: ne fortè, si aliter fiat,
proferatur quandoque etiam contra vos dirissima illa
Prophetæ sententia: *Non est pax, dicit Deus meus, impiis.* Esa. 48.
Et jam Deo gratias, æstimo me quorundã nostri ordinis
virorum, antiquas odiorum causas, & latebras penetras-
se: nec jam ad quærendum etiam sollicito cogitavi

A aliquid superesse. Quod si res ita se habet, neque tu albe nigrum, neque tu niger Monache album, si præscripta servare volueritis, infestabis: neque adversus fratrem pro diverso consuetudinum more, vel pro vario tam sæpe nominato colore, à statu altissimæ charitatis moveberis. Sed quid dixi? Quomodo mente excessi? Vbi intellectus animi? Vnde acies obscurata videndi? Putabam me omnem scandalorum materiam invenisse, arbitrabar me omnes odiorum latebras detexisse. Suspicabar, ut dixi, solam diversitatem consuetudinum, solam varietatem colorum, qualitatem aut quantitatem vestium, aut escarum, charitatem inter Monachos vulnerasse, & tanti mali istam tantummodo causam existere. Cernebam festucam in oculo fratris, sed trabem permaximam, & quercum prævalidam in meo vel ipsius oculo videre non poteram. At nunc clarificato oculo, serenata die, & sole meridiano jam nil latere permittente: video, video inquam; quod liceat mihi dicere pace omnium, unde tamen certus
B sum, quod licebit mihi omnium pace bonorum: Nam qui indignabitur, de se, ut ait Hieronymus, dictum fatebitur. Non refugit manum medentis pars sana corporis, sed quæ se palpantis digitis tremens subducit, pestem sine dubio intrinsecus latere ostendit. Quid est ergo quod exciderat? Dic, dic inquam tu, ut mei propositi prius hominem alloquar, dic ô niger Monache, da gloriam Deo: & quod in imis cordis tui contra fratrem adhuc latet, denuda. Quis, inquis, pati potest novos homines veteribus anteferri, eorum studia nostrorum actibus præponi; nostros viliores, illos chariores videri? Quis æquo oculo aspicere potest, mundum ex plurima sui parte à nostro veteri ordine averti, ad ipsorum novum propositum converti: relinqui tritas à seculis vias, concursus fieri ad ignotas hactenus semitas? Quis patiatur novos veteribus, juniores senioribus, albos nigris Monachis anteferri. Hoc tu, inquam, niger dicis. Sed tu albe quid proponis? Felices nos, inquis, quos longe probabilior institutio commendat; quos beatiores aliis Monachis mundus prædicat; quorum opinio, aliorum existima-
C tionem, quorum dies, aliorum lucernam, quorum Sol, aliorum sidus obscurat. Nos religionis perditæ restauratores, nos emortui ordinis resuscitatores: nos languentium, tepentium, sordentium Monachorum justissimi condemnatores. Nos moribus, nos actibus, nos usibus, nos vestibus à cæteris divisi, & veterum teporem ostentui fecimus, & novum nostrorum fervorem præcellere approbavimus. Ecce, ecce, vera illa occultior, sed longè aliis charitati infestior causa, quæ mentium vestrarum unitatem scindebat, quæ ipsas domos abinvicem secernebat, quæ ad verba detractoria vel maledica linguas vestras persæpe, juxta Prophetam, ut gladium acuebat. Sed retundatur lethalis gladius gladio verbi divini, & ne levi inanis gloriæ vento tantis sudoribus fruges collectæ dispergantur, si sapientes estis satagite. Et, ô infelix nimiúmque deflenda jactura! si longissimi ævi tui mundissimam continentiam, si invincibilem obedientiam, si jejunia infracta, si perpetuas vigilias, si tam grave jugum disciplinæ, si tot palmas patientiæ: si, ut breviter multa con-
D cludam, tantos támque innumeros non jam terrenæ, sed cœlestis vitæ labores, per tanta tempora ad stipendium æternitatis, à te per Dei gratiam congregatos, unus nequam serpentis sibilus disperserit, & te solo flatu evacuans, inanem in conspectu summi judicis draco veternus effecerit. Et ubi est, quod Salvator
Luc. 10. hoc morbo adhuc laborantibus discipulis, ait: *Videbam Sathanam quasi fulgur de cœlo cadentem.* Vbi est, quod facta huic simili contentione inter eos, quis eorum videretur esse major, alibi dicit: *Vos autem non sic, sed qui major est in vobis, fiat sicut junior: & qui præcessor est, sicut ministrator?* Vbi latet absconditum ab oculis memoriæ, quod excelsus ille & magnus, *cu-*
Psal. 144 *jus* juxta Psalm. *magnitudinis non est finis*: & qui, juxta
Rom. 9. Apostolum, *est super omnia Deus benedictus in sæcula*,

servis suis non se præferens vel conferens, sed submittens, sequitur & dicit: *Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat.* Corripitur Apostolus, ne se præferat Apostolo: & non corripietur Monachus, ne se præferat Monacho. Supponitur a Christo magistro, minori discipulo major, inferiori superior, & super Cisterciensem ego Cluniacensis elevari conabor. Submittit se suis discipulis ipse Christus, & super fratrē longe forsitan meliorem tumentem superbia levabit cervicem Christianus, & Monachus. Dejicit se Majestas, & jactat se infirmitas. Humiliat se celsitudo, & extollitur putredo. Servit Deus, & imperare nititur limus. Et quomodo cecidisti, frater, de gradu regulæ tuæ, quo te conscendisse gloriabaris, ut Monachus omnibus se inferiorem & viliorem non solum sua lingua pronunciet, sed & intimo cordis credat affectu? Et quid ultra laboro? Non est necesse religiosis, sapientibus, literatis, acrius instare, nec ut vulgò dicitur, Minervam docere, vel ligna ad sylvā, vel aquam ad flumina sive mare deferre. F
Intelligit, agnoscit utriusq; vestrū sapientia, sicut sine fide, sic & sine charitate impossibile Deo placere, nec aliquem humilitate abjecta, posse eandem charitatem usu quolibet retinere. Vnde enim humilitas recedit, ibi necessario superbia succedit. Vbi superbia succedit, ibi statim & invidia accedit. Vbi invidia oritur, confestim charitas moritur: Nam neque eum, cui invidet invidus, potest diligere, nec in non diligente charitas aliquo modo permanere. Propter ista, unde abest charitas, abest humilitas: & unde abest humilitas, abest & charitas. Hoc docet clarè & Apostolus, cum dicit: *Charitas non æmulatur, non agit perperam, non est ambitiosa.* Et quia nec etiam alienarum rerum cupida, subdit: *non quærit quæ sua sunt.* Inflationem ergo omnem, ambitionem omnem, cupiditatem omnem, avaritiam omnem excludit charitas; imò per charitatem, juxta sequentia Apostoli, expellitur tota simul iniquitas. Iam si hanc charitatem, quam legem Christi idem Apostolus vocat, vis frater Cluniacensis, frater Cisterciensis, integram conservare: si per ipsam maximos tibi thesauros in cœlo recondere, si recondi- G
tos conservare: da totam quam potueris operam, & causas non dico eam fugantes, non dico eam perimentes, sed vel parum eam lædentes à te abige: si expulsi redire voluerint, firmi pectoris redeuntibus ostium claude, & cohabitatricem sempiternam, totis sanctæ animæ tuæ amplexibus retine. Sublevabit te charitas ipsa firmiter retenta ad regna cœlorum, quæ nimia ac dulci vi sua inclinavit usque ad terras regem cœlorum. Fidelis inde testis est Apostolus dicens quod propter nimiam charitatem filium suum miserit Deus in similitudinem carnis peccati. Gaudebis perenniter coram Deo charitate, & gaudium tuum, sicut ipse promisit, nemo tollet à te, quando erit Deus omnia in omnibus. Quando satiaberis à longinqua esurie tua? Cum manifesta fuerit gloria ejus: Quando cùm apparuerit, similis ei eris: & per hanc charitatem ei sempi- 1. Ioan. 3.
ternè unitus, videbis eum sicuti est.

Iam tandem ad vos, mi carissime, cui præsens Epistola mittitur, stylus recurrat: ut à quo sumpsit initium, in ipso suam fortassis importunam prolixitatem finiat. Causa mihi scribendi, ut superius professus teste conscientia sola verè charitas fuit: ut quantum H
ad utrumque nostrum attinet, flatu colloquutionis eam recalescere, & in mutui affectus solitas vel majores flammas erumpere cogerem. Restat ut vos, quem lacteam fortemque columnam, cui innititur, Monastici Ordinis ædificio summa providentia præparavit: & velut rutilum sidus exemplo verbóque non solùm Monachis, sed & toti Latinæ Ecclesiæ nostro tempore insigniter lucem donavit: restat, inquam, ut totam quam potueritis huic divino operi detis operā, & unius nominis & Ordinis maximas Congregationes nequaquam ultra dissidere patiamini. Studui ego semper, ut sanctos illos Congregationis vestræ Monachos nostris fratribus commendarem: & ipsos illis perfectæ unione

charitatis,

charitatis, si fieri posset, etiam inviscerarem. Hoc publicè, hoc privatim, hoc in magnis nostrorum Conventibus facere non neglexi: & vt rubiginem illam livoris & zeli contrarij, quæ interiora viscerum latenter rodere solet, eraderem, modis quibus potui laboravi. Instate & vos pro magna illa gratia a Deo vobis concessa, igne communi: vt sicut nullus post vos nostris diebus plura vitia in illo plantasse probatur, ita laudabili studio & industria, omne satis vitiis contrarium avellatur. Expellite tumidum illo & ex Spiritu Dei flammante eloquio ab eorum cordibus, vt mitius loquar, puerilem illam æmulationem, à linguis susurrationem: & loco istorum velint, nolint, fraternam ingerite dilectionem. Non segreget vltra greges vestros a nostris gregibus visuum diversitas, colorum varietas: sed à summa vnitate derivata, corrupta reparans, discissa redintegrans, divisa vivificans, vniversa vniat charitas. Sic planè, sic decet, vt quibus est vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma; quos continet vna Ecclesia, quos manet vna perennis & beata vita, his quoque, iuxta Scripturam, sit cor vnum, & anima vna. Misi gemmeo amico salis gemmam, cuius corporalem vsum vobis vtilem olim audivi: & cuius spiritalem intellectum suprascriptis necessarium esse putavi. Nam quamlibet multos & pretiosos apparatus virtutum suarum æterni regis mensæ, si sine fraterni amoris sale intulerint, vt insulsi reiicientur: si hoc sale eos condierint, epulæ tam placentes cum offerentibus admittentur. Nam qui in lege sua nullum sacrificium sine sale suscepit, nullius munus virtutis sine tali condimento sibi placere ostendit.

Misi & novam translationem nostram contra pessimam nequam Mahumet hæresim disputantem, quæ dum nuper in Hispaniis morarer meo studio de lingua Arabica versa est in Latinam. Feci autem eam transferri à perito vtriusque linguæ viro, magistro Petro Toletano. Sed quia lingua Latina non adeò ei familiaris vel nota erat vt Arabica, dedi ei coadiutorem doctum virum dilectum filium, & fratrem Petrum notarium nostrum, reverentiæ vestræ, vt æstimo, bene cognitum. Qui verba Latina impolite vel confuse plerumque ab eo prolata poliens & ordinans: epistolam, immò libellum, multis, vt credo, propter ignotarum rerum notitiam perutilem futurum perfecit. Fuit autem in transferendo hæc mea intentio, vt morem illum Patrum sequerer, quo nullam vnquam suorum temporum vel levissimam, vt sic dicam, hæresim silendo præterirent, quin ei totis fidei viribus resisterent, & scriptis ac disputationibus esse detestandam ac damnabilem demonstrarent. Hoc ego de hoc præcipuo errore errorum, de hac fæce vniversarum hæresum: in quam omnium diabolicarum sectarum, quæ ab ipso Salvatoris adventu ortæ sunt, reliquiæ confluxerunt, facere volui: vt sicut lethali eius peste dimidius pene orbis infectus agnoscitur, ita quam sit exsecrandus & conculcandus, detecta eius stultitia & turpitudine, a nescientibus agnoscatur. Agnoscetis ipse legendo, &, sicut arbitror, vt dignum est, deflebitis: per tam nefarias & abiectissimas sordes tantam humani generis partem deceptam, & a conditore suo per spurcissimi hominis sectam, etiam post Redemptoris gratiam tam leviter aversam. Nec ignoro equidem, quoniam scriptura ista, quæ perditis illis in propria lingua prodesse non potuit, in Latinam versa minus proderit. Sed proderit fortassis aliquibus Latinis, quos & de ignotis instruet, & quàm damnabilis sit hæresis quæ ad aures eorum pervenerat, impugnando & expugnando ostendet. Et vt nihil damnabilis sectæ nostros lateret, totam illam illorum legem, quam in propria lingua Alkoran vel Alkyren vocant: ex integro & per ordinem feci transferri. Interpretatur autem Alkoran vel Alkyren, si è verbo verbi expressa translatio fiat, Collectaneus præceptorum: quæ sibi per partes de cœlo missa, nequam ille confinxit. Feci insuper & quædam eius fabulis cum quodam Abdia Iudæo & aliis Iudæis habitas transferri: quæ inauditis deliramentis, & velut somniorum phantasiis super vniversa ipsius scripta nefanda sectam etiam pecoribus ostentui faciunt. Sed quia res diffusa est, & propter linguæ barbariem ex magna sui parte ad intelligendum difficilis: breviter dico quis iste fuerit, & quid docuerit. Putant enim quidam hunc Nicolaum illum vnum ex septem primis diaconibus fuisse, & Nicolaitarum ab eo dictorum sectam, quæ etiam in Apocalypsi nominatur, hanc modernorum Sarracenorum legem existere. Somniant & alij alios, & sicut lectionis incuriosi, & rerum gestarum ignari: sic & in aliis casibus, falsa quælibet opinantur. Fuit autem iste tempore Imperatoris Heraclij, paulo post tempora magni & primi Gregorij Romani Pontificis, ante annos ferme quingentos quinquaginta: Arabs natione, vilis genere, antiquæ idololatriæ cultor, ineruditus, nullarum pene literarum, strenuus in secularibus, & calliditate multa, de ignobili & egeno in divitem & famosum provectus. Hic paulatim crescendo, & contiguos quosque, & maximè sanguinis proximos insidiis, rapinis, incursionibus frequenter infestando: quos poterat furtim, quos poterat publicè occidendo, terrorem sui auxit: & sæpe in congressionibus factus superior, ad regnum suæ gentis aspirare cœpit. Cumque vniversis pari modo resistentibus, & eius ignobilitatem contemnentibus, videret se hac via non posse consequi quod sperabat: quia vi gladij non potuit, religionis velamine & divini Prophetæ nomine rex fieri attentavit. Et quia inter barbaros barbarus, inter idololatras & ipse idololatra habitabat: & inter illos, quos, vtpote præ cunctis gentibus, tam divinæ quàm humanæ legis exortes, & ignaros, faciles ad seducendum esse noverat, conceptæ iniquitati dare operam cœpit. Et quia Prophetas Dei magnos fuisse homines audierat, Prophetam se eius esse, prædicare iam omnibus cœpit. Interim iudicio illius, qui terribilis in consiliis dicitur super filios hominum, & qui miseretur cui vult, & quem vult indurat: dedit Satan *Rom. 11.* successum errori, & Sergium monachum hæretici Nestorij sectatorem, expulsum ab Ecclesia ad partes illas Arabiæ transmisit, & monachum hæreticum pseudoprophetæ coniunxit. Ita Sergius coniunctus Mahumet, quod ei deerat suppleuit: & scripturas sacras tam veteris testamenti quam novi, secundum magistri sui Nestorij intellectum, qui Salvatorem nostrum Deum esse negabat, partim prout sibi visum est exposuit, & eum ab idololatria avertens, Christianum Nestorianum effecit. Et vt tota iniquitatis plenitudo in Mahumet conflueret, & nihil ei ad perditionem sui vel aliorum deesset, adiuncti sunt Iudæi hæretico: & ne verus Christianus fieret dolosè præcaventes, homini novis rebus inhianti non scripturarum sanctarum veritatem, sed fabulas suas, quibus nunc vsque abundant, Mahumet Iudæi insibilant. Sic ab optimis doctoribus Iudæis & hæreticis Mahumet institutus, Alkoran suum condidit: & tam ex fabulis Iudaicis, quam ex hæreticorũ næniis confectam nefariam scripturam barbaro illo suo modo contexuit. Quod paulatim per Tomos à Gabriele, cuius iam nomen ex sacra Scriptura cognoverat, sibi allatum mentitus, gentem Deum ignorantem lethali haustu infecit, & more talium oram calicis melle liniens: subsequente mortifero veneno, animas & corpora gentis miseræ, proh dolor! interemit. Sic plane impius ille fecit, quando & legem Iudaicam, & Christianam collaudans, nec tamen esse tenendam confirmans, probando reprobus reprobavit. Inde est quod Moysem optimum Prophetam fuisse, Christum Dominum maiorem omnibus extitisse confirmat, natum de Virgine prædicat, Nuncium Dei, Verbum Dei, Spiritum Dei fatetur: nec nuncium, verbum, & spiritum, vt nos, aut intelligit, aut confitetur. Filium Dei dici, aut credi, prorsus deridet. Et de humanæ generationis similitudine vaccinus homo filij Dei æternam nativitatem metiens, vel generari Deum potuisse, quanto potest nisu denegat & subsannat. Resurrectionem carnis sæpe replicando astruit, iudicium commune in

fine ſeculi non à Chriſto, ſed à Deo exercendum eſſe negat. non illi tamen iudicio Chriſtum, vt omnium Dominum, ac ſeipſum ad gentis ſuæ præſidium affuturum væſanit. Inferni tormenta qualia ſibi libuit, & quali adinvenire magnum pſeudo-Prophetam decuit, deſcribit. Paradiſum non ſocietatis Angelicæ, nec viſionis divinæ, nec ſummi illius boni, quod nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit: ſed verè talem, qualem caro & ſanguis, immò fæx carnis & ſanguinis concupiſcebat, qualemque ſibi parari optabat, depinxit. Ibi carneum, & omnigenorum fructuum eſum, ibi lactis, & mellis riuulos, & aquarum ſplendentium: ibi pulcherrimarum mulierum, & virginum amplexus & luxus, in quibus tota eius Paradiſus finitur, ſectatoribus ſuis promittit. Inter iſta, omnium pene antiquarum hæreſium fæces, quas diabolo imbuente ſorbuerat, reuomens: cum Sabellio Trinitatem abnegat, cum ſuo Neſtorio Chriſti Deitatem abiicit, cum Manichæo mortem Domini diffitetur, licet regreſſum eius non neget ad cœlos. His & ſimilibus non adquiſitionis, ſed perditionis populum imbuens, à Deo pleniſſimè avertit: & ne Evangelicus ſermo vltra in eis poſſet habere locum, velut omnia quæ ſunt Evangelij, & Chriſti ſcientibus, cordium eorum aditum ferreo impietatis obice obturauit. Circumciſionem inſuper velut ab Iſmaele gentis illius patre ſumptá tenendam eſſe decreuit: & ſuper hæc omnia quo magis ſibi allicere carnales mentes hominũ poſſet, gulæ ac libidini fræna laxauit: & ipſe decem & octo ſimul vxores habens, atque multorum aliorum velut ex reſponſo divino coniuges adulterans maiorem ſibi velut exemplo Prophetico numerum perditorum adiunxit. Et ne ex toto inhoneſtus proderetur, ſtudium eleemoſynarum, & quædam opera miſericordiæ commendat, orationes collaudat: & ſic vndique monſtruoſus, vt ille ait, humano capiti equinam ceruicem, & plumas auium copulat. Qui quoniam ſuadente iam dicto Monacho, ac præfatis Iudæis, idololatriam & reliquit, & relinquendam quibus potuit perſuaſit: atque vnum Deum, deorum multiplicitate relicta, colendum eſſe prædicauit, hominibus agreſtibus & imperitis inaudita licet viſus eſt: & quia rationi eorum hæc prædicatio concordat, Propheta Dei primo ab eis creditur, dehinc proceſſu temporis & erroris, in Regem ab eis, quod concupierat, ſublimatus eſt. Sic bona malis permiſcens, vera falſis confundens, erroris ſemina ſævit: & ſuo partim tempore, partim & maxime poſt ſuum tempus, ſegetem nefariam igne æterno concremandam protuxit. Nam ſtatim Romano languefcente, immò pene deficiente imperio, permittente eo, per quem Reges regnant: Arabum vel Saracenorum hac peſte infectorum ſurrexit principatus, atque vi armata maximas Aſiæ partes cũ tota Africa ac parte Hiſpaniæ paulatim occupans, in ſubiectos ſicut imperium, ſic & errorem transfudit. Hos licet hæreticos nominem, quia aliqua nobiſcum credunt, in pluribus à nobis diſſentiunt: fortaſſis rectius Paganos aut Ethnicos, quod plus eſt nominarem, quia quamvis de Domino vera aliqua dicant, plura tamen falſa prædicant: nec baptiſmati, ſacrificio, pœnitentiæ, vel alicui Chriſtiano ſacramento, quod nunquã vllus præter hos hæreticus fecit, communicant. Quam breuius potui, vitam hominis, ſeuamamque nefandæ legis notaui. Hoc ea de cauſa feci; vt & rem vobis notam facerem, & ad ſcribendum contra tam pernicioſum errorem animarem. Nam licet, vt ſupra dixi, hoc perditis illis, vt æſtimo, prodeſſe non poſſit, reſponſionem tamen condignam, ſicut contra alias, ita & contra hanc hæreſim Chriſtianum armarium habere deceret. Quæ ſi ſuperflua quilibet cauſatus fuerit, quoniam quibus reſiſtere debeant talibus armis muniti non adſunt: noverit in republica magni Regis quædam fieri ad tutelam, quædam fieri ad decorem, quædam etiam ad vtrumque. Nam ad tutelam facta ſunt à Salomone pacifico arma, licet tempore ſuo minus neceſſaria: præparati ſunt à David ſumptus, parata & ornamenta, templi divini conſtructioni & ornatui deputata. Sed nec illa eius tempore alicui vſui profecerunt, ſed in vſus divinos poſt eius tempora tranſierunt. Manſerunt itaque iſta aliquanto tempore otioſa, ſed incumbente neceſſitate, apparuerunt quæ diu vacauerant fructuoſa. Nec tamen, vt mihi videtur, opus iſtud etiam hoc tempore otioſum vocare debeo, quoniam iuxta Apoſtolum, Veſtrum eſt, & omnium doctorum virorum, omnem ſcientiam extollentem ſe adverſus altitudinem Dei: omni ſtudio, verbo & ſcripto impugnare, deſtruere, conculcare. Quod ſi hinc errantes converti non poſſint, ſaltem infirmis Eccleſiæ, qui ſcandalizari vel occultè moveri levibus etiam ex cauſis ſolent, conſulere & providere doctus vel doctor, ſi zelum habet iuſtitiæ, non debet negligere. Propono inde vobis Patres, omnes, & præcipue Patrem Auguſtinum: qui licet Iulianum Pelagianum; licet Fauſtum Manichæum, & verbis, & labore ſuo ad fidem rectam convertere nequiverit: non tamen de eorum errore magna condere contra eos volumina omiſit. Sic de reliquis ſui temporis, & non ſui temporis, hæreticis, ſic de Iudæis, ſic de paganis faciens, non ſolùm contra eos ſui temporis homines armauit: ſed etiam ad nos, & ad poſteros omnes maximæ ædificationis, & inſtructionis chariſma tranſmiſit. Si igitur reverentiæ veſtræ in his laborandi Deo aſpirante voluntas affuerit (nam facultas per eius gratiam deeſſe non poterit) reſcribite, & mittemus librum quem nondum miſimus: vt per os veſtrum ipſius laude repletum, ſpiritui nequitiæ ſpiritus benignus reſpondeat, & theſauros Eccleſiæ ſuæ gazis veſtræ ſapientiæ ſuppleat. Mittite ſi placet, per præſentium latorem vel per alium, Epiſtolam illam veſtram quibuſdam Carnotenſibus monachis, vt mihi videtur, miſſam, reſpondentem de regulæ præceptis, & de diverſis monaſtici Ordinis vſibus, quam Cluniaci ſemel legi, ſed nunquam poſtea ad relegendum habere potui. Miſiſſem & ego noſtram eruditæ dilectioni veſtræ, quam contra hæreticorum Provincialium quædam capitula ante quatuor vel quinque annos ſcripſi, ſi ad manum hanc habuiſſem, vt hanc legeretis: & ſi quid ſupplendum eſſet, aliquo veſtro tractatu vel epiſtola ſuppleretis. Sed à quodam fratre noſtro nuper in Aruerniam delata, & ante annum in alio volumine contra ipſos hæreticos à me in prouinciam miſſa, mitti vobis non potuit. Mittetur autem, poſtquam eam ex aliquo exemplari reſcripſero. Super his omnibus quid vobis videatur, reſcribite. Et licet ego impedimentis pluribus præpeditus diſtulerim, vos ſi facultas eſt, diu differre nolite.

## EPISTOLA XVIIII.

*Vniverſali Pontifici, & ſpeciali Cluniacenſis Eccleſiæ Patri, Domino Papæ Celeſtino, Frater Petrus humilis Cluniacenſium Abbas, ſyncerum amorem, & plenam obedientiam.*

BEnedictus Dominus Deus noſter, qui memor verbi ſui, in quo nobis ſpem dedit, more ſuo nullatenus ſe oblitum verborum ſuorum etiam hoc tempore monſtrauit: quibus ſuos ab ipſis recedens conſolari dignatus eſt, dicens: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſeculi.* Apparet hoc in innumeris ipſius gratiæ donis, apparet hoc nunc ſpecialiter & in vobis, quem his noſtris diebus ſummum Pontificem, animarum noſtrarum cuſtodem, totius Eccleſiæ ſuæ adhuc in terris peregrinantis, hoc eſt vnicæ columbæ inter cornos gementis Præſulem, propitia mortalibus benignitas divina conceſſit. Non hoc, vt iam nobis relatum eſt, humanus faſtus, non

sibi

A sibi providens humana cupiditas, non Romanus turbo sæpe auditus, orbemque terrarum suo impulsu concutere solitus, effecit: sed adversa pacificans, diversa vniens, discissa redintegrans: spiritus ille, qui vbi vult spirat: velut in sibilo auræ tenuis, iuxta verbum Domini factum ad Heliam, leniter adimplevit.
Reg. 19. Gavisi sumus audientes ista, & in immensum cor nostrum exhilaratum est: agnoscentes non armis, non turribus, non minacibus agminibus, rem divinam tutari: sed sola misericordis Domini manu, & suavi protectione ad pacem compositam esse. Agnovimus verè quod agnoscendum erat, imperasse Christum ventis & mari, & factam esse insolitam tranquillitatem: statuisse procellam maris in auram, & siluisse fluctus eius. Et hoc quis non miretur? Quis, inquam, hoc non miretur: à tempore Alexandri secundi Papæ, per Gregorium, Vrbanum, Paschalem, Gelasium, Calixtum, Honorium, Innocentium, summos Ecclesiæ Dei
B ac præclaros Pontifices, quantum ad eorum promotionem pertinet, Ecclesiasticam pacem pertransiisse, sed in nullo eorum præter vos quievisse: Nec adeo lapidei sumus, vt non sentiamus, nec adeò bruti vt non intelligamus: eum, sine cuius nutu vt legitur, *nec passer ad terram, nec folium cadit arboris*, non sine causa, non sine certo inexhaustæ sapientiæ consilio, hanc pacem eorum primordiis subtraxisse, vestris contulisse: quam esse illam puto, & hanc vobiscum
Psal. 93. semper durare confido, de qua Deo in Psalmis Propheta, *Secundum multitudinem*, inquit, *dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* Credo enim, & spero in Deo salutari meo, quod qui principiis vestris dedit tam amabilem pacem, dabit & fini suo tempore commendabilem laudem. Lætabitur sub vmbra alarum eius vobis amodo subditus orbis terrarum, & se tantos fidei suæ Patres, Apostolicos viros, Confessores dico, & quod maius est, Martyres: vel quod excellentius est, ipsos Apostolorum summos Petrum & Paulum, immò ipsum Christum in vobis solo se habere gloriabitur. Gaudebit, & iam ineffabiliter gaudet, licet non numero, tamen virtutibus pusillus grex vester Cluniacensis:
C qui obedientiam, qui subiectionem, qui quod maius est, dilectionem, quia per seipsum non potest, ore meo per has literas vobis ingerit, & se totum licet absens, sanctitatis vestræ pedibus subiicit. Certitudinem electionis vestræ, & collati à Deo Apostolatus sero accepi: & idcircò tarde rescripsi. Nam diu variante fama, vix vigilia S. Andreæ Epistolam vestram mihi, & Conventui missam suscepi; atque die ipsa publicè in Capitulo lectam, tam literatis, quàm illiteratis, quos Conversos vocamus, exposui. Audita est verè, & suscepta ab omnibus filiali affectu: quod vobis melius ore proprio, vel nunciorum, proximè per Dei gratiam indicabo. Habeo enim omnimodam voluntatem veniendi ad vos, & novum quidem Patrem, sed antiquum amicum amore, & honore debito visitandi: faciam hoc si congruè potuero. Si non per nostros, quâ proximè vacaverit, Christi iuvante gratia visitabo. Commendo interim paternitati vestræ negotium fratris præsentium latoris: vt illud benigne, & ad commodum Ecclesiæ eius, quantum iustitia permiserit, audiatis, & diffiniatis. In fine, quas possum gratias ago, quod sicut mihi relatum est, & in literis vestris legi: quasdam alias causas beatæ memoriæ
D prædecessori vestro directas benignè accepistis, sicque definistis, vt in sententia successoris, non sit nobis lugenda sancti mors prædecessoris.

## EPISTOLA XIX.

E *Vniversali Papæ, & nostro proprio Patri Domino Papæ Lucio, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, cum debita obedientia syncerissimum in Domino amoris affectum.*

POstquam à charissima mihi vestra paternitate recessi, quæ iniuncta a Patre fuerant, quæ mandata filiis, & servis vestris Cluniacensibus, quæque alia à vobis mihi præcepta: non indevotus filius sollicitè, vt decebat, ac studiosè cuncta impleui. Sacrificia frequentia, orationes pene continuas, eleemosynarum multiformes erogationes, tam Cluniaci quam extra, tam per me quam per nuncios, fratribus nostris imposui. Quæ ipsi, auditis literis vestris, cognito tam ex
F eisdem literis, quàm ex relatione mea, & sociorum, multo erga se vestro affectu libentissime susceperunt, ac devotissimè peragunt. Astant ergo, & astabunt Deo semper pro vobis, nec tantum Patrem, tam benignum, tam sibi clementem, summo omnium Patri Deo, amodo pro viribus commendare cessabunt. Nam, & hoc ego quantum potui impressi cordibus ipsorum: vtpote qui licet absentis Patris in me expertæ benignitatis & vltra personam vel meritum meum mihi impensi honoris, oblivisci non poteram. Vt enim coram duobus, quos nemo fallere potest, testibus loquar, Deo scil. & propria conscientia, præcellit verè, & longè præcellit, quem vobis in intimis animi mei recessibus servo sinceri amoris affectus omnium prædecessorum vestrorum, quos erga ipsos gerebam, affectibus. Hoc quidem, vt dixi, benignitas, & beneficia vestra nobis impensa fecerunt: sed magis multus, quem in sancto pectore vestro latere adverti, erga divina religionis affectus. Sed ne adulari videar, his intermissis ad sequentia veniam. Misi præsentium latorem cum literis istis, vt & nota facerem reverentiæ vestræ quæ dixi: & de statu sublimitatis vestræ, maximè de pace regis Siculi literis vestris certificari me
G rerer. Nam, non parum mihi credite, pro pace vestra vt multum eam exoptans sollicitor. De pace enim vestra, omnium nostrum pax pendet: in requie vestra, nos specialiter vestri Cluniacenses requiescimus, in dolore non fictè, sed veraciter condolemus: quia membra, quæ capitis dolori non compatiuntur non solùm morbida, sed & mortua indicantur. Rescribite ergo nobis, si placet, super illa: vt si est, prout decet, congaudeamus: si nondum est, pro scientia, pro viribus, vobis & apud Deum, & apud homines collaboremus. De cætero precor, vt quia Cluniacensia negotia tanta sunt, vt penè assiduè pro diversis oporteat nos paternitati vestræ scribere causis, non hoc molestè feratis: sed, vt specialem & benignum patrem decet ea quando mandantur audiatis, & exaudiatis. Hoc autem à vobis mandari postulo, vtrum prout mihi Romæ à maiestate vestra iniunctum est, duodecim fratres cum tertiodecimo, qui eis in Abbatem præficiendus sit, vsque ad festum S. Andreæ Romam mittere debeam. Nam hoc vestro iterum suscepto mandato, statim eos ad iter parabo.

## EPISTOLA XX.

H *Lucius Episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Petro Cluniacensi Abbati, salutem & Apostolicam benedictionem.*

DIlectionis tuæ literas debita benignitate suscepimus, & petitiones tuas, quæ nobis, & fratribus nostris rationabiles visæ sunt: libenter admisimus. De statu verò nostro te sollicitum cognoscentes, scire

A te volumus, quia omnipotens Dominus sua nos gratia visitauit, castigans castigauit: sed morti non tradidit. Per ipsius misericordiam conualescimus, & pristinam sanitatem in breui nos recepturos speramus. Ad colloquium regis Siciliæ condescendimus: & quia ad honorem Dei, & Ecclesiæ suæ, firmam pacem cum eo facere non potuimus: instanti tamen ipsius violentia nos cogente, treugam cum eo composuimus. Placet autem nobis, vt sicut literis tuis nobis significasti, tredecim de fratribus tuis quam citius poteris ad nos transmittas: quia nos Domino auxiliante eos honestè recipere, & ad honorem Dei, & Cluniacensis Ecclesiæ collocare curabimus. Sanctam Congregationem vestram pro nobis orantem gratia diuina custodiat, & ab omnibus peccatis absoluat. Datum Later. X. Calend. Octob.

B

## EPISTOLA XXI.

*Venerabili, & in Christo plurimum dilectæ sorori Eloysæ Abbatissæ, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, salutem quam promisit Deus diligentibus se.*

ACceptis literis charitatis tuæ, quas mihi nuper per filium meum Theobaldum misisti, gauisus sum, & eas mittentis gratia amicabiliter amplexus sum. Volui statim rescribere quod animo insederat: sed impedientibus importunis curarum exactionibus, quibus plerumque immò pene semper, cedere compellor, non potui. Vix tamen à tumultibus tandem interpolata die, quod conceperam attentaui. Visum est, vt affectui tuo erga me, quem & tunc ex literis, & prius ex missis xeniis cognoveram, saltem verborum vicem rependere festinarem: & quantum in corde meo locum tibi dilectionis in Domino servarem, ostenderem. Revera enim non nunc primum diligere incipio, quam ex multo tempore me dilexisse reminiscor.
C Necdum plene metas adolescentiæ excesseram, necdum in iuveniles annos evaseram: quando nomen non quidem adhuc religionis tuæ, sed honestorum tamen & laudabilium studiorum, mihi fama innotuit. Audiebam tunc temporis, mulierem licet necdum seculi nexibus expeditam, literatoriæ scientiæ quod perrarum est, & studio licet secularis sapientiæ summam operam dare: nec mundi voluptatibus, nugis, vel delitiis, ab hoc vtili discendarum artium proposito retrahi posse. Cumque ab his exercitiis, detestanda desidia totus pene torpeat mundus: & vbi subsistere possit pes sapientiæ, non dicam apud sexum femineum, à quo ex toto explosus est, sed vix apud ipsos viriles animos invenire valeat: tu illo efferendo studio tuo, & mulieres omnes euicisti, & pene viros vniuersos superasti. Mox verò iuxta verba Apostoli, vt
Gal. 1. complacuit ei, qui te segregauit ab vtero matris tuæ, vocare te per gratiam suam, longè in melius disciplinarum studia commutasti; & pro Logica Evangelium, pro Physica Apostolum, pro Platone Christum, pro
D Academia Claustrum, tota iam & verè philosophica mulier, elegisti. Eripuisti victis spolia hostibus, & thesauris Ægyptiacis per huius peregrinationis desertum transiens, preciosum in corde tuo tabernaculum
Exod. 15. Deo erexisti. Cantasti cum Maria, demerso Pharaone, canticum laudis: & beatæ mortificationis tympanum; vt olim illa præ manibus gerens, noui modulaminis melos vsque ad ipsas deitatis aures, docta tympanistria, transmisisti. Conculcasti iam incipiendo, quod per omnipotentis gratiam bene perseverando conteres, vetusti anguis, ac semper mulieribus insidiantis caput: atque ita elides, vt nunquam vlterius contra te sibilare audeat. Ostentui facis, & facies superbum principem mundi: & illum, qui diuina voce vocatur rex filiorum superbiæ, iuxta ipsius Dei ad beatum Iob verba, tibi ac tecum cohabitantibus

E ancillis Dei alligatum ingemiscere coges. Et verè Iob 41. Iob 40. singulare miraculum, ac super omnia miranda opera extollendum, eum, quo iuxta Prophetam, Cedri non Ezec. 31. fuerunt altiores in Paradiso Dei, & cuius summitatem frondium abietes non adæquaverunt, à fragili sexu vinci, & fortissimum Archangelum à muliere infirmissima superari. Gignitur tali duello maxima gloria conditori, infertur econverso summa ignominia deceptori. Exprobratur ei hoc certamine, non solum stultum, sed & super omnia ridiculum fuisse, illum aspirasse ad æqualitatem sublimissimæ maiestatis, qui nec breve luctamen ferre prævalet fœmineæ debilitatis. Sustinet caput cuiuslibet victricis illius, merito talis victoriæ, gemmeam, à Rege cœlorum coronam: vt quanto in transacta pugna carne infirmior, tanto in F remuneratione sempiterna appareat gloriosior. Hæc, charissima in Domino soror, verè non adulando, sed exhortando dico: vt magnum, in quo aliquamdiu perstitisti, bonum attendens, ad cautè illud conservandum animosior reddaris: & sanctas illas, quæ tecum Domino seruiunt, secundum gratiam à Deo tibi collatam, vt in eodem sollicite agone contendant, verbis pariter & exemplis accedas. Es enim vnum de animalibus illis, quæ Ezechiel Propheta vidit: licet sis Ezec. 1. mulier, quæ non tantum vt carbo ardere, sed vt lampas ardere debes pariter & lucere. Es quidem discipula veritatis, sed es etiam ipso officio, quantum ad tibi commissas pertinet, magistra humilitatis. Humilitatis plane, & totius cœlestis disciplinæ, tibi à Deo magisterium impositum est: vnde non solùm tui, sed & commissi gregis curam habere, & pro vniversis maiorem vniversis debes mercedem recipere. Manet tibi certè palma pro omnibus, quia, vt optime nosti, quotquot ducatu tuo mundum mundique principem vicerint, tot tibi triumphos, tot gloriosa trophæa, apud æternum regem, & iudicem præparabunt. Sed nec omnino apud mortales insolitum est, feminas feminis principari, nec ex toto invsitatum etiam præliari, ipsos insuper viros ad prælia comitari. Nam si verum est quod dicitur, Fas est, G & ab hoste doceri, Et apud Gentiles, Amazonum regina Penthesilea cum suis Amazonibus, non viris, sed mulieribus, Troiani belli tempore sæpe pugnasse scribitur: & in populo etiam Dei, prophetissa Delbora, Barach Iudicem Israël contra Ethnicos animasse Iudic. 4. legitur. Cur ergo non liceat feminas virtutis contra fortem armatum ad prælia procedentes, ductrices fieri exercitus Domini: cum & illa, quod quidem indecens videbatur, manu tamen propria contra hostes pugnauerit: & hæc nostra Delbora viros ipsos ad bella diuina commouerit, armauerit, accenderit? Victo dehinc Iabin rege, occiso Sisara duce, deleto prophano exercitu: cecinit statim canticum illa, illudque Dei laudibus devota dicauit. Erit Dei gratia hoc faciente, post datam tibi, tuisque de longe fortioribus hostibus victoriam, longe tuum gloriosius canticum: quod sic læta cantabis, vt nunquam postea lætari, nunquam cantare desistas. Interim eris ancillis Dei, hoc est, cœlesti exercitui, quod illa suo Iudaico populo Delbora: nec à tam lucroso certamine, aliquo tempore, quolibet casu, nisi vincendo cessabis. Et H quia hoc nomen Delbora, vt tua novit eruditio, lingua Hebraica apem designat, eris etiam in hoc & tu Delbora, id est apis. Mellificabis enim tu, sed non soli tibi: quia quicquid boni per diversos, & à diversis collegisti, exemplo, verbo, modisque quibus Iohel 3. poteris, domesticis sororibus, seu quibuslibet aliis totum refundes. Satiabis hoc exiguo vitæ mortalis tempore, & te ipsam sacrarum literarum secreta dulcedine, & beatas sorores aperta prædicatione: quousque iuxta vocem Propheticam, *In illa, quæ permittitur die, distillent montes æternam dulcedinem, & colles fluant lac & mel.* Hoc enim licet de hoc tempore gratiæ dicatur, nil obstat, immo & dulcius est, vt de tempore gloriæ

A gloriæ accipiatur. Dulce mihi esset, diu tecum de huiusmodi protrahere sermonem: quia & famosa eruditione tua delector, & prædicata mihi à multis religione tua longe magis allicior. Vtinam te Cluniacus nostra habuisset! vtinam te iocundus Marciniaci carcer, cum cæteris Christi ancillis libertatem inde cœlestem expectantibus inclusisset! Prætulissem opes religionis ac scientiæ, maximis quorumlibet regum thesauris: & illarum sororum illud præclarum collegium, cohabitatione tua clarius rutilare gauderem. Retulisses & ipsa ab ipsis non modicum quæstum, & summam mundi nobilitatem, ac superbiam, pedibus subiectatam miraretis. Cerneres omnigenos seculi luxus, miranda parcitate mutatos: & sordida quondam vasa diaboli, in mundissima Spiritus sancti templa conversa. Videres puellas Dei, Satanæ, vel mundo, velut furto subtractas, super innocentiæ fundamentum altos virtutum erigere parietes, & vsque ad ipsa cœli fastigia, felicis

B fabricæ cacumen producere. Lætareris angelica virginitate florentes, castissimis viduis iunctas: & vniversas pariter beatæ illius & magnæ resurrectionis gloriam sustinentes, infra arcta septa domorum, etiam corporaliter beatæ spei velut sepulcro iam conditas. Quæ licet omnia, & fortassis maiora, cum tibi datis à Deo collegis habeas: licet forte nihil ad sacrarum

† posse: rerum studium pertinens tibi addi possit †, augeretur tamen augmento gratiarum tuarum, non paruis vt arbitror commodis res publica nostra. Sed quamvis à dispensatrice omnium rerum prouidentia Dei, hoc nobis de te negatum sit: concessum tamen est de illo tuo, de illo, inquam, sæpe ac semper cum honore nominando, seruo ac vere Christi Philosopho magistro Petro, quem in vltimis vitæ suæ annis, eadem diuina dispositio Cluniacum transmisit: & eum in ipso & de ipso, super omne aurum & topazion munere chariore, ditauit. Cuius sanctæ, humili ac deuotæ inter nos conuersationi; quod quantumve Cluniacus testimonium ferat, breuis sermo non explicat. Nisi enim fallor, non recolo vidisse me illi in humilitatis habitu & gestu similem: intantum vt nec Germanus

C abiectior, nec ipse Martinus bene discernenti pauperior appareret. Cumque in magno illo fratrum nostrorum grege, me compellente gradum superiorem teneret: vltimus omnium vestitu incultissimo videbatur. Mirabar sæpe, & in processionibus eo me cum reliquis pro more præcedente, pene stupebam: tanti tamque famosi nominis hominem, sic seipsum contemnere, sic se abiicere posse. Et quia sunt quidam religionis professores, qui ipsum quem gerunt habitum religiosum, nimis esse cupiunt sumptuosum: erat ille prorsus parcus in istis, & cuiusque generis simplici veste contentus, nil vltra quærebat. Hoc & in cibo, hoc & in potu, hoc & in omni cura corporis sui servabat: & non dico superflua, sed & cuncta, nisi valde necessaria, tam in se quam in omnibus, verbo pariter & vita damnat. Lectio erat ei continua, oratio frequens, silentium iuge: nisi cum aut fratrum familiaris collatio, aut ad ipsos in conuentu de diuinis publicus sermo eum loqui vrgebant. Sacramenta cœlestia, immortalis agni sacrificium Deo offerendo, prout poterat, frequentabat; immo postquam literis & labore meo, Apostolicæ redditus est, pene continuabat. Et quid multa? Mens eius, lingua eius, opus eius, semper

D diuina, semper philosophica, semper eruditoria meditabatur, docebat, fatebatur. Talis nobiscum vir simplex & rectus, timens Deum, & recedens à malo: tali, inquam, per aliquantulum temporis conuersatione, vltimos vitæ suæ dies consecrans Deo: pausandi gratia, (nam plus solito, scabie & quibusdam corporis incommoditatibus grauabatur,) à me Cabilonem missus est. Nam propter illius soli amœnitatem, qua cunctis pene Burgundiæ nostræ partibus præminet: locum ei habilem, prope vrbem quidem, sed tamen Arari interfluente, prouideram. Ibi iuxta quod incommoditas permittebat, antiqua sua renouans studia, libris semper incumbebat: nec sicut de magno

E Gregorio legitur, momentum aliquod præterire sinebat, quin semper aut oraret, aut legeret, aut scriberet, aut dictaret. In his sacrorum operum exercitiis, eum adventus illius Euangelici visitatoris reperit: nec eum vt multos dormientem, sed vigilantem inuenit. Inuenit eum verè vigilantem, & ad æternitatis nuptias, non vt fatuam, sed vt sapientem virginem euocauit. Attulit enim ille secum lampadem plenam oleo, hoc est, conscientiam refertam sanctæ vitæ testimonio. Nam ad soluendum commune mortalium debitum, morbo correptus: eoque ingrauescente, in breui ad extrema perductus est. Tunc vero quam sanctè, quam deuotè, quam Catholicè, primo fidei, dehinc peccatorum confessionem fecerit; quando inhiantis corpus scilic. Redemptoris Domini acceperit; quam fideliter corpus suum & animam hic & in æternum ipsi commendauerit, testes sunt religiosi fratres, &

F totius illius Monasterij, in quo corpus S. Martyris Marcelli iacet, Conuentus. Hoc magister Petrus fine dies suos consummauit: & qui singulari scientiæ magisterio, toti pene orbi terrarum notus, & vbique famosus erat; in illius discipulatu, qui dixit, *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde*, mitis & humilis perseuerans, ad ipsum vt dignum est credere, sic transiuit. Hunc ergo venerabilis & charissima in Domino soror, cui post carnalem copulam, tanto validiore, quanto meliore diuinæ charitatis vinculo adhæsisti, cum quo, & sub quo diu Domino deseruisti; hunc, inquam, loco tui, vel vt te alteram in gremio suo confouet, & in aduentu Domini, in voce Archangeli, & in tuba Dei descendentis de cœlo, tibi per ipsius gratiam restituendum reseruat. Esto ergo in Domino memor ipsius; esto etiam si placet & mei, & sanctis sororibus tecum Domino famulantibus fratres Congregationis nostræ, ac sorores, quæ vbique terrarum pro posse suo eidem cui & tu Domino famulantur, sollicite commenda.

Matt. 11.

## EPISTOLA XXII.

G *Vniuersali Pontifici, & nostro proprio Patri Domino Papæ Lucio, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, fidelem cum sincero amore obedientiam.*

SÆpe supplicaui, & adhuc supplico, ne occupatæ in multis reuerentiæ vestræ grauia videantur tam frequentia scripta mea. Multa enim sæpe emergunt, quæ me etiam nolentem, & hoc fugere conantem, importunum esse compellunt. Nam quandoque propria, quæ multa sunt: quandoque magnorum amicorum negotia, quæ negligenda non sunt, importunitatis huius causa existunt. Inquietudo quorundam Aurelianensium clericorum, quæ Ecclesiam suam pene destruxit, nec dum requiescere dicit. Non enim zelo iustitiæ, non veritate aliqua reipublicæ suæ, canonici non canonici, fingentes se quærere quæ Dei sunt sed quod omnibus clarum est, prætextu illo quærentes quæ sua sunt, sicut suam matrem Ecclesiam lethaliter pœne læserunt, sic contra suum patrem & Episcopum, calcaneum erexerunt. Nouit verò sapientia vestra, quid Deus ipse de talibus sentiat. *Qui*, inquit, *maledixerit patri suo vel matri, morte moriatur.* Quod si

Exo. 21. Lev. 20.

H hoc de maledicto dictum est, quantomagis de iactura Si hoc de maledicto dictum est, quantomagis de læsura? Si dictum est hoc de his qui maledicunt, quantomagis de his, qui quantum ad se pertinet, perimunt? Tales, tales sunt, inquam, verè tales sunt quidam illius Ecclesiæ inquantum fama testatur, non religiosi, sed irreligiosi: non de maioribus, sed de inferioribus; non multi, sed pauci. Hi de infestatione Patris sui negociari volentes, indeque lucrum quodlibet

se

A se consequi posse putantes: dum ipse cum his qui oderunt pacem sit pacificus, vel loquentem, vel tacentem gratis impugnant. Non erubescunt videri pauci
Ps. 119. inter multos, & soli septem vel octo inter millia tam clerici quam populi eis contraria prædicantis, mendaces & garruli apparere. Incitat me ad ista sic scribenda, magnorum, multorum, ac religiosorum testimonium: quorum quidam nostri sunt, longe autem plures extranei. Prævaleat ergo, si placet, & præponderet tantorum apud vos testimonium: & Episcopum vestrum contra ratos & mali nominis viros, qui magis, vt mihi videtur, cornibus ventilandi, quàm auribus audiendi sunt, sapiens iustitia vestra defendat. Suffragetur ei & boni, religiosi, ac singularis inter suos viri, diutina iam cohabitatio: quem mandato Domini Papæ Celestini, non quidem ex nomine designatum sed a nobis pro insigni religione electum, ei in socium dedimus.
B Ipso ergo si sic iustum sapientiæ vestræ videtur, super ipso conveniatur, ipse requiratur: ipsi quia nullatenus eum mentiri velle testificor, magis quam nebulonibus illis credatur. Valeat sanctitas vestra semper in Christo.

## EPISTOLA XXIII.

*Raimundo Monacho Tholosano, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas salutem.*

CVm caput albescat, tua Musa senescere nescit:
Nec quia tu canes, hinc minus illa canit.
Albus es, & cantas: albus imitaris olores,
Qui cantu iuncta magis, voxque nitorque placent.
Hic color obtutus, sonus hic demulcet & aures.
Sic nihil in tota non placet avnis ave.
Non norat volucres nutrire Garonna canoras,
Littora nunc cuius cantibus implet olor.
Fleverat antiquis viduata Tholosa Poetis:
Gaudeat en studium te reparare suum.
Scribis Romanas te cernere velle ruinas,
Si tentare mihi, tale placeret iter.
C Dum lego forte tui miratus pectoris ausus,
Obstupui fateor, conticuique diu.
Non aliter quam si vires homerisque Typhonis,
Spondeat in lecto, febre solutus homo.
Nec secus Hispana quam si tellure creato
Sese testudo cursibus æquet equo.
Nam quis tanta tuæ taceat miracula laudis,
Quod iuvenum tentas fortia facta tenere?
Alpibus horrendis inuicta senecta nequiuit
Cedere, vel cœptum iam revocare gradum.
Aeriæ rupes, quæ vincere dura solebant
Pectora, virtuti succubuere tuæ.
Militis emeriti, te missio iusta decebat,
Et pro præteritis actibus alta quies.
Sed virtus animi nec cano parcere novit,
Et te plus requie bella cruenta iuvant.
Ergo veni Romam, non differo, nolo moreris,
Pugnaces animos regna Latina vocant.
D Roma sata est bellis, sita sanguine, clara triumphis,
Quæ sibi per tales subdere cuncta solet.
Si te robustum splendenti cinxerit ense,
Et te pugnantum fecerit esse ducem.
Victrici gladio mox publicus hostis obibit,
Et tibi totus adhuc subditus orbis erit.
Lusimus, & cantus tecum dedùximus æquos,
Ne cygnus cunctas rideat orbis aues.
Iam decet vt nostris succedant seria ludis,
Et Monachi comptus sit grauitate iocus.
Si vires, si posse tibi natura ministrat,
Nil iter impediet te comitante meum.
Non eris ingratus, quem novit reddere charum
Fama frequens, studium, vita, senile caput.
Omnibus totam nota probitate cohortem,
Vestitu atque viris signifer vnus eris.

E Pulchrior in sylvis nusquam frondescit oliua,
Dum candore suo deprimit arbore virens.
Si pia te socium mereatur habere iuventus,
Vt laudent Dominum iunior atque senex.
Nuper me Robertus ad hæc dictata vocavit,
Per quem in istis carmina multa mihi.
Velle quidem mecum te Romam pergere dicens,
Vt responderem versibus, admonuit.
Ad quæ respondi, tamen ista prioribus addo,
Nullam me certam proposuisse viam.
Si tamen, vt dixi, fors quod puto fecerit esse,
Perpetuus fies ad peregrina comes
Sed non incoles, si quid fortuna sinistri
Intulerit: cunctos quæ facit esse pares.
Regibus & servis quod vult iubet illa potestas,
Illi subduntur dives inopsque simul.
Cantaui monitus, si vis cantabis & ipse,
F Præter avis morem, fuscus & albus olor.

## EPISTOLA XXIV.

*Vniversali Pontifici & nostro proprio Patri Domino Lucio Papæ, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, fidelem obedientiam.*

IVxta velle ac mandatum sublimitatis vestræ, dirigimus de sinu Cluniacensis claustri hos dilectos fratres & filios nostros Patri communi, immo nostro & ipsorum speciali. Commendamus eos Apostolicæ pietati, commendamus, inquam, quia valde commendandi sunt. Causa enim Dei, virtute obedientiæ, violenter se sibimetipsis subigunt, patrium solum deserunt, peregrina adeunt, nec mortem ipsam, quem Romanus aer nostratibus celeriter inferre solet, refugiunt: &, vt sic dicam, quantum ad hanc Gallorum nostrorum formidinem, velut ad victimam vadunt. Respiciat ergo super eos pio intuitu paternus oculus, & exules
G suos benignis sæpe admonitionibus & congruis auxiliis consoletur. Constituantur si placet, in vno ex duobus quæ Romæ à vobis nominatis Monasteriis, ceterique ab illo coloni alibi collocandi pellantur. Nam & iuxta Apostoli vocem, *Modicum fermentum totam mas-* 1.Cor.5.
*sam corrumpit*, & vt vestra sapientia novit, diversi moribus, vitiis, affectibus.

*Non bene conveniunt, nec in vna sede morantur.*

Et quia iuxta Magnum Gregorium, Durum videtur in pectore veteri nova meditari, resque pene desperata est, monachum à pravo vsu ad meliora instituta posse converti: cavendum est, ne qui corrigi non possunt corrumpant. Quod si forte quispiam aliquos ex his, quos misi, ab inuicem secernere, & ad alia loca transferre nisus fuerit: oro ne permittatis, quia per partes divisi, & nihil proficerent, & fructum quem simul positi ferre possunt, perderent. Si enim omnes bini vel terni ad diversa mittendi essent, alios & aliter elegissem. Sed quoniam à vobis sic dispositum est, vt ad vnius tantum Claustri ordinationem, congruos tredecim
H fratres mitterem, maiorem ex ipsis partem ad tenendum solummodo Claustrū vtilem elegi: quosdam vero in secularibus astutiores, vt aliis provideant, disposui, & iam dictis tredecim, duos qui genere Romani sunt, pro supplemento adiunxi. Hac de causa prout mihi videtur, damnosum est eos abinvicem recedere: fructuosum, simul manere. His dictis adiungo, & tam ex me, quam vice vniversorum fratrum nostrorum supplico: ne labor noster, quem causa Dei, vestroque præcepto in iam dicti monasterij ordinationem assumpsimus, vestræ Cluniacensi Ecclesiæ in damnum quolibet tempore convertatur. Hoc autem præcavere & providere poterit magnitudinis vestræ prudentia: si donum inde a vobis publice factum, nostra Cluniacensi, Apostolico privilegio confirmetur.

EPISTO

A

# EPISTOLA XXV.

*Summo Ecclesiæ Dei Rectori, Domino Papæ Eugenio, Patri nostro, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, diligentem cum dilectione obedientiam.*

EX multa dilectionis fiducia, quam semper habere consuevimus ad Apostolicam Sedem, soliti sunt plerique amicorum nostrorum ad nos recurrere, & preces suas Apostolicæ mansuetudini nobis mediantibus offerre. Vnde hoc tam antiquo usu, quam iam experta erga nos in expulsione fratrum nostrorum de sancto Saba pastorali dilectione ac studio vestro: quos
B
eiectos suscepistis, desolatos aluistis, verberatos confovistis, confidenter reverentiam paternam adimus, & pro Domino Bisuntino Archiepiscopo, bono Cluniacensis Ecclesiæ amico, magnitudinem vestram oramus. Accusatur enim, ut nobis relatum est, à paucis & vilibus Ecclesiæ suæ personis: excusatur & commendatur à pluribus & fide dignis viris, & maxime arctioris religionis & ordinis professoribus. Qui, ut bene credimus, nullas pro eo preces funderent, in nullo pro ipso supplicarent: si eisdem precibus suis vel commendationi, iustitiam in aliquo obviare sentirent. Exaudiat ergo, si placet, diligens discretio vestra ipsos, exaudiat & nos supplicantes pro ipso cum ipsis: ne facilis & irreverens tribuatur accessus improbis contra probos, vilibus contra optimos, infamibus contra viros multis & magnis bonorum testimoniis fultos. In fine rogamus, ut eum nobis in corde vestro locum gratiæ conservetis, quem velut hæreditario iure, apud sanctos prædecessores vestros possidemus: ut qui
C
eis omnipotentis Domini dispositione Apostolicæ dignitatis successistis officio, eis quoque erga nos & Cluniacum vestram amore succedatis & beneficio.

# EPISTOLA XXVI.

*Venerabili & in Christo plurimum amplectendo, Domno Rainardo Cisterciensi Abbati, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, salutem & plenum charitatis affectum.*

GRex Domini, oves pascuæ eius, destitutæ Pastore, per alta montium, per devexa vallium, per aspera viarum, multo sudore Pastorem requirentes, in solenni sancti Spiritus die, nuper ad nos Cluniacum venerunt. Compassi sumus, ut iustum erat, religiosæ peregrinationi: & multo fatigatos itinere triduo apud nos hospitari coëgimus. Vidi eos, quod paucorum est monastici ordinis virorum, non equis, non mulabus, non ipsis saltem asinis vectos, sed pedites & peregrinos: summa animi devotione, pro dando, immo si fieri potest, pro restituendo sibi amisso Pastore, ad vos tendere: eaque de causa nullum laborem refugere, nulla
D
pericula devitare. Non suffecit eis, unum vel duos de suis hoc animo vestræ reverentiæ mittere: sed eum qui contemni non possit, Apostolicum numerum præferentes, nihil negari: maxime cum non nisi iusta postulent, credunt. Suscipiendi ergo sunt, si placet, benignè à vobis: & prout mihi videtur, audiendi, & exaudiendi sunt: qui iuxta Domini verba, Alienum Pastorem non sequuntur, sed fugiunt ab eo: quia nesciunt vocem alienorum. Ago quidem ego, & intercedo pro eis, tractus eorum sancto studio: sed specialiter ad hoc me compellit singularis, quam habeo erga ipsos & locum in quo morantur, dilectio. Nam fratres, nepotes, & pene tota consanguinitatis meæ linea, locum illum à primo fundationis lapide, multo affectu coluerunt: nonnulla etiam de suis, ne dicam multa, vestri Ordinis ac religionis intuitu contulerunt. Prosequor ego eo-

E
rum devotionem, etsi non beneficiis, tamen sinceræ dilectionis affectu. Fuerit in removendo Abbate ipsorum, severa & cæteris terrorem incutiens, auctoritatis vestræ sententia: sit, si grave non est, in restituendo, discreta providentia. Nam nec capitale, nec peremptorium fuit, unde accusatus est: nec tot in ipso, quæ ex parte bene novi bona, quod amicabiliter suggero, condemnanda sunt. Restituatur ergo si placet, bonis ovibus, bonus pastor, & quia iustitiæ satisfactum est, misericordiæ quoque satisfiat: ut quæ multo cum labore & humilitate vos adeunt, multo cum gaudio, atque in Paracliti solennibus diebus, ad ovile proprium plena cum consolatione redeant.

# EPISTOLA XXVII.

F

*Intimo ac iam vetusto cordis mei inhabitatori, Domino ac venerabili Atoni Dei gratia Trecensium Episcopo, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, salutem quam sibi.*

LEgitur in Salomone. *Vinum novum, amicus novus veterascet: & cum suavitate bibes illud.* Quid est hoc? Attende charissime. Hoc dicit, quod cernitur. Vinum enim dum recens est, abiecta iam inutili musti dulcedine, bibentem quidem sui novitate allicit: sed velut immatura iuventutis violentia, sorbentis guttur compungit. Delectat & exasperat, ac salubre simul & mordax, interna haustu reficit: sed minus dum hauritur, iocundat. At ubi velut iuvenili fervore sedato, veterascere incipit, & leni se sapore quasi miti senectutis suavitate condire: non solum bonum, sed & iocundum efficitur: non tantum ut salubre, sed & ut delectabile sumitur: & nihil in illo, quod pungat vel mordeat, iam timetur. Lætificat iuxta scripturam, etiam ad literam, cor hominis: & laboriosum cursum vitæ mortalis, indita sibi à rerum conditore dulcedine consolatur. Sic plane, charissime, sic prorsus in te hoc Salomonicum verbum impleri cognosco. Dum novus amicus fuisti, sæpe quidem profuisti: sed nunquam, sicut nunc quando iam senex es, delectasti. Consenuit tecum non defectu, non ætate, sed sola temporis antiquitate amicitia: quam secundum præmissam similitudinem, habilius susciperis, suavius biberis, iocundius hauriris. Austeritate recentis, vel amicitiæ, vel ætatis, ne te haurire, ne te in corpus Cluniacense transfundere possem: diu multum obstitisti, resilisti, refugisti. Sed spero, & de illius spiritus, qui ubi vult spirat, gratia confido: quia quod non dedit amicitiæ iuventus, conferet saltem senectus. Novi quid dictum sit Apostolo Petro. *Surge Petre, occide & manduca.* Quod si ego Apostolus non sum, Petrus tamen sum. Vnde iuxta hoc divinum verbum, non solum te bibere, sed etiam occidere, & manducare concupivi. Veni ergo, veni, nec ultra gladium meum licet occidendus expavescas: nec dentes meos quamvis ab his attendendus †, & mandendus, reformides. Sed ne forte verearis, & tantas minas audiens, venire non audeas: noveris me non te, sed in te velle mundum occidere, monachum suscitare, consumere peritura, reformare permansura. Et ne præsumptor iudicet, quod humilis sublimi, quod inferior maiori, quod Abbas Episcopo talia scribam, talia suggeram: dedisti ipse mihi, ubi nosti, & sicut nosti, loquendi materiam, præbuisti audaciam. Non ergo vereor de his tecum agere, de quibus tu prior egisti: de his tecum conferre, ad quæ me primitus incitasti. Iam quoniam frequentibus ad amicum Epistolis paginas olim multas implevi, cessent verba ut tandem succedant opera: ne videar, aut sim semper sicut æs sonans, aut cymbalum tinniens.

*Eccl. 9.*

G

*Act. 10.*

H

† attendus.

A

## EPISTOLA XXVIII.

*Universali sed speciali Patri, Domino Papæ Eugenio, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, debitam obedientiam & fidele obsequium.*

I

SIcut inter universos filios suos, olim Iacob Patriarcha Ioseph, singulari ac velut unico amore dilexit, coluit, fovit: sic felicis memoriæ beati prædecessores vestri, vestram Cluniacensem Ecclesiam, sicut beatitudini vestræ non ignotum esse arbitror, præ cunctis penè sibi subditis, ac commissis Ecclesiis affectuosius dilexerunt, familiarius coluerunt, tenerius confoverunt. Quibus quoniam omnipotentis Dei dispositione, in Sede Apostolica successistis, oramus, & licet absentes, ipso quoque corpore supplicamus: ut quibus successistis officio, succedatis si placet amore, succedatis & beneficio. Nam, ut voce Israëlis quondam populi Dei utar, *sicut obedivimus Moysi, sic obediemus & tibi: tantum sit Dominus tecum, sicut fuit cum Moyse.* Hoc enim ad augmentum gratiarum a iam dictis patribus nostris, viris vere vita & officio Apostolicis, licet immeriti meruimus: ut non tantum pro propriis, sed & pro aliorum, ac quandoque valde remotorum, negotiis audiremur, & fere perpetuo benignissimè exaudiremur. Hoc filiali præsumptione exigimus a Patre nostro, cui obedire, quem diligere, cui obsequi volumus: illo tam antiquo, & toti orbi cognito more nostro. Venerabilis vir & Sacerdos Dei, Dominus Aurelianensis Episcopus, paternitati vestræ devotus filius, à filiis Belial multa perpessus, & cum his qui oderunt pacem, ut ovis mitissima semper pacificus, ad vos ut ad pacatum portum, & ad tutum pietatis asylum, & nuper confugit, & rursum recurrit: ut virtus ac mansuetudo Apostolica, sit ei turris fortitudinis à facie inimici. Scribit & obsecrat pro eo tota penè Gallicana Ecclesia, & ne pontificalis sublimitas ab infamibus & vilissimis personis mendacibus contumeliis appetita, dehonestari permittatur, supplex implorat. Addimus & nos, si tamen alicuius momenti esse possunt, aliorum precibus preces nostras: ut quia non solum Episcopali gradu sublimatur, sed & monachali honestate & habitu insignitur, utrumque pro eo ordinem Pater exaudiat, utrumque in oleo lætificet, utrumque honoret: & tot tantisque molestiis innocentiam diu ab improbis fatigatam, cum plenitudine Apostolicæ benedictionis & gratiæ, ad sua, suósque remittat.

B

*Jos. 1.*

C

## EPISTOLA XXIX.

D

*Domino & Patri dulcissimo, Petrus servus exiguus & indignus.*

A Die gloriosi Apostolorum protomartyris, per Dei misericordiam, vestrásque orationes aliquantulum me sentiens relevatum: non possum tam prope vos esse, & nihil vobis dicere. Prudentium vestrum cum Christi adiutorio paratus sum incipere, si Domno Priori claustri mandetis, ut pergamenum præbeat; & Bonito, ut parare studeat. Gratulor autem non modicè, id mihi ex insperato præceptum esse à vobis, quod auxiliante Domino & facere potero, & ex obedientia facere cupio: ut scilicet propter obedientiam me aliquid fecisse, deinceps apud vos gloriari possim. Illud quoque silere nullatenus debeo: quia ex ea hora, qua in festo piissimi Apostoli Iacobi, dum maioris Missæ solemnia agerentur, Frater noster Theobaudus salutationem vestram mihi indigno protulit, ita pes meus meliorari cœpit: ut sicut ac ipsius Apostoli gratia, véstráque etiam oratione confido, à vobis salutari idem mihi fuerit, quod saluari. Incolumem vos proxime videamus, Domine piè ac desiderantissime Pater. Valeant coheremitæ vestri, & socij omnes Domini mei, qui vobiscum siluas incolunt.

E

## EPISTOLA XXX.

*Honorando & in Christo filio Petro, Frater Petrus humilis Abbas Cluniacensium, salutem.*

SCribenti omnino mutus esse non debeo. Siluas incolimus, pertæsi urbium, rura amamus. Et ut aliquid poëticum addam,

*Iam non mihi turbida Roma,*
*Sed vacuum Tibur placet, ac imbelle Tarentum.*

F *Horat.*

Emeritæ iam sumus, & iuvenibus, tibi tuisque similibus, bella reliquimus. Armare igitur, & quia per Dei gratiam, ut scripsisti, pes tuus convaluit, ad prælia procede, pugna viriliter, viribus hostes subige: & quia iam totus mundus in arma coniurat, tu quoque armatorum numero adiungere. Nam ea de causa, coheremita noster fieri noluisti. Ego tamen quod imputas otium, non prorsus otiosum esse volui. Et, ut iterum verbis illius cuius supra utar,

*Me doctarum hedera premia frontium*
*Diis miscent superis.*
*Me gelidum nemus*, taceo reliqua,
*Secernunt populo.*

Nosti quantum me pigeant, falsa in Ecclesia Dei cantica, quantúmque nugæ canoræ mihi odibiles. Inter quas, (nam plurimæ sunt,) cum nuper in festo magni patris Benedicti, Hymnum præter sententias, metricam legem, seriémque verborum peroptimum, & cantari audirem, & cantare cogerer: nimium, sed non tunc primum ægrè tuli, & tanti viri veras laudes mendaciter proferri erubui. Nam præter aptitudinem sententiarum, quæ nulla est, ad minus viginti quatuor mendacia, canticum illud citato percurrens animo, in ipso reperi. Non igitur, ut præsumptor, sed ut horum quæ Dei sunt, in hac licet minima parte zelator, sumpta ex magni Gregorij verbis materia, in laude omnipotentis Dei, ipsiúsque iam dicti patris, eiusdem metri Hymnum composui, tibique, cui mea qualiacunque sint, frequenter ingero, transmisi. Accipe igitur, & si dignum videtur, cæteris, quæ transcribere soles, adiunge. Nam quod tacere nolo, cum antiquus ille Hymnus de tot tantisque sancti viri miraculis, vix unum attingat: hic præter spirituales eius virtutes, duodecim ipsius miracula breviter explicat. Et quia semel cœperam de translatione simul, atque illatione eius alterius metri secundum: propter tædium cantantium altero breviorem edidi. Quem & mitto. Vale in æternum.

G

H

## EPISTOLA XXXI.

*Charissimo seni, societatis nostræ Priori, Petro Pictaviensi, Frater Arnulphus, heremita novitius, coheremitarum suorum minimus, Salutem mentis & corporis.*

SAlutatio vestra, quam Patri novorum incolarum heremi, Domno Abbati nobis exhibendam misistis, mihi sociorum ultimo novissimè penè innotuit; & sicut unguentum à capite usque in oram vestimenti, gratiosa descendit. Gratias vobis, quod amore nostri tractus, tam sublimia de nobis existimatis, ut heremitarum nos vocabulo dignemini: & quod studio tuendæ utcunque sospitatis timidi assumpsimus, religioni imputetis. Nos enim tanquam rudes heremitæ, adhuc de crastino cogitamus: nec parum nos religiosos credimus, si de periculo instantis temporis vivi evadimus.

A Vos vero magis philosophantem heremitam dixerim, qui metu mortis intrepidus, iuxta morientes sepultus viuitis: & ab adventantium turbido incursu segregatus, in vestro sursum cœnaculo solus positus, vobiscum habitatis. At vero quantam nobis vestra heremus, vel potius solitudo inuidiam suscitet, scribere utcunque tentaveram: sed Epistola Domini, qua vos beatum dixerim, subito inter scribendum superveniens, & suo illo more verbis philosophicis sublimius intonans, mutum me & elinguem effectum obruit, & tardiorem quam si vobiscum claudicarem effecit. Obmutui igitur. Vnum tamen quod mente conceperam, velut alter Heli comprimere non potui: & licet oppressus, stylo rustico rudis expressi. Quid illud? Si ad nos cum Augustino vestro de Academicis venire dignaremini: otia cuncta diffugerent, & nouam strueremus Academiam. Quis harum finis nugarum? Vt verum fatear,
B magis interim vestrum ad nos desideramus aduentum, quam nostrum ad vos reditum. Quæ sententia tam communis est omnium, ut etiam vetus bos noster non recalcitret: qui captus amœnia iocunditate heremi, ieiunus æque ut satur, indefesse ruminat.

## EPIST. XXXII.

*Venerando fratri & charissimo socio Petro, Frater Robertus, quod sequitur.*

PRæteritæ nuper Dominicæ vespertino crepusculo, cum post eos, qui digni habiti sunt primo videre quæ mittuntur, primo audire quæ in aurem dicuntur, primum mihi contingeret legere literas vestras, quas antea non audieram, gauisus sum. Erat enim in eis, sicut hoc ipsum quidam ex nostris altiore mentis intuitu
C notauerunt, quod non tantum aures demulcebat auscultantium: sed ora quoque movebat, & mitigabat animos omnium nostrum. Et hoc quid erat, vel quid esse poterat? Illud, inquam, ad quod cantant vel clamāt subsellia in theatro. De fine literularum vestrarum loquor, quas Domno direxistis: quarum cum principium ac medium multa laude plena fuissent: iocundiore tamen artificio, lautiorique maturitate, finem conclusistis. Dixistis enim. Valeat Domnus, sociique eius & coheremitæ, qui cum eo siluas incolunt. Itaque Domnum heremitam esse insinuastis. Socios autem eius coheremitas designastis. Pro arido incolatu heremi, humidas & algidas siluas cum grege magistrum delectare non tacuistis. Et hæc unde tibi, ô venerande senex? unde hæc tibi, ô ministri Christi, ô Angele Dei? nisi quod Angelus senescere, canescere nescit, nec claudicare? Et ô, inquam unde hæc tibi, ut tam alto pectore vel nono forsitan prophetiæ spiritu, præsignares quod necdum scitur, præcantares quod necdum inchoatur, præmon-
D strares quod sine te fieri vel amari, nemini eorum quos heremo donasti, consulitur? Igitur cum ad nos veneris, nec heremum, nec heremitas inveneris. Triceps namque Parnassus noster, non iam biceps, sicut olim locuti sunt Poetæ priores. Hinc Faunos Bicornes, inde Satyros saltantes, circunquaque vero strepitus ferarum, suavésque garritus avium habens, nil tale insinuat. Tantum hic sursum cucullatos Poëtas quære, coloratos nigro monachos mirare: religionis, orationis, lectionis, amatores fratres desidera. Nihil fucatum penes hoc existimes: nihil admixtū vitio formides. Custos etenim virtutum iustitia, nihil fluctuare sinit in monte nostro charitate magistra. Et hoc de illis qui montem mediū incolunt. Qui verò reliqua duo Parnassi capita occupant, in ipsius familia censentur. quæ perpetuo silentio damnat vocis articulatæ primitias: & quæ eosque religiosa manet, quod nunquam nisi vocata vel excita, respondet. Quod si religiosus es, approba similitudinem: si creditus †, solitudinem: si grammaticus & lectionis amator, conuictus conditionem. Hæc, frater charissime, penes nos habentur.

## EPISTOLA XXXIII.

*Venerando & charissimo Patri, Domino Petro S. Ioannis, Frater Gislebertus, salutem.*

POst illas dominorum meorum, quos, si dici liceat, fratres & socios habere merui, nitore præfulgentis eloquij splendidissimas epistolas, reuerentiæ vestræ transmissas: & nos hanc nostram linguæ paupertimæ pauperculam chartulam, solius tantum salutationis vestræ divitem baiulam mittimus. Spero quod satis facile præsumptuosæ rusticitati styli male fabricati, parúmque limati veniam dabitis. Hoc unde magis timeo, tutum esse rogo: ne videlicet ista literarum tarditas, de tarditate seu tepiditate minus in me ferventis dilectionis, quin potius ex supposita causa,
F descendisse credatur. Nostis ipse quod cum sim inter omnes socios meos ætate iunior, scientia inferior, merito impar: magis eos subsequi quam præcedere debeo. Itaque cessi maioribus, honorem dedi senibus, nec ante quicquam scribere præsumpsi: donec omnes scripsisse cognovi. Præterea est & alia causa, quia ut verum fatear, non tam prudenter quam naturaliter mihi semper inhæsit: ut & si non multum velox ad audiendum, sim tamen multum tardus ad loquendum. Ecce, non quia minus diligo, sed propter ista quæ dixi, tardius scribo. Præcedant me socij in loquendo, præcedant in scribendo: nunquam tamen patiar ut præcedant in diligendo. Hæc præmittere necessarium duxi, quo & mora directæ paginæ excusetur: & ea quæ sequuntur, cum maiori benevolentia audiantur. Igitur post illa quæ Patri communi singulariter in epistola vestra mandastis, Patris fi- G
lios, fratres utique vestros & socios salutastis: magnóque illo heremitarum nomine sublimiter honorastis. Agnosco me præfati Patris filium, agnosco me etiam fratris quamvis senioris, & cuius potius videar esse filius, fratrem adolescentulum, unde nec diffiteor socium: & ideo inter salutatos agnosco me utique salutatum. Sed nunquid sic dicere possum, quod & heremitam me fore cognoscam? Reuera, sicut scribitis, sylvas incolimus: & sæpe plus sunt nobis familiaria frondea tecta arborum, quam lapidea seu laterica domorum. Nondum tamen illo modo heremitico facti sumus sicut passer solitarius in tecto. Illum etenim, non tantum circumfusa nemorum opaca densitas, quātum ipsa longe remota mortalium societas, solitarium faciunt. Nos autem quomodo solitarij sumus, qui postquam huius heremi vastam solitudinem intravimus, tantam post nos hominum frequentiam traximus: ut magis urbem quam heremum struxisse videamur? Nam ut illam turbam tumultuosam taceam, quæ de H
tota circumposita regione pro litibus suis, aut fine concordi dirimendis, aut sententia iudiciaria limitandis, catervatim confluit: tantam nobis tum transmarinus Oriens tum transalpinus Occidens legatorum copiam mittit, ut vel cuiusl.bet magni regis amplissima cura vix responsa dare sufficiat. Vnde igitur heremitarum nomen nobis imponitur? An forte dum pes vester rectius ire inciperet, graviorem lingua claudicationem incurrit: ut à vero devians, diceret quod non debuit? Enimvero qui lingua labitur, gravius claudicat, quam qui pede tumido terram timide calcat. Esto tamen, ut & veri simus heremitæ, & veraciter heremitarum nomine nuncupemur. Tu igitur bellator fortissime, miles acerrime, prælíator victoriose, qui tam longo tempore, fraterna ex acie contra rugientis hostis sævitiam fortiter pugnare doctus, tot palmarum insignitis gloria, quot adversus ipsum suscipis bella, cur de castris non egrederis? cur illo spirituali gladio tuo non accingeris? cur tandem nobis solitariis nō adiūgeris, ut contra publicum hostem ineas nobiscum singulare certamen? Ecce te omnes spectamus, omnes

Non est Patri vecabilis

A adventum tuum desideramus: & si veneris, nos iam novos heremitas, te socios habere probabis.

## EPISTOLA XXXIV.

*Serenissimo Patri & Domino, Petrus licet inutilis, devotus tamen servus & filius.*

QVoniam, prout video, sylvæ vestræ non solum, ut dixeram, Heremitas, verum etiam Philosophos & Poëtas, copiose redolent: & ego huiusmodi illud a quamvis non assecutus, sequi tamen aliquando desideravi: iam valde trahor, & si corpore adhuc debili nequeo, animo tamen, & eo, quo utcunque possum, confabulationis genere easdem vobiscum sylvas incolere. B Vnde & aliquid metricum, quod maxime sylvis & montibus, mihique olim familiare fuit, mittere proposueram: sed cum diuinus ille Philosophus dicat, Musica in luctu importuna narratio, nosque pene quotidie charissimorum funera tractemus, cantare destiti, qui inter tam inscrutabilia Dei iudicia, vix audeo loqui. Hac etenim causa præcipuè tamdiu silui, nec dulcibus ac iocundissimis tam vestris quam sociorum venerabilium epistolis, quæ animam meam lætificare non cessant, pro tempore aliquid respondi. Nam pro elegantiæ dignitate, ut de aliorum literatissimis & pulchrè ludibundis literis taceam, soli epistolæ vestræ respondere quis poterit? Verè dulcis & piè iocosa epistola, in qua sic vestram de sylvestri vel heremitico vocabulo iniuriam vindicatis: ut valde sic ne peccasse delectet, qui pro verberibus laudes accipio. C De Hymno autem maximi patris heremi quid dicam, qui hucusque Hymnum non habuerat, convenientémque suis meritis habere dignatus non est: donec ei à sui Ordinis principali magistro, in Cluniacensi heremo factus est? Mihi plane videtur, & si hoc forte non cogitastis: ut fratribus illis, qui corpus eius observant, hymni isti mittantur. Credo enim eos libenter cantaturos, proprij loci tam floride descripta miracula, ne solum super aquas currentem Maurum, assidue cantitando, inepto illo & falso, quo iam pertæsi esse possunt, carmine, ulterius crucientur. De talibus quam dulce mihi sit semper vobiscum loqui, non ignoratis. Hinc est quod & modo, & quotiescunque non adestis, solus sum. Et si multi adsint, & totus orbis obstrepat: sine vobis in veritate solum esse me sentio. Sciatis etiam Cluniacum urbem vestram clarissimam, totam unanimiter imperialem, ac pijssimum vultum vestrum quotidie desiderare: nosque omnes monti & sylvæ illi multum inuidere, quæ cum assidue videamus, illis obstantibus desiderium nostrum videre non possumus. Sed rursus dum causam, qua ibi estis, subtilius attendimus: absentiam vestram etsi moleste, tamen æquanimiter toleramus. D Sanum & incolumem vos in proximo videamus, & in æternum habeamus, Domine Pater sancte. Valeant etiam iterum & vigeant semper vobiscum charissimi socij & comphilosophi vestri, si tamen vel hoc saltem nomine censeri dignentur: qui tantopere heremitarum vocabulum, quo eos venerari studueram, respnerunt, ut non impune tulerim, quod non potius illos Faunos Satyrosque vocaui. Tot enim chartas habeo, totque dictis urbanis, & ab heremitica simplicitate remotissimis obrutus sum: ut magis ab heremitarum crimine purgare se non potuerint, quam quod tot bene paratas pelles inuenire, tantisque unum miserum & claudum senem elogiis lacessere, fortes & iuuenes studuerunt. Valeant omnes qui vobiscum sunt in Domino: post hæc quibus anxiam vitam utcunque releuamus iud era, etiam serio memores inuicem nostri, in orationibus sanctis. Ignoscite pauperi chartæ & vili scripturæ, quon am & propter absentiam vestram, & funerum frequentia, pedisque mei aliquantulam adhuc debilitatem, vix aliquid facere libet. Rogo etiam ut hæc E chartula mea, & alia minor, quæ tanti solatij nobis materiam præbuit, mihi servetur. Nam & ego epistolas vestras diligentissimè amplector & servo.

## EPISTOLA XXXV.

*Venerabili & charissimo Fratri & filio Petro, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, salutem, gratiam, & benedictionem.*

QVocunque meum tendat iter, tu tamen semper mecum. Miraculum hoc. Homo clausus ubique discurrentes comitatur, nec ab eis vel puncto temporis abest. Fit hoc mente, non corpore: affectu, non effectu: charitate, non societate. F Es quidem otiosus, & nos negotiosi: sed tamen otium tuum non omnino otiosum esse volumus. Quicquid de carioribus nobiscum non ferimus, tibi relinquere soliti sumus. Libri, & maxime Augustiniani, ut nosti, apud nos auro pretiosiores sunt. Quos vero viles edidi, forte nec minus chari. Inde ergo otium tuum interpolamus, nec omnino feriatum esse volumus: ut aliquem nobis de Augustinianis laboriosi itineris nostri consolatorem dirigas, & Epistolas nostras, ac vitam Domini Matthæi Episcopi, quia liber contra hæreticos editus deest, velut proprij cordis conceptus & partus.

## EPISTOLA XXXVI.

*Illustri ac magnifico Principi, Domino Ludovico glorioso Regi Francorum, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, feliciter hic regnare, Regemque Regum in regno ac decore suo videre.* G

LIcet regis æterni militiam, quam per te regem terrenum, contra inimicos crucis suæ armare disposuit, ad peregrina euntem comitari non valeam: devotione tamē, oratione, consilio & auxilio, quali quantove potero, prosequi concupisco. Nec mirum. Quis enim, vel ultimus Christiano nomine insignitus, ad tantam tamque stupendam exercitus Domini Sabaoth commotionem non moveatur? Quis ad invandam pro modulo suo, totis animi conatibus, cœlestem expeditionem non accingatur? Renouantur iam nostro tempore antiqua secula, & in diebus novæ gratiæ, vetusti populi miracula reparantur. Processit de Ægypto Moyses, Regesque Amorthæorum cum subiectis populis deleuit. Successit ei Iosue, regésque Chananæorum cum infinitis gentibus Dei iussu prostravit, terrámque illam extinctis impiis, illi tunc Dei populo sorte diuisit. *Num. 21. & deinceps. Iosue 6. & ultra.* H Egrediens ab ultimis occiduæ plagæ finibus, immò ab ipso Solis occasu, Rex Christianus, Orienti minatur, & nefandam Arabum, vel Persarum gentem, sanctam terram rursum sibi subiugare conantem, cruce Christi armatus aggreditur. Magni quidem, & vitæ sanctitate modernos Principes superantes enituerunt illi Principes Iudæorum: non tamen modo quodam potiores, immo fortassis inferiores videntur hoc Rege Christianorum. Delent illi iussu Dei, vi bellica prophanos populos, terrásque eorum vendicant Deo ac sibi. Delebit & iste nutu, iussúque eiusdem Dei hostes veræ fidei Sarracenos, terrásque eorum subiugare laborabit Deo, non sibi. Implent illi præcepta diuina, spéque terrenæ mercedis ex quadam parte militaribus rebus insudant. Exponit iste, & immolat Deo regnum, opes, vitamque ipsam: non ut aliquid terreni rex magnus in mundo lucretur, sed ut post mortalis regni defectum à Rege regum honore & gloria coronetur. Non destituet ergo certa sublimisque

victoria

A victoria regem, magis cœlestibus quam terrenis armis munitum: nec exercitui Dei viventis, quantalibet Orientalis Barbaries resistere prævalebit. Quis enim eis resistere possit, qui honores, qui divitias, qui voluptates, qui ipsam cum parentibus patriam etsi omnino relinquentes, CHRISTUM suum sequi: ipsi laborare, ipsi pugnare, ipsi mori, ipsi vivere elegerunt? Quis, inquam, potest illius exercitui obsistere in terra, qui dixit de seipso. Mat. ult. *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra?* Quam potestatem licet in homine, quem causa hominum suscepit, à Deo acceperit: hanc tamen ab æterno ut verus Deus habuit. Sed quid prodest inimicos Christianæ spei, in exteris aut remotis finibus insequi, ac persequi: si nequam, blasphemi, longeque Sarazenis deteriores Iudæi, non longè à nobis, sed in medio nostri: tam libere, tam audacter, Christum, B cunctáque Christiana sacramenta, impune blasphemaverint, conculcaverint, deturpaverint? Quomodo zelus Dei comedet filios Dei, si sic prorsus intacti evaserint, summi Christi ac Christianorum inimici Iudæi? An excidit a mente regis Christianorum, quod olim dictum est à quodam sancto Rege Iudæorum; Ps. 138. *Nonne, ait, qui oderunt te, Domine, oderam: & super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio oderam illos.* Si detestandi sunt Sarraceni, quia quamvis Christum de Virgine ut nos natum fateantur, multáque de ipso nobiscum sentiant: tamen Deum Deique filium, quod maius est, negant, mortemque ipsius ac resurrectionem, in quibus tota summa fidei nostræ est, diffitentur: quantum execrandi & odio habendi sunt Iudæi, qui nihil prorsus de Christo vel fide Christiana sentientes, ipsum virgineum partum, cunctaque redemptionis humanæ sacramenta abiiciunt, blasphemant, subsannant? Nec C ad hoc ista dico, ut regalem vel Christianum gladium in necem nefandorum illorum exacuam: quia scriptum de eis in Psalmo divino recolo, loquente sic in Ps. 58. Spiritu Dei Propheta. *Deus, inquit, ostendit mihi super inimicos meos, ne occidas eos.* Non vult enim Deus prorsus occidi, non omnino extingui: sed ad maius tormentum & maiorem ignominiam, ut fratricidam Cain, vita morte deteriore servari. Nam cum Cain, post fraterni sanguinis effusionem, Deo diceret: Gen. 4. *Omnis qui invenerit me, occidet me:* dictum est ei. *Non, inquit Deus, ut æstimas morte morieris: sed gemens & profugus eris super terram, quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinem fratris tui de manu tua.* Sic de damnatis damnandisque Iudæis, ab ipso passionis mortisque CHRISTI tempore, iustissima Dei severitas facit, & usque ad ipsius mundi terminum factura est. Qui quoniam CHRISTI sanguinem, utique iuxta carnem fratris sui fuderunt; servi, miseri, timidi, gementes, ac profugi sunt super terram, quousque iuxta Prophetam, D Esa. 10. *misera gentis reliquiæ*, iam vocata gentium plenitudine, convertantur ad Deum: & sic secundum Apostolum, Rom. 9. *Omnis Israel salvus fiat.* Non, inquam, ut occidantur admoneo, sed ut congruente nequitiæ suæ modo puniantur, exhortor. Et quis congruentior ad puniendos illos impios modus, quam ille quo & damnatur iniquitas, & adiuvatur charitas? Quid iustius, quam ut his, quæ fraudulenter lucrati sunt, destituantur: quæ nequiter furati sunt, ut furibus, & quod peius est, hucusque audacibus & impunitis, auferantur? Quod loquor, omnibus notum est. Non enim de simplici agricultura, non de legali militia, non de quolibet honesto & utili officio horrea sua frugibus, cellaria vino, marsupia nummis, archas auro sive argento cumulant: quantum de his, quæ, ut dixi, Christicolis dolosè subtrahunt, de his quæ furtim à furibus empta, vili pretio res charissimas comparant. Si fur nocturnus Christi Ecclesiam fregerit, si sacrilego ausu candelabra, urceos, thuribula, ipsas etiam sacras cruces, vel consecratos calices asportaverit: cum Christianos fugiat, ad Iudæos confugit, & apud eos damnabili securitate securus, non solum latibula fovet, sed E & quæ sacris Ecclesiis furatus fuerit, Satanæ Synagogis vendit. Distrahit vasa corporis ac sanguinis CHRISTI, occisoribus corporis, & effusoribus sanguinis Christi: qui & tunc eum inter mortales conversantem, quantis potuerunt contumeliis & iniuriis affecerunt: & nunc in maiestate divinitatis æternæ sedentem, quantis audent verborum blasphemiis lacessere non desistunt. Nec sacra illa vasa, quæ penes ipsos, sicut olim penes Chaldæos, modo quo prædixi captiva tenentur, licet sint insensibilia, iniuriarum expertia sunt. Sentit plane in his, quæ non sentiunt sibi sacratis vasis, Iudaicas adhuc contumelias Christus: quia, ut sæpe à veracibus viris audivi, eis usibus cœlestia illa vasa ad eiusdem Christi nostrumque dedecus nefandi illi applicant, quos horrendum est cogitare, & detestandum dicere. Insuper, ut tam nefarium furum, F Iudæorúmque commercium tutius esset, lex iam vetusta, sed vere diabolica, ab ipsis Christianis Principibus processit: ut si res Ecclesiastica, vel quod deterius, aliquod sacrum vas, apud Iudæum repertum fuerit: nec rem sacrilego furto possessam reddere, nec nequam furem Iudæus prodere compellatur. Manet multum scelus detestabile in Iudæo: quod horrenda morte suspendij punitur in Christiano. Pinguescit inde & deliciis affluit Iudæus, unde laqueo suspenditur Christianus. Auferatur ergo, vel ex maxima parte imminuatur, Iudaicarum divitiarum malè parta pinguedo, & Christianus exercitus, qui ut Saracenos expugnet, pecuniis vel terris propriis, CHRISTI Domini sui amore non parcit, Iudæorum thesauris tam pessime adquisitis non parcat. Reservetur eis vita, auferatur pecunia: ut per dextras Christianorum, adiutas pecuniis blasphemantium Iudæorum, expugnetur infidelium audacia Saracenorum. Serviant G populis Christianis, etiam ipsis invitis, divitiæ Iudæorum: sicut olim cum Deo placerent Patres eorum, Deo iubente, sunt eis ad serviendum traditæ divitiæ Exod. 11 Ægyptiorum. Hæc tibi, benigne rex, scripsi amore Christi, tuique atque exercitus Christiani: quia & stultum esset, nec offensa, ut arbitror, divina careret, si sacræ expeditioni, cui iuxta congruentem modum impendendæ sunt res Christianorum, multo amplius non servirent pecuniæ prophanorum.

## EPISTOLA XXXVII.

*Glorioso ac magnifico Principi Rotgerio Siciliæ Regi, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, bonorum Regum dignitatem & gloriam.*

H GRatias omnipotenti Regi Regum: qui sublimitatem vestram inter universos Christiani orbis Reges, ac Principes, quadam specialis magnificentia gloriæ insignivit, quadam gloriosi nominis fama singulariter exaltavit: in tantum, ut cum plures regij nominis habeatis consortes, magnanimitate, prudentia, probitate, nullos aut pene nullos habere inveniamini pares. Indicat hoc Sicilia, Calabria, Apulia: ex non modica sui parte, in quibusdam aliis regionibus, subiecta vobis Italia: quæ cum ante vestra tempora, vel receptacula essent Sarracenorum, vel foveæ prædonum, vel speluncæ latronum: nunc gratia misericordis Dei incitante studia vestra, iuvante labores vestros, factæ sunt pacis domicilium, tranquillitatis hospitium, & velut alterius pacifici Salomonis pacificum, ac iocundissimum regnum. Utinam, quod secretorum omnium cognitore Deo teste non adulans dico, utinam, inquam, miserabilis atque infelicis Thusciæ partes felici vestro imperio cum adiacentibus Provinciis adiungerentur, & res perditissimæ pacifico regni vestri corpori unirentur! Vere non tunc sicut nunc, res divinæ atque humanæ nullo servato ordine confunderentur: non urbes, non castra,

(A) non burgi, non villæ, non stratæ publicæ, non ipsæ Deo consecratæ Ecclesiæ, homicidis, sacrilegis, raptoribus, exponerentur. Non pœnitentes, non peregrini, non Clerici, non Monachi, non Abbates, non Presbyteri, non ipsi supremi Ordinis sacerdotes, Episcopi, Archiepiscopi, Primates, vel Patriarchæ, in manus talium traderentur, spoliarentur, distraherentur, & quid dicam? verberarentur, occiderentur. Hæc plane universa, multaque his similia, tam nefanda, tam execranda, iustitiæ regiæ gladio succisa cessarent: ursorum, pardorum, luporum, ungulæ rapaces languerent: & ut de beato ac magno viro Iob dictum (Iob. 5) est, *Omnes bestiæ agri quæ nunc in prædam insaniunt,* (Esa 59. & 10) *pacifica vobis essent.* Sed luit adhuc scelerum pœnas, & gemit misera terra sub flagello divino: quia in his omnibus nondum est aversus furor Dei, sed adhuc manus eius extenta. Spem tamen maximam gero, & in Iesu salutari meo, omniumque suorum confido: quod multorum id desiderantium pauperum desiderium (B) exaudiet Dominus, & præparationem cordis eorum audiet auris eius. Sed ne forte quorundam hominum, & ex semetipsis alios metientium corrupta corda, me in corde & corde loqui, aut venditorem olei suspicentur: reprimendus est sermo, ne si casu ad aliquem talium Epistola vobis missa pervenit, meditentur inania, & suspicentur falsa. Novit enim testis & conscius meus in excelsis, me neque aliter loqui quam sentio, neque ob aliud, ut & notum vobis sit, id me sentire quod sentio, & ut regalis nobilitas vestra magis ac magis animetur ad meliora, agnoscens me ista quæ dixi, multosque mecum sentire. Nam, ut sæpe maiestati vestræ mandavi, & verum est, his de causis ante viginti annos, super omnes Reges & Principes temporis nostri, uno excepto, qui mortuus est, ut pacis amatorem & scelerum vindicem, sinceriter dilexi: (C) & huiusmodi affectum vobis usque ad ultimum diem servare proposui. Hac de causa in conspectu Romanorum Pontificum, Regum, Principum, maiorum sive minorum, hæc atque similia vestra bona semper extuli: & personam vestram, regnumque omnipotenti Deo, religiosisque tam nostris quam aliis Congregationibus, studiosissime commendavi. Sed de his hactenus. Nunc autem notum fieri volo magnitudini vestræ, me venisse Romam, aliquantis hebdomadibus ibi mansisse: finitisque innumeris pene Cluniacensis Ecclesiæ negotiis, ad vos usque transitum facere decrevisse. Sed sicut præteritis annis idem facere frustra conatus sum, sic & modo id in cassum volui: quia multiplici cura iam dictæ Ecclesiæ revocante, non potui. Causa mihi veniendi ad vos duplex erat, ut & personam vestram mihi præ cæteris, ut præfatus sum, regibus charam, sicut millies optaveram viderem, & necessitates vestri Cluniacensis monasterij vobis incognitas regi specialiter, ut credimus, nos amanti notas facerem. Hoc quia, ut dictum est, per me ipsum implere non valui: loco mei probum & sapientem virum, venerabilem fratrem nostrum A. Cluniacensem Sacristam, (D) nobilissimæ liberalitati vestræ transmisi: ut quod dicerem dicat, & si vobis non displicet, etiam quod audirem audiat. Clamat ad vos, & pulsat ad ostium amici, vestra Cluniacensis Ecclesia: ut sicut benignitatem vestram ad se diligendum commovit, ita munificentiam vestram ad sibi benefaciendum commoveat. Vrget hoc ipsa necessitas, & infinitæ illius magni ac famosi Monasterij, ut notum est cunctis, expensæ: quod à primo fundationis suæ lapide, ab omnibus solet colligere, quod possit universis effundere. Factum est à sui principio, non solum externorum hospitium, non tantum confugientium asylum: sed, ut sic loquar, publicum reipublicæ Christianæ ærarium. Agit parcius in proprios, profusius in alienos, nec attendit quid possit, sed quid superveniens velit. Ea de causa, nec sua ei, nec aliena sufficiunt: quia longe maior est quantitas erogatorum, quam liberalitas largitorum. Additur necessitati, (E) quod soliti beneficiorum proventus, deficientibus bonis Regibus & Principibus, defecerunt: quoniam modernis adiacentium terrarum potentibus, etsi benefaciendi nobis assit voluntas, deest facultas. Inde est quod Cluniacus debitores multos, benefactores habet paucos. Amat, &, ut credimus, multum amat Theutonicus rex: amat Hispanus, amat Anglicus, amat & alius nobis propinquior, Rex Francorum Cluniacum: & cum horum & similium erga nos sit amor magnus, est pene amoris effectus nullus. Pares sunt prædecesso- (1. Ioan. 3) ribus suis in amando, sed dispares in largiendo. Diligunt, iuxta Ioannem Apostolum, quod non detrahens dico, verbo, vel lingua: non opere, vel veritate. Et quid multa? Vt verbis Psalmistæ Deo loquentis vobiscum loquens utar: *tibi derelictus est pauper, pupillo tu eris adiutor.* (Ps. 9.) Dereliquerunt enim vobis, & velut priscis adiutoribus destitutam, dimiserunt iam dicti reges vobis Cluniacensem Ecclesiam: ut quia ipsi nobis largi esse volunt, sed, ut dicunt, non possunt, vos quia per gratiam summi Regis potestis, oramus ut etiam & (F) velitis. Thesaurizate ergo vobis, secundum verba Domini, thesauros in cœlo: ubi neque ærugo, neque (Mat. 6.) tinea demolitur, & ubi fures non effodiunt nec furantur. Implete, si placet, effectu aliorum nudum affectum, ut sicut pene omnes nostri seculi Reges & Principes, multis, ut supra dictum est, probitatibus vincitis: sic & in isto tam divino, tam fructuoso opere superetis. Si quid minus dictum est, à iam dicto præsentium latore, viro prudente, quærere & audire poteritis.

## EPIST. XXXVIII.

*Venerando & charissimis nostris, Domno Priori Carthusiæ, & fratribus cæteris, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, eandem quam sibi salutem.*

(G) AGnosco quid vobis debeam, agnosco quod præ cunctis mortalibus religioni deditis, nec Ecclesiæ nostræ voto professionis astrictis, vos semper in Domino carius dilexi, colui, veneratus sum. Feci hoc usque facio adhuc: faciam quamdiu fuerit spiritus in naribus meis. Causa huius mei erga vos amoris, Christus est: quem quia in ipso personaliter non possum, in vasis eius, hoc est in vobis, in quibus habitat, ipsum diligo, amplector, honoro. Scripsit mihi reverenda charitas vestra, ut quosdam Ambrosianos libros vobis mitterem. Dulce fuit quod mandastis, homini expectanti sæpe à vobis litteris vel nuntiis visitari. Concupiscit quidem hoc semper, sed raro quod desiderat assequitur: facio quod scripsistis, mitto quod mandastis. Sed quibus? Literæ quas misistis, libros tantum sonabant: sed quibus mitterentur tacebant. Non sic, ut aliquid querelæ familiaris apud familiares deponam, non sic piæ sanctæque memoriæ Domnus Guigo Prior scribebat: sed epistolari more salutatione præmissa, affectum benigni cordis congruenter verbis subsequentibus indicabat. Sed fortassis verbosi apud nos esse timuistis: vel ne ipsi verbosi essemus, brevi- (H) tate tanta monuistis. Cogitastis forte, etsi non dixistis, quod sanctus Iob amicis suis, *Verbosi amici mei,* (Iob. 16.) *ad Deum stillat oculus meus.* Sed ut aliquid vel figurate vel in veritate loquar, ad utrumque respondeo: quia quantum ad animi mei affectum attinet, si semper loqueremini, taciturni esse videremini: si semper vobis loquerer, mutus mihi viderer. Mittite per præsentium latorem, vel quemlibet alium, fidum tamen, vadimonia librorum quos misi, non quod inde maior conservandi eos securitas detur: sed ut iussio sancti Patris nostri Hugonis de talibus facta servetur. Valete: memores nostri semper in Domino.

[A]

## EPISTOLA XXXIX.

*Venerabilibus & dilectissimis Dominis & fratribus apud Cluniacum omnipotenti Domino servientibus, Frater Petrus humilis eorum non tam Abbas, quàm servus, totius salutis & benedictionis à Domino plenitudinem.*

AVdivi, charissimi, & hoc antequam nuper à vobis recederem, ex parte videram: quod manus Domini tetigit vos, quod flagellum inundans per vos transitum habuit, quod plurima & preciosa corporis nostri membra, peccatis nostris hoc promerentibus, iudicij divini gladius amputavit. Concidunt velut ex [B] magna arbore, vehementi vènto impulsi, maturi pariter & immaturi fructus: iamque pene totam subiectam terram lapsu continuo operuerunt. Ruunt super mortuos vivi, & supra sepultum sepultor ipse procumbit. Nulla in qualibet ætate vitæ fiducia, mixti senibus iuvenes, decrepitis adolescentes, corruunt, ipsique pene pueri centenarios moriendo præveniunt. [Mat. 24. 1 Thes. 5. 2 Pet. 3.] Dies Domini verè, sicut ipse ait, ut fur in nocte veniens, sollicitos quosque & improvidos simul furatur, vixque moriens se mori advertit: quia prius à morte quisque rapitur, quam plene ad seipsum morientis animus convertatur. Minuitur quotidie magnus ille ac celebris, vereque cœlestis ovium Christi numerus: & ut dignum est credere, summo Pastori suo in pascuis sempiternè vernantibus aggregatur. Patimur nos, qui vivimus, & licet ignoremus quamdiu, adhuc tamen residui sumus· patimur in quam dolenda, totisque lachrymarum fontibus deflenda damna: quod tantorum, tam utilium, tam sanctorum fratrum, apud nos diversisque in locis decedentium, corporali ad præsens [C] societate, ac consueto adiutorio caremus. Dolendum quidem omnibus de his est, sed super omnia mihi. Quomodo enim non plus omnibus doleam, ad quem magis ex officio, ad quem magis ex debito pertinet ut doleam? Nam ut de officio loquar, quis Pater tam ferreus, quis tam lapideus unquam esse potuit: ut morientes non dico tot, non dico tam electos, sed saltem unum & abiectum filium mori sine acri dolore multisque lachrymis videat? Et ut quod est ex debito subiungam, quis unquam pater adeo filiis debitor esse potuit, ut ego vobis? Quis enim unquam pater in filiis carnalibus tantam obedientiam, quis tam sincerum amorem, quis tanta tamque prompta erga se obsequia reperit, ut ego in vobis? Quis unquam ipsa frequenter docente experientia, tam dulcia de quolibet charissimo sentire potuit, ut ego de vobis? Si Alpes Italicas, vel Hispanas transivi, mecum affectu ac mente transistis. Si Romam (quod sæpe contigit) adivi, indivisibiles mihi socij adhæsistis. Si maria transfretavi, mecum animo, mecum devotione, mecum orationibus navigastis. Si infirmari vel [D] leviter cœpi, mecum compassione & multo dolore animi ægrotastis. Sine vobis laborare nunquam potui, sine vobis pericula nulla subire prævalui. Quomodo ergo absque maximo & intimo cordis dolore tam frequenti & pene subita morte rapi de latere meo tot tamque charissimos cernere potero? Qualiter viscera mea abrumpi ab intimis meis: absque gemitu videbo? Quomodo tanta non auri vel argenti, sed quod longe omni thesauro carius ac preciosius est, tantorum fratrum dispendia æquo animo tolerare valebo? Renovata sunt priora secula: & ea iam non legimus, sed experimur. Videtur Angelus Domini extendisse manum super nostram Hierusalem, sed in omnipotentis Dei misericordia confido, non ut disperdat, sed ut corrigat eam. Vtinam in hoc casu, immo æterna Dei dispositione, utinam, inquam, essem David ut vel in aliquo tantæ cladi occurrere possem: ut ira Do- [E] mini in misericordiam conversa, diceretur percutienti Angelo, *Sufficit, iam contine manum tuam*! [2. Re. 24.] Hoc tamen absque nota mendacij cum David dicere possum. Ego sum qui peccavi, ego qui inique egi. Fortassis & illud. Isti qui oves sunt, quid fecerunt? Avertatur, obsecro, furor tuus à populo tuo. Sed quid facio? Qui consolari vos proposueram, desolari videor. Qui minuere dolorem vestrum debueram, talibus verbis fortassis exaggero. Non est planè in his lamentationibus diutius immorandum: ne dolori vestro dolorem, ne lachrymis lachrymas superaddere arguar. Prohibet hoc orbi terrarum nota vox Apostolica, quæ pro simili charorum morte contristatos admonet. *Non contristemini, sicut & cæteri qui spem non habent.* [1. Thes. 4. Eccl. 38.] Et quamvis, ut liber Sapientiæ præcipit, *Super mortuo producenda sint lachrymæ*, sunt tamen, ne congruum excedat, ratione media temperandæ. Inhibeo quidem ego [F] vos à lachrymis, quas tamen dum hæc scriberem inhibere non potui. Temperemus tamen metas proprias excedentem dolorem, & hinc animo virili infortunia tanta ferantur: hinc in abscondito, coram Deo tam pro nobis quam pro ipsis fratribus nostris, animas nostras precibus & lachrymis effundamus. Ploremus pro defunctorum requie: ploremus & pro nostra, qui quandoque & fortassis etiam in proximo, eos subsecuturi sumus, salute. Non potest quisquam nostrum dicere. Quid est anima mea, in tam magna creatura? Non curat Altissimus de nobis: nec quando vivimus, nec quando morimur attendit. Huic detestandæ opinioni, non per involucra, sed apertè obviat Apostolus, & dicit. *Sive vivimus, Domino vivimus: sive morimur: Domino morimur. Sive enim vivimus, sive morimur: Domini sumus.* [Rom. 14.] Et in alio loco: *In hoc enim Christus mortuus est, & resurrexit: ut & vivorum, & mortuorum dominetur*: [Ibid.] Et ipse Dominus. *Deus non est mortuorum, sed vivorum. Omnes enim vivunt ei.* [Luc. 18.] Nihil sane ut novit reverentia vestra, in rebus humanis [G] casu fit: nullas mortes vel vitas hominum fortuna confundit. Librantur omnia iusto pondere, & licet abyssus iudiciorum Dei nobis occulta sit: non dubitamus tamen, quin per omnia iusta sit. [Luc. 12.] Nullus passerum in terram sine patre cœlesti cadit: & aliquis servorum Dei, absque eodem patre cœlesti vitam mortalem finit? [Matt. 10.] Capilli capitis nostri omnes numerati sunt: & hi quorum sunt ipsi capilli, apud æternam sapientiam sine numero sunt? [Iob. 21.] Gressus nostros ipsa dinumerat: & vitam mortemque nostram eadem non dispensat? Cum hæc ut dicta sunt apud vos constent, charissimi: non est afficiendus ultra modum dolore animus vester, sed ad Deum tota mens, tota intentio, tota devotio attollenda. Est quidem ipse mortificans & vivificans: deducens ad inferos & reducens. Sed absit, ut suspicemini, quod qui per se ipsum homo factus, morte sua mortuos vivificare venit: vos ad ipsum, qui vera est vita, per pœnitentiæ fructum conversos mortificare disponat. Non hoc ea de causa ut fides mea [H] est, facit: sed ut & viventes, defunctorum fratrum mortibus terrens, ad pœnitentiam vehementius accendat: & mortuos, ut splendida horti sui lilia, colligat. Lilia plane candentia castitate, odorifera virtutum exemplis & suavitate. [Can. 2.] Non vult vos per huiusmodi mortes à se amputare, sed more studiosi agricolæ vineam colentis putare: quia ut in Canticis legitur, *tempus putationis advenit.* Advenit tempus, quo servo dicenti, *Domine factum est ut imperasti, & adhuc locus est*: respondeat. [Luc. 14.] *Exi in vias & sepes, & compelle intrare: ut impleatur domus mea.* O quot nolentes, ut domus eius impleretur intrare compulsi sunt! Quis enim unquam mori voluit; Nec ipse Petrus, cui dictum est, *Cum senueris extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quò non vis.* Si nolebat mori resistente quadam humana formidine Petrus: quid mirum si eodem timore non vult mori Petri discipulus; Si nolebat mori Paulus qui dicebat, *nolumus spoliari, sed supervestiri, ut absorbeatur quod mortale est à vita* [2. Cor. 5.]

A quid mirum si natura & consuetudine tracti formidatis excedere de præsenti vita; Contradicente tamen carnali affectu, & Petrus libenter pro Domino suo mortem crucis amplexus est: & Paulus qui dixerat, *Mihi vivere Christus est, & mori lucrum*, gladio sibi caput desecari iocundissime passus est. Vnde iuxta quidam volentes, compulsi sunt Petrus & Paulus mori: compelluntur ad idem ab eodem patrefamilias nostri, ut impleatur domus Dei. Suscipienda est ergo cum iocunditate benigna patris vocatio: quia etsi dura videtur via mortis qua transitur, iocundissima est vita, & perpetua quò pervenitur. Et ô tu Iesu Christe creator omnium, & redemptor tuorum, qui dixisti, *Qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, vivet*: & rursum, *non venit ut iudicem mundum, sed ut salvum faciam mundum*, & iterum, *Oves meæ vocem meam audiunt, & ego Dominus agnosco eas, & sequuntur me: & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, neque rapiet eas quisquam de manu mea.*

Phil. 1.

Ioan 11.

Ioan 3.

Ioan 10.

B Tu, inquam, ô Iesu Christe auctor vitæ nostræ transitoriæ & æternæ, has oves de grege tuo in te credentes, mortuas vel morituras, in æternum vivere fac. Suscipe eas, benignissime Pastor, nec à lupis eas devorari permittas: neque tradas bestiis animas confitentes tibi. Adesto & tu beatissima virgo Mater eiusdem Salvatoris & Redemptoris nostri: & præ omnibus post ipsum in te specialius confidentes ab expectatione sua nullatenus confundi permittas. Sed & vos summi Apostoli Dei orbis terræ præcipui Principes, omnium quidem Christianorum universales, sed nostri speciales Patres: quibus pene continua semper obsequia impenderunt, quibus specialiter à Deo commissi sunt, nónne deficientibus succurretis? Nonne morientibus aderitis? Nónne ab incursu nequam hostium defendetis? Recordamini Principatus vestri: nec de numero commissorum vobis, aliquem à Principe tenebrarum rapi patiamini. Sentiant quia iam tempus est, quod semper de vobis speraverunt: & cum claves regni cælorum in manibus vestris sint, humili & devoto corde cum eis supplicamus: ut admissis altis, istos

C nullo modo ab eodem regno excludi sinatis. Accendite igitur, charissimi, quibus hanc Epistolam scribo, igne divino, ut Aaron vel filij Levi mentium vestrarum thuribula, & orationum sanctarum velut aromatum fumum in cœlum emittite: & stantes inter mortuos & viventes, misericordem omnipotentis Domini maiestatem, ipsi corde contrito & humiliato ei facti sacrificium, toto animorum nisu placate. Redussem ipse ad vos, & quod scribo ore proprio dicere maluissem: & ut sanctus vir ait, Consolarer vos sermonibus, & moverem caput meum super vos, nisi cæptum iter versus Dominum Papam, ad quem certis de causis valde festino, impediret. Si Deo propitio sospes inde rediero: non præteribo donec videam quos diligit anima mea. Interim quod præsens non possum, absens facio: & pro officio ex parte omnipotentis Dei, auctoris & conditoris omnium, & beatissimæ Mariæ semper Virginis, genetricis Dei, &

Iob. 16.

D Domini nostri Iesu Christi, & summorum Apostolorum Petri & Pauli, omniumque Apostolorum, & sancti Benedicti Patris & magistri nostri, & omnium Sanctorum: quantum possumus, quantum novimus, corde & ore absolvimus universitatem vestram, sanctumque Collegium vestrum Cluniaci vel extra manentium, ab omnibus omnino peccatis: confisi in abundantia gratiæ illius, qui in Discipulis, suis etiam nobis dixit. *Quæ ligaveritis in terris, erunt ligata & in cælis: & quæ solveritis in terra, erunt soluta & in cælis.* Valete viscera mea, & cum apud Deum memores fueritis vestri: rogo ut non obliviscamini si placet & nostri.

Matt. 18.

E

## EPISTOLA XL.

*Venerabili & charissimo fratri & amico nostro, Domino Theobaldo Dei gratia Parisiorum Episcopo, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, salutem & sincerum in Domino dilectionis affectum.*

Placuit, charissime mi, reverentiæ vestræ, super multa & magna in mortibus fratrum nostrorum desolatione nostra, nos consolari: & ut ait Iob, Compatiendo movere caput vestrum super nos. Rescripsissem tunc quando allatæ sunt mihi literæ, idem quod nunc: & amicabili consolationi quas possem gratias egissem. Iob. 16.

F Sed hoc quia tunc non licuit, non feci: & quia etiam nunc vix licet, vix facio. Prout licet tamen sollicitè de nobis dignationi vestræ gratias ago: quia non cura multiplex, non fastus honoris, non pontificalis apex, vos à Cluniacensi corpore alienavit: quem iuxta Apostolum servantem unitatem Spiritus in vinculo pacis, cerno gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus. Eph. 4. Rom. 12.

Et iuste. Commune enim damnum communem luctum exigit, ut charorum mortes, quas antiqui multis mensibus, nos saltem paucis defleamus diebus. Flebant illi mortuos suos, nec à fletu multo tempore elapso revocari poterant: homines fideles erga vivos amicos, pij erga defunctos. Faciebant hoc aliquando pij erga pios, afficiebantur hoc amoris intuitu, etiam quandoque impij erga impios: & licet diverso respectu, eodem tamen universi erga mortuos suos detinebantur affectu. Qui ergo pios & impios in exemplum deplorationis habemus, nonne inhumanum vel bestiale est, si tot, si tantos, si tam utiles, si tam necessarios mortuos nostros non deploremus? Faciendum est hoc quidem coram hominibus, sed temperanter: faciendum coram

G Deo, sed perseveranter. Convertendus est infructuosus dolor ad fructuosas lachrymas: ut quæ iam charorum corpora nobis non possunt reddere, animas Deo quantum poterunt studeant commendare. Facimus hoc nos aliquando, faciunt hoc nostri sæpius: facite idem & vos si placet, cuius illi mortui veraces amici erant, quem sinceriter diligebant, quem toto affectu colebant. Facite hoc non solum ut Monachus, sed quod multo maius est, ut Episcopus, id est, ut non solum eos propriis precibus adiuvetis: sed insuper subditorum vestrorum orationibus eos Omnipotenti misericordiæ commendetis. De reliquo quid mihi dicendum restat, nisi quod Iob amissa substantia, filiis & filiabus, dixit, *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum?*

## EPISTOLA XLI.

H *Venerandis & charissimis fratri & filiis nostris, Domino Odoni Priori, & cæteris apud S. Martinum de Campis omnipotenti Domino servientibus, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, salutem, & ab auctore bonorum omnium totius gratiæ & benedictionis plenitudinem.*

Quid dicam, quid loquar? Putabam in asperis casibus, & maximè in morte charissimi fratris & filij nostri Hugonis, me vos prævenire posse scribendo, posse prævenire conquerendo posse prævenire lacrymando. Sed ut video, & scriptis me prævenistis, & querelis præoccupastis: sed lacrymis tamen non anticipastis. Deflestis funus eius post mortem eius, sed ego adhuc viventis, quia moriturum non dubitabam, deflevi ante ipsius obitum mortem eius. Vicistis me scribendo,

sed

A sed non vicissim lamentando. Lacrymatus sum ego prior, quia prius deficientem vidi: sed prior scribere non potui, quia ab assiduis negotiis, hoc est importunis vitæ meæ tortoribus, permissus non fui. Scribo nunc tandem aliquando permissus: & communis fratris, filij, & amici defectum vobiscum pariter, licet absens, deploro. Habeo materiam deplorationis, quantam vix camelus scriptam, sublimibus & fortibus humeris portare posset: habetis vos tantam, quantam & ipsi nostis, & ego ex parte forsitan non ignoro. Vt enim primo de propriis loquar, quis iam a viginti & eo amplius annis, de universis, qui sub cœlo sunt, hominibus: tam fideliter, tam constanter, tam perseveranter, onera mea à me sibi imposita, & devote causa Dei & mei suscepta, tulit, toleravit, quantascumque habere potuit vires, ea tolerando, & mihi collaborando, consumpsit? Et ut quæ sunt vestra subiungam, quis il-

B lo amplius vel adeo rempublicam vestram dilexit: quis ita coluit, quis tam me quam omnes nostros ad eam diligendam, protegendam, confovendam, ac defendendam animavit? Hæc omnia breviter dicta, quæ si diffusius dicerentur, alio tempore & otio indigenter admonent nos, hortantur nos: ut tam dilecti, tam chari, tam amici, fratris, filij & amici, etiam post mortem non obliviscamur: sed si veri amici fuimus, vel sumus, magis nunc mortuo quam si viveret ostendamus. Deploremus pia compassione funus eius, prosequamur magis occultis lachrymis & precibus animam eius: ut cui iam affectum nostrum ostendere non possumus, concridendo vel collætando ostendamus, orando, sacrificando, ac pie pro anima eius coram Deo collacrymando. Fiat hoc apud vos specialiter pro ipso, fiat & pro Priore nostro: fiat si placet & pro multis sanctis, religiosis & magni coram Deo hominibus nuper apud nos defunctis: quorum memoria sicut bene novi in benedictione est, quorum recordatio coram Deo non delebitur, sed in memoria æterna erunt, & ab auditio-

C ne mala per Dei gratiam non timebunt. Vnde cessent iam lacrymæ inanes, & inconsiderato dolore extortæ coram hominibus: & succedant gemitus pro salute istorum effusi coram Deo, cum precibus. Valeat sanctum collegium vestrum Deo acceptum, nobis iocundum: & Deo propitio de bono semper in melius provehendum.

## EPISTOLA XLII.

*Venerabili & charissimo meo, Domno de Rupibus, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, salutem, quæ est in Christo Iesu.*

Licet serus rei sequentis scriptor videar, meque ipsum ipse tarditatis accusem: excusat me tamen ex plurima parte, multiplicium causarum, quæ quandoque ut fluctus maris acriter in nos irruunt, inundatio: quibus hoc Paschali tempore plus solito pressus, plus solito sum fatigatus. Nunc tandem aliquantum à curis re-

D spirans, dico quæ tacenda non sunt, scribo quæ charitati vestræ notificanda sunt. Quam opportunitatem si prius invenissem, nullum me in hac ad vos relatione priorem existere, nullum me præcedere permisissem. Bonus iuvenis, dignus amore, dignus memoria, frater noster, filius noster Ioannes: quem mihi benigna dilectio vestra commiserat, quemque diu ut optaveram servare non licuit: nuper, hoc est Idus Maij, rebus humanis exemptus, vitam præsentem, ut confido in Domino, meliore mutavit. Novi quia doletis, novi quia hoc ægrè fertis. Nec mirum. Optastis enim ei ea de causa vitam prolixiorem, ut eam sibi multisque gauderetis post modum utiliorem. Sed si doletis, si ægre fertis: consolamini, quia in his solus non estis. Non estis plane solus in his, quia ut quod verum est amico fatear, vix aliquem à multo

E iam tempore inter fratres nostros recolo conversatum, cuius conversatio, Ioannis conversatione & moribus magis chara, cuius mors magis omnibus fuerit amara. Testatur hoc dolor omnium, testantur & lachrymæ pene universorum: quas eo languente fuderunt, & quas eo moriente multomagis profuderunt. Vix credere potuissem, nisi oculis conspexissem, quod tantum sui affectum nostrorum cordibus imprimere potuisset multorum successu annorum, quem impressit & meruit spatio paucorum dierum. Sperabant de illo ut de bona arbore fructus optimos opportuno tempore carpere, quorum optimam spem floribus benignæ conversationis, & dulcium morum præ cunctis fere claustri nostri iuvenibus prætendebat. Sed, proh dolor! aruit fœnum, & cecidit flos, quia spiritus Domini sufflavit in illo. Raptus est, ut æstimo, ne forte processu temporis, à bono quod cœperat, malitia mutaret intellectum illius: aut ne fictio, quæ quandoque etiam profunde religiosos depravat, deciperet animam illius. Non est oblitus iuvenis noster pro carnis incommodo salutis suæ: nec molestia corporis eum ab animæ suæ cura avertere potuit. Nam statim ut sensit gravari se ultra quam sperabat morbo concepto: totum cor, totam operam, ad ea quæ post mortem sequuntur convertit. Et licet nondum desperaret de vita, adhuc integro sensu vigente, & ratione animi in nullo diminuta: antiquis & probatis in religione senibus nostris cuncta, ut post ipse mihi retulit, quæ de præterita vita sua occurrere potuerant, meracissimè confessus est. Nec his contentus, cum ei illa sufficere potuissent, mittit ad me nuncios, orat ut venirem: precatur ut eum pro officio absolverem. Eram & ego tunc temporis æger, nec ægros pro more nostro facile visitare valebam. Coegit tandem me ipsum, & licet non adeo, æger tamen ad ægrum accessi. Vrgebatur ille graviore solito morbi molestia, sensu tamen integer perdurabat. Quid multa? Velut ab initio cun-

G cta denuo replicat, nec ipsa quotidiana & puerilia intermittit. Flebat ita de levibus ac si de gravissimis peccatis, & quantum poterat sincerissima ac luctuosa confessione, animam corpusque suum benigno Salvatori affectuosissimè commendabat. Quodque nullo modo tacendum est, cum in confessione illa gloriosæ matris Domini occurrisset casu aliquo memoria: iam singultus singultibus, fletus fletibus iungebantur, & confessionis continuatio ad illius nomen, cuius se maxime auxilio saluari sperabat, lachrymosæ devotionis augmento interrumpebatur. Item cum morbi importunitas eum confitentem aliquando vehementius aggravaret, Sancte Spiritus, inquit, auxiliare mihi, & si quid de confessione oblitus sum, mihi ad memoriam revoca. Hoc non semel, nec bis tantum, immo sæpe dicens, docebat me quanta cura quis deberet confiteri maiora: cum ipse tanto studio confiteretur etiam minora. Deinde à me absolutus, pœnitentia indicta, confessione fidei, & Dominica oratione me iubente præmissa, biduo supervixit. Quo toto biduo, omni corporis cura abiecta, ad divinam tantum clementiam invocandam totum animum, &

H quicquid virium habere poterat contulit: atque in hac mentis intentione, diem vitæ ultimum clausit. Moneo igitur vos ut charissimum fratrem nostrum, & ut intimum amicum ut amicus exhortor: ne communem defectum humanæ naturæ vobis tantum velut peregrinum ac solitarium ascribatis, & cum vos ipsum quandoque mori necesse sit, pro fratris bono, & vere Christiano transitu, vos sicut & cæteri, iuxta Apostolum, qui spem non habent, plus nimio affligatis. Non decet religiosum, ut ea illi displiceant, quæ Deo placent: quia is sine cuius nutu nullus passerum cadit in terram, non potuit falli, ut absque eius iussione vel permissu, frater Ioannes mortuus caderet in terram, & per sepulturæ officium occultaretur in terra. Ad hoc autem totum studium vestrum, & amorem erga defunctum convertite, ut sicut nos nostrique fere

quantum

Marginal notes: Esa. 40. — Sap. 4.

A quantum possumus translatum ad æterna cum auxiliis spiritualibus quibus possumus iuvamus: ita & vos, immo plusquam nos, quia plus potestis, quantum poteritis adiuvetis. Optaveram eum mihi à vobis bonum commendatum, meliorem remittere: sed ut credo, melius & mihi, & vobis, ipsique contigit: quia quem vobis restituere non potuit, Deo, à quo eum maxime susceperam, reconsignavi.

## EPISTOLA XLIII.

*Honorabili & magno Sacerdoti Dei, nobisque valde charissimo, Domino Gaufredo sanctæ Carnotensis Ecclesiæ famoso Episcopo, Frater*
B *Petrus humilis Cluniacensium Abbas, salutem, & totius in Domino Amoris affectum.*

VT Antequam gratias agam, quærelas præmittam, amicabiliter conqueror: quod tantus, tam charus, tam antiquus amicus, ut non visum, ut ignotum, ut non probatum amicum me deseruistis, sprevistis, abiecistis. Hoc non paucis diebus, sed multis iam annis fecisse videmini. Nam à Concilio Pisano, tempore Papæ Innocentij celebrato, cui & vos interfuistis, & ego non defui: nec vestros apices legi, nec nuncios vidi, nec aliquid eorum quæ à partibus amici amicus sperare solet, accepi. Vidi quidem literas, audivi & quosdam nuntios: sed qui negotia communia afferrent, non qui aliquid de vero amici affectu referrent. Idcirco nihil me ex parte vestra vidisse dico, nihil me audisse profiteor. Nonne ergo merito queror? Nonne iuste irascor? Dilexit vos, & adhuc diligit anima mea. Et quare? Quia semper in vobis Deum reveritus sum, quia cum semper in vobis colui,
C quia pro inhabitante habitaculum adamavi. Cùm enim omnibus pene Latinis Episcopis, aliqua necessitudine, aliqua de causa plus minusve astrictus tenear: vobis tamen, licet forte hoc ignoretis, singularem iam ab antiquo inter plura cordis mei receptacula mansionem paravi, & adhuc conservo. Hoc ideo, ut dixi, quia Deum in vobis veneror? quia verum atque sincerum vos semper divinarum rerum cultorem expertus sum. Quando enim labores vestros, quando cursus, quando recursus, pro Ecclesia Dei, sponsa CHRISTI enumerare potero? Quando religionis amorem, & eius exquisitum ubique augmentum enarrare valebo? Quando & ipsas sacrorum locorum frequentes visitationes describere prævalebo? Sed hæc, mi charissime, supprimenda sunt: nec in istis maxime plus iusto stylum effluere decet. Credo enim, & etiam novi: non præstolari vos de piis operibus vestris mortalium favorem, sed æternam mercedem. Hæc tamen ea de causa breviter tetigi, ut sciretis, & recordaremini, quia & vos diligo, & qua de causa, & dilexi, & diligo. Iam ad gratias religiosæ reverentiæ vestræ
D agendas non sufficio, quia eas merita nostra superasse cognosco. Quid enim dignum referre possim his, quæ per Priorem de Nogento cognovi? Qui mihi scripsit, quantum amoris affectum erga Cluniacensem Ecclesiam seque specialiter ac suos agnoverit, quantumque hoc non affectu tantum, sed & effectu probaverit? Dixit enim Ecclesiam Castridoni, quam Cluniacus olim possedisse dicebatur, à Canonicis eiusdem Ecclesiæ, ab Advocato Ecclesiæ Vicecomite, ab omnibus tandem qui aliquid iuris in ea se habere dicebant, tam precibus quam vi iustitiæ extorsisse, & vestræ Cluniacensi Ecclesiæ, cuius iuris fuerat, reddidisse. Super his quidem gratias ago, sed longe maiores, quia in hoc opere quanto affectum vestram, quod iterum dico Cluniacensem Ecclesiam diligatis, agnosco. Agnovissetis olim, & agnosceretis adhuc, si experiri placeret: si ut dixi, vos diligo, si dilectionem hanc vere

E in corde conservo. Et quid his plura dicerem? Verbosus forsitan videri deberem, si non tam diuturno tempore tacuissem. Sed ad tam longi temporis silentium, quod potest videri verbum prolixum? Ergo bone, longæve, & probate senex, & Pontifex Dei, memento (quod tamen semper tibi cordi inesse credo) quod nec tua, nec mea diuturna esse potest ulterius in hac vita misera mora. Es quidem tu senior, sed nec ego iam iuvenis. Quid ergo nobis restat, nisi ut ad summum Pontificem, & Episcopum animarum nostrarum Iesum totus sermo noster recurrat, totus animus suspiret, totus homo noster interior, & exterior anhelet? Iam pene, iuxta verba ipsius, fur nocturnus perfodere domum nostri corporis properat. Iam Dominus domus venire festinat, iam clamor media nocte factus iacentes in lectis excitat, & dicit. *Ecce sponsus venit, exite obviam ei.* Quid ergo ultra iam pro-
F derit episcopari? Quid, ut sic loquar, abbatiari? Quid sub prætextu rerum cœlestium terrena diligere? Quid sub umbra æternorum peritura; immo pereuntis amare? Sed insipiens factus sum. Videor, ut dicitur, Mineruam docere, videor ligna ad silvam convehere, videor flumen maximum lagena aquæ infundere. Sed vere non hoc docens dico, sed hac licet parua occasione suscepta, miseriam meam defleo: & quia quo post mortem (quæ forte non longe abest) rapiendus sim ignoro, tremisco. Valete in Iesu salutari nostro, Domine Episcope, & amice charissime: & quia per gratiam Dei vos vobis credo sufficere: mei, qui in nullo mihi sufficio, apud Dominum mementote. Si quid boni spiritualis vel corporalis in Ecclesia nostra est, vestrum est.

# SANCTI PETRI
G # MAVRICII
# DICTI VENERABILIS
## ABBATIS CLVNIAC. IX.
## Epistolarum.

### LIBER QVINTVS.

### EPISTOLA I.

*Dilecto ac venerabili fratri Petro Abbati S. Augustini Lemovicensis suburbij, Frater Petrus Cluniacensium humilis Abbas, salutem, & sinceri amoris plenitudinem.*

VIDI literas vestras, & in eis magnum erga nos
H affectum animi vestri conspexi. Adverti quod facile fuit, falsum in parte esse vulgare proverbium, quod dicitur, honoribus mores mutari. Neque enim honor assumptus ab amore nostro semel olim concepto vos in aliquo permutavit: nec in aliud, & aliud, quam quod ante fuerat, dirivavit. Non estis secutus quosdam nostri temporis homines qui de congregatione nostra, aut in Abbatias assumpti, aut Episcopatibus decorati, ut corpore, sic & mente à nobis diffugiunt: ab amore suorum statim resiliunt, & velut abiecto gravi, quantum ad ipsos Monastici Ordinis iugo, exultant. Ostendunt quo animo, dum humiles viderentur, Deo servierint: qui data occasione Ecclesiastici regiminis, totos se quantum audent Deo subtrahunt, mundo dedicant, & non sicut servi Dei, sed quasi velamen habentes malitiæ libertatem,

tem, effrænes, & præcipites, velut iam adepti quod diu optaverant, ubique discurrunt. Suos postponunt, alienos sectantur, nec iam vel quo primum venerint, vel ubi manserint, vel unde exierint, recordantur. Non sic tu ut audio, charissime, non sic plane tu facis, qui nostra tuis negotia semper anteponis: qui pro causis Cluniacensibus terminandis huc illucque discurris, & ad nutum nostrum vel nostrorum, reipublicæ nostræ impugnatoribus te ubique audacter opponis. Unde gratias tibi multas agentes, pro certo noveris, quod plenam vicem dilectionis tibi rependimus, & locum tibi in recessibus animi nostri optimum conservamus. Valeas semper in Domino, & sic impositum tibi per Dei gratiam officium exerce: ut sis, & vita carbo ardens, & exemplo lucerna relucens.

## EPISTOLA II.

*Reverendo & charissimo amico Domino Stephano, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, salutem, & sincerum in Domino amoris affectum.*

QUod à tempore discessionis vestræ ab urbe, & à sede Viennensi, nihil dilectioni vestræ mandavi, nihil scripsi, neque in illo vel post illud infortunium vestrum vos consolatus sum: noveritis quod non fecit hoc mutuæ, quam ad vos semper habui, dilectionis oblivio: sed vestra ad partes, quas non satis noveram, remotio. Fama enim frequens, & varia de statu vestro à diversis ad nos relata: non vos apud sanctum Rufum, nunc apud quasdam Ecclesias ei subiectas, nunc in quibusdam locis mihi ignotis vos commorari dicebat. Ad hæc, quotidiana, immo continua Cluniacensium negotiorum importunitas, quæ me quandoque etiam mei ipsius oblivisci cogunt, vestri mihi intercludebat memoriam, & ne amicum in sua tribulatione consolarer, non quidem auferebat, sed differebat. Tandem licet forte sero ad cor rediens, amico scribo: & ut his de causis super tarditate mea me excusatum habeat, rogo. Non enim de illorum amicorum numero esse volo, qui tamdiu diligunt, quamdiu accipiunt: qui tam diu amant, quam diu sperant. Nolo de illorum numero esse, qui dicuntur socij mensæ: quia secundum eius qui hoc dixit Sapientis verba, *Omni tempore diligit qui amicus est*, & iuxta eundem, *Non agnoscitur in bonis amicus, nec absconditur in malis inimicus.* Hortor ergo, volo, & moneo: ut quandoquidem hoc de vobis contigit unde dolemus, ad nos, & ad vestrã Cluniacensem Ecclesiam veniatis, & utrum quod dico verum sit, non per nuncium, sed per vos ipsum experiamini. Tali autem modo vos venire rogo, ut mora vestra nobiscum non sit horaria, sed perpetua. Decet enim hoc personam vestram, ut nullatenus deinceps locis loca mutetis: neque ad quaslibet alias Ecclesias, sed ad illam quæ & magna, & vestra est, vobisque servire, ac per omnia pro posse suo providere, magno affectu parata est, veniatis: & totum vos ei, quæ se totam vobis offert, conferatis. Hoc autem si sic placuerit, & facultas fuerit: usque ad Dominicam Quinquagesimæ adimplete. Nam exinde oportebit me versus Concilium iter aggredi.

Prov. 17. & 18.

## EPISTOLA III.

*Nobili viro & amico nostro, Domino Stephano de Castello, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, salutem, & dilectionem.*

CUm celeri volatu fugiant omnia, & mundus magnis passibus incessanter ad interitum tendat: non satis de vobis mirari sufficio, quod tam sapiens homo, & tam hactenus providus, in perituris, quasi nullam curam de æternis habere videmini. Cumque, ut illua gratia vestra dicam, ætas ipsa longam vivendi spem vobis amodo interdicat: vos è converso quasi nunquam morituri, radicem cordis in hac misera & fallaci vita a quibusdam fixisse æstimamini. Unde hortor vos, ut charissimum amicum, & quod præsens si possem facerem, absens quantum possum admoneo: ne salutem animæ vestræ ulterius in dubio pendere sinatis, sed antequam numquam reversura recedat, eam totis animi conatibus iam absque mora aliqua rapiatis. Invitent vos ad istud non solum antiqua antiquorum, sed quæ magis invitare solent præsentia modernorum exempla: qui velut ab ipsis Satanæ faucibus pene iam absorpti fugientes, vel Hierosolymitano itinere, vel varia, & subita ad Deum conversione, regno cœlorum vim inferre, & quasi violenter rapiunt illud. Rapite illud & vos, nec ultra ut hactenus fecistis, de die in diem differatis: quia iuxta scripturam divinam, *nescitis quid superventura pariat dies.* Relinquite terrena, antequam vos ipsa relinquant: & si primas partes hostiæ, hoc est vitæ vestræ, Deo noluistis offerre: saltem caudam, id est finem dierum vestrorum, ipsi devotè offerte. Si hoc cito à vobis factum fuerit, aderit paterfamilias, qui diu otioso operario suo, hoc est vobis ad undecimam venienti, parem nummum vitæ æternæ, & si non eiusdem retributionis, ut primis operariis, sero conferat. Nostis quid sancto Hugoni, quid nobis promiseritis: quam spem de salute & conversione vestra, tam per vos, quàm per nuncios vestros mihi sæpius dederitis. Nec illud ignoratis, quid patres vestri fecerint, & quò se post habitum secularem converterint. Parati sumus semper congruè ad servitium vestrum, parati sumus multo magis & ad istud, quod vobis utilius esse videmus; & quod si distuleritis, periculosum senectuti vestræ fore timemus. Unctio Spiritus sancti doceat cor vestrum. Fecimus quod nostrum est, & morem amico gessimus. Sed videte, ne frustra.

Eccli. 5.

## EPISTOLA IV.

*Summo pontifici, & speciali Patri nostro, Domino Papæ Eugenio, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, cum sincero amore, debitam obedientiam.*

QVando paternitati vestræ scribo, quia aures vestras toti mundo expositas novi, iuxta quod materies assumpta permittit, prolixitatem vitare soleo. Quod si modo hoc non potuero, precor ne paterna pietas id ægrè ferat. Scripsit sublimitas vestra Archiepiscopo Arelatensi, & Episcopo Vivariensi: ut litem, quæ pro Monasterio sancti Baudilij, inter Nemausensem Episcopum, & Casæ Dei Abbatem surrexerat, loco congruo, & die, utraque parte advocata, diligenter audirent: & præter diffinitivam sententiam, quam vobis reservari mandastis, cuncta sollicitè examinarent, & examinata ad vos nuncio vel literis referrent. Sed quia, Pater, nequaquam omnia, maxime illa quę remotiora sunt, nisi ab his quibus ea nota sunt, certificemini, scire potestis: notũ facio, quod à multis religiosis, sapientibus, & fide dignis Clericis & Monachis, pro certo comperi: adeò alteri parti hos suspectos esse examinatores, ut penè idem sit hoc imponi Arelatensi, quod esset si imponeretur Episcopo Nemausensi. Et ut me vel ipsos verum dicere, sapientia vestra cognoscat: noverit Arelatensem natum in Diœcesi Nemausensi, oblatum à patre dum puer esset, Ecclesiæ Nemausensi, nutritum à puero usque ad iuvenilem ætatem in Ecclesia Nemausensi, Canonicum fuisse Ecclesiæ Nemausensis. Et postquam Episcopus Agathensis factus est, & postquam in Arelatensem Archiepiscopum promotus est: semper defendisse negotia Ecclesiæ Nemausensis,

semper

A ſemper contra adverſarios pugnaſſe Eccleſiæ Nemauſenſis. De Vivarienſi verò quid dicam? Licet quantum ad propoſitum religionis ſpectat, Cluniacenſis Monachus ſit, & cauſa Dei ac noſtri, in Caſæ Dei iuſtitia claudicare non debuerit: videtur tamen mihi, videtur & omnibus qui rem ſciunt, & hoc attendunt: quod quantum ad hanc cauſam pertinet, magis in eo præponderat affectus carnalis, quàm ille qui eum magis nobis ac noſtris conciliare debuerat, ſpiritualis. Fuit enim diu Nemauſenſibus, & ante, & nunc loco proximus: & nunc, & adhuc familiaritate, affinitate, & ipſi Nemauſenſi Epiſcopo etiam conſanguinitate coniunctus. His additur, quod hanc de ſe opinionem, hoc eſt, quod vel iudices vel examinatores huius cauſæ ſuſpecti ſunt: ipſi propria confeſſione non oris, ſed quod minus eſt, operis nuper teſtati ſunt. Nam cum di-

B lectio iuſtitiæ veſtræ caute præceperit, ut congruo loco & tempore utramque partem ante præſentiam ſuam evocarent: ipſi non ex parte, ſed ex toto fines Apoſtolici mandati tranſgreſſi ſunt, cùm non ſolum de veſtro, quod ſummum eſt, ſed etiam de quolibet rationabili mandato, lex veſtra Romana & autentica dicat, quod [illegible] non debet excedere fines mandati. Ex toto plane mandatum Apoſtolicum tranſgreſſi ſunt, quia non congruum tempus & incongruum locum, vel congruum locum & incongruũ tempus: ſed utrũque pariter, [illegible], & locũ & tempus non dico tantũ incongruum, [illegible] incongruiſſimum Abbati & Monachis [illegible]. Locum, quia in urbe, in Eccleſia, in ipſa [illegible] adverſarij: ſub poteſtate, ſub armis, ſub minis, ſub terroribus amicorum, affinium, conſanguineorum ipſius, cauſam tractari decreverunt. Tempus, quia occupatiore totius anni tempore, quando metendis, colligendis, vel congregandis novis frugibus, omnis [illegible], maxime hi qui pauperiores ſunt, occupantur. De quorum numero, licet magni nominis ſit, ex [illegible] Abbas Caſæ Dei excipi non poteſt. Hoc,

C [illegible] tempus ad examinationem tantæ rei nego[illegible] examinatores ſeu iudices iſti illum elegerunt. Mandato tamen veſtro, ſicut in omnibus ſemper facere [illegible] Abbas obediens: tam incongruo tempore [illegible] incongruum locum, non ut voluit, ſed ut potuit [illegible]. Nec nullum legis peritum, nullum advocatum, niſi [illegible] mutuum, de partibus illis provinciæ, timore ſupradictorum hoſtium vel prece, vel precio habere prævalens: cum paucis in burgundia [illegible] patronis, diei conſtitutæ interfuit. & licet, [illegible] agens, mandato tamen veſtro in omnibus paruit. Queſtus eſt coram iam dictis de loco, queſtus eſt de tempore: rationem cur quereretur propoſuit ſed [illegible] profecit. Data eſt ei ad agendum altera, nec minus iniqua dies: præfixus eſt ei, & idem de [illegible] fuerat, locus. Vnde quia ſe videt, non tam latenter, ſed apertè gravari, ad iuſtitiæ ſedem recurrit, ad patrem ab hoſtibus fugit: apud vos qui Petri, [illegible] vices in terris geritis, qui facit iudicium iniuriam patientibus, querelam tantam deponit. Orat ipſe, precatur & univerſa Caſæ Dei, ſicut ipſe noſtis, non contemnenda Congregatio: precor, & ego de ſæpe experta maieſtatis veſtræ confidens gratia, ut

D examinatores hos vel iudices tam apertè, tam ſine nube ſuſpectos, ab hac cauſa removeatis: & vobis, ſi placet, eam examinandam, ac terminandam aſſumatis. Licet enim ſit iter à partibus noſtris ad vos uſque longinquius, licet ſit laborioſius, licet morbis Italicis peremptorium: nihil tamen fratres illos gravare poterit, ſi unde certi ſunt, rem de qua agitur, aut iure retinuerint, aut iure amiſerint. Sperant tamen, & valde præſumunt, Monaſterium, quod tam diutina, tamque quieta poſſeſſione (ut dicunt) poſſederunt, quod de paupere, quod de vili, quod de irreligioſa Eccleſiola, comparatione præcedentis egeſtatis: in divitem, in nobilem, in religioſam Eccleſiam, immò, quod maius eſt, Monaſterium, multis laboribus, multis expenſis, provexerunt: ſperant, inquam, & confidunt, quod iuſtitiæ ve-

E ſtræ, iudicio repulſis adverſariorum calumniis, ſempiternæ eis poſſidendum concedatur.

## EPISTOLA V.

*Summo Pontifici, & noſtro ſpeciali Patri, Domino Papæ Eugenio, Frater Petrus humilis Cluniacenſium Abbas, cum debita obedientia filialem affectum.*

QVidam probi viri, Canonici Engoliſmenſis Eccleſiæ, nuper adierunt me: rogantes, ut apud maieſtatem veſtram pro ipſis intercederem, & negotium, quod coram vobis expoſituri ſunt, veſtræ clementiæ commendarem. Quod ego, timens maximis occupatio- F nibus veſtris tædio eſſe, aliquandiu recuſavi: ſed tandem eis inſtantibus aſſenſi. Dicunt, ſicut ab ipſis, ut æſtimo, audiitura eſt dignatio veſtra: defuncto Epiſcopo ſuo ſe elegiſſe, nullo de Clero Eccleſiæ prorſus excepto ab unanimi electione: aſſenſu, ut Canones præcipiunt honoratorum, & totius populi, idoneam omninò ad officium Epiſcopale perſonam, Præcentorem ipſius Eccleſiæ. Electionem, iuxta quod ab eis accepi, tam communem, tam concordem, Burdegalenſi Metropolitano dicunt ſe Canonice obtuliſſe, ab eo Canonice confirmatam eſſe: diem conſecrandi ab ipſo datam, ſe ad diem conſtitutam cum electo ſuo, ut Metropolitanus promiſerat, conſecrando veniſſe, ſed conſecratorem non inveniſſe. Quibus de cauſis præſentiam ſuam ſubtraxerit, cur promiſſa non impleverit, nec ab eo acceperunt, & mihi ſe adhuc ignorare dixerunt. Provideat ergò, ſi placet, quod & abſque meis literis faceret, Apoſtolica veſtra ſublimitas laboranti hac occaſione Eccleſiæ: ut ſicut vices illius geritis, qui Apoſtolus gentium à Deo factus eſt, & cui ſollicitudo omnium Eccleſiarum impoſita eſt, ita huic Eccleſiæ ſollicitudo G veſtra non deſit, ut ſi electio bene acta eſt, à vobis confirmetur: & Eccleſia illa, quæ de membris unicæ Columbæ, hoc eſt, univerſalis Eccleſiæ eſt, de qua dicitur, *Vna eſt columba mea, una eſt perfecta mea*, data ſibi à Deo, & à vobis pace lætetur. Hæc ſub conditione protuli, quia nec de electo, nec de electione teſtis eſſe potui. Vnum tamen abſque omni pene conditione profero, non videri mihi Burdegalenſis Metropolitani in hac Engoliſmenſi electione greſſus rectos, oculum ſimplicem: ſed magis in ea quærere quæ ſunt mercenarij quàm Paſtoris, quæ ſua ſunt quàm quæ Ieſu Chriſti. Et, ut filiali præſumptione loquar, & quæ ab univerſis pene partium illarum & noſtrarum dicuntur, vobis ut Patri nota faciam: vult, aiunt, Burdegalenſis ita ſibi ſubdere Engoliſmam, ſicut ſubdidit Xantonas: ut in Eccleſiis illis, non tam habeat Epiſcopos quàm miniſtros, non tam præſules quàm ſibi in omnibus obſequentes. Hoc eſt, aiunt, eius propoſitum, hæc intentio, hæc in illis religio: ut expenſis propriis parcat, & ſuffraganeis Epiſcopis, ut Capellanis utens, non ſuum, ſed eorum penu exhauriat. Hæc, Pater, vobis breviter intimavi, ne poſſent vos in hac parte fallere animi ſub vulpe latentes: quia & virum Dei, qui venerat de Iu- H da, falſus Propheta fefellit, & ipſi magno Prophetæ, 3. Reg. 13. & regi David Siba ſervus Miphiboſeth filij Ionathæ 2. Reg. 16. mentiendo ſubrepſit. Et licet ego non ſatis, ut noſtis, diligam hominem illum: abſit tamen, abſit, inquam, ut in conſpectu Dei, & veſtro, contra veritatem conſcientiæ meæ, culpem vel prædicem hominem ullum.

A | E

## EPISTOLA VI.

*Venerabili, & dilecto nostro, Domino Humberto Æduensi Archidiacono, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, salutem ab eo qui mandat salutes Iacob.*

LÆtatus sum in his quæ dicta sunt mihi, quia inspiratus ab eo qui spirat ubi vult, iam cum quibusdam aliis cantare incipis: In domum Domini ibimus. Repletum est gaudio os meum, & lingua mea exultatione: quoniam cum mundanis commodis undique circumfluxus florere videaris, iam quasi aridum mundum cum flore contemnere incipis. Ago inde gratias Deo, age & tu, sine quo nec istud, nec aliquid boni agere prævales: quia omne datum optimum, & omne donum perfectum est, descendens à Patre luminum: & ut Ioannes Baptista ait, *Non potest homo habere quicquam, nisi sit ei datum de cælo*, utique Dominus ipse, *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Felix ergò, tu, si tamen perstiteris, quem Pater trahit, quem Filius suscipit: cui hanc, de qua gaudeo, voluntatem, Spiritus Dei inspirat. Festina igitur, charissime, veni ad invitantem te, Salvatorem tuum: audi saluatricem vocem eius, qua tibi cunctisque loquitur, *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis.* Audi & illam quæ sequitur, *Tollite iugum meum super vos.* Recordare & matris sapientiæ, materna voce filium admonentis, *Fili ne tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem.* Time & quod subditur, *Nescis quid superventura pariat dies.* Furare diabolo thesaurum sancti desiderij tui, ne forte quod absit, tibi contingat quod ait Veritas de quibusdam. *Deinde venit diabolus, & tollit verbum de corde eorum, ne credentes salui fiant.* Nihil enim tantum Deo placet, nihil tantum diabolo displicet, quàm bona voluntas: immò, ut verius loquar, nihil Deo placet, nihil diabolo displicet, nisi bona voluntas. Ex qua inter alia, quæ ab ea derivantur bona, procedit contemptus temporalium, amor æternorum. Ea de causa non est tuta dilatio tibi, ne fortè, si nimium procrastinaveris, invidus Satanas sancto ad Deum itineri tuo impedimenti alicuius obicem ponat, & gressus tuos, ne implere possis bonum quod inchoasti, retardet. Fecit hoc de multis, quos nominare, si literarum brevitas pateretur, possem. Addat tibi stimulos veniendi venerabilis ille, & cum honore nominandus, dominus Stephanus Æduensis Episcopus, avunculus ut audio tuus: qui spretis parentibus, nobilitate, fastu, divitiis, ipsis etiam Episcopalibus infulis abiectis, pauperem Christum pauper secutus est: & in sancta devotione toto mentis affectu perdurans, atque inter manus meas extremum Deo spiritum reddens, cum veneratione tanto sacerdoti congrua, tam à me, quàm à fratribus Cluniaci conditus est. Sequere igitur eius vestigia, qui cùm, ut nosti, prædicabilis homo sapientiæ esset: nequaquam sibi ac saluti suæ præ cæteris Monasteriis Cluniacum elegisset, nisi magis sibi expedire vidisset. Veni & imple locum defuncti, quia paratus sum non minore te affectu, quàm ipsum suscipere: non minus tibi, & saluti tuæ in omnibus providere. Nec solùm te, sed insuper quotquot tecum spiritu Dei tractos adducere volueris: suscipere, diligere, amplecti, fovere. Decet te ad hoc summo conamine niti, ut non solus, si potueris, sed cum aliorum lucro ad Deum venias, nec in conspectu Domini Dei tui vacuus appareas: quatenus & pro his, quos adduxeris, multiplicius coroneris, quia *oportet*, sicut Ioannes in Apocalypsi sua ait, *ut qui audit, dicat, Veni.*

B | Iacob. 1. | Ioan. 3. | Ioan. 6. | Matt. 1. | Eccl. 5. | Luce 8. | C | D | Apocal.

## EPISTOLA VII.

*Honorando, & diligendo in Christo Domino Theobaldo Abbati Monasterij sanctæ Columbæ, in suburbio Senonensi, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, salutem, & sincerum dilectionis affectum.*

LEgi nuper literas tuas, charissime frater, in quibus adverti magnum inter te, aliosque pene omnes tui ordinis chaos esse firmatum, longè te ab illorum studiis esse divisum. Nam cùm, ut dictum est, illorum ferè omnium corda, omnium verba, omnium scripta, ea quæ mundi sunt, sapiant: cor tuum, lingua tua, literæ tuæ longè diversa sapere, & sentire videntur. Indicant hoc illæ, quas, ut præfatus sum, mihi pridem misisti: quæ, ut quod verum est fatear, nil mortale sonabant, nil eorum quæ in frequentissimis aliorum literis legere soleo prætendebant. Non erat in eis quæstio de questu, non mentio de causis, non de damnis deploratio, non de lucris exultatio. Quicquid in illis à primo apice usque ad ultimum legere potui, totum aut tibi commissorum paternam curam, aut quæstiones de scripturis, aut de bonis ad meliora, gratia divini spiritus tibi collatum proficiendi appetitum sonabant. Hanc quippe sententiarum petitionem in literis illis distinctam agnovi. Primo enim rogasti, ut fratres de Charitate, qui tecum erant, quique veram philosophiam, hoc est, Cluniacensem disciplinam, sic enim philosophiam interpretatus (es) filiis tuis tradiderant: in Monasterio tuo esse, & vices tuas illic exequi concederem. Secundo quæsisti, cur unctio infirmorum sola, & hoc apud Cluniacum solummodo, reiteretur: & qualiter somnium Ioseph, quo se à Sole, & Luna, & stellis undecim adorari, hoc est, à patre & matre, & undecim fratribus somniaverat, verum sit: cùm materiam ante principatum eius defuncta, eum cum fratribus non adoraverit. Tertio postulasti, ut consolatoria verba in Epistola à me tibi mittenda, vel adderem, vel intersererem: ac talia, quæ inter tot Hierosolymitani itineris, quod iam Deo vovisti, discrimina de proximo impendentia, ferrent forte præsidium, ac inter amaros casus dulce terra, marique solatium. Et ego quidem non sum tanti, ut ad tanta sufficere, ac de tantis tibi me posse congrua satisfacere credam. Quia tamen laudabili ac devoto studio tuo, maximè verò religiosâ vita, & fama tua, nunc primum valde delector: facio hoc, ut possum, quia ut postulasti non possum. Et primo planè capitulo precum tuarum, iam plus factis quàm verbis respondi: quia, cuncta quæ de monachis supra scriptis rogaveras, concessi. Esset ergo superfluum, te iam concessa verbis diutius immorari.

Vnde ad unctionis propositæ quæstionem sermo procedat, & cur apud Cluniacum plusquam semel sacro infirmi oleo inungantur, ostendat. Arbitror autem, quod qui unctionem infirmorum iterandam non esse, aut cogitat, aut dicit: causam hanc sibi ipsi obiicit, cùm unctio baptismatis, cùm unctio confirmationis, cùm unctio sacerdotalis, cùm unctio Pontificalis, cùm unctio Ecclesiarum, cùm unctio Ecclesiasticorum vasorum simplex sit, cùm nullo deinceps tempore iteretur: qua ratione sola infirmorum unctio non solùm apud quosdam geminatur, sed insuper quibusdam infirmis frequenter per diversa tempora in morbum recidentibus nullo servato numero datur? Qui hoc cogitat, vel qui hoc obiicit, attendat non solùm unctionum illarum simplicitatem: sed, quod maius est, ipsius simplicitatis scrutetur, & intelligat rationem. Vt quid enim iam baptizatus inungitur, nisi ut iam collata, non conferenda baptizato per Spiritum Dei peccatorum remissio demonstretur? Hoc, quia semel factum sufficit, quia semel remissa peccata simplex sacri

E | F | Gen. 37. | G | H

A chrismatis unctio ostendit, iterandam esse, nulla ratio persuadet. Sed cur & illa, quæ ab Episcopis fit, confirmationis unctio non iteratur? Non iteratur plane, hac ratione: quia semel Christianus post baptismum armis Spiritus Dei per illam unctionem advocati, contra Satanæ mundique bella munitus: alio rursum spiritu, vel aliis armis alia simplici unctione muniri non posse monstratur. Et potest quidem segnitie propria, ab hoste his armis depositis vinci, potest & eisdem resumptis iterum hostem vincere: nec tamen ea de causa unica unctio iteranda est, quia quotiescunque hostem superat, non per alium & alium spiritum, sed per eundem Spiritum sanctum hoc fieri, simplicitate sua unctio sacra designat. Sed cur non iteratur & illa, qua sacerdotum cœlestia sacrificia sacraturo, & tractaturo manus inunguntur; illaque qua Pontificis caput dum ordinatur, largiore chrismatis inundatione perfunditur?
B Sed nulla est causa hoc rursum agendi: nulla ratio Sacerdoti vel Pontifici, iterum manus vel caput ungendi. Sacramentum enim, quod semel à Spiritu Dei acceperunt, etiam iudicio Ecclesiæ ab officio suspensi vel depositi, nullo pacto perdere, nulla ratione amittere possunt. Indicat hoc ipse communis & publicus Ecclesiæ usus, quæ nec presbyteros post quantumlibet prolixum degradationis tempus officio restituens, iterum consecrat: nec in Episcopis de primis sedibus ad alias quandoque translatis unctionis sacramenta iterat. Eadem fit, & dedicatarum rerum insensibilium unctione ratio redditur: quia nec corporalis Ecclesiarum fabrica, nec sacrorum vasorum præparatio, iuma vel terna unctione indiget: quæ semel Pontificali officio spiritus Dei benedictione congrua, ac semper dum illa manserint mansura, replet. His de causis, in Dei Ecclesia nulla iam dictarum unctionum unctio iteratur. At de infirmis, alia lex, alia de illorum frequenti unctione ratio demonstratur. Iterari enim, prout mihi videtur, necesse est infirmorum unctionem, quia iterari necessarium est peccatorum: propter quam illa fit unctio, remissionem.
C Istud indicant & ipsa verba hoc præcipientis Apostoli. *Infirmatur*, ait, *quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini.* Ac sequitur: *Et oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus. Et si in peccatis sit, dimittentur † ei.* Cum igitur certum sit causam unctionis hanc esse, ut oratio fidei salvet infirmum, ut alleviet eum Dominus, ut si in peccatis sit, dimittantur ei: cur non iterabitur unctio, præcedente unctionis causa? Nam si æger post semel redditam sanitatem, nunquam deinceps in morbum incideret, si nunquam post primam unctionem in peccata corrueret: fateor quod nunquam deinceps unctionem iam dictam iterari fas esset. Quod si rursum infirmatus fuerit, si rursum peccaverit: quæ ratio ut rursum allevietur, ut rursum ei peccata dimittantur, denuò eum inungi prohibebit? Nonne & Apostolus hoc se indicat velle, ut quoties quis infirmatus fuerit, toties inungatur? Nam quid aliud sonant verba illa illius, *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ.* Non enim, ait, infirmatur quis in vobis semel, aut, Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros Ecclesiæ semel: sed nulla mentione unius, binæ, vel ternæ
D unctionis facta, iubet nullo præfixo numero induci ad ægrum presbyteros Ecclesiæ, fidei orationem fieri, ad alleviationem & peccatorum remissionem eum oleo sacro inungi. Non igitur mihi videtur dicendum esse, quod Apostolus non dixit: addendum esse, quod ipse non scripsit: sentiendum, quod ipse, ut verba eius indicant, non sensit. Non videtur planè in illis suis verbis Apostolum vel sensisse, vel fieri præcepisse simplicem unctionem: cum sciret non tantùm semel in varios morbos homines incidere, sed & frequenter in eosdem, vel diversos post adeptam sospitatem recidere: cùm nosset prioribus dimissis peccatis iterum & iterum, ac multoties, miseros mortales peccare. Nam eiusdem, de loquor, Apostoli, id est Iacobi, verba sunt. *In multis offendimus omnes.* Qui ergo prioribus morbis ac peccatis medicinalem unctionem providit: nunquid eam sequentibus morbis ac peccatis negavit? Non est plane hæc Apostolica fides non est hæc Apostolica prædicatio, ut vel ægro congrua miseratio, vel pœnitenti peccatorum negetur absolutio. Hæc verò absolutio, quamvis sæpissime sine cuiuslibet unctionis sacramento, tam in ægris quam in sanis Ecclesiastico ministerio fiat; non debet tamen ægris cùm absolutione unctio sacra subtrahi, quibus iuxta intellectum supra scriptum, quotiescunque infirmantur, eam iam dictus Apostolus iubet impendi. Nam & hæc sola in toto novi testamenti Canone invenitur, non more aliarum unctionum à veteri testamento mutuata: sed iam in tempore gratiæ, Apostolica suasione & imperio instituta. Unde, quia non in umbra veteri, sed in veritate novi Evangelij, hæc institutio facta est: non alio & alio modo interpretanda, sed sicut tradita, nullis involucris tecta, nullis allegoricis signis velata, à fidelibus intelligenda & observanda est.

Margin notes (left column): beside C, "Iacob 5"; beside "dimittentur † ei", "† remittentur"; beside the last line, "Iacob 3".

E bus morbis ac peccatis medicinalem unctionem providit: nunquid eam sequentibus morbis ac peccatis negavit? Non est plane hæc Apostolica fides non est hæc Apostolica prædicatio, ut vel ægro congrua miseratio, vel pœnitenti peccatorum negetur absolutio. Hæc verò absolutio, quamvis sæpissime sine cuiuslibet unctionis sacramento, tam in ægris quam in sanis Ecclesiastico ministerio fiat; non debet tamen ægris cùm absolutione unctio sacra subtrahi, quibus iuxta intellectum supra scriptum, quotiescunque infirmantur, eam iam dictus Apostolus iubet impendi. Nam & hæc sola in toto novi testamenti Canone invenitur, non more aliarum unctionum à veteri testamento mutuata: sed iam in tempore gratiæ, Apostolica suasione & imperio instituta. Unde, quia non in umbra veteri, sed in veritate novi Evangelij, hæc institutio facta est: non alio
F & alio modo interpretanda, sed sicut tradita, nullis involucris tecta, nullis allegoricis signis velata, à fidelibus intelligenda & observanda est.

Iam ad somnium Ioseph, quod proposuisti, stylus accedat: super quo mirari te dicis, quod non sic ad literam sit impletum, quomodo à patre est interpretatum. Nam cum Ioseph in somnis viderit se à Sole, & Luna, & stellis undecim adorari, ac pater referentem increpans dixerit: se Sole, matrem Luna, undecim fratres undecim stellis signari: adoratus sit quidem Ioseph ab undecim fratribus, non tamen, quia iam ante principatum eius defuncta fuerat, etiam à matre. Ad quod ego cito respondeo, quia nec à patre. Nusquam enim hoc legitur. Sed nec benignum, & in sacris literis laudatum virum decebat, ut à tanto tamque semper sibi dulcissimo patre se adorari permitteret, cum magis pater à filio, iure divino atque humano honorandus esset. Nec ideo tamen dici potest, vel somnium falsum fuisse, vel falsò Iacob illud interpretatum esse. Licet enim eum non adoraverit pater, paterna hoc dignitate prohibente: licet non adoraverit mater, morte intercedente: licet, inquam, non adoraverint eum personaliter, adoraverunt tamen, ut à patribus dictum est,
G in integra domo vel progenie sua, quæ illum tota adoravit universaliter. Et ne talis propositæ quæstionis solutio vim inferre literæ videatur: producatur de eodem, in quo hæc scripta sunt Gen. libro clarissimum absque aliquo obscuritatis nubilo exemplum. Nonne hæc verba sunt patriarchæ Isaac, loquentis Iacob filio suo? *Esto*, ait, *dominus fratrum tuorum; & incurventur ante te filij matris tuæ. Dominum tuum illum constitui; & omnes fratres eius servituti illius subiugavi.* Nunquid aliquando personaliter Iacob Esau dominatus est? Nunquid aliquando personaliter Esau fratri Iacob subiectus est? Nunquid aliquando personaliter ante eum incurvatus est? Relege sacrum illud volumen, & nusquam hoc contigisse, nusquam ab Esau personaliter Iacob adoratum invenies. Immò econverso tibi legenti occurret, Iacob revertenti de Mesopotamia cum uxoribus & filiis, & gregibus Esau occurrisse: ipsumque Esau Iacob suppliciter adorasse. Sic enim scriptum est: *Et ipse*, id est, Iacob, *progrediens, adoravit pronus in terram septies, donec appropinquaret frater eius.* Quomodo ergo manebit prophetia iam dicta: *Dominum tuum illum constitui?* Quomodo manebit: Et *omnes fratres eius servituti illius subiugavi?* Quomodo manebit:
H Et *incurventur ante te filij matris tuæ?* Non enim aliquando, ut præmisi, Iacob fratri suo Esau dominatus est, vel aliquando Esau ante eum incurvatus est: sed è contrario quando idem Iacob pronus in terram septies adoravit, utique coram fratre suo incurvatus est. Non enim nisi incurvatus in terram septies prosterni, non plane nisi incurvatus, adorare fratrem potuisset. Quid ergo? Falsa-ne tanti Patriarchæ prophetia credetur? Videt-ne quàm caute incedendum sit per tot angustias sanctitas eloquiorum Dei? Similia quippe huic obscuritati sæpe contingunt, quæ nisi lector prudenter caverit, offenso ad lapidem pede sæpè procumbet. Sic & de arcto propositæ quæstionis loco non erit qua exeas: nisi-

Margin notes (right column): beside "libro clarissimum", "Gen. 27"; beside "Et ipse, id est, Iacob", "Gen. 33".

A nui te non ad ipsum Esau, sed ad progeniem eius convertas. Non enim per se ipsum fratri Iacob servivit, non per se ipsum ante eum incurvatus est: sed verè in posteris suis, hoc est, in gente Idumæorum, posteritati Iacob, hoc est, Iudæis, aliquanto tempore subiectus est. Subiectos verò veros aliquando fuisse Idumæos Iudæis, docet ipsa excussio servitutis. Quam excussionem etiam iam dictus Isaac flenti Esau prædixerat. 4. Reg. 8 *Tempus, ait, veniet, ut excutias & solvas iugum eius de cervicibus tuis.* Hoc tunc impletum esse, liber Malachim indicat, cùm dicit: *in diebus illis recessit Edom, ne esset sub Iuda.* Sicut ergo Esau fratri suo Iacob, non in persona propria, sed in successione generis sui servivit, sicut non personam propriam, sed genus proprium: non ante Iacob, sed ante Iudæos eius posteros incurvavit: sic non in persona propria, sed in progenie sua, Iacob pater, & Rachel mater Ioseph filium adoravit. B Possem similia huic exemplo exempla alia proponere, si non crederem istud unum posse sufficere. Sed quia, ut credo, istud, unum plene illud ad quod firmandum assumptum fuerat, roborat: ad ea quæ restant, sermo procedat. Quod igitur aliquid vel interseri, vel addi Epistolæ voluisti, unde robustior, & ad tolerandos terra marique Hierosolymitanæ viæ labores promptior esses: nescio quid aliud congruentius proponere, nescio quid vehementius ad vires animi reparandas suggerere possim, quam propriæ testimonium conscientiæ. Hæc enim semper consolatur sanctos in omni tribulatione sua, hæc reddit eos constantes in omnibus laboribus suis, hæc reddit eos victores in universis congressibus suis. Recolunt enim Christum suum dixisse, & certissimam humanis operibus regulam præfixisse, cum per Evangelium suum locutus est. Luc. 11. *Si oculus tuus fuerit, simplex, totum corpus tuum lucidum erit.* Unde si oculus tuus, charitate, in hoc negotio simplex est, si intentio tua in hoc itinere pura & sincera est: Veritate, ut audisti, hoc affirmante, totum corpus tuum, hoc est, omnia opera, omnes labores, omnes in hoc itinere sudores tui lucidi, non tenebrosi erunt. Credo autem, & ex præteritæ vitæ tuæ optima fama conicio, isto oculo te tam laboriosum iter aggressum: ut quia Salvatoris tui in hac C adhuc vita corporali præsentia cares; eum saltem in sacris illis locis in quibus natus, conversatus, passus, mortuus ac sepultus est; de quibus resurrexit, de quibus in cœlo ascendit, sanctis animi affectibus contempleris. Arbitror plane hac de causa de ultimis Occidentis nostri partibus, ignoras tibi adhuc Orientis plagas intrepide te adire; corpus laboribus, vitam periculis cunctis exposuisse; ut in Nazareth Christi conceptum, in Bethleem ortum, in sepulchro triduanam sepultum: in singulis redemptionis humanæ locis, ipsum redemptorem beatis, ut dictum est, fidei oculis intuearis. Esa. 11. Adorabis in loco, ubi etiam corporaliter iuxta prophetiam steterunt pedes eius: nec dissimili affectu, immò certiore fide, ut Evangelicæ mulieres, Domini dilectrices, Salvatorem æternæ Patris maiestati in cœlis assidentem in eius sepulchro, pio affectu scrutaberis. Non minoris, ut æstimo, pretij apud D benignum cordium inspectorem, & iustum sanctorum affectuum iudicem, ad tam remotas mundi partes erit tua peregrinatio: quam tam dictarum mulierum vel discipulorum ad Christi sepulchrum de proximo venientium visitatio. Currebant illi de proximis latibulis ad quæ confugerant, ad salutarem nuper sepulti Domini specum: curris tu per terræ marisque discrimina, ad idem ad quod illi spelæum. Puto quod cursus prolixior, via laboriosior, affectus non inferior: etsi non maiorem, saltem parem salvo Apostolico privilegio promerebitur mercedem. Quod, ut contingere possit, oculus ille de quo præfatus sum, quo cuncta opera mortalium vel lucida vel tenebrosa sunt, summopere tibi purgandus est: ne levitas, instabilitas, curiositas, quæ frequenter se huiusmodi discursibus immergunt, illum quolibet illum obscurare, illum obnubilare prævaleant. Cavendum est, ne de spoliis forte vincendorum E hostium spes lucri subintret; & servum Dei, postposita commissarum animarum cura, huc illucque non iam devotio, sed avaritia vagari compellat. Videndum est, ne vanæ laudis amor præcordia tangat; & militarem se ac bellicosum, contra propositum & ordinem, monachus & Abbas ostentet. Ab his & similibus oculus mentis purgandus est: ne fortè dum ea quæ facimus, qua de causa fiant, subtiliter discutere negligimus, oculus noster nobis pro luce tenebras ingerat, & totum corpus nostrum tenebrosum fiat. Timendum est, ne lampas nostra, dum plena oleo æstimatur, veniente sponso vacua appareat, & nos a nuptiis felicibus & æternis excludat. Stultus est, & verè fatua virgo, qui quod ædificat, destruit, qui fructus quos collegerat spargit; qui fruges, quibus æterna, ne deficiat, pascitur vita, iam in area congregatas, ventis furentibus & undique irruentibus prodit. F Hoc faciunt superbiæ, hoc vanæ gloriæ, hoc avaritiæ sectatores: quibus de collectis vitæ necessariis, nihil in posterum residui esse potest: dum aut ea ventus vanæ gloriæ per aera dissipat, aut avaritia, ne vel sibi, vel cuiquam prodesse possint, manu adunca in imis terræ visceribus occultat. Sed absit, ut hoc de sanctitate tua, mi charissime, suspicer: quem nec lucri, nec gloriæ, nec levitatis, Dei tantum causa, hoc tam sanctum iter arripuisse confido. Nam valde absurdum est, vel suspicari, ut tu, qui iam à multo tempore sacris ieiuniis, multis vigiliis, variis carnis cruciatibus te ipsum torquens, Deo cum Propheta dicere potes; Psal. 43. *Propter te morte afficimur tota die*, tantos tantoque tempore partos labores, vilissimo vanitatis commercio, stultissime perire permittas. Sed quia ipse hoc voluisti, quia hoc ipse rogasti: ad memoriam charissimi mei, quæ tam fructuoso itineri possent prodesse vel obesse, monstravi. Sit igitur hic finis Epistolæ, ut tu tibi ipsi labores tuos sapienter conserves & me, qui bonorum virorum adiutoriis non parum egeo, bonis tuis, sudoribus tuis, sanctis maximè ad sepulcrum Domini orationibus tuis, studiosè, quod valdè precor & postulo, adiuves.

G

## EPISTOLA VIII.

*Cum honore recolendo ac nominando venerabili fratri Domino Bernardo Clareval. Abbati, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, salutem, & syncera charitatis affectum.*

PLacuit sanctitati vestræ humilitatem meam consulere. Quid mihi super electione fratris Henrici filij vestri videretur: utrum eidem assensum præbere deberetis, an non. At vos quidem plenus spiritu consilij & timoris Dei, meo super hoc consilio non egetis: nec necesse vobis est, ab aliquo talium qualis ego sum, mutuare, quod ex collata vobis à Deo gratia, aliis affluenter & nostris soletis accommodare. Quia tamen quid inde sentiam, audire vultis, breviter dico. Si vitæ meritum quæritur, magnum est. H Quomodo enim non magnum est, cum de tanto tantillum se fecerit: cùm regij sanguinis, ut sic loquar, superbiam, tam robustæ humilitatis pede calcaverit: cum luxus, & pleno cornu fluentes mundi delicias, tormentis innumeris & mille mortibus commutaverit: cum undique arridentem mundum irriserit, cùm abnegans semetipsum & tollens crucem suam, Christum morientem secutus fuerit? Si concors electio: de clero vel populo Belvacensi nec unus dissentire dicitur. Si Metropolitani, & Coëpiscoporum assensus; etiam universorum preces vobis, ut comperi, pro confirmando tam sacro opere, frequenter oblatæ sunt. Si insuper Domini Papæ voluntas, quantum hoc ei placuit †, ipsius Epistola Domino Remensi, ut audivi, directa, testatur. † placeat Quid ergo restat, vir venerande, nisi ut voluntati Dei, quæ tot indiciis se declarare

[illegible], vestram subiectatis: nec ultra Eccl. siam illam [illegible], sive eundo vel redeundo, sua frustra expendere permittatis? Quod si de scientia veluti minus tam expertis diffiditis: potens est Deus, qui ei iam dedit magna, etiam praestare maiora. Vnde inquantum certe te datur, non est ultra procrastinandum, non est ultra differendum: sed cùm ad vos magnae partium vestrarum personae, quae, ut mihi relatum est, hac de causa in proximo venturae sunt, venerint: eos alacriter suscipite, benignè audite, & tam diuturnum desiderium eorum, toties & toties repetitam postulationem ipsorum, causa eius qui replet in bonis desiderium suorum, celeriter, quia sic iustum est, adimplete.

## EPISTOLA IX.

*Inter patres reverentissimo, & inter amicos charissimo, Domino Petro Abbati Cluniacensium, Frater Henricus, sive iubente, sive permittente Deo, Belvacensis electus: seipsum, & si quid amplius potest.*

PArcat vobis omnipotens Deus: quid est quod fecistis? Sepultum hominem revocastis ad homines, & consilio vestro, cui nimium creditum est, expositus sum, & repositus in terribile curarum pelagus: ut me iterum honoris altitudo resorbeat. Nescivi, anima mea conturbavit me, propter quadrigas Aminadab, quas suscepi regendas: regi, non regere opus habens. Manus meas misit ad fortia, opus esset fortitudine. Speculator domui Israel factus sum, opus esset prudentia. Sapientibus & insipientibus debitor factus sum, opus esset iustitia. Praedicator populo Dei datus sum, opus esset temperantia: ne fortè cùm aliis praedicavero, reprobus, quod absit, inveniar. Sed quae sunt ista, & quis sum ego? Vel ubi ista, & ubi ego? Domine Pater, & Deus vitae meae, imperfectum meum viderunt oculi tui. Domine vim patior, responde pro me: quia sola obedientia coegit me: sine qua iuxta virum sanctum, infidelis quisque esse convincitur, etiam si fidelis esse videatur. Et quia nemo maiori fiducia utitur, quam qui ex affectu diligit: nunc vos quasi portionem animae meae convenio, deponens apud vos familiarem & dolentem querelam. Quid vobis visum est, ut literis vestris ad Dominum Abbatem missis faceretis stultitiam meam elevari super candelabrum? Credidisti quidem Domine, propter quod loquutus es: nec fallere, nec falli voluisti, sed non evasisti secundum. Verumtamen quoquo modo factum sit, & quaquaversum vertat exitum rei Dominus Deus noster: ego vester sum, & ad vestrum servitium, si dignamini, praeparatus. Me accipite in servum, in amicum, in filium: & illi sanctae multitudini, cui Deo auctore praeestis, specialem & uterinum monachum, ne dicam Episcopum, sempiterno foedere sociare.

Gregor.

SANCTI PETRI

# MAVRICII

DICTI VENERABILIS

ABBATIS CLVNIAC. IX.

Epistolarum.

*LIBER SEXTVS.*

## EPISTOLA I.

*Venerabili, dilecto & diligendo domno Ademaro Abbati Figiacensi, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, & salutem, & licet laesum, tamen sincerum amorem.*

SCripsi semel scripsi secundo: semel scribenti, secundo non scribenti. Miratus sum nihil à vobis rescriptum meae primae Epistolae: nihil secundae. Causam cogitanti, nulla praeter unam occurrere potuit. Si quaeritis quam aestimem: respondeo non invenisse vos ad obiecta responsum. Quae si est, restabat unum: hoc est, confiteri reatum. Inde saltem rescribendi materia esset: inde mihi vestra loqui Epistola posset. Confiteor culpam, postulo veniam. Et ut iam tertio aliquid agam, bonum est ne differatis ultra venire ad nos, libenter paratos videre vos. Nec obstet itineri vestro querela mea: quia, ut ait Salomon, est regressio ad amicum. Expectabo ego, aut Cluniaci, aut circa, vel in Natale Domini, aut in eius Epiphania, adventum vestrum, facturus quae dixeritis, ad votum vestrum.

## EPISTOLA II.

*Reverentissimo Patri & amico charissimo Petro Dei gratia Cluniacensi Abbati, Frater Bernardus Clarevallis vocatus Abbas, in vero salutari salutem.*

VTinam sicut praesentem Epistolam, ita vobis mentem meam mittere possem. Sine dubio tunc clarissime legeretis, quid in corde meo de amore vestro digitus Dei scripserit, quid meis impresserit medullis. Quid ergo? Incipio me iterum apud vos commendare? Absit. Iam pridem conglutinata est anima mea animae vestrae: & de personis imparibus pares animos fecit parilitas charitatis. Quid enim meae humilitati cum vestra sublimitate, si non inclinasset dignatio dignitatem? Ex tunc factum est, ut utrinque permiscerentur, & mea humilitas, & sublimitas vestra; ut nec ego sine vobis humilis, nec vos sine me sublimis esse possetis. Haec dico, quia Nicolaus meus, immò & vester, in spiritu vehementi commotus, commovit me: asserens se vidisse Epistolam nostram directam ad vos, in qua voces amaritudinis claudebantur. Credite amanti, quia nec in corde meo ortum est, nec ab ore meo extortum est, quod aures vestrae beatitudinis exasperaret. Multitudo negotiorum in culpa est, quia dum scriptores nostri non bene retinent sensum nostrum: ultra modum acuunt stylum suum, nec videre possunt, quae scribi praecepi. Parcite hac vice, quia quicquid de aliis fit, vestras videbo, & non credam nisi oculis & auribus meis. Caetera vobis communis iste filius planius & plenius viva referet voce. Ipsum tanquam me audietis, qui vos diligit non verbo, neque lingua, sed opere, & veritate. Salutate nobis sanctam illam multitudinem vestram; & orate, ut orent pro puero suo.

A

## EPISTOLA III.

*Venerabili Praeclaro in membris Christi viro, Domino Bernardo Clarevallensi Abbati, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, post Deum & in Deo quod est.*

QVid dicam? Loqui soleo: sed nunc mutus factus sum. Vnde hoc? Quia literæ vestræ, quæ me eloquentem facere debuerant, mutum fecerunt. Quare? Tanta in illis licet brevibus legi, ut si ad respondendum me effundere conarer, magis taciturnus quàm loquax viderer. Sed gravi homini, sed religioso loquor. Agendum est ergò, prout gravitas postulat: prout religio etsi non mea, tamen vestra efflagitat. Quid enim?
B
Nonne verum est quod dico? Brevis est Epistola: sed multa respondendi materia. Fer rogo mitissime, si quid secus dixero quàm oporteat. Veræ enim amicitiæ est, non solum salsa amici suscipere: sed & insulsa aut condire, aut tolerare. Accepi, ut dixi, ex parte tua literas singulares, literas amorem dulcissimum, & honorem plusquam mihi debitum prætendentes. Reverentissimum me dicis, Patrem nominas: amicum charissimum appellas. Gaudeo ad ista; sed salua veritate, quæ ex Christo in te defluxit: duo præcedentia nescio, tertium agnosco. Nam reverentissimum me esse ignoro, Patrem quantum ad te me esse nego: amicum & charissimum tuum me non solùm ore profiteor, sed & corde agnosco. Vt enim de reverentissimi & amici charissimi nominibus taceam, quorum, ut dixi, alterum nescio, alterum agnosco: de Patris interim nomine hoc tibi, reverende frater, scribo: quod singularis suo tempore, & præclarissimus religionis flos, domnus Guido prior Carthusiensis, mihi quondam scripsit. Scribebam ei frequenter, & sæpe cum eo
C
vel verbis ad invicem collatis, vel literis familiaribus delectabar, & eum in Epistolis meis Patrem nominabam. Toleravit hoc primum, putans me finem facturum scribendi. At postquam me persistere vidit, & frequentibus literis Patris nomen iterare: in hæc verba sanctus ille tandem prorumpit. Scripsit namque mihi epistolam, in quam inter cætera hoc inseruit. Vnde petimus per eam, qua in nos indignos vestra fervent viscera, dilectionem: ut quando nostræ exiguitati vestra scribere dignatur serenitas, ita de propria cogitetis ædificatione, ut infirmitatem nostram periculosa non infletis elatione. Ac statim. Et illud, in quo, præ omnibus ac super omnia quæsumus, & defixis in terram genibus obsecramus, ne vilitatem nostram Patris nomine dignam ulterius æstimetis. Satis & super satis est, si frater, si amicus, si filius appelletur, qui nec servi nomine dignus habetur. Scripsit hoc ille mihi, scribo & ego hoc idem tibi. Sufficit, & multum sufficit: si fratris, si amici, si chari, vel charissimi nomine de te, vel apud te glorier: vel si quid tale aut te decet mittere, aut me decet suscipere. Hoc de præmissa salutatione. Sed quid de sequentibus? Vtinam,
D
inquis, sicut præsentem epistolam, ita vobis mentem meam mittere possem. Et statim. Sine dubio tunc clarissimè legeretis, quid in corde meo de amore vestro digitus Dei scripserit: quid meis impresserit medullis. Vere hæc verba saluo maioris mysterij sacramento, sicut unguentum in capite, quod descendit de barba Aaron in oram vestimenti eius. Vere ista sicut ros Hermon qui descendit in montem Sion. Vere etiam sic stillant montes dulcedinem, & colles fluunt lac & mel. Nec miremini, quia tam sollicitè attendo, & teneo verba tua. Non enim à qualicunque ore prolata scio: sed ab illius, qui loqui non novit, nisi de corde puro & conscientia bona, & amore non ficto. Novi hoc, hoc inquam, ego, novit & mecum orbis: non esse te de illorum numero, qui iuxta Psalmum, *Vana loquuntur ad proximum suum*. [Psal. 11.] Non esse te de illis, quorum labia dolosa
E
in corde, & corde loquuti sunt. Hinc ergò quotiescunque placet sanctitati vestræ scribere mihi, non negligenter, non transitoriè, sed studiose, affectuose scripta tua suscipio, lego, amplector. Quis enim non sollicitè legeret, non multo cum affectu amplecteretur & ea, quæ præmisi, & illa quæ sequuntur? Iam pridem ait, Conglutinata est anima mea animæ vestræ: & de personis imparibus pares animos fecit parilitas charitatis. Quid enim meæ humilitati, cum vestra sublimitate, si non inclinasset dignatio dignitatem? Ex tunc factum est, ut utrinque permiscerentur, & mea humilitas & sublimitas vestra: ut nec ego sine vobis humilis, nec vos sine me sublimes esse possetis. Huiusmodi ergo verba negligenter legenda sunt? Nunquid non debent oculos legentis fixos tenere, cor rapere, animos unire? Videris, mi charissime, qui scripsisti: quid de his sentias.
F
Ego de his aliud sentire non possum, quàm quod litera sonat, quàm quod à tanto, à tam veraci, à tam sancto homine dictum teneo. Nec, ut ipse dixisti, incipio me iterum apud te commendare. Adhuc iuvenes amare in Christo nos cœpimus, & iam senes aut ferè de amore tam sacro, tam diuturno, dubitabimus? Absit. Credite amanti, ut verbis vestris utar, quia nec in corde meo ortum est, nec ab ore meo extortum est, ut de verbis vestris quolibet modo, si tamen serio expromptis, aliquando dubitaverim. Vnde quod in his, de quibus agitur, literis scripsisti: amplector, servo, custodio. Facilius mihi possent auri mille talenta subripi, quam hæc quolibet casu a corde avelli. Sed de his satis. De reliquo unde me motum prudentia vestra putavit, hoc fuit. Pro negotio, quod vobis bene notum est, cuiusdam Anglici Abbatis, continebant literæ vestræ. Quasi, inquiunt, subversum sit iudicium, & de orbe perierit iustitia, & non sit qui eripiat inopem de manu fortiorum eius: egenum & pauperem à diripientibus eum. Sed si mihi creditis, sciatis prorsus inde me ita motum esse, sicut de se dicit Propheta, licet ego Propheta non
G
sim. *Ego autem tanquam surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum.* [Psal. 38.] Et rursum, *Factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones.* Ego quidem in istis offensus non sum. Sed & si offensus essem, multum satisfactum est, quando dixisti. Multitudo negotiorum in culpa est, quia dum scriptores nostri non bene retinent sensum nostrum, ultra modum acuunt stylum suum, nec videre possum quæ scribere præcepi. Parcite hac vice, quia quicquid de aliis fit, vestras videbo: & non credam nisi oculis & auribus meis. Parco igitur, & de facili veniam tribuo. Non est apud me, quod humiliter dico, etiam in offensis gravibus, labor gravis: ut ignoscam oranti, dem veniam postulanti. Quod si in gravibus ignoscere labor non est, quanto minor in levibus aut nullus est? De testamento domni Baronis Romani Subdiaconi, quod vestræ Clarevallensi & Cisterciensi Ecclesiæ, ex his quæ apud nos deposuerat, moriens fecisse dicitur: factum est, quod à quibusdam personis, qui sibi hoc ab eo iniunctum esse dicebant, mihi scriptum est. Volo tamen vos scire, quia sicut quidam, ut puto, testes veridici astruunt, plus vobis in his contulit gratia Cluniacensis Abbatis, quam testamentum Baronis. Scio quidem, nec adeo expers sum divinarum vel humana-
H
rum legum: ut nesciam quod per posterius testamentum, & legatum, & fideicommissum, causa mortis rata sunt. Sed lego tamen alibi. Nihil tam iuri naturali conveniens est, quam voluntatem Domini volentis rem suam in alium transferre, ratam haberi. Hoc ideo dico, quia sicut testes præmissi fatentur, quicquid Cluniaci deposuerat, totum Cluniaco dederat, nisi forte eum recipere contingeret, antequam præsentem vitam finiret. Nolui tamen hoc uti privilegio sed quod iuxta illorum testimonium, meum esse credebam, vobis vestrisque concessi. De electione Gratianopolitana, contra quam nostri Chartusienses agunt, quid sentiam: in ore charissimi mei, vestrique fidelis,

A

Nicolai vobis retegendum diligenter reposui. Ipsum audite, & quod ab ore meo vobis retulerit, absque hæsitatione vel minima, verum esse credite. Si quæ mandanda mente exciderunt, cum memor fuero, charissimo mihi in Christo mandabo. In fine rogo quantum possum & supplico, quod iam per quasdam vestri ordinis personas mandavi: ut in hoc tanto sanctorum virorum, qui Cistercij convenerunt, Conventu: mei, utique vestri, memoriam faciatis, meque, totumque Cluniacensis Congregationis corpus eorum intente orationibus commendetis.

## EPISTOLA IV.

B

*Singulari honore recolendo, charissimo nostro Domino Bernardo Clarevallis Abbati, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, salutem quam repromisit Deus diligentibus se.*

BReves dies hominis sunt. Fugiunt, nec redeunt. Vestigia eorum nulla retrorsum. Labitur miser homo, more fluentis aquæ, cum ipsis: & præcipiti cursu, ad finem quem nescit, excurrit. Eapropter non est dissimulandum, sed festinandum: non est periculosa procrastinatio sustinenda, non est mora libera nobis: quia *nescit homo*, ut Scriptura clamat, *quid superventura pariat dies.* Obtemperandum est ei & alibi dicenti, *Quodcunque potest manus tua facere, instanter operare.* Ad quid istud? Non hoc, venerande & charissime frater, dico, ut te, cuius multiplicia & sancta opera mihi ac mundo nota sunt, velut otiosum ad operantium provocem: vel tarditatis alicuius, ad cœlestia & æterna multis sudoribus festinanti notam imponam. Stultum est enim currentibus in stadio dicere, currite. Sed non est stultum dicere, *sic currite, ut comprehendatis.* Cucurristi hactenus multum, iuvante Domino gressus tuos: sed non est cessandum, quousque secura mente dicere audeas: *cursum consummavi, fidem servavi.* Videor, ut dicitur, docere Minervam. Verum ego Minervam non doceo: sed ut his, quæ animo insederunt, perficiendis totam, quam poteris, operam impendas, toto nisu admonere satago. Et ne diu rem protraham, teque plus nimio suspensum teneam: audi quid intendam. Doleo, immo iam ab antiquo dolui, & miseris quibusdam (quod salua bonorum gratia dico) condolui: quod spectaculum facti mundo, & angelis, & hominibus: quod stulti propter Christum, quod infirmi, quod ignobiles, qui usque in hanc horam & esuriunt, & sitiunt, & nudi sunt, & operantur manibus suis, & pene magnum Paulum ex toto sequuntur: quæ gravia sunt, faciunt: quæ levia, facere nolunt. *Audivimus*, ait ille, quem diligebat Iesus, *mandata ipsius. Et mandata eius gravia non sunt.* Servas quicunque talis es, gravia Christi mandata, cum ieiunas, cum vigilas, cum fatigaris, cum laboras: & non vis levia servare, ut diligas. Propter verba labiorum eius, custodis vias duras, per eas fortiter gradiendo: & propter verba eorundem labiorum eius, non vis custodire viam mollem, per eam leniter & placide incedendo. Castigas corpus tuum, & in servitutem redigis, ne forte reprobus inveniaris: & dulci charitatis lacte vel melle, te ipsum refovere nolendo, reprobus fieri non perhorrescis? Quid prodest tormentis teipsum absumere, & ad nullum tormentorum profectum absente charitate proficere? Huic tanto fratrum periculo tu subvenire, huic tam noxio animarum morbo, tu, charissime, mederi poteris: si gregem Congregationis tuæ, immo oves pascuæ Christi, quæ te post ipsum præ cunctis mortalibus suspiciunt, quæ tibi maxime innituntur, corpori societatis nostræ laudabili arte unieris. Mirabere fortassis, quia dixi arte. Sed noli mirari. Profero quod usitatum est. Ars est artium, regimen animarum. Ars, inquam, tibi necessaria est: si hoc opus tam laudabile, tam salutiferum, tam Deo gratum implere volueris. Sed interrogas. Quæ? Novit sapientia tua, stultorum esse infinitum numerum: sapientum, finitum & paruum. Nec ignoras alium esse spiritualium oculum, alium carnalium. Recordaris scriptum esse. *Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei.* Vt quid hæc dico? Color varius, habitacula diversa, usus dissimiles obviant dilectioni, contraria sunt unitati. Aspicit albus nigrum, & miratur quasi monstrum. Intuetur niger album, & miratur velut informe prodigium. Exasperant mentem aliis assuetam usibus nova instituta: nec facile potest ei placere, quod non consuevit videre. Hoc tamen apud eos, qui vident in facie, & non attendunt quid vertetur in mente. Non illa sic intuentur oculi rationabiles: non illa sic contemplantur oculi spiritales. Vident, intelligunt, agnoscunt: nihil in servis Dei differre colorem varium, nihil usum diversum, nihil divisa habitacula: cum iuxta Apostolum neque circumcisio valeat aliquid, neque præputium, sed nova creatura; & rursus iuxta eundem. *Quia non est Iudæus vel Græcus, non est masculus neque femina, non Barbarus & Scytha, non servus & liber: sed omnia & in omnibus Christus.* Hoc plane tales vident, intelligunt, agnoscunt. Sed quia non omnes tales sunt, & raro inveniuntur quibus hoc cernere detur: condescendendum est, ut mihi videtur, inferioribus: eisque iuxta illum qui ait, *Omnibus omnia factus sum, ut omnes lucrifacerem*, iuxta eorum morem, mos est dispensative gerendus. Non dico ut color mutetur, hoc est ut de albo niger, vel de nigro albus fiat. Non dico ut vel antiqui usus in novos, vel novi transferantur in antiquos. Nihil horum dico, licet hoc ex parte iure dicere possem. Vereor ne si quod inde sentio dicerem, forte altera parte offensa, & verba in irritum funderem: & quos in invicem placari desidero, verbis non placentibus irritarem. Vtatur unusquisque colore, quem elegit: teneat usus, quibus se salua fide & charitate devovit. Vniantur saltem habitacula, sit indifferens diversorum colorum & usuum cohabitatio: nutriatur & provehatur in servis Dei tali arte charitas, perturbetur & expellatur contraria charitati iniquitas. Fiet hoc vel ex toto, vel ex plurima parte, ut arbitror: si quando antiqui Ordinis monachi ad novorum fratrum monasteria vel habitacula venerint: ab Ecclesia, à claustro, à dormitorio, à refectorio, seu ab officinis reliquis exclusi non fuerint. Auferetur ab advenientis fratris corde scandalum, ori ne detrahat imponetur silentium: quando & suscepti & suscipientis commune fuerit habitaculum, vel hospitium. Recedent vetera de ore eius, quæ dicere, quæ frequentare consueverat. Nunquid ego Iudæus sum? Christianum me esse putabam, & pro Ethnico reputor. Monachum me credebam, & ut Publicanus abiicior. Concivem me æstimabam, & Samaritanus expellor. Vere nunc agnovi, quia non coutuntur Iudæi Samaritanis. Et quis potest cuncta similia istis, quæ hac de causa prolata sunt, maledica verba referre? Obstruatur igitur tali charitatis obice os loquentium talia, ne dicam iniqua: consulatur infirmis, quorum se medicum Christus dixit. Caveatur pusillorum scandalum, timeatur mola asinaria: quæ non caventes mergit in profundum maris. Non timeatur illud, quod nuper apud Claramuallem à quibusdam fratribus mecum inde conferentibus audivi: timere se, ne si advenientes monachi hospites intra claustra sua suscepti fuerint, tam austeritate consuetudinum, quam insolita ciborum asperitate deterriti, insitata hospitia perhorrescant: ac malint deinceps in talia claustra non ingredi, quam morem tam asperum tolerare. Ad istud ego, quod tunc respondi, adhuc respondeo. Tollatur tantum non ingrediendi scandalum, fit pro more apud vestros constituto hospitium. Sit commune utrisque habitaculũ, sit quale aliis apud vos impendi solet obsequiũ. Sint contenti, qui ingredi voluerint, consuetudine loci quã invenerint. Sequantur in hoc morem apostolicum,

sequantur

Marginal notes: Eccl. 5. 9. — C — 1. Ioan. 5. — D — Gregor. — E — 1. Cor. 2. — F — Gal. 6. Gal. 3. — 1. Cor. 9. — G — Mat. 9. — H

A sequantur morem discipulorum Christi, quibus ab ipso præcipitur, *edentes & bibentes quæ apud illos sunt.* (Luc. 10.) Hoc si pati recusaverint, non erit iam quid obiiciant, non restabit quid dicant. Non poterunt ultra conqueri, extrudi monachos à monachorum claustris: non poterunt læsam deflere charitatem, vel schisma fratrum claustris apertis, & præparatis ad suscipiendum habitaculis, deplorare. Et licet hoc dicam, licet claustra vestra ingredientes, contentos iuxta regulam consuetudine loci esse debere astruam: non sum tamen immemor, nec esse te immemorem, vir venerande, credo, quod in capitulo suscipiendorum hospitum de talibus Regula dicat. Nam post adorationem, post orationem, post lectionem, de susceptis hospitibus subdit. Posthæc, omnis ei exhibeatur humanitas. Credo quod hæc verba magis aliquid humanitatis exhiberi præcipiunt hospiti quam civi; advenæ quam indigenæ, peregrino quam colono. Non dixit tamen B regula quod dico, aliquid ei exhibeatur humanitatis; sed omnis ei exhibeatur humanitas. Omnem vero intelligo, non superfluam, sed necessariam: non illam quæ quotidiano more impenditur propriis, sed illam quæ præter solitum maior iure hospitij impenditur alienis. Vnde mihi videtur, quod non solum extra manentibus clericis vel laicis, sed & ipsis claustra ingredientibus monachis, omni modo, quo intellexi, humanitas est exhibenda. Sed quid dixi, non solum clericis & laicis, sed & ipsis monachis? Immo salvo monachi proposito, plusquam clericis, vel laicis, est exhibenda monachis. Si enim iure præceptum est, *operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei:* (Gal. 6.) operandum est bonum ad omnes clericos vel laicos, maxime autem ad eiusdem monastici Ordinis domesticos. Prætulit tunc in illis verbis suis Apostolus Iudæis & Ethnicis fidei domesticos, id est C Christianos: præfero ego à quodam simili, ipsis etiam aliis Christianis monachos. Non est igitur deterius providendum à monachis iuxta congruam proposito humanitatem hospiti monacho in claustro, quam hospiti clerico vel laico, in exteriore hospitio. Sed non his diu immoror. Habeant tantum monachi quamdiu hospites fuerint, monachorum claustra communia: sint contenti, si sic vestris placuerit, vestro quotidiano cibo, ordine, institutis. Ferant, ut dictum est, si ingredi ad vos voluerint, quæ apud vos sunt, quæ apud vos sunt: quia si ingredi noluerint, murmurare cessabunt. Si non cessaverunt, ratio eos destituet, charitas pro vobis aget. Præveni ego, quod non me efferens dico, verba mea operibus: & prius verba cœpi facere, quam docere. Admisi ante quindecim annos universos vestri ordinis fratres, & recipi præcepi, præter Cluniacense claustrum, in omnia claustra nostra: nec de albo vel nigro colore simul in locis nostris admixto curavi, nec curantes, cum multi mihi ne id fieret instarent, audivi. Securus ergo ut faciatis moneo, D quod iam feci: ut sicut præter unum, quod præmissum est, loca omnia nostra patent vestris, sic omnia vestra absque discretione pateant nostris. Si hoc factum fuerit, illud maius claustrum, quod exceptum fuerat, cæteris addam: & ut ipsum quoque vestris omnibus aperiatur, præcipiam. Instruatur utraque species fratrum, si non possunt sermone, saltem paulatim frequenti cohabitatione nihil discernendum vario colore: nihil distinguendum diversis usibus, hos inter & illos monachos, quos eadem fides & charitas vere facere debet germanos. Scripsi hoc tibi, mi dilectissime, festinanter, ut festinantius mittere possem: antequam ad diem indictam, quæ, sicut audivi, in festo omnium Sanctorum futura est, quidam Abbatum vestri Ordinis tecum conveniant: & cum illis inter cætera de hoc meo capitulo tractans, eos in hanc sententiam, quæ, sicut æstimo, non solum mea, sed & tua est, adducas: & ut à cunctis vestri Ordinis fratribus amodo teneatur, ubique teneatur, ubique promulges. Propone eis verba Domini dicentis, *Quæcunque vultis ut faciant vobis homines: & vos eadem facite illis.* E (Mat. 7.) Si volunt ingredi claustra nostra, non prohibeat. Si servitutis debitum ex charitatis mandato ab aliis exigunt, reddant vicem illius exemplo, qui dicit, *Non veni ministrari, sed ministrare.* (Mat. 20.) Si sibi serviri volunt, ipsi quoque fratribus, id est Christi membris, deserviant: ut impleant quod dicitur, *Ex charitate servite invicem.* Sint omnibus omnia communia, non tantum substantia, sed & ipsa habitacula. Vniantur paulatim hoc remedio corda discissa, & dum nil inter se discretum viderint, de diversis, ne dicam adversis, inspirante eo, qui ubi vult spirat, unum esse addiscent.

## EPISTOLA V.

F *Charissimo Fratri & filio Nicolao, Frater humilis (nosti cuius hoc cognomen sit) salutem & sincerum amorem.*

QVoniam te non ficta charitate diligo, diu tui immemor esse non possum. Dilexi te quamdiu noster colore fuisti: sed & nunc quantum ad me, colore, ut puto, non corde mutato, non minus te diligo. Maluissem te meum quam alterius, sed quia ubique Dei es, meum quoque te ubique reputo. Redde ergo vicem, ut vere te diligentem diligas: quia nec ipse totus cum totis suis viribus mundus, ab hoc me proposito avocare potest, nec te quicquam à simili proposito avocet. Nosti quod nihil temporalis commodi præstoler a te, nosti quod nulla alia causa me moverit ad amandum te, nisi ea quæ sola diligenda erat in te. Sed interrogas. Quæ? Quia te literatum, quia strenuum, G quia quod plus est, religiosum; licet ex tempore non ab æterno esse aut cognovi, aut æstimavi. Sed de his satis. Sequantur reliqua. Scribo Epistolam Domino Clarevallensi, quam per te illi præsentari volo. Lege illi eam intente ac studiose, & quantum poteris exhortare: ut quod sola charitatis gratia scripsi, ad effectum perducatur. Insta ei, quia propter brevitatem temporis instandum est: ut in hoc proximo omnium Sanctorum festo, fiat quod opto; & si quos forte obviantes invenerit, in meam, quæ (ut puto) & sua est, sententiam transire compellat. Fratrem Regis, quem sincere diligo, Philippum Leodiensem, Galcherium Cellararium, Garnerium nostrum, Fromundum hospitum custodem, & reliquos, quos melius me nosti, fratres, ex parte nostra affectuose saluta.

## EPISTOLA VI.

*Charissimo Patri & Domino Petro Dei gratia* H *Cluniacensium Abbati, Frater Bernardus Clarevallis vocatus Abbas, salutem & orationes.*

VIdi literas vestras parvo momento, sed non parvo affectu. Occupatus eram tanta occupatione, quantam vos vel scitis, vel scire potestis, amantissime Pater. Abripui tamen me, & eripui votis & responsionibus omnium: & inclusi me cum Nicolao illo, quem diligit anima vestra. Legi & relegi dulcedinem, & magnam dulcedinem, quæ de vestris literis emanabat. Redolebant illæ literæ affectum vestrum, movebant meum. Dolebam, quia sicut afficiebat non valebam rescribere: nempe multa diei malitia avocabat. Convenerat enim multitudo magna, fere ex omni natione quæ sub cœlo est. Me oportebat omnibus respondere, quia peccatis meis exigentibus, in hoc natus sum in mundum, ut multis & multiplicibus sollicitudinibus confundar & urar. Hoc tantillum interim scribo animæ meæ, sed cum accepero tempus, ego ae-

curatius quam modo dictabo Epistolam, quæ lucidius [illegible] De [illegible] Berosis, [illegible] in veritate [illegible] debitum, sed sicut datum accepimus. Gau-[illegible], quæ de Gratian [illegible] negotio veritatem cog-[illegible]. [illegible] quia multum incaluit cor meum, ad verba communis filij: quæ ex parte vestra [illegible]. [illegible] sum, & non tum turbatus: ad faciendam vestram ubicumque potuero voluntatem. [illegible] conventu Cisterciensi, vestri tanquam specialis Domini, & Patris, & amici charissimi, & vestrorum tam vivorum quam mortuorum, memoria facta est. Salutat vos Beluacensis electus ut vester: vester est enim. Ego Nicolaus vester saluto vos in æternum, & ultra, & domesticam illam familiam, quæ [illegible] & [illegible] vestro [illegible].

## EPISTOLA VII.

*Patri [illegible] Domino Cluniacens. Frater Nicolaus.*

IN brevi sicut puto visurus faciem vestram, mitto vobis Epistolas vestras. Librum quoque domni [illegible] ad Dominum Papam: Epistolas [illegible] domno Abbati & mihi [illegible]. [illegible] non lateat [illegible] ve-[illegible], [illegible] literis [illegible] & [illegible] sunt ab [illegible] Episcopis Franciæ, & [illegible] sunt, sicut ego melius & [illegible] voce.

## EPISTOLA VIII.

*Eugenius Episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri [illegible] Archiepiscopo, salutem & Apostolicam benedictionem.*

QVanto persona tua amplioris religione cognoscitur decorari: tanto gravius ferimus, cum per te [illegible] Deum [illegible] vitam [illegible] flantur: & tu super hoc tam à vicinis quam longe [illegible] te ad religionem diligendam deberet accendere, & ad [illegible] tu Cister-[illegible] & Cluniacenses [illegible] frequentes querimoniæ indicant, nequaquam protegis, sed impugnas: & Cluniacenses fratres, quos propensius deberes diligere, [illegible] inquietas.

## EPISTOLA IX.

*Venerabili Domino & in Christo dilecto Petro Dei gratia Cluniacensium Abbati, Hugo Viennensis dictus Archiepiscopus, salutem & dilectionem.*

QVanto propensiore studio vos & vestra diligimus, quantoque de dilectione vestra confidimus: tanto amplius miramur, immo satis mirari nequimus, si à vobis, vel à vestris frequentes adversus nos querimoniæ ad aures Domini Papæ, sicut literæ [illegible] priusquam ad nos pervenerit. Si enim [illegible] majestatem vestram nos offendisse [illegible] semus: novit Dominus & ante clamorem & post, nos [illegible] satisfacere paratos. Quod si, ut credimus, & [illegible] non à vobis, sed aliunde [illegible] Domino Papæ [illegible] dilectionem vestram quanta possumus precum instantia rogamus, quatenus ea falsa [illegible], & nos vobis benevolos & propitios, [illegible] differatis.

## EPISTOLA X.

*Summo Pontifici & nostro speciali Patri Domino Papæ Eugenio, Frater Petrus humilis fratrum Cluniacensium Abbas, sinceram cum devota obedientia voluntatem.*

NOn possum quantum volo gratias agere, quod non solum per nuntios sæpe à me reverentiæ vestræ transmissos, sed etiam per alios pro suis negotiis [illegible] Apostolicam adeuntes, quid erga me vel vestram Cluniacens. Ecclesiam animi geratis, ostendere non cessatis. Inde multa exempla habeo, quæ nunc proferre supersedeo. Unum tamen profero, de quo sicut multum [illegible] vobis debeo: ita vos eius causa, quod filiali præsumptione loquor, contra illud vel similia cautum esse [illegible]. Novit sapientia vestra, & ex scriptura sancta frequenter recitat, homines in corde & corde loquentes, *Qui exacuerunt ut gladium linguas suas:* & ut rursus idem qui hæc protulit ait, *Acuerunt linguas suas sicut serpentes: venenum aspidum sub labiis eorum.* Hos plane, hos tales, [illegible] in magnis occupatis sæpe subripere solere: & pro veris falsa, pro antidoto venenum [illegible]. De talium numero illi fuerunt, qui [illegible] tantum mendacij prodigium infuderunt, ut dicerent, & frequenter [illegible] querimonias deferrent: quod Dominus Viennensis Archiepiscopus Cluniacenses monachos nequaquam protegeret, sed impugnaret: & unde [illegible] & amplectendo verbo vestro longe positi supplicamus, quos propensius diligere deberet, [illegible] inquietaret. De his ergo ista vobis suggerentibus quid dicam? Quid dicam, nisi quod Psalmus, cuius sententias supra tetigi, dicit, *Vana loquuti sunt, unusquisque ad proximum suum, labia dolosa in corde & corde loquuti sunt?* Quid dicam, nisi quod & alibi idem horum prolator ait, *Mentita est iniquitas sibi?* Novit Pater, ut credo, filij cor: novit si recordatur, quæ ei Antisiodori, vel apud Batum secreto suggessi: quod pene idem esset, quantum in libro conscientiæ meæ legere poteram, vobis mentiri quod mori. Unde sciatis me vera dicere, & vobis sicut coram Deo in Christo loqui: quod manus Domini Viennensis in quantum recolere possum, mundæ sunt à sanguine omnium Cluniacensium: & iuxta quod sentio, nisi forte quod non puto fallar, innocens est ab omni Cluniacensi noxa, ex quo Viennensis Patriarcha factus est, non solum opere, sed etiam verbo. Si quis ergo ei derogare voluerit, & aliquid de Apostolici amoris gratia diminuere: quærat alios, quorum prætextu vel occasione hoc faciat, quam nos; quærat alios quam Cluniacenses vestros, neque velamine falsitatis iniquitatem suam palliare contendat. Nam ut ista, de quibus, ut credo, satis egi, dimittam: oro Pater, ut tanto homini, tam probato, tantæ vitæ, tanti propositi, qui omnes pene dies suos à puero usque ad senium immolavit Deo: sicut omnibus bonis facitis, deferatis, & nullum contra ipsum, nisi de re comperta & [illegible].

## EPISTOLA XI.

*Summo Pontifici & nostro speciali Patri Domino Papæ Eugenio, Frater Petrus humilis fratrum Cluniacensium Abbas, cum filiali amore debitam obedientiam.*

PRæsumens de pietate paterna, soleo vos sæpe, Pater, rogare pro aliis: sed nunc pro illo, qui mihi

præ cunctis aliis cordi est, velut pro me altero, maiestati Apostolicæ supplico. Est autem hic Dominus Iordanus, Casæ Dei Abbas. Commendarem eum securius apud vos, quia commendabilis est: nisi notari timerem, quia frater est. Hoc tamen breviter & veraciter dico, non cum egere commendatione mea apud vos; si mores eius, si scientiam eius, si famam eius, vestra sapientia agnosceret, sicut agnoscimus nos. Adit præsentiam vestram, nullo, ut ab ipso accepi, negotio tractus nisi sola causa videndi & visitandi vos. Suscipiat eum benigne, si placet, benignitas vestra, mihi non semel tantum experta: suscipiat & ego in ipso, si quem apud vos, quod non diffido, locum gratiæ habeo. Deleatur si placet, si quid unquam nubilum fuit adversus eum in mente vestra: & redeat ad eum illa, pro qua sola usque ad vos peregrinatur, gratia vestra. Quia pro ipso pauci supplico, credo quod non mirramini. Caro enim & frater noster est.

## EPISTOLA XII.

*Summo Pontifici & nostro speciali Patri, Domino Papæ Eugenio, Frater Petrus humilis fratrum Cluniacensium Abbas, cum sincero affectu devotam obedientiam.*

IMportunus quidem sæpe vobis scribendo sum: sed & ipsam importunitatem frequenter examinando, magis importunum esse formido. Quid igitur faciam? Si tacuero, mihi multisque nocebo. Si loquutus fuero, fastidiosius, ut dixi, videbor. Sed de his duobus, alterum eligo. Malo vobis sancta pietate patris loquax vel nimius apparere, quam plurima vobis non celanda tacere. Non pertinet quidem quod dicturus sum, ad proprium negotium. Sed quomodo alienum est, quod vestrum quolibet modo est? Est autem vestrum, totius Ecclesiæ Dei in hac valle lachrymarum peregrinantis causas audire, auditas discutere, discussas iudicio Apostolico diffinire. Et licet persona vestra constituta sit super gentes & regna, ut evellat & destruat, & disperdat & dissipet, & ædificet & plantet: tamen quia nec Deus, nec Hieremias Propheta, cui hoc dictum est, estis; potestis falli, potestis ab his, qui ea quæ non Iesu Christi, sed quæ sua sunt quærunt, decipi. Hoc ne fieri possit, oportet ut fidelis, si quis fuerit filius, quæ sibi nota, vobis forte ignota sunt, Patri fideliter pandat: & ne hi de quibus legitur, *Venenum aspidum sub labiis eorum*, sinceritatem vestram toxico suo inficere valeant, modo quo potest præmuniat. Nam non est parvum Dei munus à talibus liberari: maxime cum Psalmus solennis dicat, *Domine libera animam meam à labiis iniquis, & à lingua dolosa.* Sed quid? Forte rursum nimius efficio, quod excusaveram adhuc incurro. Reprimo ergo stylum, & unde multa dicere voluissem, & ut æstimo debuissem: breviter dico ad quid ista præmisi. Vna quidem causa est, sola tamen non est. Hanc ad præsens dicam, reliquas suo tempori reservabo. Chartusiensis Ordinis & propositi instituta quantum dilexerim, quantum diligam, quando veneratus sim, quantum amplectar, noverunt multi; ego vero magis, Deus autem maxime. Nam si mens mea me non fallit, si conscientia mea mihi quod verum est attestatur, si tandem vera est sententia divina, quæ dicit, *Nemo novit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est.* Agnosco me Chartusiensium à triginta iam fere annis, hoc est etiam antequam præesse inciperem, præ cunctis pene mortalibus amasse religionem, coluisse sinceritatem, amplexum esse veritatem. Intellexi, nec me falli putavi, cunctorum Latinorum institutis, eorum propositum præferendum: nec esse eos de illis, qui liquant culicem, & camelum glutiunt; hoc est qui irritum faciunt mandatum Dei propter traditiones hominum, & decimantes mentam & anetum, & ciminum, & iuxta unum Evangelistam, omne olus, dimittunt quæ sunt graviora legis, iudicium & misericordiam, & fidem. Non enim præcipue in cibis, in potibus, in vestibus, in laboribus vel similibus, regnum Dei consistere putant; licet hæc discretive facta, multum eidem regno Dei militent, sed in pietate illa, de qua ait Apostolus, *Corporalis exercitatio ad modicum utilis est, pietas ad omnia utilis, promissionem habens vitæ quæ nunc est, pariter & futuræ.* Epulantur vere sancti illi in mensa sapientiæ, deliciantur in ferculo veri Salomonis: non in superstitionibus, non in hypocrisi, non in vanitatibus, non in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis sinceritatis & veritatis. Magni ergo sunt, amandi sunt, amplectendi sunt. Et quid dicam? Invitus profecto quod sentio, ratione coactus dico quod nolo. Videor tangere arcam Dei, & eam manu præsumptuosa, ut quondam Oza bobus lascivientibus, sublevare. Sed non sum præsumptor, non sum, quantum ad hunc casum pertinet, dignus morte ut ille: quia securum me faciunt verba illius qui dixit, *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit.* Dicam ergo, nec iam ultra morabor. Audiat Pater æquo animo verba filii: nec in illis aliquid vafrum vel subdolum latere existimet. Vt enim alias literis sublimitati vestræ nuper mandasse memini, idem esset mihi vobis mentiri quod mori. In causa, de qua adhuc agitur, Gratianopolitanæ electionis, videtur mihi, quod Chartusiensis Ordinis serenam diem inopinus turbo infecerit; & splendorem hactenus crystallinum nubecula nescio unde exorta fuscaverit. Divisa est inter se, & quæ usque ad hæc tempora specialius anima unum in Christo fuerat, hac de causa in invicem Congregatio sancta compugnat. Hinc Chartusia, Excubiæ, Durbonum, hinc Portæ, Maiorevum, Sylva, Alvernium, & si qua sunt alia ad sacrum illum Ordinem pertinentia loca, velut diversos parietes statuunt: & tam hi quam illi se iuxta Prophetam pro domo Israel ascendere ex adverso, & stare in prælio in die Domini profitentur. Dicunt hi, non debere electum episcopari; & causas quasdam, quas non est nunc meum dicere, prætendunt. E converso alii. Quid, inquiunt, ad vos ista? Chartusiensis Ordinis institutio est, mala, si qua noverint, his, ad quos spectat, nota facere: non autem & litigare. Eorum est, simpliciter quod sentiunt dicere: non autem palatia ad causandum intrare. Non est heremi nostræ iudiciis astare: non est eorum, qui mortui mundo videntur, in publicis negotiis actores vel defensores existere. Nihil simplicitati nostræ cum astutia seculari: nec decet, ut qui in seculo heremum elegimus, nunc de heremo ad seculum redeamus. Quod si non decet, ut illuc etiam tracti redeamus: decet, ut sponte cunctis nolentibus & reclamantibus, iudicium nos tribunalibus ingeramus? Hæc est causa non quidem litis apertæ, sed simultatis occultæ sanctorum hominum: quæ expressius nota Patri fieret, si maiestati vestræ non solo scripto, sed & verbo mihi loqui liceret. Nam sunt quædam, quæ literis tradere nolo: ea tamen quia scribere non fuit consilii, in ore dilecti fratris nostri & filii vestri Arnaldi, vobis intimanda reposui.

Psal. 13. — Psal. 119. — 1. Cor. 2. — Matth. 23. — Luc. 11. — 1. Tim. 4. — 2. Reg. 6. — Luc. 11. — Ezech. 13.

## EPISTOLA XIII.

*Venerandis & dilectis fratribus nostris apud Lemovicas Deo & sancto Marciali eius & suo Apostolo servientibus; Frater Petrus humilis fratrum Cluniacensium Abbas, salutis, gratiæ, & benedictionis à Deo plenitudinem.*

EXultavit cor meum in Domino, non quidem nunc videns, sed audiens conversationem vestram,

&

A & famam Ordinis Deo & hominibus charam. Audivi hoc non modo tantum, sed & frequenter, ab his quibus non credi nefas esset, quia veraces sunt: & quos vestri actus sive boni, sive mali, latere non possent, quia proximi sunt. Gaudeo quidem & de omnibus, de quibus similia audio: sed de vobis ex parte magis, quia magis debeo. Sed dicet vestrum quilibet, Cur magis de nobis quam de aliis? Idcirco, charissimi, magis de vobis quam de quibusdam aliis: quia iuxta verba Petri Apostoli, *Positi in medio nationis prava & peruersa*, lucetis bono exemplo vestro sicut luminaria in mundo, incolitis terram Hus, nec sectamini terræ vitia. Nam, ut opinio mea fert, à Cluniaco nostra usque ad Pyrenæos illos, qui Gallos ab Iberis dividunt, nullum Cluniacensis vel cuiuslibet antiqui Ordinis Monasterium novi: ubi tam firmiter, tam constanter, tam inconcusse, traditus à Patribus Ordo hucusque viguerit, & inter frementes Lemovicini territorij bestias, earúmque feroces rictus indefesse instituta seruauerit. Ea de causa, ut dixi, de bono nomine vestro, magis quam de quorundam aliorum gaudeo. Vt enim doctor ille, quem nostis, Ecclesiæ dicit. Magnum est, esse bonum inter bonos: sed longe maius est, esse bonum inter malos. Præter hæc, ut nobis sæpe referunt qui hoc experiuntur, monstratis non verbis tantum, sed rebus: non affectibus solum, sed effectibus, non esse vos oblitos Cluniacensis lactis, quo in Dei timore & servitio educati estis: quando fratres nostros ac vestros ad vos pene assidue venientes, tam deuote suscipitis, quando eis tam affectuose servitis. A multis hæc audiuimus, sed nunc specialius à dilecto filio nostro Rannulfo Priore vestro: qui & plus quam nunc dicere velimus boni, nobis nostrisque de vobis retulit: & se causa Dei nostrique, multum à vobis diligi affirmavit. Quem, si in Deo diligentes diligendi sunt, non vos pœniteat dilexisse: qui dilectionem suam erga vos quando nobiscum est, non cessat quibus potest modis ostendere. De cætero, charissimi, sincero affectu precor ac moneo vos in Domino: ut bona, quæ de vobis dicuntur, melioribus incrementis adaugere curetis: quia nunquam seruis Dei deesse debet affectus proficiendi, quos semper sollicitos in Dei opere reddere debet timor deficiendi. Nam ut magnus Leo Papa ait, Humanus animus sicut semper potest habere quo recidat, ita potest habere quo crescat. Pudeat vos vestrique Ordinis omnes, in religionis monasticæ observantia quibuslibet nouis inferiores videri: ne contra Domini verba, fit, quod absit, discipulus super magistrum: ne de fonte vestro aliis haurientibus, vos sitiatis: ne de mensa vestra aliis saturis, vos ieiuni permaneatis. Nostis enim, quod fere quicquid religiosi propositi nostri seculi noui homines habere videntur: à vobis principium sumpsit, à vobis materiam formamque suscepit. Currite igitur non segnius quibuslibet viam mandatorum Dei: nemo vos in currendo præueniat, nemo brauium bene currentibus propositum vobis subripiat: hocque tam instanter, ut ait Apostolus, *Sic currite, ut comprehendatis*. Paci præcipue, & obedientiæ opera date: ut tam in his, quam in aliis sacrarum virtutum exercitiis, vobis desudantibus, videant seculares opera vestra, & glorificent Patrem qui in cœlis est. Orantem pro me & pro tota Cluniacensi Ecclesia vel Congregatione, charitatem vestram, omnipotens Salvator exaudiat: & actus vestros, mores, & vitam, in beneplacito suo, quod est salus sempiterna, componat.

Phil. 2. (B, C, D; 1. Cor. 9.)

## EPISTOLA XIV.

*Dilecto germano, immo filio Eustachio, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, salutem præsentem & æternam, quam sibi.*

E GAudeo, nec gaudium meum ore explico: quod cum te unicum, quantum ad seculum pertinet, carnis meæ fratrem habeam: Deum te timere, Deum revereri, Deum te diligere agnosco. Et quod maius esse posset gaudium animæ meæ? Video undique mundum furentem, video Satanam mundi Principem de mortalibus sicut de auibus ludentem, video eum quotidie, immo assidue, miserrimas animas, & flammis ultricibus in æternum pabulum datas, ad inferos rapientem. Cerno eum & iuxta te, & longe à te, vel gladio, vel peste, vel subita morte, vel quolibet diabolici laquei dolo, tot sibi humanarum animarum millia vindicare: ut de illis Christus Salvator & Deus noster dicat, *Multi vocati, pauci electi*, & in simili causa, *Amen dico vobis, nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit cœnam meam*. At cum ista à Domino meo audiam, & te tot tantisque malis undique circumseptum agnoscam: non debeo lætari, si te timor Dei & studium saluandæ animæ tuæ, à perditis & perdendis hominibus secernit, & saluatis vel saluandis suorum militum castris adiungit? Quod si te ad ista cogerent vel rei familiaris defectus, vel hostium contra te pugnantium profectus, vel fortunæ, ut sic loquar, prosperitati tuæ inuidentis temeritas: gauderem quidem esse te de illorum numero, de quibus iam dictus Salvator sub similitudine dicit, *Vade in vias & sepes, & compelle intrare: ut impleatur domus mea*. Nunc vero cum te mundanis bonis, & cunctis, quæ pleno copia cornu plerisque mortalium infundere solet, circumflui videam, & nihil pene de concupitis deesse: longe magis exulto, longe amplius gaudeo, quod animum tuum ad res diuinas trahit non temporalium rerum defectus, sed æternarum à Deo conceptus affectus. Fuisti quidem, sed auxilio misericordiæ Dei iam in laboribus hominum non es, neque cum impiis flagellaris: nec tamen ideo tenuit te superbia, nec opertus es iniquitate & impietate tua. Vnde, ut iam dixi, nimium nimiúmque lætor, quod prosperitatis laqueus, qui fortes atque constantes in salutis proposito mentes frequenter irretire solet, nodos suos, ne te caperet, ex parte explicuit: & quod istud non ex parte, sed ex toto quandoque fieri possit, si Deus iuuerit, spem mihi tuisque certissimam dedit. Sed ut ad rem, pro qua scribere cœpi, veniam, placet mihi & hoc multum, quod Clerici, de quo scripsisti, somnium ne spreveris: & quòd te ad Dei timorem, hac quantalibet præstita occasione exacueris. Nam licet somnia sæpe vana sint, ita ut de eis scriptura Christiana dicat, *non augurabimini, nec obseruabitis somnia*, & rursus alia, *multas curas sequuntur somnia*, itemque illa Sapientis, *Somnia ne cures*: non tamen idcirco universa somnia contemnenda sunt: quoniam ex eorum significatijs effectibus, vera sæpe fuisse, probata sunt. Habet Ecclesia Dei in libris diuinis septem crassas boues Pharaonis, septemque macras; septem spicas uberes, septémque steriles: præsignasse septem annos Ægyptiacæ fertilitatis; septémque sterilitatis. Habet & subcinericium panem visum in somno Gedeoni, hoc est, eundem Gedeonem, deuolutum in maxima castra Madian, ea Dei virtute cum solis trecentis militibus occupasse, ipsaque usque ad extrema delesse. Habet & longe ante in eodem eptatico, in somnis Ioseph apparuisse, velut messis tempore manipulos fratrum adorare manipulum eius, rursúmque solem & lunam, ac undecim stellas, adorare seipsum. Idem in Daniele, tam de ipsius Danielis, quam de Regis Nabuchodo-

(F; Matt. 22. Luc. 14.; G; H; Levit. 19.; Gen. 41.; Iud. 7.; Gen. 37.; Dan. 2. & 7.)

nosor

A nosor somniis, quod futura pronuntiarent, ostendit. Sed & in Evangelio, de iusto Ioseph sponso sanctæ Virginis matris Domini, quod ei Angelus Domini (Mat. 1.) cogitanti dimittere eandem matrem Domini in somnis apparuerit, quod ne dimitteret prohibuerit: quod in Ægyptum eam cum filio duci ac reduci, in somnis (Mat. 2.) præceperit, magnifica illa & cœlestis scriptura testatur. Ad quid ista, charissime? Vt intelligas, nec semper esse sequenda somnia, nec semper spernenda. Vnde est, & breve quod moneo, ut sive vera sunt quæ à somnij auctore feruntur, sive falsa, sive portendant aliquid, sive non: utaris vel veritate, vel falsitate relatoris sapienter, hoc est, ut & de præteritis offensis digne Deo pro posse satisfacias: & ne satisfactionem tuam mala quælibet, maxime crimina impediant, studio toto præcaveas. Non autem hæc dico, quod aliquem tuarum partium nobilem, quantum ad hominem adhuc vinculis seculi retentum pertinere B potest, in bonis studiis (ut à multis accepi) præponam: sed quia novi quod quanto fueris cautior, tanto eris melior. Nam si visio, quam priori fratri tuo scripsisti, vera est, & aliquid significans, aut forte vera & nihil præsignans: non inueneris apud Deum contemptor verorum, sicut inventus est Rex Sedechias, qui libro misso sibi à Hieremia propheta, in (Hier. 36) quo multæ minæ adversus eum continebantur, non solum territus non est, nec mandatis Dei per prophetam sibi missis paruit: sed librum eundem scalpello scribæ, quod casu occurrit, discidit, & in arula prunis plena proiectum, incendit. Vnde ea de causa brevi tempore post ab hostibus captus est, & avulsis oculis in Babylonem ductus, sub dira captivitate tandem mortuus est. Si vero relator iam dicti somnij, qualibet intentione mentitus est, (pravum est enim, ut scriptura ait, cor hominis & inscrutabile:) si inquam mentitus est, & ut olim falsi Prophetæ quos Deus voce eorum deridendo assumpta, dicit, *Somniaui, somniaui*, falsa confinxit: etiam de falsitate ipsa proficies, (Hier. 23) C quando in cunctis actibus tuis hac occasione, ut dixi, cautior fies. Multi enim revera tales pseudo-prophetæ, vel mendaces somniorum relatores, olim mentiti sunt, contra quos Deus, *Væ his qui prophetant de corde* (Ezec. 13; Mich. 3.) *suo!* & rursum alio in loco, *Si quis non dederit in manibus eorum aliquid, sanctificant super eum bellum.* Quorum relationibus si modo quo dixi usus fueris, prodesse tibi multum poterunt, obesse nihil. Age ergo iam, unica spes & pene sola generis nostri, ut sicut strenuus & prudens in seculo diceris: sic tandem non inferioris strenuitatis, non minoris potentiæ, in Deo dicaris. Diffusius loquerer, & multa, quæ penetralibus cordis retineo, in aures tuas infunderem: nisi me tibi ore ad os in proximo loqui, hoc est ante Dominicum pascha, sperarem. Hoc quia spero, finem nunc loquendi facio. Dominus tecum.

D

## EPISTOLA XV.

*Venerandis & dilectis fratribus nostris, tam Prioribus quam Custodibus Ordinis, ubicunque constitutis; Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas Salutem, & ab auctore gratiarum gratiam & benedictionem.*

LOquar, an sileam? Aperiam labia, an claudam? Si de illis esse voluero, de quibus dicitur, *Popule* (Esa. 3.) *meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant*: & de quibus irrisorie scriptura sancta voce stulti populi loquitur, *Loquimini no-* (Esa. 30.) *bis placentia, videte nobis visiones*: vel de his de quibus rursum ait, *Canes muti, non valentes latrare*, aut adulabor vobis, aut tacebo. Si adulatus fuero, væ illud propheticum incurram, quod in Esaia legitur, *Væ* (Esa. 5.) *his qui dicunt bonum malum, & malum bonum: dicentes* E *tenebras lucem, & lucem tenebras: vertentes amarum in dulce, & dulce in amarum!* Si tacuero, formido & illud, *Si non annuntiaueritis iniquo iniquitatem suam, ipse quidem in iniquitate sua morietur, sanguinem autem* (Ezec. 3.) *eius de manu tua requiram.* Et illud, *Væ mihi quia tacui!* (Esa. 6.) Nec adulari ergo vobis, nec tacere dispono. Vtrumque enim, quantum ad id quod dicere intendo, æque periculosum est. Restat igitur de duobus, quæ præmisi, alterum: hoc est, non ut sileam, sed ut loquar. Et quid dico, quia restat ut loquar? Immo, ut & loquar, & clamem. *Clama*, inquit, *ne cesses: quasi tuba exalta vocem tuam*, & reliqua quæ nostis. Lo- (Esa. 58.) quor ergo & clamo, & ut ipsi, qui præestis aliis, hæc loquamini, & inclametis, admoneo. Nam nec in modico minus vobis quam mihi si tacueritis formidandum est: cum sciatis vos vocatos, etsi non in plenitudinem potestatis, tamen in partem sollicitudinis. Et ne ultra quæ dicenda sunt differam: relatum est mihi, F & hoc non a vilibus vel levibus personis, (quod non absque intimo cordis mœrore dico) nullam iam distantiam esse, quantum ad esum carnium pertinet, inter fratres nostros & laicos, inter seculares & religiosos: immo ut expressius loquar, inter scurras & monachos. Dixi nullam distantiam esse inter hos & illos: sed multa, heu! perverso ordine est. Abstinent causa Dei ipsi mimi vel lixæ à carnibus omni sabbato, abstinent insuper plerique laicorum omni quarta, abstinent quidam ex ipsis etiam omni secunda feria. At fratres nostri, sancti Ordinis, cœlestis propositi, Monachi, & hoc Cluniacenses: spreto Deo, abiecto pudore, totum, ut dicitur, annum, nulla præter sextam excepta feria, in absumendis carnibus continuant: nec hoc saltem occulte, sed palam & publice facientes, peccatum suum, iuxta Prophetam, quasi Sodoma præ- (Esa. 3.) dicant. Discurrunt de locis ad loca, & ut milui aut vultures, ubi vel fumum coquinarum viderint, vel nidorem assæ vel ustæ carnis naribus hauserint, celeriter advolant. Et quia ab ista videntibus pravo eorum G exemplo sacer Ordo blasphematur, ore illorum nomen Domini ipsi blasphemant. *Væ*, ait scriptura sancta, (Esa. 52.) *his per quos nomen Domini blasphematur!* Deridetur iam à talibus, si quis timore Dei ductus, à tali esu abstinere voluerit: & hypocrita, simulator, ac prophanus vocatur. Reputatur ab eis sicut ethnicus & publicanus, cavendum esse ab illo sicut ab hoste publico prædicant. Faba, caseus, oua, ipsi etiam pisces, iam in nauseam versi sunt. Solæ ollæ Ægyptiorum placent. Assus aut elixus porcus, iuvenca pinguis, cirogrillus & lepus, anser ex anserum grege electus, gallinæ, & prorsus omne quadrupes, aut volatile domesticum, sanctorum Monachorum mensas operiunt. Sed viluerunt iam & ista. Assiduitas multa fastidium ingessit. Ad regales & peregrinas delicias transitus factus est: satur Monachus, iam non nisi caprea, ceruo, apro vel urso agresti, vesci potest. Lustranda sunt nemora, venatoribus opus est. Aucupum arte, fasiani, perdices, turtures capiendi sunt; ne servus Dei fame pereat. Providendum sollicite, ut quia aliter vi- H vere non potest, eius omnino desideriis satisfiat. Quid ergo restat? quando quidem non nisi sexta feria per omnem hebdomadam ab his epulis excipitur: addatur & ipsa, nec illa Christianorum Quadragesima convivia continuata interpolet. Abscedant de medio veris, æstatis, autumni, & hiemis ieiunia. Totus & integer annus epulis & gaudiis continuetur: ne forte tantum hominum Deus offendatur, de quo & de quibus Apostolus ait, *Quorum Deus venter est, & gloria in confu-* (Phil. 3.) *sionem ipsorum.* Vt quid enim huiusmodi Monachi absque fructu fatigantur? Vt quid absque spe mercedis, sexta feria, quadragesima, vel reliquis iam dictis diebus, a carnibus abstinent? Quæ enim eis mercedis spes superesse potest, qui non sponte, sed inviti, non voluntarij, sed coacti, sanctis illis diebus, a carnibus abstinere videntur? Nullus enim, nullus, inquam, mihi persuadet, tales illis diebus si impune

liceret,

A liceret, velle a carnibus abstinere. Relinquant ergo quod inviti faciunt, & sicut a pane illo alieni, de quo in Evangelio legitur, *Beatus qui manducabit panem in regno Dei*, (Luc. 14.) & sicut a mensa illa extorres, de qua Christus, *ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo*, (Luc. 22.) non amittant interim carnes porcinas, non vaccinas, non qualibet alias, ipsa sexta feria vel Quadragesima. Totus, ut iam dixi, & integer annus in gaudio & epulis continuetur: ut mœror & tormenta his epulonibus per secula perpetuentur. Non sufficiunt iam, ut a quibusdam nostris & fide dignis accepi, prædia Cluniacensia mensis & conviviis prodigorum nostrorum in tantum, ut si carnibus & votis eorum devotus minister voluerit satisfacere, terras ipsas & prædia necesse sit vendere. Et, ô quicunque es talium conviviorum carnifex, hoccine est, quod monachum profitens, Deo vovisti? Hoccine est, quod coram Abbate tuo & fratribus promisisti? B Hæccine est regula, secundum quam te vivere spopondisti? Videamus, videamus, ipsa regula in medium adducatur, & utrum professionis quod de carnibus profitetur teneat, agnoscatur. Carnium, inquit, quadrupedum omnino ab omnibus abstineatur comestio, præter omnino debiles & ægrotos. Et in alio loco: Carnium esus infirmis quoque expedit offeratur. At ubi meliorati fuerint, à carnibus more solito omnes abstineant. Quid dicis? Monachus sum. Et ô utinam! Si ergo monachus es, ubi est hoc quod professus es? Professus es certe obedientiam secundum Regulam S. Benedicti. Hæc sunt autem de hoc Capitulo verba regulæ quæ audisti. Quid igitur prævaricaris? Quid Deo mentiris? Quid te ipsum fallis? Verba tua te condemnant, de ore tuo ut servum nequã te iudicant, (Luc. 19.) chirographum quod scripsisti homines servant, Angeli retinent, proponendum tibi in die magni iudicij Dei, ante tribunal summi & veri iudicis C Iesu Christi: proponendum, inquam, & legendum, sive ad vitam, sive ad mortem. Et ne tibi recurrere liceat ad id quod soles, ut dicas & hoc capitulum, sicut & alia quædam à sanctis quibusdam Patribus certa ratione mutatum, respondeo. Aliter est. Si enim de Nocturnis lectionibus, si de operis manuum, si de vestibus & quibusdam similibus, à bonis patribus post S. Benedictum, mutatum est: non dubia, sed certa & rationabili causa factum est. Et causa vel ratio, quæ bis a me in duabus epistolis, olim Domino Abbati Claravallensi directis, studiose descripta est, hic iterare superfluum iudico. Si autem studiosus fueris, ibi plene reperies. At huius capituli prævaricatio, qua ratione excusabitur? Qua causa sospes & integris viribus Monachus carnibus utens, reus non esse monstrabitur? Dic si quid habes, & aliqua vera vel verisimilis ratio est: carnes tibi si potes vendica. Non habes, non habes, inquam ut æstimo, quid dicas. Non habes plane, unde periurij reatum, ne dicam noxam expurges. Obviat regula, contradicit iustitia. Et quid dico? Sileat interim regula.

D Veniat post magnum Benedictum & eius discipulum Maurum summus Ordinis Monastici in Galliis reparator, præcipuus regulæ reformator Odo: Odo, inquam, primus Cluniacensis Ordinis Pater, qui emortuum iam & pene ubique sepultum Monastici propositi fervorem resuscitare summo conamine aggressus est. Defecerat suo tempore Sanctus, diminutæ erant veritates a filiis hominum. In cunctis pene Europæ nostræ finibus, de Monacho præter tonsuram & habitum nihil. Institit ille divino operi pene tunc solus, & Cluniaci primum iaciens fundamenta, post huc illucque religionis semina, quamdiu advixit, serere non cessavit. Ille ergo, ô frater, primus tuus Pater, quid de carnium capitulo senserit, quid dixerit, quid scripserit? Consule librum eius, relege verba eius. Invenies inter alia ad terrorem talium, illum scripsisse: quendam illius corrupti temporis Monachum, quadam hebdomade ad domum parentum suorum venisse, & ut sibi refectio pararetur quæsisse. Cumque parentes respondissent, habere se pisces in promptu: indignatus ille ad nomen piscium, E fuste, quem forte manu tenebat, gallinam prope astantem percussit, & dixit. Cur pisces vos habere dicitis? Hæc plane, hæc hodie mihi piscis erit. Erubescentes illi ad verba impudentis hominis, gallinam a Monacho ad esum percussam festinanter præparant, igni admovent, assare incipiunt. Cumque diutius assaretur, ille gula instigante impatiens, & velut actus furia, gallinam invadit, ossa extrahit, ori iniicit. Quam statim attritam, dum traiicere conatus esset, non potuit; cum reiicere, nec illud prævaluit. Accurrunt omnes, conclamant undique, frequentes ictus collo patientis ingeminant: ut mortis esca reiici posset, toto studio & conatu laborant. Sed nequicquam. Ita via gutturis obturata, spiritu vitali præcluso: Monachus ille nec confiteri peccata, nec escam salutarem, hoc est corpus Christi, obstante mortifero cibo, sumere prævalens, in momento extinctus est. Sic tam terribili morte præventus, horrendum esse incidere in manus Dei viventis, F præsentes & posteros docuit: & esum carnium ad fortes & incolumes Monachos non pertinere, lucide demonstravit. Hæc est certe, Cluniacensis frater, primi & Sancti Patris tui Odonis de carnibus Monachorum sententia, hæc doctrina: Sed ne forte dicas, in uno tantum Monacho eum hoc vitium condemnare, recole vitæ ipsius historiam, & quanto studio monachos S. Benedicti super Ligerim sibi commissos, à carnibus edendis cohibuerit, ad mentem revoca. Nam sic ibi legitur. His præterea diebus cœpit eis persuadere, ut ab esu carnium recederent, parce viverent, nihilque proprium possiderent. Et post quædam. At fratres illi, idipsum, cui abrenuntiaverant, moliebantur mandendo consumere, cum cæteris quæ Pater noster secum detulerat: ut consumptis omnibus, saltem invitus carnem eis edendam concederet. Qua de re indesinenter expetebant pisces. E contra pius Pater cuncta illis G impendebat competentia, ut ab uno eos cohiberet. A quo uno? A carne utique edenda. Hæc est, inquam, ut dixi, si Cluniacensis es doctrina Patris tui: hoc eius exemplum, hoc eius præceptum. Aut ergo nega eum Patrem tuum, & comede carnes tuas: aut confitere, & abstine à carnibus non tuis. Dico eas non tuas, si Monachus & sanus es. Et quid dico, si monachus & sanus es? Plus aliquid dicam. (Num. 11.) Vide quantum condemnari debeat esus carnium in Monachis, cum severissime à Deo condemnatus fuerit etiam in Iudæis. Dicebant illi. *Quis dabit nobis ad vescendum carnes? Anima nostra arida est. Nihil aliud respiciunt oculi nostri, nisi Man.* Et quid post? *Iratus est*, ait scriptura sancta, *furor Domini valde. Sed & Moysi intolerabilis res visa est.* Quod si Deus iratus est, si Moysi intolerabilis res visa est, quia desiderabat carnem Iudæus: numquid Deo placere potest, numquid res tolerabilis est, quando contra votum suum comedit carnem Monachus? Sed audi formidabile iudicium Dei. Licet Deus ea de causa iratus fuerit, licet murmur illud Moysi intolerabile visum fuerit: H satis factum est tamen Iudaicæ concupiscentiæ, (Ps. 77.) ut adepti quod male cupierant punirentur, & implerentur in eis tormenta, illa sententia, qua dicitur. *Dimisi eos secundum desideria cordis sui, ibunt in adinventionibus suis.* Sic plane, sic factum est. Concupierunt concupiscentiam in deserto, & tentaverunt Deum in inaquoso. Et dedit eis petitionem ipsorum, & misit saturitatem in animas eorum. Nam si eis dictum est. *Sanctificamini, cras comedetis carnes.* Ego enim, ait Deus, audivi vos dicere. Quis dabit nobis escas carnium? Bene nobis erat in Ægypto. Vt det vobis dominus carnes, & comedatis: non uno die, nec duobus, vel quinque aut decem, nec viginti quidem: sed usque ad mensem dierum, donec exeat per nares vestras, & vertatur in nauseam: eo quod repuleritis Dominum, qui in medio vestri est. Ecce impletum est quod concupierant. Comederunt, & perierunt. Audi Moysem. *Adhuc carnes erant in dentibus eorum, nec defecerat cibus huiuscemodi: & ecce furor Domini concitatus in populum percussit eum plaga magna nimis. Vocatúsque est locus ille,*

77. *ſepulchra concupiſcentiæ. Ibi enim ſepelierunt populum, qui deſideraverat carnes.* Audi & David. *Adhuc eſca eorum erant in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos. Et occidit pingues eorum, & electos Iſrael impedivit.* Quid euidentius? Quid terribilius? Audi coruine Monache, nec iraſcaris quia te ſic nomino. In quo enim differs à coruo, in quo à vulture, in quo ab urſo, in quo à lupo? Inhiant volucres illæ aut feræ ſanguineis dapibus, nec dies à diebus, nec horas ab horis in veſcendo diſcernunt. Sic, ut video, & tu, qui, ut ſupra ſcripſi, nullum tempus, nullam diem, niſi quando vi cogeris, a tali eſu vacare permittis. Audi, aduerte, intellige: Iudæos, in quos tam dire ultus eſt Deus carnium concupiſcentiam, nequaquam prius vouiſſe Deo carnium abſtinentiam. Qui licet nihil Deo tale vouerint, nihil promiſerint: tamen quia concupierunt, quia murmurauerunt, quia comederunt, ira Dei aſcendit ſuper eos, electi Iſraël impediti ſunt, innumeri interfecti ſunt: in ſepulchris concupiſcentiæ, quia carnes concupierant, ſepulti ſunt. At tu qui ob maius meritum in cœlo reponendum, ne carnem ſanus comederes Deo vouiſti: cuius vox pene aſſidue coram Deo Propheta reſonat, eique audacter promittit,
65. *Reddam tibi vota mea, quæ diſtinxerunt labia mea:* cum pene quotidie initum cum Deo Pactum irritum facias, impunitus euades? Vis, immo exigis tibi reddi, quod tibi promittitur à proximo: & putas à Deo non exigi quod promittitur Deo? Tacet quidem nunc, ſed, ut ipſe loquitur, numquid ſemper tacebit? Plane quandoque ſicut parturiens loquetur, plane, ut ſe habent verba eius, vociferabitur, & clamabit & ſuper inimicos ſuos confortabitur. Exiget quia prævaricatus es, exiget quia mentitus es, nec dimittet aliquid uſque ad ultimum quadrantem. Terreant ergo te tot illa, & ſi nondum à facie Dei proiectus es, time quod audis, nec vana vel ludicra putes: quia quod nullus unquam mortalium potuit, nec tu, ut credo, poteris effugere iudicium Dei. Hæc verba non ſunt mea ſed Apoſtoli, immo ipſius, qui in Apoſtolo loquitur, Chriſti. *Statue*, ut ait Salomon, *quando ad menſam accedis*, ſtatue, inquam, *cultrum in gutture tuo:* confige timore Dei carnes tuas, coge illas abſtinere à carnibus non tuis. Pomo, quod minus eſt, non carne, periit & perdidit orbem parens carnis humanæ. Quæ culpa quanta fuerit, etiam parum aduertens agnoſcit. Nam niſi primus in eſu illo reatus fuiſſet, non tanta Dei filius ad illum expiandum in aſſumpta carne tuliſſet. Sed quid exemplis immoror? Innumera ſunt ſcripturæ ſanctæ teſtimonia, quæ gulæ intemperiem damnant quæ quanta inde mala ſequantur demonſtrant: quæ quibuſlibet Chriſtianis, ne dicam Monachis, omnino cauendam eſſe prædicant. Vnde qui ſupra Apo-
13. ſtolus, *Non in comeſſationibus & ebrietatibus.* Qui &
10 oſtendens, quid inde ſequatur, ſubdit. *Non in cubilibus & impudicitiis.* Sed forte oppones mihi hædos Iſaac,
3. Reg. quibus ſaturatus benedixit filio. Obiicies forſitan, & coruos Heliæ, de quibus legitur, quia deferebant ei panes, & carnes mane, & panes, & carnes veſpere. Aſt ego licet tu Patriarcha non ſis, libens tibi concedo hædos Patriarchæ: ſi tamen iam ſatur, benedictiones, quas ille filio, tu mihi quoque dederis. Nec carnes Heliæ abnuam, ſi vel tu Propheta fueris, vel à coruis allatas carnes ſuſceperis. Sed ne nimius in loquendo videar, iam verba finio. Ad quid enim ea ultra producerem? Si te iſta non terrent, nec plura, ut puto, terrerent. Si te iſta non corrigunt, nec, ut æſtimo, maiora corrigerent. Det ergo Deus, ut tibi quæ dicta ſunt proſint. Quod ſi tibi non profuerint, mihi ſaltem proderunt. Dicam enim Deo, quod Pater benedictus contemptos à ſubditis Magiſtros dicturos perhibet. Iuſtitiam tuam non abſcondi in corde meo, veritatem tuam, & ſalutare tuum dixi. Ipſi autem contemnentes, ſpreuerunt me.

## EPISTOLA XVI.

*Magnifico Principi, Domino Rotgero Regi Siciliæ, Frater Petrus humilis Cluniacenſium Abbas, ſalutem præſentem, & regnum ſempiternum.*

QVantum ſublimitatem veſtram diligamus, quantum actus veſtros proſperari, & in Domino, & in ſeculo velimus, nouit ille qui novit omnia. Audientes obitum filiorum veſtrorum valde doluimus, & tam pro ſoſpitate veſtra, quam pro animabus illorum, Miſſas celebrari, orationes ad Deum fundi, eleemoſynas fieri, in Conventu noſtro præcepimus. Non ſolum autem nunc, ſed & ſæpe diebus ſolemnibus, & maioribus capitulis noſtris: inter alios reges, amicos & benefactores noſtros, veſtri memoriam frequentamus. De cætero notum facimus regiæ magnitudini veſtræ, nos multum dolere de inimicitiis, quæ inter vos & Dominum Regem Theutonicorum, ſeu Imperatorem Romanorum verſantur. Multum enim tam ego quam multi alij, diſcordiam illam ſentimus obeſſe regnis Latinis, & Chriſtianæ fidei propagationi. Nam cum multa, ſicut frequenter audivimus, augmenta Eccleſiæ Dei, bellica virtute veſtra de terris inimicorum Dei, hoc eſt, Sarracenorum, proveniant: longe, ut credimus maiora provenirent, ſi firma pax, & concordia vos, & regem ſupradictum uniret. Eſt & aliud quod longe magis accendit animos noſtros, & animos pene omnium Gallorum noſtrorum, ad amandam, & quærendam pacem veſtram: illa ſcilicet peſſima, inaudita, & lamentabilis Græcorum, & nequam Regis eorum de peregrinis noſtris, hoc eſt, exercitu Dei viuentis, facta proditio. Vt enim iuxta quod in mente mea video loquar, ſi neceſſe eſſet quantum ad Monachum pertinere poteſt, non recuſarem mori: ſi mortem tantorum, tam nobilium, immo pene totius Galliæ & Germaniæ miſerabili fraude extinctum florem, iuſtitia Dei per aliquem ſuorum dignaretur ulciſci. Neminem vero ſub cœlo Principum Chriſtianorum video, per quem tam bene, tam congruè, tam efficaciter, ſicut per vos, opus hoc tam ſacrum, tam cœlo & terræ optabile, poſſet impleri. Nam per gratiam Dei, quod non adulans dico, iuxta quod ex præteritis operibus veſtris, & ex verbis multorum conicio: ad tantum bonum iſtud perficiendum, aliis Principibus, & animo ſagacior, & opibus ditior, & virtute exercitatior, & ipſo inſuper loco propinquior eſtis. Exurge igitur bone Princeps, quod voce quidem mea, ſed tam meis quàm omnium votis dico: exurge in adiutorium populo Dei, zelare ſicut Machabæi legem Dei: ulciſcere tot opprobria, tot iniurias, tot mortes, tantum tam impie effuſum ſanguinem exercitus Dei. Paratus ſum ego pro iam dicta pacis cauſa, mox ut ſe opportunitas præbuerit, Imperatorem ſupradictum adire: & adhibitis mecum quos potero, totis viribus, omni ſtudio, de pace tam Deo amabili, inter vos & ipſum reformanda & confirmanda tractare. Reſcribam Deo volente vobis ſtatim poſt colloquium quod invenero, & cuncta vobis literis patefaciam.

## EPISTOLA XVII.

*Amantiſſimo Patri, Petro Dei gratia venerabili Cluniacenſi Abbati, Frater Bernardus de Claravalle, ſalutem, & quas poteſt orationes in Domino.*

GRavem nimis ac miſerabilem Orientalis Eccleſiæ gemitum ad aures veſtras, immo ad ipſa etiam penetralia cordis arbitror perueniſſe. Dignum quippe eſt, ut ſecundum magnitudinem veſtram, magnum

A sacratissimis locis exterminetur, à quibus ad nos deportata est, Dei misericordia præcedente, & subsequente, omnimodam operam adhibere disposuimus. Et quia præsentia vestra huic tanto operi plurimum esset necessaria, ex parte Dei, cuius est causa, pro quo & in carcerem & in mortem ire semper parati esse debemus: ex Archiepiscoporum, & Episcoporum parte, qui hanc nobis submonitionem iniunxerunt, & ex nostra, celsitudinem vestram præfato termino & loco, huic tam egregio facto interesse, & invitamus, & submonemus, & suppliciter efflagitamus. Cæterum, ut has alias literas Domino Lugdunensi citissimè dirigatis, ne ex mora occasionem non veniendi habeat, rogamus.

## EPISTOLA XX.

B *Venerando, & præcordiali amico nostro domno Sugero, Sancti Dionysij Abbati, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, salutis & præsentis & æternæ plenitudinem.*

DOleo, & supra quam dicere possum doleo, quia sacro conventui vestro, quem apud Carnotum Dominus Rex consilio sapientiæ vestræ, & aliorum sapientum indixit, interesse non valeo. Credite intimo amico, credite vera dicenti: quia vere volo, sed non valeo: & quia non valeo, doleo. Quis enim non doleat se non interesse tam sancto Collegio, ubi nullus proprium lucrum, ubi nullus quæ sua sunt quæret, sed quæ Iesu Christi? Non enim res quælibet agitur, sed de illa tractatur, quæ maior nulla, immo quæ est omnium maxima. Nonne maxima omnium est, providere, C satagere, ne sanctum detur canibus: ne loca, in quibus steterunt pedes operantis salutem in medio terræ, rursum pedibus iniquorum proterantur: ne regia Hierusalem à Prophetis, ab Apostolis, ab ipso omnium Salvatore dedicata: ne nobilis illa totius Syriæ metropolis Antiochia iterum blasphemis, & nefandis hominibus subiiciantur: ne ipsa salutaris Crux, iam ab impiis, ut dicitur, obsessa, ut olim à Cosrohe † capiatur: ne ipsum sepulchrum Domini, quod hactenus, iuxta Prophetam, gloriosum toto in orbe fuerat, fortassis ut illi minari solent, radicitus avellatur? Huic ergo tam sancto, tamque necessario tractatui, ad quem humilitatem meam, venerande vir, invitare voluisti: libentissimè, ut dixi, interfuissem, si ullo modo potuissem. Quæ iter hoc meum impediunt, multa sunt. Sed inter alia, specialia duo sunt. Vnum, multiplex incommodum corporis mei: quod à Natali Domini usque ad hoc tempus, pene assidue passus sum. Aliud, Conventus magnus priorum, quos, antequam de istis quæ mandastis aliquid scirem, in ipso fere initio Quadrage- D simæ, pro consilio inevitabilis rei, Cluniacum ea die, qua Conventus vester apud Carnotum indictus est, venire præceperam. Suscipiat ergo, si placet, æquo animo unanimis, & charissima mihi reverentia vestra, nõ fictam, sed veracem excusationem meam: & apud se, & apud alios, excusatam habeat absentiam meam.

† Cosdroë

## EPISTOLA XXI.

*Petro reverentissimo Domino & Patri, ac venerabili Abbati Cluniacensium, Heloisa humilis Dei, & eius ancilla, spiritum gratiæ salutaris.*

VIsitante nos Dei misericordia, dignationis vestræ nos visitavit gratia. Gratulamur, Pater benignissime: & quod ad parvitatem nostram, magnitudo vestra descenderit, gloriamur. Est siquidem vestra visitatio, magna magnis quibuslibet gloriatio. Norunt alij, quantum eis utilitatis vestræ contulerit præsentia sublimitatis. Ego certe non dicam enarrare dictu, sed nec E ipso valeo comprehendere cogitatu: quam utilis, quam iocundus vester mihi fuerit adventus. Abbas noster, Dominus noster, apud nos anno præterito X V I. Kal. Decembris, Missam celebrastis: in qua Spiritui sancto nos commendastis. In capitulo, divini nos sermonis eulogio cibastis. Corpus magistri nobis dedistis, ac beneficium Cluniacense concessistis. Mihi quoque, quam nec ancillæ nomine dignam sublimis humilitas vestra tam scripto quam verbo sororem vocare non dedignata est, singulare quoddam velut amoris & sinceritatis privilegium donastis. Tricenarium scilicet, quod mihi defunctæ Conventus Cluniacens. persolveret. Indixistis etiam, quod donum illud sigillatis confirmaretis apicibus. Quod itaque sorori immo ancillæ concessistis, frater, immo Dominus impleatis. F Placeat etiam vobis aliud mihi sigillum mittere, in quo Magistri absolutio literis apertis contineatur, ut sepulchro eius suspendatur. Memineritis, & amore Dei nostri Astrolabij & vestri, ut aliquam ei vel à Parisiensi, vel ab alio quolibet Episcopo præbendam adquiratis. Vale. Dominus vos custodiat, & præsentiam vestram quandoque nobis exhibeat.

## EPISTOLA XXII.

*Venerabili & charissimæ sorori nostræ, Deique ancillæ Heloisæ ancillarum Dei ductrici ac magistræ, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, salutis à Deo, amoris à nobis in Christo plenitudinem.*

GAvisus sum, & hoc non parum, legens sanctitatis vestræ literas: in quibus agnovi adventum G meum ad vos non fuisse transitorium: ex quibus adverti, non solum me apud vos fuisse, sed & à vobis numquam postmodum recessisse. Non fuit, ut video, illud hospitium meum: velut memoria hospitis unius noctis prætereuntis: nec factus sum advena, & peregrinus apud vos, sed civis sanctarum, & domesticus, utinam Dei. Sic sacræ menti vestræ cuncta inhæserunt, sic benigno spiritui vestro omnia impressa sunt, quæ in illo fugaci seu volatico adventu meo dixi, quæ feci: ut non dicam ea, quæ studiosè à me tunc dicta sunt, sed nec verbum fortè negligenter prolatum ad terram caderet. Ita notastis omnia, ita tenaci memoriæ ex sinceritatis affectu dirinatæ commendastis: quasi magna, quasi cœlestia, quasi sacrosancta, quasi ipsius verba vel opera Iesu Christi. Forte moverunt vos ad illa sic retinenda, verba communis regulæ, hoc est tam nostræ quam vestræ, quæ de hospitibus præcipit: Christus in eis adoretur, qui & suscipitur. Forsitan & illa de Præpositis, licet ego Præpositus vobis non sim, *Qui vos audit, me audit.* Vtinam hæc mihi semper gra- H tia detur apud vos, uti mei memor esse dignemini: ut Luc. 10. pro me omnipotentis misericordiam, cum sacro gregis vobis commissi collegio, deprecemini. Rependo, & ego in hoc vobis vicem quam possum, quia & longe antequam vos viderem, & maxime ex quo vestri notitiam habui, singularem vobis in intimis mentis meæ recessibus veræ, non fictæ charitatis locum servavi: donum quod de Tricenario vobis præsens feci, absens, ut voluistis, scriptum & sigillatum transmitto. Mitto etiam, sicut mandastis, magistri Petri absolutionem, in charta similiter scriptam & sigillatam. Astrolabio vestro, vestrique causa nostro, mox ut facultas data fuerit, in aliqua nobilium Ecclesiarum præbendam libens adquirere laborabo. Res tamen difficilis est, quia, ut sæpe probavi, ad dandas in Ecclesiis suis præbendas, variis obiectis occasionibus valde se difficiles præbere Episcopi solent. Faciam tamen causa vestri quod potero, mox ut potero.

A

## EPISTOLA XXIII.

*Petro Venerabili & honorando Dei gratia Cluniacensium Abbati, Frater humilis pauperum Maiorevi Prior vocatus, cum eisdem pauperibus æternam à Domino salutem.*

NOverit vestræ paternitatis dulcedo, domnum Petrum Vinianum duos de libris nostris habere, Glossulas videlicet continuas super Matthæum, & beati Ioannis Evangelium glossulatum. Et quia satis eos retinuit, per annos scilicet viginti circiter, obsecramus humiliter vestram charitatem, ut dignetur ei præcipere, quatinus sine dilatione illos nobis procuret reddere. Memorem nostri, paternitatem vestram, divina gratia incolumem diu custodiat. Sciatis denique, quia si essetis Abbas alter quilibet, & non tam celebris atque famosus: fracti fœderis ac frustratæ promissionis, quam de visitatione nostra vestra dignatio multotiens fecit, aperta fronte quæreremus satisfactionem.

B

## EPISTOLA XXIV.

*Charissimis & magnificè honorandis servis Dei, apud Maiorevum in heremum Christo servientibus, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, salutem, cui se totos devoverunt, æternam.*

C

CAntat Deo Propheta in Psalmis, *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo.* Possum & ego non mentiens scribere vobis, quod longe dulciora sunt melle verba vel literæ vestræ mihi. Nam semper supremam arcem pectoris mei vobis, vestrique ordinis viris servavi; instituta Chartusiensia universarum religionum institutionibus prætuli: à primis pene adolescentiæ annis, sincero affectu sacrum religionis vestræ propositum colui. Vnde quando vacare potuit, quædam antiquiora vestri Ordinis loca adire frequenter non pigritavi, inaccessibiles pene niuibus, & à glacie altissimas rupes non abhorrui: fratres inter illas montium, & rupium angustias omnipotenti Domino servientes, videre, visitare, atque cum eis in Domino iocundari, dulce habui. Hunc saporem, quo, cum adhuc testa rudis essem, imbutus sum, diu & per gratiam Dei etiam huculque servavi: non quidem vos videndo, quod ut volui hactenus non potui, sed vos vestráque omnia charitate non ficta diligendo, colendo, venerando. Sed de fracto fœdere, ac frustrata promissione, qua vos visitare multotiens, ut dicitis, promiseram, arguor; & à tantis amicis durè convenior. Audio quod si essem Abbas alter quilibet, & non tam celebris atque famosus, aperta fronte de his digna quæreretur satisfactio. Sed ago gratias Deo, quia non sum Abbas quilibet, sed tam celebris atque famosus, ut nemo vestrum audeat me aggredi, nec aperta fronte de fracto fœdere, & frustrata promissione quærere satisfactionem. Si enim non tantus, sed alter quilibet Abbas essem, certum est, quia impune non evasissem. Quis enim aliter credat? Nam à tam veracibus non aliter res quam sermo procederet. Sed tamen ut amicis, & hoc intimis satisfaciam, libens maioris nominis fastum depono: & me Abbatibus, licet inferioribus, si tamen inferiores sunt, compono. Eligite quem vultis de toto orbe minorem, & de me ut de illo, si reus esset, fracti fœderis pœnas sumite. Parcius tamen, ut vel parum pro parte mea agam, pœna sumenda est: quia mala fide fractum fœdus non est. Obstiterunt multa, quæ fœdus initum, & visitandi promissionem servari non permiserunt: negotia infinita, hyems supra solitum horrida, corporis multiplex incommodum, quo plusquam per dimidium annum natura laborat: nec adhuc plene hostem tam diu sibi infestum vincere potest. Ea de causa mitius, ut mihi videtur, puniendus est, qui quod dicit, quod promittit, quod maxime vult, implere non potest. Habeo inde de re simili mecum, & pro me agentem, magnum Apostolum. Voluit ille venire ad Corinthios, ut secundam gratiam haberent: voluit & per eos transire in Macedoniam, voluit & iterum à Macedonia venire ad eos, & ab eis deduci in Iudæam. Voluit hoc, sed ut voluit non potuit. Excusat ipse se ipsum, & excusando non tantum se, sed & me etiam contra vos secum excusat. Nunquid, ait, levitate usus sum, aut quæ cogito, secundum carnem cogito: ut sit apud me, est, & non? Quis loquitur? Magnus Apostolus. Si interroges, quis magnus? Respondeo. Non est interrogandum. Vbi Apostolo magnus additur, Paulus intelligitur. Hic ergo Apostolus, & magnus, astruit se non esse levitate usum, si aliquando dixit, est: aliquando dixit, non. Intellexit enim semper quidem seruandam esse veritatem verborum, sed non idcirco minus esse verba veracia, si ea mutari cogeret multiplex varietas diuersarum causarum. Quod & indicant verba sequentia. *Fidelis autem Deus, quia sermo noster qui fit apud vos, non est in illo, est, & non: sed est in illo, est.* Quod nullatenus veritate salua dicere posset, si verba simplici ex corde prolata, absque falsitatis nota, rerum necessitate cogente, mutari non posse videret. Verum est ergo quod dixi, veniam ad vos: sed certa & rationabilis causa me impedivit, ut non venirem ad vos. Hac ergo de causa non fuit in ore meo, est, & non: sed fuit in illo, est. Excusatum ergo me esse arbitror, & nisi plus nimio duri exactores esse velitis, satisfecisse me æstimo. De libris à fratre Petro Viniano diu, & præter voluntatem vestram, ut in literis vestris legimus, retentis: rescribo, quod si Deus permiserit, hominem conueniam, & prout officij mei ratio postulat, ut iustum fuerit, vestra vobis restitui faciam. De reliquo, vos Deo, cui servitis: me autem nostrósque ipsi, vobisque commendo. Quod tardius vobis scripsi, nolite imputare negligentiæ meæ, quæ in casu isto non est: sed imputate infinitæ importunitati causarum, quæ fere semper mihi molesta est. Hæc si saltem breui temporis spatio, ne dicam momento, me mihi vacare permisisset: iam oculus vester ante duos aut tres menses Epistolam meam vidisset.

D

E F G

## EPISTOLA XXV.

*Summo Pontifici, & nostro speciali Patri, Domino Papæ Eugenio, Frater Petrus humilis Cluniacens. Abbas, devotam obedientiam, cum filiali amore.*

H

QVoniam Apostolica mandata negligenter suscipere vel exequi, pene crimen iudico: idcirco de quibusdam iam altero ut comperi anno, mihi à paternitate vestra scriptis, & iniunctis, quia nec dum ea exequutus sum, me hac Epistola apud Patrem excusare suscepi. Nec miretur sapientia vestra, tamdiu me vobis inde scribere distulisse, quia pene simul, & rei cognitionem accepi, & stylum ad scribendum aptavi. Quā si prius agnoscere licuisset, quod nunc facere cœpit manus, exequi non distulisset. Scripsit ante annum reverentia vestra domno Lemovicensi Episcopo, & mihi: ut in exemplari literarum Apostolicarum à quibusdam Brivatensibus clericis mihi oblato legi, quatinus Claromontensem Episcopum, cum socio iam dicto, die locóque congruo evocatum conuenirem: & ut militem quendam, quem pene per biennium captum tenuerat, redderet præciperem: & quæstionem, quæ de castello Alsone inter quosdam nobiles versabatur, vestra fultus auctoritate terminarem. Addita sunt quædam alia de Episcopo, quæ nobis audienda, non diffinienda

commissa

A commissa sunt. Literas illas clerici ab urbe detulerunt, nec mihi, sed eidem Claromontensi Episcopo reddiderunt. Vt autem ipsi mihi testati sunt, hoc ea necessitate fecerunt, quia captiuum suum, qui frater unus ex ipsis erat, aliter ab Episcopo recipere nequiverunt. Qui statim ut eas habuit, nobis usque ad hanc diem invisibiles fecit. Ea causa est, quia a me Apostolica præcepta impleta non sunt. Non enim accepta implere neglexi, sed non accepta implere non potui. Idem, & de Lemovicensi Episcopo non quidem scio, sed scire me æstimo. Quem ergo hæc culpa respiciat, quia clarum est, dicere meum non est. Dicam tamen sequentia, quæ idcirco tacenda non sunt: quia non uni, duobus, aut tribus, sed multis populis noxia sunt. Arverniam olim tam spatio terrarum, quam multitudine populorum, teste Cæsare, & quibusdam aliis B historicis, regnum iuxta regnorum antiquorum quantitatem fuisse, multis, etsi non omnibus, notum est. Huius tota pene cura, deficientibus regibus, comitibus, magis Christianum populum infestantibus quam defendentibus: ad iustum & lene regimen Ecclesiæ, iam a longo tempore conversa est. Huic soli deficientibus, ut dixi, Principibus vel infestis, hucusque innixa est, sub hac se tutam ac securam mansisse gavisa est. Episcopi enim, qui ante istum terræ illi iure Ecclesiastico principati sunt: & quod suum erat iuxta sibi datam gratiam impleverunt, & quod Regum vel Principum fuerat in defendendo Ecclesiam, iuxta quod licuit suppleverunt. At nunc per viginti fere annos populus ille Dei tantus, tam numerosus, iuxta scripturæ sanctæ verbum de Iudæis olim dictum, mansit sine Rege, sine Principe, & quod solum ei supererat, sine lege, quod peius est, & sacerdote. Quomodo enim sacerdos dici potest, qui exceptis sacramentis pontificalibus, de Pontificis officio, ex quo Episcopari cœpit, G pene nihil implevit? Vbi enim eius erga gregem commissum vigil custodia? Vbi pastoralis sollicitudo? Vbi pereuntium, & quotidie ad inferos sub eius conspectu descendentium miseratio? Impugnat assidue alter alterum, acuunt pene universi in mutuam cædem gladios, conspirat frater in fratris interitum: castrorum Domini, inferioris nominis milites, burgenses, rustici populi, laicorum omne genus de illo clamant, quod Propheta Dei olim pessimo regi Israël locutus est. Vidi universum Israël dispersum in montibus, quasi oves non habentes Pastorem. Si ab eo de malefactoribus iustitia Ecclesiastica exigitur: aut negatur, aut venditur. Sed hoc primo tempore. Iam enim non negatur, quia nec quæritur. Tanta mutari posse in hominem melius, subditis desperatio facta est: ut cum innumeris ærumnis universi laborent, totáque Diocesis eius malis infinitis exuberet: non sit iam fere qui de tanto- D rum hominum numero eius curiam adeat, suas apud eum querelas deponat, consilium quærat iudicium vel iustitiam exigat: quorum omnium nihil penes ipsum inveniri se posse non dubitat. Manet otiosus inter negotia infinita, vidénsque non lupum tantum, sed lupos innumeros in sibi commissas oves irruentes, fugit, ut magnus Gregorius ait, non mutando locum, sed subtrahendo solatium. Fugit, & eo fugiente lupi rapiunt, & dispergunt oves. Sed fortassis laicos negligit, & ut remotiores ab ordine vel proposito suo, contemnit. Fortasse illis contentis Monachorum vel clericorum curam, quibus professione propinquior est, sibi assumpsit. Sed, ô utinam quantum ad ipsum, clerici vel Monachi laicis pares essent. Sed prorsus non sunt. Nam cum effectum auxilium vniuersis æqualiter neget, affectum tamen quantum ex his quæ in eo videntur, aut ab eo audiuntur, longe maiorem laicis, quam clericis aut monachis exhibet. Redeunt illi ab eo contenti ad seipsos, & quia gladium spiritus, quod est verbum Dei, in ipso alligatum cernunt, convertuntur ad gladios proprios: & quod ille sermone pacare posset, hi multo effuso sanguine pacare non possunt. Habent tamen aliquid consilij, quando, ut dixi, deserti à suo Episcopo se ipsos vi armata ipsi tuentur. Sed E quid clericis consilij? Quid monachis remedij? Carent vere sub tali Episcopo, non tantum divino, sed & humano auxilio. Divino, quia spirituali gladio non defenduntur. Humano, quia secularis gladius, quo ipsi vti non possunt, eos defendere nequit, nec quisquam Principum eum ad ipsos defensandos sibi assumit. Mutata est iam ex parte à longo tempore, sed nunc nostris diebus ex toto, Apostolica sententia, quam de Rege vel Principe Paulus profert, *Non enim sine causa gladium portat.* Rom 13. Quid ergo faciet clericalis vel Monasticus ordo, maxime in terra illa, quantum ad hoc misera: ubi nec Ecclesiastica censura protegitur, nec seculari gladio defensatur? Taceo graviora, taceo peremptoria, quæ à multis, ut mihi videtur, fide dignis ante multos annos audio, & frequenter à referentibus audire non cesso. Quorum quia testis esse ne- F queo, relator esse nolo. Audiet, ut credo, illa suo tempore vestra sublimitas, ab illis qui ea nobis referunt, & qui coram vobis testificari poterunt. De cætero, si placet, excellentiæ vestræ præsentium latorem commendamus: clericum nobilem, & in quantum scire possumus, honestum. Habet enim causam adversus eumdem Episcopum. Quæ si iusta fuerit, licet non sit necessaria deprecatio nostra: rogamus tamen, vt ei subveniat clementia vestra.

## EPISTOLA XXVI.

*Venerando viro, mihique valde charissimo Domino Ebrardo magistro Templi Dei, quod in Hierosolymis est, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, salutis, & dilectionis quicquid potest.* G

QVod personam vestram, & sacram sacri Templi vobis à Deo commissam Militiam, inter omnes religionis professores, quodam proprio ac singulari affectu semper dilexerim, semper veneratus sim: novi ego, novit testis, & conscius meus in excelso, noverunt multi vestrorum, nostis ut credo, nec dubito quod nostis & ipse. Feci hoc à primordio institutionis vestræ, quæ cum meo tempore exorta fuerit, velut rutilum novi syderis iubar mundo illuxisse, & miratus pariter & lætatus sum. Nec mirum hoc. Quis enim aliquam spem æternæ salutis habentium non lætetur? quis non totis animi præcordiis exultet in Deo salutari suo, Militiam Regis æterni, exercitum Domini sabaoth, ad debellandum Principem mundi, ad expugnandos inimicos crucis Christi, ex diversis orbis partibus congregatum, ad nova prælia velut è castris cœlestibus processisse? Quis non lætetur, quis non exultet: H processisse vos non ad simplicem, sed ad duplicem conflictum: in quo & contra spirituales nequitias, iuxta Apostolum, animi virtutibus: & contra corporales hostes, corporis viribus dimicatis? In quorum uno, quicquid sanctorum monachorum vel heremitarum est, assumpsistis: In altero, omnium religiosorum propositum excessistis. Militant quidem illi Deo, & licet castigando corpus suum, & in servitutem redigendo, laborent: tamen corpore à mundi tempestatibus, & maxime à bellorum tumultibus requiescunt. At vos, ut dictum est, & fortem armatum eisdem eorum artibus superatis: & contra illa eius, quæ aperte adversus Christum producit, infernalia castra, Sarracenorum dico agmina, pugnando assidue non cessatis. Estis monachi virtutibus, milites actibus: illud spiritualiter implendo, istud corporaliter exercendo. Exposuistis pro fratribus animas vitæ, corpora morti: fudistis iam sanguinem needum effusum, quem quotidie in bellis Deo offertis fundendum. Estis vere participes illius summæ, & præcipuæ charitatis, de qua Salvator, *Maiorem hac dilectionem nemo habet, quam ut* Ioan. 15. animam

*animam suam ponat quis pro amicis suis.* Hæc est causa, qua semper, ut suprà scripsi, singulariter vos dilexi: qua colui: qua veneratus sum. Feci hoc hactenus, & faciam per Dei gratiam, quamdiu fuerit spiritus in naribus meis. Hac fiducia, qua semper diligens ab eo, quem diligit, diligi se sperat, spero & ego à vobis me diligi: & si quid suggessero, amicabiliter audiri. Nobilis vir, Dominus Humbertus de Bello-ioco nuper à partibus transmarinis veniens, ad partes nostras rediit, & cum immensa exultatione ab omni illa terra susceptus est. Aberam ego quidem tunc, tractus negotiis ad alias partes; sed rediens, tantum ibique iubilum de eius adventu reperi: quantum nisi vidissem, vix unquam æstimare valerem. Gaudebant clerici, gratulabantur monachi, plaudebant rustici: totúsque adiacentium nobis Ecclesiarum chorus velut quoddam novum canticum resonabat. E converso, raptores dolebant, Ecclesiarum pervasores, monachorum, pauperum, viduarum, orphanorum, atque ignobilis, nec se suis viribus defendere prævalentis vulgi deprædatores, immo oppressores gemebant: suæque nequitiæ obiectum obicem, etsi non aperte verbis, cordibus tamen infandissimis murmurabant. Talis est enim, ut nosse vos credimus, Cluniaco adiacens terra vestra: ut quia sine Rege, sine Duce, sine Principe est, valde gaudeat, quando aliquam pacis materiam invenisse se sperat. Hanc, quia in isto & per istum ex plurima parte se invenisse confidit: gaudet ut dixi, & spei suæ gaudium dissimulare non potest. Ostendit iam dictus Humbertus ex quo venit, non frustra id de se sperari: cum & Vicecomitem Matiscensem, terræ nostræ matutinum, vespertinum, atque nocturnum lupum, ita subegit: ut iure quantum ad hoc pertinet, cum iusto Iob dicere possit, *Conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam.* Hoc & de multis aliis & cis Ligerim, & ultra Ligerim positis, paruissimo, hoc est, ex quo rediit, tempore fecit. Sperat hoc idem de eo vestra Cluniacus, quæ plus cunctis partium nostrarum monasteriis, vel Ecclesiis eius consilio & auxilio eget. Oro ergo, & sicut intimus vester, ut nostis, amicus consulo: ut si quam adversus eum de reditu suo ad nos querelam habetis, interim seponatis, & quia sapiens & discretus vir est, ipsum sibi suæque conscientiæ iudicio relinquatis. Credo enim quia magis eum tolerando, quam querimoniis irritando, apud eum proficere poteritis. Novi enim, ut puto, animum eius, & ex ipsius familiari colloquutione adverti, quod Deum timeat: & quod totum si lucrari posset mundum, animæ suæ saluti postponat. Relinquite eum interim miseræ terræ, & eam eius ope ac defensione, quibus ultra quam dicere possim eget, aliquanto saltem tempore gaudere permittite. Et hoc militaris officij vestri proprium, atque ad hoc arma sumpsistis, ut Ecclesiam Dei ab infestantibus defendatis. Et iuxta Prophetam etiam ad literam ex adverso ascendentes, murum vos pro domo Israël opponatis. Sed forte dicitis, Contra Paganos, non contra Christianos arma sumpsimus. Sed quis magis à vobis vel à vestris impugnandus est, Deum nesciens Paganus: aut ipsum verbis confitens, & factis contra eum dimicans Christianus? Quis magis persequendus est, ignorans & blasphemans: an agnoscens & impugnans? An non Deum impugnant, an non persequuntur: qui Ecclesiam eius, qui populum emptum sanguine eius absque ulla ubi possunt vel audent, personarum, graduum, dignitatum exceptione, deprædantur, cædunt, verberāt, quandoque etiam, quod sæpe contingit, perimunt? Non est, non est vere minus defendendus consiliis, immo gladiis vestris, Christianus vim iniuste patiens à Christiano, quā esset defendendus eandem vim patiens à Pagano. Adquiescite ergo, si placet, consiliis & precibus meis: & virum, in quo pene solo tota spes pacis nostræ consistit, nobis modo quo dixi dimittite. Experimini utrum utile sit tam ipsi quam vobis consilium meum: quod nullo modo dicerem, si esse quolibet modo intelligerem contra Deum. Credo insuper, & hoc valde opto: quod vobiscum antequam à partibus Galliarum recedatis loquar: & tunc melius verbo, quam nunc scripto, quæ de hac re dicenda fuerint supplebo.

## EPISTOLA XXVII.

*Summo Pontifici, & nostro speciali Patri Domino Papæ Eugenio, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, cum devota obedientia filialem amorem.*

PRecor in exordio, ut placide verba mea auris paterna accipiat, & si quid forte ex ignorantia secus dixero quam oportet, benignitas vestra, quæ sapientibus & insipientibus debitrix est, animo æquo supportet. Nobilis vir, domnus Humbertus de bello-ioco nuper à partibus transmarinis rediens, tanta cum exultatione ab universa nobis adiacente terra susceptus est: ut vix hoc credere possem, nisi post à quodam itinere regressus, (nam tunc forte absens eram) ipse vidissem. Gaudebant clerici, lætabantur monachi, exultabant burgenses, ipsique qui præda raptorum, immo qui cibus luporum esse solebant, rustici, agricolæ, pauperes, viduæ, orphani, omnéque vulgi genus, ita ut vix se caperent, gratulabantur. E converso pauperum deprædatores, Ecclesiarum destructores, clericorum ac monachorum oppressores: etsi non palam, quia non audebant, apud seipsos gemebant, fortémque obicem nequitiæ suæ oppositum, plusquam dicere possim, dolebant. Est enim misera illa terra nostra, ut novit sapientia vestra, cunctis pene terrarum partibus in hac parte miserior, quòd sine Rege, sine Duce, sine Principe, vel defensore existens, exposita est ferarum dentibus, & ut scriptum est, quod ad literam nunc accipio, *omnes bestiæ agri ludunt ibi.* Nam si qui in ea nomen Ducum, Comitum, vel Principum occupant: ita se habent, ac si non defensandum, sed ad devorandum populum Dei principarentur. Qui quanto sunt maiores, tanto peiores: quanto fortiores, tanto ferociores impotentum & pauperum oppressores. Ea propter gens avida pacis, & ad eam totis animi votis anhelans, adventum iam dicti Humberti, non aliter quam sibi hac de causa à Deo directi amplexi sunt. Et ne id frustra sperasse viderentur, ex plurima hoc iam parte experti sunt. Nam, ut quod verum novi Domino & Patri fatear, ita in adventu suo alteratus apparuit, & in tantum mutatus ab illo quem noveram: ut quantum ad verba eius vel facta pertinet, (nam cordium scrutator non sum) vere cum antiquo illo dicere posset, Non sum qui fueram, & nos de ipso illud divinū, hoc est, *Mutatio dexteræ Excelsi.* Ita in brevi quicquid guerrarum in circuitu nostro fremebat compescuit, ita militum castrensium discordias solo verbo sedavit: ut eius maxime timore, & inter illos pax reformaretur, & Ecclesiis vel pauperibus, eorum tyrannidem formidantibus, securitas redderetur. Iam nihil mercatores in stratis publicis, nihil agricolæ in agris hostile metuebant: tota iam pene terra illa, inter Ararim & Ligerim posita, novo quodam pacis lumine perfusa, gaudebat. His tam bonis ei principiis illecta, longe maiora & meliora sperabat. Cum in his omnes lætarentur, & præcipue Cluniacus vestra, cuius se defensioni totam devoverat, tam pro his quæ videbat, quam pro his quæ sperabat, non minimum exultaret: ecce subito tristis fama gaudia nostra turbavit, dicens eum non cum plena gratia à vobis recessisse, atque habitum religiosum absque vestra licentia in secularem mutasse. Multorum quippe relatione persuasum nobis fuerat, hoc tam assensu vestro quam iudicio Sedis Apostolicæ factum. Quod postquam non sic esse didicimus, noluimus impeditum pacis bonum, & servavimus erga ipsum eum quem debuimus modum. Sed attende Pater, attende & vide: si quomodo salva iustitia, homo tam utilis, & quantum ad opera Principe

digna,

digna, in partibus nostris pene solus, nobis & paci communi restitui possit. Vt enim quod multi nostrorum sentiunt dicam, si de canonicali, si de monastico, si de heremitico, si de quolibet antiquitus instituto Ordine recessisset: nre si non ad illicite dimissa, censura Ecclesiastica redire compelleret. At cum non nisi de militia ad militiam transierit, cum gladium, quem contra Sarracenos assumpserat, contra falsos Christianos Sarracenis deteriores transtulerit: cum ab uxore sua, quod maius est, ut à pluribus & fide dignis accepi, non legitime recesserit: videat sapientia vestra, utrum cogendus sit an tolerandus, quousque rei veritas lucide declaretur, & tanta de tanto viro quæstio iudicio Apostolico terminetur. Videat certe & recogitet toti Ecclesiæ Dei prælata prudentia, & discretio vestra: utrum personæ, quæ iuxta scripturam, remoto altiore sacramento, etiam ad literam de duabus una caro factæ fuerant, ita ab invicem secerni possint vel debeant: ut una videatur servire Deo sub religioso habitu, alia serviat mundo sub seculari vestitu: immo (ut clarius loquar) una vivat caste, altera impudice: una non iungatur, nisi uni & soli Deo, altera per innumera stupra & adulteria, uni & soli integrè & perfectè prostituatur diabolo. Inde est, quod nec nudis (ut audivi) verbis, mulier, quæ ei iuncta fuerat, ab aliquo audita est castitatem vovisse: quam etsi solis verbis vovisset, votum tale quid esset? Si plane huiusmodi vota, aut ex odio, aut ex levitate, aut ex intentione liberius peccandi facta, viris Christianis, & eorum uxoribus passim indulta fuerint: videat Pater Ecclesiæ quam late pateat perditionis campus: quotque millia virorum ac mulierum avidis faucibus absorpturus sit hac occasione infernus. Vnde, licet ut minus sapiens loquar, dando ei consilium, a quo accipere debeo: videretur mihi iustum, videretur canonicum, ut aut si vota horum coniugum, rei veritate diligenter perspecta, irrita esse deberent, rursum in invicem redire cogerentur: aut si stare, uterque Deo sub certo religionis proposito servire compelleretur. Alioquin salvato isto, perdito illo: immo, quod verius est, altero alterius causa condemnato: illo in seculo pereunte, altero nec in religioso proposito se salvare valente: quid proderit unius conversio, ubi utriusque certa sequetur perditio? Quando enim honorabile connubium & thorus, iuxta Apostolum, immaculatus servari poterit: ubi unus castitati, alter libidini: unus sanctitati, alter impuritati: unus numini, alter nequitiæ operam dabit? Quando & illud servabitur, quod idem Apostolus dicit, *His autem, qui matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro non recedere, quod si recesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari: & vir uxorem ne demittat?* Quid dicis Apostole? Quid dicis. *Præcipio non ego, sed Dominus?* Nonne quod tu præcipis, præcipit Dominus? Nonne tu ipse dixisti, *an experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus?* Cum ergo in te loquatur Christus: nonne quod præcipis, præcipit & Christus? Verum est, inquit, verum est. Quod Christus dicit, dico & ego: quod ego dico, dicit & Christus. Sed ne forte mei temporis rudibus adhuc in fide hominibus, minoris precij mea viderentur verba quam Christi: proposui ab ipso verba eius, quibus magis auctoritate maioris nominis adquiescere cogerentur, boni, sed novi auditores eius. Est & aliud unde non tamen rudibus, sed universis hæc dicens consulere volui: ut intelligerent rem, de qua agitur, non à me pro velle dispensandam: sed ut à Domino tradita est, conservandam. Sunt enim quæ dispensare pro velle, iuxta rationem possumus: sunt & alia, quæ non ut statuta sunt, dispensatione mutare nec possumus nec debemus. De his quæ mutare possumus, sunt quæ subieci. Cæteris ego dico, non Dominus. *Si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum eo, non dimittat illam. Et si qua mulier virum habet infidelem, & hic consentit habitare cum illa: non dimittat virum.* Et paucis verbis interpositis. Quod *si infidelis discedit, discedat. Non est enim servituti subiectus frater aut soror in eiusmodi.* Quod si in huiusmodi non est servituti subiectus frater aut soror: liberum est Christiano paganam uxorem, aut Christianæ uxori paganum virum dimittere. Liberum est plane his & cohabitare si voluerint: & abinvicem recedere si voluerint. Idcirco quia ista dispensari possunt, hæc ego dico, non Dominus. Sed Dominus, non ego præcipit, ubi uterque fidelis, scilicet Christianus est: uxorem à viro non discedere, nec virum uxorem dimittere. Hic plane, hic, inquit Apostolus dispensatio admittenda non est. Nimium præsumpsi, & profusius quam debui loquendo, & velut patrem ac magistrum docendo. Sed non doceo patrem filius, non doceo magistrum discipulus. Absit à me tanta præsumptio. Non doceo doctorem, non instruo magistrum: sed oro, precor, supplico, ut vestra Apostolica, quæ omnibus invigilat, sollicitudo, nobilis viri saluti, quem valde præmissis de causis periclitari timeo, provideat: & si, ut supradixi, salva iustitia fieri potest, terræ nostræ, cui longe magis quam transmarinæ necessarius est, benigne illum dimittat. Ibi enim pro uno & solo, apud nos autem pro decem millibus computabitur.

## EPISTOLA XXVIII.

*Summo Pontifici & nostro speciali Patri Domino Papæ Eugenio, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, debitam cum filiali amore obedientiam.*

MVlta sæpe audit à multis prælata orbi terrarum vestra Apostolica sollicitudo: quæ quandoque bona sunt, quandoque mala, quandoque optima, quandoque pessima. Sed nunc in partibus nostris tale quid contigit, de quo vere illud scripturæ dicere possumus, *Nunquam sic apparuit in Israel.* Brivatensis Ecclesia iuri Apostolico, nullo alio Episcopo mediante, subiecta, iuxta propriæ institutionis morem, magna & nobilis diu permansit: sed ab aliquanto tempore, ab antiquo & bono proposito degenerans dictum etiam sibi à Propheta fatetur, *Argentum tuum versum est in scoriam: vinum tuum mixtum est aqua.* Plurima sunt, quæ ostenderent verum esse quod dico, nisi plus nimio vobis longus esse timerem. Hoc tamen breviter dico nefarium opus, quod nuper in illa Ecclesia contigit, vix nisi merito malorum præcedentium accidere potuisse ut iuxta Ioannis Apostoli revelationem, qui in sordibus est, sordescat adhuc. Sed iam rē ipsam pater audiat. Aureum Ecclesiæ philacterium, fur nescitur quis, nuper furatus est. Auditum est à Clericis. Cumque olim civitas plena iudicij, ordine, iudiciario & canonico rem inquirere, examinare, ac censura Ecclesiastica terminare debuisset: posthabito Deo, abiecta fide, spreta non solum canonicali, quod nomen eis tantum superest, verum etiam Christiana religione; ac si non esset Deus in Israel, miserunt ad consulendum Beelzebub, Deum Acharon. Qui qualiter ab eis consultus sit, qualiter eis responderit à præsentium latore, vel ab eius sociis plenius audietis. Nec enim, ut exauditis collegi, minus fuit magum illum, à quo ea se audisse dixerunt consulere: quam Moloch Mohabitarum dæmoni sacrificare. A quo responso accepto, imposuerunt præsentium latori commissum sacrilegium. Negavit ille, nec scelus admisisse, vel in aliquo esse conscium, constanter, & ut credo, veraciter protestatus est. Addidit paratum se esse, die ab eis constituta Ecclesiasticum iudicium subire: & quicquid inde discernerent exequi. Et ne de his, quæ se facturum spondebat, vel in modico dubitare posset, se ipsum usquequo cuncta perficeret, eis in obsidatū dedit: pecuniam suam, resque omnes sacramento eis obligavit: satisdationes etiam tam parentum suorum, quam multorum amico-

A rum, supradictis adiunxit. Indicta est causæ agendæ vigesima dies. Præceptum est, ut ad diem illam sic præparatus veniret, quatinus ignis præiudicio, non iudicio, se, si posset, ab obiecto crimine expurgaret. Adiunctum est ab eisdem, scire se quidem quod imperabant, non esse canonicum: sed canonicorum conventum nullo ei modo alio crediturum. Ventum est ad diem. Rogus maximus extructus est per cuius medium pedes transiret: probaturus suam super obiecto crimine innocentiam, si tamen intactus evaderet. Compulsus ille ea vehementi perversorum, ne dico impiorum, hominum violentia, quod cogebant concessit: atque se per ignem transiturum, constantia resumpta promisit. Rogavit hoc solum, ut virtus & iustitia omnipotentis Dei, exorcismi more, super pyram illam flammeam invocaretur, & ut aliquando factum audierat, in nomine ipsius benediceretur. Quod optimi & pij iudices prorsus negarunt. B Perstat adhuc ille, & etiam per non benedictum ignem, conscientiæ, ut arbitror, testimonio confisus, transiturum se spondet. Quod verentes illi, ne forte opere quod dicebat impleret, missis ministris ignem iam paratum destruunt: ac nequitia inaudita, nec modo quem ipsi proposuerant, eum purgari permittunt. Invadunt statim omnia eius, & ac si re iustissimè iudicata, reoque clare convicto, nihil ei prorsus de rebus, quas ipsis, ut supradictum est, obligaverat, derelinquunt. Quid faceret tot, tantis, tam inauditis violentiis oppressus homo? Nihil illi iam reliqui erat. Vnum quod habuit, unum quod potuit, fecit. Ad illud unum Esa. 4. præcipuum & singulare oppressorum præsidium confugit: illud unum & ultimum miserorum asylum, Apostolicum dico auxilium, elegit: tabernaculum scilicet, quod est in umbraculum diei ab æstu: & in securitatem, & in absconsionem à turbine & à pluvia. Ista, Pater, in vobis, & de vobis, sperans, ubi præsensit ad rapinam bonorum suorum falsos, immò nullos iudices inhiare, terminum vel obicem Apostolicæ appellationis interposuit, quam, ut putabat, non liceret C eis transgredi. Sperabat enim eos non ausuros quod iussi sunt, non dicturos quod dixerunt, non facturos quod fecerunt. Sed frustra hoc speravit, quia spes eius frustrata est eum. Quos enim mitiores futuros inde speraverat, longe ferociores invenit. Nam post factam appellationem, tota illa rerum ipsius rapina ab eis facta est, quæ supra à me conscripta est. Addita est insuper verborum contumelia, quæ apud Imperatores seculi reos maiestatis faceret, & pœna ad minus capitali puniret. Sed quamvis Ecclesia non habeat Imperatoris gladium, habet tamen super quoslibet minores, sed & super ipsos Imperatores imperium. Vnde ei sub Hier. 1. figura Prophetici nominis dicitur. *Constitui te super gentes, & regna: ut evellas & destruas, & disperdas & dissipes, & ædifices & plantes.* Quare si non potest occidere, potest evellere. Si non potest occidere, potest destruere. Dixit plane, ut audivi, Brivatensis Abbas, appellanti clerico, Quid appellas? Quid nobis Papam opponis? Tantis Papa implicitus est, tantis involutus negotiis trans Rhodanum: quod nunquam cogemur respondere ei cis Rhodanum. Hæc, D Pater, omnia, ut scripsi, accepi: à talibus tamen, quorum religioni, maturitati, veritati credere compulsus sum. Fortassis & vos, si illos audiretis, & agnosceretis, crederetis quod credidi, diceretis quod dixi. Vt ergo iam & meis verbis, & vestris auribus, ut dignum est, parcam; oro: obsecro, supplico: ut causam pauperis, sed prudentis & in pluribus utilis, ut me agnovisse existimo, clerici, vobis assumatis, & contra potentes & violentos adversarios defendatis. Nostis enim, quod sedes vestra sedes est illius, cui dici- Psal. 88. tur. *Iustitia & iudicium præparatio sedis tuæ.* Et cui rursum. *Iustitia plena est dextera tua.* Et de quo iterum. *Qui facit iudicium iniuriam patientibus.* Quod si alteri quam vobis loquerer, adderem illud Esaiæ. Esa. 1. *Quærite iudicium, subvenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam: & venite, & arguite me, dicit Dominus.* Quæ E universa congruo effectui religio & sapientia vestra mancipabit: si Præposito, qui maioris in Ecclesia illa nominis est: si Abbati, si Odiloni de Magone, si Ioanni de Cornone, si tandem & illis, qui tanti sacrilegij, immo idololatriæ participes fuerunt, auctoritas vestra præceperit: ut clerico ablata omnia in integrum restituant, & post restitutionem, super tam nefanda, quæ eis obiiciuntur, die data, quod iustum fuerit facturi & exequturi, præsentiam suam vobis exhibeant. Hoc enim super omnia & clericus rogat, & nos precamur: ne alicui præter vos iudici causam istam terminandam committatis. Quod cum factum fuerit, cum res sub iudicio maiestatis vestræ constiterit: recordamini quid Helias prophano regi dæmonem consulenti & ægrotanti dixerit. Quia hoc fecisti, de lectulo, super quem ascendisti, non descendes: sed morte morieris. 4.Reg.1. Quare hoc ultimum adiunxerim, intelligit sapientia ve- F stra.

## EPISTOLA XXIX.

*Forti ac splendida monastici Ordinis, immo totius Ecclesiæ Dei columnæ, Domino Bernardo Claræ-vallis Abbati, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, salutem quam repromisit Deus diligentibus se.*

SI liceret, si Dei dispositio non obstaret, si in hominis potestate esset via eius: maluissem, charissime, beatitudini tuæ nexu indissolubili adhærere, quam vel principari inter mortales alicubi, vel regnare. Quid enim? Nonne regnis omnibus terrenis præferri à me deberet grata non solum hominibus, sed & Angelis ipsis cohabitatio tua? Concivem te illorum si dixero, licet nondum spes in rem transierit, per misericordiis Dei gratiam mendax non ero. Si plane mihi datum fuisset, usque ad ultimum spiritum tecum hic esse: daretur fortassis post hac, ubi & esses, etiam perpetuò G esse. Quo enim currerem nisi post te, tractus odore unguentorum tuorum à te? Quod quia semper non datur, utinam vel sæpe daretur! Et quia nec illud est, utinam saltem frequenter videam missos à te! Et hoc quia raro contingit, volo, ut vel in proximo, sanctitas tua amantem se per suum Nicolaum usque ad octavas Domini mecum mansurum visitet: in quo vester, ut mihi videtur, ex parte, & meus ex toto spiritus requiescit. Videbo te, sancte frater, in illo, audiam te per illum: & quædam, quæ secreto nota fieri volo sapientiæ tuæ, mandabo per ipsum. Sanctæ animæ tuæ, sanctisque sub regimine tuo omnipotenti Domino servientibus, me nostrosque quantis possum viribus, quanta possum devotione, commendo.

## EPISTOLA XXX.

*Nicolao suo, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, salutem & se.* H

SI meus ut dico, si opinio mea non me fallit: licet homo sub potestate sis, mando tamen, & omnino volo ut venias. Distuli diu mandare hoc; cum id tamen in animo fixum haberem: non quia dissimulabam: sed quia tempus congruum expectabam. Sum enim semper, ut nosti, instabilis etiam in statu: ignorans quamdiu quolibet in loco mansurus, quando vel quò inde sim discessurus. Vnde quia saltem nunc quodam corporis infortunio, Cluniaci usque ad Christum natum manère cogor: veni, nec dissimules, quia fortasse si differres, me ibidem usque ad terminum nescio quem invenire non posses. Qua de causa tantum invitem, cum veneris exponam. Domino Abbati tuo

aliis

A aliis literis, ut te mihi diligat, nil rogans, velut pro imperio mandavi. Historiam magni Alexandri, Augustinum nostrum contra Iulianum, si tamen iam vester ex illo correctus est, & si qua alia bona habueris, tecum defer.

## EPISTOLA XXXI.

*Domino & Patri dulcissimo Petro Dei gratia Cluniacensium Abbati, Frater Bernardus Clarevallis vocatus Abbas, salutem ab eo qui mandat salutes Iacob.*

QVid facis, ò bone vir? Laudas peccatorem miserum beatificas. Restat ut ores ne inducar in errorem.
B Inducor autem, si tantis delectatus præconiis, ignorare me cœpero. Propemodum id mihi contigerat, visis literis beatitudinis tuæ, & beatificationis meæ. Quam beatus nunc essem, si verbis beari possem! Beatum tamen me dixerim, sed favore tuo, non meis laudibus. Beatum quod diligor a te, quod diligo te. Quanquam & hanc mihi dulcem licet buccellam, liquidam arbitror: nec omnino plenis, ut aiunt, buccis admittendam. Miraris cur hoc? Nempe non video in me unde meruerim tantum diligi, præsertim à tanto. Scis autem quia plus iusto velle diligi, minus est à iusto. Quis mihi tantæ humilitatis insigne, tam imitari posse quam admirari? Quis mihi tribuat sancta & desiderata præsentia tua; non dico semper, non dico sæpe, sed vel semel in anno frui? Puto nulla vice reverterer vacuus. Non frustra, inquam, conspicerem virtutis exemplar, disciplinæ summam, speculum sanctitatis. Quodque minus usque a huc a Christo didicisse me fateor: non incassum fide oculata perciperem, quam sis & tu mitis & humilis corde. Verum si pergo facere tibi quod a te mihi factum queror: etsi ve-
C ritatem dicam, veritatis tamen legi non concordabo, in qua legitur, Quod tibi non vis fieri, alij ne feceris. Itaque iam respondeamus petitiunculæ, qua epistolam conclusistis. Is, quem mitti vobis iubetis, mecum modo non est: sed cum Domino Antisiodorensi, & ita infirmus, ut sine nimio incommodo sui, nec ad nos usque posse adhuc venire dicatur.

## EPISTOLA XXXII.

*Magno sacerdoti Dei egregio Archipræsuli Rothomagensis Ecclesiæ Hugoni, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, stola iocunditatis indui, & corona pulchritudinis adornari.*

SOleo plerumque plurima, quæ miranda videntur, mirari: & ea scripto sæpe, prout videtur congruum, commendare. At nunc non qualibet alia, sed me ipsum, quod magis mirum est, miror. Miror plane
D me tandiu vobis permansisse mutum: cum præter vos fere omnes alij me sibi hactenus non senserint taciturnum. Scripsi & scribo frequenter aliis, quibus nec ita ut vobis mente adhæreo: nec eis illum, quem vobis in intimis animi recessibus tam dulcem, tam syncerum, tam sublimem veri amoris locum reservo. Debuissem plane, quod me neglexisse non parum pœnitet, quarumcunque libros meos epistolis vobis missis implesse, & rescriptis à vobis velut gemmeis floribus adornasse. Exundabat dives materia scribendi, nec rerum veratum inopia falsa vel adulatoria fingi cogebat. Quid enim magis vel rapere cor meum ad amandum, vel movere manum ad scribendum poterat: quam tam sancta, tam benigna, tam longæua in sancto proposito à primis fere adolescentiæ annis usque ad senilem magis labore divino quam annorum numero fractam
E ætatem perseverantia vestra? Quid magis movere poterat, quid magis movere debebat, quam illa iam antiqua, cuius vos non immemorem esse credo, mihi & vobis paucis paucisque aliis nota rerum Cluniacensium recordatio? Non excidit mente, qualiter primo iuventutis vestræ tempore, inter antiquos illos rei publicæ nostræ senatores, vos insignem viderim. Non excidit quantum eruditio & religio vestra sacratissimum ac magnum Cluniacensium ovium gregem decoraverit; quam splendide præ cunctis pene aliis in ordinis commissi custodia effulserit. Taceo, nec vivens oblivisci potero, quod à cœpto sanctæ religionis proposito, in diversis Ecclesiasticorum honorum gradibus, vultus vestri non sunt in diversa mutati; sed tam apud nos quam semotus à nobis, Prior, Abbas, summusque tandem Pontifex Dei, merito virtutis te fecerunt & bonus semper, iuxta Apostolum, odor Christi in omni loco fuistis. 2 Cor. 2.
F Non estis reveritus in causa Dei potentes tyrannos, nec ipsos magnos magnique nominis Reges: sed quantum in vobis fuit, Ecclesiam Dei super gentes & regna ab eo constitutam, cuilibet mortalium indecenter ancillari, æquo animo nunquam tulistis. Præter hæc teneo & scio, quod nulla cura, nulla magnarum rerum quantacumque distentio: memoriam nostri, amorem vestræ Cluniacensis Ecclesiæ, aliquo tempore, qualibet occasione, à corde vestro avellere potuit. His de causis, si fieri posset, & hoc dispositio divina permitteret: mallem vestra quam mortalis cuiuslibet non solum frequenter, sed & continuè uti præsentia: ut vobis colloqui, vobiscum in Domino iocundari, immo quod super omnia optarem, quodque utriusque nostrum professio exigit: cogitando de ipso, loquendo de ipso, disputando de ipso in mensa sapientiæ, quæ vobis non est ignota, assidue deliciari. Hoc quia non semper nec sæpe datur, utinam vel raro daretur! Quod saltem ultimum, quia de duobus primis despero, ut à vobis impleatur,
G summopere postulo. Postulo, inquam, ut desiderabili præsentia vestra, meo vestrorumque filiorum Cluniacensium desiderio in brevi satisfiat: quia iustum est ut satisfaciatis in hac parte desiderio, ut dixi, filiorum vestrorum, gratia illius qui replet in bonis desiderium suum. Et ne forte dicat vel cogitet quisquam, iustius esse ire Abbatem inferioris Ordinis ad Archiepiscopum superioris Ordinis, quam econverso: respondeo. Iustum est, dignum est. Sed non posset sequi Abbatem ille, cuius causa maximè hæc dicta sunt, totus grex suus, & poterit absque grege suo longe facilius visitare Abbatem Episcopus solus. Valeat sancta & tota iam cœlestis, frater charissime, beatitudo tua. Airaldum clericum, natura nostratem, beneficio vestratem, ex parte mea monete, ut quod mihi promisit nil ultra moratus persoluat. Quod promisit, hoc est, Cantus Protæ a me in laude matris Domini anno altero factæ: & Cantus responsorij de eadem materia, à me similiter compositi, quod sic incipit.

*Christe Dei splendor, qui splendida cuncta creasti,*

Hos Cantus quando Cluniaci fuit, se in brevi promisit missurum, necdum misit. Monete, aut cogite, ut
H impleat quod promisit: ne forte Auctoris hominis mendacium, Auctoris innocentibus, quod me esse negare non valeo, imputetur.

## EPISTOLA XXXIII.

*Patri suo Domino Cluniacensi, Frater Nicolaus.*

IN lica mihi quem diligit anima. Quando veniam & apparebo ante faciem tuam: quando videbo te, quando consolaberis me? Consolaberis, inquam, quia consolatio abscondita est, ab oculis meis, donec videam & desideratam & desiderandam præsentiam

tuam;

tuam: & tristis est anima mea usque ad te. Minime quidem deserit me quocumque iero dulcissima tui memoria, sed quanto memoria dulcior, tanto absentia molestior est. Absit autem ut me consoletur illa verisimilis, sed non vera sententia. Præsentiores, inquit, sunt qui se animis quam qui oculis intuentur, & plus est corde connecti, quam corpore. Quasi vero conspectus & conversatio non habeant aliquid vivæ voluptatis, quæ non potest absentibus provenire. Sed hæc, sicut arbitror, ex ratione, non ex affectione loquutus est ille. Romanæ eloquentiæ splendor, cum quo eloquentia nata est, & educta in lucem. Tullius hic est, de quo & dictum est: quia quæ studio informaverat, actu urgebat, arte exequebatur, pectus in linguam facillima transferens facultate. Quid facio? Evagatus sum à negotio meo, nec digressio, sed transgressio est quod feci. Quis mihi recompensabit, quod non vidi pariter duo illa magna luminaria, & in firmamento cœli, videlicet loco illo quem elegit Dominus ex omnibus locis terrarum, ut esset nomen suum ibi? Irascor occupationibus meis, quibus factum est, non ut non vellem, sed ut non possem, & etiam ut nescirem. In causa fuit causa fratris tui, Domini mei Vizeliacensis Abbatis, ad quam ex præcepto tuo oportuit me pugnare ad bestias, ut non prævaleret homo. Additus est, iuxta Prophetam, annus ad annum, evolutæ sunt solemnitates, & dies pro anno datus est mihi: ex quo non vidi non dicam Dominum, sed dilectum. Cedit quippe fastus cum accedit affectus: & personalis reverentia deperit, cum cœperit familiaris amicitia perorare. Honoret sane, qui horret, qui stupet, qui metuit, qui miratur: vacant hæc omnia penes amantem. De te autem iam mihi pridem persuasum est hoc, cuius altitudo adæquata est, cuius singularitas adsociata est: ita ut exemplo esse possit & his qui fuerant in exemplo. Cuius autem culpa est, quod tamdiu fraudatus sum desiderio meo? Mea non est, tam propter infirmitatem, quam propter occupationem, quæ mihi à te fuit iniuncta. Nunquid tua? Absit. Duplici enim Epistola & provocasti me & evocasti: scribens Patri meo in hæc verba. Mitte mihi Nicolaum tuum, in quo tuus, ut mihi videtur ex parte, & meus ex toto spiritus requiescit. O vocem amoris, vocem, cui vicem ego rependere non possum omnibus diebus vitæ meæ. Si inveni gratiam in oculis tuis, si te tangit aliqua recordatio Nicolai tui, scribe Patri meo per nuncium tuum, & Priori nostro, & Gaucherio tuo (horum enim omnium negotiis intricatus & implicatus sum:) ut in sancto Pascha mittant me ad te, ita ut noverim virtutem de stylo, immo stylum de virtute exisse, quia desiderio desideravi hoc Pascha manducare tecum, amantissime Pater. Ita autem fiat, ut aliquot diebus liceat mihi commorari tecum; & si non satiari, saltem refocillari præsentia tua. Confiteor enim, & si necesse est profiteor: quia pene nihil aliud libet, dum non præsto est quod multum libet. Rescriptum autem literarum illarum, quas mittes, mitte mihi secretò: & tunc si potero perferam ad te Alexandrum magnum, referam Augustinum tuum, & quæcunque bona manus mea poterit invenire. Nunc appareat totum illud gratiæ, quod habeo in oculis tuis. Sanctissimæ animæ tuæ commendo me quia tuus fui, tuus sum, tuus ero quandiu fuero, in visceribus Iesu Christi. Per præsentium latorem communica mihi de verbis illis cœlestibus & dulcibus, ut interim speculum videam, donec videam vultum. Si in pascha non potest evenire quod mando, saltem post Pascha. Scio ego quod Dominus Abbas dixit tibi ne mandares me sine necessitate, sicut & mihi dixit: sed necessitas est, & summa necessitas te videre, quamvis in multis occupatus sim. Quid plura? Præcipe ut veniam.

## EPISTOLA XXXIV.

*Suo charissimo Nicolao; Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, salutem.*

LEgi melleas literas à te mihi, charissime, missas: quibus festinanter vel negligenter respondere impium & amori mutuo inimicum putavi. Timui ne alienus & festinans ad reditum cursor, non plene, nec ut vellem, iussa exequeretur. Vnde hunc statim fere ut literas illas accepi cum brevibus istis remisi. Mittam è vestigio proprium, qui nihil negligere de iniunctis audeat, teque ac domnum Claravallensem, quocunque pes vester ierit, prosequatur. Dabo operam ne vel frustra scripseris, vel ipse domno Abbati rursum ut nuper contigit, de tuo ad nos tandiu optato adventu, incassum rescribam.

## EPISTOLA XXXV.

*Venerabili & cum honore debito nominando Domino Bernardo Claravallis Abbati, Frater Petrus humilis fratrum Cluniacensium Abbas, salutem quam repromisit Deus diligentibus se.*

SI de amico, & tanto licet conqueri, queror: & ei quod à quibusdam cuidam dictum est, dico. Pater, & si rem grandem dixisset tibi amicus, certo facere debueras. Quanto magis quia nunc scripto, nunc verbo, dixit, rogavit, ausuque familiari præcepit: mitte Cluniacum Nicolaum tuum? Noc nego tamen rem grandem, sed iter grande non est. Quid si tu tantum semel mihi scripsisses: mitte ad me hunc vel illum, aut plures? Quid ego? quid ego, inquam, facerem, nisi quod soleo? Soleo quippe non solum roganti cedere, sed & imperanti obedire. Sed quæris causam. Nunquid non illa sufficit, videre dilectum? Tuus quidem est, sed dilectus mihi est. An non placet tibi, si diligo quæ tua sunt? An non placet tibi, ut eum, quem tu, ut arbitror, multis tuorum tenerius diligis: ipse affectuosius diligam? Et quæ maior probatio veræ amicitiæ, quam amare quod amicus amat? Diligo eum causa tui, diligo & causa sui. Causa tui, quia tibi obsequitur: causa sui, quia à tempore domini Trecensis Episcopi, multis hoc meritis promeretur. Nihil hactenus pro illis omnibus ei retribui, nisi quia semper in Domino eum syncere dilexi. Cumque alij obsequia obsequiis beneficia beneficiis soleant rependere: nonne ultra omnem modum ingratus viderer, si absque sumptibus, si absque expensis, solam saltem gratiam amanti negarem? Hanc ut saltem verborum signis non ex toto erga illum evanuisse probem: mirum est, si saltem semel in anno, hunc videre, huic loqui, cum hoc de scripturis aut sanctis aut Philosophicis, quibus usque ad summum refertus est, in Domino deliciari, quæro? Si de Deo, si de divinis, de summe utilibus animæ causis loqui, non conferre ociosum est: Nicolai ad nos ociosus adventus est. Si amorem personæ tuæ cordibus nostrorum inserere, si quæ vestri ordinis sunt omnibus commendare, si tandem universitatem vestram corpori Congregationis nostræ charitatis glutino unire ociosum est: Nicolai ad nos ociosus adventus est. Eructat cor eius semper nobis de vobis vestrisque verbum bonum: quærit bona genti suæ, rogat ea quæ ad pacem sunt Hierusalem. Hæc sunt ludicra, ociosa, vel vana Nicolai apud nos. Cur ergo, mi charissime, unus saltem mihi per mensem non conceditur, cum ego Petrum, cum Robertum tibi sanguine proximos, cum Garnerium, cum quosdam alios tractus amore tui tibi non mense uno, sed perpetuò concesserim? Quot ego Abbates, quot monachos, aliis, ne dicam alienis Ecclesiis, literis tuis

A vel consiliis victus concessi? Nec me pœnitet amico cessisse, cui & adhuc in pluribus paratus sum cedere. Sed iustum est, ut & ipse vicem reddat: iustum, ut semper sibi cedenti, & ipse aliquando cedat. Est illud magis lucrosum vestris quam nobis: quia nullo post te, venerande vir, nullo, inquam, interprete efficatius ad persuadendum apud nos perorare poterunt: nec copiosius hamo aliquo in mari vel flumine Cluniacensi piscari. Sed recolo, quid mihi nuper sanctitas tua Cluniaci constituta dixerit. Ad quid vultis Nicolaum? Respondi. Non est tale quid, non est magnum. Sed fateor, mi charissime, da veniam si excessi, magis indignantis, quam quod verum est, confitentis verba fuerunt. Duplex vere tunc fui, nescio quo casu, quod esse sæpè non soleo, duplex plane tunc fui in verbo. Aliud tunc corde servatum est, aliud lingua depromptum est. Ita certe mens tacita suggessit. Quid quod vis toties profitereris? Fortassis ut iam bis, ita & nunc tertio petitis frustraretis. Rogasti, nec auditus es. Quid iterum
B preces funderes? Respondere volui, quod cæcus ab utero Pharisæis. *Dixi vobis, & audistis.* Quid iterum vultis audire? Respondere hoc volui sed nolui. Ecce confiteor. Prosit quod confessus sum. Prosit quia veritatem falsitatis tegmine non velavi. Prosit ut quia sicut dicitur, inter amicos omnia nuda, dolum nubilo pectoris tectum coram amico nudavi. Dico prosit. Sed ad quid? Vt horreis tuis aliquid mei causa demas? Vt cellariis aliquid subtrahas? Vt de argenti auríque thesauris etiam si adessent, quicquam imminuas? Quid ergo? Vt Nicolaum mittas. Nec nunc tantum, sed & quando post hæc petiero. Nam cavebo si potero, ne quid postulem quod iure negandum sit: vel quod tibi, ne dicam mihi, in aliquo obsit. Fiat ergo mihi, fiat quod volo, ut hoc pascha proximum Nicolaus apud nos faciat, & more suo cor vestrum nobis, vobisque nostrum rediens a nobis refundat.

## EPISTOLA XXXVI.

C *Suo charissimo Nicolao, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, salutem quam sibi.*

QVid dicam? Tædet animam meam vitæ meæ. Quare? Quia non quod volo, hoc ago: sed quod odi, illud facio. Datum est mihi hoc, & nescio si desuper, ac velut inseparabile accidens fere à puero mihi inhæsit: ut pene semper impellar ad hæc quæ nolo, & repellar ab his quæ volo. Et licet hæc dicam, non sum tamen de illis, qui non sunt contenti sorte sua, qui propria fastidiunt, aliena ambiunt. Non sum de illis, de quibus quidam satis notus,

*O felices mercatores, gravis annis*
*Miles ait.*

Et iterum.

*Mercator navem iactatibus austris,*
*Militia est potior.*

D Non, inquam, sum de his, vel similibus, qui semper anxiæ mentis, aut dubiæ, universos in requie, se solos in labore versari causantur. Quod si forte animus noxiis inhiaret, agerem gratias sepienti vias meas spinis, obstruenti maceria. At si bona, si utilia optantur, quare non dantur? Si volui silere, oportuit me loqui. Si volui vacare, oportuit laborare. Si cœlo quandoque defigere oculum libuit, statim illum ad terram temporalium cura retraxit. Quorsum ista? Quia sic de te, sic de te, inquam, charissime, hactenus mihi contigit. Volui, immo toto corde optavi, te semper mecum esse: nec datum est. Volui saltem sæpe, nec concessum est. Manet adhuc pertinax in hoc odioso statu fortuna, & quæ variare vices non cessat, contra morem suum invariabilis perseverat. Sed credo Deo, quia rumpetur malè fixa stabilitas: & qui meam de te esuriem satiare nequeo, saltem hanc brevi tempore iocundo ac dulci tuo colloquio relevabo. Vere iocundo, vere dulci. Nam si talis est stylus tuus, qualis est animus tuus? Si talis litera tua, qualis lingua tua? Non es enim, non es talis, quales quidam loquaces stylo, muti eloquio, vel econverso profusi loquentes, muti scribentes. Et si conferre minorem maioribus licet, non solum tuum sequeris Tullium Tullianus, de quo scripsisti, quod pectus in linguam facillima transferebat facilitate: sed quod est dignius, imitaris Apostolum apostolicus. Dicebat ille dici de se, Epistolæ graves sunt & fortes, præsentia corporis infirma, & sermo contemptibilis. Dicebat hoc, sed aliter se facturum promittebat. Quales, inquit, sumus absentes, tales erimus & præsentes. Vtrumque igitur fuit in Apostolo, & vivax spiritus in Epistola, & vivificans sermo in lingua. Vtrumque hoc & in te æqua lance natura polivit, utrumque & superaddita gratia condivit: ita ut præter vim quandam vivo innatam sermoni, nil ultra citraque, nil plus minusve, ipse acer & æmulus scrutator inveniat. Vt quid & ista? F
Quia traxit fateor, quia non parum traxit, immo rapuit cor meum Epistola tua: illa plane Epistola, quæ ex abundantia cordis loquuta est, quæ de multo adipe & pinguedine amoris processit. Quam cum scriberes, ut de illo tibi noto dictum est, non quidem calamum, sed pennulam in mente tinxisti. Stillabat, dum legeretur mihi, illa dulcedinem, & cordi meo infundebat per verba singula lac & mel. Cogitabam ea similitudine, quam verum esset, quod à David Deo dictum est. *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua: super mel & favum ori meo* Si adeo dulce eloquium hominum, quanto magis divinum? Si adeo dulcis terrena guttula, quam dulcior cœlestis imber? Si adeo mentem lenit ros humani sermonis, quanto magis delinit torrens voluptatis? Multa similia ex his conciebam, & totum, quod scripsisti, ad divina & æterna transferebam. Sed quid his plura? Taceant interim literæ, sed ipse statim pro literis veni. Credo quod iam non teneberis, nec ultra iter tuum ad nos, Patris tui charissimi mei, sententia remorabitur. Scripsi ei de te quod ipse videbis. Scripsi Priori, scripsi Galcherio. Ante Pascha præstolor te, ut in Pascha habeam te. Est, est nobis cœnaculum grande, stratum, ubi Iesus, ut iam præmandavi, comedet Pascha cum discipulis suis, ad quod ego invito te. G

## EPISTOLA XXXVII.

*Honorando & dilecto fratri domno Philippo Claravallis Priori, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, salutem & amorem.*

AIt Salomon. *Vinum novum, amicus novus. Veterascat, & cum suavitate bibes illud.* Sic tu mihi frater esse videris. Ago gratias Deo, quod novus amicus es. Spero in ipso, quia veterasces in amicitia, & qui adhuc novus places, multo magis veterascens placebis. Nam quanto sincerus amor prolixior, tanto suavior esse solet. Placuit semper mihi ex quo te vidi, esse tuum, & mores placidi & benigni, ut te multum diligerem suaserunt. Iube igitur amodo quod volueris, obedire parato. Sed & tu iure amicitiæ, imperanti obedi. Rogo Dominum Abbatem, ut mihi ante festum Nicolaum suum ac tuum mittat. Fac apud ipsum, ut quod postulo fiat. H

## EPISTOLA XXXVIII.

*Charissimo fratri & filio Galcherio, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, plenam à Salvatore salutem.*

QVia iam non novus, sed multorum annorum amicus es, non laboro apud te in loquendo: nec ad

id,

A id quod intendo, longa insinuatione utor. Nam qui amicus est, non expectat preces, sed velle amici. Quod ut agnoscit, statim implere laborat. Velle meum est, ut frater Nicolaus nobiscum Pascha faciat. Iam quod volo agnoscis. Tuum est amodo, ut non frustra velim, neque frustra scripserim. Rogavi inde Dominum Abbatem: si necesse fuerit, roga & tu.

## EPISTOLA XXXIX.

*Neptibus charissimis & filiabus dulcissimis, Margaritæ & Pontiæ, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, quicquid est salutis & gratiæ.*

LEgi literas à vobis scriptas mihi, in quibus incom-
B modo meo compatimini: & non spirituali suffragio tantum, sed & arte physica mihi mederi conamini. Ago gratias sollicitudini piæ, & affectum filialem ea, qua decet, benigna dulcique mente complector. Sed miror unde Iesu Christi scholasticæ Hippocratis scholas redolent: unde merces Babylonicas Hierusalem filiæ mercatæ sint. Non contemno quidem adiumenta medicinalia, corruptæ plerumque naturæ medentia: maxime cum legam medicinam ab Altissimo creatam, Christumque dicentem audiam, Non egent qui sani sunt medico, sed qui male habent. Accuso tamen hostes naturæ, interfectrices carnis propriæ, crucifixas cum crucifixo rursum de vita, rursum de remediis vitæ, rursum de statu corporum cogitare. An mente excidit verbum solemne Agathæ virginis: Medicinam carnalem corpori meo nunquam exhibui? An illa tantum ancilla Christi? an illa tantum sponsa Christi? Nonne & vos ancillæ? nonne & vos Sponsæ? Et Martyr illa quidem & virgo, longè vobis præstantius, longe vobis sublimius. Sed non aborret ab ipsa vestrum
C propositum: quando & sui generis martyrio Deo servitis, & virgineo flore cœlestium camporum speciem decoratis. Lætor plane, lætabor non parum, mihi credite filiæ: si de propagine mea, si de sanguine meo, sublimes illæ totoque orbe celebres virgines, Agatha, Agnes, Fides, ac reliquæ: ipsaque, quod longe dignius est, Virgo virginum, vos pedissequas quandoque habuerint. Ego quidem, ut dixi, si illæ vos famulas, ne dicam socias, habere dignatæ fuerint, gaudens gaudebo in Domino, & exultabo in Iesu salutari meo. At vos, ô meæ, ut sic dicam, virgines, ô ancillæ, immo Regis æterni sponsæ: si tamen non de fatuis, sed de prudentibus virginibus fueritis: cum talium vos socias esse contigerit, quanto gaudio tripudiabitis, quanta lætitia exultabitis? Quæ iocunditas illas miseris mortalibus ignota: qua torrente voluptatis ipsius potatæ, insatiabili satietate ab illo, apud quem est fons vitæ, post has tam densas, tam odibiles Ægypti tenebras, in lumine eius videbitis lumen? Quid erit tunc, quid fiet tunc apud vos, quando post Marciniacensem carcerem, in
D liberum puri ætheris fulgorem evaseritis: & *in illa*
Galat. 4. *quæ sursum est, Hierusalem, quæ est*, iuxta Apostolum, *mater nostra*, carne vestra, & corde exultante in Deum
Psal. 98. vivum, dixeritis, cantaveritis, *Sicut audivimus, sic vidimus in civitate Domini virtutum: in civitate Dei nostri?* Quid erit, quando cœlorum rex Iesus pro brevi continentia & sanctitate, clementi dextera alluserit puellis suis, ancillis suis, virginibus suis? Quanta illa, quamque incogitabilis felicitas, ut alios taceam, ipsis summis Apostolis in vita illa, quam promisit non mendax Deus, non ubique Christum sequentibus, & vos cum utriusque sexus choro virgineo, Agnum Virginis filium virginali fiducia sequi quocunque ierit? Fulgebunt quidem illi, ut Sol in regno Patris sui: & sicut illæ lucentes in perpetuam æternitatem, longe maiorem, longe celsiorem pro meritis sui generis gloriam obtinebunt. Non poterunt tamen adæquari vobis in hac parte, nec illud privilegium, quod sola

E felix virginitas promeretur, licet inæstimabiliter rutilans sanctorum innumerabilium legio possidebit. Hinc Augustinus noster. Pergite itaque sancti Dei, pueri, ac puellæ, mares, ac fœminæ cælibes & innuptæ, pergite perseveranter in finem, laudate Dominum dulcius, quem cogitatis uberius. Sperate felicius, cui servitis instantius. Amate ardentius, cui placetis attentius. Lumbis accinctis & lucernis ardentibus, expectate Dominum quando veniat à nuptiis. Vos affertis ad nuptias Agni canticum novum, quod cantabitis in citharis vestris. Non utique tale, quale cantat universa terra, cui dicitur. *Cantate Domino canticum novum:* Psal. 97.
*cantate Domino omnis terra:* sed tale nemo poterit dicere nisi vos. Sic enim vos vidit in Apocalypsi quidam Apoc. 14.
præ ceteris dilectus Agno, qui discumbere super pectus eius solitus erat: & bibebat, & eructabat mirabilia supercœlestia, Verbum Deum. Ipse vos vidit duode- F
cies duodena millia sanctorum citharœdorum, illibatæ virginitatis in corpore, inviolatæ veritatis in corde. Et quia sequimini Agnum quocunque ierit, scripsit ille de vobis. Quò ire putamus hunc agnum, quo nemo eum sequi, vel audeat, vel valeat, nisi vos? Quò putamus eum ire, in quos saltus & prata? Vbi credo sunt graminea gaudia, non gaudia huius seculi vana & insaniæ mendaces: nec gaudia, qualia in ipso regno Dei cæteris non virginibus: sed gaudia à cæterorum omnium gaudiorum sorte distincta. Gaudia propria virginum Christi, non sunt eadem non virginũ quamvis Christi. Nam sunt quidem aliis alia, sed nullis talia. Gaudia propria virginum Christi de Christo, in Christo, cum Christo: post Christum, per Christum, propter Christum. Ite, in hæc sequimini Agnum, quia & Agni caro utique virgo. Hoc enim se retinuit auctus, quod matri non abstulit conceptus, & natus. Merito sequimini virginitate cordis & carnis, quocumque ierit. Quid est enim sequi, nisi imitari? Quia *Chri-* 1. Pet. 2.
*stus pro nobis passus est, vobis relinquens exemplum, ut sequamur vestigia eius*, sicut ait Apostolus Petrus. Hunc in eo quisque sequitur, in quo imitatur, non in quantum ille filius Dei est, unus per quem facta sunt omnia: sed in G
quantum filius hominum, quæ oportebat, in se præbuit imitanda. Et multa in illo ad imitandum omnibus proponuntur: virginitas autem carnis non omnibus. Non enim habent quid faciant, ut virgines sint: in quibus iam factum est ut virgines non sint. Sequantur itaque Agnum cæteri fideles, qui virginitatem corporis amiserunt: non quocunque ille ierit, sed quocumque illi potuerint. Possunt autem ubique, præterquam cum in decore virginitatis incedit. Sed ecce ille Agnus graditur itinere virginali. Quomodo post eum ibunt, qui hoc amiserunt, quod nullatenus recipiunt? Vos ergo, vos ite post eum virgines eius: vos illuc ite post eum, quæ propter hoc unum quocunque ierit, sequimini eum. Ad quodlibet enim aliud sanctitatis, quo eum sequatur, hortari possumus coniugatos: præter hoc quod irreparabiliter amiserunt. Vos itaque eum sequimini, tenendo perseveranter quod vovistis ardenter. Facite cum potestis, ne virginitatis bonum à vobis pereat: cui facere nihil potestis, ut redeat. Videbit vos cætera H
multitudo fidelium, quæ Agnum ad hoc sequi non potest. Videbit, nec invidebit: & collætando vobis, quod in se non habet, habebit in vobis. Nam & illud canticum novum proprie vestrum dicere non poterit. Audire autem poterit, & delectari tam excellenti bono. Sed vos quæ & dicetis & audietis: quia quod dicetis, à vobis audietis. Felicius exultabitis, iocundiusque regnabitis. De maiore tamen nostro gaudio nullus mœror erit. Agnus quippe ille quem vos, quocumque ierit, sequimini, nec eos deserit, qui eum quo vos non valent sequi: & vobis præibit, & ab eis non abibit, cum erit Deus omnia in omnibus. Et qui minus habebunt, a vobis non abhorrebunt. Vbi enim nulla est invidia, concors est differentia. Præsumite itaque fidite, roboramini, permanete: quæ vovetis & redditis Domino Deo vestro vota perpetuæ continentiæ, non propter præsens

seculum,

A seculum, sed propter regnum cœlorum. Quanta filiæ, quanta virginitatis est laus? Merebitur si perstiterit Margarita mea: quod non meretur Magdalena Maria. Quare hoc? quia non patientia, non humilitas, nec ipsa charitas, non qualibet alia virtus soror dicitur Angelorum: sed virginitas. Hinc beatus Hieronymus, Bene Angelus ad Virginem mittitur, quia semper est Angelis cognata virginitas. Profecto in carne præter carnem vivere, non terrena vita est, sed cœlestis. Unde in carne Angelicam gloriam adquirere, maius est meritum, quam habere. Esse enim Angelum felicitatis est, esse vero Virginem virtutis: dum hoc obtinere viribus nititur cum gratia, quod habet Angelus ex natura. Hinc rursum Augustinus. Ecce iam tales estis: quia & tales esse debetis. Hæc addita virginitati, Angelicam vitam hominibus, & cœli mores exhibent terris. Si ergo nuptias contempsistis filiorum hominum: toto corde amate speciosum forma præ filiis hominum. Vacat vobis: liberum est cor à coniugalibus vinculis. B Inspicite pulchritudinem amatoris vestri, cogitate æqualem Patri: subditum etiam & matri, in cœlis dominantem & in terris servientem. Creantem omnia, creatum inter omnia. Illud ipsum quod in eo derident superbi, inspicite quam pulchrum sit: internis luminibus, inspicite vulnera pendentis, cicatrices resurgentis, sanguinem morientis, precium credentis, commercium redimentis. Hæc quanti valeant, cogitate: hæc in statera charitatis appendite: & quicquid amoris in nuptias vestras impendendum habebatis, illi impendite. Bene quod interiorem vestram pulchritudinem quærit, ubi vobis dedit potestatem filias Dei fieri. Non quærit à vobis pulchram carnem. Non est quid de vobis quisquam mentiatur, & faciat sævire zelantem. Videte cum quanta securitate ametis, cui displicere falsis opinionibus non timetis. Vir & uxor amant se, quoniam vident se: & quod non vident, timent in se. Nec certi gaudent ex eo quod in manifesto est, dum in occulto suspicantur plerumque quod non est. Vos in isto quem oculis non vi- C detis, & fide conspicitis, nec habetis quod reprehendatis: nec eum metuitis, ne falso forsitan offendatis. Si ergo magnum amorem coniugibus deberetis: eum propter quem coniuges habere noluistis, quantum amare debetis? Voto vobis figatur in corde, qui pro vobis fixus est in cruce. Totum teneat in animo vestro, quicquid noluistis occupari connubio. Parum vos amare non licet, propter quem non amastis & quod liceret. Sic amantibus mitem & humilem corde, nullam vobis superbiam pertimesco. Inde & sanctus Ambrosius. Vobis autem virgines sanctæ speciale præsidium est, quod pudore intemerato sacrum Domini servatis cubile. Neque mirum, si pro vobis angeli militant, quæ Angelorum moribus militatis. Meretur eorum præsidium castitas virginalis, quorum vitam imitatur. Et quid pluribus exequar laudem castitatis? Castitas etiam Angelum fecit. Qui eam servavit, Angelus est: qui perdidit, diabolus. Hinc etiam nomen accepit. Virgo D est, quæ Domino nubit: meretrix, quæ deos facit. Nam de resurrectione quid dicam, cuius præmia iam tenetis? *In resurrectione autem neque nubunt, neque ducent uxores: sed erunt sicut Angeli Dei in cœlo.* Quod nobis promittitur, vobis præsto est: votorumque nostrorum usus apud vos est. De hoc mundo estis, & non estis in hoc mundo. Seculum vos habere meruit, tenere non potuit. Quam præclarum est autem, Angelos propter intemperantiam suam in seculum cecidisse de cœlo: virgines vero propter castimoniam in cœlum transisse de seculo! Beatæ virgines, quas non illecebra sollicitat corporum, non colluvio præcipitat voluptatum. Cibus parsimoniæ, potus abstinentiæ, docent vitia nescire, qui docent cautas nescire vitiorum. Item idem Ambrosius. Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus, eo quod in hortis huiusmodi impressa signaculis imagine Dei, sinceri fontis unda resplendeat, ne volutabris spiritualium bestiarum sparsa cœno turbentur. Hinc

E ille murali septus spiritu pudor clauditur, ne pateat ad rapinam. Itaque sicut hortus externis inaccessus, vitem redolet, flagrat oleam, rosam renidet: sic in vite religio, in oleo pax, in rosa pudor sacratæ virginitatis inolescant. Hic est odor, quem Iacob Patriarcha flagravit, quando meruit audire, *Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni.* Nam licet plenus omnibus fere fructibus fuerit ager Patriarchæ sancti: ille tamen fruges maiore virtutis labore germinavit, hic flores. Accingere itaque virgo, & si ius huiuscemodi tibi, ut hortus aspiret, Propheticis eum claude præceptis. *Pone custodiam ori tuo, & ostium circuitus labiis tuis:* ut etiam tu possis dicere. *Sicut malum inter ligna sylvarum: sic dilectus meus inter filios. Sub umbra illius, quam desiderabam, sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo. Inveni quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittam.* Post ista tam sublimia, ac dulcia sanctorum verba, Audite, mihi charissimæ, excelsi nominis ac famæ Hilarium, ipsam carnalem filiam suam ad virgi- F nitatem, tam corporis, quam animæ conservandam, proposita quadam veste divina, ac margarita cœlesti, toto conamine invitantem, atque exhortantem. Anno primo, ait sanctus Hilarius, vestem vidi. Vidi, filia, vidi, quod eloqui non possum. Nunquid non & sericum secundum subtilitatem eius sparsum erat? Nunquid candori eius nives comparatæ non nigrescunt? Nunquid aurum iuxta fulgorem eius non lividatur? Ipsi enim multi colores eius amœna cuncta vincebant: & nihil prorsus poterat ei comparatum æquari. Post est quæ vidi margaritam. Qua visa, statim concidi. Non enim potuerunt oculi mei sustinere tantum eius colorem. Nam nec cœli, nec lucis, nec maris, nec terræ species, pulchritudini eius erat comparare. Hæc quidem Hilarius filiæ. Sed adhuc in hoc omnium veniat magnus Cyprianus Carthaginensis, cunctis præcedentibus æqualis officio, par magisterio, maior martyrio. Ait enim. Nunc nobis ad virgines sermo est, quarum quo sublimior gloria, maior & cura est. Flos est ille Ecclesiastici germinis: decus, atque ornamentum gratiæ spiritualis. Læta indoles laudis & honoris, opus integrum atque G incorruptum Dei: imago respondens ad sanctimoniam Domini, illustrior portio gregis Christi. Gaudet per illas, atque in illis largiter florens Ecclesiæ matris gloriosa fœcunditas: quantoque plus copiosa virginitas numero suo addit, gaudium matris augescit. Ad has loquimur, has hortamur: affectione potius quam potestate. Æquales enim sunt Angelis Dei, cum sint filiæ resurrectionis. Quod futuri sumus, iam vos esse cœpistis. Vos resurrectionis gloriam in isto seculo iam tenetis. Per seculum sine seculi contagione transitis, cum castæ perseveratis: & virgines, Angelis Dei æquales estis. Tantum maneat & duret solida & illæsa virginitas: & ut cœpit fortiter, & iugiter perseveret. Quomodo portavimus imaginem eius, qui de limo est: portemus & imaginem eius, qui de cœlo est. Hanc imaginem virginitas portat, portat integritas: sanctitas portat, & veritas. Portant disciplinæ Dei memores iustitiam cum religione retinentes: stabiles in fide humiles in timore. Ad omnem tolerantiam fortes, ad sustinendam iniuriam mites, ad faciendam misericordiam faciles: fraterna pace unani- H mes, atque concordes. Quæ vos singula, ô bonæ virgines observare, diligere, implere debetis: quæ Deo & Christo vacantes, ad Dominum, cui vos dicastis, & maiore, & meliore parte præceditis. Provectæ annis, iunioribus facite magisterium. Minores natu, præbete comparibus incitamentum. Hortamentis vos mutuis excitate, æmulis virtute documentis ad gloriam provocate. Durate fortiter, spiritualiter pergite, pervenite feliciter: tantum mementote tunc nostri, cum incipiet in vobis virginitas honorari. Isti charissimæ, de quorum libris velut de pratis florentissimis hos amœnos flores excerpsi, de summis sacerdotibus Dei sunt, doctores Latinæ Ecclesiæ: nam si mihi multiplex diversarum linguarum Barbaries obstaret, totius Christiani orbis extiterunt. Horum vobis margaritas ostendi:

A horum ex aliqua parte super aurum & topazion preciosos & concupiscibiles thesauros coram vobis effudi. Superest, ut quod gratis offertur, ardenti animo suscipiatis, summo studio & cautela servetis: meque de salute vestra plus cunctis mortalibus sollicitum, cum Angelæa virginitate, altissima humilitate, sublimissima charitate Iesu Christo, ut ancillæ, immo ut eius sponsæ amabiles factæ fueritis, vobiscum gaudere faciatis. Recordamini beatæ matris meæ, sanctæ aviæ vestræ: recordamini, inquam, quanta fide, quam ignoto ac de supernis concepto charitatis fervore, vos adhuc puellulas, nec inter dexteram vel sinistram discernere valentes, mundo furata fuerit, diabolo subtraxerit, Deo obtulerit, sanctis sororibus adiunxerit. Metuebat illa, sicut ab ore eius sæpe apud Marciniacum audivi, ne forte ab hac misera valle lachrymarum, nutu vocantis Domini ante raperetur, quam vos de laqueo venantium ereptas videret: antequam in schola virtutum numero sanctarum adiunctas superstites sibi relinqueret. Respe- B xit benignus Salvator ex alto humilitatem & preces ancillæ suæ: & ille qui replet in bonis desiderium suorum, & qui voluntatem timentium se facit, eius desiderium tandem implevit. Sociavit vos choro virgineo, corpore. Videte, videte ut & sociaverit mente. Non sunt quidem omnes vobis cohabitantes virgines carne: sunt tamen, ut ait pater Augustinus, virgines fide. De quibus solemni die Natalis Domini solemniter clamat: Vbi iam non potest esse à concubitu caro integra, sit in fide virgo conscientia, secundum quam virgo est omnis Ecclesia. Iuxta quem sensum, tam de virginibus, quam de continenter sancteque viventibus Apostolica tuba frequenter intonat. *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo.* In hoc choro virgineo feliciori sorte constitutæ, hoc est, non solum spiritu, sed & corpore illibatæ: iuxta monita eorum, quos præmisi, Sanctorum, vitam vestram disponite, mores componite, bonum certamen certate: cursum à teneris annis inchoatum, instanter extendite, feliciter consummate. Imitamini sorores vestras & matres, cum quibus Deo servitis. Spe- C cialiter vero quam commemoravi felicem aviam vestram, quæ vos ad Deum præcessit: & quæ ut eam sequamini, non solum dum viveret, sed & nunc etiam mortua invitat. Date mihi, obsecro, vocem magni Apostoli, ut possim unicuique vestrum securus dicere: quod ille Timotheo discipulo scripsit. Gaudio impleor, recordationem accipiens eius fidei, quæ est in te non ficta: quæ & habitavit primum non quidem, ut ille ait in avia tua Loide, & matre tua Eunice: sed in avia tua Raingarde, & in patre tuo Hugone: certus sum autem quod & in te.

## EPISOLA XL.

*Charissimo meo & unice amplectendo, Domno* D *Basilio, servorum Dei Chartusiæ Priori, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, salutem, cui se devovit, æternam.*

NVper in procinctu Romani itineris constitutus, scripsi vobis ac fratribus ab Heribus Monasteriolo nostro, quod ad vos iam perlatum credo: & tam propositum adeundi vos, quam causam, quæ ad remanendum compulit nos, literis indicavi. Scripsi tunc generaliter, scribo nunc singulariter. Scribo ab ipsis Alpinum faucibus, & excuso, quod in literis illis nominis vestri, vel officii mentionem solito more non feci: oblivio sola in causa fuit. Hanc, ut arbitror, mihi ingessit itineris festinantia, & navis ad transferendum nos ultra Isaram flumen parata. Volo tamen te, charissime, scire, affectum illum meum, quo montana vestra adire decreveram, magis causa te visitandi, quam locum licet sanctum videndi fuisse. Illum enim ac fra- E tres alios, & à multis iam annis sæpe videram: te vero ex quo istud arduum & cœleste propositum assumpsisti, nunquam visitaveram. Non fueram, nec sum immemor, quanto me semper affectu colueris: quam devoto ac sincero animo ab ipsis adolescentiæ tuæ annis, ad divina anhelaveris: quam frequenter eo spiritu Cluniacum tuam, & vere tuam visitaveris: quanto insuper tempore in ipso claustro fratribus nostris, tuisque adiunctus Deo militaveris. Placuit de hinc spiritui illi, qui ubi vult spirat: ut te de virtute ad virtutem proveheret, & ascensiones in corde tuo disponens, de bonis ad meliora, de altis ad altiora transferret. Statuit, & per gratiam suam perseveranter statuet supra petram pedes tuos: & diriget in viam mandatorum suorum gressus tuos. Constituit te in gradu illo vitæ: quo altior aliquis, aut vix, aut nusquam apparet. Ea de causa te invisere, & profectui tuo, quo violenter regnum F Dei rapere contendis, proposueram congaudere. Decreveram renovare tecum antiquas illas & sanctas felicis memoriæ domni Guidonis prædecessoris tui mecum sæpe habitas collationes: quibus velut scintillis ab eius ore prodeuntibus accendebar, & omnium pene humanarum rerum oblivisci cogebar. Contulissem tecum & de quibusdam hoc in tempore necessariis, quæ nec chartis committere, nec multorum auribus credere volebam. Hæc quia, charissime, ad præsens non dantur: precare instanter Omnipotentis misericordiam, ut saltem in posterum concedantur. Iter meum sociosque itineris, ut speciali & intimo amico commendo: quod tanto maioribus auxiliis eget, quanto maioribus hoc hiemali tempore periculis formidabile est. Fratrem Petrum de Wapingo, olim in Christi militia, ut ipse vidi, tironem, nunc veteranum: fratremque Gaufridum, qui tanto tempore bonum certamen certavit, iamque pene cursum consummavit: ex parte mea oro ut affectuose salutes, meque nostrosque ipsorum sanctæ vitæ, ac precibus intente commendes. Nescio enim, si quis alter primi illius G mei temporis miles adhuc superstes sit. Similiter & illum nobilem carne & spiritu Otmarum conversum de Valboneis, omnesque pariter quando simul convenerint, saluta.

## EPISTOLA XLI.

*Domno venerabili, sincera quoque affectione reverendo patri Petro sanctæ Cluniacensis Ecclesiæ benignissimo Abbati, Frater Basilius, & qui cum eo sunt fratres Chartusiæ, salutem & pacem à Domino sempiternam.*

VEre hic est affectus antiquæ & firmiter plantatæ dilectionis vestræ. Qui enim expeditiores, propter nivis impedimentum ad nos transire vix possunt. At affectuosam erga nos devotionem vestram, nec personæ dignitas, nec longi itineris onerosa retinet H gravitas. Pro incepto labore gratias agimus, pro non subeundo preces effundimus. Novimus effectum, novimus conatum. Maneat, qui solet amor: quandoquidem gratissima visitationis vestræ frustramur lætitia. Quam etsi ad præsens non habemus, de futuro per Dei gratiam non desperamus. Præstabit id qui abstulit, opportuno tempore Deus. Quam licet multum Domini & fratres mei desiderent, ego te ex debito avidius esurio. Nonne enim sum ego ille, quem pauperem & inopem non spernebatis: sed amabatis, fovebatis, & ad onus suave religionis piis studiis instruebatis? Cluniacens. Ordo, Cluniacens. disciplina, Cluniacens. amabilis & honorabilis Conventus, ut vere fatear, me semper ad meliora & arctiora provocavit, pro certo etiam & adhuc provocat. Quid enim? Potest avelli ab homine, cuius anima Deo subiecta est: chori, claustri, dormitorii, refectorii Cluniacensis:

cæterarumque

cæterarumque nobilium officinarum omni homini æmulanda diſciplina? Sed non omnes vident quod vidi ego. Non omnibus notum, quod mihi patuit. Gratias Deo. Quid plura? Veſter ſum, fui, & ero in æternum: quia vere & vos Chriſti Domini eſtis. Servate orationibus, quod ſacris ædificaſtis exemplis. Domum Chartuſiæ, & omne propoſitum noſtrum qualecumque ſit, ſanctis interceſſionibus veſtris commendamus, benigniſſime Pater.

## EPISTOLA XLII.

*Summo Pontifici & noſtro ſpeciali Patri Domino Papæ Eugenio, Frater Petrus humilis Cluniacenſium Abbas, devotam cum filiali amore obedientiam.*

RElatum eſt mihi, Pater, quod quidam monachorum Bremenſium adeant maieſtatem veſtram, cauſa inſimulandi Abbatem ſuum apud vos. Quid dicturi ſunt, neſcio. Vnum me ſcire confido, quod nihil poterunt rationabile prætendere, unde paternam commotionem mereatur incurrere. Vidiſtis ipſe nuper hominem, ſed ut puto, mihi plenius eius eſſe notum eſt: utpote illius quem pene puerum ſuſcepi, quem educavi, cuius converſationem bonam, cuius famam integram, tam in Cluniaco quam extra, multis iam annis probavi. His de cauſis, hoc merito, ego quidem eum aliquantis & magnis Prioratibus prætuli: vos vero ut accepi, ſimili fama eum vobis commendante, magnæ Abbatiæ prætuliſtis. Magnæ dico, poſſeſſionibus: ſed parvæ, miſeræ, & ruinoſæ, habitatorum, ut mitius loquar, erroribus. Vidi ipſe hoc ex parte, in procinctu veniendi ad vos conſtitutus: quando ab eodem invitatus Abbate, Natalem Domini hoc anno in eadem Abbatia celebravi. Vidi Monaſterium pene tugurium, vidi locum parum à ſolitudine diſtantem: vidi omnia velut ab initio, non ſolum innovanda, ſed a primo etiam lapide fundanda. Monachos nobis quidem devotos, ſed velut novitios de novo inſtruendos. Facile mihi fuit ex fructu arborem cognoſcere, de habitaculis habitatores iudicare. Hi nondum exuti veteri homine neque induti novo, quoniam à veſtro Abbate coguntur in pectore veteri nova meditari: malunt eſſe oves abſque paſtore, & requieſcere in fæcibus ſuis: quam contraire voluntatibus, aut voluptatibus ſolitis. Hæc eſt cauſa, qua id quod dixi aggreſſi ſunt: ut percuſſo Paſtore diſpergantur oves gregis. Noverit autem ſanctitas veſtra, quod exceptis pauciſſimis magis exmonachis quam monachis, omnes ei quoſcumque in partibus illis audire potui, laudabile teſtimonium ferunt: dicentes eum religioſum in ſpiritualibus, prudentem in temporalibus. Providete ergo ei ſi placet, ut filio veſtro, & Abbati veſtro: ne quod plantavit manus veſtra, inimicus homo eradicet: ne glorietur impia pars, & dicat, Prævalui adverſus eum.

## EPISTOLA XLIII.

*Summo Pontifici, & noſtro ſpeciali Patri Domino Papæ Eugenio, Frater Petrus humilis Cluniacenſium Abbas, filialem amorem & debitam obedientiam.*

IMportunitatem, qua frequentibus literis patrem fatigo, ſæpius excuſavi. Excuſavi plane: ſed urgentibus cauſis importunus eſſe non ceſſo. Indulge, Pater, ſi placet. Vides, quia tam in his, quam pene in omnibus aliis non quod volo, hoc ago: ſed quod odi, illud facio. Memorem eſſe credo paternitatem veſtram, quod de nobili viro, domno ſcilicet Guidone de Domna, vobis Signiæ verbum fecerim: & ut cauſa, pro qua interdicti ſententiæ ſe ſubiectum eſſe dolebat, in partibus noſtris iuſte examinanda, diffinienda, mandato veſtro perſonæ idoneæ committeretur rogaverim. Reſponſum mihi eſt à benignitate veſtra, Viennenſem Metropolitanum, qui auctor illius negotij fuerat, mandatum à vobis in proximo venturum, a vobis ſuper his conveniendum: audito eo, congruum illi quæſtioni vos finem impoſiturum. Rediens ergo à vobis, & per Italiam iam proximus Alpibus iter faciens: audivi eum feſtinato ad vos tendere, & iam urbi proximum eſſe poſſe. Vnde & ego feſtinanter curſorem poſt ipſum ad vos cum literis præſentibus miſi, orans ut ſi poſſet fieri, aut antequam à vobis recedat, cauſam iam dicti nobilis viri ſapientia veſtra more, quo ſolet, diffiniat: aut ſicut præſens rogavi, in provincia Viennenſi, vel Lugdunenſi, ſi cui placuerit, terminandam committat. Et ne forte miretur ſagax prudentia veſtra, me velut rem alienam mihi ſuperfluo aſſumpſiſſe: noverit non eſſe hanc rem alienam, ſed propropriam; quia ille cuius eſt, non alienus, ſed noſter eſt. Noſter eſt amore, noſter & genere, noſter & beneficio. Amore quantum ad ſe, genere quantum ad ſuos, beneficio quantum ad utroſque. Quantum ad ſe, quia nos noſtraque præ cunctis mundi monaſteriis diligit. Quantum ad ſuos, quia patres, avi, & atavi eius, idem fecerunt. Quantum ad utroſque, quia tam ipſe quam illi monaſteria ab eiſdem fundata, & Cluniaco tradita, multis & magnis poſſeſſionibus atque redditibus ditaverunt. His de cauſis, negocia eius non peregrina reputo, ſed domeſtica: non aliena, ſed propria. Et quoniam is de quo vos ſollicito, & ſuper quo maieſtati Apoſtolicæ preces effundo abſens eſt: nec facile militaris homo, & ſeculo innumeris curarum cathenis aſtrictus, vos adire poteſt: verba eius mediantibus literis iſtis breviter prolata, ſi placet, audite. Dicit credere ſe, uxorem, ſuper qua arguitur, ſibi legitime ac iuſte nupſiſſe. Vivit quidam altera, cui primo coniugali fœdere vinctus dicitur, ſed illam numquam ſuam fuiſſe coniugem aſtruit. Cauſam, immo cauſas, quibus coniunx eius nec fuerit, nec ſit, nec eſſe poſſit, tales proponit. Primam quia contradicente ſuo Gratianopoli Epiſcopo, illam accepit. Secundam, quia infra annos nubiles exiſtenti, nec aſſenſum canonicum præſtare valenti, adhæſit. Tertiam, quia conſanguinitatis linea ei proxime iunctus eſt. Quartam, quia rem coniugij, nullo unquam tempore vel momento cum ipſa quamvis multum voluerit, ullomodo habere valuit. Quintam, quod ſicut hanc primam contradicente omnino ut dictum eſt, Epiſcopo ſuo accepit: ſic iſtam, volente, concedente, imperante, immo pene compellente eodem Pontifice admiſit. Sextam, quod in reditu veſtro à Galliis ad Italiam, in montanis Iurenſibus inter pontem Arleum & Villam-Iuniam ei præcepiſtis: ut ſæpe nominato domno Viennenſi Archiepiſcopo in omnibus obediret, indeque ſalutem ſuam non dubiam, ſed certam ſperaret. Septimam, quod priuſquam hæc omnia diſcuterentur, poſtquam tam per ſe, quam per alios religioſos vel ſeculares viros, iudicium iuſtitiæ paratum ſe eſſe ſubire, non ſemel tantum, non bis tantum, Epiſcopo ſuo, & dixit, & mandavit: ab ipſo interdicti ſententiæ ſubmiſſus eſt. Æſtimat vir iam ſatis dictus, quodlibet ex his capitulis unum, & ſemotis aliis ſolum ad divortium inter ſe & illam primam mulierem non coniugem, faciendum, plene ſufficere poſſe. Quanto magis omnia ſimul? Videat hæc omnia, & diſcutiat Pater univerſalis: & qui curam paternam univerſis Eccleſiæ filiis debet, animæ, nec de inferioribus, nec de viloribus ſibi commiſſæ provideat: & aut coram ſe, ut iam dixi, ſi fieri poteſt, rem ipſam diffiniat: aut probis partium noſtrarum viris, ſi placet, diffiniendam committat. Dolet enim multum homo, & quod vix, aut nunquam cuilibet anteceſſorum ſuorum contigit, interdicti Eccleſiaſtici † ſe incurriſſe, vere ut Chriſtianus ultra quam de laico ſit credibile, deflet. Vidi ipſe, & verax apud Patrem teſtimonium fero: quia dum die quadam inter caſtrum de Viſilia, & caſtrum

† ſententiam.

A de Domna, mecum iter faciens de his ageret: subito in tam amaros fletus & singultus erupit, ut etiam nos, & quosdam nobiscum, qui proximi equitabant, in fletus & lachrymas commoveret. Moveant ergo viscera paterna absentis, & nobilis filij lachrymæ: qui, & sicut fidelis Christianus dolet sibi Ecclesiasticæ communionis gratiam subtrahi, & de uxore dimittenda vel retinenda, re ad examen procedente, paratus est præcepto Apostolico, & Ecclesiastico obedire.

## EPISTOLA XLIV.

*Summo Pontifici, & nostro speciali Patri Domino Papæ Eugenio, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, filialis amoris, & obedientiæ quicquid potest.*

PLacentinus clerus, consules, & populus, quia benignæ paternitati vestræ ad præsens displicet, multum & multum dolens, placere super omnia, quæ in terris sunt, volens: elegit me sicut advocatum sibi, sperans, quod mediante me preces suæ apud Patrem facilius admittantur, & fortassis etiam exaudiantur. Facit hoc ex gratia, quam credit mihi servari penes vos: æstimans non ex toto frustrari vota sua, adiuncta suis precibus deprecatione mea. Quod utrum ita sit, utinam sic experiar nunc in assumpta causa: sicut vestri gratia sæpe expertus sum, tam in propria, quam in aliena. Sum eis debitor, tam charitate communi, quam dilectione singulari. Novit hoc, ut arbitror, sapientia vestra, & ad aures maiestatis vestræ, ut puto, pervenit: quid ante quinquennium, quando videndi, & visitandi vos gratia Romam pergebam, super iniuria mihi, immo & vobis à Marchione Opizone illata fecerint: quantum inde doluerint, quanta vi fugitantem, & latibula quærentem bestiam de fovea sua ad publicum protraxerint, quicquid sorbuerat totum usque ad obolum revomere compulerint, satisfacere tam ipsum quam sceleris socios, pro arbitrio meo, vellent, nollent, coëgerint. Fecerunt hoc, ut dixi, non soli mihi: quia quod factum est filio, factum est & Patri. Ea de causa de ingratitudine merito condemnarer, si pro ipsis, ubi causa rationabilis exigit, qualiscumque precij preces meas indignationi paternæ opponere formidarem. Dicunt, dicunt isti, quorum causam assumpsi, & hoc, ut ab eis accepi, sacramento probare parati sunt: se nihil eorum, super quibus arguuntur, ad iniuriam maiestatis vestræ fecisse, nihil in æternum facere proposuisse. Sed dicitur eis Episcopum à suo Ravennate Metropolitano Domini Papæ insuper præcepto consecratum, & suscipere noluistis: quodque est deterius numquam vos eum in perpetuum suscepturos, iuramento firmastis. Ad hæc illi. Metropolitanus noster, non Ravennas, non Aquileiensis, non quilibet alter, sed Romanus Pontifex est. Probamus hoc innumeris testibus, probamus Placentinum electum à multis retro seculis, à summo & universali Præsule, non ab alio consecratum. Producimus inde pro exemplo, præter antiquiores, Vrbanum secundum, Calixtum secundum: qui electis nostris consecrationis manum imposuerunt, & exemplo suo, quid posteris servandum esset, lucide ostenderunt. Servetur urbi nostræ concessa à tantis Pontificibus dignitas, & parati sumus facere vel subire quicquid Apostolica, si forte in his deliquimus, imperaverit maiestas. Hæc, Pater, illi. Ego vero his subiungo. Miserere, Pater, miserere tantæ urbis, nulli fere in Italia secundæ. Miserere tanti populi, qui si aliter egit quam debuit, paratus est iuxta præmissa obedire, & cuncta imperata servare. Attende, attende, inquam, discreto illo more tuo: quia, etsi deliquerunt, tamen quod multitudo delinquit, impunitum esse solet. Considera; licet ut minus sapiens loquar, velut docendo doctorem, quod bonus ille Pastor cuius vices in terra geris, vulneratus est propter infirmitates nostras: & se vicariis suis ad imitandum proponens, ait. *Non egent, qui sani sunt, medico: sed qui male habent.* Vide, quod proximi sunt periculo, & periculo mortis æternæ: si non condescendis, si rigorem tuum servare volueris, si dixeris: Non placabor nisi Episcopum à Ravennate sacratum susceperint, non quiescam nisi sacramenta sua irrita fecerint. Timeo, timeo Domine, ne severitate hac magis Ecclesia deficiat, quam proficiat: ne rigor iste magis appareat ruinosus, quam fructuosus. Formido, ne de Placentia civitate in hac republica nostra Christiana dicatur, quod olim de tribu Beniamin tempore Iudicum apud Iudæos dictum est. Ablata est una tribus de Israel. Si recensuerit, recolet sapientia vestra, quot & quantæ à sede Apostolica dispensationes, Paganorum, Hæreticorum, ipsorum etiam Catholicorum tempore factæ fuerint: nec ob aliud, nisi quia magni, & discreti Patres, spiritu consilij, & timoris Dei illustrati, videbant se magis Ecclesiæ Dei salua fide, & charitate posse proficere utiliter condescendendo, quam inutiliter austeriora servando. Extenderetur Epistola in immensum, si exempla vellem proponere, quæ occurrunt. Sed quia non est necessarium talia cunctá scienti, ipsum ad se remitto: & ut in libro singularis memoriæ suæ hæc relegat, exoro. Verbum tamen memorabile magni Patris, & summi Ecclesiæ Dei post Apostolos doctoris Augustini ad mentem, si forte excidit, revoco. Dico sententiam, non verba ex ordine. Insertionis, inquit, tale genus est, ut non possit inseri ramus aliunde allatus arbori, nisi fiat quantulumcumque vulnus in arbore. Sic quandoque vel suis, vel alienis Ecclesia ex charitate condescendendo læditur: ut qui alienatus vel alienus fuerat, inseratur. Sed nimium forte processi. Fecit hoc fiducia, ex paterna benignitate concepta. Vt ergo iam finis fiat, oro, rogo, supplico, & corde, immo ipso corpore ante pedes sanctitatis vestræ, licet absens prosternor: ut Placentinis vestris, vobis toto conatu placere quærentibus, condescendatis, & errorem eorum modo quo placuerit corrigatis: tantum ut eos, ut Ecclesiam suam, ut Episcopum suum, vobis, non alteri; Romanæ Ecclesiæ, non Ravennati, vel cuilibet alij conservetis.

## EPISTOLA XLV.

*Summo Pontifici, & nostro speciali Patri Domino Papæ Eugenio, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, devotam obedientiam cum filiali amore.*

SI Dei dispositio paternitati vestræ me proximum loco fecisset, optassem & omnia à me facta vobis referre, & de faciendis vobiscum consilium inire. Nunc remotus opto sæpe facere, quod semper non possum. Vnde notum facio benignitati vestræ, quid post regressum meum à vobis factum sit de castro, quod super ipsum, ut ita dicam, Cluniaci caput, Hugo Discalciatus ædificabat, contigerit. Quæstus fueram inde, ut nostis, apud vos: & vestra providentia duro anathemati illud submiserat. Rediens igitur, inveni non tantum inchoatum, sed & fortibus iam muris cinctum: & excepta lapidea turri, cuius iam materiam pene totam iam dictus Hugo congregaverat, lignea interim iam erecta, fere ex integro consummatum. Inveni & nostros villam quandam iuris nostri, quæ Clarummane dicitur, castro illi valde proximam fossatis, & munitionibus ambisse: & prout brevitas temporis permiserat, communitam, castro Hugonis pro castro opposuisse. Inveni universos adiacentes nobis, milites, Castellanos: ipsos insuper Comites & Duces Burgundiæ nostræ, velut auream, ut dicitur fortunæ inhiare: & quasi argentei fumi nidore attractos, ad arma sumenda nostros undique concitare. Dicebant multa, amicorum condolentium, vel consultantium

A ſpecie: quæ ego audita, in quam partem vergerent, ad-
vertens, aurem eis pacificam, velut bene conſulenti-
bus exhibebam. Inſtabant & multi ex noſtris, ſed quo
ſpiritu, ipſi viderint: aſſerentes credendum eſſe pru-
dentibus viris, qui cum amici eſſent, & in re milita-
ri aſſueti, non hortarentur ad inutilia, nec ſuaderent
diſſuadenda. Aderant è converſo longe plures his,
affirmantes nihil unquam lucratam eſſe Cluniacum
militaribus armis: aut vecordem, aut hoſtem eſſe, qui
Monachis pugnare ſuadeat, qui cucullatum gladio
præcingat: pro admirabili habendum prodigio ſi ta-
le monſtrum ad bella procedat. Ridendos eſſe, & ſub-
ſannandos eſſe ab orbe terrarum, huiuſmodi milites
vel athletas: nec iam illuc velle venire ſeculares ad ſu-
ſcipiendum religionis habitum, quem ab ipſis religio-
ſis iam viderent depoſitum. Præter hæc damna innu-
mera inde poſſe oriri, cum brevi tempore bellica
B clades, etiam longe maiore quam Eccleſia illa habeat
redditus, poſſit aſſumere, & conſumendo paulatim
in ſe ipſa deficere. Ad ultimum homines aliis aſſuetos
ſtudiis, bellicarum artium prorſus ignaros, hoſtibus
callidis, & in his à lacte educatis, non niſi prædam
vel eſcam exſtare. Hæc ut ſanioris conſilij eſſe claruе-
runt, mediante Hugone de Berziaco, & quibuſdam
aliis militibus, ex parte autem noſtra, fratre Enguize-
ne præcipuè, & quibuſdam aliis inſtantibus, concor-
dia huiuſmodi facta eſt. Deiecit ipſe caſtri conſtructor,
& diruit ab ipſis fundamentis, ſuis vel ſuorum manibus
caſtrum: ſeque nunquam deinceps aliquid ibidem ædi-
ficij facturum iuramento confirmat. Dat inſuper &
montem ipſum Eccleſiæ. Addit & iuramento, ſe a ca-
ſtro Buxeriæ uſque Cluniacum, in aliquo prorſus loco,
munitionem aliquam nunquam ulterius eſſe facturum.
Interdicit & hoc cunctis hæredibus ſuis, & inſtru-
mentum iſtud continens, auctoritate & teſtimonio
Lugdunenſi Archiepiſcopi & Coepiſcoporum eius,
Guillelmi Comitis, & aliorum terræ illius nobilium, ſeſe
facturum ſpopondit. Nos autem his de cauſis, dedi-
C mus ei ducentas & viginti libras. Hæc præcipue ea
de cauſa facta noverit ſublimitas veſtra, quia memo-
res conſilij quod nobis dediſtis, maluimus in pacis
conditionibus expendere multa, quam ſub dubia bel-
li ſorte conſumere infinita.

## EPISTOLA XLVI.

*Inſigni & ſingulari noſtri temporis viro, domno Bernardo Clarævallis Abbati, Frater Petrus humilis Cluniacenſium Abbas, ſalutem æternam.*

QVoniam ſanctitati veſtræ, mihi tam dulciter, tam
benigne ſcribenti, tot diebus reſcribere diſtuli,
nolite mirari. Irruerat forte tunc tantus negociorum
turbo, tantaque cauſarum congeries me undique ſuffo-
D cabat: ut non dicam ſcribere, ſed vix mihi vivere tunc
liceret. Exundabat, diſrupto obice, immenſa vis aqua-
rum: quas, Romanum iter, me abſente, paulatim con-
gregans, ſtagni more aliquandiu continuerat, in præ-
ſentem largiſſime, profundebat. Exclamare tunc meri-
to poteram *Saluum me fac Deus, quoniam intraverunt
aquæ uſque ad animam meam.* Hæc fuit cauſa qua illi,
cui me totum debeo, debitum reſpondendi, paucis licet
diebus, ſubtraxi. Nunc tandem reſpirans, occurro, ut
poſſum verbis, tanto tanti amici affectui: poſt verba
in proximo, per Dei gratiam occurſurus & ipſe. Ma-
gnificavit vere Dominus facere nobiſcum, & ut verba
illa veſtra, humanum pene os excedentia ſonant, pro-
ſperum fecit iter noſtrum: & gratia ſua, ſtudio veſtro
precibus veſtrorum, duxit & reduxit incolumes: tri-
buit nobis ſecundum cor noſtrum, & implevit petitiones
noſtras. Facta ſunt nobis etiam ad literam prava indi-
recta, & aſpera in vias planas. Alpes ipſæ gelidæ, &
perpetuis nivibus condemnati ſcopuli illius ſui anti- E
qui horroris pene obliti ſunt. Aer ipſe, qui, ut poſt
reditum noſtrum accepi, noſtræ ſe Galliæ, hybernis
menſibus importuniorem ſolito nimius imbribus præ-
buit: quinque ſolis diebus exceptis, toto, quo in Italia
demoratus ſum, tempore, tam terreno itinere, quam flu-
viali (nam aliquantis diebus ac noctibus, Padus nos na-
vigantes detinuit) iocundum ſe ſemper ac ſerenum ex-
hibuit. Lutoſas vias, quibus maxime angi, immo cun-
ctis id minantibus infigi verebamur, fere lapideas ſic-
citate invenimus. Fratres quoſdam itineri ſocios, puræ
ac ſimplicis vitæ viros, fluctibus merſos, & iam iamque
extinguendos, ab ipſis (ut ſic loquar) mortis faucibus,
vivos recepimus. Ipſe plus ſolito audax, dum pontem
quendam, quia peditem ire pigebat, conſcendere eques
conarer: ultimos mulæ meæ pedes tenaciſſimo retrahen-
te luto, in ſubiacentem eidem ponti quandam abyſſum
pene prolapſus ſum. Sed Dei virtute mulæ vires adden- F
te, ſubito me cum eadem ſuper pontem inveni, ſicque
præter timorem, nihil triſte paſſus, evaſi. Quid multa?
Talis nos in eundo, talis in redeundo, non fortuna,
ſed gratia aſſidue comitata eſt: ut nihil mihi, nihil no-
ſtris præter votum contigerit: excepto defectu, vel
morte beſtiarum, de quibus Deo cura non eſt. Læta
plane in via cuncta reperi, ſed lætiora apud Patrem in-
veni. Bonum illum habui in principio, meliorem in
proceſſu, optimum in fine: immo, ut quod verius ex cor-
de hauſto fatear, optimum ſemper. Cumque vultus ille
illius, in quo vere Apoſtolicus vigor & forma relucet,
pro varietate cauſarum, perſonarum, & eventuum mu-
taretur, & aliis atque aliis nunc iocundum, nunc nubi-
lum diſcretiſſime ſeſe præberet, mihi tamen numquam in
diverſa mutatus eſt. Qualem veniens reperi, talem re-
cedens reliqui. Notabam ſæpe auſteriorem vel mœſtio-
rem, quam frequenter inducere aliis de cauſis cogebatur,
ſpeciem: ipſum aut privatim, aut publice me alloquen-
te, de iudicis forma in patris gratiam commutare. Præfe-
rebar omnibus etiam maioribus gradu, nec Patriarcha-
G lis dignitas, cum etiam Ravennas adeſſet, præire me-
ipſum plerumque impellente ſinebatur. Senatui Roma-
norum, Epiſcoporum, vel Cardinalium, non tantum ad-
iungebar, ſed & quandoque adiungi cogebar. Exclu-
debantur univerſi non Romani à Romanis conſiliis:
ſolus aut pene ſolus ad myſteria iutata vocabar. Iſta in
publico. Iam ſecretiora, & remota ab aliis colloquia,
quis explicet? Dico, dico quod verum eſt. Nemo me
putet aliter loqui quam ſentio. Vt aliquid arrogantius
dicam, hoc apud me fas non eſt. Numquam amicum
fideliorem, numquam fratrem ſinceriorem, numquam
Patrem puriorem in huiuſmodi colloquiis expertus
ſum. Auris patiens ad audiendum, lingua prompta &
efficax ad reſpondendum: non ut maior minori, ſed ut
aut par pari, aut quandoque ut inferior ſuperiori. Ni-
hil faſtus, nihil dominatum, nihil maieſtas: ſed totum
ſibi hominem æquitas, totum humilitas, totum ratio
vendicabant. Si quid ibi vel alibi petij, aut indul-
tum eſt, aut rationabiliter, ita ut queri non poſſem,
negatum. Hæc dicens non glorior, ſed veſtra vota in
H me per ipſum impleta declaro. Et novum quidem non
eſt, Cluniacenſe Monaſterium in qualicumque Paſto-
re ſuo à ſummo Pontifice honorari: ſed novum eſt
nihil ſiniſtri in eius actu, nihil in verbis, nihil in
ipſo geſtu erga ipſum potuiſſe notari. Videram enim
primo anno Apoſtolatus ipſius Romæ, poſt videram
Cluniaci, videram Antiſiodori, videram Catalauni,
videram Remis, videram alibi: ſed talis nunc appa-
ruit, quaſi numquam vidiſſem. Qualem deinde to-
tius Romanæ curiæ erga me ac noſtra ſtatum invene-
rim, ſuccincte refero, ut amicorum fideliſſimorum, ut dul-
ciſſimorum fratrum, ut ex mero, & ſincero corde
quantum agnoſci potui familiarium. Veſtri omnes,
maxime ſingularis ille vir Dominus Hoſtienſis, non
minus, non inferius mihi aſtitit quam vobis ſi præ-
ſens eſſetis adſtaret. Ad illum explicandum, quia
brevis ſermo non ſufficit, parco literis, ſed per Dei

A gratiam cum præsens fuero, non parcam verbis. Hortatur dehinc textus Epistolæ dulcis & sanctæ, tempus & opus esse, ne reddam retribuentibus mihi mala: monet ut nunc illi qui voluerunt, sed non potuerunt aliud agere, experiantur clementiam nostram, & affectus Patris filios recedentes resignet visceribus suis. Instat ut sentiant nos in gremio Sedis Apostolicæ plus Patris quam iudicis invenisse: & gladium iam ad percutiendum exertum, in vaginam pietatis esse repositum, & reliqua in hunc modum. Ad hæc ego. Non est, non est hic labor difficilis, aut insuetus apud me. Natura ipsa satis ad indulgendum me provocat, usus ipse indulgendi instigat. Assuetus sum pati, assuetus & indulgere. Declarat hoc, quod tamen non superbe iacto, de Pontiano schismate, in quod cum innumeri declinaverint, ac nefanda, & in ordine Monastico inaudita fecerint: numquam gladium meum, numquam mucronem, numquam frameam experti sunt, vix umquam asperum ab ore meo verbum audierunt.
B Feci hoc tunc, feci & postea sæpe, etsi non de tam gravibus: tamen de gravibus. & mitte forsan si tolerantia intercessisset, graviter puniendis excessibus. Facio & adhuc frequenter, nec (ut sic dicam) facere hoc adhuc cesso. Sed quid? Numquid ita semper? Numquid semper misericordiam Deo cantabo, & numquam iudicium? Numquid universæ viæ Domini, misericordia tantum? Nonne & veritas? Numquid semper prohibebit quilibet miles Dei gladium suum à sanguine? Si hoc, non tantum rex: sed & miles eius frustra gladium portat. Frustra & leguntur verba illa, orbi Christiano nota. Vis non timere potestatem? Bonum fac, & habebis laudem ex illa. Si autem male feceris, time. Sed dicet quispiam: Ecclesia non habet gladium, Christus illum abstulit: cum Petro dixit, *Converte gladium in vaginam. Omnis qui acceperit gladium, gladio peribit.* Verum est, inquam, verum est. Non habet Ecclesia gladium Regis, sed habet virgam Pastoris. De qua Apostolus, *quid vultis? in virga veniam ad vos, an in spiritu mansuetudinis?* Et quid dico, habet
C virgam? immo habet & gladium, secundum eundem, *Et galeam salutis assumite, & gladium spiritus, quod est verbum Dei.* Hic gladius si quieverit, si semper latuerit: si numquam exertus, nulli umquam terrori fuerit quid erit? Multiplicabuntur forte, iuxta Salomonem, contra rem ipsam minimum bestiæ agri, nec iuxta cuiusdam amici Iob verba, pacificæ erunt illi. Et quid faciet pravorum perversitas, quos in malis suis deteriores reddet impunitas? Transeo Phineem, prætereo Heliam, taceo Machabæos, quos diros scelerum ultores legit & cantat Ecclesia. Virum illum, mitissimum super omnes homines, qui morabantur in terra, propono. Nomen eius quis nesciat? Is cum tantus virtute mansuetudinis fuerit, Dei suasque iniurias ulcisci horribili mortis exemplo non timuit. Res notissima diu protrahenda non est. Quid loquerer Samuelem pro inimicis orantem? quid David totiens, & totiens hostibus nequissimis parcentem? Et ille tamen manu non aliena, sed propria, pinguissimum Regem Amalechitarum in frusta concidit: & iste non in solo mysterio dixit, *Persequar inimicos meos, & compre-*
D *hendam illos, & non convertar donec deficiant.* Persecutus est enim hostes, sæpe etiam realiter, & comprehendit: nec conversus est donec deficerent. Quid ipse Salvator, quid plane ipse pius Iesus egit? Flagella quidem pertulit, sed & flagella intulit. Mercatores in loco mercationi incongruo illicite mercantes, de templo Dei non per ministros, sed per seipsum verberando eiecit: quando discipuli de ipso dictum in Psal-
Psal. 68 mo recordati sunt, *Zelus domus tuæ comedit me.* Quorsum ista? videor, ut dicitur, Minervam docere, guttulis Rhodanum infundere, ad nemus ligna convehere. At nihil horum ego facio. Quid ergo? unum est quod intendo, unum quod specialissimo & sanctissimo amico suggero. Credit forte vel existimat dum hæc legit beatitudo tua, me super huiusmodi hominis inanire: & velle tormentis eorum vel suppliciis saturari.
E Non fui, non sum, nec esse possum tortor eorum, qui licet fratribus suis maligne detrahendo, susurrando, obloquendo, multum deliquerint, licet carnes eorum dente canino laniaverint, ipsa sua viscera unguibus propriis discerpserint: corpus Ecclesiæ suæ in quibusdam eius membris, nequiter, ut ego novi, laceraverint: habeant si sic vobis utile videtur veniam, ne mereantur præmium. Horum uno si beneficio abuti noluerint, provocari poterunt ad melius, altero deterreri poterunt, ne cadant in deterius. Sed dicetur. Non erit plena charitas si non nocuerit, sed ea erit integra si profuerit. Eia. Velim nolim, perfectus esse compellar. Ero, quod non putaveram, perfectus: sicut Pater meus cœlestis perfectus est. Non ulciscar in hostes, immo beneficiam hostibus. Præferantur, principentur, regnent: sed sine me. Sine me quomodo? Habeant dignitates,
F Habeant honores, si dici debet, Monasticos à me: sed non circa me. Habeant extra positi, & res meas, & etiam, si merentur, cor meum: non ambiant latus meum. Nulla, ut nostis, & ut ait ille quem nostis, ad nocendum efficacior pestis, quam familiaris inimicus. Proverbium est, etiam vulgatum. Primo falli incommodum est, secundo stultum, tertio turpe. Et ut aliquid divinum subinferam, *Amici*, ait Salomon, *sint tibi multi consiliarius unus de mille.* Videor ex parte loqui ut filius seculi: cum, teste Deo, non multa mihi sit cura de seculo. Esset vero fortassis, vel parva, vel nulla, si permitterent filii seculi. Sed quia ipsi prudentiores sunt filiis lucis in generatione sua: utinam mihi daretur simplicitas columbæ ad illorum vitandam nequitiam, & serpentis prudentia ad præcavendam maliciam! De his ita ad præsens. De reliquis, quæ hanc materiam sequuntur, sacri oris vestri verbis, quid dicam? Non invenio, non sufficio. Sufficio tamen non quidem ad respondendum sed ad rependendum tanto amori totum, & integrum mei animi vel
G cordis affectum. Occurram, occurram certe, ubi vobis vel vestris visum fuerit: occurram inquam servo meo, ut à vobis habeo, vel apud Divionem, vel apud ipsam Claram-vallem. Agnosco enim, & vere agnosco quod dixistis: quia quantum pepercero vobis, parcam & mihi. Munus quod pro magno vos habiturum scripsistis, vobis concessi, donec optabili colloquio perfrui merear. De Germano quod magis innuistis quam dixistis, facio quantum valeo. Cætera diei expectatæ reservo. De Subpriore ea, quæ subiunxistis, ut legi, non modice miratus sum. Conveni statim hominem, & cuncta fere, quæ de eo vobis suggesta fuerant, ab ipso falsissima esse audivi. Veritus sum meorum sibilos serpentium, ne similia his, quæ hoc anno profuderunt, vestris auribus insibilassent. Et vere maior pars materiei, quam Epistola vestra continet, ab ipsis infusa videtur. Hi licet paucissimi, & ut putant, secretissimi, oderunt quod diligo, diligunt quod odio. Sed hoc quidem gratis, ut Psalmus ait: & Salvator meminit. Diligo ego hominem illum, quia longe plusquam appareat prudens est, utilis est, necessarius est, fidelis est. Hoc forte ultimum, & solum in ipso oderunt. Scripturus est ipse
H vobis, excusaturus quod non fecit, nec negaturus quod fecit: satisfacturus per omnia si quid vel in modico vos offendit. Credite viro, qui, sicut novi, fide dignus est. Valete.

## EPISTOLA XLVII.

*Fratri Nicolao, Frater Petrus humilis quod solet*

VT absque prooemio loquar, quid plane, quid est? Et tu ille es, cui dicatur, *Modica fidei, quare dubitasti?* Sed nec ego Christus sum, nec tu Petrus es. An, bone vir, ut cum stomacho loquar, me putasti alium esse factum? Ergo-ne tam firmas radices fixerat opinio mei Mat. 14

amoris

amoris erga te, ut quem in fortissimam quercum evasisse credideram, vix in vimen tenerrimum coaluisse agnoscam? An forte putasti, cum mutatis regionibus mutasse me & animum, & infectum peregrini aeris tactu (ut aliquid fabulosum interseram) Circe medicaminibus de homine bestiam factum, in monstrum aliquod erupisse: cum dicat quem nosti,

*Cælum non animum mutant, qui trans mare currunt?* (Horat.)

Non adeo, non adeo in me prævaluit Romanum vel Campanum littus: ut quod eram me oblivisci cogeret, & non in melius, sed in deterius commutaret. Mirum esset, si longo tempore hoc: magis autem mirum, si in tam brevi efficere potuisset. Sed non est ita. Non sum quidem qui fueram, sed corporis, quod momentis singulis in omnibus fit, alteratione, non animi mutatione. Quod si forte, quia silui, mutatus esse credor, credatur idem, & quando loquor, quia non semper loquor: credatur & quando dormio, quia non semper dormio, & sic de reliquis corpori vel animo accidentibus. Sed non fuit causa silendi, imminutio diligendi. Quod silui, quod per tam longum iter de tam longo itinere nihil tibi, charissime, si tamen hoc te esse adhuc non dubitas, scripsi: factum est, non quia nolui, sed quia non potui. Quid poteram positus in itinere scribere, qui vix poteram vivere? Vivere dico, non quod, Deo gratias, amicis, fratribus ac filiis tam orantibus quam studentibus, aliquid mihi præter votum contigerit; sed quia integra pene semper die equitanti, media nocte edenti; valde mane surgenti, in agone continuo desudanti: quis animus ad meditandum, quæ lingua ad dictandum, quæ manus ad scribendum parare se poterat? Hæc præter alia multa quæ commemorare longum est, impedimenta, & Transalpinum, & Cisalpinum mihi silentium indixerit. Fuit & illud, quod domno Abbati actuum meorum vel euentuum primam notitiam, ut par erat, ante omnes alios reseruabam. Iam & si post reditum aliquamdiu silui, mirum non est: sed quia adhuc loqui potui, valde mirandum est. Quomodo illud? Læta quidem, iocunda, & arridentia cuncta reperi, & præter devotum clericorum, & laicorum occursum; fratrum, quod mihi magis cordi erat, tam vocis canticum quam cordis iubilum inveni. Lætabar in eis, & non in me, sed in Domino gloriabar: quod pium & valde dulcem animorum suorum affectum erga me qualemcumque Pastorem suum oves non meæ, sed Christi, non solum cantibus, sed & lachrymis ostendebant. Mirabar vix quinque mensium absentiam meam in tantam amoris flumman ex occultis subito prodiisse: ut mirum videri posset si quinquennij mora tantam parere potuisset. In his constitutus, vixque quatridui metas excedens, statim post lilia gaudiorum, spinas intravi negotiorum. Inundauerunt aquæ super caput meum, & pene dixi perij †. Invocavi mox nomen Domini, unde nec dum submersus sum: meum erit à modo tuumque ac meorum, ne submergar. Aquæ istæ populi fuerunt, & gentes, ab Italia, Germania, Hispaniis, Anglia, ab ipsa nostra Gallia Cluniacum derivatæ: ibique simul per totam illam absentiam meam, in immensos causarum cumulos congregatæ. Hæc ut me præsentem senserunt, ac si in caput meum coniurassent, quæcumque diu continuerant profuderunt. Feci quod potui, & euasi ut potui: hæc qui non advertit, qui non recogitauit, qui non considerauit, quid meruit? Sed indulgebo, dabo veniam, prosequar morem meum. Nolo in uno reo mansuetudinem meam perdere, quam in multis millibus soleo conservare. Iam vero in itinere meo super quo certificari rogasti, quid egerim, quid dixerim, quid invenerim: ad literas, quas Domino Clareuallensi facio, per eas de his omnibus instruendum te mitto. Ibi cuncta leges, ibi cuncta reperies. Scripsi ei, ut ostendat eas tibi. De consanguineo meo, Abbate Miratorij mirando, & admirabili, quid dicam non inuenio. Inuenirem vero fortassis, nisi brevitatis studium finire me Epistolam cogeret. Præter hoc tempus breue, Pentecoste urgens, cursor festinans, cursum verbi impediunt, & animum maximos tumultus suos exprimere gestientem reprimunt. Nec illam Miratorij materiam, etiam si tota ei dicaretur, brevis Epistola expleret, cui vix liber integer sufficere posset. Da operam, quæso, ut dies colloquij inter me, & Dominum Clarevallensem, tertia post Pentecosten Dominica apud Diuionem, si fieri potest, habeatur. Dominum Abbatem, ut te nobis citissime mittat, rogavi. Tu vero nullo modo citius venire graveris. Es enim mihi, & propter ista, & propter quædam alia, multum necessarius. Cursori quod tamdiu moratus est, noli imputare: sed mihi, excusaque eum apud cæteros. Vale.

*Ad explendum Epistolarum huius Libri VI. numerum, quæ L. computantur in Chronic. Cluniac. desiderari videntur hic adhuc tres: nisi forte quis illas tres, ad Petrum de S. Ioanne, & adversus Petrobrusianos, quæ Tractatus potius quam Epistolæ censentur à pluribus, eis adnumerandas existimet. Verum quia seiungendas, ac postponendas nos docuit idem Chronicon, earum loco quasdam alias Sugeri sancti Dionysij, Bernardi Clarevallis, & Petri Cellensis Abbatum, ad Petrum nostrum Abbat. Cluniac. eiusdemque Petri ad Sugerum aliquot nondum editas supposuimus.*

## EPISTOLÆ OCTO,

## SANCTI PETRI

# MAVRICII

## DICTI VENERABILIS ABBATIS CLVNIACENSIS,

ad Sugerium Abbatem S. Dionysij:

*ET SVGERII SANCTI DIONYSII, Bernardi Clarevallis, ac Petri Cellensis Abbatum, ad eundem Petrum venerabilem Abbatem Cluniacensem,*

Nunc primùm huic editioni adiectæ.

### EPISTOLA I.

*Venerabili, & charissimo Domino nostro Sugerio Abbati Sancti Dionysij, Frater Petrus humilis Cluniacensis Abbas, salutem, & sinceram in Domino dilectionem.*

ET aliis literis vobis nuper mandavimus, & præsenti scripto sicut in corde nostro est, iterum replicamus: Quod præ cæteris partium vestrarum Prælatis personam vestram singulariter diligimus, & sicut specialem Cluniacensis Ecclesiæ amicum propensiori charitatis affectu veneramur. Vnde non modicè gravamur, quod reverentiam vestram, quam tam studiosè diligimus, nec raro saltem videre permittimur: & desiderata diu colloquij vestri opportunitas importunis multiplicium negotiorum nostrorum occupationibus impeditur. Mittimus itaque dilectioni vestræ charissimum fratrem nostrum, & intimum amicum domnum Hugonem de Crescecio, per quem beneplacitum vestrum nobis significare poteri-

(Quatuor sequentes Epistolæ sepromptæ sunt ex Lib. Epist. Sugerii MS.)

A tis. Si quid enim scimus aut possumus, quod vobis utile cognoscamus, & commodum, hoc servitio vestro tam in temporalibus, quam in spiritualibus exhibere parati sumus. De cætero verbum quoddam secretum, quod scripto credere noluimus, in ore domni Hugonis posuimus, quod ea ratione mandavimus, ut & vos illud secretum habeatis, & sicut expedire videritis, cautè tractetis.

## EPISTOLA II.

*Venerabili & intimo amico, Domino Sugerio Abbati Sancti Dionysij, Frater Petrus humilis Cluniacensis Abbas, salutem, & sincerum amorem.*

B QVantum in corde nostro sitis libentius præsenti ostenderemus, quam absenti mandaremus. Sed quoniam corporalem præsentiam vestram, quam multum videre apud nos, maximè in adventu Regis speravimus, sors inimica nobis invidit, id nunc breviter vobis dicimus. Minus est ab amore, quem erga personam vestram habemus, si omnia nostra vestra esse dixerimus: quoniam & nos ipsi melius quam credatis vestri sumus. Quod autem ad præsens negotium pertinet, Priorem de Notgero, & negotia eius vobis commendamus, ut & pro negotiis quæ vobis ipse intimabit, Domino Carnotensi Episcopo scribere dignemini, multum rogamus.

## EPISTOLA III.

C *Venerabili & charissimo Domino, & amico nostro Sugerio Abbati Sancti Dionysij, Frater Petrus humilis Cluniacensis Abbas, salutem, & sincerum in Domino dilectionis affectum.*

QVia reverentiam vestram iam ab antiquo dileximus, & in Christi charitate diligimus, à vobis quoque diligi non diffidimus. Ea propter frequenter vos pro nostrarum rerum diversis eventibus rogare non dubitamus. Nunc autem & rogamus dilectionem vestram pro domno nostro Sancti Martini de Campis, quæ ob debilitatem dilectissimi fratris nostri domni O. plurimum; tam in spiritualibus, quam in temporalibus attenuata est, & quotidie magis ac magis attenuatur. Vnde eius condescendentes infirmitati, à cura domus prædictæ eum more nostro absolvimus, & loco ipsius dilectum fratrem, & filium nostrum domnum Simonem quondam eiusdem loci Subpriorem substituimus, qui à nobis, & fratribus nostris propter honestatem, & mores optimos multum diligitur. Super quo rogamus prudentiam vestram, ut eum D causa Dei, & amoris nostri respectu diligatis, auxilium & consilium vestrum ei impendatis.

## EPISTOLA IV.

*Venerabili Dei gratia Cluniacensi Abbati, Petro, Sugerius Beati Dionysij Abbas, salutem, & devotas orationes in Christo.*

HOnesta materia precum multitudinem coartare consuevit. Inde est quod pro Ecclesia Compendiensi, quæ præcepto domni Papæ de antiquo in novæ Religionis statum mutata est, sanctitatem vestram obnixè rogamus, quatinus eam apud Dominum orationibus vestris adiuvetis, & Domino Papæ, ut eiusdem Ecclesiæ Abbatem virum venerabilem, approbatam personam benigne suscipiat, & tanquam operi manuum, sicut pius Pater, & Dominus in omnibus E provideat, scribatis. Valete. [ Domino & Patri venerabili Dei gratia Claravallensi Abbati Beatus Sugerius beati Dionysij Abbas idem mandat.

## EPISTOLA V.

*Domino Petro Abbati Cluniacensi, Bernardus humile dilectionis obsequium.*

LEctis literis vestris, lætatus sum in eis, quod tantillum videlicet tantus in benedictionibus dulcedinis prævenire curastis. Cæterum videndi nos invicem, & colloquendi pariter, quoniam dignum indicatis, quando se offeret illa oportunitas, quando conveniens locus, quando iusta occasio? Hæc interim pauca reddidimus, ampliora libenter donaturi, cum ea vobis onerosa non fore cognoverimus. Alioquin, quando hoc ipsum auderet nostra pusillitas, nisi daret ad dignitatem vestram accessum vestræ dignationis humilitas?

F Hæc est cclviii. inter Epistolas S. Bernardi.

## EPISTOLA VI.

*Domino Petro Abbati Cluniacensi, Bernardus humile dilectionis obsequium.*

QVam nolim fieri, quod vestræ putem obviare reverentiæ, credo synceritatem vestram non latere. Ea fiducia suggerere vobis non dubito, quod suggerendum videri possit. De Monasterio Sancti Bertini vellem eos moderatius agere, quam cœpistis. Nam etsi hoc vobis in pace subiicere, & absque omni contradictione possetis, ne tunc quid vestra referret video. Neque enim crediderim vos delectari honore cum tanto onere. Nunc vero, cum nec absque magno labore vendicare vobis præfatum Monasterium, nec in pace, ut aiunt, queatis possidere: honesta vobis, ut mihi videtur, præbetur quiescendi occasio, timor inquietandi.

cclix. G

## EPISTOLA VII.

*Domino Petro Abbati Cluniacensi, Bernardus humile dilectionis obsequium.*

FIlius vester, frater Galterus factus est & noster, secundum Regulam illam, *Omnia mea tua sunt, & tua mea.* Non sit minus familiaris, quia communis: sed si est quod possit alia gratia, sit familiarior atque acceptior, ut mihi quia vester est, sic vobis quia noster est.

cclxvii. Ioan. 17. H

## EPISTOLA VIII.

*Domino & Patri suo charissimo Petro Dei gratia venerabili Cluniacensium Abbati, Frater Petrus humilis Cellensis Abbas seipsum.*

IGniculum scintillantis in me spiritus vestri cineres nostri tenaciter evaporant, & carbones Seraphim nunquam extinguendos assidua meditatione renovant. Tetigistis, fateor, in me non labia oris, sed venas cordis. Aculeus siquidem collocutionis inter nos habitæ nostras interiores medullas perforavit, ac in consideratione sui omnia animæ interiora coëgit. Revera sermo ille efficax fuit ad torpentis animæ excitationem, ad vitæ huius momentaneæ inspectionem ad regularis professionis observationem ad angelicæ puritatis

Extat lib. 2. Epist. Petri Cellensis, epist. 1.

A ritatis æmulationem, ad summæ, & ineffabilis Trinitatis expeditam contemplationem. Vivus, quia de vera vita: purus, quia de puritate summa; verus, quia de veritate æterna. Non parcit malis, sed placet bonis: remordet vitia, virtutes suadet. Adducit in lucem obscura, tanquam speculum perlucidum vultus prospicientium renuntiat. Fateor, in huius contuitu rugas meas inspexi, & quod in interiori homine pulchrum prius æstimaveram, deforme reperi. In lucerna ista accensa domum everti, & in peculio multo minus quam computaveram accepi. Marcidum inveni quod floridum credidi. Et quid plura? Fætores niduli mei vix fero, quia ibi reptilia, quorum non est numerus, aspicio. Vrticarum ibi punctiones, spinarum compunctiones, veprium complicationes, & tam paliuri sollicitudinum, quam cardui affectionum non parcentes

B exustiones. Quid namque peccatum, quid pœna peccati, nisi stimuli mortis animam cruentantes, lacerantes, & dilaniantes? Misera miseriis suis depascitur anima, *Mors*, inquit Psalmista, *depascet eos.* Vnde Esaias. *Dilatavit*, inquit, *infernus animam suam absque ullo termino, quia non habuit populus scientiam.* Nimium, nimiumque certè se infernus dilatat, cum etiam quosdam in corpore viventes gehennalibus conscientiis iam iam excruciat. Sed usque ad ostium, ceu hostiam crucis, & non ultra, cruciatus isti pertingunt. Cetus namque iste, qui etiam Ionam devorat, omnia rapit, universa devastat: in gutture & ventre malitiæ suæ, quicquid extra arcam invenerit includit. At quam felicius, & quam iocundius anima capientem se caperet, devorantem se absorberet, persequentem se triumpharet? Draco enim sic illuderetur, sic denique mors interficeretur, sic anima liberaretur. Vtinam sic se vindicaret anima de adversario suo, immo utinam infernales sic absorberet in præsenti miserias, ut nullas in crastinum futuri iudicij dimitteret pœnarum reli-

C quias! Vtinam, inquam, reliquias salutationis, quæ diem festum agent, potius expectaret anima mea, quam reliquias fæcis, quæ subsidunt in calice, qui est in manu Domini vini meri plenus mixto! Reliquias prandiorum tuorum, Domine Iesu, suspiro. Venter meus absque spiraculo en totum se expandit, & de micis sive reliquiis tuis repleri appetit. Quæro etiam vinum, quæro & vestimentum. Opto quoque à sanguine peccati, sanguine tuo mundari, opto lineis tuis, Iesu, vestiri, quibus in sacris visceribus virgineis insignitus ad offerendas preces, & munera pro nobis processisti. Hanc sacrosanctam in sancto cœnæ convivio exuisti, in cruce conscidisti, in resurrectione innovatam resumpsisti, in ascensione vultibus paternis in propitiationem nostram repræsentasti. Lava me à sordibus, sana à doloribus, mundator filiorum Levi, reparator filiorum Dei. Quod si manum iam glorificatam clementissime ad tam ulcerosa officia inclinare, propter defluentes ægroti assiduas rheumatizatio-

D nes refugis: habes aliam inferiorem manum, sed bene doctam, sed satis gratiosam, sed similem nobis passibilem, cui si dederis, immo si iusseris, facilè curationes animarum nobis propinabit. Cluniacensem tuum loquor, cui dedisti in corde sapientiam, in ore facundiam, in sermone gratiam, in vultu auctoritatem, in operatione virtutem, in intellectu subtilitatem. Dedisti ei & licentiam, ut secundum cor tuum operetur, & laborantium officinas ingressus manibus tuis confectam medicinam pro cuiusque valetudine dispenset fideliter, & minimum gratiæ pro gratia opere dispensationis reportet. Gravaris quidem, Domine charissime & Pater, in hac administratione tantæ multitudinis, tam spatiosis decursibus, ut modo ad cœlorum fines curribus igneis amore avido contendas: modo ad terræ inferiora, & partes ultimas sollicitudine populi proni in culturam vituli comedentis fœnum resilias: modo tam procul, modo tam prope, modo supra nubes, modo iuxta Goel etiam infra cives, modo supra spiritum, modo infra te ipsum cogaris te levare & deponere. Laboras, sed si non amas: laboras, sed si fru-

E ctum non videas: laboras, sed si finem non speras, laboras sed si retributionem non consideras. Et de fine quidem scriptum est, *quia ecce finis venit, venit finis.* Denique appensum est in statera laboris tempus, & inventum est minus habens, quam retributionis denarius. Non in dies & annos producitur labor, quia in modico, & in brevi fiet laborum retributio. Iterum de fructu videndum est, quia fructus tuus, fructus sublimis est, fructus lucis, fructus benedictionum Domini, fructus innumerabilis. Dinumera stellas cœli, dinumera arenam maris, & dinumerare poteris fructum horti Domini, scilicet Ecclesiæ Cluniacensis. Quid dicam de dilectione? An non ama, Pater amantiume, dilectum ex dilecto vulneratum charitate in ligno? Novit, novi ego, novit & Angelus tuus dile-

F ctionem tuam, flammescentem in Deum fortiter, recalescentem in proximum non mediocriter. Denique pius & largus remunerator non solum operum, sed & affectionum, ante faciem tuam Christus Iesus accinctus plena manu percurrit, in latere claro vultu concurrit, & post tergum extenso brachio succurrit. Præcurrit ut pervius, concurrit ut socius, succurrit ut medicus. Præcurrit ut imiteris, concurrit ne lasseris, succurrit ne labores. Præcurrit prædestinatione, concurrit vocatione, succurrit iustificatione. Iacob in utero matris prævium habuit, cum non ex operibus, sed ex vocante dictum est, *Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* Angelica quoque natura in confirmatione suæ stabilitatis concurrentem gratiam habuit. Saulo in languore suæ infidelitatis, nonne gratia de cœlo succurrit? Post hunc currens non deficies, cum isto vadens ad omnia sufficies, huic toto totus innixus omnia te posse non desperes. *Omnia*, inquit Apostolus, *possum in eo qui me conforta*t. Pennis quidem paternæ, necnon & maternæ generationis revolat hic filius

G Dei, & prævolat ad sinus paternos: sed tamen gressum retardat, sustinens lassos. Itineris quoque duriora, & asperiora sibi non ignarus, sed benignus secernit. Non enim est dolor, sicut dolor eius, & nobis planiores semitas, lapides de via tollens, proponit. Vnde ait: *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis.* Quasi guerræ vestræ, & debiti pœnalis discrimina persolui, & pacis integræ remedia indulsi. Pacem, inquam, suam meliorem, non molliorem fecit, quia simul molliorem & meliorem in mundo, ubi pressuram promittit, neminem posse habere docuit. Volo quidem ego molliorem, sed ex gratia eligo sæpè molliorem, sed ex humanitatis natura. Non sic vero, non sic elegit Deus. Divisit enim aliter. Seorsum, sed sursum posuit meliorem. Homines autem tanquam molliores, infirmiores, ceu inferiores, adhuc limum plasmationis præ oculis habentes, molliora & dulciora, non meliora & duriora appetunt. Optioni siquidem nostræ relinquitur, utrum accipiamus meliora, sed duriora; an meliora, sed deteriora. Video autem humanitatem meam

H frequenter, & diu in hoc discrimine vacillare. Modo enim tentat, & attrectat durum propositum, quia melius; modo relabitur ad molle, quia delectabilius. In istius contractu placet emptio, sed displicet conditio: in alterius contractu facilis conditio, sed vilis emptio. O anceps, ô dubia negotiatio! Superflua carnis equidem delectatio non usquequaque est omni homini odiosa, sed multum quæsita, multum appetita, multúmque à multis amplexata. Sed quousque? Modica est, transitoria est, etiam cum esse videtur, non est. Seipsam consumit, seipsam destruit, in se crudeliter sævit. Acerbius tamen damnum quod naturam lædit, quam quod seipsam interimit. Intrat huiusmodi delectatio, & natura fugit. Rerum omnium domina ancillam istam velut pestem refugit, velut mortem evitat, velut infernum cavet. Nunquam enim aut rarò in una sede morantur, vix aut nunquam operantur. Semper namque alia est operatio necessitatis, quæ & naturæ, alia superfluæ delectationis,

Verbi

A [illegible], cum [illegible] aliquis vino, cibo atque id nauseam ingurgitatur, enervatur luxuria, nonne [illegible] nonne ægrotat? nonne graviter [illegible]. [illegible] procul dubio deterit hunc flos ætatis, [illegible], sive mortis intempestivæ accersuntur [illegible]. [illegible] tamen opera carnis esse, sive superfluæ delectationis quis ignorat? Natura vero his gaudet abstinentiis, &, ut ait Seneca, paucis contenta est. Et ratione quidem illa regitur, illa vero abusione. Illa in veritate ambulat, monstri vero huius facies blanda ut decipiat, sed in posterioribus circumfert aculeum scorpionis, ut percutiat. Mentum sui pectum apprehendit, sed inguina fecit. Cohors & Tribunus Synagogæ peccati [illegible] huius principatum sibi assumunt in caput & regem, & respuit super mulam regis iterum Salomonem. O peccatum! ô iniquitas! Pater mi, Pater mi,

B currus Israël & auriga eius, non sileat saltem more vestro spiritus [illegible] Nathan, non [illegible] tantum [illegible] in Israel Dei. Sceptrum namque regni superflua [illegible] obtinente, quæ pax super Israel? [illegible] quæ iura non subvertuntur? quæ leges non obliterantur? quæ ratio non exulatur? quæ virtus non confunditur? quæ boni species non suffocatur? quod [illegible] erroris non extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur? Hæc radix est peccati, totius honestatis tinea, fovea vitiorum, puteus dæmonum, [illegible]. Recludite, obsecro, [illegible] feram istam pessimam, quæ devorat Ioseph nostrum, vel potius filios Iacob & Ioseph. Certè nimium efferatur, & rupto propositi ac religionis repagulo [illegible] Vbi enim [illegible],

C [illegible] nomine [illegible] prævaricatio renovatur? nonne voti, & sanctæ institutionis paradisus violatur? Nonne legitur, quia *Inebriabo sagittas meas sanguine, & gladius meus devorabit carnes?*

Deut. 32 [illegible] Vnde à sanguine, & suffocatis iubet lex abstinere. A [illegible] Principes [illegible] Vasorum [illegible] templo Domini [illegible] tantur, & usque ad manus concubinarum regis Babylonis [illegible]. [illegible] non [illegible] ferventiorem non excito, studiosior, [illegible] non provoco: sed timores meos manifesto, [illegible] interrogo. Audio Principes [illegible] suspensos [illegible] & affixos contra [illegible] propter peccata populi, & somno vacare valeo? Dicentem Iacob ad Labam in summo articulo iudicij lego, *Oues tuæ, &*

Gen. 31 *capræ steriles non fuerunt. Arietes gregis tui non comedi, nec captum a bestia ostendi tibi. Ego damnum*

D *omne restituebam, quicquid furto peribat à me exigebas. Die noctuque [illegible] & gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis, [illegible] viginti annos in domo tua serviui tibi.* Hæc, inquam, lego, & non inconsolabiliter [illegible] lugeo? Vbi namque oues [illegible] ubi capræ non steriles? Qui enim à pueritia sua in claustris regulariter eruditi sunt, & tunicam vitæ atque [illegible] Qui de sæculo [illegible] luxuriæ, fugientes pœnitentiæ habitum sumunt, capræ Domini nihilominus sunt. Sed ubi Iacob, ubi Abbas tam [illegible], tam cautus provisor, tam benevolus persuasor, tam contra [illegible] potens, tam contra [illegible] sapiens, tam ad [illegible] patiens, tam ad latronum insidias prudens, tam fidelis in commissis, tam vigil in curando damno, tam perseverans in incepto servitio? [illegible] Domini mei video, [illegible] recompensatio, si numero numerum æquarem, si pretium par [illegible] si una anima, si perierint per culpam meam tres aut quatuor, quid faciam? Anne triplicatam vel quadruplicatam pœnam persolvam? Quod si quoquo modo pœnam istam pati possem, centuplicatam forte qua patientia sustinerem? Ista attendens miror me non mirari, expavesco me non expavescere. Certe non est somnus simplex, sopor aut lethargia est, quæ me tenet. Obsecro mittite antidotum.

SANCTI PETRI

# MAVRICII

## DICTI VENERABILIS

### ABBATIS CLVNIACENSIS,

### [illegible] Epistola,

*Ad Petrum de Sancto Ioanne:*

Contra eos qui dicunt Christum nunquam se in Evangeliis apertè Deum dixisse.

*Bono & pacifico seni, fratri & filio Petro, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, salutem.*

E

PAucis admodum transactis diebus, dum tecum more meo, de quibusdam nõ ex toto superfluis conferrem: nescio unde occasione sumpta, sermo incidit de

F

G Salvatoris deitate. Quem dum ad alia, & ipsa utilia tendens, cito finire proponerem: audivi à te quasi transeunter, quod non transeunter accepi. Dixisti te a quibusdam fratribus, & sic tunc mihi visum est ab ipsis locis lateri meo adhærentibus audisse: Salvatorem nusquam in Evangeliis se aperte, hoc est, sine involucris Deum vocasse. Addidisti etiam eos, non negligenter, sed intentè ac diligenter totius Evangelici textus seriem, hac de causa scrutatos fuisse, nec alicubi hoc se legere potuisse. Et quamvis fratres illos, à quibus ista audieras, nec tu mihi nominaveris, nec ego qui essent, quærendo persisterim: quia tamen, etsi inutilis opilio, vultum pecoris mei non ex toto ignoro: credo eos qui hoc dicunt, non trahi infirmitate fidei, sed amore ac studio hactenus ignorata sciendi. Nam quoscunque apud me recolo, qui de his vel similibus tractare, discutere, vel solvere aliquid possint; literatos scio, exercitatos video, religiosos agnosco. Vnde absit à me, ut aliquid sinistri,

H maxime in talibus de ipsis suspicer: quos & eruditio doctos, & gratia, quæ in ipsis hactenus vacua non fuit, ut sæpe expertus sum, tam in fide, quam in vita, solet semper reddere cautos. Sed quia semel sermo ortus est de re super omnia saluti nostræ necessaria, iustum est (prout mihi videtur) exequi quod inde sentio: ne forte si neglectum fuerit quod auditum est, dubietas aliqua in aliquorum cordibus, ut solet in talibus contingere, oriatur. Vtiliusque fuisset rem silentio suppressam fuisse, quam deductam in medio, indiscussam reliquisse. Notum est, nec aliquem in talibus exercitatum latet, communem & publicum hostem Satanam, ne à mortalibus vera deitas, aut agnosci, aut coli posset, summo semper nisu, toto conamine laborasse: [illegible] solum tempore gratiæ, non solum tempore legis Mosaicæ, sed & ab ipso primordio hominum exortu, ad evellendam de humanis cordibus [illegible], semper acerrime instituisse. Inde est

quod ante famosum diluvium, illo, qui primus cœpit invocare nomen Domini, cum paucis ex eadem stirpe sequentibus excepto, & post usque ad Moysi tempora, præter quosdam magnos, & notos Patriarchas: iam extincta apud miseros mortales summi ac veri Dei notitia, terris multiplicium errorum tenebris obvolutus totus orbis horrebat. Succedente dehinc tempore miserta maiestas summa pereuntis creaturæ, largiorem quidem solito benignitatem, dando legem Iudæis, ostendit. Sed sola illa gente ad veræ deitatis cultum vocata, alias universas in erroris iam antiqui fæce reliquit. Tandem non ultra, in ira sua continens misericordias suas, misit Filium suum, effudit Spiritum suum: & non iam partim aliquas, sed quicquid usquam gentium est, ad unius Dei universorum auctoris, & rectoris agnitionem largissima miseratione vocavit. Hunc veritatis splendorem, quia nec primo, nec medio, nec ultimo tempore obscurare ex toto nequam ille potuit: quantum a moderatore omnium deitate permissus est, impugnare non cessavit. Claret hoc ante Salvatoris adventum, in Prophetarum infestationibus, quos ipse magnus Apostolus, ludibria, verbera, vincula, & carceres expertos, lapidatos, sectos, tentatos, egentes, angustiatos, afflictos, in occisione gladij mortuos non tacet. Apparet & inde maxime, quod Christianæ gratiæ diebus, quamvis fortis victus à fortiore, quia arma sua auferri, & spolia distribui a victore cernebat, orbem fere totum contra veræ deitatis agnitores commovit. Inde est, quod non solum multorum millium, sed & innumerabilium legionum Christianorum sacro cruore, totius terræ superficiem pessimus & pertinax persecutor respersit. Quo nec sic prævalente, immo multo magis tot mortibus veræ fidei agnitione crescente: quod manu hostili non potuit, fraterno explere schismate attentavit. Excreverunt ea de causa ab illo suscitati diversorum nominum, & sectarum errores, unicam spem humanæ salutis auferre conantes. Incedebant quidem vario a devio tramite, sed ad eundem finem conversæ pene tendebant: & aut cum phantastico, ut Manichæi: aut cum vero, ut Arriani, Christi corpore, veram Christi deitatem negabant. Non curabit Satanas quicquid qualibet tempore de Deo homines opinarentur, tantum una vera, & sola salvans deitas negaretur. Hoc se solummodo quærere, ad hoc se tantum niti luce clarius demonstrabat: quoniam & ante Christum & post, pro multorum & falsorum Deorum Dearúmque cultu, contra unius & veri Dei cultores tam acriter, & constanter pugnabat. In illis enim humanam perniciem amplectebatur, in hoc humanam salutem persequebatur. Vtitur adhuc eodem astu, & cum pene mediam orbis partem Sarracenis mediantibus occupaverit: docet eos Christum sic prædicare omnium meliorem & maximum, ut tamen prorsus denegent Deum. Hanc falsam Deorum pluralitatem contra veram unius deitatem, sicut ab ipso paradiso incipiens induxit, primis hominibus dicendo, *Eritis sicut dij*: sic in fine perficere molitur, quando per vas illud perditum, quod singulariter possessurus est, hoc est Antichristum, adversabitur, & extolletur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat ostendens se tanquam sit Deus. Infelix vere; & æternaliter proiectus à facie Dei, qui longissimæ nequitiæ merito indurabitur sicut lapis, & stringetur quasi malleatoris incus. In tantum insanus, & cæcus: ut qui statim ut factus est, dixit, *Ero similis Altissimo*, mox in immane chaos infernalis putei submergendus dicat. *Ero maior Altissimo*. Quorsum hæc? Vt advertat lector, eo certius intelligendam constantius retinendam veram Christi in Christo deitatem: quo magis eam hostis veretur, quo magis persequitur, quo magis eam Christi fidelibus, & servis semper auferre molitur. Non ignorat plane ille nusquam nisi in Christo hominis constare salutem. In eius utique deitate, à qua salvatur: & eius humanitate, per quam salvatur. Vnde non curat, ut dictum est, quantumcunque sublimia de Christo homines sentiant: tantum verum Dei filium, & Deum non credant. Nam remota ab illo divinitate, quid plus salutis posset homini conferre filius hominis, quam quilibet alter filius hominis? Iam absque dubio non religiosum, immo sacrilegum esset, quemquam in illo ponere spem salutis: qui deitate remota, nec Salvator dici posset, nec quemlibet salvare valeret. *Maledictus enim*, ut ait scriptura, *homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum.* Hoc veneno corruptor humanæ naturæ, illos, quos suprascripsi, moderni temporis Sarracenos, & imbuit, & infecit: dum eos Christum, & natum de Virgine, & missum a Deo, & Verbum Dei, & Spiritum Dei, iuxta suum intellectum prædicare docuit: sed illum nec Deum esse, nec mortuum persuasit. Advertebat enim impius, alia universa frustra credi, frustra prædicari, fide deitatis ac mortis Christi in cordibus humanis extincta: nihilque iam salutis superesse mortalibus, quos nec deitas Christi salvaret, nec mediatio eius assumptæ redimeret. Iam, ut ad id redeam, propter quod ista præmisi, respondeat auctoritas vel dubitanti vel quærenti. Vtrum Christus absque involucris, aut aliquo tegmine se Deum nominet, & ubi hoc in Evangelijs scriptum legatur. Videntur enim mihi inde maximè moveri ista quærentes, quod ita perspicuè, ita solemniter, Christum, vel discipulis, vel Iudæis loquentem se Deum vocare in Evangelijs non legunt: sicut in Heptatico frequenter audiunt, ut & illud in Genesi, loquente Deo Patriarchæ Iacob. *Ego sum Dominus Deus Abraham patris tui, & Deus Isaac. Terram, in qua dormis, tibi dabo, & semini tuo.* Et rursum idem alibi. *Ego sum fortissimus Deus patris tui, noli timere, & descende in Ægyptum: quia in gentem magnam faciam te ibi.* Et in Exodo, *Locutus est*, inquit, *Deus cunctos sermones hos. Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti de domo servitutis.* Et paucis interpositis. *Ego sum Dominus Deus tuus fortis zelotes, visitans iniquitatem patrum in filijs in tertiam & quartam generationem*, & multa in libris illis similia in hunc modum. Et quidem exempla & testimonia, quibus de vera Christi deitate libri tam veteris Testamenti quam novi respersi sunt, in medium producere superfluum iudico: quia fideli, quia docto, quia his assueto loquor. Plurima inde tam in Propheticis quam in Apostolicis literis leguntur: innumera insuper tam Græcorum quam Latinorum, aliarúmque gentium volumina veræ Christi deitati verax testimonium sententia reperiuntur. Sed prohibet illa producere causa proposita. Quia non quæritur nunc, utrum Christus Deus sit, sed utrum se ipse Deum dixerit. Nam si hoc in quæstione (ut olim) versaretur, pateret nobis multiplicium responsionum campus immensus, & pelagus scripturarum veræ deitatis Christi testimonijs exundans, levi negotio nobis per Dei gratiam deesse non posset. Nec mihi multus super his, etiam si ad hæc idoneus essem, labor instaret: quoniam lectorem non ad mea super his scripta legenda invitarem, sed ad magna Patrum volumina quondam de illis ab eis condita, statim transmitterem. Istud quoniam ad rem, de qua agitur, omnino non spectat: ad id sermo redeat, cur Salvator, sicut his, quos præmisi, videtur, non se more illo in Evangelijs Deum nominat, quo in veteribus, ut præmissum est, literis vocat. Et ne diu suspensum lectorem teneam, hoc absque præiudicio veriorís ac clarioris sententiæ dico. Deum quidem Dei filium Propheticæ voces, de Iudæorum stirpe carnem sumpturum, ac de sacra Virgine, tempore ante sæcula præordinato nasciturum, frequentissime prædixerunt, & ea quæ prædixerunt scribendo posteris reliquerunt. Non potuit tamen Iudaicus animus tanti sacramenti tam singularis rei capax existere: nec summam maiestatem ad hæc infima & mortalia quandoque humiliari, aut velle, aut posse senserunt. Metiuntur immensæ illius maiestatis altitudinem ex proprij cordis superbia: illumque inexhaustæ bonitatis fontem, ex insita

humanis

A humanis pectoribus non tam naturali quam corrupta naturæ duritia. Hoc plane, hoc tam Iudæis quam cunctis superbis commune fuit: hoc ad credendam susceptæ a Deo carnis dispensationem obstitit, quia nec humiliari usque ad humana in se suscipienda, aliquando Deum posse, suspicati sunt. Immo hoc vel fateri, vel sentire, ut nefas maximum refugerunt. Senserunt Christum a Prophetis prædictum, non quidem Deum, sed regem magnum, aliis Iudaicæ gentis regibus multo maiorem, longe potentiorem, longe sapientiorem, longe iustiorem futurum: latius cunctis præcedentibus regibus imperaturum, & more non diuino, sed humano, in terra tantum, non in cœlo & terra, ut universorum dominum regnaturum. Hunc eorum intellectum hanc pene totius gentis illius opinionem sapientia Dei iam carne induta non nesciens, condescendit mentibus infirmis: & sicut lacte carnis susceptæ, ante solidum deitatis cibum eos lactare voluit, B sic paulatim, non subito, nec velut ex insperato, eis latentis in homine veræ suæ deitatis notitiam infudit. Et quia Sol erat, & vera illa lux, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: noluit (Ioan. 1.) nimis immensi fulgore ægros mortalium oculos subitus apparens obtundere, sed nube carnis opposita, subtilitate verborum prætenta, ad speculandum, & suo tempore pervidendum hactenus ignoratam mortalibus deitatis lucem, spiritualem eorum intuitum confovere. Ea de causa, non ut primo tempore fecerat, se statim, ut prædicare cœpit, solemni suo more Deum vocabat: sed ægris medicus pro tempore se conformans, velut inductionibus, vel insinuationibus utens, à minoribus ad maiora eos gradatim erudiens promovebat. Formabat ita verba, ut in quantum non solum veracem, sed & ipsam veritatem decebat: & scandala fidei non temperaret, & fidelibus atque intelligere valentibus, non minus quam tempore legis Mosaicæ se Deum clamaret. Hinc est, quod iuxta Matthæum C congregatis Pharisæis interrogavit eos, Quid eis videretur de Christo, cuius filius esset. Illisque respondentibus, *David*: statim subiunxit. *Quomodo ergo* (Matt. 22.) *David in spiritu vocat eum Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo: Sede à dextris meis? Si ergo David in spiritu vocat eum Dominum, quomodo filius eius est?* Sed quid illi ad ista? Evangelista non tacet. *Nemo, ait, poterat respondere ei verbum.* Vides lector, quare non poterant respondere ei verbum? hic plane, hoc claret Sole clarius quod præmisi. Nonne cernis aperte, quod Messiam, id est Christum promissum sibi nunquam gens illa, præter quosdam magnos & paucos, Deum animadvertit, Deum sensit, Deum esse credidit? Non poterant Pharisæi iam dicti, licet legis doctores, respondere ad interrogata verbum: quia Christum nec senserant, nec intelligebant Deum. Hoc enim solo respectu, hoc certe & non alio, poterat dominari David Christus filius: non quia erat homo sicut ille, sed quia erat Deus, quod non ille. Cessat D huic prærogativæ humanus usus, & paterna dignitas in hoc uno, & solo Dei filio defecerat: quia non solum David iuxta carnem, sed etiam Dei secundum deitatem erat filius, utique & ipse Deus. Hoc Pharisæi, licet in lege sæpe legerent, sed non intelligerent, non poterant propositæ quæstionis nodum solvere, non poterant verbum quodlibet rationabile respondere. Ea de causa silentium elegerunt, ea de causa respondere non potuerunt. Nonne ergo tibi videtur, absque tegmine, absque involucris, sicut præmiseras, Christum se in hoc loco confessum Deum? Confessus est plane se Deum: sed ita ut sicut dictum est, & scandalum infirmorum nondum tam sublimia capientium vitaret, nec intelligere valentibus, quod Deus esset, celaret. Inauditum enim hoc erat apud homines, & ab intellectu communi adhuc omnino abhorrebat: aliquem mortalium, vel sentire, vel credere Deum. Ostendit hoc & ipse publicus error, quo largissimo tempore orbis pene totus, & obrutus, & oppressus est.

E Nam licet quosdam hominum, unius & veri Dei apud homines intellectu, cultuque amisso, error iam dictus post mortem deificasset, eosque Deos fuisse, & credere, & credi voluisset: nullum tamen eorum, dum viveret, aut Deum credidit, aut credi voluit. Nam nec Saturnus, Iupiter, Mercurius, aut Mars vel Iuno, Venus aut Minerva: & innumeri alij aliæque, Dij vel Deæ dum viverent, crediti sunt: sed eis iam è vita casu diverso subtractis, divinus honor ab hominibus longe a sa te Dei proiectis exhibitus est. Causæ, quibus rationabiles hominum mentes tam irrationabili stultitia falli vel fallere potuerunt: ut tam leviter, & absurde Deos ex hominibus factos crederent, studiosis lectoribus in promptu sunt. Quod, quia ad rem propositam non pertinet, transeo. Nam constat, quod viventibus iam dictis non diis, sed pestibus F humanis, nullus eis ab hominibus divinitatis cultus impensus est. Legitur solus Alexander, Persis iam & Medis atque ipsis Indis cum ultimo Oriente subactis, in tam vanam, & insanam prosiliisse superbiam: ut diuinos sibi honores exhibere partim suaderet, partim cogeret: & quosdam non adquiescentes, sed irridentes, ut Calisthenem Philosophum cum quibusdam aliis, etiam prius tortos necaret. Abhorrebat enim, ut iam dixi, & semper hoc abhorruit humanus animus: non ferens dici Deos, quos homines cernebat, nec altitudinem divinam humilitati humanæ posse congruere æstimabat. Quam deitatem, licet, ut dictum est, post eorum mortem eis inesse credidissent: nullatenus tamen, dum viverent & cum eis conversarentur, hoc sentire vel credere potuerunt. Hoc vero fortassis, quia quodam humano more licet errore, magis affici solet plerumque animus, & moveri ad admirandum, aut honorandum absentes, quam præsentes, mortuos, quam viventes: quia apud huiusmodi mentes, vilescere solent præsentia, & magis optari, & G amari absentia. Hic mos, & apud paganos legis divinæ expertes erat, nec Iudæis eadem sacra lege instructis deerat. Huius Salvator conscius, eo loquendi genere verba Deitatem ipsius humanis intellectibus commendantia temperabat: ut (sicut dixi) more sapientis magistri mentibus, aut nullius, aut pusillæ fidei eorum, quantum decebat, fugiendo scandalum, consuleret: & claris intellectibus, nihil de suæ Deitatis veritate subtraheret. Hoc indicant lucidè, & verba illa ipsius, quibus in festo Enceniorum, id est, Dedicationis Templi, ambulans in portico Salomonis Iudæos alloquutus est. Nam tunc eum ipsi circumdantes dicebant ei. *Si tu es Christus, dic nobis palam.* Quibus ille non statim respondit, Christus (Ioan. 10.) ego sum: sed dixit, *Loquor vobis, & non creditis. Opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me.* Quod testimonium? Testimonium quod Christus esset, testimonium quod Dei filius esset, testimonium quod Deus esset. Nullum enim horum ab altero separari H poterat. Nam si Christus erat, necessario & Dei filius. Si Dei filius, necessario & Deus. Christus enim non Iudaico sensu homo purus, sed vero & Christiano intellectu, homo simul erat Dei filius, & Deus. Nam à Prophetis talis prædictus est, ab Apostolis talis prædicatus est. Talem se & ipse in his propositis verbis ostendit, talem absque dubio declaravit. Apparet hoc, & perspicue approbatur, quod se Christum confessus fuerit: quando iam dictis Iudæis dicentibus, *Si tu es Christus dic nobis palam:* respondit, *Loquor vobis & non creditis.* Tunc plane, licet hoc nomen, quod est Christus, tacuerit, Christum se intelligi dedit: quando, ut dixi, interrogantibus respondit: *Loquor vobis, & non creditis.* Nam quid est aliud, Loquor vobis, & non creditis: nisi, loquor me Christum, & non creditis? Quod vero, & Dei filius esset, verba subiuncta probant. *Opera, inquit, quæ ego facio in nomine Patris mei.* Nec enim Patrem suum Deum diceret, nisi & ipse Dei filius esset. Quod vero & Deum se probaverit, indicat & illa opera, de quibus

operibus

A operibus teſtatus eſt. *Opera quæ ego facio, teſtimonium perhibeant de me.* Non enim erant opera illi humana, ſed divina. Immo, vt clarius dicatur, non erant, vel eſſe poterant tantum hominis: ſed Dei ſimul & hominis, & quia Dei, ideirco hominis. Non erat plane ipſe Chriſtus, vt illi de quibus legitur, *Nolite tangere Chriſtos meos:* ſed erat Chriſtus vnctus, iuxta hominem, à Deo, oleo exultationis præ conſortibus ſuis. Non erat Dei filius, vt illi de quibus ſcribitur *Filios genui & exaltaui:* nec vt illi de quibus Apoſtolus Ioannes *Chariſſimi, filij Dei ſumus: & nondum apparuit, quid erimus.* Non erat, inquam, Dei filius, vt illi per gratiam ſed erat Dei filius per naturam, teſte ipſo Patre, & de cœlis clamante. *Hic eſt filius meus dilectus.* Et quia per naturam erat Dei filius, vtique, certa ratione cogente, erat etiam Deus. Non enim poterat ex eſſentia Patris gigni, aut procedere, niſi quod erat ipſe. Et ideo ex Deo genitus erat veritate indubia cogente, & Deus. Huic eius Deitati opera, quæ faciebat, verax teſtimonium ferebant. Nam non erant eius opera ſimilia operibus hominum, non erant eius miracula paria propheticis miraculis. Non erant certe paria, quia longe excellentius erant maiora. Miranda quidem opera, & miracula quamplurima fecerant ipſi: ſed vt homines, quod datum fuerat erogabant, nihil ex ſe faciendo, ſed quæ faciebant à Deo precibus impetrando. At eius opera non ex aliena, ſed ex propria procedebant virtute, vtpote, qui nihil precibus, vt alterius egens auxilio, operabatur: ſed totum quod aut in ſpiritualibus, aut in corporalibus remediis mortalibus impendebat, maieſtatis potentia largiebatur. Hoc modo opera ſua, vel miracula ab aliorũ hominum operibus, vel miraculis ſecernebat: non ſolum ipſe faciens vt Deus quæ voluit, ſed etiam aliis eadem faciendi poteſtatem largiens prout voluit. Perhibebant ergo tali modo opera eius teſtimonium de ipſo: quod Chriſtus, quod Dei filius, quod Deus eſſet: & hoc etiam ipſo tacente non obſcurius quam loquente, Iudæis, Gentibus, cœlo quoque & terræ clamabant. His & ſimilibus verbis, vt ſupra dictum eſt, & Deitatis ſuæ veritatem intelligere valentibus clariſſime commendabat: & ne ſubitus fulgor infirmos adhuc illorum illius temporis hominum intellectuales oculos magis obſcuraret quam illuſtraret, eadem ſua verba modis congruentibus temperabat. Hoc idem & totus ſequentium verborum textus indicat qui talis eſt. *Sed vos*, inquit, *non creditis: quia non eſtis ex ouibus meis. Oues meæ vocem meam audiunt, & ego cognoſco eas, & ſequuntur me: & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quiſquam de manu mea.* Cuius, enim voces iſtæ eſſe poſſunt, niſi Dei? Cuius, niſi illius, qui per Prophetam antiquum dixerat. *Ecce ego ipſe requiram oues meas, & viſitabo illas ſicut viſitat paſtor gregem ſuum?* Cuius vox eſſe poterat, niſi Dei, *Ego vitam æternam do illis?* Cuius vox eſſe poterat, niſi Dei, *Non peribunt in æternum?* Cuius vox eſſe poterat, niſi Dei *Non rapiet eas quiſquam de manu mea?* Quis enim vitam æternam dare poteſt ſuis niſi Deus? Quis, ne pereant in æternum, ſaluare, niſi Deus? Quis tam fortis, vt nemo poſſit eas eripere de manu eius, niſi Deus? Vides, lector quam clarè ſub ouium nomine ſe Deum illum fatetur qui vitam æternam ſuis dat: qui ne in æternum pereant ſaluat: de cuius manu, hoc eſt de cuius poteſtate, nullum ſuorum poſſe rapi; nullum alienorum poſſe rapere affirmat? Sed procede, & lege reliqua, *Pater meus quod dedit mihi maius omnibus eſt, & nemo poteſt rapere de manu patris mei.* Et ſtatim. *Ego & Pater vnum ſumus.* Quid clarius dicere potuit, vnde ſe verum Deum probaret? Si quod Pater ei dedit, maius omnibus eſt, quod vtique dedit non largiendo ſed gignendo: quid ſublimius dici potuit? Si nemo poteſt rapere de manu Patris ſui, & idcirco nec de ipſius: quia ipſe & Pater vnum ſunt, hoc eſt vnius & paris deitatis. Quomodo vel qualiter ſe apertius Deum fateri poterat? Senſerunt hoc Iudæi, & quod in verbis illius ſenſerant, profeſſi ſunt. Nam primo quaſi contra blaſ-

Pſal. 104.
Pſal. 44.
Ioan. 1.
1. Ioan. 3.
Matt. 17.
B
C
Ezec. 34.
D

E phemum ſuſtulerunt lapides, vt lapidarent eum. Reſpondente verò Ieſu. *Multa bona opera oſtendi vobis à Patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis?* Reſponderunt. *De bono opere non lapidamus te, ſed de blaſphemia: & quia tu homo cum ſis, facis teipſum Deum.* Non ergo intelliget fidelis Chriſtianus, quod intelligere potuit blaſphemus Iudæus? *Lapidamus*, inquiunt, *te: quia tu homo cum ſis, facis teipſum Deum.* Non credebant quidem illi, immo credere abhorrebant ipſum eſſe Deum: tamen advertebant & ſentiebant: quod ipſe ſe diceret Deum. Et quamvis tam clare ſe profeſſus eſſet Deum, vt incredi illi verbis illis irritati ad eum lapidandum lapides ſuſtuliſſent: providus tamen illorum ſaluti, quos ex ipſis ſaluandos præſciebat, eorumque ſcandalo diſcretione medens, alteri quod ab æterno providerat tempori, & alteri ſe modo paſſionis ſeruauit: hæc verbis, quæ dixerat addens. *Nonne ſcriptum eſt in lege veſtra, Ego dixi, dij eſtis?* Si illos dixit deos, F ad quos ſermo Dei factus eſt: & non poteſt ſolui ſcriptura, quam Pater ſanctificauit, & miſit in mundum: vos dicitis quia blaſphemo, quia dixi, filius Dei ſum? Quid agis lector? Nonne vides quod tam ſæpe dixi? Oppoſuit nubem, non valentibus tantum ferre ſplendorem. Compeſcuit iterum eos, & eorum inanum tumorem ſedauit, præferendo quod agnoſcebant, multos in ſacra ſcriptura per gratiam vocari filios Dei: & hoc velamine pro tempore texit, quod ſuo tempore tam ipſis quam mundo detexit, non adoptivum, ſed naturalem ſe eſſe filium Dei. Et ne videretur timore negaſſe, quod de veritate propriæ Deitatis ſupra profeſſus fuerat, repetit & affirmat quod dixerat. Nam ſequitur. *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, & ſi mihi non vultis credere, operibus credite: vt cognoſcatis & credatis, quia in me eſt Pater, & ego in Patre.* Ecce rurſum opera tam Patris quam ſua commendat. Ecce rurſum eos ad vim eorum attendendam tranſmittit. Monet intentè, vt ex operibus agnoſcant auctorem, & quia ea nullius eſſe poterant niſi Dei, Deum eſſe qui talia operatur, advertant. G Non decet autem te, qui hoc legis, obliuiſci propoſiti huius: immo oportet vt firmiter teneas propoſuiſſe me ex ipſius Saluatoris verbis, eius oſtendere Deitatem, cauſa illorum qui dixerant, vel dicere poſſent, nuſquam eum in Evangeliis ſe ſine tegmine, ſine involucris Deum vocaſſe. Non nego quidem eum aliquando verba ſua veræ Deitati ſuæ atteſtantia rationabili tegmine, cauſis quas præmiſi, velaſſe. Sed dico enim tegmen illud, quo quandoque verba illa ſua velare videtur, non oculis Chriſtianorum, ſi bene attendunt, ſed Iudæorum: non fidelium, ſed infidelium viſibus prætendiſſe. Vtroque ergo modo, id eſt aut quando ea diſpenſatiuè tegit, aut quando ea ſine tegmine profert: credendum eſt, intelligendum eſt vniverſorum providiſſe ſaluti. Illis, vt dictum eſt, providendo ne de intempeſtiua luce magis tenebroſi fierent: iſtis aperte monſtrando quid de eo ſentire deberent. Inde eſt & illud, quod veniens in partes Cæſareæ Philippi interrogabat diſcipulos ſuos dicens, *Quem dicunt homines eſſe filium hominis?* Ad quam eius interrogationem diſcipuli alij reſponderunt, quid de eo homines opinarentur. Ipſo vero inſtante, & non aliorum opinionem, ſed eorum confeſſionem exigente: reſpondit Petrus quod orbi terrarum notiſſimum eſt. H *Te*, ait iuxta vnum Evangeliſtarum, *dicimus Chriſtum Dei:* iuxta alium, *tu es Chriſtus filius Dei vivi.* Cuius tali profeſſioni quid reſponderit, quanta fidem illam ac verba fidei illius laude proſequutus eſt, quis ignorat? Non dixit tamen, Verum eſt quod credis, verum eſt quod confiteris: quia ergo vere, vt dicis, filius Dei vivi ſum. Nunquid ergo minus aliquid dixit, nũquid aliquo hic verborũ tegmine vſus eſt, quãdo ſubiunxit. *Beatus es Simon Bariona, quia caro & ſanguis nõ reuelauit tibi, ſed Pater meus qui eſt in cælis?* Quis hebes, aut obtuſi animi homo dicere poteſt, minus aliquid dixiſſe Chriſtum, quando confeſſorem illum

Matth. 16.

A eiusdem confessionis causa beatum dixit: quando istud eum non accepisse à carne & sanguine, sed à Patre cœlesti affirmauit: quam si dixisset, Ego sum Christus filius Dei vivi? Quid & de verbis sequentibus? Nonne & quando addidit. *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam: & portæ inferi non praualebunt adversus eam*: quando tanto præconio professionem illam extulit, quando super hanc ædificaturum se Eccles. suam prædixit: nonne verè Deitati suæ idem testimonium tulit, quale ferret, si dixisset, Sum vere Christus filius Dei vivi? Non ergo dicatur obscurum, quod absque involucris aut tegmine, etiam tardissimis mentibus perspicuum est. Confessus est enim & hic aperte, se Dei filium. Et quia Dei filium, cogente auctoritate ac ratione præmissa, etiam Deum. Nec enim poterat ille, qui non ex gratia, sed ex ipsa

B Deitatis substantia, vt iam dixi, erat filius Dei, esse aliud quam Deus. Iam, vt ad alia istis similia celer transitus fiat, veniat Samaritana mulier: & quid inter verba tanta, tamque mystica, quæ fatigatus ex itinere, & sedens super fontem, cum ea contulit, dé se professus fuerit, subdatur. Hinc enim omnis nebulosa caligo recedit: hic absque tegmine quid de se sentiat, aut nos sentire doceat, profert. Nam dicente muliere, *Scio, quia Messias venit, qui dicitur Christus, & cum venerit, ille annunciabit omnia*: subiunxit ille, (Ioh. 4.) *Ego sum, qui loquor tecum.* Quid vltra, inquam, quæreretur? Dixerat illa, *Messias venit qui dicitur Christus*: ait ille, *Ego sum, qui loquor tecum.* Christum igitur se esse, Christus confessus est. Et quia Christum plane iuxta præmissa, & Dei filium, & Deum. (Ioan. 11.) Accedat & ille famosus cæcus, & à nativitate cæcus. Redditi sunt ei, immo magis dati à Christo oculi, quos natura negauerat, modo illo omnibus noto. Hic post datum lumen corporeum, adaucta gratia etiam confessor factus, vt sacra historia loquitur, proiectus est foras. Et sequitur Evangelium, *Audivit Iesus, quia eiecerunt eum foras & cum invenisset eum, dixit ei, Tu credis in filium Dei?* At ille more suo cautus, & ratione ducente providus: illi, cum qua loquebatur, æternæ sapientiæ non insipienter respondit,

C *Quis est, Domine, vt credam in eum?* Qui mox audire meruit, *Et vidisti eum, & qui loquitur tecum, ipse est.* Ecce plane responsio absque velamine. Qui hoc velatum credit, quid relatum putabit? *Qui loquitur*, inquit, *tecum, ipse est*, Quis est? vtique filius Dei, de quo illum interrogauerat, quando dixit. *Tu credis in filium Dei?* Ecce iterum se Christus filium Dei professus est, nudè, clarè, absque involucris, absque velamine. Hæc ille ante cæcus, tunc videns agnouit: & post lumen corporis addito lumine mentis, respondit, *Credo Domine. Et procidens adorauit eum.* Quis ergo non videat, quod cæcus, iam videns vidit? Quis non agnoscat quod agnouit? Agnouit Dei filium, agnouit & Deum. Nam nec aliter in eum crederet, nisi Deum sentiret: nec quod solummodo insigne diuini cultus est, eum procidens adoraret. Nec illud mente excidat, quod dicente alibi ipso, *Pater meus vsque modo operatur, & ego operor*: subdit Evangelista. (Ioan. 5.) *Propterea, inquit, magis quærebant Iudæi eum interficere*, quia non solum soluebat Sabbatum: sed & patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo. Hinc pater Augustinus. Ecce intelligunt Iudæi, quod

D non intelligunt Arriani. Arriani quippe inæqualem Patri Filium dicunt, & inde hæresis pulsa de Ecclesia. Ecce ipsi cæci, ipsi interfectores Christi: intellexerunt tamen verba Christi. Non eum intellexerunt Christum, nec eum intellexerunt filium Dei: sed tamen intellexerunt in illis verbis, quia talis commendaretur filius Dei, qui æqualis esset Deo. Ecce iuxta verba Evangelij, ecce iuxta verba Augustini: ipsis etiam Iudæis advertentibus, & propter hoc interficere eum quærentibus: Christus Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo. Non aliter hoc dicebat de ipso: sed ipse hoc affirmabat de ipso. Quid?

E Quod patrem Deum haberet: quod æqualis esset Deo. His quiddam simile, & in alio loco. Nam dicente ipso Iudæis, *Si non credideritis, quia ego sum, moriemini in peccatis vestris*: illisque respondentibus, *Tu quis es?* ait, *Principium, qui & loquor vobis.* (Ioan. 8.) Et quædam sequentia. Quibus verbis addit Evangelista verba sua. *Et non cognouerunt, inquit, Quia Patrem eius dicebat Deum.* Inde consequenter, & se Dei filium, & iuxta supra scriptas rationes, etiam Deum. Accedant istis æque grandia, aut forte maiora. Ait quodam in loco disputans cum Iudæis, *Si ego glorifico meipsum; gloria mea nihil est. Est Pater meus, qui glorificat me: quem vos dicitis, quia Deus noster est, & non cognouistis eum.* (Ioan. 8.) *Ego autem novi eum.* Ecce hic non solum Patrem suum Deum esse dicit: sed etiam quis Deus sit, ostendit. Sunt enim (sicut ait Magnus Apostolus, vel falsos

F deos gentium, vel magnos & sanctos homines intelligens, aut vtrumque simul proferens) Dij multi, & Domini multi: de quibus & psal. *Deus deorum Dominus locutus est*: &, *Deus stetit in synagoga Deorum*: &, (1. Cor. 13. Psal. 49. 81. 94. & 95.) *Quoniam Dominus excelsus terribilis, rex magnus super omnes Deos*, & multa in scripturis similia. A quorum numero Deum illum, quem patrem suum nominat, excipit, quando Iudæis de illo dicit. *Quem vos dicitis, quia Deus noster est*, Deus enim Iudæorum, ab omnibus qui tunc erant, vel sicubi adhuc esse possunt, excipitur diis gentium, vel terrarum. *Omnes*, enim, inquit Iudæus Propheta, *dij gentium dæmonia: Dominus autem cœlos fecit.* (Psal. 95.) Et in alio Psalmo. *Deus noster saluos faciendi, & Domini Domini exitus mortis.* (Psal. 96.) *Et nunc Domine plastes noster es tu, nos vero lutum: & fictor noster, & opera manuum tuarum omnes nos.* Et versu interposito. (Esa. 64.) *Ecce respice, populus tuus omnes nos.* Et Helia. *Domine, ait, Deus Abraham, & Isaac, & Israel. Ego seruus tuus, & iuxta præceptum tuum feci omnia verba hæc.* (3. Reg. 18.) Et idem idololatræ Regi. *Quia misisti nuncios ad consulendũ Belzebub Deum Accharon, quasi non esset Deus in Israel, à quo posses interrogare sermonem, idcirco de lecto, super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris.* (4. Reg. 1.) Et Hieremias Domino dicenti, *Prophetam in gentibus dedi te*, ait, *A, a, a, Domine Deus, ecce nescio loqui quia puer ego sum.* Istis & aliis innumeris scripturarum testimoniis, ostenditur, quod solus ille Iudæorum Deus verus, &

G solus sit, de quo Christus, vt dictum est, Iudæis loquitur, *Quem vos dicitis, quia Deus noster est.* Illum plane, qui tunc dicebatur Deus Iudæorum, qui & tunc & nunc dicitur & est Deus vniversorum, Christus patrem suum hic nominat, sed sic loquendo, eius filium declarat. Sed tene lector constanti memoria, quod sæpe iam præmisi: quia quotiens Saluator se in Evangeliis Christum vocat, aut confitentium sententias laudat, totiens se Dei filium, & Deum clamat. Sic & quotiens se Dei filium dicit, totiens nos, quod Christus & Deus sit, instruit. Christus enim necessaria ratione Dei filius est: quia ab illo Dei filio humana caro suscepta est. Et rursum Dei filius Deus est, quia, vt dixi, ex Patre, qui Deus erat, natus est. Qua veritatis copula id te sentire volo: totiens se Christum professum esse Deum quotiens se professus est, aut Christum, aut filiũ Dei. Hoc modo, hac de causa, eum sic se nominasse Deum intellige, quando, vt præmissum est, Iudæis dixit. *Est Pater meus, qui glorificat me: quem vos dicitis, quia Deus noster est.* Vigilo enim contra illos,

H qui dicunt, vel sentiunt, Christum quidem esse Deum, sed nusquam in Evangeliis se clare professum Deum. Iam illud quod paulo post subdit, quia non dissimile est, advertendum est. Nescio enim si clarius alicubi veritatem Deitatis suæ Christus commendauerit: quam cum altercantibus contra eum Iudæis, postea quæ præmissa sunt, paucis verbis interfertis, adiunxit. *Abraham pater vester exultauit, vt videret diem meum: & vidit, & gauisus est.* (Ioan. 8.) Commotis vero ad ista Iudæis, & dicentibus: *Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti?* nil moratus adiunxit. *Amen, amen dico vobis, antequam*

Abraham

A *Abraham fieret, ego sum.* Quid verius, qui clarius, quid ad probandam veram eius divinitatem apertius? Quinquaginta annos, immo nec quadraginta adhuc habebat, & ante Abraham se dicebat. Quis autem vniversorum hominum, qui post Abraham nati sunt, ante Abraham esse potuit? Vtique nullus. Nam nec corpora humana, quæ post Abraham nata sunt, ante Abraham fuere, nec animæ corporibus mixtæ, quæ post Abraham creatæ sunt, ante Abraham esse ratione aliqua potuerunt. Sed nec caro ipsius Christi, nec anima illa carni admixta, ante Abraham esse potuit. Si igitur nec corpus, vel anima cuiuslibet hominis post Abraham exorti; nec caro vel anima ipsius Christi post Abraham nati ante Abraham esse potuit: quomodo verum esse censebitur, quod Veritas tam robusto pronunciandi modo affirmat, *Amen, amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum?* Vnde, B quia non Iudæis, vt ipse tunc, sed Christianis nunc loquor: luce clarius est, quod nec carne, nec anima Christus ante Abraham fuit, sed deitate: quæ sola vere non solum ante Abraham, sed & ante omnem creaturam est. Ille est enim illa Dei sapientia, quæ Prov. 8. loquitur. *Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis antequam terra fieret.* Dico autem hoc, saluo intellectu illo, quo iuxta Hieronymum: Tempus non præiudicauit Sacramento vniti hominis, ac Dei. Ita vt iam esset in illo per vnitatem personæ ab initio sæculi, qui necdum natus erat de Maria virgine. Non tamen antequam nasceretur de Maria virgine, aut conciperetur in Maria virgine, Dei filius substantialiter homo erat: sed quadam ineffabili sacramenti vnitate, etiam ab æterno Deus simul, & homo erat. Quod quibusdam verbis de eadem re interpositis, idem Doctor affirmat. Non quod iam, ait, esset Iesus, aut Christus natus ex Maria: sed quia in illo vnico filio Dei, iam vnitas personæ commendabatur, quæ occulta erat in mysterio. Ergo iuxta præcedentia non tibi videtur idem dixisse Christum, quando dixit, *Ante-* C *quam Abraham fieret, ego sum:* quod diceret, si dixisset, Deus ego sum? Plane nihil aliud, prorsus nihil aliud. Nam si, vt longe ante præmisi, hoc ita nude dixisset, sicut olim ante hominem susceptum Moysi, & quibusdam aliis dixit, *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob.* Si hoc, inquam, absque aliquo verborum temperamento dixisset, quis illorum hominum ferre potuisset? Longe enim tunc patientius ferre poterant invisibilem, aut de supernis, aut de quibuslibet aliis locis mirabiliter intonantem, Ego sum Deus, aut patrum vestrorum, aut cœli & terræ, aut similium: quam hominem visibilem humiliter, inter superbos homines commorantem, si more illo se Deum diceret: si modo illo Deitatem suam, hominibus id capere non valentibus, absque congruo verborum tegmine declararet: immo, vt congruentius dicam, fastidientibus cibum vitæ ingereret. Et si ergo verba congruenter temperauit, nunquid idcirco se Deum minus dixit, qui ante Abraham se esse asseruit? Scrutentur ergo qui de his dubitant, scrutentur, inquam, studiosius scripturas, & tam in his, quæ posui, quam in plerisque, quæ conticui, invenient Saluatorem D frequenter se Christum dixisse, Dei filium pronunciasse: & vnde omnia ista orta sunt, se modis, quos præfatus sum, Deum lucide prædicasse. Nonne se lucide Ioan. 11. Deum pronunciauit, quando Lazarum resuscitaturus, Marthæ dissuadenti ne lapis a sepulchro tolleretur, dixit. *Nonne dixi tibi, quia si credideris: videbis gloriam* Ioan. 17. *Dei?* Nonne & prius se clare Deum pronunciauerat, quando sororibus ipsius Lazari per nuncios dicentibus, *Domine, ecce quem amas infirmatur:* respondit, *Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei: vt glorificetur filius Dei per eam?* Nonne se clare Deum pronunciauit, quando sublevatis oculis in cœlum *Pater*, dixit, *sicut dedisti ei*, loquens se seipso, *potestatem omnis carnis: vt omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam?* Nam nec potestas omnis carnis, nisi ad Deum

E pertinet: nec ad quemlibet dare vitam æternam, nisi ad Deum pertinet: Quæ potestas sit ei data à Patre, aut secundum Deitatem gignendo, aut iuxta humanitatem, quam assumpserat, conferendo, non potest esse, nisi Deus, qui potestatem hanc obtinet, non potest esse, nisi Deus, qui eis, qui sibi dati sunt, vitam largitur æternam. Quid & de sequentibus verbis dicam? *Hæc est*, inquit, *vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Vt cognoscant*, ait, *te & quem misisti Iesum Christum, solum verum Deum.* Quid clarius Ioannes eius Apostolus in epistola sua scribit de ipso, qua hic ipse loquitur de seipso? *Scimus*, ait, *quoniam filius Dei venit, & dedit nobis sensum: vt cognoscamus Deum verum, & simus in vero filio eius. Hic est verus Deus, & vita æterna.* Quid vltra quæretur? Cur 1. Ioh. 5. iam verbis istis auditis disputabitur? Se ac Patrem solum verum Deum dicit: se ac patrem solum verum F Deum esse affirmat. Se ac Patrem solum verum Deum, non silentio, non in aurem, sed coram vniversis, qui sacræ & vltimæ, quamdiu mortalis fuit, cœnæ intererant, pronunciat. Quid & de versu prope posito dicetur? *Et nunc clarifica me tu Pater apud temetipsum: claritate quam habui priusquam mundus esset apud te.* Claritatem autem apud patrem, priusquam mundus esset, habere non posset, iuxta quod homo est. Nam priusquam mundus esset, homo non erat, non ergo iuxta hominem, qui non erat, claritatem apud Patrem habere poterat. Restat igitur, vt iuxta quod Deus erat, claritatem illam habuerit: quia, vt dictum est, iuxta hominem habere non potuit. Quid ergo hæc verba, *Antequam mundus esset*, eum esse indicant? Vtique Deum clamant. Agnosce ergo & hinc eum esse Deum, de quo constat, quod priusquam mundus esset, erat apud Deum. Nec resilire ab hoc sensu, illo alio intellectu coneris: quo legitur clarificatum filium à patre priusquam mundus esset, hoc est præordinatum & prædestinatum: vt suo tempore, hoc est, post hominem susceptum glorificaretur, & exaltaretur, illa clarificatione de qua Aposto- Phil. 2. G lus loquitur. *Dedit illi Deus nomen, quod est super omne nomen: vt in nomine* IESV *omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum.* Quæ licet in tempore facta fuerit: tamen propter prædestinationem, qua necesse erat illud contingere, quod prædestinatum erat, priusquam mundus fieret, claritatem illam, quæ nondum erat, sed futura erat, habuisse dicitur, habuisse scribitur. Sed nō propter hunc intellectum sensus prior excluderetur: quia Christus priusquam mundus esset, & apud patrem erat, & Deus erat. Nonne ista sufficiunt, quæ dicta sunt? Nonne & clarè & frequenter se Deum pronunciat? Nonne & clarè & frequenter, sicut hominem & adhuc mortalem inter mortales constitutum decuit, veritatem Deitatis propriæ, & singulis, & pluribus, & omnibus, & discipulis, & turbis, & ipsis præcipuè invidis, & semper sibi detrahentibus Pharisæis fatetur? Hæc vniversa, non Propheta, non Apostolus, non quilibet alius de ipso: sed ipse, hoc est ipsum verbum Dei, ipse Christus, ipse Dei filius, ipse Deus: de seipso dicit, de seipso pronunciat, de se ipso affirmat. Euigilent ergo, & clarius solito in lucem invisibilem defigant oculos: qui H forte minus diligenter attendentes, minusque Evangelica secreta rimantes, nusquam Christum aperte, & absque involucris, se Deum pronunciasse dicebant. Quibus ad probandum quod non ita est, forte quæ dicta sunt, sufficiunt. Sed audiant adhuc ipsum loquentem, & discipulis in cœna iam dicta dicentem: *Non turbetur cor vestrum. Creditis in Deum?* Ioan. 14. *& in me credite.* Audiant hinc, non iam meam sententiam, sed sensum, immo verba ipsius beati patris Augustini. Ne mortem, ait ille, tanquam homini timerent, & ideo turbarentur, consolatur eos, & Deum se esse contestans. *Creditis*, inquit, *in Deum? & in me credite.* Consequens est enim, vt si

A Philip.2. Mat.17. Luc.22. in Deum creditis, & in me credere debeatis. Quod non esset consequens, si Christus non esset Deus. Credite in Deum, & in eum credite: cui natura est, non rapina, esse æqualem Deo. Quod, hoc est, verum & Deus esset, & æqualis Deo, doceat rursus & ipse in ipsa iam positus passione. *Adiuro te*, ait princeps Sacerdotum, *per Deum viuum: vt dicas nobis, si tu es Christus filius Dei.* Respondit enim, iuxta Matthæum: *Tu dixisti:* iuxta Lucam. *Si vobis dixero, non credetis mihi. Si autem & interrogauero, non respondebitis mihi, neque dimitteris.* Iuxta Marcum vero, quem Marc.14. idcirco vltimum posui, quia clarius eius responsionem exprimit, respondit, *Ego sum.* Et sequitur, iuxta Matthæum. *Verumtamen dico vobis. Amodo videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis: & venientem in nubibus cæli.* Iuxta Marcum, nulla etiam dictione mutata, ita. *Videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis, & venientem in nubibus cæli.* Iuxta Lucam vero, B ita. *Ex hoc erit filius hominis sedens à dextris virtutis Dei.* Cum ergo audias, quod interrogatione Pontificis per Deum adiuratus, vt diceret, si ipse esset Christus filius Dei, iuxta duos Euangelistas non negauerit, iuxta tertium aperte se Christum, & filium Dei responderit, dicens, *Ego sum*, quid dices? Nonne etsi omnia alia, quæ præmisi, testimonia vel exempla, quibus ipse & Christum, & Dei filium, & Deum se esse professus est, deessent: nonne, inquam, istud sufficeret? nonne plene tam tibi, quam quibuslibet aliis inde forte dubitantibus, satisfacere? Nam hoc, vt nosti, quærebas; hoc exigebas, vbi se in Euangeliis Christum diceret: vbi se Dei filium, & maxime Deum nominaret. Ecce audis eum Principi Sacerdotum, si ipse esset Christus Dei filius interroganti, non per inuolucra, sed aperte, & sine tegmine respondentem. *Ego sum.* Qui ergo se Christum, & Dei filium esse respondit: vtique simul & Deum se professus est. Nam, sicut sæpe supra dixi, quod idcirco totiens itero, ne longa disputatione mentem fugiat: non potuit se confiteri Christum, aut Dei filium, quin confiteretur & DEVM. Qua ratione istud supra dictum est. Iam postquam dixit, *Ego sum*: quibus statim verbis se Deum esse C confirmet, attende. *Videbitis, ait, filium hominis à dextris sedentem virtutis, & venientem in nubibus cæli.* Quid euidentius maximi Apostoli Petrus & Paulus Deitatem eius prædicantes, scribunt in Epistolis suis de ipso, quam ipse hic loquitur de seipso? Quorum 1.Petr.1. prior. *Per resurrectionem*, ait, *Iesu Christi, qui est in* Rom.8. *dextera Dei*, & sequens, *Christus Iesus qui mortuus est, immo qui resurrexit, qui est in dextera Dei.* Idem Marc. vlt. & Marcus. *Et Dominus*, inquit, *Iesus postquam locutus est eis, assumptus est in cælum, & sedet à dextris Dei.* Nonne isti in his verbis idem dixerunt, quod ipse, quando ait. *Videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis, & videbitis in nubibus cæli?* Ecce quod sæpe, vt dixi, certis de causis ante vitauerat, iam scandalum Iudæorum non vitat: sed magis, vt de passione eius impleant, quod ante conceperant, veræ Deitati suæ verax testimonium ferens, quodammodo instigat. Iam enim hora illa venerat, de qua prius quam caperetur, & ligaretur, dixerat. *Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum.* Vnde iam nihil dissimulandum censebat, nil veritatis occultandum iudicabat: qui post noctem illam die sequenti crucifigendus & moriturus, rem, propter quam in mundum venerat, instanter adimplere satagebat. De qua eaIoan.18. D dem die iudici Pilato assistens, ait. *Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati.* Veritati ergo testimonium perhibuit, quando, quod dictum est, dixit. *Videbitis filium hominis à dextris sedentem virtutis, & venientem in nubibus cæli.* A dextris autem virtutis sedere, cuius est nisi Dei? Venire in nubibus cœli, & hoc in mundi fine, sicut alibi legitur, cum virtute magna & maiestate: cuius est, nisi Dei? Deus ergo est, qui sedet à dextris virtutis. Deus est qui venturus est in nubibus cœli cum

E virtute magna & maiestate. De qua virtute ac maiestate, in qua venturus est iudicare viuos & mortuos, dicit & ipse alibi. *Neque enim Pater iudicat quem-* Ioan.5. *quam: sed iudicium omne dedit filio.* Quibus dictis subdit causam dati sibi iudicij: *Vt omnes*, ait *honorificent filium, sicut honorificant Patrem.* Honorificandus est enim Dei Filius, sicut Pater honorificatur: quia præter humanam substantiam, qua homo est, idem est quod Deus est. Pater enim Deus est, vnde & Dei filius Deus est, quod Pater est. Ergo omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem: id est credant, intelligant, & fateantur eum Deum, sicut & Patrem. Hæc vniuersa, quibus verum Deum se esse professus est, dicit Christus de seipso: non quilibet alter de ipso. Post ista omnia, quæ dum adhuc mortalis esset, de seipso protulit, & quibus se vere Deum esse docuit: succedant & alia, quibus, iam victa F morte factus immortalis, eandem quam prius, & sicut prius, suam Deitatem commendat, seque verum Deum esse confirmat. Intrans enim ipsa suæ resurrectionis die ad discipulos ianuis clausis, post geminam pacis annunciationem, qua bis eis dixerat, *Pax vobis*: insufflauit, & dixit eis. *Accipite Spiritum sanctum.* Acci- Ioan.20. pere autem Spiritum sanctum illi non poterant, nisi ab eo daretur. Dedit autem quando dixit. *Accipite.* Dare vero ille non posset, nisi Deus esset. Spiritus enim Sanctus Deus est, nec dari nisi à Deo potest. Vnde sequitur, quia ille à quo dari potuit, Deus est. Deum ergo se esse docuit, quando vt dictum est, discipulis dixit. *Accipite Spiritum sanctum.* Quem, sicut ipsa, vt dixi, Resurrectionis suæ die, adhuc inter eos positus dedit: ita die Pentecostes, hoc est quinquagesimo à Resurrectione, iam in ipso altissimo Deitatis solio constitutus, longe solennius & profusius, vt promiserat, misit. Promiserat autem quando in sermone sacræ cœnæ, de quo quædam supra excerpsi, eisdem discipulis ait: *Cum venerit Paraclitus, quem ego* Ioan.15. *mittam vobis à Patre Spiritum veritatis*, & sequentia. Quando ergo eum se missurum promisit, quia nil Veritas fallaciter promittere potuit, Deum se esse, qui Deum se mittere perhibebat, professus est. Et quando eum in terris dedit, & quando de cœli, vt dixerat, G misit, Deum se testatus est. Quando vero & illud adiunxit, *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis:* quomodo se apertius Deum profiteri potuit? Nam remittere peccata, vel dare potestatem quibuslibet remittendi peccata, non nisi solius Dei esse, non solum Christianus fatetur: sed & olim infidelis Iudæus testatus est. Dicente enim Christo mulieri peccatrici, *Re-* Luc.7. *mittuntur tibi peccata*: cœperunt quidam ex simul ac- Marc.2. cumbentibus, sicut Euangelista testis est, dicere inter se. *Quis est hic, qui etiam peccata dimittit?* Et alio loco cum Paralytico diceret, *Fili remittuntur tibi peccata:* dicebant quidam, *Hic blasphemat.* Quis potest peccata dimittere, nisi solus Deus? Vere enim ab illo solo peccata remittuntur, contra quem solum peccata committuntur. Nam quomodocumque deliquero, in ipsum pecco, qui peccare prohibuit: in ipsum delinquo, qui ne delinquerem, præcepit. Inde sunt & verba illa magni quidem iusti, sed & magni aliquando peccatoris. Nam post quædam grauia peccata, quæ commiserat, pœnitens sic Deo loquitur: *Tibi soli peccaui, & ma-* Psal.50. *lum coram te feci.* Sicut ergo ad solum Deum pertinet, peccata, quæ inhibuit punire: sic ad ipsum solum spectat, tam peccata, quam pœnam peccatorum H remittere. Quando ergo ait peccatrici, aut paralytico, *Remittuntur tibi peccata*: se vere Deum esse perhibuit. Quando etiam, quod maius est, eandem remittendi peccata potentiam hominibus contulit, multo magis se Deum esse docuit. Idem quoque eadem die Paschæ, qua resurrexerat, post illa quæ dicta sunt, iuxta Lucæ Euangelium, eisdem discipulis dixit, *Quoniam sic scriptum est,* Luc.vlt. *& sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis die tertia, & prædicari in nomine eius*

pœnitentiam,

A *pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Hierosolyma.* Pœnitentia enim & remissio peccatorum veraciter in nomine eius prædicari non posset, nisi ille, in cuius nomine prædicabatur, Deus esset: quia non nisi in nomine Dei peccatorum remissio conferri peccatoribus potuisset. Quid dicam & de verbis his tam solemnibus, tam præclare illius Deitatem commendantibus: in quibus Matthæus suum finit Evangelium, & in quibus ego proposui finire sermonem istum? *Vndecim, ait, discipuli abierunt in Galilæam in montem, vbi constituerat illis Iesus, & videntes eum adorauerunt.* Quidam autem dubitauerunt. Hæc enim ipsius post Resurrectionem revelatio singulari quadam gloria inter alias splendidius fulget: quia nulla aliarum, vt ista, ab ipso prædicta legitur. Dixerat quidem ipse adhuc passurus, discipulis: *Vado & venio ad vos.* Et rursum, *Iterum autem videbo vos.* Sed nullam illarum visionum, præter istam, singulariter prædixerat: nullam specialiter designauerat. De hac vero in ipsa iam pene passione constitutus, Zachariæ Prophetæ vsus testimonio, ait. *Percutiam pastorem, & dispergentur oues gregis. Postquam autem resurrexero, præcedam vos in Galilæam.* Hoc idem Angelus cum maximo terræ motu de cœlo descendens, mulieribus, quæ ad sepulchrum venerant, dixit. *Cito euntes dicite discipulis eius, quia surrexit, & ecce præcedit vos in Galilæam. Ibi eum videbitis, sicut dixit vobis.* In hac ergo singulari visione suis vndecim discipulis in monte apparens, ita loquutus est. *Data est mihi omnis potestas, in cœlo & in terra.* Audis? Quid clarius mihi, quid tibi, quo demum modo dicere potuit, vnde veræ suæ Deitatis testimonium daret, vnde se Deum esse probaret? *Data est mihi, ait, omnis potestas, in cœlo & in terra.* Cuius vox hæc esse potest, nisi illius, de quo legitur. *Omnia quæcunque voluit, fecit Dominus, in cœlo & in terra?* Quis enim potestatem habere potest in cœlo & in terra, nisi Deus? Quis, quæcumque facere voluit, facere potuit in cœlo & in terra, nisi Deus? Quod si te forte mouet, quod dicit sibi datam esse hanc potestatem: quæso non moueat, quia certa est causa quæ te istud mouere non debet. Si enim hoc, iuxta quod Deus est, sentire volueris: potestas hæc ei data est, quando a Patre Deo æternaliter genitus est. Si vero hoc, iuxta quod homo est hic accipere malueris, quod forte hic propensius sentiendum est: intellige hanc potestatem homini datam causa ineffabilis vnitionis illius, qua Deitate simul, & humanitate in vnam Christi personam conveniente, sicut anima rationalis & caro vnus est homo, ita Deus & homo vnus est Christus. De qua potestate homini illi data, habes Patris verba in Psalmo loquentis ad filium. *Postula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam: & possessionem tuam terminos terræ.* Iuxta hoc donum a Deo homini datum dicere Christus potuit. *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.* Elige ergo quod mauis. Nihil enim eligere poteris, quod idem non sonet. Nam aut secundum Deitatem æternaliter, aut secundum humanitatem temporaliter data est Christo omnis potestas in cœlo & in terra. Quolibet ergo ex his modo sibi potestatem in cœlo & in terra datam dicat, Deum se fatetur, Deum se prædicat. Et quid sequitur? *Euntes docete omnes gentes: baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti.* Hoc splendore quid clarius? Miror ego & sæpe, multumque miratus sum, antiquos hæreticos Arrianos hoc non sensisse: hunc tam clarum veritatis splendorem cernere non potuisse. Hoc enim solum si spiritu Dei adiuti videre prævaluissent, omnes illas tam tetri erroris tenebras à suis omnino mentibus expulissent. Neque enim gradus illi, quos in Trinitatis vnitate cæci illi homines faciebant, locum in cordibus eorum habere potuissent, si verba hæc sapienter aduertissent. Nam cum dicerent verum & summum Deum solummodo esse Patrem, minorem Patre Filium, minorem Filio Spiritum sanctum, immo creaturas Filium & Spiritum sanctum: non hoc crederent, non hoc dicerent, si in nomine cuiuslibet creaturæ salutis humanæ summam constare non posse aduerterent. Quando enim creatura creaturam saluat? Quando a morte eripit? quando vitæ, maximè æternæ, restituit? *In Deo enim*, ait, David, *faciemus virtutem*, &, *Nonne Deo subiecta erit anima mea.* &, *Deus noster, Deus saluos faciendi.* Non aduertebant miseri idololatras se factos, quando iuxta se, nomine creaturarum diuino nomini adiungebant, & post Dei nomen in rerum creatarum nominibus homines baptizabant. Hoc faciebant praue intelligendo, quod dictum est, *Docete omnes gentes: baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Sed quia in creaturæ nomine nefas est baptizare: restat vt Filius, sicut & Pater, Deus sentiatur: restat vt & Spiritus sanctus, sicut & Pater & Filius, Deus absque dubio aduertatur. Tunc ergo Christus vel Dei filius se vere Deum confessus est, quando sicut in nomine Patris, ita & Filij, hoc est semetipsius, ac Spiritus sancti, omnes gentes baptizari præcepit, dicendo. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Iam illud, quod in vltimo additur. *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi:* non minus præcedentibus sententiis Deum ipsum declarat. Quomodo enim esse posset cum suis vsque ad consummationem seculi, postquam ad cœlos ascendit, postquam humanam substantiam vsque ad paternum solium prouexit, nisi Deus esset? Non enim ex quo ascendit, corpore cum discipulis fuit: quia carnis illa substantia ex sui natura eodem tempore diuersis in locis esse non potuit. Quid ergo aliud restat, vt Veritatis verba veracia esse probentur, nisi hoc: vt quia secundum quod homo est, esse non potuit, iuxta quod Deus est cum discipulis suis vsque ad consummationem seculi fuerit? Verum ergo Deum, sicut ante adhuc passurus, sic iam vltra non moriturus se prædicauit, quando discipulis dixit, *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi.* Nunc, charissime, & cui iam à longo tempore adhæsi, vnanimis frater, Epistolam hanc, quam tibi quidem, sed aliorum gratia misi, suo tempore fratribus, quos de his, quæ præmissa sunt, dubitare audieras, ede: & quod Christus non solum verus Deus sit, quod illis clarum est, sed & quod verum se Deum sæpius professus fuerit, opportune suade. Hæc enim sola mihi fuit causa istud scribendi, non vt illos instruerem, Christum verum Deum esse, quod necesse non habent: sed vt illis ostenderem, se frequenter in Evangelio multis modis, diuersis locis & temporibus se vere Deum professum, vnde eos dixisse audieram, quod nusquam hoc absque involucris & tegmine legere potuissent. Legant ergo & intelligant, scrutentur & videant: Iesum Dominum modis illis, quos prænotaui, frequenter se dixisse Christum, frequenter se vocasse Dei filium, frequenter se pronunciasse & Deum.

Matt. vlt. · Zach. 13. · Psal. 134. · Psalm. 2.

## SANCTI PETRI

# MAVRICII

## DICTI VENERABILIS

### ABBATIS CLVNIAC. IX.

*TRACTATVS ADVERSVS IVDÆORVM inveteratam duritiem.*

A

## PROLOGVS.

VOS, ego, vos, inquam, ego convenio, ô Iudæi, qui vsque in hodiernum diem negatis Filium Dei. Quousque miseri, veritati non creditis? Quousque Deo repugnatis? Quousque corda ferrea non emollitis? Ecce toto pene orbe iam ab antiquo Christum agnoscente, vos soli non agnoscitis: cunctis gentibus ei obtemperantibus, soli eum non auditis: omni lingua eũ confitente, soli eum negatis: aliis eũ videntibus, audientibus, intelligentibus, vos soli cæci, surdi, lapidei permanetis. Cæci plane oculis, surdi auribus, lapidei cordibus. Nec novum istud apud vos est. Legit hoc vbique mundus, & frequenti lectione recitat: Deum Moysi de vobis dicentem, *Cerno quod populus iste duræ ceruicis sit. Dimitte me vt irascatur furor meus contra eos, & deleam eos.* Item vobis. *Populus duræ ceruicis es. Semel descendam in medio tui: & delebo te.* Legit rursum Moysen vestrum, immo nostrum, sic vos arguentem. *Novi*, ait ille vobis, *contentionem tuam, & ceruicem tuam durissimam. Adhuc viuente me, & ingrediente vobiscum, semper contentiose egistis contra Dominum.* Quanto magis cum mortuus fuero? Legit & singularis excellentiæ Esaiam Prophetam: cui Deus de vobis, *Excæca*, inquit, *cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude: ne forte videat oculis, & auribus audiat, & corde intelligat, & conuertatur, & sanem eum.* Legit & audit Stephanum suum, quem vestri, ô saxea gens, lapides, primum post Christum testem Christi fecerunt. Legit certe, & audit eum plenum Spiritu sancto, obstinationis nequissimæ in vobis spiritum increpantem. Vos incircumcisi cordibus & auribus, vos proditores & homicidæ: vos semper Spiritui sancto restitistis, sicut & patres vestri. Sed nunquid hoc semper? Nunquid semper, hoc tantæ duritiæ merito, vniuerso orbi terrarum ostentui vos facietis? Resipiscite, resipiscite nunc tandem: redite, vt ait alter Propheta vobis, ô prævaricatores ad cor. Redite ad cor nunc saltem, quando iusto Altissimi iudicio, non solum à cœlesti, sed etiam à terrena, quam solam semper amastis, gloria excidistis. Advertite in vobis rebus ipsis impletum, quod Christus, quem negatis, Patribus vestris dixit: & de vobis, nisi resipiscatis, prædixit, *Auferetur à vobis regnum Dei: & dabitur genti facienti fructus eius.* Ablato ergo cœlesti, ablato iam a diuturno tempore, ipso regno terrestri: agnoscite cuius impietatis merito, hoc vobis contigerit. Agnoscite tam diræ damnationis vestræ causam hanc esse, quod Christum, quem tanto ante tempore, venturum cantastis, legistis, prædicastis: venientem non agnouistis, non suscepistis, non coluistis, immo illo detestabili more vestro, spreuistis, subsannastis, occidistis. Sed quid? Si converti disponitis, non terreamini, quia occidistis. Non est ille auidus vlciscendæ mortis suæ, si secuta fuerit correctio conversionis vestræ. Orauit ille quondam iuxta hominem quem assumpsit pendens in cruce pro ipsis crucifixoribus suis: & non solùm dum pateretur orauit, sed & postquam à morte surrexit, eisdem iam pœnitentibus & conversis, indulsit. Non fuit immemor, mortem se pertulisse pro vita hominum: & quos derisores & occisores habuit, eos conversos prompta & vere largissima, & quæ super omnem hominem est, divina miseratione suscepit. Non deerit eadem infinita largitas vobis, nec ea, quæ vniversum pene mundum collegit, paucitatem vestram, si eam non repellitis, à numero saluandorum repellet. Credite legi vestræ, non alienæ, credite Prophetis, non alienis, sed vestris: credite Scripturis non alienis, sed propriis. Cur saltem hoc non mouet? Cur non mouet hoc, quod totum robur fidei Christianæ, quod tota spes salutis humanæ, ex vestris literis originem habet? Cur non mouet, quod Patriarchas, quod Prophetas præmunciatores, quod Apostolos prædicatores: quod summam ac super cœlestem Virginem matrem Christi: quod Christum ipsum auctorem salutis nostræ, qui & expectatio gentium à Propheta vestro dictus est, non de barbaris gentibus, non de quibuslibet nationibus: sed de genere vestro, de stirpe magni Abrahæ descendentes, suscepimus? Remitto ergo vos ad vestri generis homines, remitto ad proprias, quas à Deo accepistis, scripturas, & ex his testimonia profero: quibus cedere, quantalibet lis Iudaica compellatur. Non ignoro autẽ quod ex aliqua parte nobiscum sentitis: ex plurima vero pertinaciter dissentitis. Sentitis nobiscum, quod Christum à Prophetis multifarie, multisque modis, prænunciatum asseritis. Dissentitis, quod eum Dei filium non creditis, quod Deum negatis, quod aliorum Regum more, temporaliter regnaturum: quod non iam venisse, sed venturum affirmatis. Eo igitur ordine quo proposita sunt à nobis contra vos, Capitula iam dicta exequenda sunt.

(Marginal notes, left: Exod. 32. — Exod. 33. — Deut. 31. — B — Esa. 6. — Actor. 7. — Esa. 46. — C — Matt. 21. — Luc. 23. — D; right: E — Gen. 49. — F)

## CAPVT I.

*Quod Christus filius Dei sit.*

AVdite ergo Iudæi, & ex scripturis vestris Christum, vel iuxta vos Messiam, esse agnoscite filium Dei. Veni ergo imprimis, eximie Prophetarum Esaia, & genti nec tuo tempore, nec nostro, veritati credenti, rursum sua verba propone. Dic quid Deus de filij sui æterna generatione dixerit. *Nunquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam, dicit Dominus? Nunquid ego, qui generationem aliis tribuo, sterilis ero, ait Dominus?* Quid clarius, ô Iudæi, ad probandam generationem filij Dei? Si enim Deus genuit, quantum ad illum quem genuit, necessario pater est: & filius Dei, quantum ad illum qui genuit, necessario filius est. Sed nolo vos, non credo vos, tam stulte, tam insensate desipere: vt æternam deitatis generationem carnali generationi, aliqua vel tenui similitudine comparare nitamini. Absit à vobis, absit ab omni intellectu tam asininus animus, vt ineffabilis, vt incogitabilis omnipotentis Patris generatio, omnipotentis Filij natiuitas, alicui terrenæ vel vsitatæ generationi, seu natiuitati, modo quolibet comparetur. Si quid tamen præter corporalium generationum similitudines, de tam ineffabili re, ab aliquo simili tradi potest: sic Dei filius de Deo dicitur genitus, sicut lumen de lumine, radius à Sole, splendor ab igne. Hoc breviter dixerim, ô Iudæi: ne vel vos intelligatis, vel nos intelligere putetis insulsè vel bestialiter, nativitatem Filij Dei. Vnde hoc propheticum testimonium cogit vos, non iuxta quod homo est, sed iuxta quod Deus est, intelligere & confiteri, Christum esse filium Dei. Nulli enim hoc homini, nulli hoc Angelo, nulli hoc prorsus creaturæ congruit: vt vel genitus à Deo, vel Dei filius, quantum ad deitatis naturam pertinet, sentiatur. Quod si hoc nulli creaturæ inquantum creatura est, congruit: soli hoc Christo, qui in quantum Deus est, & de Deo natus est, conuenit.

Sed succedant prolato testimonio lucidiora exempla: & Christum Dei esse filium, Sole clarius manifestetur. Dic ô David Propheta Dei, Rex populi tunc Dei, pater secundum carnem filij Dei: dic si Christum sensisti esse filium Dei. *Ego*, inquit, *constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum eius.* Dic & quod sequitur. *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu: ego hodie genui te.* Quid ad ista, Iudæi? Ecce ex persona Christi loquens, dum ipsum Regem à Deo constitutum dicit, Christum fatetur, vnctum prædicat, hominem affirmat. Dum Deum ei dixisse subdit, *Filius meus es tu: ego hodie genui te*: deitatem ipsius, qua naturaliter est Dei filius, indicat. Sed negatis, subsannatis. Dicitis verba illa non ad Christum, non ad quemlibet alium, sed ad ipsum tantummodo David pertinere: qui super Sion olim vestram, super Hierosolymitanum montem, olim

(Marginal notes, right: Esa. vlt. — G — H — Psalm. 2.)

A olim sanctum, à Deo Rex constitutus sit. Dicitis eundem David à Deo vocari filium, vocari genitum, non quia vere Dei filius, vel à Deo genitus fuerit: sed quia sanctis moribus, multis, et placens virtutibus nomine hoc honorari meruerit. Sed non fugit nos, ô Iudæi, non fugit nos sensus iste, intellectus iste: quo etsi non hic, tamen alibi sæpe à Deo vocari filios legimus. Scimus hoc dictum Pharaoni de patribus vestris.

Exod. 4. *Filium meum primogenitum Israel. Dimitte filium meum, vt sacrificet mihi.* Et iuxta quendam Prophetarum.

Osea 11. *Et puer est Israel, & dilexi eum, & ex Ægypto vocavi filium meum.* Hoc licet magis de Domino nostro voce prophetica dictum sit, qui Herodem tecum sum hominem in Ægyptum fugiens, inde congruo tempore à Patre Deo vocatus est: accipitur tamen hoc & de illo, carnis propagine vestris auctoritatis, populo. Qui quondam in Ægypto de paucis patribus in magnum populum adauctus, diu moratus, valde oppressus, & ad Deum clamans exauditus, indeque vocatus, filij nomine à Deo honoratus est. Ac iuxta Esaiam, congruenter de

Esai. 1. B vobis. *Filios genui, & exaltavi: ipsi autem spreverunt me.* Non fugit nos, non fugit nos etiam intellectus ille, non solum homines gratia aliqua, merito aliquo, vel Dei filios, vel à Deo genitos dici: sed insuper ipsa quoque inanimata, hoc nominibus signari.

Iob. 38. Vnde est illud: *Quis est pluviæ pater, vel quis genuit stillas roris?* Item. *De cuius vtero egressa est glacies, & gelu de cælo quis genuit?* Nolite ergo, nolite putare ô Iudæi, ista tam lucida videre non potuisse Ecclesiam Dei. Videt hoc, discernit hoc. Discernit similia nomina in rebus dissimilibus dissimiliter intelligenda esse: nec vno tantum, vel eodem modo; licet idem sonantia, semper intelligi oportere. Habetis hoc in innumeris scripturarum vestrarum exemplis: habetis eadem nomina non idem semper significantia. Et quando possent hæc sigillatim proferri? Sed verbi causa, ponantur aliqua, vt ex his paucis facile possint colligi plura. Certe caput, oculus, auris, manus, brachium, pes, nomina sunt aliquas corporis partes proprie significantia, quæ tamen & ipsa ad alia sæpe trahuntur diversa. Stare, sedere, iacere, dormire, vigilare, ambulare, volare, verba sunt accidens aliquod designantia, quæ tamen & ipsa ad alia diversa ducuntur significanda. Et quia etiam mediocriter doctis ista clara sunt,

C exemplis non egent. Hoc ergo modo, nomen generationis cum in Deo accipitur, non semper idem, sed quandoque longe diversa designat. Monstrant hoc lucidè testimonia prophetica quæ præmisi, quibus generatio longe diversa significari docetur. An non tibi, ô Iudæe, videtur differre generatio illa, de qua scribitur. *Filios genui, & exaltavi: ipsi autem spreverunt me*; ab illa, de qua dicitur; *Quis est pluviæ pater, vel quis genuit stillas roris?* vel ab illa, vnde legitur, *De cuius vtero egressa est glacies, & gelu de cælo quis genuit?* Puto te non ita obtorduisse, non ita despuisse, vt quod cunctis clarum est, tibi soli obscurum sit, quod cunctis lux est, tibi soli tenebræ sint. Nam patet vniversis magnam, non parvam; certam, non ambiguam, in hoc, quod dictum est, generationis nomine, diversitatem inesse. Dicitur enim Deus generare homines diligendo, fovendo, provehendo, saluando: dicitur generare pluviam, stillas roris, glaciem, gelu, volendo, creando, producendo, constituendo. Sicut igitur in hoc vno generationis nomine, tam varia & diversa signari, iam vt æstimo vides: sic in eodem no-

D mine, absterso veteri ab oculis tuis caligine, aliud quiddam longe sublimius intuere. Intuere, inquam, & quod non nisi Deo demonstrante potes, respice: & in verbis illis, quæ legis. *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te*; nec hanc, nec illam, quæ præmissa est generationem, sed naturalem de essentia Patris, Filij Dei nativitatem intellige. Nam sicut omnipotens Creator, pater dicitur pluviæ, genuisse dicitur stillas, glaciem, & gelu producendo, sicut pater dicitur Israel, sicut genuisse dicitur filios confo-

E vendo: sic Pater scribitur vnigeniti Filij sui, sic eum genuisse prædicatur, non aliunde, non ex nihilo, sed ex propria substantia proferendo. Ad hoc credendum, ô Iudæi, licet vos non nisi eiusdem Patris & Filij spiritus trahere possit: si tamen scripturis sacris, vt decet, defertis, si eis pertinaciter, si more vestro Iudaico non repugnatis, rationi saltem sequenti cedetis. Quid enim sequitur? *Postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Ecce hoc, si potestis, David illi olim super Iudæos regnanti adaptate. Iniunctum est ei, vt postularet dari sibi gentes in hæreditatem, & terminos terræ in possessionem. Et quia iniunctum est, eum non obedisse putandum non est. Postulavit ergo, & vt præmissum fuerat, datæ sunt ei gentes in hæreditatem: & termini terræ in possessionem. Sed quæ gentes? Fortasse secundum vos Philistæi, de quibus scriptum est.

2 Reg. 8. *Tulit David frenum tributi de manu Philisthinorum.* Fortasse & opinio vestra esse potest, Syria Damasco adiacens: de qua

2 Reg. 8. 1 Paral. 18. legitur, *Et erat Syria Damasci, David serviens sub tributo.*

F Fortassis iuxta solitam interpretationem vestram, filij Amon, vel quædam circumpositæ gentes, quas bello domuisse scribitur. Sed relegite, scrutamini solicite Malachim vestrum, & invenietis repressisse quidem David Philistæos, sed non subiugasse: tenuisse

3 Reg. 11. illi ad tempus Syriam Damascenam, sed non multo elapso tempore rebellasse: ac statim in ipsa Damasco,

3 Reg. 15. reges superbos ac potentissimos successisse: filios vero Amon, seu reliquos separaverat, statim respirasse: & toto tempore, quo gens Iudaica Reges habuit, pro-

4 Reg. 3. prios Reges vsque ad ipsam patrum vestrorum transmigrationem Babylonicam habuisse. Non ergo ad David illum illa Dei verba facta sunt: quia nec istæ, nec illæ præter Iudæos gentes ei in hæreditatem datæ sunt. Sed quid ad huius divini versus vltima verba dicetis? Postquam enim dixit, *Dabo tibi gentes in hæreditatem tuam*: statim subiecit, *& possessionem tuam terminos terræ.* Terminos, inquit, terræ. Qui sunt termini terræ? Nonne vbi terra terminatur, ibi inhabitatio humana finitur? Dati sunt ergo illi David hi termini terræ in possessionem. Si illi termini terræ David in possessionem dati sunt: & totus orbis terrarum ei in possessionem datus est. Hoc si ita est, Indi, Persæ, Galli, Germani, Scythæ, Aphri: tandem quicquid gentium orbis

G continet, ei in possessionem datum est. Videtis adhuc tam notum & absurdum ipsis etiam pecoribus inconveniens? Cur non sentitis miseri, iuxta verba Apo-

2 Cor. 3. stoli nostri, literam vos occidentem? Cur pene soli in orbe non sequimini spiritum vivificantem? Nunquid orbi terrarum David ille dominatus est, cuius regnum satis brevi Syriæ particula coarctatum est? Quærite ergo, quærite alium, ad quem ista Dei verba facta sint: & cui gentes in hæreditatem, termini terræ in possessionem dati sint. Et quem alium invenire poteritis, nisi Christum? Quem alium, quam illum, quem hucusque negastis, Dei filium? Illum plane, illum

Philip. 2. Christum, illum Dei filium, illum Iesum, in cuius nomine velitis, nolitis, flectitur omne genu, cælestium, terrestrium, & infernorum: illum qui dicit,

Matt. 28. *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra*, ad quem vox Patris facta est, *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Sed procedat sermo ad alia etiam his clariora: & ipse David quid adhuc de ipso Dei filio sentiat, audiatur. Introducit enim Dominum cuidam Domino suo lo-

H quentem, & inter alia dicentem. *In splendoribus sanctorum ex vtero ante Luciferum genui te.* Quis est iste Dominus, quem alter Dominus ante Luciferum genuit? Currite, ô Iudæi, cogitate, satagite, desudate, corrodite vngues: pervertite & hanc si potestis sententiam, & tam divinum & admirabile verbum, more vestro in aliud & aliud derivate. Hic plane vos figere pedem, hic nobiscum manum conserere, hic vel aliquid rationabile respondere: vel sicut olim Patres vestri Christo Psalmi huius principium eis proponente, obmutuerunt, obmutescere vos necesse est. Illi quidem,

A ut dixi, primo Psalmi versu sibi proposito conticuerunt: vos fortasse patribus sapientiores, huic valetis, nostro versui respondere, *Ex utero ante Luciferum genui te.* Quis est iste Dominus David, qui ab alio ejus Domino, ante Luciferum genitus est? Ostendite, ostendite mihi Dominum David, ab alio, ut dictum est, Domino genitum, & hoc ante Luciferum. Ostendite eo tempore, quo hæc verba prolata sunt, præter Deum, tanti Regis Dominum Regem aliquem, Prophetam aliquem, magnum aliquod, & ut brevi sermone multos concludam, à primo Adam usque ad novissimum, qui in fine seculi nasciturus est, filios Adam. Investigate, si vultis, & ipsa cœlestia, & de diversis sanctorum spirituum ordinibus, qui usitato nomine Angeli vocantur, David mihi Dominum invenite: Nam licet quidam Patrum priorum, apparentes sibi Angelos, Dominos vocaverint: non sunt tamen Angeli hominum Domini, nec subijciuntur quantum ad naturæ dignitatem, dominatui ipsorum, qui ad æqualitatem creati sunt Angelorum. Quod si hoc modo nullus Angelus alicui hominum dominatur: claret quod nullus Angelorum a David Dominus nuncupatur: Sed neque Angelos ex utero Deus genuit, sed eos, sicut & alias creaturas, omnipotenti voluntate creavit. Hunc vero, cui loquitur, non se creasse, sed ex utero asserit genuisse. Unde quia præter Deum, nec in Angelicis spiritibus, nec in humana propagine, hic Dominus David inveniri potest: vel Psalmum vestrum divinum esse negate, vel aliquem, quem Dominum David credere ratione compellamur, proferte. *Ante Luciferum*, inquit, *genui te.* En rursum vobis angustiæ, en rursum laqueus, en rursum fovea, in quam insana vestra cæcitas corruat, præcipitata. Hinc plane nullus vobis patet egressus, nisi ab eo educamini, qui educit vinctum de domo carceris: qui aperit & nemo claudit,

Apoc. 3. claudit & nemo aperit, *Ante Luciferum genui te.* Quis est hic Lucifer? Si dixeritis sidus illud esse, quod quia aliis sideribus præter principalia clarius rutilat, atque

Gen. 1. inde velut majorem ferens lucem, lucifer dicitur. Respondeo: Ante Luciferum illum nullus hominum creatus est: Nostis enim Moyse indicante, quod quarto die cum stellis aliis sidus illud creatum est. Homo vero post, hoc est, sexta die factus est. Nulli ergo hominum à Deo dictum est, *Ante Luciferum genui te.* Sed nec alicui Angelorum hoc dictum est, quoniam præmissa ratione cogente, hoc non nisi Domino David dictum est: Nullus vero Angelorum, juxta eandem rationem, David Dominus est. Constat igitur, quia nec alicui Angelorum dictum est, *Ante Luciferum genui te.* Quod si Luciferum apostatam Archangelum esse dixeritis, cui sumpta ab hac stella similitudine, sub Babylonici Regis nomine Propheta Esaïas lo-

Isa. 14. quitur, *Quomodo cecidisti Lucifer de cœlo, qui mane oriebaris?* Respondeo: Ante Luciferum illum non solùm nullus hominum factus est, sed nec ullus Angelorum conditus est. Sic enim se habent de illo ver-

Iob. 40. ba divina ad Iob. *Ipse est principium viarum Dei.* Quod si principium viarum, hoc est, operum Dei est: nullum opus Dei ante ipsum creatum est. Si vero

D nihil operum Dei ante ipsum creatum est, nec alicui hominum, nec alicui Angelorum dictum est à Deo, *Ante Luciferum genui te.* Nam non puto adeo vos esse amentes, ut de ipso Babylonico Rege, vocabulo Luciferi designato, dictum à Deo suspicemini, *Ante Luciferum genui te.* Nec enim aliquid magni sermo divinus diceret, si quod omnibus notum erat, David ante Babylonicum Regem genitum narraret. Nunquid ergo, ô miserrimum genus hominum, tam perspicua non cernitis, tam clara non videtis? Aperite tandem oculos, reserate aures: & soli cœci in mundo apparere, soli surdi inter mortales remanere erubescite. Nolite tandiu ostentui fieri orbi terrarum: nolite tam diutinis seculis vos fabulam exhibere. Advertite Dominum David non nisi Deum esse potuisse: agnoscite ipsum David Dominum suum non nisi Deum vocasse.

E Et quia primo Dominum dixit, & statim alium Dominum nominavit: intelligite non posse esse alium & alium, nisi patrem & filium. Hunc ergo Dominum Patrem in Psalmi jam dicti principio introducit loquentem Domino filio, quando dicit, *Dixit Dominus Domino meo.* Nam juxta præcedentia, quia nullus in creaturis David invenitur Dominus, ut non nisi creator ejus dicatur Dominus. Et quia nomen creatoris, nomen Dei, idem significant: Dominus David, creator est: Dominus David DEUS est. Huic ergo DOMINO David, huic Creatori, huic DEO: alius Dominus utique & ipse Creator, utique Deus, dicit: Quid dicit: *Sede à dextris meis.* Et cui hoc à Deo dici potuit, nisi Deo? Cui, inquam, à Deo dici potuit, *Sede à dextris meis*, nisi illi, qui tantæ dignitatis extitit, ut ei possit à Deo dici *Sede à dextris meis?* Et ubi tanta

F dignitas inveniri poterit, quæ consessu deitatis digna esse possit? Quæ planè natura tantæ erit dignitatis, ut mereri valeat solium deitatis? Nulla certe, ô Iudæi, nisi divina, & quæ propter divinam hoc meruit in solo Christo humana. Quod si quemlibet alium in sede Dei præter Deum, electio vestra sive de cœlestibus, sive de terrestribus creaturis collocare potest: indicet, proferat, demonstret. Sed non poterit, non prævalebit, quia nullum recipit parem deitas, nisi Deum: nullum thronus deitatis suscipit, nisi Deum: nullus Patri Deo adæquatur, nisi Dei filius, & ipse cum eo Deus. Et quidem par est Patri, & Filio utriusque Spiritus: sed non dirigitur vox ista Patris ad ipsum, quia non est à Patre genitus. Huic vero, cui dictum est, *Sede à dextris meis*, & istud adjunctum est, *Ex utero ante Luciferum genui te.* *Ex utero*, inquit, ut eum non ex aliena, sed ex propria Dei essentia natum agnoscas. *Ante Luciferum:* ut ejus etiam nativitatem, ante omnem creaturam esse advertas. *Genui te:* ut non ex aliqua materia factum, non ex nihilo creatum, sed a Patre æternaliter genitum intelli-

G gas. Ecce qui in prima quadriformis partitionis parte, non aliud Christum probare proposueram, nisi Dei filium: nunc, ô Iudæi, divini hujus Psalmi virtute probavi & Deum. Sed dicetis: Psalmus, quem contra nos protulisti, & quem ad probandam Domini tui deitatem, in medium adduxisti: nil agit pro parte tua, nil juvat propositionem tuam. Non enim prolatus est in persona David, sed ex persona Eliezer servi Abrahæ, scriptus est David. Cujus Psalmi, hic sensus est: *Dixit Dominus*, id est, Deus, *Domino meo*, Gen. 15.

Abrahæ: *sede à dextris meis.* Magnum, ô Iudæi, ut & ipsi fatemur, apud Deum meritum Abrahæ: magna & multiplex apud ipsum prærogativa Abrahæ. Magnum meritum, quia *credidit Abraham Deo*: magna gratia, quia *reputatum est ei ad iustitiam.* Magnū meri- Gen. 22.

tum, quia præcipiente Deo extendit manum, & arripuit gladium, ut immolaret filium. Magna gratia, quando ei inhibito ne filium occideret, dictum est, *Per memetipsum iuravi, dicit Dominus, quia fecisti rem hanc, & non pepercisti filio tuo unigenito propter me: benedicam tibi, & multiplicabo te sicut stellas cœli, & sicut arenam quæ est in litore maris.* Magnum vere, & simplex tantum, sed multiplex apud Deum meritum

H Abrahæ: magna imò & omnibus donis ei à Deo collatis major illa singularis gratiæ excellentia, quá ei promissum est: *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Gen. 22.

Sed nunquid tanta, ut ei à Deo injunctum sit, *Sede à dextris meis?* Nunquid tanta, ut, sicut ante non multa dictum est, quod Dei est singulare, fieret Deo hominique commune? Homini dico tantum, quod Abraham fuisse scimus, non homini simul & Deo, ut Christum esse novimus. Nunquid ergo huic, qui nihil plus homine erat, à Deo dictum est: *Sede à dextris meis?* Ubi est illud quod solum, ne in Christum Iudæus credat, Iudaicum cor retrahit, contemplatio humilitatis humanæ, indigna, ut dicitis, consortio majestatis divinæ? Ubi est zelus ille Dei quidem, ut Apostolus noster ait, sed non secundum scientiam? Nonne

propter

A propter hæc verba, quæ Abrahæ asscribitis, Stephanum primum Martyrem nostrum continentes aures vestras velut ad blasphemiam, & stridentes dentibus velut ad vindictam, homines sacri semper sanguinis avidi lapidastis? Quid dixit Stephanus de Christo? Video cœlos apertos, & IESVM stantem à dextris Dei. Quid dicit Iudæus de Abraham? *Dixit Dominus*, id est Deus, *Domino meo*, Abrahæ, *sede a dextris meis.* Quid est quod pati non potuistis, tunc saltem semel audire IESVM stantem à dextris virtutis Dei: & nunc quotidie pati æquanimiter potestis audire, Abraham sedentem à dextris Dei? Nolite, nolite quæso consortem Deo dare, nisi Deum: nolite in sede divina aliquem constituere, nisi Deum. Hoc si conceditis, quod nequaquam hactenus negare consuestis: falsa sunt verba in persona Eliezer prolata, *Dixit Dominus*, id est Deus, *Domino meo*, Abrahæ, *sede a dextris meis.* Nec solum falsa esse, quæ dicta sunt, ostendunt, sed & cuncta Psalmi sequentia lucide idem declarant. De

B quibus est proxime sequens versus: *Donec ponam inimicos tuos: scabellum pedum tuorum. Sede*, inquit, Deus secundum vos, ô Abraham, *à dextris meis. Donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum*, hoc est, donec subiciantur tibi inimici tui. Et quos hostes dum viveret, habuit Abraham? Scrutare, Iudæe, totum textum sacri Canonis tui: &, nisi fallor, non dico plures, sed nec unum invenire poteris hostem Abrahæ. Homo enim justus, licet in terra Gentilium commoraretur: religione tamen sua, sobrietate sua, sapientia sua sic inter malos bonus, sic & inter eos, qui oderant pacem, erat pacificus. Inde est, quod in Canone

Gen. 14. Hebraïco, inimicum ei aliquem extitisse, nec Christianus legere potuit, vel poterit, nec Iudæus. Quid si dixeritis, pugnasse eum cum CCCV. & VIII. clientibus contra Reges, qui Sodomæos vicerant, & Loth filium fratris sui captivaverant: cúmque raptores vicisse, Loth liberasse, spolia multa ab hostibus revexisse. Respondeo: Nec Reges ad prælium

C causa Abrahæ processerunt, nec causa Abrahæ, Loth fratris ejus filium ceperunt. Causam qua Reges adversum Reges, quatuor scilicet adversus quinque in bellum concitati sunt, scriptura refert. Hoc est, quia quinque Reges quatuor Regibus aliquandiu servierant, & tunc servitutis legem probrosam reputantes, servire nolebant. Hæc causa fuit qua inter victos inventus Loth, à victoribus captus est: ipséque Loth causa extitit: qua cum jam dictis raptoribus Abraham congressus est. Claret ergo, quia nec isto modo invenire poterit Iudæus inimicos Abrahæ, de quibus fingere possit dictum ei à Deo, *Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Quod si inimicos Abrahæ invenire non potuerit, nec tertium Psalmi versum super eo exponere poterit. Hoc est, *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion:* eique dictum à Deo, *Dominare in medio inimicorum tuorum.* Nam quia Iudæis loquens, medullam sacri Psalmi, quam fastidiunt, tangere prohibeo: & circa inutilem literæ corticem, quem solum pecudum more rodere

D solent, morari compellor. Dicite juxta brutum intellectum vestrum, dicite qua ratione homini benigno, homini pacifico, qui semper ferme inermis legitur, à Deo dictum sit, *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion*, Quomodo emissa est à Domino virga virtutis Abrahæ, quæ ei ad pugnandum necessaria non erat. Quomodo dictum est ei à Domino: *Dominare in medio inimicorum tuorum*, qui nulli erant? Sed transeo & ad quartum, *Tecum principium.* Quod est illud principium cum Abraham? An principium cœli & terræ cum Abraham? An aliquarum creaturarum principium cum Abraham? *In die virtutis tuæ.* Quæ est ista dies virtutis Abrahæ, quæ est ista dies, in qua principium jungatur virtuti Abrahæ? *In splendoribus Sanctorum, ex utero ante Luciferum genui te.* Qui sunt hi, Iudæe, splendores Sanctorum, in quibus ante Luciferum genitus est Abraham? Sed non his pene ineffabilibus immoror: quia non à Christiano de Christo, sed à Iudæo de Abraham, si potuerit exponenda sunt. Et quid sequitur? *Iuravit Dominus, & non pœnitebit eum.* Quid est, quod juravit Dominus? Quid est quod jurasse non pœnitebit eum? *Tu es*, inquit, *Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Nunquid Abraham Sacerdos? Nunquid Abraham Sacerdos, & in æternum? Nunquid & Sacerdos & in æternum, & secundum ordinem Melchisedech? Nam si Abraham Sacerdos secundum ordinem Melchisedech: quare cum esset uterque paris officij, paris ordinis, paris dignitatis, benedici se ab ipso pertulit? quare panem & vinum obtulit? quare decimas ei ex omnibus quæ ceperat dedit? Hæc universa Iudæe super Abraham, si potes, expone. Sed credo, imò scio, imò affirmo, quod nec tu, nec tota pariter congregata Synagoga Sathanæ, verba ista tam sacra, tam divina, tam omnem hominem excedentia, nec de homine Abraham, nec de quolibet tantum homine exponere poterit. Falsa est igitur expositio Iudaica, mentiens hæc à Deo dicta Abrahæ; & vera est expositio Christiana, affirmans hæc dicta esse à Deo cuilibet homini, sed IESV-CHRISTO Deo simul, & homini. Deo, inquam, & homini. Et ut magis ac magis, si non est credendum, saltem ad irascendum Iudæum commoveam, quod audire refugit sæpe dicendo, non solum homini & Deo: sed, sicut sæpe dictum est, homini & Deo, simulque Dei filio. Et quid tantopere nomen filij Dei refugit Iudæus, cum hoc libere, & constanter confiteatur Paganus? Nonne enim Paganus Nabuchodonosor? Et quid ille ad ostium fornacis suæ accedens dicit? Nonne, inquit, tres viros misimus in medium ignis compeditos? *Ecce*, inquit, *species quarti similis filio Dei.* En filium Dei Rex Ethnicus prædicat, & Iudæus negat. Confitetur Rex sine lege Dei filium Dei: & homo educatus & doctus in lege Dei diffitetur, & abiicit filium Dei. Sed ille Dei filius, qui ab illa Babylonica salvavit confessores pueros: in fornace sine dubio infernali negatores sui torquebit sine fine Iudæos. Auctoritatibus ergo præmissis, vel negante, vel confitente Iudæo, Christus Deus est, Christus Dei filius est.

Sed audite adhuc unum, post illa quæ præmissa sunt, vestri Salomonis de Dei filio testimonium. Ait enim in Proverbiis: *Quis ascendit in cœlum, atque descendit? Quis continuit Spiritum in manibus suis? Quis colligavit aquas quasi in vestimento? Quis suscitavit omnes terminos terræ?* De quo verba ista, ó Iudæi, nisi de Deo accipi possunt? & quidem ascendere in cœlum atque descendere, vel Angelis sanctis, vel quibusdam beatis sanctorum Spiritibus congruere posse videtur. Sed non de Angelis, non de sanctorum Spiritibus hæc dicta verba sequentia probant. Probant, inquam, verba sequentia, non hoc dictum de quolibet spiritu, non dictum de qualibet creatura: sed de ipso omnium spirituum, imò omnium rerum creatore Deo, cum subditur, *Quis continuit spiritum in manibus suis?* Quis enim spiritum in manibus suis, hoc est, in potestate sua continet, nisi ille, de quo ait Iob *Quem docere voluisti, nonne eum, qui fecit spiramentum?* Cui certe adaptari poterit: *Quis colligavit aquas, quasi in vestimento*, nisi ille, de quo in eodem Iob libro legitur, *Flante Deo concrescit gelu, & rursum latissimæ funduntur aquæ?* De quo dici potuit: *Quis suscitavit omnes terminos terræ*, nisi de illo, de quo Psalmus canit; *Tu fecisti omnes terminos terræ, æstatem & ver: Tu plasmasti ea?* Non igitur Salomon velle de quolibet ista, non de Deo sensit, non de quolibet, nisi de Deo protulit. Audite ergo sequentia: *Quod nomen est eius: aut quod nomen filij eius?* Quid agitis Iudæi? Ecce exquirit Salomon nomen Dei: exquirit velut ineffabile nomen filij Dei. Nequaquam plane sapiens ille nomen Dei filium habentis exquireret; si eum Patrem esse non crederet. Nequaquam nomen filij ejus investigaret, si filium Dei esse aliquem

non

Margin: E (beside first line of right column); Gen. 14. (beside "Nunquid Abraham Sacerdos"); F (beside "mentiens hæc à Deo dicta"); Dan. 3. (beside "cos misimus in medium ignis"); G, Prov. 30. (beside "sunt, vestri Salomonis"); Iob 26. H (beside "nibus suis? Quis enim"); Iob 37. (beside "tum? Cui certe"); Psal. 73. (beside "Quis suscitavit omnes terminos")

A non ſentiret. Senſit ergo Salomon, quod hucvſque non ſenſiſtis: confeſſus eſt, quod hucvſque negaſtis: & Deum Patrem eſſe, quem filium habere teſtatur: & Filium ejus eſſe, quem ſub nominis inveſtigatione, Dei filium eſſe fatetur. Quid verbis iſtis clarius? quid luce hac ſplendidius? Nonne hoc ſolo Salomonis teſtimonio, ô Iudæi, etiam remotis aliis vos urgentibus ſcripturarum teſtimoniis, neceſſe eſt vos confiteri filium Dei? Nam nec inde quilibet inſidiandi vobis angulus uſpiam patet, unde hoc ſingulare nomen filij Dei conemini pervertere, plurali nuncupatione filiorum Dei. Ea enim, quam prætendere ſcriptura videtur, inquiſitio nominis Dei, & inquiſitio nominis filij Dei, excludit pluralitatem filiorum Dei: Nam neque ſancti Angeli, neque juſti homines, quos ut ſupra dictum eſt, aliqua excellenti gratia, Dei filios ſcriptura ſancta nominat propriis, ubi neceſſitium fuit, nominibus caruerunt, vel jam impoſita
B adeo tecta fuerunt, ut ea tantopere Salomon admiretur, & admirando tanta diligentia inveſtigare credatur, ut dicat: *Quod nomen eſt eius, aut quod nomen filij eius, ſi noſti?* Sed nec aliqua ratio patitur, ut poſt illud, quod de eo tam ſolenniter protulit, quando dixit, *Quod nomen eſt eius*: de aliquo hominum, ſive aliquo Angelorum dictum ſentiatur, quod ſequitur: *Vel quod nomen filij eius, ſi noſti?* Iam quippe nomen Angelicum vel humanū, divino nomini adæquari videretur, jam nomen creaturæ par Creatori fieri diceretur. Eſt autem nomen Dei ſuper omne nomē, ut noſtis, nec minus ineffabile, nec minus incōprehenſibile quā ipſe Deus. Nec enim aliud eſt Deus, aliud nomē ejus: ſed tam ipſe quam nomen ejus, hoc eſt idem ſimplex & ſummus Deus præfertur omnibus operibus ejus. Hinc eſt quod Scriptura hæc, quæ dicit, *Quod nomen filij eius, ſi noſti?* non ſolum Dei filium prædicat: ſed etiam eundem Deum eſſe demonſtrat. Nulla namque ratione nomen filij Dei pari diligentia, ut nomen Dei exquireretur, niſi & ipſe quoque Dei filius Deus eſſe monſtraretur. Nomen ergo Patris, & nomen filij, quod pari ſublimitate exquiritur, pari quoque Deitate præditum eſſe
C docetur. Aut ergo proferte mihi aliquem alium, ô Iudæi, quem certa auctoritate vel ratione compellat credere & confiteri, non ex plurali filiorum Dei numero, ſed unicum eſſe filium Dei: aut ſuſcipite Chriſtum noſtrum, qui tot auctoritatibus, tot rationibus, probatus eſt & Deus, & filius Dei.

## CAPVT II.

*Quod Chriſtus ſpecialiter Deus ſit.*

SEd poſtquam Chriſtus litterarum veſtrarum, ô Iudæi, auctoritate, Dei eſſe filius, ac Deus probatus eſt: fortaſſis adhuc ſolita improbitate inſtabitis, & aliis divinitatem ejus exemplis vobis monſtrari clarius exigetis. Et quid, inquam, clarius oſtendi poteſt? Quid in rebus mundanis luce clarius? quid Sole fulgentius? Cæcis tamen & lux nox eſt, & Sol tenebræ
D ſunt. Sic vobis, ſic plane vobis, ſcripturarum ſacrarum claritas ſplendet: ut quæ alios illuminant, vobis lucere non poſſint, quæ aliis fulgent, vobis obteneſcant. Cui enim, præter vos, non ſufficeret, ad Chriſti deitatem comprobandam, tam lucidum divini Pſalmi, quod præmiſſum eſt, teſtimonium, *Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis*, & reliqua? Cui, præter vos, non ſufficeret, ad Chriſti deitatem comprobandam, tam ſplendida Salomonis ſententia: quæ nomen filij Dei ſicut ipſius Dei exquirens, oſtendit, non ſolum Chriſtum eſſe Dei filium, ſed etiam Deum? Cui, præter vos, non ſufficeret ſola ipſa ratio, qua quia Chriſtus auctoritatibus ſacris filius Dei eſſe oſtenſus eſt, eadem quoque Deus eſſe probatus eſt? Et hoc quo modo? Audite: Si enim Dei filius eſt, aut naturaliter, aut tantum vocaliter Dei filius

E eſt. Sed, ut ſupra poſui, vocaliter tantum, non naturaliter gratia aliqua, vel merito aliquo, dicti ſunt quidam Angelorum, dicti ſunt quidam hominum, filij Dei. Quidam Angelorum, ut in libro Iob, *Quadam die cum veniſſent filij Dei, ut aſſiſterent coram Domino.* Quidam hominum, ut per Ezechielem loquitur Deus: *Habui eas, & pepererunt mihi filios & filias.* Chriſtus vero, quia ante omnem creaturam ex ipſa Patris eſſentia genitus eſſe ſupra probatus eſt, naturaliter Dei filius eſt. Quod ſi naturaliter Dei filius eſt, utique non aliud quam Pater eſt: Pater autem Deus eſt. Non igitur aliud filius, quam Deus eſſe poteſt: Nam ut de ipſa carnali generatione, licet longe impar, aliquod tamen exemplum trahatur: ſicut genitus de homine homo eſt, ſicut genita de ave avis, non niſi avis eſt, ſicut accenſum de lumine lumen, non niſi lumen eſt, ſic natus de Deo Deus, non niſi Deus eſt. An non ſufficit hæc ſola ratio vobis?

Iob.1. Ezec.24.

F Succedant ergo rationi, & alia ſcripturarum veſtrarum exempla: & ad probandam Chriſti veram deitatem, de ipſo legiſlatore veſtro Moyſe evidens teſtimonium proferatur.

Accede ergo, ſancte Moyſes, tu, inquam ſingularis amice Dei, tu quem ipſe Deus ex nomine ſe noſſe dicit, tu qui in velamen Iudæis datus es, ſed nobis revelatus es: accede non jam ad populum Dei, ſed contra hoſtes Dei, & expone tam nobis quam ipſis, deitatem filij Dei. *Pluit*, inquit, *Dominus, ſuper Sodomam & Gomorrham ſulphur & ignem à Domino de cælo.* Quis eſt iſte Dominus, ô Iudæi, qui ab alio Domino pluit ſulphur & ignem de cœlo? Audiſtis jam dicentem David, *Dixit Dominus Domino*, audite & Moyſen dicentem: *Pluit Dominus à Domino.* Nolite confugium facere ad Angelos, qui præceſſerant, qui ſero Sodomam venerant, qui mane Loth cum uxore & filiabus de Sodomis abduxerant. Iam abierant, jam receſſerant: jam ad quod miſſi fuerant, impleverant, Nullus eorum Dominus dici poteſt, quia uterque Angelus, uterque nuncius dicitur, quia uterque non Dominus, ſed miniſter vocatur. Miſſi ſunt illi in miniſterium, ut Loth juſtum educerent, ut eum ab impiis

Gen.19.

G ſecernerent: non ut, quod ſuum non erat, deitatis ſeu dominationis nomen aſſumerent, Nec movet nos, quod eos Loth Dominos vocat, quod adorat, quod precatur. Mos eſt iſte humanus, ut quandoque a paribus pares, quandoque à minoribus majores, Domini honoris cauſa vocentur. Mos fuit antiquus & modernus, ut præter illum ſingularem adorationis cultum, quo deitas honoratur, invicem ſe homines quodam venerationis genere, vel ex parte ſupplices, vel toto corpore proſtrati, adorent. Mos eſt communis neminem latens, quo & mutuas preces pro quibuslibet cauſis homines ſæpe frequentant: & ſibi mutuo, quæ rogantur indulgent. Legitur ſæpe hoc ſanctos homines feciſſe, & talibus obſequiis, vel apparentes Angelos, vel ſe invicem honoraſſe. Hoc modo, non illo, quo divinitas adoratur: hoc, inquam, uſitato humanæ venerationis obſequio, Loth illos Angelos adoravit, Dominos vocavit, ac deprecatus eſt: Nam quod Angeli fuerint non Deus, non Domini, ſed miniſtri, declarant ipſorum verba ad Loth: *Delebimus*,
H inquiunt, *locum iſtum, eo quod increverit clamor eorum coram Domino, qui miſit nos, ut perdamus illos.* Qui ergo miſſi ſunt, ut perderent locum, utique non Domini, ſed miniſtri mittentis Domini ſunt: licet non ſolum per bonos, ſed etiam per Angelos malos, læſiones vel plagæ diverſæ hominibus inferri legantur. Probatur hoc de ipſo Iob: probatur & de illis, de quibus ſcribitur: *Miſit in eos iram indignationis ſuæ: indignationem, & iram & tribulationem, immiſſionem per Angelos malos.* Sed nec illud movet, quod unus ex illis, qui apparuerant, Angelis, ait: *Ecce etiam in hoc ſuſcepi preces tuas ut non ſubvertam urbem, pro qua locutus es.* Hic enim velut Angeli metas excedens, Dei perſonam ſibi aſſumere videtur, ut ille, quem

Pſal.77.

Abraha

A Gen. 22. Abrahæ loquentem eadem Geneſis ſcriptura introducit, dicens: *Ecce Angelus Domini de cælo clamavit, Abraham, Abraham.* Et verſu interpoſito, *Nunc cognovi, quia times Deum: & non pepercisti filio tuo unigenito propter me.* Sed tamen Abraham, non propter Angelum, ſed propter Deum filio ſuo non pepercerat. Videtur ergo in his verbis, perſonam Dei eundem ſibi Angelum aſſumpſiſſe, vel Deum in Angelo loquutum fuiſſe. Sic fortaſſis & hic: Sed ſive hoc ſit, ſive non: Angeli apparentes Loth, Angeli, ut dictum eſt, fuerunt, non Deus, miniſtri, non Domini, ſervientes, non imperantes, obſequentes, non dominantes. Ex his apparet, quod de nullo eorum dictum eſt: *Pluit Dominus à Domino.* Nam Angeli non dicuntur Domini, adminiſtratorij ſpiritus non dicuntur Domini: ſed ille tantum, ille verè, ille ſummè dicitur Dominus: qui patribus veſtris, ô Iudæi, per Moyſen Deut. 9. loquutus eſt, *Audi Iſraël, Dominus Deus tuus, Deus unus eſt.* Ille certe eſt Deus unus, ille eſt Dominus unus, de quo Apoſtolus noſter, quamvis vos ei non 1. Cor. 8. credatis, loquitur: *Unus Deus pater, ex quo omnia: & unus Dominus* IESVS-CHRISTVS, *per quem omnia.* B De hoc patre Domino, de hoc filio Domino, hæc veſtra ſcriptura loquitur cum dicit: *Pluit Dominus à Domino.* Pluit plane Dominus à Domino, filius à patre, Deus à Deo: qui ſicut habet, ut à Deo Deus ſit, ſicut habet, ut à Domino Dominus ſit: ſic ab ipſo eſſentialiter habet, ut remuneret juſtos, puniat peccatores, glorificet bonos, condemnet prophanos. Quod & tunc fecit, quando pluit ſuper Sodomam & Gomorrham ſulphur & ignem, à Domino, de cœlo: Nam nec verba iſta, pluere, ningere, tonare, & ſimilia, alicui creaturæ congruunt: ſed ad ſolum creaturæ auctorem ſpectant, qui facit iſta quando vult, & producit. 1 Reg. 12. Hoc ſonant & verba libri Regum: *Dedit Dominus* Pſal. 17. *voces & pluvias in die illa.* In Pſalmis etiam ad literam legitur: *Intonuit de cælo Dominus, & Altiſſimus* Exod. 20. *dedit vocem ſuam.* Et in Exodo: *Cunctus populus audiebat voces & lampades, & ſonitum buccinæ, montemque fumantem.* Advertite igitur, ô Iudæi, Chriſtum in ſcripturis veſtris, Dominum ac Deum vocari. Nolite ipſum negare Dominum, nolite negare & Deum: C ne forte ut ſuper illos impios, ſic & ſuper blaſphemos pluat ſulphur & ignem à Domino de cœlo, & impleatur in vobis quod legitur in Pſalm. *Pluet ſuper pecca-* Pſal. 10. *tores laqueos ignis, ſulphur, & ſpiritus procellarum, pars calicis eorum.* Sed forte dicetis, Chriſtum quidem vocari Dominum, prout tibi videtur, ex ſcripturis affirmas: atque ut inde illum etiam Deum fateamur, cogere vis. Sed [illegible] aliquamdiu hoc Domini nomine, ex eiſdem ſcripturis etiam DEVM aperte vocari oſtendo. Et faciam hoc plane, ſi vos auditores: imò ſi, quod totum eſt, intellectores habuero.

Pſal. 44. Audite ergo rurſum ſæpe nominatum, ac ſæpe nominandum David veſtrum, imò multo magis noſtrum: *Sedes, ait, tua Deus in ſæculum ſæculi: virga directionis, virga regni tui. Dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem: propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis.* Quis loquitur? Secundum nos Deus D pater, ſecundum vos ipſe David. Cui loquitur? Secundum nos Deus, Pater filio ſuo: Secundum vos ipſe David regi filio ſuo. Sed intermiſſo ad præſens noſtro intellectu, juxta hunc veſtrum Pſalmus exponatur. Videatur ſi verba iſta regi Salomoni, vel alicui ex poſteris ejus, ſive cuilibet, præter Chriſtum, alteri congruere poſſunt. Loquitur, inquam, juxta vos, ut dictum eſt, Salomoni filio ſuo David, vel alicui ex conſequentibus: *Sedes tua Deus in ſæculum ſæculi.* Et certe præcedentia vel ſubſequentia Pſalmi verba pervertere, & more veſtro, in alios, vel alios intellectus fortaſſis intorquere poteſtis: Sed de verbis iſtis quid? Quo ſenſu, quo aſtu, qua nimium [illegible] deſudata interpretatione, ſacra hæc verba cuilibet mortalium, præter Chriſtum, adaptare valebitis? *Sedes*, inquit *tua Deus.* Qua ratione, quo auſu a Propheta homo vocatur Deus? Sed dicetis: Moyſi loquutus eſt Deus. *Conſtitui te Deum Pharaonis.* Et addetis: Scriptum in Pſalmis, *Deus ſtetit in Synagoga deorum, & in medio deos dijudicat.* Nec illud omittetis: *Ego dixi, Dij eſtis.* Et nos, ô Iudæi, novimus iſta. Clara ſunt, aperta ſunt latere nos non potuerunt: Vocantur illi dij, non quod aliqua deitas in eis fuerit: ſed quia principatu aliquo, dignitate aliqua, vel ſanctitate, quibuſdam aliis à Deo prælati fuerint. Noſtis hoc & ipſi, quia non quod dij erant dij à Deo vocati ſunt: ſed quoniam excellenti gratia à Deo aliis prælati ſunt. Sed non iſto ſenſu iſte, cui David loquitur, Deus ab ipſo vocatur. Indicat hoc quod ſequitur: *In ſæculum ſæculi. Sedes, ait, tua Deus in ſæculum ſæculi.* Nullius enim Regis, nullius terreni Principis ſedes manet in ſæculum ſæculi. Contradicite, ſi poteſtis, & oſtendite ſedem alicujus mortalis manere poſſe in ſæculum ſæculi. Sed non poteſtis, reſiſtit natura, reclamat mundus, denegat omnis homo. Neceſſe eſt ergo, ut fateamini, ſedem hanc non cujuſlibet Regis eſſe poſſe, ſed ipſius tantum Dei. Hunc autem Deum non alium eſſe, quam ipſum, de quo agitur, Chriſtum: Nam & hoc ſequen- F tia verſus hujus declarant. Nulla namque mutata perſona, eidem Deo loquitur: *Virga directionis, virga regni tui.* Ac ſtatim: *Dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem: propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ.* Si ergo unctus iſte Deus eſt, utique Chriſtus Deus eſt. Quem enim nos unctum, quem vos Meſſiam, hunc plane tam nos, quam vos Chriſtum dicimus, Chriſtum prædicamus. Linguæ tantum diverſæ ſunt, ſenſus linguarum idem eſt. Sonus duplex eſt, intellectus unus eſt. Deus ergo iſte unctus Chriſtus eſt, & unctus, id eſt Chriſtus Deus eſt. *Unxit te*, inquit, *Deus Deus tuus.* Attendite Iudæi: Non ſemel tantum illum vocat Deum: Deum illum prius vocaverat; quando dixit, *Sedes tua Deus.* Nunc rurſum vocat illum Deum, cum dicit: *Unxit te Deus.* Quod enim ſequitur, *Deus tuus*, jam alius caſus eſt: Nam quod primo dicit, *Deus*, vocativus eſt: quod ſecundo nominativus eſt. Ac ſi diceret: ô Deus, unxit te Deus. Videtis adhuc, non ſemel tantum, ſed bis, in duobus continuis verſibus, à tanto G Propheta Chriſtum tam lucide, tam præclare vocari Deum? Confitemini ergo, confitemini licet ſero, Chriſtum Deum, quem ſummus Prophetarum veſtrorum tam ſplendide prædicat Deum. Nec qualemcunque, ſed talem: cujus ſedes, juxta eundem Prophetam, permanet in ſæculum ſæculi. Sed quis eſt & ille Deus, à quo unctus eſt iſte Deus? Sic enim lego, ô Deus, unxit te Deus tuus. Agnoviſtis unctum Deum agnoſcite & ungentem Deum. Videte, ſi tamen datum fuerit [illegible] vobis, quod hactenus videre non potuiſtis. Advertite nunc tandem neceſſariò alterum oportere eſſe, qui ungit, alterum qui ungitur. Alterum tamen iſte, & alter ille, Deus à Propheta veſtro vocatur, Nam & qui ungitur, Deus dicitur, & qui ungit, Deus vocatur. Quid laboratis? Nuſquam patet fuga Scriptura veſtra eſt, quæ recitatur, Propheta veſter eſt qui loquitur? imò Dei ſunt verba, quæ loquitur. Obmuteſcite igitur, H & divina virtute undique anguſtati, intelligite nunc ſaltem, Deum & Deum eſſe non poſſe alium, niſi patrem & filium. Patrem, qui, ſicut probatum eſt in aliis ſcripturæ locis loquitur filio: *Ego hodie genui te.* Filium, qui eundem patrem invocat, ſicut ſe ipſe pater de Pſal 88. eodem filio alibi ait: *Ipſe invocavit me, Pater meus es tu.* Ab hoc Deo patre unctus eſt Deus filius, unctus eſt Chriſtus: non in quantum Deus eſt, ſed in quantum homo eſt. Quantum enim ad Dei naturam pertinet, nihil filio Deo poteſt addi à patre Deo. Cui quantum ad eandem divinam eſſentiam ſpectat, nihil Deus pater potuit conferre donando: qui ſimul omnia contulit, eum æternaliter & ineffabiliter generando. Sed vere contulit multa, vere dedit multa humanæ naturæ ſuſceptæ à filio ſuo: qua mediante, projectus à facie Dei, ejectus de Paradiſo Dei, factus eſt de ſervo peſſimus hoſtis Dei, Deo rurſum redditus & conjunctus eſt homo. Unctus eſt igitur à Deo patre Deus Chriſtus; in quantum

A quantum homo est, oleo: non illo quo apud vos olim Reges ungebantur, sed oleo lætitiæ, oleo gratiæ, qua & homo ille a Deo assumptus, eadem assumptione deificatus est: & mundus totus Deo reconciliatus, glorificatus, & salvatus est: sic ergo, sic, non Judaïco errore, sed Christiano more legite, intelligite, exponite: *Sedes tua Deus in sæculum sæculi, & unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ.*

Et licet ista ad probandam Christi deitatem brutis etiam pectoribus sufficiant: veniat tamen vel Propheta, vel propheticus homo in medium, Hieremiæ Prophetæ notarius, seu collega Baruch. Veniat, & quamvis de alterius, tamen de prophetico Hieremiæ corde, spiritum hauriens, quid de Christi deitate sentiat, velut Prophetæ contubernalis, non per involucra, sed nude ac lucide aperiat. Hic certe post multa, quæ de Deo præmiserat, subdit: *Hic*, ait, *Deus noster est, & non æstimabitur alter ad ipsum. Hic, invenit omnem viam disciplinæ, & dedit eam Iacob puero suo, & Israel dilecto suo. Post hæc in terra visus est, & cum hominibus conversatus est.* (Baruc. 3.) B Quid clarius? quid apertius? Deum vocat. Quem? qui invenit omnem viam disciplinæ. Quam viam? Illam scilicet, quam dedit Iacob puero suo, & Israël dilecto sibi. Et quam viam disciplinæ dedit Deus Iacob vel Israel, nisi præcepta quæ primis patribus vestris tradidit: nisi legem quam per Moysen dedit? Hic plane Deus, qui omnem viam disciplinæ invenit, qui eam per Patres, qui maxime per Moysen Israëli dedit: *In terris visus est, & cum hominibus conversatus est.* Solvite hoc, exponite alio si potestis modo; qualiter Deus, qui legem per Moysen Israeli dedit, in terris visus est: exponite qualiter cum hominibus conversatus est. Sed forte respondebitis: Visus est Deus Iacob, conversatus est cum Iacob, quando, ut scriptura loquitur, vir quidam luctabatur cum eo usque mane, & de quo ipse Iacob dixit: *Vidi Dominum facie ad faciem, & salva facta est anima mea.* (Gen. 32.) Dicetis forsitan, hoc modo in terris visum Deum à pluribus. Addetis, ut puto, quod tunc Deus ab hominibus visus est, & cum hominibus conversatus est: quando Moyses in montem ascendit, & quadraginta diebus cum Deo fuit: (Exod. 20 & 24) C quando Deus de monte Sinai, populo in inferioribus constituto, corporali vel audibili voce insonuit. Sed ut breviter objecta destruam, nec Iacob, nec Moyses, nec populus, nec aliquis, ipso Deo teste, Deum videre potuit. Recolite, sic Deum loquutum Moysi: *Non videbit me homo, & vivet.* (Exod. 33.) Si ergo isti in carne vivebant, Deum videre non potuerunt. Sed credo, quod conceditis eos, de quibus sermo est, in carne vixisse. Necesse est ergo vos concedere, quod nullus eorum Deum videre potuit. Sed vere quasdam imagines Dei personam præferentes viderunt: quasdam voces sonúmque corporeum, non ex essentia, sed præcepto Dei prolatum, audierunt: Nam quod ipsum Deum non viderint, quod vocem illius divinæ & incircumscriptæ essentiæ non audierint, non solummodo probat hoc quod præmisi: *Non videbit me homo, & vivet* sed & illud quod de populo Israel legitur in Exodo: *Descende*, ait Moysi, *& contestare populo, ne forte velint transcendere terminos ad videndum Dominum: & pereat ex eis plurima multitudo.* (Exod. 19.) D Et post aliqua: *Sacerdotes autem & populus, ne transeant terminos, nec ascendant ad Dominum, ne forte interficiat illos.* Quomodo ergo dicere poteris, ô Iudæe, Deum tunc in terris visum, & cum hominibus conversatum: quando sic prohibebat non transcendi terminos ad videndum se, quando interitum transgressoribus minabatur, quando non solùm de populo, sed & de ipsis Sacerdotibus dicebat: *Non transeant terminos, nec ascendant ad Dominum, ne forte interficiat illos.* Non ergo illo tempore in terris visus est, & cum hominibus conversatus est. Quo igitur tempore? Quo nisi illo, quando, juxta Evangelium nostrum, *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis*: (Ioan. 1.) & juxta verba sapientiæ, quæ Salomon vester scripsit, dicentis: *Delitiæ meæ esse cum filiis hominum.* E Sapientia Dei carne induta, conversata est cum filiis hominum? Tunc ergo vere, tunc, non ante, nec post, Deus ille vester, qui invenit omnem viam disciplinæ, & qui dederat eam Iacob puero suo, & per Moysen Israël dilecto suo, in terris visus est, & cum hominibus conversatus est. Manet tamen sententia supra scripta, *Non videbit me homo, & vivet.* Non enim mortalibus invisibilis Deus, qui juxta Apostolum nostrum, *in Christo erat mundum reconcilians sibi*, (2. Cor. 5.) in terris visus est: sed secundum hominem quem induerat, quo immensam majestatem suam texerat, vere & absq; dubio in terris visus est, & cum hominibus conversatus est. Hinc plane ab hominibus visum, inter homines conversatum, vocat homo propheticus Deum: non Deum alienum, sed suum sed vestrum, sed omnium Iudæorum, cum dicit: *Hic Deus noster & non æstimabitur alter ad ipsum.* Quid amplius? Nonne jam plenissime vobis satisfaciunt tot divina testimonia, quod Christus, quem colimus, quem prædicamus, Deus noster, Deus vester, Deus universorum sit? F An vultis adhuc & alia proferri testimonia? Infinita equidem sunt illa, nec brevi opere explicari possent, quæ magis multis voluminibus egerent. Sed quantum proposita brevitas patitur, audite post alios quos audistis, non solum virum propheticum, sed Prophetarum maximum Esaïam. Redi ergo ad nos magne Esaïa, & qui Christum ab æterno Dei esse filium prodideras, etiam in terris de virgine natum, Deum esse, Iudæis declara. Iudæi quidem sunt, & lapidei sunt: & sicut ipse expertus es, non auditores Prophetarum, sed proditores & interfectores sunt. Dic tamen, loquere, fac quod tuum est, ut vel credant tibi Iudæi, & convertantur: vel si credere noluerint, juxta Psal. suum avertantur retrorsum, & confundantur. (Psal. 41.) Non poterit optimo successu carere divina secreta reserans sermo tuus, quem si spreverit Iudæus, audiet Christianus: si abjecerit paucitas incredulorum, suscipiet & venerabitur infinitas orbis terrarum. *Parvulus*, ait, *natus est nobis, filius datus est nobis.* (Esai. 9.) Quid post? Hoc commune est. Multi enim parvuli nascuntur hominibus, multi filij à Deo dantur hominibus. *Factus est principatus super humerum eius.* Et hoc multorum esse potest: Multi enim in terris & principati sunt, & principantur: G *Et vocabitur nomen eius admirabilis.* Hic jam parvulus, quem dixeras, filius quem nominaveras, à communi aliorum principatu secernitur. *Consiliarius.* Et hic, magnum quiddam & singulare innuitur. Sed prosequere, *Deus.* Audistis Iudæi? Parvulus iste natus, filius iste datus, super cujus humerum principatus factus esse dicitur: qui & admirabilis scribitur, qui consiliarius nominatur, etiam Deus à Propheta vocatur. Quid ultra quæritis? Quid vel mussitare poteritis? Erubescite miseri, erubescite, & veritati tam lucidæ, tam splendidæ, quia saltem vos repugnare non posse cernitis, adquiescite. Esaïas magnus homo, magnus Propheta, plenus Deo, amicus Dei, notus vobis, notus mundo, hoc dicit: *Vocabitur nomen parvuli, Admirabilis, Consiliarius, Deus.* Sed attendite & sequentia. *Fortis.* Iam hoc omnibus clarum est, quia qui Deus est, & fortis, & auctor fortitudinis, & Dominus virtutum est. Sed quid post? *Pater futuri sæculi.* Quis loquitur? Propheta. Ubi loquitur? Utique in hac vita, utique in hoc sæculo. H Quid est ergo quod dicit, *Pater futuri sæculi?* Plane non hujus, in quo vivebat, in quo loquebatur: Nam illud sæculum præsens erat: Ergo de alio, non de præsenti sæculo dicit, *Pater futuri sæculi.* Et quod illud sæculum? Certe mortalibus invisibile, certe sempiternum. Et illius sæculi quis pater esse potest, nisi Deus? Cum enim nec hujus visibilis & transitorii sæculi aliquis recte dici possit pater, nisi Deus: longe minus illius invisibilis & æterni quisquam dici pater potest, nisi tantum Deus. Necesse est igitur, ut qui pater futuri sæculi dicitur, Deus quoque esse credatur. Quod si forte Iudaïca versutia, parvulum illum, illius sæculi dictum patrem dixeritis; in quo, quia regnaturus erat,

pater

A pater eius dictus est. Quod quia nondum erat, utique futurum erat: nec sic valebit, nec sic stare poterit Iudaicus sensus. Intellectum enim hunc præcedentia protius destruunt. Hoc quomodo? quia Deus vocatur. Nullum autem terrenum Regem, nullum temporalem Principem, Deum esse potuisse vel posse, & ipsi fatemini. Vnde etiam iuxta intellectum vestrum sequitur, quod qui Deus dictus est, rex temporalis vel princeps huius sæculi, a propheta dictus non est. Hoc si verum est, *pater futuri seculi*, de hoc instanti seculo dictum non est. *Princeps pacis.* Nec istud nisi de Deo accipi potest. Nam amator pacis, amicus pacis, sectator pacis, filius pacis, & his similia: homo quilibet dici potest. Princeps vero pacis, pater pacis, auctor pacis, non nisi Deus accipi potest. Revolvite paginas sacras, & si non fallor, non nisi Deo nomina

B hæc adaptari videbitis. Hoc quia verum est, non nisi Deus, a propheta Princeps pacis dictus est. Ille plane, ille certe Princeps pacis dictus est, qui sic paci principabatur, ut eam suam diceret: ut illam velut propriam suis discipulis, iam iamque passurus ac moriturus, donaret, dicens, *Pacem meam do vobis, pacem meam*

Ioan.14. *relinquo vobis.* Hic, inquam, vere Princeps pacis est, qui etiam postquam à mortuis resurrexit, discipulis apparens, hoc eodem pacis nomine, prima voce solemniter

Ioan.20. usus est, dicens, *Pax vobis.* Nec latet nos, quod vos forte ignoratis, Septuaginta interpretes, quos vester Iosephus refert, à pontifice Eleazaro ad transferendas de lingua Hebraica in Græcam scripturas sacras, Ptolemæo regi Ægyptiorum directos: sex ista tam sublimia nati parvuli nomina reticuisse, & pro illis, magni consilij Angelum transtulisse. Sed fecerunt illi hoc, vt auctores tam vestri, quam nostri referunt, ne Regi iam unum Deum colenti scandalum facerent: neve illum, qui noviter cultum idolorum abiecerat, rursum obiecta hominis Christi deitate, dum tanti mysterij altitu-

C dinem penetrare non posset, non tam erudirent, quam perturbarent. Sed hoc, sive alio animo, hoc illi fecerint, quid ad vos? Si non habent nomina illa Græci libri, habent Hebraici. Si non habet ea Græcus, habet Hebræus. Relegite Esaiam, scrutamini verba ista, & non verbis meis, sed literis vestris credite, non libris alienis, sed propriis adquiescite. His præmissis, procedite ad sequentia. *Multiplicabitur eius imperium.* Cuius imperium? Parvuli supra dicti. Quid sequitur? *Et pacis non erit finis.* Et hic figite gressum, Iudæi. Quod est hoc imperium, quod ita multiplicandum scribitur, vt pacis eius non sit finis? Quis est parvulus iste, quis est filius iste: cuius imperium non solum prolixum, non solum diuturnum dicitur, sed insuper æternum esse prædicatur? Hunc si potestis nodum solvite, huius quæstionis vinculum expedite. Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis. Et quod est, vel cuius est tanti imperij solium? *Super solium*, inquit, *David, & super regnum eius.* Percurrite, nume-

D rate universos Reges de stirpe David, ab ipso David vel Salomone filio eius, usque ad ultimos prolis Davidicæ reges. Ioachim dico, vel Sedechiam, quorum

4.Reg.24. 4.Re.25. primus regno deposito, sponte se Babylonijs tradidit. Alter vi bellica ab eis captus, erutis oculis, in Babylonem captivus ductus est. Videte, utrum alicui ex illis scriptura hæc conveniat. Non utique ut cernitis, ut perspicuum est, alicui ex ipsis congruit. Nec ipsi bono regi Iosiæ, cui quidam ex vestris, ut olim audivi, sacra ista verba, quæ præmissa sunt, somniantes appli-

4.Reg.23. care contendunt. Sed nunquid Iosias Deus? Nunquid Princeps pacis? Nonne pacem regni eius, citissimus finis sequutus est? Nonne & ipso brevissimo tempore regnans, in campo Magedo, à rege Ægyptiorum Nechao interfectus est. Nonne eo interfecto, cum vita eius & pax imperij eius finita est? Nam paucis annis elapsis, secuta est urbis vestræ vastitas, templi Dei exustio, Iudæorum captivitas & in Babylonem transmigratio. Falsissimũ est ergo & stolidissimum, hæc prophetica verba super Iosia exponi. Ridiculum pror-

E sus est, nec humanis auribus tolerandum, vel de Iosia, vel de quolibet Iudæorum, vel aliquarum gentium rege: ista quæ non nisi Deo, & Deo Christo adaptari possunt, sentire. *Super solium*, inquit, *David, & super regnum eius.* Quid ad ultimum? Vt confirmet illud, & corroboret in iudicio & iustitia: amodo & usque in sempiternum. Et ista, cui, nisi Deo: cui, inquam, nisi Deo congruunt? Quis certe alicuius regni solium confirmare, quis corroborare potest in iudicio & iustitia usque in sempiternum? Nunquid homo? Sed nunquid ille, qui æternus non est, regni sui solium confirmare in sempiternum potest? Nonne clarum, nonne perspicuum etiam cæcis est, non posse aliquid in sempiternum confirmari ab aliquo, nisi à sempiterno? Quia ergo his obviari non potest, quia tam lucidæ veritati nec Iudæus, nec Ethnicus, nec Satan quilibet

F contraire prævalet: certum est, quia parvulus tot divinis vocibus designatus Deus, non alius quam Christus noster est. Vnde constat, quod Christus, verus & sempiternus Deus est. Aut enim dabis mihi alium parvulum, dabis alium filium, de quo hæc omnia accipi possint: aut si non potes, quod vere non potes, parvulum istum, filium illum, super quo tot divina scribuntur, nullum alium necessario sentire cogeris, quam Christum Dominum nostrum. Qui more humanæ ætatis parvulus, more nascendi, sed hoc admirabili & unico, Virginis filius secundum deitatis naturam, assumptæ humanitati perpetuo unitam, admirabilis est, consiliarius est, Deus est, fortis est, Princeps pacis est, Pater futuri seculi est. Cuius imperium, infinito universarum gentium numero assidue multiplicatur, cuius regni pax nunquam finitur, cuius solium non multis solum annis, ut mortalium regum, sed ut Regis æterni, in sempiternum confirmatur ac roboratur. Sed novi, Iudæe, quia tot tantisque auctoritatibus pressus, vinci potes, obrui potes, credere adhuc

G fortasse non potes. Quare hoc? Quia hominem Deum credere confunderis, hominem Deum confiteri erubescis. Vilescit in corde tuo conditio humanæ naturæ, indignam eam æstimas nomine vel honore maiestatis divinæ. Contemplaris huius humilitatem, intueris illius sublimitatem. Videntur tibi, non posse congruere tam alta, tam humilibus, tam sublimia, tam abiectis: hoc est, humana divinis. Hæc certe tota causa est, qua incredulus permanes, qua Deo resistis, qua nec ipsis scripturis tuis, Christum esse Deum toties & toties profitentibus, credis. Et putas, ô insipiens, quod cogitatio sublimitatis divinæ & humilitatis humanæ, Christianam sapientiam fugerit? Vere, inquam, ad tam sublime & ineffabile Dei opus, Christianus obstupescit: nec tam singulare deitatis miraculum admirari sufficit. Sed aliud est, mirari & credere: aliud est, mirari & contemnere. Miratur Christianus, & illuminatur: miratur Iudæus & execratur. Miratur Christianus & de solitario miraculo Deum singulariter

H laudat: miratur Iudæus, & blasphemat. Non sequitur in admiratione tantæ rei, Prophetarum suorum cautelam, qui & futura scientes, & prædicentes, non ea spernebant: sed admirando & prædicando, etiam ad illa pavebant. Cuiusdam ex ipsis verba sunt hæc. *Domine audivi auditum tuum, & timui. consideravi opera* Abac.3.

*tua, & expavi.* Quid timuit? quid expavit? Audi. *Domine opus tuum.* Quod opus? Fortassis fabricam mundi. Sed huic opinioni, contradicunt verba sequentia. *In medio*, inquit, *annorum vivifica illud.* Et certe cœli & terræ opus, sive illorum quæ infra sunt, iam ab antiquo facta fuerant, iam iuxta partium congruentem differentiam vivificata erant. Est igitur aliud opus, quod hic timet, quod expavescit, quod in medio annorum vivificari rogat. Nec solum vivificari rogat, sed etiam notificandum esse prædicit, cum subdit. *In medio annorum notum facies.* Quære, Iudæe, quod possit esse hoc opus quod Abacuk propheta miratur, & quod tantopere impleri precatur. Certe universa apud Iudæos olim facta miracula vel mirabilia opera Prophetam

A istum precesserant. Nec aliqua ex illis, quæ in Canone vestro legentes, admirari soletis, residua erant. Aut igitur opus aliud tam mirabile, pro quo adeo Propheta sollicitari debuerit, impletum, vel implendum ostende: aut si non vales, opus tam timendum, tam optabile, in Dei filio, quando pro salute hominum hominis naturam assumpsit, consummatum agnosce. Hoc opus, quia cunctis operibus Dei excellentius esse vidit, & admiratus est, & extimuit. Et ne putaretur nolendo vel refugiendo timuisse, etiam impleri rogavit. Hoc est plane opus, quod & alienum esse à Deo, & tamen Deum ipsum opus operaturum, secretorum Dei frequentior reserator Esaias non tacet. *Vt faciat opus suum*, inquit, *alienum opus eius*. (Esa. 28) Vt operetur opus suum, peregrinum est opus ab eo. Nam quod opus Dei adeo alienum fuit à Deo, quantum illud, quo personaliter homo iunctus est Deo? Nam quod cœlum, terra, mare, & quæ infra continentur, creata sunt ab ipso: non fuit alienum opus à Deo. Quod miracula B minora vel maxima, quolibet tempore facta sunt ab ipso: non fuit alienum opus ab eo. Quia verò homo infimus summo iunctus est Deo: tunc verè, tunc solùm opus illud alienum fuit ab eo. Hoc est & illud opus, de quo Hier. (Hier. 31) *Quousque deliciis dissolueris, filia vaga? Faciet Dominus novum super terram*. Quod novum? Quid enim novum super terram? Ait enim Salomon. (Eccl. 1) *Nihil novum super terram, nec valet quisquam dicere, Ecce hoc recens est*. Quod ergo est hoc novum? *Mulier*, ait, *circundabit virum*. Hoc si potes, Iudæe, Iudaicè expone. Quo enim modo potest mulier circundare virum ut novum sit? Si enim manibus vel brachiis, hoc novum non est. Si infantem, quem gestat utero, circumdare dicitur corpore materno: nec hoc novum C est. Quolibet modo circundare posse dicatur femina virum prorsus novum non est. Necesse est tamen, ut vides, si verba prophetica conservantur, aliquam fœminam sic virum circundare, ut novum esse possit. Quod quia in usu humano invenire non prævales, ad divina te oportet confugere. Oportet te, inquam, ad divina confugere, & eum quem virgo de solo Spiritu Dei concipiens Emanuel, quem Latinus, Nobiscum Deus vocat, id est, Deum factum hominem, virgineo utero circundans portavit, mecum pariter confiteri. Ad quid ista? Vt videns Christianos, cernens ipsos Prophetas Dei, hoc singulare opus Dei, quo Deus propter homines homo fieri dignatus est, ob sui celsitudinem timere, admirari, venerari: desinas esse incredulus, cesses esse blasphemus. Nec retrahat te à fide, nec revocet à spe salutis tuæ, quod res magna est, quod supra te est, quod ineffabilis & incogitabilis est. Nam sicut à Prophetis tuis audis, alienum quidem fuit opus à Deo, quantum ad diversitatem naturarum pertinet, Deum hominem fieri: sed non fuit alienum misereri. Quod D enim Deus hominem in se suscipiendo, hominis misereri deberet, addit verbis supra scriptis iam dictus Propheta. Dicens enim, *In medio annorum notum facies*, adiunxit, *Cum iratus fueris misericordia recordaberis*. Cur ergo tibi usque ad incredulitatem mirum est, si Deus per hominem, quem suscepit, hominis misertus est? Vide ac recogita, quod hoc opus Dei, tam alienum, tam peregrinum ab eo non retraxit magnos illos homines Dei à fide, non coëgit ad blasphemiam: sed sustulit in admirationem, commovit ad devotionem. Sentiebant illi, de maiore gratia magis Deum diligendum, magis glorificandum. Noverant non inde homines scandalizari debere, unde magis obnoxij sunt, non inde ad iniurias debere prorumpere, unde magis debitores sunt. Quid enim deerat laudi divinæ, nisi assumptio humilitatis humanæ? Quod enim celsus, quod maximus; quod omnipotens esset, certum erat: quod humilis homo fieri dignaretur, nemo præter magnos illos credebat. Quis enim hoc cogitare, quis suspicari posset, quod tantus tantillum, quod maximus parvum, quod æternus mortalem, quod maiestas immensa vermem (ut sic loquar) humanum in seipso susciperet, & in Deum proveheret? Hoc opus eius, quia est E super omnia opera eius, non ad irritandum, non ad blasphemandum, sed ad ipsum inde sublimius admirandum, laudandum, glorificandum, te debuit trahere, præ cunctis operibus eius.

Hoc plane opus eius, ut dictum est, Iudæe, licet inter omnia opera eius excellens & præcipuum sit: mirum est, quod te ad tam obstinatam incredulitatem commovit. Cur enim ad scandalum commovet hominem, quia Deus hominibus loqui voluit per hominem? Relege Exodum, & de rubo, vel flamma rubi (Exod. 3) invenies Deum Moysi collocutum. Revolve & consequentes libros, ac de aureo propitiatorio, quod erat inter duo Cherubin, reperies ipsum consulentibus sæpe responsa reddentem. Nec mente excidat, quod per aëria Angelorum corpora frequenter Deus patribus apparuerit, frequenter etiam loquutus sit. Sed nec rubus, nec flamma eius, nec aurea illa Propitiatorij tabula, nec corpus aërium, ad momentum F ab Angelis sumptum, homini paria sunt. Excellit homo, ut nosti, tam his quam cunctis terrestribus creaturis: nec ille, cuius causa illa facta sunt, & cui à Deo omnia subiecta sunt, inferior vel par ipsis, modo quolibet fieri potest. Quod si minor, nec par est, utique maior est. Credis ergo de minori vel per minorem creaturam, Deum hominibus loqui potuisse: & non credis per maiorem eisdem hominibus loqui voluisse? Si de rubo, si de propitiatorio, si de aëre insensibili, mortalibus responsa dedisse creditur: cur per assumptam rationabilem animam & carnem sensibilem mortalibus loquutus fuisse negatur? Et quamvis corpora illa, de quibus vel per quæ loquutus est, non eo modo ut hominem assumpserit, non sibi ut naturam humanam in æternum unierit, non ea ut hominem G assumptum deificarit: tamen qui de rubo, vel Propitiatorio auditus est, qui per aërium corpus loquutus est, ipse per terrenum, sensibile, & animatum corpus hominibus apparuit, hominibus corporali, & audibili voce insonuit. Esto ergo iam, Iudæe, Iudæus, non perfida obstinatione, sed veraci confessione: ut qui fateris Deum de inferioribus, aut per inferiores creaturas, tuis loquutum Patribus: confitearis eundem per assumptam maiorem, hoc est humanam naturam, & apparuisse, & loquutum esse hominibus. Sed fortassis adhuc scandalum pateris, & ne Deum sordibus humani corporis involui vel pollui sentire cogaris, incarnatum, seu de virgine natum, confiteri refugis. Vereris, ne si confessus fueris incarnatum, confiteri quoque compellaris suscepta carne pollutum, & vel corporalibus, ut dictum est, vel spiritualibus peccati sordibus inquinatum. Times insuper blasphemus videri, si Deum laborasse, si esurisse, si sitisse, si flevisse, si tandem passum, si mortuum, si sepultum fuisse senseris, H si credideris, si professus fueris. Sed stultus est hic timor tuus, inanis prorsus est hæc formido vel suspicio tua. Non ita, non ita, Iudæe, cæcus est Christianus oculus, non sic desipit Christiana sapientia: ut vel carnis humanæ sordibus: vel animæ humanæ sceleribus: incontaminabilem credat inquinari, impassibilem pati, immortalem mori: vel communi universorum more, eum qui omnium est mortuorum resurrectio, iuxta quod æstimas, sepeliri. Novit, & communi Christianorum suorum ore fatetur, Deum, quantum ad divinam maiestatem spectat, nec carnis fæcibus inquinari, nec humanis peccatis pollui, nec pœnis vel miseriis condemnatæ naturæ posse affligi. Et ut hoc tibi aliqua ex rebus visibilibus similitudine tracta clarius ostendam, nunquid lux ipsa siderum, vel diurna Solis, vel nocturna Lunæ, aut nubibus oppositis adumbrata, aut liberis radiis serenata: cum quælibet etiam valde sordida vel sordentia loca illustrat, inquinari potest? Nunquid si millies, gladiis vel securibus vehementi annisu per inane actis, feriri vel scindi videatur, lædi aut vulnerari potest? Nunquid vel attactu rei sordidæ sordere, vel qualibet ferri sectione dolere potest? Tali modo,

Deitatis

A Deitatis essentiam nunquam & nusquam inquinari, numquam & nusquam vulnerari, nunquam & nusquam quippiam tormenti vel doloris posse pati, Christianus & corde credit ad iustitiam, & ore confitetur ad salutem. (Rom. 10.) Inde est, quod cum filium humanam carnem adiuncta anima, ex virgineo utero assumentem, ac postmodum in ipsa humana substantia inter homines conversantem, non solum quibuslibet carnis vel spiritus sordibus, non potuisse pollui praedicat: sed & ipsam quam assumpsit naturam, & eam de qua illam assumpsit Virginem, ab omni prorsus faece peccati emundasse confirmat. Inde est, quod nec cum esuriente carne Deum esurisse, nec cum sitiente sitisse, nec cum flente flevisse, nec cum patiente passum, nec cum moriente mortuum, nec cum sepulta sepultum: non quantum ad unius personae ex diversis substantiis unitatem, sed quantum ad uniuscuiusque substantiae proprietatem pertinet, intelligit & fatetur. B Remove ergo, Iudaee, stultitiae scandalum de corde tuo, separa bestialem intellectum à mente tua: quia non obsistit verae Christi Deitati vera carnis humanae susceptio: quia non inquinatur, non patitur, non humiliatur Deus propter assumptum hominem: sed mundatur, glorificatur, & exaltatur homo propter se assumentem, immo deificantem Deum. Et quidem illa, quae praemissa sunt, quod Christus verus Deus sit, omni homini, praeter saxeum, sufficere possunt. Attamen, ut plurimo sententiarum aggere nefandum serpentis caput non solum conteratur, sed etiam sepeliatur, accedat & Michaeas, & quid de Christi Deitate sentiat, dicat. Non timuit ille impium regem Achab, nec timore eius, vel gratia veritatem reticuit. Faciat nunc idipsum contra impios Iudaeos, nec lapides illos, quibus lapidei homines Prophetas Dei solent obruere, C reformidet. *Et tu*, inquit, *Bethleem Ephrata, num parvula es in millibus Iuda? Ex te mihi egredietur, qui sit Dominator in Israel.* (Mich. 5.) Ecce sancte Propheta dicis, ex Bethleem egressurum, hoc est, in Bethleem nasciturum, atque inde processurum Dominatorem Israël. Sed Dominatores Israël multi fuerunt, multi & adhuc esse possunt. Exprime hoc apertius & distinguo hunc Dominatorem Israël à caeteris Dominatoribus Israël. *Et egressus*, inquit, *ab initio, à diebus aeternitatis.* Quid agitis Iudaei? Quem ex omnibus regibus vestris, quem ex universis Dominatoribus Israël invenire poteritis, cuius egressus esse potuerit ab initio, à diebus aeternitatis? Cuius enim egressus dici potest ab initio, nisi Dei? cuius dies aeternitatis dici possunt, nisi Dei? Illius absque dubio egressus ab initio, illius processus à diebus aeternitatis est: cuius nativitatis & in Bethleem de matre virgine temporalis, & de patre Deo ante omnem creaturam exortus extitit sempiternus. Illius plane egressus, à diebus aeternitatis est, qui sub nomine Sapientiae loquitur in libro Sapientiae. (Prov. 8.) D *Ab aeterno ordinata sum, & ex antiquo antequam terra fieret. Nondum erant abyssi, & ego iam concepta eram. Necdum fontes aquarum eruperant, necdum montes gravi mole constiterant. Ante colles ego parturiebar. Adhuc terram non fecerat, & flumina, & cardines orbis terrae.* Huius ergo Sapientiae, huius filii Dei, qui secundum carnem in Bethleem natus est, secundum Deitatem egressio à patre ab initio, à diebus aeternitatis est. Quod si quemlibet, ô Iudaei, alium, de quo ista dici possunt, habetis, proferte. Sed non habetis. Ergo si Prophetae vestro creditis, illum vos necesse est suscipere. Post istum, ille qui ad tempus visus fuerat cecidisse, manu fortis David redeat: & cui nunquam ullus inimicorum resistere potuit, iam sibi inimicos factos Iudaeos debellet. Cessit & periit lapide eius ictus Philisthaeus: cedat & pereat iactu sacrorum verborum eius, peior Philisthaeo hostis Iudaeus. *Deus*, inquit, *iudicium tuum Regi da, & iustitiam tuam filio Regis.* (Ps. 71.) Quis loquitur, Iudaei? Respondetis, David. Cui loquitur? Deo. De quo loquitur? De Rege ac filio Regis. Et quis est iste qui & Rex est, & filius Regis? Respondetis, Salomon. Et additis, Hoc indicat Psalmi, quem proponis, titulus, qui talis est: *Psalmus David in Salomonem.* Ergo secundum vos, de Salomone filio suo loquitur David in hoc Psalmo. Videamus igitur si omnia Psalmi huius Salomoni congruat. Et ut intermittam aliqua, quae Iudaica interpretatione, Salomoni aliquo modo coaptari posse videntur, Respondete. *Et permanebit cum Sole & ante Lunam in generationes generationum*, Salomoni quo sensu adaptabitis? Quomodo permanere potuit cum Sole, qui non nisi quadraginta annis regnavit? Nonne quotidie Solem in coelo cernitis? Nonne Salomonem ante duo millia annorum defecisse agnoscitis? Aperite, aperite oculos, &, ut dixi, aspicite Solem in coelo, recolite, Salomonem positum in sepulcro. Quomodo igitur Salomon permansit, vel permanere potuit cum Sole? Attendite, *& ante Lunam*. Et hoc nonne longe absurdius? Nonne Luna non tantum ante Salomonem, sed & ante omnem hominem creata est? Nonne ille Salomon filius David, non solum post patrem, sed & post multas mortalium generationes natus est? Quomodo ergo permansit vel permanet cum Sole, quomodo permansit vel permanet ante Lunam, in generationes generationum? Sole, ut dictum est, adhuc permanente, ante plurima tempora mortuus est, & Luna iam existente, post multa secula natus est. Sed tam claris diu immorandum non est. Percurrite Psalmum, & versu interposito legite. *Orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis.* Sed hoc utcunque iuxta vos stare potest. Sed quomodo stabit quod sequitur, *donec auferatur Luna*? Nonne adhuc Luna permanet, & abundantia, quae tempore Salomonis in regno tanto Iudaeorum fuerat, eo mortuo cum eo extincta est? Quod utrum verum sit, audite. Audite scripturam vestram, in medio Regum libro loquentem. *In quinto*, inquit, *anno regni Abraham, ascendit Sesac rex Aegypti in Hierusalem, & tulit thesauros domus Domini, & thesauros regios, & universa diripuit. Scuta quoque aurea quae fecerat Salomon: pro quibus fecit rex Roboam scuta aerea.* (3. Reg. 14) Et ne unum tantum testem de Canone vestro super hoc produxisse videar; relegite Dabreiamin vestrum, & si quid dissimile his, quae praeposui, in eo aemulus oculus vester legerit, mendacii me arguite. Refert iam nominatus uterque liber, in anno quinto regni Roboam abundantiam Salomonicae pacis extinctam. Extinctam, inquam, rege Aegypti Sesac cum mille ducentis curribus & lx. millibus equitum, ac vulgo, cuius non erat numerus, in Iudaeam superveniente: extinctam, eo cum Libyco exercitu Troglodytis & Aethiopibus civitates munitissimas in Iuda capiente, extinctam, vel, ut mitius loquar, interruptam, illo sublatis thesauris domus Domini & domus regis, cunctisque supra scriptis cum opima praeda in regnum proprium concedente. (2. Par. 12) Quod si quinto anno regni Roboam filii Salomonis ista facta sunt, falsum est quod de Psalmis veridicis Salomoni adaptare voluistis. H *Orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis, donec auferatur Luna.* Nam iustitia & ante ipsum ex parte, & post ipsum maxime orta est: & pacis abundantia, quae diebus ipsius blandius Iudaeos demulserat, quinto anno Roboam filii eius extincta est. Taceo discessionem decem tribuum à Roboam. Taceo bella pene continua inter utrumque regnum, quod peccatis Iudaicis promerentibus de simplici duplex factum fuerat, hoc est, Iudae & Israël. (3. Reg. 12) Continua vero vel pene continua ab ipso videlicet Roboam rege Iuda, usque ad Salmanasar regem Assyriorum.

Sub quo ne lis tam diuturna prolixius extenderetur, ipso decem tribus de duodecim Hebraeae stirpis tribubus captivante siccatum est. Haec si vera sunt, quae vera non esse nulla quantalibet illa fuerit Iudaica perversitas negare potest, claret videntibus, perspicuum est & caecis, non esse dictum a spiritu prophetico de illo vestro Salomone. *Orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis.* Et istud quia illi Salomoni

A congruere non posse perspicuum est, legite versum sequentem, *Et dominabitur a mari usque ad mare, & à flumine usque ad terminos orbis terrarum.*

Et quis non videat, hoc ad Salomonem pertinere non posse? A quo mari, usque ad quod mare dominatus est, cuius regnum brevibus Syriæ terminis coartatum est? Quod si dixeritis, a lacu Asphaltico, quod iuxta idioma linguæ vestræ, mare vocatur: quod quantum ad situm Palæstinæ occidentale dicitur, & a nobis Tyrrhenum vel Mediterraneum vocatur, illum regnasse: breviore quam fuerit spatio regnum eius arctabitis. Locus etenim ille in medio Galilææ est: & ipse Salomon à rivo Ægypti, qui ultra lacum illum antiquo dierum spatio interiacente fluit, usque ad maris Mediterranei proxima loca, regnasse dicitur. Non igitur terminus regni eius fuit a mari usque ad mare. B Sed nec a flumine usque ad terminos orbis terrarum. Dicuntur enim termini orbis terrarum, ubi finitur orbis terrarum. Sed universis gentibus notum est, Salomonem illum, non solum dominatum non fuisse usque ad terminos orbis terrarum, sed longe infra brevius terræ spatium regnasse, quam multos reges orbis terrarum. Innumerabiles enim olim Reges fuerunt, qui cum non regnarent super universum orbem terrarum, angustias illius Salomonici regni vicerunt multa amplitudine regnorum suorum. Clarum est ergo cunctis, quia non est dominatus Salomon ille à mari usque ad mare, neque à flumine usque ad terminos orbis terræ. Procedite hinc, & duobus tantum versibus intermissis, tertium legite. *Et adorabunt eum omnes reges omnes gentes servient ei.* Nunquid illi Salomoni? Non, non, non: clamat orbis terrarum. Nam non dico pauci, sed nulli ulpium regum Salomonem adorasse leguntur. Quod omnes gentes ei servierint, nec resistendum est, quia quod non servierint Sole C clarius est. Percurrite Psalmum, & vel legite, vel audite, quod post paucos versus sequitur. *Sit nomen eius benedictum in secula.* Cuius nomen? Iuxta vos, Salomonis. Relegite omnem scripturarum sacrarum seriem, & vix aut nusquam de alicuius hominis nomine hoc vel simile quid dici, *Sit nomen eius benedictum in secula,* invenietis. De solo enim Deo, de solo nomine Dei hoc scriptura dicere consuevit, ut est illud. *Benedictum nomen maiestatis eius in æternum.* Et *nos qui vivimus, benedicimus Domino.* Et, *Benedictus Dominus Deus Israël, qui facit mirabilia solus.* Et his multa similia. Vnde hoc quod dicitur, *Sit nomen eius benedictum in secula,* non de illo Salomone, tantum homine, sed de aliquo plusquam homine accipi necesse est. Hoc lucidè indicat quod sequitur. *Ante Solem permanet nomen eius.* Hoc est. *Sit nomen eius benedictum in secula,* quod est, *Ante Solem permanet nomen eius.* Nunquid Salomonis nomen ante Solem permansit? Nunquid Salomon Solem præcessit? nunquid ante ipsum creatus D est? nunquid ante ipsum nominatus est? Videtis adhuc non solum impium, sed & blasphemum esse, quemlibet ista de Salomone sentire? Nec vos prætereat sequens versiculus. *Et benedicentur in ipso omnes tribus terræ.* In quo? In Salomone? Non decet nos manifestissimis immorari, quod me, quod omni disputatore tacente, falsissimum esse facillimum est comprobari. Quid post? *Omnes gentes magnificabunt eum.* Quem? Salomonem? Nec hic tempus occupandum est, quod nec esse, nec fuisse, universis notum est. Quærite ergo, ô Iudæi, quærite alium, de quo ista omnia possint intelligi: de quo divinum Psalmum scriptum esse possit aperte probari. Et quem invenire poteritis? Nullum certè, nullum plane, nullum etiam si pennis ad astra volare possetis; quam Christum Dominum nostrum, Deum nostrum velitis, nolitis, etiam Dominum vestrum, Deum vestrum. De ipso ista scribuntur, ista sentiuntur, ista prædicantur. Hoc quomodo? Quia nulli possunt aptari, nisi homini Deo. Non soli homini, nec soli Deo, sed ut dictum est, non separatim, sed simul homini Deo. Nullus autem nisi Christus inveniri potest simul Deus & homo. Sed Psalmi verba suprascripta nulli congruere possunt nisi homini Deo. Non igitur de quolibet alio prolata sunt, nisi de Christo. Et hoc demonstrandum est. *Deus,* inquit, *iudicium tuum Regi da & iustitiam tuam filio Regis.* Qui ergo filius regis est, vobis etiam hoc consentientibus, utique homo est. Et nostri quidem, per Regem & filium Regis, Christum nostrum intelligũt: qui in quantum filius dicitur, Dei Patris unicus est: in quantum iudicium & iustitiam à Deo accepit, hominis filius est. Sed cedo ad præsens intellectui vestro, & de filio David hoc scriptum esse concedo. Nam si de filio David hoc dictum est, utique de homine hoc dictum est. Sed quod nec de Salomone, nec de aliquo filiorum David, qui ei in regno temporaliter successerunt, sequentia Psalmi, quæ præmissa sunt, intelligi possint, iam probatum est. Vnde necesse est aliquem inveniri, F qui iuxta hunc vestrum intellectum, quo Psalmi huius primum versum exponitis, David filius sit: & de quo non pars Psalmi, sed integer Psalmus possit exponi. Sed nolite laborare, nolite frustra cor vestrum diverticula falsa quærendo augere. Est Christus noster, est inquam solus Christus noster secundum carnem filius David, hoc est, de stirpe David. Sic enim & vos vocatis filios, non solum eos qui à patribus suis geniti sunt, sed & illos qui post plurimas successiones de ipsorum progenie exorti sunt. Hoc ergo modo Christus David, sive hominis filius est, & de ipso secundum hominem iam dictus versiculus scriptus est. Sunt & alia quædam, quæ iuxta hoc quod homo est, in eiusdem Psalmi serie scripta sunt. Quæ quoniam Salomoni, ut supradixi, adaptare conamini, excludunt vos, repellunt vos ab hoc sensu testimonia iam prolata. Et, quia de quolibet tantum homine accipi nequeant, de Christo homine ac Deo ista vos accipere cogunt. Nam vere in quantum Deus est, *permanet cum Sole,* quia nullus ei G finis est. Permanet *& ante Lunam,* quia & omnem creaturam præcedit, & nihil eo prius est. *Orta est in diebus eius iustitia,* quæ omnes in se credentes iustificat: & *abundantia pacis,* quæ pacis filios futuræ paci sociat: & hoc *donec auferetur Luna,* id est, donec finiatur humana mutabilitas, & succedat beatæ pacis æternitas. *Dominatur à mari usque ad mare,* quia infra orbem Oceani, quo tota terra cingitur, non solum per Deitatis potentiam, sed & per fidem Christianam, aut ex toto, aut ex parte, in omnibus linguis & gentibus dominatur. Hoc ipsi cernitis, hoc ipsis oculis & auribus comprobatis, & à flumine, utique alio nullo quam Iordanis, à quo suum baptismum inchoans & in universas gentes diffundens, pervenit dominando, usque ad ultimos terminos orbis terræ, *Adorant eum omnes reges terræ,* qui aut ex maxima parte, synecdochicè omnes intelligentur: aut quia etiam ipsi Ethnicorum reges, eum ut omnium, post Deum, maximum venerantur. *Omnes gen-* H *tes serviunt ei,* quia præter vos, qui ab hoc nomine gentium à Propheta exclusi estis, omnes gentes aut universaliter, aut particulariter in ipsum credunt, ipsi serviunt, ipsi obsequuntur. *Et nomen eius benedictum in secula,* ut Dei, ut Redemptoris, ut Salvatoris: quod & ipsi ab omni lingua quotidie frequentari, continue benedici, assidue celebrari auditis. *Ante Solem permanet nomen eius,* quia omne creatum absque aliquo principio antecedit nomen Deitatis & maiestatis eius. *Benedicentur in ipso omnes tribus terræ,* quia quæ usque ad ipsum Christum primi parentis maledicto subiacebant, per ipsum benedici & salvari meruerunt. *Omnes gentes magnificant eum,* omnes utique, omnes pro certo, magnificant eum, omnes omnino, præter Iudæum. Qui quoniam de numero istarum gentium non est, & à benedictione omnium tribuum terræ exclusus est, & ne cum omnibus gentibus ipsum magnificare mereatur, repulsus est. Quia igitur hæc aliter accipi nequeunt, quia verax scriptura, non nisi hoc sensu stare potest: necesse est vos, ô Iudæi, linguam blasphemam mutare, necesse est tot tantisque auctoritatibus pressos, Christum non solum hominem,

sed

A sed & Deum verum à modo confiteri. An non sufficiunt tot tantaque, ut Christum nostrum confiteamini Dei filium, confiteamini & Deum? Superfluum iam videri posset, plurima quæ restant, de Lege aut Prophetis, adhuc exempla proferre. Quod si vestra vel vobis viluerunt, vel magis aliena testimonia placent, audite & de medio gentium prophetantem Sibyllam, ut etiam per os gentilis feminæ Spiritus Dei conterat inimicos Dei. Solet hic idem Spiritus Dei hoc aliquando facere, & lingua gentili prophetica vel divina proferre. Fecit hoc per Iob iustum, non Iudæum, sed Idumæum. Fecit & per impium Balaam: qui inter alia, quæ prædixit futura, etiam solemnem & notam de Christo protulit prophetiam. Videbo eum, inquit, sed non modo; intuebor illum, sed non prope. *Orietur stella ex Iacob, & exurget virga*
Num. 14. *de Isra l.* Et post quædam. *Heu quis victurus est, quando ista faciet Deus?* Quid ergo de Christo dixit
B Sibylla? Quale Christi Deitati testimonium præbuit? Audite, & mulieri falsorum Deorum nomina execranti, Christique Deitatem tam constanter & aperte fatenti, credite. De Christi enim passione inter plurima, quæ prophetice dixerat, loquens, hæc ait. In manus infid lium postea veniet. Dabunt autem Deo alapas manibus incestis, & impurato ore exspuent venenata sputa. Dabit vero ad verbera simpliciter sanctum dorsum, & colaphos accipiens tacebit: ne quis agnoscat quod verbum vel unde venit, ut inferis loquatur, & corona spinea coronetur. Ad cibum autem fel, & ad sitim acetum dederunt. Inhospitalitatis hanc monstrabunt mensam. Ipsa enim insipiens, Deum tuum non intellexisti, ludentem mortalium mentibus: sed spinis coronasti, & horridum fel miscuisti. Templi vero velum scindetur, & medio die nox erit tenebrosa nimis in tribus horis, & morte mo-
C rietur, tribus diebus somno suscepto: & tunc ab inferis regressus; ad lucem veniat primus, resurrectionis principio revocatis ostenso. Hæc Sibylla dixit de Christo, multo ante Christum tempore. Cuius verba suscipienda non esse, dicere non poteritis, quia licet carnis propaginem, non traxerit à populo Dei, eadem tamen sensit, & professa est, quæ continet & fatetur lex Dei. Audebitis ergo, gens misera, deinceps Christum negare Deum, cum audiatis & per Prophetas vestros, & per Gentilium ora, non Idola, sed unum Deum colentium: tam aperte, tam lucide, tam præclare, nec semel tantum, sed millies vocari Deum? Iam natum & cœlo ac terræ imperantem, negabitis Deum: cum necdum natum, cum ante multa secula, tot veraces testes, totiens & totiens fateantur Deum? Negabitis Deum, quem & in Evangelio Christianorum, & in templis prophanis Paganorum: ipsi quoque dæmones, quibus iam deteriores facti estis, vi divina fatebantur Deum?

D

## CAPVT III.

*Quod Christus non sicut Iudæi putant, temporalis rex, sed æternus sit & cœlestis.*

SEd quia iam de his satis esse potest, tertio suprafatæ divisionis loco, adversus alium stultissimi erroris vestri spiritum, sapientiæ divinæ sermo procedat, & quantum in hac parte desipiatis, ostendat. Etenim quia Christum à Prophetis regem vocari auditis, quia regnum eius in scripturis legitis; putatis eum temporalem regem futurum, & more David, Salomonis, seu aliorum regum, in Hierusalem, Iudæa, vel Galilæa temporaliter regnaturum. Somniatis eum super terrenum solium David sessurum, gentibus omnibus, aut pene omnibus imperaturum, Iudæos a tanta tamque diutina captivitate liberaturum, de universis eos locis aut nationibus revocaturum; & undique congregatos ad illam vestram, cui soli semper bruti homines
E suspiratis, antiquæ repromissionis terram reducturum. Proponitis inde vobis innumera scripturarum exempla, & quicquid in eis de talibus longe alio intellectu dictum est, depravato sensu, ac terrenarum rerum amore sepulto, ad id, quod solum desiderare continuistis, bestialiter retorquetis. Pascitis interiores animas vestras inani spe, & dum pertinaciter terrenis bonis & pereuntibus inhiatis, cœlestia & æterna, quæ incessanter cunctis præter vos gentibus a Christo assidue & promittuntur & dantur, abiicitis. Rapiunt alij quotidie regnum cœlorum, vos faces solummodo carnales, semper eruditi amare, frustra præstolamini regnum terrarum. Inde est quod ea, quæ de æterno Christi regno propheticis vocibus prædicta sunt, huic vanæ spei vestræ coaptare conamini, ut illud Hieremiæ, *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & suscitabo David germen iustum & regnabit rex, & sapiens erit, & faciet iudicium & iustitiam in terra.* Et de reducenda captivitate vestra, post pauca. *Et non dicent ultra, Vi-*
F *uit Dominus qui eduxit filios Israel de terra Ægypti: sed, Viuit Dominus qui eduxit & adduxit semen domus Israel de terra aquilonis, & de cunctis locis in quibus dispersi erant, & habitabunt in terra sua.* Hæc quidem de Hieremia proponitis. Sed & simile quiddam de Ezechiele proponere potestis, *Ecce ego, dicit Dominus, assumam filios Israel de medio nationum ad quas abierunt & congregabo eos undique, & adducam eos ad humum suam. Et faciam eos in gentem unam in terra, in montibus Israël, & rex unus erit omnibus imperans.* Et infra. *Et saluos eos faciam de universis sordibus suis in quibus peccaverunt, & mundabo eos. Et erunt mihi populus, & ego ero illis Deus, & servus meus David rex super eos: & Pastor erit unus omnium eorum.* Sunt & alia plura similia istis, quæ sicut splendore suo vos illustrare potue-
G runt, sic culpis vestris hoc promerentibus, carnales oculos vestros lumen spirituale non ferentes excæcaverunt. Quamdiu igitur, ô Iudæi, hic brutus intellectus cordibus vestris insederit, nec scripturas Dei videre, nec Christum agnoscere, nec a falsitate averti, nec ad veritatem converti, conatu aliquo poteritis. Abiicite ergo, si mihi creditis, sensum, cum quo semper non sensati, sed insensati apparebitis: & sumite intellectum, quo veritatem agnoscere, quo Christum suscipere, quo regem & regnum, non quale sentitis, sed quale sentiunt scripturæ, mereamini adipisci. Hoc si non vultis, sed in insania solita permanere decernitis, & magis scripturas sensui vestro applicare, quam sensum vestrum scripturis inclinare disponitis, audite eas vobis resistentes, & perverso intellectui vestro contraria proponentes. Ac primum quicumque es inter prophanos hos acerrimus disputator, procede, exere vires, & Deo loquenti, si potes, repugna. Vis certe Christum carnalem regem, Christi regnum præstolaris terrenum. Responde ergo Deo, per Prophetam loquenti. *Dicite filiæ Sion. Ecce rex tuus venit tibi mansuetus.*
H Quis est rex iste? Forte David, forte Salomon, forte aliquis præteritorum regum Iuda vel Israel. Sed non potes, ô Iudæe, hoc dicere. Quare? Quia hoc prohibet tempus Prophetæ. Et quis est hic Propheta? Zacharias. Et quo tempore fuit hic Zacharias? Post omnes reges Iuda, post universos præteriti temporis reges Zach. 9
Israel. Nam tempore Darij factum est ad ipsum verbum Domini, sicut narrat series prophetiæ ipsius. Darius vero hic, Chaldaici regni cum Cyro subversor, & captivitatis Iudaicæ, quæ per Nabuchodonosor facta fuerat, dimissor extitit. Omnes autem reges Israel vel Iuda, ante illam Babylonicam captivitatem regnaverunt. Constat igitur, quia de nullo eorum, qui iam & præcesserant, & defecerant, dictum est, *Ecce rex tuus venit tibi mansuetus.*

Quod si mihi Aristobulum quendam opposueris qui longo post Zachariam prophetam tempore, Diadema Iudaici regni sibi imposuit. Respondeo, non hoc de illo sensisse Prophetam, qui contra fas Deique præceptum, cum sacerdotio & regnum invasit. Quod quia eo

A indignus erat, vix anno uno obtinuit. Nec enim poterat diu principari, qui a Deo pro tam illicita re meruit reprobari. Si vero Herodem proponas, nec de illo hoc dictum esse manifestum est. Propheta enim sic loquitur. *Ecce rex tuus venit tibi mansuetus.* Sed Herodem, non Iudæum, sed alienigenam fuisse, non mansuetum, sed immitem, ferocem, crudelem, uxoris, filiorum insuper occisorem extitisse, historico ipsorum Iudæorum Iosepho scribente, certum est. Si vero alios eius filios, Archelaum, Herodem, vel cæteros patrij regni Tetrarchas obiicias: notum est, iam dicto historico referente, Archelaum stultum regem regno pulsum ab Augusto, apud Viennam consenuisse. Herodem vero cum Herodiade sua, à Gaio Augusti tertio successore exilio damnatum, in Hispaniæ partibus, infelicem vitam miserabili morte finisse.
B Notum est & cæteros, qui non toti Iudæorum regno, sed certis partibus principati sunt, vix usque ad excidium Hierusalem, & totius Hierosolymitani regni perdurasse, & tandem Vespasiano & Tito totam illam terram vastantibus, vario exitu interisse. Sed forte, ut etiam novum risum de te toti mundo exhibeas: in illo nostri temporis asinino rege Prophetiam hanc completam dices, qui in Africæ partibus, contra novi nominis regem, videlicet de Merroch, insurrexit. Qui causa nefandæ, hoc est, Mahumeticæ sectæ, illius perditæ gentis infinitam multitudinem sibi adiungens, cum ante plebeius esset, paulatim in mirus pessimo profectu profecit, ac sæpe cum iam dicto rege dimicans, frequenter superior in prælus factus est. Et quoniam primis provectus sui diebus, ut facilius sibi stultum populum simulata humi-
C litate conciliaret, asino insidere solitus erat, asinorum rex vulgo vocatus est. Talem huius famam cum Iudei accepissent, statim in spem animos erexerunt: & plures ex ipsis regem illum suum, quem super asinum ascensurum Propheta iam dictus prædixerat, venisse dixerunt. Quid agis, ô Iudæe? Nonne erubescis? nonne confunderis hæc dicta à tuis? Talis est spes tuorum, tam vana, tam stulta, tam ridiculosa expectatio Iudæorum. Quis digne poterit tantam [illegible] derridere? Execrandi erroris hominem, dolosum, crudelem, non aliquorum hominum tantum, sed multorum populorum occisorem: regem mansuetum, regem mitem, regem benignum, Iudæi interpretati sunt. Cur saltem non attenderunt, quod nec de terra, nec de regno, quod quondam fuerat Iudæorum, nec de ipsa saltem ultima stirpe processerat Iudæorum? Vides certe quam longe proiecti sunt huiusmodi homines à facie Dei, qui tanto cum fastidio [illegible] labore, quæ vera sunt, qui tam leviter sequuntur, quæ falsa sunt. Et quoniam ea solum
D de causa, ut prodigiosos homines ostenderem facerem, hoc inserui, succedant sequentia. Nam, his omnibus exclusis, constat de nullo horum à Deo per Prophetam dictum filiæ Sion, hoc est, Iudæis. *Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam.* Quem vero regem hic promissum accipis, vel accipere potes, nisi Christum? Nam iam dictis regibus exclusis, nullus alter rex superest, de quo ista Prophetam dixisse possit probari, nisi Christus. Unde necesse est invictæ veritati te cedere, & non de quolibet alio rege, sed de Christo, filiæ Sion dictum esse. *Ecce rex tuus venit tibi mansuetus.* Sed ut supra præmissum est, regem vis Christum carnalem, temporalem, more magnorum regum in sublimi solio residentem: purpura, gemmis, auróque renitentem, divitiis exuberantem, hostes sibi armis & viribus subiicientem, latius cunctis Iudæorum, vel gentium gentibus imperantem. Sed non talis rex Christus, non tale à Propheta dicitur regnum Christi. Hoc quomodo? Audi. Mox enim, ut Propheta præmisit. *Ecce rex tuus venit tibi mansuetus*, addidit, *Ipse pauper, & ascendens super asinam, & super pullum filium asinæ.* Attende Iudæe, expergiscere, intellige Prophetam tuum. Quid dicit?

E *Ipse pauper, & ascendens super asinam, & super pullum filium asinæ.* Quis est iste, & rex, & pauper? Quis est iste, & rex, & ascendens super asinam? Quis est iste, & rex, & ascendens super pullum asinæ? Quid regi, & paupertati? Quid regi, & asinæ? Expone, quomodo rex secundum te ditissimus, pauper a Propheta dicatur: quomodo non super superbum, & spumeum equum, sed super asinam & pullum filium asinæ, ascensurus scribatur. Nam equis, vel saltem mulabus, vel burdonibus vehi, regum ac potentum est: asinis vel asinabus, pauperum & egentium est. Dic ergo, loquere, iunge iuxta intellectum tuum regem & pauperiem, abundantiam & penuriam, sublimitatem & vilitatem. Sed non potes. Procede ergo, & lege sequentia. *Disperdam quadrigam ex Ephraim, & equum de Hierusalem, & dissipabitur arcus belli.* Quis est iste Rex tam pauper, ut
F paupertate multa cogatur ascendere super asinam & pullum asinæ? tam pacificus, ut in adventu suo disperdat quadrigam ex Ephraim, & equum de Hierusalem, & dissipet arcum belli? Quem Regem adeo in regno suo florentem, & securum invenire poteris, ut multa pacis securitate quadrigas, & equos abiiciat, & arcum belli, hoc est, omnia bellica instrumenta contemnat? Non est hæc, non est hæc pax alicuius Regis, vel regni terreni. Relege ipsius Salomonis tempora, & invenies eum non solum quadrigas, equos, arma bellica, quæ reperit, de Hierusalem vel Israel non abiecisse, sed potius in immensum modum auxisse. Quod ergo a tam pacifico Rege, in tam pacato regni eius tempore factum non est, aliquando ab aliquo rege terreno posse fieri credendum est: Sed prosequere. *Et loquetur pacem gentibus, & potestas eius à mari usque ad*
G *mare: à fluminibus usque ad fines terræ.* Quid & hic dices: Compara rursum iam dicti regis paupertatem, & hanc quam legis ipsius potestatem. *Pauper*, ait, *iste dominabitur à mari usque ad mare, & à fluminibus usque ad fines terræ.* Et quæ est tam monstruosa paupertas, quod iste pauper dicitur, qui dominatur à mari usque ad mare? Quæ ista tam prodigiosa potestas, ut dominans à mari usque ad mare adeo pauper sit, ut cogatur ascendere super asinam, & pullum filium asinæ? Sed quid totiens replico quæ clarissima sunt? Non est mirum. Iudæo loquor, surdo loquor, saxeo loquor. Aut igitur, Iudæe, inveni mihi regem pauperem, inveni mihi dominantem à mari usque ad mare, & egestate nimia ascendentem super asinam & pullum filium asinæ, quod non potes: aut suscipe Christum nostrum regem, & dominantem à mari usque ad mare, quia Deus omnipotens est, pauperem & ascendentem super asinam & pullum asinæ, quia verus homo est, quod solum potes. Qui cum esset Deus, non tantum homo propter homines, sed propter eosdem, pauper homo factus est. Hoc, quomodo asinam ascenderit, quomodo sedens super eam vel pullum eius, ad filiam
H Sion, hoc est, vestram tunc Hierusalem in proximo passurus venerit, lege Evangelium nostrum, & per illud absque involucris probare poteris, veridicum fuisse Prophetam tuum.

Sed forte more tuo lucem fugiens, tenebras quærens, veritate explicari ab errore nolens, falsitate implico dæmonico, quo ageris, instinctu eligens, dices. Quid me super rege & asina urgere vis? Quid mihi regem & pullum asinæ obiicis? Nonne multi potentes, nonne multi divites, asinis vel asinabus, asinorum vel asinarum pullis vecti leguntur? Nonne liber Iudicum refert Iahir Galaaditem, qui iudicavit Israel viginti & duos annos, habuisse triginta filios sedentes super triginta pullos asinarum? Nonne ex eorundem Iudicum numero legitur Abdon filius Ælel Pharatonites, habuisse quadraginta filios, & triginta ex eis nepotes, ascendentes super 70. pullos asinarum? Nec potes negare filios vel nepotes tantorum Iudicum, qui de toto Israelis populo iudicabant, eique ante reges, regum vice principabantur, divites fuisse, nec inopia compellente, ad iter agendum asinarum pullis visos fuisse.

Iudic. 10.
Iudic. 12.

A fuisse. Hoc si verum est, non valet obiectio tua, qua contra nos agis:non posse ex verbis propheticis quemlibet terrenum accipi Regem, ac simul super pullum asinæ ascendentem. Ad quod ego. Nolo, inquam, conqueri, te super his à me urgeri. Vrgeo, urgeo plane, immo & perurgeo, ut advertas procul esse à sensu prophetico intellectum tuum, quo & regem temporalem quæris, & eum super asinam vel pullum eius ascensurum non diffiteris. Nec tibi suffragari poterunt centum, quos enumerasti, filij vel nepotes Iudicum Israël, quos ad hoc adduxisti, ut & divites fuisse ostenderes, & quia pullis asinarum quo libuit devecti sunt, non esse verum, quod de rege nostro probare intendimus, comprobares. Et novi equidem, nec adeo immemor sum sacræ scripturæ, vel usus humani, multos potentes ac divites vectos esse, vel vehi potuisse asinabus, vel pullis earum. Recordor certe magni patris tui Abrahæ, qui & dives fuisse legitur, & asinum sibi stravisse. B Quod dives fuerit, habemus testem Damascum servum eius, cuius erat cognomen Eliezer. Verba eius sunt loquentis ad Laban, & ad reliquos consanguineos generis Abrahæ. Gen. 24. *Servus*, inquit, *Abraham sum, & Dominus benedixit domino meo valde. Magnificatusque est, & dedit ei oves & boves, argentum & aurum, servos & ancillas, camelos & asinos.* Hæc, inquam, quæ prolata sunt, ostendunt, quod dives fuerit. Quod vero asinum sibi straverit, audi & de eodem, de quo ista sunt, Genesis libro. Gen. 22. Nam quando à Deo immolatione filij fides eius tentata est, legitur. *Igitur Abraham de nocte consurgens, stravit asinum suum; ducens secum duos, iuvenes, & Isaac filium suum.* Noveram hæc antequam de his tecum, Iudæe, agerem. Noveram, & Axam filiam Caleph divitis hominis, asino insidentem suspirasse, ac dixisse patri. Iudic. 1. *Terram australem & arentem dedisti mihi, iunge & irriguam.* Sed nec illa, quæ à te obiecta sunt, nec illa quæ obiectioni tuæ à me adiuncta sunt in aliquo, saltem in modico tibi suffragantur. Obiicis filios Iudicum divites fuisse, & tamen asinabus insedisse. C Addo & ego velut pro parte tua agens Abraham divitem asinum sibi stravisse, divitis hominis filium super asinum resedisse, nec tamen ex propositis te aliquid sensui tuo consonans effecisse. De nullo enim horum legitur, de nullo scribitur, quod rex fuerit, quod pauper extiterit: quod paupertate multa super asinam vel pullum eius ascendere ad iter agendum compulsus fuerit. Aliud est, aliud plane est, si antiquorum divitum quisquam, vel usu temporis, vel fortuito motu animi, qui velut ex adipe divitiarum prodiens, familiaris esse divitibus solet, asino interdum, aut sæpe vehi voluit. Aliud, utrum quilibet antiquorum vel modernorum rex simul & pauper, cogente, ut dictum est, paupertate, talibus vehiculis usus intelligi possit. Quocunque ergo te converteris, non patet exitus. Aut enim fateberis regem, & removebis pauperem: aut si pauperem dixeris, regem nominare non poteris. Quod utrumque, ut veraciter fateri possis, ac cœlestis scripturæ sensui consonare, abiice Iudaicum animum obstrue os blasphemum: & assumpto Christiano intellectu, Christum regem æternum ex Deitate, pauperem hominem ex assumpta pro hominibus humanitate, & corde crede ad iustitiam, & ore confitere ad D salutem.

Sed fiat hinc rursum transitus ad Esaiam. Audi quid simile, & ipse dicat. Esa. 52. *Ecce*, inquit, *intelliget servus meus, & exaltabitur, & elevabitur, & sublimis erit valde.* Quis loquitur per Prophetam? utique Deus, *Ecce*, ait, *intelliget servus meus.* Sed multi sunt servi eius. Ab illis tamen hunc distinguit, cum dicit. *Exaltabitur, & elevabitur, & sublimis erit valde.* Sed multi à Deo exaltati sunt & elevati, & sublimes facti, quomodo ergo à multis istis servus iste Dei secernetur? Procede. *Sicut obstupuerunt super te multi, sic inglorius erit inter viros aspectus eius, & forma eius inter filios hominum.* Quid tanto Prophetæ respondebis, Iudæe? Mendacem eum nec audes cogitare. E Verum est ergo, quod dicit. Respondes. Verum plane. Quis est igitur servus iste Dei, exaltatus, elevatus, & sublimis valde. Cuius è contrario aspectus inter viros inglorius est? cuius forma sine gloria inter filios hominum est? Quære, labora, dic si quid potes. Lege tamen adhuc. *Iste asperget gentes multas. Super ipsum continebunt reges os suum.* Quis est hic rursum, qui dicitur aspergere gentes multas, & super quem dicuntur reges continere os suum? Certe ille idem, qui ductus est exaltatus, & elevatus, & sublimis factus. Et quis iste tantus, tam potens, tam magnus, ut & gentes multas aspergat, & super ipsum contineant Reges os suum? Plane non solum magnus, sed maximus, non solum potens, sed potentissimus: cuius magnitudinem reges paventes, cuius potentiam admirantes, continent ora, loqui non audent: expectant velut maioris nutum, sustinent velut dominantis imperium. F Hic tamen ille est, cuius aspectus inter viros inglorius dicitur: cuius forma inter filios hominum abiecta prædicatur. Quæris fortasse quid respondeas, & qualiter mentiri, & cœleste oraculum in perversum interpretari possis, laboras. Sed nusquam patet tibi aditus angustias evadendi, neque lux cœlestis Ægyptiorum tenebris offundi, vel fuscari potest. De quo enim Regum, de quo Principum, hæc tam diversa, tam contraria interpretari poteris? Quis est ex omnibus, quos fingere vales, exaltatus & inglorius, elevatus & inglorius, sublimis valde, & inglorius? Quis est hic tantus, tamque tremendus, ut coram ipso reges loqui non audeant, cuius tamen formam filij hominum contemnant? Et quia novi te nihil super his sacris verbis, quo sensum istum rationabiliter pervertere valeas, inventurum: compelleris vi rationis ad nos redire, & quis iste sit, de quo tam contraria scribuntur, inquirere. Merito, sicut & inter hæc prophetica verba scribitur, multi super hunc, de quo tam varia dicuntur, obstupuerunt: sed non omnes, sicut tu, increduli permanserunt. G Obstupuerunt quidem miraculum singulare, sed ipso stupore suo, non omnes quidem, sed multi conversi sunt ad Christum, Dei suumque salutare. Hunc quippe, non alium, hunc plane Christum nostrum, non alterum; intellexerunt exaltatum, elevatum, & sublimem valde factum: & rursum aspectum eius inter viros inglorium, & formam eius contemptibilem inter filios hominum. Exaltatum, elevatum, sublimem valde factum, quia, ut ait Apostolus noster, Phil. 2. *Deus in homine quem assumpserat, eum exaltavit, & dedit illi nomen quod est super omne nomen: ut in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum.* Aspectum eius inglorium, & formam contemptibilem inter filios hominum: quia, ut idem præmisit, *factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Super ipsum continent reges os suum, quia summi Reges vel Principes orbis, ora ad silendum claudentes, aures ad audiendum aperientes, audiunt eum ut principem Principum, obtemperant ei, ut Regi, Regum, obsequuntur ei, ut Domino Dominorum. Vnde quia de nullo mortalium ista dici, quia in nullo hominum tam contraria reperiri possunt: Christum nostrum in verbis istis necesse est te sentire, agnoscere, suscipere. H Nec illud quod fortasse obiicere posses, præterire nos potuit, multos Regum vel Principum, prius magnos & sublimes fuisse: ac postmodum à Principatus potentia, vel regni gloria, diversis casibus excidisse. Sed recordare, quia sermo de Christo est, quem tu numquam miserum, sed felicem, nunquam subditum, sed dominantem, nunquam inglorium, sed gloriosum futurum esse contendis. Quod ut excludatur, ut in Christo non temporale regnum, sed æternum intelligatur, ut non humana, sed divina gloria in eo advertatur, ista proposita sunt. Nam credo te non adeo insanire, ut hæc prophetica verba, ab ipsius Prophetæ tempore, super aliquo regum Iuda, vel cuiuslibet gentis rege

A coneris exponere. Sed fortassis hæc vel regi Manasse, filio Ezechiæ captivato, ac postmodum in regnum restituto, vel Iosiæ ab Ægiptiis interfecto, vel Ioachin, sive Sedechiæ in Babylonem ductis, Iudaica versutia coaptare conaberis. Hi enim soli de regibus Iuda: post tempore hæc prædicentis Prophetæ, à regni gloria videntur excidisse. Sed frustra id conaberis. Nunquid enim Manasses rex impius, servus Dei dicitur? 4 Reg. 21. Nam hoc præmissum est. *Ecce intelliget servus meus.* Nunquid idololatra, nunquid prophanus, nunquid ille qui, ut legitur, multo nimis sanguine innoxio implevit Hierusalem usque ad os, servus Dei dicitur: Et vocatur quidem alio in loco Nabuchodonosor rex pessimus servus Dei, non quia bonus fuit, sed quia voluntati Dei, licet non laudanda voluntate, contra gentes impias dimicans, deseruivit. Sed Manassem, licet pœnituerit, servum Dei scriptura Dei non nominat, nec quod aliquid militaris exercitij Deo impenderit, narrat. B Non igitur Manasses servus Dei dictus est. Inde apparet, quod scriptura hæc de ipso prolata non est. Sed nec ipsi, nec Iosiæ, nec reliquis verba tam sublimia, tam solemniter prolata, totiensque repetita congruunt: ut exaltati, ut elevati, ut valde sublimes dicantur. Nam licet reges fuerint, superant tamen verba prophetica eorum magnitudinem, superant sublimitatem. Nec illud etiam alicui eorum convenit quod sequitur. *Sicut obstupuerunt super te multi.* Quis enim obstupesceret, rege quolibet exaltato, ac post humiliato, elevato, & deiecto: sublimato, & de sublimitate deposito: Hoc enim visitatum est, hoc de regibus & potentibus consuetum. Non autem de re solita obstupere homines solent. Rem igitur illam, super quam obstupuisse multi à Propheta dicuntur, singularem, mirabilem, inusitatam esse, necesse est. Hoc si verum est, nec de captivatis, nec de occisis, nec de quolibet infortunio affectis regibus, vel cuiuslibet dignitatis hominibus, hoc dictum est. Sed & illa quis non videat, nec istis, nec aliquibus Iudæorum Regibus convenire, *Iste asperget gentes multas, & super ipsum continebunt reges os suum?* Et ne C illa, quæ clara sunt, frequenti replicatione obscurentur, breviter dico. Si de nullo regum Israël, vel Iuda, si de nullo prorsus Iudæorum, qui usque ad hæc nostra tempora fuerunt, scriptura hæc intelligi potest: tunc de nullo alio, nisi de Christo à Prophetis prædicto accipi potest.

Restat igitur, ut hæ propheticæ voces de Christo tantum accipiantur. Nec tamen de Christo à vobis fallaciter exposito, sed de Christo à nobis veraciter intellecto. Non de Christo temporaliter dominante, sed de Christo æternaliter imperante. Non Christo regnante more regum in terris, sed de Christo more Dei præsidente universis quæ in terris sunt, & in cælis. Qui & servus Dei à Propheta scribitur, quia exinanivit semetipsum, formam servi accipiens, & sublimis valde, omni creaturæ præsidens, & inglorius, ignominiosæ passioni se sponte submittens. Qui aspergit gentes multas, quas ubique baptizari sacra baptismatis unda D præcipit. Super ipsum continent reges os suum: quia ubique ei non tantum aliorum, sed & ipsorum regum tumor obedit.

Adverte ergo, Iudæe, quod dicitur, intellige scripturam quæ loquitur, crede Christo qui prædicatur: erubesce tuam incredulitatem, imitare gentium fidé de quibus id in Propheta statim subdit. *Quia quibus non est narratum de eo, videbunt: & qui non audierunt, contemplati sunt.* Hinc ad ea, quæ sequuntur, festina, & licet id plene ostenderint quæ præmissa sunt, Christi regnum carnale, vel temporale, nec fuisse nec futurum esse: rursum ex sequentibus agnosce. Et ut prolixitatis, quantum materies assumpta permittit, tædium fugiam, quicquid in Esaia legitur, à versu illo, cuius initium est. *Quis credidit auditui nostro,* usque ad illum, cuius est principium, *Lætare sterilis quæ non paris*, totum tibi propono. Credo quod de nullo alio multa illa

E prolata sentis, nisi de Christo. Cui enim congruere potest, quod Propheta ait, *Brachium Domini cui revelatum est*, nisi Christo? Cui congruere potest, *Generationem eius quis enarrabit*, nisi Christo? Cui convenire potest, quod iniquitatem non fecerit, nec dolus fuerit in ore eius, nisi Christo? Cui adaptari potest, *Iustificabit ipse iustus servus meus multos, & iniquitates eorum ipse portabit*, nisi Christo? De quo credi potest, *Oblatus est, quia ipse voluit, & non aperuit os suum*, nisi de Christo? Hunc enim tantum, de quo tanta dicuntur, non de communi quorumlibet hominum numero, sed supra omnem hominem esse, quis non videat? Da enim mihi si potes, præter Christum, aliquem, qui brachium Domini, hoc est, virtus Domini dici debeat. Da quemlibet, cuius generatio non enarrari possit: da hominem qui iniquitatem non fecerit, nec dolus fuerit in ore eius: da quempiam qui ipse iustus existens, alios multos iustificet, & iniquitatem eorum portet. Da si quem habes, qui oblatus F sit, quia voluerit, & non aperuerit os suum. Nam quamvis, tu Christum tuum non intelligas nisi hominem: sunt tamen ex parte ista, quæ dicuntur, supra hominem. Vide enim, & non Iudaicè, sed iustè iudica, utrum brachium Domini, hoc est, virtus Domini, homo, & tantum homo accipi possit. Deus enim virtus hominis, non homo virtus Dei dicitur. Hæc planè vox, hominis ad Deum est. *Domine, in virtute tua lætabitur* Psal. 20. *Rex.* Quod si rex qui alios potentia & dignitate præcellit, virtus Dei non est, immo spe in virtute Domini lætatur, claret, quod is brachium Domini dicitur, qui non solum inferioribus, sed & ipsis Regibus principatur. Cum vero audis, *Generationem eius quis enarrabit*, nonne intelligis, quod eius generationem ab humana & communi secernit? Et quidem solius Dei est nosse, qualiter corpus humanum ex suscepta materia compingitur in utero matris: sed tamen patet omnibus, quo usu generatio carnalis procedat. Quod igitur omnibus notum est, quod neminem latere potest, singulare & velut inenarrabile facit Propheta. Non ergo tibi videtur, quod ille, cuius generatio in tantum ab humana secernitur, ut etiam inenarrabilis dicatur, non G solum homo, sed & supra hominem est? Si vero verbum propheticum, etiam de illa sublimiore, & æterna Dei filij à Deo patre generatione accipiatur: multo magis inde Christus, non solum homo, sed & supra hominem esse probabitur. Nam illa de patre generatio multo plus admirabilis, longe amplius inenarrabilis, quam illa de Virgine est. Quid inde coniicis, quid æstimas, cum audis de eodem dicentem Prophetam, Quod iniquitatem non fecerit, nec dolus fuerit in ore eius? An recordaris verborum illorum, *Non est mundus super terram à peccato, nec infans unius diei?* Qui ergo iniquitatem non fecit, in cuius ore dolus non fuit, non tibi videtur hominem excessisse, non tibi videtur supra hominem esse? Attende & illud, *Iustificabit ipse servus meus multos, & iniquitates eorum ipse portabit.* Qui ergo iustus dicitur, qui iustificare multos scribitur, qui iniquitates eorum portare prædicatur, quod solius Dei est: vide si solummodo homo, & non plus homine, iustè intelligi credi, vel H accipi potest. Hoc cui obscurum est, absque alicuius sapientis contradictione non homo, sed pecus est. Illud quoque quod legis *Oblatus est, quia ipse voluit*, nonne communem hominum numerum excedit? Quis enim hominum sponte moritur? quis volens occiditur? Hæc idcirco præmisi, ut quicquid Propheta in serie iam dicta loquitur, non nisi de Christo accipi posse credatur. Constat enim, quia hæc de homine dicuntur. Sed quia hominem illum, supra hominem esse necesse sit, ex iam dictis colligitur. Nullus autem hominum præter Christum, supra hominem invenitur. Et quoniam tu, Iudæe, nullum Christo maiorem esse posse confirmas, quia unum hominem maiorem aliis, te tuus Propheta cogit fateri: necesse est, ut hunc, qui maior cunctis dicitur, non nisi Chri-

stum

A stum sentias. De Christo igitur hæc universa dicuntur. Et quia hæc universa de Christo dicuntur, restat probare quod propositum fuerat, utrum regnum Christi terrenum, & temporale esse, ut tu Iudæe, arbitraris existimandum sit. Percurre ergo Prophetam. Esa. 53. *Non est species ei neque decor. Et vidimus eum, & non erat aspectus. Et desideravimus eum despectum, & novissimum virorum, virum dolorum, & scientem infirmitatem. Et quasi absconditus vultus eius, & despectus. Vnde nec reputavimus eum.* Quid hic regium sonat? Quid hic regale videtur? Vbi aurum? ubi purpura? ubi gemmea corona? Vbi argenteum solium? ubi potentia, & fastus imperantis? Non est ei species, non est decor, non est aspectus. Desideratur tamen despectus, novissimus est virorum, vir est dolorum, vultus eius absconditus est, nec ipse reputatus est. Prosequere, & non cuncta, sed quædam, brevitatis gratia excerpe. *Et nos putavimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo, & humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera* B *nostra.* Et post aliqua. *Sicut ovis ad occisionem ducetur.* & paucis verbis interpositis. *Quia abscissus est de terra viventium.* Et tandem *Tradidit in mortem animam suam & cum sceleratis reputatus est.* Quid dicis Iudæe? Nonne ob superius Coactus es iam vi rationis ista de Christo sentire. Vbi ergo in his universis, temporale regnum eius invenis? Vbi gloriam regnantis advertis? Nunquid languores ferre, dolores portare regnare est? Nunquid putari leprosum, putari à Deo percussum, putari humiliatum, regnare est? Nunquid vulnerari, occidi, tradi in mortem, cum sceleratis reputari, regnare est? Taceo reliqua. Quid agis? Nondum Christi regnum, terrenum vel temporale esse non posse, cognoscis? Cognoscis plane, si homo es. Et quia hoc clarum est, clarius diu immorandum non est. Audi ergo ipsum in his opprobriis constitutum, ad hæc vulnera, ad hanc occisionem ductum, in mortem à seipso traditum. Joan 18. *Regnum*, inquit, *meum non est de hoc mundo. Si ex* G *hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent, ut non traderer Iudæis.* Define ergo iam Christum temporalem Regem, regnum eius terrenum putare. Nam non conveniunt, nec simul esse queunt, sublimitas & abiectio, gloria & ignominia, potentia & imbecillitas, regnum & interitus. Intellige Christum, non hoc usitato regum more regnare: sed cœlo, & terræ, ac toti creaturæ, non solum ut Regem, sed ut Deum ac Dominum imperare. Agnosce regnum eius, non paucorum annorum quantitate, sed omnium seculorum beata infinitate gaudere: à quo semper excluditur negator Iudæus, ad quod semper admittitur Christum confitens Christianus. Nec ignoro equidem quid in Synagogis Satanæ auribus perditorum serpens vetustus insibilet, non me latet, quæ tam lucidæ veritatis augustius contrarii nequam magistri auditoribus venena infundant. Dicunt enim, prout à quibusdam audivi, circa Vespasiani tempora, suum Christum natum, & Romam nescio qua arte translatum. Ibi eum à canibus D dilaceratum, & corrosum, in cryptis vel specubus subterraneis latere, & corrosionis illius dolores ac vulnera pro peccatis vel iniquitatibus Iudaicis tolerare, indeque dictum est, *Vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.* Victurum autem, & hos dolores in illis terræ visceribus toleraturum, donec disposito à Deo tempore inde exeat, & Iudæos de universis gentibus congregans, ad primum suæ repromissionis terræ locum reducat. Tunc impleri omnia, quæ de Iudæorum futura felicitate à Prophetis prædicta sunt: tunc illum suum Christum multis gentibus imperaturum, tunc pacem absque alicuius inquietudinis timore fruituram, tunc eos in summis deliciis & gloria victuros affirmant. Hunc olim cuidam ex ipsis, magno suorum Doctori in habitu mendici, & miseri apparuisse testantur. Cumque is, cui apparuerat, tantam apparentis vilitatem, ac deformitatem abhorreret, mutatum subito in speciosi hominis for-

E mam, vestesque vilissimas in preciosa indumenta conversas. Iactant insuper, una manu eum mox prætendisse lapidem sapphirum, altera iaspidem: & ei, cui apparebat, dixisse. Quid miraris? En ego, en ego, ille vester Christus tam diu à vobis expectatus: in proximo est ut veniam, prope est ut appaream. Reducam enim vos de omnibus gentibus, congregabo de universis terris, & adducam vos in terram vestram. Tunc implebitur in vestra Hierusalem quod scripsit Esajas: Esaia 54. *Paupercula, tempestate convulsa, absque ulla consolatione. Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in sapphiris. Et ponam iaspidem, propugnacula tua.* En sapphirus, in quo fundanda est Hierusalem: en iaspis, de quo vestræ civitatis sunt propugnacula construenda. O consolatio! ô spes amplectenda! ô felicitas, absque scrupulo expectanda! O humani generis fæces! talia vos leniunt, talia mulcent, talia pro Christo Antichristum vobis præstolari suadent? Vere Satanas de vobis, ut homines de F simiis ludit: vere ut iumentum vilissimum, chamo stultitiæ quo vult, trahit: vere ut pater mendacij, multa vobis promittit, ut cuncta subtrahat: somnia dat, ut res auferat: fabulis pascit, quos Christo pane angelorum hominumque defraudat. Et quid dicam? Deficiunt verba ad tam profundam stolidorum hominum stultitiam confutandam. Ecce caninum Christum vobis profertis, & qui à Iudæis occisum erubescitis, canibus hoc imponitis. Nec illud nos diffitemur. Vere à canibus, vere ab immundis, vere ab oblatrantibus corrosus, ut dicitis, &, ut nos fatemur, occisus est Christus. Audiatur ipse Christus in Psalmo. Psal. 21. *Circumdederunt me canes multi, concilium malignantium obsedit me. Foderunt manus meas, & pedes meos.* Nonne canes fuistis, quando canum more sanguinem sitistis, ac nimia rabie pene linxistis, dicentes, Matt. 27. *Sanguis eius super nos, & super filios nostros?* Nonne latrastis, quando iudici scelus vestrum execranti, & declinare conanti toties, & toties inclamastis, *Crucifige, crucifige eum?* Sed ut de his canibus, à quibus rabiei ve- G stræ similitudo tracta est, loquar: nunquid à canibus ad mortem quilibet duci potest? Nam loquitur de Christo Esaias. *Sicut ovis ad occisionem ducetur.* Ducere enim hominum est, non canum: ducere hominum est, non bestiarum: ducere, rationalium est, non irrationalium creaturarum. Patet ergo, quia non ab huiusmodi canibus, sed à Iudæis longe his deterioribus, Christus ad occisionem ducendus à Propheta prædictus est. Et quoniam fere idem est, vel adversus nugacissimas fabulas, & primo auditu contemptibiles, se quemquam disputando effundere: vel inanem aërem crebris ac validis ictibus feriendo vires lassare, sufficiat quod dictum est. Ad illud redeat sermo, propter quod de Iudaicis fabulis, quibus plus cunctis erroneis hominibus abundant, istud assumptum est. Est autem illud quod probare sermo intenderat, immo quod iam tam auctoritate quam ratione probaverat: Christum temporalem Regem intelligi non debere, Christi regnum terrenum, & finiendum accipi non oportere. Sufficere quidem possunt omni homini, ad H huius rei certitudinem quæ præmissa sunt. Sed quia cum Iudæo, qui nescio utrum homo sit, mihi sermo est, adhuc aliqua addenda sunt. Nescio plane, utrum Iudæus homo sit, qui nec rationi humanæ cedit, nec auctoritatibus divinis, & propriis adquiescit. Nescio, inquam, utrum homo sit, de cuius carne nondum cor lapideum ablatum est, cui non datum est cor carneum, in cuius medio nondum positus est divinus spiritus, sine quo ad Christum nunquam converti potest Iudæus. Redi ergo ad certamen Iudæe, & quod Christus rex temporalis, quod Christi regnum terrenum, vel transitorium esse non possit, auctoritatibus propriis, non alienis adverte. *Potestas eius*, ait, Daniel, Dan. 7. *potestas æterna, quæ non auferetur: & regnum eius, quod non corrumpetur.* Cuius eius? Nonne Christi? Si dubitas, attende præcedentia. *Aspiciebam donec throni*

*positi sunt, & antiquus dierum sedit. Vestimentum eius quasi nix candidum, & capilli capitis eius, quasi lana munda. Thronus eius, flammæ ignis. Rotæ eius, ignis accensus. Fluvius igneus, rapidusque egrediebatur à facie eius. Millia millium ministrabant ei.* Et paucis verbis interpositis. *Aspiciebam ergo in visione noctis, & ecce cum nubibus cœli, quasi filius hominis veniebat. Et usque ad antiquum dierum pervenit, & in conspectu eius obtulerunt eum. Et dedit ei potestatem, & honorem, & regnum: & omnes populi, tribus, ac linguæ ipsi servient.* Et iterum quod præmisi, subiunctum est, *Potestas æterna*, & reliqua. Quis est hic antiquus dierum? Quis est hic, qui quasi filius hominis in nubibus cœli veniebat? Quis est, qui usque ad antiquum dierum pervenit, & in conspectu eius oblatus est, & cui iam dicta omnia data sunt? Dic, Iudæe, si quid habes. An poteris per antiquum dierum quemquam fingere, nisi Deum? An quemlibet dare poteris, cui millia millium ministrent, cui decies millies centena millia assistant, nisi Deum? Rursum quem intelliges quasi filium hominis, venientem cum nubibus cœli, nisi Christum? Quem ad antiquum dierum pervenisse, & in conspectu eius oblatum, nisi Christum? Cui datam potestatem, honorem, & regnum, & cuncta quæ sequuntur, nisi Christo? Scrutare per singulos homines infinitam humani generis massam: & vide, quis ex universis filiis hominum possit intelligi tantus, tam sublimis filius hominis. Cumque de aliquo hoc necesse sit accipere filio hominis, attende si præter Christum, talis tantusque quisquam dici possit, filius hominis. Memento simul, & illorum, quæ supra concessisti, nullum de filiis hominum esse posse Christo maiorem. Attende & illud, quod si hæc verba Prophetica de alio quam de Christo senseris, iam alium Christo maiorem fateberis. Nam necesse est, ut homo cui tantus honor à Deo confertur; maior omni homine esse credatur. Hoc inconveniens si fugere vis, urgeris, ut exclusis aliis, de solo hæc dicta confitearis. Probatum est ergo, ut mihi videtur, hunc filium hominis nullum alium à quolibet sentiri debere, quam Christum. Christum autem secundum nos Redemptorem & Salvatorem nostrum Iesum: secundum te, illum quem, ut iam dictum est, patres tui inaniter somniaverunt, & quem deridenda tua, tuorumque expectatio, frustra præstolatur. De hoc igitur Christo dictum est. *Potestas eius, potestas æterna, quæ non auferetur: & regnum eius, quod non corrumpetur.* Sed potestas æterna, regnum incorruptum in terris esse non potest. Audi Psalmum tuum Deo loquentem. *Initio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli. Ipsi peribunt.* Si cœlum perit, si terra perit, ubi Christus rex temporalis, & terrenus regnabit? Si terra deficit, regis terreni potestas quomodo æterna esse poterit? Si terra, in qua iuxta intellectum tuum regnaturus est, finitur: quomodo regnum eius non corrumpetur? Aut ergo fac ne terra pereat, ut regnum Christi tui in ea semper subsistat: aut si cum pereunte terra & regnum eius perit, scito te longe esse ab intellectu Prophetæ, qui de Christo dicit. *Potestas eius, potestas æterna, quæ non auferetur: & regnum eius, quod non corrumpetur.* Ausculta rursum & Ezechielem, simile quid dicentem. Ezec. 37. *Habitabunt*, ait, *super terram, quam dedi servo meo Iacob, in qua habitaverunt patres vestri. Et habitabunt super eam ipsi, & filii eorum usque in sempiternum, & David servus meus princeps eorum in perpetuum.* Et percutiam illis fœdus pacis, pactum sempiternum erit eis. Quid & ad ista dices? Expone mihi David, expone & perpetuum principatum David. Nonne ante quingentos fere quam ista dicerentur annos, David mortuum legis? Quomodo ergo iste, cuius regnum iam præcesserat, qui illud morte finierat, principaturus, quomodo regnaturus dicitur? Nam & in eadem verborum serie, ab eodem Propheta, qui nunc Princeps dicitur, Rex quoque paulò ante vocatur. *Et erunt*, ait, *mihi populus, & ego ero eis Deus, & servus meus David Rex super eos, & Pastor unus erit omnium eorum.* Quis est quis est iste David, qui a Propheta isto post multos mortis David annos nato, & Princeps, & Rex, & Pastor unus regni Iudaici futurus dicitur? Sed novi, quia de nullo hoc, nisi de Christo, quantalibet Iudaica perversitas interpretari potest. Quia enim Christus de stirpe, immo de ipsa domo, & familia David nasciturus erat, quia more David, licet plusquam David, & aliter quam David, in iudicio & iustitia, omnique æquitate, super populum suum, quem à peccatis & hostibus cunctis salvat, regnaturus erat, David dicitur, & populo suo principaturus scribitur. Unde Hieremias. *Non dominabuntur ei amplius alieni, sed servient Domino Deo suo, & David regi suo, quem suscitabo eis.* Hier. 30. Quomodo in perpetuum? Quomodo in sempiternum? Ita enim, ut dixi, ibi scriptum est. *David servus meus, Princeps eorum in perpetuum.* Et continuo. *Percutiam illis fœdus pacis, pactum sempiternum.* Si carnale regnum intelligis, si terrenum Principatum expectas: dic qualiter in terra non æterna, in mundo finiendo, David iste regnare poterit. Quod cum præsentia ista finienda sint, quod æterna esse non possint, audi & alium Prophetam. *Non erunt*, inquit, *in memoria priora, neque ascendent super cor.* Esai. 65. Quod si non erunt in memoria priora, si non ascendent super cor: utique Regna terrena, utique Principatus mortalium, non solum non permanebunt, non solum non subsistent, sed nec erunt in memoria, nec ascendent super cor. Hoc quoniam irrefragabile est, quoniam his contradici invicta veritatis ratione obviante non potest: miror si amodo temporalis regni cogitatio, si deinceps terreni Principatus, quantum ad Christum spectat, expectatio in cor tuum ascenderit, si te præpedire ab intelligendo vero, & æterno Christi regno potuerit. Et ut multiplici ratione victum Iudaicum cor desipere iam cesset, & sapere incipiat: dic utrum resurrectionem humanæ carnis credas, utrum confitearis. Sed novi, quia credis: novi, quia confiteris. Hoc enim, & à tuis tam antiquis quam modernis Doctoribus habes, & hoc te credere, aperta & multiplex divinæ scripturæ auctoritas cogit. Unde habes in Psalmis, *Caro mea requiescet in spe.* Psal. 15. Quod si in spe, certe aut alia, aut resurrectionis. Sed in qua alia spe caro requiescere potest, nisi resurrectionis? Quid enim aliud caro mortua sperare potest, quam vivificationem? Quid exanimis, nisi animationem? Quid ea, quæ iam cecidit, nisi resurrectionem? Requiescit igitur humana caro in spe resurrectionis. Habes & in Esaia. *Veniet omnis caro, ut adoret coram facie mea, dicit Dominus.* Esa. 66. Lege illam in qua hoc scriptum est, Prophetiæ partem: & invenies Prophetam ibi sensisse, etiam carnis resurrectionem. Unde & de impiis post pauca verba subdit. *Et erunt usque ad satietatem visionis, omni carni.* Qui impii usque ad satietatem visionis omni carni esse non possunt, nisi omnis caro tunc viveret, nisi omnis caro animata esset, nisi videndi tormenta malorum, etiam carnis oculus potestatem haberet. Habes, & in Ezechiele. Ezec. 37 *Ecce ego aperiam tumulos vestros, & educam vos de sepulchris vestris populus meus, & inducam vos in terram Israel.* Iob. 19. Et in Iob. *In novissimo*, ait, *die, de terra surrecturus sum: & in carne mea videbo Deum.* Hinc scio, quod resurrectioni carnis contradicere nequeas. Sed illam resurrectionem casus præcedit, illam vivificationem mors prævenit, illam corporum animationem exanimatio præit. Quod quia negare non prævales, maxime cum hoc quotidie cernas, dic quibus Christus carnalis Rex tuus, cunctis iam mortuis imperaturus: dic quomodo & ipse mortuus mortuis dominaturus est. Dic super quos regnaturus, & ipso & omnibus in fine mundi extinctis: dic, inquam, quibus tunc principatum eius, sicut à Propheta audisti, necesse est esse æternum. His angustias evade si potes, de hoc laqueo educ pedem si prævales. Aut enim in terreno Christi tui regno, æternitatem absque ulla interpolatione ostendes, aut si finem mundi, & rerum corporalium cum ipsis hominibus defectum negare non

A potes, nobiscum non in terris, sed alibi æternum Christi regnum intelliges. Nec ad ea, quæ carnis resurrectionem sequuntur, confugere te permittam, ut vel in illis Christi tui regnum futurum somniare audeas. Quamdiu enim carnale eius regnum intellexeris, tam diu scripturæ sanctæ auctoritate, à regno tam instanti quam futuro pariter excludêris. Quod enim tam stolidum pecus, præter Iudæum, inveniri poterit, quod post carnis resurrectionem, carnalem vitam, carnalem regem, carnale regnum sentiat? Hoc dicens, humanæ carnis veram essentiam non excludo, sed statum carnis longe alium futurum esse demonstro. Hoc si tu in fæce carnis & sanguinis eductus, qui carnem posuisti brachium tuum, capere non potes, quid ad me? Audi scripturam, & non meam, sed eius sequere sententiam. Audi, & ne vel post ipsam universalem humanæ carnis restaurationem, Christi regnum, quale aliorum Regum solet esse, suspicêre, adverte. *Non erit*, inquit Esaias, *tibi Sol ad lucendum per diem, nec splendor Lunæ illuminabit te. Sed erit tibi Dominus Deus tuus, in lucem sempiternam.* Et alibi. *Oculus non vidit, Deus absque te, quæ præparasti diligentibus te.* Et Zacharias. *Veniet Dominus Deus meus, omnesque sancti cum eo: & erit in die illa non erit lux, sed frigus & gelu. Et erit dies una, quæ nota est Domino: non dies, neque nox.* Quid ad ista dices? Finge si quid potes. Ostende terrenæ Hierusalem regnum, Christi tui carnale imperium, absque Sole vel Luna, absque die vel nocte. Dic, utrum de regno illo sic intellecto sentire valeas, quod dictum est, *Oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti diligentibus te* †. Si nullius oculus, præter divinum, videre potuit ea, quæ præparata sunt diligentibus Deum: nunquid tuus? nunquid alicuius? Vides ergo, quam breviter, quam lucide, omnem carnalis regis, imperij terreni, gloriæ mundanæ cogitatum condemnat? Nam in his tam paucis verbis, non solum Hierusalem terrena, non solum Iudæa vel Galilæa, non solum, quod plus est, Syria tota, in cuius parte Iudaicum regnum olim viguit: sed & ipse totus orbis terrarum excluditur, & ne in toto ipso Christi regnum, vel sanctorum eius glorificatio sentiri valeat, prædicatur. Quod si nec in hac finienda vita, nec in illa, quæ hanc sequitur, æterna, Christi regnum, quale sentire consuesti, invenire prævales: emolli inveteratam duritiem, abiice cor lapideum, assume cor carneum, & Christum nostrum in hoc mundo per Deitatis invisibilem potentiam per fidem & gratiam, in futura vita regnare cognosce per manifestam gloriam. Certe si cum homine, non cum pecude, mihi sermo est, inspice diligenter: &, si Dei gratia iuverit, advertes, Legis, Prophetarum, totiusque Canonis tui finalem causam, nullam aliam esse, quam beatam, quæ sanctis promittitur, æternitatem. Quid enim? Tot tantaque, tam insolita, tam miranda, tam prædicanda opera, solummodo pro brevi, pro misera, pro mortibus innumeris subiecta vita, à Deo facta esse æstimas? nunquid decem famosis plagis Ægyptus percussa, Pharao cum suis submersus, quotidiana per quadraginta annos mannæ pluvia, columna nubis per diem, & ignis per noctem, carneus coturnicum imber, latex de cautibus, Iordanis divisio ac refluxus, obedientia Solis, mortuorum resuscitatio, tam solemnia iuncta oraculis Prophetarum miracula, multaque similia, nunquid, inquam, ista omnia, pro tantillo, immo pro tam nulla carnali ac misera vita facta sunt? Nunquid ut tu tantum, Iudæe, ventrem escis variis, & carnibus fa reires, ista facta sunt? Nunquid ut tu tantum inebriareris, & inebriatus sterteres, ista facta sunt? Nunquid ut tu totum voluptatibus operam dares, libidinibus diffluer es, ista facta sunt? Nunquid ut tu tantum divitiis abundares, auro, argento multisque thesauris arcas impleres, superbo dominantis fastu super subiectos te extolleres, ista omnia facta sunt? Absit absit hoc ab humanis mentibus, longe sit ab animis rationis capacibus, procul recedat à cunctis Deum scientibus. Non suscipit hoc ratio, contradicit & ipsa iustitia, ut homo, qui cunctis irrationalibus creaturis à Creatore prælatus est, licet de quibusdam hoc contingat, in universis generis sui comparetur iumentis, & similis fiat illis. Nam si ita esset, si hæc bona carnalia solummodo Deus homini conferret: quid plus bove, quid asino, quid quolibet verme vilissimo, homo miserrimus possideret? Ab æterno enim ad æternitatem creatus, quamvis culpæ suæ merito ad tempus eam amiserit, spem tamen recuperandi non perdidit. Hinc est, quod lactans te velut puerum Deus, & carnalibus beneficiis ad spiritualia, temporalibus paulatim nutriens ad æterna, bona tibi transitoria primo tempore contulit, ut his inductus, legem Dei servare disceres, & inde proficiens, ad speranda atque amanda cœlestia, & æterna transires. Hæc æternitas, illorum tam sublimium miraculorum causa extitit, ut populus ille rudis, hinc beneficiis illectus, inde mirandis operibus provocatus, Conditori obedire consuesceret, & ad beatam æternitatem, à qua contumax exciderat, obediendo rediret. Et quia novis hominibus in ipsius mundi novitate exortis, & divinarum rerum omnino ignaris, simul omnia profundenda non erant: rarius æternitas hæc in Pentatheuco vel Heptatico legitur, frequentius à Prophetis commendatur, frequentissime, immo assidue per Christi Evangelium prædicatur. Sed quousque Evangelio adquiescas, non est rationabile de Evangelio contra te rationem proferre. Sed audi tuos, quos non audire non potes. Audi ipsum Iacob magnum Patrem, & Patriacham tuum, audi eum benedicentem Ioseph filio suo. *Benedictiones*, ait, *patris tui confortatæ sunt benedictionibus patrum eius, donec veniret desiderium collium æternorum.* Audi & ipsum Moysem, quid simile dicat, benedicens tribui Ioseph. *De benedictione Domini, terra eius.* Et paucis verbis interpositis. *De vertice antiquorum montium, de pomis collium æternorum.* Qui sunt hi colles æterni? Nam æternos colles, vel æternos montes, nostra hæc terra non habet. Si enim ipsa, ut supra scripta ratio comprehendit, peritura est, quomodo colles eius æterni esse poterunt? Si ipsa tota perierit, quomodo pars eius subsistet? Pereunte ergo terra, perituri sunt & colles. Inde est, quod colles eius æterni dici non possunt. Qui sunt igitur colles æterni? Quamdiu terrenus fueris, quamdiu in terra æternos colles quæsieris, non invenies. Attolle animos, quære super cœlos. Ibi non solum colles æternos, sed etiam perpetuos montes invenies. De quibus Psalmus. *Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis.* Qui sunt hi, non est meum docere. Contra hostem ago, non discipulum instruo. Si credideris intelliges. Si non, nec ista, nec alia Dei sacramenta cognosces. Recordare, quid item David de hac æternitate loquatur. *Cogitavi dies antiquos, & annos æternos in mente habui.* Sed Sicut de collibus dixi, annos æternos finiendo in tempore reperire non poteris. Quod enim tempus finiendum, quod anni hominum defecturi sint, & ipse alio loco, Deo loquens, indicat. *Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.* Quod non diceret, non hoc quasi aliquod singulare proponeret, si annos humanos non deficere sciret. Hoc indicant & præcedentia verba, quibus res humanas perituras esse monstraverat, quibus res divinas semper mansuras subiunxit. De hac æternitate, non infra hoc cœlum & hanc terram futura, audi & Esaiam. *Sicut cœli novi, & terra nova, quæ ego facio stare coram me, dicit Dominus: sic stabit semen vestrum, & nomen vestrum.* Quæ verba, & hoc cœlum, & hanc terram transitura docent, & novi cœli ac novæ terræ nomine, novum futuri seculi statum designant. Quæ Deus facit stare coram se, quia qualem statum post finem mundi cuncta sortitura sunt, non ut prius iam amitent, sed eum perseveranter ac sine fine retinebunt. Percurre universos Prophetas, & hanc æternitatem frequenter prædicari, solemniter commendari invenies. Averte igitur animum a transeuntibus, separa cor à perituris. & huius felicis æternitatis Christum nostrum auctorem & regem credere, & in hoc eius regno æterno, fide Christiana & operibus fidei

asc*r*ibi

Margin notes: B, C, D (left); E, F, G, H (right); *Esai.60.* *Esa.64.* *Zach.14.* — † *his qui diligunt te.* — *Gen.49.* *Deut.33.* *Psal.75.* *Ps.76.* *Ps.101.* *Esa.vlt.*

A ascribi labora. Talem enim regem Christum Christiani intelligimus, in talem credimus, talem adoramus, & ad eius tale regnum, pro gratia & viribus pertingere festinamus. Ad hoc regnum nos quidem Iudæos tali pacto invitamus. Sed ipsi quantum in eis est, nos, omnesque de gentibus ortos repellunt. Dicunt enim sibi tantum Deum loquutum, sibi legem datam, ad se missos Prophetas: Christum insuper post omnes mittendum, eiusque regnum non nisi ad Iudæos pertinere, affirmant. Sed sicut stultum fuit, putare, pro rebus solummodo præsentibus & perituris, Deum tanta, tamque miranda opera fecisse: sic non minus stolidum & pecuale est, sentire, universitatis Auctorem gentibus postpositis, de Iudæis tantum curasse, nullique præter ipsos spem ad vitam respirandi dedisse. Non ita sensit, cui de omnibus cura est, Deus, nec tam arctis limitibus

B suam misericordiam clausit, ut pauxillum tumultuosæ, ac sibi ingrate gentis eligens, gentium infinitatem abiiceret: & velut ad se non pertinentes, per errorum devia ad perditionis profunda perpetuo delabi permitteret. Decebat eum, qui omne mortalium genus condiderat, omnium congruo tempore misereri: & Iudæis nequitia propria urgente repulsis, plenitudinem gentium ad salutem larga benignitate vocare. Quod si more tuo, Iudæe, etiam contra ista garrire præsumis, & peculiarem te à Deo vocari populum iactas: audi rursum scripturam tuam, & non te solum à Deo electum, vel vocatum agnosce. Relege versum Psalmi tui, Deo loquentem. *Omnes gentes, quascumque fecisti, venient,*

Psal. 85. *& adorabunt coram te, Domine.* Nunquid deinceps de te solum Deum curare iactabis? Prædicit gentes adoraturas Deum. Nec solum hoc, sed & omnes gentes. Et ut nulla gens ab hoc intellectu excipi possit, quamvis sufficeret quod dictum est, *Omnes gentes*, addidit, *quascunque fecisti.* Certum est autem omnes gentes factas à Deo, nec aliquam posse reperiri, non factam ab ipso. Nulla ergo gente excepta, omnes gentes venturæ, om-

Psal. 21. nes gentes Deum adoraturæ, scribuntur. Vnde habes, & in Psalm. *Reminiscentur & convertentur ad Domi-*

C *num universi fines terræ. Et adorabunt in conspectu eius universæ familiæ gentium.* Nonne hoc solum Psalmi testimonium, etiam sine aliis, ad gentium vocationem

Esaie. 64 demonstrandam sufficit? Audi & inter multa similia Deum per Esaiam. *Quæsierunt me qui, antea non interrogabant: invenerunt qui non quæsierunt me. & dixi. Ecce ego, ecce ego, ad gentem quæ non invocabat nomen meum.* Quid dices? Vides Deum festinantem, ut ad gentem se non invocantem transeat? Properantis enim, & valde festinantis verba sunt: *Ecce ego, ecce ego.* Et vere iam sic factum est, vere iam sic impletum est. Invocans sola voce Deum, Iudæus reprobatus est, gentium populus Deum nesciens electus est. Attende utrumque, attende, inquam utrumque: & audi apertissime per Mala-

Mala. 1. chiam, & Iudæos reprobari, & gentes eligi. *Non est mihi voluntas in vobis,* ait Dominus exercituum, *& munus non suscipiam de manu vestra, Ab ortu enim Solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus: & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.* Sed hoc tempore Malachiæ non erat. Nam totus tunc orbis, præter paucos Iudæos, non Creatori, sed creaturæ serviebat: non Deo, sed idolis sacrifica-

D bat. Quod ergo tempore illo factum non est, tempore aliquo implendum fuit. Præsens quidem tempus in Prophetia legitur, sed futurum intelligitur. Hunc vel si parum doctus es, scripturarum tuarum esse morem agnosces. Quod igitur illo tempore prædicentis Prophetæ non fuisse probatur, hoc istis Christianæ fidei diebus impletum agnoscitur. Magnum est plane nunc, magnum est vere nomen Dei, & Christi eius in gentibus: & ab ortu Solis usque ad occasum, om-

Phil. 2. nis lingua confitetur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei patris. Sed & de hoc quod subditur, *in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda*, quid dicam? Quid dicam & inde, munus non suscipiam de manibus vestris? Nonne templum

E vestrum iam ab antiquo subversum est? nonne altare suffossum? nonne sacrificia subtracta? nonne holocausta sublata? Hic certe lis Iudaica deficit, hic prorsus cervicositas indurata succumbit. Vides, Iudæe, quod negare non potes: vides quod more tuo aliter, & aliter interpretari non prævales. Vide ergo & illud, quomodo in omni loco offertur Deo oblatio munda. Vide exstructas per universum orbem Christi Ecclesias, altaria in omni loco sacrata, Agnum Dei, quem in cruce peremisti, in eisdem Ecclesiis super eadem altaria omnipotenti patri incessanter pro mundi salute offerri. Cernis in his omnibus hæc Prophetica verba completa, hoc est, *Munus non suscipiam de manibus vestris*, & illud, *In omni loco offertur nomini meo oblatio munda.* Cessa igitur amodo tam insulse desipere, ut spretis aliis te solum electum dicas, abiectis aliis te solum

F assumptum æstimes: cum è diverso audias eum, te spreto, alios elegisse; te repulso, alios aduocasse, te abiecto alios assumpsisse. Vt igitur & hoc Capitulum suo fine concludam, aut scripturas temporale Christi regnum abnegantes abiice: aut si non audes regnum Christi nostri sempiternum suscipe.

## CAPVT IV.

*Quod Christus, non, sicut Iudæi desipiunt, adhuc venturus sit: sed iam certo & præordinato tempore, ad mundi salutem venerit.*

QVartum iam & pene vltimum contra te, Iudæe, mihi bellum restat: de quo mihi qui priores contulit, facilem vt æstimo palmam dabit. Non deerit mihi (vt spero) ad te perimendum, si vivere nolueris, gladius Goliæ, quo te prostrato, in plenam tui perniciem vtar: vt blasphemum caput mucrone, quo contra Deum accinctus processeras, resecem. Hac enim, quæ sola pene restat, pugna finita, vltra spirare cessa-

G bis: hoc prælio consummato, nunquam & nusquam mutire audebis. Est autem causa, vnde hic præsens conflictus agendus est, hæc. Dico ego Christum à Prophetis prædictum iam venisse, negas tu, & dicis, non; sed esse venturum. Dico ego: Venit: dicis tu, Veniet. Incumbit ergo mihi, vt quod proposui, probem. Et ne diu differam, ne diu te suspensum teneam, audi; audi, inquam, non quemlibet Prophetam, sed ipsum magnum Prophetarum Patrem, magnum Prophetam, immo magnum Patriarcham Iacob. Audi illum, de cuius progenie ac nomine gloriaris, à quo Israël diceris: à quo, vtinam sicut nomine, sic re vir Deum videns voceris! Si ergo vir videns es, vide, intellige, adverte quod dicit. *Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femoribus, eius donec veniat qui mittendus est. Et ipse erit expectatio gentium.* Eia, quid vltra quæruntur ambages? quid subterfugia? Non est qua euades. Nam si hoc de Christo dictum est, aut sceptrum mihi regale de Iuda, sive de Iudæ femoribus ducem ostendes, aut Christum iam venisse concedes. Sed quod de Christo dictum sit, nullus, vt æstimo, Iudæus contra dicit. Contuli aliquando de hoc sermone cum quibusdam

H Iudæis, qui hunc non de alio, quam de Christo prolatum se sentire: atque in hanc sententiam omnes Iudæos convenire dixerunt. Quod si quis ex illo perfidorum numero, tantæ Prophetici sermonis euidentiæ se resistere posse desperans, de quolibet altero istud interpretari voluerit, irrito fallendi labore victus deficiet. De quo enim præter Christum, tam singularia, tam solemnia verba accipi possunt? De quo Prophetarum præter Christum, de quo Regum præter Christum, accipi potest, *donec veniat qui mittendus est?* De quo intelligi potest præter Christum, *ipse erit expectatio gentium?* Cũ enim omnes Prophetæ à Deo sint missi, quis erit iste, de quo singulariter dictum est, *donec veniat qui mittendus est* nisi Christus? Nouerat certe sanctus Patriarcha,

hoc

A hoc missionis nomen commune esse omnium Prophetarum. Quod ergo commune esse sciebat, hoc de uno specialiter proferebat. Cujus missio, nisi major Propheticis missionibus esset, non eam ut singularem singulariter protulisset. Quam quia singulariter protulit, cùm, quem mittendum esse dixit, majorem omnibus missis vel mittendis ostendit. Majorem vero cunctis mortalibus Christum, etiam tu, Iudæe, fateris. Constat igitur, quia quod de illo, qui major est omnibus, dictum est: non nisi de Christo, quem & ipse prophetis majorem, accipiendum est. Quis vero, præter Christum, dici potuit expectatio gentium? Non est parvum quod profertur, non est parvus de quo res tanta profertur. Magnum, cunctisque majorem hunc esse, necesse est, qui a gentibus expectari dicitur, qui futurus expectatio gentium prædicatur. Non est plane de vulgo, non est de communi hominum numero, in quo & Iudaicus Principatus defectum, & gentium salvandarum expectatio sumit exordium. Vide, Iudæe, ne forte idem sit,
B *Esa. 11* qui à Patriarcha dicitur expectatio gentium, & a Propheta stare scribitur in signum populorum. Hæc quippe verba sunt Esaïæ: *In illa die radix David, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur.* Quem ergo Iacob a gentibus dixit expectandum, hunc Esaïas ab eisdem gentibus dixit adorandum. Scrutare totum textum divinæ scripturæ, & de quolibet Iudæorum vel gentium Rege, de quolibet Iudæorum vel gentium Principe, talia vel similia dicta esse ostende. Sed scio, quia deficies: novi, quia præter Christum, nullum, cui ista congruere possint, invenies. Et quia hoc perspicuum est, ad proposita revertere: & qui Christum nondum venisse asseris, juxta Patriarchæ tui sententiam, sceptrum de Iuda, vel ducem de femoribus ejus ostende. Ad hoc quippe te cogit Prophetica vox. Aut enim, ut dictum est, Christum venisse nobiscum fateberis; aut si venisse negas, Regem vel Principem de tribu Iuda demonstrare cogeris: Nam, ut nosti, per sce-
C ptrum, quo Regum solummodo insignitur solet dextera, Rex: per ducis nomen, inferioris dignitatis Princeps: femur Iudæ, posteritas ejus signatur. Produc igitur mihi de propagine Iudæ Regem, aut si hoc non potes, saltem ostende ducem. Sed non ego, ut aliquid ridendum ponam, Regem illum suscipiam, quem quidam tuorum apud Narbonam Galliæ urbem, alii apud Rothomagum se habere fatentur. Non ego, inquam, quemlibet in Gallia, quemlibet in Germania, quemlibet in Italia, seu in remotis Orientis, Africæ, aut Aquilonis partibus, vel ubilibet habitantem Iudæum, pro Rege Iudæorum suscipiam. Non suscipiam Iudæum pro Rege Iudæorum, nisi habitantem & regnantem in regno Iudæorum. Iudæorum antiquum regnum illud esse non ignoras, ubi David, ubi Salomon, ubi reliqui Iudæorum Reges olim regnaverunt? ad quod tu inveterato jam gemitu suspiras, & à quo te exulem, nunquam finiendis lamentationibus deploras. Nolo mihi nomen Regis inane prætendas: nolo, etiam si de ipsa tribu
D Iuda ortus sit, quemlibet mihi de tuis objicias. Nolo solo nomine Regem, nolo nec de ipsa stirpe, sine regni potentia Regẽ. Et, o animæ vanis Sathanæ phantasiis delusæ! quæ, quia de rebus non possunt, rerum vanis nominibus gloriantur. Sequuntur umbras corporũ, nihil solidum præ manibus habentes: & dum more canũ fluviales imagines captant, etiam quam jam dentibus
*† prensã.* pressam † mandere poterant, oris inconsulto hiatu amittunt. Nunquid pro felice miserum, nunquid pro indigena captivum, nunquid pro Rege suscipere debeo servum? Nam non dico Regem, non dico ducem, saltem vel unum in toto orbe mihi absque servitutis probro ostende Iudæum. Quæ enim gentes Iudæis non imperant? Quibus populis Iudæi non serviunt? Quod genus hominum non eos ut vilissima mancipia concul-
*Deut. 28.* cã? Vere sicut olim eis in Deuteronomio interminatus est Deus, cum quantum ad religionem, cunctorum populorum caput extiterint, nunc in caudam omnium gentium conversi sunt. Qui nihil sibi tutum alicubi arbitrantes, etiam non metuenda timentes, E atque ad omnes rerum eventus suspensi, ut fratricida
*Deut. 28.* Caïn, vagi & profugi sunt super terram. Pendet assidue, ut in jam nominato libro scriptum est, vita eorum ante ipsorum oculos, & multa vi formidinis tremefacti, non credunt vitæ suæ. Dabis ergo mihi, Iudæe, de talium numero Regem? Dabis pro Rege exulem? Produces pro Rege servum? Propones pro duce mancipium? Dices in talibus adhuc manere Propheticam, *Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femoribus ejus?* Et quoniam clarum est, quod absque regia dignitate, vano Regis nomine gloriari puerile ac stultum est, si fateri non vis Christum jam venisse: cum regio nomine regalis quoque potentiæ Regem ostende. Si non potueris, saltem ducem Iudæorum exhibe. Sed quoniam Christo adveniente, & regni gloria, & ducatus potentia prorsus apud Iudæos periit: intellige Christum venisse, quem Iacob mittendum, quem ante multum jam temporis à Deo credimus, & dicimus missum. Et missum quidem jam docui, quo vero tempore docui, nondum probavi. Sed hoc lucide Prophetia prænotata demonstrat. Eo quippe tempore Christum
F dixit mittendum, quo insolatus regibus vel ducibus, principatus sibi Iudaicus auferretur. Numera ergo mecum generationes Iudæ secundum, & quando regnum vel ducatum tribus Iudæ cessasse cognoveris, tunc Christum venisse agnosce, tunc adora, tunc suscipe. Quamvis autem ipsum Iudam, dum viveret, digniorem fratribus extitisse, quamvis tribum ipsius insigniorem cæteris fuisse, quibusdam privilegiis scriptura non taceat: regnum tamen ejus vel principatus, a David maxime cœpit, & ad Christi usque tempora perduravit. A David ergo primo Rege tribus Iudæ, numerare incipe, & quod ex inde sceptrum de Iuda, & dux de femore ejus non defecerit, agnosce. Discurre per singulos, & Salomone, Roboam, Abia, Asa, numeratis, per subsequentes usque ad Ioachim, vel Sedechiam, ultimum ante captivitatem Babylonicam tribus Iudæ Regem, perveni. Inde per Salathiel, &
G ejus filium Zorobabel, templi Dei reparatorem, primumque post regiam dignitatem de tribu Iuda ducem, ac per eos, quos Iudaicæ antiquitatis relator Iosephus & ipse Iudæus describit, usque ad Herodem cursum continua. Cumque universos duces illos, qui populo Iudaïco, toto illo tempore principati sunt, de tribu Iuda propaginem traxisse cognoveris: vide quod in jam dicto Herode, non tantùm regnum, sed & ducatus de eadem tribu defecerit. Si legisti, recole: si non legisti, lege & disce, toto illo tempore, quod à Zorobabel usque ad Herodem medium extitit, nunc Ducum, nunc Regum, frequentius vero Pontificum nomine, de prædicta tribu Iudæ descendentes, principatum Iudaicum obtinuisse.

Quod si dixeris, eos qui principati sunt à Zorobabel usque ad Herodem, non posse ex historiis liquido comprobari, originem de tribu Iuda traxisse: respondeo:
H Et si hoc ex historiis aperte non colligitur, tamen ex jam dicta Prophetia, quæ cunctis hujusmodi historiis præcellit, lucide comprobatur. Licet enim Iosephi vel aliorum historiæ, de qua Iudæorum tribu prædicti Principes genus traxerint, nominatim non expresserint, tamen quod non affirmant, nullatenus negant. Supplet ergo plenissime quod deest historiis Prophetia, quia longe majori fide dignus est Spiritus Dei in Prophetia loquens quam scriptor quilibet, more humano quæ sibi videntur describens. Quod ergo scriptor historiæ tacuit, Spiritus dixit: quod illi defuit, Deus supplevit. Ut ergo dictum est, à Zorobabel usque ad Herodem, nunc Ducum, nunc Regum, nunc Pontificum nomine, Iudæis, ex tribu Iuda genus trahentes Principes præfuerunt. Qui licet illicite Pontificatum, qui scilicet Levi filiis lege debebatur, arbitratu suo invaderent: Iudæis tamen toto illo tempore, hoc vel illo dignitatis nomine principati sunt: Nam quando Persis vel Macedonibus, quorum imperio subjacebant *1. Mac.*

prohibentibus, nomine vel fastu regio uti non poterant: vel simplici ducatu, vel Sacerdotij honore, Iudæis præsidebant. Horum si vis etiam nomina nosse, audi: Zorobabel Principi Iudæ, Ioachim filius Iesu Sacerdotis magni qui in Aggæo Propheta legitur, Pontificij honore successit. Huic Heliasu, Heliasu Ioïada, Ioïadæ Ioannes, Ioanni Iudas, Iudæ Onias, Oniæ Eleazarus, Eleazaro alter Onias, Oniæ Simon, Simoni tertius Onias, Oniæ in principatu absque sacerdotio Iudas Machabæus, Iudæ, & in ducatu, & in sacerdotio, ejus frater Ionathas, Ionathæ in utroque Simon frater utriusque, Simoni Ioannes, Ioanni Aristobolus. Hic primus post Sedechiam diadema regium assumens, & honorem sibi Pontificalem retinens, uno tantum, ut supra dictum est, anno, populo præfuit. Aristobolo Alexander, ut ille Rex pariter & Sacerdos, successit. Post quem etiam Alexandra uxor ejus principata est. Dehinc duo jam dicti Alexandri & Alexandræ filij, in Pontificatu Hyrcanus, in regno Aristobolus successerunt. Aristobolo à Pompeio Romano Consule victo ac vincto, Romámque transmisso, Herodes à Iudæ vel Iudæorum genere prorsus alienus, interfecto jam fratre Aristoboli Hyrcano, jussu Romani Senatus, regnum Iudæorum obtinuit. Crede tuo Iosepho, qui ipsum Herodem, ex patre Idumæo, qui Antipater dicebatur, matre Arabica, quæ Cypris vocabatur, progenitum scribit. Quo Herode regnum Iudaïcum obtinente, Christum natum non solùm vox Evangelica prædicat, sed jam dicti Iosephi historia, ac multorum tam Christianorum quam Paganorum relatio certa declarat. Ab illo ergo Herodis tempore usque ad hunc, in quo ista cōscripsi, millesimum centesimum quadragesimum quartum annum: adhibito omni conatu tuo, saltem ducem unum, ne dicam Regem, vel de Iuda, vel de qualibet Iudæorum tribu, si potes, ostende. Nonne idem tuus refert Iosephus, quod defuncto Herodi primo, Archelaüs ejus filius in totius Iudaïci regni principatum, Romani Cæsaris præcepto, successit? Non ne illo amoto, alij ipsius Herodis filij, vel sanguinis proximi, in idem regnum per Tetrarchias, vel divisiones multiplices successerunt? Nonne & hi omnes à Nativitate Christi, usque ad vastum & ultimum Hierosolymitanæ urbis, totiúsque Iudaïci regni excidium, vix annis sexaginta principati sunt? Exinde postquam terra illa olim à Deo data Iudæis, Iudæos universos velut inutilia pectoris purgamenta exspuit, eosq; per universum orbem terrarum disseminans, pedibus omnium gentium conculcandos exposuit: nosti quod non solum ad regnum vel principatum aliquem aspirare, sed nec etiam ab ignominiosa servitute respirare modo quolibet potuerunt. Quid igitur restat? Hoc plane. Aut enim, ut suprà jam dictum est, sceptrum regium vel ducatus honorem, ex Iudæ progenie adhuc permanere monstrabis: aut jam ablato sceptro de Iuda, ac duce de ipsius femore, Christum jam venisse fateberis. Nec id solum: Nam necesse est te, aut cuncta quæ divinis libris vel veracibus historiis protuli, rationabiliter improbare: aut, si hoc non potueris, Christum sub Herode Rege natum fuisse fateri. Sed vere, &, ut et jam lippientibus & cæcis oculis clarum est, nulla Iudaïca perversitas, nulla cujuslibet erroris insania tam robustæ veritati resistere potest. Concidat igitur rigida cervix, obmutescat lingua blasphema: & mundi Salvatorem Christum, non quasi eum, qui nondum venit, venturum expectet: sed sicut eum, qui jam claro adventus sui lumine mundum irradiando perfudit, adoret. Quid de his omnibus tibi videtur, Iudæe? An tanto divinarum sententiarum aggere, Iudaïcum in te cor nondum obrutum est? An quicquam damnandæ perfidiæ adhuc superest? Sum fortasse aliis nimius, dum tuam suspectam habens duritiem plus forte justo videor in loquendo profusus. Tendat ergo ad finem oratio, & in ultimo Prophetarum, rem diu productam concludat. Veni ergo post alios, & tu nulli præcedentium Prophetarum inferior Daniel, & quid de Christi adventu tibi à Deo per Gabrielem revelatum sit, prome. Explica cuncta involucra, declara obscura, resera clausa. Coge Iudæos confiteri quod negatur, & non eis solummodo Christum venturum, sed & ipsum, quo venturus erat, tempus enarra. Et ne ipsorum obstinatæ tergiversationi aliquod diffugium pateat, vel locus usquam causandi supersit: ipsos eis à tempore tibi ostensæ visionis usq; ad Christū enumera. Audite ergo Iudæi Prophetam Dei, & cum lapillis vel ipsis manuum vestrarum digitis, à Daniele usque ad Christum annos Propheticos computate. Nolite jam ultra citráque Christum quærere, certissimum adventus ipsius annum tenete.

Audite igitur Gabrielem, Danieli loquentem: *Daniel animadverte sermonem, & intellige visionem. Septuaginta hebdomades abbreviata sunt super populum, & super urbem sanctam tuam: ut consumetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna, & impleatur visio & prophetia & ungatur sanctus sanctorum. Scito ergo, & animadverte ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Hierusalem, usque ad Christum ducem, hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duæ erunt. Et rursus ædificabitur platea & muri, in angustia temporum. Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus, & non erit eius populus qui eum negaturus est. Et civitatem, & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo & finis eius vastitas. Et post finem belli, statuta desolatio Confirmabit autem pactū multis hebdomada una, & in dimidio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium, & in templo erit abominatio desolationis. Et usque ad consummationem & finem perseverabit desolatio.* Quid agitis Iudæi? Ecce non solum annum adventus Christi, sed & passionis ac mortis ejus tempus vester Propheta describit. Nec istud tantum, sed quicquid vobis ex illo tempore contigit: Quod civitati vestræ, quod sanctuario, quod toti Iudaïcæ stirpi usque in hodiernum accidit, prædicere vel describere non omisit. Redite ergo ad annorum numerum, & ab hac Danielis visione usq; ad Christum, non solum tempus, & ipsum, in quo natus est, accipite annum. Sed ne forte moderni relatoris verba vobis vilescant, accipite eundem numerū non à moderno, sed ab antiquo, & doctissimo viro Tertulliano. Cui, licet de nostris fuerit, non credere non poteritis: cum ex Principum tempore, & veracium historiarum fide, ab eo veritati cedere coacti fueritis. Audite ergo ipsum: Vnde, inquit, ostendimus, quia Christus venit intra septuaginta hebdomades? Numera à primo anno Darij, quoniam ipso tempore ostenditur Danieli visio ipsa. Dicit enim ei: Intellige & conjice, à prophetatione sermonis responderе me tibi hæc. Vnde à primo anno Darij debemus cōputare, quando hanc vidit visionē Daniel. Videamus anni quomodo impleantur, usque ad adventum Christi. Darius regnavit annis decem & novem. Artaxerses quadraginta unum. Ochus, qui & Cyrus annis viginti quatuor. Argus anno uno. Alius Darius, qui & Medus nominatus est, annis xxij. Alexander Macedo, annis xij. Deinde post Alexandrum, qui & Medis & Persis regnaverat, quos devicerat, & in Alexandria regnum suum firmaverat, quando & nomine suo eam appellavit: post eum regnavit illic in Alexandria Sother, annis xxxv. Cui successit Philadelphus regnans annis xxxviij. Post hunc Evergetes regnavit annis xxv. Deinde Philopator, annis x. & vij. Post hunc Epiphanes, annis xxiv. Item alius Evergetes, annis xxvij. Sother, annis xxxviij. Ptolemæus, annis xxxviij. Cleopatra annis xx. mensibus v. Item Cleopatra conregnavit Augusto annis xiij. Post Cleopatram, Augustus aliis annis xlij. imperavit: Nam omnes anni Augusti fuerunt numero lvj. Videmus autem, quoniam in quadragesimo & primo anno imperij Augusti, qui post mortem Cleopatræ imperavit, nascitur Christus. Insuper vixit idem Augustus, ex quo natus est Christus, annis xv. Et erunt reliqua tempora annorum in die Nativitatis Christi in annum Augusti xlj.

A post mortem Cleopatræ anni ccccxxxvij. & menses v. Vnde adimplentur lx. duæ hebdomadæ & dimidia, quæ efficiunt annos ccccxxxvij menses sex in die Nativitatis Christi. Et manifestata est justitia æterna, & unctus est sanctus sanctorum, id est Christus, & signata est visio & Prophetia, & dimissa sunt peccata, quæ per fidem nominis Christi omnibus in eum credentibus tribuuntur. Quid est autem signari visionem & Prophetiam? Quoniam omnes Prophetæ nunciabant de ipso, quod esset venturus, & pati haberet. Igitur quoniam adimpleta est Prophetia per adventum ejus, propterea signari visionem & Prophetiam dicebat: quoniam ipse est signaculum Prophetarum omnium adimplens omnia quæ retro Prophetæ nunciarunt. Post adventum enim & passionem ejus, jam non visio, neque Propheta est, qui Christum nunciet esse venturum. Et post paululum: Videamus, inquit, quod aliæ vij. & dimidiæ hebdomades, quæ sunt subdivisæ in priorum hebdomadarum, in quo acto sint impletæ Post Augustum enim, qui supervixit post Nativitatem Christi, anni xv. efficiuntur. Cui succedit Tyberius Cæsar, & imperium habuit annis xxij. mensibus vij. diebus xxviij. Hujus nono decimo imperij anno

B patitur Christus, annos quasi xxxiij. cum pateretur. Item Caius Cæsar, & Caligula, annis tribus, mensibus septem, diebus xiij. Tyberius Claudius, annis xiij. mensibus vij. diebus xx. Nero annis octo, mensibus ix. diebus xiij. Galba, mensibus vij. diebus xxviij. Otho, mensibus iij. diebus v. Vitellius, mensibus viij. diebus xviij. Vespasianus, anno j. imperij sui debellavit Judæos, & fiunt anni numero quinquaginta duo, menses sex: Nam imperavit annis x. Atque ita in diem suæ expugnationis, Judæi impleverunt hebdomadas septuaginta prædicatas à Daniele.

Quid jam, ô Judæi errori vestro, quid obstinationi nefandæ, imò quid insaniæ condemnandæ reliqui est? Ecce numerum annorum exponente ac distinguente veraci, & docto viro, cernitis ab anno, quo hæc visio Prophetæ revelata est, usque ad ultimam civitatis

C ac regni vestri eversionem, infra septuaginta hebdomadas, hoc est ccccxc. annos consummatam prævaricationem, finem accepisse peccatum, deletam iniquitatem, adductam justitiam sempiternam, impletam visionem & Prophetiam, & unctum sanctum sanctorum. Hoc quomodo? Proferte si quid habetis, & ostendite quando, aut qualiter, vel per quem, infra hoc præscriptum tempus, hæc tanta, tam admiranda, tam amplectenda completa sint. Dicite, quomodo consummata prævaricatio sit, quomodo peccatum finem acceperit, quomodo infra eundem terminum adducta sit justitia sempiterna quomodo impleta visio & Prophetia: & tandem quis fuerit, qui eo tempore prædicatur unctus, sanctus sanctorum. Et his quidem diebus, sicut supra alterius sententiæ causa dictum est, fuerunt quidam, qui cum diademate, quod assumpserunt, fortassis etiam regiam sibi unctionem adhibue-

D runt. Primus Aristobulus, deinde ejus successor Alexander: Rursum alter Aristobulus, ac postmodum Herodes vel Archelaus. Sed nunquid Aristobulus, sanctus sanctorum? Nunquid Alexander, sanctus sanctorum? Nunquid Archelaus, sanctus sanctorum? Nonne, ut refert sæpedictus Iosephus, horum omnium scelerata exordia, deterior processus, ac pessimus exitus repertus est? Nemo ergo ex istis sanctus sanctorum. De nullo ergo istorum, Prophetæ ab Angelo dictum est, quod ungendus est sanctus sanctorum. Necesse est ergo vos infra has lxx. hebdomadas alium quærere, de quo dictum possit accipi, *ungatur sanctus sanctorum.* Necesse est insuper vos, aut ostendere qualiter eodem tempore peccatum finem acceperit, qualiter justitia sempiterna adducta, qualiter visio & Prophetia impleta sit: aut si hoc non potestis, ab aliis quærere quomodo factum sit. Nihil igitur restat, nisi ut unctum sanctum sanctorum, Christum Dominum nostrum intelligatis: qui unctus secundum hominem ab omnipotente patre est oleo exultationis, & sanctus sanctorum est, quia præ consortibus suis. Nec enim illi sicut aliis sanctis

E ad mensuram est datus spiritus, ut sanctus sanctorum esset. Nec id tantum, ut sanctus sanctorum esset: sed ut insuper sanctificandos omnes eodem suo, quo infusus est spiritu, sanctificaret. Quando vero finem accepisse peccatum, quando deletam iniquitatem infra hebdomadas sæpedictas accipere potestis: nisi vel quando ab ipso per baptismum suum omnium baptizatorum, vel baptizandorum peccata laxata sunt: vel quando ab eo discipulis dictum est, *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis?* Joan. 20. Quid & de tam lucida passionis ac mortis Christi prænunciatione dicetis? In quo enim clarior apparet mortem Christi Evangelista referens, quam Propheta prædicens: *Post hebdomadas*, inquit, *lxij. occidetur Christus.* O miseranda perfidorum surditas! ô detestanda impiorum cæcitas! Cur ad tantum Propheticæ vocis tonitruum non expergisceris? Cur ad tantum angelici Solis fulgorem oculos non aperis? Audis Angelum loquentem, vides Prophetam scribentem: *Post hebdomadas lxij. occidetur Christus.* Quid agitis? Quid dicitis? Ecce ne per lxx. annorum hebdomadas, id est, per

F quadringentos nonaginta annos, liber vobis daretur vagandi excursus: post lxij. occidendum Christum, & Angelus dicit, & Propheta scribit. Sexaginta ergo ac duabus præmissis, quid de lxx. hebdomadibus superest? Octo utique: Vrget igitur vox Prophetica, ut infra illas octo hebdomadas, Christum passum, Christum confiteamini occisum. Sed de illis octo, & dimidia hebdomada, juxta jam nominati auctoris computum, ipsa Nativitatis Christi die completa est. Restant igitur septem, & dimidia. In quarum enunciatione sumpto ab eadem Christi Nativitate principio, cóplentur hebdomades quatuor, additis quintæ hebdomadi annis quinque, & dimidio, id est ætatis Christi usq; ad ipsius passioné, annis triginta tribus, & dimidio. Superest ergo de hac quinta hebdomada annus & dimidius, tráctacta Christi passione. Quo anno & dimidio adjunctis duabus, quæ de septem suprascriptis supersunt hebdomadibus, fiunt anni xv. & dimidius. Quibus annis xv. & dimidio, addita media illa, quæ post vij. supererat, heb-

G domade, continente tres annos & dimidium, fiunt anni x. & ix. Vnde perspicuum est harum vij. hebdomadarum ac dimidiæ numerum sic completum, & Christum infra easdem hebdomadas, x. & ix. annis ejus passioné subsequentibus passum. Si ergo adnumerentur hæ vij. hebdomades, & dimidia, infra quas Christum passum probavimus, quas etiam exordium habere ab ipsa Nativitatis Christi die diximus: si, inquam, hæ vij. hebdomades & dimidia, cum aliis lx. duabus, & dimidia quæ Christi Nativitatem præcesserunt, annumerentur: septuaginta hebdomadarum ab Angelo Gabriele, vel Propheta Daniele prædictarum, summa implebitur. Infra quas, secundum præmissam temporum distinctionem, consummata est prævaricatio, finem accepit peccatum, deleta iniquitas, adducta justitia sempiterna, impleta visio, & Prophetia, & unctus sanctus sanctorum. Infra quas insuper, & ille sanctus sanctorum, H qui unctus, hoc est Christus dicitur, occisus est, & Judaïcus populus, qui eum ore blasphemo negavit, ab eo reprobatus est. Hoc si tibi obscurum videtur, audi idem apertius: Impletis, ut jam dictum est, ab anno hujus Propheticæ visionis, usque ad Christi Nativitatem lx. duabus hebdomadibus & dimidia, nonne de septuagenario hebdomadarum numero septem hebdomades & dimidia supersunt? Negare non potes. Et quot anni in septem hebdomadibus & dimidia numerantur? Vtique lij. & dimidius: Nam certum est, quod sicut semper hebdomades dierú, sic in hac Prophetica visione, per septenarium numerum hebdomades computantur annorum. Summa igitur septem hebdomadarum, & dimidiæ, complet annos quinquaginta duos, & dimidium. Hi ergo quinquaginta duo anni & dimidius, à die Nativitatis Christi, usque ad integram

A septuaginta hebdomadarum completionem supersunt. Numera igitur, Iudæe, quam subtilius poteris, & invenies infra lij. annos, & dimidium, triginta jam, & tribus annis elapsis, & dimidio, Christum passum, imò ut Propheta tuus loquitur, occisum. Triginta ergo tribus annis, & dimidio, subtractis de quinquaginta duobus & dimidio, remanent anni decem & novem. His decem & novem annis post Christi passionem seu mortem completis, integer septuaginta hebdomadarum à Daniele prædictarum numerus invenitur, & infra has unctus sanctus sanctorum: infra has idem unctus, id est Christus occisus, infra has deleta iniquitas, manifestata justitia sempiterna, impleta visio, & Prophetia Sole fulgentius declaratur. Quod si adeo historiarum peritus es, ut obijcias Tertullianum annos Claudij Cæsaris omnino reticuisse, & in annorum illius temporis numero à quibusdam aliis historicis diversum esse, respondeo, nihil hoc ad propositam rem. Dissideant, à passione B Domini in annorum numero, prout libet, historici, cum constet lucide probatum juxta sæpe dictam Danielis Prophetiam, infra septuaginta hebdomadas Christum natum, Christum passum, deletam esse iniquitatem, apparuisse justitiam sempiternam: & prorsus universa salutis humanæ sacramenta in ipso & per ipsum completa. Sed licet hoc dicam, licet quoddam falsum exemplar de principali Tertulliani libro exceptum, annos Claudij Cæsaris in annis Cæsarum, ut quondam legi, reticeat: ipse tamen auctoris liber, ubi nullus Cæsarum ab Augusto usq; ad Vespasianum & Titum intermissus est, sicut nullum eorum, ut sibi invicem successerunt, numerando excipit, sic integrum quibus imperio præfuerunt annorum numerum caute describit. Vnde quia semper purior est aqua fontis quam rivi, magis credendum est sollicito ad veritatem investigandam auctori, quam negligenter aliena transcribenti cuilibet exceptori. Vt igitur, ô Iudæi, ad debitum positarum sententiarum finem C citius accedam, oportet vos, necesse est vos, aut alium unctum, alium sanctum sanctorum, alium plane Christum, eo jam dictarum hebdomadarum tempore, eo earumdem hebdomadarum anno occisum ostendere: aut nostrum unctum, nostrum sanctum sanctorum, nostrum Christum, redemptorem & salvatorem suorum, non à quibuslibet, sed à patribus vestris eisdem diebus crucifixum, & ipso tormento crucis occisum, nobiscum suscipere. Et quia probatum est post quinquaginta duas hebdomadas, infra septuagesimam Christum occisum, quia & ipsa hebdomada, qua occisus scribitur, ostensa est, & ipse, quo occisus est, annus declaratus est: nolite, nolite, si sanum sapitis, alium ulterius Christum quærere, nolite alium expectate.

Advertite & illud quod sequitur in Prophetia, & in ea quidem prædictum, sed clarius in vobis impletum legite: *Non erit eius populus qui eum negaturus est.* Vere jam non estis eius, vere quamdiu inveterata insania D in vobis manserit, non eritis ejus. Non eritis ejus, non eritis, ut olim proprij: sed estis & eritis alieni. Psal. 17. sicut de vobis in Psalmo Deus loquitur: *Filij alieni mentiti sunt mihi, filij alieni inveterati sunt, & claudicaverunt à semitis suis.* Et impletum est in vobis, quod talibus in nostro etiam Evangelio ipse minatur: *Qui* Mat. 10. *negaverit me coram hominibus, negabo eum coram Angelis Dei.* Negastis eum quando occidistis, negastis Psal. 117. eum quando lapidem, qui jam factus est in caput anguli, reprobastis, negastis eum quando Iudici Ioan. 19. dicenti: *Regem vestrum crucifigam*, respondistis: *Non habemus Regem nisi Cæsarem.* Hinc agnoscite, prædictum de vobis ab Angelo, dictum à Propheta: *Non erit eius populus, qui eum negaturus est.* Nec prætereat vos illud, quod statim subdit: *Et civitatem & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, & finis eius vastitas. Et post finem belli statuta desolatio.* Nonne hæc omnia patres vestri experti sunt? Nonne hæc omnia propriis oculis contemplati sunt? Nonne statim F his septuaginta hebdomadibus finitis, veniens Romanus populus cum duce Vespasiano, ejúsque filio Tito, regnum Iudaicum destruxit? Nonne urbes universas evertit? Nonne ipsam regni vestri caput Hierusalem, & ejus sanctuarium dissipavit? Nonne succendit? nonne ad solum usque diruit? Nonne universum Iudæorum populum vario diversarum miseriarum exitu condemnavit? Nonne præter innumeros alios, in ipsa vestra principali urbe Hierusalem tempore obsidionis inventos tricies centena millia, aut occidit, aut captivavit? Hæc vastitas finis fuit civitatis vestræ, finis fuit sanctuarij vestri. Hunc finem, juxta Prophetica dicta, statuta desolatio sequuta est: Sed fortasse desolatio brevis, desolatio paucorum annorum. Non, non. Et quid dico, non? Audite Prophetam ipsum, audite Angelum Prophetæ loquentem. *Vsque ad consummationem & finem perseverabit desolatio.* Non erit, inquit, brevis, non F erit parvi temporis, non erit aliarum desolationum similis. Non erit similis oppressioni Ægyptiacæ, non erit similis captivitati Babylonicæ, non erit similis Assyriorum, vel Macedonum, sive quarumlibet gentium subjugationi: Nam omnes illas aliqua post non multum temporis sequuta est relevatio. Hanc vero novissimam desolationem, per mille jam ac centum annos, nulla saltem parva sequuta est consolatio. Et quid dico, non est sequuta? Dico quod plus est, nullo unquam deinceps tempore sequetur. Audite intentè Prophetam: *Vsque ad consummationem & finem perseverabit desolatio.* Vsque ad quam consummationem? Vsque ad quem finem? Vsque usque ad consummationem rerum, usque ad finem mundi. Quid igitur adhuc Christum phantasticum somniatis? Quid adhuc Christum falsum, imò nullum speratis? Quid libertatem terrenam, adhuc vobis reddendam [illegible]? Quid ad repromissionis antiquæ veterem terram reditum præstolamini? Audite, capite, advertite Gabrielem loquentem, Danielem scribentem: *Vsque ad consummationem & finem perseverabit* G *desolatio.* Probatum est igitur, ô Iudæi, ut arbitror, quadrifaria divisione, Christum à Prophetis multipliciter prædictum, aut prædicatum, Dei filium intelligi oportere. Nec Dei filium more quorundam hominum, qui propter aliquam à Deo sibi datam gratiam, filij Dei dicti sunt: sed propter ipsam naturalem ex essentia Patris generationem, esse Dei filium. Probatum est ipsum Dei filium, esse etiam Deum. Nec de numero illorum Deorum, de quibus legitur, *Deus Deorum, Dominus loquutus est:* sed vere sicut lumen ex lumine, sic Deum verum de Deo vero. Probatum est eundem Christum nullo modo terrenum vel carnalem regem sentiendum, nec regnum ejus temporale credendum: Nam ostensum est, non congruere terrenum principatum Deo, non convenire peritura æterno. Probatum est Christum jam venisse, nec H eum qui jam venit quasi qui non venerit, à Iudæis vel quibuslibet aliis expectandum esse. Cum ista omnia, ô Iudæi, & auctoritatibus sacris, & rationibus invictis probata sint, quid sustinetis? Si scripturis vestris fidem datis, auctoritatibus cedite: Si rationales aut rationabiles estis, rationi adquiescite. Quod si etiam curiosi, juxta Apostolum nostrum, *Iudæi signa* 1. Cor. 1. *petunt*, miraculis hæc universa confirmantibus credite. Nolite jam extollere in altum cornu vestrum, nolite Psal. 74. loqui adversus Deum iniquitatem. Nolite de miraculis legis vestræ tempore factis gloriari, nec ea vel aliqua de causa Evangelio Christi præponere. Magna quidem, & multa fuerunt Iudaïcæ legis miracula, sed longe maiora, & incomparabiliter plura miranda Christianæ fidei opera: Nam ut de miraculis ipsis, quæ numero comprehendi non possunt, taceam, ipsos miraculorum factores à principio Christianæ gratiæ usque ad nostra tempora quis explicet? Quis explicet tot tantósque ab ipsis Domini Christi diebus per totum orbem diffusos, qui divinis ac stupendis operibus

A superbam mundi cervicem calcarunt, eamque humilitati Christianæ fidei subdiderunt? Confer Moysem tuum, Iudæe, non dico Christo, sed saltem si audes, ejus Apostolo Petro: & videbis quis cui in talibus præponi debeat, quis quem potentibus in raculis exsuperet. Diviserit ille Deo jubente rubrum mare, pluerit manna de nubibus, produxerit aquam de rupe, & quædam similia, magna quidem, sed pauca. Sed quid ista ad Petrum? Taceo quod dæmonibus imperaverit, quod mortuos suscitaverit, quod universa morborum genera, non solùm jussu, sed & sola corporis sui umbra sæpe curaverit; quod miranda omnia quæcumque voluit, & prout voluit, fecerit. Ea tantum quæ per innumeros discipulos ad diversas mundi partes causa ferendæ fidei directos operatus est, quæ memoria recolligere, quæ lingua poterit effari? Nam non dico paucos, non dico multos, sed dico populos ipsos à pestibus variis ereptos; à morbis diversis curatos: mortuos non solùm triduanos vel quatriduanos, sed quadragenarios, discipulorum Petri virtute suscitatos: Solem fixū, montes translatos, maria

B scissa, calcatas undas, elementa victa, quando enarrare sufficiam? Sed fortassis solum Petrum inter Apostolos signis talibus emicuisse putabis. Non hoc Petro soli dictum est, ipsis omnibus duodecim ejus coapostolis à

Mat. 10. Christo injunctum est: *Infirmos*, ait, *curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones ejicite.* Et item:

Luc. 10. *Ecce dedi vobis potestatem calcandi super ser-*

Mat. 17. *pentes, & scorpiones, & supra omnem virtutem inimici.* Ac supra: *Nolite gaudere, quia spiritus vobis subjiciuntur.* Et alibi: *Si habueritis fidem, sicut granum sinapis, & dixeritis monti: Transi in mare, transibit.* Nec sublimis ista tantaque miraculorum potestas duodecim solis Apostolis, vel his, qui ei mortaliter in carne adhæserunt, data est. Audi quid de universis vere credentibus à Christo jam passo, mortuo, ac suscitato

Mar. ult. dicatur: *Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur. In nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis. serpentes tollent: Et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit. Super ægros manus imponent, & bene habebunt.* Non est, Iudæe, numerus Christianorum, non est nu-

C merus mirandorum Christianæ fidei operum. Infinitus plane est numerus operum, infinitus numerus operantium. Præter Moysem, Iosue, Gedeonem, Samsonem, Samuelem, Esaïam, Æliam, Helisæum, Ionam, miris operibus insignitos, paucos habet lex tua, innumerabiles miraculorum exhibitores fides habet & habuit Christiana. Quid igitur ultra susurras? Quid mussitas? Da tandem, da manus Christo, quem Dei filium, quem Deum, quem Regem æternum, quem jam certo, & longe ante prædicto tempore venisse, tot auctoritatibus sacris, tot rationibus indubiis, tot tantisque prodigiorum signis probasti. Noli ultra conqueri legem Mosaïcam à Christo mutatam, quia sicut Deus est, qui illam dedit, ita Deus est, qui hanc Evangelicam teneri mandavit. Non alter, & alter Deus, alter illam, alter istam: sed idem ipse Deus Christus, qui priorem illam antequam per carnem

D hominibus appareret, Iudæis tradidit: ipse jam factus homo, ut hanc secundam novam, & ultimam observarent, universis tam Iudæis quam gentibus imperavit. Qui si Deus est, utique quod præcipit tenendum est: Sed auctoritatibus, rationibus, ac miraculis, Deus esse probatus est. Sequitur ergo, ut quod dixit, ratum

Mat. 11. habeatur: quod præcepit, ut Dei præceptum servetur. Si igitur Deo contraire refugis, necesse est te Christi Dei mandata suscipere, necesse est te ejus suave, ut ipse loquitur, jugo, colla diu multúmque olim superba submittere. Non erit tibi si Christum Deum agnoscis, ultra nobiscum inveterata quæstio, non vetusta velut spretæ legis tuæ querela: quod circumcisionem Christianus abjiciat, quod Sabbathum contemnat, quod legalibus sacrificiis non inserviat. Videbis & intelliges, licuisse Deo congruentia singulis temporibus dispensare, & nunc ista, nunc illa, aliis & aliis:

E nunc singulis, nunc pluribus, nunc omnibus, pro sibi soli ad integrum nota ratione personarum, causarum, temporum, dispensare. Advertes, si bene perspexeris, Deum non solo Christianæ gratiæ tempore nova mandasse: cum agnoveris eum ab ipso humanæ creaturæ principio, scripturis tuis attestantibus, similia sæpe fecisse. Nonne nova, & quæ ante non dixerat, dixit, quando peccantis hominis reatum puniens, ait: *Ma-* Gen. 3. *ledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes eam cunctis diebus vitæ tuæ*, & reliqua? Nonne nova, & quæ ante non legitur permisisse, concessit, quando post deletum diluvio mundum, Noë locutus est: *Omnes* Gen. 9. *pisces maris manui vestræ traditi sunt, & omne quod movetur & vivit, erit vobis in cibum.* Et statim: *Quasi olera virentia tradidi vobis omnia, excepto quod carnem cum sanguine non comedetis?* Qui & novam legem, de qua usque ad tempus illud reticuerat, promulgans adjunxit: *Sanguinem enim animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum, & de manu hominis. De manu viri, & fratris ejus, requiram animam hominis. Quicumque fuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius. Ad imaginem quippe Dei factus est homo.* Nonne nova, & de quibus prorsus ante siluerat, præcepit, quando Abrahæ patri nostro secundum fidem injun-

F xit, dicens: *Hoc est pactum quod servabitur inter me* Gen. 17. *& vos, & semen tuum post te, circumcidetur ex vobis omne masculinum, & circumcidetis carnem præputii vestri, ut sit in signum fœderis inter me & vos*, & cætera quæ sequuntur? Nonne nova, & quæ per tot sæcula celaverat, mandavit, quando Sabbathum, quando initia mensium, quando solemnitates multiplices, quando sacrificia multiplicia multiformia: & ut breviter multa concludam, quando totum corpus legis de qua magis superbire quam ædificari soletis, verbo scriptoque per Moysem patribus vestris dedit? Et quis facile cuncta enumeret, quæ divinitas saluti hominum consulens, non simul, sed paulatim, sed universaliter, vel particulariter, per multos non eodem, sed diversis temporibus, servari mandavit? Si ergo toties Deus ante hominem Christum hominibus nova ac diversa mandavit, quid mirum si idem Christus in eadem persona homo simul & Deus, quæ magis diebus istis congruere mortalibus vidit, præcepit? Sed fortasse dices: Nova quidem sæpe Deum præcepisse probasti. Sed le-

G gem ad ultimum per Moysem datam, mutandam, & finiendam esse nec probasti, nec probare potes. Probo, inquam, ac primum Esaïam propono: *Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit Domi-* Isai. 1. *nus? Plenus sum. Holocausta arietum, & adipem pinguium, & sanguinem vitulorum, & agnorum, & hircorum nolui.* Et infra: *Incensum abominatio est mihi. Neomeniam, & Sabbathum, & festivitates alias non feram. Iniqui sunt cœtus vestri: Calendas vestras, & solemnitates vestras odivit anima mea.* Sed forte irati atque indignantis Dei verba hæc esse dices, nec universa ista eum reprobare, nisi causa peccatoris tunc populi contendes: Sed audi eum nulla præmissa irarum causa, loquentem in Psalmo: *Non accipiam de domo* Psal. 49.

H *tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos.* Et post quædam: *Numquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo?* Quibus sacrificiis reprobatis, quid malit, vel quid eis præferat, subdit: *Immola Deo* Mal. 1. *sacrificium laudis*, & sequentia. Audi & Malachiæ testimonium, quod superius alia de causa proposui: *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra.* Audi & illud, cui refragari non poteris, & quo probato, obmutescere compelleris; Audi certe Deum pollicentem, se nova præcepta daturum, & testamentum vetus, testamentum Mosaicum novo & æterno Christi testamento immutaturum: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & disponam* Hier. 31. *testamentum domui Iuda, non secundum testamentum quod dedi patribus eorum, quando apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Ægypti. Sed testamentum novum disponam eis, dando leges meas in mentibus*

A *eorum, & in cordibus eorum scribam eas.* Qui & superbiam vestram de talibus gloriantem humilians, & con-
Ezech. 20 tundens per Ezechielem loquitur: *Ego dedi eis præcepta non bona, & judicia in quibus non vivent, & pollui eos in muneribus suis, cum offerrent omne, quod aperit vulvam, propter peccata sua.* Quid igitur? Nonne omni die clarius probatum est, quod nova mandata frequenter mundo Deus tradidit, & ipsam Moysi legem mutandam esse prædixit? Hoc agnosce, Judæe; factum per fidem Christianam, impletum per legem Evangelicam: & tamdiu viguisse testamentum vetus transitorium, quousque perveniretur ad novum & æternum.

Sed ut acutiore, prout tibi videtur, sagitta Judaïcâ pharetra exhauriatur, produc jam illam, & quantis poteris viribus in nostram, ut summè exoptas, necem emitte. Et quid est, inquis, illud, quod tam frequenter in lege nobis data Deus iterat, quod tam sæpe replicat, legem ipsam nullo unquam tempore finiendam; quod præcipit sacrificiis, cultibus diversis, omnique ritu ibi descripto, a nobis perpetuandam? Quid
B est certe, quod Agni immolatione præcipientis Dei
Exod. 12. verba leguntur in Exodo: *Habebitis hanc diem in monumentum, & celebrabitis eam solemnem Domino in generationibus vestris cultu sempiterno?* Quid est & illud, quod de eadem re in eodem libro proxime scribitur: *Custodi verbum istud legitimum tibi, & filiis tuis usque in æternum?* Nonne & liber Leviticus idem astruit? Referens enim, & distinctè proferens multiplicia de diverso sacrificiorum genere mandata Dei, interserit
Levit. 6. hæc: *Tollet Sacerdos pugillum similæ, quæ conspersa est oleo, & totum thus quod super similam positum est, adolebitque illud in altari, in monumentum odoris suavissimi Domino.* Et quibusdam interpositis subdit: *Legitimum sempiternum est in generationibus vestris, de sacrificiis Domini.* Rursus post aliquanta: *Vinum, & omne quod inebriare potest, non bibetis & filii tui, quando intratis*
C *tabernaculum testimonii, ne moriamini, quia præceptum est sempiternum in generationes vestras.* Item cum de primitiis segetum Deo offerendis idem liber Leviticus
Levit. 23 ageret, addit: *Eodem die, quo manipulus consecratur, cædetur agnus immaculatus anniculus in holocaustum Domini. Et libamenta offerentur cum eo, duæ decimæ similæ conspersæ oleo in incensum Domini, odoremque suavissimum. Liba quoque vini quarta pars hin.* Ac verbis intermissis: *Præceptum est,* inquit, *sempiternum in generationibus cunctis, habitaculis vestris.* Et post pauca: *Facietis,* ait, *& hircum pro peccato, duosque agnos anniculos in hostias pacificorum. Cumque elevaverit eos Sacerdos cum panibus primitiarum coram Domino, cedent in usum ejus.* Ac statim: *Et vocabitis hunc diem celeberrimum, atque sanctissimum. Omne opus servile non facietis in eo. Legitimum sempiternum erit in cunctis habitaculis & generationibus vestris.*
D Hunc sequens liber Numeri, quiddam simile ad legis nostræ æternitatem pertinens subjungit: *Die Sabbathi offeretis duos agnos anniculos immaculatos, & duas decimas similæ oleo conspersæ in sacrificio, & liba quæ rite funduntur per singula Sabbatha in holocaustum sempiternum.* Nec multis interpositis, de sacrificiis primæ diei mensis septimi agens, ait: *Offeretis & hircum pro peccato, qui offertur in expiatione populi, præter holocaustum calendarum, cum sacrificiis suis. Et holocaustum sempiternum cum libationibus solitis, eisdem cæremoniis offeretis, in odorem suavissimum incensum Domino.* Cum ergo toties, & toties legis nostræ æternitas commendetur, quid mutatam asseris, quid prædictum forsitan quod mutari eam affirmas? Sed audi adhuc expressius de libro Deuteronomii testimonium, & ex illo saltem, nullo eam tempore mutari debuisse vel debere, cognosce. Loquens enim Moyses in pene dicto libro patribus nostris, hæc ait: *Ponite hæc verba mea in cordibus, & in animis vestris, & suspendite ea pro signo in manibus, & inter oculos vestros collocate. Docete filios vestros, ut illa meditentur.* Et quibusdam interpositis: *Ut multiplicentur,* inquit, *dies tui, & filiorum tuorum, in terra quam juravit Dominus patribus tuis,*

*ut daret eis quamdiu cælum imminet terræ.* Quid his
E evidentius ad legis nostræ perpetuitatem demonstrandam dici potuit? Audi & de eodem Deuteronomii libro mandata legislatoris nostri, & ex his utrum saltem in aliquo lex nostra mutanda sit, adverte. *Non addetis,* ait, *ad verbum quod vobis loquor, neque auferetis ex eo.* Et illud alibi in eodem libro, post multiplices quæ præcedunt maledictiones, velut in clausula earumdem maledictionum subjunctum: *Maledictus qui non permanet in sermonibus legis hujus, nec eos opere perficit. Et dicit omnis populus, Amen.* Verum est, Judæe, verum est plane ut video, quod de te tuisque
2. Cor. 3. ait Apostolus noster. Quamdiu legitur Moyses velamen est positum super cor eorum. Verum est & illud quod Christus non vester, sed noster, post lumen cæco nato donatum, ait: *In judicium ego in hunc mun-*
Joan. 9. *dum veni, ut qui non vident videant, & qui vident cæci fiant.* Nam ecce oculi vestri Deum olim videntes excæcati sunt, gentium oculi usque ad Christi tempora clausi, ab eo aperti sunt. *Tenentes,* inquit, *omnes legem nescierunt me.* Tenet certe legem Judæus, &
F Deum ignorat: legit eamdem Christianus, & ex ea Deum agnoscens adorat. Sed redi ad proposita Judæe: Objecisti quicquid fortius objicere potuisti, unde legem Mosaïcam perpetuam debere esse ostenderes, & unde quod de mutatione ejus dictum fuerat velut invincibili ratione quassares. At ego interrogo: Sententiæ, quas ad legis tuæ æternitatem comprobandam ex pentatheuco objecisti, a Deo per Moysem prolatæ sunt? Utique respondes, à Deo. Inde prosequor: Sententiæ quas ad legis tuæ immutationem demonstrandam ex Prophetis protuli, a Deo per ipsos prolatæ sunt? Nec istud, ut æstimo, imò (ut optimè novi) negas. Hoc si ita est, quanta in verbis divinis juxta tuum intellectum appareat dissonantia, manifestum est. Et ut clarius eluceat quod dico, de objectis à te sacræ scripturæ testimoniis, unum pro omnibus, hoc est, omnium vice assumam. *Habebitis,* inquit Deus de immolatione agni Paschalis agens, *hanc diem in monu-*
G *mentum, & celebrabitis eam solemnem Domino in generationibus vestris cultu sempiterno.* Assumo & de his quæ à me ex adverso proposita sunt, vice universorum, unum de Hieremia testimonium: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & disponam testamentum domui Juda, non secundum testamentum quod dedi patribus eorum, quando apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Ægypti. Sed testamentum novum disponam eis, dando leges meas in mentibus eorum, & in cordibus eorum scribam eas.* Audisti Judæe: Vide, attende, verte omnes tete in facies, & contrahe quicquid sive animis sive arte vales. Negare non potes, imò hoc ut ego fateris, illud à Deo per Moysem, istud ab eodem per Hieremiam prolatum. Fac ergo, fac, inquam, si vales, ne ille quem fidelem legis in verbis suis, de quo frequenter
Psal. 5. & legis & cantas, quod perdat omnes, qui loquuntur mendacium: ne plane & ipse in verbis suis men-
H dax appareat, ne mendacibus, quos ipse perdere scribitur, associetur. Hanc enim rem tam nefariam, tam blasphemam, de illo etsi non advertis, sentire videris. Et quid dico sentire videris? Imò hoc aperte profiteris, quando hunc Deum legem perpetuam dedisse, hunc eumdem quod finienda esset, prædixisse fateris. Elige certe, elige de duobus quod volueris alterum: Nam si verum est quod de legis juxta Judaïcum intellectum æternitate per Moysem dixit, falsum est quod de ejus immutatione per Hieremiam prædixit: Si verum est quod juxta Hieremiam mutanda fuerit, falsum est quod juxta Moysen eam Deus perpetuam esse præcepit. Quod quia de Deo sentire impium (ut nosti) ac detestabile est, aut dissolve, si potes, objectum nodum sensu Judaïco, aut si non potes, quod vere non potes, adquiesce sano ac veraci intellectui Christiano. An hæc ergo sunt, nec doceri ea dubites, quia super omnia stultum est malle errare quam discere: malle propriis tenebris obtundi, quam lumine,

licet

A licet alieno, perfuncti. Adverte non potuisse Deum verba sibi contraria vel in invicem adversa proferre, ut hinc legem, quam tradebat, iuxta tuum intellectum æternam esse diceret, inde rursum finiendam esse prædiceret. Non plane ut æternam, sed plane ut finiendam legem tibi tuisque tradidit. Quomodo certe, quomodo legem traderet non finiendam in mundo, cum suis omnibus vel Iudæis vel gentibus suo & certo, quod Deus novit, tempore finiendo? Quomodo, inquam, lex data est absque fine, in orbe qui non caret fine? Quomodo lex æterna data est non æternis? quomodo data est, non solum paulatim morituris, sed quandoque omnino defecturis? Nam si, ut longe supra si nihil de causa præmisi: cœlum & terra iuxta Psalmi tui verba peritura sunt: cui non pateat, quod nec sacrificia Iudaica, nec ritus multiplices, nec universa B tandem in lege illa iussa vel descripta superesse poterunt? Sed forte de verbo causaberis; forte tuo more sono literæ adhærebis. Contendes pertinaciter, vocari in scriptura illa legem perpetuam, vocari legem æternam. Sed recordare si audisti, disce si non didicisti, æternum non semper intelligi absque termino, perpetuum non semper accipi absque fine. Habes hoc in libro Regum secundo. *Factum est*, inquit, *in nocte illa, & ecce sermo Domini ad Nathan dicens. Vade & loquere ad servum meum David hæc dicit Dominus Nunquid tu ædificabis mihi domum ad habitandum?* Et aliquantis versibus interpositis. *Suscitabo*, inquit, *semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo, & firmabo regnum eius. Ipse ædificabit domum nomini meo. Et stabiliam thronum regni eius usque in sempiternum.* Et post quædam. *Fidelis erit domus tua, & regnum tuum usque in æternum, ante faciem meam, & thronus tuus erit firmus iugiter.* Quid ad hæc dicis? Nonne iam invenisti sempiternum cum termino? nonne invenisti æternum cum fine? *Stabiliam*, inquit, *thronum regni eius usque in sempiternum.* Cuius eius? Plane iuxta Iudaicum, hoc est, carnalem intellectum tuum, Salomonis, vel ei in regno Iudaico succedentium regum. Vides adhuc hoc sempiternum ante secula multa finitum? Finitum vere

2 Reg. 7.

G est, ipso adventu Christi Domini nostri; ex quo & à quo temporalis thronus filiorum David subductus est: nec ultra in sempiternum restaurandus est. Quid & de sequenti, quod propositum est, testimonio dices? De illo inquam testimonio. *Fidelis erit domus tua, & regnum tuum usque in æternum*: Numquid domus David, id est potestas David, fidelis Deo mansit post ipsum, & hoc in æternum? Nonne adhuc vigente regno Davidicæ stirpis in Iuda, adeo quorumdam regum infidelitas vel perversitas notatur, ut de quibusdam eorum verax scriptura testetur; tot annis ille vel ille regnavit, fecitque quod malum est in conspectu Domini. Nunquid fidelis Deo Ioram? numquid fidelis Acaz? numquid fidelis Sedechias? Numquid in Manasse filio Ezechiæ idololatria profano detestando, domus David vel regnum eius Deo fidele permansit? Et ubi est iam illud tuum, contra quod ago, æternum? Nam si æternum, quomodo non dico quandoque, sed quomodo tam cito finitum? Quid ultra iam exiges? Audis stabiliendum thronum David usque in sempiternum cum ante mille annos cessaverit. Audis fidelem futuram

D domum eius usque in æternum, cum, ut memoratos præteream in ipso Salomone eius filio Idola colente, fidelitas illa, quæ vocatur æterna, defecerit. Et ut multiplici auctoritate, æternitatem sæpe pro finito tempore ex libris non alienis, sed tuis, poni convincam: audi quid simile de eadem re Deo decantet ipse David. Introducens enim Deum de se loquentem, sic ait, *Ponam in seculum seculi semen eius, & thronum eius sicut dies cæli.* Et infra post aliquot versus. *Semel iuravi in sancto meo, si David mentiar: semen eius in æternum manebit.* Et statim. *Et thronus eius sicut Sol in conspectu meo, & sicut Luna perfecta in æternum.* Et quid necesse est, etiam ista sigillatim notare? Certum enim est, patens est, negari non potest, verbis illis, quæ leguntur, *Ponam in seculum seculi semen eius*: vel illis, *Semen eius*

E *in æternum manebit*: aut illis, *Thronus eius sicut Sol in conspectu meo, & sicut Luna perfecta in æternum*, nequaquam æternitatem signari infinitam, quam & ex parte videmus finitam, & ex toto novimus finiendam. Ex parte videmus finitam, quia regnum & temporalem thronum filiorum David, à longo, ut iam dictum est, tempore subversum cernimus: & ipsum semen, hoc est successionem David, saltem cum ipso mundi termino finiri, nemo qui dubitet. Et hæc quidem exempla, quæ ad probandam æternitatem finitam, de Regum libro & Psalmis protuli, de semine David, de regno seminis David, Christiano sensu de Christo accipimus, eoque intellectu sicut thronum, id est regnum eius terrenum negamus, sic non temporale, sed absque ullo fine æternum omnimodo affirmamus. Sed

F quia tecum ago, qui ab intellectu isto longe es, tuo te sensu convenio, & æternitatem infinitam in verbis illis accipi non posse ostendo. Æternum enim, hoc est, infinitum non potest dici regnum, quod iam periit: semen David, id est successio regnantium post David perpetua dici non potest, quæ non subsistit. Vis adhuc Iudæe plura his testimonia, quibus æternitas non, ut sic dicam, semper demonstretur æterna? Audi post illa quæ audisti, quid Moyses tuus, immo magis noster, de vendito in servum Hebræo præcipiat. Nam præmissis quibusdam, quæ, quia ad rem de qua agitur non pertinent, prætermitto, subdit. *Sin autem dixerit, nolo egredi, eo quod diligat te, & domum tuam, & bene sibi apud te esse sentiat: assumes subulam & perforabis aurem eius in ianua domus tuæ, & serviet tibi usque in æternum.* Audi & aliud de eodem libro Deuteronomij, de quo & istud præcedens assumptum est. Scribens enim Moyses iudicium sacerdotum, populo, & ab his qui offerunt victimas, adiungit istud. *Ipsum enim, ait, elegit Dominus Deus tuus de cunctis tribubus, ut stet & ministret nomini Domini ipse & filij eius usque in sempiternum.* Simile huic & in Paralipomenon primo reperies. *Separatus est*, inquit, *Aaron, ut ministraret in sancta sanctorum, ipse & filij eius in sempiternum, ut adoleret incensum Domino secundum ritum suum, ac benediceret nomini eius in perpe-*

Deut. 15.

Par.

G *tuum.* Sed nunquid semper necesse mihi erit, toties totiesque vel reserare quæ aperta sunt, vel illustrare quæ clara sunt? Quid est quod dixi? Mirum certe videtur, sed verum est. Nam quæ cunctis aliis patent, tibi soli clausa sunt, quæ cunctis aliis clarent, tibi soli obscura sunt. Claret enim cunctis, notum est universis, servum Hebræum nec aure perforata, nec aure illæsa, Domino suo servire in æternum: nec sacerdotem electum à Deo, vel filios eius Deo ministrare potuisse in sempiternum. Nam & servo moriente, necesse fuit ei, ut sic loquar, mori servitium: & deficiente sacerdote, vel filiis eius, eorum necessario oportuit deficere ministerium. Ex his universis conijce, adverte, intellige, verba hæc, æternum, perpetuum, sempiternum: non semper poni ad designandum aliquod infinitum, sed aliquando ad demonstrandum temporale aliquod & finitum. Inde est & illud cui vel resistere, vel in contrarium pervertere si potueris, vere cuncta sane intellecta insane interpretari poteris. Audi ergo canticum ipsius Moysi, Aaron, Mariæ, totiusque gentis tuæ, quæ Israel vocabatur. Notum est Canticum, non tantum tibi tuis-

H que, sed etiam orbi terrarum. Transmisso enim iam rubro mari, Pharaone submerso, Ægyptiis extinctis, laudibus divinis hoc a cantantibus additum est. *Dominus*, inquiunt, *regnabit in æternum & ultra.* Nunquid hoc æternum pro infinito accipitur? Si pro infinito accipitur, ut quid ei ultra additur? Infinitæ enim æternitati quid addi potest? Quid plane, quid ultra illam est. Aut igitur remove hoc, ultra, & intellige hic æternitatem infinitam, aut si illud ultra removere nolueris, accipe illud quod ibi legitur æternum, licet valde prolixum, tamen pro finito positum. Quia ergo aliter hinc exire non potes, quia aliter pedem de hoc

Exod. 15.

ligneo educere non prævales: agnosce hoc, de quo agitur, æternum, pro momentis licet finita temporis quantitate scriptum, sed cum illi additur vltra, oportere intelligi absque vllo fine vel termino sempiternum. Præter has sacras ac supra positas auctoritates, est non solum divinus, sed etiam humanus & communis mos iste loquendi: quo non infinitas, sed quædam maior minorve temporis prolixitas designatur. Hunc modum ab vniversis pene assidue frequentari, etiamsi negligenter aurem loquentibus admoveris advertes. Quis enim loquens non in verbis frequenter hoc non dicit, Semper te dilexi, semper te diligam, semper tamen odivi, semper odiam: semper hic pauper erit, semper & hic dives, semper ille mentitur, semper hic loquitur: semper hic tacet, mille similia? Cumque in propria sua significatione, hoc, de quo loquor, acceptum, nil minus significet quam æternum infinitum, qui tamen illud proferunt, nullam in eo intelligunt infinitatem, sed vt supra dixi longam plus minusve, sed tamen finitam, temporis quantitatem. Hinc est illud Latini nostri.

*Serviet æternum, qui parvo nesciet vti.*

Hinc & illud.

*Sedet; æternumque sedebit.*
*Infelix Theseus.*

Quo versus fine, sequentisque principio, licet eius quædam mala æterna, hoc est, sine termino prolator intellexerit: quod tamen æternum, hoc est, absque fine sessurus esset, omnino non sensit. Inde magnus ille apud Latinos.

*Vix e conspectu Siculæ telluris in altum*
*Vela dabant læti, & spumas salis ære ruebant:*
*Cum Iuno æternum servans in pectore vulnus,*
*Hæc secum. Me-ne incœpto desistere victam?*

Item idem.

*Tanton' potuit compellere motu*
*Iupiter æterna gentes in pace futuras?*

Sed prolator horum versuum, nec vulnus in pectore Iunonis contra Troianos iratæ, æternum absque termino sensit, nec gentes futuras in æterna, hoc est, infinita pace mansuras, quod fieri non poterat, intellexit. Sunt adhuc plura de his exempla, sed vt æstimo sufficiunt ista. His omnibus, Iudæe, probatum est, ad legis tuæ infinitatem probandam, frustra te tot æternitatis nomina produxisse, cum constet & auctoritatibus sacris & humani vius exemplis, æternitatis nomine non semper res infinitas, sed quandoque etiam finitas signari. Sed forte tu ad hæc Æternitatis quidem nomen, quandoque pro finito tempore accipi, ex præcedentibus probas, sed quod aliquando etiam pro infinitate accipiatur, non negas. Non nego, inquam, sed prorsus confirmo. Ergo, inquis, vtrumque concedis, hoc est, quod æternitatis nomen quandoque pro finito accipiatur tempore: quandoque etiam pro infinitate. Verum est, inquam. Si igitur, inquis, verum est, quod pro vtraque significatione, hoc est, finita vel infinita, æternitatis nomen sæpe ponatur, vnde cogis vnde probas, quod ad legis Iudaicæ infinitatē ostendendam à me prolata testimonia magis finita esse debeant quam infinita? Probo, inquam, & ad istud concedendum necessario argumentum impello. Quod vt brevius fiat & clarius, redeant rursum ad medium illa duo, quæ superius posita sunt, vnum à me, aliud à te. A me verba Hieremiæ, a te verba Moysi. Hieremiæ illud est. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & dabo novum testamentum domus Iuda, non secundum testamentum quod dedi patribus vestris, quando apprehendi manum eorum, vt educerem eos de terra Ægypti. Sed testamentum novum disponam eis, dando leges meas in mentibus eorum, & in cordibus eorum scribam eas.* Moysi illud est. *Habebitis*, inquit Deus de immolatione agni paschalis agens, *hanc diem in monumentum, & celebrabitis eam solemnem Domino in generationibus vestris cultu sempiterno.* Hæc duo, vt supra dixi, ex adverso sibi invicem opposita, & iuxta intellectum tuum omnino contraria sunt. Quod enim vna ex his duabus sente ntiis affirmat, altera negat. Affirmat Moyses, æternam, hoc est, iuxta te nunquam finiendam legem. Affirmat Hieremias mutandam, hoc est, aliam non iuxta morem vel ritum prioris dandam. Vides adhuc alterum ex his duobus stare non posse? Vides nisi aliter senseris, aut Moysen fallacem, aut Hieremiam? Vnde ne tam solennes & famosi veritatis ministri mendaces appareant, necesse est aut Hieremiam sic exponi, vt legis iuxta tuam sententiam infinitas monstretur, aut Moysi verba sic accipi, vt quod de mutatione legis Hieremias protulit, verum esse probetur. Sed in Hieremiæ verbis quis Iudaicus, quis Christianus etiam valde perspicax ac lynceus, vt dicitur, oculus, aliud quam quod absque nubilo, absque tegmine, absque figurarum involucris produnt? Produnt vtique hoc, manifeste denunciant hoc, quod iuxta testamentum à patribus datum dispositurus esset Deus aliud testamentum. Quod plane novum vocat, quia vetus præcesserat. Quod ergo aliud, quid certè aliud in testamento veteri accipere poteris nisi Iudaicam legem quæ præcesserat, & in testamento novo Christianam, quæ secutura erat? Cum hoc ita sit, cum in his Hieremiæ verbis nihil aliud quam quod dictum est intelligi possit, nec in aliam quamlibet partem quolibet astu Iudaico retorqueri: cogeris, Iudæe, ad Moysi transire sententias, & illa æternitatis vel perpetuitatis nomina quæ præmissa sunt, non pro infinitate, sed pro finito tempore esse posita mecum sentire. Hoc modo accipe dictum illud quod de agno Paschali proposuisti, hoc modo de multiplici sacrificiorum varietate, hoc modo de Sabbati cultu, hoc modo de ipsa, quæ, vt noster Dominus dicit, non à Moyse est, sed ex patribus circumcisione. Hoc modo, inquam, intellige, hoc modo expone, vbicumque in consimilibus legis tuæ locis æternitatis nomen scriptum inveneris. Cumque ibi æternum pro finito tempore intellexeris, nec Moysen Hieremiæ, nec Hieremiam Moysi contrarium invenies, & legem quam finiendam esse Hieremias prædixit, finitam agnosces. Finitam dico, vt quidam magnus ex nostris ait, non quantum ad modum agendæ vitæ, sed quantum ad modum significandæ vitæ. Nam quantum ad modum agendæ vitæ pertinet, quod lex vetusta Iudæis, hoc & Evangelium Christianis imperat, & vnusquisque nostrum pro gratia & viribus servare contendit. Nam *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & proximum tuum sicut teipsum*: &, *non habebis deos alienos coram me*, &, *honora patrem tuum & matrem*, & *non occides*, *non mœchaberis*, *non facies furtum*, *non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium*: &, *non concupisces domum proximi tui*, *nec desiderabis vxorem eius*, *non servum*, *non ancillam*, *non bovem*, *non asinum*, *nec omnia quæ illius sunt*, & similia rectæ fidei, honestis moribus, ac sanctæ vitæ congruentia, sicut Iudæo præcepta sunt, sic & Christiano præcipiuntur. Vnde quantum ad hunc modum agendæ vitæ, lex de qua agitur finita non est. Quantum vero ad modum significandæ vitæ, prorsus finita est. Nam circumcisio carnalis quæ spiritualem præsignabat, Sabbati requies, quæ aliud innuebat, sacrificia quadrupedum, volucrum, similæ, vini, olei, & similia, quæ vnicum & supremum Christianorum sacrificium præmonstrabant, sicut vmbra corpori, sicut signans signato, cesserunt. Vnde quantum, vt dictum est, ad illa omnia collum gentis duræ cervicis prementia, ab illo, qui dixit, *Iugum meum suave est, & onus meum leve est*, [Matt. 11.] populo libertatis indulta sunt, & ne iugo iam inutili gravaretur, omnino finita. Quod si tantopere hoc, de quo sermo est, æternitatis verbo oblectaris, & eo legem tuam absque fine adhuc probare conaris, muta intellectum, & absque fine invenies æternam tuam. Muta, inquam, intellectum, & quod ego fateor de testamento novo, fatere & tu de veteri. Dico ego testamentum à Christo datum, & novum esse & æternum. Novum, quia tuum antiquius est.

A est. Æternum quomodo? Nunquid baptismus à Christo constitutus æternus est? Nunquid sacrificium ab ipso suis traditum æternum est? Nunquid & alia sacramenta Christianis tradita æterna sunt? Nunquid & multa alia Evangelij mandata æterna esse possunt? Non sunt æterna, quia sicut de tuis dixi, cum mundo finienda sunt: & tamen sunt æterna, quia æternorum præparatiua sunt. Finiuntur illa, sed vita, ad quam ducunt, non finitur æterna. Dic ergo, sed dic ex fide, crede ad iustitiam, confitere ad salutem, tuam taliter posse accipi legem esse æternam, quia huius Christianæ gratiæ prævia & præmonstratrix extitit, quæ sola vere per Christum ad vitam beatam & æternam perducit. Hoc solo sensu æternum legis tuæ, de quo egisti, potest intelligi absque fine, nullo autem alio, nisi cum fine.

B Sed ne quid obiectorum à te indiscussum vel indiffinitum remaneat, accipe & contra illa vltima tua responsum nostrum. Opposuisti nobis Moysen loquentem inter cætera patribus tuis. *Vt multiplicentur*, inquit, *dies tui, & filiorum tuorum in terra, quam iurauit patribus tuis, vt daret eis quamdiu cœlum imminet terræ.* Ad quod ego. Quamdiu cœlum imminet terræ, promissa est iuxta intellectum tuum stirpi Iudaicæ possessio terræ illius, quæ partim per Moysen, partim per Iosue, primis illis Iudæis distributa est. Sed adhuc tamen cœlum imminet terræ, & Iudæis iam à multo tempore terra illa ablata est. Sed dices, Hoc idcirco quia mandata sibi a Deo tradita neglexerunt. Et quid hoc, inquam, ad me? Vere fateor, quod quia mandata Dei neglexerunt, immo quia semper Deo rebelles & contrarij extiterunt, quia idololatræ, quia prophani, quia Prophetarum occisores, quia ad implendam mensuram patrum suorum, ipsius Christi saluatoris mundi, & condemnatoris sui, nequissimi crucifixores fuerunt, à Deo proiecti, & tam ab illa terra, quam ab omni prosperitate mundana & felicitate æterna exclusi sunt. Nam illud quod addidisti præcepisse Moysen, *non addetis ad verbum quod vobis loquor, neque*
C *auferetis ex eo:* nonne mirum & mirum valde est, quod hoc quasi per te faciens opponis? Quis enim nostrorum aliquid vnquam addidit ad verbum legis tuæ? quis aliquid dempsit? Immo seruamus libros intactos, seruamus incorruptos, & sicut per Moysen scripti, & per fidos interpretes ad vniversarum gentium linguas de Hebraica translati pervenerunt, ita vt dictum est, conservamus. Nihil eis additur, nihil imminuitur. Habet ergo Latinus, habet Græcus, habet Barbarus de libris illis quicquid tu Iudæe habes: scribimus quod scribis, legimus quod legis, sed scripta vel lecta non ex toto intelligimus vt intelligis; non ex toto accipimus vt accipis. Sequeris tu quandoque in illis litteram mortificantem, sequor ego semper in illis spiritum vivificantem. Rodis tu corticem, edo ego medullā. Nec literæ tegmen vbi est abiicio, nec litera tectum salutis mysterium contemno. Hoc modo literam accipiens, auctorem literæ spiritum magis sequens, nihil vt dixi, ad verbum legis tuæ adiicio, nihil demo: sed magis Iudæum nec legis suæ literam sequentem, nec spiritum divinum in litera agnoscentem, arguo,
D corripio, ac veritati adquiescere nolentem condemno.

Post hæc duo sic absoluta, de tertio & in tribus vltimo nobis minaris, & nisi Iudæi efficiamur, divino maledicto nos esse subiectos ostendere conaris. *Maledictus*, inquis, *qui non permanet in sermonibus legis huius, nec eos opere perficit, & dicet omnis populus, amen.* Hoc maledictum, ô Iudæi, non super Christianos, est, sed super vos & super filios vestros. Neque enim nos Christiani ex gentibus de Iudæis fuimus, nec iugum legis Iudaicæ nobis impositum est. Subiecta fuerunt colla populi duræ ceruicis, qui aliter domari ad serviendum Deo non poterat, præceptis legis Mosaicæ, erecta est in libertatem tempori congruam, per Christum nostrum ceruix fidei Christianæ. Ea de causa

E nihil ad se pertinere Iudaicum maledictum Christianus intelligit: quia sicut mutata tempora, sic & mutata præcepta cognoscit. Sed quia modo, quo superius dictum est, aut agendæ scilicet vitæ, aut significandæ, legem vestram nostram credimus, nostram dicimus, necesse est nos eius maledictiones cauere, & benedictiones optare. Cauemus autem, immo omnino vitamus eius maledictiones, si iuxta eius decreta vitam agimus, hoc est, non concupiscendo, non occidendo, non furtum faciendo, non falsum testimonium perhibendo, & reliqua similia obseruando, quæ & vetus scriptura seruari præcepit, & novæ gratiæ Evangelium teneri multo magis imperauit. Vitamus eius maledictiones, si non significans, sed significatum, hoc est, si non carnalem circumcisionem si non carnale Sabbatum, si non carnalia sacrificia: sed spi-
F rituales virtutes, quæ illis carnalibus sacramentis designatæ sunt, obseruamus. Hoc igitur vtroque modo vel agendo quæ aperte præcepta sunt, vel implendo quæ sub sacramentorum velamine sunt, non subiacet legis maledicto Christianus, falsoque se impetitum à Iudæo demonstrat, dum his modis in sermonibus legis se permanere declarat. Non ergo tangit illum, vel in modico, maledictio illi à te obiecta, Iudæe, sed te potius respicit, tibi se totam ingerit, qui nec spiritu libertatis vt Christiani in sermonibus legis tuæ permanes, nec ipsa seruili & carnali conditione, vt primi Iudæi, eos opere ex maxima parte adimples. Aduerte igitur non Christianum, vt iam dictum est, sed te, illi maledicto quod ei obiecisti subiectum, de quo Moyses. *Maledictus omnis qui non permanet in sermonibus legis huius, nec eos opere perficit; & dicet omnis populus, amen.* His vniversis eo res pervenit, ne vltra audeas legē per moysem datam, iuxta intellectū quem hactenus habuisti credere perpetuam, nec audeas profiteri æternam. Agnosce hoc, inquam, factum per Christum, qui auctor noui & æterni testamenti, multa in eo præterquam se visus antiquus habuerat, auxit, minuit, ac mutauit. Auxit, quando dixit *Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum, non in-* Matt. 5.
G *trabitis in regnum cælorum.* Et addidit. *Audistis quia dictum est antiquis: non occides. Qui autem occiderit reus* Matt. 5.
*erit iudicio. Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio*, & sequentia. Rursum. *Audistis, quia dictum est antiquis, non mœchaberis. Ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo.* Ac deinde. *Audistis, quia dictum est antiquis: non periurabis. Ego autem dico vobis non iurare omnino.* Ac postmodum. *Audistis, quia dictum est, oculum pro oculo, & dentem pro dente. Ego autem dico vobis, non resistere malo. Sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram*, & reliqua quæ lectio Evangelij nostri indicat. *Audistis, quia dictum est. Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum Ego autem dico vobis. Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos*, & reliqua, quæ cœlestis illa scriptura recitat. Quando hæc Christus præcepit, vtique supra legis antiquæ præcepta, plurima auxit. Minuit vero,
H quando per Apostolos suos in quibus loquebatur, ea quæ subscripta sunt constituit. Nam sic se habet eorum Epistola: *Apostoli & seniores fratres, his qui sunt* Act. 15.
*Antiochiæ & Syriæ, & Ciliciæ, fratribus ex gentibus, salutem.* Et versu interposito. *Visum est*, inquiunt, *Spiritui sancto & nobis, nihil vltra vobis imponere oneris, quam hæc necessaria, vt abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato; & fornicatione, A quibus custodientes vos, bene agetis.* Quando hæc pauca seruari mandauit, de multiplicitate legalium præceptorum multa imminuit. Mutauit autem, quando pro circumcisione baptismum, pro Sabbati ocio requiem à peccatis, pro innumeris panum similæ, vini, quadrupedum, volucrū sacrificiis solum purum innocentē immaculatum agnum Dei, hoc est seipsum omnipotenti Patri

A pro vniversorum salute quotidie offerri constituit. Iussit ista, & quia Deus esse probatus est, auctoritate diuina quæ voluit imperauit, & quæstiones infidelium de mandatis suis dubitantium amputauit. Hoc enim inter alia Iudæis mirantibus, & stultissime conquerentibus, quod verbo curando multorum incommoditates sabbatis operaretur, respondit. *Filius hominis, Dominus est, etiā sabbati.* Qui vero sabbati Dominus est, vtique Deus est. Non enim nisi Deus, Dominus esse potest. Vnde constat, quod qui Dominus & Deus sabbati est. Dominus & Deus circumcisionis est: Dominus & Deus sacrificiorum, immo omnium rerum est. Sicut ergo licuit omnium rerum Domino & Deo, quando voluit non existentia creare, quando voluit iam creata in alias & alias species commutare, sic ei licuit arcanis, sibique soli notis iustitiæ causis; leges nondum datas hominibus, quibus voluit, & tempore quo voluit B proponere, & rursum quibus voluit & quando voluit, easdem augere, minuere, vel mutare. Quiesce igitur, Iudæe, de mutatis per Christum Moysi legibus scandalizari, quia idem Deus qui per hominem Christum hominibus apparuit, quando voluit præcepta legalia prius non existentia promulgauit, quando voluit eadem iam tradita commutauit. Nec deinceps per illam antiquo modo veterem & iam finitam legem iustificari quemlibet potuisse asseras, cum & ante illam, & eius tempore præter illam, & etiam post illam, iustos vocari multos invenias. Nonne, vt ad priora sæcula redeam, absque circumcisione, absque sabbati cultu, absque aliquo legis vestræ sibi imposito ritu, Abel cordis innocentia, & simplicis sacrificij puritate Deo placuit? Nonne absque circumcisione, absque sabbati cultu, absque multiplici legis nostræ onere, ambulauit Enoch cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Deus? Nonne absque circumcisione, absque sabbati cultu, absque multiplici legis Iudaicæ onere, de magno viro Noë scriptum est. *Noe vir iustus & perfectus in generatione sua fuit, & cum Deo ambulauit.* Nonne & ipsi Deus loquitur, *Te vidi iustum coram me in generatione hac?* Quid dicam & de ipso, de quo C præcipue gloriari soletis, patre Abraam? Nonne & de ipso absque omnibus illis præmissis, sabbato, legalibus præceptis, ante ipsam quoque circumcisionem, dictum est. *Credidit Abraam Deo, & reputatum est ei ad iustitiam?* Quid & de posteris eius Isaac, siue Iacob, & reliquis vsque ad Moysen? Nonne & ipsi sola circumcisionis, sed maxime iustitiæ obseruantia, absque reliquis omnibus legis post datæ decretis, Deo placuere, & ipsi duo cum antecedente se Abraam, singulare ac gloriosum Patriarcharum nomen meruere: Hoc quidem ante legem. Iam vero lege data vel proxime danda, video Iob non Iudæum, sed à Iudæorum genere penè alienum, absque circumcisione, absque sabbati cultu, absque omni legali instituto, voce diuina simplicem, rectum, timentem Deum, recedentem à malo, vocari. Cerno & Balaam, absque circumcisione, absque multiplicibus Moysi præceptis, Deo colloqui, Deo obedire, Dei afflatu multa saluti humanæ famulatura prædicere. Qui D licet ceciderit, licet casum suum & præuiderit & prædixerit, ex eo tamen quo casum suum memorat, ante eundem casum se stetisse declarat. Vnde licet in iustitia non permanserit, auditor tamen sermonum Domini non nisi ex aliquo iustitiæ merito esse meruit. Conspicio & regum plurimos, intueor alienigenarum gentium non paucos, ipso legis tempore absque circumcisione, sabbati cultu, absque Moysiacis institutis, Deum colere, iustitiam sectari, absque eadem iustitiæ conseruatione iustificari. Qui quamvis in canone Iudaico non legantur, ex veracibus tamen historiis tales fuisse probantur. Sed quorsum ista? Vt cernens ante legem atque sub lege, sine legis operibus multos Deo placuisse, gloriari velut de legis tuæ singularitate desinas, & vetustum, quod inde assumpsisti, iactantiæ supercilium deponas. Nec propter

Gen. 4. Gen. 5. Gen. 6. Gen. 7. Gen. 15. Num. 24.

E hoc solum, sed vt insuper advertas, quod sicut & ante legem & sub lege, sine legalibus obseruantiis, titulo iustitiæ plurimos conspicis honorari: sic & post legem non solum plurimos, sed & vniversos sola Christiani Evangelij gratia, posse intelligas iustificari. Hoc quippe est novum illud testamentum, de quo iam supra audisti Deum & Prophetam loquentem. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & disponam testamentum domui Iuda, non secundum testamentum quod dedi patribus eorum, quando eduxi eos de terra Ægypti.* Aut igitur ostende aliud testamentum datum à Deo, non secundum illud vestrum testamentum quod datum est ab eo, aut suscipe hoc nostri Evangelij testamentum, quod verè datum est ab ipso. Quod non est secundum illud, quia est plusquam illud: non est secundum illud, quia illud terrenum est, istud cœleste: non est secundum illud, quia illud temporale, istud vero est absque F dubio sempiternum. Non quod scriptura illa Evangelij data à Christo, vel quæ in eo præcipiuntur, manere debeant in æternum, sed quod gloria, quæ à Christo promittitur servantibus Evangelium, nullo rationabiliter obuiante, maneat in æternum. Simili argumento, & cuncta, quæ supra de Christo diffusius sunt dicta, concludo. Aut enim alium, de quo vniversa illa veraciter accipi possint, necesse est te producere, aut omnia de Christo nostro esse dicta, nobiscum sentire. Sed forte obiicis: Etsi ego nullum, cui suprascriptæ propheticæ voces congruere possint, producere valeo, qua me tu ratione Christum tuum potius, quam quemlibet alium in illis propheticis vocibus intelligere cogis? Magna vtique, magna, inquam, ratione ad hoc sentiendum te ego compello. Sed antequam ratio illa ponatur, auctoritas præcedat. Interrogas, cur magis de Christo nostro, quam de quolibet alio cuncta illa supradicta accipiam, & cur te ea suscipienda compellam. Idcirco plane Christum nostrum, non alium, in omnibus illis propheticis vocibus intelligo, & intelligendum suadeo: quia de ipso, non de alio verba illa prolata agnosco, vel vt verbi causa, aliqua de innumeris ad ipsum pertinentibus excerpam, de nullo alio, nisi de illo intelligi G potest, quod Propheta tuus dicit, & quod Ecclesia nostra frequentat. *Ecce virgo concipiet, & pariet filium: & vocabitur nomen eius Emmanuel.* Nulla enim virgo vel concepit, vel conceptura est, vel peperit, vel paritura est filium, nisi supercœlestis & perpetua Virgo Maria Iesum Christum Dominum nostrum. De nullo alio nisi de illo accipi potest, *Orietur stella ex Iacob: & exurget homo de Israel.* Non enim cometes, qui regna mutare dicitur, vel quodlibet præfulgidum sidus, Christo nostro secundum carnem de Israel exurgente ortum est, sed stella syderibus cunctis splendidior, ipsiusque solaris fulgoris æmula non cuiuslibet, sed ipsius tantum nativitatem præsagans eluxit. De nullo alio hominum nisi de illo accipi potest; *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Ipse enim non alius aquam mundam, & omnia inquinamenta peccatorum mundantem super omnes effudit, quando discipulis præcepit, *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* De nullo alio H nisi de illius tempore accipi potest. *Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt, tunc saliet, sicut ceruus claudus, & aperta erit lingua mutorum.* Eius enim tempore, eius virtute, eius præcepto tam per ipsum quam per innumeros alios idem donum ab ipso accipientes cæcis visus, surdis auditus, claudis gressus, mutis lingua reddita est, & infinita omnium generum vel specierum miracula facta sunt. De nullo alio, nisi de illo accipi potest. *Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, & livore eius sanati sumus.* Nullus enim præter ipsum vulneratus invenitur propter iniquitates hominum: nullius livore nisi ipsius, sanitas restituta est hominibus. Nullus præter ipsum oblatus est, quia voluit: nullus præter ipsum sicut ovis ad occi-

Esa. 11. Num. 24. Eze. 36. Esa. 35. Esa. 53. Psal. 15.

A sionem ductus est, quia voluit. De nullo alio nisi de illo accipi potest, *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Act. 2. Vt enim ait Petrus Apostolus noster, loquens sicut & ego Iudæis: nec David qui hic loquitur, nec aliquis hominum vel sanctorum sepultus, præter eundem Christum nostrum, carnis euadere potuit corruptionem. De nullo alio nisi de illo accipi potest, *Vivificabit nos post duos dies, die tertia suscitabit nos.* Osee 6. Nam nullus mortuus præter ipsum triduana sepultura quiescens, ipsa die tertia cum carnis propriæ resurrectione, & tunc plurimos sanctorum suscitauit, & in fine seculi omnes pariter tam bonos quam malos, vel ad vitam, vel ad mortem perpetuam suscitabit. Sed Psal. 56. nec de quolibet alio idem Propheta subiunxit. *Quasi diluculum preparatus est egressus eius.* Egressus quippe eius de sepulchro ad immortalem vitam, quasi diluculum fuit: B quia ipse ante solem primo lucis initio resurrexit, sicut & Evangelium nostrum, & ipse in Psalmo loquitur. *Exurgam diluculo.* Nec hoc solum, quia transitoriæ resurrectionis suæ luci, sempiternam adiunxit, & ea vetustas mortalium tenebras illustrauit. Psal. 67. De nullo nisi de ipso accipi potest, *ascendens in altum captiuam duxit captivitatem, dedit dona hominibus.* Nec enim sola divinitas propriè in altum ascendere dici potest, quæ semper tam in alto, quam in imo, & vbique est. Sed & de illo iuxta verba Apostoli nostri dictum est. *Ascendit* quia primo descendit in inferiores partes terræ, indeque humana carne assumpta, Ephes. 4. *Idem qui descendit, ipse & ascendit super omnes cælos, vt adimpleret omnia.* De nullo alio nisi de illo dictum Isa. 11. est, *Erit radix Iesse, & qui exurget regere gentes, in eum gentes sperabunt.* Quod magis videndo propriis oculis, quam aures præbendo scriptis propheticis advertere potes. In ipsum enim Christum nostrum, qui de stirpe Iesse ortus est, sicut tibi totus terrarum orbis indicat, gentes sperant; ipsum deprecantur, ipsum Iob. 19. adorant. De nullo alio nisi de ipso dictum est, *Scio quod redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum, & in carne mea videbo Deum.* Redemptor enim non potest dici, nisi qui redimit. C Iob vero nullus redemerat, nullus redempturus erat, nisi hic Dei filius, hic de quo sermo est Christus. Quem pro redemptione sui ac mundi precium corporis & sanguinis sui daturum præsciens, redemptorem suum vocat, Deut. 15. Deum nominat, & eum in sua carne iam resuscitata, in die novissimo se visurum affirmat. Hæc vniuersa & multa similia, quia de nullo alio nisi de Christo accipi possunt, de ipso dicta credimus, in ipso atque per ipsum excepto hoc vno & vltimo, quod in mundi defectu implendum restat, impleta novimus, & vt eadem credant ac sentiant, Iudæis incredulis suademus. Audisti, Iudæe, qua auctoritate, immo quibus auctoritatibus, cuncta illa, quæ præmissa sunt, de nullo alio nisi de Christo dicta credat & intelligat Christianus, audi & qua ratione cui vel libens vel invitus cedere cogatur Iudæus. Et qua maiori ratione hoc tibi persuaderi poterit, quam divinis illis immensis & infinitis miraculis? Quis enim humano intellectu vigens non videat, quod tot tantaque à Christo, & per Christianos facta miracula, fieri nullo modo possent, nisi virtute divina, & ille quidem se Dei filium, se Deum, se D regem æternum, se Christum à Prophetis prædictum esse fatebatur. Quæ si falsa essent, non solum nulla eum signa prosequerentur, nulla eum miraculorum efficacia comitaretur, sed potius quod vel cogitare scelus est, vt mendax, blasphemus, & impius damnaretur. Ac cum ista omnia de se prædicauerit, cum ista de se credentes, velut omnipotentes miraculorum operatores effeceris, sicut & ipse loquitur omnia possibilia credentur: clarum est, perspicuum est, quod quicquid de se credi docuit, absque saltem minima dubitatione credendum est: quicquid præcepit fieri, absque refragatione aliqua seruandum est. Sed vt, quicquid posses obiicere, ipse mihi obiiciam: dices fortassis miracula illa, aut nulla fuisse, aut magica. Si dixeris nulla fuisse, si dixeris ea ficta à nostris, cito respondeo, E tuoque te sermone convenio. Si miracula, quæ à Christo vel per Christianos facta dicuntur, quia non vidimus, nulla vel ficta esse asseris, & nos quoque ea quæ per Moysen, Iosue, vel reliquos Iudæos facta leguntur, quia non vidisti, nulla vel ficta esse asserimus. Nullam enim tu maiorem afferre potes certitudinem, de Iudaicis miraculis, quam nos de Christianis. Nam sicut tu libros habes Iudaicos, in quibus illa inscripta sunt, sic & nos libros habemus Christianos; in quibus ista relata sunt. Hac ergo ratione, aut nega Christiana miracula, & nos negabimus Iudaica, aut confitere Christiana miracula, & nos fatebimur Iudaica. Sed quia tu signis illis licet non visis, sola librorum à patribus traditorum lectione fidem accommodas, cogeris vt & nos libris à maioribus nostris nobis traditis fidem præbere concedas: F & insuper quia nos tuis assentimus, tu quoque nostris assentias. Credimus nos Prophetis tuis: crede & tu Apostolis nostris. Crede autem hac ratione, quod quicquid illi de Christo & ad Christum pertinentibus rebus futurum esse dixerunt, hoc totum isti mundo impletum, absque diminutione aliqua ostenderunt. Non igitur hoc modo Christi miracula nulla esse, non hoc modo ficta esse à nostris, probare poteris. Sed rursum nulla esse vel ficta, quo alio modo probare valebis, cum non partes orbis quaslibet, sed ipsum pene orbem vniuersum legibus Christianis subiectum esse videas? Iacet iam substrata Christo mundi superbia, & totus mundanæ gloriæ fastus, damnati ab hominibus, & crucifixi ignominiæ seruit. Adorat crucem eius, quam prius videre horrebat: & quod ante stultum putauerat, nunc omni sua sapientia longe sapientius esse non dubitat. Potentiam illam suam, qua cuncta terrena domare consueverat, Christo, qui Dei est virtus, agnito, infirmam cognoscit, & ex ipso qui Dei sapientia est, suam metiens, eam vt stultam contemnit. Quomodo igitur Christianæ, vt sic loquar, insipientiæ sapientiam suam, infirmitati fortitudinem suam, ignobilitati nobilitatem suam, ignominiæ gloriam suam sponte G subiecisset, nisi mirandis, stupendis, & ante invsitatis operibus hoc ei persuasum esset? Constat ergo saltum esse quod obiectum est, Christiana miracula nulla esse vel ficta. Sed forte adhuc Iudaica subterfugia quærens, oppones. Quid vis cogere, mundum non nisi miraculis in Christum credere potuisse, cum ante Christum penè totus, immo aliquo tempore totus idololatriæ seruierit: nec ad illam idololatriam signis aliquibus, sed errore proprio conversus fuerit? Concedo inquam sine signis, præter quædam vana ac dæmoniaca, quibus quandoque, licet raro, conceptus error, in stultorum hominum cordibus fovebatur: mundum aliquando succubuisse, sed eo tempore detestando cultui manus dare cœpisse: quo noviter à Deo in H parentibus primis, de paradiso eiectus, in hanc erroris ac cæcitatis vallé exul à facie Dei proiectus est. Vbi merito iniquitatis suæ paulatim auctoris sui oblitus, vt tamen innatæ rationis, divinitatem alicubi esse non incertus, sed vbi esset quærenda ignarus, eam vel in laudatis hominibus, vel in eorum imaginibus, vel in pulchris ac suis vsibus commodis creaturis quæsivit, & sic pro creatore ea quæ ille creauerat, divinitatis Psal. 18 cultu colere assueuit. In honore enim humanæ naturæ cum esset, non intellexit, sed tam in divina cognitione, quam in propria conversatione, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Nosti ipse, si tamen scripturarum tuarum sollicitus inspector fuisti, verum esse quod dico, nec aliam causam tanti erroris fuisse, nisi quod sopita in eo ratione, ac nulla, quæ rationem eius suscitare posset, Psal. 13 adhuc data lege, dixit vt insipiens in corde suo, Non est Deus. Vnde mirum non fuit, si pars mundi, aut totus mundus eo tempore facile decipi potuit. At econverso Christi vel Christianorum iam eruditis temporibus, lege Iudaica ante duo millia

fere

A fere annorum data, Philosophicis scholis, & tam divinarum quam humanarum rerum studiis vbique ferventibus, ac tam naturali lege quam scriptis legibus vigore humani ingenij vel scientiæ resflorente, impossibile fuit falli homines, & ita vniversaliter Christianæ fidei se submittere: & fidem, mores, ac vitam, ad vnius hominis imperium, absque immensis prodigiis & signis, in aliud & contrarium commutare. Non igitur valet, quam proposuisti, obiectio. Sed vereor attritæ frontis notam cunctis duritiem, ne solita impudentia rursus procedat, & dicat. Si Christiana tempora tam erudita, nec falli, nec sine miraculis credere potuerunt: quid quod post Christum quingentis annis elapsis, Mahumetica hæresis consurrexit, & tam nefaria secta, nullis parta miraculis: tantas orbis partes infecit? Nonne illa tempora eruditione obstante, tanto errori cesserunt? Ad hoc primum respondeo aliud

B esse partes orbis, aliud totum orbem cuilibet errori cedere: & idcirco aliter de particulari errore, aliter de vniversali sentiri debere. Nullum enim, præter humani generis principia, quæ supra tetigi, tempus fuit, aut futurum est, quo tenebræ luci, quo veritas non sit admixta errori, & quamvis iuxta Evangelium nostrum, *Lux in tenebris luceat, & tenebræ eam non comprehendant*, & si non sunt vniformia, sunt tamen contigua. Partes ergo aliquas, vt dictum est, mundi, error aliquis inficere potest, totum mundum non potest. Potuit ergo sicut & alij multi errores, aliquas mundi partes inficere, totum non potuit occupare. Fides vero Christiana, non more errorum particulas, vel partes mundi sibi subdidit, sed vt veritas à summa veritate, quæ Christus est, derivata, totum sibi orbem subiecit. Totum vero orbem dixi, quia licet Gentiles, vel Sarraceni super aliquas eius partes dominatum exerceãt licet Iudæi inter Christianos & Ethnicos lateant: non est tamen aliqua vel modica pars terræ, non Thyrreni maris, nec ipsius Oceani remotissimæ insulæ, quæ vel dominantibus vel subiectis Christianis non incolantur: vt verum esse appareat, quod scriptura de Christo ait,

C *Dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos terræ.* Vel illud Apostoli nostri. *Vt in nomine Iesu omne genu flectatur.* Si igitur Mahumeticus error aliquam terrarum partem post legem à Christo datam corrupit, quid ad proposita? Multæ enim hæreses post legem Moysi surrexerunt in populo Iudæorum, multæ post Christi Evangelium ortæ sunt in orbe Christianorum. Licet igitur tempora, in quibus hæresis hæc consurrexit, erudita fuerint, non tamen in toto orbe, sed in aliqua eius parte, pestis illa convaluit, & mare, vt iam dixi, aliarum hæresum, velut magni corporis membrum aliquod corrupto humore infecit. Vnde nulla est comparatio huius diabolicæ falsitatis ad divinam Evangelij veritatem, quoniam illa quosdam quamvis multos, hæc autem, modo quo dictum est, obtinuit vniversos. Sed tu his Christianis temporibus deceptos illos nequam deceptori sine miraculis credidisse opponis, & hoc ad nostra euacuanda miracula affers. Inducis à simili, sic istis eruditis temporibus sine miraculis potuisse decipi Christianos, sicut

D eisdem eruditis contigit tam miserrimè falli absque miraculis Sarracenos. Sed non valet inductio, enervis prorsus est hæc similitudo. Nam probo, eisdem eruditis temporibus & Sarracenos sine miraculis errori cessisse, & Christianos Christo absque miraculis necessaria non credidisse. Impossibile enim fuit, vel hos de quibus sermo est, vel quoslibet alios, dictis illis temporibus absque aliqua certa causa vel illiciente, vel compellente, ab inueterato vel innato vsu potuisse averti, & ad insolita & noua converti. Causa autem ad nova illa vel illiciens vel compellens, nisi fallor, alia nulla exstitit, nisi aut auctoritas, aut ratio, aut miracula, aut vis, aut voluptas vel simul omnia, vel horum aliqua. Sed quod supra miracula pro ratione pono, nunc rationem a miraculis disiungo, nemo miretur. Ibi enim idcirco dixi vim rationis miracula obtinere, quoniam sicut, ratio ad aliquid credendum mentem rationabilem trahit: sic miracula ad id quod persuadere intendunt, vice rationis compellunt. Hic autem ea ab invicem separo, vnicuique quod suum est reddo, vt & nomine rationabilis, vel mente tacitus, vel verbis expressus sentiatur, & miraculorum vocabulo, mirandorum insignis potentia exprimatur. Hæc igitur duo sic accepta ex iam dictis tribus adiuncta sunt, vt præmissum est, quinque: auctoritas, ratio, miracula, vis, & voluptas. Harum causarum, quæ perditos illos ad suscipiendum novum errorem, vel illicere potuerunt, vel compellere, perscrutare. Remoue igitur prius, quæ erroris illorum causa ipsis testibus non fuerunt. Nam quod ratio eos nulla illexerit, testes sunt ipsi, testis & erroris ipsius magister. Ait enim in libro suo nec nominando, Deum sibi introducens loquentem. Si quis tecum disceptare voluerit: dic te faciem tuam eiusque sequaces ad Deum convertisse, quod agendo tam legum scientes quam illiterati bonam legem sequuntur. Sin autem: tuum est, mea præcepta gentibus solummodo patefacere. Item. Si quis tecum de lege certamen inire voluerit, dic ei anathema, & iram Dei talibus solummodo comminare. Vel iterum. Nolite disputare cum legem habentibus. Melior est enim cædes, quam lis: & plura huiusmodi. Quod vero nec miraculis aliquibus eos provocaverit, sic iterum quasi Dei voce sibi loquitur. Tu quidem nequaquam ad eos cum Dei miraculis manifestis venies, quoniam ea velut odiosa ac sibi contraria reiiciunt. Item. Nisi sciremus eos tibi non credituros, sicut nec aliis crediderunt, daremus tibi signa & prodigia, vel sæpè idem repetit. Hæc duo idcirco necessario removẽtur, quia hoc ipsum, vt dictum est, tam ipsi quã hæresis eorum auctor fatetur. Remanent igitur causæ, quibus probantur decepti, auctoritas, vis, & voluptas. Auctoritatem nomino, non eam quæ divina esse potuerit, sed eam quam divinam esse, mendax & fallens auctor confinxit, & quam ab auctore mendaci & fallente pro divina, seductus ab eo populus stultus suscepit. Vim dico, de qua in iam dicto libro idem præsumptor loquitur. Non sum missus, nisi in virtute gladij. Item ad suos. Quousque potentiores omnibus efficiamini, prædatores & expugnatores estote. Et nisi me Prophetam à Deo missum confessus fueris, diripiam omnem substantiam tuam, vxorem, & filios tuos, ac filias captivitati subiiciam, & te ipsum interficiam. Et multa in hunc modum. Hoc namque tam ipse dum vixit, quam principatus eius successores fecisse leguntur, & velut hoc sibi ex divino mandato iniunctum servantes, quos potuerunt violenter armis & viribus, sectæ nefariæ subiecerunt. Voluptatem dico, cui maxime nequam deceptor frena laxavit, cui præcipuè, sicut omnibus notum est, gens miseranda inseruit. Leguntur inde multa ab eo conscripta, in quibus sunt & ista. Deus, inquit, leviter vobiscum agit, quoniam in fide Sarracenorum nihil est aliud quam tranquillitas & requies, & non vult Deus à vobis quod difficile est, sed quod facile. Item. Tunc comedes, & bibes, & concumbes per totam noctem, vsque quo discerni possit filum album à nigro. Item. Sint tibi vxores ad minus quatuor. Concubinarum vero, quantumcunque potueris, vel mille talia. Profitentibus ergo libris & actibus ipsorum, auctoritate, vi, & voluptate, ad suscipiendam execrandi nominis sectam, aut illecti, aut compulsi sunt, ratione vel miraculis non sunt. Vides, Iudæe, quod erudito tempore aliis de causis gens illa seducta est, miraculis non est. Vides illud, propter quod istud velut à simili induxeras, quod Christianus orbis absque signis immensis ad Christum conversus est. Hoc enim similiter, non solum probabili, sed necessario argumento ostendam. Propono ergo tibi easdem, quas iam proposui, causas, & ex eis necessario Christiana miracula probo. Redeant igitur ad medium, auctoritas, ratio, miracula, vis & voluptas. Harum vel omnes vel aliquæ, ad suscipiendã fidẽ Christianã, orbem terrarum aut illexerunt, aut compulerunt.

Sed

Margin notes (left): beside "strum, *Lux in tenebris*…": Ioan. 1.; beside "dominantibus vel subiectis…": Psal. 71.; beside "*ad terminos terræ*…": Phil. 2.
Margin letters (right column): E (at "ratio ad aliquid credendum"), F (at "convertisse, quod agendo"), G (at "quitur. Non sum missus"), H (at "tuor. Concubinarum vero").

A Sed sicut superius factum est removeantur illa, quibus mundus ad nomen Christianum suscipiendum nec illectus nec compulsus est. Auctoritate illectus non est, quia licet Mosaicam vel Propheticam auctoritatem, sicut vere divinam nunc veneretur, non tamen antequam in Christum crederet, eam venerabatur. Agnovit quidem postquam ad fidem Christianam conversus est, cuncta quæ in Christo vel eius Ecclesia completa cernit, scripturarum illarum auctoritate prædicta: sed antequam converteretur, ignorabat ea spiritu prophetico prænunciata. Non acquiescebat scripturis illis, utpote peregrinis, nec Iudæorum legem aliquid ad se pertinere putabat. Non igitur literarum illarum auctoritate ante Pictum est, ut in Christum crederet, sed quia prius in Christum credidit, earundem scripturarum auctoritatem suscepit. Sed nec ex paternis traditionibus, nec ex maiorum suorum auctoritate,

B ad fidem hanc converti potuit, à qua semper toto nisu, libris, minis, ac pœnis, quamdiu concessum est, eum error antiquus retraxit. Hinc manifestum est, quod nulla cuiuslibet auctoritate mundus ad fidem Christi conversus est. Sed nec ratione, quia, ut ipsa doctrina Christiana loquitur, cum apud eam magnum sit meritum fidei non habet ea fides meritum, cui humana ratio præbet experimentum. Et quidem quædam in ea humanam sequi rationem videntur, iuxta quam ait suis Apostolus. *Parati omni poscenti vos reddere rationem de ea, quæ in vobis est, spe*: sed sunt longe plura, quæ nullo mentis intuitu comprehendi, nulla humanorum ingeniorum vivacitate valeant penetrari. Scrutati sunt magni quidam sæcularis Philosophiæ Magistri, per ea quæ facta sunt, invisibilia Dei, & pene cuncta quæ de divina maiestate Christianus prædicat, curiosus Philosophus investigat. In se est, quod ut quidam nostrum ait. *In principio erat Verbum. & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*, & quædam sequentia, sicut Evangelista sic & Philosophus * scribit: sed *Verbum caro factum est*, nullo mentis acumine comprehendit. Nam altissimam humilitatem, qua Verbum Dei dignatum est caro fieri,

C superbus animus comprehendere nescit. Sola illud humilium devotio, spiritus, Dei gratia ducente intelligit. Unde & Salvatoris nostri verba sunt, patri Deo loquentis. *Abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis.* Sunt inde & illa magni Apostoli nostri verba, qui reprobatos Iudæos, qui electas à Christo gentes cernens, & causam intelligere volens nec valens, exclamat. *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & investigabiles viæ eius.* Constat igitur, Iudæe, ipso Christo & Apostolis eius consitentibus, orbem terrarum ad fidem Christianam, humana non esse ratione conversum. Sed numquid vi, ut eandem Christi fidem susciperet, ab aliquo compulsus est? Hic plane diu immorandum non est. Non est, inquam hic immorandum, ut ostendatur homines ad suscipiendam Christianam legem, a nullo fuisse compulsos. Nullatenus enim compulsi sunt ut susciperent, qui mille mo-

D dis coacti fuisse probantur, ne susciperent. Inde terrores, inde tormenta, inde carceres, inde ignes, inde gladios passi sunt: nec tamen universa mortium genera perpetientes, ab illa deterreri, aut retrahi potuerunt. Testis est infidelis mundus, totas malitiæ suæ vires diu contra eos frustra insumens, testis & ipsa tellus Christiano sanguine ubique infecta, & martyrum Christi sacris corporibus adoperta. Non est igitur mundus vi aliqua ad fidem Christi compulsus. Sed numquid voluptate illectus est? Et quid voluptuosum, Iudæe, in lege Christi? Nonne ipse suis dixit, *In mundo pressuram habebitis*. Nonne Apostolus eius ait. *Omnes qui volunt pie vivere in Christo Iesu, persecutionem patiuntur*? Nonne quicquid usquam voluptatis esse potest gladius Christianus præcidit? Affluunt hic quam plurima Evangelicæ legis exempla, quæ, ne tædium legentibus importem, prætereo: & tantum de multitudine illa, quædam brevitatis causa excerpo. Volu-

E ptuose & superflue vult homo carnalis epulari, voluptuose & superflue bibere, inebriari, contradicit Christus & dicit. *Videte ne graventur corda vestra in crapula & ebrietate*, & Apostolus eius. *Non in comessationibus, & ebrietatibus.* Voluptuose & libidinose vult homo carnalis vivere, non solum actui, sed & cogitatui voluptuoso Christus obviat, dicens. *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo*, & in alio loco. *Sunt Eunuchi qui seipsos castraverunt propter regnum cælorum.* Et admonendo alibi. *Sint lumbi vestri præcincti.* Et Apostolus. *Non in cubilibus & impudicitiis.* Et item idem. *Fornicatio & omnis immunditia non nominetur in vobis.* Voluptate spirituali vult carnalis homo inimicum ulcisci, resistit Christus & dicit. *Ego autem dico vobis, non resistere malo.* Voluptate habendi tractus, vult carnalis homo avare congregare pecunias, terret Christus & dicit. *Non potestis Deo servire, & mammonæ*, & rursum *Nolite the-*

F *saurizare vobis thesauros in terra*, & alio in loco. *Qui non renunciaverit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Voluptate gloriandi vult carnalis homo superbe aliis seipsum præferre, monet Christus & dicit. *Qui maior est in vobis, fiat sicut iunior, & qui præcessor est, sicut ministrator*, & item communans, *Omnis qui se exaltat, humiliabitur.* Et, *Videbam Sathanam, sicut fulgur de cælo cadentem.* Vivendi appetitu vel timore pœnarum inconsulto, vult homo carnalis lædendo iustitiam, mortem fugere, tormenta vitare, hortatur Christus, & ait. *Beati estis, cum maledixerint vobis, persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversum vos, mentientes* & de re simili, *Nolite timere eos qui occidunt corpus, & post hoc non habent amplius quid faciant.* Claret igitur quod nulla mortalis vitæ, vel rerum voluptate, ad credendum Christo mundus illectus est. Restant ergo, quæ medio supradictarum causarum loco posita sunt miracula. Si enim verum est, quod nulla gens ad tenenda nova & insolita, nisi aut auctoritate, aut ratione aut miraculis, aut vi, aut voluptate, possit illici vel compelli, certum est, quia Christianus orbis ad tenen-

G dam novam sibi & insolitam Christi legem, absque aliqua harum causarum non potuit illici, vel compelli. Sed verum est, quod nulla gens absque aliqua ex illis, ad nova suscipienda potuit illici vel compelli, Constat ergo quod orbis Christianus, absque harum aliqua, ut in Christum crederet, nec illectus est, nec compulsus. Sed rursus probatum est, quod nec auctoritate, nec ratione, nec vi, nec voluptate, ad Christum conversus est. Claret igitur, quod solis ad suscipiendam Christi fidem miraculis, sola gratia spiritus provocatus est.

Sed ne responsiones meæ tuis obiectionibus non suo ordine obviare putentur, breviter replico quod obiecisti. Dixisti enim. Miracula, quibus mundum ad fidem Christi conversum dicis, aut nulla sunt, aut magica. Sed quod falsum sit nulla fuisse, immo quod verum sit multa & magna extitisse, tam plene, ut æstimo, probatum est. Quod vero magica non fuerint, adhuc probandum est. Christi enim vel discipulorum eius mira-

H cula, ut ex subiectis patebit, magica nullo modo esse potuerunt. Instas igitur mihi, Iudæe, ut & hoc ostendam. Ostendo, inquam, magica esse non potuisse, sed fuisse divina. Nam magicam nullus discere vel tradere consuevit, nisi litteratus & doctus. Apostoli vero & primi discipuli Christi, quantum ad artes vel disciplinas liberales vel magicas attinet, omnino illiterati & indocti fuerunt. Sic enim de ipsis maioribus discipulis apud vos legitur. *Videntes Iudæi Petri constantiam & Ioannis, comperto quod homines essent sine literis, & idiotæ, cognoscebant eos, quia cum Iesu fuerant.* Hoc quidem & eorum officium, quo pauperem vitam transigebant, demonstrat. Nam quatuor ex ipsis Apostolis, id est, iam dicti duo, additis Andrea & Iacobo, piscatores, theloniarius alter: reliqui ex aliis vilibus officiis, Christo ignobilia mundi ut superba destrueret eligente, assumpti fuerunt. Pater ergo,

1.Pet.3 Ioan.1. * Plato, scilicet, ut dicit August. lib. 7. Confess. Matt.11 Rom.11. Ioan.16. 2.Tim.3. Matt.6. Matt.19. Matt.5. Act.4.

A quia magica, quæ sine literis, aut non, aut vix disci vel tradi potest, nec ab ipsis, nec à Christo accepta, nec aliis per ipsos tradita est. Sed ne forte illiteratos nostri temporis histriones, vel mimos, qui quibusdam præstigiis oculos intuentium fallere consueverunt, mihi opponas. Addo quod magica, aut cum literis, aut sine literis tradita, non breve, sed longum ad discendum tempus requirit. Exigit plane, non solum dierum vel mensium, sed multa etiam annorum plerumque propter sui difficultatem spaçia, quibus rudis discipulus Satanæ disciplinis paulatim imbui possit, & ex pessimo profectu tandem doctus evadere. Hoc prolixum ac nefariæ arti necessarium tempus, apud Christi discipulos, quando, Iudæe, reperire valebis? Non enim multorum quantitate annorum, non mensium, nec saltem dierum, eos ad mira opera facienda, à Christo B erudiri necessarium fuit, quos Verbi, quod ipse erat, æterni virtute, ut ea pro velle facere possent, subito & velut in momento instruxit. Hinc in Evangelio nostro, licet tu ei non adquiescas, scriptum est. (Mat.) *Convocatis Iesus duodecim discipulis suis, dedit eis potestatem spirituum immundorum, ut eiicerent eos, & curarent omnem languorem & infirmitatem.* Et idem eisdem. (Ibid.) *Infirmos,* ait, *curate mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones eiicite.* Et quæ mandata his breviora? Quam breve, in quo tam pauca verba prolata sunt, tempus? Nonne hoc non solum, ut dictum est, annos, non solum menses, sed nec hebdomadam, nec diem, nec horam ipsam integram occupat? Constat igitur, quod magica ars, tam operosa, tanti studij, tam prolixi laboris, hoc tantillo tempore, nec tradi à Christo, nec disci potuit à discipulis. Quod si fortè & istud, quia in Evangelio legitur, non verum, sed fictum esse contendis: vide, coniice, adverte, quia si aut scriptis aut verborum præceptis tradita à Christo Christianis ars magica fuisset, nullo modo totius orbis Christianorum multitudinem hoc latere potuisset. Non posset tanto universorum consensu diu ars nefanda celari, nec tam diversarum gentium vel linguarum, magni, C eruditi, religiosi, Deumque timentes Christiani homines, falli se tam diuturno tempore diabolica arte, ipsisque Ethnicis execranda, sivissent. His præcedentibus duo adhuc subiungo, quibus Christiana miracula non solum probabilibus, sed & necessario magica non fuisse ostendo. Ac primum illud propono, quod magica prodigia semper falsa sunt ac fallentia. Nihil verum exhibent, nihil solidum præstant, fallunt sensus humanos, & dæmonico ministerio fingunt esse quod non est, videri quod non videtur, audiri quod non auditur. (Ioan 8.) Imitantur auctorem suum, ut sicut ipse mendax est & pater eius: sic ab eo progenita magica proles, nihil verum, sed falsa cuncta prætendat. Hinc non homines, sed falsas imagines hominum: hinc non quadrupedes vel volucres, sed falsas imagines quadrupedum vel volucrum, hinc non repentia, sed falsas imagines repentium, humanos sensus occultis præstigiis fallens exhibet. Hinc fontium, hinc fluminum, hinc arborum, hinc rerum omnium phantasmata, magica potentia humanis visibus repræsentat. Æmulatur in his satanas more suo superba invidia, auD ctorem naturæ, ut sicut ille & nova quæ vult creat, & iam creata in alias quas vult substantias, vel species commutat: sic iste fallendi artifex, quia veraciter creare non potest, saltem creatarum falsa simulachra ad stultos homines decipiendos confingat. Prodit vanitatem talium præstigiorum, inconstantia phantasmatum confictorum; quæ statim ut apparent, more nebulæ, vel fumi, recessu fugaci protinus evanescunt, & quam nihil etiam dum viderentur essent, oculis subito subtracta demonstrant. At econverso Christi miracula, huius diabolicæ falsitatis prorsus ignara, divina se esse, non inania & falsa confingendo, sed solida & vera exhibendo, ostendunt. Non enim phantasticum, (Mat 14) sed verum mare Christus pedibus absque cuiuslibet navis medio instrumento calcavit, non in phantasticum,

E sed in verum & bonum vinum aquas mutavit: non (Ioan. 2.) phantasticos, sed veros oculos cæcis aut restituit aut donavit: non auditum simulatorium, sed naturalem surdis: non simulatoriam, sed veram mutis loquelam concessit: non fallaciter, sed veraciter leprosos curavit, non fallaciter, sed veraciter dæmonia de humanis corporibus expulit: non fallaciter, sed veraciter universos hominum languores, curavit, mortuos quoslibet suscitavit: & tandem non ut Propheta quilibet, non ut Magus aliquis, sed ut Deus & Dominus totius creaturæ, cuncta quæ voluit fecit in cœlo & in terra, in mari & in omnibus abyssis. Nec solum ea fecit, sed insuper eandem miraculorum potentiam cunctis in se vere credentibus, quod non nisi Deus potest, concessit. Nam quicumque vel ante ipsum vel post miranda quælibet fecisse leguntur, creduntur, affirmantur, non propria, sed aliena virtute, ad ea facienda usi sunt: F non humana, sed divina potentia operati sunt. Inde est, quod ea facturi, preces semper ad Deum præmittebant, & eisdem precibus impetrata, illa, quibus famosi facti sunt, miracula faciebant. Unde legis de Moyse quamvis tacente, antequam rubrum mare divideret, antequam Pharaonem submergeret, dictum à Deo. (Exod. 14.) Quid clamas ad me? Legis & Heliam antequam vel (3. Reg. 17 & 18.) mortuum suscitaret, vel igne cœlesti sacrificia Deo oblata consumeret, vel triennem siccitatem pluviis irrigaret, orasse, genuflexisse, nihilque horum, nisi præmissa oratione, fecisse. Sic & de cæteris. Nullus enim eorum aliquid talium operum ex se facere potuit: sed quando fecit, ea à Deo ut fierent impetravit. Quod si ex se nihil facere potuit, utique nec aliis hoc præstare prævaluit. Si vero obiecceris dixisse Helisæum Heliæ, (4. Reg. 2.) *Obsecro ut fiat spiritus tuus duplex in me.* Recole quid ei Helias respondit, & agnosces quod nihil ex se præstare potuit. Nam quando dixit, *Si videris quando tollar à te, erit quod petisti si autem non videris, non erit,* ostendit alienum esse, non proprium, Dei esse non suum, vel miracula facere vel potestatem huiusmodi operum cuilibet dare. At Christus non ut Moyses, non ut Helias, non ut quilibet Prophetarum miracula, velut non sua virtute præmissis precibus fecit, sed ut Deus, quamG vis & homo, & ea quando voluit propria divinitatis potentia operatus est; & quibus voluit, largitate divina, ut idem facere possent, largitus est. Ex his universis, Iudæe, apparet, non magica, non fantastica, non falsa vel inania esse miracula Christi, quibus ad fidem Christianam mundus conversus est: sed divina veracia, solida, utilia. Quod autem dixi utilia, iterum diligenter attende. Est quippe illud ultimum de duobus illis, quæ supra iam proposueram, & ex quibus Christi miracula non magica esse vel falsa, sed divina ac veracia me probare, non probabili tantum, sed & necessario argumento promiseram. Sola enim verè utilitas miraculorum Christi, etsi cuncta supradicta deessent, ad idem probandum sufficeret. Nam clara, certa, indubia mirandorum operum probatio est ipsa eorum utilitas: & utrum ex Deo sint an non, & negligenter attendentibus manifestant. Quicquid enim a Deo in terris de talibus fit, saluti hominum militat, quicquid à satana de similibus fit, curiosæ vanitati inservit. Discernit & H dividit prorsus à diabolicis figmentis divina miracula, utilitas humana, qua semper vacua sunt prodigia diaboli, cui soli semper inserviunt miracula Christi. Quid enim prodest, mortalium non dico æternis, sed saltem præsentibus commodis, aërius magorum volatus, phantasticus fluminum cursus, risus imaginum, figmenta ætatum, umbrarum prælia, momento temporis constructa mœnia, altissimæ turres erectæ, urbes maximæ velut in somniorum fantasiis constructæ, & prorsus his similia, universa satanæ fallacia fallentiaque figmenta? Quod vero dixi magica figmenta nec præsentibus hominum commodis prodesse, sicut intelligo, sic à lectoribus intelligi volo. Novi enim magos vel dæmonicorum prodigiorum quoslibet vanissimos sectatores; dum vel occulta, quæ dæmonibus

A. ex naturæ subtilitate, aut longissimo usu nota sunt, curiosis vel cupidis hominibus referant, vel visus eorum manibus & fumeis simulachris pascunt, inuita quandoque lucrari, & vel sibi, vel his, à quibus ad hæc agenda instigantur, plurima sæpe commoda comparare. Non de his ego commodis ago, nec lucra huiusmodi, inter humanæ salutis præsentia saltem commoda numero. Sunt quippe ista magis nocentia, quam proficientia, magis perdentia, quam saluantia. Non ago, inquam, de turpibus, ac nefandis magorum aut minorum vel eis assentantium vanis artibus comparatis commodis, sed de illis miraculis, quæ aut æternæ animarum saluti famulantur, aut quorum saltem remediis corpora humana curantur. Quis enim æger istis satanæ fallaciis fallentibusque figmentis vnquam curatus est? Cui misero talibus remediis subuentum est? Cui nisi populari risui talia apta sunt? Quid nisi stultorum B. oculos pascunt? Sed proferes mihi magos Ægyptios, eosque signa signis similia Moysi, coram Pharaone fecisse propones. Sed recordare Moysi miracula veracia, non fantastica, vt magorum, fuisse: memento populi Dei vtilitati, quæ prorsus caruere figmenta magica, inseruisse. Fecit Moyses signa, intulit iussu Dei plagas Ægyptiis, vt & rebellis Deo populus cum rege perfido iustè puniretur, & gens tunc à Deo electa misericorditer saluaretur. Sed non eadem vel similis causa portentorum, nulla profectuum humanorum intentio in ipsis: quia ea non pro salute vel cuiuslibet vtilitate facta sunt, sed pro sacrorum æmulatione signorum, & pro ostentanda artis detestandæ peritia conficta sunt. Caruere magica præstigia diuinorum signorum vtilitate, semota sunt omnino diuina miracula à damnabili curiosorum hominum vanitate. Vides adhuc, Iudæe, distantiam inter signa & signa, miracula & miracula, prodigia & prodigia? Discerne amodo, quod fortasse hactenus nesciebas, & quæ ab humana salute vacare cognoveris, intellige falsa, quæ eidem famulari didiceris, agnosce diuina. Nonne aduertis, nec cæcum unum, nec surdum, nec mutum, nec languidum C. aliquem, a mago quolibet & peritissimo unquam curatum, ne dicam mortuum suscitatum? Defecit circa ista omnino dæmonica potentia pariter & voluntas: quia nec velle eis unquam adfuit mortalibus consulendi, nec potestas aliqua fracta reparandi, vel corrupta medendi. At Christus, & per eum mundo tradita Christiana fides, istis & aliis infinitis & mirandis operibus nihil aliud prorsus intendit, ad nihil aliud operam totam impendit, nisi ut & hic corpora curarentur, animæ iustificarentur, & post præordinato ab ipso ante omnem creaturam tempore, totus & integer homo ab omni morte, corruptione, vel miseria ereptus, beatitudini perpetuò Angelicæ iungeretur. Et quia hoc, veritate undique coartatus, negare, Iudæe, non potes: quia plane miracula Christiana non nisi soli humanæ saluti famulari probatum est: constat ea non esse fallacia, sed veracia: non esse magica, sed diuina. Agnosce igitur, geminæ, quam supra posuisti, obiectioni tuæ plene responsum. Quod enim nulla esse vel ficta Christi miracula dixeras, con- D. stat falsum esse, quia probatum est multa fuisse. Quod dixeras magica, claruit verum non esse, quia probatum est diuina omnimodè extitisse.

Sed quid ego te ex præteritis Christi miraculis, Redemptorem nostrum, vere Christum & Deum esse conuinco: cum ex mei temporis miris operibus, facilius vel negantem conuincere, vel confitentem valeam confirmare? Prætermitto per millenarium annorum numerum, primò Christi, dehinc Apostolorum, vel aliorum discipulorum, qui ei mortaliter adhuc viventi adhærebant, innumera ac præcelsa miracula: sepono infinitas per universum orbem Martyrum Christi legiones, agmina Confessorum, & utriusque ordinis Sacerdotum, greges Monachorum, phalangas Heremitarum, quorum non modica pars cœlestibus signis dum viverent, effulsit. Hos inquam E. omnes prætereo, & quicquid mirandorum operum mortaliter viventes gesserunt intermitto. Ad eorum busta vel sepulchra venio, & quid beatitudinis vel gloriæ apud omnipotentem & benignum auctorem suum spiritus eorum interim possideant, ex ipsorum sacris cineribus ostendo. Revolue, Iudæe, & intentè relege omnes tibi olim traditos veteris & sacri Canonis libros, & præter Helisæi, ac cuiusdam Prophetæ alterius ossa, usque ad Christi nostri passionem & mortem, per aliquem Iudaicæ legis mortuum, quantumlibet sanctum, mira aliqua facta demonstra. Hoc quia non vales, converte oculos à legalibus, ut sic loquar, defunctis, ad Evangelicos mortuos, quanta Christus per Christianorum suorum cadavera, vel iam pene nullos cineres, operatus fuerit, intuere. Aspice populos orbis terrarum, ad cuiuslibet olim contemptibilis Christiani concurrentes sepulchrum: & ab illis sæpe, qui quondam atrocibus tor- F. mentis perempti fuerant, periculorum auxilia, omniumque incommodorum remedia postulantes. Adverte eos, citius quam quilibet posset à iuventute audiri, frequentèr à mortuis exaudiri, & à templis Christi, ipsorumque receptaculis optata beneficia reportare. Nolo multum labores. Aperi tantum oculos, & vide illos, qui cæci ad sacra ingressi fuerant, videntes exire; surdos auditu, claudos gressu, mutos sermone restituto regredi, & tandem ægros universos, deposito apud eos molesto langore, lætari. Cerne ipsam, quam semper exosam speciali odio habuisti, supercœlestem, ipsoque sole splendidiorem æternam Virginem matrem Christi: conspice, quamvis liventi oculo, salutarem, quam hucusque maxime execratus es, crucem Christi. Agnosce apud loca in memoria ipsorum vel honore familiarius dedicata, frequentius ac solemnius ista vel maiora fieri, ut unde magis scandalizaris, inde maxime confundaris, & ut ea quæ apud te maiore vilescunt ignominia, maiore præ cæteris decorentur gloria. Concurrunt ad eadem G. loca inter innumeros diversis miseriis affectos, horrendo ac tetro igne adusti, & sui multitudine Ecclesias illas implentes, infra breve spacium, non solum tantum bini vel quaterni, sed sæpe & quinquageni, vel centeni curantur. Vidi ipse quandam, naso prius usque ad intimas faciei radices ab illo pestifero igne peresо, visione nocturna eo ad integrum recuperato gaudentem. Vidi & alios qui multorum veracium testimonio, diu vel semper cæci fuerant, virtute divina lumine restaurato, videntes. Vidi & alia. Sed quanta sunt illa ad illorum comparationem, quæ à veracibus & fide dignis viris accepi, vel ab eis qui viderunt, vel ab his qui à videntibus acceperunt? Inter quæ & Apostoli Iacobi peregrinus, fraude dæmonica à semetipso occisus, ab eodem Apostolo aliquantis post mortem interpositis diebus suscitatus: & quid exutus corpore vidisset, & quod sancti illius meritis ad corpus redisset, narravit. Fugiunt mentem multiplicia Christi miracula, moderno tempore facta, tantaque, ut si & antiqua deessent, ad integrum Christianæ fidei robur sufficere possent.

H. Sed dices fortassis, Christianorum de Christo testimonium te admittere nolle. Quæro causam, Respondes, unamquamque sectam sibi favere, & de talibus vel similibus falli vel fallere posse. His ego subiungo. Si quis tam malus est, ut alios fallat, nunquid tam nequam esse potest, ut seipsum fallere velit? Illi vero seipsos fallerent, qui de miraculis Christi dicentes se vidisse quod non viderunt, audisse quæ non audierunt, satagerent aut se inde in fide Christiana confirmare, aut ad idem alios prodigioso mendacio provocare. Quod genus fallendi, universis id mecum conclamantibus, nec esse unquam potuit, nec esse unquam poterit. Puto autem, quod nec Sathanas seipsum fallere velit, cum tamen auctor falsitatis & pater sit. Quod si pater falsitatis & mendacij, quamvis fallere semper cupiat, falli non vult, longe minus proles ipsius, nec *Ioan 8.*

A nec ab aliquo, nec à se ipsa falli vult. Præter hæc, quicunque vel mentitur, vel fallit, aut timore amittendi quod habet & amat, aut spe adipiscendi quod non habet & amat, mentitur & fallit. Sed qui miracula Christi nostro tempore facta, se vidisse vel audisse dixerunt: nequaquam vel si non dicerent, aliquid amittere timuerunt, vel quia dixerunt, lucrum inde aliquod speraverunt. Claret igitur, quod non nisi vera dixerunt. Sed quid ego admiranda opera Christi, per diversas mundi partes facta, sigillatim Iudæo explicare laboro: cum innumera quidem, sed longe pauciora pluribus mihi nota sint? Longe certe plura sunt notis, ignorata miracula: ea tamen quæ indubia certitudine teneo, quæ libri quantitas, quæ voluminis magnitudo capere posset? Sed seponantur ista, & suo tempori vel volumini reserventur. Vnum solummodo in fine operis

B cœleste, ac publicum Christi opus, tibi Iudæe, propono: quod negare non poteris, quod orbe toto conclamante, ne tua te taciturnitas abdicat, confiteri cogeris. Audisti miracula discipulorum Christi, audisti miracula matris Christi, audisti miracula crucis Christi, audi & sublime miraculum sepulchri Christi. Non poteris de isto dicere, hoc confinxisse Christianos, cum habeat testes ipsos & Ethnicos & Sarracenos. Nullus enim fere usquam est in toto orbe terrarum Christianus, nullus Ethnicus, nullus Paganus, quem istud lateat, qui istud ignorare, aliqua locorum remotione, quamvis longissima possit. Visitat misso de cœlis annuo lumine Christus sepulchrum suum, & non qualibet alia, sed ea, qua in ipso iacuit die, superno illud fulgore illustrat. Ostendit de morte sua vitam, de tenebris spelæi sui lumen mundo infulsisse æternum, ut spernens eius mortem perfidus confundatur Iudæus, & fidelis saluetur in eadem totam spem suam constituens Christianus. Occupant ante hos quinquaginta annos, hostes Christi cum ipsa divina & regia Hierusalem, templum & sepulchrum Christi,

C & ei principatu nefario dominabantur. Excubabant eidem sepulchro Domini pauci Orientalium gentium Christiani, & raris Occidentalibus admixtis, amore Salvatoris, impiorum durissimum iugum patienter ferentes, salutari specui serviebant. Instabat sacratissimo loco, Sarracenorum illorum violenta custodia, & non solum ab obsequentibus, sed & ab advenientibus, multo cum labore peregrinis, ac ferventi ad sepulchrum Redemptoris sui desiderio tractis perfidorum immanitas tormentis, ac verberibus quod poterat emungebat. Non cessabat & tunc lux cœlestis in tenebris impiorum lucere, & de supernis & igne visibili refulgente in terris, sabbato sancto Paschalem Resurrectionis dominicam præcedente, Salvatoris irradiabat sepulchrum. Tenebant Persicos arcus Ægyptij, & vel ludo, vel serio Angelum, ut dicebant, divini ignis batulum tactis Æthiopes sagittis transfigere minabantur. In tantum certe incredulorum animos tanta evidentia tam sublimis miraculi evincebat, ut quod ne-

D gare non poterant, licet nefandis ausibus, confirmarent. Si negaveris ergo, Iudæe, quod de hoc tanto miraculo fatentur Christiani; nunquid negare poteris, quod inde confirmant totius Orientis vel Meri-

Gen 4. diei Ethnici, ac Sarraceni? Inflammavit olim Deus super munera iusti Abel, super hostiam vero impij Cain non inflāmavit. Misit ignem de cœlis super ho-

4. Reg. 18 locaustum magni Heliæ, non misit super sacrificia Baal dæmoni præparata. Sic plane, sic ô Iudæe, hoc nostro tempore idem Deus inter Iudæorum vota & Christianorum sacrificia discernit: reprobat hostias vestras, quas iam per longissimum tempus nec esse permisit: suscipit holocaustum Christianum, quando locum illum, in quo quondam mortuus iacuit Agnus ille qui semetipsum obtulit immaculatum Deo, tantis ignis divini miraculis, annuo recursu honorat. Vt igitur breviter, ô Iudæe, diffusius dicta recolligam, tam multiplici scripturarum auctoritate, quam evidenti miraculorum ratione agnosce probatum esse, tene certum esse Christum Dominum nostrum, non adoptivum, E sed essentialem esse Dei filium, non nuncupativum, sed verum esse Deum, non temporalem, sed regem esse æternum, non quasi eum, qui nondum venerit, expectandum, sed sicut eum, qui iam præscripto tempore venit, suscipiendum & adorandum.

## CAPVT V.

*De ridiculis atque stultissimis Fabulis Iudaeorum.*

VIdeor mihi, Iudæe, tot auctoritatibus, tantis rationibus satisfecisse me ut arbitror super his, quæ in quæstione proposita fuerant, omni homini. Quod si omni homini, tunc & tibi, si tamen homo es. Hominem enim te profiteri, ne forte mentiar, non audeo; quia in te extinctam, immò sepultam, quæ hominem à cæteris animalibus vel bestiis separat, ratio- F nem, agnosco. At testatur mihi de his & Psalmus tuus, ubi hominem in brutum animal versum deplorat. *Homo*, ait, *cum in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est* Psal. 48. *illis.* Hoc licet de universali homine, hoc est, de genere humano dictum, iuxta quendam intellectum accipi possit: de te tamen hoc specialiter, de te hoc singulariter, in quo omnis ratio obruta est, dictum esse negare non potes. Cur enim non dicaris animal brutum? cur non bestia, cur non iumentum? Adhibe tecum bovem, vel si mavis asinum, quo nihil in pecoribus stolidius est: & simul cum eo quæcumque dici possunt ausculta. Quid referet, quid distabit inter auditum tuum & asini? Audiet, nec intelliget asinus: audiet, nec intelliget Iudæus. An ego hoc primus dico? Nonne hoc idem ante multa secula dictum est? Nonne hoc idem sublimis Propheta tuus testatur? *Aure*, inquit, *au-* Esa. 6. *dietis, & non intelligetis: & videntes videbitis, & non perspicietis**. Vnde quamvis te iumentum vel bestiam * *potio-* esse, his sacris auctoritatibus plene probatum sit, quam- *perie*. vis hoc in præcedentibus quatuor Capitulis, etsi tu his G motus non es, & à me sufficienter ostensum sit: addatur tamen & quintum Capitulum, quo in lucem producto, non solum Christianis, sed & toti terrarum orbi pateat, te vere iumentum esse, nec me, dum istud affirmo, veritatis limitem in aliquo excessisse. Produco igitur portentuosam bestiam de cubili suo, & eam in theatro totius mundi, in conspectu omnium populorum ridendam propono. Profero tibi coram universis, ô Iudæe bestia, librum tuum, illum inquam librum tuum, illum Talmuth tuum, illam egregiam doctrinam tuam, propheticis libris, & cunctis sententiis authenticis præferendam. Sed miraris, cum Iudæus non sim, unde hoc mihi nomen innotuit, unde auribus meis insonuit? Quis mihi secreta Iudaica prodidit? quis intima vestra & occultissima denudavit. Ille, inquam, ille, ille Christus, quem negas, illa veritas denudavit falsitatem tuam, discooperuit ignominiam tuam, quæ loquitur. *Nihil opertum quod non reveletur, &* Matt. 10. *occultum quod non sciatur.* Illo certe libro tuo monstra- H bitur, illo lucidè ostendetur, quam iusto Dei iudicio datus sis in reprobum sensum, cum nullo humanorum studiorum labore assentire velis clarissimæ veritati, & tam facile adquieveris tenebrosissimæ falsitati. Impleta sunt in te, tuisque similes verba Apostoli nostri, qui dicit. *Mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio, ut iudicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati.* Mirum plane, & pene incredibiliter mirum, non credere homines, ut dictum est, credibili & apertissimæ veritati, & credere incredibili falsitati. Sed econverso mirum non est, si recedente omni prorsus lucis vestigio, densæ olim Ægyptiorum tenebræ ab Ægypto fugatæ Iudaica corda occupant: quia iuxta veracem scripturam, *non est conventio Christi ad Belial, nec aliqua societas lucis cum tenebris.* Sed iam tenebræ ipsæ nudandæ sunt,

&

A & electa scriptura tua Talmuth in medium proferenda. Quæ secundum te tuosque similes tanta est, tantæque celsitudinis ac dignitatis, ut Deus nihil aliud faciat in cœlo, quam legere assiduè scripturam illam, & de illa cum sapientibus Iudæis qui eam composuerunt conferre. Sed quid faciam? Si huic insaniæ, vel cæteris similibus respondere cœpero, pene & ipse insanus videbor. An non iudicaretur insanus, qui homini vel insaniam patienti, vel impulsu dœmonis furioso, quando aliena vel absurdissima loquitur, responderet? An non furiosus videretur, qui cum huiusmodi homine, in quo tota ratio sepulta est, nihilque nisi inania & stolida proferente, velut rationabiliter disputare conaretur? Sic plane, sic de me credi posset, nisi me ab hac stultitia certa ratio excusaret. Illa certa ratio, quia etsi non omnibus Iudæis hac mea disputatione prodesse, tamen fortassis aliquibus proficere potero. Licet enim à Deo ad præsens merito iniquitatis suæ proiecti sunt nec revocandi, nisi quando iuxta Prophetiam, præmissa gentium multitudine, reliquiæ Israël salvæ fient: colligit tamen interim aliquando superna miseratio, & à massa perdita segregat quosdam licet raros, apud quos hæc mea responsio vel disputatio utilitatis effectu forsitan non carebit. Qui fæcibus iam dictis longo tempore apud Iudæos infecti, ad Christi Ecclesiam transeuntes, tali antidoto plenius defæcari poterunt, & hac lectione, peste, qua imbuti fuerant, expurgari. Audi ergo, Iudæe, tuam tuorumque insaniam, & quod deterius est, blasphemiam. Nam quam supra tetigi furiosorum insaniam, pœna peccati est, sed peccatum non est. Blasphemia vero, non solum intolerabile peccatum est, sed & quantum ad hanc tuam pertinet, præcedentium peccatorum pœna est. Neque enim tam pessime desipuisses, nisi tuis tuorumque Patrum præcedentibus peccatis vel criminibus hoc meruisses. Deus, inquis, nihil aliud facit in cœlo, quam legere assidue scripturam Talmuth, & de illa cum sapientibus Iudæis, qui eam composuerunt, conferre. Ac primum interrogo. Vt quid legit Deus in cœlo? Vt doctior fiat, ut discat quod ante ignorabat, vel ut recordetur eorum quæ oblitus fuerat? Omnis enim lector his de causis legit, ut vel discat quod ante ignorabat, vel recordetur eorum quæ oblitus fuerat, vel ex lectione aliquem instruat, vel oblectet, vel arguat; & si qua sunt alia, ad lectionis proprietatem pertinentia.

Esai.10.

B

C

Sed ut quod primum posui proponam, nunquid Deus ut discat legit? An ei aliquid scientiæ vel sapientiæ deest: Nonne de eius non solum magnitudine, sed & sapientia legitur, *Magnus Dominus noster, & magna virtus eius, & sapientiæ eius non est numerus:* Nonne & in eisdem Psalmis ei à Propheta dicitur, *Omnia in sapientia fecisti?* Nonne rursum eidem Deo idem Propheta, *Ecce Domine tu cognovisti omnia novissima & antiqua?* Quia si omnia novissima & antiqua, hoc est omnia ultima & prima cognoscit, utique quæ media sunt non ignorat. Nam & de illis sequitur, *Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes scribentur.* Sed ne putes hunc Dei librum Talmuth tuum esse, dic si potes, utrum omnes homines vel qui fuerunt, vel qui sunt, vel qui futuri sunt, in libro tuo illo scripti sint. Hæc sunt enim verba Psalmi, *In libro tuo omnes scribentur.* Sed certum est, quia nulla arte, nullo conamine, hoc ostendere prævales, quod in illo tuo, de quo agitur libro, omnes scripti sint. Non igitur Talmuth Iudaicum esse potest liber ille, de quo dicitur, *in libro tuo omnes scribentur.* Audi & bonam mulierem Susannam, quæ licet non sit de Canone tuo, fuit tamen de populo tuo. Audi eam, utrum Deus aliquid ignorare possit, in oratione propria profitentem. *Domine*, ait, *qui nosti omnia antequam fiant.* Qui si omnia antequam fiant novit, utique ea postquam facta sunt non ignorat. Non igitur ut aliquid discat Deus, legit Talmuth. Sed nec ut aliquorum recordetur, legit Talmuth. Audi Prophetam tuum. *Nunquid*, ait Dominus, *potest mulier obli-*

Ps.146.
Ps.103.
Ps.138.

D

Dan.13.

Esa.44.

E *visci pueri uteri sui? & si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui.* Recordare &c. versus illius, cuius oblitus esse videris. *Si oblitus fuero tui Hierusalem, oblivioni detur dextera mea.* Sed fortassis obiicies. Hoc Deus multo, quo erga Patres nostros movebatur, affectu dixit. Nec ego hoc, Iudæe, nego. Sed si dilectio antiquorum Iudæorum fecit, ut hoc diceret, non tamen fecit, te etiam concedente, ut hoc mentiens diceret. Verum est ergo quod Patrum vestrorum oblivisci non poterat, verum est quod civitatis vestræ Hierusalem oblivisci non poterat. Sed nunquid, præter Iudæos, quorumlibet aliorum oblivisci poterat? Nonne Iob, qui de Canone tuo est, Deo loquitur, dicens, *Licet hæc celes in corde tuo, tamen scio quia universorum memineris?* Qui ergo universorum memoriam in corde suo celat, utique nullorum obliviscitur, utique omnium assidue recordatur. Nam si aliquo momento temporis universorum memoria apud ipsum periret, non eam in corde suo eo quo periret temporis intervallo celaret. Nemo enim celare dicitur quod non est, sed quod est. Clarum est igitur intellectui, non aliquorum, sed omnium, nullo pacto nullorum hominum, nullarum rerum, Deum immemorem esse posse.

Psal.136.

Iob 10.

F

Sed opponis, quod in Genesi scriptum est. *Recordatus est ergo Deus Noe, & cunctorum qui erant cum eo in arca, & adduxit spiritum super terram, & imminutæ sunt aquæ.* Opponis & illud. *Recordatus est, quia caro sunt: spiritus vadens & non rediens*, & subiungis. Quid ergo sibi vult quod dicit, *recordatus est Deus Noe: & recordatus est quia caro sunt*, si Deus nullarum rerum obliviscitur, nullarum recordatur? Interrogo & ego. Nunquid Deus oblitus fuerat Noe, oblitus fuerat & omnium, qui erant cum eo in arca, antequam adduceret spiritum, & imminuerentur aquæ super terram? Nunquid oblitus fuerat eius, cuius arcam inter universos turbines, inter ventorum furentium flabra, inter elementa rupta lege naturæ in invicem acerrimè compugnantia, sub imbribus inordinatè profluentibus, super immensum abyssi pelagus: inter ista, inquam, omnia, absque rectore, absque velis, absque gubernaculis, absque omni prorsus humanæ artis adminiculo, per integrum fere annum gubernavit? Videtur mihi, Iudæe, immo quod maius est, apud me omnino constat, constat & apud omnes qui Iudæi non sunt, quod nullo modo potuit Deus oblivisci eorum, quorum se oblitum non esse, tam manifestis indiciis declaravit. Vide & tu, vide ac iudica, sed iuste, utrum inter tot tantaque navigationis usibus repugnantia, arca Noë per unum totius orbis pelagus, absque divina manu sine arte humana enatare potuit: cum nec arctum fluviolum brevis carina absque multo labore nautarum enavigare vel transmeare possit. Hoc si tibi clarum est, quod nulli præter te obscurum est, cogeris confiteri non ideo dixisse scripturam, Deum recordatum fuisse Noë, quod eius vel ad punctum oblitus fuerit, sed quod humanum loquendi morem sacra servans scriptura, post aliqua, quæ præmisso Noë nomine de qualitate diluvij subiunxerat, qualiter de tantis periculis à Deo erutus sit, congruenter meminit. Confitere ergo ratione cogente, nullo tempore Deum Noë, vel eorum, qui cum ipso in arca erant, oblitum fuisse. Confitere & illud, quia cum dicitur, *recordatus est quia caro sunt, spiritus vadens & non rediens*: non notari Deum oblivionis, sed commendari miserationis. Quomodo enim credi potest oblitus fuisse gentis illius, quos præter sublimia ac frequentia miracula, & continuis signis ac beneficiis illustrabat? Taceo, quod rubrum mare eis diviserit, quod aquam de rupe produxerit, quod quibusdam aliis signis semel tantum factis, eos clarificaverit. Nunquid non *ab exitu Israel de Ægypto, domus Iacob de populo Barbaro*, usque ad divitum Iordanem per annos quadraginta cœlesti manna quotidie præter Sabbatum de supernis fluente eos pavit? columna nubis per diem, ignisque per noctem, quando tabernacula figerent, quando

Genes.8.

Ps.77.

G

H

erigerent, totius itineris mensuram, & quantitatem per invia & deserta absque errore continuè demonstravit? Non potest ergo dici vel ad modicum eorum oblitus, quorum se memorem assidue fuisse, non interpolatis, sed signis, quod maius est, continuis ostendebat. Non igitur, ut aliqua eorum, quæ oblitus fuerat, ad memoriam reduceret, totum Talmuth Deus in cœlis, ô Iudæe, vel legebat, vel legit. Vnde lucidum est, quod neque ut discat, neque ut recordetur Deus, vel illius, vel alicuius lectionis eget. Sed nec ut instruat, sicut magister discipulos, nec ut oblectet sicut tragœdi & comœdi populos, nec ut arguat sicut satyrici reprehensores prophanos. Sed quid de istis loquor? Ridicula sunt hæc, nec auditu ferenda, nisi tu invitum me loqui, quod vel cogitare exhorreo, profunda stultitia tua, Iudæe, urgeres. Succedant ergo reliqua.

Legit, inquit, Deus in cœlis, librum Talmuth. Sed cuiusmodi librum? Si talem, quales quotidie in usu legendi habemus, utique ex pellibus arietum, hircorum, vel vitulorum, sive ex biblis vel iuncis orientalium paludum, aut ex rasuris veterum pannorum, seu ex qualibet alia forte viliore materia compactos, & pennis avium vel calamis palustrium locorum, qualibet tinctura infectis descriptos. Et, ô miser, tantæ necessitati omnipotentis sapientiam addixisti, ut necesse sit ei ad discenda vel ad recordanda quælibet, fœdas vilissimas consulere, & à pellibus vel biblis intelligentiam mendicare? Quomodo à Iudæorum libris aliquid discere potuit, qui Iudæis legem digito, hoc est spiritu suo in tabulis lapideis scriptam dedit? Quid potuit discere ab aliquo libro Iudæorum, cum ipse sit auctor & legislator eorum? sed rursum fastidio tam abiectissimis næniis respondere, sed quia tu tam sapiens his credis, non possum tacere. Nihil, inquis, aliud facit Deus in cœlo, nisi legere scripturam Talmuth. Hoc iam discussum est. Et quid sequitur? & de ea cum sapientibus Iudæis, qui eam composuerunt, conferre. Magna plane Iudæorum dignitas, multa excellentia, quod scripturam à suis compositam Deus in cœlis dignatur legere, & de ea cum sapientibus Iudæis conferre. Sed quare confert Deus de scriptura illa cum sapientibus Iudæis? Vt doceat, aut ut discat? Collationis quippe humanæ mos est, ut qui de re aliqua cum aliquo confert, aut doceat, aut doceatur: aut ut exercitatior, promptior, aut segnior ad aliquid agendum reddatur. Conferens ergo cum Iudæis Deus de libro iam dicto, fit collatione sua doctior, fit exercitatior, fit promptior, fit segnior? Responde quod mavis. Si fit collatione sua doctior, si exercitatior, si promptior: contradicis Prophetæ tuo, qui dicit, *Quis cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit?* Contradicis & illi qui ait, *Quem docere voluisti? Nonne eum qui fecit spiramentum?* Vide ergo, considera, attende, quia frustra collatio illa in cœlis à Deo cum Iudæis fit: immo quod nunquam fit, cum Deus consiliarium, cum doctorem habere non possit. Quando enim dictum est, *quis consiliarius eius fuit?* non est quæsitum ut ostenderetur quis esset, sed ostensum quod non esset. Sic & quando dictum est, *quem docere voluisti, nonne eum qui fecit spiramentum?* monstratum est admirando, nullo modo Deum ab aliquo posse accipere documentum, cum ipse cunctorum viventium creaverit spiramentum. Quomodo enim quis Deum poterit docere, sine quo nec potest spirare? Quomodo Deum docebit sapientiam, sine quo nec ipsam potuisset habere vitam? Quod si absque Deo non potuisset habere vitam, quomodo Deo conferet sapientiam? Falsum est igitur toto mundo indice, Deum in cœlis assidue legere scripturam Talmuth, & de ea cum sapientibus Iudæis conferre. Sed iam scriptura admirabilis à sapientibus Iudæis composita, in medium proferatur, & quantum sapientiam illius universi, ipseque Deus vere admirari debeant, videatur. Aliquando, inquit Talmuth, conferentibus Iudæis cum Deo de eadem scriptura, incidit quæstio de diverso genere leprarum, quæ in libro Moysi continentur, & de alopicia, & de quibusdam aliis infirmitatibus. Vbi cum Deus diceret alopiciam lepram esse, illi autem è contra negarent, & fortiter disputando ei contradicerent, nec possent ullo modo concordare: post longas contentiones, iurgia gravissima, in hoc convenerunt, ut quicquid inde Rabbi Neemias diceret, hoc pro vero haberetur. Erat autem Rabbi Neemias adhuc vivens in seculo, quem scilicet Iudæi magnum & sanctissimum super omnes magistros suos fuisse asserunt. Præcepit ergo Deus Angelo percutienti, ut cito animam eius eiiciens in cœlum perduceret. Qui veniens invenit eum legentem Talmuth, supradictam scilicet scripturam, quam Iudæi adeo sanctam dicunt, ut nemo, dum eam legerit, mori possit. Mox ergo ut Rabbi Neemias Angelum mortis vidit, ad quid venisset interrogat. Dixit se pro eius anima venisse. Ille vero exhorrescens, & mori timens, adiuravit eum terribiliter per ipsum Deum, & per sanctam scripturam Talmuth, quam legebat: ne in eum mitteret manum, quia nullo pacto adhuc mori vellet. Angelo autem dicente, quia melius erat illi esse cum Deo in cœlo, & cum sanctis Iudæis, & delectari in cœlestibus, & ut permitteret animam suam educi, nullatenus adquievit, legens assidue Talmuth, ne posset interfici. Reversus itaque Angelus, hæc Deo narravit, dicens Rabbi Neemiam nullomodo mori velle, & assidue Talmuth legere, unde nihil ei facere posset. Ego, inquit Deus, dabo tibi consilium. Redi cito ad eum, & fac super caput eius in aëre turbinem magnum, & quasi commotionem grandinis & lapidum, ut dum tremefactus oculos à lectione Talmuth adverterit, sic animam eius rapere possis, & huc adducere. Rediit Angelus, & ita fecit ut Deus præceperat. Mox autem ut anima Rabbi Neemiæ in cœlum evecta, Deum in throno sedentem, & cum Iudæis de prædicta quæstione disputantem vidit, magna voce clamare cœpit. Munda est, munda est. Hoc est, victus es, ô Deus, in quæstione à Iudæis, quia alopicia, non est lepra sicut dixisti, sed munda infirmitas. Tunc Deus aliquantulum erubescens, & contra testimonium tanti viri nihil dicere audens, sic Iudæis secum disputantibus alludendo respondit, NAZA HUNI BENAI, hoc est, Vicerunt me filij mei. Iam ego tecum, Iudæe, non ago. Non sufficio, non prævaleo: non invenio verba congrua ad tantam insaniam confutandam. Succedat loco mei Propheta tuus, immo iam non tuus, sed noster Esaias. *Esaias.* Quid dicis contra Iudæos, maxime Prophetarum? *Audite*, inquit, *cœlum, & auribus percipe terra: quoniam Dominus loquutus est. Filios genui & exaltavi, ipsi autem spreverunt me. Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui. Israël autem me non cognovit, & populus meus non intellexit. Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis! Dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt sanctum Israel, abalienati sunt retrorsum.* Cum tanta dicas ex persona Dei contra tui temporis Iudæos, ô Propheta, cum tam acriter inveharis, cum tam sublimiter in impios declames: quando adhuc ex parte Iudæi in Deum recta fide credebat, quando eum confitebantur, quando assiduas hostias immolabant. Quid de istis diceres, si ista audires? Quid diceres, si audires affirmasse Iudæos, Deum in cœlis cum mortuis Iudæis velut cum patribus disputare? Quid diceres, si audires de generibus lepræ, aliam Dei, aliam Iudæorum fuisse sententiam. Deum asserere alopiciam lepram esse, Iudæos è contra negare, & disputando fortiter Deo contradicere? Quid diceres, si audires hac de causa in cœlis post longas Iudæorum cum Deo contentiones, & iurgia gravissima, utriusque partis assensu ad litem hanc dirimendam, electum iudicem Rabbi Neemiam, qui super hac quæstione inter Deum & Iudæos decisoriam sententiam promulgaret? Quid diceres, si audires præcepisse Deum Angelo: ut animam adhuc in carne viventis Neemiæ sibi ad hoc iudicium faciendum afferret, illumque ne ad moriendum ab Angelo cogi posset, assidua lectione Talmuth

A se ipsum defendisse? Quid diceres, si audires extortam tandem ab eo divina fraude animam, & in cœlos evectam, eum Deum in throno sedentem, & adhuc cum Iudæis de iam dicta quæstione disputantem offendisset: statim clamare cœpisse, Deum in propositione sua mentitum, & à Iudæis superatum? Quid diceres, si audires victum Neemiæ sententia Deum erubuisse, si audires contra iudicium tanti iudicis nihil ausum dicere fuisse, si audires etiam Iudaicam victoriam ore proprio confessum fuisse, dicendo, Vicerunt me filij mei? Credo quod non posses patienter audire, Deum vocari insipientem, vocari mendacem, doceri ab hominibus, hominum iudiciis subdi, fraude humanas animas à corporibus evellere, & tot non solum Deo, sed & cuilibet sapienti vel bono viro incongrua, & indigna de Deo proferri. Audis enim eum à Iudæis B insipientem vocari, quando dicunt defuisse illi scientiam discernendi inter varietates humanorum morborum: idque eos negare omnipotenti Deo, quod concedunt cuilibet medico. Insipientem plane vocant in ea parte, qua ei scientiam subtrahunt. Quid ergo inde tu dicis? Audio te certe huic Iudæorum sententiæ more tuo libera voce resistentem, cum dicis, *Deus sempiternus Dominus, qui creavit terminos terræ, non deficiet neque laborabit, nec est investigatio sapientiæ eius.* [Esa. 40.] Audio & Iob. *Nudus est infernus coram illo, & nullum est operimentum perditioni.* [Iob. 27.] Nam si tanta est sapientia Dei, vt dicis, vt non sit eius investigatio, hoc est, ut à nemine investigari possit, certum est, quia nil eum latet. Quod si nil eum latet, nec cuiuslibet morbi species eum latet. Sed iuxta tuam sententiam, cui non credere nefas est, nil eum latet. Mentitur ergo Iudæus, qui dicit iam dictam morbi speciem utrum lepra esset an non, Deum latuisse. Rursum si nudus est C infernus coram Deo, si nullum est operimentum perditioni coram illo, non potuit hoc eum latere, quod dicit Iudæus eum latuisse. Si enim infernus, hoc est, omnia quæ apud inferos sunt vel fiunt, nuda sunt conspectui eius: numquid aliqua eorum, quæ in terris sunt vel fiunt, operta esse possunt oculis eius? An dæmonicos spiritus & humanas animas, quæ apud inferos detinentur, & quæ circa eas aguntur, videt: homines autem adhuc in terris positos, & in carne viuentes, & quæ in ipsis vel ergà ipsos geruntur, ignorat? Hoc quia fieri non potest, quia plane fieri non potest, ut aliquid Creatorem in creaturis lateat, quia quod fecit factor ignorare non potest: iterum dico, te idem mecum pariter affirmante, mentitur Iudæus, qui ausus est dicere Deum aliquid ignorasse. Et quid dicam? Cum Iudæo prius agebam, sed nunc ad te, sancte Propheta, verba converti. Quare? Quia confundor loqui surdo, loqui insano, loqui iumento. Sed tecum, si non dedignaris, de his me iuvat agere: quem novi de similibus, etsi non adeo insanis, dum viveres semper egisse. Plenus tu spiritu Dei, eorum amen- D tiam detestabaris. Zelo aliquo Dei licet longe post gradiens, detestabiliorem quam tuo tempore fuerat, eorum perfidiam, verbis quibus possum execror. An non est ultra omnem modum execrabile quod præmisi? Nec minus execranda, omni execratione digni subiungunt. Non sufficit eis simplex blasphemia, volumina maxima infinitis in Deum blasphemiis impleverunt. Congregaverunt ab aliquantis millibus annorum, in condemnatis peccatoribus vastum impietatum pelagus: & ab ore venenati serpentis nefanda per tantum temporis venena colligentes, quantum possunt, quantum audent, ea quotidie in Deum profundunt. Dixerant Deum insipientem, dicunt & mendacem. Nonne mendacem dicunt, quando fatentur eum de languore supra scripto dixisse, quod non est, & negasse quod est? Sed destruit hoc ratio, destruit auctoritas, destruit & sapientia, quæ loquitur per Salomonem. *Veritatem meditabitur guttur meum, & labia mea detestabuntur impium.* [Prov. 8.] Iusti sunt omnes mei, non est in eis pravum quid, neque perversum.

E Recti sunt intelligentibus, & æqui invenientibus sapientiam. Et quæ est hæc sapientia, quæ loquitur per Salomonem? Nonne ipse Deus? Plane ipse Deus. Non enim sicut aliud erat Salomon, & aliud sapientia eius: sic aliud est Deus, aliud sapientia eius. Nam & si absque sapientia esset Salomon, esset tamen Salomon. Non autem Deus absque sapientia esse potest, quia non est aliud ipse, aliud sapientia eius: sed quod est Deus, hoc est, & sapientia eius. Vnde vel si dicatur Deus, vel si nominetur sapientia eius, idem est: quia & Deus sapientia, & sapientia Deus est. Deus ergo loquitur. *Veritatem meditabitur guttur meum, & labia mea detestabuntur impium.* Veritatem ergo, non mendacium, meditabitur guttur Dei, detestantur impium, non iustum, labia Dei: sed nullum rectius quam vos, ô mendaces Iudæi, qui mendacem conamini asserere sapientiam Dei. Et quia etiam iustus, F & verax homo plerumque etsi non ex iniustitia, tamen ex inscientia fallitur, quandoque insuper ex subrepente iniustitia mentitur, subdit scriptura. *Iusti sunt omnes sermones mei, non est in eis pravum quid neque perversum.* Si ergo non aliqui, sed omnes sermones Dei iusti sunt, si non est in eis pravum aliquid, si non est perversum aliquid, falsum est, ô Propheta, quod Iudæus dixit, quando Deum mendacem vocavit. Et sequitur. Recti sunt intelligentibus, & æqui invenientibus scientiam. Non est igitur mirum, si non sunt recti omnes sermones Dei Iudæis: quia non sunt recti non intelligentibus, nec est mirum, si non sunt æqui eisdem Iudæis, quia non sunt æqui non invenientibus scientiam. Vnde quia non intelligunt, quia non inveniunt scientiam Iudæi: non possunt eis recti videri omnes sermones Dei. *Perdes,* ait Psalmus Deo, *omnes qui loquuntur mendacium.* [Ps. 5.] Videte miseri, quoniam à Prophetæ colloquio ad vos re- G dire compellor. Videte, inquam, miseri, in quantum vosipsos baratrum proiecistis, quando per scripturam nefandam, cui creditis, Deum mendacem vocatis. Si enim perdit Deus omnes, qui loquuntur mendacium, & ipse Deus loquitur mendacium, vtique perdit Deus etiam seipsum. Hoc quis ferat? Quis toleret? Quis patiatur? Et quoniam si manifestissimis diu immoratus fuero, aërem frustra verberare videbor, procedam ad sequentia. Nonne hæc iam dicta fabula tua, ô Iudæe, postquam insipientiæ, postquam mendacij notam Deo imposuit, etiam eum discipulatui hominum subdidit? Nonne discipulatui hominum subdidit, quando didicisse eum à Neemia quod ante nesciebat dixit? Portentuosa sunt hæc, & vltra omnes larvales figuras stupenda. Miror, admirans hæreo, mirari non sufficio: qualiter hoc humanus animus fingere, qualiter humana manus scribere, qualiter humanum os potuit, vel ausum est proferre. Timeo ipse talia loqui, etiam contradicens, & tu non times talia loqui, etiam affirmans? Vereor ego ista proferre etiam ad instructio- H nem, & tu non vereris ista meditari, scribere, dicere, ad tuam, tuorúmque perditionem? Exequatur tamen sermo quod cœpit. Dicis, vt dixi, doceri Deum ab hominibus, æternum mutuare sapientiam a mortalibus, cœlestem à terrenis, summam sapientiam ab insipientibus. Audi num resistant, aut cedant tam perversæ opinioni omnes scripturæ tuæ, non prophanæ, sed sacræ. Contra prophanas enim ex sacris ago, impias literis ex divinis resisto. Audisti superius de re simili, iusti viri Iob testimonium, quo Deum contra nefandam hanc sententiam tuam defendit, cum dicit. *Quem docere voluisti? Nonne eum, qui fecit spiramentum?* [Iob. 26.] Audi & simile de Psalmis exemplum, quo spiritus Dei contra te, tuosque invehitur; quo inauditam hanc de Deo opinionem detestatur. *Intelligite,* ait, *insipientes in populo, & stulti aliquando sapite.* [Ps. 93.] Quibus verbis vehementius indicare posset commoti, & indignantis affectum? *Insipientes,* inquit, *intelligite, stulti aliquando sapite.* Quid post? *Qui plantavit aurem, non audiet: aut qui finxit oculum, non conside-*

A *rat?* Quid deinde? *Qui corripit gentes, non arguet, aut qui docet hominem scientiam?* Hoc est. *Qui corripit gentes non arguet, aut qui docet hominem scientiam, non arguet?* Audistis istud ultimum Iudæi? Docet iuxta Psalmum vestrum Deus hominem scientiam, non docet homo Deum scientiam. Vtar & ego verbis divinis, contra vos. *Insipientes intelligite, stulti aliquando sapite.* Quid volo vos intelligere? Quid volo vos sapere? Rursum dico, quod non docet homo Deum scientiam, sed docet Deus hominem scientiam. Hoc si verum est, non docuit Neemias vester, quem hominem fatemini, Deum scientiam. Non sufficit hoc solum Propheticum verbum, Iudæe, sepositis aliis infinitis idem sonantibus testimoniis, ad probandum quod non possit ab homine Deus doceri? Novi, quia sufficit. Sed audi adhuc. *Omnis,* ait quædam scriptura tua, *sapientia à Domino Deo est, & cum illo fuit semper, & est ante ævum.* (Eccl. 1.) B Quod si omnis sapientia à Domino Deo est, sapientia vel scientia Iudæorum, qua noverant alopiciam lepram non esse, ab ipso erat. Quod si ab ipso erat, utique eius erat. Quæ si eius erat, quod illi sciebant, ignorare non poterat. Sed hoc ita est, negare non potes. Falsum est ergo quod putasti, fabulosum quod credidisti. Et ne forte obiicias, si tamen hoc obiicere nosti, non esse iam dictam sententiam de summo Iudaicarum literarum Canone, redi ad Psalmos, & vide quid alibi de re simili sentiant. *Mirabilis,* ait Propheta ille, *facta est scientia tua ex me.* Ex me, inquit, iuxta idioma Hebraicum: supra me, iuxta intellectum Latinum: hoc est, plusquam possim intelligere, plusquam possim capere, facta est mirabilis scientia tua. Et quid amplius? Et quod dixerat exponit, & quod non dixerat addit. Confortata est, & non potero ad eam. Vide, ô Iudæe, cum tantus vir, tantus rex, tantus Propheta, scientiam Dei mirabilem supra se esse dicat: cum confortatam esse affirmet, cum se non posse ad illam pertingere astruat: C Neemiæ tui scientia non solum scientiam David transcendet, sed & ipsius Dei scientiam superabit? Credo, quia non audebis Neemiam illum regi David conferre, ne dicam præferre. Quod si non audes eum conferre regi tuo, quomodo eum præferes Deo tuo? Cessa ergo desipere, & ridendam vesaniam a corde tuo proiice. An non erubescis, quod de nefandis argueris? Non erubescis, quod iam dictum Neemiam etiam iudicem Deo dederis? Non erubescis, quod eum qui iustus iudex à Propheta dicitur, qui iuxta eundem iudicat orbem terræ in æquitate, & populos in veritate sua, iudiciis humanis submiseris? Si humanos oculos habes, non corporis, sed animi: respice, intuere, adverte, quia si vera est sententia Prophetica, qua dixit Deum iudicaturum orbem terræ, & populos eius in æquitate & veritate: falsum est quod hominis iudicium imploraverit falsum est quod se ei subdiderit. Sed forte obiicies. Iudicabit, dixit Propheta, non iudicat: futurum tempus posuit, D non præsens. Vnde quia adhuc iudicium illud futurum erat, quando illud dictum est à Propheta, potuit interim iudicari ab homine. Sed si hoc dixeris, si nomine futuri temporis te ab hoc impedimento expedire volueris, audi Deum iudicem etiam præsentis temporis, audi præteriti, audi simul & futuri. Descendente Deo ad perdendos Sodomitas & Gomorræos: occurrens ei Abraham, ait. (Gen. 18.) *Nunquid perdes iustum cum impio? Absit à te, ut rem hanc facias, & occidas iustum cum impio, fiatque iustus sicut impius. Non est hoc tuum. Qui iudicas omnem terram, nequaquam facies iudicium.* Recognoscis, Iudæe, nomen Abrahæ? Scio, quia recognoscis, & super omnia, ut arbitror, hominum nomina, tenacius mente retines. Præferes ergo tuum Talmuth verbis Abrahæ? Quid dixit Abraham? Qui iudicas omnem terram, nequaquam facies iudicium. Ecce præsens tempus ponit Abraham, cum dicit. *Qui iudicas omnem terram.* Istud tamen præsens, & præteritum intellectu continet, & futurum.

E Hoc enim sensit Abraham cum dixit, *qui iudicas omnem terram,* quod omni tempore Deus iudicaret omnem terram. Talis sensus est, & in Psalmis. *Qui sedes super Cherubim,* &, *qui facis Angelos tuos spiritus,* &, *qui regis Israel intende,* &, *Dominus regit me,* & in multis similibus. Neque enim tunc solum quando hoc dictum est, sedebat Deus super Cherubim, vel spiritus suos faciebat Angelos, vel regebat Israël, vel regebat David; & non ante, nec post, immo & tunc, & ante, & post. Hoc sensit David, quando ista protulit, hoc sensit Abraham, quando dixit. *Qui iudicas omnem terram.* Est igitur verbum hoc de quo agitur, in hoc loco in sono præsens, in intellectu præteritum, præsens, & futurum. Si ergo verum est, quod Abraham dixit, Deum omnem terram omni tempore iudicare, falsum est quod fabula finxit, eum aliquo tempore, terreni hominis iudicium subisse. F Sed credo quod Abraham mendacem dicere formidabis: Quod si hoc formidaveris, si eum mendacem dicere nolueris, utique Deum humanis iudiciis addictum negabis. Vis adhuc præcedentibus addi aliquid? Fiat si vis, licet ex superfluo. Esto, magnus fuerit Neemias ille tuus, sapiens, doctus: immo, ut asseris, legis doctor. Nunquid maior illo, de quo ait alia scriptura Canonis tui, (Iob. 36.) *Ecce Deus excelsus in fortitudine sua, & nullus ei similis in legislatoribus?* Quæ & paucis versibus interpositis subdit, *Ecce Deus magnus, vincens scientiam nostram, numerus annorum eius inæstimabilis.* Vide ergo, quod licet magnus, secundum te, legis doctor Neemias, non tamen maior Deo, vel par ei: quia nullus similis est ei in legislatoribus. Vides & illud, quia quamvis sapiens iuxta quod asseris, fuerit Neemias, non tamen in scientia maior Deo, vel par illi: quia ut verax scriptura loquitur. Deus vincit scientiam nostram, hoc est, omnem humanam sapientiam. G Iam illud quod ausa est commentari nefaria scriptura, Deum dolis, quia aliter non poterat, obsistente lectione Talmuth, Neemiæ animam extorsisse, & sic ad faciendum inter se Iudæosque iudicium, ad cœlos per Angelum evexisse, quis ferat? Ac primum, quis præter Satan docere, quis præter Iudæum audire, ne dicam credere tam absurda potuit: quod lectio Talmuth Dei potentiæ præiudicare, quod fabulosa infernalis libri recitatio voluntati vel mandato Dei obsistere posset? Nunquid enim sanctior, ô Iudæe, liber ille tuus, quinque libris Moysi? Nunquid sanctior libris Prophetarum? nunquid melior? nunquid dignior? Et Moyses tamen legislator & lector mortuus est, & Prophetæ librorum suorum scriptores & lectores mortui sunt. Non potuit tutari à morte aliquem ex ipsis librorum tam sacrorum lectio, & potuit lectio Talmuth, ne moreretur Neemias, Dei obviare iudicio? Vere præ maxima libri potentia, quæ à communi universorum sorte, qua in uno homine omni homini dictum est, (Gen. 3.) *Terra es, & in terram ibis,* quoslibet se legentes potens est excipere. H Sed quia hoc nugacissimum esse constat, ad dolos divinos venio. Redeunte Angelo ad Deum, & dicente Neemiam nullo modo velle mori, & ea de causa assidue Talmuth legere, vnde nihil ei facere posset: Ego, inquit Deus, dabo tibi consilium. Redi cito ad eum, & fac super caput eius in aëre turbinem magnum, & quasi commotionem grandinis & lapidum, ut dum tremefactus oculos à lectione Talmuth averterit, sic animam eius rapere possis, & huc adducere. Rediit Angelus, & ita fecit ut Deus præceperat. O consilium divinum! ô consilium, quo egens consiliorum deitas nullum melius invenire potuit! Nonne, vt aliquid ludicri subiungam, Deoque melius quam ipse sibi consuluerit consulam, nonne certe aptius fuisset, inevitabiles humani corporis necessitates, quibus à lectione Talmuth retrahi cogeretur expectare, quam ad derisorios dolos confugere? Nam quantumlibet pertinax in lectione esse disponeret, etsi non alia, comedendi tamen vel saltem dormiendi necessitas, post

biduum

[A] biduum triduumve, etiam omnino mutum à lectione averteret. In quo temporis spatio Angelus ad eum occidendum missus, non dico vnam tantum eius animam rapere, & quò vellet deferre: sed etiam mille vel plures hominum animas ab eorum corporibus eruere posset. [Exod. 11.] Fecit hoc olim Angelus Dei, Ægyptios percutiens, & sub una fere noctis hora, innumera primogenitorum millia occidens. Fecit & simile quid sub rege Assyrio, quando in castris eiusdem centum octoginta quinque millia, [4. Reg. 19] brevi nocturni temporis momento dormientes vigilantésve perennt. Facere potuisset hoc idem, quando Neemias ne moreretur, lectione tam dicta contra Deum pugnabat. Congruentius plane fuisset, comedenti vel dormienti animam eripere: quam grandinis vel lapidum turbine, à lectione tam sancta & sacratissima lectorem pertinacissimum absterrere. Sed forte non poterat pati moras [B] Deus, & litem gravissimam quæstionis propositæ, citata sapientis hominis sententia, finire properabat. Magna verè necessitas iurgia cœlestia pacificandi, ne forte diu protracta, maiora processu temporis fierent, & Deo in ipsis cœlestibus hostes publicos excitarent. Hoc ne contingeret provisum est, vt Neemias qualibet arte festinanter accerseretur, & per ipsum inter Deum atque Iudæos pax perdita reformaretur. Non arbitror tamen Deum de terris talem ad cœlos iudicem evocaturum fuisse, si præscisset eius iudicio se inferiorem, Iudæosque in lite diu protracta futuros esse superiores. Nam non pepercit ei Neemias, non adulatus est: sed statim ut raptus à corpore cœlos ascendit, Deumque in throno sedentem conspexit, plane ut constans & veritatis amator, nulliusque personam in iudicio accipiens, condemnatricem Dei sententiam protulit, dicens de specie morbi, quam Deus lepram putaverat, dixerat, contenderat: munda est, munda est. Cuius verbi repetitio hoc in sensu habet. [G] Certum est, fixum est, in propositione sua victum te à Iudæis Deus, quia eos vera dixisse, te constat mentitum fuisse. Quid igitur restat, Iudæe? Quandoquidem hominem sapientiorem Deo invenisti, quandoquidem iudicem Iudici universorum deduxti: descendat Deus de sede, cedat meliori, cedat sapientiori. Hoc, inquam, necesse est. Si enim quisquam sapientior Deo inventus est, utique qui Deus putabatur, Deus nec erat, nec est. Sed non sufficit Deum condemnatum iudicio Neemiæ, nisi condemnetur & propria confessione. Lata, inquit, sententia, erubuit Deus, nihilque contra tanti viri testimonium dicere ausus, ludendo respondit, NAZA HUNI BENAI, hoc est, Vicerunt me filij mei. Quid restat? Hominis iudicio victus, rubore iudice victus, professione propria victus: quid moras facit in solio omnipotentiæ Deus? Depositus est à Iudæis Deus, proiectus est à Iudæis, nec omnipotens, nec omnia sciens probatur à maioribus, eoque sapientioribus Iudæis. Et novi quidem, quia plusquam furiosa, vel dæmonica verba [D] ista non essent auctoritate vel ratione refellenda, sed condigna si posset fieri subsannatione, & execratione conspuenda. Sed quia ista à vobis, ô gens perdita & perdenda, creduntur, dicuntur, scribuntur, quis taceat? Quis manus, nedum verba contineat? Cum enim iam per mille, & centum annos sub pedibus ingemiscatis, quos super omnia oditis, Christianorum: ludibrium facti non solum eorum, sed & ipsorum Saracenorum, omniumque simul gentium ac dæmonum: quis continet manus nostrorum a sanguine vestro, nisi præceptum illius, qui vos abiecit, & nos elegit, Dei, [Ps. 58.] dicentis per Prophetam vestrum, *ne occidas eos?* Vult enim servari vos non ad honorem, sed ad opprobrium: non ad vestrum commodum, sed ad mundi spectaculum: Vult servari vos ut fratricidam Cain, qui cum Deo increpanti eum post effusum fraternum sanguinem, diceret, *Omnis qui invenerit me, occidet me*, audivit, [Gen. 4.] *Nequaquam fiet ita. Sed maledictus eris super terram, & vagus, & profugus eris super eam.* Sic [E] vos maledicti, sic vagi, sic instabiles estis super terram, post effusum a vobis sanguinem Christi, quantum ad carnem fratris vestri, quantum ad deitatem Domini vestri: ut quod morte deterius est, in præsenti longo opprobrio hominibus, in futuro sempiterno sitis ludibrio dæmonibus. Hæc certe universa meretur nequam cor vestrum, meretur blasphemum os vestrum: quod non solum continue in homines maledicta evomit, sed & in ipsum Deum impia ac nefanda profundit. Quid enim adeo impium, quid ita nefandum, ut illud, quod à vobis dicitur: mendax est Deus, victus est Deus, erubuit Deus: professus est se victum Deus? Sed quod mendax non sit supra probatum est. Quod vero erubescere non possit, cui præter vos obscurum est? Reatum enim aliquem, errorem aliquem, excessum aliquem fateri videtur, quicunque erubescit. Nam nisi hæ, vel similes causæ [F] præcesserint, impossibile est quempiam erubescere. Vides adhuc Athleta meus, quid dixeris: quam superbe, quam nequiter, quam stolidè in cœlum os tuum posueris? Reatum, excessum, errorem, Deo ascribere, quid est aliud quam furere? *Existimasti inique*, ait [Ps. 49.] Deus, *quod ero tui similis? Arguam te, & statuam contra faciem tuam.* Qui ne uni tantum Iudæo loqui videretur, omnes simul reprobos Iudæos arguit cum subdit. *Intelligite hæc, qui obliviscimini Deum, ne quando rapiat, & non sit qui eripiat.* In quo versu iam dictam Neemiæ vestri fabulam percutit: immo quod maius est, destruit. Dixistis enim Deum, Neemiæ animam Angelico ministerio rapere voluisse, sed ei Neemiam ipsum lectione Talmuth; ne illam rapere posset restitisse. Vnde sic vos increpat, sic fabulam vestram falsissimam esse demonstrat. *Intelligite*, inquit, *hæc qui obliviscimini Deum.* Quid verius? Nunquid non obliti fuistis Deum, quando tam indigna de Deo sensistis? Idcirco vobis dicitur, intelligite hæc qui obliviscimini Deum. Sed quid vos hortatur in- [G] telligere? Nequando rapiat, & non sit qui eripiat. Nolite, inquit, falli, nolite seduci, nolite putare, Neemiam vel aliquem cum animas rapere disposuerit, ei posse obsistere. Confirmat hoc alio alterius Psalmi versu. Vbi cum dixisset. *Vovete & reddite Domino* [Ps. 75.] *Deo vestro munera*, adiunxit, cui Deo, *Terribili*, inquit. Ac statim. *Et ei qui aufert spiritum principum.* Sed forte spiritum principum tantummodo aufert, non autem aliorum. Audite non solum de principibus, sed & de universis Iob Deo loquentem. *Scias quia nihil impium fecerim, cum sit nemo qui de manu* [Iob 10.] *tua possit eruere.* Non iste vel ille de manu tua potest eruere, sed nemo prorsus de manu tua potest eruere. Claret ergo sæpe dictum doctorem vestrum animam suam de manu Dei arte qualibet nunquam eruere potuisse. Sed ut supra posui, quando Deum, ô Iudæe, erubuisse dicis, vel reatum, vel errorem, vel excessum eum incurrisse fateris, A quibus si eum auctoritatibus vel rationibus defendere voluero, superfluus vel nimius forsitan apparebo. Quis enim reatum, errorem, excessum, Deum posse incurrere sentiet: nisi [Ps. 52.] [H] forte insipiens, qui dixit in corde suo. Non est Deus? Timeo & illud mihi dici, quod Iob respondit amico. *Cuius adiutor es? Nunquid imbecillis? & sustentas* [Iob. 26.] *brachium eius, qui non est fortis?* Nam pene idem est in tam claris laborare, quod Solem serena die orbem fulgentibus radiis illustrantem; claris oculis & vigilantibus digito demonstrare. Idcirco quæ omnino perspicua sunt, etiam si ea Iudæus obiciat: brevi vel nulla responsione prætereunda sunt. De talium numero sunt & illa, quæ finis fabulæ continet, cum Deum victum asserit, cum ipsum victum fuisse ore proprio confessum esse fingit, quando eum dixisse mentitur. Vicerunt me filij mei. Quis enim præter Iudæum nesciat, hoc nulla egere contradictione? Nulla sane eget contradictione, quod falsum esse notum est omnibus perspicua veritate. Cum enim obscurum esse potest, virtute vel sapientia non posse Deum vinci

A ab aliquo, cum totus orbis eum ab antiquo audierit dicentem, *Cui assimilastis me, & adaequastis me, & comparastis me, & fecistis similem?* Et post pauca. *Recordamini prioris seculi, quoniam ego sum Deus, & non est ultra Deus: nec est similis mei annuncians ab exordio novissima, & ab initio qua necdum facta sunt,* dicens. *Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet.* Et quamvis, vt dictum est, Deum ab his derisoriis ineptiis defendere superfluum videatur: ne quis tamen Iudaeos semel tantum errasse, vel blasphemasse, quod tolerabilius esset, existimet: causa est, ut alios eorum de re simili errores ad publicum sermo producat. Nam facile in his tam multiplicibus blasphemiis lector advertere poterit, quam longe proiecti sunt à facie Dei, qui tot, tam indigna, tam absurda, sentire vel credere potuerint, de sublimissima & incomprehensibili maiestate Dei. Nam praeter illa,

Esa 49.

B quae praemissa sunt, dicunt, & in suis, immo Satanae synagogis docent, quod quando Deus firmamentum hoc quod oculis nostris conspicuum est fecit, non illud ex integro perfecit, sed cuiusdam magni foraminis spatium in septentrionali eius parte imperfectum reliquit. Causam autem cur hoc fecerit, valde congruam & rationabilem reddunt. Affirmant enim hac providentia istud eum fecisse, ut si quando procedente tempore aliquis exurgens, Deum se esse, Deoque aequalem diceret, Deus illi iam dictam firmamenti imperfectionem obiiceret dicens. Si Deus es, ut ego, fac saltem ex parte quod feci & ego. Feci ego maiores firmamenti partes, fac & tu si potes hanc, quam imperfectam ego reliqui partem. Quid ultra queror, ô Iudaei, vos spirituali oculo non agnoscere spiritualia, cum nec ipso corporali agnoscatis corporalia? Certe corporale est firmamentum, corporales & ipsi vestrae carnis oculi. Quid ergo causae est, ut hoc clausum sit solis Iudaicis, cum pateat praeter vos totius

C orbis oculis? Videt plane praeter vestrum omnis oculus, nec in Aquilonali, nec in Meridiana, nec in aliqua sui parte imperfectum, sed omnibus suis partibus integrum firmamentum. Redarguit ipse Aquilonalis semper super terram rutilans axis, tantum vestri commentum mendacij, qui axi Meridiano numquam visibus humanis apparenti oppositus, nihil in illa coeli plaga imperfectum, universorum, vt dictum est, oculis, exceptis Iudaicis, manifestat. Hoc quia orbe iudice notissimum est, ad longe deteriora blasphemiarum ludibria transitus fiat. Asseritis enim Deum semel omni die irasci, & hoc robusto, ut putatis, Psalmi testimonio, affirmare conamini. *Deus iudex iustus, fortis & patiens, nunquid irascetur per singulos dies?* Et, ô bestiae, iam nec literam scripturarum vestrarum, quam solam sequi videbamini, assequentes, nunquid hoc affirmativè vel enuntiativè dictum est, & non potius modo interrogativo negando prolatum? Nam sic dictum est. *Nunquid irascetur per singulos dies?* tanquam dictum esset, non irascetur per singulos dies. Relegite vestrum Hebraicum idioma, & ita

Ps. 7.

D se habere sensum literae illius, si caecitas Iudaica non obstiterit, agnoscetis. Licet enim simus Latini, nihil tamen nos veracium scripturarum vestrarum latere potuit, quos multorum in vtraque lingua peritorum eruditio copiosa instruxit. Taceo quod tam insulse, hoc est humano more, Deum irasci putatis. Quod si hoc sentitis, utique mutabilem affirmatis. Si enim usitato hominum modo nunc irascitur, nunc pacatur, nunc gaudet, nunc tristatur, nunc obliviscitur, nunc recordatur, & reliqua similia nostro more aut facit, aut patitur, Propheta vester mentitur, qui de mutabilitate coeli ac terrae, Deique stabilitate disputans, ait Deo. *Ipsi,* hoc est coeli & terra, *peribunt tu autem permanes.* Et post pauca verba. *Mutabis eos & mutabuntur, tu autem idem ipse es.* Si ergo Deus permanet, si non mutatur: utique nec essentia, nec affectu mutatur. Possetis enim forsan obiicere, non mutari Deum essentia, sed mutari affectu. Non mutari naturaliter, sed mutari accidentaliter. Quod utrumque removet, utrumque excludit, etsi millies id negetis, scriptura, cum dicit, *Tu autem permanes,* & cum dicit, *tu autem idem ipse es.* Non igitur more nostro Deus nunc irascitur, nunc pacatur. Additis supra illa, quae iam dicta sunt, cum prima diei hora irasci: causamque irae redditis talem, quod in illa hora, hoc est prima, reges iniquitatis exurgentes, diademata sibi imponunt, & Solem adorant. Adiungitis, quod ipsius horae, qua irascitur, punctum nemo noverit unquam, nisi Balaam filius Beior. Additis, & congruum ei in hac scientia socium datis, gallum scilicet, quem affirmatis solum cum Balaam iam dictae horae punctum agnoscere. Quid loquar? Vt supra fassus sum, nescio quid satius sit, respondere tam ineptissimis naeniis, an tacere. Nam respondere super-

Ps. 101.

E

F fluum, tacere videtur incongruum. Superfluum, quia res proposita stultam se absque tegmine prodit. Incongruum, quia tacere cum ad respondendum ea proposita sit, non expedit. Et ut primo positis sermo primus occurrat, quae auctoritas docuit, quae ratio persuasit, ut crederetis Deum & irasci, & quotidie irasci, & prima diei hora irasci? Quis enim authenticus legislator hoc dixit? quis Propheta scripsit? quis eorum, qui in toto divino Canone vestro leguntur, hoc docuit? Proponite aliquem de universa illa multitudine veterum sanctorum, qui hoc vel scripserit, vel docuerit, vel saltem senserit, & concedo. Quod si auctoritas vos destituit, nec eius robore, quae dicta sunt à vobis munire potestis, vel ratione aliqua tam prodigiosam fabulam defendite. Quod si nec istud habetis, quid restat? Quid restat, inquam, nisi vt stultissimi homines cum derisoriis fabulis suis, coelo ac terrae, Angelis & hominibus ostentui fiant? Quis enim non videat, remota causa effectum constare non

G posse? Sed incumbit ut dicam quid nominem causam, quid vocem effectum. Nam si causam removere potuero, & effectum pariter removebo. Causam dico, ô Iudaei, eam, quam ipsi proponitis, quod scilicet prima diei hora reges iniquitatis exurgentes, diademata sibi imponunt, & Solem adorant. Effectum, quod ista videns Deus prima diei hora fieri, eadem prima diei hora irascitur, & quia quotidie istud hora eadem videt fieri, quotidie irascitur. Qui sunt reges isti iniquitatis, qui nunquam tertia hora diei, nunquam quarta, nunquam quinta, nunquam sexta, nunquam alia aliqua, sed semper prima diei hora diademata sibi imponunt, & Solem adorant? Vere studiosissimi ac praecipui cultores iniquitatis, qui nullis regnorum suorum negotiis, nullis impedimentis retrahi possunt: quin & quotidie, & eadem hora, & diademata sibi imponant, & Solem adorent. Pacifici omnino reges, regnaque pacatissima, quae nihil adversi timentia, nullis domesticis aut civilibus vel extraneis tumultibus pulsata, quietissimo otio perfruuntur, & cultui prophano irrequieti insistunt. Plane, ut olim dictum est, aurea secula, quae tam concupiscibile ac

H prolixum otium regibus suis praestant, ut positis armis, sepositis curis, religioni propriae intantum devoti, deservìant, vt inter tam diuturna temporum spatia, nec unam diem, nec eandem diei horam praetereant. Et quidem quosdam Orientis reges olim Solem adorasse audivi: sed quod quotidie, quod semper prima diei hora, ignoro. Sed rectius possem dicere, quia scio, quod nec quotidie, nec semper prima hora diei. Bellicosi enim fuerunt, & pene semper in armis: unde nec sacris execrandis quotidie inservire, nec eandem diei horam semper servare, ipsa ratione docente valerent. Sed quid de antiquis regum erroribus & cultibus loquor, cum hoc non de praeterito tantum tempore, sed magis de praesenti & continuo Iudaica fabula dicat? Non enim de transactis seculis, sed de instanti tempore fabula loquitur, dicens quotidie prima diei hora reges iniquitatis exurgere, diademata sibi imponere, & Solem adorare. Hoc de his nostris diebus

sentire

sentire quam incircumspectum, dicere quam mendosum sit, leviter attendens advertet. Non est enim iam Rex in Oriente, non est in Occidente, non in Meridie, non in Aquilone, quibus quatuor plagis totus orbis describitur: qui non dico prima, vel sexta, sed vel qualibet diei aut noctis hora, Solem adoret, non est qui creaturæ creatoris cultum exhibeat. Nam de regibus Christianorum, de regibus Sarracenorum, qui vel Christiani, vel Sarraceni, toti pene mundo imperant: de his, inquam, quod Solem non adorent certum est, de quibusdam aliis licet paucissimis, qui adhuc quibusdam Paganis gentibus principantur, nunquam auditum est. Vnde iam satis probatum constat, quod nullus regum nostri temporis Solem adorat. Hoc quia verum est, mentitur Iudaica fabula, quæ dixerat Solem quotidie prima diei hora, à quibusdam iniquitatis regibus adorari. Si enim iam nullus regum aliquo tempore Solem adorat, certum est quia nec quotidie, nec prima diei hora adorat. Quod si nulla die, nulla hora, aliquis regum Solem adorat: falsum est & illud, quod Iudæus subiunxerat, punctum primæ horæ, quam Deus irasci consueverat, Balaam sive gallum agnoscere. Neque enim Balaam sive gallus, scire possunt punctum horæ illius quæ non subsistit: neque hora diei illius dici potest, quæ in nullo cursu temporis est. Exclusa igitur causa, excluditur & effectus, quia non habet iam Deus unde irascatur, cum nullus regum in orbe terrarum cultor Solis inveniatur. Falsa sunt ergo omnia quæ ab adversa parte proposita fuerant, vel quod Deus quotidie irasceretur, vel quod reges iniquitatis sibi diademata imponerent, & Solem adorarent. Iam cur tanta de vobis Balaam & gallus meruerint, Iudæi, præ cæteris hominibus & avibus Dei, miror & interrogo. Interrogo, inquam, cur tanta de vobis meruerint, ut his tantum duobus, nullisque aliis præter hos duos, iræ divinæ cognitionem ipsiusque horæ, qua Deum irasci dicitis, notitiam tribuere voluistis. Magna plane prærogativa, maximum privilegium Balaam & galli, quo & ille omnes homines, & iste superat omnes aves. Mirum certe nobis, mirum est & universis præter vos, qui quoniam cuncta miranda dicitis, nihil iam mirari potestis: si Balaam Moysi, si Davidi, si Salomoni, si Esaiæ, si cunctis Prophetis, si tandem cunctis sapientibus & divinis hominibus in sæpedictæ horæ cognitione præfertur. Nonne mirum si Balaam ei præfertur, de quo Deus ad Aaron & Mariam, *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum: at non talis servus meus Moyses, ore enim ad os loquar ei, & palam, non per ænigmata & figuras Dominum videt?* Nonne mirum si & illi præfertur, qui Deo loquitur, *Incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi?* Nonne mirum si & illi præfertur, ad quem Deus, *Dedi tibi,* inquit, *cor sapiens & intelligens in tantum, ut nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit?* Nonne mirum si, & illi in cognoscendis secretis Dei Balaam præfertur, qui & Dominum sedentem super solium excelsum & elevatum, & Seraphim stantia super templum, & alis suis Dei faciem ac pedes velantia cernere: & Sanctus, sanctus, sanctus clamantia audire potuit? Sed forte idcirco omnibus his vobis præferendus videtur: quia & aliqua vera prædixit, & cum asella sua confabulatus est. Sed nunquid celsiora, nunquid diviniora, nunquid plura prædixit quam Prophetæ? Nunquid quia semel cum homine verbis humanis asina loquuta est, præfertur tantis tamque mirandis signis, quæ Moyses operatus est? Sed vt in aliquo vobis satisfaciam, ne forte me semper hostem esse censeamini: concedo quod etiam inferioris meriti vel Propheta, vel Divinus, vel Ariolus Balaam aliquid singularis gratiæ præ cæteris, licet maioris meriti viris meruerit. Habuit ergo hanc gratiam, vt horam vel punctum iræ divinæ cognosceret. Hanc gratiam habuit, sed quamdiu Deo placuit. Sed nunquid postquam displicuit? Nunquid habuit hanc gratiam, postquam Deo displicuit? postquam dictum est ei ab Angelo Dei, *Perversa est via tua, mihique contraria?* postquam rediens ad populum suum dedit contra populum Dei perversum consilium? postquam à patribus vestris, o Iudæi, non ut Propheta Dei honoratus est, sed vt in Deum impius, & vt hostis publicus interfectus est? Credo quod non sic adeo desipitis, non adeo ratione humana caretis, ut impios homines maxime post mortem Dei secretis vel consiliis interesse credatis. Hoc si verum est, quod [illegible] iræ divinæ horam vel punctum quotidie possit agnoscere, falsum est. Iam quod gallum consiliis divinis admittitis, quod secretorum Dei conscium dicitis [illegible], iudicet orbis terrarum. Videat & [illegible] secreta vel acta divina agnoscenda gallus [illegible] est, ad quæ vix aliquis hominum unquam admissus est. Sed quia mos Iudaicus est, abuti semper scripturis: sicut ad quotidianam iram Dei ostendendam illo supradicto Psalmi versu abusi estis, *Deus iudex iustus, fortis & patiens, nunquid irascetur per singulos dies?* Fortassis & ad galli vestri singularem sapientiam demonstrandam, versu illo libri Iob abutimini, quo dicitur, *Quis posuit in visceribus hominis sapientiam, aut quis dedit gallo intelligentiam?* Hic forte robur vestrum constituitis, hanc velut fortissimam Iudaici sensus turrim, expugnari non posse præsumitis: hinc galli præcellentem intelligentiam, intellectibus cunctorum hominum anteferetis. Sed si inde præferendus est gallus cunctis avium, pecorum, & hominum intellectibus, quia de eo legitur, *Quis dedit gallo intelligentiam?* quid sentietur de sensu bovis, quid de intellectu asini, de quibus Propheta scribit, *Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui?* Quid dicetur de miranda quarundam avium solertia, de quibus alter Propheta ait, *Turtur & hirundo, & ciconia, custodierunt tempus adventus sui?* Quid, ut de maiorum animalium diversis ac miris intellectibus taceam, quid, inquam, de apicula, tam sagaci labore & industria mella conficiente? quid de ipsa nullius pene corporis formica sentietis, dicetis, quam Salomon vester adeo prædicat, ut ad eius discendam sapientiam etiam homines mittat? Quid certe de illa scribit? *Vade ad formicam, ô piger, & considera vias eius, & disce sapientiam,* & reliqua. Sed quæ est hæc galli vestri intelligentia? Vt prætermittam spiritualem intellectum, qui ad vos non pertinet, quibus non est datum nosse mysterium regni Dei. Hæc plane galli, de quo scriptura loquitur, intelligentia est, quod omnes cernimus, quod assidue videmus, ut cantibus suis vel diu intermissis, vel frequentius iteratis, in nocturnarum profundis tenebrarum, proximum lucis adventum se quadam naturali & insita intellectus vivacitate sentire denunciet. Nunquid quia hoc potest, quia hoc intelligit, statim ad consilia Dei agnoscenda, statim ad ignotam cunctis mortalibus iræ divinæ horam eum admittetis? statim galli intelligentiam cunctorum, non solum hominum, sed & ipsorum Angelorum sapientiæ præferetis? Præferantur ergo similiter istis omnibus volucres, quas supra exempli causa commemoravi turtur, hirundo, & ciconia: præferantur bos & asinus, præferantur apes & formicæ: & quæcunque animalia aliquid præ cæteris ad quamlibet intelligentiam pertinens spirituale, naturæ propriæ inditum habere videntur. Admittantur statim & usque ad tertium cœlum, quo Apostolus noster etsi non creditis, raptus est, rapiantur, nec volucrem, aut quadrupedem vltra aliquid in divinis mysteriis lateat, postquam aliquid cuiuslibet intelligentiæ proprium iure naturæ sibi præ cæteris vendicare potuerit. Sed credo nullum esse rationale animal, non solum in cœlis, non solum in terris, sed nec apud inferos: qui hunc Iudaicum sensum non expuat, non derideat, non exsecretur. Sufficiant ergo ista de istis, & vt Propheta vester ait, ad verborum abominationes & blasphemias longe maiores his videndas, quia tot nefandis diu immorari tædet, celer transitus fiat. Dicitis, & in cœlesti illa & veracissima scriptura vestra

Talmuth

A Talmuth legitis, Deum quotidie semel in die plorare, & ab eius oculis duas prodeuntes lacrymas in magnum mare decidere, & has illum affirmatis esse fulgorem, qui tempore nocturno cadere videtur de stellis. Fletus quoque ipsius, quem Deo ascribitis causam, Iudæorum captivitatem esse dicitis. Quin etiam propter dolorem, eum ter in die, ut leonem rugire, & ea de causa cœlum pulsare pedibus more calcantium in torcular asseritis. More insuper columbæ, quendam murmurij sonitum dare, & quaque vice caput movere, & dolentis dicere voce. Heu mihi! heu mihi! Vt quid domum meam in desertum redegi, & templum meum cremavi, & filios meos in gentes transtuli. Heu patri, qui transtulit filios suos! & heu filiis, qui translati sunt de mensa patris sui! Dicitis etiam, quod quidam doctorum vestrorum hanc audierint vocem in

B quodam ruinoso loco, propterea quod tanquam prudentes invicem collidat pedes, & more dolentis manibus plaudat: & quia quotidie orat, ut misericordia eius sit super iram eius, & ut eat in populo suo in misericordia. Quid expectas lector? quid præstolaris? Putas me de istis acturum contra Iudæos? Absit, ut de istis contra illos agam: absit, ut canibus impudentissimis & porcis spurcissimis, velut rationis capacibus respondeam, & eos super his aliqua cuiuslibet responsione dignos ostendam. An responsione mea, vel cuiuslibet egent qui sunt, qui velut tantum modo ad blasphemandum Deum nati, in pabulo igni æterno dati sunt? Qui etsi eos canes vel porcos vocavi, in nullo excessi. Nam licet per hæc animalia in sacris scripturis crudelitas immunditiaque designetur: quæ tamen mala carnalia non superat, tanta tamque totiens repetita blasphemia. Nolo ergo contemptor esse verborum Domini mei, ut margaritas divinis talibus bestiis conculcandas exponam. Quod licet in superioribus fecisse videar, fuit tamen causa, quam & ipse præfatus

C sum: ut etsi non omnibus, etsi non multis, saltem paucis, quos aliquando ad Deum converti videmus, Iudæis, qui hac peste aut imbuti fuerunt, aut imbui potuerunt, mea hæc scriptura prodesset. At quoniam inauditis intoleranda successerunt, non est dignum ut sic agatur cum ista dicentibus, quasi cum hominibus ratione utentibus. Sunt equidem eorum infinitæ fabulæ, & traditiones a regulis Dei prorsus alienæ, de quibus in Evangelio Dominus Pharisæis. *Reliquistis*, inquit, *mandata Dei propter traditiones vestras*. Longe tamen tolerabiliores sunt hæ, quæ cum multa absurda dicunt de hominibus, aut de mundanis rebus: res tamen divinis tributas(?) non tangunt. Sed prorsus illæ execrandæ, illæ nullo modo sunt tolerandæ, quæ in tantum prorumpunt insaniam, ut ea de Deo audacter prædicent, quæ aures humanæ vix tolerant. De quarum traditionum numero & istud est, quod recitatum est. Quis ergo hæc dicentibus vel respondere debeat, vel dignetur? Quis respondere dignetur blasphemæ, stultæ, & impiæ voci, quæ Deum dicit quotidie semel in die plorare, duas eius lachrymas in magnum mare decidere: ter in die, ut leonem rugire,

D ut iratum, immo pene furentem, pedibus cœlum crebris ictibus pulsare: ut columbam gemere, ut indignantem caput movere, ut acriter anxium invicem manus, pedesque collidere: ut misere dolentem dicere, Heu mihi! heu mihi! Responderem tamen, ut superius feci, si in omnibus his vel parum quid sani intellectus haberent: si vel fletum, vel rugitum, vel gemitum, vel dolorem, quæ iuxta literæ sonum horrenda Deo blasphemia ascribunt: si, inquam, aliquid horum iuxta scripturæ sacræ sensum exponerent. Nam licet fletum divinum, licet columbinum, quantum ad Deum, gemitum nusquam in veteri scriptura me legisse recorder: lego tamen rugientem, lego dolentem, lego vociferantem: & quod magis mirum esset, si sanus intellectus deesset, lego sibilantem, lego stridentem. Rugientem, ut in Amos. *Dominus de Sion rugiet, & de Hierusalem dabit vocem suam.* Dolentem, ut Amos 1.

E in libro Iudicum. *Clamaverunt filij Israel ad Dominum, qui doluit super miseriis eorum.* Vociferantem, ut in Esaia. *Vociferabitur, & clamabit, & super inimicos suos confortabitur.* Sibilantem, ut in eodem. *Sibilabit Dominus muscæ quæ est in extremo fluminum Ægypti, & Api quæ est in terra Assur.* Stridentem, ut in Amos. *Ecce ego stridebo subter vos, sicut stridet plaustrum onustum fœno.* Si in aliquo horum vel similium (nam multa similia in sacris literis de Deo dicta inveniuntur) si plane in aliquo horum Iudaicus sensus Christiano, vel si hoc abhorrent, rationabili intellectu consonaret: responderem adhuc, ut prius feci Iudæis, nec cum ipsis loqui de talibus dedignarer. Sed cum nec metaphoram, nec allegoriam, nec aliquem de usitatis & multis loquendi modis, per quos omnia ista digne Deo adaptantur, Iudæi suscipere velint, sed solam in his literam occidentem intelligant, quid loquerer? Quid Deum à stulto Iudic.10 Esai.42 Esai.7 Amos 1

F fletu, quid ab insano rugitu, quid à misero gemitu, quid a reliquis monstruosis & furiosis illi obiectis motibus manifeste excusarem? Quis enim nesciat sanum sapiens, vel saltem non ex toto desipiens, fletum, rugitum, gemitum, & reliqua quæ iam dicta sunt, portentuosissima, in Deum cadere non posse, divinamque naturam prorsus ab istis omnibus existere alienam? Quis ignoret naturam incorpoream, simplicem, incircumscriptam, ab omni corporalium elementorum complexione, vel compositione longissime segregatam: cui nec capitis, nec corporis, nec quorumlibet humanorum membrorum ulla similitudo vel distinctio est, ab his omnibus quæ illi detestandus Iudaicus error imponit, esse immunem. Nam quis flet sine oculis? Quis rugit, sine voce? Quis manus pedesque collidit, si non habeat? Quis tandem absque quorumlibet membrorum instrumentis officia membrorum exercet? Taceo furorem irascentis, tristitiam dolentis, miseriam clamantis; Heu mihi! heu mihi! Taceo quod Iudaica sapien-

G tia omnipotentem fecerit impotentem, quod solvere volens diutinam Iudæorum captivitatem non possit, quod idcirco fleat, idcirco rugiat, idcirco mugiat, idcirco gemat, idcirco doleat, idcirco manus pedesque collidat. Nam heu mihi dicere Deum, quis unquam excogitare, quis asserere ausus est, præter Iudæum? Lego quidem eum dicentem per Prophetam. *Heu! consolabor super hostibus meis, & vindicabor de inimicis meis.* Sed illud heu, licet prolatum à Deo, non est Dei, sed hominum: non est Dei, sed eius inimicorum. Videant ergo inimici Dei, quam absurda imputent maiestati Dei. Nam heu mihi dicere, non est nisi miseri: heu mihi dicere, non est nisi propriam miseriam deflere. Iudæus igitur cum heu mihi dicere Deum dicit, utique Deum miserum esse dicit. Miserum autem Deum, non solum vocare: sed præter Iudæum, quis non exhorreat cogitare? Et vere miserum genus hominum, vere genus de capite converso in caudam omnium gentium, qui Deum quantum ad deitatis essentiam, sibi velut hominem fingunt qui eum per humanorum membrorum divisionem distinguunt, qui ipsis quasi Esai.1.

H humanis membris officia humana distribuunt: qui non solum humanos, sed etiam belluinos gestus, rugitus & gemitus Deo ascribunt. Non hoc sensit de Deo Moyses eorum, non hoc dicit, non hoc in ultimo Pentatheuchi sui libro scriptum reliquit. *Non vidistis*, ait ille Iudæis, *aliquam similitudinem in die qua locutus est vobis Deus in Oreb de medio ignis: ne forte decepti faciatis vobis sculptam similitudinem omnium iumentorum quæ sunt super terram, vel avium sub cælo volantium, atque reptilium quæ moventur in terra, sive piscium qui sub terra moventur in aquis: ne forte oculis elevatis ad cælum, videas Solem & Lunam, & omnia astra cæli, & errore deceptus adores ea & colas, quæ creavit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus, quæ sub cælo sunt.* Et quid potuit apertius dicere stulto populo, & ad omne nefas cogitandum & credendum semper parato? Unde potuit homines illos apertius monere, ne idololatræ fierent, ne aliquam in Dei natura imaginem, aut similitudinem Deut.4.

masculi

masculi vel feminæ, iumentorum vel avium, reptilium vel piscium, Solis, Lunæ, vel astrorum crederent? Negavit plane in his verbis, nec prorsus intelligi permisit Deum masculum esse vel feminam, iumentum vel avem, reptile vel piscem, Solem, Lunam, vel astra. Non autem Moyses prohibuisset Iudæos facere horum sculptam similitudinem aut imaginem, si talem divinæ naturæ cognosceret veritatem. Quod quia prohibuit, nullis horum animalium, vel inanimantium, Solis, Lunæ, vel astrorum naturis Dei naturam similem intellexit. Quæ ergo auctoritas, aut ratio constat Iudæo, ut Deum quantum (ut iam dictum est, ad Dei naturam spectat) hominem fingat, ut humana membra ei ascribat, ut humanos, sive belluinos, gestus vel affectus ei assignet: ut cum sicut leonem rugire, sicut columbam gemere dicat? Recordarentur miseri, ea de causa Deum præcepisse, ne aliquam quorumlibet animalium similitudinem artifices tabernaculi sub Moyse, artifices templi sub Salomone, vel in tabernaculo texerent, vel in templo simul aut tabernaculo sculperent, funderent, pingerent, fabricarent, exceptis duobus Seraphim, quæ in similitudine quidem ex parte facta sunt hominum, sed ad memoriam & reverentiam Angelorum: ut hoc saltem aspectu commoniti, intelligerent duri Iudæi Deum præferendum esse, non solum terrenis hominibus, sed cœlestibus etiam virtutibus. Recolant & ipsum æneum serpentem fabricatum iussu Dei a Moyse, longoque postmodum tempore reservatum, fractum a bono rege Ezechia, ne Iudæi qui nulla pene vera credebant, cuncta pene falsa vera esse putabant, Deum, quandoque serpentem esse crederent: cui iam ipsi ab aliquanto tempore ut Deo crediderant, eique ut Deo hostias immolaverant. Excluso igitur à Deo omni corpore, omnique corporearum rerum similitudine, credo propositam Iudaicam fabulam iam ex integro interisse. Natura enim, cui cum rebus corporeis nihil commune est, cui impotentia, dolor, miseria, ascribi non potest, ab omnibus etiam reliquis rerum corporalium affectionibus libera est. Falsum est igitur, quicquid de talibus à blasphemis Iudæis supra propositum est. Sed iam à lectoris colloquio ad Iudæum redeo, ut qui de obiectis Deo blasphemiis, quia indignum videbatur cum eo agere nolui, de magnis quidem, non tamen ad Dei naturam pertinentibus erroribus, more solito cum eo agam. Dic ergo Iudæe, illud quod de Og rege Basan Talmuth tuum refert, verum esse putas? Novi, quia non solum putas, sed & plusquam legalia vel prophetica verba, verum esse credis. Veniat ergo illud qualecunque sit in medium, & clarissima veritate præfulgeat, videatur. Og rex Basan, ait Talmuth, videns ingentem exercitum Israel, sexcenta scilicet & quatuor millia, & quingentos viros a triginta annis & supra exceptis mulieribus & parvulis, qui supputari non poterant, molem inauditæ magnitudinis capiti suo imposuit, & cum ea expeditionem totam prosternere voluit. Hoc eo meditante upupa avis minima moli ipsi supersedit, & tam diu rostro suo eam contudit, donec foramine magno iuxta quantitatem capitis eiusdem regis facto, moles caput transiliens, super ipsius regis humeros insedit: quo facto, mole eadem super eius humeros insidente, & regis capite supra molem eminente, ne eā ultra posset deponere, subito adaucti dentes longissimi prohibuerunt. Quod Moyses intuens, cuius corpus decem cubitorum fuit, & totidem virgæ suæ longitudo habuit, erexit se in morem salientis decem cubitis super terram, ut eum virga percuteret in aliquo loco corporis. Qui cum in tantum saltu elevatus esset à terra, virgæ tamen summitas, qua eum intendebat percutere, nequaquam ultra attingere potuit: quam ad eum nodum, quo crus pedi iungitur, & vulgo caulla vocatur. In quo cum Og regem Moyses percussisset, continuo cadens expiravit. Hæc est certe nobilis fabula vestra. Sed videte, quomodo stultiores, vel sapientiores sitis omnibus gentibus. Finxerunt quidem multi antiquorū gentilium, multas & varias de diversis rebus fabulas, sicut Æsopus apud Græcos, Naso apud Latinos. Finxerunt vere multa & ridenda, sed ea nec ipsi auctores fabularum, iuxta id quod scripsere, senserunt: sed vel rebus physicis, vel moribus humanis ea adaptari voluerunt. Inde est quod Athlantem cœlum sustinere, Typhœum gigantem & centimanum, hoc est centum manus habentem, montes montibus imposuisse, ac de summo eorum contra cœlum, Iovemque pugnasse dixerunt. Quem post diutinam contra cœlestes Deos pugnam, fulminibus Cyclopum à Iove iactis depositum, ac prostratum, non tamen interemptum, ingentam Siciliæ insulam, ne denuo ad conferenda cum diis prælia resurgere posset, ei impositam, indeque frequentem terræmotum insulæ accidere, eo quod rursus resurgere & contra Deos pugnare nitatur, asseruerunt. Sic & Orpheum miris cantibus, & inaudita cithara melodia, quod post se sylvas currere mobiles, amnes stare coëgerit: Herculem adversus hydram multorum capitum pugnasse, sed pro uno capite ab eo præciso, centum subito capita orta esse, ac tandem Græco igne immisso, monstrum illud cum Lerna palude, in qua morabatur, cremasse scripserunt. Hinc & filium Solis Phaetontem, male currus paternos regentem, pene orbem succendisse: filiam eiusdem Solis Circen in lupos, leones, & tygrides, diversique generis bestias, herbis, & carminibus socios Ulyssis mutasse: draconem pervigilem, vellus aureum arietis asservantem, homines in Deos, fœminas in stellas, vulpes, gallos, lepores, anseres, reliquásque bestias vel aves, humanis verbis invicem loquentes, multaque in hunc modum ridenda literis tradiderunt. Sed licet hæc dixerint, licet hæc scripserint, longe tamen aliter, ut dictum est, ista & senserunt, & ab aliis sentiri & intelligi voluerunt. Homines enim erant, & rationabiles, & licet à cultu divino remoti quæ nondum mundus comprehendere poterat, sapientes. Quem eorum in talibus fabulis intellectum clare per singula exponerem, nisi plus iusto opus hoc protrahere, & ad rem propositam hoc non pertinere viderem. Unde valde mirum non esset, si & vos Iudæi fabulas haberetis, & earum intellectum in aliquam rem veracem & utilem converteretis. Nam habet hoc ipsa pagina verax & sancta, quæ quandoque aliqua narrat, quorum quidem textus iuxta literam falsus est, sed eorum intellectus verax & necessarius est. Inde in libro vestro, qui iudicum dicitur, legitis, quod ierint ligna, ut ungerent super se regem: & quod locuta fuerint ad olivam, & ficum, & vitem, & ad rhamnum. Quod iuxta literam verum non esse quicunque ligna loqui non posse novit agnoscit. Quod tamen iuxta rei veritatem, quæ ab insensibilibus fructetis a quodam simili tracta est, quicunque talem usum locutionis in omni scriptura frequentari non dubitat, advertit. Hinc doctus in his intelligit per vitem, & olivam, & ficum, fructuosa arbusta, filios Gedeonis: per rhamnum infructuosum & asperum, Abimelech fratricidam signari. Hic sensus, & in aliis divini Canonis vestri parabolis sæpe invenitur, ut est illa quam post commissum a David in uxore Uriæ adulterium Nathan propheta ei proposuit. Non enim verum fuerat ad literam, quod ei ipse dixerat, vel de divite & centum ovibus eius, vel de paupere & una ove ipsius, vel quod dives centum ovibus suis pepercisset: & de una pauperis ove violenter sublata, hospiti suo cœnam parasset. Verum tamen fuit, quod Propheta in verbis illis senserat, David divitem, Uriam comparatione regis pauperem, unam illius ovem eius uxorem, peregrinum hospitem regis concupiscentiam, de ove hospiti cœna parata mulierem illicitæ cōcupiscentiæ prostitutam. Multa similia in hunc modū. Si sic, ô Iudæi, fabulas vestras interpretaremini, si sic eas sapienter intelligeretis, si sic eas utiliter exponeretis, etsi non laudarem, non mirarer: Non laudarem, quia extra sacrum Canonem vestrum quicquā vos pro authentico suscepisse, vel suscipere non approbo. Non

Exod. 2 · 4. Reg. 8. · Iudic. 9. · 2 Reg. 12

A miraret, si aliqua præter legem, præter Prophetas, siue alios vobis antiquitus traditos diuinos libros, ad quamlibet utilem instructionem, etiam fabuloso velamine tecta vos approbare viderem. At cum his omnibus careant fabulæ vestræ, cum nihil prorsus in eis utile lateat, sed totum stultum, totum impium, totum blasphemum appareat: non est in quo vobis parcere debeat stylus meus, quia nec parcit & ipse Deus. Superant enim Iudaicæ fabulæ omnes fabulas seculorum, quia quod a seculis auditum non fuerat, hoc Talmuth Iudaicarum fabularum sacer textus enarrat. Et, ô stupenda Iudaicæ gentis à Deo aversio! qui ea sub cultu divino, cui se deservire putant, de Creatore eiusque natura sentiunt, quæ nec ipsi idololatræ unquam credere vel fingere potuerunt. Completum est in vobis & de vobis, ô perdita gens! quod Apostolus natura vester, doctrina noster, de talibus dicit. B 2.Tim.3. *Erit tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus. Et à veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.* Ecce vere tempus illud, in quo hanc Apostoli sententiam completam cernimus. Ecce tempus, in quo sanam doctrinam vos non sustinere videmus. An dicetis vos sustinere sanam doctrinam, qui Lege Dei & Prophetis abiectis, peregrinas nænias cœlestibus verbis præfertis? Sed hoc facit pruritus aurium vestrarum, quo fastidientes usitata, inaudita amatis, & antiquorum pertæsi, novos vobis magistros coacervastis. Vere coacervastis, vere magnum acervum magistrorum fecistis; ita ut pene nullus videatur numerus veterum, ad comparationem magistrorum novorum. Sed quorum magistrorum? Non utique salutis, sed perditionis: non veritatis, sed falsitatis. Vnde & sequitur Apostolus. *Et à veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.* Nonne sic? vere sic. C A veritate, toto mundo teste, auditum avertistis: ad fabulas autem, ut dixeram, conversi estis. De quibus est & illa, quam tractandam præmiseram, Og scilicet regis Basan. Quid enim magis fabulosum, mendosum, derisorium dici potest, quam quod solius eius pedis solam altitudinem triginta cubitorum fuisse & legitis, & creditis? Hoc quomodo? Quia longitudinem corporis Moysi decem cubitorum, longitudinem quoque virgæ eius decem cubitorum: ipsum Moysem, quando summitate virgæ gigantem in iunctura cruris, ac pedis percussit, a terra decem cubitis saltu eleuatum fuisse asseritis. Ea de causa decem cubiti corporis Moysi, decem cubiti virgæ Moysi, decem cubiti saltus Moysi, simul iuncti triginta cubitos faciunt: excepta ea longitudine extensi brachij, quæ inter caput eiusdem, & inferiorem virgæ summitatem, quam manu tenebat, denotari potest. Hoc si verum est, secundum humani corporis usitatam mensuram, solum crus eius à pede usq; ad suræ principium, ut minus dicam, centum & quinquaginta cubitorum extitit. Vnde nec dubium est, D quod eadem sura, quæ crure longior est, à genu usque ad femoris iuncturam, iuxta naturalem, ut dixi, corporis dimensionem, ad minus ducentorum cubitorum fuerit. Inde si iusta dimensio usque ad summitatem spinæ, quæ collo adhæret, procedat, plusquam ducentos & triginta invenies: & hoc præter colli & capitis magnitudinem, in quibus non minus octoginta reperies, qui simul iuncti septingentos cubitos, decem minus, perficiunt. Videtis igitur, Iudæi, quod iuxta hanc non nostram, sed vestram dimensionem Og regis Basan statura, usque ad sexcentos nonaginta cubitos in longum processerit, iuxta quam etiam latitudo eiusdem usque ad centum viginti pervenit. Quis ergo præter vos tale monstrum unquam invenire potuit? Quis, inquam, præter vos commentari potuit, hominem longum sexcentis nonaginta cubitis, & latum centum viginti cubitis? Contra quam vestram insaniam quia non est diu disputandum, sed ridendum, cum tam clara sit, ut nec cæcos lateat: illud unum tantum propono. Creditis Moysi? Novi, quia creditis. Quandoquidem er-

E go Moysi creditis, quare tam absurdam rem contra verba Moysi credere potuistis? Scribit quippe ipse in libro Deuteronomij, quem librum, si Iudæi estis, nescire non potestis. Solus, inquit, Og, rex Basan restiterat de stirpe gigantum. Monstratur lectus eius ferreus, qui est in Rabath filiorum Amon, novem cubitos habens longitudinis, & quatuor latitudinis, ad mensuram cubiti virilis manus. Solet autem semper lectus longitudine, ac latitudine maior esse iacente. Qui ergo lectum gigantis illius novem cubitis longum, & quatuor latum esse dixit, utique aliquid eum minus lecto in longitudine & latitudine habuisse ostendit. Patet ergo quod rex ille nec integris novem cubitis longus, nec integris quatuor cubitis latus extiterit. Sed concedo quod nihil ei de longitudine novem cubitorum, neque de latitudine quatuor cubitorum defuerit. Nunquid longior, aut latior lecto proprio fuit? Credo F quod hic lis Iudaica conquiescit. Falsum est igitur, quod tantæ proceritatis hominem illum fuisse dixistis. Nec minus illud falsum est, quod Moysen ipsum decem cubitis longum fuisse dixistis. Non enim velut pro monstro inusitato scripsisset, quod lectus Og gigantis novem cubitorum fuisset. Nam si ipse decem cubitorum fuit, qua ratione lectum hominis novem cubitorum mirari videtur? Magis enim iure mirari debere videretur, seipsum hominem decem cubitorum, quam lectum alterius hominis novem cubitorum. Verum, ne istud diutius quam oportet, protraham, sic finio. Si Moysi, lectum Og regis Basan novem tantum cubitos habuisse, dicenti creditis, credo quod non eum lecto suo maiorem esse potuisse dicetis. Sed, vt iam dixi, novi vos in hac parte credere Moysi. Certum ergo vobis amodo esse debet, non sexcentorum octoginta, sed novem ad plus cubitorum sæpe nominati gigantis staturam fuisse. G Et vt sequentia fabulæ attexam, quomodo potuit, licet maioris corporis, quam nostra sint, homo, tam insolitæ & invisæ magnitudinis molem capiti suo imponere: vt iactu eius sexcenta & quatuor millia armatorum, & quingentos viros Iudaici exercitus, exceptis innumeris mulieribus & parvulis, se prosternere posse putaret? Ad hoc enim explendum, vt aliquid ipse fabulis vestris simile dicam, aut Olympus ei in aëra sublevandus, aut noster mons Iovis, licet quantum ad illum transmarinus, eius capiti imponendus, vel Taurus Ciliciæ, vel aliquis montium Armeniæ, quæ ipsi magis proxima erat, esset sine dubio radicitus eruendus. Qui & si spem victoriæ in mole illa posuerat, frustra tantum exercitum contra Moysen, & populum Dei pugnaturus produxerat. De quo exercitu ait ipse Moyses. *Occurrit eis Og rex Basan, cum omni populo suo, pugnaturus in Edrai.* Sed ecce moles tanta, ecce tam maxima regio capiti imposita. Quid post? Quid dicit post optima scriptura? Vpupa, inquit, avis minima, moli ipsi insedit & tamdiu rostro suo eam contudit, donec foramine magno, iuxta quantitatem capitis eiusdem regis facto, moles caput transiliens, super ipsius regis humeros insedit. H In rebus ineffabiliter mirandis, quid magis mirer, non invenio. Quid enim plus aut minus mirari debeo vpupam avem parvulam, rostro minore tantam molem ad perforandum aggressam, tam diu eam tutudisse, donec foramen in ea gigantei capitis capax faceret: an hominis illius patientiam vel virtutem, qui tantam molem suo capiti insidentem, tam diu supportarit, donec avis modica brevi rostro, paulatim invalidis ictibus, tam enormis corporis, tam spissam duritiem penetraret? Et hoc adeo, donec iuxta quantitatem regij capitis, facto foramine, moles iam super caput consistere non valens, naturali pondere lapsa, miseri hominis diffusioribus humeris, quos, quantum ad eorundem latitudinem, augustiore foramine transire non poterat, ne infra laberetur, retenta est? Et quid sequitur? Quo facto, mole eadem super eius humeros insidente, & regis capite supra molem eminente, ne eam vltra posset deponere, subito adaucti dentes longissimi

prohibue

A prohibuerunt. Et lego quidem non Iudaicam, sed paganam fabulam, quæ dentes draconis satos, & de his Thebæos populos, non inermes, sed armatos, cum galeis, loricis, clypeis, & ensibus, & omni militari armatura ornatos esse confinxit. Sed, ut supra dixi, in his & similibus Pagani fabulas, non res gestas se scripsisse non dubitabant: nec eas veras esse, sed aliqua rerum iam gestarum eas significare credebant pariter & docebant. Nam quod de draconis dentibus gentem iam dictam exortam esse dixerunt, venenosi & furentis animantis similitudine, pertinacem & infractum in malitia populum intelligi voluerunt. Quod armatum ex terra processisse, bellicosum & in armis semper futurum esse signarunt. Si tale quid dentes gigantis vestri post lapsam super eius humeros molem, ô Iudæi, signassent, sicut supra præmisi, ferendum utcunque esset. At cum nil mysticum in divinis, cum B nil significativum in rebus humanis, sicut nec aliæ fabulæ vestræ, hæc fabula, vel in cortice, vel in medulla contineat, quid dicam? Quid dicam videns hominem, quem verè somno profundæ stultitiæ sepulti somniastis, molem, immo regionem maximam super humeros ferentem, de capite supra eminente, immensæ magnitudinis plusquam apri more dentes protendentem nec humeris infra prohibentibus, nec dentibus supra obviantibus, eam deponere valentem? Sed cur tanta iuxta vos miracula tacuit Moyses? Cur tacuit tanta, qui licet multa & magna scripserit, tamen multa minora scripsit? Cur tacuit upupam parvam, fragili rostro sæpe fatam molem, tam spissam, tam duram penetrasse? Cur tacuit adauctos gigantis dentes? Cur tacuit, quod eum solus aggressus fuerit, quod stupendo saltu à terra elevatus fuerit, & eum levi tactu virgæ ad terram deiecerit, prostraverit, extinxerit? Mirum, quod ille qui eandem virgam coram Pharaone, virtute *Exod.7.* divina in draconem mutavit, qui eadem aquas Ægy- C ptias in sanguinem vertit, mare divisit, aquam de rupe *Exod.14.* *Exod.17.* produxerit, hoc tam insigne miraculum reticuit. Non hoc certe reticuit, quasi nolens scribere quod factum est: sed reticuit, sicut nolens scribere quod nunquam factum est. Non reticuit vitando scribere quod verum est, sed nolendo scribere quod falsum est. Et quid dico nolendo? immo quod nunquam fuerat, quod inauditum erat, scribere non valendo. Et, quia per singula digne hoc execrari nulla lingua sufficit, festinet sermo ad similia. Audiant nostri, ô Iudæi, sacramenta vestra, penetrent profunda mysteria vestra, ut reveletur cunctis sapientia vestra. Audiant sequentia pretiosi libri Talmuth.

Fuit apud Iudæos vir quidam, qui apud ipsos nuncupatur Iozah Ben Levi, quod nos dicimus Iosue filius Levi, vir, ut aiunt religiosus, ac timens Deum, libro huic ab infantia sua, usque ad decrepitam ætatem vacans, ut sic mortem posset effugere. Quod cum D videret Dominus, volens animam eius auferre, ut cum Iudæis amicis Domini omni vita sua Talmuth studentibus congratularetur: Angelo percutienti præcepit, ut illuc iret, & illius animam auferret. Statim Angelus gaudens, iussioni Domini paret. Venit, ac supra tectum domus illius non longe ab eo stetit. Elevatis autem Iosue oculis cum eum videret, quod pro anima illius venerit, statim cognovit. Et ait. Quid quæris? Pro anima (inquit) tua me misit Dominus. At ille ait. Frustra te misit Dominus cum ego Talmuth revolvam, & legam. Sed coniuro te per librum istum, ut non potestatem habeas tollendi animam meam. Reversus autem Angelus, nuntiavit hæc Domino. Revertere, inquit ad eum Dominus, & dic ut veniat, gaudeat, epuletur nobiscum: & sibi hic melius fore, quam illuc cognoscat. Reversus Angelus, quid Dominus præciperet, nuntiat. Nuntianti autem Iosue respondit, se nullo modo iussioni Domini parere, nisi sibi petitionem quam ab eo postulasset, concedere vellet sub fœdere. Quod cum Domino retulisset, quod peteret, quamvis invitus, concessit. Angelus autem quod Dominus concessisset, cito nuntiat. Quod audiens Iosue, dixit se claustra inferni & paradisi in vita sua velle invisere. Ascende (inquit Angelus) super me, & ducam te quocunque volueris. Non ascendam, inquit Iosue, neque vadam tecum, nisi mihi gladium dederis: timeo enim, ne me in via interficias. Dedit autem statim gladium. Et cum ascendisset dixit. Quò vis ducam te? Respondit. Ad claustra inferni, ut postea delecter in visione paradisi. Quo deductus, plurimas vidit gentes, ex omni natione, quæ sub cœlo est: Christianos, Amorrhæos, Iebusæos, Euæos, & Ethæos, & Pherezæos, Moabitas, Ammonitas, Arabes, ac Philistæos. Reges quoque Pharaonem, Seon, Og, & omnes alios qui interfecti sunt à Iosue, Iabin, & ducem eius Sisara: Eglon, qui interfectus est ab Aioth, Nabuchodonosor, & Olophernem ducem eius. Quorum damnationis causa cum ab eo sigillatim quæreretur, dixit Iosue, Cur Christiani damnati sunt. Ait. Tu nescis? respondit. Scio, sed à te audire desidero. Ait. Quia credunt in filium Mariæ, & non observant legem Moysi: & maximè, quia non credunt Talmuth. Causam damnationis cæterarum gentium, vel regum, longum est enarrare: sed tantum hæc est causa, quia non credunt Talmuth, vel quia oppugnaverunt filios Israël. Erat autem Pharao prostratus iacens in inferno: caput subter limen portæ inferni tenens, cuius portæ cardo fiebat ipsius oculus. Porta autem ad introitum animarum circumquaque vertebatur super oculum ipsius. Interrogavit vero Iosue, cur tantam pateretur pœnam. Ad quem Angelus. Quia afflixit filios Israël in terra Ægypti, & post afflictionem persecutus est usque ad mare. Visis omnibus tormentis, quæ in inferno fiebant, Duc, inquit, me ad paradisum. Fertur autem paradisus undique muro vallata. Ad quam cum eum deduxisset, tali loco posuit, ut vix videre paradisum posset. Duc me, inquit Iosue, altius. Oculi enim mei obcæcati, & sensus hebetati sunt ex fumo inferni. Duxit eum superius aliquantulum. Ad quem Iosue. Nisi me super murum posueris, ita ut loca delectabilia & animas sanctas videre valeam, scias, quod non petitionem meam compleveris. Posuitque eum super murum. Qui intro prospiciens, plurimas vidit sanctorum animas, Patriarcharum Prophetarum, & aliorum, quorum facta Deo in vita sua placuerant. Quorum inter cæteros filiam Pharaonis excellentissimo throno residentem vidit. Interrogavit ergo Iosue, quo opere, quo servitio tantum præmium meruisset. Dixitque Angelus. Eo quod Moysen à morte servavit, & nutrivit, & eum sapientiam Ægyptiorum docuit. Postea cum plurimos vidisset alios, qui præ cæteris honorabantur, interrogavit, quare tantam gloriam meruissent. Respondit, quia isti sunt viri, qui ex corde suo invenerunt & composuerunt Talmuth, & successores eorum, qui studuerunt Talmuth. Dixitque Angelus, ut de muro descenderet. Respondit. Adhuc magis videre volo. Quod cum dixisset, per murum se infra cum gladio proiecit. Clamavit autem Angelus ad eum, Decepisti me. Respondit. Sis deceptus, an non, non curo. Dixit, ut quam citius exiret. Ille vero cum iuramento se non inde amodo exiturum respondit. Quem cum vidissent, qui paradisum incolebant, mirati sunt hominem vestitum, vivum, sic paradisum introisse cum gladio. Qui cum sedem non reperisset, stetit, & ad filiam Pharaonis accessit. Surge, inquit, vade, ecce pater tuus ad portam est. Surrexit velociter, & ad portam properavit. Iosue vero sedem illius statim arripuit. Cúmque illa patrem suum non invenisset, reversa est, & Iosue ait. Cur mihi mentitus es? Non, inquit, mentitus sum: pater enim tuus ad portam inferni est. Cur, inquit, mihi locum meum subripuisti? Ait, quia sic mihi Dominus concessit, & meus amodo erit. Interea Angelus ad Deum reversus, quod acciderat nunciavit. Dominus autem, ut cito exiret, præcepit. Et cum hoc ei Angelus ex parte Dei imperasset, ait. Per ipsum Deū, & per

A ſanctum Talmuth, hinc ulterius non exibo. Cúmque hoc eius iuramentum Angelus retuliſſet: revolvatur, inquit Deus, tota bibliotheca, & ſi unquam penetraſſe repertus fuerit, oportet ut exeat. Sin autem, concedendum eſt ei ut maneat, vel propter eius religionem, vel quia ſemper ſtuduit Talmuth. Revoluta eſt bibliotheca, eumque in ea unquam fuiſſe vel penetraſſe non eſt inventum. Vnde Dominus, vt inde vlterius non exiret conceſſit. Acceſſit autem ad Ioſue Angelus, & gladium ab eo quæſivit, quo homines ubicunque eos inveniſſet, occidere conſueverat. Reſponditque Ioſue, non ſe illi gladium redditurum, niſi ſibi iuraſſet, ut ſic homines non interficeret amodo. Reverſus Angelus ad Dominum, quid Ioſue diceret, nuntiavit. At Dominus eius petitionem fieri, etſi invitus voluit. Redditque Ioſue Angelo tali conditione gladium.

B Longa fabula lecta eſt, & quæ vel per oculos legentium, vel per aures audientium, eorum ora riſu, eorum corda ſubſannatione replere potuit. Quis enim riſum continere, quis ſubſannationem reprimere poteſt, audiens ab hominibus, quæ nec ab ipſis audire poſſet dæmonibus? Cui enim unquam mortalium, quod in hac vita poſſet non mori, aliquis perſuaſit, vel perſuadere conatus eſt? Cui dixit, lege aliquid, dic aliquid, fac aliquid, & non morieris? Hæc vos, ô Iudæi, hominibus conamini perſuadere, & ſupra nominata nefanda ſcriptura, iam veſtros perſuaſiſtis. Affirmatis enim nullum morti poſſe ſubiici, qui literam libri Talmuth meditetur, aut legat. De quorum numero iſtum, de quo fabula texitur, creditur fuiſſe, Ioſue ſcilicet filium Levi. Sed quid ego totam fabulam per ſingula perſequens, lectori forte prolixitate ſuperflua tædium importarem? Non igitur cuncta proſequar, ſed aliqua ex hac ſpinoſa congerie decerpens, in æternam flammam cum ſuis auctoribus merito concremanda proiiciam. Vnde principium huius fabulæ C intermittendum cenſeo, quia quod hic de hoc Ioſue filio Levi legitur, idem pene de Rabbi Neemia, in huius quinti contra vos, ô Iudæi, Capituli fabula prima narratur. Non eſt igitur reſponſio iteranda, quæ contra ſimiles nugas fortaſſis ad vnguem ſuperius eſt deſcripta. Nam quod vterque ne moreretur, lectione Talmuth Deo, eiuſque Angelo reſtiterit, ſimilis fabula eſt. In hoc tamen diſſimilis, quod ad illum occidendum Deus fraude prævaluit, hunc autem velut aſtutiorem (multis licet exquiſitis dolis) decipere non potuit. Illum, ut ſupra ſcriptum eſt, terrore aërij turbinis a lectione Talmuth ſemovit, ſicque in illo intervallo eius animam rapuit. Iſtum in lectione pertinacem, & contra divinas & angelicas inſidias circumſpectum, cum nihil ei aſſidue Talmuth legenti facere poſſet, vivere invitus permiſit. Vnde ille velut ſecurus, Angelo percutienti, atque dicenti, Pro anima tua tollenda miſit me Dominus, reſpondit. Fruſtra te miſit Dominus, cum ego Talmuth revolvam & legam. Vnde coniuro te per librum iſtum, vt non habeas poteD ſtatem tollendi animam meam. Et quamvis Deus per eundem Angelum remandaverit, vt veniret, gauderet, epularetur cum eo, quia melius eſſet ei apud ipſum, quam in mundo: non potuit tamen falli homo ſapiens, nec fraudibus divinis in aliquo ceſſit. Sciens autem Deum avidum mortis ſuæ, timenſque ne quandoque & ipſum quolibet ingenio, ſicut Neemiam fefellerat, falleret: aſtutiſſime Deo invito, dolóſque non præcavente, paradiſi ſibi habitationem providit. Extorta namque à Deo conditione tali, quod nullo modo ei in moriendo pareret, niſi ſibi petitionem, quam ab eo poſtulare vellet, concederet: dixit ſe clauſtra inferni & paradiſi antequam moreretur velle inviſere. Hoc quale ſit, qualiter infinitam Dei ſapientiam humanis dolis evincere potuerit, videant lectores. Nam ego nihil inde agam. Fruſtra enim & ſuperfluo hoc facere, ut puto, viderer: ſi Deum Ioſue potentiorem, ſi ſapientiorem, ſi meliorem oſtendere laborarem. Nam non æſtimo adeo inertes eſſe, & ſtultos lectores, qui de

E his ſermonem meum exigant: qui me talibus næniis reſpondere debuiſſe dicant. Sed accedo ad id, quod ſequitur. Aſcende, inquit Angelus ſuper me, & ducam te quocunque volueris. Non aſcendam, inquit Ioſue, neque vadam tecum, niſi mihi gladium quem portas dederis. Timeo enim, ne me in via interficias. Dedit autem ſtatim gladium. Et cum aſcendiſſet ille ſuper Angelum, dixit Angelus. Quo vis ducam te? Qui ait. Ad clauſtra inferni, vt poſtea delecter in viſione paradiſi. Et de iſtis quid dicam? ubi ſunt humeri, ubi dorſum, ubi corpus Angelicum, ſuper quod homo ille aſcendit: quo, veluti iumento ad inferni horrenda, & paradiſi amœna videnda ſubvectus eſt? Vbi ſunt & ipſæ angelicæ alæ, ſine quibus quia nunquam eos pictos cernitis, idcirco his eos nunquam carere puta-F tis? Nunquid hi, qui ab omni elementorum natura, quantum ad propriam eſſentiam attinet, ſeiuncti ſunt, qui omni corporum complexione & forma carent, corpora corporibus terrenorum animalium ſimilia, vel partes corporum habere credendi ſunt? Non vtique hoc credent homines, etiam ſi hoc putaverint beſtiæ. Sed etſi Angelus paratus obedire Deo, corpus quale eum habere putatis, ô Iudæi, aptare voluit ad Ioſue ſubvehendum, non tamen ille incautus extitit ad aſcendendum. Noluit plane ſuper Angelum aſcendere, niſi gladium, quem ferebat, redderet: ne eum in via forte interficeret. Cautiſſimus nimium, vt dixi, homo, & ad cavendos dolos Angelicos ſagaciſſimus: qui metuens ne forte contra pactum, quod cum eo Deus fecerat, aliquid inſidiarum per ſuum Angelum adverſus eum moliretur, non ei ſe credidit, donec gladium ab eo ſuſcepit. Quo accepto, velut ſecurus, quod iam ab eo non poſſet interfici, ſuper nobile, pluſquam hominem deceat, iumentum aſcendit. Hæc ſi ita ſe poſſint habere, dicant legentes, iudicent audientes. Sed procedo. Angelico vehiculo du-G ctus eſt ad inferna, ductus eſt ad cernenda paradiſi amœna. Et quid poſt hæc? Quo, id eſt, prius ad infernum deductus, plurimas vidit gentes ex omni natione, quæ ſub cœlo eſt: Chriſtianos, Amorrhæos, Iebuſæos, Evæos, Ethæos, & Phereſæos, Moabitas, Ammonitas, Arabes, & Philiſtæos. Reges quoque Pharaonem, Seon, Og, & omnes alios qui interfecti ſunt à Ioſue, Iabin & duce eius Siſara: Eglon qui interfectus eſt ab Aioth, Nabuchodonoſor, & Olophernem ducem eius. Sed hic vos, ô Iudæi, interrogo, qui hos Reges & has gentes illi olim terræ veſtræ inimicas & contiguas in inferno vidit, Gallos, Hibernos, Afros, Germanos, Dacos, Noricos, Scythas, & vt nec orientales prætercam, Perſas, Indos, & reliquas orbis gentes cur prætermiſit? Nunquid eorum ingentem multitudinem in inferno non conſpexit? Nonne de talibus Ezechiel propheta veſter dixit, *Ibi Elam, ibi Aſſur, & omnis multitudo eius, in circuitu illius ſepulchra eius*, & Ezech. 32. multa ſimilia? Sed forte non habuit tam perſpicacem oculum vt Propheta, vt poſſet cuncta corporalibus oculis cernere, quæ vidit ſpirituali intellectu Prophe-H ta. A qua opinione nec ego diſſentio. Sed qui potuit multos externos ibi videre, cur non potuit & multos domeſticos ibidem agnoſcere? Qui Chriſtianos, quos imprimis nominat, illic, conſpexit, quare Dathan & Abiron, rebellem Chore, & omnem congregationem eius, quos terra abſorbuit, ducentos viros, quos ignis cœleſtis in deſerto exuſſit, innumera millia Iudæorum, quos diverſo tempore vel pro idololatria, vel pro diverſis criminibus ira ſuperna conſumpſit: hos, inquam, omnes gentis ſuæ homines, vel ſaltem aliquos horũ ſummus ille paradiſi atque inferni ſcrutator cur in inferno non recognovit? Et certe illi abſque aliqua quæſtione in inferno erant, de quibus ſcriptura ſacra in libro Numeri loquitur. *Et deſcenderunt viventes in inferno, operti humo.* Num. 16. Quid plane cauſæ fuit, quod proprios indigenas ibi videre non potuit, & Chriſtianos alienigenas tam clare cognovit? Sed cur, ô Iudæi, à veſtris doctoribus confictũ ſit, non indiget expoſitore. Sed

præter

A prætereunda causa tantæ damnationis non est. Cur, inquit Iosue ad Angelum, Christiani damnati sunt? Ait Angelus. Quia credunt in filium Mariæ, & non observant legem Moysi, & maxime quia non credunt Talmuth. Possem & ego ab aliquo interrogatus, cur Iudæi omnes à temporibus Christi nostri, exceptis illis, qui in eum crediderunt, in inferno sint, veracius respondere. Quia non credunt in filium Mariæ, & non servant eius Evangelium, & maxime quia assidue blasphemant ipsum. Nec mihi multus labor esset dicere vera dicenti: nec tibi Iudæe, multus labor est ea dicere falsa fingenti. Facile dico ego istud, facile dicis & tu illud. Sed cuius nostrum sententia verior sit, hic non ago, quia superius egi. Egi hoc in præcedentibus quatuor Capitulis, quibus Christum nostrum, & Dei filium, & Deum, & regem non temporalem, sed æternum, & non vt putatis venturum, sed iam venisse auctoritatibus innumeris, &

B rationibus probavi. Ea si, vt à me expressa sunt, vera sunt, immo quia sunt: falsum est, quod dixistis, Iosue vestrum vidisse Christianos in inferno, quia credunt in filium Mariæ, & non observant legem Moysi, & quia non credunt Talmuth. Procedo ad sequentia visionis. Erat autem Pharao prostratus, iacens in inferno, caput subtus limen portæ inferni tenens, cuius portæ cardo fixus erat in ipsius oculus. Portæ autem ad introitum animarum & eorumque vertebantur in per oculum ipsius. Et, ô miseri homines! nam, quia mira semper audio, exclamare, vel declamare sæpe compellor: miseri, inquam, homines, nihil ne vnquam, nisi bestiale sentietis? Nihil unquam, nisi quæ in terris didicistis, apud superos vel inferos esse posse credetis? Cur non capitis, quia sicut longe distat à corporibus natura spirituum, sic & longe differt a statu corporalium, esse spiritualium rerum? Neque enim

C talis ibi lux qualis hic, tales ibi tenebræ quales hic, talis ibi requies qualis hic, tales ibi pœnæ quales hic, tales ibi domus, tales ibi portæ quales hic: & prorsus cuncta, excepta substantiarum veritate, alterius generis, alterius qualitatis quam hic. Et ut reliqua taceamus, quæ ad præsens negotium non spectant, sicut alius est carcer ille infernalis quam iste, ita & longe aliud quam iste. Nam carcer humanus, aut ex lapidibus construitur, aut ex lignis, aut ex qualibet terrena materia. Fiunt in eo portæ firmissimæ, ut aditus pateat intrandi, & clausis facultas non pateat exeundi. Nunquid hoc de infernali carcere Deus timet, ne forte aliquis clausorum absque eius voluntate exeat, ut hac cautela aditum eius portis obstruxerit? An animæ, an Angeli, vel boni vel mali, illius essentiæ sunt: vt per corpora non nisi remotis corporibus transire non possint? An nisi porta illa, de qua agitis, infernalis aperiatur, non potest animabus vel dæmonibus liber ad illa loca esse introitus vel exitus? Vere pauperrimi intellectu, qui ratione consulta advertere non potestis, quod valde

D alterius qualitatis sint incorporea quam corporea, quod nihil corporale spiritibus obstare possit: quod etiam quando undique clausis ostiis, in domo iacemus, per ostiorum, fenestrarum, ipsorumque murorum corpora, spiritibus sicut per ipsum aëra, iter ad nos pervium sit. Hoc cum verum sit, cum nihil corporeum obstare spiritibus possit, cum de Deo dicatur, *Non est qui de manu eius possit eruere*, (Ioh. 10.) removeatur ab introitu inferni vestra non necessaria porta, surgat & Pharao de sub limine, & qui per tot secula, tam gravis portæ cardinem, tormento tam horribili, oculo solo sustinuit, nostra misericordia liberetur. Sed audiamus causam tanti tormenti. Quia, inquit Angelus, afflixit filios Israël in terra Ægypti, & post afflictionem persecutus est eos vsque ad mare. Ex hinc parum videmini scrutati esse scripturam illam: nam non solus ille Pharao, qui in mari periit, afflixit filios Israël in terra Ægypti: nam & alter Pharao eosdem ante afflixerat, de quo ait verax illa scriptura. (Exod. 2.) *Post multum temporis, mortuus est rex Ægypti. Et ingemiscentes filii Israel propter opera, vociferati sunt.* Sed fortè in hoc distinguitis istum ab illo, quia dixit Angelus, *& persecutus est eos usque ad mare.* Verum nunc tandem exeamus de inferno vestro, & veniamus ad paradisum nostram. Fertur, inquit Talmuth, paradisus vndique muro vallata. Et bene. Videndum est enim incolis paradisi, ne sicut gens super gentem, & regnum, contra regnum sæpe consurgere solet, gens aliqua adversus ipsam forte consurgat. Quod si contigerit, armis primo longe, deinde si adeo prævalere potuerit, ne usque ad ipsam paradisum accedat, muro repellenda est. Removeatur ergo Cherubin & flammeus gladius, quem ad custodiam paradisi, eiecto Adam posuerat Deus. Quid enim ibi faciat cum ad muniendam paradisum murus ille sufficiat? Qui si forte etiam cum muro necessarius est, maneat; & saltem moti adiutorio sanctos paradisi incolas hostili metu liberet. Et nos quidem Christi morte eum remotum credimus, & flammeum gladium iam sanguine ipsius extinctum. Sed quid inde? Revertatur ad custodiam, vt eius circuitu sancti illic quiescentes securiores reddantur. Succedat iam fraus extollenda, & hominem invito Deo paradisum incolentem totus mundus admiretur. Baiulus hominis Angelus, coactus ex pacto, quod ille cum Deo fecerat, eum ad paradisum deduxit: & primo longius, deinde propius, tandem super ipsum paradisi murum, dolos callidi hominis præcavere nescius deposuit. Cúmque multas quæstiones de his qui paradisum incolebant, quosque iam proximus videbat, super murum constitutus Angelo faceret, illeque ei de singulis congrue responderet: Angelum verbis mutuis à mente sua avocatum fefellit, seque illo eius custodiam negligente, cum gladio mortis, quem ei Angelus crediderat, subito de muro paradisi in paradisum deiecit. O stultum Angelum! ô sapientem hominem! Angeli in sapientia superare homines solebant: nunc homines Angelos superant. Cur homini, quem semel ac bis dolosum esse expertus fuerat, rursum credidit? cur ne se deciperet, ne de se risum populis præberet, stultissimus omnium Angelorum Angelus non præcavit? Ecce totiens deceptus Angelus, ecce totiens deludens Angelum homo. Doluit tandem Angelus vix ad cor reversus, sese delusum, & homini iam paradisum eo invito possidenti, non levi voce, sed sicut valde commotus solet, vociferans dixit. Decepisti me. A quo congruum audivit responsum. Sis deceptus, an non, non curo. At Angelus præcipiendo subiunxit, vt quam citius exiret. Iuravit ille, seque per idem iuramentum inde deinceps non exiturum respondit. Quem cum vidissent qui paradisum incolebant, mirati sunt hominem vestitum, vivum, sic paradisum introisse cum gladio. Et quid dicam? Discat quisque quod potest. Ego iam me nil dignum de his dicere posse profiteor. Lego quidem in Evangelio Christiano, cui vos, ô miseri, non creditis, quod *regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Sed nunquid armis? Nunquid fraudibus? Nunquid mendaciis? Non. Quomodo ergo? Pœnitentia, humilitate, continentia, veritate. A quibus virtutibus longe iste alienus, tamen in paradisum labitur, paradisum possidet, paradisum retinet. Hoc quomodo? Volente Deo? immo nolente, immo contradicente. Sed forte assentiente Angelo, immo dolente, immo reclamante, immo ne fieret quantis poterat vocibus prohibente. Talis ergo homo, invito Deo, invitis Angelis, invitis hominibus, paradisum possidet. Hoc quale sit, dicant alii. Nam ego ad reliqua propero. Hoc tamen vnum dico, mirum non esse, si coloni paradisi hominem vestitum, vivum, gladiúmque tenentem, paradisum introisse mirati sunt. Ex quo enim Adam inde eiectus est, nullũ in carne viventem, nullum nec ipsum antequam eiiceretur Adam, vestitum humanis vestibus nullum cum gladio incolam eius esse posse didicerant. Sed sequantur alia. Homo sic paradisum occupans, cum sedem ibi (ait Talmuth) non reperisset, stetit, & ad filiam Pharaonis

A accessit. Quæ sedem excelsam in paradiso meruerat, quia Moysen a morte servaverat, quia nutrierat, quia omni sapientia Ægyptiorum doceri fecerat. Ad hanc ille accessit, & dixit. Surge, vade: ecce pater tuus ad portam est. Surrexit velociter illa & ad portam properavit. Iosue vero sedem illius statim arripuit. Cumque illa patrem suum non invenisset, reversa est, & Iosue ait. Cur mihi mentitus es? Non, inquit, mentitus sum, quia pater tuus ad portam inferni est. Cur mihi, inquit, locum meum subripuisti? Ait. Quia sic mihi Dominus concessit, & meus amodo erit. Hunc dolum quis dolebit? Non ego certe dolebo. Doleat si vult filia Pharaonis. Doleat se fuisse tam stultam, tam improvidam, vt cum doceri fecerit Moysen omni sapientia Ægyptiorum: ipsa tamen ab inferioris sapientiæ homine quam fuerit Moyses, si ta-

B men hoc vos, ó Iudæi, conceditis, se tam facile deludi permisit, & sedem suam, quæ in paradiso sibi data fuerat, tam levi persuasione amisit. Prosequor quæ sequuntur. Interea Angelus ad Dominum reversus, quid acciderat nunciavit. Dominus autem ut cito exiret, præcepit. Ad quem Angelus. Per temetipsum & Talmuth se non indè exiturum iuravit. Revolvatur, inquit Dominus, bibliotheca. Quod si unquam vel periurium vel mendacium incurrit, exire eum oportet. Sin autem, concedendum est ei ut maneat, vel propter ipsius religionem, vel quia semper studuit Talmuth. Revoluta est bibliotheca, & eum mentitum fuisse vel peierasse non est inventum. Vnde Dominus ut inde ulterius non exiret, concessit. Quia tam frequenter ironicæ locutionis modum itero, forte aliqui lectorum, qui in talibus docti sunt, admirabuntur. Mirabuntur etiam fortassis, quia non omnibus nugis istis per singula velut ex ratione respondeo. Et

C quid aliud agere possum? Quid aliud facere debeo? Respondi quibusdam superioribus fabulis, & eas partim auctoritate, partim ratione confutavi. Hoc autem idcirco, ne si semper hoc modo, quo nunc frequenter utor, vterer: aliquis simplicium lectorum me nihil aliud in his contra Iudæos habere quid dicerem, æstimaret. Nam nisi hæc ratio coëgisset, nunquam auctoritatem aliquam contra eos in hac disputatione produxissem. Ostendissem tantum modo quo dixi eis respondendo, non esse eos dignos rationabili responsione, sed sola & summa præ cunctis fabulosis hominibus derisione. Hæc est ratio, qua frequentius quam usitatum est, non velut ex ratione, sed quia hoc præ cunctis mortalibus meruere, ironicè eis respondeo. De illo autem genere fabularum, quibus sic respondendum videtur, & ista est, quæ præ manibus est. Quid enim aliud quam risus & derisio hanc fabulam decet, quæ dicit stultum Angelum à sapiente homine delusum, postquam se deceptum vidit, cum homo ille iam invito Deo paradisum possideret, ad Deum reversum, nun-

D tiasse quid accidisset? Nescius plane rerum gestarum Deus, ignorabat quid accidisset. Necessarium ergo fuit, ut Angelus ab ipso missus, ad ipsum reverteretur, ut quod acciderat nuntiaret. Nam forte tunc Deus oblitus erat sapientiæ suæ, qua novit omnia etiam antequam fiant. Quod si antequam fiant, nonne & quando fiunt? Perierat & illa sapientia, de qua scriptum

Psal. / Eccl. est. *Omnia in sapientia fecisti.* Perierat & eadem, de qua dictum. *Sapientiam Dei comprehendentē omnia quis investigabit? Arenam maris, & pluviæ guttas, & dies seculi quis dinumerat?* Numquid dolos eius qui paradisum suum dolose furatus fuerat, ignorare poterat? Ad quid ergo Angelus ei quod iam gestum fuerat nuntiavit? Sed quia audivimus quomodo desipiat Dei sapientia, videamus & quomodo langueat potentia. Dominus autem, inquit, ut cito exiret, præcepit. Fraude, ait, ubique te delusit. Fraude omnia quæ locutus est dixit. fraude se in paradisum meum deiecit. Sed nihil ei prosit quod fecit, nihil apud nos fraude lucretur, exeat, recedat, paradisum nostram nobis homo dolosus dimittat. Ad quem Angelus. Per temetipsum, inquit, & Talmuth, se non inde exiturum iuravit. Hoc est. Quid est Domine, quod loqueris? Præcipis ut de paradiso homo ille egrediatur. Sed hoc impossibile est. Impossibile est, ut verbum tuum eius verbo prævaleat, vt sententia eius tuo imperio commutetur. Homo tantæ virtutis est, vt ei te cedere oporteat: tantæ veritatis, vt eius veritas tuæ veritati iure prævaleat. Nam per temetipsum & Talmuth se non inde exiturum iuravit. Necesse est ergo, vt quia per temetipsum iuravit, contra temetipsum facias, & verbo tuo sermonem eius præponas. Adhuc amplius. Nam iuravit & per Talmuth. Si temetipsum despicis, Talmuth tibi servandus est. Si contemnis quod iuravit per temetipsum, non potes contemnere quod iuravit per Talmuth. Maior est enim Talmuth quam tu. In tantum enim maior est Talmuth quam tu, vt etiam si præcipias mori homines, Talmuth resistat: si F mittas Angelos tuos ad rapiendas hominum animas, Talmuth resistat: si accersitur aliquis à te per quoslibet nuntios, Talmuth resistat, neque enim venire permittat. Istis de causis maior est Talmuth quam tu. Vnde huic frustra præcipis, vt de paradiso exeat, cui Talmuth præcipit vt non recedat. Verum est, ut ait Dominus Angelo, quod dicis Non potest homo ille exire de paradiso, etiam me præcipiente, nisi Talmuth permittat, nisi & post iussionem meam eum exire concedat. Sed quoniam aliud consilium non est, revolvatur vitæ illius bibliotheca. In qua si inventum fuerit, quod unquam peieraverit, vel mentitus fuerit, exire eum de paradiso oportebit. Sin autem, concedendum est ei ut maneat, vel propter ipsius religionem, vel quia semper studuit Talmuth. His respondebo? Dignus est, ut supra dixi, Iudæus tam pessimus hostis Dei & meus, mea responsione? Dixit ille prius infatuatam Dei sapientiam, dicit nunc enervatam Dei potentiam. G

Quid est ergo quod dicit scriptura sancta, *Dominabitur à mari usque ad mare, & à flumine usque ad terminos orbis terræ?* Sed forte à mari usque ad mare, hoc est, in hac terra nostra dominatur potestas eius: sed non pervenit usque ad nos incognitam paradisum eius. Psal. 71.

Verum si inde quæstio oritur, inde solvi potest, si paradisus in terra esse probatur. Sed in terra esse probatur, dicente scriptura. *Plantavit Dominus Deus paradisum voluptatis à Principio.* Et apertius deinde, quod in terra, immo terra fuerit. *Produxit Deus de humo,* inquit, *omne lignum pulchrum visu & ad vescendum suave, lignum etiam vitæ in medio paradisi.* Quod si de humo ligna illa produxit, vtique de terra produxit. Nam humus licet aliud nomen habeat, non nisi terra est. Terra autem de qua producta sunt ligna illa, paradisus est. Igitur paradisus & terra, & in terra est. De terra vero Psalmus dicit. *Omnia quæcunque voluit Dominus fecit, in cœlo & in terra.* Si ergo paradisus est terra, & Deus facit omnem voluntatem suam in cœlo & in terra, utique & in paradiso facit voluntatem suam, quia est terra. Falsum ergo quod Iudæus dicit, hominem illum non obedisse voluntati & præcepto Dei, volentis & præcipientis vt de paradiso exiret. Falsum est, quod nominis divini interpositione & libri Talmuth additamento se ne egredi compelleretur defendisset. Sed forte verum est quod sequitur, Deum præcepisse, ut bibliotheca vitæ illius revolveretur: vt si in ea nunquam periurium, aut mendacium incurrisset, diligens lector perscrutaretur. Si peierasse vel mentitus fuisse, ex scriptura illa convinceretur, de paradiso expelleretur. Sin autem, maneret, nec ab aliquo deinceps se de paradiso expelli posse metueret. Revoluta est bibliotheca, cúmque à periurio & mendacio excusavit. Eo merito, paradisi colonus Deo concedente remansit. Non poterat Deus rerum gestarum recordari absque libro? nec fugax eius memoria absque suffragio bibliorum, vel pellium revocari. Ideo processit Gen. 2. Psal. 134. H

editum

A ediƈtum, ut vitæ hominis illius bibliotheca revolveretur. Sed si in gestis hominis unius, Dei memoria languit, quomodo in gestis cunƈtorum mortalium retinendis vigere poterit? Quæ pelles sufficient? Quæ secula non deficient? Et scio quidem, & hoc ex libro
Eccl. ult. Iudaico habeo, Salomonem dixisse. *Cuncta quæ fiunt, adducet Deus in iudicium pro omni errato, sive bonum, sive malum sit.* Sed nunquid ex libris? Nunquid cunƈta illa hominum facta in libris releget, aut ex libris proferet? Ita ne periit, vel peribit Dei memoria? Et quis est, qui in quodam libro vestro per quendam sa-
Eccl. 14. pientem loquitur, *Memoria mea in generationes seculorum?* Nonne Deus? utique Deus. Nec innumeras, & similes revolvo sententias, æternæ Dei memoriæ testimonium dantes: quia hæc sola, etsi non Iudæo, cui nihil sufficit, tamen omni homini præter Iudæum sufficit.

B Quid de reliquis sequentibus? Revoluta est bibliotheca, & quod relectum est, eum nec peccavisse, nec mentitum fuisse, homini adhuc in carne mortali viventi ne ultra moreretur, indultum est: & ne unquam deinceps de paradiso egredi compelleretur, concessum est. Magnum meritum hominis, universis absque dubio veteris Patriarchis & Prophetis præferendi, cui hoc datum est, quod non potuit mereri David: de quo in
3. Reg 2. Malachim vestro scriptum est, *Dormivit David cum patribus suis*, quod non potuit mereri Moyses: de quo in
Deut. ult. Deuteronomio dictum est, *Mortuus est Moysés servus Domini, & sepelivit eum Dominus*: quod non potuit
Gen 25. mereri ipse Abraham, de quo Genesis, *Mortuus est Abraham senex, & plenus dierum.* Non hoc senserunt antiqui Iudæi, neque ipsi impietatis vestræ præseminatores. Nam dicente Salvatore nostro Iudæis patri-
Ioan 8. bus vestris, *Amen amen dico vobis, si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum*: longe tamen alio quam illorum vel vestro intelleƈtu, responderunt: *Nunc cognovimus, quia dæmonium habes.*
C *Abraham mortuus est, & propheta, & tu dicis, Si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum? Nunquid tu maior es patre nostro Abraham qui mortuus est? Et Prophetæ mortui sunt.* In tantum certe homines illi, licet impij, execrati sunt hunc intelleƈtum vestrum, quo dicitis hominem illum fraudibus à Deo extorsisse, ne moreretur; fraudibus extorsisse, ut etiam invito Deo, ipsi in carne mortali viventi habitatio in paradiso perpetua concederetur. Pœniteat ergo vos, quod tamen frustra dico, hoc credidisse, hoc dixisse: cum audiatis, videatis, patres vestros Deo & Redemptori nostro, in re, quam ille tamen aliter sentiebat, tam aspera respondisse. His licet valde mirandis præmissis, plus adhuc miranda succedunt. Homo ille, tali iam fraude Deo, ut iam diƈtum est, invito, paradisum
4 Reg 2. possidens, quia magna sibi bene processerant, maiora molitur. Non sufficit ei nobiliore se vehiculo, quam Helias in cœlum raptus fuerat, in paradisum subveƈtum esse, cum ille curru igneo in cœlum, hic cœlesti Angelo in Paradisum delatus sit: non sufficit, quod
D Deo victo, eius paradisum victor incoleret: non sufficit, quod hoc privilegium meruerat, ut solus inter mortales morte effugere potuerit. Illeƈtus optimo rerum gestarum successu, etiam alios omnes immortales facere conatur. Nam repetente Angelo quem commendaverat gladium, quo homines ubicunque eos invenisset, ut ait urbana scriptura illa, sive in via, sive in macello, occidere consueverat, respondit. Quid? Respondit plane Iosue, se gladium ei non redditurum, nisi ei iuraret, quod homines eo ulterius non occideret. Pius vere homo, & mortalibus assidue morientibus compatiens, eisque ne ultra mori possent benigne prospiciens, idcirco gladium mortis instrumentum reddere noluit, nec Angelo mortis humanæ avido in repetitione illicita cessit. Delusus totiens Angelus ad Deum redit, quid respondisset Iosue, nunciavit. At Dominus eius petitionem fieri, etsi invitus, concessit. Redditque Iosue tali conditione Angelo gladium. Hic inter multa quæ quærenda sunt, hoc unum requiro. Cum Angelus adeo stultus fuerit, ut dolum hominis callide gladium mortis ab eo extorquentis cavere non potuerit, cur ab eo illum ultra repetiit? Nunquid gladio illo iam ita perdito, alterum fabricare non poterat? Nunquid divina potentia adeo eget, ut si aliquid stultitia fatui nuntij perditum fuerit, nisi sibi ultra simile recuperari possit? quæ necessitas compulit, ut à doloso homine fraude sublatum gladium emendicaret, cum multos, ut puto, gladios fabricare potuisset? Nunquid uno semper & ferreo gladio, boni vel mali Angeli, præcepto divino hominum occisores, semper uti consueverunt? Lego Angelum tot Ægyptiorum primogenita una noƈte percutientem, ut in tota & maxima Ægypto, non esset domus, ubi non esset mortuus. Lego & de exercitu regis Assyriorum, centum oƈtoginta millia, sed brevi spatio vel momento, iussu divino esse extinƈta. Lego & quædam alia istis similia. Nunquid hi homines, uno tantum & solo Dei gladio interfeƈti sunt? Et quid facerent illi Angeli, qui tunc tanta hominum millia peremerunt, si iam gladium occisorium perdidissent? Vnde vel quo instrumento perimere tot populos, gladio perdito, potuissent? Satis bene præcautum est eis, ne prius Iosue divini gladij præceptor nasceretur, quam omnes præscripti eodem gladio perimerentur. Nam si ante præceptus esset implere Dei imperium Angelus mortis minister, gladio sublato non posset. Quo tamen gladio à temporibus Iosue postmodum tam innumera hominum millia iussu Dei perempta sunt? Quo, inquam, gladio, priore perdito cæsa sunt? Hic respondete Iudæi. Hic arƈtant vos: sed non nunc primum, à quibus nunquam eruendi estis angustiæ. Aut reddite Deo gladium, quem male Iosue vester subripuit, ut homines pro velle suo more solito occidere possit: aut si hoc non facitis, de mortalibus immortales facite, & ne ultra mortem timeant universos monete. Sed ne forte nobis mirum, vel falsum videatur: hominem tali, ut diƈtum est, modo immortalem faƈtum, paradisum incolere, vultis consolari nos, & ad credendum nobili & veraci exemplo provocate. Dicitis credi debere quod sic Iosue paradisum obtineat cum Eliezer quoque servus Abraham, similiter morti subtraƈtus, etiam cœlum, quod maius est, possideat. Hoc qualiter contigerit, sic libro sæpe nominato docente narratis. Post meridiem Isaac ad meditandum egressus in campum obvium habuit servum Eliezer, de Mesopotamia, quo eum Abraham miserat, cum Rebecca reversum. Cumque interrogasset Rebecca servum, quis esset cui obviaverat, hic est, inquit Dominus meus Isaac. Quo audito Rebecca iuxta veracem scripturam nostram operuit se linteo, ac de camelo celerrime descendit, iuxta falsam vero vestram in descensu illo signa virginitatis amisit. Ventum est ad copulam. Non agnitis vir signis virginitatis in coniuge aggressus est culpare servum, quod uxorem suam, ut proditor corruperit. Hoc illo cum iuramento negante ait Isaac. Vtinam sic cœli visione frueris, prout verum est, quod fateris! Hoc ut dixit Isaac, statim Eliezer in cœlum sublatus est. Quis ergo ultra audebit negare verum esse, quod de Iosue dicitis; quando tantum quid de servo Abrahæ profertis? Quia absque dubio constat, quod Eliezer immortalis cœlum obtineat quis vobis obviare, ô Iudæi, audebit, quod Iosue vester paradisum incolat? Absque aliqua prorsus deinceps quæstione credatur, quod tam valido & indissolubili exemplo probatur. Credatur & illud quod creditis, colleƈtis iam ab universis mundi partibus, & in vestra vestræ repromissionis terra, congregatis à vestro Messia Iudæis, impleri illud, quod olim Abrahæ Deus promiserat. *Multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, & velut arenam, quæ est in littore maris.* Hoc autem, ita ut unaquæque mulier unoquoque die unum filium pariat, & sic per unius tantum anni spatium trecentos sexaginta & sex filios generet. Magna fœcunditas, & cita multiplicatio seminis Abrahæ. Non tamen tanta, etsi omnis mulier à prima Ev

A usque ad ultimam, quæ in fine mundi futura est, omni seculi huius die unum infantem pariet, quanta est vel stellarum cœli, vel arenæ maris. Infelices verè mulieres, quæ, si maledictio divina in feminas prolata permanserit, sicut quotidie parient, sic acerrimo illo parientium dolore quotidie torquebuntur. Puto, quia, mallent nunquam concipere, quam cum tam acribus, ac frequentibus doloribus parturire, vel parere. Quid Levit.12 tamen fiet de capitulo illo legis, quo præcipitur, ut mulier masculum pariens quadraginta, feminam octoginta diebus à copula viri abstineat? Sed transeo. Talibus enim non semper immorandum est. Nec illud tamen ex toto præterire decrevi, in quo sapienter & caute scripturas sanctas vobis interpretari datum est. Volo enim à vobis audire, quomodo illum Psalmi vestri versum exponatis quo dicitur. *Ascendisti in altum, cepisti captivitatem, dedisti dona hominibus.* Ascen-B disti in altum. Quis ascendit? Moyses, ut dicitis. Ascendit in cœlum ex iussione Dei. Videntes eum Angeli, voluerunt interficere. Moyses tremefactus clamavit ad Dominum. Quod audiens Dominus: comminatus est Angelis. Vt quid, ait Dominus, servum meum vultis occidere? Seditionem contra me facitis. Erubuerunt Angeli, & dixerunt. Non seditionem facimus, sed dolemus quod homo terrenus & pollutus cœlum ascendit. Non, inquit Dominus, immundus & pollutus est, quia antequam cœlum ascenderet, ab immunditia eum sanctificavimus. Conqueruntur adhuc non solum de hoc sancti Angeli, verum etiam quia legem sanctam & immaculatam prius dedit Deus hominibus pollutis, quam sibi, quibus deberet primum dari. At Dominus. Vos contra præcepta mea stultè agitis. Hic namque nulla perpetrantur vitia, nulla flagitia. Non ergo hic lex est necessaria, sed hominibus, qui homicidia & adulteria, & cætera mala agunt. Tunc Angeli pacem cum Moyse statuerunt, & ei de sapientia sua dimidiam partem ad manus dederunt. Cepisti captivitatem, id est, sapientia Angelos expoliasti, & cœlum. Dedisti dona hominibus, id est, sapientiam illam dedisti filiis Israel ad terram descendens. Etenim non C credentes inhabitare Dominum Deum, id est, Gentiles & Christiani non credunt Dominum habitare in Moyse. Quid deriderem ista? Quid detestarer? Quid conculcarem? Statim, immo plenissimè, ipsa ex se ipsis quam deridenda, quam detestanda, quam conculcanda sint, declarant. Declarant & illud, quomodo talibus doctoribus, tam subtiliter, tam veraciter scripturas sacras exponentibus credendum sit.

Quid dicam de clavibus Chore? Quas tanti numeri dicitis fuisse, ut trecentos camelos illis clavibus oneratos, vixque immensum illarum onus ferentes, in deserto, ubi Moyses ductor Hebræorum erat, habuerit: quæ ut levius ferri possent, non ex ferri, vel ex ligni, seu alia qualibet materie, sed de vaccarum siccis coriis factæ fuerant. Quæ claves solos thesauros prædicti Chore, in specubus vel antris diversis repositos asservabant. Ditissimus omnium hominum homo, cuius pecunia toti generi humano per infinita secula sufficere posset! Sed lugenda perditio tantorum thesaurorum, quoniam cum Dathan & Abiron, & aliis rebellibus, D ipse etiam Chore cum filiis & filiabus, cum ipsis tabernaculis, omnique substantia nutu divino absorptus est.

Quid dicam & inde, unde similis fabula præmissa est? Quod scilicet cum filij Iacob patrem suum mortuum ad sepulchrum deferrent, filij Esau similiter patrem suum defunctum ad idem sepulchrum deferentes, cum magno comitatu eis occurrerunt, & lites maximas pro vindicando sibi sepulchro hinc inde cōsernerunt. Quid & inde, quod Dan filius Iacob montem ascenderit, quod tantæ magnitudinis lapidem, quantæ erat totus exercitus Esau, de monte præciderit: quod ipsum capiti suo imposuerit, ut uno lapidis iactu totum illum prosterneret? Quid & inde, quod rediens, cum iam utrumque exercitum concor-

E dem invenisset ingentem illam molem in mare proiecerit: cuius magnitudine repulsum mare terminos suos excesserit: duasque excessu suo civitates subverterit, Phiton, & Remese? Exod.1. Quas post quadringentos fere eversionis annos, ut aliquid simile veri dicere videamini, Pharao, ut dicitis reædificavit, & in earum reædificationem, patres vestros duris luti, & lateris operibus afflixit. Infinita sunt hæc, nec longissimo tempore explicanda, si velim similes Iudæorum nænias persequi, & ad unguem universa referre. Quis enim tantis voluminibus nugarum, quibus armaria sua iam pene à duobus millibus annorum perditi homines impleverunt, respondere, & singula velut ex ratione posset refellere? Et posset quidem quantum ad rationem pertinet, respondere his etiam quilibet valde brutus, nec in inveniendo, parvo saltem opus esset labore: sed vix tempus sufficeret, nec omnino rationabile esset. F Quæ enim ratio permittit ultra modum protrahi de talibus sermonem, quæ omni disputatore tacente, omnis humanus animus intelligit falsa, sentit ridenda, agnoscit execranda? Festinet ergo stylus ad finem, nec ultra diu differat.

Vnde immensa congerie similium fabularum, velut multo pulveris aggere ventis tradita, unam tantum de filia Hieremiæ, & eius filio, fabulam replicabo: & sic opus Iudaicum, immo contra Iudæos Christianum, per Christi gratiam consummabo. Sed quomodo loquar? Quibus verbis utar? Indicit pudor silentium, & ne inhonesta proferens, minus in verbis honestus videar, pertimescit. Confunditur turpia ingerere auribus pudicorum, audire sancta & cœlestia assuetis infundere tam nefanda veretur. Sed quid? Deponat inconsultum ruborem Christianus & sobrius sermo, & impios inhonestos redarguens, saltem in his erubescere cogat. Facit hoc sæpe Deus in lege prima, & in secunda id ipsum non tacet. Et quia homines à malis vix nominandis corrigere cupit, ipsa etiam magis ignominiosa prohibendo proponit. Facit hoc & Apostolus noster, ut notum est orbi terrarum, vixque de his quæ in mortalibus corrigenda cernebat, aliquid licet turpissimum intactum reliquit. Vnde nec ego istud in-G tentatum relinquam, ut magis ac magis inimici Christiani nominis confundantur, & quam execrandi sint, qui tam execrandis credunt, etiam post præmissa sole clarius videatur. Quodam tempore, inquiunt, cum iuvenes, ut assolet fieri, mixtim balneis uterentur: libidinosè se ipsos attrectantes, sperma virile in aquam fundebant. Quo cum necessitate itineris tractus, Propheta Hieremias venisset, illosque talia operantes videret: indoluit, & eos increpans, quod scelus nefarium operarentur, clamabat. Illi hæc audientes, ut idem quod ipsi faceret, & verbis hortabantur, & vi compellebant. Cum ille primo renueret, & se ante mori velle, quam ista operari diceret: tandem ab eis coactus assensit, & in aquam, ut illi sperma effudit. Cumque diu illud in aqua mansisset, accessit filia Hieremiæ, quæ lavacris illis forte intererat, & casu spermati obvians, muliebri receptaculo illud excepit, statimque gravida facta est. Venit tempus pariendi, & peperit, & vocavit nomen eius Bancera. Hic mox, ut H natus est, loqui exorsus, panem calidum & carnem pinguissimam, butyrum & mel petiit. Quod cum mater miraretur: Cur, inquit, talia petis, cum lac deberes accipere? Magis, inquit, tales cibi mihi placent, quam lac tuum. Hoc sapientissimis hominibus cum mater eius ostenderet, & ad puerum videndum vocaret plurimos conflictus disputationis inter se habentes, omnes devincebat puer. Quod mater eius magis stupens, ait. Quid est, fili, quod agis? Vnde tibi tanta sapientia? Vnde tibi tot modi disputationis, cum literas non didiceris: Filius sum, inquit, Hieremiæ. Quod qualiter acciderit, narravit. Quid dicam lector? Numquid de istis & contra ista, me aliquid loqui, vel os aperire necesse erit? Audio à Iudæo, quod nec à diabolo audire possem. Superat ille mendaciis

suis

A suis mendacij Principem: & eum, qui non solum mendax, sed & pater & magister mendacij est, pene suum ac discipulum facit. Et quidem ille (ut ait noster Apocalypsis) accusator fratrum nostrorum accusans eos ante conspectum Dei nostri die, ac nocte. Accusat eos aliquando veraciter, accusat eos aliquando mendaciter. Sed numquid tam mendax est in accusationibus fratrum Satanas, ut Hieremiam de fornicatione ante conspectum Dei accuset, ut eum velut fornicatorem arguere coram summo iudice auderet? Sed numquid coram hominibus? Nec illud puto. Quomodo plane auderet illum vocare fornicatorem, dicere immundum, de cuius mundicia & sanctitate audit Dominum loquentem ad ipsum, *Priusquam te formarem in utero novi te, & antequam exires de vulva, sanctificavi te*? Audit hoc plane diabolus, quamvis non audiat Iudæus. Scit pro certo, quamvis non desit ei voluntas
B fallendi, si de his mentiri vellet, neminem sibi contra divina oracula crediturum, & idcirco ne impudenter mendax appareat, minusque inde homines fallere possit, maliciæ suæ, non quidem sapienter, sed dolose providet. At non ita Iudæus, qui ut in nullo sibi aliquis adquiescat, totum se plusquam diabolicis mendaciis consecravit. Nihil plane tam reliqui sibi fecit, ut ei præter authentica verba, etiam si qua vera quandoque proferret, aliquis credat, nec hoc mirum de tanto mendace. Nam, quod longe minus est, semel in iudiciis falsa allegans, vel semel falsus testis inventus, & ab actionibus repellitur, & à testimoniis removetur. Quod ergo fit de semel mentiente, non debet fieri de semper mentiente Pariter & fallente? Mentitur etenim Iudæus, quando quod falsum est astruit: fallit, quando alios mendaciis suis, licet hoc raro contingat, seducit. Sed credo, quod nullum Iudæus nisi Iudæum, in hoc de quo agitur, sermone fallere possit, nec ipsum, quem similibus fabularum somniis imbuit, suum olim discipulum Machometh. Nullum vero fallere poterit, ut
C vel credat, vel tenuiter suspicetur, tantum virum, tantum Prophetam Dei, usque ad sanguinem, usque ad mortem, pro veritate, pro iustitia, contra mendaces, contra impios, non alios quam Iudæos certantem, tam immane scelus incurrisse, vel ad illud perpetrandum, terrore aliquo, violentia aliqua, compelli potuisse. Maluisset prius Ægyptios lapides Iudaicis manibus iactos perpeti, nec quod postea pro veritate passus est, ne immundis iuvenibus assensu aliquo sociaretur, pati differre. Non adeo excors factus fuerat, ut qui à puero Dei confabulatione dignus apparuit, iam iuvenis vel maturus tantam gratiam negligeret, & criminis aliqua sorde, seipsum divinæ familiaritatis prærogativa fraudaret. Non ille quamlibet ætatum differentiam, mundamque ab omni crimine innocentiam aliquo tali nævo fœdavit, cui dicenti. *Ecce nescio loqui, quia puer ego sum*, à Deo responsum est. *Noli dicere quia puer sum, quoniam ad omnia, quæ mittam te, ibis, & universa quæ mandavero tibi, loqueris*. Ac deinde, *Ecce constitui te hodie super gentes, & regna, ut evellas, & destruas, & disperdas & dissipes, & ædifices & plantes*. Numquid
D iste à Deo, etiam adhuc puer, mitteretur? numquid universa quæ sibi mandanda erant locuturus, pronuntiaretur? numquid gentibus & regnis ad evellendum & destruendum, & rursus ad plantandum & ædificandum præficeretur: si talis à Deo futurus, qualem eum ô Iudæi facitis, prævideretur? Sed ubi & hoc legitis, eum habuisse filiam? Aut ergo proferte non ex nugis solitis, sed ex scripturis sanctis, eum habuisse filiam: aut ego ex eisdem divinis scriptis proferam, eum nec filiam habuisse, nec filium. Sed, ut æstimo, deficietis. At ego non deficiam. Ait namque Dominus ad Hieremiam. *Et tu non accipies uxorem, nec generabis filios*

Hier. 16

*& filias*. Relegite librum ipsius Prophetæ. Vbi postquam hoc legeritis, aut si nesciebatis discite, aut si obliti eratis recolite: Hieremiam Prophetam non habuisse uxorem, nec generasse filios vel filias. Non potuit enim tantus vir, tam studiosus divinorum præceptorum servator, divinum mandatum negligere, &
E post interdictum vel uxorem accipere, vel filios & filias generare. Nam de alia muliere quam de uxore, eum filium vel filiam generasse, quis asserere audebit, nisi qui eum incontinentem & turpem probare contenderit? Et puto, quia nemo præter Iudæum audebit. Quod si nec uxori, nec cuilibet mulieri, Hieremias quolibet unquam tempore mixtus est, utique sicut nec filium, ita nec filiam generavit. Recedat ergo filia hæc, quam ô Iudæi, Hieremiæ dedistis, de medio, & alium sibi patrem requirat. Sed forte non fuit ei ad generandum necessaria sexuum coniunctio, cuius seminis iuxta vos tanta vis extitit, ut etiam eo longe remoto, sicut hic contigisse dicitis, & gravidare posset, & generare. Cui vestro turpissimo miraculo, quod scilicet semen effusum in aquam nec elementi liquiditate dissolvi potuerit, nec generativam virtutem amittere, non disputando respondeo, sed conspuendo. Iam reliquis † prophetæ pueri miraculis, quod natus statim loqui cœperit, panem calidum, carnem pinguissimam, butyrum

† rectius
F

& mel petierit: quod comederit, quod sapientes homines disputando vicerit, immo quod nihil horum fecerit, iam absque excusatione stolidum esset velle probare. Quid enim probaret aliquis, cum ista nec dixisse, nec fecisse, quem certum est numquam fuisse? Quod ut certum habeatur, adhuc istuc unum ad eamdem fabulam pertinens adiungo. Audiens Nabuchodonosor huius prædicti pueri tantam famam, misit ad eum mille viros armatos, quorum unusquisque militem unum deferebat super unguem digiti sui, volens cognoscere utrum verum esset, quod de eo ferebatur, & ut ad se veniret mandavit. Qui venire renuit, sed leporem ad eum misit, & quæcunque ab eo quærere volebat, vel interrogare, in fronte leporis scripsit. Quod videns Nabuchodonosor, hunc esse omnibus sapientiorem cognovit. Hæc fabula licet non de Talmuth, non tamen de minoris auctoritatis libro, quam est Talmuth apud Iudæos, excerpta est.

G Hæc sunt mysteria vestra, ô Iudæi, hæc intima sacramenta, hæc sapientia, omni sapientiæ etiam divinæ præferenda. Vere nunc apparet in vobis impletum, quod sæpe supra nominatus Esaias iam non vester, sed noster Propheta, inter multa similia de vobis ait. *Ova aspidum ruperunt & telas araneæ texuerunt. Qui comederit de ovis eorum morietur, & quod confotum est, erumpet in regulum. Et telæ eorum non erunt in vestimentum, neque operientur operibus suis*. Non sunt ova quæ fovetis ovis gallinarum similia, ut vel per se sint utilia ad escã, vel inde aliquod volatile humanis commodis aptum procedat, sed sunt ova aspidum, quæ à vobis rupta, & mortifero vos impietatis veneno inficiant, & tandem quod iuxta seculi finem futurum est, omnium impiorum regem Antichristum, velut omnium venenatorum animantium principem regulum, diu à vobis male fota producant. Ad talem fructum pessimo talium doctrinarum tempore diu mortiferum ovum fovistis, ut & vos ruptum perimat, & ad ultimum (ut dictum est) supremum inde malitiæ germen, toti noxium mundo
H erumpat. Non sunt telæ vestræ, in quibus longo tempore laborastis, telis textricum vel texentium similes: ut inde vestis aliqua, vel operimentum quodlibet fieri possit. *Non sunt plane*, iuxta Prophetam, *in vestimentum, neque operiemini ex eis*. Quare? Quia in cunctis operibus vestris, in universis laboribus vestris, in omni contextu impiarum doctrinarum, nihil mortalibus utile perfecistis, quia telas araneæ texuistis. Vere irritus, vere cassus labor tantorum seculorum, in quibus à Prophetarum tempore, id est, ex quo Propheta in Israel non apparuit, nihil aliud texuistis, nihil aliud operati estis, nulla alia doctrina libros Iudaicos implestis: nisi blasphemia sacrilega, ridiculosa, & falsa, Pugnastis tanto tempore contra divinos libros diabolicis libris, & cœlestem doctrinam infernalis putei fumo suffundere & obfuscare laborastis. Nisi estis irretitæ telarum vestrarum retibus, animalia stulta, & aves

incircumspectas

A incircumspectas dolosis laqueis aucupare conati estis. Sed non est tale, non est tale vestrum commentum, non est illius artis vel virtutis Iudaica textura, ut quadrupedem vel avem saltem ultimam illaqueare valeat. Non viriles vel muliebres telas orditi estis, non viriles vel muliebres perfecistis: sed iuxta veridicum Prophetam, in iam dictis & similibus fabulosis næniis, aranearum solummodo telas texuistis. Quæ multo longoque labore compactæ, nimia fragilitate sui, nullum præter Iudæum velut muscam vilissimam fallere vel capere potuerunt. Vt ergo huic iam quinto contra vos capitulo tandem finis congruus imponatur, breviter præcedentia replico. Libris divinis prius, postmodum fabulosis, contra nos agere nisi estis. Libris divinis vos vicimus. Fabulosos nullius momenti esse ostendimus. Quid igitur restat? Hoc scilicet, ut fabulosis abiectis, divinos sic intelligatis, ut in eis & ex eis Christum, B hoc est iuxta vos Messiam, non fallacem, sed veracem: non venturum nisi ad iudicium, sed eum qui iam venit, qui iam de virgine nativitate sua, absque aliquo peccato in mundo conversatione sua, cœlesti prædicatione sua, divinis miraculis suis non vili ut putatis, sed pretiosa morte, resurrectione, ascensione sua, mundum ad æternam vitam prædestinatum redemit, salvavit, glorificavit, credatis, adoretis, glorificetis. Credo enim iam vos tantis testibus, tantis rationibus ita obrutos, confutatosque esse ipsa veritate: ut nihil ultra repugnare, nihil quærere debeatis.

C

# SANCTI PETRI MAVRICII DICTI VENERABILIS ABBATIS CLVNIAC. IX.

## *EPISTOLA*

## DE TRANSLATIONE SVA, quâ fecit transferri ex Arabico in Latinum, sectam sive hæresim Sarracenorum, anno MCXLIII.

*Singulari veneratione colendo, totis charitatis brachiis amplectendo, individuo cordis nostri hospiti, Domino Bernardo Clarevallis Abbati frater Petrus humilis Cluniacensis Abbas, salutem, ad quam suspirat, æternam,*

Huic ferè similis est pars Epistolæ XVII. D Lib. IV. eiusdem Petri Venerabilis

MITTO vobis, charissime, novam translationem nostram, contra pessimam nequam Machumet hæresim disputantem. Quæ nuper dum in Hispaniis morarer, meo studio de Arabica versa est in Latinam. Fecit autem eam transferri à perito utriusque linguæ viro magistro Petro Toletano. Sed quia lingua Latina non ei adeo familiaris, vel nota erat, ut Arabica, dedi ei coadiutorem doctum virum dilectum filium & fratrem Petrum notarium nostrum, Reverentiæ vestræ, ut extimo, bene cognitum. Qui verba Latina impolitè vel confusè plerumque ab eo prolata poliens & ordinans, epistolam, imo libellum multis, ut credo, propter ignotarum rerum notitiam perutilem futurum perfecit. Sed & totam impiam sectam, vitamque nefarij hominis, ac legem, quam Alcoran, id est, Collectaneum præceptorum, appellavit, sibique ab Angelo Gabriele de cœlo collatam miserrimis hominibus persuasit: nihilominus ex Arabico ad Latinitatem perduxi, interpretantibus scilicet viris utriusque linguæ peritis, Roberto Retenensi de Anglia, qui E nunc Papilonensis Ecclesiæ Archidiaconus est: Hermanno quoque Dalmata acutissimi, & literati ingenij scholastico. Quos in Hispania circa Hiberum Astrologicæ arti studentes inveni, eosque ad hæc faciendum multo precio conduxi. Fuit autem in hoc opere intentio mea, ut morem illum Patrum sequerer, quo nullam umquam suorum temporum vel levissimam, ut sic dicam, hæresim, silendo præterierunt, quin ei totis fidei viribus resisterent, & scriptis atque disputationibus esse detestandam ac damnabilem demonstrarent. Hæc ego de hoc præcipuo errore errorum, de hac fæce universarum hæresum, inquam, omnium diabolicarum sectarum, quæ ab ipso Salvatoris adventu ortæ sunt, reliquiæ confluxerunt, facere volui: Vt sicut eius lethali peste dimidius pene orbis infectus agnoscitur, ita quam execrandus & conculcandus detecta eius stultitia & turpitudine a nescientibus agnoscatur. Agnoscetis ipsi legendo, & sicut arbitror, ut dignum est, deflebitis, per tam nefarias & abiectissimas sordes tantam humani generis partem deceptam, & à conditore suo per spurcissimi hominis sectam nefariam, etiam post Redemptoris gratiam tam leviter aversam. Specialiter autem vobis ista omnia notificavi, ut & tanto amico studia nostra communicarem, & ad scribendum contra tam perniciosum errorem, illam vestram, quam nostris diebus vobis Deus singulariter contulit, doctrinæ magnificentiam, animarem. Nam licet hoc perditis, ut extimo, prodesse non posset responsionem tamen condignam, sicut contra alias hæreses, ita & contra hanc pestem Christianum armarium habere deceret. Quam si superfluam esse quibusdam visum fuerit, quoniam quibus resistere debeant, talibus armis immuniti non assunt: noscitur in Repub. magni Regis quædam fieri ad tutelam, quædam fieri ad decorem, quædam ad utrumque. Nam ad tutelam facta sunt à Salomone pacifico arma, licet tempore suo minus necessaria. Præparati sunt a David sumptus, parata & ornamenta templi divini constructioni & ornatui deputata. G Sed nec illa eius tempore alicui usui profecerunt: sed in usus divinos post eius tempora transierunt. Manserunt itaque ista aliquanto tempore ociosa: sed incumbente necessitate, apparuerunt, quæ diu vacaverunt, fructuosa. Nec tamen, ut mihi videtur, opus istud etiam hoc tempore ociosum vocare debeo. Quia iuxta Apostolum, vestrum est, & omnium doctorum virorum, omnem scientiam extollentem se adversus altitudinem Dei, omni studio, verbo, & scripto impugnare, destruere, conculcare. Quod si hinc errantes converti non possunt, saltem infirmis Ecclesiæ, qui scandalizari, & occulte moveri levibus etiam ex causis solent, consulere & providere doctus, vel doctior, si zelum habet iustitiæ, non debet negligere. Propono indè vobis Patres omnes, & præcipuè Patrem Augustinum. Qui licet Iulianum Pelagianum, licet Faustum Manichæum verbis & labore suo ad fidem rectam convertere nequiverit, non tamen quin de eorum errore magna contra eos volumina conderet, omisit. Sic de reliquis sui temporis, & non sui temporis, hæreticis, sic de Iudæis, sic de Paganis faciens, non solum contra H eos sui temporis homines armavit, sed etiam ad nos, & ad posteros omnes maximæ ædificationis & instructionis charisma transmisit. Si igitur reverentiæ vestræ in his laborandis Deo adspirante voluntas fuerit, (nam facultas per eius gratiam deesse non poterit) rescribite, & mittemus librum, quemadmodum misimus, † ut per os vestrum ipsius laude repletum, spiritui nequitiæ spiritus benignus respondeat, & Ecclesiæ suæ thesauros gazis vestræ sapientiæ suppleat.

A

# SVMMVLA QVÆDAM Brevis, contra Hæreses & sectam Diabolicæ fraudis Saracenorum, sive Ismaëlitarum.

SVMMA totius hæresis, ac diabolicæ fraudis sectæ Saracenorum, seu Ismaelitarum, hæc est. In primis, primus, & maximus ipsorum execrandus est error, quod Trinitatem in unitate Deitatis negant. Sicque dum in una divinitatis essentia trium personarum numerum non credunt, in unitate numerum evitantes, dum ternarium numerum, inquam, omnium formarum principium atque finem, sicque rerum formatarum causam & originem atque terminum non recipiunt, Deum licet ore confitentes, ipsum pœnitus nesciunt. Ipsi autem devij, ipsi variabiles, principium varietatis, & alteratis † omnis, videlicet binarium solum in unitate confitentur, scilicet ipsam divinam essentiam, & eius animam. Vnde Deum pluraliter loquentem introducit suum Alcoran, quo nomine legem suam nuncupant. Et interpretatur Alcoran ex Arabico, Collectio præceptorum. Illi autem cæci Deum creatorem patrem esse negant: quia secundum eos nullus fit pater sine coitu. Christum itaque licet ex divino spiritu conceptum, Dei filium esse non credunt, nec etiam Deum, sed Prophetam bonum, veracissimum, omnis mendacij atque peccati immunem, Mariæ filium, sine patre genitum, nunquam mortuum, quia morte non est dignus. Imò cum illum Iudæi interficere vellent, de manibus eorum elapsum, ascendisse ad astra: ibique nunc in carne vivere in præsentia Creatoris, usque ad adventum Antichristi. Quem, dum venerit, Christus idem gladio suæ virtutis interficiet, & Iudæos residuos ad legem suam convertet: Christianos autem qui iam a longo tempore legem eius atque Evangelium perdiderunt, tum propter eiusdem discessum, tum etiam propter Apostolorum atque discipulorum mortem, legem suam perfectè docebit. In qua omnes Christiani, sicut & illi primi discipuli, saluabuntur. Cum quibus simul & omnibus creaturis, Seraphim, quem ipsi dicunt Archangelum unum, sonante buccina, morietur & ipse Christus: postea resurrecturus cum cæteris, & ad iudicium suos ducturus, eisque auxiliaturus, sed nequaquam iudicaturus. Deus enim solus iudicabit: Prophetæ vero & legati singuli cum suis, & pro suis, intercessores aderunt, & auxiliatores. Sic enim docuit eos miserrimus atque impiissimus Machumet, qui omnia Sacramenta Christianæ pietatis, quibus maximè homines saluantur, abnegans, iam penè tertiam humani generis partem, nescimus quo Dei iudicio, inauditis fabularum deliramentis diabolo & morti æternæ contradidit. De quo, quis fuerit, & quid docuerit, propter eos qui librum istum lecturi sunt, ut scilicet quod legerint, melius intelligant, & quàm detestabilis tam vita quàm doctrina ipsius extiterit, sciant, dicendum videtur. Putant etiam quidam hunc Nicolaum illum, unum ex septem diaconibus primis extitisse, & Nicolaitarum ab eo dictorum sectam, quæ & in Apocalypsi Ioannis arguitur, hanc modernorum Saracenorum legem existere. Somniant & alij alios, & sicut lectionis incuriosi, & rerum gestarum ignari, sic & in alijs casibus falsa quælibet opinantur. Fuit autem iste, sicut etiam Chronica ab Anastasio Romanæ Ecclesiæ Bibliothecario de Græco in Latinum translata apertissimè narrant, tempore Imperatoris Heraclij, paulo post tempora magni & primi Gregorij Romani Pontificis, ante annos quingentos ferè & quinquaginta, Arabs natione, vilis genere, antiquæ primum idololatriæ cultor, sicut & alij Arabes tunc adhuc erant, ineruditus, nullarum penè litterarum. Strenuus in singularibus, &

B

† Alteritatis.

C

D

Apoc. 2.

calliditate multa, de ignobili & egeno in divitem famosum provectus. Hic paulatim crescendo, & cont guos quosque ac maxime sanguinis propinquos, insi diis, rapinis, incursionibus frequenter insistendo quos poterat furtim, quos poterat publice occidendo terrorem sui auxit. Et sæpe in congressionibus factu superior, ad regnum suæ gentis aspirare cœpit. Cum que universis pari modo resistentibus, eiusque ignob litatem contemnentibus, videret se hac via non pos consequi quod sperabat: quia vi gladij non potuit, re ligionis velamine, & divini Prophetæ nomine, Re fieri attentavit. Et quia inter barbaros barbarus, in ter idololatras & ipse idololatra habitabat, atque inte illos, quos, utpote præ cunctis gentibus, tam div n quàm humanæ legis expertes & gnaros, faciles ad se ducendum esse noverat, conceptæ iniquitati dare ope ram cœpit. Et quoniam prophetas Dei magnos fuis homines audierat, Prophetam eius se esse dicens, ut ali quid boni simularet, ex parte illos ab idololatria, no tamen ad Deum unum, sed ad suæ, quam parturire ia cœperat, hæresis fallaciam, traducere conabatur. Cu interim iudicio illius, qui terribilis in consilijs dicitu super filios hominum, & qui miseretur cui vult, & quem vult indurat, dedit Satan successum errori, Se gium Monachum hæretici Nestorij sectatorem ab Ec clesia expulsum ad partes illas Arabiæ transmisit, & Monachum hæreticum pseudoprophetæ coniunxit. Ita que Sergius coniunctus Machumet, quod ei deera supplevit, & scripturas sacras tam veteris Testament quam novi secundum magistri sui Nestorij intellectum qui Salvatorem nostrum Deum esse negabat, partir prout sibi visum est, ei exponens, simulque apocrypho rum fabulis eum plenissimè imbuens, Christianum Ne storianum effecit. Et ut tota iniquitatis plenitudo i Machumet confluerent, & nihil ei ad perditionem si vel aliorum deesset, adiuncti sunt Iudæi hæretico. E ne verus Christianus fieret, dolosè præcaventes ho mini novis rebus inhianti, non scripturarum verita tem, sed fabulas suas, quibus nunc usque abundat Ma chumet, Iudæi insibilant. Sic ab optimis doctoribu Iudæis & hæreticis Machumet instructus, Alcora suum condidit, & tam ex fabulis Iudaicis, quàm e hæreticorum næniis confectam nefariam scriptura barbaro illo suo modo contexuit. Quod paulatim pe tomos à Gabriele, cuius iam nomen ex sacra scriptur cognoverat, sibi allatum mentitus, gentem Deu ignorantem lethali haustu infecit, & more talium oram calicis melle liniens, subsequente mortifero ve neno, animas & corpora gentis miseræ, proh dolo interemit. Sic plane ille impius fecit, quando & Chri stianam & Iudaicam legem collaudans, neutram tame tenendam esse confirmans, propriando, † & repropria vit. Inde est quod Moysem optimum Prophetam fuis se, Christum Deum maiorem omnibus extitisse confir mat, natum de Virgine prædicat, Nuncium Dei, Ver bum Dei, Spiritum Dei fatetur: nec Nuncium, Ver bum, aut Spiritum, ut nos, aut intelligit, aut fa tetur. Filium Dei dici, aut credi, prorsus deridet. E de humanæ generationis similitudine vaccinus homo filij Dei æternam nativitatem metiens, vel gignere vel generari Deum potuisse, quanto potest nisu, dene gat, & subsannat. Resurrectionem carnis sæpe repli cando adstruit. Iudicium esse in fine seculi non à Chri sto, sed à Deo exercendum esse non negat. Illi tame iudicio Christum, ut omnium post Deum maximum ac seipsum, ac gentis suæ præsidium affuturum, væsa nit. Inferni ornamenta, qualia sibi libuit, & qualia ad invenire magnum pseudoprophetam decuit, describ t Paradisum non societatis Angelicæ, nec visionis divi næ, nec summi illius boni, quod nec oculus vidit, ne auris audivit, nec in cor hominis ascendit: sed vere ta lem, qualem caro & sanguis, imò fæx carnis & san guinis concupiscebat, qualemque sibi parari optabat depinxit. Ibi carnium & omnigenorum fructuum esum ibi lactis & mellis rivulos, & aquarum splendentium

ib

A ibi pulcherrimarum virginum & mulierum amplexus, & luxus, in quibus tota eius paradisus finitur, sectatoribus suis promittit. Inter ista omnes pene antiquarum hæresium fæces, quas diabolo imbuente sorbuerat, revomens, cum Sabellio Trinitatem abnegat: cum suo Nestorio Christi divinitatem abiicit, cum Manichæo mortem Domini diffitetur, licet regressum eius non neget ad cœlos. His & similibus non acquisitionis, sed perditionis, populum imbuens, à Deo plenissimè avertit. Et ne Evangelicus sermo ultra in eis possit habere locum, velut omnia quæ sunt Evangelij & Christi scientibus, cordis eorum aditum ferreo impietatis obice obturavit. Circumcisionem insuper velut ab Ismaële gentis illius primo sumptam, tenendam esse docuit. Et super hæc omnia, quo magis sibi allicere carnales mentes hominum posset, gulæ ac libidini fræna laxavit, & ipse simul decem, & octo uxores habens, atque multorum aliorum uxores, velut ex responso divino, adulterans, maiorem sibi, velut exemplo prophetico, numerum perditorum adiunxit. Et ut non ex toto inhonestus proderetur, studium eleemosynarum, & quædam misericordiæ opera commendat, orationes collaudat. Et sic undique monstruosus, ut ille ait, humano capiti cervicem equinam & plumas avium copulat. Qui quoniam suadente iam dicto Monacho, ac præfatis Iudæis, idololatriam ex toto & reliquit, & relinquendam quibus potuit persuasit, atque unum Deum, Deorum multiplicitate relicta, colendum esse prædicavit, hominibus agrestibus & imperitis inaudita dicere visus est. Et quia rationi eorum hæc prædicatio concordabat, Propheta Dei primo ab eis creditur. Dehinc processu temporis & erroris in Regem ab eis, quod concupierat, sublimatus est. Sic bona malis permiscens, vera falsis confundens, erroris semina sevit, & suo partim & maximè post suum tempus segetem nefariam igne æterno concremandam produxit. Nam statim Romano languescente, imò penè deficiente imperio, permittente eo per quem Reges regnant, Arabum vel Saracenorum hac peste infectorum surrexit principatus. Atque vi armata, maximas Asiæ partes, cum tota Africa, ac partem Hispaniæ paulatim occupans, in subiectos sicut imperium, sic & errorem transfudit. Hos licet hæreticos nominem, quia aliqua nobiscum credunt, in pluribus à nobis dissentiunt: fortassis rectius paganos aut ethnicos, quia plus est, nominarem. Quia quamvis de Domino vera aliqua dicant, plura tamen falsa prædicant, nec baptismati, sacrificio pœnitentiæ, vel alicui Christiano sacramento, quod nunquam ullus, præter hos hæreticos fecit, communicant. Summa vero huius hæresis intentio est, ut Christus Dominus, neque Deus, neque Dei filius esse credatur: sed licet magnus, Deoque dilectus homo tamen purus, & vir quidem sapiens, & Propheta maximus. Quæ quidem olim diaboli machinatione concepta, primo per Arrium seminata, deinde per istum Satanam, scilicet Machumet, provecta, per Antichristum vero ex toto secundum diabolicam intentionem complebitur. Cum etiam dicat beatus Hilarius, Antichristi originem in Arrio extitisse. Dicit quod ille cœpit, unum † filium Dei Christum esse negando, & creaturam esse dicendo: Antichristus tandem nullo modo illum Deum vel Dei filium, sed nec etiam bonum hominem fuisse asserendo consummaturus est. Merito impiissimus Machumet inter utrumque medius, à diabolo provisus ac præparatus esse videtur, qui & Arrij quodammodo supplementum, & Antichristi peiora dictori apud infidelium mentes maximum fieret nutrimentum. Nihil quippe ita contrarium humani generis inimico, sicut fides incarnati Dei: per quem præcipuè ad pietatem excitamur, ex Sacramentis cœlestibus renovati, Spiritus sancti gratia operante, illuc, unde nos deiecisse gloriabatur, ad visionem scilicet Regis & patriæ nostræ ipso Rege, & conditore nostro Deo ad nostrum exilium descendente, nosque ad se meritum revocante, iterum redire speramus. Hanc pietatis & divinæ dispensationis fi-

Horatius in arte poetica.

† Verum vel, verbum.

E nem pariter & amorem, simpliciter ab initio in cordibus hominum molitur extinguere. Hanc etiam in principio adhuc nascentis Ecclesiæ, si tunc permitteretur, subtilitate versutissima, & penè hoc eodem modo quo postea gentem istam infelicissimam seducere permissus est, eradicare tentavit. Dicit etiam B. Augustinus Porphyrium Philosophum postquam à Christianitate miserabiliter apostatavit, hoc in libris suis, quos adversus Christianos edidit, retulisse, quod scilicet oracula Deorum consuluerit, & de Christo, quid esset, interrogaverit. Responsum verò à dæmonibus fuisse, quod Christus quidem bonus vir fuerit, sed discipulos eius graviter peccasse, qui ei divinitatem ascribentes, rem, quam ipse de se non dixerat, confinxissent. Quæ sententia pene iisdem verbis in istis fabulis invenitur sæpissimè. Quanta autem hæc diaboli subtilitas extitit, ut de Christo aliquid boni diceret? de quo si ex toto malè dixisset, nullatenus iam sibi credi sciebat, non curans quicquid Christus putaretur, dummodo divinitas, quæ maximè saluat homines, in illo non crederetur. Si quis plenius vult intelligere, legat 18. librum eiusdem Patris Augustini, & 19. de Civitate Dei, & 1. de Consensu Evangelistarum. Ibi enim, si boni ac studiosi ingenij est, coniiciet pro certo, & quid diabolus tunc machinatus sit facere, sed non permissus: & quid tandem occulto iudicio permittente, in hac sola miserrima gente fecerit relaxatus. Nullo enim modo tales fabulas, quales hic scriptæ sequuntur, aliquis mortalium, nisi diabolo præsentialiter cooperante fingere potuisset. Per quas post multa ridicula, & insanissima deliramenta, hic præcipuè omni modo Satanas intendit perficere, ne Christus Dominus Dei filius, & verus Deus humani generis esse conditor & redemptor credatur. Et hic est verè, quod per Porphyrium tunc persuadere voluit, sed per Dei misericordiam ab Ecclesia eo adhuc tempore Spiritus sancti fervente primitiis exsufflatus, tandem miserrimo homine isto Machumet, & ut fertur à multis, arreptitio & cadente, quasi instrumento & organo sibi aptissimo usus, proh dolor! gentem maximam, & quæ iam penè dimidia pars mundi reputari potest, secum in æternam perditionem dimersit. Quod quare isti permissum sit, ille solus novit, cui nemo potest dicere, Cur ita facis? & qui de multis vocatis paucos electos esse dixit. Vnde ego magis eligerem contremiscere, quam disputare. Ista breviter prænotavi, ut qui legit, intelligat. Et si talis est, qui contra totam hæresim istam scribere & velit & possit, cum quali hoste pugnaturus sit, agnoscat. Erit fortasse adhuc, cuius spiritum Dominus suscitabit, ut Ecclesiam Dei à magna, quam inde patitur, ignominia, liberet. Quia scilicet cùm omnes sive antiquas, sive modernas hæreses usque ad nostra tempora respondendo confutaverit, huic soli, quæ super omnes alias tam in corporibus, quàm in animabus infinitam humani generis ruinam dedit, non solum nihil respondit, sed nec quid tanta pestis esset, aut unde processerit, inquirere saltem vel tenuiter studuit. Nam & hæc tota causa fuit, qua ego Petrus sanctæ Cluniacensis Ecclesiæ minimus Abbas, cum in Hispaniis pro visitatione locorum nostrorum, quæ ibi sunt, demorarer, magno studio & impensis totam impiam sectam, eiusque pessimi inventoris execrabilem vitam de Arabico in Latinum transferri, ac denudatam ad nostrorum notitiam venire feci; ut quàm suspecta & frivola hæresis esset, sciretur, & aliquis Dei servus ad eam scripto refellendam, sancto inflammante Spiritu incitaretur. Quod quia, proh dolor! iam penè huiusmodi studiorum sanctorum ubique in Ecclesia tepefacto fervore, non est qui faciat: (expectavi enim diu, & nõ fuit, qui aperiret os, & zelo sanctæ Christianitatis moveret pennam, & ganniret) ego ipse, saltem si magnæ occupationes meæ permiserint, quandoque id aggredi, Domino adiuvante, proposui. Simpliciter tamen, à quocunque altero melius, quam à me deterius, hæc fieri, gratum haberem.

A

ROBERTI
# RETENENSIS
## PRÆFATIO IN LIBRVM LEGIS SARACENORVM, quam Alcoran vocant, à se translatum.

B

### AD DOMNVM PETRVM Abbatem Cluniacensem.

*Domino suo Petro divino instinctu Cluniacensi Abbati, Robertus Retenensis suorum minimus in Deo perfectè gaudere.*

VBi sæpius, atque † serio, percepi, qualiter, quantumve tuus animus solius & totius boni studiosus, sitivit sterilem paludem Saracenæ sectæ nondum visæ, fertilem efficere, suumque puteum exhaurire, propugnaculaque prorsus dirvere: ego peditis tantum officio prævij functus, vias & aditus diligentissimè patefeci. Quis enim gressum dilatabit? Quis non citissimè curret, ut hostis errorem, ipsumque victum, semetipsum autem tenere sententiam ubique firmam atque victricem agnoscat? Latinitas tamen omnis huc usque non dicam perniciosis incommodis ignorantia, negligentiave pressa, suorum hostium causam & ignorare, & non depellere passa est. Tua vero pervigil providentia, sanctissimos, & prælectos

C

Ecclesiæ Doctores semper aspiciens, hoc nullatenus noluit. Cum illum itaque Patrem atque doctorem, cuius omnis hæreditas omni pro sua facultate venalis statuitur, ut discipulus atque filius imiteris: nusquam alias reflexus, speravi me, licet omnium tuorum minimum, tuam gratiam promereri posse, si mundani somnij, militiæque voto postposito, tuis studiose nutibus invigilarem. Vnde quamquam te velut alumnum, & hæredem sapientiæ cohors sapientium circumflua constipet, suas manus tuis nutibus benignè conferens, quorum conventu me minimè dignum adhuc sentio, vestrum tamen munusculum, puteum præsignatum pandens, saltem semel non obliquè tuus perspicax intuitus, quæso, dignetur aspicere. Quanquam enim in effragili fulcitum ingeniolo plura præcesserunt incōmoda, tum hinc eloquij penuria, illinc scientiæ tenuitas, tum id quod ad nil agendum est efficacius, socordiæ videlicet, negligentiæque mater desperatio multiplex ob translationis nostræ vilem & dissolubilem, ac incompaginatam materiam, pro sui modo prorsus, Arabico tantum semoto velamine, tuæ maiestati præbendam, non minus tamen obnixè tuum obsequium aggressus sum:

D

confisus nil effectu quassari, quo tuum votum igne divino plenum adspirat. Lapides igitur & ligna, ut tuum deinde pulcherrimum & commodissimum ædificium coagmentatum, & indissolubile surgat, nil excerpens, nihil sensibiliter, nisi propter intelligentiam tantum, alterans, attuli: Machumetique fumum, ad ipsius tuis follibus extinctum, & puteum ad illius exhaustum tuo vase, ignisque vestri tuo ventilabro fomentum atque fervorem, nostrique fontis eductu tuo discursum, patefeci. Ius igitur exigit, ut hostium castrum, imo caveam delendo, puteum exsiccando, cum tu sis dextera mundi pars optima, eos religionis acutissima, charitatis manus largiflua, tuorum munimen corrobores, tela diligenter acuas, fontemque suum fortius emanare, suæque charitatis vallum pro-

E

tensius atque capacius efficias. Si quis me vtilitatis & incompositionis rerum atque verborum arguat, licet iustè forsan: obsecro tamen, ut cesset, sciens meum nunquam hic fuisse propositum, floribus venenum tegere, remque vilem & abiiciendam deaurare. Quod & animi tui lux admirabilis, mira fecundia pollens, manu fortissima vigens, mihi inde sæpius & studiose deliberanti, summatimque dicere volenti clarificavit. Lex tamen ista, licet lethifera multis in locis, maximum testimonium, argumentumque firmissimum sanctitatis & excellentiæ nostræ legis, videntibus & electis præbet. Istud quidem tuam minime latuit sapientiam, quæ me compulit interim Astronomiæ Geometriæque studium meum principale prætermittere. Sed ne procemium fastidium generet ipsi finem

F

impono, tibique cœlesti, cœlum omne penetranti, cœleste munus voveo, quod integritatem in se scientiæ complectitur. Quæ secundum numerum, & proportionem, atque mensuram, cœlestes circulos omnes, & eorum quantitates, & ordines, & habitudines, demum stellarum motus omnimodos, & earumdem effectus atque naturas, & huiusmodi cætera diligentissime diligentibus aperit, nunc probabilibus, nonnunquam necessariis argumentis innitens.

*Totam ipsam Alcorani Translationem hic attexere, superfluum. Confutavit eam & ipse Petrus Venerabilis Libris quinque; quos, quia necdum, licet diligenter quæsiti, reperiri potuerunt, Lector hic etiam desiderabit.*

† sed.

SANCTI PETRI
# MAVRICII
## DICTI VENERABILIS ABBATIS CLVNIAC. IX. Epistola siue Tractatus,

G

*ADVERSVS PETROBRVSIANOS Hæreticos.*

### PRÆFATIO.

*Dominis & Patribus, Magistris Ecclesiæ Dei, Arelatensi, Ebredunensi Archiepiscopis, Diensi, VVapicensi Episcopis, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, Salutem & obsequium.*

SCripsi nuper Epistolam reverentiæ vestræ, contra hæreses Petri de Bruis disputantem, sed

H

innumeris & magnis negotiis à dictando animum, à scribendo stylum retardantibus, huc usque mittere distuli. Mitto nunc tandem eam prudentiæ vestræ, ut per vos hæreticis, contra quos scripta est, & etiam Catholicis, quibus forsitan prodesse poterit, innotescat. Vobis eam mitto, quoniam in partibus vestris, aut circa easdem, stulta illa & impia hæresis more pestis validæ multos interfecit, plures infecit, sed gratia Dei concitante & adiuvante studia vestra, à vestris regionibus sese paululum removit. Migravit tamen, sicut audivi, ad loca satis vobis contigua, & à Septimania vestra, vobis persequentibus, expulsa, in provincia Novempopulana, quæ vulgo Gasconia vocatur, & in partibus ei adiacentibus, sibi foveas præparavit. In quibus nunc se timore occultans, nunc de ipsis audacia assumpta prodiens,

A quos potest decipit, quos potest corrumpit, & nunc istis, nunc illis, lethalia venena propinat. Vestrum est igitur, ad quos præcipuè tam ex officio, quam ex singulari scientia in partibus illis cura Ecclesiæ Dei spectat, & quibus ipsa velut fortibus columnis maximè innititur: vestrum est, inquam, & à locis illis, in quibus se latibula invenisse gaudet, & prædicatione, & etiam si necesse fuerit, vi armata per laicos exturbare. Sed quia maiorem operam eos convertendi quam exterminandi, adhibere Christianam charitatem decet, proferatur eis auctoritas, adhibeatur & ratio, vt si Christiani permanere volunt; auctoritati: si homines, rationi credere compellantur. Proderit eis fortassis ad ista, si attendere voluerint, ea, quam vobis contra ipsorum errores scripsi, Epistola, & si contentiosi & pertinaces esse nolunt, fortassis ea studiose perlecta, licet valde desipuerint, à tanti erroris stultitia resipiscere poterunt. Quod si in reprobum sensum dati fuerint, B & magis desipere quam sapere, perire quam saluari, mori quam vivere elegerint, satisfaciet forsitan lecta Epistola occultis aliquorum Catholicorum cogitatibus, & mentes eorum aut ab ignoto hominibus fidei languore sanare, aut contra eos, quorum lingua a Propheta gladius acutus dicitur, præmunire poterit. Hoc enim quod in vltimo posui, maior mihi fuit causa scribendi, vt & si hæreticis scriptura illa prodesse non posset, Ecclesiæ tamen Dei aliquibus vtilitatibus inserviret. Nam istud, sicut sapientiæ vestræ notum est, per retroacta secula semper facere consuevit, vt de tot tantisque hæresum varietatibus, quæ eius synceritatem frequenter fermentare conatæ, nullam vnquam silentio præteriret, sed ad cautelam sui, & ad perpetuam omnium instructionem auctoritatibus sacris & etiam rationibus, omnium hæreticorum blasphemias expurgaret. Quod ego, licet de minimis corporis Christi, hoc est, eius Ecclesiæ membris, ista scribendo nisus sum, vt quod scripsi, hæreticis, si fieri posset, prodesset: Catholicos, in quorum manus incideret, contra nefandum dogma vel similia, cautiores redderet. Et quia primi erronei dogmatis semina a Petro de Bruis per viginti fere annos sata & aucta, quinque præcipua & venenata virgulta produxerunt, contra illa maxime, vt potui, egi, vt circa ea se animus & verba intentius occuparent, C in quibus maior fidei læsio, maius monstrabant esse periculum. Vnde quoniam opus ipsum diffusius est, nec vobis circa plurima Ecclesiæ negotia occupatis, longum forte legendi spatium datur: breviter capitula illa replico, & contra quos errores longa illa illius Epistolæ series agat, ostendo.

Primum hæreticorum Capitulum, negat paruulos infra intelligibilem ætatem constitutos, Christi baptismate posse saluari, nec alienam fidem posse illis prodesse, qui sua vti non possunt, quoniam iuxta eos, non aliena fides, sed propria cum baptismate saluat, Domino dicente, *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur.* Marc. ult.

Secundum Capitulum dicit, templorum vel Ecclesiarum fabricam fieri non debere, factas insuper subrui oportere, nec esse necessaria Christianis sacra loca ad orandum, quoniam æquè in taberna & in Ecclesia, in foro & in templo, ante altare vel ante stabulum invocatus Deus audit, & eos qui merentur exaudit.

Tertium Capitulum, cruces sacras confringi præcipit, & succendi, quia species illa vel instrumentum, D quo Christus tam dirè tortus, tam crudeliter occisus est, non adoratione non veneratione, vel aliqua supplicatione digna est, sed ad vltionem tormentorum & mortis eius, omni dedecore dehonestanda, gladiis concidenda, ignibus succendenda est.

Quartum Capitulum non solum veritatem corporis & sanguinis Domini quotidie & continue per sacramentum in Ecclesia oblatum negat, sed omnino illud nihil esse, neque Deo offerri debere decernit.

Quintum Capitulum sacrificia, orationes, eleemosynas, & reliqua bona pro defunctis fidelibus à vivis E fidelibus facta, deridet, nec ea aliquem mortuorum vel in modico posse iuvare affirmat. His quinque Capitulis, provt Deus dedit, in illa sanctitati vestræ à me missa Epistola respondi: & qualiter perfidorum impietas, aut converteretur, aut confunderetur, & etiam piorum credulitas firmaretur, vtcumque sategi.

Sed post rogum Petri de Bruis, quo apud sanctum Ægidium zelus fidelium flammas Dominicæ Crucis ab eo succensas, eum concremando vltus est, postquam plane impius ille igne ad ignem, de transeunte ad æternum, transitum fecit, hæres nequitiæ eius Heinricus cum nescio quibus aliis doctrinam diabolicam non quidem emendauit, sed immutauit, & sicut nuper in Tomo, qui ab ore eius exceptus dicebatur, scriptum vidi, non quinque tantum, sed plura Capitula edidit. Contra quæ animus accenditur rursus agere, & verbis dæmonicis, divinis sermonibus obuiare. Sed quia eum ita sentire vel prædicare nondum mihi plene fides facta est, F distuli responsionem, quousque & horum quæ dicuntur, indubiam habeam certitudinem. Quod si forte inde per cautæ inquisitionis vestræ sapientiam certificari mererer, darem quam possem operam, vt mortis calix, quem miserrimi hominum consimilibus miseris propinant, iam ex aliqua parte exhaustus est, per innovatas responsiones omnino residuis fæcibus exhauriretur. Interim si placet, Epistolam ad vtilitatem legentium editam, & per vos his quibus necesse fuerit tradendam, sicut tempus & locus se obtulerit, notam facite, vt sicut dixi, aut aliquos hæreticorum, contra quos scripta est, corrigere, aut Catholicos, pro quibus scripta est, in his & similibus, cautiores reddere valeat. Si cui vero eam transcribere placuerit, hanc etiam minorem Epistolam loco Præfationis anteponere non omittat, quia in hac totius illius magni operis & causa & materia breuiter indicantur.

## INCIPIT EPISTOLA.

*Præclaris & in Christi corpore plurimum honorandis Dei Sacerdotibus, Gullelmo Ebredunensi, Vldrico Diensi, Gullelmo Vapincensi,* G *Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, salutem.*

QVoniam inter omnes totius Prouinciæ Septimaniæ, seu Alpium maritimarum Episcopos religione, scientia, eruditione, ac pastorali sollicitudine divina dispositio specialiter per vos Pontificale cacumen exornat: insedit animo reverentiam vestram & singulari præ cæteris semper affectu excolere, & motus animi vobis familiarius aperire. Moueri me nullo temporalium rerum commodo, nullo ad præsens incommodo suspicemini, sed illam motus huius totam causam esse sciatis, quæ & vos sæpenumero mouit, & propter quam vestra pastoralis sollicitudo non parum hactenus laborauit. Vnde gratias Deo, qui laborem vestrum non omnino irritum fecit, sed sicut ipsa rerum experientia docet, inimicos fidei Christianæ, & idcirco hostes salutis humanæ, vestris sudoribus pene deleuit. Pene, inquam, deleuit, quoniam nuper per diœceses vestras iter faciens, sicut ex plurima parte erroneum dogma cum suis auctoribus à Provinciis illis expulsum H reperi, ita nonnullas eius reliquias, in multis, sed occultis, non tam defensoribus quam susurratoribus inveni contritum colubri caput, victrici rursum calcaneo insidiari, & nefandum guttur in necem hominum reparata venena frequentibus sibilis præsagari. Quod in talibus exercitatis animis vestris non est aliquatenus contemnendum, quia multo citius rebus pessimis quam optimis incrementa succedunt, longe facilius & feracius zizania diaboli quam triticum Dei in eius agro sese dilatat. Nec quia semel deiectus creditur, velut nil vltra ausurus hostis pertinax contemnatur,

quoniam

A quoniam secundum Poetam, Victorem à victo superari sæpe videmus, & febrem diuturno medicorum labore ab ipsis medullis exclusam, acrius irrepsisse, & plerumque animam extorsisse prima languentis seu medentis incuria, sæpius experti sumus. Oportet quidem quod non docens, sed consulens dico, adversus multiformes luporum insidias pastoralem oculũ vigilare, & ne in aliquo grex Dominicus lædatur, irrequieto studio satagere. Sed longe studiosius morsus ille ab ovili Christi repellendus, multo vehementius dens ille belluinus pastorali baculo conterendus, qui oves eius non quærit laniare, sed iugulare, non crus frangere, sed strangulare. Hæc est illa non qualiscumque læsura, sed ipsius totius salutis iactura, quam illi præ aliis incurrunt, qui ab itinere rectæ fidei aberrantes, per devia errorum in barathrum profundæ perditionis ruunt. Si res agitur de adulterio, si de furto, si de fraude, si de

B homicidio, si certe de quolibet alio crimine lis exorta fuerit, fide integra permanente, ad vitam aditus per

Abac. 2. & Rom. 1. eam patebit. Nam si secundum scripturam iustus ex fide vivit peccator ad vitã per fidem redibit. Nec obesse illi poterunt quantalibet suscepta vulnera, cui vita fidei,

Luc. 10. quæ per dilectionem operatur, fuerit, reservata. Inde vulneratus à latronibus curari potuit, quia non ex toto mortuus, sed post vulnera peccatorum, fidei vita vivus remansit. Qui si & fidem cum operibus perdidisset, curationis spes vlterius nulla fuisset. Novi equidem quod & infidelis etiam post apostasiam sæpe fidem resumit, sed dum infidelis permanet, quo post pericula recurrat, non habet. Hinc filij Edom Hierusalem per-

Ps. 136. sequentes, dicunt: *Exinanite, exinanite, vsque ad fundamentum in ea.* Exinanitur enim vas quodlibet liquore suo, sed non vsque ad fundamentum, quando peccator quilibet, etsi malis supervenientibus, bonis prioribus diminuitur, vsque ad fundamentum fidei non vacuatur. Quod si & illud exhauritur votis iam hostilibus adimpletis, immundis spiritibus, Deo prorsus Hierusalem vacuata repletur. Liberet in laude fidei diutius immorari, vt & maxima eius vtilitas, & pessima ei detrahentium impietas clarius elucerer, vt quanto ea laudabilior, tanto ei contradicens hæreticus damna-

C bilior appareret. Sed quia scripturarum campi eius vbique floribus respersi sunt, reprimendus est stylus, ne si in superfluis moratus fuerit, ad necessaria tardus veniat. Superfluum vero idcirco dixi de laude fidei disputationem, quia quod omnibus pene fidelibus notum est, velut de re ignota diutius tractare superfluum est. Quis enim tam surdus vt non audierit: quis tam lethargicus vt non meminerit, Christum in Evangelio frequentibus fidem laudibus extollentem, & pene assidue,

Luc 8. Mat. 17. Marc. 11. Mat. 1. Ioan. 14. Ioan. 14. Heb. 11. Psal. 32. Esa 7. infirmis peccatoribus, ac singulis dicentem: *Fides tua te salvum fecit?* & discipulum: *Si habueritis fidem, dicetis monti, transi, & transibit.* & iterum, *habete fidem.* dicitur & Petro: *Modicæ fidei, quare dubitasti?* &, *qui non credit, iam iudicatus est,* &, *qui credit in me, opera quæ ego facio & ipse faciet, & maiora horum ipse faciet.* Quis literatus non à puero audivit Apostolum clamantem, *Sine fide impossibile est placere Deo?* Et Psalmistam: *Omnia opera eius in fide?* Et Esaiam: *Si non credideritis, non permanebitis?* Quis tonitrua Apostoli ad Hebræos obturata aure transire potuit? quibus fide testimonium consequutos fuisse senes, fide aptata esse secula verbo Dei fide plurimam hostiam Abel quam Cain

Heb. 11. obtulisse, fide Enoch translatum ne videret mortem,

D fide Noë responso accepto de his, quæ adhuc non videbantur, aptasse arcam in salutem domus suæ, fide Abraham obedisse & Isaac obtulisse cum tentaretur, & universos quicunque fuerunt ab initio seculi vsque ad tempus gratiæ sanctos, per fidem devicisse regna, operatos iustitiam, adeptos repromissiones, copiosissimè narrat. Quosdam vero ex ipsis fide obturasse ora leonum, extinxisse impetum ignis, effugasse aciem gladij, convaluisse de infirmitate, fortes factos in bello, alios ludibria & verbera, vincula & carceres expertos, lapidatos, sectos, tentatos, in occisione gladij mortuos, alios circuisse in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiatos, afflictos, & reliqua. Post quæ omnia ita laudem fidei concludit. *Et hi, ait, omnes testimonio fidei probati non acceperunt repromissiones, Deo pro nobis aliquid melius providente ne sine nobis consummarentur.* Et post quædam: *Curramus,* inquit, *propositum iter, aspicientes in auctorem fidei & consummatorẽ Iesum.* Hæc breviter venerandi Patres & Sacerdotes Domini de sacræ fidei laude atque profectu, non tam explicaui quam commemoraui, vt ex paucis istis plurima doctis mentibus vestris occurrant, & quantum malum tanto bono neglecto sequatur, advertant. Quod vos iam plus nimio expertos esse, nullum fere occidui orbis angulum latet: quando ad iniuriam divinitatis & contemptum sacræ legis, novo & apud Christicolas inaudito scelere, in partibus vestris populi rebaptizati, Ecclesiæ prophanatæ, altaria suffossa, cruces succensæ, die ipso passionis dominicæ publicè carnes comestæ, sacerdotes flagellati, monachi incarcerati, & ad ducendas vxores terroribus sunt ac tormentis compulsi. Et harum quidem pestium capita, tam divino auxilio quam Catholicorum Principum adiutorio à vestris regionibus exturbastis: sed supersunt, vt iam dixi, membra, lethifero adhuc, sic ipse nuper sensi, veneno infecta, ad quæ curanda Dei est misericordia invocãda, & vestra medicinalis diligẽtia adhibẽda. Quod fortassis fieri poterit si post alia sapientiæ vestræ concilia, inquantũ decuerit auctoritas religiosis, ratio curiosis non defuerit. His enim duobus omnis tam divinarum quam humanarum rerum quæstio soluitur, vt iam non homo, sed bestia dici possit, quisquis auctoritati vel rationi non cedit. Et propter quoniam veritatis discipulis Apostolica voce præcipitur *vt parati sint reddere rationem omni poscenti de ea quæ in nobis est, spe & fide,* visum est mihi ratione, & maxime auctoritate, cui præcipue fides innititur, hæreticis calumniis respondere, ne si nemo responderit, iacient vel æstiment erronei homines, non consilio, sed respondendi inopia Catholicos siluisse. Et quidẽ doctis iã & eruditis in fide Christiana, nostris temporibus, magis contemptui habenda quam responsione digna, hæresis nefanda videretur, nisi & publica pericula & animarum damna, & pertinax erroris ipsius iam per viginti annos perseverantia, non dissimulandam, sed increpandam, convincendam ac detestandam admonerent. Incitat magis ad hæc, & velut adiectis dorso stimulis acrius instigat fama nuper relata, quod scilicet anguis lubricus de regionibus vestris elapsus: immo vobis prosequentibus expulsus ad Narbonensem Provinciam sese contulerit, & quod apud vos in desertis & villulis cum timore sibilabat nunc in magnis Conventibus & populosis Vrbibus audacter prædicat. Putabam Alpes gelidas, & perpetuis nivibus opertos scopulos incolis vestris barbariem invexisse, & dissimilem terris omnibus terram dissimilem cæteris omnibus populum creasse: itaque agrestibus & indoctis hominum moribus, peregrinum dogma facilius irrepsisse. Sed hanc opinionem meam vltima rapidi Rhodani littora, & circumiacens Tolosæ planities, ipsaque vrbs vicinis populosior exputgat, quæ adversus falsum dogma tanto cautior esse debuit, quanto assiduitate frequentantium populorum, & experientia multiplicium doctrinarum doctior esse potuit. Suscepit enim, quod non improperans, sed condolens, non bonis detrahens, sed malos à malis extrahere cupiens dico: suscepit, inquam, nobilis ex se ignobilis ex errore civitas, contra Christũ Antichristi præambulos, & oblita divini lactis, quo imbuta, quo enutrita, quo in robur virile provecta est, aquas furtivas dulciores, & panem absconditum suaviorem iudicauit. *Non est recordata,* iuxta Prophetam, *dierum adolescentiæ suæ,* nec tantorum testium Christi in se fusis cruoribus fidei Christianæ testificantibus acquieuit: sed facta est quasi mulier fastidio augens precium, quem super virum suum inducit alienos. Et oves Christi, hæccine de vobis meruit Pastor vester

A qui posuit animam suam pro vobis? Hæccine de vobis meruit, qui reliquis nonaginta novem ovibus in deserto, venit quærere & saluum facere quod perierat? Ista de vobis sanguine suo lucratus est, vt dimisso bono Pastore, lupis rapaciter vos dissipantibus adhæreatis? Sed quid ego vos oves nomino, nisi forte vt illos, de quibus dicitur: (Psal. 48.) *Sicut oves in inferno positi sunt, mors depascet eos?* Nam si vere simplicitas & obedientia oviũ Christi in vobis perseuerasset, à lupis refugeretis, ad Pastorem confugeretis, impleretur in vobis vox ipsius Pastoris dicentis: (Ioan. 10.) *Oves meæ vocem meam audiunt, & ego Dominus agnosco eas, & sequuntur me, & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea.* Qui & de lupis vel mercenariis ait: *Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo, neque audiunt vocem alienorum.* Et ô miseri quicunque estis homines, qui omni veritate & grauitate vacuati, vanitate & leuitate omnem paleam & stipulam supergressi, circumferimini omni vento doctrinæ (Ephes. 4.), B & ad singula novarum spiramenta aurarum, nil solidum vel stabile habentes, vt sidera, secundum Iudam Apostolum errantia (2 Thess. 2.), per errorum passim inania raptamini. Si mortis periculum & vltima necessitas vos vrgeret, si cruentus persecutor ignibus, gladiis, & tormentis, vt olim, excogitatis instaret, si ipse, cuius est adventus in omni virtute, signis & prodigiis mendacibus, qui aureis aggeribus sanctorum paupertatem, qui seculi luxibus frugalitatem, qui tormentis constantiam, qui miraculis fidem, longe aliis ferocius persecuturus est, vrgeret: quid vos? Quid vos, inquam, qui ad leuis auræ spiritum arundinea fragilitate movemini, quando tantos turbines, annosas etiam quercus, & elatas in cœlum abietes auellentes, immoti pateremini? Quando vos pro Christo vero sapientibus Græcis, potentibus Romanis, crudelibus Persis, prodigiosis Antichristi temporibus resisteretis: qui non multis gentibus, sed duobus tantum homuncionibus, Petro de Bruis, & Heinrico eius pseudo-Apostolo tam facile cessistis? Quorum nulla vos sapientia conuicit, nulla C potentia subegit, nulla torméta terruerunt, nulla vel magica torméta deceperunt. Sed facti estis velut (Osee 8.) *columbam seducta non habens cor*, & velut bos ductus ad victimã (Prou. 7.), qui iãmque immolãdus bruto pectore ad morté velut ad pascua pinguia currit. Verum quia zelus domus Dei, & tam leviter desertus à Christianis Christus me paulũ digredi, & aliquantum extra metas currũ agere coegit: ad propositum stylus recurrat, & quod diu parturiuit, nunc tandem pariat. Vos igitur, vos, quos supra nominaui, magistri errorum, & cæci duces cæcorum, fæces hæresum, reliquiæ schismaticorum: vos ego, inquam, seductorum seductores convenio, & vt de latibulis vestris ad publicum nostrum prodeatis inuito. Non habet, vt vulgo dicitur, veritas angulos, nec lumen sub modio vult latere, nec ea quæ Catholica dicitur, amat fieri singularis, quia quæ per totum mundum Christi præcepto diffusa est, mundi partibus contenta non est. Venite à maritimis Septimaniæ ad vocem vos vocantis Ecclesiæ, & si quid, vt ipsi dicitis, pro ea, vel, vt nos credimus, contra eam affertis, edicite. Agam & ego econtra, non vt aliis sapientior, sed D forte vt effrenatior, paratus pro modulo meo veritati quæ innotuerit cedere, falsitati obuiare.

### *Prima Propositio novorum Hæreticorum.*

Mittens, inquiunt, Christus discipulos suos ad prædicandum, ait in Evangelio (Mar. 17.): *Ite in orbem universum, prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Qui vero non crediderit, condemnabitur.* Ex his Domini verbis aperte monstratur nullum nisi crediderit, & baptizatus fuerit, hoc est, nisi Christianam fidem habuerit, & baptismum perceperit, posse saluari. Nam non alterum horum, sed vtrumque pariter saluat. Vnde infantes, licet à vobis baptizentur, quia tamen credere obstante ætate non possunt, nequaquam saluantur. Ociosum igitur & E vanum est, quando eo tempore homines aqua perfunditis, quo carnem quidem eorũ à sordibus humano pro more abluere, sed animam à peccatis minime mundare potestis. Nos vero tempus congruum fidei expectamus, & hominem postquam Deum suum agnoscere, & in eum credere paratus est, non vt nobis imponitis, rebaptizamus, sed baptizamus, quia nunquam baptizatus dicendus est, qui baptismo, quo peccata lauantur, lotus non est.

### *Responsio contra id, quod dicunt hæretici, paruulos non posse baptizari.*

ET, ô docti homines, insipientibus & indoctis nunc tandem quod intelligere hactenus non potuerant exponentes, itane desipuere præterita secula, vt tot F millibus paruulorum per mille & eo amplius annos illusorium baptisma tribuerent, & à Christi temporibus vsque ad vos, non veros ei Christianos, sed phantasticos crearent? Siccine cæcatus est orbis terrarum, tantaque hucusque caligine involutus, vt ad aperiendos oculos suos, & ad tam diuturnam noctem illustrandam, post tot Patres, Martyres, Pontifices, & universarum Ecclesiarum Principes, vos tamdiu expectarit, & ad corrigendum longum errorem suum, Petrum de Bruis & Heinricum eius asseclam, velut Apostolos novissimos elegerit? Itane vsque ad novos seculi reparatores mundus periit, & apud filios lucis & veritatis omnia in tenebris & falsitate gesta sunt, vt cum pene omnes nostræ ætatis vel memoriæ in infantia baptizati sint, & Christianum nomen assumpserint, ac congruo tempore in diversis gradibus Ecclesiæ prælati sint, nullus Episcoporum Episcopus, nullus Presbyter, nullus Diaconus, nullus Clericus, nullus Monachus, nullus, vt sic loquar, ex tam innumerabili numero saltem Christianus fuerit? Nam qui Christi baptismate baptizatus non fuit, Christianus non fuit. Si G Christianus non fuit, nec de clero, nec de populo nec de Ecclesia esse potuit. Quod si ita est, quanta absurditas sequatur manifestum est. Cum enim tota Gallia, Hispania, Germania, Italia, ac universa Europa, à trecentis vel quingentis fere annis nullum nisi in infantia baptizatum habuerit: nullum Christianum habuit. Si nullum Christianum habuit, nec Ecclesiam habuit. Si Ecclesiam non habuit, nec Christum habuit. Si Christum non habuit, certum est quia periit. Periere igitur Patres nostri, quia in infantia non potuerunt Christi baptismate baptizari. Peribimus & nos, qui vivimus, qui residui sumus nisi post Christi, etiam Heinrici baptismate baptizemur. Detrahentur de supernis cœlorum vsque ad ima infernorum innumerabiles Sancti, quos in infantia baptizatos, & vita sanctitate, & mundus testimonio, & divinitas miraculis commendarat. Efficientur collegæ dæmonum, qui erant socij Angelorum, & qui iam propriis laboribus æternam perceperant vitam in mortem subito ruent perpetuam. Dies festi nostri convertẽtur in luctũ, H sabbata in opprobriũ, honores in nihilũ. Quis ista ferat? quis audiat? quis nõ aut aures obturet, aut in novos hæresiarchas cũ toto, qué damnare laborant, mundo insurgat? Sed venite, venite, inquam, ad me vos, cum quibus mihi sermo est, venite & resipiscite à tanto prodigio, magisq; eligite ab Ecclesia Dei discere vera, quã per errores spiritũ docere falsa. Discite paruulis nostris nullatenus fidem, qua saluentur, deesse, quia non possunt dici filij infideles, pro quib. interuenit matris Ecclesiæ fides. Sed scio quia hoc deridetis, & aliena fide aliũ posse saluari, cum multa inter rusticos & imperitorum greges subsannatione negatis. Ad quam vestram brutam & impiam hæresim refellendam, innumera mihi doctorum Ecclesiasticorum testimonia suffragantur, sed vestra auctoritas & sapientia tanta est, vt eos coram

producere

producere non præsumam, maxime cum didicerim, Hilarium, Ambrosium, Augustinum, Hieronymum, Leonem, Gregorium, & cæteros iudicio maiestatis vestræ esse damnatos. Cumque Doctores omnes & à cathedra Doctorum, & a regno cœlorum excluseritis, nescio si Græcis vel alterius linguæ hominibus pepercistis. Quod si forte vel illi subtilitate vestri examinis peremptoriam sententiam euadere potuerunt, mihi quid? Quantum ad præsens negocium spectat, aut parum aut nihil prodest, cum homo tantum Latinus, peregrinæ linguæ, quam ignoro, testimoniis, quibus vos aut convertere possim aut convincere, vti non valeam. Viderint Catholici huius operis lectores, quid pro solo isto, quod nunc commemoraui Capitulo, mereamini, qui Ecclesiam Dei armis suis spoliare, & inter hostes inermem constituere decreuistis, immo quantum ad vos iam telis & gladiis hostibus exposuistis. Sed quoniam non invehendi, sed disputandi ad præsens contra vestros errores officium suscepi, reprimendus est sermo, & vobiscum mansuetudine pariter & ratione agendum. Vnde quia sanctis Ecclesiæ Doctoribus fidem præbere dedignamini, ad purissimum eorum omnium fontem iam est revertendum, & de Evangelicis, Apostolicis seu Propheticis ... testimoniis, si tamen vel illa suscipitis, ... Videamus, vtrum hi, qui tantis orbis terrarum Magistris non cedunt, saltem Christo, Prophetis, vel Apostolis adquiescant. Hoc ideo dico, quoniam nec ipsi Christo, vel Prophetis, aut Apostolis, vos ex toto credere fama vulgauit, ipsi quoque ministrati veteris, ac novi Testamenti, quæ tam ab antiquo totum orbem ... vos detruncare, si tamen verum est, indicauit. Sed quia fallaci rumorum monstro non facile assensum præbere debeo, maxime cum quidam vos totum diuinum Canonem abiecisse affirment, alij quædam ex ipso vos suscepisse contendant, culpare vos de incerto nolo, sed necessario totum Canonem, qui ab Ecclesia suscipitur, vos suscipere debere certis auctoritatibus probo.

*Probatio totius novi Testamenti ex Evangelio.*

SI enim, quod omnes affirmant, Evangelium etiam tantum suscipitis, necessario, vt dictum est, & reliqua omnia suscipietis. Nec enim potestis Evangelio credere, & de his, quæ idem Evangelium suscipit, dubitare. Et quoniam totus textus cœlestis oraculi, quo Deus aut per se, aut per alios homines locutus est, in veteri & novo Testamento continetur, veniat primo ad medium novum Testamentum, non quia prius est, sed quia dignius est. Quod ideo novum Testamentum dicitur, quia sicut vetus vituli morte & sanguine dedicatum est, ita novum morte & aspersione sanguinis Iesu Christi consecratum est. Eius principium sanctum est Evangelium, cui sicut Catholici, sic & vos, vt fama consonans probat, integram fidem, & debitam reverentiam exhibetis. Ea propter tam apud vos, quam apud nos in sua diuina & stabili dignitate manente, ad Evangelicos & Apostolicos libros sermo transeat, eosque ex ipso Evangelio Evangelicos, vt dixi, & authenticos comprobet.

Horum primus liber Actuum Apostolorum est, quem vere totum, Evangelicum, & post Evangelium præcipuæ auctoritatis esse, cum multa vndique consonent, hinc in primis & maximè ostenditur, quod non alium quemlibet, sed ipsum Evangelistam scriptorem habuisse probatur. Nam ille cæteris studiosior humanitatis Christi relator Lucas eum conscripsit. Fatetur hoc ipse in ipsius libri exordio, cum scribens Theophilo, ad quem & Evangelium ante scripserat, ait: (Act. 1) *Primum quidem sermonem feci de omnibus ô Theophile, quæ cœpit Iesus facere & docere, vsque in diem, qua præcipiens Apostolis per Spiritum sanctum quos elegit, assumptus est*, cuius primi sermonis, hoc est Evangelij exordium, tale est. *Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem rerum quæ in nobis completæ sunt, sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt & ministri fuerunt sermonis, visum est & mihi assecuto a principio omnia diligenter ex ordine tibi scribere Theophile, vt cognoscas eorum verborum, de quibus eruditus es, veritatem.* Hoc vt dixi, primi sermonis eius exordium est. Finis vero talis, qualem eum in secundo sermone se dixit fecisse. *Vsque in diem*, inquit, *qua præcipiens Apostolis per Spiritum sanctum quos elegit, assumptus est. Eduxit*, inquit, *eos foras in Bethaniam, & eleuatis manibus suis benedixit eis. Et factum est dum benediceret illis, recessit ab eis, & ferebatur in cœlum, & ipsi adorantes reversi sunt in Hierusalem cum gaudio magno, & erant semper in templo laudantes & benedicentes Deum.* Ecce & stylus idem vtriusque libri quo scribit, & persona eadem cui vtrumque librum scribit, & eadem materia de qua vtrumque scribit, luce clarius demonstrant, qualiter eadem sit persona quæ vtrumque conscribit. Eandem vero dixi materiam, quoniam sicut Christum in cælum assumptum in fine Evangelij iam narrat: sic de eadem assumptione quæ omiserat in Evangelio, in hoc suo secundo & vltimo sermone perfectissime supplet. Nam paululum retro rediens, & à Christi resurrectione incipiens, & quæ dixerat, iterat, & quæ non dixerat addit. Sed iam nunc non sollicito, vnde dubietas hæc quibuslibet Christianis animis, & saltem mediocriter doctis innasci potuit, cum liber iste, sicut omnibus eum legentibus patet, licet non nominetur Evangelium, eius tamen omnia Evangelica sint. Nam post expositos in Evangelio actus, & verba Iesu Christi, & eius multa in Evangelio promissa hic completa esse ostendit, & inde ad narrandos actus & sermones Apostolicos transit. Quod si aliquis tam stultus, aut infidelis, vel pertinax est, vt verbis eius non dico qualemcumque, sed integram & robustam fidem adhibere detrectet, ostendat, vt primo de prima ipsius libri parte loquar, vbi vel quando aduentus Spiritus sancti super Apostolos promissus à Christo impletus sit, vbi eum in igne descendisse, vbi vniuersarum linguarum eis gratiam contulisse, vbi tam solennem non solum a tota totius mundi Ecclesia, sed & ab ipsis Apostolis celebratam diem Pentecosten celebrari debere legerit, cum nisi libro huic auctoritas tribuatur, non dico Iudaica veteris legis, sed Christiana novæ legis Pentecostes perierit. Et vbi erunt verba veritatis tam frequenter prædicentis discipulis & promittentis, (Ioan. 15.) *Cum venerit Paracletus quem ego mittam vobis a Patre spiritum veritatis, qui a Patre procedit ille testimonium perhibebit de me?* (Ioan. 14.) Vbi est quod in eodem Evangelio de eodem Spiritu dicit: *Paracletus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia?* (Ioan. 16. Ioan. 14.) Vbi est, quod eos consolans ait: *Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos?* Vbi est quod item ait: *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum Spiritum veritatis?* Vbi quod per alium Evangelistam eosdem discipulos admonet? (Luc. vlt.) *Vos autem sedete in ciuitate quoadusque induamini virtute ex alto.* Si, inquam, sicut, dixi, liber iste abiicitur, & hæc vniversa promissa Christi irrita videbuntur: oportebit ergo aut veritatem fallacem fateri, quod vel cogitare, nedum dicere nefas est: aut vbi vel quando, tanta, tam solennis, tamque frequenter repetita promissio impleta sit, demonstrare. Necesse erit & illud probare, qualiter Apostoli & cæteri discipuli Christi præceptum eius illud vltimum, & generale implere valuerunt, quo eis iussum est: *Ite in orbem vniversum, prædicantes Evangelium omni creaturæ.* Necesse erit, inquam, probare, qualiter simplices idiotæ absque literis & vnius tantum, hoc est, Hebraicæ linguæ homines, & in ipsa pene elingues, tam multis, tam diversis, tam Barbaris vniversi orbis linguis, mundum à Christo regni æterni Evangelium prædicare potuerint. Quibus signis sensa sua alienis sensibus communicare valuerunt, si linguarum gratia eis à Spiritu sancto collata negatur, si nobile illud novi Testamenti miraculum contemnitur, si libro, vbi hæc scripta leguntur, non creditur? Negatur plane hæc collata

A Apostolis gratia, quando scripturæ, quæ sola illud continet, renunciatur. Nam qui libro illi absque exceptione se non credere dicit, & cunctis quæ liber continet, contradicit. Quod cum ita sit, dicant negatores scripturarum, vtrum silentio mundus ad fidem conversus sit. Nam quibus gentium linguas auferunt, eis vtique ne gentibus prædicent, silentium imponunt. Frustra igitur Christus ad prædicandum Evangelium diversis linguis & populis discipulos misit, si eos, vt prædictum est, elingues transmisit. Et quid est quod ait Psal. *In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum?* Quid est quod ipse Christus ait, *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine?* Quid est quod alibi idem ait: *Oportet Evangelium prædicari in toto mundo, & sic veniet consummatio?* Aut igitur negate Pentecosten Christianorum, negate Spiritum sanctum ea die Apostolis infusum, negate linguarum

Psal. 18. Mat. 10. Marc. 13.

B gratiam ab eodem Spiritu eadem die ipsis collatam: aut si hoc refugitis, scripturam ista referentem suscipite, & Ecclesiæ Dei, à qua hactenus descivistis, à modo concordate. Et licet hæc, quæ dicta sunt, ad vos convertendos, aut contemnendos sufficiant: redeat tamen pennæ stylus retrorsum, & de eodem libro Matthiam locum proditoris Apostolica electione complesse, & duodenarium numerum à Christo institutum, implesse demonstret. Quod vbi alibi factum esse legatur, vbi duodecimus iste Apostolus sorte divina vndecim Apostolis annumeratus, præter hunc librum inveniatur, si potestis, dicite, si non potestis quod credimus credite. Nullatenus enim auctoritas vel ratio patitur, vt Apostolicus à Christo electus, vt dixi, numerus mutilatus vel imminutus permanserit, maxime cum ipse Apostolis dixerit: *Sedebitis super sedes duodecim.* Qui cũ super duodecim ã sedẽ sacrilegum Iudã sessurũ non esse prævideret, vtique non ei successurum, nisi Matthiam prædicebat, eique Apostolicum solium præparabat. Quod si forte opponitis thronum illum duodecimum,

Mat. 19.

C ad quem electus proditor Iudas fuerat, Paulo Apostolo collatum, ne tantus Apostolus Apostolico throno carere videatur, respondete, Paulo in duodecima sede collocato, cum non nisi duodecim sedes à Christo promissæ videantur, quis Barnabæ, Timotheo, Silæ, cæterisque aliis prioris Ecclesiæ Apostolis sedes fabricare poterit? Non est in tantum artificij sui omnipotens artifex oblitus, vt præter illas duodecim sedes nullas etiam, si necesse fuerit, non valeat præparare. Nam neque soli illi, qui dicuntur Apostoli, cum Christo mundum iudicaturi sunt, dum quicunque mundum vere contempserit, ad mundum, quem contempsit, cum Christo & Apostolis iudicandum veniat. Vnde colligitur, & indubia ratione probatur, Matthia, de quo agitur, Apostolo promissæ duodecimæ sedi imposito, non inferiorem maximo Apostolorum Paulo præparatam, super quam in Christi iudicio sedeat, & nullo inferior mundum cum Christo iudicet. Necesse enim, vt si plusquam duodecim iudices ad iudicandum venturi sunt, etiam plusquam duodecim sedes multiplicatis iudicibus præparandæ sint. Oportebit ergò vos aut Matthiam Apostolum negare, aut librum, in

D quo solo Apostolatum meruisse legitur, suscipere. Veniat & primus novi Testamenti martyr Stephanus, quem in summa post Apostolos actoritatis arce, vt præcipuum testem Christi, ab ipso tempore Christi eius Ecclesia constituit: cuius vitam, doctrinam, exempla, miracula, passionem, cum nulla præter hanc scripturam historia referat, aut negate illum saltem fuisse, aut scripturam hanc vt divinam suscipite. Sed quo ausu negabitis, cum videatis nomen, famamque martyris terra, marique diffusam: nullumque in toto orbe angulum, nec inter ipsos infideles remansisse, vbi non nomen protomartyris Stephani resonet, aut cum veneratione apud Christicolas, aut cum admiratione apud Ethnicos. Hoc Græcus, hoc Latinus, hoc Barbarus, hoc Oriens, hoc Occidens confitetur. Occidens dico, cuius ex maxima parte principales Ecclesiæ huius martyris nomine, & moderno, & ab ipso pene Apostolo-

E rum tempore, immo vt fertur, ab ipsis Apostolis consecratæ, satis, supraque satis indicant, non contemnendam, non falsam, non apocrypham esse illam scripturam, cuius relatione sola, tantam dignitatis eminentiam apud vniversos Martyr ipse obtinuit. Quæ si negatur, honor, fama, simulque nomen tanti tamque famosi martyris annullatur. Necesse est igitur, vt præfatus sum, aut toti mundo Martyrem suscipienti contradicere: aut scripturam, per quam solam nomen meritumque Martyris eidem mundo innotuit, suscipere. Post hos ad roborandam magis magisque libri Evangelici dignitatem, veniat Apostolorum novissimus, sed omnium post Petrum Apostolorum maximus Paulus, & magis ostentui habendos quam saltem audiendos, tam divinæ historiæ contradictores ostendat. Cuius

F nomen famaque cum cœlum pariter ac terram impleverit: cum eius maximè laboribus & doctrina, magnum illud ac toti orbi dominans Romanum imperium Christo subiectum sit: cum vniversum mundum eius excellentior, clarior, ac sublimior prædicationis tuba, ad ipsum à quo aversus fuerat, mundi dominum converterit: cum eius nomen non magis apud homines famosum, quam apud dæmones formidolosum sit, teste illo qui exorcistis dicebat, *Iesum novi, & Paulum scio: vos autem qui estis?* dicite vos, dicite, inquam, huius, quod sæpe nominavi, voluminis negatores, vnde hunc tantum, tamque sublimem Apostolum habetis, qui librum, à quo pene solo eius notitiam mundus habet, negatis? Vbi enim, vel in quo alio libro textum eius conversionis, persecutionis, prædicationis, legistis, vel legere potestis? vbique eum cæcatum, illuminatum, baptizatum, totius mundi Apostolum constitutum, regibus, regionibus, Iudæis legatum directum, dicente Domino ad Ananiam, *Vas electionis mihi est iste, vt portet nomen meum coram regibus, & gentibus, & filiis Israel:* vbi planè ista omnia præter hunc Librum legistis, audistis, invenistis?

Act. 19.

Act. 9.

G Vbi eius vincula, flagella, naufragia, discursus, discrimina, pericula, fructus maximos periculorum, gentes innumeras ad Christum per ipsum conversas, nisi aut in hoc libro repperistis, aut de ipso ab aliis audistis? Sed quid de illa illius cum iudæis & gentibus apud Hierosolymam, quantum ad hunc librum spectat, vltima pugna, vbi in ipso templo comprehensus, verberatus, alligatus, cum ipsis vinculis ad vrbem caput orbis, cuius Apostolus erat, à tribuno ad præsidem, à præside ad Cæsarem missus est? Nam æquum erat, vt maximæ vrbi maximus Apostolus mitteretur, cuius miraculis & doctrina ex non minima parte in ipsa vrbe Roma Romanis conversis, prædicatione expleta, passione impleta ab ipsa vrbe velut in orbis vertice eius corpus perpetuò servaretur, & hæretica perfidia Apostolum, vel Apostolo non credentium tam insigni testimonio, convinceretur. Ecce vniversa hæc cogunt, ac violenter compellunt, quamlibet obstinatam perfidiam vestram, aut contra tanta divina & humana testimonia tantum Apostolum abiicere, aut eum Apostolum & eius historiam veracem confiteri. Nec illud

H omnino transeundum, vel negligenter prætereundum est, quod Petrus, Iacobus, Ioannes, ac cæteri Apostoli persecutiones in Evangelio à Christo promissas, hic singulariter experti esse legantur, dum dicit de eis illa scriptura. *Ibant gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu cõtumeliã pati.* Hic etiã, quod nusquam alibi legitur, circumcisioni servãdæ, sabbato colendo, sacrificiis & observãtus veteribus, Spiritus sancti auctoritate finẽ imposuerũt. *Visũ est*, inquiũt *Spiritui sancto & nobis, nihil vltra vobis oneris imponere, quam hæc necessaria, vt abstineatis ab immolatis simulacrorum, & à sanguine & suffocato & fornicatione, à quibus custodientes vos bene agetis.* Ecce non solum Gentiles, sed & ipsos ad fidem Christianam conversos Iudæos, à carnali observantia legalium præceptorũ exonerant, & qua auctoritate Iudæos si ad Christũ conversi

Act. 5.

Act. 15.

fuerint

A fuerint, Ecclesia non circumcidat, ostendũt. Cũ ergo auctoritas hæc, nusquã nisi hic præter Apostoli Epistolas, quibus forte non creditis, inveniatur: necesse jam vobis erit, aut Iudæos conversos circumcisioni & cæteris legis decretis subdere, aut libro, cujus lectio hoc prohibet, canonicam auctoritatem annuere. His universis auctoritatibus vel rationibus ostendimus, imò compellimus, sæpefato Actuum Apostolorum libro, vos dignitatem authenticam à modo exhibere, neque ultra Ecclesiæ Dei de eo non suscipiendo, vel in modico contraire.

Hinc ad ejusdem Apostoli Pauli, Iacobi, Petri, Ioannis, Iudæ Apostolorum Epistolas vel libros, in quibus scriptura novi Testamenti finitur, sermo transitum faciat, & eas Evangelicæ ac canonicæ dignitatis, congruis auctoritatibus vel rationibus probet. Et quia Pauli Epistolæ non solum majoris voluminis, sed & sublimioris doctrinæ sunt; licet non sic ordinentur in Canone, in hac tamen nostra disputatione eas cæteris anteponat. B Quod ex præcedenti libro primum probetur, ut quia ipse jam canonicus factus est, eas canonicas faciat: & non inferiorem, sed eandem prorsus, quam obtinuit, auctoritatem, eis conferat. Sed hoc fortasse clariùs ostenditur, si hujus & illarum verba non dissimilia, sibique invicem attestantia proferantur: Nam quod in illo suo libro Lucas de Paulo refert, hoc Paulus in Epistolis suis, diversis Ecclesiis & populis scribens, cõfirmat. Scribit Lucas ut supra dixi, Pauli persecutiones, conversionem, prædicationem, miracula, passiones. Fatetur eadem de se & Paulus, & pene quicquid de eo Evangelici hominis volumen replicat, idem totum Apostolica scriptura narrat. Et ut aliqua ad reliquarum rerum evidentiam testimonia proferantur, quod Lucas de persecutione ab eo facta, *Act. 9.* ait: *Saulus adhuc spirans minarum & cædis in discipulos Domini*, & reliqua: *1. Tim. 1.* hoc Paulus, *Qui prius*, inquit, *fui blasphemus, & persecutor, & contumeliosus.* *1. Cor. 15.* Et item: *Non sum dignus vocari Apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei.* C Quod Lucas de ejus conversione: *Domine, quid me vis facere?* & Dominus ad eum: *Surge & ingredere civitatem, & dicetur tibi quid te oporteat facere*: *Galat. 1.* hoc Paulus, *Cum autem complacuit ei, qui me segregavit ex utero matris meæ, & vocavit per gratiam suam, ut revelaret in me filium suum in gentibus*, & reliqua. *Act. 9.* Quod Lucas de ejus prædicatione: *Ingressus Paulus in Synagogas prædicabat* IESVM. Et item: *Loquebatur quoque gentibus & disputabat cum Græcis*, & mille talia: *Act. 15.* hoc Paulus, *A Hierusalem usque in Illyricum, replevit omnia Evangelio Christi.* *Rom. 15.* Quod Lucas de ejus miraculis: *Tacuit autem omnis multitudo & audiebant Barnabam & Paulum narrantes, quanta fecisset Deus signa & prodigia in gentibus per eos*: hoc Paul. *Non enim audeo*, inquit, *aliquid loqui eorum quæ per me non efficit Christus, inobedientiam gentium, verbo & factis, in virtute signorum & prodigiorum, in virtute Spiritus sancti.* *2. Cor. 12* Item in alia Epistola: *Tametsi nihil sum, signa tamen Apostolatus mei facta sunt super vos, in omni patientia, signis, & prodigiis, & virtutibus.* D Quod Lucas de ejus laboribus, *1. Cor. 11* carceribus, lapidationibus, plagis, naufragiis, vinculis, insidiis, & multimodis mortium generibus: hoc Paulus, *Plus ego in laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum in mortibus frequenter*, & reliqua, quæ series Epistolæ enumerat: Quæ & ipse enumerarem, nisi frequenti Ecclesiæ lectione, pene omnibus nota crederem. Hæc pauca de multis: Cum ergo tanta evidentia Evangelistæ & Apostoli verba conveniant, ut quod ille historico, hoc iste Epistolari stylo gestum referat, & uterque tam concors sibi invicem veritatis testimonium perhibeat, quid ultra quæritis? Nõne sufficientem auctoritatẽ Evangelicus liber Apostolicis literis conferre videtur? Sed quid de singulari fama, & celebri earundem Epistolarum auctoritate dicetur? Nonne sua cœlesti, & quæ super hominem est, doctrina, ad eum verticem dignitatis illa Epistolarum scriptura provecta est, ut post Evangelium cæteris veteribus ac novis scripturis clarius per totum mundũ resonet, firmius credatur, solennius recitetur, devotius audiatur? Nonne apud vos ipsos prædecessores vestros, antiquos dico hæreticos, tanti habita est, ut ex tam multiplicibus præteritorũ seculorum hæresibus nulla unquam hæresis hanc temerare ausa fuerit? Hoc non Apelles, non Cherinthus, non Mõtanus antiquiores, hoc non Arrius, non Novatus, non Sabellius recentiores hæretici, nec ipse cæteris detestabilior Manichæus, qui cũ inanissimis fabulis intentus, in cogitationibus suis evanuisset, & cum toto veteri Testamento ipsum ex maxima parte Evangeliũ abjecisset: Apost. tamen Paulo, & scriptis ejus se credere nõ negabat, ejusque Epistolas cũ honore suscipiebat. Sed quid de hæreticis loquor? Nonne & ipsos Paganos, imò & eos, qui inter illos magis studere sapientiæ videbantur, Philosophos hæc Apostolicarum Epistolarum, ut legimus, lectio percellebat? Nõne ipsi Paulo famosus ille Philosophus Seneca dixit, nullas se credere sufffecturas ætates, ad literarum illarũ altitudinem capiendã? Nonne & illa crudelis bestia Nero, his eodẽ Philosopho recitante auditis, mirari se dixit, unde homini, ut dicebat, indocto, tanta scientia inesse potuit? Hoc certè, hoc solùm vestra mendacia veritati subjicit: hoc vires omnes hæretici corporis enervat, ut in quo tota totius mundi Ecclesia, & ipsorum etiam qui extra Ecclesiam sunt, pars consentit, ab illo paucorũ & pene nullorum hominũ temeritas aliqua dissentire non audeat. Si autem quod tantis auctoritatibus munitũ est, etiam ratione roborari quæritis audite. Evangeliũ ut suprà dixi, vos suscipere, fama consonans est: alias Canonis divini scripturas vos aut rennere, aut dubias dicere certum est. Sed interrogo vos: Epistolas Pauli & aliorum Apostolorũ, ut interim de aliis divinis libris taceã, cur non suscipitis? Respondetis: Quia non adeo certa nobis earum est auctoritas, ut fidẽ eis dare velimus. Et non videtur vobis certa earum auctoritas, cum Apostolicæ dicãtur, & ab eis scriptæ credantur? & hic dicitis: Si constaret certa auctoritate, vel ratione, eas Apostolicas esse, nobis suscipere esset necesse. Sed si dicũtur vel credũtur Apostolicæ esse, & nõ sunt, à nobis suscipiẽdæ nõ sunt. Quod si à talibus dicuntur, & creduntur esse Apostolicæ, quib sicut ipsis Apostolis credi debeat, quid? Quid inquã. Nõne vobis, hoc probato suscipiẽdæ erũt? Suscipiẽdæ plane.

Sed ubi invenietur, cui, sicut ipsis Apostolis, credere debeamus? Invenietur plane. Et ne vos suspendam, Ecclesiam dico, cui sicut ipsis Apostolis, vos prorsus credere debere affirmo. Item fortasse dicitis. Et quæ est ista, quam dicis, Ecclesia? Quid vos, inquam, ignorantes hoc nomen dicitis, cum id vobis olim nimiũ nimiúmque notum fuerit, cum ejus corporalem fabricam destrueretis. Tunc enim vos dicebatis, idcirco Ecclesiarum ædificia destruere, quod nomen Ecclesiæ non structuram parietum, sed congregationem fidelium signaret. Quod si aut obliti estis, aut scire vos dissimulatis, breviter exponam. Dicitur Ecclesia, ut ipsi dixistis, congregatio, sed non avium, non pecorum, sed hominum. Nec omnium hominum, sed fidelium, bonorum, justorum. Quod si aliqui inter bonos illos mali, inter justos injusti, aut latent, aut patent, non idcirco minus Ecclesia dicitur. Hæc est illa, quæ innumerabili multitudine per totum orbem Christi Domini sui præcepto diffusa, usque ad nos pervenit, nec minus quam olim, totum mundum ut cernitis, replet. Huic, sicut dixi, vere, ut ipsis Apostolis, credere debetis: cui Christus ipse, quantum ad hoc spectat, non minorem contulit auctoritatem. Non dico, ut Apostolico labore satam & auctam Ecclesiam Apostolis æquem, sed dico, quod ejus testimoniis sicut Apostolicis absque ulla contradictione adquiescendum est. Quod si & hinc Evangelicam auctoritatem vultis, audite Christum dicentem: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi.* S[…] usque ad consummationem sæculi Apostoli in [...] non mãserunt. De Ecclesia ergo intelligendum est, qu[…]

A vsque ad consummationem sæculi in sæculo futura est. Ioan. 14. Item: *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum*, non utique cum solis Apostolis, sed cum Ecclesia ventura, cui rogatu filij Dei à Patre Deo datus est Spiritus Dei, ut maneat cum ea in æternum, in hac vita consolando, in futura glorificando. Sed ne forte dicatis, hanc meam expositionem, non Chisti intellectum esse: audite eum Ioan. 17. in alio Evangelista, *Non pro his*, inquit, *rogo tantum, sed & pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me & ego in te: ut & ipsi in nobis unum sint, & mundus credat, quia tu me misisti. Et ego claritatem quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut & nos unum sumus.* Videtis Dei filium non pro Apostolis tantummodo Patrem rogare, sed & pro eis qui adhuc quando hæc loquebatur credituri erant per verbum Apostolorum in eum? Et qui sunt illi? Nonne hæc, de qua lo ju mur, Ecclesia? Qui enim alij in Christum credunt & credituri sunt, nisi hæc quæ vocatur Ecclesia, hoc est in Christum credentium con- B gregatio? Quos omnes non propter varia tempora dividit, non propter diversa loca separat: sed omnes, præcedentes scilicet & sequentes, unum esse vult; nec aliter, sed tam solemniter sicut Pater in ipso, & ipse in Patre est. Quos non paucos, sed innumerabiles esse ostendit, quando subdit: *Vt mundus credat quia tu me misisti.* Non debet ergo credi testimoniis Ecclesiæ, cui indivisibiliter Christus cohabitat usque ad consummationẽ sæculi? Non debet credi testimoniis Ecclesiæ, cũ qua Spiritus sanctus inseparabiliter permanet, non hic tantũ, sed in æternum? Non debet credi testimoniis Ecclesię, quę unũ cũ Patre & Filio, est, sicut Pater in Filio, & Filius in Patre, cui eam claritatẽ Filius Dei dedit, quã accepit à Patre? Non debet credi testimoniis Ecclesiæ, de qua, hoc est de electis & prædestinatis, dicitur, *Pater, quos dedisti mihi, volo, ut ubi ego sum, & illi sint mecum ut videant claritatem meam quam dedisti mihi, quia dilexisti me à constitutione mundi?* Quomodo ergo potuit, non dico tanto, sed saltem parvo tempore, quomo- C do, inquam, potuit tantum errorem tanto tẽpore sequi? quomodo potuit plusquã per mille annos & falli & fallere Ecclesia, cũ qua verax Pater, cũ qua veritas Filius, cum qua veritatis spiritus perpetuo mãsit? Sed cum hoc omnino impossibile sit, colligitur quòd ejus traditionibus omnibus sicut Apostolicis, omnimoda ab omnibus fidelibus fides exhiberi debeat. Si enim doctrina vel traditio Ecclesiæ ab Apostolis suscepta est, si eadem à Christo in Apostolos derivata est, constat, quia verax & à veritatis filiis suscipienda est. Sed quod hanc Apostoli à Christo susceperint, nulli dubium est. Quod autem Ecclesia ab Apostolis, auctoritate pariter & ratione probatum est. Sequitur ergo, quia doctrina vel traditio Ecclesiæ, ab omnibus suscipienda est. Debetis igitur credere testimoniis Ecclesiæ, si non vultis permanere hostes Christi & Ecclesiæ. Hæc autem Ecclesia attestatur, Epistolas, de quibus agitur, Apostolicas esse idque sibi à præcedentibus Patribus, & ipsis viris Apostolicis traditũ, se fixe & immobiliter retinere. Sed D respondetis: Testimoniis quidem Evangelicis resistere non possumus, sed hoc nos dubios reddit, quod nullum, nec in tota, de qua sermo est, Ecclesia, more testium testimonium afferentium invenire valemus. Testibus enim, non testimoniis credendum esse, lex ipsa sæculi jubet. Testium vero officium est, audita vel visa, non ab aliis sibi narrata testificari. Testimoniorum autem mos est, ab aliis sibi narrata referre. Ecclesia vero cui inniteris, & ad cujus dignitatis eminentiã comprobandam, tot & tanta testimonia afferς, non vice testium, sed testimoniorum utitur, quia non visa vel audita, sed ab aliis sibi tradita narrat, & libris de quibus agitur, non quod sciat, sed quia credit, Canonicam auctoritatẽ dat. Ecce ecce nunc tandem foveam vobis fodistis, in quam statim præcipitandi estis. Vincula fabricastis, quibus alligandi estis. Laqueũ tetendistis quo primi capiendi estis. Si enim hoc verũ est quod attulistis non tantum

E libros, quos nos defendimus, sed & ipsum Evangeliũ, quod suscipitis perdidistis: Nam si non nisi visis & auditis assentiẽdum est, non solùm libris aliis, sed nec ipsi Evangelio credẽdum est. Dicite enim vos primi, & pro Evangelio quod tantum superest vobis, agite, utrum aliqua quæ in Evangelio legitis, aut de Evangelio creditis, oculis videritis, auribus audieritis? Vt enim innumeris omissis, hæc breviter objiciam, in quibus tota Evangelij summa consistit. Audistis vel vidistis Archangelum Gabrielem Filij Dei conceptum, Spiritus sancti adventum matri Virgini nunciantem? Vidistis, vel audistis Christum natum, Pastores invisentes, Magos adorantes? Vidistis, vel audistis Christum baptizatum, prædicantem, solemnia illa miracula facientem, eandem prædicationem discipulis injungentem, eandem mirandorum operum potentiam eisdem conferentem? Et quid multa? Vidistis vel audistis passum, crucifixum, mortuum, sepultum, resurgentem, ascendentem? Vidistis, vel audistis quod nondum factum est, sed futurum est, & licet in Evangelio cui creditis, nescio tamen si F creditis, omnes mundi mortuos resurgentes, Christum judicantem, infernum hiantem, cœlum reseratum, impios in combustionem æternam, pios in vitam æternam intrantes? Et ubi est, quod tenebatis? Evangelium habebatis, sed eo jam jam perdito, Christum amisistis: Nam si Evangelium non habetis, nec Christum habetis. Si Christum non habetis, Christiani non estis. Ecce fovea, ecce vincula, ecce laqueus, quæ vos ad vestram pernitiem jam præparasse dixeram Hoc modo Evangelio cum Christo sublato, etiam omnes Prophetæ, omnes Apostoli de medio facti sunt: corúmque universa opera, universa scriptura, cum ipsis pariter deleta sunt. Necesse igitur jam vobis erit, aut libris, quos proponimus, abjectis, Evangelium, ut dixi, Christum, Christianam fidem, spem salutis & vitæ æternæ abiicere: aut libris nostris susceptis, Evangelium & Christum, atque enumerata omnia conservare. Cum enim non ex visis, neque auditis, sed ex Ecclesiæ & Patrum traditione, hæc universa mundus credat, speret, diligat, nec vos ex visis vel auditis, sed ex ejusdem Ecclesiæ, & eorundem G Patrum traditione, Evangelium teneatis, quod nullo modo negare potestis, invicta ratione cogẽte, aut quod simul absque aliqua exceptione ab eadem Ecclesia nobis pariter & vobis traditum est, suscipietis, & Evangelium cum Epistolis Apostolorum & libris omnibus, quos negabatis retinebitis: aut nostris libris abjectis, Evangelium pariter, quod solùm vobis remanserat, amittetis. Quo amisso, non jam nobis ut Christiani hæretici, sed sicut Ethnici & Publicani eritis. Hac ratione Pauli, Iacobi, Petri, Ioannis, Iudæ, cum ultima ejusdem Ioannis Apocalysi, in novi Testamenti Canone susceptis, imò eadem nova ac veteri scriptura eadem ratione firmissimè roborata, ad veteris Testamenti libros sigillatim discutiendos, & Evangelica atque Apostolica auctoritate firmandos, transitus fiat.

H

### *Probatio totius veteris Testamenti ex Evangelio.*

EVangelium enim toti veteri Instrumento testimonium dat, & ejus insuper auctoritatibus ea ipsa, quæ prædicat, confirmat. Nonne Christus in Evangelio auctoritatem veteris Testamenti sua auctoritate firmavit: quando post resurrectionem discipulis omnibus apparens, dixit: *Oportebat impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis de me?* Luc. ult. Nonne eandẽ indissolubili vinculo confirmavit, quando eisdem discipulis suis aperuit sensum, ut intelligerent scripturas? Nonne eandem confirmavit, quando duobus discipulis in Emaüs euntibus, dixit: *O stulti & tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti sunt Prophetæ!* Et quid ultra exigetis? An non sufficit tanta támque clara auctoritas qua Christus legi Moysi, qua Prophetis qua Psalmis, non confuse, sed distincte testimonium perhibuit, quando primo Legis, deinde

A

Prophetarum, ad ultimum Psalmorum scripta de se, & in se impleri oportuisse docuit? Sed licet, quod præmisi, ad veteris scripturæ auctoritatem confirmandam plene sufficiat, profero tamen de eodem, cui creditis, Evangelio, quamvis ex superabundanti sigillatim testimonia divinis libris attestantia, quibus auditis non solùm eos divinos credatis, sed insuper vos de ipsis, vel in aliquo dubitasse erubescatis.

Et ut à capite eorundem sacrorum Librorum incipiam, recolite si non meministis, libro Geneseos Christum testimonium dantem, & ad confirmanda verba sua, de eo testimonia plurima proferentem: *Sicut*, inquit,

Luc. 17.

*fuit in diebus Noe, ita erit adventus Filii hominis: Edebant, & bibebant, uxores ducebant, & dabantur ad nuptias, usque in diem qua intravit Noë in arcam, & venit diluvium, & perdidit omnes.* Item: *Sicut factum est in diebus Loth, emebant & vendebant, plantabant, ædificabant. Qua die autem exiit Loth à Sodomis, pluit ignē & sulphur de cœlo, & omnes perdidit.* Hoc & initiū Evangelij secūdùm Matth. affirmat, & eidem libro testimonium dat: quando librū generationis IESV-CHRISTI per Abraham, Isaac, & Iacob, Iudam & Phares, qui omnes ex eodē Genesis libro sumpti sunt, congrua narratione contexit. Accedite inde ad Exod. & audite Christum contra Saducæos eodem libro testimonium assumentem.

B

Luc. 20.

Quia, inquit, *resurgant mortui, Moyses ostendit secus rubum, cùm dicit Dominum Deum Abraham &*

Ioan. 6.

*Deum Isaac, & Deum Iacob.* Item de eodē: *Patres vestri manducaverunt in deserto manna, & mortui sunt.* Nam liber ille ante omnes alios narrat, Deum xl. annis pluisse manna Hebræis. Rursus in ipso: *Os non comminuetis ex eo.* Et item Apostolus: *Neque idololatræ efficiamini quemadmodum scriptum est: Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere.* Venite dehinc & ad Levitic. & audietis Christum leproso, quem mundavit, dicentem: *Vade ostende te Sacerdoti, & offer munus tuum quod præcepit Moyses in testimonium illis.* Inde ad librū Numeri gressum extendite, & audietis Christum passionis suæ de eo testimonium & similitudinem assumentem: *Sicut*, ait, *Moyses exaltavit serpentē in deserto, ita exaltari oportet filium hominis.* Et Apostolus: *Neque*, inquit, *tentemus Christum, sicut quidam eorum tentaverunt, & à serpentibus perierunt. Neque murmuraveritis, sicut quidam eorū murmuraverunt, & perierunt ab exterminatore.*

Exod. 16

Exod. 12. & Ioa. 19

Exod. 32.

Luc. 5.

C

Ioan. 3.

1. Cor. 10

Accedite & ad ultimum Pentatheuci, hoc est legis Mosaïcæ librum, qui Deuteronom. id est, secunda Lex, dicitur, & audietis de ipso plurima Christum in Evangelio testimonia producentem. De quibus illa sunt, quæ diabolo tentanti respondit: *Scriptum est, Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo Dei.* Et item: *Scriptum est: Non tentabis Dominum Deum tuum.* Ac deinde: *Vade Satana: Scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* Et illud: *Domus mea domus orationis vocabitur.* Videtis adhuc non esse repudiādos libros, quos sic Christus approbat, non esse mendaces vel apocryphos, de quibus Veritas testimonium profert, non esse abjiciendos, de quibus verba sua ipsum Verbum æternum, ipsa Dei Sapientia communit: Sequantur post hos & alij divini & prophetici libri, quorū primus est ille qui dicitur Iesu Nave, cui auctoritatem dat ipsum & proximum quod ab Evangelio auctoritatem meruit, Deuteronom. In eo scriptum est: *Præcepit Dominus Iosue filio Nun, & ait: Confortare, & esto robustus. Tu enim introduces filios Israel in terram quam pollicitus sum, & ego ero tecum.* Dant ei auctoritatem & Psalmi, qui (sicut suprà dixi) de Christo, eodem Christo teste, scripti sunt, & ei veritate prophetica testimonium ferunt. Nam in eis scriptum est: *Et eiecit à facie eorum gentes, & sorte divisit eis terram in funiculo distributionis.* Item in eisdem Psalmis *Mare vidit & fugit, Iordanis conversus est retrorsum.* Et versu interposito: *Quid est tibi mare quod fugisti? & tu Iordanis, quia conversus es retrorsum?* Fugit enim mare virtute Dei per Moysem: Iordanis conversus est retrorsum, eodem Deo operante, per Iosuë. Quod nusquam, nisi in ipso, de quo agitur, Iesu Nave libro,

Deu. 6. & Matth. 4.

Matt. 21. & Luc. 19.

D

Psal. 77.

Psal. 113

Exod. 13. Iosuë 3.

legitur. Sed & alibi in jam dictis Psalmis, licet in figura legitur: *Memor ero Raab, & Babylonis, scientium me.* Quod ipsum Evangelium non figurate, sed historice confirmat. *Naason*, inquit, *genuit Salmon, Salmon autem genuit Booz de Raab.* Quæ Raab in solo isto Libro legitur, nuntios Iosuë, exploratores scilicet terræ Chanaan, abscondisse, & astu seu consilio suo, ad eum qui miserat, salvos remisisse, & ob hoc salutem cum domo integra & consortium Israëlitici populi meruisse. Sequitur hunc Iudicum liber, quem Canonicum facit proximus, & præcedens eum, de quo egimus, liber, qui supra scriptis testimoniis jam de Canone esse probatus est. Sic enim in eo scriptū est: *Servivit Israel Domino cunctis diebus Iosue & seniorum, qui post eum vixerunt tempore, & qui noverant omnia opera Domini quæ fecerat in Israel:* utiq; Principes & Iudices, qui post eum Israëli principati sunt, designans. Huic Iudicum libro & sæpe nominati Psalmi auctoritatis testimonium dant, cum alienigenas & in illo Iudicum tempore oppressores populi Dei ex parte enumerant. Nam sic in eis legitur: *Simul adversus te testamentum disposuerunt tabernacula Idumæorum & Hismaelitæ. Moab & Agareni, Gebal, & Amon, & Amalech, alienigena cum habitantibus Tyrum. Etenim Assur venit cum illis, facti sunt adiutorium filiis Loth. Fac illis sicut Madian & Sisaræ sicut Iabin in torrente Cison. Disperierunt in Endor, facti sunt ut stercus terræ. Pone principes eorum sicut Oreb, & Zeb, & Zebee, & Salmana.* Quod si & Apostolus consulatur cujus verbis omnibus vos fidem integram dare sicut suprà probatum est, necessitas ipsa compellit: audietis eum in Epistol. ad Hebr. inter alios Patres, fidem Iudicum istorum prædicantem, & eidem libro auctoritatem canonicam dantem, cum dicit: *Et quid adhuc dicam? Deficiet enim me tempus enarrantem de Gedeon, Barach, Samson, Iephte, qui certe antequā Reges Iudæis præessent, eisdem Iudæis non Regum sed Iudicum nomine præfuerunt.* Dehinc parvus, sed ab Evangelio confirmatus liber Ruth sequitur, sicut in genealogia legitur Salvatoris. *Booz*, inquit, *genuit Obeth ex Ruth.* Quæ cum alienigena esset, qualiter viro Iudæo juncta sit, liber tantum ille exponit, qui sicut dictum est Canonicam auctoritatem ab Evangelio meruit. Hinc ad Samuelis & Regum libros, stylus festinet, & credentibus pariter atque incredulis, eos non tantum prophetica, sed & Evāgelica auctoritate firmissime subnixos esse demonstret. Nonne solo principio Evangelij quantalibet vel quantumlibet munita resistentium hostium machina evertitur, cum per totum orbem Evangelica ac cœlesti voce legitur, *Liber generationis* IESV-CHRISTI *filij David?* Nam cum Dei filius David esse prædicatur, quid sublimius vel ipsum David extollit, vel de eo scriptam historiam commendat? Sed licet magnum sit ad commendandam personam, & de eo scriptam historiam quod Evangelista IESVM CHRISTVM David filium esse narrat: majus tamen, imò maximum est, quod idem Dei filius, ejus se filium confirmat: Nam interrogans Pharisæos, cujus Christum filium dicerent, respondentibus illis David, proposuit de divinitate Christi ænigma: quod quia illi non intelligentes solvere non potuerunt, ut Evangelium loquitur, nemo poterat respondere ei verbum. Non, inquam, ad plenissimam librorum illorum auctoritatem sufficit, quod de tanto viro tam sublimi Rege, tam divino Propheta tota pene series eorum respersa est, vel quod tota genealogia Salvatoris ab ipso David sicut in Evangelio, sic in eisdem libris usque ad Babylonis transmigrationem descripta est? An necesse erit ipsa verba Salvatoris in medium producere, & de ipsis auctoritate illorum firmare? Sed quid fatigat nos impudens aut imprudens temeritas? Ad eam igitur magis magisq; confundendam & confutandam veniant; veniant, inquam, salvatricis Veritatis verba; & perdendis, nisi resipuerint, mendacibus de libris veracibus testimonia proferant. Nonne quando pueri in templo clamabant, *Osanna filio David?* & Pharisæi Christo dicebant, *Audis quid isti dicunt*, ipséque ei

respond

A [Psal. 8.] respondebat, *Nunquid legistis? Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem*, & puerorum verba confirmabat, & se David filium esse docebat, & David extollebat, & libris, qui gesta ejus continent, auctoritatem canonicam conferebat? Audite tamen eum etiam testimonia de eisdem libris proferentem, & inde magis magisque eorum auctoritatem commendantem: Nam discipulis ejus euntibus Sabbatho per sata, ac vellentibus spicas, & manducantibus, Pharisæisq; dicentibus: [Marc. 2. & Luc 6.] *Ecce discipuli tui faciunt quod non licet eis facere Sabbathis*, respondit, *Nonne legistis quid fecerit David quando esuriit & qui cum eo erant, quomodo intravit in domum Dei, & panes propositionis comedit, quos non licebat edere nisi solis Sacerdotibus?* Item alio in loco eisdē [3. Reg. 17. & Luc 4.] Pharisæis: *Dico vobis, multæ viduæ erant in diebus Heliæ in Israël, cum facta esset fames magna in terra, quando clausum est cælum annis tribus, & mensibus sex: & ad nullam illarum missus est Helias? nisi in* [4. Reg 5.] *Sarepta Sidoniæ ad mulierem viduam. Et multi leprosi erant sub Helisæo Propheta in Israël, & nemo eorū mundatus est, nisi Naaman Syrus.* Ecce ista omnia de libris B Regū veritas protulit, & idcirco eos veraces esse ostendit. Currat inde sermo ad Prophetas, ac primo Evangelico Prophetæ Esaïæ ipsum Evangelium testimonium ferat. [Luc. 4.] *Venit*, inquit, *Iesus Nazareth ubi erat nutritus, & intravit secundum consuetudinem suam die Sabbathi in Synagogam. Et surrexit legere, & traditus est illi liber* [Esa. 61.] *Esaiæ Prophetæ. Et revolvit librum, invenit locū, ubi scriptum erat. Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, & prædicare captivis remissionem & cæcis visum, dimittere confractos in remissionem, prædicare annū Domini acceptum, & diem retributionis. Et cum plicuisset librum, reddidit ministro, & sedit. Et omnium in Synagoga oculi erant intendentes in eum. Cœpit autem dicere ad eos: Quia hodie impleta est hæc scriptura in auribus vestris.* [Matt. 12.] Item de eodē libro alius Evangelista: *Iesus*, inquit, *sciens recessit inde, & secuti sunt eum multi, & curavit eos omnes. Et præcepit eis ne manifestum eum facerent, ut adimpleretur quod dictum per Esaïam Prophetam dicentem: Ecce puer meus quem elegi, in quo bene complacuit* C *animæ meæ. Ponam super eum spiritum meum, & iudicium gentibus nunciabit. Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem eius. Arundinem quassatā non confringet, & linum fumigans non extinguet, donec eiciat ad victoriam iudicium, & in nomine eius gentes sperabunt.* [Ioann. 12. Esa. 53.] Item alius Evangelista: *Cum autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum, ut sermo Esaiæ Prophetæ impleretur, quem dixit: Domine quis credidit auditui nostro, & brachium Domini cui revelatum est?* Et item: [Esa. 6.] *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Esaïas: Excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum, ut non videant oculis, & intelligant corde, & convertantur, & sanem eos.* Hæc dixit Esaïas quando vidit gloriā ejus, & locutus est de eo. Nonne putatis istum suscipi debere, quem Christus ita suscipit, cujus librū legit cujus verba prophetica in se impleta ostendit cujus Evāgelistæ tam frequentibus & multiplicibus testimoniis utuntur, cujus verbis propheticis sua Evangelica tantopere D affirmant? Sequitur Hieremias, quem vere Prophetā & cujus verba ut prophetica suscipienda esse, Evangelium non tacet: Non interrogante discipulos Domino, quem dicerent homines esse Filium hominis, [Matt. 16.] responderunt: *Alij Ioannem Baptistam, alij Heliam, alij Hieremiam, aut unum ex Prophetis.* Rursum de proditoris Iudæ projecto argento, & inde agro figuli in sepulturam peregrinorū à Sacerdotib empto, ait Evāgelista: [Matt. 27] *Tunc impletum est quod dictum est per Hieremiam Prophetam dicentem. Et acceperunt xxx. argenteos pretium appretiati, quod appretiaverunt à filiis Israël, & dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus.* Cui testimonio simile quiddā & in Zacharia invenitur. [Zach. 11] Et de interfectione innocentiū puerorum ait idem Evangelista: [Matt. 2. Hier. 31.] *Tunc impletum est quod dictum est per Hieremiam Prophetam. Vox in Rhama audita est, ploratus & ululatus multus. Rachel plorans filios suos, & noluit consolari, quia non sunt.* E Ezechielem etiam canonicum Apostolica Pauli verba faciunt, qui in Epistol. 2. ad Corinth. ex [2 Cor. 6.] eodem Propheta introducit Deum loquentē: *Quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo, & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus*, & in Epist. ad Roman. usus verbis ejusdem Prophetę quasi suis idē Apostolus ait: [Rom. 2.] *Nomen Dei per vos blasphematur inter gentes, sicut scriptum est*, subaudi in eodem Propheta. Danielem quoque inter Prophetas vos suscipere, ejúsq; scripta esse negare, eadē vos & sæpe nominata Evāgelica auctoritas cogit: [Marc. 13] *Cum*, inquit Christus in Evangelio, *videritis abominationem desolationis quæ dicta est a Daniele Propheta stantem in loco sancto, qui legit, intelligat.* Post hos magnos & velut principales Prophetas, procedamus simul & ad xij. qui minores dicuntur, non inferiori auctoritate, sed librorū quantitate, & universos non simul, neque confuse, sed sigillatim, & distincte canonicos esse probemus. Et ut eo ordine quo à Patribus ordinati sunt, & quo ab Ecclesia recitantur singuli proferātur, proferat misericors F Salvator in Evangelio, contra immites Pharisæos de Osee Propheta misericordiæ testimonium. [Mat. 9. & 12. Osee 6.] *Euntes*, ait, *discite quid est, misericordiam volo, & non sacrificium.* Quod ille ita intulit: *Quia misericordiam volui & non sacrificium, & scientiam Dei plusquam holocausta.* Et [Rom. 9. & Ose. 2] Apostolus de eodem: *Vocabo non plebem meam, plebem meam, & non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam. Et erit in loco ubi dictum est eis, non plebs mea vos: ibi vocabuntur filij Dei.* Sed & de Ioël, qui hunc sequitur post effusionem Spiritus sancti à Christo in Evangelio discipulis promissam, & die Pentecostes exhibitam: ait Iudæis Petrus Apostolus in Actibus Apostolorum, [Act. 2. Ioel. 2.] *Hoc est quod dictum est per Prophetam Ioel: Erit in novissimis diebus, dicit Dominus, effundam de spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filij vestri & filiæ vestræ. Iuvenes vestri visionem videbunt & senes vestri somnia somniabunt*, & reliqua quæ prolixitatis causa non scribo. Amos Prophetæ qui G huic jungitur, liber ille Regum sæpe dictus, & Evāgelica auctoritate firmatus, testimonium dat. Nam quod in hoc Propheta factum, in libro illo legitur prædictum: [Amos 1.] Sic enim iste ait, *Super tribus sceleribus Damasci, & super quatuor non convertam eum, eo quod trituraverit in plaustris ferreis Galaad: & mittam ignem in domum Azahel & devorabit domos Benadab, & conteram vectē Damasci.* De his in libro Regum sic loquitur ipsi Azaheli Helisæus Propheta: *Scio*, inquit, *quæ facturus es filiis* [4 Reg 8.] *Israël mala. Civitates eorum munitas, igne succendes, & iuvenes eorum interficies gladio, & parvulos eorum elides, & prægnantes divides.* De Benadab quoque & Damasco, & malis Azahelis, quibus pene attrivit Israël, plene ibidem legitur. De Abdia etiam ait idem Apost. [1 Cor. 1. & Abd. 1] in 1. Epist. ad Cor. *Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo.* De Iona vero quis non audivit, quis non imo pectore recondidit, quòd Salvator in Evangelio mortem & resurrectionem suam naufragio, & evasioni ejus comparans, ait Iudæis: [Matt. 12.] *Signum non dabitur vobis nisi signum Ionæ Prophetæ. Sicut* H *enim fuit Ionas in vētre ceti trib. dieb. & tribus noctib. ita erit filius hominis in corde terræ, tribus diebus & tribus noctibus?* Et rursum: *Viri Ninivitæ surgent in iudicio cum generatione ista & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ. Et ecce plusquam Ionas hic.* Quæ autē inter omnes de Christo prophetias, Michææ prophetia in Evangelio clarius resonat, quā nato Christo in Bethleem, Principes Sacerdotū & Scribæ populi Herode interrogante, protulerunt. [Matt. 2.] *Et tu Bethleem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda. Ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israël, & egressus eius ab initio à diebus æternitatis.* Veniat post hos & Naum [Naum. Rom. 10.] Propheta, cujus testimonio Apost. in epist ad Rom. utitur: *Quam speciosi*, inquit, *pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona?* Licet paucis mutatis verbis, iste dicat: [Naum 1. Esa. 52.] *Ecce super montes pedes annuntiantis, & evangelizantis pacem.* Quod testimonium Esaïas pene eisdem

verbis,

A verbis, sed tamen uno eodémque versu protulit, quia non multiplex vel diversus, sed unus & idē Spiritus est, Esa. 51. qui per Esaïā & Naum & per omnes locutus est Prophetas. Vnde quia per eundem Spiritum idem uterq; locutus est, hoc de utroq; testimonium ab Apostolo sumptum est. Cui vero in toto orbe Abacuc Prophetæ auctoritas non innotuit, cum & frequenter legatur, & libenter audiatur translatus ab Angelo per cincinnū capitis de Iudæa in Babylonē, ibiq; Danieli in lacu leonum clauso, prandiū quod messoribus paraverat exhibuisse? Quod si istud juxta beatum Hieronym. quia in Hebraïcis libris non legitur, insufficiēs videtur, veniat more suo Apostolus, eúmque divinum & veracem non pseudo-Prophetam esse, sumpto de eo testimonio comprobet, sicut in Epistol. ad Rom. & illa ad Hebr. dicit, Rom. 1. & Heb. 10. *Sicut*, inquit, *scriptum est*, utiq; apud hunc Prophetam, Abac. 2. *Iustus autem ex fide vivit.* Sed & tam de Sophonia, qui B post hunc venit, quam de Esaïa, Apostolus in Epist. ad Rom. 9. Rom. *Reliquiæ*, inquit, *filiorum Israel salvæ fient.* Sophonias autem sic eandem sententiam suis verbis explicās: Sopho 3. *Sperabunt*, ait, *in nomine Domini reliquiæ Israel.* Esaïas Esa. 10. autem sic: *In veritate reliquiæ convertentur*, reliquiæ, inquam, Iacob, ad Deum fortem. Iam vero Aggæo Prophetæ, ipsa Evangelica veritas testimonīū dat, cum ait: *Post transmigrationem Babylonis, Iechonias genuit Salathiel. Salathiel autem genuit Zorobabel.* Ad quem Zorobabel missus à Deo iste Propheta, ait: Aggai 1. *Confortare Zorobabel, dicit Dominus, & confortare Iesu fili Iosedech Sacerdos magne, & confortare omnis populo terræ dicit Dominus exercituum, & facite, quoniam ego vobiscum sum, dicit Dominus exercituum.* Nam mittebatur Propheta Domini, ut confortaret principem & populum, ad construendam, quam Chaldæi destruxerant, domū Dei. Sed & Apostolus in Epist. ad Hebr. ad confirmanda magna quædā, de quibus tractabat, nobile de textu ejus testimoniū profert: Heb. 12. *Adhuc*, inquit, *unum modicum est, & ego commovebo cœlū & terram, & mare & aridam, & movebo omnes gentes, & veniet desideratus cunctis gentibus.* Aggai 2. Huic ejus socium Zachariā, ordo ipse librorum & temporis conjungat. C Cujus testimonium Evangeliū solemniter proferens, ait: Matt. 21. & Ioan. 12. *Exulta satis filia Sion, jubila filia Hierusalem. Ecce Rex tuus venit tibi justus & Salvator. Ipse pauper & ascendens super asinam, & pullum filium asinæ.* Et Dominus ipse in eodem Evangelio proximus passioni, ejusdē Prophetæ verba assumens, ait discipulis: Matt. 26. *Scriptum est, Percutiam pastorem, & dispergentur oves.* Item de eodem Propheta Evangeliū. Ioan. 19. *Videbunt in quem transfixerunt.* Vltimus in ordine duodecim Prophetarū, sed auctoritate non inferior, Malachias sequitur: Cujus Prophetæ pene prima verba Apostol. in Epist. ad Rom. Rom 9. festive cōmemorat, dicens: *Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* Et Salvator ipse in Evangelio de Ioanne Baptista loquens, turbis & discipulis ait: Matt. 11. Mala. 3. *Hic est de quo scriptum est: Ecce mitto Angelum meum, qui præparabit viam ante faciem meam.* Quo testimonio Salvator usus, ostendit non esse repudiandū, quem ipse non in occulto, sed in publico judicarit suscipiendum. Hinc ad Iob mirabilem, licet non Iudæū, sed Gentilē, ore tamen Dei excellenter laudatum sermo decurrat: & post Prophetas D viro Prophetico, vox Apostolica testimoniū ferat. Dicens enim Apostolus: 1. Cor. 3. *Sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum*, subjunxit: *Scriptum est enim, comprehendam sapientes in astutia eorum.* Quod certè non de alia scriptura, quā de libro Iob protulit. Iob 5. Ezechiel quoque, quē jam authenticum esse probavimus, justitiæ Iob mentionem faciēs, ejus libro attestatur, ex persona Domini loquens: Ezec. 14. *Si pestilentiam immisero super terram, & effudero indignationem meam super eam in sanguinem, ut auferam ex ea hominem & jumentum: & Noe, Daniel, & Iob fuerunt in medio ejus, vivo ego, dicit Dominus Deus quia filium & filiam non liberabunt, sed ipsi justitia sua liberabunt animas suas.* Iam vero Psalmorū auctoritatem licet superius plene ostenderim, quia tamen series divinorū librorum hoc in loco eos obtulit, addantur adhuc ex Evangelio testimonia majestati eorū magis magísque attestantia. His Salvator sæpe utitur, & cum ad credulitatem verborum suorum nullius testimonio egeat; e[t] tamen de Psalmis, ut supra dictum est, sæpe confirma[t]. Hinc est illud, quod, sicut prædixi, Pharisæis objecit: *Dixit Dominus Domino meo. Sede à dextris meis. Donec ponā inimicos tuos, scabellum pedum tuorum.* Sed & illud inde est quod parabolam vineæ, & hæredis interfecti & homicidarum perditionis, eisdem Pharisæis dicentibus, *malos male perdet:* respondit: *Nunquam legistis, lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli? A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris?* De his & Evāgelista testimonium allumēs, dignitatem corroborat, cum dicit: *Hæc omnia locutus est Iesus ad turbas in parabolis, & sine parabolis non loquebatur eis: ut impleretur quod dictum est per Prophetam. Aperiam in parabolis os meum, eructabo absconditā à constitutione mundi.* Et quia Psalmorum auctoritas, tam his quam innumeris aliis testibus & testimoniis, velut summo cœli cardine fulget: post David & Psalmos ejus ad Salomonem & libros ejus stylus festinet, ejúsq; Sapientiæ Christum in Evangelio attestante ostendet. *Regina*, inquit, *austri in judicio cum generatione ista, & condemnabit eam, quia venit à finibus terræ, audire sapientiam Salomonis. Et ecce plusquam Salomon hic.* Libris quoque ejus idem Salvator testimonium reddidit, cum in die magno festivitatis stās in templo clamabat, dicens: *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat.* Et de libris Salomonis sumpto testimonio: *Qui credit in me*, inquit, *sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* Et Apostolus in Epistola ad Hebr. de Proverbiis quædam assumens, ait: *Fili mi, noli negligere disciplinam patris tui, neque fatigeris dum ab eo argueris. Quem enim diligit Deus, castigat. Flagellat autem omnem filium quem recipit.* Itémq; idem de eisdē Salomonis libris, in Epist. ad Rom. *Mihi vindictam, & ego retribuam.* Sed & Regum liber, quem sicut superius ostendi, in arce Canonica Christus constituit, eidem Salomonis singulari sapiētiæ ac sæpe dictis ejus libris testimoniū reddit Salomoni, ut est illud: *Dedit Deus sapientiam & prudentiam Salomoni multam nimis, & latitudinem cordis quasi arenam, quæ est in littore maris. Et præcedebat sapientia Salomonis sapientiam omnium Orientalium, & Ægyptiorum, & erat sapientior cunctis hominibus. Sapientior Ethan Ezhraita, & Eman, & Chalcal, & Dordan, filiis Maol.* Libris vero ejus, hoc est, Proverbiis, Ecclesiasti, Carminibus, id est Canticis Canticorum, & reliquis tale testimonium dat. *Locutus*, ait, *Salomon tria millia parabolas, & fuerunt carmina ejus quinque millia & disputavit super lignis, à cedro quæ in Libano, usq; ad hyssopum quæ egreditur de pariete. Et disseruit de jumentis, & reptilibus, & volucribus, & piscibus.* Libro quoque illi, qui Hebraïcè Dabrejamin, Græce Paralipomenon Latinè, Verba dierum, dicitur, sæpe nominatus Regum liber attestatur: eique parem sibi auctoritatem tribuit dum ad eum se legentes frequenter transmittit. Tractans enim & narrans acta regum Iuda & Israel, fere de omnibus subdit: *Reliqua vero sermonū illius*, vel *illius Regis, nonne hæc scripta sunt in libro verborum dierum Regum Iuda*, vel *in libro verborum dierum Israel?* Esdræ etiam volumen, maximus Prophetarum Esaïas, canonicum comprobat: cum ea quæ ipse ante multa sæcula prædixit, hic facta esse ostendit. Ait enim Esaïas, Deum introducens loquentē. *Qui dico Cyro, Pastor meus es, & omnem voluntatem meam complebis. Qui dico Hierusalem, Ædificaberis: & templo, Fundaberis.* Et subsequenter: *Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro.* Et quibusdam de ipso Cyro interpositis, ad ipsum Cyrum Deus verba convertit, eiq; loquitur: *Ego ante ibo, & gloriosos terræ humiliabo. Portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam. Et dabo tibi thesauros absconditos, & arcana secretorum* Subditq; causam, cur tantam ei potentiā conferat: *Vt scias, ait, quia ego Dominus, qui voco nomen tuum Deus Israel, propter servum meum Iacob & Israel electum meum.* Vt scilicet septuagenariam Babyloniæ captivitatē absolvat, & populo Israel ab eo ad patriā remiss[o]

urb-

urbem Hierusalem, & templũ à Chaldæis destructum, rursus ædificari & fundari faciat, sicut præmissum testimonium confirmat, quo ait Deus: *qui dico Hierusalem, ædificaberis: & tẽplo, fundaberis.* Hæc omnia sic impleta, liber Esdræ seriatim exponit, totúmq; inde historiæ suæ textum contexit. Quam civitatis & tẽpli reædificationem post lxx. captivitatis annos, & Hieremias prædixerat, sicut legentibus clarũ est. Prophetiam igitur Esaïæ & Hieremiæ Esdras suo tẽpore completã narrat, quod in solo ejusdem libri principio satis apparet. *In anno,* inquit, *primo Cyri Regis Persarum,* ut compleretur verbum Domini ex ore Hieremiæ, *suscitavit Deus spiritum Cyri Regis Persarum, & trãsduxit vocem in universo regno suo,* etiam per scripturã, dicens: *Hæc dicit Cyrus Rex Persarum: Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cœli, & ipse præcepit mihi, ut ædificem ei domum in Hierusalem, quæ est in Iudæa. Quis est in vobis de universo populo eius? Sit Dominus Deus illius cum ipso. Ascendat Hierusalem, quæ est in Iudæa, & ædificet domum Domini Dei sui Israel. Ipse est enim Deus, qui est in Hierusalẽ. Et omnes reliqui in cunctis locis ubicumq; habitant, adiuvent eum viri de loco suo, argento, & auro, & substantia, & pecoribus: excepto quod voluntarie offerunt templo Dei, quod est in Hierusalem.* Vltimus in agiographis, hoc est sanctæ scripturæ libris, sequitur liber Hester, cui auctoritatem aliorũ agiographorum auctoritas confert. Si enim illi ab Hebraïca veritate originem trahẽtes hunc socium, & paris auctoritatis in eodẽ Hebraïco Canone habuerunt: sequitur, quia nullo eorum librorum excepto, omnes pari modo suscipi debuerunt. Sed non solum Christianis, sed & ipsis Iudaïcis literis attestantibus, omnes juxta suprascriptũ ordinem libri, à libro Iob usq; ad hunc, de quo agitur, librũ Hester, eo scilicet non excluso, sed addito, paris auctoritatis sunt. Igitur absq; distinctione aliqua, omnes æqualiter suscipi debuerunt. Quod quia ita est, cũ Christus, Apostoli & Prophetæ auctoritatẽ præcedentibus, & huic libro paribus libris suis testimoniis dederint, indubia ratione cogente, huic quoq; libro dignitatem similem contulerunt. Restant post hos authenticos sanctæ scripturæ libros, sex non recipiendi libri, Sapientiæ, Iesu filij Sirac, Tobiæ, Iudith, & uterq; Machabæorũ liber. Qui & si ad illam sublimem præcedentium dignitatẽ pervenire non potuerunt: propter laudabilẽ tamen & pernecessariam doctrinã, ab Ecclesia suscipi meruerunt. Super quibus vobis cõmendandis, me laborare opus non est. Nam si Ecclesia alicujus pretij apud vos est, ejus auctoritate aliquid saltẽ parum quid, à vobis suscipiendum est. Quod si (sicut Iudæis de Moyse Christus dixit) ejus Ecclesiæ non creditis, quomodo verbis meis credetis? *Ioan. 5.* Ecce qui non nisi soli Evangelio vos credere dicebatis, jam rogo ut non nisi soli Evãgelio credatis. Nam sicut in primis dixi: Si soli Evãgelio creditis, necessario toti huic quod auditis, veteri Instrumẽto credetis. Fert enim Evangeliũ omnibus quos supra dixi testimoniũ, eisque auctoritatem canonicam dat, cum sermones suos eorum sermonibus cõfirmat. Sed forte dicetis, non de omnibus præcedentibus libris sumpta ab Evangelio testimonia. Sed nunquid non ab Evangelio sumuntur, quæ ab his libris, à quibus idem Evangelium testimonia producit, trahuntur? Nunquid non verax & canonicus liber ille judicabitur, qui ab eo, cui veritas testimoniũ perhibet, veritatis laudẽ meretur? Si, inquam, Prophetæ & Psalmi non tantum à seipsis, sed etiam ab Evangelio canonicam auctoritatẽ obtinent: cur non & eis libris quibus testimonium ferunt, eandem tribuere valent? An forte Evangelium Prophetis vel Psalmis testimonium ferendo non fallitur: & Prophetæ vel Psalmi aliis testimonium ferendo mentiuntur? Nonne & ipsa sæcularia testimonia hoc habent, ut qui laudabilis probatus fuerit, etiam alios laudabiles esse suo probare testimonio possit? Hac ratione libros ex libris, præcedentes ex sequentibus sequentes ex præcedentibus, divinos, canonicos, authenticos esse probamus: & eorum auctoritate juxta Apostolum, omnem scientiam extollentem se *Cor. 10.* adversus altitudinem Dei abiicimus, destruimus, conculcamus. Hoc modo cum omnibus his, de quibus egimus, libris credideritis, soli, ut dixistis, Evangelio credetis. Probatis igitur ex Evangelio, cui soli credebatis, reliquis libris novi Testamenti, & ex ipso novo Testamento, omnibus libris veteris Testamenti authentica auctoritate attributa, jam id unde vobiscum cœperam, spiritu Dei prævio exequendum est.

### *Sequitur in ordine probatio præmissi primi Capituli.*

Et quia ex quinque propositis Capitulis, illud primum erat, quod de parvulorum baptismo disputat, ad idem sermo redeat: ut tam isto quam cæteris Evangelica, Apostolica, atque Prophetica auctoritate, quia jam his non valetis resistere, confirmatis, error hæreticus conquiescat. Hoc certe videndum est; si fide, quod negatis, alterius, alter salvatus est. Regulus in Evãgelio pro sanitate filij rogans, audivit à Domino, *Vade, filius tuus vivit. Credidit homo sermoni quem dixit ei* IESVS, *& ibat.* *Ioan. 4.* Et quid sequitur? *Iam autem eo descendente servi occurrerunt ei, & nuntiaverunt dicentes, quia heri hora septima reliquit eum febris.* Quid deinde? *Cognovit ergo,* inquit, *homo, quia illa hora erat, in qua dixit ei* IESVS, *filius tuus vivit.* Centurioni pro puero paralytico deprecanti, post laudatam egregie fidem ipsius, ait idẽ Salvator: *Vade, & sicut credidisti, fiat tibi.* Et mox subditur. *Et sanatus est puer in illa hora.* *Matt. 8.* Archisynagogo pro filia morti proxima deprecanti, ait: *Crede tantum, & salva erit. Ad quam post paululum ingressus, & iam mortuæ manũ tenens, dixit: Puella surge. Et surrexit, & iussit illi dari manducare.* *Mar. 5. & Luc. 8.* Alteri pro dæmoniaco filio exoranti, ait: *Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti.* *Matt. 9.* Et ille: *Credo Domine, adiuva incredulitatem meam.* De quatriduano Lazaro Marthæ dicenti. *Domine iam fœtet, quatriduanus enim est,* inquit, *Nonne dixi tibi, quia si credideris, videbis gloriam Dei?* *Ioan. 11.* Mulieri Chananææ pro filia exoranti, ait: *O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis.* *Matt. 15.* Et sequitur Evangelium: *Et sanata est filia illius, ex illa hora.* Sed forte dicetis: Cum de animabus baptizatorum parvulorum sermo sit, utrum per baptismum à peccatis mundentur: quid nobis corporum sanitates opponis? Iuste, inquam, quoniam qui aliena fide aliorum corpora curata demonstro: ab eodem animarum & corporum conditore, aliorum fide, aliorum animas purgari ostendo. Nefas est enim credere, ut relictis animabus, corpora Salvator salvaverit: cum & maxime animarum Salvator dicatur, & gratia animarum omnis ab illo inter homines celebrata fuerit curatio corporum. Tamen nec istud mihi Deo donante deerit, ut sicut carnem, sic & spiritum humanum ab ipso, probem fuisse salvatum. Quod doctorum sanctorum verbis ostenderem, nisi accepto à vobis libello repudij, de medio recessissent. Docebat aliquando turbas Christus in domo, & Verbum Dei ipsum verbum Dei mortalibus prædicabat. Venerunt quidam, attulerunt hominem paralyticum, in lecto jacentem: *Cumque,* ut ait Evangelium, *non possent illum inferre præ multitudine hominum, ascenderunt super tectum, & per tegulas submiserunt eum in medium ante* IESVM. *Matt. 9.* *Quorum fidem ut vidit, dixit: Remittuntur tibi peccata. Cumque super hoc verbo quidam scandalizarentur, dixit: Vt sciatis quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, ait paralytico: Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.* Et surrexit, & abiit in domum suam. Quid vos ad ista? Ecce hoc non de Augustino, sed de Evangelio protuli. Cui cum maxime vos credere dicatis, aut aliorum fide alios tandem posse salvari concedite, aut de Evangelio esse quæ posui, si potestis, negate. Ecce Reguli fides non pro se, sed pro filio rogans auditur. Centurionis fides non pro se, sed pro puero humiliter interveniens, non tantũ auditur, sed & singulari laude effertur. Archisynagogi filia, nõ sua, sed patris fide resurgit. Dæmoniacus nõ sua, sed patris fide curatur. Martha

A

quia credit, Dei gloriam resurgente Lazaro videt. Chananæa non pro se, sed pro filia malè a dæmonio vexata orans, audit, *Fiat tibi sicut vis.* Fide illorum qui attulerant, Christus paralyticum non tantum curat, sed etiam peccata ei remittit: plenaque misericordia Salvator non dimidium, sed totum hominem saluat. Vnius, inquam, fidelis fide, tanta aliis Christus impartit, & totius Ecclesiæ fides baptizatis parvulis nihil valebit? Et quid est quod suprascripsi, dixisse Dominum, omnia possibilia credenti? Quid est & illud quod alibi ait. *Si quis non hæsitaverit in corde suo, quia quodcunque dixerit, fiat, fiet ei?*

Mat. 17.

Quid & illud, *Amen dico vobis, quia quicquid orantes petitis, credite, quia accipietis, & fiet vobis?* Quid & illud notissimum. *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti, transi in mare, & transibit?* Si omnia certe uni credenti possibilia sunt, universo orbi pro parvulis baptizatis credenti & oranti, impossibilia esse non possunt.

B

Credit Regulus, & salvatur filius eius. Credit Martha, & suscitatur Lazarus. Credit mundus, & salvatur parvulus. Credit pater, & surgit filia. Credit Chananæa, & à dæmonio purgatur filia. Credit Ecclesia, & a peccatis mundatur anima. Credit Centurio, & non solum puer eius curatur, sed & fides eius Israeli præponitur. Credunt paralytici delatores, posse à Christo eius curari corpus, & curatur eius & anima & corpus. Credunt quotidie parvulorum delatores, pro eis, & dum perfunditur visibili baptismate corpus, mundantur à peccatis animæ invisibili virtute spiritus. Et quis potest universa his similia de Evangelio colligere? Orat astantium fides pro febricante socru Petri, Dominum: qui stans super illam imperat febri & dimittit eam. Et quid sequitur? *Cum Sol autem occidisset, omnes qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad eum, & curabantur.*

Marc. 1.

Neque hic in tanta infirmorum multitudine, aliquorum propria fides manifeste monstratur, sed eos ad salutis largitorem adducentium credulitas aperte commendatur.

C

Videtis igitur non tantum paucos, quos supra memoravi, diverso tempore infirmos: sed etiam multos momento temporis aliena fide a Christo sanatos †.

† salvatos.

Iam si post Evangelia ad Apostolorum Actus sermonem convertam, occurrit primus Apostolorum Petrus qui rogatu discipulorum, fide ac precibus viduarum, Thabitam mortuam suscitavit, & ipse postmodum de Herodis custodia & catenis, Ecclesiæ fide & oratione exiuit.

Act. 11.

Act. 12.

Act. 5.

Quantum plane fides aliena aliis prodesse valeat, Hierusalem plateæ indicant, in quas, ut scriptura illa ait, *Multitudo credentium virorum ac mulierum eiciebant infirmos, & ponebant in lectulis & grabbatis, ut veniente Petro, saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus suis.* Et subdit. *Concurrebat autem & multitudo vicinarum civitatum Hierusalem, afferentes ægros & vexatos à spiritibus immundis, qui curabantur omnes*, non utique tantum propria, quantum afferentium fide populorum. *Salvatur*, ait Apostolus, *infidelis per mulierem fidelem, & salvatur mulier infidelis per virum fidelem.*

1. Cor. 7.

Quod si viri fide infidelis mulier, & mulieris fide infidelis vir salvatur: cur viri pariter & mulieris fide, utriusque filius non salvabitur?

D

Si illi gemina constricti catena, mutua fide solvuntur: cur originali solum nexu compeditus, quantum ad se innocens parvulus, utriusque parentis & totius, ut dixi, Ecclesiæ fide non solvitur? Alioquin secundum hunc etiam intellectum, filij eorum immundi essent. Nunc autem sancti sunt.

1. Cor. 7.

Immundi enim essent, si nullum parentem, vel pro parente haberent, quo mediatore sacramentis fidei imbui, & ab immunditia peccatorum expurgari valerent. Si vero ad vetus Testamentum accedam, ostendam unius Abrahæ fide gentem maximam à Deo electam, assumptam, salvatam: unius Moysi fide & precibus, eandem sæpe à morte ereptam: unius David fide & devotione, tribum & genus ipsius aliis tribubus & toti genti prælatam: Samuelem, Esaiam, Hieremiam, Danielem, & cæteros fide & conversatione sua, infidelis populi incredulitatem & pravitatem supportantes: Iob sanctum pro filiis fide & quotidianis hostiis Deo supplicantem: Machabæos pro populo Dei fideliter præliantes, & omnes omnino utriusque testamenti Patres hoc studuisse, ut perfectione fidei & charitatis suæ imperfectiones imperfectorum perficerent, & quod aliis deerat, ipsi supplerent.

E

Iam igitur ipsam vestram propositionem ratio perscrutetur. Dixistis. Nec baptismus sine propria fide, nec propria fides sine baptismo aliquid potuit. Neutrum enim sine altero saluat. Ad quod ego. Quod baptismus aliquando sine propria fide salvare possit, sapientibus arbitror persuasum. Quod vero propria fides aliquando sine baptismate saluet, auctoritate vel ratione existimo persuadendum. Legimus Martyres plurimos passionis interventu præoccupatos, ad baptismum pervenire non potuisse: & ante lavacrum salutare, ferventi fide morti pro Christo animas exponentes, de vita excessisse.

F

Quid ergo vos, Doctores egregij, quid Evangelicorum verborum veneratores ad ista dicetis? Nunquid cum omni temeritate vestra, etiam Martyres sanctos condemnare audebitis? Nunquid præclaros cœli incolas de supernis descendere, & apud inferos exulare cogetis? Parcite, inquam, parcite, saltem istis: nec Christum Belial, nec lucem tenebris, nec sanctos impiis commiscere velitis. Hoc si non placet, audite Christum dicentem. *Quicunque confessus fuerit me coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo.*

Matt. 10. Ioan. 12.

Et, *qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.* Et, *beati eritis cum vos oderint homines, & persecuti vos fuerint.* Et, *gaudete in illa die, & exultate: ecce enim merces vestra multa est in cœlo.*

Matt. 5. Luc. 6.

Et unum de senioribus, in Apocalypsi Ioannis Apostoli, loquentem. *Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna, & laverunt stolas suas, & dealbaverunt eas in sanguine agni. Ideo sunt ante thronum Dei, & serviunt ei die ac nocte in templo eius*, & reliqua.

Apoc.

G

Cum enim in omnibus sententiis istis nihil Christus de baptismate loquatur, necesse est, ut sola fideli passione, qui baptizari non quidem contempserunt, sed non occurrerunt, salventur. Nam nec illos, quos se hic confitentes coram patre suo Christus confitetur, aut qui odientes animam suam, id est contemnentes mortalem vitam, in vitam æternam eam custodiunt, hoc est æternaliter vivunt, vel beatos illos, quos oderunt homines & persequuntur, sive quorum in cœlo multa merces esse dicitur, vel qui sunt ante thronum Dei, serviunt ei die ac nocte in templo eius: qualibet audacia à regno cœlorum, ut credo, excludere præsumetis. Quod si forte ad istud, quoniã cuncta de vobis blasphema suspicari cogimur, temeritate solita proruperitis, ut Christi & Evangelij eius negatores, non iam nobis sicut Hæretici, sed, ut supra dictum est, sicut Ethnici & Publicani eritis. Si vero istud vitatis, necesse est vos Christo & eius Evangelio credere: & sine corporali baptismate, sola fide ac martyrio martyres, eo quo dixi modo, salvari valere. Neque enim stolas immundas habere potuerunt, qui eas in sanguine Agni, & ab immunditia laverunt, & à peccatorum nigredine dealbaverunt.

H

Iam si hoc conceditis, propria fide absque baptismate aliquos posse saluari dicetis. Quod si propria fide absque baptismate aliquos posse salvari dixeritis: cur non baptismate absque propria fide aliquos posse salvari credetis? Si Martyres fide propria absque baptismo saluantur: cur parvuli baptismo, absque propria, ut dixi, fide non salvabuntur? Aut enim secundum novam hæresim vestram, sine propria fide & baptismate nullus salvabitur: aut si propria fide, absque baptismate aliquis salvatur, consequenter baptismate, absque propria fide aliquis salvabitur. Paria quippe sunt, nec præponderare sibi invicem possunt: quoniam & coniuncta eadem operantur, & disiuncta non dissimiliter prædicantur. Si ergo secundum ea, quæ proposita sunt, alterum sine altero saluat: quassatur vestra propositio, qua dixistis: neutrum enim sine altero saluat. Quod si Iudaico more omnino literæ adhærere decrevisti,

A quæ, nisi caute accipiatur, etiam in Evangelio occidit: exponite huius saltem capituli quod proposuistis præcedentia. *Marc. ult.* Sic enim se habet litera. *Ite in orbem universum, prædicate Evangelium omni creaturæ.* Eia. Eia Prædicandum est igitur omni creaturæ iuxta sonum literæ tam rationali quam irrationali, tam sensibili quam insensibili. Prædicandum est cœlo & terræ, Soli & Lunæ, mari & aëri, avibus & pecoribus, herbis & arboribus, lignis & lapidibus. Prædicandum est absque ulla discretione omni omnino mundanæ creaturæ, ne Christo non obediatur, qui præcepit prædicari Evangelium omni creaturæ. Quid hoc insanius? Neque enim, ut æstimo, ita sensum perdidistis, ut aliis quam hominibus Christum Evangelium prædicasse vel prædicari voluisse credatis. Quod si ita est, iam sonus literæ sequendus non est, sed sanè atque Catholicè suscipiendus & exponendus est. Aut enim secundum Doctores Ecclesiæ, quos, ut dixi, nefando ausu abiecistis, quia omnis creaturæ aliquid habet homo, omnis creaturæ nomine B signatur homo: aut eo locutionis notissimo & usitato modo, quo totum pro parte accipitur, & quo pene assiduè ipsum vulgus utitur, tota massa totius creaturæ, solus qui Evangelio saluandus erat, declaratus est homo. Nam quis in loquendo hunc modum non quotidie frequentat, imo continuat: totum perdidisti, totum confudisti, totum reparasti, totum salvasti, omne bonum facis, omne bonum fecisti, omnes te requirunt, omnes te amant: cum ille qui hoc dicit, & ille cui dicitur, simul intelligant, hoc non universaliter, sed particulariter dici? Scit plane & loquens & audiens, nec totum quicquid est, ab uno homine perditum, nec totum salvatum, nec omne bonum ab illo uno factum, nec ab omnibus illum unū requiri, nec ab omnibus amari: sed nomine universitatis quandam intelligit excellentiam partis. Hinc & similes locutionum modos ab humana consuetudine tractos, & seculi sapientes Poëtæ & Philosophi, & divini scriptores, Prophetæ, & Apostoli, conservaverunt. Isto Christus usus est, quando dixit. *Prædicate Evangelium omni creaturæ.* Iam si istud conceditis, quod non concedere nisi negato Evangelio non potestis, soli homini C prædicandum esse Evangelium necessario concedetis. Hoc concesso, à litera occidente ad spiritum vivificantem transibitis, & non semper sonum literæ, sed magis quandoque sensum literæ sequendum esse advertetis. Ad quid ista? quoniam si istud attendere, si sensum vestrum scripturis, non sensui vestro scripturas inclinare: si cum timore, non cum tumore, ad eas intelligendas accedere maluissetis, neque enim parvum quid vel commune negotium est eas intelligere, cum resurgens Christus à *Luc. ult.* mortuis, non quibus libet, sed Apostolis aperuerit sensum ut intelligerent scripturas,) si istud, inquam, aspernati non fuissetis, nec novam hæresim condere, nec vosipsos famosos hæresiarchas constituere, vobis aliquatenus libuisset. Sed nec illam, quam sæpe iteravi, Evangelij sententiam, de qua hæc vestra hæresis orta est, errori vestro ancillari, & humanæ perditioni servire cogeretis. Sicut enim corpus Domini indignè sumentibus sic verbum Domini pravè intelligentibus mortem operatur æternam. Quam & vos seductores, & à vobis seducti, nisi resipiscatis, pariter incurristis: quando contra D unicum Ecclesiæ baptisma, homunciones miserrimos rebaptizastis. Ad tam immane quippe scelus, quid vos aliud, quam perversè accepta Evangelica sententia impulit, *Qui non crediderit, condemnabitur*? Putastis enim teneri parvulos isto vinculo, ut quia credere non valebant, nec eis aliquid baptizari valeret. Sed non ita est. Ostendunt hoc ipsa sacra verba, ostendunt non cæcis, sed videntibus: ostendunt humilibus, non superbis. *Ite*, ait Dominus, *in orbem universum, prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit. Qui vero non crediderit, condemnabitur.* Terrent verba ista contumaces, non condemnant innocentes. Feriunt iniquitatem, brutam non accusant ætatem. Perimunt contemptores gratiæ, non condemnant simplicitatem naturæ. Hoc indicat verbum quod dicitur, *Prædicate.* E Quomodo enim parvulis prædicandum est Evangelium, quod non intelligunt, nunciandum quod non percipiunt, intimandum quod non advertunt? *Rom. 10.* Quomodo, ut ait Apostolus de maioris ætatis hominibus, invocabunt in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Si utique credere non possunt qui non habent prædicatorem, nec credere possunt qui non habent credendi ætatem. Quod si illi à culpa perfidiæ excusantur, propter prædicatoris absentiam excusantur & isti, propter minus accomodā prædicationi infantiam. Nam si fides ex auditu, auditus autem per verbū Dei, non potuit esse fides, ubi non fuit auditus: nec auditus esse potuit, ubi non sonuit verbum Christi. Impedit quidem à salute non baptizatos parvulos peccatum originale, propellit multo magis ab ea, superadditum actuale, sed spretæ fidei reatus, quam quia non audierunt, neque spernere potuerunt, neutros prævalet condemnare. F Iustus est enim Dominus, & iustitias dilexit, *Psal. 10.* qui nunquam ab aliquo exigit quod non commisit, nec compellit aliquem indebita solvere, qui sæpe solet maxima etiam debita indulgere. Temperate igitur nimiam, quam assumpsistis, severitatem, neque iustiores illo videri velitis, cuius omnes viæ, misericordia & veritas, neque parvulos excludatis à regno cœlorum, de quibus ipse dicit. *Talium est enim regnum cœlorum.* *Psal. 24. Matt. 19.* Valde enim indecens & impium est, ut hoc negemus parvulis Christianorum, quod concedimus parvulis Iudæorum. Scelestum plane est, non tribuere hoc tempori gratiæ, quod datum est adhuc filiis iræ: perversum est ea privilegia dare populo servitutis, quæ negantur filiis libertatis. Neque enim lex Evangelio, vel Moyses Christo præponderare potuit: cum ille ut fidelis servus, hic iuxta Apostolum, ut unicus fuerit filius in domo. *Hebr. 3. Levit. 12.* Circumcidebantur præcepto divino octava die Hebræorum parvuli, & purgabantur à peccato originali. Quæ ibi fides puerorum? Quis erga suscepta sacramenta intellectus eorum? Quæ divina cognitio? quæ oris professio? G Vbi estis, qui parvulos Christianos damnatis? Salvantur parvuli Iudæorum sacramento circumcisionis, & non salvabuntur parvuli Christianorum sacramento baptismatis? Credit Iudæus, & à peccato mundatur filius eius: credit Christianus, & à simili reatu non solvetur filius eius? Nulla est fides in parvulis Christianorum, sed nec est aliqua fides in parvulis Iudæorum. Salvantur tamen aliena fide cum suscepta circumcisione, salvantur & isti aliena fide cum suscepto baptismate. Quæ ergo vobis ultra vox esse poterit? Nunquid tantæ auctoritatis mole oppressa, unquam deinceps mussitare audebit? Si homines estis, rationi cedite. Si Christiani, auctoritati adquiescite. Si videntes, lumen agnoscite. Si cæci, etiam in tenebris palpate. Tam evidens sane est veritas vos convincens, ut non tantum probari, sed si velitis, etiam possit palpari. Vicem baptismi circumcisionem tenuisse, omnibus notum est. Quod enim baptismus in Evangelio, hoc in veteri testamento circumcisio conferebat? nisi, quod regnum cœlorum non statim circumcisis aperiebat. *Apoc. 3.* Servabatur hoc illi, qui educit vinctum de domo carceris, qui aperit & nemo claudit, claudit & nemo aperit: *Gen. 49.* qui solus erat expectatio gentium, & qui rex erat regni cœlorum. H Mutatum est Christo adveniente, sacramentum sacramento, & ab auctore gratiæ iugum legis leviatum: ut sicut carnis pœna carnis culpam expiabat, sic absque carnis vulnere, levis aquæ aspersio peccata purgaret. Adauctum est superna largitate collatum beneficiū, ut sicut circūcisione totus populus Iudæorum, ita Christi baptismate totus salvetur orbis terrarum. Vnde quia non potuit umbra corpore, figura veritate, aliquo pacto excellentior apparere, necessario vos oportet confiteri Christianorum parvulos salvari baptismate, cum fateamini Iudæorum parvulos salvari circumcisione. Et quia secundum Apostolum *sine fide*, vel in circumcisione, vel in baptismate, *impossibile est placere Deo*, *Hebr. 11.* quoniam iuxta Psalmum tricesimum primum, om-

A *nia opera eius in fide*, quia parvulus Iudæorum non potuit salvari fide propria, salvatus est aliena: quia parvulus Christianorum non potuit salvari fide propria, salvatur quotidie aliena. Sacramento igitur circumcisionis, & aliena fide salvabatur Iudæus: sacramento baptismi, & aliena fide salvatur per Christi gratiam Christianus. Falsum est ergo quod proposuistis, nec baptismus sine propria fide, nec propria fides sine baptismate saluat. Et ut multo aggere sententiarum nefanda sententia obruatur, audite adhuc Apostolicam tubam, tanto sonitu inclamantem: ut cum in omnem terram sonus eius exierit, valde sit mirum si aures vestras præterire potuit. Disputans enim de reatu primi Adæ mundum condemnante, & de iustitia secundi Adæ mundum salvante, ait inter cætera in Epistola ad Romanos: *Si* Rom. 5. *enim unius delicto mors regnavit per unum, multomagis* B *abundantiam gratiæ, & donationis, & iustitiæ accipientes in vita regnabunt per unum Iesum Christum.* Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per unius iustitiam in omnes homines 1. Cor. 15 in iustificationem vitæ. Et in Epistola ad Corinth. 1. *Per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum.* Et, *sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur.* Quid nunc? nonne iam obstructum est os loquentium iniqua? An hoc uno, & solo Apostolico telo caninum guttur confossum, unquam deinceps latrare audebit? Mortem dicit regnasse per unum, accipientes vero abundantiam gratiæ in vita regnare per unum Iesum Christum. Per unius hominis delictum, omnes homines condemnatos: per unius iustitiam, omnes homines iustificatos. In Adam omnes mortuos, in Christo omnes vivificatos. Attendite, & perdentem vos pertinaciam deponite. Omnes dicit, nullum excipit. Universaliter loquitur, non particulariter. Non est hic figura de qua superius egi, qua totum pro parte accipitur. Quam ut hinc excluderet, similitudinem C dedit. *Sicut*, ait, *in omnes homines in condemnationem, sic in omnes homines in iustificationem vitæ. Et sicut omnes moriuntur, ita omnes vivificabuntur.* Unde iuxta verbum & intellectum Apostoli, sicut omnes condemnari, sic omnes iustificari: & sicut omnes mori, ita omnes necesse est vivificari. Cogit enim similitudo, ut quod de damnatis accipitur, hoc de iustificatis accipiatur: & quod de mortuis creditur, hoc nihilominus de vivificatis credatur. Sed nec vos præcedentem particulam negatis, omnes scilicet homines absque ulla exceptione in Adam mori, omnes condemnari. Quod si & secundum vos, & secundum Apostolum omnes in Adam condemnantur, omnes moriuntur: secundum eundem Apostolum omnes in Christo iustificantur, omnes vivificantur. Nam verum est quod dixit, sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem: sic & per unius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ: & verum est quod dixit, *sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur.* Quod si ita est, sicut per unius delictum omnes homines condemnati, ita & parvuli homines D condemnati. Et sicut per unius iustitiam omnes homines iustificati, ita & parvuli homines iustificati. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita parvuli omnes moriuntur, & sicut in Christo omnes vivificantur, ita & parvuli omnes vivificantur. Hæreticum est ergo & impium, excludere baptizatos parvulos à numero salvandorum. Hæreticum, quia contra rectam fidem: impium, quia contra pietatem. Et ne vel parvus insidiis vestris angulus relinquatur, dictum est, omnes quidem parvulos in Adam mori, sed nullos nisi in Christo vivificari. Neque enim parvuli Iudæorum, Ethnicorum, vel eorum qui Christianæ dispensationis fidem sacramenta contemnunt, saluantur: quia in damnatione sua remanent, non subveniente Christi iustitia, & in morte, non eos resuscitante Christi vita. Quod aperte monstrat quando dicit, per unius iustitiam omnes iustificari, & apertius quando dicit in Christo omnes vivificari. Cum enim omnes parvuli in Adam condemnentur, nisi in Christo iustificentur, pereunt. Et E cum in Adam moriantur, nisi in Christo vivificentur, nullo modo à morte resurgunt. Non habent ergo iustitiam parvuli, nisi in Christo iustificentur: neque vitam, nisi in Christo vivificentur. Sed si sacramentis à Christo institutis, eis subventum fuerit: iniusti non remanent, quia secundum præmissas auctoritates, per unum Christum omnes homines iustificantur: neque mortui perseverant, quia in Christo omnes vivificantur. Aut ergo negate hanc condemnationem & iustificationem, mortem & resurrectionem omnium hominum esse, & excludetis parvulos: aut si omnium esse conceditis, inter omnes necessario admittetis & parvulos. Admittetis inquam parvulos, quos, ut ipse beatus Apostolus inter salvandos admitteret, inter damnandos primo constituit. Sic enim decebat, ut propheticum Apostolum, etiam post tanta tempora nascitura hæresis non lateret, eamque non tantum communibus iaculis, sed & singulari spiculo terebraret. Nam F sic ait. *Regnavit mors ab Adam usque ad Moysem,* Rom. 5. *etiam in eos qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ.* Qui sunt qui non peccaverunt? Nonne de ipsis parvulis dit sermo divinus, *Non est super terram sine peccato, nec infans unius diei?* Nonne & ab ore magni illius hominis in ora omnium Christianorum derivatum est. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus* Psal. 50 *sum, & in peccatis concepit me mater mea?* Et quid necesse est rem patentem multis testimoniis cingere? Utique nullus absque peccato, si nec infans unius diei absque peccato, nec in ipso matris utero conceptus infans absque peccato. Nam cum dicit, *in iniquitatibus conceptus sum*, non solum iniquitatem parentum concipientium notat, sed & concepti peccatum à parentibus tractum pœnitendo commemorat. Nec enim inde sibi misereri Deum rogaret, ubi peccati miseriam non recognosceret. Ergo cum nullus absque peccato esse possit, actuale autem peccatum in parvulis inveniri non possit, quoniam omnis quicumque peccat, G aut originaliter aut actualiter peccat: parvuli qui actualiter peccare non potuerunt, utique originaliter peccaverunt. De illis ergo dictum est. *Regnavit mors ab Adam usque ad Moysem, etiam in eos qui non peccaverunt*, hoc est, qui non peccaverunt peccato actuali, sed peccaverunt peccato originali. Hanc originem à primo homine tractam, & in omnes homines transfusam docet, cum subdit. *In similitudinem prævaricationis Adam.* Non enim propria prævaricatio parvulos reos facit, sicut ipsum prævaricatorem Adam, sed similitudo prævaricationis Adæ. Quia igitur regnat mors etiam in parvulos qui non peccaverunt, dic sancte Apostole, utrum hi parvuli in regno mortis sint perpetuo permansuri, an inde aliquo alicuius suffragio eruendi? Nam cum loquereris de damnatione omnium hominum, non sine causa addidisti etiam damnationem parvulorum hominum. *Ego*, inquit Apostolus, *idcirco tam magnos quam parvos homines ostendo in* Rom. 5. *Adam impios, ut in Christo ostendam iustificatos.* Ostendo H in Adam damnatos, ut in Christo ostendam salvatos. Ostendo in Adam mortuos, ut in Christo ostendam vivificatos. Ostendo damna pristina per Christum non solum reparata, sed & superabundante gratia, etiam beneficia adaucta. Non enim sicut delictum, ita & donum. Si enim unius delicto multi mortui sunt, multomagis gratia & donum Dei in gratia unius hominis Iesu Christi, in plures abundavit. Et non sicut per unum peccatum, ita & donum. Nam iudicium ex uno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in iustificationem. Et ne sigillatim hæc Apostolica verba discutiens, legentibus plus iusto prolixus esse videar: breviter dico hanc summam Apostolicorum esse verborum, magis scilicet abundasse Christi gratiam ad salvandum, quam peccatum Adæ abundaverit ad damnandum. Illius enim culpa totam stirpis suæ propaginem in ipsa radice corrupit & universam simul humani generis massam originali tantummodo

A vulnere stravit. Christi autem iustitia, donum & gratia, non solum ab illa originali, quæ sic vocatur, peste, quam ille mundum infecerat, sed & ab omnibus peccatis actualibus quæ mundus addiderat, salvavit. Ea de causa Apostolus parvulorum, qui non peccaverunt, mentionem facit, & eos massæ peccatrici admiscet: ut qui inter damnatos per Adam numerantur, inter salvatos quoque per Christum pariter reputentur. Et cum superabundans saluatrix gratia, non solum originalia mundi mala remiserit, sed etiam actualia indulserit: quisquis Apostolum legit, intelligat parvulos simplici vinculo astrictos, insolubiles non manere, cum duplicis culpæ catena cæteros non potuerit retinere. Hoc mundus discat, hoc hæreticus sapiat, hoc catholicus recognoscat: à Salvatoris populo, qui saluat populum suum à peccatis eorum, ipsa ratione cogente, parvulos peccatores non posse excludi: cum infra amplissimum eius misericordiæ sinum meruerint etiam magni peccatores admitti. Et ô quanta diversitas inter benignitatem & malitiam, inter pietatem & impietatem, inter Christum benigne parvulos suscipientem, & hæreticos impie parvulos repellentes. Fecerunt olim non quidem tale quid, sed simile quid, parvulos à Christo repellendo, Christi discipuli: sed ne facerent, sunt à magistro correpti. *Offerebant*, ait Evangelium, *quidam illi*, hoc est Christo, *parvulos, ut tangeret illos, discipuli autem comminabantur offerentibus.* Nunc iam Domine Iesu, nunc iam bone magister, doce verbo: imo, ut plus audeam, ostende exemplo, utrum parvuli non propria fide ad te venientes, sed aliena tibi oblati, à te sint suscipiendi, ut Ecclesia tua docet: an repellendi, ut novorum hominum temeritas iubet. Discipuli certe tui, ut Evangelium tuum loquitur, comminabantur offerentibus: sed tu comminantes quomodo accepisti? *Quod cum videret*, inquit, *Iesus indignè tulit.* Quia ergo discipuli tui comminabantur parvulos offerentibus, indignè tulisti: sed quid comminatoribus illis dixisti? *Sinite parvulos venire ad me, & ne prohibueritis eos. Talium est enim regnum cœlorum.* Hoc quidem dixisti, sed quid fecisti? *Complexans*, inquit Evangelium *eos*, id est, parvulos. *& imponens manus super illos, benedicebat eos.* Quid vos ad ista crudeles parvulorum expulsores dicetis? Ecce quia à se repellebantur parvuli, indignè tulit Iesus: ut sinerentur parvuli venire ad se, & non prohiberentur, præcepit Iesus: talium esse regnum cœlorum dixit Iesus. Complexabat eos Iesus, imponebat manus suas super eos Iesus, benedicebat eos Iesus. Nunquid ultra innocentiam puerilem, non virili constantia, sed pertinaci malitia à Christo repellere audebitis? nunquid ab amplexante parvulos Christo, ab imponente super parvulos manus Christo: à benedicente parvulis Christo, invito ipso Christo, parvulos avelletis? Videat Ecclesia, iudicet orbis terrarum, quibus magis obserandum sit regnum cœlorum, vobis, qui contradicitis verbis regis cœlorum, an parvulis, de quibus ipse rex ait, *Talium est enim regnum cœlorum.*

Matt. 1.

B

Mat. 19. & Marc. 10

C

### *Contra reliqua Capitula Petrobrusianorum.*

D

Si de his satis est, ad sequentia nefandi Evangelij secundum vos, iam venitur: & qualiter optimi Christiani, Christi sui Ecclesiam ædificare studeant, videatur. Vos enim non tantum fidem Ecclesiæ illæsam esse non sinitis, sed ipsa quoque ædificia suffodere laboratis. Et cum Christus dicat, *Super petram ædificabo Ecclesiam meam.* Et Petrus. *Et vos tanquam lapides vivi superædificamini.* Et Paulus. *Sicut sapiens architectus fundamentum posui.* Et David. *Fundamenta eius in montibus sanctis.* Et mille talia, vos & tantorum opificum spiritualia opera, & ipsorum latomorum sudore elaboratos parietes, pari ruina, uno que virtutis vestræ impulsu, simul subruere conamini. Nam nec fidem Ecclesiæ, ut dixi, illæsam, nec muros integros diu tolerare potestis. Prædicatis enim templa superfluo fabricari, cum Ecclesia Dei non constet multitudine sibi cohærentium lapidum, sed unitate congregatorum fidelium. Dicitis crucem Domini honorandam vel adorandam non esse, quoniam species, quæ Dominicorum cruciatuum & mortis instrumentum fuit, abiicienda, non veneranda; ignibus concremanda, non stultis supplicationibus res insensibilis invocanda est. Asseritis corpus Domini in sacramento altari Ecclesiam non habere, & quicquid in eo à sacerdotibus fit, inane prorsus & absque aliquo veritatis effectu, quoniam Christus non futuris Christianis semper, sed præsentibus tantum discipulis illud semel dederit. Affirmatis vanum esse orare vel quicquam boni facere pro defunctis quia eos vivorum bona iuvare non possunt, qui totum meritum suum, cui nil addi possit, secum quando hinc transiere, tulerunt. Additis sanctis affectibus delectatur, nec altis vocibus advocari, nec musicis modulis potest mulceri. Currat ergo iuvante Deo stylus per singula, & eo quod proposita sunt ordine sigillatim cuncta discutiat. Agnoscetis vos ostensis auctoritatibus, siquidem resipiscere potueritis, aut nimium cæcos qui tantam lucem videre, aut nimium stultos qui tam aperta intelligere, aut nimium pertinaces fuisse, qui tantis testibus credere non potuistis.

Matt. 16.
1. Pet. 2.
1. Cor. 3.
Psal. 86

E

F

### *Contra id quod dicunt, Basilicas vel Altaria fieri non debere.*

Ecclesiam Dei vnitate fidelium congregatorum constare, & vos, vt audio, dicitis, & omnibus clarum est. Locorum autem sacrorum ædificia fieri non debere, & facta subrui oportere, vos quidem affirmatis: sed nos toto mundo nobis adiuncto, contradicimus. Et ne putetis terrore magni nominis veritati, si qua apud vos est, me vim inferre conari: audite, cui maxime Christiana subdi colla oportet, auctoritatem. Vt igitur ea quæ sacra scriptura edita est, serie, testimonia proferantur: Noe post diluuium ædificasse altare Domino, ac super illud obtulisse sacrificium, Deumque odoratum odorem suavitatis: Abraham quando præcipiente Deo Isaac filium suum immolare voluit, altare prius construxisse, ac desuper ligna composuisse: Iacob erexisse lapidem in titulum, & fudisse oleum desuper, ac dixisse, *Vere Dominus est in loco isto, & non est hic aliud nisi domus Dei & porta cœli*, Genesis in divinarum literarum primordio narrat. Exodus quoque ne exercitui Dei sacer locus ad orandum vel sacrificandum deesset, quod solum in procinctu constitutis congruere poterat, tabernaculum portatile ex multis speciebus divino præcepto à Moyse compositum, & à Deo etiam visibiliter consecratum, memorat. Postquam vero terra Chanaan & aliarum gentium hostibus extinctis, ab Hebræis possessa est, cum innumeris abundarent civitatibus & castellis, non nisi primum in Silo, ad vltimum in Hierusalem, ad orandum vel sacrificandum Dei præcepto convenire poterant. In quibus tantum locis, testante scriptura, tabernaculum pellium & cortinarum mansit, quousque templum lapideum ei successit. Quod cum ædificare David rex cogitasset, contra hunc vestrum nostris diebus exortum errorem ante tot secula disputans Deus: *quia hoc*, inquit, *cogitasti, bene fecisti hoc ipsum mente pertractans. Sed non tu ædificabis mihi domum, quia vir sanguinum es: sed filius qui egredietur de vtero tuo, ille ædificabit mihi domum.* Bene, ait, fecisti, hoc ipsum mente pertractans. Quid ipsum? Deo scilicet ædificare templum. Quod si bene fecit David etiam tantum cogitando ædificare templum Deo: male fecistis vos etiam tantum cogitando destruere templum Dei. Si, inquam, bene fecit ille, optando templi Dei constructionem, male facitis vos in corde versando sacrorũ templorum eversionem. Quod si malũ est, saltem hoc cogitare: quanto magis prædicare? Si malum est cogitare, quanto magis cogitata implere?

G Gen. 8.
Gen. 22.
Gen. 28.
Exo. 40.
H 3. Reg. 8.

Si

A malum est cogitare, quanto magis cogitata implere? Si malum est mente de ruina Ecclesiarum tractare, quanto magis diruere? Si mala est destructionis cogitatio, quanto peior ipsa destructio? Quod Christo Iudæi pro crimine obiecerunt, hoc Christiani Iudæis peiores novo sacrilegio commiserunt. Marc.14. Accusabant illi falso dixisse Dominum, *Ego destruam templum hoc manufactum*, accusamus nos veraciter vos non solum dixisse, sed & scelestis manibus templa Domini destruxisse. Non fuit leve, etiam apud iniquos, quemlibet templo Dei ruinam minari, quam nostri temporis & nominis homines Ecclesiis eius non timuerunt inferre. Videte, videte templi Domini destructores, quid destruendo commisistis: cum ab eius constructione inhibitum magnum regem & Prophetam David videatis? Ille, ille certe inhibitus est, de quo divina voce dictum est. Psal.118. *Inveni David virum secundum cor meum*: & qui dicere potuit, B *Ab omni via mala prohibui pedes meos*; *& omnem viam iniquam odio habui, & dilexi mandata tua super aurum & topazion.* Quod si tanti viri manus ad construendum templum Dei admitti non meruerunt, nunquid vestræ manus ad destruendum impune parare se potuerunt? 2.Reg.6. Sublevare voluit inclinatam arcam Dei Oza & periit: & vos toto conatu Ecclesiam Dei Israel subvertere quæritis, & salui eritis? Si occisus est qui sustentabat, nunquid vivet qui præcipitat? Advertite studiosi templorum subversores, quam contrarius vos Deo spiritus agit, qui opus eius evertere, qui fabricam iussu eius erectam conamini destruere. Iussu autem eius erectam prioris templi fabricam, & supra audistis, & adhuc recolite. *Non tu*, ait Deus ad David, *ædificabis mihi domum, sed filius tuus quem dabo pro te super solium tuum, ipse ædificabit domum nomini meo.* Et ne putetis solius constructionis Deum fuisse auctorem, videte sanctificatorem. Perfecto enim templo cum multiformi ornatu à Salomone, & inducta arca Dei à sacerdotibus C 3.Reg.8. in locum suum, ait eadem verax scriptura. *Factum est cum exissent sacerdotes de sanctuario, nebula implevit domum Domini. Et non poterant sacerdotes stare, & ministrare propter nebulam. Impleverat enim gloria Domini domum Domini.* Tunc ait Salomon. *Dominus dixit, ut habitaret in nebula.* Et ut sanctificati à Deo templi ipso teste meminit, audite eum apparentem Salomoni, & dicentem. Exaudivi orationem & deprecationem tuam, qua deprecatus es coram me. *Sanctificavi domum hanc quam ædificasti, ut ponerem nomen meum ibi in sempiternum: & erunt oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus.* Iudicate ergo, cui magis credendum sit, Deo templi sui constructionem præcipienti, an vobis destructionem suadentibus: Deo consecranti, an vobis prophanantibus: Deo congruum locum ad preces & sacrificia designanti, an vobis absque templis & sacrificiis Christianos esse iubentibus. Vere antiqui erroris novi reparatores, qui Deum non in templo suo: sed Baal in omni colle excelso, & sub omni ligno frondoso coli præcipitis, cum agros & nemora sanctificatis ab eo locis præponitis. Qui quantum hoc ei contrarium esset ostendens, D non nisi in loco, quem se ad hoc elegisse dixit, sacrificia offerri voluit. In quo ter in anno totius gentis conventus fieri mandavit, ubi & Deum adorarent, & vota solverent, & quæ de lege dicenda erant audirent. Et quamvis secundum Salomonis orationem, Deus domo non egeat, Psal.101. quem cœlum & cœli cœlorum capere non possunt, & iuxta Psalmum David dicentis, *In omni loco dominationis eius benedic anima mea Domino*, ubique adorandus sit: in tantum tamen singulare voluit habere privilegium domum sibi singulariter dedicatam, ut ibi precantibus populus gratiam maiorem infunderet, & preces efficacius exaudiret. Vnde ad commendandam gratiam, & dignitatem novi Christianorum sacrificij, quod dum animales & superbi fueritis non capietis: non nisi in loco illo ad hoc, ut dixit, electo, sacrificia fieri permisit: intantum, ut pro magno delicto imputet scriptura etiam bonis & laudatis regibus Iudæ, quod cum idola & eorum cultum omnino

E in regno proprio annullassent; in excelsis tamen, in aliis scilicet locis quam templo, subiectum populum, non quidem idolis, sed Deo ipsi sacrificare permisissent. Inde culpans unumquemque eorum scriptura, dicit. *Veruntamen excelsa non abstulit.* Adhuc populus sacrificabat, & adolebat incensum in excelsis. Sic non cultum, sed locum culturæ culpando ostendit scriptura, noluisse Deum passim ubique sacra illius temporis celebrari, quibus & certos ministros deputare, & certum locum voluit dedicare. Ad hunc Iudæi omnes multique Gentilium, ad hunc magni reges & Prophetæ vel iussas hostias, vel vota Deo propria oblaturi veniebant. Ad quem utrum rex Ezechias post ægritudinem esset ascensurus, invisam seculis omnibus Solis retrocessionem, à Deo per Prophetam Esaiam in signum accepit. 4.Reg.20. ... 38. Hunc à rege Chaldæorum destructum Principes Zorobabel & Salathiel, sacerdotes Esdras & Iesus, Prophetæ Aggæus & Zacharias repararunt: rursumque ab Antiocho prophanatum, Machabæi sanctificarunt. 1.Esdra. F 1.Mac.10. Luc.2. In hoc finis legis & initium Evangelij Christus, puer adhuc à parentibus oblatus, ritum omnem implevit: & quid reverentiæ sacris locis debeatur, prius tacens exemplo, quam docens verbo clamavit. Et ne in aliam partem pertinacia qua cœpistis, etiam illud interpretari velitis: legite Evangelium, & videte quotiens in Pascha, in Scœnopegia, in Encæniorum solemnitate, Hierosolymam veniens in templum ascenderit: Marc.12. & Luc.1. Mat.8. qualiter ibi verbum vitæ, quod ipse erat, populis palam prædicaverit, sedens iuxta gazophylacium offerentes Deo munera, & maxime viduam laudaverit: offerri munus quod præceperat Moyses curato à se leproso præceperit, accedentes ad se in templo cæcos & claudos, locum divinis miraculis honorando, curaverit. Recolite & illud, quo solo velut ariete tota insani dogmatis vestri machina subvertitur. Illud, inquam, recolite, quid iam proximus passioni fecerit, quando facto flagello funiculis, vendentes & ementes de templo eiecit, cathedras vendentium columbas evertit, & Deuteronomij assumpto testimonio increpans dixit. G Mat.21. Marc.11. & Luc.19. *Scriptum est Domus mea, domus orationis est. Vos autem fecistis illam speluncam latronum.* Ad quid tot ista? ut tandem pudeat vos stultissimi erroris, quem nec Iudæus, nec Paganus, nec Christianus alter, præter vos, invenire potuit. Vult enim omnis religio locum, ubi sacra sua venerari, & ubi familiarius institutis suis valeat deservire †. († inservire.) Hinc Iudæi in templo Dei, hinc Pagani in fanis, licet profanis, tantum hostias immolabant. Hinc Christiani usque ad vestra tempora, à Deo institutas, quas subvertere quæritis, Ecclesias habebant. Quocirca dum in his permanseritis, merito extra numerum omnium hominum eritis: qui in his, legibus omnium repugnatis, & expulsi à fidelibus, nec capud infideles latibulum invenietis. Redite ergo prævaricatores ad cor, & qui diu desipuistis, iam tandem sapere incipite. Videte Deum templi sui fabricam erigentem, erectam sanctificantem: Prophetas diruta restaurantes, restaurata consecrantes: Esa.46. Christum ipsum templi Dominum, templum cœlesti verbo & sublimibus miraculis honorantem, negociatores de illo verbis, & verberibus eliminantem, domum Dei, domum Patris sui, domum orationis esse, dicentem. H Nolite ultra destruere, quod Deum ædificare cernitis: nolite prophanare, quod eum honorare conspicitis. Intelligite Deum Christianorum, Deum fuisse Iudæorum: qui sicut tunc sine templo esse noluit; ita nunc sine Ecclesiis esse non vult. Quod si quæritis, quare, tunc non nisi unum à Iudæis, nunc vero multa sibi à Christianis fieri templa velit: patet ratio, quia uni & circum positæ genti templum unum de proximo sufficiebat: & ne dæmonum sacrificiis, quæ ubique fiebant, paulatim illectus iungeretur, prono ad idololatriam populo prospiciebat. Est & illud sublimius, si tamen Iudaizando figuras non abiicitis, quod illo uno templo, una Ecclesia, illius unius templi sacrificiis, unicum Ecclesiæ sacrificium designabatur. Quod cum sit, remota veteri multiplicitate, unum non nisi in una Christi Ecclesia

A fieri potest: quoniam locus veri sacrificij extra Catholicam Ecclesiam non est, quia unus Dominus, una fides, unum baptisma, una Ecclesia, una hostia. (Ephe. 4.) Hæ sunt causæ, quæ ad præsens occurrere potuerunt, cur uno tantum templo à Iudæis colebatur, qui à Christianis nunc innumeris, quantum ad ædificia pertinet, Ecclesiis honoratur. Quæ si sufficiunt, bene. Si non, aperiat vobis sensum intelligendi scripturas, ut agnoscatis secundum Apostolum, omnia illis in figura contigisse, & scripta esse ad correctionem nostram: (1 Cor. 10.) quæ sicut multos à suis erroribus correxerunt, utinam & vos à vestris corrigere possint! Cur vero post illam Iudaici templi unitatem, hæc Christianarum Ecclesiarum multiplicitas orta sit, ex supradictis lucidè demonstratur. Vnum enim templum, quod uni populo sufficiebat, universo iam mundo sufficere non potest. Impletum namque est, quod Ecclesiæ per Esaiam dictum est. (Esa. 54.) Ne parcas, longos fac funiculos tuos, & clavos tuos consolida. Dilata locum tentorij tui. Dilataberis ad orientem & occidentem, ad aquilonem & ad austrum. B Inde & Malachias. (Mala. 1.) *Non est mihi*, ait Dominus, *voluntas in vobis, neque accipiam sacrificium de manibus vestris. Ab ortu enim Solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco offertur nomini meo oblatio munda.* Quam Prophetæ sententiam ad unguem exequens Dominus, ait Samaritanæ in Evangelio. (Ioan. 4.) *Mulier, venit hora quando neque in monte hoc, neque in Hierosolymis adorabitis Patrem.* Et post quædam. *Venit hora quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate.* Quid clarius, quid manifestius, quid apertius requiritis? Ecce in Iudæorum reprobatione & Gentilium electione: sacrorum, de quibus agitur, locorum quæstio solvitur: & quod uni sacrificiorum templo multa oblationum loca succedere debeant, evidenter monstratur. Et, ô in diversis temporibus mirabiliter consonans Prophetæ Christique præsagium! Quod enim ille ait, *Non accipiam sacrificium de manibus vestris*: hoc iste, *venit hora quando neque in monte hoc, neque in Hierosolymis adorabitis Patrem.* C Et quod ille, *in omni loco offertur nomini meo oblatio munda*: hoc iste, *veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate.* Ecce hora, de qua Dominus dixerat, *Venit hora*, quando, sicut oculis cernimus, neque Iudæi Hierosolymis, neque Samaritæ in monte suo: tantum loca sacra putabant, ritu antiquo adorant, quia non accipitur à Deo sacrificium umbratile, succedente veritate, nec necessarius est agnus, aries, aut vitulus, cum pro omnibus unus sufficiat immolatus Christus. Hoc certe est tempus, quando veri adoratores adorant Patrem in spiritu & veritate, quando non in uno tantum, sed in omni loco offertur nomini eius oblatio munda. Quæ quia munda est, oportet & loca, in quibus offertur, mundari. Quod tunc fit, cum spiritu sanctificationis per humanum ministerium sanctificantur loca, ac de communibus fiunt divina: & invocato nomine Domini, eius solum ibi habitatio præparatur, cuius singularis essentia consortem habere non patitur. Mundantur ergo prius loca, & sic in mundatis locis offertur nomini eius oblatio munda. Sic in hoc tempore Christianæ gratiæ, secundum hanc propheticam vocem, & in omni loco offertur nomini eius oblatio munda: D & non nisi in certis sanctificatisque locis offertur illa oblatio. Cum enim de utriusque testamenti sacrificio agens Apostolus dicat, (Heb. 11.) *necesse est, exemplaria quidem verorum his mundari, ipsa vero cœlestia melioribus hostiis quam istis.* Quis sani capitis vel suspicari possit, inferiores hostias, quibus exemplaria verorum mundantur, non nisi in sacris locis, meliores vero hostias quibus ipsa cœlestia mundantur, passim in non sacris licere offerri? Ibi bos non nisi in sacro templo mactatur, & hic Agnus Dei in nemore vel agro, domo vel foro: stabulo vel taberna, immolabitur? Ibi ad pecudum cruorem effundendum tanta cura tabernaculum vel templum iussu Dei construitur, ornatur, consecratur: & sanguis Iesu Christi, qui, ut ait Ioannes Apostolus, (Apoc. 1.) dilexit nos, & lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo, nec apud redemptos locum merebitur? E Præparat ingenti cura servilibus sacrificiis templum Iudæus: & non parabit liberatrici hostiæ Ecclesiam Christianus? Damnatur ibi, qui extra designatum locum vel Deo obtulerit sacrificium: & impunitus esse poterit, qui in loco alieno finem omnium sacrificiorum immolaverit Christum? Sed scio, ut supra dixi, quia & hoc nostrum sacrificium contemnitur, & prorsus nunc in Ecclesia esse negatis. Contra quam hæresim me superius agere promisi, & suo loco, Deo adiuvante, promissa exequar. Interim etsi non ad sacrificandum, ad orandum tamen templa vel Ecclesias fieri debere, negare non potestis: cum & in Pentateucho & in Evangelio, hoc est, in veteri testamento & novo, audiatis Dominum dicentem. (Esa. 56. Matt. 21. & Luc. 19.) *Domus mea, domus orationis est.* In qua domo constitutus matri se quærenti, & conquerenti, respondit. (Luc. 2.) *Nesciebatis, quia in his quæ patris mei sunt, oportet me esse?* F Qui & duos homines ascendisse in templum ut orarent, & unum exauditum, alterum reprobatum, narrat. (Luc. 18.) Et Lucas Evangelista Annam usque ad annos octoginta quatuor viduam, in templo ieiuniis & orationibus nocte ac die servisse commemorat. (Luc. 2.) Agnoscite ergo saltem domum orationum, ut postea cognoscatis & sacrificiorum. Quod si de his etiam Apostolicum testimonium quæritis, audite Ioannem scribentem septem Ecclesiis quæ sunt in Asia: & Lucam in Actibus Apostolorum, sicut incrementa Ecclesiæ, sic & nomen Ecclesiæ celebrantem. Qui etiam in Evangelio testatur Apostolos post Ascensionem Domini in templo semper fuisse, laudantes & benedicentes Deum. (Luc. ult.) Petrum quoque & Ioannem in Actibus Apostolorum ad horam orationis nonam, non forum petentes, sed in templum ascendētes. (Act. 3.) Recolite etiam Epistolas Apostolorum, & ipsius Pauli, diversis Ecclesiis missas. Si vero appellatione Ecclesiarum spiritualem magis fidelium congregationem quam corporalem structuram significari dixeritis: videte quid Paulus Corinthios corripiens dicat, (1 Cor. 11.) G *Convenientibus*, inquit, *vobis in Ecclesia, audio scissuras esse, & ex parte credo.* Et post pauca *Nunquid domos non habetis ad manducandum & bibendum, aut Ecclesiam Dei contemnitis?* Quidam enim Corinthiorum escas suas, quibus domi vesci potuissent, ad Ecclesiam deferebant: & ubi Dominicam tantum cœnam comedere deberent, domesticos cibos edebant: & ditiores qui sibi parare poterant, pauperibus qui non poterant, pudorem inferebant. Et rursum Apostolus. *Convenientibus*, inquit, *vobis in unum, iam non est Dominicam cœnam manducare. Vnusquisque enim suam cœnam præsumit ad manducandum. Et alius quidem esurit, alius autem ebrius est.* Ecce non tantum conventus Ecclesiæ, sed & structura Ecclesiæ his verbis apertè monstratur. Locus plane ad conveniendum certus, & sacratus monstratur, in quo Dominicam solummodo cœnam licere manducare Apostolus dicit: & à quo Corinthiorum cœnas sive convivia duris increpationibus repellit. Inde illos de schismate arguit, inde Ecclesiæ Dei contemptores, inde præsumptores vocat. Vnde & epulones illos ad domos proprias remittit, cum dicit. H *Nunquid domos non habetis ad manducandum & bibendum?* ut scilicet in suis domibus illis cibis utantur, quibus absque reatu in domo Dei uti non poterant. Docet summus post Christum Ecclesiæ Magister, domorum, & domorum distantiam: & quid domui divinæ, quid humanæ conveniat, more suo lucide manifestat. Non patitur crimina carnis in domo spiritus celebrari, sed vult Christianos in domibus suis communes cibos edere, in domo autem Domini Dominicam tantum cœnam manducare. Instruit eos, ut sicut in illis victum corporis, sic in ista victum animæ quærere discant: & sicut in illis vitam mortalem, sic in ista vitam sibi provideant sempiternam Imitatus est magistrum discipulus Christum, in quo loquebatur Christus. Et sicut ille templum Dei noluit esse domum negociationis, sic iste Ecclesiam Dei non est passus fieri domum comestionis. Sic ille negociatores, hic repellens comestores,

docent

A docent & sacra fuisse loca illa, in quibus nec vitæ humanæ necessaria exercere licebat: & semper Christianis talia providenda, in quibus solum orationis negotium fiat, & in quibus Dominicam tantum cœnam manducare liceat. Iam si cum Christianis mihi sermo est, Christo & eius Apostolo vos credere oportebit, & sacrorum ædificiorum non iam ruinam, sed ædificationem: non detrimenta, sed incrementa quærere, auctoritas invicta compellet. Insulsa sane & bestialis hæresis unde exoriri potuerit, non satis mirari sufficio. Ita enim omni auctoritate vel ratione destituitur, ut nisi simplicium animarum periculum cogeret, contra tam viles nænias vel os aperire animus nausearet. Quid enim? Nunquid per viginti quinque annos, quibus Romæ Petrus Apostolus sedit, absque templo vel Ecclesia, id est orationis domo, vel B parvo saltem oratorio fuit? Nonne ut gestorum veracium series narrat, si tamen præter divinum Canonem gestis aliquibus assensum datis, primus ipse princeps Apostolorum Petrus, in urbe orbis capite templum Christo inter innumera gentilium templa construxit: & iuxta quod beatus & magnus Papa Leo nobili sermone pronunciat, trophæum crucis Christi Romanis arcibus invexit? Nonne & nosipsi Romæ positi frequenter vidimus in scriptis antiquissimis oratoria & altaria, qualia eo tempore fieri poterant: quæ ab eodem Apostolo constructa & sanctificata, sicut per successionem fama consentiens, ac celeberrima protestatur, in monumentum tantæ sanctitatis fidelibus ostenduntur, & ab eisdem fidelibus dulcissime ac devotissime deosculantur? Nunquid apud Arelatem, quam nec dum per Dei gratiam vester sordidus error infecit, Pauli Apostoli discipulus Trophimus, de cuius fonte, ut Papa Zosimus scribit, omnes Galliæ fidei rivulos acceperunt: semper in campo aut in foro prædicavit, baptizavit, oravit: & nunquam domum ora-C tionis vel ipse habuit, vel alios habere instituit? Et unde tot sancti successores eius hoc præsumere ausi sunt, quod ille non docuit, à quo fidei rivulos acceperunt? Sed ut de primis Galliæ nostræ Apostolis, quos vestra impia fatuitas, & fatua impietas, hactenus scire non meruit, aliquid plenius dicam: sicut ipsa testatur antiquitas, à sanctis viris nobis relictæ tradunt historiæ: non solum nos, verumetiam omnes Christiani populi, pusilli cum maioribus, senes cum iunioribus, vestram insaniam irridentes, certissimè tenent: quod Hireneus Lugduni, Crescens Viennæ, Vrsinus Biturigis, Paulus Narbonæ, Saturninus Tolosæ, Austremonius Arvernis, Martialis Lemovicis, Burdegalæ, & Pictavis, Fronto Petragoris, Eutropius Xanctonis, Gatianus Turonis, Iulianus Cenomannis, Parisiis Dionysius, Senonis Potentianus & Savinia-D nus, Beluaci Lucianus, Æduæ Andochius, Lingonis Benignus: & quis omnes gloriosissimos fidei nostræ patres, & Apostolos enumerare sufficiat? Isti certè, isti, ubicumque nomen Domini annuntiaverunt: statim idolorum delubra, prout fas fuit, evertentes, aut novas Ecclesias fundaverunt, aut ipsa templa in Ecclesias converterunt: adeo ut hodieque in plerisque locis, sicut ipsi nostris oculis inspeximus, Ecclesiæ vel Basilicæ ab eis constructæ, altaria manibus eorum fundata & consecrata, in memoriam antiquitatis & sanctitatis eorum à fidelibus populis reservata monstrentur: quámque ridendi & detestandi sitis omnibus hominibus, quadam viua voce loquantur. Et ut ad orientem & cæteras mundi partes transitum faciam, quis Illyricum, Græciam, Scythiam, nisi Paulus & Andreas? quis Asiæ maximas partes nisi Ioannes & Philippus? quis Persica regna cum proximis gentibus, nisi Simon & Iudas? quis Indicas partes & Solis ortui contiguas terras, nisi Thomas & Bartholomæus? quis totam Æthiopiam, nisi Matthæus, primi & novissimi Apostoli Christi, vetustæ superstitionis templa destruentes, novæ gratiæ Ecclesiis impleverunt? Ita universi veteris, & novæ legis auctores unanimi studio vobis adversantur: ut necesse vobis sit, aut tantis E testibus adquiescere, aut sine Christo, Prophetis & Apostolis, Christianos fallaciter permanere.

*Contra id quod dicunt, Crucem Domini nec adorandam, nec venerandam: sed magis confringendam, & conculcandam esse.*

Hinc ad defendendam Crucem Domini contra secures vestras & gladios sermo festinet, licet iam non nisi tardus accedere possit. Prævenistis scelestis operibus celeritatem verborum, & profundis in religione odiis, quod vel cogitare scelus fuerat, insigne nostræ fidei tollere attentastis. Quod tunc factum est, quando ad inauditam divinitatis contumeliam, magno de crucibus aggere instructo, ignem immisistis, pyram fecistis, carnes coxistis, & ipso passionis F Dominicæ die Paschalem Dominicam præcedente, invitatis publicè ad talem esum populis, comedistis. Sic sacris lignis sacrilegos ignes alentes, credo iuxta Prophetam Esaiam, cum idololatris dixistis. *Vah! calefactus sum, vidi focum.* Ita ignibus calefacti, carnibus impinguati, medullatum vos ipsos sacrificium Esa. 44. non Deo, sed diabolo obtulistis, & sicut de prævaricatore populo Moyses dicit, *Incrassatus est dilectus, & recalcitravit: incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum, & recessit à Deo salutari suo.* Deut. 32. Recessistis plane & vos, si adquiescere non vultis, Crucem negando, à Deo salutari vestro: à quo nullo pacto salutem consequi poterit, quisquis Crucem, in qua maxime salus est constituta, contempserit. Credo astu hæretico hoc vos consilium invenisse, imo nequitiæ Principem per proprios vernulas fallaciæ suæ optimè providisse, ut hoc uno iaculo, si vulnus incautis infligere posset, levi negotio, non tantum sospitatem, sed & vitam auferre valeret. Nam G sublato de medio crucis nomine, ubi crucifixi mentio remanebit? Subtracto crucifixi vocabulo, ubi mortis vel passionis recordatio permanebit? Ablata mortis vel passionis memoria, quæ redemptis spes salutis, evacuato redemptionis pretio, supererit? Sed novi dolere vos vices sociorum, & homines hæreticos, dæmonum iniurias velle ulcisci. Fugantur apostatæ spiritus apparente crucis signo, & superbi Angeli, qui contra ipsam invictam maiestatem caput erigere nisi sunt: isto, quod sic contemnitis, abiectionis indicio, ut nebula matutini Solis radiis discussa, vanescunt. Hac vos permoti iniuria, iurata contra crucem Domini bella suscepistis, & homines nequiores dæmonibus eorum pati dedecora non potestis. Non potestis certe quod odiunt diligere, quibus & in hac vita mores, & in futura ignes, nihil adversum, nihil diversum esse designant. Moribus ergo modernis, & ignibus æter-H nis concors parilitas, nil nos mirari faciunt, si & quod volunt vultis, & quod nolunt respuitis. Sed quos minamur ignes forsitan vos non terrent, quoniam iuxta Esaiam, pepigistis fœdus cum morte, & cum inferno Esa. 28. fecistis pactum. At secundum eundem, fœdus vestrum cum morte dissipabitur, & pactum vestrum cum inferno non stabit. Nam, ut Poëta ille ait,

*Nulla fides regni sociis*,

& ut Christus in Euangelio, *Omne regnum in seipsum divisum, desolabitur.* Vnde quoniam commune cum Mat. 12 & Luc. 11. dæmonibus regnum delegistis, solvetur cito male parta concordia, & impiorum pax diuturna esse non poterit: quia non est pax, dicit Deus meus, impiis. Fiet Esa. 48. igitur lignum vitæ vobis lignum mortis, ut quos semel de eiusdem sacri ligni frustis succendistis focos, vobis perpetui perseverent: & sicut ipsis vos immortales, sic illi vobis inextinguibiles permanebunt. Sed ne moram faciam, spiret iam serpens sibila sua: & quibus diu tumet, venena profundat. Stultum est, inquit, & prophanum adorare vel venerari crucem: quia lignum quod Christi membra torsit, magis est

A conterendum vel comburendum, quam venerandum vel adorandum. O præclara sapientia! ô ratio de intimis eruta philosophiæ! Non digno supplicio cruciatus Dominicos vindicatis, nec tantum scelus congrua ultione damnatis. Mors Domini non est horario expianda tormento, iniuria conditoris non nisi pœna perpetua est punienda. Non est necesse repetitis ictibus retundi secures vestras, nec feriendo membra lassare. Extinguite ignes succensos, congestum aggerem crucium dissipate: est qui ulciscatur iniurias suas. Creator ipse qui passus est, impiam crucem se torquentem torquebit: & cum Herode ac Pilato, Iuda vel Caipha, eam in gehenna retrudet. Erit eis commune supplicium, quibus fuit par reatus: & quia Deo simul tormenta intulerunt, pariter in inferno ardebunt. Sic plane, sic iustum est, ut qui de morte Dei cœli arguitur, non minore quam inferni supplicio puniatur. B Hac iustitia quicquid contumeliæ vel indignitatis Deo homini materia fuit, condemnandum est. Inde loca ipsa passionis execranda, civitas evertenda, sepulchrum eruendum: in quo licet quieverit, Deo tamen sepeliri iniuria extitit: mors eius insuper detestanda, passio conculcanda, &, ut breviter multa dicam, tota salvatricis humilitatis dispensatio contemnenda. Vt quid sic loquor? ut tanta vobis absurditate obiecta, erubescatis: & nulla pœna vel contumelia dignam esse rem, in qua culpa non potest cadere, cognoscatis. Inesse enim culpa non potest, ubi ratio non est. Ratio vero non nisi in animali est. Sed crux animal non est, unde in ea ratio non est. Et quia in ea ratio non est, neque culpa, ut dixi, est. Quod si culpa nulla in ea est, nec reatus mortis Christi ei imputandus est. Hoc si verum est, non erat ei velut pro pœna culpæ, inferenda contumelia: non C erat cædenda securibus, non ignibus concremanda. In cruciatibus enim vel morte Salvatoris, prava tantum voluntas pravorum hominum condemnatur: quia solus creaturæ rationalis affectus, creatoris gratia adiutus vel desertus, semper aut remuneratur aut condemnatur. Excusatur ergo hac gemina ratione crux à reatu cruciatuum: quia ubi sensus non fuit, nec assensus criminis esse potuit: & quia reliqua passionis loca ob salutarium pœnarum quam contrahere non potuerunt, culpam, nec vosipsi, ut æstimo, nec quilibet iudicat execranda. Male igitur factum est, quando innoxium lignum quasi nefandi sceleris obnoxium præsumptuosis manibus vestris confractum est, male quando iniustis ignibus combustum est. Sed vos adhuc. Si quis, ô viri, laqueum quo patris guttur fregisset, gladium quo amicum vel fratrem necasset vobis afferens, honorare vel adorare vos illa moneret: nonne in monitorem, si facultas daretur, toto motu animi insurgeretis? nonne oblata aut flammis absumeretis, aut quo fieri posset modo, pessundaretis? Ista D cum in Capitolio Senatorum, quales vos aggregare soletis, de consulari vel regio tribunali, declamatorio ore gestuque terribili vobis proferre moris sit: adducto statim in sententiam vestram eruditissimorum illorum conventu, invictæ orationi subito acclamatur: altis omnes vocibus cognitæ tandem per vos veritati adgaudent, conflantur immensa in crucem odia, ad vindicanda crucifixi tormenta, contra crucem gladiis & ignibus universi armantur. Et quis unquam præter vos, ô asinina stoliditas! paternam necem vel fraternum sanguinem à laqueis vel gladiis, & non magis à suspensoribus vel necatoribus † exegit? Quis unquam, præter vos, in vindictam sanguinis laqueos combussit, gladios confregit? Quis unquam præter vos, peremptoriis instrumentis, & non potius perimentibus impiis iratus est? Quis unquam præter vos, aduersus arma, & non magis aduersus armatos armatus est? O tempora! ô mores, qui talia vel audire potestis! Indignabor prostrato exercitu contra tela inimicorum, & perempto patre, aduersus gladios bella suscipiam. Irascar occiso fratre, telo perimenti: & suspenso amico, in laqueum stomachum commovebo. E Luent facta inimicorum res innocuæ, & pro sceleribus impiorum innocens creatura damnabitur. Inferetur pœna non sentienti, & brutæ rei contumelia irrogabitur. Dessecabitur † illa gladus, nec dolebit: comburetur ignibus, nec curabit: deformabitur ludibriis, nec erubescet. Pascetur his tormentis inimicus animus, & egregia vindicta satiatus, à furore concepto paulatim detumescet. Exardescet odium nostrum contra gladios hostium, & adepta victoria, sicut hostes perimi, sic istos necesse erit confringi. Non sic, ut aliquid auctoritatis addam, non sic famosus ille pugnator David fecit. Non, inquam, execratus est vel confregit Goliæ gentilis gladium, quem aduersum se ille produxerat, quo elatus, agminibus Israël exprobraverat, acies Dei viuentis blasphemaverat: sed eo armatus & tunc caput inimicum abstulit, & post, F eumdem de sanctuario à sacerdote accepit. Qui nec inter sacra reponeretur, nec à Propheta in usum bellandi acciperetur: si iuxta vestram sapientiam, execrandus vel confringendus iudicaretur: nec diceretur de illo, Da mihi illum, non enim est hic alius similis illi. Sed & de Iuda Machabæo optimo Hebræorum duce, verax scriptura commemorat: quod deleto Pagano exercitu, gladium Apollonij ducis à se interfecti abstulit, & erat pugnans in eo omnibus diebus. Sic certe Christus, ô hæretici, sic plane Christus, cruce sua contra mundi principem usus est. Produxit ille procedens ad singulare certamen contra Christum crucem Christi, qua eum occideret: sed diabolico astu divina sapientia permutato, cruce, qua eum appetiit, eadem excruciatus est: & morte, qua eum extinxit, eadem ipse occisus est. Tunc impletum est quod in Psalmo quondam Presbyteri sæpe cantastis: *Convertetur dolor eius in caput eius, & in verticem ipsius iniquitas eius descendet.* G Sed liceat & mihi in conventum vestrum illum intrare, & plebeculæ à vobis deceptæ, iuxta deceptorium idioma locutionis vestræ pauca proponere. Si quis, ô viri, laqueum vel gladium præ manibus habens vobis diceret: Ecce laqueus, quo suspensor patris vestri suspensus est: ecce gladius, quo necator fratris vestri vel amici charissimi necatus est: confringite, comburite, dissipate, quid vos? Numquid ista suadenti crederetis? nonne huiusmodi hominem aut insanire, aut inimico animo agi iudicaretis, qui vos & insensibilia torquere, & in res violatæ pietatis vindices exardescere admoneret? Sic isti non veritatis, sed erroris: non salutis, sed perditionis vestræ magistri faciunt, qui crucem Domini, per quam ille, qui secundum Euangelium, cui se credere dicunt, homicida erat ab initio, peremptus est, vos confringere, comburere, & perdere persuadent. Sic vere isti faciunt, qui Patrum vestrorum, qui vestri, qui ipsius Christi quantum ad corpus, interfectorem diabolum ulcisci cupiunt, ut ipsi fatentur: dum crucem, per quam maxime ille periit, tantopere perire concupiscunt: H cum instrumentum, quo ad salutem vestram Salvator usus est, ipsa cogente ratione magis suscipiendum quam confringendum, venerandum quam comburendum, exterminare contendunt. Et, ô iustitia, rem, ut dixi, absque reatu damnare! ô ultio, rem insensibilem tormentis subiicere! effundere furorem in truncum aridum, & in lignum nil sentiens nefanda odia exhaurire. Ista ratione nimium Christo fideles Christiani contra cruces Petri & Andreæ zeli gladio accingentur: craticula Laurentij, licet ferrea, suis ignibus comburetur: lapides Stephani in calcem convertentur: eculei, laminæ, ungulæ, flagella, catenæ, vincula, carceres, compedes martyrum, ne quod fecerunt ab istis patiantur, fuga celeri euanescent. Hac lege quæcumque molesta sunt humano corpori, humanis odiis digna erunt, infestas inimicorum manus ubi occurrerint non euadent. Tali modo aduersus ignem urentem, aërem corrumpentem, aquam suffocantem, terram collidentem, nostra indignatio succendetur;

† inter fectoribus.

† dissecabitur.

1. Reg. 17. 1. Reg. 21.

1. Mac. 3.

Ps. 7.

Ioan. 8.

A tur: solem æstate ferventem, gelu hyeme torquens abominabitur. Et quia nihil corporeum est, quod non misero homini reatu suo quolibet modo vertatur in pœnam, totus homo contra totum mundum omni annisu consurget: & totis viribus ubi facultas data fuerit, habitaculum suum ipse habitator destruet. Sed forte vos animosam Cyri regis arrogantiam æmulari, imitari proposuistis, qui absorptum maximo flumine, qui Ganges dicitur, dilectum equitem ulcisci cupiens, exarsit in flumen: & pervium se peditibus facturum comminans, implevit promissa. In trecentos enim, & eo amplius alueos tumentes undarum moles dispartiens, superbiam fluminis superbus imminuit, & per plures tramites unius magnitudinem derivans, navalem vix pompam dignantem, siccis, ut dixerat, pedibus fluvium meabilem fecit. Sed ille licet insano ze-

B lo, mortem militis sui vindicare voluerit, tamen ne & alij simili casu affecti morerentur, providit. At vos econtra. Qui cum certum teneatis in morte Christi, quæ per crucem facta est, vitam universorum consistere: dum crucem de medio auferre vultis, vitæ omnium invidetis. Cernitis adhuc solenne & pecoribus ipsis tam notum inconveniens? Videtis non mereri pœnam res sine culpa, tormenta insensibilibus non inferenda? Videtis quia & iniustè pœna innocenti, & stultè tormenta irrogantur non sentienti? Quæ cum ita sint, si libet vobis tantopere Redemptoris vindicare tormenta, quærite reum qui mereri, & sensibilem qui possit illatam pœnam sentire. Cúmque in tota visibili creatura solus simul, & reus, & sentiens apparuerit homo: agnoscetis tandem vos bestialiter desipuisse, & apri vel ursi more, elapso venatore in venabulum inaniter morsibus & unguibus desævisse. Agnoscetis certe innocuas creaturas iniustè & ridiculè bellnino dente vestro vexatas, cum nec pœnam sentire potuerit nisi sensibilis, nec damnari de-

C buerit nisi culpabilis. Apparebit vobis, ut dixi, solus reatui, & ideo iure tormentis subditus homo: quem solum & iustè pro commissis arguere, & à quo solo debitam vindictam merito reposcere possitis. Quo facto, nec universitas creaturæ insensibilis vel irrationalis indignationem vestram pro quibuslibet hominum molestiis incurret: & crux Domini ignes vestros & gladios, sub quibus tremebat, hac ratione compellente evadet. Evadet, inquam, ut innocens culpam, euadet ut insensibilis pœnam, & de morte Christi iam non ut rea damnabitur, vel ut sensibilis punietur: sed suas lineas repetente iustitia, & qui delinquere potuit investigabitur, & non nisi qui deliquit condemnabitur. Ea æquitate, cum (sicut præmisi) solus inter mundanas creaturas inventus fuerit delinquere potuisse homo: ille tantum damnabitur qui huius tanti criminis reus apparuerit homo. Sic plane, sic exigit lima veritatis: ut sicut omnem non reum saluat iustitia, sic omnem iniustum damnet iniustitia. Inde cum non omnem hominem, sed quos-

D dam hominum, reatus suppliciorum seu mortis dominicæ reos ostenderit: aliis indemnatis ipsi damnabuntur, aliis impunitis, illi tantummodo, quos prava voluntas reddidit noxios, punientur. Nec ipsi etiam omnes punientur, quia mutatis quidem affectibus ad Christum conversi, iustitia eius à culpa mundati, & morte eius, quam ipsi intulerant, sunt à morte erepti. Ad quid istud? ut videntes verè reos dominicorum cruciatuum, mortem & digna supplicia, pœnitentiæ remedio euasisse: videntes (inquam) aliquando etiam reos homines saluari, nunquam ream crucem Domini erubescatis damnare. Quæ cum ita sint, non valet parabola vestra, quam ad condemnandam crucem Domini, rusticissimis & imperitissimis hominum quisquiliis proponere soletis. Nam secundum ea, quæ proposita, nec laqueus pro fracto gutture patris succendendus, nec gladius pro perempto fratre vel amico fuerat confringendus. Vnde si ista pro ultione patris, amici vel fratris non fuerant pessundanda, nec crux

E Saluatoris velut pro vindicta sanguinis ac mortis eius confringenda fuerat, vel comburenda. Quoniam, ut sæpe iam dictum est, nec delinquere potuerunt, quia erant irrationabilia, nec rursum delinquere vel sentire, quia erant insensibilia. Stultissime igitur & prave factum est, quando crux Domini, quæ nil delinquerat, nil sentiebat, tormentis subacta est. Hæc invicta ratio, salutari ligno iniustè quidem à vobis factam contumeliam ostendit: sed nondum honore, quo illud colimus, dignum probavit. Veniat ergo auctoritas, succedat & ratio, & crucis lignum non iam contemptibile, sed gloriosum, Catholicis pariter & hæreticis declaret. Veniat igitur primus in Canone, primus & in nostra oratione Moyses, signet agni sanguine in modum crucis Hebræorum ostia, & superliminare domus, & utroque poste linito, ingressum Angeli percutientis prohibeat. Mittat deinde in deserto lignum huius ligni præmonstrativum in aquam, & eam de amara dulcem, de inutili potabilem faciat. *Exod 12.* *Exod. 15.* *Exod 17.* F

Rursus percutiat virga bis silicem, Iudæo bis inclamante, *Crucifige:* & exeant de percussa silice, hoc est, crucifixo Redemptore, aquæ largissimæ, quæ totum mundum baptismate & doctrina abluant, & populum ac iumenta, salutaris scilicet verbi longa siti deficientes, astutos pariter ac stultos reficiant. Colligat & vidua de Sarepta duo ligna, & aptet ea in crucem, quæ per ignem passionis panem vitæ decoquat, cui & oleum sancti Spiritus addat, quibus tamdiu sustentetur, donec famelico præsentis vitæ tempori saturitas æterna succedat. *3 Reg. 17.* Dehinc in Ezechiele Propheta frontibus virorum gementium & dolentium super iniquitatibus, Thau litera imprimatur, ut eo signo ab aliis discreti, mortem euadere possint. *Ezech. 9.* Intelligatur hoc elementum præ omnibus Hebræis literis non frustra ad signandas frontes assumptum; cum tali nota crux non iam præmonstretur, sed exhibeatur; qua quicumque insigniti fuerint, à mundi interitu soli eruantur. G

Quibus iam communis interitus obesse non poterit, quos & damnata fletibus iniquitas, & divina per crucem subveniens pietas, ab aliorum morte secernit. Ista si vos de hæresi ad Iudaismum transitum facientes, in alios intellectus distorquere, distortis sensibus volueritis: respondete, quæ necessitas signari postes domorum agni sanguine, notari frontes hominum nota iam dicta coëgerit. An non possent aliter vel illi Angelum percussorem, vel isti gladium ultorem euadere? Erraret forsitan cœlestis vindicta, nec inter Hebræos & Ægyptios, inter iustos & peccatores discernere posset, nisi & illos non esse Ægyptios in ostiorum postibus legeret, & hos à damnatis impiis secernendos frons signata doceret. Et quid est quod ibi tinctura sanguinis cunctis Ægyptiorum coloribus antefertur, cum sanguinis litura vix ad momentum, aut colorem conservare, aut quid infecerit valeat demonstrare? Quid est, quod non solum superliminare, nec soli postes, sed & superliminare & postes signantur? H

Quid est quod & sanguine, ut dixi, signantur, & non nisi sanguine agni signantur? Hæc quia superfluo iussa vel facta, nec Christianus audet dicere, nec Iudæus: aliquid præter quod tunc videbatur, ea prætendere, nec Christianus negabit, (ut arbitror) nec Iudæus. Et quia cum Christianis, licet malis, nunc mihi sermo est, & cum iis qui se maxime Evangelio credere dicunt, nil credo congruentius ad hoc ænigma dissolvendum afferre poterunt quam agnum illum esse, de quo Ioannes Baptista in Evangelio: *Ecce agnus Dei*, & Propheta, *Sicut agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum.* *Ioan 1.* *Esa. 53.* Immolatum agnum ad vesperam, occisum Christum in fine seculi. Vnde Apostolus: *Pascha nostrum immolatus est Christus*, & unde David, *Elevatio manuum mearum, sacrificium vespertinum.* *1. Cor. 5.* *Psal 140.* Sanguinem agni, de quo Apostolus, *Si sanguis hircorum & taurorum inquinatos sanctificat, quanto magis sanguis Christi?* *Heb 9.* Qui quoniam in ligno fusus est, ligni postes eo liti sunt. Et quia in cruce

A dextra, ac sinistra, superiórque pars intincta est. Sed nec inferior ad perfectum modum crucis exprimendum defuisset, nisi non conculcandum sanguine Testamenti æterni, Spiritus Dei, qui loquebatur hoc, silentio declarasset. Cur etiam litera illa præ cæteris literis vel notis omnium gentium, ad signandas frontes gementium & dolentium electa est? Dicat Iudæus, dicat hæreticus si quid potest. Cúmque vel tacuerint vel in commentis suis uterque defecerint, dicat Catholicus Prophetam volentem prædicere salvandos à communi interitu Christianos, signandos esse signo crucis, non potuisse apertius exprimere, quam ipso signo crucis. Hoc non in qualibet corporis parte, sed in ipsa fronte depinxit, ut neque de opprobrio Christi cum Iudæis erubescamus, neque cum hæreticis crucem eius non iam contumeliæ, sed honoris insigne, abiiciendam vel concremandam iudicemus. B Nam & hæc litera, quæ Thau dicitur, formam crucis habens, non tantum apud Hebræos, sed etiam apud Græcos, & nomen retinet & figuram conservat. Et apud Græcos quidem, quod ab initio habuerat, nec nomen nec figuram mutavit. Apud Hebræos vero licet formam mutaverit, vocabulum tamen hucusque servavit. Si causa mutati elementi quæritur, in libris Ecclesiasticis & Hebraicis invenietur: *Ascendit*, ait scriptura, *Esdras de Babylone, & ipse scriba velox in lege Moysi.* (1. Esdr.) Velox non sensus vel nomina Hebraicarum literarum mutando, sed aptiores & ad scribendum habiliores characteres inveniendo. Servabatur, teste beato Hieronymo harum linguarum doctissimo, forma huius literæ apud Samaritanos adhuc suo tempore, & forte adhuc vel apud ipsos vel apud quoslibet conservatur. Nam mutantibus Iudæis literas suas, gens illa elementa, quæ à Iudæis acceperat, mutare noluit, sed sicut ei primò tradita fuerant, litterarum signa & nomina illibata servavit. C Verba vero sancti Hieronymi, si tamen ea suscipere dignamini in commentario super Prophetam Ezechielem ita se habent. Antiquis, ait, Hebræorum literis, quibus usque hodie utuntur Samaritani, extrema Thau litera crucis habet similitudinem, quæ in Christianorum frontibus pingitur, & frequenti manus impressione signatur. Hoc beatus Hieronymus. Mittat ergo fidei nostræ, & non parum crucis gloriam hoc propheticum elementum extollit: quod non ab Esdra licet magno homine, vel ab alio quolibet, sed ab ipso & maximo legislatore & scriptore Moyse inventum & traditum est. Nam de Christo, teste ipso Christo, Moyses scripsit. Vnde quia iuxta beatum Apostolum: *omnia in figura contingebant illis*, (Ioan. 5. 1. Cor. 10.) sicut totum corpus legis Christum sonabat, sic & istud elementum legis Christi crucem prædicabat. Nec tantum prædicabat, sed & ipsa forma visibili legentium oculis ingerebat. Ingerebat, inquam, litera hæc forma sua legentium oculis Christi crucem, prædicabat D & nomine suo Christi in cruce passionem. Nam cum Thau lingua Latina consummatio dicatur, nonne iam hoc nomine suo Christi vocem ultimam in cruce sonabat, qua dixit: *Consummatum est?* Nonne universa de Christo ante prædicta, per Christi crucem implenda & consummanda esse, hoc suo nomine testificata est? Nonne iuxta Apostolum, quæ in cœlis & in terra sunt, pacificanda esse per sanguinem filij Dei, qui in cruce fusus est, (1. Col. 1.) hoc suo nomine apertissime demonstrabat? Illud quoque huic intellectui servit, quod hæc litera nec prima nec media, nec quolibet modo interposita, sed ultimo loco in literarum Hebraicarum ordine scribitur, ut formam crucis habens litera, dum finem præcedentibus literis ponit, Christum sacramento mortis suæ, quam in cruce passus est, prioribus sacramentis finem perficientem per crucem imposuisse declaret. Sic litera prophetica & cruci Christi eiusque passioni famulans, cum vel forma vel nomine Hebræos, Græcos, Latinósque occupaverit, quid aliud quam per tres principales linguas omnibus linguis & gentibus Christum per crucem principaturum signavit? Signavit plane Christum per crucem dominaturum orbi terrarum, sicut & Apostolus ipse confirmat, dicens: *Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltavit illum, & dedit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris.* (Phil. 2.) Quæ cum ita sint, quis non videat non solum non esse contemnendam, immo maxime honorandam crucem Domini: cum ipse Spiritus Domini, qui locutus est per Prophetas, tanto eam honore dignam indicaverit? Indicavit plane multo eam dignam honore, quando tanto ante crucem tempore, nec Hebræos ab Angelo interfectore, nec flentes iustos ab impiorum interitu, absque eius signo salvavit. F Indicavit multo eam dignam honore, cum eius signum non in abscondito vel obscuro, sed in aperto & in lumine posuit, quando eo & ostia, ut dixi, domorum, & frontes hominum, quæ magis se intuentium conspectibus offerunt, insignivit. Indicavit per cruces ostiorum, totam sibi per crucem mundi domum cessuram. Ostendit per cruces frontium, totum sibi hominem per crucem vendicaturum. Cum ista ad gloriam crucis magna sint, accedant adhuc maiora, & de novi Testamenti corpore exempla vel testimonia crucis gloriæ famulentur. Ad quam absque reclamatione approbandam more suo Apostolus veniat, & garrulis stultis, solo adventus sui terrore silentium imponat. Audite saltem eum vos, qui nos audire dedignamini: & contra tubam cœlestem, si audetis, rauco vestro murmure mussitate. Audite amicum crucis, inimici crucis, & quid de vobis sentiat diligenter advertite. *Multi*, ait, *ambulant, quos sæpe dicebam vobis, nunc autem & flens dico, inimicos crucis Christi: quorum finis interitus, quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum.* (Phil. 3.) G Quid ad hæc miserrimi hominum dicitis? Flet Apostolus ante tot secula interitum vestrum. Flet nondum natos inimicos crucis Christi. Flet gloriam vestram versam in confusionem. Flet, & vos ridetis: plorat, & vos gaudetis: dolet, & vos lætamini? Quare hoc? quia iuxta flentis Domini vocem, *in hac die vestra, quæ ad pacem vobis: nunc autem abscondita sunt ab oculis vestris.* (Luc. 19.) Sed patent oculis Apostolicis, & quis finis inimicos crucis Christi sequatur, denuntiat, *Quorum*, ait, *finis interitus.* Infelix sors vestra. Habent alij secundum eundem Apostolum, fructum suum in sanctificationem, finem vero vitam æternam. (Rom. 6.) Habetis vos gloriam in confusionem, finem vero interitum sempiternum. Quod si tanta meruerunt, qui non, ut vos, cruci Christi inimicabantur, sed quia quædam cruci, id est, mortificationi spirituali contraria & faciebant & dicebant, inimici crucis dicuntur: quid vos mereri potestis, qui H non tantum sacris virtutibus, quæ per crucem signantur, adversamini: sed & ipsum crucis nomen crucifixi cultoribus auferre conamini? Sublata enim, ut supra dixi, cruce, ubi erit crucifixus? Crucifixo recedente, quis erit vester Deus? ille certe, de quo subdit. *Quorum Deus venter.* Credo Apostolum in Spiritu prævidisse, ventres vestros carnibus igne crucium coctis distentos, & idcirco optimum vobis Deũ ventrem instituisse, ut qui crucem incendendo crucifixum abnegastis, ventrem pro ipso Deum iam saturi haberetis. Hinc laudes crucis qui cœpit perficiat, & post deploratam iniuriam Doctor summus Ecclesiæ gloriam eius aperiat. *Absit*, inquit, *mihi gloriari, nisi in cruce Domini mei Iesu Christi.* (Gal. 6.) Puto quod non contumeliis vel incendiis dignam indicat, quam sic gloriosam prædicat, ut alibi quam in ipsa gloriari, alibi quam in ipsa gloriam suam constituere, nefas ducat. Absit, inquit, non contingat, nunquam fit, longe fiat à me hæc meditatio, hæc voluntas, hæc cogitatio. Quæ ut intentionis meæ finem, laborum meorum

A requiem, passionum mercedem, totam illam, quam expecto gloriam, alibi quam in cruce Domini ponere, aliunde quam à cruce Domini recipere velim. Non quod cruci, quantum ad crucem pertinet, aliud quam cruciatum inesse intelligam: sed quia cruciatu crucis mihi salutem, ignominia crucis gloriam, morte crucis vitam mihi à Christo datam agnosco. Inde est quod & glorior in infirmitatibus meis, non propter infirmitates ipsas, sed ut habitet in me virtus Christi. (2.Cor.12) Hunc Apostolicum intellectum & beatitudines Evangelicæ probant, cum beati pauperes, & beati qui lugent, & beati qui esuriunt, & beati pacifici, & qui persecutionem sustinent, appellantur: (Mat.5.) non quod pauperies, aut luctus, aut esuries, aut patientia beatos faciant, sed quia regnum cœlorum pauperibus, consolatio lugentibus, saturitas esurientibus, Dei filiatio pacificis datur. Sic & de cæteris. Vnde sicut virtutes hæ, quæ licet torqueant, tamen glorificant, non sunt contemptibiles, sed gloriosæ, ita crux Domini quamvis eum torserit, quia tamen torquendo gloriam peperit, gloriosa esse promeruit. B Ideirco gloriatur in cruce Apostolus, & non in ipsa gloriantes, de quibus & vos estis, invehendo notat. Gloriatur, inquam, in cruce, & eam gloria dignam prædicat, dum rursus in Epistola ad Ephesios, Christum reconciliasse ambos, hoc est, Iudæum & Gentilem in uno suo corpore, Deo per crucem & interfecisse inimicitias in semetipso asserit. (Ephes.2.) Gloriatur in cruce, & eam gloria dignam prædicat, quando in subsequentibus flectere se genua ad Deum patrem dicit, (Ephes.3.) ut inter alia, quæ eis dari postulat det eis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit crucis eiusdem latitudo, longitudo, sublimitas & profundum. Videtis Apostolum summum post Christum Christianorum magistrum, tot tantisque testimoniis suis omnino & per omnia sensui vestro contraria sapere, prædicationi vestræ dissona prædicare? Cernitis eum non tantum crucifixum, sed & crucem eius maximis salutis humanæ mysteriis tantopere adaptare? C Advertitis formam eius, quæ adeo vobis contemnenda videbatur ut flammis digna iudicaretur, quanto ille cœlestium arcanorum scrutator honore dignam existimaverit, dixerit, scripserit? Non ille aut partem eius aliquam, aut totam simul, sed sigillatim ac studiose partes universas crucis enumerat, & non minus mysticis sacramentis, quam ipso Christi crucifixi corpore gravidam velut multiplici fructu vitæ arborem signat. Vocat latitudinem lignum in transverso positum, in quo dominicæ manus fixæ fuerunt. Longitudinem illud, quod ab ipso protenditur usque ad terram, in quo pedes ipsius confixi sunt. Sublimitatem illam ligni partem, quæ supra caput eius eminens, titulum causam eius continentem inscriptum habuit. Profundum quod in imis occultatum, oculis penetrari non poterat. Hæ sunt crucis partes, quas describit. His illa crux Dominica constans, has magnis sacramentis ditatas † affirmat. († al. plenam.) Inde genua flectit, inde ut hæc illi possint apprehendere supplicat, inde, ut dixi, latitudinem, longitudinem, sublimitatem & profundum crucis non odiosa hominibus, sed pretiosa esse debere declarat. D Quod si partes crucis apostolico testimonio laudabiles sunt, credo quod ipsa tota crux, quæ ex illis partibus constat, non contemnenda, sed laudanda & honoranda est. Hoc si ita est, non solum à contumeliis vestris crux Domini libera debere esse monstratur: sed & laudibus, & gloria digna esse probatur. Quod si forte quæritis, quid latitudo ab Apostolo proposita, quid longitudo, quid sublimitas, quid profundum, mysterij contineant, non est hoc huius loci exponere, quia non docentis supra vos, sed disputantis contra vos officium assumpsi. Sed si de impietate ad pietatem mutatis in melius studiis, converti volueritis, poteritis & vos hoc comprehendere cum omnibus sanctis, ut non blasphemando, sed humiliter & modeste petendo accipiatis: quærendo inveniatis, ac pulsando aperiatur vobis. Post Apostolum veniat & Dominus Apostolorum, &

E quid ergo crucem suam animi gerat, expectantibus nobis aperiat. Non puto cruciatibus crucis aliquem eo magis debere irasci, cum ipse tantum his non alius tortus fuerit, & cum pœnas vel præmia dispensare, non alterius, sed ipsius proprium sit. Audite ergo post alia de cruce etiam crucifixi sententiam, & eius saltem iudicio, vel honore, vel contumelia dignam credite. Venturum se in fine seculi ad discutienda vel iudicanda mortalium facta, in Evangelio denuntians: *Virtutes, inquit, cœlorum movebuntur, & tunc apparebit signum filij hominis in cœlo.* (Mat.24.) Quid rogo hic dictum signum filij hominis putatis? Nunquid ipsum filium hominis? Sed signum non est res eadem, cuius est signum. Aliud est enim signum, aliud illud cuius est signum. Vnde non potuit esse signum filij hominis, quod est ipse filius hominis. Quid ergo erit? Cogitate, quærite, vestigate. Quod erit tanti pretij, tantæ gloriæ, tantæ sublimitatis signum, ut tunc appareat in cœlo, quando ipse filius hominis cum virtute multa & maiestate descendet de cœlo? F Sed quid laboratis? Nolite levitatem ventorum, vanitatem umbrarum, fantasmata somniorum, distortas persequi semitas errorum. Abiicite mendacia, in quibus nihil stabile: assumite veritatem, in qua nihil est mobile. Illud illud est signum filij hominis, quod eum magis declarat esse filiū hominis. Quid vero eum adeo declaravit esse filium hominis quam mors, quam nullus unquam evadit filius hominis? Quam quia in hac, de qua sermo est, cruce, Christus pati voluit, licet esset filius Dei, filium tamen se esse hominis, per crucem moriendo signavit. Signando verum filium hominis dicitur crux vere signum filij hominis. Huic verbo Evangelico & Evangelicus Propheta Esaias congruit, cum dicit: *Et levabit Dominus signum in nationibus.* Sed & quod idem Propheta subiungit: *Et congregabit profugos Israel, & dispersos Iuda colliget à quatuor ventis.* (Esa.5.) Videte quam apte huic Evangelico capitulo conveniat. Nam cum dixisset Dominus: *Et tunc apparebit signum filij hominis in cœlo,* (Mat.2.) uno versu interposito ait: *Et mittet filius hominis Angelos suos cum tuba & voce magna, & congregabit electos eius à quatuor ventis, à summis cœlorum usque ad terminos eorum.* G Sic certe, sic non solum in sententia, sed & in verbis Propheta & Evangelista conveniunt. Quod enim ille *levabit Dominus signum in nationes*, hoc iste, *apparebit signum filij hominis in cœlo.* Quod ille, *congregabit profugos Israel, & dispersos Iuda colliget à quatuor ventis,* hoc iste, *mittet Angelos suos cũ tuba & voce magna, & congregabit electos eius à quatuor ventis.* Nisi quod Propheta magis de primo Christi adventu hoc dicere videtur: Evangelista vero de secundo hoc apertissimè dicit. Sed sive in primo, sive in secundo, signum levatum in nationes crux est, & apparens signum filij hominis in cœlo crux est. Quæ quia & hic in signum à Christo levata, nationes orbis ad fidem salutis æternæ à quatuor ventis congregat: & in ultimo Christi iudicio ad eandem æternam salutem & gloriam à quatuor ventis, hoc est, de toto mundo, electos in cœlo apparens convocat, summo ab eis honore colenda creditur, dicitur, prædicatur. H An dignum est, ut quam ad salutis humanæ causam commendandam cœlum exhibet, terra respuat? An dignum est, ut eam homines abiiciant, quam Angeli honorant? An non honorant, quando commotis ad iudicium cœli virtutibus, ipsam mundo iudicando, secum pariter repræsentant? Nam qui dixit, *Virtutes cœlorum movebuntur,* ipse subdidit, *& tunc apparebit signum filij hominis in cœlo.* Cúmque, ut dictum est, hoc signum crux Christi sit, cum virtutes cœlorum, hoc est, ordo totus cœlestium spirituum desuper veniens apparuerit, tunc & ipsa pariter in cœlo fulgebit. Fulgebit in cœlo, ut discant terrigenæ non posse sibi consensum esse ad cœlos, nisi per ipsam: & agnoscant filij hominum, non nisi per ipsam se posse fieri socios angelorum. Non est igitur honoranda ab hominibus, quæ angelicum eis honorem præparat? Non est glorificanda à mortalibus, quæ immortalem eis gloriam præstat? Non est ut vitalis & salutifera

A adoranda, quæ vitam mortuis beatam, quæ salutem perditis conferet æternam? Et plane velint nolint hæretici, vitalis, quia vitam: salutifera, quia salutem: honorabilis, quia honorem: amabilis, quia amorem; admirabilis, quia admirationem: felix, quia felicitatem: nobilis, quia nobilitatem: beata, quia beatitudinem: gloriosa, quia gloriam præstat æternam. Qui ergo crucem odiunt, quia Dominum torsit: diligant eam, quia non solum nobis sed & ipsi gloriam peperit. Peperit ei gloriam, de qua ait Apostolus, *Vidimus Iesum propter passionem mortis gloria & honore coronatum.* (Heb. 2.) Peperit, inquam, gloriam crux crucifixo, sicut & alibi idem Apostolus ait: *Factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltavit illum:* (Phil. 2.) & reliqua, sicut superius in alio loco posuimus. Hanc quia gloriam huiusmodi illi à Deo assumpto peperit, & nobis insuper vitam & gloriam æternam contulit, gloriosa esse promeruit.

B Cum ergo irrefragabili auctoritate & invicta ratione honoranda, collaudanda, glorificanda crux Christi à Christianis esse probetur: quod & adorari debeat, sicut à quibusdam hæreticis negatur, sic utrum fieri debeat, à quibusdam Catholicis quæritur. Hoc autem pro intellectu quem nobis Dominus dare dignatur, pro facultate quam ipse largitur, videndum atque discutiendum est. Est honor, qui creaturæ impenditur: & est honor, qui tantum creatori debetur. De honore, quem sibi invicem rationalis creatura exhibere debet, scriptum est: *Honora patrem tuum & matrem tuam:* &, *honore invicem prævenientes:* &, *regem honorificate:* &, *presbyteri maxime qui in verbo laborant, duplici honore digni sunt:* &, *honorabile connubium in omnibus,* (Exod. 20. Matt. 15. Rom. 12. 1 Pet. 2. 1 Thess. 5. Heb. ult.) & mille talia, quæ secundum personarum, graduũ, officiorum diversitatem, vel magis vel minus observari iubentur. De honore, qui Deo tantum exhibendus est, ait scriptura: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies, & non erunt tibi dii † alieni præter me; & non facietis vobis sculptile atque conflatile: neque ponetis in ignem ut adoretis ea:* (Deut. 6. † a'ii.) C &, *honora Dominum de tua substantia:* & *gloriam meam alteri non dabo, neque laudem meam sculptilibus,* & alia sexcenta, in quibus iuxta quod dicitur in libro Sapientiæ, incommunicabile nomen & solitariæ deitati singulariter servitus exhibenda aperte monstratur. Quæ secundum beatum patrem Augustinum, ut significantius exprimatur, Græcè latria dicitur, & Latinè Dei cultus vocatur. Ad hanc divinam servitutem, ad hunc Dei cultum pertinent & sacrificia, quæ ante legem à Patriarchis facta sunt, quæ in lege à Moyse instituta sunt. quæ in tempore gratiæ à Christo præcepta, & à Christianis usque ad finem seculi observari ab ipso iussa sunt. Ad hunc Dei cultum pertinet & verbum hoc adorationis, de quo agitur: sed tunc proprie, quando adorans Deum tantum auctorem & rectorem suum esse intelligit: quando eum ut Deum agnoscens sicut Deum glorificat, & gratias agit: quando totam spem suam in eo constituens, necessaria universa se ab ipso solo accipere credit: quando auxilium suum non à quolibet montium, hoc est, sanctorum vel D quorumlibet aliorum, sed à Domino qui fecit cœlum & terram, esse, omni remota ambiguitate confidit. Hanc servitutem, hunc cultum sibi debitum, hoc, ut dixi, incommunicabile nomen, nec cœlestibus spiritibus, nec terrenis hominibus, nec alicui creaturæ, nec ipsi omnium creaturarum beatissimæ matri suæ ac virgini, creator largitus est, quia sicut ordine ipso creationis, creator creaturæ, quam creavit, merito iustéque præfertur; sic decebat ut prælatio ipsa aliquo signo congruo signaretur. Signatur igitur prælata creaturis Deitas sacrificiorum, signo signatur isto, signatur multiplici, quod nunc agitur, Christiani populi sacramento. Hoc quicunque sibi arrogare concupivit, & illud quod habebat amisit. Hinc primus Archangelus, quia similis Deo esse conatus est, sicut fulgur de cœlo cecidit. Hinc Adam illum per damnationem sobolis suæ, quia deceptæ coniugi adquievit, Deitas respuẽs socium, de paradiso eiecit. Hinc & illos, E qui latriam, quam cultum diximus, idolis exhibebant, scriptura Christiana idololatras vocat, & sicut divisi honoris & ordinis perversores condemnat. Huiusmodi Deitatis honorem nec ipse homo à Deo assumptus habuisset, nisi cum eo una eadémque persona fuisset. Sed quia ipse dicit: *Cælum mihi sedes, terra autem scabellum pedum meorum,* & Psalmus præcipit: *Adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est.* Terram corporis nostri in Dei filio adoramus, neque ut aliquid ab ipso remotum, sed ipsi ita unitum, ut salva naturarum proprietate, idem quod ipse sit, honore Deo debito veneramur. Adoramus igitur hac adoratione Christum, non tantum Dei, sed & hominis filium: adoramus & crucem, immo in cruce ipsum, qui Deus & homo est, crucifixum. Neque quantum in ipso est, aut lignum colimus, aut lignum adoramus, quia manet sententia, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* F (Psal.) Sed dum crucem me adorare dico, crucifixum Dominũ Deum meum esse, meque illi soli servire debere profiteor. Huic intellectui & illud attestatur, quod non solum Crucem Domini, sed & Passionem eius, mortem & Resurrectionem, & his similia, Catholica Ecclesia laudabili devotione se adorare pronuntiat. Sed mortem Domini, Passionem, Resurrectionem, atque Ascensionem eius esse præterita, nec iam existentia, omnibus certum est. Fuerunt enim illa temporaliter Deo huiusmodi accidentia, quæ sicut illi cum prius non inessent, cum tempore advenerunt, sic & cum tẽpore abscesserunt. Nam certo & finito temporis spatio moriens, certo & finito resurgens, certo & finito ascẽdens, docuit illa præterisse, se autem in perpetuum permanere. Unde illa sicut iam non existentia, adorari, ut dictum est, non possunt. Sicut igitur illa non adorari, certa nullius substantiæ vel subsistentiæ ratio prohibet, quod tamen rationabilis ex devotione usus exigit: sic crucem Domini, quam ex se non adorandam esse auctoritas præcipit, ratio docet, ex Christo & in Christo ipsam, immo magis Christum in ipsa venerãdum & adorandum esse, Deo prorsus subditus & devotus Christicolarum affectus invenit, servavit, instituit. G Etenim cum dico mortem Domini, Resurrectionem Domini, Ascensionem Domini adoro, non aliud quam mortuum Dominum, resurgentem Dominum, ascendentem Dominum, immo Dominum qui mortuus est, Dominum qui resurrexit, Dominum qui ascendit, adorare me profiteor. Simili intellectu cum ante crucem humiliatus prosternor eum qui in ipsa olim pro requie nostra tortus, pro vita nostra mortuus est, ut Deum & Dominum, cui hoc soli debetur, adoro. Idcirco autem hoc privilegium cruci Dominicæ datum est, ut in creaturis sola post filium hominis, qui & filius Dei est, adoranda esse credatur, quatinus in morte Domini, quam in cruce passus est, finem summamque salutis humanæ constitutam esse sciamus, & nequaquam more infidelium de cruce, ac morte eius non erubescere, certis ac præcipuis humilitatis indiciis doceamus. H Quia enim, sicut à bono viro dicitur, nihil nobis nasci profuit, nisi redimi profuisset: nec confitentes confessores, nec testificantes martyres, nec nuntiantes Apostolos, nec prænuntiantes Prophetas, nec ministrantes Angelos, nec ipsam, summi regis reclinatorium, summi Dei sacrarium, matrem eius scilicet ac Virginem adoramus: quoniam etsi per omnes illos salus iam dicta suis modis administrata est, per nullum tamen eorum nisi per crucem consummata est. In cruce ergo & per crucem consummata est, in qua inclinato in mortem capite à Christo dictum est, *Consummatum est.* (Ioan. 19.) Adoramus igitur eam præ cæteris propter salutem, quæ præ cæteris electa est ad salutem. Adoramus eam, ut dixi, præcipuo humilitatis indicio, ne cum Iudæis, quibus scandalum: ne cum gentibus, quibus stultitia: ne cum hæreticis, quibus insania videtur, sapere videamur. (1 Cor. 1.) Hoc præcipuo humilitatis indicio, mundi præcipuam salvatricẽ Christi humilitatem commendamus: quam nemo Principum huius seculi novit, & quæ abscondita est à sa- (1 Cor. 2. Matt. 11.)

A pientibus & prudentibus, & revelata tantum parvulis. Commendamus eam quando maxime indignitati, crudeli tormento; publicæ ignominiæ colla submittimus, & mundum elati hominis superbia condemnatum, hac humiliati Dei humilitate salvatum, crucem eius humiliati adorantes, prædicamus. Sed est & alius adorationis modus, qui licet eodem nomine quo & ille divinum cultum significans, vocetur, non tamen eo nisi humana, & ut supra dictum est, hominibus impendenda reverentia signatur. Hoc magnus ille Patriarcha Abraham adoravit populum terræ, filios videlicet Eth. Hoc Loth testimonio quoque Petri Apostoli iustus subversores Sodomorum Angelos adoravit. Hoc fratres Ioseph eum prostrati in terram. Hoc Iosue principem militiæ Domini Angelum. Hoc Propheta Nathan David Regem. Hoc fortassis etsi malus Nabuchodonosor Prophetam Danielem adoravit. Neque enim credendum est, sanctos homines vel sanctos Angelos cultum Deo tantum debitum aut hominibus impendisse, aut sibi impendi æquanimiter tolerasse.

Gen.23. 1.Pet.2. Gen.19. Gen.50. Iosue 5. 3.Reg.1 Dan.2.

B Vnde clarum est modum hunc non esse adorationis divinæ, sed venerationis humanæ: nec esse singulare illud insigne Deitatis, sed officiosam & communem exhibitionem honoris. Sed speciale illud omnem creaturam refugit: generale istud tam creatori quam creaturæ rationali interuit. Nam irrationali honorem vel modicum exhibere, & auctoritas prohibet, & ratio dissuadet. Cum tamen vel sanctorum pignoribus, vel sacris locis, vestibus vel vasis, seu quibuslibet talibus rebus honor defertur, non quia sunt insensibilia, pulchra, suavia, pretiosa, vel quolibet modo corporaliter hominibus accommoda, fieri creditur: sed quia Deo & sanctis eius perpetuo cum eo victuris, in his honor congruus exhibetur. Si igitur & hoc modo crux Domini adoranda, id est, honoranda suscipitur, nec impium est nec erroneum, sed pium & salutiferum.

C Pium, quia à rectæ fidei tramite non discordat. Salutiferum, quia salutem piis adoratoribus, seu veneratoribus comparat. Licet ergo isto vel illo modo crucem Domini adorare, ut in illo non tam ipsa quam Deus adoretur, in illo non tam ipsa quam Deus honoretur. Illo colatur in cruce crucifixus, isto veneretur in ligno auctor eius. Illo cultus divinus ipsi Deo per crucem exhibeatur, isto communis multorum honor, per eandem crucem eidem Deo, cui debetur omnis honor & gloria, impendatur.

*Contra id quod dicunt, Missam nihil esse, nec celebrari debere.*

POst baptismum negatum, post cruces exustas, post templa destructa, ut nihil sacrum punienda vestra temeritas intemeratum relinquat; quarto iam loco ad ipsum crucifixum & templorum Dominum, & baptismi largitorem se extendit, & non tantum quæ eius sunt, sed & ipsum Ecclesiæ suæ auferre molitur.

D Negat corpus Christi & sanguinem divini Verbi virtute vel sacerdotum ministerio confici, totúmque inane ac supervacuum esse quicquid in altaris sacramento altaris ministri agere videntur, affirmat. Sed quia vestrorum nolo relator esse verborum, ipsi vestra proponite, quodque de his seducto à vobis populo prædicare soletis, lectoribus nostris & auditoribus aperite. Verba vestra, quæ ad nos pervenire potuerunt, ista sunt. Nolite ô populi Episcopis, Presbyteris, seu clero vos seducenti credere, qui sicut in multis, sic & in altaris officio vos decipiunt, ubi corpus Christi se conficere, & vobis ad vestrarum animarum salutem se tradere mentiuntur. Mentiuntur plane. Corpus enim Christi semel tantum ab ipso Christo in cœna ante passionem factum est; & semel, hoc est, tunc tantum, discipulis datum est. Exinde neque confectum ab aliquo, neque alicui datum est.

Audite quicunque aures ad audiendum habetis, au-
dite doctrinam invincibili ratione subnixam. Audi
ram novorum Apostolorum sententiam, & quia ta
nova est, ut hos primos prædicatores habuerit, exp
ctabam eam magnis auctoritatibus muniri, validis ra
tionibus roborari. Sed ecce portentuosus sermo, &
humanas non tam penetrans quam terebrans aures, si
audacter & nudus omni ratione, destitutus omni vi
tute, se nobis non occulte, sed palam ingessit, ut ve
Delphicus Apollo Paganis, vel Moyses Iudæis, ve
Christus Christianis, responsa dare videantur. Quo
rum verba quia apud cultores suos, divina credita sun
aut creduntur, ratione non egent, quoniam auctoritat
plenissima vigent. Vbi enim Deitas creditur, rati
non quæritur. Sufficit ipsa sibi, nec rationem de oper
bus suis seu verbis, reddere compellitur, quam nih
iniuste agere, nihil absque ratione posse præcipere, cer
tum tenetur. Sic doctores isti, sic, inquam, audacissim
hostes Christi, veneniferum dogma orbi Christian
propinant, & absque compage auctoritatum, absqu
nervis rationum, nugas suas, nugaces homines vestri
ô auditores, sensibus infuderunt, ac si eis fidem dare
velut sacris oraculis, cogeremini. Quod si nullius di
vinitatis sibi conscij, hæc & ita protulerunt: pate
quia hæc & ita proferentes, sine sensu dæmonico no
fuerunt. Sed iam ad ipsos verba vertantur, & non divi
no spiritu admonitis, sed dæmonico instigatis, immo ip
per eos loquenti maligno spiritui, benignus sapientia
spiritu respondeat, & non liberet maledictum à labii
suis Venite ergo, venite vos, cum quibus mihi commu
nis campus est, pugiles mei: & post ictus, quos intuli
stis, eam, quam potero vicem referte. Aderunt teste
pugnæ nostræ, ipsi qui circumsteterint pugnatores; ad
erit & supernus inspector, qui non vires, sed causa
pugnantium examinans, more suo non nisi iustitiæ pal
mam dabit. Si hæresis hæc vestra Berengarianis limit
bus contenta esset, quæ veritatem quidem corpori
Christi, sed non sacramentum vel speciem aut figura
negabat: facile me huius capituli labore expedirem, &
non dico ad Ambrosium, Augustinum, Gregorium, an
tiquos & sanctos Ecclesiæ Doctores, quos abiecistis
sed ad moderni temporis doctos & Catholicos viro
Lanfrancum, Guitmundum, Algerum, vos mitterem,
saltem vel hos non pro maiori auctoritate, sed pr
temporis vicinitate & domestica cognitione, dignare
mini legere, vel pateremini audire. Quorum alter Ar
chiepiscopus Cantuariensis, alter Episcopus Aversa
nus, tertius ante canonicus & magister Leodiensis, d
hinc nostro tempore monachus & presbyter in mona
sterio Cluniacensi, ubi etiam liber eius habetur, pur
ac devotæ conversationis extitit. Horum primus de ve
ritate corporis & sanguinis Christi, quæ sacramento
rum velamine tegitur, bene, plene, perfecte: sequen
melius, plenius, perfectius: ultimus optimè, plenis
simè, perfectissimè disseruit, adeo ut nihil etiam scru
pulosissimo lectori quærendum reliquerit. Istorum li
bri si à vobis legerentur, & lecti intelligerentur, vo
verè à stulta pertinacia resipiscere cogerent, utpote
qui multos errantes revocaverunt, multos dubios in
struxerunt, multos etiam fideles in rectæ fidei regul
confirmaverunt. Isti, inquam, libri vos & corrigere
& ad resipiscendum cogere possent, si (ut supra dictum
est) nihil deterius Berengarianis hæreticis sentiretis
Sed quia, ut dixi, errorem errore, hæresim hæresi, ne
quitiem nequitia superastis: non tantum veritatem car
nis & sanguinis Christi, sed & sacramentum, speciem
ac figuram negatis; & sic absque summi & veri De
sacrificio, eius populum esse censetis. Ea propter sicu
novus languor nova medela curandus, sic novus erro
novo opere confutandus est, ut quod à magnis viri
fuerat præteritum, quia nec auditum, quia nunc prim
sonuit, nequaquam remaneat indiscussum. Respon
det ergo vobis, ô hostes Dei, Ecclesia Dei: se nequ
absque sacrificio esse, nec illo suo sacrificio aliqui
aliud quam corpus & sanguinem sui Redemptoris of
ferre. Offert quidem illa Domino Deo suo sacrificium

A ſpiritus contribulati, de quo Propheta, *Sacrificium*
*Pſ.50.* *Deo ſpiritus contribulatus.* Offert ſacrificium iuſtitiæ,
de quo idem, *Tunc acceptabis ſacrificium iuſtitiæ.* Of-
fert & ſacrificium laudis, de quo qui ſupra, *immola*
*Pſ.49.* *Deo ſacrificium laudis.* Sed longe acceptabilius offert
ſacrificium, cum ſcilicet, qui iuxta Apoſtolum per
Spiritum ſanctum ſemetipſum obtulit immaculatum
*Heb.9.* Deo, ut emundaret conſcientiam noſtram ab operibus
mortuis, ad ſerviendum Deo viventi. Offert Agnum
*Ioan.1.* Dei qui tollit peccata mundi, qui nec immolatus mo-
ritur, nec diviſus minuitur, nec comeſtus conſumitur.
Offert ipſum pro ſe ipſa, qui ſe obtulit pro ipſa, &
quod ille fecit ſemel moriendo, hoc illa facit ſemper
offerendo. Sed quia novi hæc magis dicenda eſſe fide-
*Mat.7.* libus venerantibus, quam infidelibus irridentibus: re-
condantur interim margaritæ, ne à porcis conculcen-
tur, & cur ſacrificare Deo cœli terrigenas prohibea-
tis, quanto niſu poteſtis, attendite. Cumque hoc ſit
B cultus divini & ſubditi Deo animi præcipuum & ab
ipſo Deo conſtitutum indicium, afferte ſi qua pro vo-
bis ſunt, quæ nulla ut credo ſunt: cur ſervos Domi-
no, homines Deo, conditori condita, redemptori re-
dempta famulari non vultis, eique ſoli debitum & ab
ipſis exhibendum venerationis genus reddi, quantis
poteſtis nequitiæ viribus, non ſinatis. An forte, quia
parum emolumenti presbyterium veſtrum, dum ut pre-
ſbyteri miniſtraretis, vobis afferebat prophanare, per-
fundere, & diſtrahere cuncta Eccleſiaſtica myſteria, &
miniſteria deliberaſtis: Vt quia pueros baptizare pigebat,
eorum baptiſma negaretis: quia laborioſum erat
cruces dolare, crucifixos pingere vel ſculpere, idcirco
eos incenderetis: quia ſumptuoſum erat Eccleſias fabri-
care, eas deſtrueretis: quia non ad votum parochiani
veſtri nummis vel cereis manus vobis & ſinus farcie-
bant, altaris ſacrificium annullaretis? An quia alter
C veſtrum de Eccleſia, quam tenebat, ſcit ipſe quare eie-
ctus, alter monachum deſerens apoſtata factus eſt: in-
iurias dictas ulciſci cupientes, ut Porphyrius Philoſo-
phus a Chriſtianis cæſus, in Chriſtum blaſphemi, in
Chriſtianos ſeductores & impij eſſe propoſuiſtis? An
quia tenebræ vos ignobilitatis tegebant, ut antiquus
ille templi Dianæ ſuccenſor, de obſcuris clari, de igno-
tis noti, de contemptibilibus famoſi, aſtu non cenſu,
audacia non virtute, iniquitate non probitate, fieri de-
legiſtis? Sed retineatur impetus indignantis animi, ne
illo nimium effluente propoſita differantur. Dicite quæ-
ſo, cur ſacrificia Chriſtiana vobis Chriſtianis, ſi tamen
hoc eſtis, non placent, cum ſigno ſacrificiorum ſemper
ſuos Deus ab alienis ſecreverit, cum divinam ſervitu-
tem ab humanis obſequiis hoc ſigno diſcreverit, cum
honorem Creatori ſingulariter debitum ab eo honore
quo ſe invicem rationalis creatura prævenire, iuxta
Apoſtolum, debet, hoc maxime ſigno diſtinxerit. Re-
colite antiqua ſecula, generationem ſanctorum ab Adā
uſque ad Chriſtum diſcutite, invenietis aut nullos aut
D raros abſque ritu ſacrificiorum Deum coluiſſe: quia
quicunque iuſtitia Deo placebant, ſtatim cum ſacri-
*Gen.4.* ficiorum veneratione colebant. Videbitis certe primū
illum & iuſtum Abel Deo munera offerentem, Deum
*Gen.8.* ſuper eius munera inflammantem: Noë poſt dilu-
*Gen.15.* vium, novi ſeculi primordia ſacrificiis dedicantem:
Abraham poſt vaccam triennem, capram trimam, &
*Gen.22.* arietem trium annorum, turturem quoque & colum-
bam, quæ Deo obtulit, etiam filium colligatum in al-
tari ſuper ſtruem lignorum, ad immolandum collocaſ-
ſe; ſed ne vota compleret, ab ipſo, qui hoc præcepe-
rat, prohibitum fuiſſe: Poſt Abraham offerentem &
Iſaac oblatum, videbitis & Iacob motum viſione Dei
*Gen.28.* & angelorum, in divinitatis, quam viderat, honorem,
erexiſſe lapidem, & fudiſſe oleum deſuper, ac dixiſſe.
Vere Dominus eſt in loco iſto, & hæc domus Dei eſt,
& porta cœli. Cognoſcetis & in terra Hus, hoc eſt in-
ter Gentiles, cui non erat ſimilis ſuo tempore ſuper
terram, ſimplicem & rectum Iob diluculo conſurgen-
tem & pro ſingulis filiis holocauſta offerentem, dicen-
E temque, *Ne forte peccaverint filij mei.* Procedetis inde
*Iob.1.* uſque ad magni Moyſi tempora, & totam Hebræorum
ſtirpem, de qua Salvator, cui repugnatis, ſecundum
carnem naſciturus erat, invenietis a Deo per Moyſen
ſacrificiorum diverſis ritibus & innumeris ſubſtitutam:
& pro peccato, & pro delicto, pro purgatione, pro
emundatione, boum, vitulorum, agnorum, ovium, arie-
tum, hircorum, turturum, columbarum, diverſorum
quadrupedum & volucrum, hoſtias pene aſſidue offe-
rentem: in tantum ut, iuxta quod Apoſtolus ait, ſine ſa-
*Heb.9.* crificiis & ſanguinis effuſione non fieret remiſſio pec-
catorum. Legite Leviticum, ſi tamen vel eius nomen
vobis notum eſt, immò legite totum Pentatheucum,
qui lex propriè dicitur, totamque veteris teſtamenti
ſeriem recenſete: quæ docebit quod ignoratis, ſanctis
regibus, ducibus, prophetis, ſacerdotibus, Deum per
ſacrificia frequentia reſponſa dediſſe, eique hoſtias eo-
rum gratas acceptaſque fuiſſe: aut fumo quo adum-
brabat, aut nebula qua tegebat, aut igne quo abſume-
F bat, aliiſque indiciis declaraſſe. Hinc in Salomonis de-
*3.Reg.8.* dicatione & ſacrificio, quando ovium centum millia,
*& 2. Par.5. & 7.* boum viginti millia oblata ſunt: per nebulam gloria
Domini implevit domum Domini. Hinc ſuper Heliæ
*3.Reg.18* holocauſtum cœleſtis flamma deſcendens, non ſolum
bovem oblatum, ſed & ligna altaris & lapides uſque
ad cinerem conſumpſit, talique ſigno acceptum Deo
Heliæ ſacrificium monſtravit. Hinc in conſecratione
heremitici Tabernaculi, legitur. *Poſtquam omnia per-*
*Exo.40.* *fecta ſunt, operuit nubes Tabernaculum teſtimonij, &*
*gloria Domini implevit illud: nec poterat Moyſes ingre-*
*di tectum fœderis, nube operiente omnia, & maieſtate*
*Domini coruſcante, quia cuncta nubes operuerat.* Quod
profectò Tabernaculum, non niſi ad adorandum Deū,
& ſacrificandum et ab ipſo Deo per Moyſen conſtru-
ctum, erectum, & ſanctificatum fuerat. Hinc Eſaias
G in viſione quamvis ſpirituali, ſolij excelſi & elevati,
poſt alata Seraphin & clamantia, *Sanctus, Sanctus, San-*
*Eſa.6.* *ctus, Commota ſunt,* inquit, *ſuperliminaria cardinum à*
*voce clamantis, & domus impleta eſt fumo.* Habetis ſi
advertitis, antiquorum ſacrificia in tantum Deo pla-
cuiſſe, ut non ſolum ipſa, ſed & loca in quibus fie-
bant, conſtrueret, benediceret, conſecraret: & conſtru-
cta, [illegible] conſecrata, fumo, nebula, igne, aliiſque,
ut [illegible] indiciis [illegible]. Neque enim ſacrificia
propter templum vel altare celebrantur, ſed templum
& altare propter ſacrificia conſtruuntur, conſecrantur,
ornantur, glorificantur. Ipſa vero ſacrificia ad illum
tantum [illegible] referuntur, cui ſoli abſque alio comparti-
cipe exhibentur. Hæc enim ſacrificiorum ſervitus, hic
ſoli deitati deferendus honor, hic divino tantum no-
mini exhibendus cultus, omnem pro creatore reſpuit
creaturam: quia ſicut incommunicabilis eſt maie-
ſtas cui offertur, ſic omnem reſpuit communionem
etiam quod offertur. Signatur hac ſervitutis proprie-
tate ſoli Deo ſubditus homo, vt nihil ſupra ſe iuxta
originis ſuæ conditionem niſi Deum intueatur, à
H quo ſolo initium, & in quo indeficientem finem ſe
habere cognoſcens; ut auctori, rectori, remuneratori
ſubdatur, obediat. Signatur hoc exteriori obſequio
interior animi affectus, qui nullatenus agnoſceretur,
niſi ſignis extrinſecis indicaretur. Signatur hoc offi-
cio utraque hominis ſubſtantia ſubiecta Deo, vt
cum illa devotione Deum amplectitur, iſta operatione
Deo famulatur, totus homo ei ſubiectus eſſe monſtre-
tur: & ut veraciter dicere poſſit, *Nonne Deo ſubiecta*
*Pſ.61.* *erit anima mea? &, Cor meum & caro mea exultave-*
*Pſ.83.* *runt in Deum vivum.* Idcirco nulli creaturæ, non dico
inanimatæ, non dico inſenſibili, non dico irrationali,
ſed nec ipſi rationali & beatæ, ſacrificiis honorari
conceſſum eſt. Non angelo, non homini, nec ipſi altiſ-
ſimo ordini Seraphin hoc datum eſt: quia ſignum quod
inter mortales conditorem à conditis ſecernit, merito
ſemper incommunicatum permanſit. Noverant hoc
B. Apoſtoli Barnabas & Paulus, qui volentes ſibi ſacri-
*Act.14.* ficare Lichaonios cum deteſtatione prohibuerunt:

A & quia hostias iam paraverant, vestimenta sciderunt. Sciebant hoc nulli concessum, sciebant etiam minaciter ab ipso Deo prohibitum, qui tam de his qui non Deo sacrificant, quam de his quibus sacrificant, per scripturam suam ait, *Sacrificans diis eradicabitur, nisi Domino soli.* [Ps. 134.] Et, *in diis Ægypti faciam ultionem.* Et de utrisque. *Similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis.* Nam superbi & a Deo refugæ spiritus divinitatem Deo invidentes, sibi usurpantes: ut cæcos homines, & longo exilij sui tempore Dei factos immemores, plene à Deo averterent, quod solius Creatoris, ut dictum est, erat, creaturæ exhiberi persuaserunt: & tam sibi quam mortuis hominibus sacrificia publica instituerunt. Et ut maioribus contumeliis imaginem Dei ad eius dedecus deludendo subiicerent, etiam creaturis irrationalibus miseros homines servire coëgerunt: itaque in rationali animante rationem sopierunt, B ut canibus, volucribus, bestiis repentibus servientes, & quibus prælati fuerant, se sponte subdentes, nec homines se esse recordarentur. Vnde Apostolus. [Rom. 1.] *Mutauerunt,* inquit, *gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium.* Nec his contenti, ad ignobiliora eos traxerunt, & servos eos etiam insensibilium effecerunt. Inde liber Sapientiæ. *Etenim,* ait, *in erroris* [Sap. 12.] *via diutius errauerunt, Deos æstimantes hæc quæ in animalibus sunt supervacua, infantium insensatorum more viuentes. Propter hoc tanquam pueris insensatis iudicium in derisum dedisti.* Et item. [Sap. 13.] *De his quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum qui est, neque operibus attendentes, agnouerunt quis esset artifex: sed aut ignem, aut spiritum, aut citatum aerem, aut gyrum stellarum, aut nimiam aquam, aut Solem, aut Lunam, rectores orbis terrarum, deos putauerunt.* His omnibus decepti homines, Dei gloriam tribuebant, eaque cultu divino ac sacrificiis honorabant: contra eum qui dixit, [Esa. 42.] *Gloriam meam alteri non dabo, neque laudem meam sculptilibus.* Quorsum ista? C ut videntes patres antiquos, & omnes priorum temporum iustos, Deo per iustitiam & sacrificia placuisse, ut attendentes Deum sibi soli ea fieri præcepisse, ut audientes eum diis alienis sacrificantes eradicasse: agnoscentes, inquam, per sacrificia maxime, Deo deitatis honorem à sanctis omnibus, seculis omnibus exhibitum, concedatis quod hactenus prohibuistis, & debitum Deo sacrificiorum munus offerre nostri seculi homines permittatis. Vt quid enim prohibentur filij sequi patres suos? Cur quos fide imitantur, præcipuo fidei signo imitari non sinuntur? An forte Iudæorum sacrificia Deus approbat, & Christianorum reprobat? Nonne magis circa eorum sacra nauseat, dicens per Esaiam, [Esa. 1.] *Plenus sum, holocausta arietum, & adipem pinguium, & sanguinem vitulorum, & agnorum, & hircorum nolui?* Nonne & per alium Prophetam ait, [Ps. 49.] *Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos?* Nonne & per Malachiam loquitur, [Mal. 1.] *Non est mihi voluntas in vobis, & munus non suscipiam de manu vestra?* D Quod dicens, non sacrificia illi tempori data respuit, sed pravam vitam ea offerentium arguit. Vnde & per Esaiam subdit. [Esa. 1.] *Manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.* Mirum valde si præcipuus, ut iam dictum est, deitatis cultus, Deo nostro tempore non defertur, qui omni ante nostra tempora tempore, summo studio, sollicita devotione frequentabatur. Mirum si Christiani a sacrificiis uni Deo offerendis arcentur: cum Patriarchæ, Prophetæ, Iudæi, Gentiles, Fideles, ab ipso Deo ipsi Deo sacrificare cogantur. Mirum nūc primum de mundo divina auferri sacrificia, cum nunquam mundus in retroactis generationibus suis absque sacrificiorum sacris fuerit. Nam nec in profundis ignorantiæ & nequitiæ suæ tenebris ita à Deo periit, ut non haberet aliquos, etsi paucos, qui & per iustitiam Deum colerent, & per sacrificia eum se colere demonstrarent. At nunc si novam vestram doctrinam mundus exaudiat, faciet quod nunquam fecerat, & more captivati illius populi, sedebit absque lege, absque rege, absque sacerdotio, absque Ephoth, & Theraphin. E

Cumque Deo sacrificare cessaverit, & ipse Dei esse cessabit. Erit his temporibus gratiæ, quod nunquam fuit nec tempore iræ, ut Christianis Deo sacrificare cessantibus, cultus qui semper in mundo fuerat, omnino de mundo pereat, & qui Deum ritu suo colens, Deo esse subditus probatur, cultum eius abiiciens, absque aliquo Deo prorsus esse videatur. Nam cum sint his nostris diebus quatuor in mundo præcipuæ diversitates sectarum, hoc est Christianorum, Iudæorum, Saracenorum, & Paganorum: si Christiani non sacrificant, iam nullus in mundo sacrificat. Iudæi enim more suo bovinis oculis omnia intuentes, & more asinino legis Dei onera ferentes, non fructum capientes, nusquam sacrificant: quia Hierosolymis tantum dicunt esse locum, ubi per sacrificia Deum honorare & adorare oportet. Quam quia Deo eis contrario per mille & centum annos, inhabitare prohibiti sunt, sacrificare defecerunt. F Saraceni ab omnium seductorum sublimissimo seductore seducti, & inter Iudaicam & Christianam legem submergendi fluctuantes, circumcisionem suscipiunt, lavacris frequentibus utuntur, certis horis diei, certis noctis, orationi, maximè post cibum & potum, ut fertur, incumbunt, luxui omnino frena relaxant. Cumque his & innumeris superstitionibus tota pene Orientalis & Africana regio ab illo nequam Mahumet decepta, per quingentos & fere quinquaginta annos interviat: & Christum Deum flatu, ut aiunt, divino, natum de Virgine, sancte vixisse, vera docuisse, mira fecisse fateantur: de sacrificiis apud eos nec præcepta aliqua habentur, nec aliqua licet parva ab eis pro sacrificio offeruntur: Omnipotentem tamen Deum rerum omnium conditorem se adorare dicunt, cui tamen, ut dixi, nullos sacrificiorum ritus exhibent. Pagani licet pauci & orbi terrarum incogniti, cum in Aquilonis extremis finibus, atque sub gelido axe lateant, & loca, ut fertur, Mæotidis paludibus vicina inhabitent: quoniam ignorant ipsos idolorum errores, & nomina, ritus, sacrificia incognita habent, equos, asinos, porcos, gallos vel quodcunque mane de lectulo surgenti occurrerit, toto illo die pro Deo adorant: sicque non perpetuos, nec saltem annuos, sed, ut ita dicam, Deos diarios vel horarios colunt. Et cum stolidi homines ignominiosius aliis a diabolo his & multis modis nobis ignotis deludantur: sacrificia tamen nec Creatori nec creaturæ exhibent; sed quod innatus error docuit, absque omnium sacrificiorum notitia custodiunt. Cum ergo nec apud Iudæos, nec apud Saracenos, nec apud Paganos sacrificia observentur: si nec Christianis conceduntur, signum illud singulare deitatis, quo ab initio, ut iam dixi, divina servitus ab humana secernitur, periit, cum in nulla gente, in nulla parte orbis terrarum inveniri iam possit. Sed forsitan minus Deo obnoxia sunt moderna tempora quam priora; ut honorem, quem antiqua secula Deo exhibuerunt, solvere isti contemnant. Et iuste. Iuste, inquam, iuste, quæ maiora acceperunt, minora reddere debent: H quæ numerosiore summa debiti constringuntur, minimam quantitatem solvere compelluntur, & contra IESV CHRISTI vocem quæ dicit, *Cui minus dimittitur, minus diligit,* [Luc.] & contra opinionem Simonis Pharisæi dicentis, quia is donatorem debiti plus diligit cui plus donavit: unde dictum est, *recte iudicasti.* Contra has Domini & Pharisæi sententias, minus Deo debet Christianus quam Iudæus, minus tempus Apostolicum quam propheticum, minus totus orbis substratus voci Evangelicæ, quam unus populus subiectus legi Mosaicæ. Et ubi est Salvator gentium illis promissus, nobis exhibitus: illis oblatus, nobis natus: illis ablatus, nobis datus? Vbi est sanguis Testamenti æterni, qui ab illis ad nos defluxit, qui per illorum fistulam ad nos decucurrit, qui limosam, per quam currebat, derelinquens canalem; nos de limo factos & canali suppositos, ab omni limo & sorde purgavit: Vbi est, secundum Apostolum, *mysterium quod absconditum* [Col.]

*fuit à seculis & generationibus, nunc autem manifestum est sanctis eius, quibus voluit Deus notas facere divitias gloriæ sacramenti huius in gentibus, quod est Christus spes gloriæ?* Vbi est, iuxta eundem, virtus sacramenti Dei temporibus æternis taciti? Vbi velum templi scissum, & quæ diu velata fuerant revelata? Vbi regnum cœlorum, de quo rex cœlorum, *Pœnitentiam*, inquit, *agite, appropinquabit enim regnum cœlorum?* Nunquid hæc tam felicia tempora, &, ut verbo poëtico utar, aurea secula, quibus Pater mundi misertus, quibus Filius pro mundo oblatus, quibus Spiritus Altissimi mundo infusus, quibus mors extincta, quibus vita reddita, quibus iustitia reparata, quibus resurrectio præparata, minus aliquid prioribus seculis Deo debent? Non plane, non toto mundo conclamante, non minus ei debent, cui non solum ex conditione, sed, quod carius est, ex redemptione, & se & quæ iure possunt omnia debent. Quod si omnia, tunc & sacrificia. Ratione igitur necessaria cogente, quæ auferre Catholicis volebatis, necessario, ô hæretici, sacrificia reddetis. Reddetis ea ratione, reddetis ea, quod apud nostros robustius est, auctoritate non ficta, sed veraci: non terrena, sed cœlesti: non humana, sed divina. Irritatus Deus diuturnis malis Iudaici populi, quibus & in Deum impij & in homines erant iniqui, nec ferens ultra promissiones spirituales ac cœlestes à terrenis & carnalibus conculcari: elegit eis successores, qui quod illi respuebant susciperent, qui quod nolebant vellent, qui vineæ fructum redderent temporibus suis. Elegit pro uno populo omnes gentes, pro particula Syriæ universum orbem terrarum, atque per filium suum huius magni consilij Angelum, legem suam, cultum suum, sacrificia ei tradidit: & eo mediante mundum à morte eripiens, immortali vitæ restituit. Hæc ut absque scrupulo aliquo vera esse crederentur, & suo tempore susciperentur, per nuntios suos multifarie multisque modis prædixit. Et quis universa enumeret? Sed quod ad cultum, de quo agitur, pertinet, audite David in spiritu Dei loquentem. *Omnes*, ait, *gentes quascunque fecisti, venient & adorabunt coram te Domine.* Et, *adorabunt eum omnes reges, omnes gentes servient ei.* Et, *omnes gentes plaudite manibus.* Et, *regnabit Deus super gentes.* Et, *dicite in nationibus, quia Dominus regnavit*, & centum similia. Sed hoc de adorando Deo. Item de sacrificando. *Afferte Domino patriæ gentium, afferte Domino gloriam & honorem: afferte Domino gloriam nomini eius. Tollite hostias & introite in atria eius.* Et Esaias, *Veniet omnis caro ut adoret coram facie mea, dicit Dominus.* Et Malachias. *Ab ortu Solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus: &, in omni loco offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum.* Et quid ultra vobis, ô bruti homines, restat quærendum? Nónne videtis sicut legem, sic sacra, sic sacrificia, sic cultum omnem divinum, à Iudæis ad gentes translatum? Etsi non eodem ritu celebrantur apud nos sacra, sunt tamen sacra: si non eodem ordine constant sacerdotia, sunt tamen sacerdotia: si non de eisdem rebus fiunt sacrificia, sunt tamen sacrificia: quia alio quidem modo, sed non alij Deo sacrificia celebrantur, sacerdotia ordinantur, sacrificia exhibentur. Cessate ergo, cessate iam insanire: quia nulla auctoritas, nulla ratio patitur, ut minus Deo honoris deferant Christiana tempora quam Iudaica: quoniam quę plus munerum acceperunt, non minus, sed magis obsequi debent eorundem munerum largitori. Vnde, verè dignum & iustum est, ut qui ei hoc gratiæ tempore aliis, sed non inferioribus ritibus famulantur, eum hoc supremo & divino sacrificiorum cultu devotius venerentur. Iam quia per Dei gratiam constat Christiana sacrificia non tollenda, utrum talia esse debeant qualia offeruntur, nihilominus est videndum. Sacrificium Christiani orbis non multiplex est, sed simplex; non plura, sed unum: quia sicut in toto mundo unus tantum est populus Christianus qui illud offert, & unus Deus cui offert, & una fides per quam offert ita & ipsum unū est, quod offert. Cessit pluralitas Iudaicarum hostiarum unitati victimæ Christianæ, quæ quia non poterat perfectum facere servientem multiplicate sua: provisa est à Deo hostia, quæ offerentes mundaret, sanctificaret, perfectos faceret simplicitate sua. Bos, vitulus, aries, agnus, capra, hircus, carnibus & cruore implent altaria Iudæorum; solus Agnus Dei, qui tollit peccata mundi, altari superponitur Christianorum.

Audite non me, sed Apostolum Dei, *Pascha*, inquit, *nostrum immolatus est Christus.* Hoc est, Pascha Iudæorum est immolatus agnus. Pascha vero nostrum, hoc est Christianorum, est immolatus Christus. Hoc ergo unicum Christianorum sacrificium, Christus est. Hoc sacrificium, Christiano tempore servabatur. Hoc, inquam, servabatur tempori gratiæ, quod congruum non fuerat dari in tempore iracundiæ. Habuit Bovem Iudæus, habet Christum Christianus: cuius sacrificium tanto Iudaicis victimis excellentius est, quanto Christus bove maior est. Congrua tunc fuit servilis hostia servis: servata est nostris diebus liberatrix victima iam filiis & amicis, quibus in Evangelio dicitur. *Filioli, adhuc modicum vobiscum sum.* Et, *iam non dicam vos servos, sed amicos.* Respersus est textus divinæ legis innumeris testimoniis, quod multiplicitas antiquarum hostiarum hanc unam Evangelij hostiam designabat. Et quia impossibile erat sanguine agnorum & hircorū auferri peccata, ipsa lex, quæ multa illa mandaverat, omnes ad hanc unam victimam transmittebat. De hac David. *Elevatio manuum mearum, sacrificium vespertinum.* Et Esaias. *Oblatus est, quia ipse voluit.* Et Petrus. *Non auro vel argento redempti estis, sed pretioso sanguine quasi agni incontaminati & immaculati Iesu Christi.* Et Paulus. *Hoc fecit semel se offerendo Dominus Iesus Christus.* Sed scio nomine oblationis, sacrificij, victimæ, holocausti & similium, passionem ac mortem Domini designari, nec vos hoc unquam negasse audivi. Et ideo his nominibus mors eius signatur, quia sicut morte animalium oblatorum peccata purgari dicebantur, sic morte ipsius totius mundi peccata tolluntur. Et quia dicit Apostolus, *Semetipsum obtulit immaculatum Deo.* Dicitur ipse offerre seipsum, quoniam non coactus, sed sponte tradidit in mortem animam suam. Deo vero seipsum hoc modo obtulit, quia mors æterna hominis non nisi temporali morte Dei & hominis dissolvi poterat. Benignus enim Deus cuius universæ viæ misericordia & veritas, sic existens iustus ut non desinat esse misericors, sic misericors ut iustus semper permaneat; in rebus quas creavit, nec etiā mala, quæ non creavit, inordinata esset permisit. Vnde peccatum hominis, quod velut aliunde in regnum eius se non iustè immiserat, iustè ordinās, peccatorem damnavit: ac sempiternæ felicitatis profugum, miseriæ ac morti æternæ contradidit. In tantum quippe reus factus fuerat, ut omnino culpa eius in regno eius ordinatissimo inordinata remaneret, si minore quam æterno supplicio Dei iustitia peccatorem puniret. Nec iam iustitia dici posset, quæ meritis condigna non redderet. Ea de causa propago humani generis in radice corrupta, sicut vitium, sic & eius damnationem ab origine traxit, & tota simul per longa secula lege iustitiæ morti æternæ subiacuit. Misertus tandem Deus essentiali bonitate sua perdito homini, & eum salvare volens, sed nisi iustè nec volens nec valens, dum in æterno consilio suo quæreret qualiter misero salva iustitia, misereri valeret, hoc potissimum occurrit, quo & iustitia servaretur, & homo liberaretur, & gratia augeretur, & Deus glorificaretur. Misit itaque Deum filium ad filios hominum, ut humanam naturam induens, & humanis vitiis medens, in carne assumpta, non peccatum, sed pœnam peccati, mortem scilicet corporalem susciperet: & ita simplici sua illius duplā, horaria sua illius sempiternam excluderet.

In qua dispensatione, misericordia misereretur, iustitiæ nil detraheretur: dum pro æterno supplicio hominis temporale supplicium Dei & hominis, pro æterna

morte

A morte hominis temporalis mors Dei & hominis ei offerretur. Quæ tanti ponderis in ipsa ipsius iustitiæ lance esse cognoscitur, ut ad iuste ordinanda mundi peccata longe magis præponderet mors transitoria filij Dei, quàm æterna filiorum hominum. Plus plane redditum est iustitiæ quando Christus mortuus est, quam sit recompensatum quando homo damnatus est. Habet ergo iustitia quicquid suum est, quia Dei filius pro peccatis hominum mortuus est. Ita iustitia quæ diu saluti humanæ obstiterat, tandem misericordiæ cessit, & quæ per aliquot millia annorum diverso itinere incesserant, misericordia & veritas in via (quæ Ps. 84. Christus est) obviaverunt sibi: & quæ velut sibi adversæ fuerant homine condemnato, eo iam salvato, Ioan. 1. iustitia & pax se osculatæ sunt. Sic iuxta Ioannem Baptistam, *agnus Dei tulit peccata mundi.* Sic iuxta 1. Pet. 2. Petrum Apostolum, *peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui, iustitia vivamus: enim*, iuxta prophetam Esaiam, *livore sanati su-* B Esa. 53. *mus.* Hoc est nostrum sacrificium, hoc legis Evangelicæ, hoc novi Testamenti, hoc novi populi holocaustum: quod tunc semel in cruce à Dei & hominis filio Deo oblatum est, & quod semper in altari ab ipsius populo offerendum, ab eodem præceptum & institutum est. Non enim aliud tunc oblatum est, aliud nunc offertur: sed quod dictum est, *semel Christus obtulit*, hoc semper Ecclesiæ suæ offerendum reliquit. Et quia iam expeditior via se præbuit, per quam liberior sermo ad ostendendum & confutandum stultissimum errorem decurrat: audite non me, sed Dominum; non Christianum, sed Christum; non hominem tantum, sed Deum. Audite eum, quem qui non audierit, exterminabitur de populo suo. Dic Domine IESV, Deus noster, Salvator noster, Sacerdos noster, Hostia nostra. Dic, responde adversariis Testamenti tui, qui volunt rescindere quod statuisti, eradicare quod plantasti, de- C struere quod constituisti. Dic, forsitan adquiescent tibi qui Ecclesiæ tuæ resistunt, verebuntur faciem tuam qui tuis irreverenter obviant, & si oves tuæ sunt, vocem tuam audient. Ignosce & mihi præsumptuose in- Ioan. 10. terroganti, sed tamen pro Ecclesia tua, columba tua, sponsa tua, quam isti violare conantur, zelanti. Plane isti Redemptorem te negant, qui pretium redemptionis humanæ, quod nobis dedisti, corpus dico tuum, redemptis auferre contendunt. Volunt rursum vincire à te olim solutum nodum captivitatis, dum largitorem respuunt libertatis. Dic ergo Domine testator novi & æterni Testamenti, utrum Testamentum hoc unius diei, sicut isti dicunt, esse volueris, an potius æternum esse decreveris? Audiant isti non me, sed te: ut convertantur non ad me, sed ad te. Quid ergo? In cæna ultima, quam cum discipulis tuis vetus Pascha novo commutans celebrasti: accepisti panem, gratias egisti, fregisti, dedisti discipulis tuis. Sed quid dixisti? *Accipite, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur.* Et quid addidisti? *Hoc facite in meam commemorationem.* Simili- D ter & calicem postquam cœnasti, dicens. *Hic est san-* Ps. 113. & 134. *guis meus novi Testamenti, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Audistis? Nolite fieri simulacra, quæ oculos habent, & non vident, aures habent & non audiunt. Auditis hoc non à quolibet Doctore, sed ab illo, de quo Pater clamans præcipit, *Ipsum audite.* Auditis eum dantem corpus. Sed Mat. 17. Mar. 9. & Luc. 9 quod corpus? Sunt enim corpora cœlestia & corpora terrestria: & quicquid visui, auditui, olfactui, gustui, tactui hic subiacet, corpus est. Vnde ne quis putaret animalis cuiuslibet, aut hominis cuiuslibet hoc esse corpus, ad excludendum omne aliud sensibile, vel insensibile corpus, postquam dixit, *accipite, hoc est corpus*, adiunxit, *meum.* Suum ergo, non alterius corpus discipulis dedit. Rursus ne forte alicui cogitatio occulta subreperet,* potuisse creare in manibus suis corpus, * subriperet. quod suum quidem esset, sed tamen quod ipse erat, non esset; addidit, *quod pro vobis tradetur.* Ac si diceret Nolite dubitare, nolite hoc vel illud vobis fingere, nolite

E aliud & aliud cogitare: quia hoc est corpus, non alterum, aut alterius, sed meum: non permutatum, vel noviter creatum: sed quod pro vobis tradetur, pro vobis crucifigetur, pro vobis morietur. Sic & de calice. *Hic est*, ait, *sanguis.* Non bovis aut arietis, non agni aut cuiuslibet hominis, sed meus: non alius, vel nova creatione productus, sed qui pro vobis fundetur, flagellis provocatus, clavis extortus, lancea excussus. Quid ad demonstrandam veritatem corporis & sanguinis Domini, dici potuit clarius, lucidius, manifestius? Nónne & longe ante passionem commendans magnificum & salutare sacramentum, discipulis & Iudæis sæpe dicebat, *Nisi manducaveritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis?* Ioan. 6. *&, panis quem ego dabo, caro mea est? &, caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus?* Hoc quare? ut si nomine corporis circa diversa corpora cogitando vagaris, audito carnis nomine, ab innumera corporum multiplicitate revoceris. Rursus audito nomine filij F hominis, non alterius alicuius carnem existimes, nisi illius, qui cum esset Dei filius, singulari gratia, solitaria operatione factus est hominis filius.

Vnde quia tenacissimè recolendum, quia unicè amplectendum est, tantum tantæ misericordiæ opus, tacito sæpe nomine filij Dei quod per se est, nomen filij hominis frequentat quod pro nobis est. Idcirco vocat carnem, ne quodlibet corpus putetur: idcirco filij hominis, ne alterius quam sua æstimetur. Sed forte impossibile putatur, ut vel panis in carnem, vel vinum commutetur in sanguinem. Fortassis & hoc cogitatur, illius unius corporis Christi finitam satisque modicam quantitatem morsibus totius mundi per tanta secula non posse sufficere. Hoc enim est, quod quondam Berengarium dixisse audivi. Nam forte Andegavis constitutus, & de hoc corporis Christi sacramento cum quibusdam agens. Si, inquit, corpus Christi tantæ fuisset magnitudinis, quantæ turris hæc quæ G in conspectu nostro immensa mole attollitur, à tot totius orbis populis comestum, ante multa iam annorum spatia defecisset. Quantum perversus, tantum perversa locutus. Sed quid respondendum est eis, qui nihil volunt Deum posse, nisi quod possunt, nihil scire nisi quod sciunt, nil agere nisi quod agunt? Quid respondebitur eis, qui æternæ sapientiæ altitudinem, qui divinæ virtutis omnipotentiam sic coartare nituntur, ut si eis assensus præbeatur, sapientia Dei & omnipotentia pereunte, Deus iam Deus esse non possit? Quid dicetur surdis, & audire nolentibus Prophetam clamantem, *Quis cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit?* & in alio loco, *Quæ est via sa-* Esa. 40. *pientiæ, aut quis locus intelligentiæ? abscondita est ab oculis omnium viventium.* Et alius, *Quis transfretavit mare & adduxit eam, & attulit super aurum electum?* Baruc. 3. Nónne à mari usque ad mare, & ab ortu Solis usque ad occasum, totus mundus insonat, *Omnia quæcunque voluit Dominus fecit in cælo & in terra, in mari, & in* Ps. 134. *omnibus abyssis?* Et quis universa enumeret? Sed aspi- H ce teipsum quicunque supernis miraculis non credis, ô homo: attende prius sapientiam & virtutem tuam, & demum incipe pensare divinum. Certe gradus faciens in creaturis suis Deus, & alias aliis præferens, alias aliis subdens, omnem tibi corpoream creaturam subdidit, & ratione quod nulli corporeæ substantiæ præstiterat insignivit. Vnde virtute plurimas, sapientia universas exsuperas. Quantis enim repentibus, volucribus, quadrupedibus, potentia superior sis, agnoscis. Quod terrenis omnibus scientia antecellas, non dubitas. Prælatus es ergo mundo, sed prælatus est tibi conditor mundi. Prælatus est tibi sapientia, prælatus est tibi potentia. Sapientia, quia tua maximis angustiis coartatur: illius vero *attingit à fine usque ad finem* Sap. 9. *fortiter, & disponit omnia suaviter.* Potentia, quia tua quotidie & multiformiter succumbit: illius, ut dictum est, *quæcunque voluit fecit.* Esto ergo Deo tuo, quod est iumentum tuum tibi. Non nititur illud perscrutari

A secreta tua, non coneris temerare arcana Dei tui. Nescit illud quomodo disponas iter, qualiter ordines bellum, quos primos, quos medios, quos ultimos in certamine constituas: quo consilio post multum sanguinem paci adquiescas, quomodo rei familiari, domui, coniugi, natis, familiæ ne egeant provideas. Et ut maiora, quia sic res postulat, aggrediar, ignorat quo tempore semina seri, quo sata & aucta meti debeant, quo vites plantari, quo putari & purgari oporteat: quid ver, æstas, autumnus, & hyems invicem commune, quid proprium habeant. Non advertit qualiter mentis vivacitate non tantum terrena, sed & cœlestia comprehendas: Lunæ, Solis, Mercurij, Veneris, Martis, Iovis, Saturni, quæ sunt antiquæ superstitionis vocabula, aliorúmque siderum cursus, loca,
B tempora distinguas: annorum, mensium, dierum, horarum, particularum, punctorum quantitates & spatia diiudices: qualiter calore, frigore, humore, siccitate, vel dilatent, vel contrahant, vel humectent, vel desiccent res humanas, rationis subtilitate discernas. Non disputat de cogitationibus tuis, non de verbis tuis, non de operibus tuis. Iudicat non intellectu, sed natura aliquid tibi concessum esse, quod ipsi penetrare non liceat. Et idcirco quamvis nihil horum intelligat non murmurat, non recalcitrat, non sibi universa pandi ratione expostulat: sed tibi Domino obediens imperanti, absque quæstione his quæ iubentur obtemperat. Docet, ut de vilioribus animalibus loquar, asinus tuus, quid te velit facere Dominus Deus tuus: cuius si secreta penetrare volueris, eius iumentum esse non poteris, de quo Psalmus, *ut iumentum factus sum apud te.* (Psal. 72.) Serva ergo Deo tuo quod tibi vis servari ab asino tuo, neque altiora te quæsieris, vel fortiora te perscrutatus fueris, (Eccl. 3.) sed ea cogita semper quæ Deus præcipit, & in multis operibus eius ne fueris curiosus. Et sicut item Salomon ait, *Comede mel quod sufficit: ne forte satiatus evomas illud*, (Prov. 25.) quia secundum eun-
C dem, *Qui scrutator est maiestatis, opprimetur à gloria.* Itémque, *Averte oculos tuos à me, quia ipsi me avolare fecerunt.* (Cant. 5.) Et iuxta David. *Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus.* (Psal. 63.) Hæc omnia maiestati Dei superbiam tuam, sapientiæ Dei stultitiam tuam, virtuti Dei infirmitatem tuam ut dignum est subiiciunt: neque aliquid contra ipsum stultum loqui, vel non audendum audere permittunt. Sed licet auctoritatibus & ratione obstructum iam debeat esse os loquentium iniqua, ne insipientiam vel imbecillitatem creaturæ creatoris sapientiæ, vel virtuti audeant comparare: subiiciantur tamen exempla, quibus, si omnino bestiæ aut impij non sunt, eorum non solum auribus, sed & oculis satisfiat. Vide igitur, quisquis in sacramento Ecclesiæ panem in Christi carnem, vinum, in eius mutari sanguinem, aut non credis, aut dubitas: quia vel de voluntate eius, vel de potentia, vel de utroque diffidis. Nulla enim res alia te vel ad non credendum, vel dubi-
D tandum impellit. Aut enim voluit & non potuit, aut potuit & non voluit, aut neque voluit neque potuit. Sed quod voluerit, si Evangelio credis, dubitare non potes. Nam in sui memoriam hoc fieri non præciperet, si hoc fieri noluisset. Quod vero potuerit, si prophetæ credis, certum tenebis. Nam si omnia quæcunque voluit fecit, utique & hoc, quia voluit, fecit. Voluit ergo & potuit, ut panis in carnem suam, & vinum convertatur in sanguinem suum. Et quia voluit & potuit, idcirco & fecit. Si enim Deus omnipotens est, & Christus Deus est: sequitur, quia ad convertendum panem in corpus suum, & vinum in sanguinem suum, omnimode sicut & ad universa potens est. Et quamvis omnipotentia Dei cuncta hostilia munimenta dissolvat: sequantur tamen, ut dictum est, exempla, quibus etiam brutæ pecudes adquiescere cogantur. Quid, inquam, dicis, qui veritati tam lucidæ contradicis? Non credo, ait ille; dubito, dicit iste, quod panis altaris in carnem, vinum convertatur in CHRISTI sanguinem: quia alterius generis substantiam in alterius substan-

E tiæ genus converti, mihi novum atque insolitum est. Novum, quia nunquam factum est: insolitum, quia nunquam visum est. Si recolere, inquam, volueris præcedentia tempora, quod dixisti novum, vetus esse reperies: quod dixisti insolitum, usitatum esse cognosces. Relege, ut ait Ambrosius, virgam Moysi mutatam in serpentem, recole aquas Ægyptiacas mutatas in sanguinem: & si agnoveris diversas substantias virgæ & serpentis, aquarum & sanguinis, ab opinione male concepta resipisce. Nec poteris dicere magica illa fuisse figmenta, quia nec Deus erat, ut magister magicarum artium Satanas, nec Moyses ut Iamnes & Mambres. Licet enim illi dracones fecerint, aquas mutaverint, muscas maiores produxerint: ad minores tamen muscas, hoc est cyniphes, deficientes dixerunt, *Digitus*
F *Dei est hic.* (Exod. 8.) Non enim quæ faciebant, vera erant, sed fantastica: quia non res veras, sed earum imagines humanis oculis potentia magica ingerentes, hominibus imperitis & infidelibus illudebant.

Quæ vero per Moysen à Deo fiebant, non falsa erant, sed vera: non imaginaria, sed realia: quoniam & ab auctore veritatis veracia, & à patre mendacij mendacia signa fieri oportebat. Idcirco & falsus anguis magorum fuit: & verus serpens, & verus cruor à Moyse de virga & flumine mutatus extitit. Recole & Salvatoris illud primum & singulare totique mundo notissimum miraculum, quo aquas in vinum non fantasticum, sed verum & bonum mutavit, teste Architriclino, qui dixit sponso. *Servasti vinum bonum usque adhuc.* (Ioan. 2.) Huius generis miraculis, veteris ac novi Testamenti initia, omnipotentis providentia ideo insignivit, ut contra utriusque legis maiestatem se agere cognosceret, quisquis res in res, hoc est substantias in substantias, virtute divina posse mutari negaret. Post Moysi & CHRISTI tam solennia & nota miracula, perhibeat mundus ipse testimonium veritati, & ad hoc ostendendum nives & grandines, nubes & ele-
G menta producat. Arguat incredulos, & iam eos non auribus credere, sed oculis cernere dubitata compellat. Ostendat alia atque alia ex aliis atque aliis multimodè & multiformiter assiduè creari, immo ex creatis in alias, & alias creaturas mutari. Doceat aëriam puritatem quotidie in nubium crassitudinem densari, nubes ipsas pene assiduè defluere in imbres, mollescere in nives, durari in grandines, flammari in ignes & in his omnibus diversas ex substantiis substantias, varias ex speciebus species, non tantum videntibus ad cernendum, sed etiam cæcis ad palpandum creari. Descendat hinc de cœlis ad terram curiosus oculus, & miracula quotidiana, quæ non miratur, obstupescat. Videat quam sit stulta incredulitas, quam cæca dubitatio, vel non credere, vel dubitare panem in CHRISTI carnem, vinum mutari in eius sanguinem, virtute divina; cum per eandem multa sæpe commutentur in aliud, in rerum natura. Nónne coralius lapis
H de igne fit lapis, cum diversa sit substantia ignis & lapidis? Nónne reguli pulvere æs in aurum mutatur, quæ duo licet in metalli nomine conveniant, in natura tamen valde disparia sunt? Nónne phœnix quingentorum annorum, vt dicitur, avis, inter aromata succensa moriens, de solo pulvere revivisicit, cum alia pulveris, alia iam sit substantia avis? Et ne forte ista inusitata vel incognita sibi esse causetur, attendat usitatissima & quotidiana: & sic, etiam si negligenter attenderit, dubitare cessabit. Et vt melius suis manibus quam alienis operibus adquiescat, de fœno vel silice notissima arte diversissimæ naturæ vitrum conficiat: sicque, ut sic dicam, non divina, sed sua miracula admiretur. Cernat liquidissimum & fluidum aquæ elementum, brumali apud nos: omni autem tempore apud Noricos & Scythas, in glacialem testam tenacissimè congelari, in Alpibus etiam & multis terrarum partibus usque adeo obdurari, ut de aqua lapis fiat, & crystallus dicatur, quæ est glacies multos durata per annos. Consideret de eodem crystallo vel vase vitreo & perspicuo

aqua

A aqua repleto, cum solis radio opponitur, contra complexiones elementorum, ignem exire: cum crystallus frigidus& siccus,aqua,quod plus est, frigida & humida, ignis calidus & siccus esse probetur.

Intueatur ipsum simul orbem terrarum, qualiter de hoc informi & infirmo terræ elemento tam diversa in substantiis, varia in qualitatibus, in coloribus multiplicia, iussu conditoris assidue procreentur: quæ si per singula considerentur victus rerum infinitate ante considerator quam consideranda deficient. Sed quid ad comprobandam veritatem de pane mutatæ carnis, & de vino mutati sanguinis CHRISTI, exemplis immoror: cum quotidie ipsum,de quo agitur, panem in humanam carnem converti, vinum in humanum sanguinem mutari videam: itaque hoc manifestum sit, vt ad hoc asserendum non fidem consulere, sed oculos aperire necesse sit? Testis est mundus, testis est omnis homo: B maxime cum sine hac mutatione panis in carnem, & vini in sanguinem, nec vnus possit subsistere homo. Sunt quidem multi qui absque pane, sunt item plures qui absque vino vitam mortalem transigunt: sed longe pauciores illis, qui semper pane, interdum vero & vino viuunt. Idcirco propter maiorem partem totum significari volui, cum dixi absque mutatione panis in carnem, & vini in sanguinem, nec vnum posse subsistere hominem. Re enim vera maior pars humani generis pane principaliter vivit, vino solennius vtitur: quod & omnes homines facerent, nisi quibusdam in regionibus frigidis vites, in frigidioribus fruges, terrarum sterilitas ademisset. Hoc tamen certum est, omnes homines nisi infra annos sint, aut valitudine teneantur, aut vti, aut posse vti pane & vino. Sed qui infra annos sunt, aut contraria valitudine detinentur, non possunt quidem per imbecillitatem, sed possunt tamen per naturam. Hoc igitur aut illo modo, pane & vino vtitur omnis homo.

Vnde in omni homine natura operatur, quod de solo Christo homine, aut scrupulosi dubitant, aut infideles non credunt. In omni plane homine per digestionem C congruam natura operatur, quod de CHRISTO solo homine per consecrationem divinam fieri dubitatur. Operatur sane natura per digestionem in corpore humano, vt panis in carnem, vinum convertatur in sanginem: dum (sicut sciunt hi qui vel leviter rerum humanarum scientiam attigerunt) defæcatiorem, ac potiorem suscepti cibi, vel potus partem à fæculenta segregans, singulis corporis membris ad nutriendam, confouendam, adaugendam carnis & sanguinis substantiam impertit: ignobiliorem, nec corpori necessariam partem, per egestionem ordinatam respuit. Fit igitur hoc modo omnibus notissimo de pane caro, de vino sanguis, & hoc non in vno homine, sed in omni homine: nec in vno tempore, sed in omni tempore. Quare ergo non creditur, quare dubitatur, Deum hoc posse per virtutem, quod potest natura per digestionem? An potuit illud Deus dare humanæ origini, & non potuit restaurationi? An potuit illud constituere creans hominem, & non potuit hoc facere redimens hominem? An debuit illud fieri cum homo à Deo plasmatus est, & non debuit cum homo à Deo susceptus est? Cesset ergo infidelitas, sanetur dubietas: quia D omnipotens verbum Dei, per quod omnia facta sunt, sicut quotidie facit, vt per comestionem & digestionem humanam, panis in carnem, & vinum vertatur in sanguinem multorum filiorum hominum: sic quotidie facit, vt per consecrationem & virtutem divinam, panis & vinum commutetur in carnem & sanguinem suum, hoc est, vnius filij Dei & hominis, non multorum filiorum hominum. Qui enim dixit & facta sunt, mandauit & creata sunt, qua potentia facit hoc universaliter in aliis, eadem potentia facit hoc singulariter in seipso: vt mutatio substantiarum, quæ hominibus solebat conferre mortalem vitam, nunc eisdem hominibus, sed fidelibus conferat sempiternam. Sed quid mirantur homines Deum facere aliquid de aliquo, E cum in principio creauerit cuncta de nihilo? Nam longe maius est, vt dicunt sancti patres Ecclesiæ, non subsistentia creare, quam ex subsistentibus alia & alia formare.

Sed forte aliquis econtra. Non potest quidem negari in res multis modis converti: sed in his quādo substantiæ in substātias mutantur, species quoque pariter convertuntur. In hoc autem sacramento, etiam si substātia mutetur, forma tamen non mutatur. Et possem quidem dicere fastidiosissimè ista requiri, cum totam omnipotentiam sibi vendicare velit impotentissimus homo, & totam sapientiam insipientissimus homo: maximè cum certa ratio sit, & pene omnibus manifesta, cur mutata substantia, non mutetur pariter & forma. Sed quia necesse est, talia cuncta pati, vt hominibus tertij cœli arcana rimantibus satisfiat: dentur & inde exempla, vt sicut ostensum est mutari in rerum natura species cum F substantia, sic etiam ostendatur mutari aliquando substantias non mutata pristina forma. Et ne sit necesse ad inquirenda peregrina exempla qualescunque vires animi fatigare, de quibusdam suprascriptis, & ad præcedentia probanda prolatis, exempla trahantur. Ex quibus invisibilium fides rerum visibilium exemplis, vera esse, vt creditur, ipsis corporis sensibus demonstretur. Consule ergo ipsos carnales oculos tuos quicunque carnē CHRISTI sub sacramēto panis, quicunque sanguinem CHRISTI sub sacramento vini latere miraris: & non mutata panis ac vini specie ipsarum rerum mutatam in aliud naturam stupescis: consule, inquam, oculos tuos, & licet indignum sit, eorum iudicio iuxta ipsa visibilia veritati invisibilium adquiesce. Aspice aquam in glaciem commutatam, glaciem in crystallū alteratam, & cernes in his aperte substantias permutari, formas substantiarum seu species reseruari. Annon vides glaciem ex aquæ frigore obduratā, glaciē ipsam in crystallinū lapidem eodem diutius continuato rigore permutatam: substantia in aliud, quam fuerat translata, formā pristinā conseruare? An non cernis præter glaciale duritiam, præter lapideam firmitatem, quantum ad speciem vel perspicuitatem iam dicti elementi G pertinet, nihil vtique substantiæ detractum? Non vides hic in testam vel lapidem commutatam priorem substantiam, illic formæ vel speciei prioris claritudinem conseruatam? Quod si curiosius quod dico cognoscere libuerit: admove manus, acue oculos, simul coram positis aqua, glacie, vel crystallo: quæ tamen non de limosa vel lutea, sed de lucida & defæcata aquarum stilla concreta fuerint: cum æque perspicua cuncta perspexeris, agnosces tactu, mutatam esse substantiam, agnosces visu, reseruatam esse pristinam formam. Quod si hæc tria seorsum posita, ad probanda, quæ dico, non tibi integre satisfecerint: iam ea seorsum noli ponere, sed ipsam glaciem vel crystallum, fluidæ aquarum puritati, vel integra, vel fracta commisce: & cum eandem claritatem lucido lapidi, quam fluido elemento inesse perspexeris, substantiam mutatam intellige, originalem formam agnosce. Hinc Hieronymus noster, quem ne vester esset, ô hæretici, respuistis, in libro x v. super Esaiam. Portæ autem istius Civitatis, de lapide sunt crystallo, qui sculpitur variis H modis, quo lapide nihil purius est. Denique vehementissimis Alpium frigoribus, & inaccessis Soli speluncis concrescere aquæ dicuntur in crystallum, & tactu quidem lapidem, visu aquas esse.

Simile quoddam in Orientalibus Hispaniæ partibus rerum natura, profert exemplum, immo quantum ad remotiorem hominum cognitionem proponit miraculum, quod prius audiens vix credidi: sed post, quod audieram videns, dubitare non potui. Extant in regionibus illis salita, vt ita dicam, vel salsa montana, quæ pro saxis vel rupibus lapideum sal continent: sicque perlucidum, vt quia gemmeam preciosorum lapidum claritatem emulatur, salis gemma vocetur. Quod tam perspicuitate quam vtilitate, marino, puteali, omnique sali præpositum, de montanis illis multo labore

ab incolis eruitur: & remotis quibusque pro magno munere datur, aut pro magno lucro venditur. De quibus montibus cum diutinus rusticorum labor lucri avidus, multam lucidi illius lapidis quantitatem eruerit: & eruendo fossas multas eo sale inanes reliquerit, processu temporis pluviali inundatione fossarum illa vacuitas repletur, ac repleta post paululum in naturam illius, cui admiscetur, lapidis commutatur. Tali recompensatione effossus mons pene annuatim damna illata restaurat: & quicquid de lapide amisit, aqua in lapidem conversa compensat. Fit ergo cœlestis aqua lapis terrenus, quæ licet naturalem mollitiem in lapideam duritiam commutans, in alienam substantiam transeat: formam tamen priorem & speciem, sicut de crystallo supra dixi, conservat. Sed sicut nec de omni glacie, nec de omni crystallo, hæc dixi: sic nec de omni montis illius lapide hoc dico, sed de illo qui non de cœnosa, sed de limpidissima concretus aqua, originis suæ claritatem etiam in aliud mutatus non mutat.

Addatur & aliud non contemptibile, immo rei, de qua agitur, satis congruens de aceto exemplum: ut quod in sacramento passionis CHRISTI, utpote ad aliquid necessarium, non defuit, in sacramento quoque corporis Christi, de quo sermo est, utique ad aliquid utile non desit. Apparet enim in illo quædam, etsi non substantialis, tamen accidentalis mutatio: quia dum ex naturali vel dulci mero, innaturali acredine assumpta acescit, non substantiam, ut dixi, sed qualitatem commutans, accidentia sola permutat, speciem priorem reservat. Nam quod erat prius calidum & siccum, una qualitate mutata, fit frigidum & siccum. Unde si visus indicio adquiescatur, non nisi vinum naturale credetur. Si gustus accedat, acetum innaturale probabitur.

Quæ ergo causa vel non credendi, vel dubitandi tibi, ô cœlestium arcanorum scrutator, iam remanet: cum quod de altaris sacramento credendum fides interior imperabat, exemplis indubitatis sensus exterior non iam credere, sed dubitata cernere compellat? Fit de aqua glacies, de glacie lapis: fit rursus de eadem aqua salitus vel salsus, ut supra dictum est lapis: in his omnibus substantia mutata, specie reservata. Fit de vino acetum qualitate, ut dictum est, mutata, specie reservata, voluntatis divinæ iussu sic operante: & non poterit de pane caro, de vino sanguis Christi fieri substantia, ut in illis permutata, specie reservata, omnipotentis Verbi Dei, per quod omnia facta sunt, voluntate sic & imperio ordinante? An omnipotens ad illa potens creditur, & ad ista impotens iudicabitur? An natura naturæ auctore potentior ad illarum rerum substantiam permutandam, & speciem reservandam censebitur: & ipsius naturæ conditor ad substantiam panis & vini in aliud quam fuerat permutandam, & speciem quam habuerant reservandam, infirmior æstimabitur? Et quia hoc sacrum & salutare sacramentum aliud esse videtur, & aliud est: per virtutem Verbi divini substantia, ut iam sæpe dictum est, mutata, specie reservata. De mutatione, quæ proposita sunt exempla, sufficiant. Sed de his adhuc aliqua proponantur, quæ in rerum natura aliud esse videntur, & aliud sunt. Nonne cum vino perfunderis vel illud gustu hauris, tactus renunciat, gustus affirmat, esse illud frigidum & humidum: cum in sui complexione vel natura, nullo experto contradicente, sit calidum & siccum? Nonne cum remum, virgam, vel baculum, vel quælibet similia aquæ immittis: eam, quæ infra aquam est, partem, visus fractam esse renunciat; natura tamen quæ fracta esse videntur, integra vel infracta conservat? Nonne cum vultum proprium vel alienum, cum Solem vel Lunam, cœlum vel sidera, picturam vel corpus aliquod speculo lucido, vel aquæ quietæ opponis, cuncta opposita in his tibi videre videris: cum nihil in his, quantum ad rerum veritatem pertinet, nisi speculi vel elementi corpora videas? Quod si licitum est, de illicitis artibus aliqua ad sacra cœlestia probanda proferre: nonne mechanica vel magica ars, quadam indulta à Deo potentia, humanos oculos præstringens, quod non est esse mentitur, & quod est non esse fatetur? Nonne etiam ipsa somnia sopitis exterioribus sensibus humanas animas assiduè fallunt: dum pene incessabiliter infinitas imagines, & fantastica ludibria eis ingerentes, velant dormientibus ea quæ sunt, & prætendunt ea quæ non sunt? Quia igitur vinum aliud esse videtur, & aliud est, nam cum tangitur, vel gustatur, videtur esse frigidum & humidum, quod non est: & non sentitur calidum & siccum, quod est): quia remus aquæ immersus fractus videtur esse quod non est, & integer non videtur esse quod est: quia corpus speculo vel aquæ oppositum corpus esse videtur quod non est, & non videtur quod est: quia magica vis, occulta arte fantasticam diversarum imaginum infinitatem oculis ingerit quæ non est, & rerum veritatem talibus tegumentis celat quæ est: quia somniorum visio non sensibus corporis, sed ipsi animo omne corpus per multiplicem visionem repræsentat quod non est, & talibus involucris tegit illud quod est: quid mirum si omnipotentis misericordia Dei, misereri miseri hominis & hoc modo disponens, in altaris sacramento panis & vini speciem humanis sensibus reservat: ut appareat in ipso sacramento panis & vinum quod non est, & lateat oculos carnis caro & sanguis quod est? Possent dari de his & alia innumera exempla: sed quia longus esse refugio, nec ad assumptum propositum hoc pertinet, sufficiant quæ dicta sunt.

Quæ si cui non sufficiunt, consulat & perlegat de hoc sacramento magnorum voluminum conditores. Quod si forte nec ipsi curioso animo satisfecerint, nescio quid aliud utilius persuadere possim, quam ut si Christianus est, Christianæ fidei colla submittat: & si intelligere non potest, secundum sacræ scripturæ præceptum, credat ut intelligat. Quia in his crassis tenebris ignorantiæ humanæ, non fides intelligentiæ fructus, sed intellectus fructus fidei est: solvat ei omnes dubietatis nodos, de qua superius egi, potentia Dei. Quia incredulitati nihil reliqui esse potest, ubi omnipotens mortalibus consulens, sic voluit, sic potuit, sic præcepit, sic fecit: cuius voluntas ratio, cuius omnipotentia indeficiens, cuius præceptum miseratio, cuius opus misericordia est. Sed quia de his iam satis esse potest: ad ea, quorum causa ista tetigimus, revertamur. Agite ergo, ô socii certaminis, quod cœperatis: & ne mente exciderint, quæ dicta fuerant iterate. Et quia de veritate sacrificii Christiani sufficientia, ut credo, dicta sunt, dicite cur idem sacrificium, hoc est, ut iam dixi, corpus & sanguinem Redemptoris cæteris invidentes, discipulis qui cœnæ Domini illi famosæ & ultimæ ante passionem interfuerunt, tantum & nunquam postea nisi tunc datum concedatis. Quod si differtis, sicut nunc usque distulistis, probo nec illis tantum, nec nunc tantum hoc datum: sed fidelibus cunctis largum munus à largitore omnium munerum, usque ad consummationem seculi præparatum. Sed ineffabiliter admiror, & admirans obstupesco, unde opinio hæc innasci hominibus Evangelio Dei, ut dicunt, credentibus potuit: cùm Christi verba huic novæ hæresi contraria sic ibi posita sint, ut si ea dubia vel obscura putantur, nulla eius eloquia vel præcepta certa, vel perspicua esse videantur. Quid enim certius, quid clarius dici potuit contra eos qui corpus Christi & sanguinem per sacramentum tunc tantum facta, tunc tantum data astruunt: quàm quod ipse Christus discipulis suis præcepit, dicens, *Hoc facite in meam commemorationem?* Nam postquam dixit, *Accipite & comedite*, *hoc est corpus meum*: &, *accipite & bibite*, *hic est sanguis meus*: statim quod dixi, adiunxit. *Hoc facite in meam commemorationem.* Quomodo ergò potest dici semel tantùm factum, & semel præsentibus datum sacramentum, cùm nullum Apostolorum excludens, nullum

A lum tempus excipiens; Christus dixerit, *Hoc facite in meam commemorationem?* Quomodo igitur audet hæreticus dicere, Nolite hoc facere: cum Christus imperet, dicens; *Hoc facite*? Hoc plane non aliud, hoc idem quod accipitis ad comedendum, quod sumitis ad bibendum, corpus scilicet meum & sanguinem. *Hoc*, inquam, *facite in meam commemorationem.* Quid ultra? quid ultra certè quæretis? Ecce hoc solum & brevissimum verbum, multa & prolixissima erroris verba destruit: ut nisi ex superabundanti non sit ulterius necesse quærere, unde nequam hostis debeat interire. Non enim solummodo dixit, *Accipite & comedite*, vel, *accipite & bibite*: sed addidit, quod accipitis & comeditis, quod accipitis & bibitis, *hoc facite.* Sic hoc ita est, falsum est, quod à vobis, ô hæretici, dictum est, tunc tantum hoc sacramentum B à Christo datum, tunc tantùm ab Apostolis susceptum: quia quod fecit, eos facere præcepit; quod eis distribuit, hoc eos aliis distribuere voluit. Sed fortasse his qui præsentes tunc erant, & à Christo ista audiebant, non aliis, hæc huius sacramenti conficiendi & dispensandi potestas data est. Quod si verum est, Apostolis tantùm, & his qui à Salvatore audierunt, præceptum est. *Ite in orbem universum, prædicate Evangelium omni creaturæ* (Marc. ult.): nec docere omnes gentes, nec baptizare alicui post Apostolos licuit. Sicut enim dictum est. *Ite, docete, baptizate, prædicate*: sic dictum est, *Hoc facite.* Vnde quicunque post Apostolos prædicavit, docuit, baptizavit: quia nulli alij quàm præsentibus tantum à Christo iussum fuerat, male fecit: quia nec eius doctrina Christi fuit, nec eius baptismus Christi fuit. Nam quod à Christo præceptum aut iussum non est, constat quia Christi non est. Sicut enim dicit Apostolus. *Quomodo prædicabunt nisi mittantur?* (Rom. 10.) sic etiam quomodo baptizabunt nisi iniungatur? Quia ergo nihil in præceptis istis, vel similibus à Christo discretum est, aut date omnia hæc solis tunc præsentibus, & auferetis sequentibus cum ba- C ptismo, & altaris sacramento totum Evangelium: aut si baptismum & Evangelium sequentibus concesseritis, necessariò & altaris sacramentum concedetis. Si enim, ut dictum est, nulla discretio in præceptis istis facta est, aut simul omnia præsentibus tantum iussa sunt, & sequentes exclusi sunt: aut si sequentibus aliquid horum præceptum est, constat quia & totum iniunctum est. Aut igitur dabitis solis illis altaris sacramentum, & auferetis baptismum: aut si istis dederitis baptismum, velitis, nolitis, dabitis & altaris sacramentum. Sed quid operosæ disputationi operam impendo, cùm tanta de facili suffragetur auctoritas: ut ea apparente, statim vana loquens conticescat impietas? Quid enim? Nunquid Apostolus Paulus cœnæ illi Dominicæ, de qua loquimur, interfuit? Nunquid quando discipulis dictum est, *Accipite & comedite, hoc est corpus meum*: &, *accipite & bibite, hic est sanguis meus*: & *hoc facite in meam commemorationem*, præsens affuit? Quid tamen in Epistola prima ad Corint. dicit? Audite. *Calix* inquit, *benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est*: *Et panis* D *quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* (1 Cor 10.) Nunquid & ipsi Corinthij cœnæ illi iam dictæ interfuerunt? His tamen ait ipse Apostolus, *Non potestis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum. Non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum.* Videtis Apostolum post ascensionem Domini ad fidem conversum, calici benedictionis benedicere, eundemque calicem communicationem sanguinis Christi vocare? Cernitis eundem panem frangere, & ipsum panem participationem corporis Christi dicere? Auditis Corinthios posse quidem calicem Domini bibere, sed non cum calice dæmoniorum? Posse mensæ Domini participes esse, sed non cum mensa dæmoniorum? Nec Apostolus tamen Paulus consecrans corpus & sanguinem Domini, cœnæ Domini interfuit: neque Corinthij idem corpus & eundem sanguinem de mensa E Domini accipientes, eidem cœnæ interfuerunt. Sed parum est audire de fractione cœlestis panis loquentem, nisi videatis & frangentem. *Vna die*, ait B. Lucas in Actibus Apostolorum, *cum convenissemus ad frangendum panem, & Paulus disputabat cum eis profecturus in crastinum.* (Act. 20.) Et quibusdam interpositis: *Ascendens*, inquit, *Paulus, frangensque panem & gustans, satisque allocutus usque ad lucem, in crastinum profectus est.* Sed sive hoc, quod ultimum posui, de cœlesti, sive de communi pane dictum sit: videte, ut dixi, Apostolum, videte Corinthios, qui cœnæ illi, de qua agimus, non interfuerunt; & tamen corpus & sanguinem Domini acceperunt. Quod si non tantùm de Apostolo & Corinthiis, sed de universis auctoritatem Apostolicam vos convincentem audire vultis, auscultate. *Quicunque*, ait, *manducaverit panem vel biberit calicem Domini in-* F *dignè, reus erit corporis & sanguinis Domini.* Et consequenter. *Probet autem*, inquit, *seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat.* Quid vos ad ista? quicunque, inquit, manducaverit quicunque biberit. Non hic vel ille, sed quicunque. Et probet seipsum homo, non tantum Corinthius homo, non Romanus homo, non Græcus homo, non Latinus homo, sed homo. Et quid aliud quàm omnis homo? Nam quod indefinitè posuit, quid aliud quàm infinitum hominem ostendit? Ostendit igitur non unum hominem, sed omnem hominem, quia in singulari hominis numero pluralitatem intelligi voluit omnium hominum. Quod si ita est, immò quia ita est, error impius non tantum mortuus, sed etiam sepultus est. Si enim constat hoc non de quolibet homine, sed de omni homine ab Apostolo dictum: falsum est quod à vobis dictum est, de his tantùm qui cœnæ Domini interfuerunt hoc dictum. Sed verum est, auctoritate Apostolica hoc docente, non hos tantùm, de quibus conceditis, sed quoscunque, hoc est, omnem hominem posse manducare panem Domini, & bibere calicem Domini, hoc est, secundum eundem Apostolum, corpus & sanguinem Domini. Igitur falsum est quod di- G xistis, illos tantum qui cœnæ Paschali interfuerunt, potuisse accipere corpus & sanguinem Domini. Et licet in hoc quod probatum est de omni homine, probatum sit & de omni tempore: audite tamen utrum huius sacramenti conficiendi & sumendi potestas illi tantum tempori, quo cœna illa celebrata est, data sit. Loquens enim idem Apostolus de hoc sacramento, & inde fidem pariter & mores instruens, introducit Christum discipulis dicentem. *Hoc facite quotienscunque sumitis, in meam commemorationem.* Et subiungit Apostolus verba sua, & dicit his quibus loquebatur. *Quotienscunque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat.* Quid dicetis ad hæc, qui dicitis, semel tantum hoc factum & datum sacramentum? Dicitis vos semel tantum, dicit Christus & Apostolus eius, non semel, non bis, non ter, aut quater, non centies, aut millies tantum, sed quotienscunque. Multa diversitas, inter semel & quotienscunque. Hic numeri principium, ibi numerus omnem superans numerum. Hic singularitas, ibi multiplex infinitas. Sed, ut dixi, vos dicitis semel, Christus & Apostolus eius quotienscunque. Vnde vi- H dendum, nec multo conamine opus est, cui melius credendum sit, vobis an Christo: hominibus an Deo, veritati an mendacio. Sed quid multa? Audistis hoc corporis & sanguinis Christi sacramentum, omni fideli homini datum, audistis absque numero datum: audite & omni præsenti tempori datum. *Quotienscunque*, ait Apostolus, *manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat.* Suffecerat, Apostole Dei, ad confundendam & destruendam novam hæresim, quod dixeras Christum dixisse, *Hoc facite quotienscunque sumetis, in meam commemorationem.* Sufficerat quod ipse Domini tui verba sequendo, exponendo subiunxeras, *quotienscunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis.*

Sed

A Sed quid adiunxisti ? *Donec veniat.* Quis veniat ? An forte mors Domini ? Non. Nam hoc & tu apertissimè negas, cùm dicis : *Christus resurgens ex mortuis iam non moritur.* (Rom.6.) Quis ergo veniat ? certè ipse Dominus, quem nominaveras, cùm dixisti, *Mortem Domini annunciabitis.* Sed quando veniat ? Quando, nisi quando venturus est iudicare vivos & mortuos ; sicut ipse prædixit, & Ecclesia eius credit ? Sed & hoc quando? Quando iuxta quod & ipse dicit, venerit in fine seculi in maiestate sua, & omnes Angeli cum eo. (Mat.25) Donec Ergò veniat in fine seculi, dedit hoc sacramentum corporis & sanguinis sui fidelibus per omne tempus huius seculi, id est, usque ad consummationem seculi. Obmutescat ergo hæresis quæ dicebat, datum hoc esse tantum in cœna Domini. Si enim usque ad consummationem seculi, non tantùm in cœna Domini, sed cogentibus prædictis auctoritatibus datum est usque ad B consummationem seculi. Non igitur tantùm in cœna Domini.

Iam illud quod non modò ab incredulis opponitur, sed & à fidelibus quæritur : cur hoc sacrificium toties iteratur, cùm Christus semel in cruce oblatus ad tollenda totius mundi peccata sufficiat : maximè cùm non hic aliud, & ibi aliud, sed hic & ibi idem prorsus sacrificium, hoc est, idem Christus offeratur, videndum est. Si enim illud in cruce suffecit, superfluum hoc in altari videtur. Sed non est superfluum, quia certa de causa a Dei filio, qui est iuxta Apostolum Dei sapientia, factum & traditum est. (Cor.1.) Quæ sapientia, quia summè rationabilis, immò totius rationis fons & perfectio, est, nihil agere, nihil iubere irrationabiliter potuit. Unde cùm hoc dixit, cùm hoc sacramentum suis tradidit, non absque certa ratione, ut certum est, fecit. Quæ sola ratio omnibus satisfacit, quicunque Christum huius sacramenti auctorem, Deum & Dei esse Sapientiam credunt. Placuit tamen largitori tanti muneris causam reddere tantæ largitionis. Quam causam, dando ipsum sacramentum aperuit. Nam postquam dixit, Hoc facite, statim addidit, in meam commemorationem. C Hæc est ergo causa sacramenti, commemoratio Christi. Noverat Salvator quid fecerat, quid facturus erat propter hominem : noverat singulare opus quod gesserat induendo hominem, noverat stupendum quod gesturus erat moriendo propter hominem. Sciebat hoc se opere salvaturum hominem, sed absque huius operis dilectione nullum salvari posse hominem. Sciebat quia humanitatis & mortis suæ opus, sicut super omnia opera sua summè celebratum : sic mortalibus, pro quibus fiebat, summè erat commendandum. Commendandum erat, utpote cuius caro pro illis torquebatur, cuius anima pro ipsis tristabatur, cuius novissimè mors illorum vitæ ministrabatur. Hoc certè solemniter commendandum erat, ut Christus diligeretur, dilectus haberetur, habitus nunquam perderetur. Sed hæc eius dilectio ab hominibus servari non poterat, memoria pereunte : nec fugax memoria diu retineri valebat, nisi signo congruo apparente. Ne igitur à corde fugeret, quod maximè cordi inesse oportebat, signo rei congruente veluti fune insolubili colligata est cordi memoria : quo fortiter vinciente, semper redemptus redemptionis pretium cogitaret, D indéque Redemptori agens gratias : fide quæ per dilectionem operatur nequaquam se ingratum tantæ gratiæ demonstraret. Et posset quidem mentibus humanis huius rei utcunque absque signo visibili inesse memoria, sicut multarum rerum tam divinarum quàm humanarum recordatio, fama, lectione, doctrina, in eis aut gignitur, aut conservatur, sed quia iuxta quendam,

(Horatius)
*Segnius irritant animos demissa per aurem,*
*Quàm quæ sunt oculis subiecta fidelibus,*

& res tanta erat, ut ad eam cogitandam, amandam, amplectendam, non segniter, sed insigniter humani animi movendi essent : dignum & iustum fuit, ut humanitatis & mortis Christi memoria non tantùm audiretur per aures, sed etiam visu per oculos iuvaretur. Ea de E causa signum hoc à Christo propositum est : quod ita signum est, ut sit tamen idem quod signat. Hoc autem contra veteris sacrificij multiplicitatem, quæ † in nullo erat idem quod signabat, præter hoc quod illud sacrificium erat, & istud sacrificium est : & illud Deo offerebatur, & istud eidem Deo offertur. († quod) Signabat verò hoc nostrum nostri temporis sacrificium, sed non erat hoc quod istud : quia illud umbra, hoc corpus : illud figura, hoc veritas : illud de cadaveribus & cruore animalium, hoc de corpore & sanguine filij Dei. Ideircò non erat idem quod signabat. Sed istud nostri sacrificij signum non aliud, sed ipsum est quod signat. Ita verò est idem quod signat, ut quantum ad corpus, id est, ad veritatem carnis & sanguinis Christi pertinet, sit idem quod signat. Neque enim ibi Christus, ut olim, dolores aut mortem patitur : cùm tamen immolari dicatur. Dicitur autem immolari, cùm licet inviolabiliter in altari frangitur, dividitur, comeditur : cum his & quibusdam alijs signis inquantum fieri potest, mors Domini maximè repræsentatur. Unde sicut dixi, quantum ad veritatem corporis & sanguinis Christi pertinet, est idem quod signat, quam tamen maximè signat. Maximè autem dixi, quia hoc apertissimè Apostolus dicit in versu, quem supra commemoravi. *Quotiens*, ait, *manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis.* Quare hoc ? quare non similiter, ô Apostole Dei, dixisti, Incarnationem Domini, nativitatem Domini, Circuncisionem Domini, Baptismum Domini, vel quod maius videretur, Resurrectionem Domini, Ascensionem Domini, quando dixisti mortem Domini ? Quare illa, quæ gloriosa videntur, dimisisti, & quod erat ignominiosius elegisti ? Ut, inquit, ostenderem in morte Domini singulariter constare salutem mundi, ut ostenderem illud opus eius præponderare omnibus operibus eius, ut ostenderem tormento illo requiem, ignominia illa gloriam, morte illa mortuis redditam vitam. Ita planè, ita iuxta Apostolum, quando manducatur panis Domini, id est corpus Domini, quando bibitur calix Domini, id est sanguis Domini, annunciatur, hoc est, repræsentatur mors Domini quam passa est in cruce, non alia, sed eadem quæ G præsens est caro Domini, qua fusus est non alius, sed idem qui sumitur sanguis Domini. Quod cùm, fit ad hoc utique fit, ut mens longè vehementius excitata corporis Domini susceptione, quàm posset excitari verbi Domini admonitione, in amorem eius, quem non tantum audit sed etiam videt & suscipit, inardescat : & videns Verbum carnem factum, ut habitaret in nobis habitans etiam corporaliter & in se, oblivisci iam nullatenus possit, quem fide credit, amore amplectitur, manu contrectat, ore suscipit. Quem quondam pro se mortuum ipsa susceptione recolens, & morte illa vitam sibi paratam agnoscens, à mortis operibus abstineat : & sic eidem Christo Domino suo immortaliter iam viventi in sempiternum convivat. Hoc igitur Ecclesiæ sacramentum, quoniam sic assidua sui repræsentatione memoriam innovat, fidem auget, spem roborat, charitatem confirmat : non superfluum, sed valde † necessarium est. († ... me.) Ea propter, ut dictum est, Dominus hoc in sui commemoratione fieri iussit. H Ea de causa mortem Domini isto sacramento denunciari Apostolus docuit, ut Christi ac mortis eius memoria avelli de cordibus humanis, nulla mundi inquietudine, nulla temporum prolixitate valeret. Quæ memoria amorem excitans, de animi recessibus mala omnia effugaret, virtutibus universa repleret : sicque quotidie per hoc sacramentum innovans redemptionem, quotidianam pœnitentibus peccatorum gigneret remissionem. Soluit quidem & plenè tollit peccata mundi Agnus Dei in cruce immolatus : nec tamen idcirco, ut dixi, superfluus est in altari oblatus. Et ut in teipso à teipso hoc discas, adverte quicunque hæc legis, teque ipsum interroga. quando magis movearis, si tamen quod profiteris firmiter credis, utrum quando dicitur, Christus olim inter homines apparuit : an quando dicitur

Christus

A Christus nunc inter homines conversatur: quando dicitur, Olim in cruce pependit: an quando dicitur, *nunc in altari offertur*: utrum, inquam, te magis moveat, & ad admirandum & amandum, accendat eius prædicata absentia, quam demonstrata præsentia. Sed scio quia non diffiteris quod verum est, magis humana corda moveri præsentibus quam absentibus rebus: quia istis plerumque non creditur, de illis vel in modico dubitare animus non sinitur. Movetur igitur magis ad præsentem quàm ad absentem, movetur magis ad visum quam ad auditum Christum: movetur ad admirandum, movetur ad amandum: quo amore, amanti generatur remissio peccatorum. Cum quantus ergò Christum amor est, tanta est & indulgentia: ipso Domino attestante, qui de peccatrice Maria sic ait, *Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Et cum rursus scriptum sit, *Charitas operit multitudinem peccatorum*: quantam multitudinem peccatorum operit charitas in Christum, si tantam operit charitas in proximum? non est ergò, ut dictum est, superfluum Christi corporis & sanguinis sacramentum, quo vivacior memoria excitatur, quo ferventior dilectio provocatur, quo plenior peccatorum remissio comparatur. Non est superfluum, quia non tantum per id quod Deus est, sed etiam per id quod homo est, nobiscum est usque ad consummationem seculi. Non est superfluum, quia qui per corpus suum redemit nos, per idem corpus suum reficit nos: ut redempti per corpus eius, & refecti corpore eius, nutriamur & pascamur humanitate eius, donec satiemur deitate & gloria eius. Inde est quod in speciebus humano victu & vitæ magis congruentibus, hoc sacramentum constituit, ut agnoscerent advertentes, per speciem quidem panis terreni, sed per veritatem panis cœlestis, non mortalem quam fuerat ille, sed vitam dantem hominibus immortalem. Vnde solitario & stupendo miraculo, latet in illo sacramento quod est, & patet quod non est: ne cruda carne, ne viva & maximè humana vesci homo contra usum & naturam refugiat: quod olim quidam etiam ex discipulis execrantes, nec quod inde à Domino dictum fuerat capientes, dixerunt, *Durus est hic sermo, Et quis potest eum audire?* Sed non est durus, imò lenis & suavis sermo: quia etsi hominis Christi caro comeditur, non tamen læsi aut detruncati, non imminuti aut mutilati, non nolentis neque dolentis: sed volentis & gaudentis caro comeditur, & sanguis bibitur, ipso iuxta beati Apostoli Andreæ verba, in suo regno, integro, intacto, inviolato, immortali, incorruptibili, imò specioso, glorioso, adorando permanente, & mortales per tam immortale corpus suum ad eandem immortalitatem perducente. Non est ergò durum, crudele, sed pium & amabile: quia non nolens, neque coactus, sed volens & spontaneus hominibus carnem suam ad manducandum, sanguinem ad bibendum dedit. Nec irrationabile, quia unde peccatoribus venia, inde largitori tantæ gratiæ debetur & gloria. Manet tamen tecta veritas & carnis & sanguinis honesta panis & vini specie: ut & usui humano condescendatur, & fides exerceatur, & meritum augeatur. Inde est quod sacramentum, mysterium, species & figura vocatur: quia intra hoc quod exterior forma nunciat, virtus divina verum corpus & sanguinem Redemptoris occultat. Sed adhuc carnalis animus, & nondum plene ab humana consuetudine defæcatus, obiicit & dicit. Verum quidem corpus & sanguinem Redemptoris sub panis ac vini specie in altaris sacramento dari fidelibus scio: sed cur ad manducandum vel bibendum detur, si liceat quærere, quæro. Nam si ad honorandum, si ad adorandum tantummodo daretur, quæstio non esset. Sed quia etiam ad manducandum datur, animum nondum perfectè sublimia sapientem movet. Quem enim non moveat sicut quondam illos Christi discipulos movit, contra humanum morem, contra pietatem, carnem Christi vel sanguinem, immò Deum & hominem ab hominibus, magistrum a discipulis, dominum à servis, Christum à Christianis, manibus frangi, dentibus atteri, & velut escarum more communium devorari? Hæc, inquam, qui obiicis, sicut ipse fateris, à primis Christi discipulis Christo obiecta sunt, quando ab eis dictum est, *Durus est hic sermo. Et quis potest eum audire?* Hæc à Iudæis incredulis, & de hac re litigantibus, dicta sunt. *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* Hæc certe quæstio non nova, sed antiqua, non recens, sed vetustissima est: quæ sicut in ipsis Christianæ fidei fundamentis exorta est, sic non à quolibet doctore, sed ab ipso Salvatore, ut sanctum Evangelium loquitur, extincta est. Cumque simul ac pene eodem momento & ortum habuerit & occasum, nimium rudis Christianus videtur, qui talibus quæstionibus ante mille annos sepultis movetur. Quia tamen nihil contemnendum est, quod vel fidem lædere, vel ad scandalum quorumlibet possit corda movere, ferat hoc etiam æquanimiter quæ omnia suffert, charitas, ut membrorum Christi per eius patientiam sanetur infirmitas. Nam & hoc Salvator ipse, medicus videlicet cœlestis, de talibus infirmis faciendum esse docuit: quando rudibus adhuc discipulis & propter huiusmodi verba scandalizatis, non aspere corripiens, sed benigne admonens, dixit. *Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis filium hominis ascendentem ubi erat prius: spiritus est, qui vivificat, caro non prodest quicquam.* Quibus brevibus verbis totum hoc ænigma si attendas, sole clariùs sapientia Dei dissoluit: quia spiritum in lumine carnalium cogitationum nebulis offusum vidit. Si, inquit, *videritis filium hominis ascendentem ubi erat prius: spiritus est, qui vivificat, caro non prodest quicquam.* Hoc est, quia me hominem inter homines videtis, nihil de me adhuc, quantum ad hoc sacramentum spectat, plusquam de alio homine sentire potestis: & ideò carnaliter sapientes, velut per frusta concisam carnem meam me vobis velle dare creditis. Sed postquam in cœlum ascendero, postquam hanc carnem, de qua agitur, adhuc mortalem, in Deum glorificavero: tunc intelligetis, quia spiritus est qui vivificat, hoc est, verba mea spiritualiter accepta vivificant: caro autem non prodest quicquam, quia carnaliter intellecta mortificant. Dabo enim carnem meam hominibus, non more cadaverum detruncandam, minuendam, consumendam, quia sic accepta caro mea non prodesset quicquam: sed dabo eam absque dolore dividendam, absque imminutione partiendam, absque consumptione comedendam, quia spiritus est qui vivificat: & quia sic intellecta & accepta caro mea vitam non mortalem, sed æternam percipientibus donat. Sed adhuc urges & dicis. Et si data est caro Christi hominibus immortaliter & inviolabiliter, ad honorandum, ad adorandum: quare ad comedendum? Quod enim honorari, quod adorari debeat, fidelibus omnibus certum est: quod autem & comedi, quia comestionis ratio non videtur, profectò admirabile & super omnia stupendum est. Fateor planè & ego, fatetur, & omnis sanum sapiens: hoc super omnia miracula stupendum & admirabile esse. Sed nunquid tu, qui rationem tanti sacramenti exigis, cuncta reliqua sacramenta Dei ratione comprehendis? Nonne sola voluntas Dei omni humana ratione rationabilior est. An non intelligis hoc voluntatem Dei esse quod rationem: cùm omnis voluntas Dei sit ratio, & omnis ratio sit eius voluntas; Nam sicut eius voluntas non potest esse irrationabilis, ita & ratio non potest non esse illius voluntatis. Cùm hæc ita sint, omni rationi & rationabili menti sufficit voluntas eius, etiam non exquisita ratione voluntatis eius. Vnde in hoc sacramento sicut & in cæteris, sufficit voluntas & præceptum eius: cùm constet, nec summam sapientiam errare, nec summam rationem aliquid irrationabiliter agere posse. Sufficit ergò, & omninò abundanter sufficit ad rationem Christum Dominum hominibus carnem suam ad manducandum, & sanguinem suum

*Luca 7* / *Prov. 10. & 1 Pet. 4.* (margin, beside "attestante … Charitas operit") — B

C — *Ioan 9.* (margin, beside "Domino dictum … Durus est") — D

ad bibendum dedisse. Sed licet, ut dictum est, sit contra rationem, Dei cognita voluntate, eius quærere rationem: ne tamen hic Catholicis deesse, vel eos latere putetur, quod de tanti sacramenti ratione institutor Deus aperit, aperiatur.

Dat planè carnem suam, dat sanguinem suum, non solùm ad honorandum, non solùm ad adorandum, sed etiam ad manducandum & bibendum Christus hominibus: ut sicut absque carnali cibo & potu nullum mortalium mortalem & miseram vitam posse transire cernitur; sic absque ista spirituali esca & potu, neminem immortalem & beatam assequi posse credatur. Quomodo enim melius, quomodo apertius, commendare potuit mundo se esse vitam hominum: quam exẽplo illarum rerum, in quibus est vita hominum? In cibo enim & potu, vita est omnium hominum, atque inter multiformes escas & pocula, quibus vita sustentatur hominum, principalem locum obtinent panis & vinum: quibus salubrius & solennius vita quotidie recreatur, & reformatur hominum. Vnde has solennes & ad vitam temporalem hominum conservandam principales substantias, ad vitam sempiternam hominibus restaurandam, Dei sapientia fortiter suaviterque disponens omnia, assumere voluit: eaque de causa illarum specie carnem suam ad manducandum, sanguinem suum ad bibendum, hominibus dare decrevit. Ostendit in istis, & longe clarius hoc sacramento, quam verbis edocuit, non esse aliam vitam æternam hominum, nisi seipsum: dum similitudine eorum escæ carnalis, ad escam eorum & potum spiritualem, nihil aliud dare voluit quam seipsum. Nam dicit, *Ego sum via, veritas & vita.* Itemque c[..]m ait, *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te verum Deum, & quem misisti Iesum Christum* vitam eum esse æternam discunt homines audiendo. Sed cùm dicit, *Nisi manducaveritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Item cùm ait, *Panis quem ego dedero, caro mea est pro mundi vita:* vitam eum esse hominum sempiternam discunt homines comedendo. Comedendo ergo melius quàm audiendo discunt eum homines suam esse vitam immortalem, sicut escis corporalibus suam enutriunt vitam mortalem. Vt ergò non tantùm verbis discerent, sed etiam familiarius factis sentirent homines, se mori perpetuo seiunctos à Christo, se non posse semper vivere nisi coniunctos & unitos Christo, ad similitudinem escæ & vitæ carnalis accipiunt corpus Christi, bibunt sanguinem Christi: non ab alio data, non ab alio suscepta quam ab ipso Christo, qui eorum post hanc vitam futurus est esca, hoc est vita & beatitudo æterna. Hoc ut ostenderet, ut propter hoc carnem suam ad manducandùm, sanguinem suum ad bibendum omnibus se dare velle signaret: ducta ab heremitico manna similitudine, ait in Evangelio Iudæis se de suo manna iactantibus. *Non Moyses dedit vobis panem de cælo, sed pater meus dat vobis panem de cælo verum. Panis enim Dei est, qui descendit de cælo, & dat vitam mundo.* Panis enim ille non cœlestis fuerat, sed aërius, hoc est, de aëre Deo ibi eum creante delapsus: licet aër impropriè cœlum dicatur, ac propter hoc manna inde delapsum, panis cœlestis vocetur. Sed non fuit tamen illud manna panis cœlestis, sed est Dei filius de cœlo descendens, ut ipse fatetur, panis cœlestis qui etiam antequam de cœlo descenderet, panis, hoc est, vita erat Angelorum, & postquam de cœlo descendit, panis, hoc est, vita factus est hominum. Vnde se non mortuum, sicut manna fuit, sed vivum panem vocat quia illud mortuum reficiebat moritura corpora Iudæorum, iste autem panis vivus in æternum victuras animas reficit Christianorum. Quod autem effectus ipse vivendi, quem panis vivus præstat, in præsenti non confertur, sed in futuro differtur, hæc est causa: quia sacramentum quidem corporale est, quia verum corpus & verus CHRISTI sanguis est, sed res sacramenti, id est, salutis quæ sequitur, effectus spiritualis est. Ideo ipsum sacramentum, hoc est esca corporis Christi, & potus sanguinis Christi, licet sint corporalia, hoc est, verè corpora: dicuntur tamen spiritualia, hoc est, spiritualiter effectum salutis operantia, sicut docet Apostolus de Patribus loquens. *Omnes eandem escam spiritualem manducaverunt, & omnes eundem potum spiritualem biberunt.* Quod quia neque de manna Iudaico, neque de aqua ex petra producta senserit, sed de Christo, hoc est, eius corpore & sanguine, de quo & Moyses scripsit, scripserit, clarissimè demonstrat, cùm addit: *Bibebant autem de spirituali sequente petra: petra autem erat Christus.* De petra ergò, quæ eos secuta erat, id est, de Christo qui post eos venturus erat, hoc dixit. Qui spiritualem escam & spiritualem potum, hoc est, corpus suum & sanguinem vitam æternam hominibus spiritualiter conferentem, in sacramento sæpenominato donavit. Quod tantæ virtutis fuit, ut non solùm Christum sequentes, sed etiam ab initio mundi ipsum præcedentes fideles; non quidem corporaliter, sicut post illum universi, sed tamẽ spiritualiter sicut universi, *Omnes eandem escam spiritualem manducaverunt, & omnes eundem potum spiritualem biberunt*, hoc est, eundem salutis effectum, quem post Christum Christiani, eundem & omnes illi de Christi corpore & sanguine reportarent. Ideircò ut iam dictum est, omnes tam primi quàm ultimi ad corpus Christi, & ad salutis æternæ mysterium pertinentes, omnes omninò eandem escam spiritualem manducaverunt, & omnes eundem potum spiritualem biberunt. Vt igitur vita æterna spiritualiter & invisibiliter mundo in præsenti collata, corporaliter & visibiliter in futuro conferenda signaretur, data est caro Christi sub specie panis ad comedendum, datus èst sanguis Christi sub vini forma hominibus ad bibendum: ut sicut pane & vino ad vitam mortalem principaliter homines utuntur, sic ad vitam immortalem, quæ est ipse Christus, corpore Christi & sanguine hic spiritualiter, postmodum verò tam spiritualiter quàm corporaliter in æternum pascantur. Claret igitur ratio non solùm in futuro, quando intrandum est in sanctuarium Dei, & intelligendum in novissimis eorum, sed etiam in præsenti, quando adhuc sub nubilo cuncta fiunt: claret, inquam, cur non tantùm ad honorandum, non tantùm ad adorandum, sed insuper ad manducandum carnem suam, & bibendum sanguinem suum, Christus Christianis, Dominus servis, Deus hominibus dare voluit. Nemo ergò opponat impietatem velut læsi vel comesi Domini, nemo crudelitatem velut truncati vel dolentis corporis, nemo stultitiam velut homines humanam carnem absque ratione edentes, quia non est impium ubi omnis pietas, non est crudele ubi nulla passio, non est irrationabile ubi summa sapientia, quæ de sectione sua nullum dolorem, de participatione sua nullam immunitionem, de comestione sua nullam patitur consumptionem: immò comedentibus æternam inde providet & præparat reparationem, quatenus & in hoc seculo & in futuro panis & vita sit hominum, qui semper beatorum panis est, & refectio Angelorum.

*Contra id quod dicunt, vivorum beneficia nihil prodesse defunctis.*

QVinto dehinc & ultimo capitulo, iaculum adversariorum amento hæretico intortum, quod in perniciem Ecclesiæ iam advolat, scuto veritatis falsitati opposito repellendum est. De quo Propheta. *Scuto circumdabit te veritas eius, non timebis à timore nocturno, à sagitta volante.* Excrevit enim malitia perfidorum, & quasi ex adipe iniquitas eorum prodiit, cùm non solùm vivorum saluti, sed etiam mortuorum spei invident, & universorum communes & publici hostes affecti, non tantùm vivos occidere, sed & ipsos mortuos,

A si possibile esset, rursus extinguere moliuntur. Instant mortalibus, ut citò moriantur: mortuis ne ad vitam respirare audeant, aditum intercludunt. Non parcunt miserandæ hominum sorti, & post ærumnosam vitam denuò sub divino judicio laborantibus humanis speciebus, velut nunquam morituri misereri nesciunt, & verè impij, absque pietate Christum pietatem benigne commendantem, ut surdi audiunt: *Matt. 5.* *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Quam quia aliis nec affectu retinent, nec effectu exhibent, non ut beati, sed ut miseri, nunquam eam consequentur. Liberales certè homines, & de suo munificentissimi judicandi, qui nec de alieno dapsilitatem fieri, æquis intueri oculis, vel tolerare aliquatenus possunt, & divitias bonitatis Dei ac patientiæ ignorantes, qui secundùm Apostolum, *Rom. 10.* *dives est in omnes qui invocant eum:* & juxta alium, *Iacob. 1.* *dat omnibus affluenter, & non improperat*, leges divinæ largitati præscribunt, & ne mortuis liber inter mortuos misereatur, cœlestis censuræ judices interdicunt. Hoc faciunt quando altaris

B sacrificia, oblationes, orationes, eleemosynas, vel reliqua bonorum bona vivorum bonis mortuis prodesse non posse contendunt, & Ecclesiæ Christianæ tam celebrem, tam antiquum ab ipso Cristo, imò ante Christum ab ejus cultoribus observatum morem, universo orbe reclamante contemnunt. Vnde quam non contemnendus, imò quanto studio hic error refellendus sit, etiam negligenter attendentes advertere possunt. Quis enim, ô Catholici lectores, non advertat Satanan, cujus cogitationes juxta supradictum Apostolum *2 Cor. 2.* non ignoramus hoc cogitasse, ut tot bona à tantis bonis assiduè per orbem pro mortuis facta, hoc astu averteret, & juges eleemosynas, continua sacrificia, irrequietas orationes, & his similia, quæ & vivis comparant meritum, & defunctis requiem, consilio infernali auferret? Sed spiritus consilij ejus dolos retegens, & vultum fallaciæ nubilo opertum denudabit, & Ecclesiæ suæ magis lucrosam quam damnosam ejus extitisse tentationem monstrabit. Nam quod magnus Apostolus ante multa sæcula ait, *1. Cor. 10* *oportet hæreses esse, ut qui probati, manifesti fiant*, hoc non solùm patrum

C temporibus, sed etiam nostris diebus experimur, quia sicut semper extrinsecus hostium persecutionibus dilatatur, sic intestinis falsorum fratrum tentationibus magis magisque purgatur. Dilatabitur ergò, non angustabitur: purgabitur, non inficietur auxilio divini Spiritus Ecclesia: cùm illud, quod ab adversa parte opponitur, studiosius discutietur, subtilius investigabitur, perfectius invenietur, robustius defensabitur. Et ne diu differam, quid est, ô hæretice quod proponis? Non, inquit, prodesse possunt bona vivorum mortuis, quia translatis è vita nec augeri queunt merita, nec minui: quia extra vitam hanc non potest jam locus esse meritorum, sed retributionum; nec ab aliquo potest sperare mortuus, quod dum in sæculo esset, non obtinuit vivus. Idcircò inania dico quæcunque à vivis pro mortuis fiunt: quia dum mortales per mortem universæ carnis viam ad statum futuri sæculi transeunt, secum totum meritum suum, cui nihil possit adjici, ferunt. Novit, inquam, universa Ecclesia Dei,

D & ego qualiscunque ejus alumnus non ignoro, sapientiam Dei per Salomonē dixisse: *Eccl. ult.* *Cuncta quæ fiunt, adducet Deus in iudicium pro omni errato, sive bonum sive malum:* & Apostolum, *Gal. 6.* *Vnusquisque onus suum portabit:* &, *2. Cor. 5.* *Oportet nos stare ante tribunal Christi, ut referat unusquisque prout gessit in corpore, sive bonum, sive malum:* & David, *Psal. 61.* *Duo hæc audivi, quia potestas Dei est, & tibi Domine misericordia: quia tu reddes unicuique iuxta opera sua:* & Christum Dominum, *Mat. 16.* *Filius hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis, & tunc reddet unicuique secundum opera eius.* Novi planè ista, & adhuc plura, nec quam dixi Ecclesiam fallere potuerunt tanta tamque clara testimonia, nec tam cæcus esse potuit totus mundus, ut non posset cernere, quod potuit videre rarus hæreticus, unumquemque

E scilicet ex suis operibus aut justificari, aut condemnari. Vidit certè ista, nec ad videndum multo conamine opus fuit. Vidit quicquid tu videre potuisti, sed quicquid ipse vidit, tu hæretice non vidisti. Vidit fines beatitudinis ac miseriæ sempiternæ ex vita mortalium pendere, unde pro ejus qualitate agnovit omnipotentis misericordiam, aliorum piis operibus etiam post mortem mortuis subvenire. Nam etsi aliena videntur viventium opera, ut tamen mortuis prodesse valerent, mortuorum, dum viverent, sunt meritis comparata. Idcircò nec aliena esse judicanda sunt, quæ mortuorum præcedentibus meritis propria facta sunt. Orat ea de causa Ecclesia pro requie vel gloria membrorum suorum ad statum vitæ alterius translatorum, & quos fide ac charitate ad membra Domini sui pertinere cognoscit, à fructu suorum bonorum operum non excludit. Non excludit eos, imò ut dignum est, plenissimè admittit, ut sicut abjectos à facie Dei concorcordans justitiæ Dei à memoria sua abjicit, sicut perfectos coram facie Dei, certa de misericordia Dei auxilio suo non indigere cognoscit: sic laborantes sub

F judicio Dei, confisa de divitiis bonitatis Dei, quibus potest modis juvare contendit. Habet inde auctoritatem ex verbis Domini Dei sui, à quo per Evangelium audit, remitti peccata non solùm in hoc sæculo, sed etiam in futuro. Quando enim de blasphemia spiritus loquens, ait: *Qui dixerit verbum contra Spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro*, *Mat. 12. & Luc. 12.* ostendit veniam quidem peccatorum in hoc sæculo semper dignis concedi, remissionem tamen pœnarum, quas peccata exigunt, in futuro sæculo aliquando differri. Quæ secundùm nobis occultas dispensationes justitiæ & misericordiæ Dei, piis operibus bonorum vivorum, aut tempore breviantur, aut qualitate mitigantur, ad remedium bonorum, sed imperfectorum mortuorum. Quos bonos vocavi, quia non excidunt à salute; imperfectos, quia indigent purgatione. Quæ purgatio ab æterna damnatione secernens, aut per occultum Dei judicium reis illis pro qualitate reatuum exhibetur, aut per inexhaustam ejus bonitatem, Ecclesiæ sacrificiis, orationibus, eleemosynis, & his similibus recompensatur: quia manet verax veritatis sententia, remitti peccata, hoc est, pœnam pec-

G catorum, aliquando in hoc sæculo, aliquando in futuro. Sed jam latissimis scripturarum exemplis utamur, quibus Sole clarius elucescat, non dānosam, sed lucrosam nobis hæreticam propositionem fuisse, probando quod non solùm bona vivorum mortuis, sed etiam bona mortuorum vivis: & bona vivorum vivis, & bona mortuorū mortuis, & olim profuerint, & quotidie prodesse & proficere possint. Ad quod asserendum, ipse in primis auctor & Salvator hominum Iesus Dominus veniat, cujus adhuc inter homines viventis bona vivis, mortui mortuis, vivi mortuis, mortui vivis profuisse, nulli dubium vel obscurum, sed certū & perspicum est. Quando enim ejus bona numerari poterunt, quæ cùm adhuc mortalis inter mortales viveret, eisdem mortalibus non tantùm spiritualiter, sed etiam corporaliter profuerunt? Spiritualiter autem dixi, cùm mulieri

H peccatrici diceret, *Luc. 7.* *Fides tua te salvam fecit, vade in pace:* cùm Paralytico, *Mat. 9.* *Fili remittuntur tibi peccata:* cùm de Zachæo, *Luc. 19.* *Hodie salus huic domui facta est:* quando conversus respexit Petrum, *Luc. 22.* quando latroni ait: *Luc. 23.* *Hodie mecum eris in Paradiso*, & alia quingenta. Corporaliter verò dixi, cùm leproso, *Mat. 8.* *Volo mundare, & statim mundata est lepra eius:* cùm aliis decem leprosis simul occurrentibus præciperet: *Luc. 17.* *Ite ostendite vos Sacerdotibus, & dum irent mundati sunt:* dum cæco nato *Ioan. 9.* juberet, *Vade ad natatoria Siloe, & lava, & ille abiit, & lavit, & vidit:* cùm alij cæco diceret, *Luc. 18.* *Respice, fides tua te salvum fecit, & confestim vidit:* quando accesserunt ad eum multi cæci & claudi in templo, *Mat. 21.* & curavit eos omnes: quando Sole occidente omnes qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant eos ad *Marc. 1. Luc. 4.* ipsum & curabantur: quando præcepto ejus exibant

A dæmonia à multis clamantia, & dicentia: *quia tu es filius Dei*, (Lucæ 4) & mille similia, tam per se quàm per discipulos facta. Hoc ergò modo bona viventis Domini vivis profuisse monstravi. Bona autem mortui Domini mortuis profuisse quis dubitat, quicumque in symbolo Christiano credit & confitetur, passum sub Pontio Pilato, crucifixum, mortuum, sepultum, descendisse ad inferna? De quibus innumerabiles Sanctorum animas eruens, & beatitudini æternæ restituens, implevit quod solennis Prophetia prædixerat: (Osee 13.) *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos, ero mors tua ò mors, morsus tuus ero inferne*, & quod alius, (Psal. 93.) *Deus ultionum, Dominus Deus ultionum liberè egit*, quódque Apostolus, (Act. 10.) *qui constitutus est*, inquit, *à Deo iudex vivorum & mortuórum.* Sed quid mirabile, si mortuus Dominus morte sua mortuis fidelibus subvenerit, cùm exinde mortuis seu morituris usque ad consummationem sæculi Christianis omnibus ad vitam præordinatis, quod est mirabilius, eadem morte quotidie subveniat? B Bona ergò mortui Domini, mortuis hominibus hoc modo & profuisse & prodesse monstravi. Viventis autem Domini bona mortuis profuisse, unde clarius quam ex ipsa mortuorum resurrectione probatur? Nonne hoc illa trina & notissima mortuorum resurrectio attestatur, puellæ in domo, adolescentis in porta, Lazari de sepulchro? (Mat. 9. Luc. 7. Ioan. 11.) Nonne & illud jam viventis, quia à morte resurgentis, tam insolitum, tam nobile, tam famosum miraculum idem confirmat, quando eo, ut dixi, resurgente, & immortaliter jam vivente, multa corpora Sanctorum, qui dormierunt, surrexerunt? (Mat. 27.) Nec mirum hoc etiam si viventis virtute mortuorum corpora surrexerunt, quando ejusdem viventis dicta omnia, facta omnia ad resurrectionem non tantùm corporum, sed etiam, quod primum est, animarum omnium fidelium hominum profecerunt. Ostensum est igitur viventis Domini bona mortuis profuisse. Sed ad supplementum omnium demonstretur, mortui insuper bona viventibus potuisse prodesse. Ad quod non expectata responsione mea, totus orbis terrarum conclamat, vociferans se bono mortis Domini à morte æterna ereptum, saluti redditum, vitæ perpetuæ restitutum. C Hoc duodecim Apostoli, hoc septuaginta duo discipuli, hoc quingenti fratres, quibus simul resurgens apparuit, hoc innumera multitudo credentium vel non credentium, qui dum ipse temporaliter carne mortuus esset, ipsi etiam temporaliter in carne vivebant. Hoc, inquã, omnes isti attestantur: quos, ut dixi, in corpore mortali viventes, in corpore mortali eodem tempore mortuus salvavit, & ipsis viventibus bona mortis suæ profuisse monstravit. Quæ cùm ita sint, nullo sani capitis, ut æstimo, reclamante, bona viventis Domini vivis, mortui mortuis, vivi mortuis, mortui vivis profuisse probatum est. Sed quoniam ut dignum erat, hoc in Domino Salvatore velut in capite corporis sui, quod est Ecclesia, ostensum est, subsequenter in eodem corpore ejus, hoc est fidelibus ejus, provt ipse dederit, ostendendum est. De ipso enim Salvatore, ad quem singulariter pertinebat, ut ejus vita vel mors saluti viventium & mortuorum impenderetur, nullus fidelium dubitare permittitur. D Dé reliquis verò, quod scilicet bona vivorum mortuis prodesse valeant, & hi hæretici negant, & quidam etiam Catholici dubitare videntur. Propter quos maximè hoc demonstrandum est, ut hæreticus si fieri potest, fidem quam abjecit resumat, & Catholicus in fide quam confitetur, nequaquam ultra languescat. Et ut eo ordine quo de Domino illa superius ostensa sunt, eodem quoque ista inferius de servis fidelibus ostendantur, probandum est bona vivorum vivis, bona mortuorum mortuis, bona vivorum mortuis, bona mortuorum vivis, & profuisse in præteritis sæculis, & posse prodesse usque ad consummationem sæculi, etiam in futuris. Quando autem dies sufficere poterit, si undique occurrentia & certatim se ingerentia exempla profundere voluero, demonstrando bona vivorum vivis profuisse, & invicem se bonos omnes mutuis beneficiis adjuvasse ante legem, sub lege, sub gratia, E in Heptatico, in Prophetis, in Psalmis, in Evangeliis, in Apostolorum Actibus & Epistolis, in omni ad ultimum lege divina, tam ea quæ dicitur vetus, quàm ea quæ dicitur nova? Sed quia non est necesse cuncta hujusmodi de scripturis eruta in unum colligere, quæ sufficiant proponantur; quibus quæ proposita sunt robustissime defendantur. Proposita autem sunt, quòd bona vientium vivis prodesse possint. Et possem quidem dicere ad remotiora secedens, Abraham pro Ismaële, Isaac pro sterilitate Rebeccæ, Iacob pro nepotibus, Moysen pro Iudæis, eundem contra Amalech, contra Dathan & Abyron, contra plures rebelles & seditiosos: (Exod. 17. 25. 48. Exod. 5. 17. Num. 16) hos, inquam, magnos Patriarchas vel pro aliis, vel contra alios deprecantes & exauditos fuisse, David precibus suis à morte populi Angelum avertentem, (3. Reg. 24) Samuelem paulò superiorem eidem Iudaïco populo dicentem: (1. Reg. 12) *Absit à me peccatum hoc ut cessem orare pro vobis.* F Esaïam & Hieremiam Prophetas, tam precibus quàm meritis, Ezechiam & Iosiam Reges, ab eadem gente sæpè iram commoti Domini avertisse. Præter hos innumerabiles alios, quos brevitatis studio intermitto, possem producere, qui virtute sua infirmitatem, qui justitia sua iniquitatem, qui bonis suis mala priorum temporum supportabant, & Deum iniquitates hominum ferire disponentem, quasi vim inferentes, supplicationibus retrahebant. His ergo dimissis, ad nostra Evangelica tempora veniendum est, in quibus maximum in Apostolis, ut sæpè dictum est, Paulum sermo producat, & ex eo maximè viventium bona viventibus prodesse ostendat. Ait enim in Epist. sua Romanis: (Rom. 1.) *Testis mihi est Deus, cui servio in spiritu meo in Evangelio filij eius, quod sine intermissione memoriam vestri facio semper in orationibus meis.* Item Ephesiis: (Ephes. 3.) *Flecto genua mea ad Patrem Domini mei* IESV-CHRISTI, *ex quo omnis paternitas in cælo & in terra nominatur, ut det vobis secundum divitias gratiæ suæ virtutem corroborari per spiritum eius*, & reliqua. Item Coloss. (Coloss. 3.) G *Orationi instate vigilantes in ea in gratiarum actione, orantes simul & pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostiũ sermonis, ad loquendum mysterium Christi, ut manifestem illud ita ut oportet me loqui.* Rursus in jam dicta Epist. Romanis: (Rom. 15.) *Obsecro vos fratres per Dominum nostrum* IESVM-CHRISTVM, *& per charitatẽ Spiritus sancti, ut adiuvetis me in orationibus apud Deum, ut liberer ab infidelibus qui sunt in Iudæa, & obsequij mei oblatio accepta fiat in Hierosolymâ sanctis.* Item ad Timoth. (1. Tim. 2.) *Obsecro primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus & omnibus qui in sublimitate sunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus, in omni pietate & castitate. Hoc enim bonum est, & acceptum coram Salvatore nostro Deo.* Hinc Iacob. postquam dixit: (Iacob. 5.) *Confitemini alterutrum peccata vestra*, addidit: *& orate pro invicem, ut salvemini.* Quod fieri debere Prophetico testimonio cõprobat, cùm Heliam introducit orasse, ut non plueret super terram, (3. Reg. 17) & non pluisse annos tres menses sex: & rursum orasse, & cœlum dedisse pluviam, & terram dedisse fructum suum. Quid ultra? quid ultra certè, aut me loquendo, aut te, ô lector fatigarem legendo? H Ecce his paucis plenissimè, his brevibus exemplis largissimè monstratum est, bona vivorum vivis, juxta quod gratia divina dispensat, & utriusque partis meritum postulat, & olim profuisse, &, ut dictum est, semper dum hic vivitur posse prodesse. Dum enim Paulus Romanorum in suis orationibus memoriam facit, dum pro Ephesiis ad Deum genua flectit, dum rursum Romanos per IESVM-CRISTVM, & per charitatem Spiritus sancti obsecrat, ut adjuvent se in orationibus ad Deum, dum Colossenses monet, ut orationi instent, orent etiam simul & pro ipso; dum Timotheo loquitur obsecrare se ut fiant obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro Regibus & omnibus qui in sublimitate sunt: nec tantùm pro illis, sed sicut præmittit,

A pro omnibus hominibus: dum Iacobus hortatur duodecim tribus, quæ sunt in dispersione, & in illis totius mundi fideles, ut orent pro se invicem; subditque causam ut salventur: dum Heliam etiam pro impiis orasse & exauditum fuisse memorat; quid, inquam, in his omnibus tantis tamque solennibus sacræ legis testimoniis? quid certè aliud docetur, quàm omnia Christi membra, omne sibimetipsis auxilium invicem ferre, pro invicem orare, & ut lex Christi, quæ charitas est, (Gal.6.) impleri valeat, alterum alterius onera vel spiritualia, vel corporalia, spiritualibus aut corporalibus subsidiis portare debere? Iam sequentis particulæ probatio, unde melius quàm ex præcedentis probatione probatur? Sacris enim auctoritatibus multipliciter probatum est, viventium bona viventibus, si digni sunt, posse prodesse. Inde ergo colligitur mortuorum hominum bona mortuis hominibus, si & ipsi digni sunt, ad salutem seu ad malorum levamen posse proficere. Cùm enim bonorum viventium oratio viventibus profuerit, cur eorundem vel similium mortuorum deprecatio mortuis prodesse non poterit? An apud B piissimam majestatem plus possunt viventes justi, minus mortui justi? An majoris apud Deum pretij sunt preces bonorum viventium, quàm bonorum supplicationes mortuorum? Nunquid excellentioris meriti sunt apud Dominum suum sancti in corpore constituti, & inferioris mortalitate exuti? Nunquid majoris gradus vel gratiæ sunt adhuc in carne politi, & minoris jam Deo conjuncti? Non hoc, non hoc, inquam, ratio vel justitia patiatur, ut quando debent esse robustiores, fiant infirmiores quando debent esse potentiores, sint impotentiores, quando debent esse perfectiores, sint imperfectiores, quando solet talibus adaugeri gloria, minuatur gratia, quando superna largitatis erga tales dona solent ineffabiliter accumulari, quæ prius collecta fuerant, videantur auferri. Potuit certè Paulus orare pro Romanis, genua flectere pro Ephesiis, dum in misera carne viveret: &, ut par est, credere, exauditus est, & nunc omni miseria exutus beatitudini C sempiternæ conjunctus, pro eisdem vel quibusli bet dignè deprecabitur, & non exaudietur? Oravit, ut dictum est, Helias pro pluvia tollenda, oravit, & pro eadem reddenda in corpore manens; nec precum effectu vel in modico frustratus est, dum exutus corpore fuerit (nã adhuc in corpore vivit) pro quibusli bet dignis tamen orabit, nec quod oraverit obtinebit? Rogant Apostoli Dominum pro Chananæa dicente: (Matt.6.) *Dimitte eam Domine, quia clamat post nos*, & audiuntur. (Ioan.11.) Orant Martha & Maria, ut resurgat frater earum Lazarus, & Christo eos exaudiente resurgit. Hoc, inquam, sanctæ mulieres sanctique discipuli adhuc miseri obtinuerunt, si quid dignum petierint jam beati non obtinebũt? (Act.12.) Facta est oratio ab Ecclesia adhuc peregrina ad Deum pro Petro, ut de carcere erueretur, & misso Angelo ereptus est: orabit jam conjuncta Ecclesia Deo, ut pro aliquibus obtinendis audiatur, & non exaudietur? Et certè rationi huic auctoritate sua eadem Ecclesia attestatur, mortuis videlicet aliorum mortuorum D bona posse prodesse, dum quotidie per universum mundum cum signo fidei euntes de corpore & somno pacis dormientes mortuos suos, perfectioribus mortuis, hoc est, sanctis martyribus aliisque summè justis commendat, quos scilicet jam mortuos mortuis aliis non commendaret, nisi mortuorum in bonis perfectorum bona bonis mortuis, sed imperfectis posse prodesse confideret. De qua Ecclesiastica consuetudine, nec Catholicus dubitasse, nec hæreticus inventus est illi aliquando restitisse. Adjuvat ista & libri Machabæorum lectio, quæ sicut in sequentibus loco proprio (2. Mach. 15.) clarius exponetur, summum Sacerdotem Oniam, magnúmque Prophetam Hieremiam jam mortuos orasse, & exauditos esse pro viventibus introducit. Cùm igitur & viventes pro viventibus orare præcipiantur, & mortui pro viventibus exauditi esse legantur: cur mortui mortuis posse prodesse, sanctis supplicationibus dubitantur. E

Quod si quis forte opposuerit, bona mortuorum ideircò mortuis prodesse non posse: quoniam in statu illo futuri sæculi non est locus bonorum vel malorum meritorum, sed bonarum vel malarum retributionum. Respondeo esse quidem hic locum meritorum, ibi retributionum, sed sicut malorum & malorum varietatem distingui, sic bonorum & bonorum diversitatem oportere discerni. Sicut enim diverso respectu voco malum, quod est peccatum, & malum quod est pœna peccati: de quo primo malo ait Propheta, *Peccatum meum coram me est semper. Tibi soli peccavi, & malum* (Psal.50.) *coram te feci*: de sequenti verò Deus ipse: *Ego Dominus faciens pacem, & creans malum*. Itemque, si est ma- (Esa.45. Amos 3.) lum in civitate quod Dominus non fecerit, sic diverso intuitu voco bonum opus ejus, voco bonum, mercedem ejus. De quo primo bono præcipit homini scriptura sacra, *Fac bonum*: de sequenti verò dicit, *Credo* (Psal.36.) *videre bona Domini*. Primum ergò bonum meritum (Psal.26.) est, secundum bonum, merces meriti est. Primum F bonum laboriosum est, sequens bonum delectabile est. Primum bonum amaritudinis est, sequens bonum dulcedinis est. Primum bonum cum miseria temporali est, sequens bonum cum felicitate æterna est. Primum ergo bonum in præsenti tantùm vita exercetur, sequens bonum in futura perpetuo retinetur. Illud igitur bonum meritum comparans, quod laboris, amaritudinis, & miseriæ esse dixi, à sanctis vel jam beatis omninò removeo: illo verò quod delectabile, quod dulcedinis, quod felicitatis æternæ bonum vocavi, eos tantummodò frui affirmo. Nec enim ultra beatos illos esse pauperes oportebit, nequaquam esurire corporaliter vel sitire, nequaquam flere vel gemere, nequaquam persecutionem pro justitia pati eis ultra necesse erit, & his similia bonum, ut dixi, meritum comparantia: sed tantum excellentius bonum, quod mercedem præcedentium bonorum vocavi, eis deesse non poterit, quod beatus ille quicunque fuerit cœlicola, æternaliter obtinebit. Hoc est bonum illud quod beatitudo vocatur, cujus beatitudinis vel G præcipua, vel tota causa est, conditoris contemplatio, amor, delectatio. Quæ contemplatio amori, ut dixi, creatoris adjuncta, totam illam rationalem & beatam creaturam implebit, eámque ex integro sibi vendicans, ad infatigabilem laudem creatoris æternaliter animabit. Inter quæ bona sua quamdiu ne cesse fuerit etiam hoc bonum habebit, ut in miseria temporali adhuc laborantibus conservis benigne subveniat, & meritis felicibus, non miseris lamentationibus eos ad suæ beatitudinis consortium pertrahat. Ea- propter affectus, quo mortui pro mortuis Deo supplicant, non de miseria est, sed de beatitudine, non de laboriosis supplicationibus hujus vitæ, sed de rivo in eis derivato charitatis & beatitudinis sempiternæ. Hoc igitur modo mortui perfectiores pro imperfectioribus supplicant, quando Deum non sicut in hac vita miseris gemitibus, sed sanctis affectibus: sicut vitam illam decet, pro dignis exorant. Non enim eos H in precibus necesse est laborare, quorum sancta merita vel affectus non potest æterna sapientia, quæ illa contulit, ignorare, non potest summa benignitas non exaudire. Nec enim ipse Dominus tales illis affectus conferret, si eos exauditurus non esset. Hoc igitur modo bona mortuorum mortuis posse prodesse, & authoritas docet, & ratio persuadet. Ista (inquam) bona sanctorum non minuent beatitudinem, sed aliorum, ut dictum est, juvabunt imperfectionem. Nec vocabitur bonum adaugens meritum, sed dicetur bonum remunerans meritum. Iam si hinc authoritas scripturæ vel à credentibus vel à dubitantibus quæritur, juvante eo qui adjutor est in opportunitatibus, deesse non poterit. Deesse certè non poterit, ut non solùm ratione supra scripta, non tantum institutione Ecclesiastica, sed etiam authoritate divina undique nostra vallata assertio, nullum casum trepidans, immota consistat.

A consistat. Adducatur authenticus & Evangelicis testimoniis roboratus liber, qui dicitur Regum, in medium: & mortuorum bona mortuis, ut sæpè dictum est, posse prodesse, mirando ac jocundo exemplo confirmet. Veniat ad hoc astruendum magnorum & mirandorum operum patrator magnus ille & nominatus Helisæus Propheta, super quem Heliæ spiritus requievit, qui ejusdem eundem tanti Prophetæ spiritum, eò ad sublimia curru & equis igneis rapto, duplicem accipere meruit. Hujus certè Helisæi non viventis, sed jam mortui & sepulti ossa mox ut mortuum alium contigerunt, utrum bona mortuorum mortuis prodesse valeant, ostenderunt. 4 Reg. 1. *Quidam enim*, ait scriptura illa, *sepelientes hominem, viderunt latrunculos, & proiecerunt* 4 Reg. 13 *cadaver in sepulchrum Helisæi: Quod ut tetigit ossa Helisæi, revixit homo, & stetit supra pedes suos.* Quid mirabilius, quid clarius ad rem, de qua agitur, affirmandam, præscia cunctorum divinitas ostendere potuit? Unde lucidius mortuorum bona mortuis posse prodesse, cuncta providens æterna sapientia monstrare valuit? B Quis unquam nobile hoc miraculum considerans, quòd mortuorum bona mortuis prodesse valeant, non dico contradicere, non dico mussitare, sed vel in modico dubitare poterit? Idcircò autem hæc aperta miracula alterius temporis hominibus à Deo demonstrata sunt, ut omnium temporum homines instruerentur, & quid credere, quid agere deberent, non tantùm verbis divinis, sed etiam rebus mirabilibus admonerentur. Hoc autem corporale beneficium a mortuo Propheta mortuo homini collatum, docet Deum non solùm corporalibus mortuorum hominum beneficiis quæ ipse contulit, mortuis aliis succurrere: sed & spiritualibus bonis eorundem mortuorum, mortuis aliis sicut adjuncta justitiæ misericordia postulat, spiritualiter subvenire. Cùm hæc itaque tam magnis auctoritatibus, tantis rationibus, tam firmiter innitantur: procul explosa omni dubietate, mortuorum bona mortuis prodesse posse, luce lucidius demonstratur.

C Hinc ad tertiam divisionis nostræ particulam defendendam, quam solam hæretici nostri impugnant, de qua sola hoc nostrum quintum Capitulum exortum est, spiritu Dei causam suam defendente, procedendum est. Est autem hæc, qua Dei Ecclesia bona vivorum mortuis posse prodesse, & verbis docet, & quotidianis, quæ mortuis exhibet, misericordiæ operibus confirmat. Quam ejus consuetudinem & nobis ab eadem Ecclesia traditum morem, vos ô hæretici, cum quibus præcipuè de hac re mihi sermo est, nulla ratione temerare potestis, quia rationi longè suprascriptæ, & argumento invincibili resistere non valetis. Quæ verò sit illa ratio, quodve illud argumentum, ne mente exciderit, breviter replicabo. Superius enim dixistis, nullos vos libros, nullas traditiones Ecclesiæ ab Ecclesia præter Evangelium suscipere sed illi tantùm, hoc est Evangelio fidem vos firmissimam conservare. Ad quod ego respondi: Si indifferenter ab Ecclesia tam Evangelium quàm alios libros, quos Ca- D nonicos dicimus, cũ aliis authenticis traditionibus suscepistis, indifferenter aut omnia suscipere, aut omnia respuere debetis. Quod enim indifferenter ab Ecclesia tam nobis quàm vobis traditum est, aut indifferenter totum suscipiendum, aut totum reiiciendum est. Sed Evangelium reiiciendum esse non conceditis: Quia ergò Evangelium reiiciendum esse vos non conceditis, quicquid cum Evangelio ab eadem Ecclesia, quæ Evangelium tradidit, traditum est, invicta ratione cogente à vobis suscipiendum est. Traditum autem ab ea, quam dixi, Ecclesia, in Ecclesia invenistis, ut divinis sacrificiis, sacris orationibus, aliísque pietatis operibus, fideles in carne viventes, alios cum signo fidei & spei Christianæ carne exutos, juvare studeant, ut quod bonæ quidem forma vitæ, sed imperfectæ defuit, de superaffluente conditoris pietate piè præsumentes, supplere contendant. Quod quia sic vobis ab Ecclesia jam E dicta sicut Evangelium traditum est, prorsus tam à vobis quàm ab universis, sicut Evangelium suscipiendum est. Succedat tamen sacrorum librorum auctoritas, & tam Canonis divini quàm aliorum voluminum ei cohærentium, & ab Ecclesia traditorum clarifluus sonus, & erroris tenebras luce sua discutiat, & surdis hominibus aures hactenus obturatas aperiat. Ac primo omnium Machabæorum liber secundus in medium adducatur, ex quo famosissimam lectionem & in sacrificiis divinis, quæ assidue per totum mundum pro mortuis offeruntur, quotidie frequentatam, contradictor hæreticus audiat, & audiens pietatis verba piè per orbem terrarum ubique resonantia, inter innumerabiles pios pietati divinæ pro mortuis supplicantes, pene solus impius esse erubescebat. Audiat a fortissimo Iuda factam collationem duodecim millium drachmarum, missásq; Hierosolymam, ut ibi offerrentur pro peccatis quorundam in bello paulò ante acto mortuorũ: quorũ peccatũ tam grave describitur, ut vix venia dignũ inveniatur. *Sequenti die*, ait scriptura illa, *venit cum suis Iudas, ut corpora prostratorum tolleret, & cum parentibus pone-* F *ret in sepulchris paternis. Invenerunt autem sub tunicis interfectorum de donariis idolorum quæ apud Iamniam fuerant, a quibus lex prohibet Iudæos. Omnibus ergo manifestum factum est, ob hanc causam eos corruisse. Omnes itaque benedixerunt justum judicium Domini, qui occulta fecerat manifesta, atque ita ad preces conversi rogaverunt, ut id quod factum erat delictum oblivioni traderetur.* Tam grave, inquam, erat delictum, ut donaria idolorum invenirentur sub tunicis interfectorum. De hoc tam gravi delicto Iudæi fideles ad preces conversi, rogaverunt utiq; Deũ, ut id quod factum erat delictum, oblivioni traderetur. Rogant ergò fideles Iudæi Deum pro delictis tam gravibus defunctorum, ut quod fecerant oblivioni traderetur: & non rogabunt fideles Christiani pro defunctis in spe bona fidelibus eundem Deum, ut eis nondum plenè laxata peccata remittantur? Rogaverunt hoc illi adhuc in tempore iræ, & non rogabunt hoc isti in tempore gratiæ? Obtulit Iu- G das, qui ad offerendum misit duodecim millia drachmas argenti pro peccatis mortuorum Iudæorum: & non offeret noster Iudas, id est, pietatem tenens & confitens Christianus, super aurum & argentum incomparabiliter pretiosum Christi corpus & sanguinẽ, pro peccatis Christianorum mortuorum? Bene ille & religiose de resurrectione cogitabat, bene & religiose considerabat, quod hi optimam haberent repositã gratiam, qui cum pietate dormitionem acceperant Iudæi: malè & irreligiose cogitant, qui considerant quod eandem & meliorem habeant repositam gratiam hi qui cum pietate dormiunt Christiani? Non prorsus, non: quia ut bona illa scriptura subsequitur, *sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur.* Adjungatur huic Machabæorum exemplo totus divinus & Evangelicus Propheta Esaïas, cujus veritatem vel dignitatem superfluum est efferre: cùm Apostoli, cùm Evangelistæ, cùm Salvator ipse eum inveniantur frequentissimè legere, prædicare, & verba sua ejus sermonibus roborare. Loquens quippe H Iudaïco populo, ad quem missus erat, eósque corripiens & instruens: *Cùm dixerint*, inquit, *ad vos,* Esa. 8. *quærite à Phytonibus, & à divinis qui strident in incantationibus suis: nunquid non populus à Deo suo requirit pro vivis ac mortuis?* velut si diceret: Cum dixerint ad vos deceptores, ut ea quæ tantùm à Deo requirenda sunt, quærantur contra Deum à Phytonibus & à divinis, qui more talium incantãdo strident & sibilant, respondete: Nunquid non populus? hoc est, nunquid non est hic mos omnium populorũ, ut à Deo suo quem colit, requirat ea quæ quærenda sunt, sive pro vivis, sive pro mortuis? Ea propter non ut vos dicitis, quæremus ista à Phytonibus & à Divinis, sed more omnium populorum, qui à Deo suo requirunt tam pro vivis quàm pro mortuis quæ requirenda sunt, & nos similiter faciemus, à Deo nostro requirendo, si qua

quærenda

A quærenda sunt pro vivis, vel si qua quærenda sunt pro mortuis. Nonne vides quicunque hæc legis, Prophetam Esaïam apertissimè prædicare, Deum a populo suo requirendum, id est, consulendum esse tam pro vivis quàm pro mortuis? Quod si consulendus, si orandus est Deus, tam pro vivis quàm pro mortuis, quid respondent qui dicunt non esse orandum pro mortuis? An illud concessum fuit uni populo Judæorum, & nunc negatur Christiano orbi terrarum? Docetur populus ille, ut respondeat seductoribus inquirendum vel deprecandum Deum pro vivis ac pro mortuis, & non docebitur populus Christianus conculcandos esse hæreticos, qui negant Deum orandum pro mortuis? Quod si dixerint in aliquibus exemplaribus non haberi, nunquid non populus à Deo suo requirit pro vivis ac mortuis, sed pro vivis à mortuis, hoc est, pro vivis hominibus à mortuis simulachris? Respondeo dictum quidem & illud, si tamen ita est, ad exprobrandum idololatris, qui quod pro salute vivorum sive defunctorum ab uno & vero Deo tantum

B quærendum erat, a falsis & innumeris, secundùm ipsos, diis quærebant, secundum quod Ochosiæ Regi dicitur:

4 Reg. 1. *Quasi non esset Deus in Israel misisti ad consulendum Beelzebub Deum Acaron, idcirco de lectulo super quem ascendisti non descendes, sed morte morieris.* Dico, inquam, ad deridendos idololatras hoc dictum fuisse, sed quòd à Deo vero populus ejus salutem vivorum seu mortuorum quærere debeat, Prophetam sensisse. Hoc qui studiose legerit intelliget, & erroneis hominibus ista negantibus contradicet. Nam & quod sequitur, ad legem magis & ad testimonium, ostendit de his & similibus legem divinam, ejúsque testimonia consulenda, hísque magis quàm Pythonibus vel divinis esse credendum. Sed & illud quod additur, *si non dixerint juxta verbum, hoc non erit eis matutina lux*, comminatur negantibus vel contradicentibus hæreticis, si non dixerint juxta verbum hoc, hoc est, consulendum vel orandum esse Deum pro salute vivorum ac defunctorum, non esse eis matutinam lucem: hoc est, nunquam

C eos perventuros ad mane æternum, de quo postquam

Psal. 29. Propheta dixit: *Ad vesperum demorabitur fletus*, subdidit, *& ad matutinum lætitia.* Sed transeat à Propheta sermo ad Apostolum, ut quid de his sentiat summus post Christum magister Ecclesiæ, more suo non tantùm discipulis, sed & discolis istis aperiat. Tractans quippe in Epistola ad Corinthios prima de mortuorum resurrectione, & eam multipliciter astruēs:

1. Cor. 15 *Alioqui*, ait, *quid facient, qui baptizantur pro mortuis? Si omninò mortui non resurgunt, ut quid & baptizantur pro illis?* Baptizabantur enim tunc temporis quidam bona, sed non sana voluntate pro mortuis non baptizatis, æstimantes baptismum, quod dum viverent non perceperant, si pro ipsis vivi baptizarentur, mortuis posse prodesse. Quod Apostolus sic de hoc eorum opere loquens temperat, ut baptismum tale non approbet, & baptizatorum voluntatem collaudet. Non approbat sane alterius baptismum alteri viventi vel mortuo, quantum ad baptismum spectat posse prodesse:

D sed planè intentionem illorum baptizatorum approbat & confirmat, qui bonis operibus vivorum, mortuos posse juvari, hujusmodi opere, hoc est, tali baptismate, videbantur sentire. Abjicit igitur Apostolus quod abjiciendum esse, suscipit quod suscipiendum esse cognoscit: ut non quidem baptismatis opere quod unicum est, sed omni alio bono opere quod multiplex est, mortuos à viventibus posse juvari admoneat. Hinc sententiam, quam præmisi, tam constanter in resurrectionis assertione pronuntiat, & ut melius commendet iterat, cùm dicit: *Alioqui quid facient qui baptizantur pro mortuis?* Et statim: *Si omnino mortui non resurgunt, ut quid & baptizantur pro illis?* quasi diceret: Si non est resurrectio, quid prodest bonum opus, vel bona pro mortuis vivorum intentio? Quid prodest pro mortuis bona voluntas vivorum, si mortem carnis non sequitur resurrectio mortuorum? Quid

E prodest pro mortuis bonum viventium opus, si ad vitam sempiternam post communem casum, humanum non creditur posse resurgere corpus? Sed quia hoc patet, quòd mortui resurgunt, neque hoc latet, quòd mortuis bona viventium prodesse possunt. Quia hoc clarum est, quòd bonum resurrectionis reservatur carni humanæ: & hoc perspicuum est, quod bonum orationis, quo à viventibus Deo pro mortuis supplicatur, animæ nihilominus reservatur humanæ. Quia hoc constat quod corporalis substantia aut de cadavere, aut de pulvere, aut de nihilo reparabitur: & illud certum est, quod interim spiritualis substantia bonis vivorum operibus adjuvabitur. Si enim omninò absque spe reparationis humana natura deficeret, sic ut non esset unde repararetur, ita non esset unde adjuvaretur. Sed quoniam per resurrectionem constat eam in melius reformandam, non quidem per baptismum, sed per alia bona viventium opera, si pro ea facta fuerint eam certum est adjuvandam. Hic planè hic sensus, hic in-

F tellectus est Apostolicus: cui qui concordat, Catholicus: qui ab hoc discordat, hæreticus esse probatur. Hinc enim & sequitur: *Ut quid & nos periclitamur omni hora? Quotidie morior per vestram gloriam fratres.* Vides, lector, Apostolum periculis suis quotidianæ morti suæ, paria fecisse baptismata eorum qui baptizabantur pro mortuis: hoc est, bona quæ faciebant vivi pro mortuis? non quidem quantum ad dignitatem, qua incomparabiliter opera sua illorum operibus præcellebant, sua opera eorum operibus paria fecit: sed quantum ad argumentum probandæ mortuorum resurrectionis spectabat, facta sua & illorum æquavit. Dixit enim inaniter baptizari vivos pro mortuis, si mortui non resurgerent: dixit inaniter se periclitari omni hora, si mortui non resurgerent: inaniter quotidie se mori, si mortui non resurgerent: inaniter se ad bestias pugnasse Ephesi, si mortui non resurgerent: & frustra hæc omnia vel similia facta fuisse vel fieri, si mortui non resurgerent. Quod si mortui resurgerent, neque se ista omnia frustra pati aut facere, neque vivos qui pro

G mortuis baptizabantur, quantum ad intentionem, ut supra dictum est, pertinet, frustra pro mortuis baptizatos esse: quia & illa sua opera non tantùm viventibus: sed & mortuis proderant, & aliorum viventium bona, quæ pro mortuis piè fiebant, absque dubio mortuorum saluti proficiebant. Huic argenteæ columnæ, hoc est, splendidæ & forti Apostolicæ sententiæ, operis hujus ædificio firmiter innixo, & quod vivorum bona, si digni fuerint, mortuis prodesse valeant, inde probato; ad Actus ipsius Apostoli & aliorum Apostolorum sermo transiliat, & adjuvante eo, cujus causa agitur, de libro illo non Evangelio, sed Evangelico, quod ex aliis astruit, verum esse ostendat. Vivebant certè in carne duo magni, & summi Apostoli Petrus & Paulus, quorum primus, ut breviter dicam, viduarum precibus & lamentis Tabitam mortuam, alter lapsum de fenestra Euticum, miseratus, casum studiosi erga verbū Dei adolescentis, suscitavit. Vivebat, inquam, in carne Petrus, mortua erat quantum ad carnem Tabita. Hoc ne quis H

dubitet, sancta illa scriptura testatur: *Factum est*, inquit, Act. 9.

*in diebus illis, ut infirmata*, scilicet Tabita, *moreretur:* Act. 20.

*Quam cùm lavissent, posuerunt in cœnaculo.* Quid de Petro? *Petrus*, ait, *ponens genua, oravit.* Et post pauca: *Cùm vocasset*, inquit, *sanctos ac viduas, assignavit, eam vivam.* Quid de Paulo? *Quidam*, inquit, *adolescens nomine Euticus, ductus somno cecidit de tertio cœnaculo deorsum, & sublatus est mortuus. Ad quem cùm descendisset Paulus, incubuit super eum, & complexus ait: Nolite turbari: Anima enim ipsius in eo est.* Et versu interposito: *Adduxerunt autem puerum viventem, & consolati sunt non minimè?* Ecce vivens Petrus, ecce absque dubio mortua mulier. Ecce vivens Paulus, ecce absque dubio mortuus adolescens. Quia tamen Petrus ponens genua oravit, resurrexit mortua mulier. Et quia super hunc Paulus incubuit, eúmque complexus est, resurrexit mortuus adolescens,

A Quid ultra quæritur? Quid negatur vel dubitatur, viventium bona defunctis posse prodesse: cùm tam sublimibus exemplis doceatur, tantorum Apostolorum precibus præscriptos mortuos surrexisse? Quis jam vel mussitare audebit, frustra Ecclesiam pro mortuis orare: cùm videat summos magistros ejus, & animas mortuorum ab occultis judiciorū Dei sedibus invisibiliter revocare, & ipsa eorum corpora visibiliter suscitare? Sufficit, sufficit planè, & hæreticis negantibus, & Catholicis dubitantibus, hoc etiam si aliud non esset exemplum, justè & Ecclesiam orare pro mortuis; & si hoc præcedens vita mortuorum exigit, ejus pias preces vel opera posse prodesse mortuis. Sed ne hæc gratia illis tantùm magnis Apostolis collata videatur, accedant & inferiores, & eis similium operum potestatem à Christo concessam, ipsum Evangelium jam loquatur. Accedant non tantùm certè duodecim Apostoli, sed & LXXII. discipuli: & inter cætera quæ præcepta sunt, audiant à Christo, *mortuos suscitate.* (Luc. 10.) B Et ne his etiam solis tam mirandorum operum potentia data videatur, attendant, hi cum quibus mihi sermo est, non specialem aliquorum, sed generalem universorum super his sententiam Domini *Qui credit*, inquit, *in me, opera quæ ego facio & ipse faciet: & majora horum faciet.* (Ioan. 14.) Ad quid istud? Vt ostendam mortuorum resuscitandorum potestatem non solùm duodecim Apostolis, non solùm septuaginta & duobus discipulis, non solùm aliis fidelibus qui Christum in carne viderunt: sed & omnibus verè credentibus, quando certa salutis humanæ causa exigeret, esse concessam. Ad quid & istud? Vt in mortuorum resurrectione, viventibus à Deo concessa gratia cognoscatur: & per orbem terrarum vivorum precibus resurgentibus mortuis, quòd bona vivorum mortuis prodesse valeant, nequaquam ulterius à viventibus dubitetur. Cùm planè Apostolos, cùm antiquos Prophetas, cùm innumerabiles sub tantæ gratiæ sanctos, tam frequenter mortuos suscitasse audiatis, cum non malis suis, sed bonis suis, cum non suis maleficiis, sed Dei beneficiis, eos hoc C fecisse cognoscatis; bona viventium mortuis posse prodesse, nequaquam aut vos hæretici negabitis, aut ultra vos Catholici dubitabitis.

Quod si opponitis, in veteri scriptura de Helia & Helisæo, in libris novæ gratiæ de Petro & Paulo tantummodo quod mortuos suscitaverint inveniri. Respondeo, in Canone quidem plura his exempla non legi, sed verba vel præcepta Domini quæ præmisi, sufficientissimè pro exemplis debere haberi. Quid enim? Numquid quando legitur Christus imperasse discipulis, *mortuos suscitate*, quando legitur de omnibus credentibus dixisse, *Qui credit in me, opera quæ ego facio & ipse faciet*, non creditur resurrectionem multorum mortuorum per discipulos prædixisse? Nam si ab eis mortui suscitati non sunt, aut quod præcepit Christus, discipuli neglexerunt, aut quod præcepit, non impleverunt. Sed ut ad unguem prosequar tergiversantes, concedo eos mortuos non suscitasse: sed affirmo quod vos hæretici negare non potestis, suscitandorum mortuorum potestatem plenissimam accepisse. D Quod si acceperunt, re vera aut uti, aut non uti potuerunt. Qui si ea usi sunt, mortuos suscitaverunt. Si ea usi non sunt, non quidem suscitaverunt, sed suscitare mortuos potuerunt. Horum quodlibet concedatis, quod affirmamus negare non potestis. Nam si mortuos suscitaverunt, utique præcepto Domini & bonis suis precibus suscitaverunt. Si non suscitaverunt, eodem ejusdem Domini præcepto, & eisdem bonis suis precibus suscitare potuerunt. Hoc quia constat, sicut si mortuos suscitassent, bona eorum mortuis profuissent: ita & si non suscitaverunt, bona tamen eorum si voluissent, mortuos prodesse potuerunt. Istis omnibus eò res pervenit, ut in accepta potestate suscitandorum mortuorum, sive suscitaverint mortuos, sive non suscitaverint: hoc ostendatur præcipuis sancti Evangelii testimoniis, bona quælibet viventium posse prodesse E mortuis. Sed falsum est tamen talem mortuorum resurrectionem Christum & præcepisse & prædixisse, & præcepta & prædicta impleta non esse. Multi enim & innumerabiles Christi discipuli extiterunt, qui per universum orbem terrarum, inter alia infinita & stupenda opera sua, ea quæ à Christo de suscitandis mortuis jussa sunt servaverunt, quæ prædicta fuerant, impleverunt. Quibus cœlestibus & mirandis operibus, sapientiam mundi stultam facientes, potentiam mundi Deo subjicientes, à morte æterna homines eruerunt, vitæ sempiternæ, quam amiserant, restituerunt. Et quis eos enumerat? *Dinumerabo eos*, ait ille, *& super arenam multiplicabuntur*, (Psal. 138) quia à nullo mortalium numerabuntur. *Opera*, inquit Christus, *quæ ego facio, qui credit in me, faciet:* (Ioan. 14.) ut inter alia mirabilia, quia ego suscito mortuos, & ipse suscitet. *Et majora*, inquit, *horum faciet.* O excellens gratia! ô superabundans benignitas! Majora Christo Christianus faciet, F majora Salvatore salvatus operabitur, majora Deo homo implebit. Quare hoc? quia ego ad Patrem vado, quia à mundo corporaliter recedo, quia mortalibus oculis præsentiam meam subtraho, ne putet mundus, quod cum præsentia mea, subtrahatur & gratia mea: ne æstimet me sui oblitum, quia se videt corporaliter derelictum: ne arbitretur me ex toto hinc abisse, quia videt humanam formam in cœlum secessisse: idcirco majorem gratiam terris infundo, idcirco alium Paracletum meis mitto, qui maneat cum eis in æternum, qui eos doceat omnem veritatem. (Ibid. Ioan. 16.) Idcircò majorem plenitudinem spiritualium munerum, idcircò majorem efficaciam mirandorum operum eis largior, ut & de mea visibili absentia consolentur, & ad ardenter exoptandam æternam meam præsentiam multipliciter animentur. Ideò qui credit in me, non solùm opera quæ ego facio & ipse faciet, sed & majora horum faciet. Nam ut de cæteris admirandis hominibus, & mirabilibus eorum operibus taceam: nunquid non Encharius ab Apostolo Petro ad prædicandum in Germaniam G directus, majore miraculo quàm Christus mortuum suscitavit? Suscitavit Christus quatriduanum Lazarum, suscitavit Eucharius à Petro directus quadragenarium mortuum. Jacuerat exanimis Lazarus in sepulchro quatuor diebus, fuerat & hic mortuus in sepultura xl. diebus. Majora igitur fecit Eucharius quàm Christus, sed quia hoc voluerat & dixerat ipse Christus. Quod quidem & de multis aliis dicere possem, sicut verbi gratia de sancto Frontone Petrogorensi, & Maurelio Andegavensi Episcopis. Quorum primus cùm & ipse ab eodem sæpe dicendo Petro Apostolo ad partes Aquitanicas mitteretur, Georgium socium jam ultra decem dies in via mortuum, per ipsius Apostoli baculum de morte recepit. Alter verò longe post Apostolorum tempora, puerum quem propter hoc etiam postea Renatum vocavit, septem annos integros jam in monumento habentem, excellentissimo miraculo suscitavit. Quid hoc ad proposita? Vt ostendatur Christum hoc præcepisse, ut per vivos mortui resurgerent: & inde doceatur, bona vivorum mortuos H proculdubio juvare posse. Hæc de sacro Canone, præter id quod de Euchario, Frontone, sive Maurilio, propter celebrem eorundem sanctorum famam posui, maxime contra hæreticos, qui non nisi Canoni se dicunt credere, dicta sufficiant. Nam propter Catholicos, qui sanctos Patres & Ecclesiæ Dei Doctores debita reverentia suscipiunt, ponenda mihi videntur ex eorum dictis & factis aliqua exempla & testimonia: ut qui fortasse hactenus eos minus studiosè legerunt, amodò studiosius legant, eósque contra hanc etiam hæresim, ante multa sæcula vigilasse cognoscant. Propter Catholicos autem dixi, quia in quibusdam regionibus etsi non multi, aliqui tamen esse dicuntur: qui etsi huic præmissæ veritati apertè ut hæretici, non contradicunt, ex his tamen quæ cum aliis conferunt, de ea dubitare se probant. Quorum ad hoc dubitatio dicitur processisse, ut consulti de his ab aliis tepidè respon-

deant,

A deant, & tam in eleemosynis erogandis, & in cæteris pietatis operibus more Ecclesiastico exercendis, aut deficiant, aut languescant. Istos nec hæreticos vocare debeo, quia in his nec publicè, nec pertinaciter Ecclesiæ resistunt. Sola enim pertinacia, Ecclesiæ doctrinæ resistens, hæreticum facit: nec securè fideles nominare audeo, quia erga statuta Ecclesiastica languere vel tepere conspicio. Sunt equidem innumerabiles & diversissimæ diversarum Ecclesiarum ad vnam Catholicam pertinentium consuetudines: vt pene tanta sit varietas vsuum, quanta multiplicitas Ecclesiarum. Sed non damnat aliquem diversa institutio, quæ & veræ fidei inseruit, & charitatis compaginem non dissoluit. Vbi verò aut fides læditur, aut charitatis vnitas periclitatur, si occultè fit, damnabile est: si publicè, damnabile simul & hæreticum est. Istud ad hoc intuli, vt qui bona viuorum mortuis, qui digni sunt, prodesse denegat: non ad eam, quam præmisi, bonorum vsuum

B varietatem, sed ad communis fidei læsionem pertinere cognoscat. Et quia hoc ad læsionem fidei pertinet, sicut publica pestis hæretica expellenda; sic occulta languentium passio si poterit fieri, remediis medicinalibus est curanda. Medicinalia autem remedia, Patrum Catholicorum exempla & monita dico, vt quæ hæreticis prodesse non possunt, à quibus non audiuntur, prosint vel istis à quibus suscipiuntur. Nam non parnum vel in regno cœlorum, vel in Ecclesia Dei locum, Doctores tenent Ecclesiæ Dei: cùm vel de regno

Mat 5. cœlorum, vel de Ecclesia Dei dicat ipse Deus, *qui fecerit & docuerit, magnus vocabitur in regno cælorum.* Et Apostolus in Epistola ad Corinthios, in sublimi, hoc

1.Cor.12. est, tertio post Apostolos & Prophetas gradu, eos constituit, cùm dicit. *Quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes sermonum.* Audite igitur, quicumque talium aliquid animo versatis, audite magnos sanctos, & post Apostolos & Prophetas præcipuos Doctores Ecclesiæ: & si filij eorum estis, patribus; si discipuli, magistris adquiescite. Nec quamlibet acutos, quamlibet subtiles intellectus vestros præpostero ordine eorum velitis sensibus anteferre: quia, vt Veritas ait, perfectus om-

G nis erit, si sit sicut magister eius. Nos tamen quoniam, prout res ipsa patitur, brevitati operam damus, nequaquam de omnibus qui in Ecclesia celebre nomen doctorum obtinent, & quos vel Græcos, vel Latinos testes habere possemus, exempla posuimus. Sufficere namque debere iudicauimus, si illorum tantùm qui in arce Latinitatis, cuius linguæ homines sumus, auctoritate & scientia cæteris eminent, testimonia producamus.

Beatus ergò Ambrosius Mediolanensis Episcopus, quem, sicut de ipso antiquitus dictum legitur, ne inimicus quidem vnquam ausus est reprehendere, in Sermone quem de obitu magni Theodosij Imperatoris ad populum habuit. Dilexi, inquit, virum, qui me in supremis suis vltimo spiritu requirebat. Dilexi, & præsumo de Domino quod suscipiat vocem orationis meæ, qua prosequor animam piam. Et post aliqua. Conteror corde, quia ereptus est vir, quem vix possumus invenire. Sed tamen tu solus Domine invocandus es, vt eum in filiis repræsentes. Da requiem Domine perfectam seruo tuo Theodosio, requiem illam quam præ-

D parasti sanctis tuis. Illo convertatur anima eius, vnde descendit, vbi mortis aculeum sentire non possit: vbi cognoscat mortem hanc non naturæ finem esse, sed culpæ. Item post modicum. Dilexi, inquit, & ideò prosequor eum vsque ad regionem vivorum: nec deseram donec fletu ac precibus inducam virum, quò sua merita vocant, in montem Domini sanctum. In libro autem, quem de consolatione Valentiniani & Gratiani Imperatorum scripsit, orans pro ipso Valentiniano in bona fide defuncto. Ne quæso, ait, Domine à fratre seiungas, nec iugum hoc piæ germanitatis abrumpe.

E Dona patri filium, fratri germanum suum, quorum vtrumque imitatus est: alterum fide, alterum devotione pariter atque pietate. Et post aliqua. Et huic, inquit, adhuc intercessionē adscisco, cui remuneratione præsumo? Date manibus sancta mysteria, pro requiem eius poscamus affectu. Date sacramenta cœlestia. Animam piam nostris oblationibus prosequamur. Extollite populi mecum manus in sancta, vt eo saltem munere, vicem eius me-

Cant.2. ritis rependamus. Non ego floribus tumulum eius aspergam, sed spiritum eius Christi odore perfundam. Spargant alij plenis lilia calathis, nobis Christus est lilium: hoc reliquias eius sacrabo, hoc eius commendo gratiam. Nunquam ego piorum fratrum separabo nomina, vel merita discernam. Scio quod Dominum commemoratio ista conciliet, & copula ista delectet. Dehinc post plurima. Beati, inquit, estis ambo, si quid meæ orationes valebunt. Nulla dies vos silentio præteribit, nulla inhonoratos vos mea transibit oratio.

F Nulla nox non donatos aliqua precum mearum contextione transcurret. Omnibus vos oblationibus frequentabo. Idem in libro primo de excessu fratris sui Satyri. Fluerunt, ait, pauperes, & quod multo preciosius est, multoque vberius, lachrymis suis eius delicta lauerunt. Illæ sunt lachrymæ redemptrices, illi gemitus qui dolorem mortis abscondunt. Ille dolor, qui perpetuæ vbertate lætitiæ, veteris sensum doloris obducat. Item in fine libri eiusdem. Tibi, ait, nunc omnipotens Deus, innoxiam animam commendo, tibi hostiam meam offero: *cape propicius ac serenus fraternum munus*, sacrificium sacerdotis. In secundo autem libro. Nos quoque ipsi, inquit, natales dies defunctorum obliviscimur, eum, quo obierint, diem celebri solemnitate renouamus. Et in eodem post aliqua parentes ad eleemosynas pro defunctis filiis faciendas exhortans. Nec tu, inquit, perdidisti hæredem, quem adiuvas cohæredem. Habes qui tibi repræsentet hæredem. Da pauperi quod debetur hæredi, vt non solum maternæ aut patriæ senectutis, sed etiam vitæ propriæ sit superstes. Plus successori tuo mortuo relinques, si portio eius non ad luxum præsentium proficiat, sed ad precium futurorum. Ecce magnus & per totum orbem Christianum nominatus Ambrosius, non solùm orare & eleemosynas facere pro defunctis fidelibus docet: sed

G etiam ipse [illegible], sacrificia offert, lachrymas fundit, &, vt idem hic fatetur, anniversaria celebrat, quatenus tanta sacerdotis Dei tuba hæretica impietas increpata vlterius mutire non audeat.

Gloriosus verò, ac post Paulum Apostolum, singularis magister Ecclesiæ Augustinus, cum Paulini quæstionibus de cura pro mortuis agenda responderet: inter alia multa, quæ ibi ad huius rei assertionem valdè probabilia, diserta atque fortissima scripsit: Genere, inquit, vitæ, quod gessit quisque per corpus, efficitur, vt prosint vel non prosint quæcumque pro illo piè fiunt, cùm reliquerit corpus. Ita fit, vt neque inaniter Ecclesia, vel suorum cura pro defunctis quod potuerit religionis impendat: & tamen ferat vnusquisque secundùm ea quæ per corpus gessit. Dehinc post pauca. Cùm itaque, inquit, recolit animus, vbi sepultum sit charissimi corpus, & occurrit locus nomine Martyris venerabilis: eidem martyri animam dilectam commendat, recordantis & precantis affectus. Qui videlicet affectus, cùm defunctis à fidelibus charissimis exhibetur: eum prodesse non dubium est his, qui cùm in cor-

H pore viverent, talia sibi post hanc vitam prodesse meruerunt. Nec sunt prætermittendæ supplicationes pro spiritibus mortuorum, quas faciendas pro omnibus in Christiana & Catholica societate defunctis, etiam tacitis nominibus eorum suscepit Ecclesia: vt quibus ad ista desunt parentes aut filij, aut quicunque cognati vel amici ab vna eis exhibeatur pia matre communi. Et si non possit religiosus animus vbi eligit humare quem diligit: nullo modo tamen debet à supplicationibus necessariis in eius commendatione cessare. Nec æstimemus ad mortuos, pro quibus curam gerimus,

A pervenire: nisi quod pro eis sive altaris, sive orationum, sive elemosynarum sacrificiis solemniter supplicamus. Quamvis non pro quibus fiunt omnibus prosint: sed eis tantùm, à quibus dum viuunt, comparantur vt prosint. Sed quia non discernimus qui sint, oportet ea pro regeneratis omnibus facere: vt nullus eorum prætermittatur, ad quos hæc beneficia possint vel debeant pervenire. In libro quoque Enchiridion, quem ad Laurentium scripsit. Neque negandum est, inquit, defunctorum animas pietate suorum viventium releuari: cùm pro illis sacrificium mediatoris offertur, vel eleemosynæ quæ in Ecclesia fiunt. Sed eis hæc prosunt, qui cùm viverent, hæc sibi vt postea possent prodesse, meruerunt. Est enim quidā vivēdi modus, nec tam bonus vt non requirat ista post mortem: nec tam malus, vt ei non prosint ista post mortem. Est talis in bono, vt hæc non requirat. Et est rursus talis in malo,
B vt nec his valeat adiuuari. Quo circa hic omne meritum comparatur, quo possit post hanc vitam relevari quispiam vel grauari. Non igitur ista, quæ pro defunctis commendandis frequentat Ecclesia, illi Apostolicæ sunt adversa sententiæ, qua dictum est. *Omnes* n.14 er 5. *enim astabimus ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque provt gessit in corpore, sive bonum, sive malum*: quia etiam hoc meritum sibi quisque dum viveret comparauit, vt ei possint ista prodesse. Cùm ergo sacrificia, sive altaris, sive quarumcunque eleemosynarum pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur: pro valde bonis gratiarum actiones sunt, pro non valde malis propitiationes sunt: pro valde malis, etiam si nulla sunt adiumenta mortuorum, qualescumque tamen vivorum consolationes sunt. Quibus autem prosunt, aut ad hoc prosunt, vt sit plena remissio, aut certè vt tolerabilior fiat ipsa damnatio. Sed & in libris Confessionum quid de hac re tantus homo Dei senserit, cùm vitam & obitum beatæ matris suæ narraret, lucidissimè expressit, inter alia sic referens. Cùm ecce, ait, corpus elatum est, imus, redimus sine lachrymis. Nam neque in eis precibus quas fudimus, cùm offerretur pro ea sacrificium precij nostri, iam iuxta sepulchrum
C cadauere posito, fleui. Deinde in fine orationis, quam pro eadem matre defuncta in eodem libro affectuosissimè fundit. Inspira, inquit, Domine meus, Deus meus inspira seruis tuis, fratribus meis, filiis tuis, dominis meis, quibus & voce, & corde, & litteris seruio: vt quotquot hæc legerint, meminerint ad altare tuum Monicæ famulæ tuæ, cum Patricio quondam eius coniuge, per quorum carnem introduxisti me in hanc vitam. Meminerint cum affectu pio parentum meorum in hac luce transitoria, & fratrum meorum sub te patre in matre Catholica: civium meorum in æterna Hierusalem, cui suspirat peregrinatio populi tui ab exitu vsque ad reditum: vt quod illa à me poposcit extremum, vberius ei præstetur in multorum orationibus, tam per confessiones quàm per orationes meas.

Quid autem beatus & magnus Papa Gregorius de hoc vel scripserit, vel dixerit, vel ipse in suo monasterio Romæ fecerit: quoniā & vita eius, & Homiliæ, & Dialogus eius, ab innumerabilibus minusque etiam eruditis ac simplicibus fratribus, quotidie ac pene sine intermissione & recitantur & audiuntur, & leguntur, & intelliguntur, nō nobis videtur necessariū per singula enarrare.
D Veruntamen Paulinum beatissimum Nolanum Episcopum, quem & ipse magnus Gregorius patrem antiquum nominat, & de quo rem mirabilem ac singularem in suo Dialogo refert, qui etiam supradictorum patrum Ambrosij & Augustini contemporaneus, notusque ac familiaris extitit, nullatenus intermittam: & quid in suis Epistolis, quas vt vir, teste præmisso Papa Gregorio, exterioribus quoque studiis eruditus ad diversos scripsit, de beneficiis quæ pro defunctis fidelibus in Ecclesia fiunt senserit, verba ipsius ponendo edisseram; vt videlicet tantorum quatuor sanctorum, & Episcoporum, id est, Ambrosij, Augustini, Gregorij, Paulini testimonio, vice quatuor Evangelistarum,

E qualem ab antiquo sententiam de hoc vnde agimus, vniversalis Ecclesia teneat, vel tenere debeat, tam futuris, quàm præsentibus Christianis, auctoritate clarissima elucescat. Ait igitur antiquus & nobilis Paulinus, in Epistola ad Delphinum Burdegalensem Episcopum, suum scilicet spiritualem in baptismate patrem: rogans eum orare pro quodam fratre suo carnali defuncto, qui moriens minus providè, quantum ad animam, res suas disposuerat. Breues, inquit, sanctæ affectionis tuæ literas, magno affectu nobis copiosas, in toto quo desideramus corde suscepimus. Sed quia omni rei tempus est, nunc in tempore contristationis, tempus etiam breviandi sermonis esse visum est. Contristatos autem nos vehementer fatemur, non tam de obitu corporali fratris nostri, quantùm de negligentia eius spirituali, qua relinquendarum istic potius curarum, quàm providendorum illic remediorum memor,
F posthabenda præposuit, & præponenda posthabuit: quem oportuerat & illa potiora pro se curare, & hæc temporalia pro filiis non prætermittere. Vnde petimus, vt paterna affectione huic nostro dolori compatiens meminisse digneris: & illum quondam spiritualem tibi filium gratia Dei fuisse progenitum, & ideò tuæ specialiter curæ hanc esse causam, ne pietatem tuam quæ nobis filiis gloriabatur, dilapidata hæreditariæ portionis substantia confundamus, sed potiùs vt orationibus tuis condonetur tibi: vt & illius animam vel de minimo sanctitatis tuæ digito distillans refrigerij gutta respergat, & nobis dum tempus est, recurrentibus ad te, divina miseratio te interveniente succurrat. Idem in Epistola ad Amandum Episcopum, de eadem, & pro eadem re. Sermo, ait, vester dulcedinem simul ac vigorem verbi cœlestis tenet, & nobis ministrat, vt nos etiam vestræ prudentiæ sale condiamur. Et ideò nos quoque imitabimur in hac Epistola parsimoniam sermonis vestri, & si plenitudinem sensus non valemus imitari, hoc tantùm respondentes, quod præcipua cùm hæc scriberemus cura nobis erat, ex recenti dolore fraternæ diuulsionis: quem & si temporaliter ab hoc seculo sciamus assumptum, tamen ea verius causa obisse lugemus, quia ex his quæ gesta ab ipso in finem vel ordi-
G nata sunt, peccatis magis nostris quàm votis congrua egisse perspeximus; vt mallet ad Dominum debitor transire quàm liber. Ob hoc impensè rogamus, vt quasi frater, quod nobis in Domino esse dignaris, vnanimos fratres iuuans, & hanc meritis fidei tuæ mercedem accumules: vt pro eo infirmitati nostræ cōpatiaris, & orandi labore conspires: vt miserator & misericors Dominus, qui facit omnia quæ vult in cœlo, & in terra, & in mari, & in abissis, refrigeret animam eius Ps. 134. stillicidiis misericordiæ suæ per orationes vestras. Quia sicut ignis accensus ab eo ardebit vsque ad inferos Deut. 32 deorsum, ita procul dubio etiam ros indulgentiæ eius inferna penetrabit, vt roscido pietatis eius lumine in tenebris ardentibus æstuantes refrigerentur. Ora & pro nobis, ne in peccatis nostris moriamur. In Epistola verò quam ad Pamachium vrbis Romæ Senatorem, super vxoris obitu consolatoriam scripsit, prædicans ac summis laudibus efferens, quam in pauperes pro requie defunctæ coniugis eleemosynam prædictus Senator erogare studuerat. Veniam, inquit, ad prædicationem operum tuorum, & ad pios actus de lachrymarum sanctitate † transibo. Sua enim cuique parti debita persol-
H uisti: lachrymas corpori fundens, eleemosynam animæ † siccitate infundens. Verè conscius veritatis, & filius lucis. Vbi mortem sciebas esse, flevisti: vbi vitam credis, operatus es: vacuis inania, vivis viva dependens. Dehinc post multa talia & his similia, Epistolam in laude pij operis claudens, Habes, inquit, iam in Christo magnum tui pignus, & ambitiosum suffragium: coniugem scilicet quæ tibi tantum gratiæ in cœlestibus parat, quantum tu illi in terris opulentiæ suggeris. Non illam, vt dixi, cassis luctibus honorans, sed vivis muneribus accumulans, quibus illa nunc gaudet. Iamque illi huius operis tui vsus in fructu est, cuius adhuc

tibi

A tibi munus, in semine iam honoratur tuis illa meritis, iam pascitur tuis panibus, & affluit tuis opibus. Non eget alienæ manus digito refrigerari, propriis ipsa digitorum suorum fontibus, id est, dextræ tuæ operibus infusa. Non æquè ampla dote nubentem locupletaueras, vt nunc ditificas quiescentem. Quantam tunc partem tuorum munerum cepit, cum eo solo quod poterat induere frueretur? Nunc quantumcumque contuleris, totum simul omnium sensuum voluptate dives anima possidebit. Beata cui tam numerosa apud Christum suffragia sunt, & cuius caput tam multiplex ambit illustrium corona gemmarum. Non alienis intexta floribus, sed domesticis corusca luminibus. Nec certè sanctum presbyterum Hieronymum nobis vllo modo deesse patiemur, vt scilicet singularis eloquentiæ spiculo, sicut olim antiquorum, sic etiam nostri temporis hæreticorum pectora venenata transfodiat. Qui cùm ad eun-
B dem supra nominatum Pamachium senatorem, eodem tempore, & super eadem causa consolatoriam Epistolam scriberet, eleemosynam pro defuncta coniuge factam, solito eloquij splendore multipliciter extollens, inter cætera sic ait. Cæteri mariti super tumulos coniugum spargunt violas, rosas, lilia, floresque purpureos, & dolorem pectoris his officiis consolantur. Pamachius noster sanctam fauillam, ossaque veneranda, eleemosynæ balsamis rigat. His pigmentis atque odoribus fovet cineres quiescentes, sciens scriptum. *Sicut*
Ecclesi. 3. *aqua extinguit ignem, sic eleemosyna extinguit peccatum.* Hæc igitur, & his similia sancti Doctores Ecclesiæ dicentes, quid aliud quàm bona vivorum mortuis prodesse, luce clarius ostendunt: & impiam hæresim divini verbi gladio trucidantes, etiam nostrorum quorundam, quos supra tetigimus, circa pietatem languentium somnolentiam reprehendunt? Caueat ergo quisquis est, ne nimium sibi ipsi iustus, contra hanc pietatis & misericordiæ doctrinam, non sine Spiritus sancti auctoritate tactis ante nostra tempora seculis ab vniversa Ecclesia vnanimiter susceptam, & pia consuetudine roboratam, vlterius cogitare vel disputare au-
C deat: ne & aliorum erga defunctos fratres misericordiam, sua nimis restricta iustitia impediat; & cùm ipse fortè indiguerit, à misericordia, quam aliis inter-
Matt. 5. dixit, alienus existat. *Beati* enim, sicut longè superius à Domino dictum commemorauimus, *misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.*

Hinc ad partitionis nostræ vltimam particulam stylus festinet, & sicut bona vivorum mortuis posse prodesse ostendit, sic mortuorum bona viventibus proficere posse, demonstret. Refert præmissus secundus Machabæorum liber, bellicosum illum, Deoque fidelem Iudam Machabæum, cum Nicanore Pagano Principe dimicaturum, oratione divina & constanti ad pugnam exhortatum esse socios: & inter cætera somnio diem belli præcedente viso, ad spem victoriæ multo magis animasse: *Erat autem,* vt scriptura loqui-
2. Mac. 15. tur, *huiusmodi visus. Oniam, qui fuerat summus Sacerdos, virum bonum & benignum, verecundum visu, modestum moribus, & eloquio decorum, & qui à puero in virtutibus exercitatus sit, videbat manus protendentem orare pro omni populo Iudæorum. Post hoc apparuisse & alium virum ætate & gloria mirabilem, & magni decoris habitudinem circa illum. Respondentem vero Oniam, &*
D *dixisse. Hic est fratrum amator, & populi Israel. Hic est qui multum orat pro populo & vniversa sancta civitate, Hieremias Propheta Dei. Extendisse autem Hieremiam dexteram, & dedisse Iudæ gladium aureum, & dicentem. Accipe sanctum gladium, munus à Deo, in quo deijcies adversarios populi mei Israel.* Quo ergo exemplo, quod bona mortuorum viventibus prodesse valeant, clarius elucere potuit? Nonne tibi videtur quicũque hæc legis, visionem hanc bono viro illi Iudæ Machabæo idcircò ostensam, vt more consueto per tempora Iudaica docerẽtur tẽpora Christiana? Numquid non advertis divinã arcẽ sapienter suis omni tempore providentẽ, ea visione & suis Iudæis eo tempore victoriam de hostibus con-

E tulisse, & suis Christianis nostro tempore triumphum de resistentibus providisse? Ecce orat iustus, & iam pro iustitia Hierosolymis occisus sacerdos Onias: ecce orat sanctus, & pro veritate in Ægypto lapidatus Propheta Hieremias. Orant certè illi iam mortui Deum pro Iudæis adhuc viventibus: & non est credendum preces sanctorum mortuorũ posse prodesse viventibus? Necesse est ergo vt aut cedatur libro qui divinus esse creditur, & in eo suscipiantur ista: aut si Ecclesiæ sumpta auctoritate iste reijcitur, in illo reijciatur & ista. Sed si Ecclesiæ auctoritati istum suscipienti defertur, necessariò à fidelibus suscipietur. Quod si admissus fuerit, in illo etiam dicta visio admittetur. Sed fortè aliquis somnium fuisse, & vt vana somnia contemnendum esse causabitur. Non nego planè, sicut sæpè vana somnia, sic sæpè esse etiam contemnenda. Nec immemor sum Sapientiæ quæ dicit. *Multas curas sequun-*
*tur somnia.* Nec mente excidit Deuteronomij præce- Eccl. 5.
F ptum, quo dicitur, *Non augurabimini, nec obseruabitis somnia.* Sed sicut non semper vera, ita non semper falsa: sicut non semper approbanda, ita non semper probanda somnia esse confirmo. Quod profectò nemo sanæ mentis negabit, quicumque Pharaonis & Nabuchodonosoris Regum, quicumque Ioseph de Genesi, & Ioseph de Evangelio recordatus fuerit. Scrutetur insuper omnem historiam veteris & novæ legis, & si vel vnum in ea somnium vanum esse invenerit, cuncta absque exceptione somnia vana esse diiudicet. Sed fortè effectus victoriæ non est subsequutus, ideoque visio contemnenda. Non ita est. Victus est enim in crastino a populo Dei paganus exercitus, & aureo gladio præclarum victoriæ triumphum signante, dux ipse prostratus: caput eius truncatum, dextra superba præcisa, lingua blasphema euulsa, & frustatim in pastum auibus data. Et licet propositum exemplum ad ostendendum quod mortuorum bona viventibus possint prodesse, plene sufficiat: accedat tamen & Apostolicæ Revelationis, quæ Græcè Apocalypsis dicitur, dignius testimonium: & inde mortuorum querelas de viventibus factas, & à Deo in æternum vivente exauditas, veridica relatione demonstret. Cùm aperuisset, Apoc. 6.
G inquit, agnus sigillum quintum, vidi sub altare Dei animas interfectorum, propter verbum Dei, & propter testimonium quod habebant, & clamabant voce magna dicentes. *Vsquequo Domine sanctus & verus, non iudicas, & vindicas sanguinem nostrum de his qui habitant in terra?* Et quid sequitur? *Datæ sunt illis singulis stola alba.* Sed quid responsum est? Dictum est illis, vt requiescerent, tempus adhuc modicum, donec impleantur conserui eorum, & fratres eorum qui interficiendi sunt sicut & illi. Cernis lector, dilatas quidem, sed exauditas à Deo querelas martyrum sanctorum? Mortui tamen erant illi qui querebantur, vivebant de quibus querebantur. Vnde vt illi mortui ostendantur, animæ interfectorum clamasse dicuntur. Et vt isti viventes probentur, habitantes in terra vocantur. Mortui ergo qui de viventibus conqueri potuerunt, pro viventibus si voluerint rogare non poterunt? Licebit eis conqueri, & non erit licitum deprecari? Vindictam sanguinis poterunt exigere, & pro mitiganda scelerum vindicta non poterunt exorare? An eam libertatem orandi quod iustum fuerit amittent sancti in cœlo, quam nec perditus dives in inferno? Ardebat ille in flammis infernalibus, qui ad- Luc. 16.
H hoc in mundo vivebant, orabat: ac licet dignus non fuerit exaudiri, potuit tamen pro eorum salute Abraham deprecari. Indicat hæc responsio Abraham ad ipsum, quod quamvis iustum non fuerit vt ille audiretur: non tamen esset contra iustitiam vt pro viventibus iustus quilibet precaretur. Non enim dixit ei, Tace, non debes, non es exaudiendus, nec etiam audiendus: sed rationem reddens petenti vt mitteret Lazarum in domum patris sui, vt testaretur fratribus suis, ne & ipsi venirent in locum illum tormentorum, subiunxit. *Habent Moysem & Prophetas, audiant illos.* Ac si

diceret.

A diceret. Si Moysem & Prophetas audiunt, non venient in locum hunc tormentorum. Cumque ille repeteret: *Non pater, sed si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent*: rursus cum ratione repellens Abraham, ait. *Si Moysem & Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent.* Non exaudivit ergo Abraham divitem deprecantem, quia exaudiendus non erat; sed quia hunc ratione, non imperio repulit, quod aliquando pro viventibus exaudiri possent mortui, indicauit. Scio equidem, nec adeo brutus sum, vt tam aperta non videam, tam clara non intelligam: alio modo hic positos, alio hinc translatos sanctos Deum pro aliis deprecari: quia hic in orantibus pro salute aliorum sanctis, est pietas iuncta miseriæ, ibi misericordia nihil detrahens gloriæ. Communicat iustus hic quodammodo aliorum miseriis, quando misericorditer orat pro miseris: sed postquam miseria
B cómutatur in gloriam, non potest fundi miseranda oratio, quam comitatur incommutabilis beatitudo. Non est igitur necesse eos genua flectere, non lachrymas fundere, non fundendo verba multiplicia laborare: qui in civitate illa, quæ propter singularem pretiositatem auro mundo, quæ propter lucifluam perspicuitatem vitro mundo comparetur, sicut pij affectus Deo
(ar 12.) noti sunt, sic eos Deo exaudiente, sola sui repræsentatione quibuslibet dignis subueniunt. Qui quoniam iam nihil velle possunt, quod à Dei discordet iustitia, statim pro aliis eorum exauditur misericordia.

Hoc igitur modo non misero, sed beato, ibi sancti orant pro aliis, vbi eorum oratio sanctum est desiderium, vbi precum exauditio est indultum beneficium. Hinc illa cœlestis, & beata à spiritu Dei in Ecclesiam deriuata est consuetudo: vt quos verè sanctos, & Deo coniunctos æstimat, adhuc in præsenti agone desudans Ecclesia, vt sibi subueniant, interpellet. Inde assiduæ preces, inde frequentes letaniæ, inde continuata supplicatio: quibus omnibus non solum Deum repropitiari sibi supplicat, sed & sanctos, vt impetrare hoc eis mediantibus possit, exorat. Hac sua
C auctoritate & sancta consuetudine, cui ab antiquo orbis universus nullo contradicente cessit: hoc admonet, hoc præcipit, hoc suadet credere: bona scilicet mortuorum viventibus posse prodesse, dum se suosque in carne viventes beatis mortuis assiduè non desinit commendare. Intelligit CHRISTO suo docente instructa, mortuos illos quibus supplicat, Deo vivere, cùm audit eum sumpto de Exodo testimonio in Evan-
(Ex. 3. / Luc. 12.) gelio dicentem. *Deus non est mortuorum, sed vivorum: omnes enim vivunt ei.* Recordatur & sanctos antiquos, mortuorum meritis Deum viventibus repro-
(Exod. 32.) pitiari postulasse: sicut in eodem pro idololatra populo Deum deprecans Moyses dicit. *Quiescit ira tua Domine, & esto placabilis super nequitia populi tui. Recordare Abraham, Isaac & Israël servorum tuorum.* Ecce Moyses bonis meritis Abraham, Isaac, & Israël mortuorum Deum populo repropitiare contendit & obtinet: & quod bona mortuorum aliquando viventibus possint prodesse, docet. Accedat huc & ipsa vox
(3. Reg. 11.) Domini, dicatque Salomoni peccanti. *Quia habuisti hoc apud te, & non custodisti pactum meum, & præcepta mea quæ mandaui tibi: disrumpens scindam regnum tuum, & dabo illud seruo tuo: Verumtamen in diebus tuis non faciam propter David patrem tuum. De manu*
D *filij tui scindam illud. Nec totum regnum auferam, sed tribum vnam dabo filio tuo, propter David servum meum, & Hierusalem quam elegi.* Itemque per Aiam
(3. Reg. 11.) Siloniten Prophetam. *Non auferam regnum de manu eius, sed ducem ponam eum cunctis diebus vitæ suæ, propter David servum meum quem elegi, qui custodivit mandata mea, & præcepta mea.* Et versu intermisso. *Filio autem eius dabo tribum vnam, vt remaneat lucerna David seruo meo cunctis diebus coram me, in Hierusalem civitate quam elegi, vt esset nomen meum ibi.* Et quis tam lucidæ veritati recalcitrare audebit? Ecce
E peccanti, immo quod omnibus peccatis deterius est, idololatræ Salomoni iustitia patris mortui regnum reseruat: & ne cunctis diebus vitæ eius saltem imminuatur, excusat. Filium quoque eius, totamque in æternum progeniem, ne ex toto à regno decidat, defendit: eique regiam & perennem potestatem, præcelsis meritis etiam delinquenti conseruat. Et quæ sunt merita illa? *propter David*, ait Deus, *servum meum quem elegi, qui custodiuit mandata mea & præcepta mea.* Ecce quia custodiuit David mandata Dei, & præcepta Dei, non solum sibi profuit, sed & filiis & hæredibus suis regalem, vt dixi, potentiam apud Deum, etiam peccantibus ipse mortuus conciliauit. Exclusa est ergo dubietas, & sacris oraculis infidelitas omnis explosa: vt si Patriarchis, si Prophetis, si Deo ipsi creditur, quod mortuorum bona viventibus prodesse valeant, à nullo vlterius dubitetur. Ve-
F niat tamen in tribus illis nominatis pueris Hebræis medius Azarias: & quid in fornace Babylonica constitutus, eamque potenti virtute exuperans de his senserit, attestetur. *Ne quæsumus*, inquit, *Domine tra-* (Dan. 3.) *das nos in perpetuum propter nomen tuum, & ne dissipes testamentum tuum, neque auferas misericordiam tuam à nobis, propter Abraham dilectum tuum, & Isaac servum tuum, & Israël sanctum tuum.* Ecce hi in tanto periculo positi, igneis globis & flammarum volumine circumsepti, horrendam mortem suam non de proximo expectantes, sed præsentem intuentes, nullum sibi tutius refugium, quam sanctorum mortuorum merita credunt: eisque non tantum sibi ab ignibus ereptionem, sed & sibi, & toti generi suo ab instanti captivitate & miseriis implorant liberationem. Et vt ostenderet Deus bonorum mortuorum merita, vivorum posse pericula mitigare: tam fide sua quam meritis sanctorum mortuorum, quos invocauerant, & illos illæsos cum vestibus intactis ab ignibus eripuit, & quid de mortuorum meritis vivi sentire deberent, monstrauit. Idem & boni qui tunc temporis in Iudæa erant Iudæi, fratribus suis per Ægyptum constitutis, in exordio suprascripti Machabæorum libri, sic man-
G dant. *Bene faciat*, inquiunt, *vobis Deus, & meminerit Testamenti sui: quod locutus est ad Abraham, Isaac,* (2. Mach. 1.) *& Iacob servorum suorum fidelium.* Ac si diceret. Vt vobis viventibus Deus benefaciat, meminerit bonorum illorum mortuorum, Abraham, Isaac, & Iacob, & tam pacto testamenti sui, quam meritis ipsorum, det vobis cor vt colatis eum, & faciatis eius voluntatem corde magno, & animo volenti. Adaperiat cor vestrum in lege sua, & in præceptis suis, & faciat pacem. Exaudiat orationes vestras, & reconcilietur vobis, nec vos deserat in tempore malo. Ista certe omnia, bona vobis viventibus illorum mortuorum bonis meritis faciat; & quod bona mortuorum sæpe viventibus prodesse possint, ostendat. Habentur his quæ posui exemplis, in sacris literis multa similia: sed quia hæc legentibus plene sufficere posse putavi, ne insuper plus nimio multiplicata tædium generent, ea ponere recusaui. Auctoritate igitur, quæ maxime in divinis præcellit, & ratione, quæ tā in divinis quam in humanis bonum à malo, iustum ab iniusto, verum à falso discernit, sufficienter probatum, & tam hæreticis quam Catholicis persuasum esse arbitror: quod sicut partitionis præmissæ membra se habent, bona vivorum vivis, bona mortuorum mortuis, bona vi-
H vorum mortuis, bona mortuorum vivis aliquando possint prodesse, nec iuste vel rationabiliter hoc aliquem posse negare. Quæ cum ita sint, & ego teste conscientia mea ad vtilitatem Ecclesiæ Dei, cui quod possum debeo, hoc scribere decreuerim: vtpote in cuius gremio ab vtero educatum me esse scio, & sub cuius fidei & charitatis alis me saluandum, & ad ea quæ spero, quandoque sublevandum esse confido: rogo lectorem, moneo auditorem, vt quod pro vtilitate, vt dixi, Ecclesiæ scribere volui, vtiliter legant, salubriter audiant. Ad quid hoc dixi? Quia vt ipse exper-

tus

A tus sum, sicut sunt quidam nimium diffidentes, ita sunt quidam nimium confidentes: ita vt & illi desperatione sua, & isti nimia, vt sic dicatur, spe sua, vel prorsus à salute excidere videantur. Nam sicut illi contra quos egi, hæretici bona vivorum mortuis nullo modo prodesse astruunt: sic isti quos noto, nimium, si dici potest, Catholici, de bonis, quæ ab Ecclesia viventium pro mortuis fiunt, inordinatè præsumunt, vt confidentes in his vel precibus piis, vel operibus bonis quæ à viventibus pro mortuis fiunt, ipsi à precum & operum bonorum feruore tepescant: & quod ad universorum salutem institutum est, in suam decepti perniciem vertant. Hi planè de antidoto venenum, de salute exitium, de vita mortem, stulto sibi commercio emunt, & cum Apostolos dicat, *Expectantes beatam spem*, & *spe salui facti sumus*, cum spe saluari debuerint, contra spem spe pereunt, quia qualiter vti spe debeant, non attendunt. Non attendunt sane, quod non alienis bonis, sed propriis operibus, præcedente & comitante gratia, vita principaliter adquiritur æterna. Principaliter autem dixi, quoniam tanta viventis propria saltem debent esse merita, vt ei iam mortuo prodesse debeant aliena. Prodesse vero non poterunt, nisi tanta fuerint viventis bona, vt eis tam iuste quam misericorditer vita debeatur æterna. Nam si ad vitam æternam gratia Dei, & subsequentibus meritis prædestinatus est vtique in libro vitæ ascriptus est. Quod si in libro vitæ ascriptus est, iuxta Salvatoris verba, filius Dei, & filius resurrectionis est. Hoc quicumque obtinet, fide, quæ per dilectionem operatur, hoc obtinet. Fide ergo & dilectione hoc eum dum vivit, oportet agere: vt ad filios Dei, & hæredes pertineat vitæ æternæ. Hoc postquam habuerit, si in hoc statu ex hac luce migrauerit, poterunt quamlibet aliam eius imperfectionem multimoda viventium bona perficere: ea quæ purganda remanserant purgare, & ad expiandas, vel leniandas gravioris purgationis pœnas, & ad eradendam omnem reliquorum peccatorum rubiginem, adiuvare. Nam preces vivorum omnimode perditam mortuorum substantiam restaurare non possunt: deformatum vero speciei decorem, integra permanente substantia, reformare possunt. Perditam autem substantiam mortuorum, perditos pro suis criminibus homines, deformatam vero speciem vocaui, imperfectos peccatis leuioribus homines. Dixi substantiam perditam non posse restitui, hoc est, damnatos homines, nullo viventium bono saluari. Dixi deformatum speciei decorem posse reformari, hoc est, reos non de criminalibus, sed de venialibus peccatis mortuos, per viventium bona velocius saluti posse restitui. Sciat ergo mortuus, tunc sibi viventium bona posse prodesse, si ex vita præterita meruerit particeps esse vitæ æternæ. Tunc enim quæcunque illum ad eam adipiscendam adhuc impediunt, & orationibus, & piis operibus vivorum remoueri per largam Dei misericordiam poterunt. Quod si dum hinc exiuit, ad eos qui hæreditatem capiunt salutis pertinere non meruit, iam de viventium bonis sibi blandiri non poterit, qui dum viveret, infra prædestinatorum numerum computari non studuit. Ne igitur male diffidat, vel insuper etiam peius confidat, dum vivit & licet, hoc promereri laboret: vt si hinc imperfectus transierit, mereatur alienis operibus adiuuari, immo quod melius est, ea vivus agere studeat, vt mortuus viventium bonis non egeat.

Tit. 2. Rom 8. B Luc. 20. C D

### Contra id quod dicunt, Deo non esse cantandum.

IAM vero ad illud quod addunt hæretici, irrideri scilicet Deum cantibus Ecclesiasticis; quia qui solis piis affectibus delectatur, nec altis vocibus aduocari, nec musicis modulis potest mulceri: ad tales, inquam, nænias repondere animus nauseat, quia quod nec brutis hominibus negantibus, sentire brutum & stolidum est, hoc velle velut ex ratione refellere, pene indissimiliter stultum est. Vnde quia sapientia præcipit, *Ne respondeas stulto iuxta stultitiam suam, ne efficiaris ei similis*, ex parte lingua taceat: & quia rursus imperat, *Responde stulto iuxta stultitiam eius, ne sibi sapiens esse videatur*, quæ reticenda non sunt, breviter eloquatur. Sed numquid, ô stultissimi hominum, qui hæc dicitis, non erubescitis, quod ab exordio tam profusæ disputationis nostræ vsque ad instantem finem, quicquid ab ore vestro exivit, & auctoritate vacuum, & omni apparuit ratione destitutum? Sic enim in vanum verba funditis, sic in ventos & nubila verba iactatis: vt more dementium, os ad verba aperire tota sit vtilitas, ratio tota aërem percussisse. Nunquid obrutissimi, quando hoc cogitare cœpistis, vel dicere inchoastis, nulla mentibus vestris ex innumeris auctoritas divina occurrit? Cur saltem Psalmi, qui ab omni clero Ecclesiæ Dei, & maxime à presbyteris, quod ipsi fuistis, frequentantur: quãdo hoc cogitastis, dixistis prædicastis, aliquando non occurrerunt? Nonne in eisdem sæpe aut pene assiduè legitis, & remota altioris mysterij maiestate, etiam ad literam dictum advertitis, si sapitis. *Cantate Domino canticum novum, cantate Domino omnis terra. Cantate Domino, & benedicite nomini eius.* Et iterum. *Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia fecit.* Et rursus. *Omnes gentes plaudite manibus, iubilate Deo in voce exultationis.* Et in eodem. *Psallite Deo nostro, psallite regi nostro, psallite: quoniam rex omnis terra Deus. Psallite sapienter, & bene psallite ei in vociferatione*, & mille talia? Hoc quidem de cantu vocis humanæ. Quid de instrumentis variis, & diversa modulatione? Quare quæ toti orbi notissima sunt, vobis solis occurrere non potuerunt? Nam de instrumentis musicis & corporalibus ait in eisdem Psalmis vox divina, *Psallite Domino in cithara, in cithara & voce Psalmi: in tubis ductilibus, & voce tubæ corneæ.* Et iterum. *Laudate eum in sono tubæ, laudate eum in psalterio & cithara. Laudate eum in tympano & choro, laudate eum in chordis & organo. Laudate eum in cymbalis bene sonantibus, laudate eum in cymbalis iubilationis*, & mille similia. Nunquid qui hæc dixit, qui scripsit, qui hæc instrumenta præcipuè composuit: qui sonuit, qui cantauit, dicendo, scribendo, sonando, cantando, Deum irridere voluit? Nónne ipse primæ legis lator Moyses tubas argenteas ad bellandum, ad quiescendum, ad castra levanda, ponenda, ad insonandum coram arca Domini, in deserto, in tabernaculo, in iubileo, fieri mandauit? Nonne tam ipse quam sacerdos Aaron, nonne iam dictus Rex ac propheta David, nonne Salomon, nonne Esdras, nonne multi sanctorum Regum ac Prophetarum musica instrumenta fecerunt, millia cantorum instituerunt, ipsimet ea sonuerunt, cantauerunt, saltaverunt? Numquid autem hæc omnia ad irridendum, contemnendum, subsannandum Deum fecerunt? Non, inquam, stulti, non ista, sed ad laudandum, adorandum, honorandum, glorificandum. Quod si talium cantantium, psallentium, organizantium, etiam apud homines manifestam vtilitatem quæritis: audite quod vt puto nescitis, in sacra scriptura talibus modis dæmones effugari, morbos mitigari, Deum advocari: & per hæc eum consultis hominum respondere, & postulata præstare. Ait enim supra nominata regum scriptura. *Igitur quandocumque spiritus Dei malus arripiebat Saul, tollebat David citharam, & percutiebat manu sua: refocillabatur Saul, & levius habebat. Recedebat enim ab eo spiritus malus.* Audistis David cum cithara psallentem, audite coram Helisæo psaltem cantentem. *Nunc*, ait Helisæus, *adducite mihi psaltem. Cumque caneret psaltes, facta est super eum manus Domini, & ait. Hæc dicit Dominus. Facite per alueum torrentis huius, fossas & fossas. Hæc enim dicit Dominus. Non videbitis ventum, neque pluuiam, & alueus iste replebitur aquis: & bibetis vos, & familiæ vestræ, & iumenta vestra.*

E Prov. 26. F Psal. 95. Psal. 97. Psal. 46. Psal. 31. Psal. 97. Ps. vlt. G Num. 10. H 1. Reg 16 4 Reg 3.

A *vestra. Parũque hoc est in cõspectu Domini. Insuper tradet etiam Moab in manu vestra, & percutietis omnẽ civitatẽ munitam, & omnem electã, & universum lignum fructiferum succidetis, cunctosque fontes aquarum obturabitis, & omnẽ agrum egregium operietis lapidibus.* Dum igitur coram Saul citharizabat David, recedebat ab eo spiritus malus. Dum coram Helisæo canit Psaltes, advocatur Spiritus sanctus. Ille enim tũc per Helisæũ responsa dabat, qui per omnes Prophetas loqui consueverat. Cantu ergo musico fugatur malus, cantu musico advocatur Spiritus sanctus. Et poterat quidem Deus absque cantu huiusmodi, sonoque musici instrumenti, & morbo regis mederi, & dare responsa Prophetæ: sed quia voces piè cantantium, & sonos religiosè organizantium benignè susciperet & inter alia divina obsequia hæc quoque devote exhibita approbaret, tantorũ Prophetarum tam sublimibus exemplis voluit indicare.
B Et vt huiusmodi cantuum religiosorum servitutem, non solum in lege priori, sed & in sequenti Evangelio sibi placere monstraret: cantantibus in templo pueris, *Osanna filio David*, & inde Pharisæis indignantibus, eique dicentibus, *audis quid isti dicunt?* reprehendens (Matt. 21) puerorum cantantium devotionem, etiam ex scriptura respondit, *Nunquid non legistis, Ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem?* Quia ergo vltimæ & in- (Psal. 8) sulsæ hæreticorum obiectioni, & breviter, vt æstimo, & plene responsum est, atque, vt credo, totius præscripti erroris machina inuicta Dei virtute subuersa est: ad vos ô sancti Episcopi, & sacerdotes Domini, quibus hanc Epistolam scripsi, verba converto: & vt tam hæreticis quam Catholicis, pro quibus scripsi, studiosè notum faciatis, exoro. Vere enim, vere zelus domus Dei, & tantarum animarum perditio, me ad hæc scribenda impulit: vt sicut in exordio Epistolæ præmisi, more Ecclesiæ Dei, quæ semper hæreticas calumnias hoc maximè modo repressit, auctoritas religiosis, ratio non deesset exigentibus curiosis. Quod vero post hæreticos, etiam terræ vestræ Catholicis scripturam hanc per vos manifestari rogaui, hæc causa est: quoniam nuper in partibus illis, & per diœceses vestras iter faciens, hæreticos quidem publicos,
C vobis maximè expellentibus, ad alia licet proxima sola demigrasse; sed tamen in eisdem vestris regionibus non parua semina reliquisse cognovi, quæ si neglecta fuerint, in frugem inimicam exurgere, & sicut prius fecerunt, Dominicam segetem zizaniorum more non parum lædere poterunt. Est & illud, quod hoc remedio occulti etiam bonorum Catholicorum cogitatus; si potest fieri purgandi sunt: qui etsi hæreticis calumniis non adquiescunt, scandalizari tamen inauditis quæstionibus possunt. Ne igitur aut ora hæreticorum blasphemis, aut corda Catholicorum facile talibus scandalis pateant: vt & illa tali obice obturentur, & ista tali medela, si fieri potest, sanentur: scripturam hanc velut paruum fidei meæ pro fide munusculum, Iesu Christo Domino meo obtuli, & per vos Ecclesiæ eius intimandam transmisi. Nec enim per aliquos rectius, instiusve hoc fieri debere putaui, quam vt per dispensatores tritici, hoc est verbi divini, quod ipsi estis, hæc qualiscumque sacri verba mensura, familiæ vobis à summo Patrefamilias commissæ erogetur, & pro tempore singulis vel omnibus impertiatur. Decet enim Apostolicos viros Apostolicam præ cæte-
D ris doctrinam tueri, vt qui cœlesti gratia dispensante, Apostolis officio successistis, fidem Apostolicam præcipuo studio defendatis. Nam ille idem Christus, qui per Apostolos dum viverent, peregrinanti Ecclesiæ suæ providit: vos ipsorum loco ad ei providendum vestro tempore præparauit. Vnde quoniam non solum communi charitate, quod ad omnes, sed etiam singulari officio, quod ad solos Episcopos pertinet: Ecclesia Dei vobis commissa si languet, curanda; si errat, revocanda, si tepet, accendenda; si nutat, confirmanda; si aliquid necessarium ignorat, à vobis edocenda est. Ideirco vos singulariter ad hanc scripturam Ecclesiæ
E Dei commendandam elegi, quos officio ad hoc constitutos, quos sapientia ad hoc idoneos, quos labore ad hoc exercitatos cognovi: vt terram quam ab hæresi nequissima spiritu Dei, vestrisque sudoribus expurgastis, ne adversus eam putridæ * reliquiæ reuiuiscere queant, summo studio defendatis. Erit hoc apud benignum bonorum omnium remuneratorem Episcopatus vestri insigne: cum adversus oves boni Pastoris vobis ab ipso commissas, luporum rabies vestra instantia non potuerit prævalere.

* putidæ.

SANCTI PETRI

# MAVRICII

## DICTI VENERABILIS

### ABBATIS CLVNIAC. IX.

F

### *DE TRANSFIGVRATIONE Domini.*

### SERMO, MS.

HODIE, dilectissimi, solito serenior nobis dies illuxit, quando cœleste lumen in terris emicuit, quando vera lux mortalium tenebras illustrauit, quando divinus fulgor humanis seculis se visibilem etiam corporaliter demonstrauit. Hodie æternus sol carneæ infirmitatis paululum remota caligine, per mortale adhuc corpus novo & stupendo miraculo mirabiliter radiando effulsit. Hodie Verbum caro factum, carnis eiusdem sibi vnitæ deificationem, vultus & vestium clarificatione ostendit. Hodie vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à patre: voce delapsa ad eum huiuscemodi à magnifica gloria. *Hic est filius meus dilectus in quo mihi complacui, ipsum audite.* Hæc est gloria Vnigeniti à Patre, cum Pater vnigenitum recognouit, cum eum ignorantibus revelauit, G cum eum divinis operibus suum esse filium demonstrauit: cum singulariter hodie clarificauit, cum ab adoptiuis eum discernens suum propriè esse filium, de cœlis clamauit, dicens, *Hic est filius meus dilectus.* Hic est, inquit, filius meus. Sunt quidem mihi & alij multi filij per gratiam: sed meus iste filius est per naturam: Sunt ex tempore, est iste ante tempora. Sunt alij facti, est iste genitus. Qui sic est genitus, vt sit & vnigenitus. Et ideirco vnigenitus, quia de mea substantia, & non plures: sed ipse vnus est genitus. Hanc gloriam quasi vnigeniti à Patre Ioannes vidit, cum ex Deo Deum cognouit: cum & ipsum in gloria transformatum conspexit, & Patrem de Filio homines instruentem audiuit. Ideo ait, *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi Vnigeniti à Patre.* Vidit ipse, viderunt & alij. Audiuit ipse, audiuerunt & alij. Nam & Petrus dixit, *Hanc vocem nos audivimus, cum essemus cum illo in monte sancto.* Quæ vtrum viderint, vtrum audierint, H etiam sancti Evangelistæ Matthæus, Marcus, & Lucas testantur. *Assumpsit*, inquiunt, *Iesus Petrum, & Iacobum, & Ioannem, & duxit illos in montem excelsum seorsum, & transfiguratus est ante eos.* Tertius enim tantæ visioni testis Iacobus additur, quia secundum eiusdem Domini sententiam, *In ore duorum aut trium testium stabit omne verbum.* Tantum igitur verbum, tanta visio, tam excellens negotium, trium & summorum Apostolorum confirmandum erat testimonio. Bene ergo Saluator tres assumit discipulos, vt deitatis Trinitas quæ apparebat, ternario discipulorum numero signaretur. Apparuit quippe ibi Pater in voce, Filius in glorificata

carne,

A carne, Spiritus sanctus in lucida nube. *Ecce*, ait, *nubes lucida obumbravit eos.* Vere nubes Spiritus sanctus. Nubes quia ab æstu carnalium voluptatum, mentes quas obumbrat, refrigerat: quia imbre superno quas aridas invenit fœcundat, Lucida, quia suo fulgore obscura tenebrarum illustrat. De cuius nobis obumbratione & Virgini matri dicitur. *Spiritus sanctus superveniet in te & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Videte, fratres gloriam solennitatis, videte opus Trinitatis, videte mysterium Resurrectionis. Et quare dixi, Resurrectionis? Clamat Pater, radiat Filius, obumbrat Spiritus sanctus. Vident hoc Apostoli, sed non nisi post octo fere dies. Sic namque ait Lucas Evangelista. *Post hæc verba fere dies octo, & assumpsit Iesus Petrum, & Iacobum, & Ioannem.* Nostis, qui Scripturis Sacris animum applicastis, quod senarius numerus malorum præsentium passionem, septenarius animarum requiem, octonarius carnis designat resurrectionem. Nam & sexta die homo conditus ad laborem nascitur, & B Christus probra, flagella, crucem & mortem patitur: & septima à laboribus vacare Deus præcepit, ipseque in assumpta carne liber à passionibus in sepulcro quiescit: & octava resurgens spem nobis resurrectionis & immortalis vitæ contulit. Hinc igitur non plenè post octo dies, sed ferè post octo dies, id est, nondum transacto octavo die, sed adhuc existente, cœlestem Magistri visionem discipulis manifestat: ad spem resurrectionis æternæ informat, sperare de se quod in ipso vident exemplis melius quam verbis suadet. Propter hoc facies resplenduit, ut sol, & vestimenta eius facta sunt alba sicut nix. Matthæus & Marcus ita scripserunt, *Et post dies sex assumpsit Iesus petrum, & Iacobum, & Ioannem.* Quare Lucas post octo fere dies, isti post sex dies transfiguratum Dominum dixerunt? Sicut iam dictum, creationi mundanæ sex dies in initio deputati sunt, unde omne tempus præsentis vitæ operationi aptum designant. Nam sicut illis tantum sex diebus Deus omnia C operatus est, & sic ab omnibus requievit: ita istis sex ætatibus quæ à mundi initio usque in finem extenduntur, hoc est toto quo hic vivitur tempore, quasi una die, operibus quibus æterna acquiritur requies, insistendum est. De quo die ait ipse Dominus. *Me oportet operari opera eius qui misit me, donec dies est. Venit nox in qua nemo potest operari.* Post sex igitur dies discipuli Domini gloriam eius contemplantur: quia illi æterna tantum Dei visione digni erunt, qui istis sex diebus illud sabbatum præcedentibus non neglexerint, qui operibus divinis institerint, qui hanc diem sibi ad operandum datam vocando in noctem obscurari non siverint. Oportet ergo illos sex dies laborando integros transire, & Deum Deorum in Sion, & Regem in decore suo videre. Vnde bene duo Evangelistæ post sex dies dixerunt. Lucas vero post octo fere dies dixit, quia sicut præmissum est, præcedente sex dierum in hac vita labore, subsequente in sabbato sanctarum animarum requie, veniente in octava carnis resurrectione, rapientur sancti in nubibus obviam Christo in aëra, & sic semper cum Domino erunt. Non igitur post octo, sed fere D post octo dicit. Qui ergo fere post octo dies dixit, nondum finitum octavum diem dicit. Nondum igitur finito, sed adhuc existente octavo, seipsum glorificatum Dominus discipulis ostendit. A die namque promissionis, qua dixit, *Sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant filium hominis venientem in regno suo*, usque ad diem redditionis quod promissum fuerat, annumerato primo illo promissionis & ultimo redditionis, octo dies cognoscuntur. Duobus autem illis remotis sex tantum extitisse probantur. Nihil ergo dissonum Evangelistæ, sed omnia consona, omnia convenientia, in horum dierum tam historia quàm significatione dixerunt. *Assumpsit eos*, inquit, *& duxit in montem seorsum.* Si Domini transfiguratio sanctorum est futura resurrectio, quid mons excelsus, nisi superna habitatio? Quid quod seorsum ducuntur, nisi illorum est ad ipsam conscensio? De quo monte, & de qua ascensione ait Propheta in Psalmis, *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte* E *sancto tuo?* Item in alio Psalmo. Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius? Rectè ergo à Christo in montem Discipuli ducuntur, quia post resumpta iam immortalia corpora, ab imis ad sublimia, ab humilibus ad excelsa, à terrenis ad cœlestia sancti ab ipso sublevantur, & ei nunquam ab eo dissociandi in æternum sociantur. Tunc verè ducentur seorsum, quia commixta tritico ultra zizania non latebunt, sed ab Angelis messoribus ad comburendum in fasciculos alligabuntur, triticum autem Domini nullo seorsum in eius horreum recondetur. Tunc verè ducentur seorsum, quando secundum similitudinem sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congregantis, eligentur in consummatione seculi boni pisces in vasa, mali autem foras mittentur. Tunc vere ducentur seorsum, quando in illa resurrectione, in illo ultimo discrimine, Filius hominis, cui omne iudicium dedit Pater separabit bonos à malis, F sicut segregat Pastor oves ab hœdis. Sed qui sunt fratres qui in montem excelsum seorsum ducuntur, Petrus, Iacobus, & Ioannes? Nullus ergo ducitur, nisi Petrus, Iacobus & Ioannes. Quare? Nomina ipsa perquirite, & causa protinus apparebit. Petrus enim agnoscens, Iacobus supplantator, Ioannes Dei gratia interpretatur. Congruunt autem nomina authoribus. Quis namque melius Christum agnovit, quam Petrus? Qui ipsi interroganti quem discipuli sui eum esse dicerent, respondit, *Tu es Christus filius Dei vivi.* Et alio in loco, *Domine ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes, & nos credidimus & cognovimus, quia tu es Christus filius Dei.* Agnovit ergo Petrus Dominum, unde agnoscens iure vocatur. Quis vero sapientius mundum supplantavit quàm Iacobus, qui mundano quæstui cum patre & fratre piscando intentus, mox ut à CHRISTO de navi vocatus est, corporalem in spiritalem, transitorium in æternum, mundanum in divinum G quæstum mutavit, & de piscatore piscium piscator hominum fieri meruit. Mundi ergo supplantator non immerito Iacobus dicitur. Quis autem rectius Dei gratia vocabitur, quam Ioannes, qui in tantum eius gratia donatus est, ut inter alia ipsius gratiæ insignia, Virginis matris filius & minister ipsius commendatione fieri meretur: qui supra pectus eius recumbere, qui deitatis arcana, quantum homini licere potuit, mundo revelare: qui præ cæteris à magistro diligi, qui quasi proprio quodam vocabulo Discipulus quem diligebat Iesus vocari dignus fuit. Apparet ergo quod qui tam excellenter Dei gratiam consecutus est, Dei gratia consequenter vocatus est. Vnde quoniam ista dona in eis singulariter effulserunt, specialiter ad videndam Dei gloriam in montem assumi meruerunt: neque alios, nisi qui tales fuerint, ad talem gloriam contemplandam in futura resurrectione assumendos esse docuerunt. Nullus namque assumetur nisi Petrus, Iacobus & Ioannes, hoc est nisi agnoscens, supplantator, & Dei gratia. Qui vult ergo tunc assumi, fiat Petrus, H agnoscat necesse est Dominum suum, agnoscat necesse est seipsum: agnoscat eum creatorem, agnoscat se creaturam: Agnoscat opificem, agnoscat se opus: agnoscat Dominum, agnoscat se servum: agnoscat iustum, agnoscat se iniquum: agnoscat sanctificatorem, agnoscat se peccatorem: agnoscat Redemptorem, agnoscat se redemptum. Ne dicat ut Pharao, *Nescio Dominum*, ne forte & sibi cum aliis in fine dicatur. *Amen dico vobis, nescio vos.* Sed totis viribus annitatur hæc omnia fide agnoscere, quia sine fide impossibile est placere Deo: & quia iustus ex fide vivit, ut sit de ovibus boni Pastoris, de quibus ipse ait, *Oves meæ vocem meam audiunt, & ego Dominus agnosco eas.* Et de quibus alibi. *Et cognosco meas, & cognoscunt me meæ.* Et de quibus Apostolus. *Cognoscentes Deum, imò cogniti à Deo.* Et quoniam non sufficit fides agnitionis, absque opere dilectionis, nam

A otiosa est fides nisi assit ei his fides quæ per dilectionem operatur: sic Iacobus ut supplantet supplantare volentem, decipiat decipere cupientem: diabolum, mundum, peccatum. Diabolus quippe tentat, mundus allicit, peccatum occidit. Vnde quia delectando vult fallere, tacendo necare, cauti dolosum discamus vitare, ut deprehensa prudenter blandi hostis nequitia, cum Apostolo possimus dicere. Non enim ignoramus cogitationes eius. Quibus agnitis & Dei virtute devictis, miles Dei de hoste pessimo gloriose supplantans eum triumphabit, & cum propheta cantabit. *In te inimicos nostros ventilabimus cornu, & in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis.* Istis duobus adiungendus est & tertius Ioannes, ut rimator cœlestium visionum advertat; nihil se potuisse aut posse, nihil se dignè credere aut operari absque Dei gratia, sicut ipse Deus fatetur in Evangelio loquens discipulis. *Sine me nihil potestis facere.* Quod Apostolus Paulus confirmat. B *Gratia Dei sum id quod sum, & gratia eius in me vacua non fuit.* Et Psalmista. *Deus meus, misericordia eius preveniet me: & misericordia tua subsequetur me.* Quod si misericordia Dei universa bona hominis prævenit & subsequitur, nullum bonum hominis absque gratia eius esse posse cognoscitur. Sic Petrus fide Deum agnoscens, sic Iacobus sanctis eum operibus deluso mundo glorificans: sic Ioannes, quod in fide & operibus habet, non à se, vel ab alio, sed eius gratia, à quo est omne datum optimum, & omne donum perfectum, se accepisse cognoscens, & gratias agens, nullo alio adito illo divinæ gratiæ secreta soli contemplamentur. Hi tantum ad æternæ resurrectionis gloriam pervenire, hi in montem excelsum conscendere, hi transfiguratum in Maiestate Christum videre poterunt: quoniam *reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ; quando occurremus omnes in unitatem fidei, & agnitionis Filij Dei in virum perfectum in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* Tunc C omnium haec atque perfectior Petro aderit cognitio veritatis, quia sicut Deus per Prophetam ait, *Non docebit vir fratrem suum, & vir proximum suum, dicens, Cognosce Dominum: omnes enim cognoscent me à minimo usque ad maximum.* Tunc Iacobus supplantator, & vitæ & victoriæ gloriosior apparebit, quia nequaquam ultra terra corporis nostri spinas, & tribulos carnalium voluptatum germinabit: quæ absque ullo in æternum belli periculo à sanctis possidebitur, sicut dicitur. *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* Tunc enim fiet sermo qui scriptus est. *Absorpta est mors in victoria. Vbi est mors victoria tua? Vbi est mors stimulus tuus?* Tunc Dei gratiam longe excellentius Ionnes obtinebit: quia sicut ipse scripsit, *De plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia:* pro gratia actionis, gratiam retributionis: pro gratia operationis, gratiam glorificationis. Sed & illud ab hac intelligentia non dissentit, quod Princeps Apostolorum, quod Pastor singularis ovium Christi, quod summus post Christum Magister Ecclesiæ Petrus, quod D Boanerges, id est, filij tonitrui, Iacobus & Ioannes, ut hæc viderent electi sunt: ut & Petri authoritas ad hoc testificandum dignior fide videretur, & tota Ecclesia in summo Pastore suo, ad videndum Deum sublevanda signaretur, & intonantem de cœlis Patrem audientes Iacobus & Ioannes congruenter filij tonitrui vocarentur.

Propter omnia ista *assumpsit* solummodo *Iesus Petrum & Iacobum & Ioannem, & duxit eos in montem excelsum seorsum & transfiguratus est ante eos. Et resplenduit facies eius sicut sol: vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix.* Quid tu ad ista, ô homo? An surdis hæc auribus audis? An tanta tui conditoris beneficia ingratus prospectas? An non ita erga te sollicitam divinitatem stupendo miraris? Te cum non esses, gratuita bonitate, ut sempiterne illi adhærendo beatus esse posses, creavit: tibi cœlum terram, mare: tibi omnia quæ in eis sunt, tibi universam molem mundi fecit atque subiecit: tibi, quod his omnibus longe excellentius E fuit, æternæ morti subdito, & inter mundi mala innumera deficienti, natus in tua carne, passus, & mortuus est. Et ut salutaribus Domini & Dei tui monitis credere non differres, mirandis operibus sibi à te dari fidem coegit. Inde est quod cæcos illuminavit, quod leprosos mundavit, quod omnes hominum morbos curavit, quod ipsos quoque mortuos suscitavit: quod super tumentes marinarum undarum moles illapso gressu deambulavit, quod elementis imperavit, quodque hanc eandem miraculorum potentiam omnibus in se vere credentibus concessit. Hinc est, quod hodie ut dixi, in carne corruptibili transformatos, tuum quoque corruptibile incorruptionem, tuum mortale immortalitatem induere posse monstravit. Nam sicut ipse facie refulsit ut sol, ita te posse fulgere ostendit, ubi ait, *Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno Patris sui.* Si igitur iustus fueris, fulgere & tu sicut ipse poteris. *Facta est* F *facies eius sicut sol.* Quid mirum si facta est facies eius sicut sol, cùm ipse sit sol? Quid mirum si Solis facies facta est ut sol? Sol erat, sed sub nube latens; & tunc nube remota ad modicum refulgens. Quid est nube remota? Non carne, sed carnis infirmitate ad momentum sublata. Hæc est nubes, de qua Propheta ait, *Ecce Dominus ascendet super nubem levem.* Nubes caro tegens divinitatem: levis, nullam ferens iniquitatem. Nubes, celans divinum fulgorem: levis, in æternum & ipsa levata splendorem. Nubes, quia ut in Canticis legitur, *Sub umbra eius, quam desideraveram, sedi:* levis, quia caro est Agni qui tollit peccata mundi. Quibus sublatis levatur mundus in alta cœlorum, nullo iam pressus pondere peccatorum. Hac carnis nube tectus Sol, non iste sol qui oritur super bonos & malos, sed Sol iustitiæ qui oritur tantum timentibus Deum. Hac certe carnis nube adoperta lux, quæ illuminat omnem hominem, hodie resplenduit, hodie ipsam carnem glorificans, & deificatam ostendens Apostolis per seipsum, & per Apostolos mundo G revelavit. Huius solis contemplatione, & tu beata Civitas, in æternum perfrueris, quando descendens de cœlo a Deo parata, sicut sponsa viro ornaberis. Iste Sol ultra tibi non occidet, sed idem semper manens perpetuum mane serenat. Iste Sol iam nulla nube tegitur, sed indefessè rutilans assidua te luce iocundat. Iste Sol non iam tuos oculos reverberat, sed ad se videndum confortans, divino fulgore delectat. Iste Sol nullam eclypsim patitur, quia fulgor eius nullo tuo dolore interrumpitur. Nam non erit ultra neque mors, neque luctus, neque dolor, neque clamor, quæ obscurare possint à Deo tibi datum splendorem, quia sicut Ioanni de cœlo dictum est, *Hæc prima abierunt.* Iste est Sol, de quo per Prophetam dicitur, *Non erit tibi Sol ad lucendum per diem, nec splendor Lunæ illuminabit te: sed Dominus Deus tuus erit tibi in lucem sempiternam.* Hæc est tibi lux sempiterna, quæ de Domini facie refulget. Audis Domini vocem, audis ut sol fulgentem Domini faciem: in facie per quam quisque cognoscitur, eius agnitionem, in fulgore H agnoscentium intelligite illuminationem. Hic enim fide à te creditur, ibi ipsa cognoscetur. Hic intellectu capitur, ibi comprehendetur. Hic vides per speculum & in ænigmate, ibi autem videbis facie ad faciem. Tunc cum verè sicuti est agnoscens æterno huius Solis splendore sempiternæ irradiaberis, feliciter illuminaberis, excellentissimè illustraberis. Tunc ita vultu Domini super te resplendente implebitur quod optaverat ante Propheta, dicens, *Illuminet vultum suum super nos.*

Sed quomodo vultus eius illuminabitur, qui nunquam lumine caruit, qui ipsum lumen est, quod illuminat omnem hominem. Non, inquam, illuminabitur vultus Dei in se, sed illuminabitur super te, super te illuminabitur, quia tibi lucebit, tibi fulgebit, tibi splendebit. Propterea distinctè protulit hoc Propheta, dicens, *Illuminet super nos.* De hoc lumine & alibi

A alibi ait, *Domine in lumine vultus tui ambulabunt.*

Hic ergo vultus est facies Domini, quæ ut sol in monte resplenduit, quæ ut sol in cœlo fulgebit. In cuius veræ agnitionis lumine perpetuò ut dictum est exultabis. In cuius lumine infatigabiliter ambulabis. In cuius lumine perpetuum lumen videbis. Propter hoc ait Evangelium, *Facta est facies eius ut sol, & vestimenta eius facta sunt alba sicut nix.* Qui Christi vestimentis nisi proxime illi fide & moribus adhærentes signantur? Qui licet non sint quod ipse, sunt tamen ubi & ipse. Vnde & alibi Patri ait, *Pater, volo ut ubi ego sum, & illi sint mecum.* Sunt autem alba ipsa vestimenta sicut nix. Non enim tanta faciei claritas aliquid circa se obscurum recipit. Fulget facies, nitent vestimenta. Quo nitore? Tanto fulgori congruo. Et quis nitor tanto fulgori congruit? Quis nisi niveus? Quid namque sole fulgentius: quid nive candidius? Hoc candore ni- B teant necesse est vestimenta: sed candor vestibus multo studio & labore acquiritur. Non possunt planè vestes ad candorem congruum pervenire, nisi igne coquantur, aqua abluantur, herbarum succo inficiantur. Hæc tria sicut sunt necessaria carnis indumento, ita sunt adhibenda Christi vestimento. Dixi vestem Christi esse fideles Christi. Quis est ergo huic vesti necessarius ignis, quæ est aqua, quæ sunt herbæ? Ignis est ille comburens noxia, illuminans tenebrosa. Quis ille? De quo Ioannes, *Ego baptizo vos aqua, ille autem baptizabit vos Spiritu sancto & igni.* Quis vero iste sit ignis ascensurus in cœlum Dominus discipulis indicat, dicens, *Quia Ioannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto* Iste igitur ignis est Spiritus sanctus. Quæ aqua? Baptismatis & lachrymarum. De baptismatis aqua Dominus in Evangelio, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, &c.* De lacrymarum aqua Psalmista, *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo* De utraque alius Propheta, *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* C Igne ergo spiritus accenduntur corda, fervescunt in Deum desideria, curritur primo ad baptismum, fervet aqua ad vestem mundandam ignis ardore, sanctificatur & ista ad animam purgandam spiritus virtute. Abluitur aqua illa quicquid sordium animæ adhæserat, redditur homo novus, albis novisque induitur vestibus, ut & ipse in spiritu candidatus, & renovatus, aptus appareat in Christi corporis vestimento. Hæc vestis sic mundata, si postmodū inquinetur, non aqua baptismatis, quæ non novit nisi semel mundare, sed secundo lachrymarum fonte purganda est, qua & Petrus negationis maculas abluit, & Maria Domini pedes rigando, vitiorum flammas extinxit; & Dominus ipse sororum lacrymis Lazarum ipsarum fratrem mortuum suscitavit. Sed sicut primus fons sine spiritu nihil potest operari, ita nec secundus sine illo quicquam valet impetrare. Quod enim sine spiritu nihil sit illud, innuit Dominus, qui cum dixisset, *Nisi quis renatus ex aqua & spiritu*, Postmodum nullam aquæ faciens mentionem, adiunxit, *Quod natum est ex spiritu, spiritus est*, authorem illius regenerationis ostendens spiritum, & sine spiritu nihil esse aquam nisi frigidum & humidum ele- D mentum. Quod vero pœnitentiæ lacrymæ non nisi ex eodem spiritu fundi possunt demonstrat Apostolus dicens, *ipse spiritus pro nobis postulat gemitibus inenarrabilibus.*

Agnovimus ignem, agnovimus aquam, vestem Christi purificantem, & rursus inquinatam mundantem. Perquiramus & herbam huic operi necessariam. Quæ ergo esse poterit, nisi illa de qua ait Propheta, *Asperges me hysopo, & mundabor.* Et quare illam præ cæteris elegit? Quia est herba humilis, non petit alta, fastidit celsitudinem, amplectitur humiliationem. Quod igitur habet illa ex natura, hoc mundandum oportet habere ex gratia. Sicut enim nullum per aquam mundat Spiritus nisi pœniteat, sic nullus pœnitet, nisi qui se humiliat. Est ergo herba humilitas, qua per aquam E & spiritum omnis deletur iniquitas. Istis mundari necesse est vestem CHRISTI: istis purgari expedit indumentum Domini. Istis candidari oportet velamentum illud, quo Dei filius in claritatis divinæ maiestatem transformatus ornandus est. Et tu igitur qui Christo adiungi exoptas, labora, exerce teipsum, castiga corpus tuum & servituti subiice: ablue quicquid fœdū, quicquid immundum, quicquid tegumento corporis Christi indignum est, & remotis vitiorum omnibus informitatibus niveum tibi virtutum adhibeto candorem dicens Deo cum Propheta, *Lavabis me, & super nivem dealbabor.* Nec mireris si nondum gloria huius beati candoris in te manifestatur, *quoniam per fidem ambulamus, non per speciem, & scimus quia nondum apparuit quid erimus: sed cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est, & cum Christus apparuerit vita nostra, tunc & nos apparebimus cum ipso in gloria.* Hoc F innuens Marcus ait, *facta sunt vestimenta eius alba, qualia fullo super terram non potest candida facere.* Super terram quippe hæc gloria acquiritur, sed non super terram redditur. In cœlo igitur, non in terra, expectanda sunt ista: in resurrectione, non in mortalitate accipienda sunt ista, quando qui promeruerunt, erunt sicut Angeli Dei in cœlo; quando suos sibi ut vestimentum aptabit CHRISTVS ad gloriam & decorem, quando implebitur quod per Prophetam dictum est. *His omnibus velut ornamento vestieris.* Huic tamen Christi indumento, unde candor accidit videte. *Qualia* inquit, *fullo non potest facere.* Nostis frequenti fullonis percussione, assidua conculcatione vestibus addi candorem. Fullonis ergo conculcatio est, superborum qua sanctos contemnūt despectio, de qua Propheta in Psalmo, *Multum repleta est anima nostra, opprobrium abundantibus, & despectio superbis.* Eius ergo continuata percussio est iniquorum, qua eos quotidie atterunt, persecutio. Sed hac compressione, hac persecutione, licet multum in præsenti affligantur, ad Domini tamen ornamentum eisdem suis proficientes, candificantur, & ut in regni mani- G festatione Regi suo, ut regia byssus adhæreant, adaptantur. Vnde & de iis dicitur. *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum.*

*Et ecce apparuerunt Moyses & Helias cum eo loquentes.* Apparent Moyses & Helias cum Christo, iunguntur Lex & Prophetæ Evangelio. Alloquuntur præsentem quem ante prædixerant absentem. *Et narrabant*, ait Evangelista, *excessum eius quem habiturus erat in Hierusalem.* Agnosce quod non idcirco excessum suum Domino narrabant, ut eum docerent quod ignorabat, qui nihil ignorare poterat, sed ut illos esse adverteres, de quibus ipse Dominus post excessum & resurrectionem suam discipulis dixit, *Oportebat impleri omnia quæ scripta sunt in Lege & Prophetis de me.* Quod enim Moyses de eo scripserit, testatur ipse loquens ad Iudæos, *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi: de me enim ille scripsit.* Quod vero Helias primum eius adventum sublimiter prophetando præcucurrerit, certum est. Sed quod secundum sublimius præcursorus sit, vox Dei per Prophetam loquens indicat. *Ecce ego mittam vobis Heliam Prophetam, antequam veniat dies* H *Domini magnus & horribilis.* Et Dominus ad discipulos, *Helias venturus est, & ipse restituet omnia.*

*Apparent*, inquid, *Moyses & Helias cum eo.* Attendite, fratres, magnum sacramentum. Attendite, & admiramini novum miraculum. Videte cur præ cæteris Patribus & Prophetis, in hac cœlesti visione hi specialiter Domino adiungantur. Scriptum est de Moyse. *Erat Moyses vir mitissimus inter omnes qui morabantur in terra.* Cuius admirabilis mansuetudinis quis melior quam ille Iudaicus populus erit assertor? Quem cum ipse iussu Dei per terrifica signa de Ægypto eductum pedestri itinere per mare transduxisset, cùm super littus maris divina virtute extinctos inimicos ostendisset, cùm eum per tantum temporis in deserto manna cœlesti pavisset, aqua sæpe de petra producta



potasset,

A potasset, carnibus vento famulante allatis saginasset, pro eis innumeris se mortibus obiecisset: post ista, inquam, omnia, quid ab illis gratiæ meruerit audistis. Congregati pariter in eum irruerunt, contumeliis plurimis eum affecerunt, lapidibus impetierunt, confugere ad tabernaculum Domini compulerunt. Qui nisi potenter a Deo ereptus fuisset, absque dubio ab impiis peremptus interiisset. Cumque frequenter ab illis similia pateretur, & Deus interitum perversæ gentis pro his & innumeris malis suis minaretur, pro eis ultioni se opponebat, & ne hi qui eum perdere quærebant perirent, quantum poterat satagebat. Nam dicente Deo, *Dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos, & deleam eos, faciamque te in gentem magnam*, Respondit, *Si dimittis eis peccatum, dimitte, sin autem, dele me de libro quem scripsisti.* Audistis Moysi mansuetudinem, audite & Heliæ severitatem. Regis idololatræ & populi nimiis impietatibus provocatum cœlo aquas religavit, & ne reproba tellus fœcundaretur, tribus annis & dimidio B pluviam verbo suspendit, dicens, Vivit Dominus, si erit ros, aut pluvia nisi iuxta oris mei verbum. Quadringentos Prophetas Baal cum trecentis aliis ad flumen deductos interfecit. Quinquagenarios duos cum quinquaginta suis igne cœlesti consumpsit, ad utrosque dicens *Si homo Dei sum, descendat ignis de cœlo, & devoret te, & quinquaginta tuos.* Multum ergo ille mansuetus, multum iste severus. Duo ergo isti Patres alter mitissimus, alter immitissimus apparent cum Domino. Quare? quia, *misericors & miserator Dominus.* Quia, *iustus Dominus, & iustitias dilexit.* Quia, *universæ viæ Domini misericordia & veritas.* Quia misericordiam & iudicium cantat Domino Propheta. Quia *misericordia*, quæ Christus est, *& veritas obviaverunt sibi: iustitia & pax osculatæ sunt.* Misericors ergo misericordem, iustus iustum designat. Unde & congrue scriptura non prius Heliam, & postea Moysen, sed antea Moysen, & postmodum Heliam ponit: non tantum attendens ordinem temporis quo alter alterum præcessit nascendo, quantum C modum rationis, quo ille illum prævenit significando. Moyses enim primum, Helias secundum Domini signat adventum. Venit quippe primo cum misericordia, venit cum mansuetudine, quia venit Salvator, venit Redemptor, venit Liberator, sicut ipse Nicodemo ait, *Non enim misit Deus filium suum in mundum, ut iudicet mundum sed ut salvetur mundus per ipsum.* Hinc & discipulis alio in loco indignantibus quod eum quidam hospitio suscipere noluisset, & dicentibus ei, *Vis dicamus, ut ignis descendens de cœlo consumat eos sicut Helias fecit?* Respondit. *Nescitis cuius spiritus estis. Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare.* Et Zachæo inter cætera. *Venit enim filius hominis quærere & salvum facere quod perierat.* Cuius salutis cum se authorem divinis operibus demonstraret, cum omnium languores curaret, mortuos suscitaret, quamplurima alia infideli populo etiam temporaliter bona conferret, & quod nunquam Moyses potuit, æterna promitteret, & in se credentibus daret, ab ingratis & perditis nefando ausu alienigena, dæmonium habens, homo vorax, pota- D tor vini, amicus publicanorum & peccatorum vocatus, lapidibus sæpe ut Moyses impetitus, ad ultimum crucifixus, pro crucifixoribus orans Patrem dicebat, *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Ecce Moysem nostrum mansuetum, ecce mitem, ecce misericordem, ecce omnibus indulgentem. Videte nunc Heliam, aspicite iustum, intuemini terribilem, tormenta peccatoribus inferentem. Pertimescite ignem, non centum solummodo homines, sicut tunc, sed totum mundum comburentem. Hunc homo Dei Helias, hoc est filius hominis Iesus in maiestate sua de cœlis ad iudicandum veniens, si super impios deponet, quando *Deus manifeste veniet, Deus noster, & non silebit.* Quando *ignis in conspectu eius exardescet, & in circuitu eius tempestas valida.* Quando *advocabit cœlum de sursum, & terram discernere populum suum.* Quando *in fortitudine veniet, & brachium eius dominabitur.* Quando *vociferabitur*

E *& clamabit, & super inimicos suos confortabitur.* De quo suo adventu ipse in Evangelio, *Tunc si quis vobis dixerit, Ecce hic est Christus, aut ecce illic, nolite credere. Sicut enim fulgur exit ab Oriente, & paret usque in Occidentem: ita erit adventus filij hominis.* Et post pauca, *Et tunc apparebit signum filij hominis in cœlo, & tunc plangent omnes tribus terræ, & videbunt filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute magna & maiestate.* Et Ioannes in Apocalypsi, *Et videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt & plangent se super eum omnes tribus terræ.* Qui igitur, ut dictum est, in primo fuit mitis Moyses, in secundo apparebit Helias. Qui in primo humilis, in secundo sublimis. Qui in primo despectus, in secundo tremendus. Qui in primo occultus, in secundo manifestus. Qui in primo mansuetus, in secundo severus. Qui in primo iudicatus, in secundo iudex. Qui in primo Salvator, in secundo non solum Salvator, sed etiam condemnator. Reddi- F tum est nunc Moysi, quod ei longe ante fuerat promissum. Qui cum flagrabat spiritu dicens, *Si inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam*, audivit, *Invenisti gratiam in conspectu meo, & teipsum novi ex nomine, sed non poteris videre faciem meam? Non enim videbit homo, & vivet sed dum transiero, videbis posteriora mea.* Quæ sunt, fratres, Dei posteriora? Videte quæ sunt anteriora, & sic videbitis posteriora quæ sunt. Quid enim Dei anterius est, nisi illud, quo omne quod est posterius est? Quid namque est anterius ipso Deo? quid non posterius illa substantia cui dicitur, *Ex utero ante Luciferum genui te*, & quæ loquitur, *Ante colles ego parturiebar: Adhuc terram non fecerat, & flumina, & cardines orbis terræ*? Et quæ ita erat in principio apud Deum, ut omnia per ipsum facta sint, & sine ipso factum est nihil? Quibus utique rebus à se factis ipsam anteriorem, ipsas necesse est esse posteriores. Creator enim creatura anterior: creatura Creatore semper est posterior. Anterior ergo est creatrix substantia, posterior creata natura. Nunquid Moysi quæ- G renti videre Creatorem, loco magni muneris pro Creatore moles totius creaturæ indifferenter videnda promissa est? Absit. Non enim omnis, sed quædam creatura ei pro magno videnda promissa est. Hæc est, inquam, illa singularis creatura. Hæc est, inquam, illa singularis humanitas, quæ in utero Virginis, absque ulla peccati corruptione, ab ipso Deo suscepta, & Verbo Dei unita non iam creatura, sed Creator pro unius cum ipso unitione personæ vocatur. Quæ quia secundum modum Creatoris, & secundum ordinem temporis, quo iuxta Apostolum, in consummatione seculorum, ad destructionem peccati apparuit, Deo posterior est, posteriora Dei Moysi ante promissa hodie ostensa sunt. Nam sicut probatum constat, Dei anteriora ante omnia existens est divinitas, Dei posteriora postmodum assumpta humanitas. Huius humanitatis hodiernam glorificationem Moyses intuens, quod promissum fuerat, sibi redditum gavisus est, nec immerito. Agnoscebatur enim quod ante prædixerat, & H se mundumque salvandum eiusdem humanitatis humilitate gaudebat. Unde & sibi olim dictum recolebat, *Cum pertransiero videbis posteriora mea.* Cum pertransiero, inquit. Quid namque tunc aliud Christus in mundo, nisi quendam transitum faciebat? Non enim ut hic maneret, sed ut hinc transiret, advenerat. Transibat quippe de morte ad vitam, transibat de corruptione ad incorruptionem, transibat de humilitate ad glorificationem, transibat de mundo ad Patrem, sicut Evangelista ait. *Sciens Iesus, quia venit eius hora, ut transiret ex hoc mundo ad Patrem, cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Et post pauca. *Exivi à Patre, & veni in mundum: iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem.* Et in Psalmis. *Singulariter sum ego donec transeam.* In hoc transitu Moyses Iesum vidit, quia adhuc secundum carnem mortali adhuc corruptibili, licet ad tempus tunc glorificato, cum eo in mente apparuit. Et quid miraris

A quod Moyses Iesum in carne Deificatum vidit, cum prior Moyse *Abraham exultavit ut videret diem eius, vidit & gavisus est? Visi sunt*, inquit Lucas, *Moyses & Helias in maiestate*. In maiestate tam Christi quam sua visi sunt. Quia cum glorificato & ipsi glorificati sunt. Ille ut Deus, isti ut homines. Ille ut Dominus, isti ut servi. Ille ut unicus, isti ut adoptati. Sed quid adhuc Moyses & Helias cũ Christo apparentes significent, videte. De Moyse namque sicut de aliis Scriptura loquitur quod mortuus sit. Mortuus est, inquit, Moyses servus Domini, sepelivit eum Dominus. De Helia vero quod non mortuus, sed equis igneis raptus sit, & quod adhuc vivat, & suo tempore moriturus sit testatur. Qui vero per mortuum Moysem, nisi mortui, & qui per vivum Heliam nisi vivi signantur? Videntur ergo hi duo in figura Resurrectionis cum Domino, ut ostendãt vivos & mortuos in ipsa Resurrectione iudicandos à Deo. Quod Apostolus confirmat in Epistola dicens.
B *Dominus in iussu & in voce Archangeli & in tuba Dei descendet, & mortui qui in Christo sunt resurgent primi. Deinde nos qui vivimus, qui relinquimur, rapiemur simul cum illis in nubibus obviam Christo in aera, & sic semper cum Domino erimus.* Quod quamvis de electis tantum vivis & electis mortuis dicere videatur, alibi tamen tam de electis quam reprobis, vivis & mortuis, hoc aperte denunciat dicens. *In hoc enim Christus mortuus est & resurrexit, ut vivorum & mortuorum dominetur.* Merito ergo de vivis & mortuis iudicat, quia mortuus est propter peccata nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. Respondens autem Petrus dixit Iesu: *Domine bonum est nos hic esse, si vis faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, & Heliæ unum.* Quid est Petre quod loqueris? Vt quid terrenum tabernaculum quæris? Quid hic eum remanere exoptas, cum migraturus advenerit? Quid illi qui habitat in cœlis habitaculum temporale procuras? Non ad hoc
C venit ut domum in terra susciperet, quia habere noluit ubi caput reclinaret. Non ad hoc venit ut tu ei in terris habitaculum construeres, sed ut ipse tibi in cœlis locum præpararet. Non ad hoc venit ut à te constructam hic domum inhabitaret, sed ut te post se ad præparatam quæ sursum est sublevaret. De qua ipse discipulis dixit, *Et si abiero, & præparavero vobis locum, iterum veniam, & accipiam vos ad meipsum, ut ubi sum ego, & vos sitis.* Vbi nam ipse est, te oportet esse, non ubi tu vis, cum decet remanere. Bonum est, ait, nos hic esse: ubi, quæso, mors? Vbi passio? Vbi mundi redemptio? Vbi resurrectio? Vbi in cœlos ascensio? Vbi est quod ait Propheta, A summo cœli egressio eius, & occursus eius usque ad summum eius? Si enim tecum, ut tu optas, remanserit, nec ista omnia propter quæ implenda venerat, adimplebit, nec illuc, unde venerat, redibit. Bonum est nos hic esse. Si bonum est Petre, ut dicis, hic esse, longe melius est quo frueris in patria. Si bona est momentanea iocunditas, multo melior æterna felicitas. Si te delectat Christi ad tempus glorificata humanitas incomparabiliter excellentius delectabit eius æternaliter conspecta divinitas. Illa inquam divinitas, in quam
D desiderant Angeli conspicere, à qua nunquam intuitum patiuntur avertere, quæ mundis corde promittitur, & eis in fine quandoque reddetur. Hæc & tu perfrueris, sed sicut pro te Christus, ita & pro Christo ante patieris. Oportet enim te primum eius fieri socium passionis, ut sic postmodum eius possis & consolationis. Ibi ipse te suosque in æterna tabernacula suscipiet. Ibi vere non ut hic, tria tabernacula, Christo, Moysi, & Heliæ, sed unum tabernaculum Patri, & Filio, & Spiritui sancto, teipsum præparabis; quando *erit Deus omnia in omnibus*: quando secundum Apocalypsin, *tabernaculum Dei erit cum hominibus & habitabit cum illis*: quando *ipsi populus eius erunt, & ipse Deus cum eis erit eorum Deus.*

*Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbravit eos, & ecce vox de nube dicens, Hic est Filius meus dilectus in quo mihi complacui, ipsum audite.* Huc venite gentes, huc occurrite populi, huc accedite universi, huc properate infideles & convertimini, hic adestote fideles &
E erudimini. Voluistis certificari de Dei Filio, iam non dubitetis tanto accepto testimonio. Præmissi sunt ad hoc testificandum Patriachæ, subiecti sunt Prophetæ, qui hunc per Spiritum venturum viderunt, & antequã nasceretur mundo annunciaverunt. Viderunt & Apostoli, non iam ut illi tantum per spiritum, sed per carnem viderunt, in qua non iam nasciturum, sed natum viderunt, non prædicaturum, sed prædicantem viderũt, divina opera facturum, sed facientem & universa quæ de eo dicta fuerant, & propter quæ venerat, adimplentem. De quibus, ut dictum est, Petrus & Iacobus ab eo in montem ad hoc videndum ducti fuerunt. Sed & Ioannes, qui Verbum, quod ab initio fuit, se non solum vidisse, sed & manibus contrectasse fatetur dicens,
F *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, & manus nostræ contrectaverunt de Verbo vitæ.* Affuit & Moyses ab inferis, advenit & Helias a superis, ut cognosceretis Christo Dei filio in Helia cœlestia, in Apostolis terrestria, in Moyse inferna testimonium dare, ipsumque esse quem in assumpta carne Deus exaltavit, & cui *dedit nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genuflectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum*, neque esse *aliud nomen sub cælo datum in quo nos oporteat salvos fieri*. Audistis horum testimonium, audite & illius, cuius in creaturis maius inveniri non potest. Maius, inquam, illius testimonio, nullius hominis inveniri testimonium potest, quia nec illo maior in omnibus hominibus inveniri potest, Ioannis dico qui *missus est à Deo in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum.* Illius certe testimonium est, *Qui habet sponsam, sponsus est*, &c, *medius vestrum stetit, quem vos nescitis, cuius non sum dignus soluere corrigiam calciamenti*, &c, *qui incredulus est filio, non habebit vitam, sed ira Dei manet super eum*, &c, *Ecce Agnus Dei qui tollit peccata*
G *mundi*, &c, *ego vidi, & testimonium perhibui.* Hoc est, inquam, testimonium magni Ioannis, quo maius, ut dictum est, in hominibus inveniri non potest. Habet tamen Christus. (ut ait ipse Christus) testimonium maius Ioanne. Et quia maius Ioanne, non iam humanum, sed divinum, non ab homine, sed à Deo: non de terris, sed de cœlis. Hoc est illud quod hodie de nube intonuit, *Hic est filius meus dilectus.* Et quid ultra exigetis? Ecce Patriarchæ, ecce Prophetæ, ecce Apostoli, ecce viventes, ecce defuncti, ecce mundus & infernus, ecce qui super omnia est, ipse Deus, ipse author luminis, ipse fons Deitatis, ipse glorificati filij pater de cœlis clamat, *Hic est filius meus.* Audistis de illo testimonium Prophetarum, audistis de illo testimonium Apostolorum, audistis de illo testimonium Ioannis: audite & meum de illo testimonium, *Hic est filius meus.* Si credidistis hominibus, multo magis credendum est vobis Deo dicenti, *Hic est filius meus.* Si credidistis aliis de Filio meo, multo magis mihi eius Patri credere debetis, à quo audistis, *Hic est Filius meus.* Novi enim
H quem genui, quia, *nemo novit Filium nisi Pater*, novi quem generavi, novi quem de meipso protuli, novi quem non de nihilo, quem non aliunde, sed de mea substantia produxi Deus Deum, Creator Creatorem, omnipotens omnipotentem, invisibilis invisibilem, incomprehensibilis incomprehensibilem, immortalis immortalem, æternus æternum, omnia sciens omnia scientem, omnia continens omnia continentem. Neque enim aliud esse potuit à me genitus quam ego sum, à quo est genitus: & ideo, *Hic est filius meus.* Non me fallit caro suscepta, sicut falluntur qui non vident nisi extra. Non me fallit quam cernitis humanitas, quam creavit mea, quæ omnia creat, divinitas, quam suscepit huius filij mei obediens humilitas, qua redditur mortalibus olim amissa æternitas. Hanc feci, non genui. Quia tamen illi sempiterne unita est quem genui, nihil dividens, nihil discernens, sed hominem assumptum à Deo assumptione ipsa Deificatum ostendens,

A indifferenter dico, quod hic est filius meus. Non Moyses filius meus, non Helias filius meus, non Petrus, Iacobus, aut Ioannes filius meus, sed hic est filius meus. Et ut sciatis quod non illi, sed iste est filius meus, hanc vocem Petrus, & Iacobus, & Ioannes audientes concidunt; Moyses & Helias abscedunt, quia hanc vocem ad se non pertinere cognoscunt. Iesus solus nec concidit, nec abscedit, quia filium meum se solum verum esse ostendit. Nolite, inquam, in aliquo de illorum testimonio, qui hunc præcesserunt, & hunc filium meum esse dixerunt, dubitare: quia ecce ego illis attestor, quod hic est filius meus. Credite & ipsi de se testimonium danti & dicenti, *Si ego testimonium perhibeo de meipso, verum est testimonium meum, quia scio unde venio, & quo vado.* Credite & Spiritui sancto, de quo & ipse filius discipulis ait, *Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre Spiritum veritatis, ille testimonium* B *perhibebit de me,* ut in nostra Trinitate nihil diversum, nihil sentiatur esse discretum: sed quod unius personæ facit singula proprietas, in hoc tota communiter cooperari intelligatur Trinitas. Propter ista omnia, scitote, quia hic est filius meus. Et si forte aliquos huic veritati contradicere audieritis, ne scandalizemini, ne moveamini, ne quolibet falsæ doctrinæ vento circumferamini, quia ut vos probemini, illi excitantur, ut vos purgemini, illi accenduntur: sed vobis purgatis illi extinguuntur, vobis splendentibus illi obscurantur, vobis vivificatis illi moriuntur, vobis coronatis illi perpetuo puniuntur. Nolite ergo illis credere. Nolite falsitati acquiescere: sed meæ incommutabili veritati credite, & absque dubio agnoscite, quod hic est filius meus. Neget infidelis, & dicat. Non est filius Dei. Ego Deus Pater eius dico, *Hic est filius meus.* Merito igitur negantes falsitatem, confitentes veritatem, audietis & credetis, quod *hic est filius meus.* Et addidit, *dilectus.* Dilectus est mihi, quia dilectum genui, quia nec gignere potui, nisi dilectum, nec sic aliquid diligere sicut genitum. Nam sicut nobis est natura singularis, sic est eiusC dem naturæ singularitas dilectionis. Sicut est filij mei de me singularis generatio, ita est & mea ad ipsum singularis dilectio. Et idcirco licet suo modo diligam quod creavi, tamen hunc super omnia diligo, quem genui. Vnde, *Hic est filius meus dilectus.* Est adhuc propter hoc specialiter dilectus, quia per ipsum erga miseros mortales mea ira compescitur, mea indignatio sedatur, mea illos condemnans sententia commutatur. Et ideo eorum in nos, quæ friguerat, dilectio reaccenditur, amor excitatur, affectus provocatur, ita ut eos pudeat vitæ veteris, & convertantur à via erroris, & per viam hominem filium meum perveniant ad vitam, hoc est ad ipsum Deum filium meum. Et quoniam sic adversos homines à dilectione mundi trahit post se, ad dilectionem mei, sine qua nunquam est filius meus, nec esse unquam potest servus meus. Ideo est filius meus dilectus, ideo impletur illud quod ipse me Patrem orans dixit. *Vt dilectio qua dilexisti me in ipsis sit, & ego in ipsis.* Sic plane dilectio, qua filium dilexi, in hominibus fuit, quia ad hoc eum dilexi, ut alios vocaret. Ad hoc eum dilexi, ut vocatos iustificaret. Ad hoc eum dilexi, ut iustificatos magnificaret. Et quia taliter hac dilectione per ipsum & alij salvantur, quoniam prior eos diligens, ipse quoque ab eis diligitur. *Est hic filius meus dilectus. In quo mihi bene complacui.* Quod de isto nunc dico, de nullo dicere potui, quoniam in nullo præter istum mihi bene complacui. Non in illo patre omnium Adam, quem optimum creaveram. Quem quia in illo mihi non complacui, de paradiso eieci. Non in illis, sicut naturam, ita & vitium de eo contrahentibus, de quibus quia mihi in eis non complacui, dixi. *Pœnitet me fecisse hominem, delebo hominem quem creavi à facie terræ.* In nullo certe eorum mihi complacui, & ideo universos diluvio delevi. Sed nec in aliquo subsequentium mihi complacui: quia omnes beneplacito meo resistentes in inferna deuenerunt. Quod si quilibet inter eos me fide agnovit,

E operibus coluit: in illo quidem mihi complacui, sed non adeo ut in isto bene mihi complacui. Nam sicut fuit in illo quolibet iusto, in quo mihi complacui; ita fuit in quo non complacui. Quia etsi viam iustitiæ pro posse servavit: ab ipsa tamen in aliquo deviavit. In quo etsi mea multum vivit gratia, subrepsit tamen ei aliquid ex corrupta natura. At in isto qui omnia mandata servavit, qui in nullo à iustitia deviavit, qui ut ipse dixit, ea quæ mihi placita sunt, semper facit, non tantum complacui, sed & bene complacui. In illis quippe, quæ semper contraria iustitiæ operati sunt, in nullo unquam mihi complacui: in illis vero quæ ex maxima parte servaverunt, sed tamen in aliquo limitem eius excesserunt, non bene quidem propter negligentiam, sed tamen in illis complacui propter servatam iustitiam: in isto autem & complacui, & bene complacui, propter integrè servatam innocentiam, & propter F summe conservatam iustitiam. Iste namque est, de quo ante per Prophetam dixi. *Ecce puer quem elegi, dilectus meus, complacuit sibi in illo anima mea.* Vnde licet beneplacitum sit Deo, super timentes eum, tamen iste est in quo sibi complacuit anima mea, præ omnibus timentibus Deum. Cognoscite ergo quia, *hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite.* Quoniam hic est filius meus, non adoptivus, sed proprius: non temporalis, sed æternus: non inferior, sed æqualis: non aliunde, sed consubstantialis. Quoniam hic est dilectus æternaliter, quia mihi dilectus unicus singulariter, quia mihi multos filios congregat dilectus generaliter, quia hic est mihi in quo bene complacui in innocentia, bene complacui iustitia, bene complacui superabundanti gratia. Idcirco ô homines, quos huc usque propter mala vestra contempsi, quos propter scelera nimia exosos habui, quos ita ut nunc, meo colloquio huc usque dignatus non fui: ipsum audite, ipsi credite, ipsi in cunctis quæ vobis dixerit acquiescite. Gratias tibi summa Trinitas, gratias tibi vera unitas, gratias tibi sola bonitas, gratias tibi benigna G deitas, gratias tibi agit homo humilis factura tua, sublimis imago tua: gratias tibi agit, quod eum perire non pateris, quod eum de massa perditionis eripis, quod viscera misericordiæ tuæ super eum largiter fundis. Immolat tibi pro posse suo hostiam laudis, offert incensum devotionis, libat holocausta iubilationis. Mittis tu Pater Filium, venis tu Fili per carnem in mundum: ades & tu sancte Spiritus in concipiente Virgine, ades per columbam in Iordane, ades in nube in monte. Cooperaris tota Trinitas Deus indivisibiliter salutem humanam, ut homo se salvatum agnoscat per virtutem divinam. Idcirco confitetur tibi, ô summe Pater, homo salvatus, & à te per filium liberatus. Confitetur tibi, quod illum, quem signaculum tuæ similitudinis feceras, iustus perire pateris, & sibi pereunti misericors compateris. Nam vides eum ut fulgur cum sociis de cœlo cadentem, nec curas: vides hominem de paradiso eiectum, & revocas. Dicunt illi filio tuo, *Venisti ante tempus torquere nos:* dicit de homine idem filius tuus, *Venit filius hominis quærere & salvum facere quod perierat.* Torquentur cælestes Angeli, & taces: H ne cum eis torqueantur homines, de cœlo clamas, *Hic est Filius meus in quo mihi bene complacui, ipsum audite.* Iterum atque iterum gratias tibi, quod ad nos dilectum filium tuum misisti, & eum nobis magistrum dedisti. Hodie, inquam, nobis eum perfecisti. hodie eum gloria & honore coronasti: hodie eum super opera manuum tuarum constituisti, hodie omnia sub pedibus eius subiecisti. Nam per oves, & boves, & pecora campi, terram, & quæ in ea sunt, per pisces maris, mare, & quæ in eo sunt, omnia scilicet corporea & incorporea ei subdita ostendisti. Vel per pecora terrenos terrenis inhiantes, per pisces nunc summa petentes, nunc ad ima currentes: per volucres, in cœlestibus conversantes significasti. Gaude preciosa portio creaturæ cœli: lætare quia nō viluisti in cōspectu Dei, quoniā tibi datus est magister filius Dei. Noli ultra sequi viam erroris, à qua te

revocat

A revocat præceptum doctoris. Esto docilis auditor, quia perfectus est tibi datus præceptor. Ne contemnas tantum Doctorem, ne experiaris sui contemptus ultorem. Acquiesce in terra docenti, ut conregnare possis in cœlo sedenti. Neque enim alter ibi Regis obtinere poteris gloriam, nisi hic audias Magistri doctrinam. Nam qui ibi Rex apparebit excelsus, hic primum apparuit Magister benignus. Magister apparuit, sicut ipse cœlestis Magister discipulis, ait, *Non vocemini Magistri, quia Magister vester unus est Christus*. Hunc tibi hodierna die Magistrum dedit Pater, quando de cœlis clamavit, *Ipsum audite*. Audite, inquit, eum, ut filium meum, audite eum ut vere Deum: audite ut summum doctorem, audite eum ut vitæ [?]gitorem. Audistis olim serpentem, & amisistis [?]radisum: audite nunc salvatorem, & possidete c[?]lum. Audistis hostem, & incurristis mortem; audi[?] vitam, & redite ad vitam. Est enim vera vita, B iste filius meus, quia est ut ego & ipse verus Deus. Credidistis tunc illi falsam promittenti Divinitatem, credite nunc isti veram danti felicitatem. Audistis callidum deceptorem, audite benignum præceptorem. Audistis pessimum proditorem, audite piissimum Redemptorem. Audistis nequam peremptorem, audite æternum Salvatorem. Obturastis tunc aurem veritati, & reserastis falsitati. Occlusistis eam summæ benignitati, & aperuistis impiæ malignitati. Datur vobis adhuc locus resipiscendi, proponitur adhuc via obediendi, ut per eam pateat aditus ad vitam revertendi. Interdicta vobis est in Paradiso arbor scientiæ boni & mali, sed non acquievistis, & effecti estis de bonis mali. Voluistis certe experiri quid esset malum Ecce experti estis quantum sit malum non obedire. Melius, inquam, fuerat solum nosse bonum, ut non esset quod timeretur malum. At quia quid sit malum sentiendo experti estis, agnoscite saltem infelici experientia, quantum sit malum inobedientia, quam iuste C sequatur tanta miseria. Miseria certe amissæ incorruptionis, amissæ immortalitatis, amissæ æternitatis. Quam si vultis vitare, tanta bona si vultis recuperare, huic, quem hodie vobis Magistrum constituo, obedire curate. Huic absque contradictione acquiescite, hunc in omnibus, ut Filium meum dilectum, audite. Hunc audite, quia quinô audierit illum, ut ait Moyses, exterminabitur de populo suo. *Qui vero*, ut ait David, *obauditu auris obaudierit ei, in memoria æterna erit, & ab auditione mala non timebit*, quando eis dicetur, *Ite maledicti in ignem æternum*. Sed potius cum Sanctis lætus audiet, *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum*, in quo suo Domino in æternum coniunctus exultabit & gloriabitur, per omnia secula seculorum. Amen.

D

SANCTI PETRI

# MAVRICII

DICTI VENERABILIS

ABBATIS CLVNIAC. IX.

## De Miraculis.

*LIBRI DVO.*

### CAPITVLA LIBRI PRIMI.

*De miraculo quod in Arvernico territorio contigit.* I.
*De quodam Presbytero divina mysteria indigne tractante.* II.
*De illo qui Dominicum corpus retinere non potuit nisi prius facta confessione.* III.
E *De obitu fratris cuiusdam, & ad ultimum facta confessione.* IV.
*De alterius cuiusdam ficta confessione.* V.
*De illo qui per veram confessionem liberatus est à diabolo.* VI.
*Quomodo dæmones aqua benedicta fugati sint.* VII.
*De Gerardo puræ & simplicis vitæ monacho.* VIII.
*De his quæ in Cluniaco vel circa contigerunt.* IX.
*De Stephani, qui Blancus dicebatur, apparitione mirabili.* X.
*De simili apparitione Bernardi qui Grossus dicebatur.* XI.
*Quanta semper invidia diabolus contra Cluniacum fremuerit.* XII.
*De fratre quem sub Abbatis specie decipere voluit.* XIII.
*De illo qui dæmones audivit flagitia sua iactantes.* XIV.
*Quid beatus Hugo narraverit in capit. vigil. nativit. Domini.* XV. F
*De fratre qui dæmones vidit quasi religiose incedentes.* XVI.
*De Algero sene religioso.* XVII.
*De Armano novitio quem diabolus in specie ursi perterruit.* XVIII.
*Quod Angelus locum ubi fratres defunguntur, cruce Christi signaverit.* XIX.
*De illo qui moriens albatorum multitudinem vidit.* XX.
*De Turquillo priore Marciniacensium sororum.* XXI.
*Miraculum quod in eodem Marciniacensi monasterio contigit.* XXII.
*De defuncto milite, qui ter apparuerit cuidam Presbytero.* XXIII.
*De Guidone Gebennensi Episcopo.* XXIV.
*De quodam presbytero terribiliter mortuo.* XXV.
*De Gaufrido Sinemurensi Domino.* XXVI.
*De milite mortuo qui apparuit Humberto Beliocensi.* XXVII.
*Item de apparitione cuiusdam in Hispania.* XXVIII. G

*INCIPIT LIBER PRIMVS.*

## PROLOGVS.

CVm inter Spiritus sancti charismata gratia Miraculorum non parvam obtineat dignitatem, utpote quæ tantam in se continet utilitatem, ut maximè per illam & mundus ab infidelitatis tenebris liberatus, & æterno lumine veritatis donatus sit: & adhuc in multorum fidelium cordibus, quibus aliquando hoc videre datur, per eam fides augeatur, spes crescat, veritas confirmetur: Indignari sæpe soleo, cur ea quæ nostris temporibus proveniunt, cum non sit qui ad illa scribenda animum applicet, quæ prodesse H legentibus manifestata poterant, infructuoso silentio tecta dispereant. Vnde quoniam nullum ad hæc nisi me cogere poteram, malui quolibet stylo ea aggredi, non pavens de præsumptione tantæ rei iudicari: & ut ante à quodam dictum est, ad tam utilem rem explicandam, me magis esse volui quam neminem. Et ne diu suspensum lectorem teneam, à digniori parte incipiens, quæ de corpore Domini moderno tempore facta miracula ad me pervenire potuerunt, narrare incipiam.

## CAPVT I.

*De Miraculo quod in Arvernico territorio contigit.*

ERat in Arvernico territorio rusticus quidam habens alvearia, in quibus examina apum melleam favorum dulcedinem conficere solent. Quas iam dictus

rusticus aut evolare, aut emori, aut aliquo casu sibi deperire pertimescens, usus pravo sortilegorum consilio, qui diabolica operatione, etiam de beneficiis Dei maleficia facere consueverunt, & (quod est dictu intolerabile) ipsis quoque divinis sacramentis per artes magicas abutuntur: accessit ad Ecclesiam, & sumpto a sacerdote (ut mos est Christianorum) corpore Dominico, illudque ore retinens, nec glutire volens, ut iam doctus fuerat, ad unum de iam dictis alvearibus, in quo apes continebantur, accessit, atque foramini quod in eo erat ore adaptato, sufflare cœpit. Nam dictum sibi fuerat, quod si corpore Domini ore retento apibus in vase constitutis insufflaret, nulla deinceps moreretur, nulla recederet, nulla deperiret: sed omnibus integrè conservatis, de augmento fructus multo amplius quam antè gauderet. Fecit igitur ut dictum est, & ore applicito flatum ad interiora toto conatu mittebat. Cúmque avidus lucri anhelitum protrahens vehementer sufflaret, ipso linguæ & aëris impulsu sacrum Dominicum corpus, iuxta vas illud ad terram corruit. Cum ecce omnis illa apum multitudo de intimis egressa, ad corpus Domini sui reverenter accurrit, atque in morem rationabilium creaturarum de terra sublevatum, habitaculis suis cum multa veneratione, homine illo conspiciente, induxit. Quod cernens homo, aut negligens aut parvipendens quod acciderat, ad alia agenda, ad quæ domestica cura eum vocabat, gressum convertit. Sed dum iter ageret, repentino, &, ut ipse post narrabat, intolerabili timore turbatus, se nequiter egisse tandem mente sanior cogitare cœpit. Unde compunctus, immo vi internâ compulsus, mox retro pedem tulit, atque in vindictam sceleris sui apes quarum vitam opere nefario conservare voluerat, super iniecta multa aquæ violentiâ, enecavit. Quibus extinctis, dum intima favorum, quos sibi recondere & conservare volebat rimaretur, ecce, mirabile dictu, conspicit corpus Dominicum, quod ex eius ore lapsum fuerat, in formam speciosissimi pueri veluti cum recens nascitur immutatum, inter favos & mella iacere. Ad quod miraculum ut dignum erat, stupefactus intremuit, sed quid inde agere deberet aliquandiu hæsitans, hoc apud se invenit consilium, ut eum in manibus accipiens, ad Ecclesiam deferret, & quia sibi exanimis videbatur, nullo sciente solus Deum puerulum tumularet. Quod dum aggressus esset, eumque in manibus sumens ad Ecclesiam quasi secretò tumulandum portaret, subitò ab indignè ferentis manibus invisibiliter ereptus, disparuit. Quæ nuper gesta, ipse quidem ita per ordinem proprio presbytero, presbytero autem suo Claromontensi Episcopo, ille vero mihi, ego quoque omnibus illud legentibus scribendo intimare curavi. Nec vero tanti piaculi ex toto in posterum dilata ultio fuit, sed in brevi locus antè populosus, vario casu habitatore pereunte, in solitudinem redactus est.

## CAPUT II.

*De quodam Presbytero divina mysteria indignè tractante.*

ITem in Teutonicis partibus presbyter quidam, dum religiosam agere vitam videretur, & pene quotidie sacra Missarum solemnia celebraret, dumque sibi minus cautè provideret, hostis antiqui insidias incurrit, & in turpem, sed occultam peccati foveam, carnis delectationem delapsus est. Sanctimonialem námque quandam dum in primis gratia visitationis adiret, ad postremum assiduitate colloquij & incautâ familiaritate allectus, miserabili casu in illam incurrit. Qui cũ post lapsum ad cor redire, & quam cito resurgere debuisset, propriis fæcibus delectatus, diu converti distulit, & peccatum peccato adiungens, usum peccandi fecit, sicque longum funem quo arctius stringeretur, assiduè peccando contexuit; Cumque in luto scelerum volutaretur, non verebatur tamen ad altare Domini irreverenter accedere, & sacramenta redemptionis nostræ, Missam frequentius celebrando temerare. Quod cum longo tempore abiecto Dei timore agere non formidaret, iram pariter & misericordiam Domini, ut subiecta declarant erga se mirabiliter persensit. Nam cum & scelus non desereret, & sacra divina impuris manibus, ut sæpe dictum est, attrectaret, contigit quadã die dum usque ad perceptionem sacri corporis Christi, totam de more Missam explicasset, iamque se ad sacramenta ipsa sumenda pararet, repente caro Christi cum sanguine, tam immundum ultra non ferens habitaculũ, ab ipsius iam pene tenentis manibus evanuit. Admirãs ille & obstupescens, ab altari citissime Missa finita recessit. Cumque indignationem Domini, tam evidentis signi ostensione, circa se commotam agnosceret, sed volens tamen hoc certius comprobare, secundo Missam aggressus est. Cui universa ut prius peragenti, cum ad sumenda sacramenta ventum esset, simul omnia ut prius subtracta sunt. Iam vero ut dignum erat in metum & trepidationem non modicam perductus, ut de toties repetito miraculo iã absque ulla hæsitatione certissimus redderetur, tertio quoque quod iam bis contigerat, attentare veritus non est. Sed cum omnibus ut ante peractis, iam sollicitior quæ apposita erant oculis observaret, & manibus contrectaret, usque ad sumendum aptaret: subito oculis, manibus, & ori, tertio invisibiliter sublata disparuerunt. Tandem igitur tam evidenti miraculo tremefactus presbyter, se pessime egisse, seque terribilem iram Domini incurrisse absque ulla dubitatione cognoscens, cor mutavit, & qualiter evadere à tanto periculo posset, sollicitus cogitare cœpit. Ultimũ ergo peccantibus remedium pœnitentiam esse sciens, ad eam toto corde confugit, & proprium Episcopum adiẽs, ei cuncta quæ fecerat, quæque contigerant cum multis lachrymis patefecit, impositúmque sibi ab eo laborem pœnitendi, totò animi nisu tam devote quam constanter exercuit. Ieiuniis namque & vigiliis, verberibus etiam & variis cruciatibus, iumentum lasciviens, hoc est corpus suum, secundum Apostolum, castigans, qui cõcupiscentias suas sequendo reprobus factus fuerat, eas in se ipso damnando, electorum numero adiungi laborabat. In qua corporis ac cordis cõtritione multo tempore emenso, cum eius mentem de veniæ præsumere securior iam conscientia suaderet, adiit Episcopum, & quid egerit indicans, utrum ut ante consueverat ad sacra accedere auderet, consuluit. Qui nondum plene Deo reconciliatum metuens, ut adhuc pœnitentiæ insisteret, admonuit, quatenus dignis pœnitentiæ fructibus Deo exhibitis, purgatior & securior, cõgruo tempore altaris sacramenta non ad iudicium, sed ad salutem percipere posset æternam. Acquievit ille salubri admonitioni, & ad propositum pœnitentiæ reversus, tota carnis ac spiritus virtute, ad fores divinæ pietatis pulsabat, & spiritu contribulato lachrymisque indeficientibus iram Domini in misericordiam converti cogebat. Quid multa? Longo rursus temporis spatio in hac pœnitudine transacto, ad Episcopum rediit, eique ut patri secreto cuncta pandens, ut sacramentorum esse particeps mereretur, humiliter deprecatus est. Cuius conversionem iam Deo acceptam tam ex his quæ ab eo audierat, quam ex his quæ in eo videbat confidens, ut sacerdotale officium aggrederetur, assensit. Quod ille de Domini bonitate & conscientiæ testimonio confisus, non iam præsumptione, sed devotione implere curavit. Accedens itaque ad altare totumque se lachrymis & contritioni cordis immolans Deo, usque ad perceptionem sacramentorum ritè peragens, pervenit. Et ecce novo & inaudito nostris dumtaxat seculis miraculo, trium ante dictarum Missarum panes, qui indigne sumere volẽti sublati fuerant, cælitus allati sunt, eoque iam divino iudicio ad hæc sumenda digno facto, ante eum super altare positi apparuerunt. Cúmque etiam oculos in calicem admovisset, conspexit pene usque ad summitatem sanguine repletum, & illarum

Missarum

A Missarum detrimenta ad istius provenisse augmenta. Admirans igitur & toto hominis interioris iubilo Deo gratias agens, suamque pœnitentiam susceptam, ac Domini maiestatem placatam agnoscens, certus factus est de Domini misericordia, & qui unum apposuerat quatuor panes, immo unum Christi corpus & sanguinem cum multa ut dignum erat, exultatione percepit. Hoc quoque præfatus Claromontensis Episcopus mihi retulit, in præsentia plurimorum.

## CAPVT III.

*De illo † qui Dominicum corpus retinere non potuit, nisi prius factâ confessione.*

† In MS. S.V. *De quodã iuvene, qui corpus D. nisi nõ potuit glutire.*
† K. ū locum.

SEd & illud quod apud eundem locum † de re simili contigit, silendum non est. Erat ibi iuvenis mundanæ vanitati deditus; & ut in illa ætate homines solent, voluptati frena relaxans. Cui cum diu deservi-B ret, contigit eum super quadam maritata muliere infamiæ notâ aduri. Cumque per aliquantum temporis hac suspicione apud vicinos quosque teneretur, accidit, ut incurreret tantam ægritudinem quæ de vita eius homines cogeret desperare. Qui cum lecto decumberet, & iam iamque morti proximus fieret, invitatus est ad eum more Ecclesiastico Presbyter, ut eius confessionem susciperet, & ei morienti viaticum salutis humanæ præberet. Cum vero venisset, hortari eum cœpit & commonere instanter, ut peccata sua confiteri non erubesceret, crimenque illud unde specialiter infamatus fuerat, salubri confessione manifestaret. Acquievit ille, & confiteri scelera sua studiose aggressus est. Quod dum explesset, & rursus super præfato crimine à presbytero interrogaretur, mentitus est, dicens, se inde nullatenus reum esse. Cumque Presbyter diutinâ hominis infamiâ, suspicione actus, ab inquisitione non desisteret, ait ille. Sic, inquit, hoc Domini corpus quod attulisti ad salutem suscipere merear, sicut C huius rei quæ mihi obiicitur aliquando culpam non incurri. Hac presbyter responsione credulus redditus, Dominicam ei communionem iam securus tradidit. Qua ore suscepta glutiendi virtus ægro protinus ablata est. Nam cum paulo ante quibuslibet etiam grossioribus cibis facilis esset ad ima descensus, hoc parvissimum corporis Christi fragmen, non dicam stomachum, sed nec etiam guttur vel paululum attingere potuit. Hoc sentiens ille, niti quantum potuit cœpit, ut illud glutire valeret. Quod dum multoties conaretur, & frustrari semper suos conatus cerneret, coactus ipsa gluttiendi impotentia, iuxta lectum quo decumbebat illud exspuendo proiecit. Cuius rei eventu valde territus, Presbyterum qui discesserat ad se revocari rogavit. Rediit ergo Presbyter, & infirmum revisens, cur se revocasset quæsivit. At ille spiritu Dei agente compunctus, confessus est se male egisse, se Deo mentitum fuisse, verumque quod ante negaverat, esse. Quem cum multo gemitu pœnitentem & satisfacien-D tem, is qui advenerat Presbyter intuens, compassus confitenti & mœrore confecto, eum ut moris est, absolvit, atque rursus Dominico corpore refecit. Quo suscepto, cum tanta illud libertate glutivit, ut vere tunc appareret, non casu, sed virtute divina, ne ante hoc suscipere posset, prohibitum fuisse. Post hanc igitur reatus confessionem, & corporis Christi perceptionem paululum supervivens, in pace quievit. Hoc non à duobus tantum aut tribus testibus didici, sed à Priore iam dicti loci, honesto & fide digno viro, & fratribus eiusdem Monasterij, ac multis aliis quorum quidam se hoc vidisse, alij à Presbytero se audisse testati sunt. Et quia de confessione sermo incidit, quanta in ea sit animarum utilitas, alio adhuc exemplo monstrare curabo.

E

## CAPVT IV.

*De obitu † fratris cuiusdam, & ad ultimum facta confessione.*

† *De quodã fratre, qui peccata sua studiose celavit.*
† Gerbertus.

AD monasterium sancti Ioannis Angeliacensis, quod in Xantonensi pago situm est, Presbyter quidam Gilbertus † nomine ad conversionem venit, atque ibi per aliquantum temporis quo ad vixit, devote conversatus est. Contigit autem non multo temporis elapso, eum ex infirmitate quam incurrerat ad extrema venire. Cumque sicut mos Christianorum est, & maxime Monachorum, in substrato cilicio & cinere à fratribus compositus iaceret, atque horam vocationis suæ expectaret, fratres monasterij ut eius exitum orationibus commendarent venerunt, & eum undique psallendo circumsteterunt. Qui cum ut defungeretur expectarent: ecce subito resumpto spiritu & F apertis oculis, acclamare cœpit professionem fidei quæ quotidie decantatur, hoc est, Quicumque vult salvus esse, & cætera. Et cum prius idiota & imperitus literarum fuisse ab omnibus agnosceretur, ita distincte & aperte singula proferebat, ut à nescientibus si forte adessent, peritissimus in talibus extitisse crederetur. Qua de causa omnes qui astabant stupefacti, eventum rei admirabantur. Qui cum diu admirantes hæsissent, tandem Prior Gregorius nomine, cui præ cæteris hoc incumbebat, vir bonæ religionis, intelligens eum aliquid in occulto vidisse, ad eum se inclinavit, & quæ causa clamoris esset, vel si quicquam quod eos lateret vidisset, interrogavit. Ad quod ille. Vidi, ait, personam reverendæ formæ, candidi habitus & venerandæ caniciei, paulo ante vas cum aqua afferre, mihique dicere. Noveris causam adventus mei ad te hanc esse, ut pedes tuos qui inquinati sunt abluam, & eis ablutis totum te mundatum reddam. Cúmque admirari me super his quæ dicebat cerneret, adiecit. Non nosti, ait, G ad purgationem tui hanc aquam esse necessariam, qui tale quod ipse nosti crimen commisisti, quod de industria celans, nulli hactenus revelare voluisti? Unde scias te nullatenus posse salvari, nisi quod perniciose celaveras, salubriter studeas confitendo manifestare. Deus vero multa sua misericordia, neque pro tanto etiam reatu te perire permittens, ad sensus corporeos te redire permittit: ut de tanto crimine confitendo pœnitere, & pœnitendo salutem consequi merearis. Hac igitur de causa & à vobis absfui, & ad vos redire permissus sum. His ita dictis aliis remotis Priorem advocans, peccatum illud ei confessus est. A quo huius & omnium peccatorum suorum absolutione susceptâ, sequenti die, prima hora diei, astantibus & orantibus fratribus, læto vultu, bono fine quievit. Hoc non ab alio, sed à monacho eiusdem monasterij, Lecto nomine, qui hæc omnia viderat & audierat, agnovi. Hic enim postea Cluniacum gratia devotionis veniens, scriptor noster & filius in Christo charissimus fuit.

## CAPVT V.

*De alterius cuiusdam ficta confessione.*

† *al.* Erat pene eodem tempore in Monasterio quod apud Turrim super Maternā est, quidā frater, cui cura eiusdem Monasterij à Cluniacens. Abbate, cuius iuri subditū est, commissa fuerat.

H

ERat † pene eodem tempore frater quidam in monasterio quod in Francia apud Turrim super Maternam sub iure nostro est, cui cura eiusdem loci commissa fuerat. ] Qui diuturnæ ægritudinis necessitate coactus, Rodulfum tunc Abbatem monasterij Catalaunensis propter medelam tam animæ quam corporis, quarum ille rerum non ignarus erat, ad se venire rogavit. Ad quem ille caritate provocatus venire non distuli: & veniens mox ægrum visitare curavit. Cúmque non mediocriter eum gravari infirmitate cerneret: hortari eum ad confitendum cœpit. Quod ille se libenter

agere

A agere professus, confiteri peccata sua, sed non in fine, hic eo spiritus, aggressus est. Nam graviora & nonnulla stulto pudore reticens, quotidiana tantum & quæ levia videbantur, timore Dei postposito fatebatur. Qua palliata confessione completa, corpus Dominicum sibi afferri deprecatus est. Quo allato, & præsumptuoso ore suscepto, cum diu multumque illud traiicere conaretur nec valeret, cum vino quod susceperat frusta omnia comminuti corporis Christi in vas, quod ori eius suppositum fuerat, refundere coactus est. Hoc casu, immo divino iudicio Abbas qui advenerat permotus, & ægrum non plene confessione purgatum ratus, rursus eum admonere cœpit: ut si aliquod facinus reticuisset, verâ sibi confessione revelare non erubesceret. Qui & hortatu eius & divino instinctu compunctus, ad cor reversus est, & quicquid pestis intus latebat evomens, crimina quæ B ante lethali pudore celaverat, vitali & vera confessione, non iam ficte, sed veraciter corde contrito & humiliato patefecit. Cumque omni fæce iniquitatis per antidotum pœnitentiæ purgatus fuisset, & vera confessione per Abbatem prædictum absolutionem meruisset: Eucharistiam quam prius reiicere compulsus fuerat allatam devote suscepit, & absque ulla difficultate ut sanctissimus aliquis deglutivit. Et ut de miraculo omnis dubitatio tolleretur, qui particulam corporis Christi quam deglutire non potuit, reiicere per culpam compulsus fuerat: post confessionem non solum corpus Domini, sed etiam cibos alios absque ullo impedimento suscepit. Sic igitur confessione, absolutione, sacramenti susceptione frater ille in Domino confortatus: tribus postea tantum diebus supervixit, & sic defunctus est. Hoc ab eodem Radulpho Abbate cognoscens, cunctis legentibus vel audientibus communicare curavi.

C

## CAPUT VI.

*De illo qui per veram confessionem liberatus est à diabolo.*

AD Id idem iam videtur illud non contemnendum non etiam quod ipse cum pluribus, ut sequentia docebunt, conspexi. Causa fuit satis omnibus illius temporis hominibus nota: qua cum pluribus nostrorum Romam adij. Rediens inde, Romanas febres satis acerbas mecum retuli. Pro quibus curandis fuit consilium, ut patrium solum & nativum repeterem aerem. Ea de causa Celsinanias nobile Cluniacense Monasterium petij: atque ibi totam quadragesimam, longe molestiorem febrium ardoribus, quam ieiuniorum laboribus transegi. Interea dum in sequestrata domo, toto illo tempore decumberem: ecce cuiusdam fratris infirmi in inferiori & proxima domo iaD centis clamoribus pene continuis excipior, & de die in diem magis magisque molestor. Vociferabatur sane in primis, quæcunque turbato morbis animo confuse occurrere poterant. Ad postremum vero hoc unum semper & solum, absque aliqua interpolatione, toto annisu inclamabat: Et ô fratres, quare non succurritis? Cur non misereminí? cur non removetis à me maximum & terribilem, ut verbo ipsius vtar, runcinum istum, qui posterioribus pedibus contra me versis, calcibus caput meum conquassat, faciem dissipat, dentes conterit? Removete Domini, removete eum: rogo vos per Dominum removete eum. Et conversa voce ad eum, quem in forma equi conspiciebat, dæmonem, cunctis audientibus loquebatur: Verba autem eius quantum imitari valeo, dicturus sum. Per Dominam meam sanctam Mariam matrem Domini, & per sanctos Apostolos adiuro te, ne me torqueas, sed me in pace dimittas. Fuerat autem idem frater ante conversionem miles secundum seculum strenuus, inque in monastico ordine per multum

E temporis satis notus bonæ vir fidei, & in quantum hominibus notus esse poterat honestæ conversationis. Pertuli utcunque voces has per totam fere quadragesimam: quo toto tempore, nec ipse a clamore cessavit, nec mihi propter infirmitatis incommoditatem, eum adire facultas fuit. In huius autem clamoris continuatione, Paschalis advenit solemnitas. Qua transacta, cum iam aliquantulum convaluissem, adhuc tamen æger ad ægrum accessi, & quid sibi in tam diuturna vociferatione vellet, requisivi. Ad quod ille respondit: Runcinus ille, ille certe, ille mihi intolerabiliter molestus est. Vultum meum assiduis ictibus conterit, & inter hæc ostendebat quasi digito locum: murum scilicet cui ipse adhærebat. Interea videntibus quam plurimis qui mecum astabant, cœpit caput huc illucque convertere, & quasi à ferientis ictibus subducens, nitebatur illud in pulvinari vel desubtus abscondere. Miserabamur hominis angustiis, nihil aliud F præstare valentes. Afferri itaque benedictam aquam præcepi, infirmum ipsum & locum quem ostendebat eadem aspersi, post aspersionem verò, utrum dæmonem illum adhuc videret, quæsivi. Qui se illum & videre, & solita ab eo pati denuntiavit. Sed ne miretur aliquis benedictæ aquæ aspersione dæmonem non fugatum, agnoscat, tabe interius latente, unguenta exterius adhibita nihil proficere posse. Tabẽ autem voco lethale peccatum, quod quandiu in interioribus cuiuslibet latuerit, nullius exterius sacramenti perceptio ei prodesse poterit. Quod in præcipuis Ecclesiæ sacramentis, videlicet baptismate & corpore Domini, aperte ostenditur. Si enim malitiâ interiore manente salvate ista possent, nec Iudas post acceptum cum aliis discipulis corporis Christi Sacramentum laqueo se suspenderet, nec Simoni Mago iam baptizato Petrus diceret: Non est tibi pars neque sors in sermone isto: In felle enim amaritudinis & obligatione peccati, video te esse. Sicut enim sacramenta fidei, ita & opera G fidei servari Christus præcepit: ut in hoc eodem baptismatis sacramento agnoscere datur, quod institutor eiusdem sacramenti declarat. Qui enim dixit, *Ite, docete omnes gentes: baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti,* ipse subiunxit, *docentes eos servare omnia quæcunque mandaui vobis.* Vtrumque ergo mandavit, utrumque servari voluit: neutrum sine altero ad salutem sufficere posse monstravit. Sic æger iste & aqua salutari potuit aspergi, & tamen propter occultam, ut pòst apparuit, peccati labem, non potuit à dæmone liberari. Quod statim ut adverti, cum ut studiose præteritam vitam suam perscrutaretur, & siquid noxium maximè de gravioribus in ea recognosceret, confiteretur, hortatus sum. Hoc postquam concessit, remotis aliis & duobus tantum mihi adhibitis, ante illum consedi: & cruciculam ligneam cum imagine Domini, ut magis ad confitendum animaretur, H donec omnia consummata sunt manu tenui. Confiteri ergo cœpit: & confitendo aliquamdiu processit. Et quia multa infirmitas ordinem verborum eius aliquando perturbabat, iuvabam eum interdum: reducendo ei ad mentem, quæcunque animo occurrere poterant. At ille modico meo adiutorio confestim resumpto ordine, quod cœperat, exequebatur. Cumque plurima explicuisset: & iam ad alia explicanda pergeret: ecce rursus avertere faciem & huc illucque convertere, atque, ut iam dixi, sub pulvinari aliquando nitebatur abscondere. Cumque quærerem, quid ille incompositus gestus sibi vellet, ecce ait Domine: ille qui semper mihi adest runcinus solito acrius instat, & toto nisu calcibus dentes, ac totum caput meum conterit. At ego. Insta ergo & tu frater: malignus spiritus est, impedire festinans salutem tuam, quem si persistiteris, vinces. Mox ille ad propositum confessionis reversus, devotius quam cœperat confitebatur, nihil quod occurrere posset, tam de seculari quam de monastica vita prætereriens. Cum ecce subito in ipso narrationis progressu, nova querela exoritur: & vox infirmi mecũ loquentis

Mat. ult.

ad

A ad nescio quem alterum dirigitur. Quid, inquit, me impedis? Quid verba mea intercidis? Aut dic quod dicere volo, aut me dicere sine. Cum verò interrogarem cui vel quare ista loqueretur, respondit: Astat capiti meo vir prorsus incognitus, à quo omnia quæcunque malè gessi, narrari audio; Sic tamen illa memorat, ut me illa proferre non sinat: Vera quidem dicit, sed me ea volentem loqui impedit. Ego & hunc dæmonem esse dicens, ne à proposito desisteret, exhortabar. Ille autem denuo ad priora rediens, ad finem cœpta perducere nitebatur. Sed mirum erat spectaculum cernere; quoties ille verba mutare coactus, nunc mihi peccata sua confitens loquebatur, nunc de dæmonibus aliquando verbis, aliquando verberibus os eius obturare laborantibus, conquerebatur. Quandoque namque runcinum sibi calcibus os contundere, quandoque assidentem capiti suo dæmonem verba intercidere, multo cum gemitu & suspiriis fatebatur, B Fere enim nisi fallor quadragies hæc confessionis interruptio à dæmonibus facta est. In tantum pertinax hostis & more sibi solito humanæ perditionis avidus, mecum pariter & cum illo certabat. Productum est hoc nostrum prælium, ab hora diei prima usque ad horam tertiam. Tunc plane hora illa qua maximè se hominibus infundere spiritus Dei solet, eiusdem spiritus auxilio vicimus. Vicimus nos inquam, sed rectius ille vicisse dicitur, sine quo malus spiritus nunquam vincitur. Vicit certè nequàm hostem divina miseratio, & egregiam præteritæ vitæ suæ memoriam atque animositatem proferendi, fratri in extremis iam agenti concedens, perfectam ei purgationem per plenam confessionis satisfactionem largitus est. Et miranda, sed multò magis veneranda atque diligenda supernæ pietatis erga miseros affluentia, quæ ante fratrem illum mundo excedere non permisit: donec quod verè ob- C stare ei ad salutem æternam posset, per pœnitentiæ & confessionis remedia indulsit. Quantæ verò memoriæ in confessione fuerit, ibidem etiam tunc probavi. Dixit enim se ante plures annos altare benedictum cuidam fratri commisisse. Vnde hac occasione utrum bene memoria vigeret, certificari cupiens; altare illud à fratre quem nominarat perquiri feci. Quod post inquisitionem, ab eodem, cui commissum fuerat, mihi allatum est. Confessione ergo completa fratres advocans, ægrum, ut moris est, absolvi: pœnitentiámque pro eo fratribus, si ille defungeretur, indixi. Quam absolutionem multa cum devotione frater ille suspiciens, crucem sibi à me oblatam supplex adoravit, atque salutiferæ passioni Domini animam corpúsque suum intentissimè commendavit. His omnibus expletis: coram cunctis tam monachis, quàm laicis qui astabant, interrogo: quid de runcino illo sæpe nominato, de quo toties questus fuerat diceret: vel si eum adhuc, ut prius, videret. At ille, quasi cum multo timore elevans caput, & oculos velut iam iámque feriendus ad D locum solitum dirigens; indéque ad alia vicina loca circunducens, subito gaudio obortis lachrymis ait, Per animam Patris mei non comparet. Cumque & de illo pessimo consiliario, qui capiti eius tamdiu adhæserat, requirerem: etiam ad eundem locum ubi ante illum conspexerat, intuitum reflectens: & iste ait, Abscessit. Gratias omnes toto corde egimus Deo, qui salvat sperantes in se. Exinde vero studiosius eum observari, propriis deputatis custodibus, mandavi. Nec fuit qui postea eum saltem in modico clamantem audiret: cum antea fratres in illa domo iacentes, eius fatigati clamoribus quiescere non valerent. Interrogatus frequenter à fratribus & etiam à famulis, utrum aliquid illorum videret quæ prius viderat: nihil triste se videre, nihil prorsus molestiæ pati affirmabat. A me ipso de istis postea interrogatus, omnia sibi læta & pro voluntate esse, respondit. Toto illo die cum subsequenti nocte postea supervixit sequenti circa sextam in pace vitam finivit: bonam spem salutis suæ & exemplum veræ pœnitentiæ nobis derelinquens.

E

## CAPVT VII.

*Quomodo dæmones aqua benedicta fugati sint.*

QVia vero † in serie huius miraculi narravi, aquæ more Ecclesiastico benedictæ aspersione, dæmones causa latentis peccati minimè effugatos †: ad rem pertinere videtur, quid de eadem re in eodem Cellensi monasterio contigerit, in medium proferre. Veneratad eundem locum infirmitate carnis urgente laicus quidam, & ut fieri solet monachico habitu à fratribus indutus, seculo renuntiaverat. Faciunt hoc multi etiam in extremis constituti, qui licet eorum, quos nulla corporis molestia ad hoc impellit, laudem minime consequi videantur: numero tamen mona- F chorum si ex corde convertantur, ante æterni iudicis oculos nullo modo excluduntur. Et quamvis maioribus meritis maius debeatur & præmium: nummum certe quem à prima hora diei in vinea Domini laborantes meruerunt, ad undecimam quoque venientes acceperunt. Nec enim præiudicat modus conversionis devotioni cordis: nec quæritur apud Deum qua ex causa quisque conversus, sed post conversionem qualiter fuerit conversatus. Sed nec quantitas diuturni vel parvi temporis attenditur: ubi solus finis operum remuneratur. Susceptus ergo hoc modo iam dictus vir, & ad domum infirmorum delatus: per aliquot dies inter vitæ mortisque confinia laborabat. Nocte itaque obitus sui diem præcedente, in lecto iacebat, & velut morti iam proximus à duobus famulis per vices sibi succedentibus custodiebatur. Et quoniam subsequens narrandi ratio eorum nomina proferri cogit, unus ex his Stephanus, alter Olivus dicebatur. Illa igitur no- G ctis vigilia qua iam à nominato Stephano asservabatur: eundem sibi invigilantem famulum æger ille vocavit. Qui cum ei astans quid sibi vellet quæsisset: qui sunt (inquit) rustici isti deformes & rostrati, quos huc confluere & paulatim totam hanc domum implere video? Ad quod cum famulus respondisset: Neminem in domo illa haberi, se tantum cum socio ei excubare: admirans ille adiecit; Non cernis ait, tetros homines omne iam huius domus spatium complevisse? quorum horrenda species & rostris longissimis facies exacutæ, terrorem mihi non parvum important? Tunc demum famulus intellexit (ut sæpe postmodum ipse mihi narravit) non hominum, sed malignorum spirituum hanc esse frequentiam. Vnde alta voce socium Olivum, ut surgeret inclamans, vas quod fortè cum aqua benedicta in proximo dependebat, fide plenus arripit, & sanctificatum elementum huc illucque confidenter aspergens, omnia illius habitaculi loca infudit. Hoc dum faceret, clamare ille fortiter cœpit. Eia, inquit, eia, fac quod facis: insta, perurge adversarios, quoniam ecce velut à facie gladij fugientes summa cum celeri- H tate exire contendunt; & quia moras patiuntur, in alterutrum impingentes, primos hi qui sequuntur, violenter impellunt. Quo ille audito, instare acriter, & aqua benedictionis, filios maledictionis à domo excludere contendebat. Quibus penitus (ægro qui hoc solus cernebat testificante) exclusis, & ille à dæmonum infestatione liberatus est, & quantum ad similia valeat salutaris aquæ cum fide aspersio, demonstratum est. Die vero subsecuta, fratribus huius visionis relatione lætificatis, in bona confessione novus ille monachus obiit: & in illa dæmonum fuga susceptam à Deo conversionis suæ devotionem omnibus persuasit.

† *al.* Et iuxta.
† fugatos.

CAPVT

## CAPUT VIII.

*De Gerardo puræ & [illegible] monacho.*

IAm incidenter, sed necessario his interpositis, ad proposita me reverti assumpta principaliter materies cogit. Unde illa quæ de magnifico & supercœlesti Christi corporis Sacramento [illegible] adhuc dicenda sunt, ultra differenda non sunt. Fuit quidam [illegible], cum [illegible] Gerardus nomine, magni illius Cluniacensis Monasterij magnus & ipsæ vitæ merito monachus fuit. Hic a pueritia [illegible] habitu ad pedes memorandi sancti Patris Hugonis educatus, virtutum eius imaginem [illegible] expressam ostendit. Nam quod [illegible] difficile est, in medio [illegible] constitutus, & [illegible], iuveniles annos absque castitatis [illegible] †. Certans enim quippe lasciviam innato pudore abhorrens, maturis clericis sive Monachis [illegible]rebat. Quorum cohabitatione ad perfectum honestatis amorem informatus, ad Ecclesiastica quoque [illegible] frequentanda & amanda, paulatim [illegible]. Unde contigit [illegible] cum ætate [illegible] divinum amorem conciperet, ut præ cæteris virtutibus, hic arctius eius sinum [illegible]. [illegible] & [illegible] studiis toto pene adolescentiæ tempore decurso, à iam dicto [illegible] Patre Hugone in monachum susceptus est. Qui habitu religionis indutus, secundum se exuisse, bonis [illegible] demonstrabat. Puræ [illegible] Domini dictum, *[illegible]*. Immutabilem memoriæ patientiam conservabat: quem si irasci contingeret, [illegible] permittebat. Nil simulare noverat: sed qualis interius existebat, [illegible]. [illegible] Divina [illegible] ut eius pene universa verba vel facta diligenter considerantibus, nil aliud quam cœlestem [illegible]. [illegible] Gerardus [illegible] somno coactus, vel cogitationibus avocatus, de prol[illegible] terminaret. Cumque nihil psalmorum, nihil reliquorum officiorum os eius [illegible], intellectum quoque [illegible] Deo [illegible] iuxta Apostolum spiritu & mente psalleret. Religiosis [illegible] exterioribus [illegible] in multorum Prioratuum administratione, & subditis nobis, & ceteris quibus innotescere potuit, carus erat. Obedientiæ singularis [illegible] tanto eam [illegible] colebat, ut nefas duceret, si vel in modico nutum iubentis excederet. Expertus sum ipse magnam in hac virtute eius constantiam: cui cum sæpe gravia, & quæ aliis vix iniungere auderem, facillime imponerem; alacriter iniuncta suscipiebat, & alacrius adimplebat. Romam quodam tempore pergens, illo illuc iter meum comitantibus, Senam quæ de præcipuis Thusciæ urbibus est, hospitandi causa diverti. Die sequenti maturius hospitari cupiens, ante lucis exortum iter arripui. Cumque iam duo fere milliaria ex urbe progressus peregissem, subito post nos vocem currentis equitis velut à longe audivi: eaque audita substiti. Qui cum ad nos se sustinentes pervenisset, insidias nobis in via a [illegible] Conrado quodam [illegible] paratas narravit: eaque de causa reditum persuasit. Quo [illegible], ego quidem cum sociis [illegible]. Gerardum vero [illegible] obediendum [illegible], ad [illegible] exigente necessitate direxi. Recedens ille a nobis, nondum plene sex viæ (ut arbitror) milliaribus expletis, insidiantes incurrit. A quibus comprehensus, rebus omnibus ablatis ad deserta & prærupta montium violenter abductus est. Ubi in altissima turri conclusus, multaque incommoda perpessus: postquam periculum [illegible] evasit, se aliquid propter obedientiam passum fuisse, gavisus est. Super omnia vero [illegible] altaris Sacramentorum amorem, corpori virtutum [illegible] velut quendam verticem imponebat: quo vehementi cordis annisu in alta sublato, ipsa quoque cœli intima penetrabat. Quis enim facile referre valeat, quam elato ille fidei oculo Iesum Dominum sub velamine Sacramentorum non velatum admirabatur, sed revelatum contemplabatur? Nullam intellectui eius species exterior caliginem inferebat, sed velut cum Apostolis in terra gradientem, cum beata virgine in cruce pendentem, cum Maria Magdalena a mortuis resurgentem, intuitu spirituali cernebat. Contulerat ad hoc sacri corporis & sanguinis Christi mysterium totam spem suam, & quotidianâ pene oblatione pro suis ac totius mundi peccatis Filium Patri sacrificans, se quoque ipsum multa cordis devotione & lacrymarum profusione pariter immolabat. Videres eum assistentem altari, profundo plerumque fletu totum concuti, verba singultibus interrumpi, gravibus pectus suspiriis urgeri cerneres: ut intelligi daretur prorsus ab humanis alienatum, ad divina sublevatum, non tantum mente, sed ipso pene corpore sic in cœlestibus conversari, ut de illo etiam à Domino dictum videretur, *Qui manducat carnem meam, & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in illo. Et qui manducat me, & ipse vivit propter me.* Et alibi: *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Quam vitam ne quis putaret temporalem, rursum ait: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* His Domini nostri promissionibus, vitam in his se inventurum certus æternam, insatiabili (ut sic dicam) aviditate, pani cœlesti noster hic Gerardus inhiabat, & beatam animæ suæ esuriem pastu quotidiano recreabat. Istis bonorum operum exercitiis a prima iuventute ad ultimam usque fere senectutem perductis, tandem dignus habitus est, cui aliquid secretorum suorum Dominus revelaret. Quod in his corporis & sanguinis sui mysteriis ideo singulariter agere voluit, ut & eorundem Sacramentorum veritatem ostenderet, & hunc de quo loquimur, non frustra in his spem suam posuisse monstraret. Unde & animi eius affectionem sibi bene acceptam fuisse ostendit: quando enim congruente eius devotioni miraculo, tam magnifice decoravit. Testis huius tam admirandi miraculi ipse est, cui utrum credi debeat, vita præcedens & finis subsequens declarat. Non tamen eorum spontaneus relator extitit: sed a me secreto adiuratus, quod prius quasi sub alterius nomine dixerat, sibi revelatum fuisse indicavit. Et ne aliquis in corde meo scrupulus remaneret, licet de verbis eius simpliciter prolatis in nullo dubitarem: quod de visione aperuit, nominis Dei & Christianæ spei interposita testificatione confirmavit. Extorsit tamen à me prius secreti fidem; ut quoad ipse viveret, alto illud silentio conservarem. Sed eo iam à vita præsenti morte carnis exempto, oportet ea propalari ad Dei gloriam: quæ ille dum vixit ad sui voluit celari cautelam. † Habetur in Cabilonensi Episcopatu villa quæ Bellus mons dicitur, ad ius Cluniacensis monasterij spectans, ubi in honore beatæ Dei genitricis & Virginis est Ecclesia: ob eiusdem singularem memoriam, singularem (ut à multis comperi) orandi dans gratiam. Sunt ibidem & domus parvæ paucis ad manendum monachis satis congruæ. Erat tunc ibi circa natalem Domini iam dictus venerabilis Gerardus, & studiis supra vires infatigatus instabat. Advenerat circumcisionis Dominicæ sacratus dies, & ille nocturnis vigiliis devotè expletis, ad diurna se officia devotius implenda parabat. Ventum est ad Missam, & more suo vestibus sacris

exterius

† alias [illegible]

Ioan. 1.

Ioan. 6.

† In MS. S. V. aliud hic incipit Cap. cũ hoc titulo, *Narratio primi miraculi eidem ostensi.*

A exterius paratus, interius spiritu & fide repletus, ad altare accessit. Cumque cæteris expletis ad Canonem pervenisset, & verba divina, panis & vini substantiam in Christi carnem & sanguinem commutantia consummasset, paululum ante Dominicam orationem forte oculos ad sacra ipsa convertit. Et ecce stupeo referens: formam quidem panis quæ in altari poni solet non vidit, parvum vero puerulum manibus & brachiis more infantiæ gestientem pro eo conspexit. Hæsit itaque conspiciens debito timore turbatus, & nesciens quid ageret, ad invisitatum & cœleste spectaculum tremens admirabatur. Legi olim quædam his ipsis similia, sed dignatio aliquid nostro incrementi ostendit, propter quod nihil in hac inveniretur æquale. Nulla enim ætas præterita hoc conspicere meruit, quod nostris diebus auctor horum Sacramentorum Deus Gerardo nostro videndum concessit. Necdum hoc stupefactus mirareiur, convertens oculos ad latus altaris, B conspicit mulierem honestissimæ formæ, & vt intellectu conceperat, beatam semper Virginem eiusdem Dei pueruli matrem, diligenter eum & velut materna custodia multa cum reverentia observantem. Iuxta quam cernit angelici decoris virum, immo, vt vere erat, a Deo missum Angelum, cœlestibus Sacramentis pariter cum illa altari astantem. Quantum in corde illa cernentis tunc primus accreverit timor, quam multiplicatum fuerit gaudium, qualiter cor eius & caro eius exultaverunt in Deum vivum, nec ego scribere, nec ille mihi potuit referre. Additur adhuc inaudito miraculo testimonium Angelicum, & eum quem altari videbat assistentem, audit sibi Angelum dicentem. Verba ipsa mihi ab eo sæpe relata, nihil plus minusve continentia, dicturus sum. Quid, inquit Angelus, miraris? hic puer quem conspicis, cœlum gubernat & terram. His dictis, cælestis visio abscessit. Post hoc dum rursum oculos ad salutaria Sacramenta reduxisset, infantem iam videre non potuit. Sed panis speciem vt prius fuerat, altari superimpositam vidit. Hoc tanto miraculo dignus habitus, & eodem Christi corpore quod C conspexerat satiatus, missam supernæ gratiæ muneribus donatam ille Dei presbyter consummauit. † Et ne forte venerandus vir tanta visione minus dignus ab aliquo fuisse putetur, quidam non quidem huic miraculo simile, sed tamen non vile per hunc gestum, referendum esse videtur. Regebat aliquando, quod Nivernis habemus, Sancti Salvatoris Monasterium sibi a sanctæ memoriæ Patre Hugone commissum. Orta est lis inter eum & quendam suum Præpositum, pro qua, die agendi constituta, ad causam vterque convenit. Aderat multitudo nobilium, clericorum, & Monachorum non paruus numerus, vulgarium vero constipatio vniversa replebat. Assedit Prior Gerardus inter medios, reliqui eum vndique ambierunt. Venit & cum suis Præpositus, contra illum causam acturus. Aderant electi iudices, qui vtriusque actione audita, litem iudiciario ordine dirimerent. Rem de qua agebatur nulla nominare necessitas cogit, erat tamen Ecclesiastica, multumque vsibus Monasterij necessaria. Hanc ille, quem dixi, Præpositus quoniam valde lucrosa videbatur, summo studio sibi vendicare conabatur. E regione Gerardus non acquiescebat, quoniam ad ius sibi commissum Monasterij hanc pertinere sciebat. Data est Gerardo loquendi copia, & coram cunctis qui ade- D rant, vt religiosum decebat, causam suam aperuit. Qui postquam finem dicendi fecit, is qui ei adversabatur falsa esse quæ ab eo dicta fuerant, exclamauit. Iussus post hæc à iudicibus venire, & ea quæ dixerat comprobare, propius accessit, & iterans quæ dixerat cœpit temeritate se vera dicere confirmabat. Cumque instaret, rursum ei iudices præceperunt, vt secundum morem regionis illud quod ipsi vocant gadium †, rei videlicet ab eo probandæ argumentum, manu propria in eiusdem Gerardi Prioris manu poneret. Qui velut ex bona conscientia audacter gadium in manu eius ponens, ait: huius, vt dixi, rei ego testis

E sum, aliis quoque testibus vel duello id ipsum probaturus. Sed quia, vt scriptum est, falsus testis non erit impunitus, postquam hæc verba protulit, cunctis qui ad audiendam causam illam convenerant cernentibus, retrorsus ruit, & illico expirauit. Tremefacti omnes surrexerunt, & rem à Deo iudicatam videntes, nihil vltra iudicare præsumpserunt. Nam quidam ex illis prius etiam mentitum illum pro certo mentiri noverant, plurimi suspicabantur, nec vero universi pariter cognoverunt Deo hunc mentitum fuisse, quem eius iudicio post prolatum mendacium tam subito contigit interisse. In hoc miraculo licet vltrix mendacij divina veritas magnifice claruerit, cuius tamen meriti Gerardus videri possit, iniuriam eius vindicando monstrauit. Manebat alio tempore in loco Cluniaco proximo, qui Altum-iugum vocatur. Sumpsit autem idem locus nomen ab altitudine, qua omnem circumiacentem terram transcendit. Est enim mons altissimus eiectus in vertice montium: ipsas F sæpe nubium globositates, quando humida qualitate gravatæ ad altiora conscendere nequeunt, sub se conspiciens, vnde & Italiæ Alpes videri, & maxima pars subiectæ Galliæ potest conspici. Elatus ergo multo in aëra spatio mons, & syluarum densitate circumseptus, ventis inclementioribus continue patens, nivibus diuturnis expositus, ascensu & descensu difficilis, popularem habitationem à se longe remouit, & remotiora quærentibus nil vltra se quærere sui solitudine permisit. Vnde & monachos tantum ad inhabitandum suscepit, quos nec multos esse sui ariditate permisit. Hunc locum Gerardus per diversas mundi partes obedientia compellente diu fatigatus, circa finem vitæ suæ velut emeritus missione à me impetrata, suscepit. In quo cum paucis fratribus & ipsis DEVM timentibus, divinis operibus solito studiosius occupatus, orationi insistebat, lectioni vacabat, frequenti sacrorum verborum collatione ad divinum amorem vehementius se accendebat. Sobrio victu contentus, si quid forte in his aliquando deliquerat, parcitate præsenti expiabat. Cuius omnibus mundi huius exitus, tanto spiritualibus desideriis Deo fiebat propinquior, G quanto ab humanis actionibus factus erat remotior. Ecclesiasticis officiis semper quidem, vt supra dixi, devotus extiterat: sed tunc eis maximè totis mentis affectibus & corporis viribus devotissimus insistebat. Altaris sacris pene iugiter assistens, mirabile illud totius mundi singulare præsidium, corpus scilicet & sanguinem redemptoris, inenarrabili mentis devotione, & quotidiana Missæ celebratione super omnia perolebat. Diurno tempore sic consummato, nocturnas quoque vigilias observabat, & ne intempestivè fratres surgerent, sollicitus providebat. Quas semper aut sæpe ipse præveniens, multam noctis partem lachrymis & orationibus exigebat. Quo tempore frequenter in eadem Ecclesia voces cuiusdam cœlestis melodiæ se audisse & mihi retulit, & quibusdam aliis qui postea id nobis dixerunt, narrauit. Nec mirum. Illorum enim est audire cœlestia, quorum aures dedignantur audire terrena. Tanto enim magis sensus humani, quæ supra se sunt percipiunt, quanto minus, his quæ infra sunt, dediti sunt. Tali Gerardus certamine certans, tali vitæ suæ cursui indefessus insistens, tandem palmam victoribus debitam, brauium perseueranter currentibus H promissum adeptus, beato in eodem loco fine quieuit. Qui à vita præsenti subtractus, vitæ se iam æternæ participem, non multo post mortem suam elapso tempore, aperte monstrauit: & veram esse Apostoli sententiam, qua dicit, Quæ enim seminaverit homo, hæc & metet, in seipso comprobauit. Nam quia, vt sæpe iam dixi, totam spem suam in corporis & sanguinis Christi sacramento, cum bonæ conscientiæ testimonio collocauerat, ostensum est per eum iam defunctum aliud de sæpe nominando sacramento miraculum, quo & spes eius non

Marginal notes (left column): † aliud item cap. hic in cit. in MS. sub hoc tit. Item M. [illegible] de eod. m. Monacho. — † Vuadium.

Marginal note (right column): Item [illegible] MS.

A irrita fuisse probaretur, & fides audientium firmaretur.* Nondũ post obitũ ipsius dimidius fluxerat annus, cum fratri cuidam, quem quia adhuc superest, nominare nolo, visio memoranda apparuit. Videbat, & ecce dæmon parui & nigerrimi Æthiopis specie assumptâ, lecto eius astabat. Qui portentuosa deformitate terrorem conspicienti intentans, manuum formam per aurium foramina emittebat, igneam linguam de baratro putidi oris eiectam, in immensum protendebat, qua totum corpus fratris illius lingendo, se carnes eius prorsus consumpturum esse dicebat. Tremens ille ad aspectum dæmonis, nil aliud quàm mortem iam iamque absumendus præstolabatur. Cumque intolerabili horrendæ visionis terrore turbatus nihil vltra remedij se habiturum speraret, ecce Gerardus constanti animo & splendido, vt frater ille asserebat, vultu ei astitit, & Æthiopem illum manibus comprehensum ad terram elisit, ac guttur nefandum viriliter pede compressit.

B Qui dum fortiter captivum hostem premeret, ille velut ex violenta compressione, nec nominandum caput ad instar magni cacabi inflans, linguâ flammigerâ, quasi aratro terram proscinderet, circumposita comburebat. Cuius spectaculi horrore iam pene extra se factum, prædictum fratrem Gerardus alloquitur. Vis, inquit, à dæmone hoc liberari? Ad quod cum frater velle se omnibus modis respondisset, adiecit ille. Si, inquit: vis liberari, perge ad Abbatem, & vt quendam fratrem cui fabrile officium est ad se accersiat, ei ex mea parte dicito: à quo sollicitè inquirat, vtrum aliquando de veritate corporis & sanguinis Domini dubitauerit, & quid ei ad tollendam eandem dubitationem offensum fuerit, & qualiter fides eius illa revelatione confirmata sit. Quæ postquam cognouerit, litteris mandare studeat, quoniam sicut fratri illi profuit hoc vidisse, ita multis proderit audivisse. Placet enim Deo conversatio fratris illius, nec pati voluit huiusmodi tentatione labores illius deperire. Hæc si Abbati te dicturum promiseris, continuo ab hoc dæmone liberaberis. Quo rursum spondente, Gerardus dæmone in fugam compulso, fratrem ab eius infestatione eripuit. Qui à somnio consurgens, postquam ad se rediit, tandem se verè mortem euasisse testatus † est. Pauci post hoc transierant dies, & frater

C cui hoc ostensum fuerat ad me veniens, cuncta quæ supra retuli narrauit. At ego nullam adhuc fidem somnio præbens, de fratris illius qui indicatus fuerat totus relatione pendebam. Quem ad me non nomine, sed artis ac vitæ indicio manifestatum accersens, vtrum aliquid dignum memoria de corpore Domini vidisset, secreto quæsiui. Qui cum aliquamdiu velut peregrinatione † attonitus siluisset, me in virtute obedientiæ ne sibi ostensum verbum absconderet præcipiente, tandem vniversa aperuit. Longo, ait, tempore super huiusmodi re antiquus hostis fidem meam tentando vehementer aggressus est, & penè ab statu suo, nisi gratia Dei invisset, concussit. Quam tentationem multum, & supra quam dicere possim mihi molestam cum diu tolerarem, & ea de causa quantumlibet in religione laborem meum me amisisse putarem, cumque iam in desperationem labi me pusillanimitas cogeret, ad beatam Dei genetricem vltimam spem contuli, & vt à tanto malo miseram animam meam eriperet, totis animi nisibus rogare cœpi. Necdum ab inceptis precibus quindecim exacti fuerant dies, & ego ante maius

D altare maioris Ecclesiæ mihi astare videbar. Super quod velut vnius anni puerulus residens, me ad se accedere præcipiebat. Cumque illi appropinquassem, vt panem sanctum, quem manu prætendebat, ore susciperem, admonebat. Quod vt expleui, adiecit: Accipe, ait, me, & in brachiis tuis per huius Ecclesiæ spatium defer. Hoc ego licet cum multo timore aggressus, eum in manibus suscepi: & ab ipso altari vsque ad extremum chori exitum, multa cum reverentia portaui. Ab illo die ita cor meum omni qua vexabatur tentatione vacuatum est, vt nec vestigium

E in eo præteritæ conturbationis remaneret, fidemque salutaris sacramenti inconcussa stabilitate retineret. His à fratre illo auditis, vltra de visione dubitare non potui: quando sic in omnibus concordes vtriusque revelationis relatores inveni. Nam quicquid ille prior de fratre altero à Gerardo audierat, hic totum vltimus suo ipsius testimonio confirmabat. Cumque præcedens nihil de sequentis cogitationibus sciret, ac subsequens prioris visiones penitus ignoraret, alter alterius revelatione penitus fidem fecit: quia & ille huius tentationes aperuit, & iste illum vera vidisse ex sua confessione omnibus patefecit.

F

## CAPVT IX.

*De his quæ in Cluniaco, & circa contigerint.*

Illis quæ ad reverentiam divinorum sacramentorum, & ad confessionis veræ sinceritatem pertinent prælibatis, ad reliqua quantum ad morum ædificationem spectat, non minus vtilia, adiuvante nos Domino transeamus. In primis vero visionibus sive revelationibus defunctorum, quæ à diversis cognoscere potui vt potero explicabo. Hæc enim nostris maximè temporibus frequenter provenire dicuntur. Nam & defunctorum effigies viuis apparere, eisque persæpe multa vera atque probata nunciare, à quàm plurimis & fide dignis viris affirmantur. Talium autem rerum narrationem non ingratam fore legentibus existimo, præcipuè illis qui futuræ vitæ amore præsentem fastidiunt, & ad illam fide recta ac piis operibus pervenire cõtendunt. Horum namque multa est recreatio, & in præsentibus miseriis, in quibus quotidie ingemiscunt, maxima consolatio, quando de patria à qua in hac peregrinatione exulant, & ad quam inhianter suspirant; aliquid quod eorum fidem ac spem magis ac magis excitet, audiunt. Audivi de talibus multa à multis, in quorum narratione nullum temporis ordinem

G seruo, quia nec si potuissem seruare curaui. Quæ namque vtilitas est in huiusmodi re nosse, quid prius quidue posterius gestum sit, dum verè constet quod fuerit? Multo enim magis gesta temporum quàm tempora gestorum inquirenda fecit. Videtur vero mihi congruum, vt de proximo incipientes ad remotiora pergamus, & idcirco ea quæ in Cluniacensi Monasterio vel circa contigisse audiuimus, primo ad medium deducamus. Est autem Cluniacense Monasterium, religione, disciplina, seueritate, fratrum numerositate, omnique Monastici Ordinis obseruatione, toto pene orbe notissimum, singulare ac commune peccatorum refugium: per quod multa inferis damna illata, & regnis cœlestibus quamplurima lucra collata sunt. Ibi innumeræ hominum multitudines, graues mundi sarcinas ab humeris suis abiicientes, suaui Christi iugo colla submiserunt. Ibi omnium professionum, dignitatum & ordinum personæ fastum luxumque secularem, in humilem & pauperem Monachorum vitam commutauerunt. Ibi ipsarum Ecclesiarum venerabiles patres, etiam Ecclesiasticorum negotiorum onera fugientes, tutius quietiusque vivere, magisque

H subesse quam præesse elegerunt. Ibi contra spirituales nequitias indefessum luctamen & implacabile † quotidianas victoriarum palmas Christi militibus præstat. Huius loci habitatoribus continua concertatione carnem spiritui subiicientibus verè secundum Apostolum *Christus vivere est, & mori lucrum.* Hinc effusa spiritualium virtutum nardo, impleta est tota mundi domus ex odore vnguenti, dum religionis Monasticæ feruor, qui illo tempore pene refrigerat, illorum virorum exemplo studio recaluit, Gallia, Germania, transmarina quoq; Britannia hoc testatur, Hispania, Italia, totaque Europa fatetur, plena Monasteriis ab eis

aut

* *quomodo idem Monachus post obitum eidem apparuit.* idem M S.

† lætatus.

† alias, *interrogatione.* N. Fabe., *peregrina oratione.*

† *al.* impacabile *vel* implacabile.

*Phil I.*

A aut noviter fundatis, aut ab antiquo senio reparatis. Ibi monachorum collegia in morem cœlestium agminum per ordines suos Deo assistentia, cum aliis sanctarum virtutum exercitiis, divinis laudibus die noctéque ita insistunt, vt de eis quoque à Propheta dictum possit intelligi: *Beati qui habitant in domo tua Domine, in secula seculorum laudabunt te.* (Psal. 83.) Sed quid aliquas mundi partes enumero, cum de vltimo Occidente vsque ad ipsum Orientem fama hæc peruenerit, nec aliquem Christiani orbis angulum latuerit? Hæc namque est vinea, hi sunt palmites, qui veræ viti Christo inhærentes, & à Patre agricola purgati, secundum Evangelicam sententiam multum fructum afferunt. (Ioan. 15.) De hac vinea in Psalmis legitur: *Extendit palmites suos vsque ad mare & vsque ad flumen propagines eius.* (Psal. 79.) Quod licet de Iudæorũ Synagoga ex Ægypto translata, maximè de præsenti B Ecclesia dictum sit: nihil tamen obstat, vt & de hac Cluniacensi Ecclesia, quæ illius vniversalis non infetius membrum est, intelligatur. Liberet hic diutius immorari, sed quoniam ad propositum opus hoc non pertinet, & tanta materies brevi atque ad alia festinanti non potest explicari sermone; necesse est, vt istis ad præsens intermissis, ad ea quæ de mortuorum revelationibus sunt exequenda, vt promisimus, accedamus.

## CAPVT X.

### De Stephani †, qui Blancus dicebatur, apparitione mirabili.

(† al. as qualiter Stephanum quondam Abbatem S. Ægidij cuidam fratri post mortem apparuerit † nunc.)

QVod vero † in primis dicturus sum, ab illis mihi personis relatum est, quorũ testimonio non minus quã mihi ipsi credere compellebar. Vita enim vel cõversatio eorum hoc exigebat, vt non magis propriis oculis quam eorum relationi, absque dubitatione aliqua, fidem accommodarem. Hi ergo mihi hoc retulerunt, fuisse apud Cluniacum quendam fratrem, qui Bernardus Savinellus dicebatur. De quo referebant, quod licet aliquando in quibusdam leuiter se haberet, correptus C tamen, vt regularis disciplinæ moris est, multaque tam verborum quam verberũ opprobria passus, patientissimè tolerabat, seque mitem post flagella vultus & operis alacritate exhibebat. Is nocte quadam dum fratres in Ecclesia nocturnas Deo laudes decantarent, de choro vbi cum aliis psallebat egressus, dormitorium petiit. Cuius gradus dum conscenderet, repentè Stephanum qui vulgo Blancus vocabatur, olim Monasterij sancti Ægidij Abbatem, qui ante paucos dies de vita excesserat, obuium habuit. Quem cum primo aspectu non cognoscens quemlibet alium esse crederet, quò proposuerat festinabat. At illa imago defuncti, quæ apparuerat, prior in verba prorumpens, Quò pergis inquit? Sta, & quæ dicturus sum audi. Frater verò mirans & indignans, quod quasi contra regulam nocturnis horis & loco non congruenti talia monachus loqueretur, eius voces nutibus quibus poterat comprimebat. Sed cum Abbas ille defunctus, qui non vt taceret, sed vt loqueretur, aduenerat, magis instaret, compulsus eius importunitate frater substitit, & quis esset vel quid sibi vellet, quæsiuit. Et ille. Sum, D inquit, Stephanus dictus sancti Ægidij Abbas, qui in multis & ante Abbatiam & postmodum deliqui, pro quibus modo pœnas acerbas patior, ab illis per ineffabilem Dei misericordiam, si mihi subuentum fuerit, quam citius eruendus. Oro ergo te vt Dominum Abbatem, & omnes fratres mea functus legatione depreceris, quatenus apud omnipotentem Deum pro mea liberatione preces effundant, & me quibus poterunt modis à tantis malis eripere, satagant. Cumque frater respondisset, se quidem quod ipse † rogabat facturum, († ille.) nullum tamen suæ relationi crediturum, is qui loquebatur defunctus, adiecit. Vt nemo de his quæ à te referenda sunt in aliquo dubitare possit, noveris te E infra hos octo dies de hac vita migraturum. Quod postquam eis prædixeris, subsequentis rei effectus te vera dixisse demonstrabit. Dixit hoc, & statim ab oculis eius euanuit. At vero frater ille à dormitorio ad Ecclesiam rediens, multumque mortis denunciatione non immerito sollicitatus, noctem in huiusmodi meditatione transegit: facto mane, priori primitus, deinde venerabili ac sancto Patri Hugoni, ad vltimum magno ac reverendo fratrum conventui, quæ sibi iniuncta fuerant, patefecit. Quod postquam ad omnium aures pervenit, sicut humanorum ingeniorum vsus est, de eadem re fere semper diversa sapere, alij quidem credebant, quamplures ficta esse affirmabant: universi tamen mortis illius quam frater denunciauerat indicium per illud ab omni dubitatione purgandi, expectabant. Et ecce sequenti die relator visionis morbo corripitur, sensimque deficiens ad extrema peruenit. Qui F vsque ad vltimum spiritum constanter quæ dixerat affirmans, infra dies supradictos bono fine quieuit, sicque morte sua veritatis nuntium se fuisse comprobauit. Fratrum ergo congregatio post obitum relatoris de visione certificata, tam pro Abbate defuncto quam pro eius nuntio multimodas inenarrabili misericordiæ Dei supplicationum hostias obtulerunt, & sacris orationibus, eleemosynarum largitionibus, maximè autem salutaris sacrificij oblationibus pro æterna requie totis viribus institerunt.

## CAPVT XI.

### De simili apparitione Bernardi †, qui Grossus dicebatur.

(† alias, de Bernardi cognomento Grossi mirabili post mortem apparitione.)

COnsimile huic, immo pene idem de Bernardo cognomento Grosso miraculum, ab eisdem quos supra memoraui relatoribus accepi. Hic namque nobilitate & potentia seculari illustris, munitiones quasdam Cluniacensi Monasterio proximas possidebat, multaque mala eidem loco atque aliis circumpositis Ecclesiis inferebat. Qui tandem mutato spiritu, malis suis G finem imponere deliberans, ad supradictum venerabilem Patrem Hugonem venit, atque pro peccatis suis orationis causa Romam se velle pergere indicauit. Vnde si reditus permitteretur, seculo se renunciaturum, ac Monachum Cluniaci futurum esse spopondit. Perrexit itaque Romam, ibique apud summorum Apostolorum ac plurimorum martyrum gloriosa corpora, orationibus atque eleemosynis vacans, satisfactione qua poterat præteritæ vitæ crimina expiabat. Exacto vero taliter in vrbe quadragenario dierum numero, qui proprie ad agendam pœnitentiam indici peccatoribus solet, Roma egressus est, & ad patriam regrediens, Sutram vsque pervenit. In qua civitate, quæ satis vrbi proxima est, dum moraretur finem vitæ morbo dudum concepto ingrauescente suscepit. Ibi à sociis, prout in peregrino solo licere potuit, honestè curatus ac tumulatus est. Non multi postmodum fluxerant anni, & cuiusdam villæ quæ Cluniacensi iuri subdita est, Præpositus, per syluam quæ castello de Vsella proxima est, media die iter agebat. Hoc autem Castellum ipse Bernardus H noviter construxerat, vnde sæpe raptores erumpentes, quæcunque poterant vndequaque deprædabantur. Dum ergo, vt dictum est, iter ageret, repentè eumdem Bernardum obuiam habuit. Quem cum mulo insidentem, ac pellibus vulpinis & novis indutum vidisset, recordatus defunctum extimuit: compresso tamen timore vtrum esset qui videbatur, vel cur venisset, quæsiuit. A quo tale responsum accepit. Me, ait, noveris esse Bernardum quondam huius regionis Dominum. Multa certe, vt omnibus hic manentibus notum est, in seculo positus mala egi, pro quibus modo multa patior. Sed præ omnibus torquet me castelli illius iuxta positi ædificatio, quod sicut ipse nosti à me nuper

A ædificatum est. Quia tamen circa finem vitæ meæ malorum meorum me pœnituit, æternam quidem effugi damnationem, sed multo adhuc adiutorio egeo ad plenariam liberationem. Ea de causa ob implorandam misericordiam ad Abbatem Cluniacensem, venire permissus sum. Cuius comitatum diu prosecutus, quoniam præcedenti hebdomada apud Ansam hospitatus est, nocte inter obsequentes ei famulos mansi. Vnde rogo vt eum adeas, atque vt mei misereatur sollicite depreceris. Cumque homo ille cui loquebatur requireret, cur vulpina veste amictus esset, respondit: Hanc vestem mihi olim recentem emi, & eadē die qua ea primum indutus sum, cuidam illam pauperi dedi. Quæ sicut nova, est ita semper nova permanet atque in pœnis inenarrabile mihi refrigerium præbet. Post hæc verba ille quidem qui apparuerat disparuit, alter ea quæ iniuncta B fuerant implere accelerauit. Nam ad beatum virum ad quem missus fuerat veniens, ei per ordinem cuncta narrauit. Qui benigne defuncti mandata suscipiens, plenus charitatis spiritu multa eleemosynarum, multa divinorum sacrificiorum auxilia laboranti sub æterno iudicio animæ impendit. Per quæ, vt dignum est credere, & à suppliciis ille liberatus, & fidelium requiei, pro modo supernæ dispositionis adiunctus est. Neque enim ratio patitur, vt spiritus ille in abditissimis iudiciorum Dei reconditus, ad homines ob sui liberationem redire permissus sit, & nulla reditum eius vtilitas subsecuta sit. Frustra quippe dimissus videretur. Sed neque Sacramentis, neque sacrorum operum exercitiis se adiuuari petisset, si ea sibi prodesse minime agnouisset. Qui quoniam talibus sibi auxiliis subueniri rogauit, & illa ad subueniendum efficacia, & se illorum subuentione dignum esse monstrauit. Homini autem illi cui hæc visio apparuerat, supradictus Abbas sanctus, mortem proximam esse prædixit. Cum enim huiusmodi defunctorum manifestationes nostris sæpe temporibus provenerint, vix aliquis mortuo collocutus mortem longiore tempore distulisse narratur. Vnde iste & visionis horrore, & sancti admonitione C provocatus, statim seculo renunciauit, & factus Monachus, intra paucos dies terminum vitæ suscepit.

## CAPVT XII.

*Quanta semper invidia diabolus adversus Cluniacum fremuerit.*

Licet in præcedenti de revelationibus defunctorum quæ in Cluniaco vel circa contigerant, me dicturum promiserim, tamen quia plura alia non minus digna memoria in illo famoso Monasterio nostri ætate provenisse dicuntur: non incongruum arbitror, si & illa nostro sermone ad vtilitatem legentium proferantur. Vt enim supra tetigi, antiquus hostis non parum illius Cœnobij disciplinam ac divinorum operum studium semper æmulatus est, multisque invidiam suam erga loci ipsius habitatores feruere monstrauit. Quæ si per singula vt ad me pervenire potuerunt enarrare tentarem, & magno volumine legentibus forte vel audientibus tædium incuterem, & ipse longe à propo- D sito deviarem. Quis enim explicare valeat quanta improbitate cœlestia illa castra semper vel sæpè invaserit, quam infestus semper Christi militibus sibi repugnantibus fuerit, quam frequentes impetus violenter irrumpere volens dederit? More quippe suo interiorem civem, id est spiritum extinguere quærens, quas poterat tentamentorum machinas exterius admouebat, & ab intimis se repulsum dolens quanta valebat extra prælia commovebat. Vnde proprio furore cæcatus, cum semper invisibiliter omnibus instaret, aliquando quibusdam etiam visibiliter apparebat. Et nesciens quid boni de malo suo Deus facere decreuisset, vnde gregem Domini destruere quærebat, inde invitus eum multoties ædificabat.

## E CAPVT XIII.

*De fratre quem sub Abbatis specie decipere voluit.*

Hinc fuit illud quod cum aliquando frater quidam Ioannes nomine, natione Italicus regularis disciplinæ severitatem fastidiens, etiam fugere de Monasterio cogitaret: ipse ei diabolus Abbatis specie assumptâ se obtulit. Nam duobus dæmonibus in specie Monachorum se comitantibus, fratri in quodam secreto Monasterij loco residenti, multaque secum voluenti, opportunum fallendi tempus invenisse se credens apparuit, eique assidens dixit. Ego frater modo huc F hospitandi causa diverti, sed casu te conspiciens agnovi multa te sollicitudine laborare, multosque in corde tuo cogitationum æstus versare. Quorum causa licet quibusdam referentibus mihi ex parte nota sit, si tamen eam plenius indicaueris, potero forsitan vtile tibi dare consilium. Vnde quis sis & quare mœstus sis, amico quærenti expone. Cumque frater ille ignoto, vt putabat, homini secreta cordis sui aperire formidaret, & se tantummodo natione Italicum esse respondisset, dæmon qui Monachus videbatur, adiunxit: Et ego ipsius regionis Abbas sum, & tibi bene in omnibus auxiliari possum. Novi enim licet tu reticeas quod Abbas Monasterij huius, & cæteri male te tractant, neque vt dignum esset honorant, insuper multis sæpe iniuriis & contumeliis vexant. Vnde admoneo vt tibi consulas, & locum hunc omnimodis perniciosum derelinquens, mecum recedas. Paratus sum enim te ab his malis eripere, & ad Abbatiam meam, quæ Cripta ferrata dicitur, perductum, omni te ibi honore sublimare. Ad hæc frater respondit. Ego hinc exire nullo modo possum, quia & clausura Monasterij prohibet, & fratrum me multitudo circumdat. Tunc diabolus. Nec ego, inquit, quamdiu hic fueris, te in aliquo iuvare potero. Sed fac qualibet arte, G vt septa Monasterij transgrediaris. Quod postquam feceris, ego statim adero, teque ad locum meum, vt dixi perducam. Sed misericors Deus, qui non permittit nos tentari supra quam ferre possumus, non vltra passus est hostem procedere, sed sicut scriptum est, qui fecit illum applicauit gladium eius. Quando namque 1. Cor. 10. hoc agebatur, fratrum conventus in refectorio ex consuetudine hora cœnandi residebat. Qua expleta, à Priore secundum morem vno ictu scilla percussa est. Quo sono audito, mox dæmon qui Abbatem se fingebat, actus divina virtute, à fratre cui loquebatur se abripuit, & præcipiti cursu ac maximo impetu ad latrinas quæ proximæ erant tendens, vidente fratre iam dicto in earum se inferiora demersit. Sic plane misericordia Dei, & fratrem à nequissimi hostis tentatione eripuit: & immundum spiritum per condignum eius immunditiæ locum à domo sua expulit.

## CAPVT XIV.

*De illo qui dæmones audiuit flagitia sua iactantes.*

H Alio quoque tempore alter quidam frater lignorum artifex nocturnis horis, in loco aliquantulum ab aliis sequestrato iacebat. Quem locum vt in Monachorum dormitoriis moris est, lampas accensa illustrabat. Dum ergo ille in lecto nondum soporatus iaceret, conspexit immanem vulturem, immensi corporis onus vix alis pedibusque ferentem, velut ex labore anhelum occurrere, & contra lectum eius astare. Quem dum frater admirans intueretur, ecce duo alij in hominum specie dæmones advenerunt, & vulturem illum, immo dæmonem ita affati sunt. Quid, inquiunt, hic agis? Potes ne hic aliquid operari?

A Nihil, ait, possum, quoniam & crucis protectione, & aquæ aspersione, & psalmorum insusurratione ab omnibus repellor. Tota quippe hac nocte laboraui frustraque vires meas insumpsi. Vnde nihil agere prævalens, huc fatigatus deveni. Sed vos iter vestrum mihi narrate, & si quid vobis prosperum cessit, intimate. Nos, aiunt, de Cabilone venimus, vbi militem quemdam Gaufredi de Donziaco, cum vxore hospitis sui in adulterium labi compulimus. Item per quoddam Monasterium transeuntes, magistrum scholæ cum vno puerorum fornicari fecimus. Sed tu miser quid agis? Surge, & huius saltem Monachi, qui nos aspicit, pedem, quem inordinate extra lectum tetendit, abscinde. Quod vbi dixerunt, ille dolabro ipsius fratris quod sub lecto latebat arrepto, in ictum totis viribus insurrexit. Sed dum frater eleuatam super se vidisset securim, timore actus pedem retraxit, & sic dæmonis ictus effectu frustratus, in vltimam lecti partem delapsus est.

B Quo facto statim maligni spiritus disparuerunt. Frater vero qui hæc viderat, sæpe dicto Patri Hugoni mane festinus vniversa retulit. Qui ad rei certitudinem explorandam Cabilonem atque Trinorchium misit, & subtiliter quæ a dæmonibus dicta fuerant investigans, veridicos fuisse mendacij ministros invenit. Sed dicet aliquis. Cum maligni spiritus malitiæ subtilitate longe humanæ astutiæ calliditatem superent, vtpote quos naturæ levitas nulla corporis mole depressa, ad omnia expeditos, longaque rerum experientia sagaciores reddit: quomodo nequitiæ suæ consilia seu opera, audientibus hominibus produnt? An non perpendunt, patefactis insidiis suis à quantis eorum laqueis sæpe homines sint eruti, & quoties ipsi earumdem sint insidiarum effectu frustrati? Quomodo ergo audiente fratre supradicto, & ea mala quæ fecerant aperiunt, & cur alia quæ optabant, facere non posse dixerunt? Ad quod respondendum, quia licet multa eis insit nocendi facilitas, & prompta ad fallendum voluntas, occulta tamen Dei dispositione, ita miris & incomprehensibilibus modis in ipsa sua falsitate plerumque

C falluntur, vt humanæ saluti, cui sponte semper infesti sunt, invicti quandoque deseruire cogantur. *Comprehendit* quippe, vt scriptum est, *vera sapientia falsos sapientes in astutia eorum*: vt vnde fallere volunt, inde fallantur, & vnde perimere cupiunt, ipsi potius perimantur. Vtitur eis sane more prudentis patrisfamilias vt malis servis, qui cum nullo ad serviendum amore moveantur, servili tantum terrore dominicis imperiis obsequuntur. Vnde aliquando scientes, aliquando nescientes, semper autem nolentes, ea quæ ad hominum pertinent salutem, operantur. Quod autem semper nolentes operentur, omnibus certum est. Quod vero aliquando scientes Evangelium loquitur, vbi ait: Exibant autem dæmonia à multis, clamantia & dicentia, quia tu es Filius Dei. Nam credere Christum esse Filium Dei ad salutem hominum pertinere, dæmones ista clamantes non ignorabant. Sed quia hanc confessionem non fidei devotio proferebat, sed tormentorum acerbitas extorquebat, ipsi indicant dum subiungunt: Venisti ante tempus torquere nos. Nolentes ergo pariter, & scientes salutis humanæ præcones

D fiebant. In actibus quoque Apostolorum quando per energumenum dæmon clamabat, Iesum novi & Paulum scio, vtique nolens & veritati attestabatur, & quod audientibus prodesse poterat fatebatur. Rursus in Evangelio, rogante legione dæmonum, & dicente ad Dominum. Si eiicis nos, mitte nos in gregem porcorum? & propriam impotentiam testabantur, qui nec porcis nisi permissi dominari poterant, & homines à se pessimis videlicet hostibus salutis suæ fugere, atque ad salvatorem suum confugere, talibus verbis inviti scientesque monebant. Quod vero aliquando nescientes ea quæ hominibus prosunt operentur, innumera quidem sunt exempla sanctarum scripturarum, sed tamen hoc specialiter, beati Iob tentatio & Domini Passio manifestant. Nam neque Iob Sathanas tentasset, si eius se vincendum patientia præscisset, nec

E Iudæos vt Dominum crucifigerent instigasset, si morte illius se multomagis damnandum, mundumque salvandum prævidisset. Nam & Apostolus divinæ incarnationis, & Passionis mysterium absconditum dicit a seculis, quod nemo Principum huius seculi cognouit. Ita ergo vt dictum est, aliquando scientes, aliquando nescientes, semper tamen nolentes nequam spiritus supernæ sapientiæ acti dispositionibus, aut loquentes aliquid aut operantes, sive latentes humanos oculos sive coram apparentes, vtilitatibus humanis inseruiunt. Vnde quando Dei ordinatione aliquibus apparentes vel faciunt aliqua vel loquuntur, manet quidem in eis avida nocendi voluntas, sed eam legibus suis subactam, refrænat quæ cuncta moderatur potestas. Quicquid enim furiant cuncta subuertere quærentes aeriæ potestates, *sapientia*, tamen *vincit malitiam, attingens*

F *à fine vsque ad finem fortiter, & disponens omnia suaviter.* Inde namque sapientia fortiter pertingere a fine vsque ad finem dicitur, quia sapientia æterna hostium versutias sapienter capit, & virtus invicta eorum fortitudinem subigit. Certum est igitur, quod quando supradicto fratri apparentes, ea quæ iam memorata sunt retulerunt: aut scierunt quid boni inde futurum esset, aut nescierunt. Divinæ tamen voluntati, & aliquorum saluti nolentes inseruierunt. Hoc ad ea quæ de insinuatione dæmonum dicta vel forte dicenda sunt interserui, vt nemo consilia seu opera sua eos quasi sponte prodere miretur: quoniam non ipsorum hoc opus, sed divinæ dispensationis est consilium, quæ ad ampliorem nominis sui gloriam etiam malis bene vtitur, & de ipsorum malitia, multam erga suos benignitatem operatur. Quomodo enim humana infirmitas tanto hosti resistere posset, de quo dicitur, *Non est potestas super terram quæ comparetur ei*, nisi se contra tam robustum adversarium, ille qui Dei virtus dicitur, pro

G nobis opponeret? Quomodo depressa in imis humanæ mentis stoliditas, tot dolositatis eius versutias cavere valeret, nisi ille qui Dei sapientia vocatur, eas nobis detegeret? Quos eius dolos seu conatus, quibus sancto Cluniacensi Cœnobio sæpe inquietus insistit, aliquantis manifestatus est, dignum videtur, vt cœperam, exequi.

Iob. 5. | Sap. 8. | Iob. 41.

## CAPVT XV.

*Quid beatus Hugo narrauerit in capitulo, vigilia natalis Domini.*

MOs est eiusdem Monasterij nativitatem Salvatoris cæteris solemnitatibus singulari affectu devotius agere, & cantuum melodiis, lectionum prolixitatibus, cereorum multiplicium accensionibus, & quod longè præstantius est, speciali devotione, multaque lachrymarum profusione, cum Angelicis spiritibus alacriter solemnizare. Qua temporis revolutione re-

H deunte, fratres more solito se suaque omnia parauerunt, & Ecclesias ornando aliaque Monasterij loca aptius componendo, intus & extra festivi apparere satagebant. Supererat adhuc beatus ille ac venerabilis Pater Hugo, vltimo senio morti quidem corporeæ, sed & vitæ post mortem æternæ vicinus. Qui iam instante ipsa solemnitate, Capitulum vbi fratres convenerant ingressus, hæc ad omnes protulit verba. Noveritis fratres, Iesum benignum Salvatorem nostrum suæ nativitatis vestræque liberationis solemnius interesse dispensasse, vestræque devotionis obsequium multo cum gaudio præstolari. At contra sciatis nequam hostem vestræ felicitati invidentem laborare, quatenus aliquas tenebrarum suarum nebulas, tanto si possit splendori interim iaceat, tantæque festivitatis gloriam saltem quantulumcunque imminuat. Frater enim, ait, quidam, se vtique dans intelligi, hac ipsa nocte vidit ipsius

misericordiæ matrem perpetuam † virginem, filium quem præsenti nocte genuit, dulcissimo gremio continere, eique sanctorum angelorum multitudinem, cum immenso lumine astare. Lætabatur autem idem Deus puer, & immenso gaudio exultabat, atque cordis lætitiam gestu gloriosi corporis, & ipsarum plausu manuum demonstrabat. Et conversus ad matrem, aiebat ad illam. Cernis mater noctem quæ imminet meæ nativitatis gaudiis illustrandam, in qua & prophetarum oracula & angelorum præconia renovabuntur, & meo de te exortu, omnia simul cœlestia atque terrestria lætabuntur? Vbi est nunc hostis damnati perfidia ubi eius potestas, qui ante hoc singulare gaudium mundo dominabatur? Quod ille impudens audito, de latibulo suo egressus à longe se præsentabat, & ignominiose deturpatus, cum multo planctu atque eiulatu, vt admitteretur orabat. Quod eo voto dicebat, ut tantæ claritatis gaudia quibus invidebat, suo more vel in aliquo obfuscare valeret. Et si ait, in nulla Ecclesiæ parte admittor, in aliquo saltem reliquarum officinarum loco suscipiar. Vade (ait filius virginis) furcifer, & ne te mea potentia prædicatum lamenteris, tenta quod poteris. At ille solutus, arcum capituli petiit, & ingredi conatus non potuit. In tantum namque & se tumidum, & capituli introitum angustum invenit, ut nullatenus intrare valeret. Vere vetusta superbiæ peste inflatus, per humilem aditum transire non poterat. quia non idem aditus superbum erectum, & humilem caput inclinatum. Inde ad fratrum dormitorium gressum convertit, & phantasiis solitis eos se posse inquietare confidens, introire tentavit. Sed eadem grossitudine sua ab ostio repulsus recessit. Postremum † ad refectorium nocendi spem contulit, ibi propter aliquantam corporum curam, maiorem suspicatus mentium incuriam. Ibi etiam tot obices divinorum ex lectione verborum, tot trabes ex devotionibus auditorum, tot repagula offendit ex charitate sibi servientium, ut nullo modo ultra procedere prævalens, retro cogeretur redire. Sic quoque ab omnibus Monasterij officinis reiectus, à conspectu piissimi Redemptoris & gloriosæ Virginis matris, cum ea qua dignus est confusione, pestifer ille recessit. Cauti igitur estote, & immensas gratias omnipotenti ac misericordissimo Salvatori agite, qui & nequissimum hostem à vobis expulit, & ipse nobiscum † festum suum celebraturus remansit. Hæc à sancto viro fratribus dicta, furentium adversus locum ipsum malignorum spirituum ostendunt nequitiam, ac Domini eundem protegentis clementiam. Qui nequam hostes quamvis universis generaliter insidiarentur, noviter tamen conversis amplius infesti instabant. Dolebant quidem veteranorum profectibus invidentes, sed tyronum superaddita conversione, quasi recenti suscepto vulnere acrius indignabantur. Et velut longi temporis desperatione, prioris prædæ spolia postponentes, contra ea quæ ab oculis rapiebantur, longe vehementius accedebantur. Hinc adversus novitios bella valida commovebant, hinc tentamentorum diversis telis armati, totis eis conatibus insistebant.

† al. perpetuè. † postremò. † al. vobiscum.

## CAPVT XVI.

*De fratre qui dæmones vidit quasi religiosè incedentes.*

ET ut de illis aliquid dicam, quæ nostro tempore contigerunt: vidi ego quamplurimos varias mihi erga se dæmonum insidias exponentes. Nec ea dico quæ spiritali bello ex vitiorum suggestionibus gerebantur, sed quæ quasi in aperto certaminibus campo non parvo utrorumque sudore fiebant. Exuperans quippe abundantia malitiæ hostis, cum nihil intus tentando proficere valeret, in iram vehementius exardescebat. Et invisibiliter se victum dolens, si saltem visibiliter cum militibus Christi congrediens, in aliquo posset esse superior, attentabat. Vnde fuit illud, quod frater quidam mihi retulit, vidisse se innumerabilem dæmonum turbam, per domum illam quæ Cella novitiorum dicitur, transeuntem. Iacebat autem nocte quadam ante matutinas † in lecto, & nescio quid de psalmis secum meditabatur. Cum ecce dormientibus cunctis, conspicit nefandum illud collegium in monachorum speciem commutatum, ab ostio quod capiti suo imminebat procedere. Qui capitiis † induti, religionis schema simulantes, seriatim & quasi cum multa gravitate incedebant. At ille quid esset intelligens, atque vt in talibus fieri solet, non parum perterritus, (nam semper malignorum spirituum visionem terror comitatur) quantum potuit sub eo quo tegebatur operculo caput abscondit: sed ad exitum rei pervidendum, parum quid spatij oculis dereliquit. Quos diligenter quid essent facturi observans, conspexit omnem illum sathanæ exercitum, per domum illam fratrum quiescentium transeuntem nihil suum in ea operari potuisse, sicque per domum latrinarum proximam, sibique satis competentem, exitum habuisse.

† al. matutino. † caputiis.

## CAPVT XVII.

*De Algero sene religioso.*

FRater quoque alius nomine Algerus, verè vt de beato Iob dicitur, simplex & rectus, timens Deum & recedens à malo, sæpe multumque sibi institisse dæmones, mihi frequenter conquestus est. Vt enim plura † de his quæ mihi retulit præteream, referebat se aliquando in iam dicta novitiorum domo, multis aliis circumiacentibus dormire. Visum est vero ei, quod signum in Ecclesia more solito ad nocturnas laudes fratres excitans pulsaretur. Surrexit ergo, & campanam vt videbatur fortiter resonantem audiens, ad Ecclesiam festinabat. Cumque per eandem domum in qua iacebat transiret, lectos fratrum vndique circumspiciebat, & alios iam surrexisse, alios se ad surgendum parare videbat. Sed cum domo transmissa in claustrum proximum devenisset, signi sonitus qui ex vicinitate multo magis audiri debuisset, omnino defecisse visus est. Suspicatus autem tarditate sua signum sonare desiisse, omnesque ad se Ecclesiam anticipasse, festinantius gradiebatur. Cum vero in maius claustrum pervenisset, pro luminarium claritate, quæ ex consuetudine hora surgendi omnia illustrant, tenebras offendit. Sed & cum ad Ecclesiam appropinquasset, portas quas patentes invenire solebat, clausas reperit. Ibi quoque admota aure si forte psallentium voces audiret, summum vbique silentium aduertit. Admirans itaque & quia Ecclesiam ingredi non poterat, ad dormitorium suum regressus, quos prius surrexisse conspexerat, omnes iacentes & dormientes invenit. In se ergo reversus, dæmoniacam fuisse illusionem agnouit, qui nullum tempus à malitia sua vacare patientes, cum divina dispositione à maiore nocendi possibilitate arcentur, in minoribus quibuslibet exercentur. Nam toto nisu naturæ humanæ inimicantes, cum animabus nocere nequeunt, ipsis saltem corporibus prout possunt molesti existunt. Vnde plerumque ita monachos in somnis inquietant, vt horis somno congruentibus amissis, cum vigilare debent dormiant, & sic sanctarum lucra vigiliarum amittant. Harum inquietudinum multorum multoties querelas accepi, quorum alij opertoria sua noctibus dum dormirent, subrepta sibi atque longius proiecta à dæmonibus dicebant, alij subripere volentibus violenter eadem tegmina se extorsisse, nonnulli dum in remotioribus naturæ satisfacerent, eos sibi derisorie astitisse affirmabant. Præterea quosdam nocturnis horis, aliis quiescentibus sancta orationum furta quærentes, & eadem causa claustrum, & Ecclesias peragrantes, multis quandoque

† al. plurima.

A terroribus appetebant, ita ut in eorum aliquos visibiliter irruerent, & ad terram verberando prosternerent.

## CAPUT XVIII.

*De Armanno Novitio, quem diabolus in specie ursi perterruit.*

VIdi ipse quendam fratrem Armannum nomine, qui dum esset nobilis & dives miles in sæculo, tactus divino spiritu, ac mundo renuntiare disponens, prius equos ac vestes multi pretij, magnúmque argenti pondus, & omnia penè sua Cluniacum direxit, & sic pauper atque peregrinus Hierosolymam petiit. Ibi Domini adorato sepulchro, & sanctissimorum locorum visione aliquanto tempore recreatus, cum vitæ terminum, quem ibi summopere adipisci, ut ipse mihi post retulit, desiderabat differri † videret, rediit, atque Cluniaco habitum religionis induit. Cum quo & animum ita ab omni mundano affectu mutavit: ut nec communia bona, nec privata diversarum exercitationum lucra spiritualis cordis ejus ardori satisfacere possent. Non ei dies ad orationem, non nox sufficere poterat; vix cibo aut somno, eo studio indulgebat. Admonitus à me sæpe, ut parcius in talibus se haberet, quoniam modum excedere videretur, nimie animi fervore non acquiescebat. Contingit igitur † post Domini natalem, nocte qui diem præcedit beati Ioannis Evangelistæ, ut in supra memorata cella Novitiorum, cum aliis Novitiis ipse adhuc Novitius jaceret. Et ecce clamare terribiliter cœpit, sicque perseveranter, ut omnes de lectis suis surgere, & ad se undique concurrere cogeret. Venerunt ergo, & eum aliena loquentem invenerunt. Inde ad me ubi jacebam, multorum fit concursus. Qui quoniam propter regulare noctis silentium loqui non poterant, nutibus nescio quid mirum contigisse ostendebant. Surrexi & ad fratrem patientem cum ipsis perveni. Quem turbatum & vociferantem, & velut maniacum furentem inveni. Perseveravi cum fratribus ante illum usque ad exortum diei, in quo spatio aliqui pro eo Domino supplicabant, omnes autem non minimum pro ejus passione dolebant. Iam vero aurora instante, paulatim clamare cessavit, & ita demum astantibus fratribus, obdormivit. Post paululum autem expergefactus, jam mecum modestè loqui cœpit. Cumque eum interrogarem utrum sciret quid passus esset, vel quæ causa tanti, & tam incompositi clamoris fuisset, respondit. Solitis orationibus fatigatus, cum me in lectum collocassem, & levi somno solutus essem, ursum tam terribilem mihi incubare persensi, ut omnem humanum terrorem ejus incomparabiliter tremendæ visionis horror excederet. Iam autem eadem formidine à somno excitus, quasi somnium quod videram contemnere incipiebam. Sed rursus quem dormiens viderem, integrè vigilans supra me ursum conspexi, tanto in aëre spatio sublevatum, ut manu si vellem eum contingere possem. Tunc vero eam quæ apparebat speciem, quis enarrare sufficiat? Rictus nefandi oris ultra omnem modum horrendi, ut de eo scriptum est: *Per gyrum dentium eius formido.* Vngues longissime recurvi, & se ad rapiendum avidissime exerentes: tota hirsuti corporis habitudo, quasi in prædam jamjámque rapiendam durissime infremebat. Ego quid aliud, quàm me continuo in frusta discerpendum, & devorandum suspicarer? Hoc me diu terrore diabolus fatigatum, à mente mea excedere, sicut vidistis, coëgit. Iam misericordia Domini liberatus, & quid, vel à quo ista passus sim agnosco, & liberatori meo quas possum gratias ago. Hæc frater ille mihi & omnibus qui astabant, ut dicta sunt, narravit. Et quia multam ex terrore illo contraxerat debilitatem, conventui per triduum interesse non potuit, sed eo peracto, ad priora contra malignos spiritus certamina ex debilitate valentior insurrexit.

[Margin: † al. deferri. — B — † al. ergo. — C — D — Iob. 14.]

## CAPUT XIX.

*Quod Angelus Domini locum, ubi fratres defunguntur, cruce Christi signaverit.*

QVam † antiqui hostis aperta contra Christi milites prælia, in illo memorabili loco, exacta, & ab eis subacta narravi; dignũ est, ut ipsarum victoriarum palmas quibusdam etiam aperte collatas ostendam: ut quemadmodum adversus beatos homines, malignorum spirituum monstravi invidiam, ita de ipsis sollicitam sanctorum Angelorum demonstrem custodiam. Nam quos ab illis tentatos, ab istis sæpe jussu Dei compertum est glorificatos. Igitur sicut de innumeris hostium congressionibus quædam retuli, sic de multis cœlestium visionum miraculis pauca narrabo. Teutonicus quidam Eppo nomine, a sæpedicto beato patre Hugone in Monachum susceptus, toto quo postmodum vixit tempore, religiose conversatus est. Qui appropinquante hora vocationis suæ, infirmitate correptus, in domum infirmorum secundum morem delatus est. Erant ibi & alij fratres, morbis & ipsi diversis laborantes. Quorum quidam cæteris morti proximiores, ultimum pene spiritum natura succumbente trahebant. Interea frater jam dictus valetudine ingravescente, & ipse ad extrema perductus, inter vitæ mortísque discrimina agonizabat. Adhuc tamen sensu & verbo integer, conspexit infandam dæmonum turbam cum titionibus igne fumigantibus irruentem, per domum illam infirmorum furioso ubique impetu discurrere. Qui cum ita bachantes huc illúcque vertentur, ecce beati Apostoli de cœlestibus advenientes, perterritos fratres ne timerent blande hortati sunt, & mox gloriosa sui adventus præsentia, latrunculos illos effugaverunt. Verba verò loquentium sanctorum ab astantibus audiebantur, sed personæ minime cernebantur. Sic domo Dei apostolica præsentia ab immundis spiritibus emundata, cœlestis visionis gloria augmentatur, & beatis Apostolis sancti Angeli conjunguntur. Habetur autem in domo media locus, unius corporis capax, ad hoc aptatus ut fratres ibidem in cinere & cilicio compositi, extremum Deo inde spiritum reddant. Hunc locum frater hujus visionis conspector, quodam inconsiderato timore ita abhorrebat, ut nullatenus ei se appropinquare pateretur. Dum ergo ea quæ dicta sunt contemplaretur, respexit, viditque Angelum Domini manum in sublime porrigentem, signo sanctæ Crucis locum eundem signasse. Quo facto, visio ab oculis ejus subtracta est. Iam omni à corde ejus stulto timore sublato, post paululum se in loco eodem reponi fecit, sicque animam suam sanctis qui apparuerunt, alacriter tradidit.

[Margin: E — † Quoniam. — F — G]

## CAPUT XX.

*De fratre nomine Benedicto, qui moriens multitudinem albatorum vidit.*

FVit & alius, ut de magno Benedicto legitur, gratia Benedictus & nomine, cui parem in sacris studiis nescio si unquam viderim. Hic priusquam ad monasterialem ordinem venisset, Religiosus valde Presbyter extitit, in tantum ut vix ei aliquid ante Monachum de Monacho deesset. Sed (sicut sanctorum virorum mos est, ut bona quæ faciunt pro nihilo ducentes, ad majora toto desiderio conscendere semper intendant) mutato apud Cluniacum habitu, verus factus est Monachus. Iam si ejus per singula vitam describere conarer, non transeunter de illo commemorandum, sed diutius esset immorandum. Nec capitulum breve illum

[Margin: H]

A explicaret, cujus sanctæ conversationi vix liber integer sufficere valeret. Quod quia suscepti operis necessitas prohibet, sit hoc leve saltem beati viri monumentum, ne tam veri tàmque perfecti Monachi nostris temporibus exemplum ex toto cum eo videatur esse sepultum. Nam quis istis pessimis temporibus, quando juxta Psalmistam, *defecit sanctus, & diminutæ sunt veritates à filiis hominum*, cœlestibus adeo studiis intentus extitit: (Psal. 11.) Quis tam plene mundum, omniáq; mundana calcavit? Quis ita generaliter universa à se genimina vitiorum extirpens, agrum mentis suæ omnium virtutum suavibus atque odoriferis graminibus sevit? Nam quia, ut Apostolus ait, coram Deo in Christo loquimur, ipsum ante quem loquimur testem adhibeo, me non aliter loqui quam sentio, viro videlicet isti nullarum propemodum virtutum perfectionem defuisse. Quando enim humilitas ejus qua se universis submittebat, & qua se secundum regulæ præceptum omnibus inferiorem & viliorem credebat, explicabitur? quando ejus caritas, qua fratres omnes ita amplectebatur, ut

B non sibi, sed omnibus pro mediocritate officij vivere videretur, alicujus sermone declarabitur. Quando ejus patientia exponetur, qua singulariter præditus esse videbatur? Namque propter excellentem justitiæ zelum, quo cum cæteris bonis suis contra negligentium fratrum delicta accendebatur, de illorum numero erat, quos propter majorem disciplinæ cautelam, circuitores Monasterij beatus Benedictus esse præcepit. In quo ministerio cum nulli parceret, & majores minoribus quantum ad vitiorum reprehensionem spectat, absque ulla personarum discretione æquaret: multas à quibusdam, quia inferre verbera non audebant, verborum injurias tolerabat. Recordor ego sæpius falsis aut quasi nullis accusationibus in communi fratrum conventu à talibus impetitum, innumeris vicibus quasi reus existeret in terram prostratum, cùm nihil prorsus deliquisset, culpabilem se tantummodo respondisse. Hunc enim morem habebat, ut quandocunque culparetur, nunquam fere culpam diffiteretur, Silebat perpetuò, nisi cum eum certa & gravis causa

C loqui cogebat. Verba ejus brevissima, à nugis, jocis, atque omni prorsus otiositate aliena. Si quando verò de spiritualibus sermo erat, nunquam is sine suspiriis, nunquam sine lacrhymis fiebat. Psalmodia indeficiens, scripturarum sanctarum nocte diéque meditatio, propter quod & psalterium glossatum semper circumferebat, quoniam Psalmos non perfunctorie, ut quibusdam moris est, sed summa cum attentione atque devotione cantabat. Vbi si quid quod non intelligeret offendisset, ad glossas statim oculum convertebat. Diem totum psallendo, meditando, noctem vigilando & orando peragebat. Nam vix brevissimo spatio, etiam hyemalium noctium prolixitatibus in lecto quiescebat. Quando enim ad altaria occulte confugere poterat, quiescendi necessitate vix aliquando lecto retinebatur. Quando verò propter communis observantiam ordinis lecto deesse non audebat, magis eo ad sedendum quàm ad jacendum utebatur. Sed erat etiam ipsa sessio non ociosa, quando rarò oculi à lachrymis, nunquam

D verò lingua à psalmodia cessabat. Innumeris confectum suppliciis corpus, toto pene vitæ suæ tempore ciliciis asperrimis exasperare consueverat. Habebat idem beatus vir pro cella domum orationis in turri altissima atq; remotissima, in honorem Sancti Michaelis Archangeli consecratam, qui devotioni ejus præ cunctis Monasterij locis specialius famulabatur. In hac divinæ theoriæ totus nocte diéque intentus, mente cuncta mortalia transcendebat, & cum beatissimis Angelis internæ conditoris visioni pene jugiter assistebat. Hæc indeficientium orationum, hæc assiduè inundantium lachrymarum, hæc durissimorum flagellorum, hæc quotidianorum sacrificiorum, sola quidem testis tunc affuit: sed ea tamen nobis prorsus celare non potuit. Nam sancti inter abdita latibulorum opera sua semper celare laborant, sed ea si homines taceant, lapides cla-

E mant. Iam si ad habitum corporis ejus stylus convertatur: solus ipse sufficientia loqui judicabitur. Corpus quippe attenuatum, facies macilenta, capilli incompti, ipsáque canitie venerandi, vultus demissus, oculi vix unquam patentes, os sine requie sacra verba ruminans, non in terra, sed in cœlo positum hominem indicabant. Huic plane non surdo auditori Apostolus loquebatur: *Quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.* Poterat & ipse cum eo dicere, *Nostra autem conversatio in cœlis est.* Sed quia (ut supra dixi) propositũ meum fuit, non omnia, quod mihi impossibile fuisset, sed quædam de ipsius sancta conversatione narrare, ne omnino beati viri memoria sopiretur, his breviter præmissis, ad gloriosum finem ejus sermo convertatur. Is igitur in omni virtutum exercitatione vitæ suæ cursu peracto, corporis incommoditate, brevi ad extrema deductus est. Fuit autem tempus illud Paschale, quo transacta jejuniorum quadragesima, purgatiorem gregem suum & velut maturiorem segetem Christus inveniens, multos ex hac luce subtraxit, & sicut electa grana, horreis cœlestibus recondidit. Multi namque illo tempore levi morbo pulsati, quasi nutum vocan-

(Col. 3.) (Phil. 3.)

F tis Domini illico sequebantur. Inter quos iste vir Domini (ut dictum est) ægritudine decumbens, postquam & sacri olei unctione, & salutari Christi corporis perceptione, atque communi fratrum absolutione, ad iter cœleste scandendum idoneus factus est, advenit dies laboris ultima, mercedis prima. Iacebat verò in lecto, & lampadem plenam oleo, id est, conscientiam plenam virtutum testimoniis habens, sponsum expectabat, & ut arbitror cum Apostolo dicebat *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* (1. Cor. 1.) Respiciens ergo, vidit infinitam multitudinem albatorum advenire, & paulatim omne domus illius spatium complere. Cumque domum præclarissimis illis spiritibus repletam vidisset, fratrum conventum esse suspicatus, custodem infirmorum bonæ religionis virum Orgerium nomine, vocavit, eique dixit: Frater Orgeri, hiccine ordo noster est, ut conventus albis indutus, in infirmariam veniat? Crede mihi, hoc quod video,

G quod nunquam retro contigisse audivi. Vere licet corpus beati viri suis viribus destitutum fuisset, mentis tamen vigor, & zelus domus DEI sicut semper fuerat, adhuc in eo vigebat. Sed cum frater ille nullum albatorum in infirmaria illa esse affirmaret, adhuc in eadem opinione persistens, adjecit: Miror valde quomodo hoc dicere potes, cum non pars domus, sed tota eisdem albatis viris plena sit, & teipsum ubi nunc loqueris, ex omni parte iidem circumdent. Tunc tandem intellexit cui hoc dicebat, non hominum illum conventum, sed beatorum esse Angelorum. Qui ad hoc absque dubio de supernis descenderant ad concivem suum, qui semper mente cum eis conversatus fuerat in terris, ut per ipsam spiritus sui præsentiam, eis sempiterne cohabitaret in cœlis: & qui per speculum & in ænigmate, secundùm Apostolum, hic Dei desiderabilem vehementer esurierat speciem, manifestata ipsius gloria satiatus, videret eum facie ad faciem. Parum intervalli successerat, & servus Domi-

H ni ab illis quos viderat albatis & spiritibus accitus obiit, beatámque animam eis tradens, ad regna cœlestia (ut dignum est credere) cum ipsis pervenit. Sed ne quis temere me hoc affirmare suspicetur, quod quasi absque purgatoriis pœnis ejus animam ad cœlos evectam dixerim: intelligat, nulla eos purgatione indigere, in quibus nihil purgandum constat remanere. Quod quia nemo negare potest, utrum iste sic purgatus fuerit, forsassis inquirere festinabit. Ego vero, quantum hominibus cognoscere datur, dico istum sic in hac vita per gratiam Dei animum suum diversis sanctorum operum exercitiis emundasse, ut nihil in eo mundandum crediderim remansisse. Nam si hoc de multis etiam sine martyrio conceditur, quare non & de isto conceditur? Cujus enim criminis nulla,

A cujus veniales etiam culpæ vix aliquando deprehendi poterant, tot cruciatibus corporis sui, tanta sacrorum studiorum instantia, ne ignibus futuri sæculi torqueretur, expiari non potuit? Potuit plane. Nequaquam enim ultrices scelerum flammas experiri debuit, qui in se omnium concupiscentiarum fervorem compescuit. Nec pœnalis in eo ignis, quod decoqueret invenit, quem ignis divinus ad purum usque purgavit.

## CAPVT XXI.

### *De Turquillo, † Priore Marciniacensium sororum.*

† In MS. S.V. *De quodam, qui raptus è corpore gloriam Dei vidit.*

B

ALter etiam frater Turquillus nomine, vir nihilominus in omni virtutum sinceritate & veritate probatus, ab adolescentia usq; ad ultimam senectutem jugum monastici ordinis mansuetissimè portans, ipsa miti & humili corporis & vultus sui specie, quiddam cœleste prætendens, curam sororum Marciniacensium à me sibi injunctam agebat. Quam cum per aliquantum temporis tel gloriosè administraret, carnis ingravescente incommodo, ad solvendum commune mortis debitum appropinquare cœpit. Cumque illum in cinere & cilicio positum, fratres undique circumstarent, repente ab eis spiritu raptus obmutuit. Qua de causa frater quidam ex his qui astabant Vnfredus nomine, memor ejus conversationis, ausu familiaritatis qua præ cæteris ei semper adhæserat, ad eum se inclinavit, & si aliquid spiritualium rerum vidisset, quæsivit. Ad quem ille his verbis: Vidi, ait, Dominum, & dulce consortium ejus. Hoc cum non vulgaribus, sed ita ut expressi verbis Latinis dixisset, parvo interveniente temporis spatio, defunctus est. Et quia de Marciniaco mentionem feci, miraculum quod ibi divina virtute aliquando contigit, nullo modo tacendum est.

C

## CAPVT XXII.

### *Miraculum † quod in eodem Marciniacensi Monasterio contigit.*

† In eod. M.S. *Quomodo ignis divina virtute extinctus sit in Marciniaco Cœnobio.*

EST idem locus inter alia sanctimonialium sancta loca, singulare in gratiam obtinens, & velut inter fulgentia cœli sydera, quodam suo proprio fulgore præfulgens. Ibi nobilium mulierum multitudo, & quæ de ipsius regij sanguinis sublimitate descenderunt, spernunt divitias honores contemnunt, calcant superbiam, luxuriam subigunt, Christique sequentes pauperiem, proprio mundum cum principe vincunt: de quarum numero plurimæ virorum morte destitutæ, secundas iterare nuptias refugerunt, aliæ incolumes maritos deseruerunt, quædam ab omni carnis corruptione immunes, angelicum virginitatis honorem carnalibus voluptatibus prætulerunt. Omnes tamen in commune, viri constantia femineam mollitiem supergressæ, non solum mundana omnia, sed & seipsas sibi subjugant, opere manuum, psalmodia, oratione assidua, fletúque indeficiente, aut præteritæ vitæ nævos abstergunt, aut

D meritorum cumulos augere contendunt: cunctáque prorsus visibilia contemnentes, ad amorem invisibilium certatim semetipsas accendunt. Inter quæ universa bona sua, singulari pene & ante inaudita gratia, perpetuo se carcere damnant: ita ut postquam semel facta secundum regularem professione, corpori Monasterij sociatæ fuerint, nunquam qualibet necessitate non dico septa murorum, sed nec ipsas in quibus commorantur regulares domos, transgrediantur. Hanc ipsæ sibi idcirco more aliarum sanct. monialium equitandi vel deambulandi licentiam præcepto Abbatis sui interdixerunt: ne aliqua occasione vel mundus in eis videat quod concupiscat, vel ipsas aliquid noxium saltem in excursu videre seu audire compellat. Nam

E eum quem à mentis suæ intuitu prorsus abegerunt, ipsis quoque corporalibus oculis videre contemnunt. † [Sic enim juxta Apostolum mundus eis mortuus est, & ipsæ mundo, quod nunquam quaubet occasione ab aliquo videri possunt, quia ab ipso ingressu, quo ad religionem incipiuntur, velo quod eis ex more imponitur oculos habent velatos, & facies circumtectas, ipsum velum quasi pro indutio usque ad diem obitus in memoriam & præparationem exitus sui circumferentes.] Ea propter claustro salutari conclusæ, & ut sic dicam vitali obrutæ sepultura, pro præsenti coarctione, sempiternam latitudinem, pro sepulchro, beatam resurrectionem expectant. Vnde prius mori quam egredi, ante occumbere quàm limen designati ostij transgredi elegerunt. Quod tunc apparuit, quando in circumpositis villæ domibus, casu quodam tempore ignis exarsit. Ferebantur in sublime globi flammarum, & exustis circumquaque omnibus, † sanctarum illarum habitaculis appropinquabant. Tollitur in altum clamor populi, ne sacræ domus comburerentur,

† Hanc [illegible] cas. à ex M.S. addidimus.

† domibus.

F magis quam de propriis damnis sollicitu. Fit concursus omnium ad muri eas ambientis propugnacula, & super domorum tecta conscendentes, totis viribus obviam iræ ignibus parant. Arentem materiam quam super inveniunt longè projiciunt convectam certatim aquam flammis injiciunt, nihil quod ad igneam vim repellendam possit valere, intentatum dimittunt. Sed nequicquam: Aër enim vento commotus, multiplicatas vires ignibus dabat, & fumum flammeo vapori admixtum, vultibus atque oculis defensantium inferens, ne defenderent prohibebat. Cumque aliquandiu restitissent, victi tandem violento elementorum conflictu, tecta relinquunt, & se passim ad terram præcipitantes, non jam domos, sed propria corpora salvare contendunt. At ignis obstaculo remoto libere omnia pervagatur, & partem ædificiorum sibi propinquiorem invadens, horrisono strepitu, maximas lignorum moles consumit. Cum † vero luctuosa universorum vox confuso clamore omnia replet, & totius ignari consilij, nil nisi extremum ancillarum Dei exitium prætolantur. Erat tunc forte in loco Lugdunensis Ecclesiæ Archiepiscopus Venerabilis Hugo multa morum probitate & religiosa conversatione à Domino

† al Tū.

G Papa Vrbano cunctarum ferme Galliarum constitutus Legatus. Ad quem velut ad patrem omnes confugiunt, & ut in perturbatis rebus fieri solet, anxie ab eo consilium exposcunt. Precantur præcipue, ut inclusis sanctis mulieribus exitum persuadeat, neque tantum ovium Christi gregem ignibus Pastor perire permittat. Motus Archiepiscopus, cursim claustrum ingreditur, omnésque sub celeritate congregans, summa instantia ut periculo cedant, hortatur. Cúmque illæ omnino renuerent, & prius se posse mori quàm propositum infringere constanter affirmarent, ait Episcopus. Authoritate beati Petri & Domini Papæ, cujus vice fungor, atque ex Abbatis nostri † obedientia vobis præcipio, ut ad præsens hinc exeatis, neque vos cum habitaculis vestris hic incendio concremari sinatis. Ad hæc quædam maximæ † nobilitatis & singularis conversationis soror, Gisla nomine, quam & ipse multoties vidi, spiritu & fide succensa respondit: Nos Pater, timor Dei & præceptum Abbatis nostri, ut ignē æternum evadere possemus, infra hos quos cernis limites usque ad mortem permansuros inclusit. Vnde nullo pacto fieri potest ut aliqua necessitate præfixos nobis pœnitentiæ terminos saltem pedis passu transgrediamur, nisi ab illo qui in nomine Domini in hoc nos inclusit loco solvamur. Noli ergo Domine si placet hoc injungere, quod nobis agere non licet, sed sicut nos ignem præcipis fugere, ita magis igni ut à nobis fugiat virtute Christi Domini nostri armatus injunge. Ad quam mulieris fidem stupefactus Archiepiscopus, ac subito & ipse fide repletus, foras, & coram cunctis qui aderant flammas intuens, ac lachrymis ora perfusus, ait: In nomine Domini, & per virtutem fidei hujus,

† vestra.

† ingen. H

A hujus, quæ nunc locuta est, mulieris, recede ignis pestifer ab ancillarum Dei habitaculis, nec damna aliqua ultra inferre præsumas. His à Pontifice verbis prolatis, sicut mihi testificati sunt qui viderunt, repente immensitas flammarum invisibili virtute repressa, velut ferreo muro obstante ultra procedere non potuit, & absque ullo humano subsidio, absque aliqua pluviæ gutta, incredibili celeritate semetipsam extinxit. Sic magnifico atque insperato miraculo, sanctarum propositum mulierum sibi bene acceptum esse, divina pietas comprobavit: & veræ fidei merito, omnia possibilia credenti, sicut in Evangelio promiserat demonstravit.

## CAPUT XXIII.

*De defuncto milite, qui ter apparuit cuidam Presbytero.*

B Memini me superius promisisse, quod visiones sive revelationes defunctorum, quas in Cluniaco vel circa contigisse audieram, primo ad medium deferrem: & sic illis, quæ de proximo cognoveram præmissis, pedetentim ad remotiora stylum transferrem. Quod quidem ut institueram agere cœpi, sed aliis de eodem loco narrandis miraculis invitatus, aliqua non minoris ut credo utilitatis interserere volui. Quibus explicitis, jam ad ea quæ proposuerat stylus ordinate recurrat. Superest adhuc in Viennensi pago Presbyter Stephanus nomine, vir inter multos sui ordinis viros honestatis & religionis fama præcellens, qui mihi ea quæ dicturus sum vera esse, fide interposita coram multis, qui mecum erant fratribus, retulit. Quæ quia se vidisse dicebat, ipsum introduco loquentem, ut non à me, sed quasi ab ipso qui mihi primo retulit, audiatur. Miles, ait, quidam de castello Moras Guido nomine, in prælio vulneratus, indéque domum reportatus, ad extrema pervenit. Ad quem cum lecto decumberet, C proprius ejus Episcopus, Viennensis scilicet Archiepiscopus Guido, qui postmodum Romanæ Sedi præfuit, visitandi gratia venit, atque pastorali sollicitudine, ut peccata sua confiteretur, admonuit. Aderam & ego, ad quem cura illius post Archiepiscopum spectabat, & quem secum ad illam confessionem audiendam retinuerat. Confessus est æger fideliter peccata sua, quantum ei confitendum memoria suffragari potuit, atque à Domino Archiepiscopo solenniter absolvi meruit. Qui paucis interpositis diebus defunctus est, & juxta quandam Cluniacensis juris Ecclesiam Mantula nomine, tumulatus. Contigit post hæc non multo tempore elapso, juxta sylvam, quæ supra dicto castro de Moras adjacet, meridianis horis me iter agere, cum ecce subito quasi immensi exercitus strepitum post terga mea audio. Cujus timore perterritus, contiguam sylvam occultandus ingredior. Cumque in condensa illius me immergens, tali ut putabam in loco resedissem, unde videre transeuntes, nec videri à transeuntibus D possem: multo armatorum agmine prætereunte, astitit repente coram me miles quem supra defunctum commemoravi equo insidens, scuto pectori anteposito, hastæ militari innixus. Quem ut vidi primo, exhorrui. At ille me perterritum intuens: noli, ait, metuere, quia non ad incutiendum tibi timorem, sed ad rogandam misericordiam huc veni. Pro peccatis meis dira tormenta patior, & maximè pro duobus, quæ dum cætera confiterer, oblitus sum. Horum unum hoc est, quod olim cum quibusdam aliis militibus cimiterium quoddam, in quo quamplurimi vulgarium ob majorem securitatem se ac sua contulerant, infregi, ac bovem unum, rustico cuidam violenter abstuli. Item terræ quæ mei juris non erat, injustas exactiones imposui, quas ab inhabitantibus multo tempore mihi reddi coegi. Rogo ergo ut fratrem meum Anselmum adeas, eúmque ex me depreceris,

E quatenus ablata vice mea restituat, eisque quibus injurias intuli, pro me satisfaciat. Quod si fecerit, à pœnis quas patior absque dubio liberabor. Sed novi ego fratris duritiam, & quod tibi ista referenti nullatenus acquiescet. Sit ergo quod dicturus sum tam tibi quam illi in signum, ut de rei certitudine nulli vestrum liceat dubitare. Scis ipse pecuniam, quam in arca repositam habebas, & qua ad sanctum Iacobum ire disponebas? Hanc cum domum redieris, invenies furto sublatam. Apparui insuper antequam ad te venirem, Guilelmo noto tibi militi de castello Moras in ipsa domo sua, à quo universa quæ tibi nunc à me dicta sunt, postquam requisieris, audies. Dixit hæc, & statim ab oculis meis evanuit. At ego timore commotus, & quia cum mortuo verba contuleram de vita diffidens, inde quam citius potui, recessi. Domum ut veni, arcam meam fractam, & pecuniam, quam dixerat, sublatam inveni. Militem cui se locutum indicaverat adii, & ab eo cuncta quæ dicta fuerant, vera esse cognovi. Fratrem autem defuncti adire facultas non fuit, quia per dies aliquot absens extitit. Interea dum quadam die re familiari urgente, iter agerem, diverti F in amœnum locum secus viam, ubi salicum magna multitudo quasi cujusdam sylvæ secretum æmulabatur. Ibi ergo paululum requiescere volens, consedi. Nec mora conspicio jam dictum militem arma solita præferentem, mihi astare. Cumque ego duplicato timore turbatus, in verba prosilire tentarem, prior ille: Ah, inquit, Domine Stephane, quam bonum nuntium quem pro salute mea fratri dirigere, vos elegi! Putabam equidem vos mihi compati, sed ut video, quomodolibet me habeam vos non curatis. At ego multo magis adaucto timore, ut potui respondi. Non, inquam, dissimulando quæ rogaveras distuli, sed quia fratrem cui me dixeras non inveni. Iam vero ut discesseris, absque mora aliqua ad eum ibo, & quæ primo rogaveras indicabo. Obsecro tantum, ut celeriter discedas, quia valde cor meum tui visione turbatur, G neque me tecum diutius confabulari patitur. Nihil (ait) tibi formidandum est, quia ut jam dixi, non ut ego tibi noceam, sed ut tu mei miserearis ad te venire permissus sum. His dictis, disparuit. Ego autem multa formidine compulsus, & nequaquam ultra legationem injunctam differre audens, ad sæpe nominatum fratrem defuncti cum milite cui se revelaverat accessi, eique cuncta per ordinem quæ frater mandaverat narravi. Ille verò, ut homo, totus mundo deditus, aut non credens, aut parvipendens quæ à me audiebat, respondit: Quid ad me de anima fratris mei? habuit ille sua quamdiu vixit. Quare non pro se his quibus injurias intulerat, satisfecit? Videat sibi: Ego peccatorum ejus pœnitentiam agere nolo. Hoc ab illo accepto responso, discessimus. Pauci dies transierant, & ego in domo mea solus residens ea quæ videram mecum mente versabam. Cum ecce subito sæpe nominatus defunctus non jam in equo, sed pedes, non armatus, sed inermis mihi assistere visus est. At ego nimio terrore fere in amentiam versus, in hæc verba prorupi. Ex parte omnipotentis Dei & omnium Sanctorum ejus, adjuro te H quicunq; es spiritus, ut discedas, méq; tantis terroribus exagitare desistas: & ille. Quia, inquit, taliter de adventu meo turbaris, scito quia me ulterius in hoc sæculo non videbis. Adhuc tamen tertio me tibi Deus apparere voluit, ut quod per fratrem nequeo, per te consequi merear. Debes & tu si bene perpendas, plus fratre, mei misereri. Ille enim frater carnalis, tu pater in Deo fuisti spiritualis. Et ego. Faciam, inquam, & ipse pro te quod potero, festinatò tantum, oro, discede. Post quæ verba statim ab aspectu meo subtractus est. Mox ego inde discedens, ad rusticum, cujus se bovem abstulisse dixerat, ivi, eique bovis ipsius pretium reddidi. Nam & quis esset dixerat, & ubi maneret indicaverat. De sequenti autem negotio, quoniam vires meas excedebat, nihil agere prævalui. Collecta tamen Presbyterorum multitudine, in dicta die, solennia Dei offerri

A sacrificia feci, eleemosynásque pauperibus pro posse distribui, multósque tam clericalis quàm monastici ordinis viros, ut pro eo Domino supplicarent oravi.

## CAPVT XXIV.

*De Guidone † Gebennensi Episcopo.* †

† Vide in M.S. ad. quomodo post obitū suum apparuerit.

POst hanc quam præfatus sum visionem, Gebennensis Episcopus Guido in medium adducatur, & quid huic miraculo simile de eo contigerit, exponatur. Fuit hic magnæ secundum sæculum nobilitatis, & ideo multo plus quam Episcopum decuisset, vitæ dissolutioris. Nam cum esset frater Aimonis ejusdem urbis Comitis, tam sæculari generositate quam Ecclesiastica dignitate confisus, potentia atque divitiis undique circumfluus, plus mundo quam Deo, magis carnalibus quam spiritualibus actionibus inserviebat. Cúmque B multa agenda negligeret, nec facienda faceret, misericordiæ tamen operibus toto annisu instabat, eleemosynam largiter egentibus distribuens, esurientes reficiens, nudos vestiens, querelas afflictorum patienter audiens, & multis pro posse benigne subveniens. Ecclesiasticas personas, & maxime quos religiosiores esse audiebat, magnifice honorabat, Monachis præcipue totum cordis sui affectum impendebat. Quibus non solùm venerationis obsequium, sed multa & de rebus propriis conferebat. Inter quos singulari amore fratres Cluniacenses amplectebatur, & eis ob spem æternæ mercedis plurima largiebatur. Nam ut reliqua taceam, quæ eis vir nobilis liberaliter contulit, sexaginta & eo amplius Ecclesiarum redditus, diversis ad Cluniacum pertinentibus Monasteriis perpetuum dedit. Hoc modo temporalis vitæ cursu transacto, in bona confessione, cum peccatorum pœnitudine ac cordis contritione, sicut mihi testati sunt qui adfuerunt, ab hac luce recessit. Hunc post mortē diverso mo- C do plurimis apparuisse, quidam referunt. Quarum visionum quia certum auctorem invenire non valui, idcirco dubia scribere recusavi. Vnam tantum de omnibus elegi, quam propter rei probatæ fidem, dignam hic inseri judicavi. Successor ipsius Episcopus Synodum Gebennis vix anno post ejus decessum exacto celebrabat. Veniebant ad eandem Synodum Presbyteri more Ecclesiastico, inter quos quidam boni testimonij Presbyter properabat. Hic in itinere casu, imò divina voluntate à sociis aliquanto spatio separatus, obvium habuit jam nominatum defunctum Episcopum. Qui cum insolito occursu turbatus aliquandiu hæsisset, tandem utrum esset qui videretur defunctus Episcopus, ab eo quæsivit. Quo se vere esse respondente, Presbyter adjecit: Et quid est, ait, Domine, vel quæ causa te mihi cum sis mortuus visibilem fecit? Ad quem Episcopus: Clementia, inquit, divina, ut meæ necessitati subvenias, me tibi apparere permisit. Novi enim te ad Synodum properare. Oro ergo ut sacrum conventum adeas, eorúmque me orationibus D studiose commendes. Laboravi enim, & multa à tempore mortis meæ tormenta sustinui. A quibus in proximo erui potero, si eorum orationibus merear adjuvari. Dic ergo Episcopo & cum eo congregatis, ut omni die concilij Psalmum, *Miserere mei Deus*, mihi simul omnes decantent, & communi absolutione universi animam meam Deo commendent. Sacrificiis insuper salutaribus atque eleemosynis, divinam majestatem pro requie mea propitiare contendant. Noverint autem me ad agendam pœnitentiam Cluniacum iturum, & inde ad eandem peragendam Hierosolymam transiturum. Hæc omnia cum eis dixeris, nomen tantum meum ultimo die dicendum reservabis. Quæ postquam dixit, ab oculis colloquentis evanuit. Presbyter vero cui hæc commissa fuerant gressum accelerans, ad Synodum venit, & universa Episcopo fideliter coram omnibus exposuit. Cumq; multos credere, quosdam autem dubitare videret, Evangelij codi- E cē afferri rogavit, & ut cunctis fidem faceret, jurejurando quæ dixerat confirmaturus, manum constanter super sacrum volumen extendit. Quem omnes ad ea probanda absque dubio paratum videntes, eum ne juraret compescuerunt, & qui antea dubitaverant, omnem à corde suo dubietatis scrupulum abjecerunt. Sed & alter ex inspectato testis surrexit, qui hæc eadem omnia à defuncto Episcopo sibi dicta, universis admirantibus confirmavit. Vnde & bonæ oves mandata olim pastoris sui benigne suscipientes, cuncta quæ mandaverat devote impleverunt, & plurima ex abundante cordis sui charitate, spontanei addiderunt. Hoc ab illis mihi personis dictum est, qui omni fide digni Synodo memoratæ interfuerunt, & ea quæ dixi, referentibus eisdem relatoribus audierunt.

## CAPVT XXV.

F

*De quodam Presbytero terribiliter mortuo.* †

† Alias, in MS qui peccata sua celat terribiliter mortuus est.

IAm nunc subjungenda est, non ante mortui; sed morientis Presbyteri terribilis & multis nota visio, quæ audientium mentes digno timore concutiat, & ad cavenda æternæ mortis mala, velut vehementi sollicitudinis igne accendat. Apud castrum Liziniacum, quod in Pictaviensi pago situm est, nuper quidam Presbyter erat, qui sacerdotalis ordinis supercœlestem dignitatem, miserrimæ vitæ conversatione deturpans, non ad animarum quibus præerat curam, sed ad carnis sui voluptatem explendam, sacro ministerio utebatur. Qui, juxta Prophetam, lac gregis sui comedens, & ejus se lanis operiens absque ulla spe æternorum, mercedibus mercenarij avidissime pascebatur. Ezec. 34. Mundissimam atque omnia mundantem Christi carnem & sanguinem in altaris sacramento frequenter officio non devotione sumebat, nec ab immundis tamen carnis operibus sese cohibebat. Cumque ut sus immunda multo tempore in cœno luxuriæ versaretur, & sui- G ipsius fœtoribus delectaretur, territus conscientiæ malo, sicut aliquando & mali ad horam compunguntur familiaritatem quorundam bonorum virorum expetiit, & Abbati Bonævallis ac fratribus ejusdem Monasterij se in amicitia, specie tenus copulavit. Qui longo tempore eum de vitæ emendatione commonentes, & ut sæculo renuntiaret assidue exhortantes, nihil ab eo impetrare præter inanem spem aliquando potuerunt. Nam libenter quæ dicebant audire se fingens, & semper eos de conversione suspendens, de societate sanctorum illorum gloriabatur, nec admonitione vel exemplis eorum à malis retrahebatur. In his itaque aliis perditæ atque perdendæ vitæ suæ actibus perdurans, & obstinatione impia iram sibi in die iræ thesaurizans, in morbum incidit, quo post aliquot dies ingravescente, ad extrema pervenit. Adierat eum visitationis gratia Prior jam dicti Monasterij, atque cum eo per aliquantulum diei spatium, ipso quoque rogante permanserat. Et ecce nocte superveniente, cum H cunctis discedentibus solus lecto ejus assideret, clamare terribiliter æger ille ad Priorem cœpit: Succurre, ait, succurre. Ecce duo supra omnem feritatem expavescendi leones in me impetum faciunt, hianti ore ac rictu feroci per frusta discerpturi, me totum consumere volunt. Deprecare cito Dominum, ut ab his eripiar, antequam morsibus eorum consumar. Dicebat hic & tremebat, ac velut devoraturos fugiens, timore defecto corporis vires addente, retro cedebat. Prior vero vocis illius ac gestus terrore turbatus, non sine multo & ipso timore erat. Ad preces tamen ipsa necessitate impellente conversus, pro misero illo ut poterat Dominum exorabat. Quo orante mutata voce æger; bene, inquit, bene. Recesserunt crudeles bestiæ, & per orationes tuas jam ultra nusquam apparent. Et quia usque ad ultimum spiritum semper

A compos sui extitit, nec ut quidam morientium solent vel immodico lemii immutatus fuit, conversus ad Priorem, loqui cum eo de quibuslibet veluti familiarissimus cœpit. Cumque tam de his quam de aliis multa inter se verba conferrent, horæ fere unius spatio elapso, rursum inclamare longe terribilius quam primo exorsus est. En, inquit, en ignis de cœlo ut torrens inundans descendit, & super hunc lectum meum veniens, jam jamque me in favillam usque comburet. Festina, adjuva, ora, si forte & ab hac morte eripi valeam. Et hæc dicens, manibus & brachiis opertoria sublevabat, eáque velut aliquid juvare possent, invisibilibus ignibus turbatus opponebat. Sed nequicquam: Non enim corporalia tegmina à spiritualibus incendiis tegere poterant, quem cœlestis vindictæ impia opera exponebant. Prior adaucto timore, denuo ad orationem convertitur, & quantum in tali casu possibile erat, Domini misericordiam deprecatur. Illo ut supra orationi instante, post paululum, patiens gratulationibus vocibus preces ejus interrupit, dicens: B Quiesce, jam ab igne tutus sum. Nam dum super me (ut dixi) cum impetu descenderet, interpositus est linteus, usque ad quem ignis pervenit, sed cum transire non potuit. Jam & ab isto periculo ereptus, oro ne a me discedas quousque quis illorum finis futurus sit cognoscas. Tunc Prior qui tam timore quam hospitandi necessitate recedere volebat, substitit: & ab oratione surgens, rursum ei assedit. Cumque eum tantis terroribus anxium consolaretur, & uterque ad invicem ut prius colloqueretur, subito ægrotus ad invisibilia raptus obmutuit. Prior eum raptum ab humanis intelligens, rei exitum præstolabatur. Cum ecce post multum noctis spatium, homo ad se rediit, & miserabiliter ingemiscens, ait: Ah! ah! ad judicium æternum raptus sum, & heu miser! æterna morte damnatus sum, Traditus sum horrendis tortoribus igne inextinguibili cum diabolo & angelis ejus perpetuo cruciandus. Ecce, ecce, ignita sartago plena bullienti adipe, quam coram me tormentorum ministri detulerunt, eámque ad me frigendum undique succenderunt. C Et cum Prior orationi sicut jam bis fecerat, tertio quoque incubuisset, ille ait: Cessa, cessa pro me orare, nec pro illo ultra fatigeris pro quo nullatenus exaudieris. Priore vero dicente: Frater redi ad cor, & misericordiam dum adhuc vivis à Deo require, ille adjecit. Putas, ait, me ut insanum loqui? Non insanio sed sana mente quæ dixi confirmo. Et cucullam Prioris manu tenens, eum interrogavit: Nonne hoc quod manu teneo cuculla tua est? Quo respondente, est, adjunxit. Sicut hæc vestis cuculla est, & sicut hoc quod substratum mihi est palea est, sic & hoc quod coram cerno ignita sartago est. Et dum hæc loqueretur, gutta invisibilis ignis de illa quam dicebat sartagine exiens, in manum ejus Priore vidente cecidit, & mirabile dictu, cutem & carnem usque ad intima ossis consumpsit. Tunc ille acri cum gemitu: en, inquit, indubia rei probatio. Nam sicut ista quam vides de sartagine prolapsa gutta, carnis partem consumpsit, sic confestim totum me D ignea vorago consumet. Priore ad ista stupente, iterum dixit: Ecce sartaginem ipsam ministri infernales propius afferunt, & ut me in illam injiciant, jam jamque manus adaptant. Et post modicum: Ecce linteum in quo jaceo undique concurrentes accipiunt, & me in ignitam sartaginem, æternam frixuram projiciunt. Hoc velut ultimum vale, mox ut Priori, atque his ad hoc horrendum spectaculum convenerant, dixit, subtracta voce ac reflexa cervice, puniendum spiritum condemnatis spiritibus tradidit. Tantus vero terror omnes invasit, ut illico universi aufugerent, neque aliqui in domo ubi cadaver mortis † remanserat, remanere auderent. Facto mane, misérum cadaver sepulturæ mandatum est. Post aliquot autem dies, cum ad universos circa positos hæc tam terribilis fama pervenisset, rei veritatem probare volentes, tumulum apperuerunt, atq; fossam illam quam in manu adhuc viventis

† mortui.

Presbyteri gutta prænuncia damnationis fecerat, in mortui cadavere invenerunt. Quæ omnia, secundum quod beatus Gregorius dicit, nullo modo propter se E infelix Presbyter vidit, cui nihil visio ipsa profecit: sed quanta cautela Sacerdotale officium administrandum, quam reverenter divina mysteria tractanda, superna per eum dispositio demonstravit. Quis enim ad ista nõ obstupescat: quis non tam metuendæ divinæ animadversionis sententiam non contremiscat? Quis jam in istis non fidem invisibilium se concepisse, sed ipsa invisibilia corporis sensibus ex multa parte subjecta esse non cognoscat? Facit hoc pia conditoris miseratio, qui cernens corporalium rerum objectu, interiorem mentis humanæ oculum excæcatum, quædam de spiritualibus rebus etiam per carnem quibusdam innotescere præstat, ut ad amanda sive timenda invisibilia, hoc saltem remedio vel admoneat vel compellat. Quid enim apertius ad fidem fidelium instruendam, quam hominem in carne viventem, & hic integra mente colloqui cum hominibus, & ibi spiritualia cernere cum spiritibus. Quid sane leones tremendi, quid flam- F mens torrens, quid ignita sartago aliud quam de veritate rerum invisibilium nullatenus dubitare, & horrendum esse in manus Dei viventis incidere, male securos admonebant? Neque enim credendum est, alibi quam in præsenti sæculo quarumlibet ferarum genera commorari, aut ubi nulla metallorum materia est, ferreas sartagines fabricari. Sed quia terror supplicii futuri, non nisi per verba usitata vel per expertarum rerum imagines, hominibus adhuc in carne viventibus potest ostendi, placuit Deo per tales corporum similitudines ostendere: quid exutæ corporibus animæ, pravis exigentibus meritis cogantur tolerare. Quæ licet antiquioribus miraculis, patrum temporibus demonstrata sunt, voluit tamen etiam nunc divina miseratio novis revelationibus priora confirmare, ut eos qui vetera despiciunt, velut negligentiæ somno torpentes, recentibus impulsionibus excitare. Cujus supernæ admonitionis contemptores, tanto se majore in G Dei judicio cumulo damnationis operiunt, quanto graviore reatu non solum antiqua, sed & ante oculos posita contemnunt. Et quia ad fidei & morum ædificationem, varia à diversis audita & probata nostrorum maxime temporum miracula scribere cordi insedit, nolui aliqua negligere quæcunque auditoribus meo judicio posse videbantur prodesse.

## CAPUT XXVI.

### *De Gaufredo Sinemurensi Domino.*

Gaufredus vir nobilis, Dominus castri quod Sinemurum vocatur, postquam per multum tempus magnifice in sæculo conversatus est, tactus divino spiritu, mundo renuntiavit, atque cum filio & tribus filiabus apud Cluniacum habitum religionis induit. Ubi sancte ac sine querela diu conversatus, merito religionis atque prudentiæ Marciniacensium, quarum superius mentionem feci, Prior effectus est. Quarum curam dum per aliquot annos humiliter & benigne administrasset, more mortalium molestia corporis tactus, defunctus est. Cujus simplicis & beatæ conversationis dulcem retinentes memoriam sorores multis lachrymis ejus funus prosecutæ sunt, eúmque in Ecclesia sepelientes, longe melius in cordium suorum abditis condiderunt. Qui non post multos obitus sui dies, cuidam sororum multæ mortificationis, quæ Alberea dicebatur, in somnis apparuit, eique dixit: Agnoscis me? Quæ cum trepida voce, ut post ipsa referebat, respondisset; Dominum Gaufredum Priorem suum sibi videri: adjunxit ille. Sum equidem quem dicis, & ut ea quæ circa me sunt tibi nota faciam, ad te directus sum. In hora exitus mei, maligni spiritus cum horrifico sonitu irruerunt, & me velut agmine facto

*† alias, De apparitione nobilis viri Gaufredi de Sinemuro.* Et in MS. S. V.

H *De Priore Marciniacensium sororum, quod post obitum suum cuidam sorori apparuerit.*

undique

A vndique circundederunt. Cumque ad eorum aspectum territus, iamiamque me ab eis rapiendum suspicarer, subito beatus Petrus apparuit, & illud dæmonum collegium præsentia sua proturbans, ait. Quid huc ad istum, nequam spiritus advenistis? Noster est, inquiunt, & nostra dum in seculo vixit, opera fecit. Sed pro his, inquit, omnibus ex corde pœnituit, & quod maius est seculo renuntiavit. Et dum plurima hostis opponeret, & Apostolus universa quæ dicebantur vera ratione purgaret, ad hoc tandem victus inimicus prorupit. Vnum, ait, superest quod nullo cassari argumento potest. Vestibus ac telis, quæ undecunque abluendæ ad castrum de Sinemuro deferuntur, novas exactiones imposuit, quas nec ipse nec aliquis post eum removit. Manente ergo peccato, necesse est manere & pœnam peccati. Ad quod Apostolus. Nihil, inquit, excipiens, pro omnibus peccatis suis monachus factus est, & idcirco absque dubio in partem B salutis vocandus est. Hoc dicto, hostibus in fugam coactis, me ab eorum terroribus liberavit. Superest, ut filio meo Gaufredo, qui mihi in seculari hæreditate successit, hæc nota facias, & ut pravam exactionem ad priorem reducat consuetudinem, ei ex mea parte dicas. His dictis abscessit. At nominata soror, dominam Adelam regis Anglici sororem, prius Blesensem Comitissam, nunc humilem Christi ancillam adiens, ei universa narravit. Quæ iam dictum Gaufredum accersiens, utrum aliquid novæ consuetudinis, telis ac vestibus quæ sub castro abluebantur, pater imposuerit, requisivit. Quod cum vere ut defunctus dixerat ab eo cognovisset, non illusoriam, sed veram fuisse visionem agnovit, quam à veraci & hic ante nesciente relatrice audivit, & quam subsequentis, qui rem noverat testimonium confirmavit. Et hæc eadem mihi fuit causa istud scribendi, ut licet inter miracula solas vigilantium revelationes scribere proposuerim, illas tantum dormientium visiones stylus iste non abhor- C reat, quas circunstantium rerum ratio certa confirmat. Rogavit certe, & ex defuncti patris mandato filium admonuit, ut nocivum exactionis usum removeret, & ne sibi quoque in peccatum reputaretur, sollicitus provideret. Quod utrum fecerit, non satis mihi cognitum fuit. Quid vero illis qui dormientium visiones despiciunt, respondendum sit, non multo labore opus est. Facile enim occurrit, unde & risus illudantium reprimatur, & non omnino huiusmodi revelationes contemnendas esse, tardis etiam intellectibus aperiatur.

## CAPVT XXVII.

*De milite mortuo qui apparuit Humberto Beliocẽsi.*

*† alias. De Gaufredo milite occiso qui nobili viro D Humberto de Belloioco non dormienti, sed vigilanti post mortem visibiliter apparuit*

ADiungatur supradictis visionibus recentior, & pene sub ipsis oculis nostris facta revelatio, de qua si quis dubitaverit nescio, cui iam miraculo credere possit. In tanta enim claritate acta est, tam solemniter à fidissimis testibus propalata, ut qui hoc obscurum putaverit, nihil de reliquo clarum reperire in consimilibus valeat. Anno quo in Hispaniam profectus sum res contigerat, quam tanta celeritate stylus prosecutus est, ut cum ipsa in Lugdunensi diœcesi post natalem Domini provenerit, ego hanc eodem anno in Hispaniis ante Pentecosten memoriæ scribendo mandaverim. Hoc eadem causa præmisi, ne vetustate temporis corrupta rei fama putetur, cuius certitudinem Cluniaci suscipiens, quia ante non potui, in Hispaniis ut dictum est scripturæ mandavi. Est in Matisconensi Episcopatu castrum quod Beliocus dicitur: quod tam sui nobilitate quam prudenti dominorum strenuitate, pene omnia adiacentia castra præcellit. Huius dominium Guicardus hæreditario iure suscipiens, eos quibus successerat patres licet strenuos viros, seculari potentia famaque excessit. Qua magis ad mundanum fastum quam ad divinum obsequium utens (ut de talibus E sæpe videmus) dies vitæ suæ ex maxima parte vanitati & mundanæ superbiæ impendendo, multoque labore velut aranearum telas texendo consumpsit. Tandem diuturno morbo à Deo correptus, ipsaque diuturnitate de vita diffidens, Cluniaci meo tempore monachus factus est. Vbi corde humiliato, pœnitentia & confessione Christiana, quantum datum fuerat, Deo satisfaciens, orationibus se sanctorum fratrum committens, paucis diebus advixit atque ad ultimum peregrini itineris viatico, hoc est, sacro Christi corpore suscepto, diem vitæ ultimum clausit. Huic in paterna hæreditate filius eius Humbertus succedens, adolescentia & divitiis velut fortibus catenis mundo astrictus, spatiosas seculi vias damnosa libertate aliquandiu effrenis incessit. Quem corrigere, atque ad rectum salutis iter bonitas divina reducere volens, ostendit ei unde & ipse salvari, atque alii a consimilibus possent actibus deterreri. Nam quodam tempore contra quos- F dam qui in Forensi pago ei adversabantur armis commotis, cum exercitu contra eos processit, atque in conflictu constitutus, unum ex strenuis militibus suis Gaufredum de Iden, ictu lanceæ confossum amisit. Prælio diremto, ad sua quisque vel fugiens vel persequens recessit. Nec dum plene duo menses transierant, & ecce iam dictus miles quem interfectum retuli, cuidam alteri militi de Ansa qui Milo vocabatur, per sylvam eidem castro contiguam sine socio equitanti, se obvium obtulit. Ad cuius subitum conspectum dum miles obstupuisset, & timore non modico turbatus, utrum fugere an subsistere sibi satius esset, meditaretur, mortuus qui apparuerat, prior in verba prorupit, Noli, ait, timere, neque effugere mediteris, quia non ut ego tibi noceam, sed ut tu mihi prodesse studeas, ad te venire permissus sum. Ad te enim præ omnibus veniẽdi licentiam accepi, quoniam tam amore quam fideliter mihi nuper in seculo astrictus, iniuncta tibi a me aliis fidelius executurus videris. Rogo igitur ut legatio- G nem meam Humberto de Belioco deferas, atque vice mea, quæ tibi dixero denunties. Mortalem ego vitam levitate eius invitatus, gladio ut nosti amisi, & ne ad beatam vitam transire merear, negligentia eius etiam nunc promerente retardor. Nam ad prælium ubi vivendi finem feci, non satis iusta de causa cum eo veneram, nec à diris cruciatibus quos pro peccato illo & aliis innumeris malis meis patior, aliquod beneficiorum spiritualium levamen accipio. Sed quid mirum si obsequiis meis & morti meæ sibi impensæ ingratus apparet, cum nec de requie patris sui qui suam æternam pro eius temporali quodammodo neglexit salutem, semel vel in modico curare demonstret. Nam cum ille pro multis quæ ei iniuste acquisivit, pro innumeris malis quæ diversis Ecclesiis & maxime Cluniacensi intulit, specialiter vero pro castello & terra de Aia, crudelia patiatur tormenta: ipse absque aliqua pœnarum eius contemplatione lætatur, & his pro quibus ille nunc miserrime ingemiscit, ipse quotidie splendide epulatur. H Misereatur ergo mei, misereatur & patris, ne forte si modo nobis miseris misereri noluerit, miserorum & ipse numero celerius adiungatur. Nam si Missarum celebratione, eleemosynarum largitione, bonorum virorum apud Deum intercessione nos iuvare studuerit, & celeriorem nobis salutem parabit, & seipsum debito quo nobis astringitur liberabit. Quod si tibi aut non crediderit, aut non obtemperaverit, necesse iam mihi erit per memetipsum eum adire, atque ei ut hæc adimpleat instare. Scias autem multum iam mihi profuisse, factam nuper Lugduni in synodali conventu publicam absolutionem, unde talium & consimilium tam ardenter deprecor subventionem. Dixit hæc, & statim à conspectu eius evanuit. At miles sollicitus de iniunctis, ac veritus ne si dissimularet, aliquid infortunii cũ consequeretur, Humbertum adit, & quæ audierat cuncta referens, nihil de mandatis abscondit. Humbertus vero tantæ tamque apertæ visionis legatione audita, condigno timore perterritus, & ad audita pavebat,

A nec tamen auditis congruam diligentiam adhibebat. Verebatur magis more huiusmodi hominum promissum defuncti adventum, minorem de salute eius animo gestabat affectum. Vnde solus noctibus iacere formidans, familiares ne se casu aliquo solum relinquerent, admonebat. Et ecce parvo tempore emenso, iam dictus defunctus, quem tormenta invisibilia compellebant, nutu divino communicare verba mortalibus permissus; ei mane iam clara die in lecto iacenti, ac vigilanti, sese visibilem demonstrat. Nam lecto eius assidens, & formam quam habuerat, vestitum quo usus fuerat, lethale vulnus quod die mortis susceperat, velut adhuc recens pectore ac dorso prætendens, mirantem ac paventem Humbertum sic est allocutus. Quia, inquit, nuntium à me tibi missum audire noluisti, ad te ipse Dei permittente misericordia veni. B Cum enim te mihi maximum debitorem vita mea tibi impensa fecerit, ac benignum in malis maxima subventorem misericordia facere debuerit: tu nec mihi subvenis, nec saltem parvo spiritualis beneficij adiumento, crudelia quæ patior tormenta mitigare contendis. Super hæc, & patrem tuum miserandis pœnis atque ineffabili miseriæ subiectum, post tergum proiecisti, & cum ille maxime tui causa torqueatur, nullis ei pietatis visceribus condescendis? Ingemiscit ille in tormentis crudelibus, nec curas? torquetur, & exultas? patitur, & lætaris? Displicent ista benigno Deo, & pene iam in necem tuam sententiam dictavit: ubi quia his quibus maxime debitor es misereri dissimulas, qualiter misereri debueris, patiendo similia experieris. Sed distulit solita bonitate iustitiam: & ne expeditioni comitis Amedei, ad quam ire festinas intersis, me tibi denuntiare permisit. Nam si illuc abieris, possessa pariter & vitam amittes. Consule ergo tibi, C miserere & nostri, nec ultra spiritualium bonorum levamen nobis impendere differas: ubi & tibi salutem, & nobis requiem, conditoris clementia mediante provideas. Dum ergo ita mortuus miles Humbertum alloqueretur, & ille longa confabulatione iam securior redditus, ad respondendum vel ad interrogandum verba pararet, eius consiliarius Wichardus de Marziaco strenuus in secularibus miles, ab Ecclesia matutino tempore rediens, supervenit. Qui mox ut limen domus ubi vivo mortuus colloquebatur attigit, mortuus qui apparuerat statim disparuit. At Humbertus condigno pavefactus timore, mortui militis petitioni ei aliquatenus subveniendo ex parte satisfecit, seque pœnitentiæ causa Hierosolymam iter aggressurum, & sepulcrum Domini visitaturum professus est.

Hæc ad ædificationem fidei & morum scribens, quibusdam hæreticis vel erroneis nostri temporis hominibus, beneficia Ecclesiastica mortuis fidelibus posse prodesse vel negantibus vel dubitantibus, ad viam veritatis & Ecclesiæ doctrinam reditum persuadere D volui: neque tamen spe talium subsidiorum vitam mortalem sub negligentia transigendam, talibus tamque lucidis exemplis admonere decrevi. Ecce enim superna pietas quæ miserum in inferno sepultum audire noluit, pro fratribus rogantem, si quis ex mortuis ierit ad eos pœnitentiam agent, sed mentis eorum duritiam prænoscens respondit. *Si Moysen & Prophetas* Luc. 16. *non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit credent*: eadem, inquam, divina bonitas nostris diebus, non quidem corpus mortuum suscitavit, sed mortui corporis spiritum vel imaginem viventibus apparere, eosque ad pœnitentiam & ad sibi subveniendum admonere & deprecari permisit. Cesset igitur iam noxius error, spiritus fidelium precibus & bonis Ecclesiæ iuvari non credens. Excitetur quoque ignava segnities, aliorum post mortem bonis dormitando salvari confidens, sciatque pro certo, quia nisi quem opera condigna saluti præcesserint, eum post transitum aliorum subsequentia bona salvare non poterunt. Sed si talia eius opera fuerint, ut gratia Dei comitante damnationem æternam merito evadere debeat, si quid de E reliquo imperfectionis remanserit, tam sanctorum mortuorum meritis, quam viventium fidelium beneficiis, expiari poterit.

## CAPVT XXVIII.

*Item † de alterius apparitione in Hispania.*

† alias. *De apparitione cuiusdā defuncti in Hispania.*

ET quia semel Hispanias ingressi sumus, quod in eisdem partibus de re simili contigisse ibidem constituti audivimus, prætereundum non est. Est in Hispanicis partibus nobile & famosum Castellum, quod & propter congruum situm, & fertilitatem adiacentium terrarum, & multitudinem inhabitantium incolarum, quibus rebus proxima Castella exuperat, ut F æstimo non incongrue Stella vocatur. In hoc castello quidam Burgensis fuit, qui Petrus Engelberti vocabatur. Hic strenuitate famosus, & secularibus rebus abundans, totam usque ad senium fere vitam in seculo duxit. Tandem tactus ab illo, qui spirat ubi vult, seculo renuntiavit, atque in monasterio quod apud Nazarum † sub Cluniacensi iure & regula constructum est, habitum monasticæ professionis suscepit. Quo, † Nazaram. cum ego post duos annos conversionis eius pervenissem, audivi eum memorandam visionem narrasse, cuius quidem fama ad nos ante pervenerat, sed quis esset eius relator non dixerat. Hoc cum accepissem, ubi esset tantæ visionis relator sollicitus inquisivi, atque eum in quadam cella Nazarensi monasterio subdita satisque contigua, commorari audivi. Ad quem locum cum me itineris necessitas perduxisset, vidi hominem cui & ætatis maturitas, & morum gravitas, & cunctorum attestatio, ipsaque nivea canicies, fidem inte- G gram constanter præbere suadebant. Omnem tamen dubietatis scrupulum tam à corde meo quam à cordibus omnium excludere volens coram venerandis episcopis, Olorensi & Oximensi, coram sociis nostris, multæ religionis & scientiæ personis, ac quibusdam Ps. 5. aliis eum conveni, & quod veritas perdat omnes qui loquuntur mendacium ostendens, multaque similia ad eum ne mentiretur deterrendum adiungens, ut quod certum de visione illa sciebat narraret, non solum admonui, sed etiam in virtute obedientiæ, quam mihi ut monachus abbati subditus debebat, iniunxi. Ad quod ille quod adhuc prorsus nos omnes latebat adiiciens. Ego, ait, istud quod à me quæritis ab alio non accepi, sed ipse propriis omnia oculis vidi. Quo audito, multo magis exhilarati sumus habentes iam non alienorum verborum relatorem, sed rei ipsius certissimum inspectorem. Vnde magis magisque ad quærendum instigati, & ad audiendum intenti, moram pati ultra non potuimus, sed ut quod viderat enarraret, eum omnes compellere cœpimus. Volo H autem eum loquentem introducere, ut quicunque hoc legitis, vel auditis, non solum sensum verborum, sed & ipsa verba ab eius ore vos putetis audire. Tempore, inquit, quo rex Arragonensis Alfonsus, regnum maioris Alfonsi Hispaniarum regis iam mortui obtinebat, contigit ut contra quosdam qui in regione, quæ Castella dicitur, ei repugnabant exercitum commoveret, & ut de singulis regni sui domibus, singuli illuc pedites vel equites dirigerentur, edicto sanciret. Eo præcepto coactus, unum ex mercenariis mercede mihi servientibus Sancium nomine, ad exercitum destinavi. Paucis post diebus decursis, omnibúsque qui expeditioni illi interfuerant, ad propria redeuntibus, ipse quoque domum reversus est. Non longo deinceps tempore elapso, more humano morbo correptus, nec diu cum morbo luctatus, defunctus est. Inde post quatuor fere menses ex quo è vita recessit, dum apud Stellam in domo mea hiemali tempore iuxta ignem in lecto iacerem, subito iam dictus Sancius circa mediā noctē mihi adhuc vigilanti apparuit.

Qui igni aſſidens & carbones quaſi ad calefaciendum vel ad clarificandum huc illucque reverſans, multomagis ſe mihi cognoſcibilem demonſtrabat. Erat autem nudus & abſque omni veſtitu, excepto parvo vilique tegumento, quo velut inhoneſtiora corporis obvelabat. Quem cum vidiſſem, quis, inquam, es tu? At ille humili voce, ego ſum, inquit, Sancius famulus tuus. Quid, inquam, hic agis? Vado, inquit, Caſtellam, iterque meum multus exercitus comitatur, ut ubi deliquimus, ibi & delictis pœnas debitas exſolvamus. Et cur, inquam, huc divertiſti? Eſt, inquit, mihi ſpes veniæ & ſi miſereri volueris, celeriorem mihi requiem comparare poteris. Quo, inquam? quando, inquit, nuper expeditioni, quam noſti, interfui, hoſtili invitatus licentia, Eccleſiam quandam cum quibuſdam ſociis invaſi, quæ intus inventa ſunt diripui, veſtimenta inſuper ſacerdotalia mecum rediens aſportavi. Pro quo ſpecialiter diris pœnis ſubactus affligor, & remedium à te ſicut à Domino meo, quantis poſſum precibus imploro. Nam poteris mihi ſubvenire, ſi beneficiis ſpiritualibus me ſtudueris adiuvare. Rogo inſuper dominam meam uxorem tuam ex mea parte, mea functus vice depreceris, nec octo ſolidos quos pro ſervitio meo, mercenario iure mihi debebat, reddere iam moretur, & quod neceſſitatibus carnis ſi adviverem reddidiſſet, animæ meæ longe amplius hæc egenti erogando eos pauperibus largiatur. Iam ego tali eius collocutione multomagis animatus. Quid, inquam, de conceive noſtro Petro de Iaca nuper defuncto actum eſt? Rogó ut ſi quid de illo noſti, aperias. Illum, ait, opera miſericordiæ, frequenter quidem, ſed maxime præteritæ famis tempore pauperibus impenſa, beatorum requiei adiunxerunt, & vitæ æternæ participem effecerunt. Cumque eum tam prómpte & facile mihi reſpondere audiſſem, adieci. Et de Bernerio alio conceive noſtro, ante parvum tempus ſimiliter ut noſti defuncto, aliquid tibi notum eſt? Illum inquit, infernus poſſidet, quia ad dirimendas lites & iudicio terminandas huic villæ prælatus, multa ſæpe muneribus aut gratia illectus iniuſte iudicavit, & quia cuidam pauperi viduæ quodam tempore baconem unum qualecunque vitæ eius ſubſidium crudeliter auferre non timuit. Tunc longe amplius ad maiora quærenda animi fervore ſuccenſus, adiunxi. De rege noſtro Alfonſo ante paucos annos defuncto, tibi aliquid notum eſſe potuit? Ad hæc quidam alius in feneſtra capiti meo proxime ſuperpoſita reſidens. Noli, ait, hoc ab iſto quærere quod ignorat, quoniam recens eius ad partes noſtras adventus hoc ei notum fieri nondum permiſit. Mihi vero, cum a die obitus mei quinquennalis cum huiuſmodi ſpiritibus mora, plura quam iſti noviter nota fecit, quod de rege quæris, ignotum eſſe non potuit. At ego rurſus novæ vocis auditu attonitus, ac videre cupiens vocis auctorem, converti oculos ad feneſtram, adiutúſque lunæ ſplendore, quæ lumine ſuo omne tunc domus ſpatium clare illuſtrabat, conſpicio hominem in inferiori feneſtræ margine reſidentem. Quem in eodem habitu, quo alium viderам, cernens, & tu, inquam, quis es? ego, inquit, huius quem aſpicis ſocius ſum, & Caſtellam cum iſto & multis aliis proficiſcor. Et tu, inquam, dé rege Alfonſo, ut dicebas, aliquid noſti? Novi, inquit, ubi fuerit, ſed ubi modo ſit neſcio. Nam aliquamdiu tormentis acribus inter reos excruciatus poſtmodum à Cluniacenſibus monachis inde ſublatus eſt. Exinde vero quid de eo factum ſit, prorſús ignoró. His dictis ad ſocium qui igni aſſidebat verba convertens, ait. Surge, & iam iter inceptum peragere incipiamus. Ecce enim iam omnes vias, quæ intus vel extra caſtellum ſunt, ſubſequens nos exercitus ſociorum implevit, & iam multis velociſſime prætergreſſis, ubi feſtinanter eos ſequi debeamus, urgemur. Ad hanc vocem Sancius ſurrexit, & flebili voce quod prius rogaverat ingeminans, Rogo, inquit, Domine, ne mei obliviſcaris, & ut dominam meam coniugem tuam, quatenus quod corpori debebat miſeræ animæ meæ reſtituat, oro ſollicitus exhorteris. His dictis, ſtatim uterque diſparuit. At ego mox coniugem iuxta me in lecto dormientem, citata voce exſuſcitans, priuſquam ei quod videram vel audieram narrarem, interrogavi utrum aliquid Sancio communi noſtro mercenario pro mercede deberet. Qua reſpondente quod ego nondum ab aliquo niſi à mortuo audieram, ſe videlicet eidem Sancio adhuc octo ſolidos debere, nequaquam ultra dubitare potui, cui fidem omnimodam & mortui relatio, & mulieris confirmatio conferebant. Facto mane, octo illos ſolidos à coniuge accipiens, & de meo quod congruum viſum eſt addens, pro eius qui apparuerat ſalute, pauperibus diſtribui, & ſacrarum Miſſarum adiutoria, ei a ſacerdotibus mea prece & ſtudio impenſa, ad pleniorem peccatorum eius remiſſionem adauxi, hanc tam claram & commendabilem viſionem, velut verbum è verbo exprimens, ad ædificationem fidei & morum tam modernis quam poſteris fideli ſcripto tranſmiſi, & quanta cautela mortalibus neceſſaria mortuorum ipſorum teſtimonio declaravi. Non parum autem, immo maxime veritati huius viſionis atteſtatur, quod à mortuo dictum eſt, Alfonſum Regem à Cluniacenſibus monachis ſublatum, & à tormentis conſimilium reorum ereptum. Nam quod omnibus pene Hiſpanis & Gallis propulis notum eſt, idem Rex Cluniacenſis Eccleſiæ magnus amicus & benefactor extitit. Vt enim innumera alia pietatis opera eidem monaſterio ab eo impenſa taceam, magnificentiſſimus & famoſus Rex cenſualem ſe regnumque ſuum Chriſti pauperibus eiuſdé Chriſti amore fecerat, & tam a ſe quam à patre ſuo Fredelanno conſtitutum cenſum, ducentas, ſcilicet & xl. vini † uncias ſingulis annis Cluniacenſi Eccleſiæ perſolvebat. Præter hæc duo Monaſteria in Hiſpaniis ex proprio conſtruxit, alia à quibuſdam aliis perſonis conſtrui permiſit, & ubi conſtruerentur adiuvit: in quibus Cluniacenſes monachos ponens, & unde omnipotenti Deo regulariter ſervire poſſent, regia liberalitate affluenter largiens. Et pene mortuum monaſticæ religionis fervorem ex parte in Hiſpaniis reparavit, & ſibi hoc ſtudio poſt regnum temporale, regnum etiam ſempiternum, uti dignum eſt credere, comparavit. Obtemperavit benignus regis æterni præcepto faciens ſibi amicos de mammona iniquitatis, à quibus amicis finita regni villicatione, ſecundum iam dictæ viſionis tenorem, & à pœnis ereptus, & in æterna tabernacula ſuſceptus eſt. Quid enim magis illi miſericordi iuſtitiæ congruere potuit, quæ reddit unicuique iuxta opera ſua, quam ut ab his eripi videretur quibus ſubvenerat? ab illis ei miſericordia impenderetur quibus miſertus fuerat? ab his beatæ vitæ reſtitueretur, quorum in miſeriis præſentibus vitam, largis ſubſidiis ſuſtentaverat? Vere non fallax vox de cœlis à Ioanne audita, *opera mortuorum ſequuntur illos*, quod in iſto non rege apparuit, quem per opera miſericordiæ velut per eos quibus impenſa eſt, à tormentis eripuit, & requiei beatorum ſpirituum ſociavit.

† al. loti; ea melius, auti.

Apoc. 14

SANCTI PETRI

# MAVRICII

## DICTI VENERABILIS

## ABBATIS CLVNIAC. IX.

## De Miraculis.

*LIBER SECVNDVS.*

### CAPITVLA.

DE *oppreſſore Eccleſiarum, qui viſibiliter raptus eſt à diabolo.* I.

*De illo qui terra obrutus, per sacrificia & orationes Ecclesiæ ab angelo pascebatur.* II.
*Excusatio quare scriptor horum in narrando non potuerit ordinem temporum conservare.* III.
*De ortu, & adolescentia bona Domni Matthæi Episcopi Albanensis.* IV.
*Qualiter venerabili Radulpho Rhemorum postea Archiepiscopo adhæserit.* V.
*Quomodo ad Monasticam vitam aspirans, Ecclesiasticos honores dimiserit.* VI.
*Quod propter celebrem religionis famam Cluniacum eligens, apud sanctum Martinum de Campis Monachi habitum susceperit.* VII.
*Qualem se in Prioratu erga Deum exhibuit.* VIII.
*Qualis erga subditos fuit.* IX.
*Qualis erga omnes proximos vel remotos extiterit.* X.
*Qualiter à Domno Petro Abbate Cluniacum evocatus ordinem rigidissime tenuit.* XI.
*De schismate Cluniacensi per Pontium qui Abbas fuerat concitato.* XII.
*De fine scandali Cluniacensis, & sapientia Domni Matthæi.* XIII.
*Qualiter in Episcopum Albanensem assumptus sit, & quam sancte in eo sese habuerit.* XIV.
*Quod cum adhuc Prior esset, pecunias à Iudæis mutuari prohibuit.* XV.
*De schismate Romanæ Ecclesiæ, & quam viriliter Catholicam partem defenderit.* XVI.
*De fine ipsius miris insignibus glorioso.* XVII.
*De visione quam de ipso vidit Prior Sancti Zenonis.* XVIII.
*De visione alterius fratris.* XIX.
*Quomodo signo Crucis dæmones à se fugaverit, & de infatigabili eius ad Deum intentione.* XX.
*De revelationibus ante mortem illi ostensis, & gloria quam sibi paratam vidit.* XXI.
*Quam sancte & gloriose die sancto natalis Domini prima lucescente aurora de hoc mundo transierit* XXII.
*De celeberrimis exequiis eius, & tumulatione honorabili in Basilica sancti Frigdiani.* XXIII.
*De quodam malo Monacho, pessime mortuo.* XXIV.
*De visione quam scriptor horum Romæ positus vidit.* XXV.
*De visione fratris Enguizonis.* XXVI.
*De cuiusdam pueri vigilantis visione mirabili.* XXVII.
*De virtutibus Carthusiensium Monachorum.* XXVIII.
*De quodam fratre Carthusiensi, qui mira vigilans vidit.* XXIX.
*De miraculo cereorum Romanorum in Ecclesia matris Domini.* XXX.

## *INCIPIT LIBER SECVNDVS.*

## PROLOGVS.

QVONIAM ad roborandam fidem & mores instruendos, Miracula nostro tempore gesta, quorum indubia cognitio datur, scribere proposui, post ea quæ præmissa sunt, alia quoque legentibus, vel audientibus non minus ut credo utilia, adiungenda sunt. In quibus ut supra iam dixi, nullum temporis ordinem servo, nullius generis miracula vito, sed sicut ea vel olim didici, vel quotidie à diversis & fide dignis discere possum, scripturæ commendo. Doleo enim, & supra quam multis forte credibile sit, torpori multorum irascor: qui cum scientia literis, atque eloquio abundent, miranda omnipotentis Dei opera, quæ sæpe in diversis terrarum partibus ad instructionem Ecclesiæ fiunt, memoriæ posterorum mandare scribendo pigritantur. Et cum antiquissimos fuerit, non solum apud primos Christianæ fidei patres, sed etiam apud gentiles, ut quæque digna memoria literis traderent, isti nec Christianorum, nec paganorum studia imitantes, universa suis temporibus accidentia, quæ succedentibus non parum possent esse utilia, languentes animo perire permittunt. Cumque dicat Deo divinus Psalmus, Confiteantur tibi Domine omnia opera tua; hoc est laudare de omnibus operibus tuis, quomodo de illis operibus Deus laudabitur, quæ nesciuntur? Quomodo ab his, qui ea non viderunt, scienter, nisi dicantur? Quomodo in memoria recedentium, & succedentium temporum permanere poterunt, nisi scribantur? & cum omnia sive bona, sive mala, quæ vel volente, vel permittente Deo, in mundo fiunt, ipsius glorificationi, & Ecclesiæ ædificationi inservire debeant, si ea homines latuerunt, quomodo de his aut Deus glorificabitur, aut Ecclesia ædificabitur? Ad tantum autem iam infructuosa huius silentij segnities pervenit, ut quæcumque in Ecclesia Dei, sive in regnis Christianis, à quadringentis, vel quingentis ferme annis facta sunt, universa pene nobis & omnibus ignota sunt. Tanta enim apparet distantia nostrorum temporum & priorum; ut quæ ante quingentos, & mille annos gesta sunt nobis notissima, quæ vero exinde ipsis quoque diebus nostris acta sunt, prorsus ignota sint. Inde est quod historiis antiquis, Ecclesiasticis gestis, libris multiplicis doctrinæ Patrum instructiones & exempla continentibus, abundamus: eorum autem quæ temporibus nobis contiguis contigerunt, nescio si vel unum habemus. Scrutabantur priores illi rerum utilium diligentissimi, etiam apud remotas gentes & ignotas linguas, si quid inde dignum & humanis commodis inserviens, possint eruere. Vnde Ægyptij Græcorum, Græci Latinorum, Latini Græcorum & Hebræorum sive aliarum gentium linguas & scientiam studiose indagantes, invicem sibi, quæ necessaria cognoscebant, variis scriptis, diversisque translationibus communicabant. At è converso, Latini nostri non solum nulla peregrina rimantur, sed nec sibi proxima cognoscere, vel aliis ea scripto vel verbo commendare dignantur. Sed redeat sermo ad proposita, & secundum vires à Deo datas, si quid dignum vel utile invenire potuerit, ad Dei laudem vel profectum legentium, modernis vel posteris manifestet.

## CAPVT I.

*De oppressore Ecclesiarum qui visibiliter raptus à diabolo, & per aëra subvectus est, stupentibus qui aderant universis.*

PRimum igitur ad terrorem & correctionem malorum Principum, quod Matisconi gestum est, proferatur. Insolita quippe res, & præter quam tunc omnibus ut puto seculis inaudita, ibidem contigisse, omnium pene indigenarum celebri, & publica relatione narratur. Est autem eadem Matiscus in finibus regni Francorum, quod à Teutonicorum vel Romanorum imperio Arar fluvius à Lotaringia sumens initium, Rhodanúsque in mare mediterraneum habens profluxum disterminat. Quæ Matiscus à quibusdam oppida vocata, à quibusdam urbis nomine honorata, in primatu Lugdunensi, quintæ sedis obtinet locum. Hæc quantum ad ius Ecclesiasticum, Lugdunensi Primati; quantum ad ius seculare, Francorum Regi subditur. Huius urbis Principatum quodam tempore sub nomine Comitis quidam obtinens super personas, & res Ecclesiasticas execrandam tyrannidem exercebat. Longe enim exuperans aliorum prædonum nequitiam, non solum ex parte

Ecclesiarum

A Ecclesiarum substantias diripiebat, sed redditus earum omnes cum suis possessionibus, ubi tyrannica violentia subiugabat. Nam Canonicos de Ecclesiis, ipsos etiam Monachos de Monasteriis suis eiiciens, .... tas omnes, redditus omnes & quæcunque eis ad huius vitæ subsidium à maioribus data fuerant, immisericorditer abstulit, iurique proprio mancipavit. Ostenduntur adhuc ab incolis antiquarum Ecclesiarum ruinæ, ex quibus ipse sacræ religionis cultores eiiciens, venerabilia loca, omnipotenti Deo religiose servientium multitudine referta, in eremi solitudinem redegit. Ita se totum Deo subtrahens, mundo dedicans, gehennæ & tremendorum Dei iudiciorum oblitus: ut Evangelicus ille iudex, nec Deum timebat, (Luc. 18.) nec hominem verebatur. Cúmque diu concessa potestate abusus, quotidie se ipso deterior fieret, nullaque iam spes correctionis eius existeret, iram adversum se omnipotentis Dei iam non revocandam commovit, atque in se dirissime expertus est scriptura sa- B cræ sententiam dicentis: *Horrendum est incidere in manus Dei viventis.* (Heb. 10.) Et quia nequitia eius non occulta, sed publica, non cum timore, sed cum audacia Deum provocaverat, non latenter, sed publice: non tantum invisibiliter, sed etiam visibiliter, terribiliter tactus est tyrannis principibus in exemplum. Nam cum solenni die, Matisconi in proprio palatio resedisset, eumque multitudo tam militum quam diversi ordinis circumstaret, repente ignotus homo equo insidens per ostium palatij ingressus, omnibus conspicientibus & admirantibus, usque ad ipsum equitando pervenit. Cumque ei astaret, se ei velle colloqui dicens, ut surgeret ac se sequeretur, non tam monuit quam imperavit. At ille invisibili potentia constrictus, nec iam resistere valens, surrexit atque usque ad ostium domus processit. Vbi equum paratum inveniens, cúmque ab eo conscendere iussus, ascendit. Cuius statim habenas ille arripiens, statim cum velocissimo cursu C per aëra ferri, cunctis conspicientibus cœpit. Cúmque immenso eius clamore ac miserabili eiulatu tota civitas commota, ad tam invisum spectaculum concurrisset, tamdiu eum per aëra currentem attoniti conspexerunt, quamdiu naturali oculorum acie eum subsequi potuerunt. Qui cum enim diu, succurrite cives, succurrite, vociferantem audirent, nec iuvare valerent, subtractus tandem visibus hominum, æternus, quod meruerat, factus est socius dæmonum. Ab hoc tam horrendo spectaculo universi ad propria recedentes, sicut supradixi, horrendum esse incidere in manus Dei viventis, exemplo inaudito & miserabili didicerunt. Hoc ita fuisse post communem, ut dixi, omnium famam, quiddam non quidem tam mirabile, sed tamen mirum nostris diebus accidens attestatur. Nam ille, de quo suprascripsi, traditus diabolo comes, dum cum socio maligno de palatio, uti dictum est, egrederetur, post ostium muri palatio illi proximi, transitum habuit. Quod ostium, cives ob tantæ rei horrorem & memoriam posteris commendandam, lapidibus ob- D turaverunt. Quod nuper Otgerius Wilielmi Comitis Præpositus renovare cupiens, & propter quædam quæ publico, vel privato usui necessaria videbantur, pervium facere volens, conductis quodam die operariis, obicem lapidum ab ostio removebat. Erat autem & ipse pro posse suo, acer Ecclesiarum persecutor, & ubi parva occasio occurrebat, res earum usibus diversis vexabat. Dum igitur hic operi iam dicto instaret, ecce invisibiliter à diabolo raptus, ac videntibus qui aderant multo in aëra spatio sublevatus, sed confestim dimissus, corruit, eiusque corpore graviter colliso, brachium quoque illius subita illa ruina confregit. Quod videntes socij, rursus foramen ostij quod aperire cœperant, lapidibus obturaverunt, & ad perennem utriusque prodigij memoriam, clausura perpetua damnaverunt.

## CAPVT II.

*De illo qui terra obrutus, per sacrificia & orationes Ecclesiæ ab Angelo pascebatur.*

Illud quoque quod salvatrici hostiæ, hoc est, sacrosancti corporis & sanguinis Christi sacramento non parvum nostris diebus testimonium dat, præcedentibus adiungendum est. Est in Gratianopolitano Episcopatu locus in venis subterraneis plurimum ferri habens, quod multo incolarum & rusticorum sudore assidue eruitur, ac fornacibus coctum & expurgatum, per circumiacentes terras fabris ferrariis, vel quibuslibet pro lucro venditur. Inde & villa, quam iidem homines incolunt, Ferraria nuncupatur. Solent autem huiusmodi homines, dum terræ abdita fodiendo perscrutantur, spe maioris lucri longius procedere, & per subterraneos specus pertinaciter maiorem ferri mate- F riam perscrutari. Huic operi dum quodam tempore quidam rusticus indefessus instaret, & intima terræ viscera fodiendo, acriter rimaretur, repentè maxima moles terræ delapsa, aditum per quem ingressus fuerat, obturavit. Quia tamen fodiendo longius processerat, & multum post se spatij exhausta terra inane reliquerat, mortem evasit, & velut in domo clausa ac validis munitionibus undique circumsepta, egredi quidem non potuit, incolumis tamen permansit. Sed tenebris tam tenebrosi carceris circumseptus spe omni evadendi sublata, ac velut in amplo sepulchro sepultus, mortem ipsam adhuc vivens iam se cernere æstimabat. Quē iam per aliquot dies non apparentem, uxor sua mortuum credens, ad animam eius spiritualibus beneficiis adiuvandam conversa est. Vnde per annum integrum omni hebdomada unam ei Missam celebrari a sacerdo- G tibus faciens, & pro eo panem & candelam offerens, salutari sacramento, ut mos est Ecclesiæ, animæ ut putabat defuncti mariti subvenire satagebat. Vna tamen in anno hebdomada extitit, qua mulier aliis intenta negotiis, Missam, ut proposuerat, marito providere neglexit. Et ecce totius anni pene emenso tempore, rursū fossores metalli officio assueto irrequieti instantes, ad locum in quo iam dictus rusticus adhuc vivens latebat, paulatim fodiendo perveniunt. Quorum dum voces, & malleorum sonitus iam appropinquantium, rusticus inclusus audisset, quantus potuit nisibus vociferari cœpit. Cuius illi vocem audientes, & utpote artis illius periti, hominis subterranei esse cognoscentes, sese invicē cohortati sunt, & ad eum tandem post multum fossionis laborem pervenerunt. Quem accensis luminaribus curiose circumspicientes, illum esse quem anno iam præterito ibidem obrutum esse sciebant, agnoverunt. Admirati, & pene ut dignū erat tantæ rei novitate stupefacti, quomodo illic tantum vivere potuisset, instantissimè inquirebant. At ille respondit. Isto quē non removistis terræ obice, foramini per quod intraveram obie- H cto, cum hoc carcere quem videtis retentus fuissem, atque aliquantis diebus sine cibo & lumine permansissem, subito mihi iam pene deficienti cum pane simul & lumine quidam astitit, qui me confortans, & ad cibū capiendum admonens, tetras tenebras illas candela quā ferebat, clarissimè illustravit. Eo pane per spatium septē aut octo, ut mihi videbatur, dierum refectus, totidem diebus ea candela illustratus, & famis periculū evadebam, & huius fossæ tenebras evitabam. Post septē vero vel octo dies, rursus ille qui prius cum recenti pane, & renovato lumine adveniebat, eaque mihi dimittens, confestim recedebat. Hoc per unius, ut mihi videbatur, anni excursum, æquo pene temporis intervallo nunquam facere destitit, excepto unius hebdomadæ spatio, quo mihi præsentiam suam munusque solitum, nescio qua de causa, subtraxit. Quo tempore fame & tenebris valde excruciatus sum quousq; rursū benignus ille vitæ meæ conservator rediit, & similí subventione

A vitam meam iam morti proximam reparavit. Hæc illi ab eo audientes, & quid pro illo uxor eius per totum illum annum fecerat ad mentem revocantes, cui ea ei protinus exposuerunt. Deinde hominem de cavernis illis subterraneis educentes, uxori propriæ, vicinis omnibus & populo ad tantum spectaculum undique concurrenti, mirum dictu, post annuam sepulturam incolumem reddiderunt. Qui simul congregati, & quod ille de se narrabat subtilius examinantes, eisdem diebus panem, quo reficiebatur, candelam qua illustrabatur, ei in illo specu oblata fuisse invenerunt, quibus mulier pro eius requie & Missam celebrari faciebat, & sacerdoti Missam celebranti, panem simul & candelam offerebat. Glorificantes ergo Dominum, & non minus quàm pro mortuo suscitato, ut verè dignum erat, gratias agentes, quantum recta fides Deo placeat, quantum fidelium oblationes, vel sibi, vel aliis prosint, quantam super omnia salutem salutaris B hostia Deo oblata dignis operetur, luce clarius agnoverunt.

## CAPVT III.

*Excusatio quare scriptor horum, in narratione rerum gestarum non potuerit tempus, & ordinem observare.*

QVod sæpe supra fassus sum, me in relatione horum miraculorum nullum temporis ordinem servare, nullius generis miracula vitare, fixum ac stabile pu... et ... memor ... esse desidero. Tunc enim ... temporum quæ forte videri possit confusione, vel permixtione turbari poterunt, quando me non temporum seriem, sed rerum quolibet tempore gestarum veritatem observare cognoverint. Servassem tamen tempora ipsa cum rebus gestis, si eo ordine, C utrumque simul à relatoribus accepissem. Sed quia plerumque quæ prius facta fuerant, ultima didici, quæ posterius acta, in primis accepi: necessitas mihi facta est, non eo tempore quo res gestæ sunt, sed eo tempore eas scribere, quo relatæ sunt. Inde est quod in gestis quorundam bonorum Monachorum bonos actus describens, cuiusdam boni & magnificæ vitæ Monachi gesta prætermisi. Nam post aggressum illud opus, aliquantis iam transactis annis, ea ex parte à quibusdam dignis fide audivi, & quæ de illo per me ipsum ipse agnoveram, illum eius finem expectans, quia adhuc in carne vivebat, in quo omnis laus secure canitur, scribere distuli. Iam vero illo feliciter humanis rebus exempto, & Deo, cui semper devotus adhæserat, ut dignum est credere coniuncto, tempus est aliqua de eo scribendi, & posteris sanctam benedicti hominis memoriam commendandi.

D

## CAPVT IV.

*De ortu, & adolescentia bona Domni Matthæi Episcopi Albanensis †.*

† MS. add. *Monachi Cluniacensis.*

FVit autem hic non obscuri secundum carnem generis, ortus ex Rhemensi provincia, utroque parente & nobilitate, ut dictum est, insignito, & mundanis opibus locuplete. Hic in pueritia literis traditus est, & postquam adolevit, in Laudunensi Ecclesia Clericale officium adeptus fuit. Hic statim à primis annis contra multorum Clericorum depravatum morem, cum ætate cœpit, & honestate invalescere, & levitatem vel lasciviam consodalium fugiens & execrans, quod perrarum est in huiusmodi hominum genere, famosis honestate ac religione Clericis adhærebat.

E

## CAPVT V.

*Qualiter venerabili Radulpho Rhemorum postea Archiepiscopo adhæserit.*

INter quos, quendam probatioris vitæ Clericum, Rhemensis Ecclesiæ tunc Thesaurarium eligens, qui Radulphus nomine, Viridis cognomine dicebatur, ei se specialius religiosa familiaritate devovit. De hinc rapto eodem Radulpho, & in Rhemensem Archiepiscopum assumpto, non deseruit quem elegerat, sed probatum vita ac prudentia hominē, religiosus ac prudens iuvenis prosequens aliquamdiu sub ipso Remensis iā Ecclesiæ Canonicus perseveravit. Gaudebat eius societate religiosus Episcopus, nec inferiorē ei amoris vicē rependebat. Cernebat in eo quod in se cognoscebat, & F velut imaginem virtutum suarum in ipso amplectebatur. Vt enim quidam sapiens ait, similitudo morum concordiam efficit animorum. Et verè, nunquam enim dissimilia sibi convenire potuerunt, nec in una sede diversa morari. Nam dissimilitudine discohærentia, si quis sine aliquo simili adiungere tentat, frustra laborem insumit. Statim enim ab invicem resiliunt, nec nisi per aliquod simile ac medium, ut dictum est, coniungi possunt. Hoc enim in elementis, hoc in corporibus, hoc in moribus, hoc prorsus in rebus omnibus constat, & luce clarius est. Sic bono Episcopo bonus Canonicus, bonorum morum vitæque honestæ congruentia coniunctus, paulatim per quotidiana incrementa, ad maiorem religionis ac sanctæ conversationis amorem promovebatur.

## CAPVT VI.

G

*Quomodo ad Monasticam vitam aspirans, Ecclesiasticos honores dimiserit.*

INde actum est, ut divinus ignis, pectoris eius de scintilla exortus, in flammas prorumpere gestiret, & non iam sub illo Canonicali, immo penè seculari ac fallaci tegmine, sed sub vero ac syncero Monachorum ordine, Deo servire proponeret. Videbat institutis illis Clericorum nihil prope religionis inesse, multa ibi simulari, pauca in veritate geri: ambitione, cupiditate, æmulatione cuncta interturbari, & sub tonsura vel habitu Clericali, rectius mercenarios quam Canonicos posse vocari. Hæc & his similia mortis genera in eis abhorrens, & velut de medio Babylonis iuxta vocem Prophetæ fugere quærens, adit Episcopum, & familiare sibi colloquium ab eo indulgeri rogat. Quo H impetrato denudat quidem ex parte animi secreta, sed ex maiore, sub silentio tecta reservat. Timebat enim, ne si cuncta Episcopo se diligenti proderet, dilectione qua ei tenebatur obstrictus, eius conatibus idem Episcopus contrairet. Et noverat quidem Episcopum omnino virtutum suarum desiderare profectum, sed velut membri alicuius à corpore divulsionem, eius à se timere discessum. Hac ergo de causa quicquid de seculi abrenuntiatione proposuerat reticens, reliqua pandit, & se canonicales redditus minus canonice accepisse confirmat. Timere se ne à patre divite, & seculari homine, pretio vel prece indecenti, redditus Ecclesiastici, qui gratis dari, & accipi debent, sibi provisi fuerint, atque cū subsidio corporali æternus interitus comparatus. Et nescisse quidem se tales contractus, neque accersitum fuisse ad huiusmodi commercia. Formidare se tamen sola fama ad se perlata, ne solo nomine Christianus dicatur, & rerum veritate Simonis discipulus approbetur. Debere patrem saluti filij providere, & ne cum aliquo ovis de numero gregis sibi crediti pereat, satagere. Et ut, inquit, finem dicendi faciam, & quod hucusque in corde meo latuit, retegam, præbendas

omnes

Digitized by Google

A omnes, redditus Ecclesiasticos omnes quocumque modo mihi datos in manum vestram refundo, & omnibus prorsus Ecclesiasticis, non spiritualibus, sed corporalibus, mihi hucusque collatis beneficiis, abrenuntio. Hæc Episcopus à iuvene audiens, & innumeros senes ac decrepitos multa animi devotione eum exuperasse gaudens, in lachrymas est resolutus, eumque ne id faceret, & ne pro culpa incerta, Ecclesiasticis beneficiis renuntiaret, hortatus est. Non acquievit ille, sed in incepto proposito constanter perseverans, quod cœperat, perfecit. Renuncians ergo tali occasione Ecclesiasticis negociis, immo cunctis secularibus causis, ab Episcopo ei valedicente, eumque ad alia sua negotia mittente, recessit. Nec diu moratus est, sed quod de sua æterna salute conceperat, adimplere celeriter properavit. B

## CAPVT VII.

*Quod propter celebrem religionis famam Cluniacum eligens, apud sanctum Martinum de Campis Monachi habitum suscepit.*

Cogitans vero quò diverteret, vel vbi conceptum religiosè vivendi propositum adimpleret, Cluniacum elegit. Audierat namque ab illo suo Rhemensi Archiepiscopo, & ante Episcopatus officium & post, Cluniacense Monasterium prædicari. Audierat eum Cluniacensis Ordinis modum & morem, multis laudibus extollentem, adverterat eum Cluniacenses institutiones multis ac diversis religiosorum institutionibus præferentem. Coniecerat non leviter in his posse falli hominem doctum in divinis, expertum in humanis, qui pene nihil divinorum longo vsu, subtili meditatione ignorare poterat, qui pene nihil mundanæ C scientiæ, ne dicam sapientiæ intentatum reliquerat. Huius ergo credulus verbis, religionis, quam eum maxime approbare audierat, se consociare decrevit. Sed quid faceret, inquam, fervens & devota anima, quæ adeo divino igne incanduerat, vt conceptam rem diu differre, mortem putaret? vrgebat eum vt celeriter vota compleret spiritus, sed longe aberat Cluniacus, longe aberat, longum iter intererat. Timebat ne tanto temporis spatio tentatori indulto, à nequam hoste vinceretur, & conceptus spiritus casu aliquo extingueretur. Vnde quia vel ideo timebat, vel quia secundum quendam cupienti animo nihil satis festinatur, Cluniacum quidem matrem, quia remotior erat, tunc non adiit, ad Cluniacensem tamen filiam, quæ propior erat, hoc est, sanctum Martinum de Campis, gressum convertit. Et congrue, est enim idem S. Martini Monasterium, suo Cluniacensi Monasterio in Ordinis, Religionis, ac fervoris proposito, pro modo suo ita consimile, & in totum conforme, vt velut simulachrum ceræ impressum, multis aliis ad Cluniacum pertinentibus Monasteriis, originalis sigilli imaginem familiarius repræsentet, & exceptis locorum distantiis, quæ simul esse non possunt, non diversa, sed prorsus vnum sint. D Ad hoc ergo Cluniacense Monasterium Matthæus, non quidem de telonio, sed de gradu, immo casu Canonico à Christo vocatus venit, & se à Domino Theobaldo Priore in Monachum suscipi rogavit. Gavisus est Prior, & vt solet in desperatis rebus fieri, præ gaudio, serio eum hoc dicere non credebat. Persuasit tandem ei, vt crederet se ad hoc venisse, & vt cito susciperetur, cœpit instare. Hora erat secundum ordinem Cluniacensem incompetens, nec in illa aliquem pro Monacho venientem suscipi fas erat. Monuit Prior Theobaldus Matthæum vt sustineret, & horam congruam, qua id pro more in crastino fieri posset, præstolaretur. Respondit ille se pati non posse dilationem, habere se socios, quibus si res quoquomodo innotesceret, iam deinceps quod volebat, effectui mancipare non posset. Victus Prior ratione, victus iuvenis devotione, victus maximè tanti lucri, si ei non cederet, amissione, libens cessit quod rogabatur. Ingressus Capitulum convocat omnes, refert causam, lætantur universi, rogant id cito fieri. Festinanter adducitur, conspectibus omnium præsentatur. Voto & petitione propria, exuitur veteri homine, induitur novo, regulæ monasticæ subditur, corpori Monasterij, quantum tunc fieri potuit vel debuit, associatur. Parvo temporis spatio emenso, Cluniacum venit, quod ei professione scripta, vel de Monachi vsitata benedictione defuerat, à Cluniacensi Abbate eo ibi benedicto suppletur, & iam integer corde, ore, habitu ac vita Monachus, sibi iam penè de Monacho nihil deesse, in Domino gloriatur. E

## CAPVT VIII. F

*Qualem se in Prioratu erga Dominum † exhibuit.*

† Deum

Remissus præcepto Abbatis sui ad Monasterium S. Martini cum per annos septem claustri ordinem ferventissimè tenuisset, iussione eiusdem Abbatis successit in Prioratum, Priore iam defuncto, & sicut de bono viro spes certa suadet credere, ad beatæ vitæ statū translato. Vbi qualem quantumque se Deo, subditis, & quibusque proximis ac remotis exhibuerit, vix à me explicatur. Vt quando † hæc tria quæ proposui, sigillatim exequar, exhibebat se Deo ac substernebat vera cordis ac corporis contritione, præteritorum actuum vel negligentiarum pœnitudine, mundi contemptu, plenissimo ac plenè singulari, inter multa millia Monachorum, in Deum devotionis affectu. Morabatur in claustro assiduè cum fratribus, & post plurimos mundi discursus, penè velut ea cui adhærebat claustri columna, sacræ lectionis intentus studio, immobilis perdurabat. Vix poterat eum commissi Prioratus cura, saltem ad horam à fratrum Collegio segregare, vel ab intentione semel in Deum defixa, G quolibet mundus occupationis suæ vnco retrahere. Cumque sub ducatu eius ferè trecenti fratres, tam intra quam extra Monasterium Domino, militarent, eisque corporalia subsidia providere, vel per se, vel per alios ex officij debito cogeretur: Marthæ quidem importunas exactiones ex toto effugere non valebat, sed tamen toto animi desiderio Mariæ otio inhiabat. Hinc commune claustrum (vt dictum est) commune oratorium, communes fratrum domos elegerat, in quibus velut Moyses in tabernaculo à Iudæorum lapidibus, sic ipse à mundi tumultibus, tutior permaneret. Et quia cum Propheta hanc vnam à Domino petierat, vt non tantum in cœlis, sed etiam in terris habitaret in domo Domini omnibus diebus vitæ suæ, quia maluerat abiectus esse in eadem domo Dei quàm habitare in tabernaculis peccatorum, libens morabatur in illa. Ibi frequenti lectione, assidua meditatione, ferventissima oratione, Deo se commendans & vniens, si qui fuerant præteritæ vitæ nævos, fortasse non multos, expiabat & piorum studiorum in cœlis thesauros quotidianis virtutum incrementis in dies recondebat. Non relinquebat partem aliquam theoriæ intactam, sed ieiuniis, vigiliis, ciliciisque asperis corpus edomans, silentio, psalmodia & his quæ dicta sunt studiis, de veteri H in novum hominem totus mutari, & sic à vetustate mundi in novitatem Christi plenum propemodum transitum facere satagebat. Sacrificiis super omnia divinis, & sacris cœlestibus totus intentus erat: quæ non frequenter solum, sed quotidie Deo offerens, omnes quidem dignos, sed congregationis propriæ fratres specialiter, sibi vero commissos specialius, illo salutari & ineffabili sacramento, divinæ clementiæ per dies singulos commendabat. Imitabatur sicut in quibusdam aliis, sic & in hac divini sacrificij quotidiana oblatione, iustum Iob. De quo, cum dictum esset, Consurgens diluculo offerebat holocausta per singulos, subauditur

filios, post modicum additur: Hoc faciebat Iob cunctis diebus. Sic iste cœleste sacrificium, & ea hora qua Iob, hoc est mane quando poterat, & quotidie sicut Iob, pro se, pro subditis, pro universis ad Christi corpus pertinentibus, & hoc remedio indigentibus offerebat. Quis iam explicet bonam illam animam omnium affectuum terrenorum oblitam, carnem ipsam ferè excedentem, ad cœlos multa in specie raptam? quis suspiria? quis gemitus? quis non lachrymas sed lachrymarum imbres usque ad imum quidem terræ descendentes, sed usque ad summum deitatis fastigium conscendentes? quis planè animam illam Hester vocare beatam, cuius à prima die Monachatus, usque ad ultimum vitæ exitum, crimina nulla, bona multiplicia & continua, oblatio Agni immaculati, qui tollit peccata mundi, per viginti ferè annos quotidiana? Talem quidem se Deo exhibebat. Sed qualem subditis?

## CAPUT IX.

*Qualis erga subditos fuit.*

Talem se planè subditis exhibuit, talem usque ad vitæ terminum conservavit, ut non solum quantum ad Dominum, sed etiam quantum ad se, misericordiam & iudicium eidem Deo secure cantaret. Ut enim mihi boni, & veraces fratres testati sunt, qui ei multo tempore convixerunt, & ipse ex plurima parte expertus sum, & misericors in subditos, & iustus super omnes penè sui temporis Cluniacensis congregationis Priores extitit, & huius misericordiæ vel iustitiæ multa diebus suis & post, exempla reliquit. Misericors in eos erat, necessaria eis pro viribus præparando, & unicuique secundum Apostolicam & Patris Benedicti regulam, prout opus erat, multo labore quæsita largiendo. Pauper erat domus sibi commissa rebus, licet verè multis dives esset virtutibus. Quæ necessitas, quia sæpe graviter instabat, & cor eius angore & corpus multo semper labore fatigabat: hac de causa aliquando proximos, aliquando remotos Reges & Principes adibat, & eorum donis & muneribus, servorum Dei frequenter indigentiam recreabat. Mos ei erat quamdiu domi morabatur, ex præcepto quidem regulæ, sed maximè ex dono Dei derivatus, infirmorum, pauperum, hospitum, in quantum Prioratus officium patiebatur, per seipsum potiorem curam gerere. Cumque eum recedere instans aliquod negotium urgeret, fratres vel in capitulo vel extra convocans, præmissa inde multa exhortatione, hanc eis curam, hoc velut proprium officium curiosissimè commendabat. Nec solum circa hæc tria hominum genera misericors eius animus occupabatur. Incolumes ipsi, & hi maximè qui labori conventus devotè instabant, misericordis pastoris curam frequenter experiebantur. Nihil eis ferè deerat ad victum, nihil fatigatis ad requiem, nihil pusillanimitate succumbentibus ad consolationem. Omnibus & absque exceptione, & cum congruenti discretione pater erat. Iam vero discreto rigori iustitiæ eius, & multi alij, & nos cum illis qui hæc vidimus, verax testimonium ferimus. In tantum enim negligentibus de maximè damnabiliter peccantibus indignabatur, ut corde, verbis & vultu, interiore zeli Dei flamma urgente inflammatus, in eorum prorsus interitum, si nesciretur, insurgere crederetur. Si attenderes, nihil Phinees insolito vulnere libidinosos percellens, nihil Helias igne cœlesti idololatras consumens, irreverenter peccantibus plus eo irasci viderentur. Unde & delinquentes, Cluniacensi more, prout iustum videbatur, sanguinolentis verberibus castigabat; ferro, compedibus, & diversi generis vinculis coërcebat, tenebroso plerosque carceri mancipabat, fame valida & siti carnis ac spiritus superbiam conterebat: aliquando quoque, quod semel tantum, quia sic oportuit, fecisse dicitur, sepultura perpetua cohibebat. Hoc tunc fuit, quando cuidam spiritualiter mortuo, caveam subterraneam velut sepulchrum paravit. In quo eum concludens, arte illa sua, qua fratrem viventem spe vitæ immortalis quasi mortuum sepelierat, ad hoc pervenit, ut qui super terram vivere non poterat, iam sepultus vivere disceret. Hoc factum est, quando frater ille velut sepultus ad vitam rediit, ipsa sepulchri sui corporalis imagine pavefactus, ad vitam spiritualem & æternam, à qua peccando alienus factus fuerat, pœnitendo rediit. Nam licet obstinatus valde ante fuisset, frequenti tamen patris & fratrum admonitione, ac sui simul sepulchri cohortatione, ut dictum est, malis omnibus, & maximè illis pro quibus inclusionem meruerat, ex corde renunciavit, & in humilitate ac contritione spiritus perseverans, diem ultimum clausit. Tale fratris spiritualiter mortui, & resuscitati sepulchrum, à sepulchro Lazari corporaliter resuscitati, fortassis, imo prorsus non dissentit, quia Lazarus hunc de quo sermo est designans, vocatus de sepulchro suo, vitam rursus morituram, iste de suo ab eo Domino per Matthæum suscitatus, vitam meruit sempiternam. Hoc iustitiæ zelo fervens, & totus, ut sic dicam, ignitus famem huius sui fervoris ubique sparserat, & negligentes vel fluxos non solum subditos, sed etiam quoslibet alios proximos vel remotos solo Matthæi nomine deterrebat. Exertum semper, ut olim Cherubim, in necem scelerum flammeum gladium præferebat, nec eum à sceleratorum sanguine aliquando prohibebat. In hac virtute ita præcelluit, ut & domum sibi commissam ad longè maiorem solitæ religionis statum perduceret, & multa circumposita Monasteria, vel Abbatias, quæ à totius Monastici ordinis fervore languerant, adiutus quorumdam bonorum virorum auxilio, in optimum religiosæ conversationis propositum reformaret. Talem se ut dictum est Matthæus habuit ad subiectos. Sed qualem se exhibuit ad alios proximos vel remotos?

## CAPUT X.

*Qualis erga omnes proximos vel remotos extiterit.*

Exhibebat omnibus communem tam corde quàm verbis dilectionis affectum, & in quantum salva propositi gravitate poterat, iocundum se & hilarem quibusque alloquentibus offerebat. Ad omnes quidem iuxta Patris Augustini verba congruum charitas habebat affectum, ad eos vero quos poterat, eiusdem effectum. Fecerat ea charitatis virtute, Monasterium suum præ cunctis totius Franciæ Monasteriis, commune universorum hospitium, & velut generale, absque alicuius personæ exceptione, cunctorum asylum. Episcoporum, Abbatum, nobilium etiam laicorum quotidianus concursus, Monachorum & Clericorum agmina, pauperum quæ nunquam deesse poterat turba, domos universas, hospitia cuncta assiduè penè replebat. Suscipiebantur alacriter, nec in suscipiente boni vultus hilaritatem, tanta advenientium importunitas turbare poterat; cuius cor virtus illa, quæ nescit quærere quæ sua sunt, sed quæ aliorum, plenarie possidebat. Expendebat in his pietatis sumptibus, non solum omnia sua: sed & quæ mutuo accipere poterat, multo sæpe cum fœnore aliena. Nam ut omnibus ad Monasterium cōfluentibus obsequi, ut omnes procurare, ut omnibus satisfacere posset, extendebat se supra se: nec vires proprias vel quantitatem facultatis attendens, penè ad impossibilia semetipsum cogebat. Cumque plerique Abbatum vel Episcoporum, quorum ego nonnullos agnosco, marsupiis plenis, immo ut sic dicam, exundantibus gazophylaciis, vix vel buccellam pauperi præbeant, vel raro hospiti ostium aperiant: hic è converso iuxta Apostolum, velut nihil habens & omnia possidens, negare cuilibet, etiam quæ deerant, nesciebat. Inde attenuata domo, exhaustis omnibus, ipsis

etiam,

A etiam, ut hospitibus satisfieret, sæpe Monachis esurientibus, multo animi angore sollicitabatur. Sed rursus redolens illud Propheticum, Inquirentes Dominum non deficient omni bono, etiam de subsidiis corporalibus dictum, & illud Domini, Nolite solliciti esse, dicentes, quid manducabimus aut quid bibemus? & aliud, Hæc omnia adiicientur vobis: reformabat animum ad spem, & totum in Domino iactans cogitatum, velut plenis horreis, vel cellariis exultabat. Nec frustrabatur diu spe sua, nec ille qui volatilibus cœli, quæ nec serunt, nec metunt, providet, servorum suorum obliviscebatur. Providebat eis sæpe invisibilis provisor, per reges ac principes ministros suos: atque servos suos, non dominos, sed horarios dispensatores; providebat, inquam, eis sæpe necessaria, & multa frequenter mittebat. Aderat plerumque paupertie valida angustatis ac multo ære alieno oppressis, ex improviso emergens B pleno copia cornu, & mœrorem in gaudium, egestatem in abundantiam subito transferebat. Sic, sic magnificus retributor facere consuevit ut quæ talibus officiis expenduntur, velut sibi credita plusquam fidelis in commisso, eadem non tantum duplicata, sed etiam centuplicata quandoque restituat. Hinc erat quod inter cæteros Principes, qui eum harum & similium virtutum fama exciti diligebant, quique illi de suis multa largiebantur, Ludovicus Rex Francorum, rexque Anglorum Henricus, singulari ipsum amore amplectebantur. Advenientem se gaudenter suscipiebant, multo susceptum honore colebant, ac discedentem nunquam ferè vacuum remittebant. Hoc maxime iam nominatus magnus ille rex Henricus faciebat: qui sicut universo pene orbi terrarum notum est, cunctos sui temporis Christianos Principes prudentia transcendit, operibus evicit, largitate superavit. Huius Matthæus gratiam, gratia virtutum suarum familiariter meruerat. Nam cum sæpe adiens, ab eo obsequiis honoratus, ac donis regiis onoratus, lætus ad fratres regrediebatur, C eorumque de inopia patientiam, huiusmodi remediis consolabatur. Ita bonus vir prius Deo, deinde propter Deum omnibus complacens, omnibus gratus, & sibi omnes talibus vitæ vel virtutum studiis devinxerat, & secundum Apostolum pro modo suo omnibus omnia factus omnibus complacebat. Sicut igitur in suprascripta divisione præmisi, Deo primum, deinde subditis, post etiam quibusque aliis proximis vel remotis talem se Matthæus exhibuit, tale sui exemplum & sui temporis, & post futuris monachis omnibus dereliquit.

## CAPVT XI.

*Qualiter à domno Petro Abbate Cluniacum evocatus, ordinem rigidissime retinuit.*

EO tempore contigit nescio qua Dei voluntate vel permissione ad Cluniacensis congregationis regimen, quod non dupliciter, sed simpliciter profero, me D indignissimum assumi, & tantarum numero, tantarum merito ovium Christi curam, inutilem & improvidum prorsus opilionem assumere. Et quia famam huius de quo sermo est, ante hoc officium hauseram, & ea de causa eum iam ex parte notum & familiarem habebam: ad Ordinis adiutorium, & ad impositæ curæ supportandam sarcinam, ipso statim primo vocationis meæ anno Cluniacum evocavi. Astrinxi eum mihi fortiore nec unquam dissoluendo amoris vinculo, eique statim Ordinis & claustri, cuius ut iam dictum est, ferventissimus erat amator, curam imposui. Succreverant paulo ante in magno illo & nobili monastici ordinis agro, resecanda vel potius evellenda, utilibus satis contraria, & quorumdam quos nominare nolo, culpa vel desidia, nam ex maiori parte iam vita excesserunt, plurima extirpanda exorta fuerant. Ad huius rei adiutorium magnum bone & vineæ Christi non segnem operarium, ut iam dixi accersens, insignem verè eum adiutorem expertus sum. Nam noxia vel superflua quæque E in cibis, in potibus, in moribus quam maximè persequens, licet ea de causa multa nunc reticenda passus fuerit, ea tamen ad congruum finem, etsi non statim, Deo præcipue, meque eum quibusdam aliis pro viribus iuvante, perduxit. Nec ideirco tamen curam Monasterij iam dicti deposuit, quoniam a me, quia sic res exigebat, & Cluniaci ordinem tenere, & domui iam dictæ providere coactus, non obedire non potuit. Erat quippe talis, qui non unius tantum virtute dexteræ sed & ipsa sinistra, sicut de quibusdam scriptura sacra refert, pro dextera uti nosset. Et rectè: stulti enim hominis est, nunquam sinistram habere, sed semper ea quæ sinistra, hoc est adversæ partis sunt, in dexteram, hoc est rectam convertere. Sic expertam hominis virtutem, non uni tantum, sed gemino oneri portando sufficientem, utrumque eius humerum supposui, atque ut secundum eam quam in ipso cognoscebam gratiam, fratribus F suis aliquantulum abinvicem remotis, labore suo proficeret, providi. In hoc statu, aliquanto tempore decurso, postquam certa & utilis causa exegit, dato ei apud Cluniacum ordinis successore; ad sancti Martini monasterium, ut prius regendum, eum remisi.

## CAPVT XII.

*De schismate Cluniacensi per Pontium, qui Abbas fuerat, concitato.*

DEhinc non plenis, ut mihi videtur, duobus annis transactis, insurrexit nota illa contra Christi naviculam, hoc est Cluniacensem Ecclesiam, horrenda tempestas, & velut civile bellum in republica nostra ubique terrarum exarsit. Quod ne priores carpere videar, quantum ad præsentem materiam pertinet, succinctè describo. Dominus Pontius Cluniacensis post S. Patrem Hugonem nullo interiecto Abbate successor G eiusdem patri ultimo tempore, de monasterio sancti Pontij Cluniacum veniens, nova facta professione, more talium de aliis, vel de alienis monasteriis venientium, Cluniacensis monachus factus est. Hic valde iuvenis, à fratribus Cluniacensibus spe bonæ indolis eius inductis, in Abbatem electus, magno illi & famoso viro, iam dicto patri Hugoni successit. Qui primis assumptionis suæ annis, satis modeste ac sobrie conversatus, procedente tempore mores mutavit, & multis ac diversis casibus vel causis, fratrum pene universorum animos exasperando, eos paulatim contra se concitavit. Dissentientes illi ab eo, & quod multa mobilitate vel levitate animi, nullis bonorum consiliis acquiescendo, ut dicebant, res monasterij pessundaret, inter se nunc pauci, nunc plurimi, tandem pene universi murmurabant. Mansit tamen res aliquandiu tecta inter eos, nec ad aures secularium per decennium fere pervenit. Prorupit tandem eousque lis occultata diu, ut non solum ad circumpositos, sed insuper ad remotissimos, quousque huius dissentionis malum pertingeret, & ipsas summi Pontificis, ac Romanæ curiæ aures impleret. His rumo- H ribus Domnus Pontius provocatus, indignationis impetum, quem in alios fortassis derivare debuerat, in seipsum retorsit, & Romam velut præcipiti cursu adiens, ut curæ pastoralis sollicitudine solveretur, Dominum Papam instanter oravit. Præerat tunc Romanæ Ecclesiæ, regij sanguinis nobilitate insignis, sed moribus, probitate, ac liberalis animi magnificentia longe insignior, qui prius Viennensi Ecclesiæ præfuerat, Calixtus Papa secundus. Is in primis, Abbatis Pontij voluntati & petitioni omnis exhortationis nisu resistens, postquam eum non posse deflecti à proposito vidit, ab omni cura Cluniacensis Ecclesiæ, ut postulabat absolvit. Absolutus inde, eiusdem permissu per Apuliam petiit, indeque mari transmisso Hierosolymam, semper, ut proposuerat ibidem mansurus, pervenit. Papa fratribus Cluniacensibus quod factum est mandans, ut sibi pa-

trem

trem eligerent, auctoritate Apostolica præcepit. Illi post præceptum accepto consilio, totius religionis, ac religiosæ opinionis, virum Marciniacensium sororum Priorem venerabilem Hugonem, sibi pari assensu in Abbatem eligunt. Suscepit sanctus ille, licet valde renitens quod imponebatur, sed vix quinque elapsis mensibus, ex hac luce migravit, (& sic longa eius in sancta conversatione vita meruerat, ut merito creditur,) ad meliora transivit. Fratres & isto ita subtracto, novæ electioni diem statuunt, proximis quibusque & remotis, ut ad diem statutum conveniant, indicunt. Congregatur cum quibusdam Episcopis & Abbatibus, multus monachorum populus, & in octavis Assumptionis beatæ Virginis, utinam sibi melius consulentes, in præsentium scriptorem conveniunt. Mandant iam dicto Papæ huius suæ electionis assensum, & ab eo rescriptum, hoc quod fecerant confirmans, suscipiunt. Mansit deinde aliquot annis res Cluniacensis in pace, & velut sepultis prioribus malis, optimo quietis ac bonorum proventuum successu florebat. Tandem iam dictus Pontius transmarinæ habitationis pertæsus, rediens ab Oriente, Occidenti tenebras contra morem invexit. ut Italiam attigit, divertere Romam nolens, in Ravennatium partibus, hoc est in Episcopatu Tarvisiano, sedem sibi cõstituit. Ibi monasteriolo constructo, parvoque in eo tempore demoratus Gallias repetiit. Explorata demum absentia mea, nam forte tunc in secundæ Aquitaniæ partibus Cluniacensibus negotiis insistebam, fingens se Cluniacum nolle venire, paulatim tamen appropinquabat. Dehinc quibusdam fugitivorum sibi adiunctis, armatique vulgarium quos sibi asciverat constipatus, Cluniacensibus portis improvisus advenit, quibus effractis & venerabili sene Bernardo Priore, fratribusque aliis ubi ubi dispersis, cum promiscua illa armatorum multitudine, ipsis quoque mulieribus irruentibus claustrum ingressus est. Ingressus occupat statim omnia, & eos quos reperit minis, terroribus, ac tormentis in suæ fidelitatis cogit sacramenta iurare. Nolentes aut expellit, aut duro carceri mancipat. Convertit statim manum ad sacra, & aureas cruces, aureas tabulas aurea candelabra, aurea thuribula, & quæque alia multa & multi ponderis vasa invasit. Rapit & ipsos calices maximè sacros, nec thecis vel scriniis aureis sive argenteis, multorum Martyrum ac Sanctorum ossa continentibus parcit. Conflat ex his & similibus auri pondus immensum, & eo circumpositos milites vel quoslibet auri cupidos ad bellum raptores invitat. His protectus circumpositas monasterij villas & castra invadit, ac sibi barbarico more religiosa loca subdere moliens, ignibus, & ferro quæ potest cuncta consumit. Abstinet, à nulla bellorum specie, rapinis rerum, cædibus hominum, per conductos sacro auro milites ubique desævit. Continuitur ab ipso initio quadragesimæ usque ad Kalendas Octobris, tota in huiusmodi præliis æstas, nec saltem paucis diebus à tanta malorum calamitate respirat. Manebat iam dictus Bernardus prior, & nobiles religiosi ac magni viri extra Cluniacum ubi poterant, & in locis tutioribus, à tantorum incursu hostium, sese pro viribus defensabant. Sic in sancta illa & famosissima Cluniacensi domo, occulto, sed iusto Dei iudicio, sathan ad tempus laxatus furebat. Sed iuxta librum beati Iob, qui fecit eum applicuit gladium eius, & congruum tantis malis finem, brevi imposuit.

## CAPUT XIII.

### *De fine scandali Cluniacensis, & sapientia Domini Matthæi.*

DEcesserat iam è vita suprascriptus venerandus Papa Calixtus, nec se inferiorem Papam Honorium acceperat successorem. Hic tantæ Ecclesiæ tantos tumultus audiens, misso de latere suo Legato, Domino scilicet Petro Cardinali, Pontium & Pontianos, qui tunc sic vocabantur, omnes, adiuncto sibi Lugdunensi Primate Hubaldo, terribili anathemate condemnavit. Data tamen postmodum die utramque partem ad subeundum in præsentia sua tanti dissidij iudicium, literis Apostolicis evocavit. Obtemperat statim pars cuncta nostrorum, & inter innumeros monasteriorum Priores, causa cuius hæc interiecta sunt, iam dictus venerandus Matthæus advenit. Adest & Pontius licet invitus cum suis, & denominata die, ut iudicium subeat, advocatur. Præcipitur tamen, ut quia excommunicatus nec agere, iudicium canonice subire potest, prius satisfaciat, & satisfaciendo, se vinculo quo iure vinctus fuerat, solvat. Mittuntur à Papa nuncij, & ex parte mittentis, ut de tantis malis satisfaciat, iubent. Respuit ille, nec se ab aliquo viventium anathematis vinculo vinciri posse affirmat. Solum esse Petrum in cœlis, præter quem nulli hoc licere fatetur. Commoto multo magis tali eius responso, Domino Papa, totaque simul inde urbe turbata, non solum excommunicatum, sed & schismaticum cuncti proclamant. Et quia ut dictum est, nisi solutus ad iudicium admitti non poterat, à suis qui cum eo venerant, utrum quod ille nolebat, ipsi saltem satisfacere vellent, responsum missis Dominus Papa nunciis quærit. Qui statim pro eius imperio paratos se esse respondent. Intrant ergo palatium nudis pedibus cuncti, & reos se in conspectu universorum fatentes, protinus absolvuntur. Absoluti, causam ingrediuntur, nihil quod vel sibi, vel illi pro quo agebant, suffragari posset, intactum relinquunt. Assumit sibi ex parte alia vocem universorum venerandus Matthæus, & sapienter de tota causa perorat. Surgit statim auditis partibus Papa, & tota Romana curia sibi adiuncta, ad rem examinandam in partem secedit. Moratur diu, redit cum cunctis post aliquas horas ad sedem, ut inventam ex consilio sententiam ferat, Portuensi Episcopo iubet. Fert ille iussus sententiam, & ut ipsa eius verba referam, Pontium, inquit, invasorem, sacrilegum, schismaticum, excommunicatum, ab omni Ecclesiastico honore vel officio, sancta Romana & Apostolica Ecclesia in perpetuum deponit, & Cluniacum, monachos velcuncta ad idem monasterium pertinentia, Abbati qui in præsentiarum est, cui iniuste subtracta fuerant, restituit. Data sententia, uniuntur qui divisi fuerant, & velut in momento, redintegrato Cluniacensi corpore tantus tamque diutinus malorum turbo sedatur. Irruit post paucos dies, tam in victos quam in victores, Romanus ille pestifer morbus, & pene omnes tam monachos quàm famulos in brevi prosternit. Invadit vix elapso mense & Dominum Pontium, paucisque diebus interiectis extinguit. De cuius fine Epistolam mihi à supradicto beatæ memoriæ Papa Honorio directam, si forte eius notitia utilis iudicatur, adiungo. Honorius Episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Petro Cluniacensi Abbati, salutem & Apostolicam benedictionem. Præterito mense Decembri, Pontius viam universæ carnis ingressus est. Qui quamvis de malis Cluniaco illatis, sæpe commonitus pœnitentiam agere noluerit: nos tamen pro reverentia eiusdem monasterij cuius monachus fuerat, eum honeste sepeliri facimus. Data Laterani. Ille quidem morbo Romano aliquamdiu fatigatus sic moritur. Non parcit idem morbus & mihi, & plusquam per dimidium annum, igne vix tolerando adurit. Non evasissem ut credo sociorum casum, nisi & fratrum oratio, & medicinæ cura à quodam sapiente Clerico, multo mihi studio impensa, iuvisset. Evasi tandem Deo propitio, ac per ipsius gratiam maximus ille religionis locus, à sui generis pessimo turbationis & schismatis morbo mira celeritate cõvaluit, atque pristinum & fortassis ex parte meliorem religionis famæ vel rerum statum pervenit. Digressus videor a proposito. Sed quia rem ut mihi videtur non reticendam, & pro futurorum cautela perutilem, à subsequentium memoria perire timebam, occasione Domini Matthæi inventa, cuius maxime præ cæteris studio tantum malum sopitum est dicenda silendo præterire timui.

Redeat ergo stylus ad ipsum, & quæ de ipso restant, ut cœperat, exequatur.

## CAPVT XIV.

*Quomodo in Episcopum Albanensem assumptus sit, & quàm sanctè in eo sese habuerit.*

Causa iam dicta tractus ad urbem, ea sic diffinita, redire cum sociis ad propria festinabat †. ] Sed qui nescientem vocaverat Deus, reditum impedivit, & quia super pauca fidelis fuerat, eum super multa, ut expertum dispensatorem promovit. Iniungit ei cum honore nominandus Papa Honorius, maioris honoris & oneris pastoralem curam, & eum labori suo socium adhibens, in Episcopum Albanum consecrat. Provectus ergo ad sublimem Pontificalis ordinis gradum, & super Ecclesiæ candelabrum, ad lucendum omnibus qui in domo Dei erant magnifice exaltatus, nihil de monacho quorundam more dimisit, sed sicut de magno Martino legitur, eadem in corde eius humilitas, eadem in vestitu eius vilitas mansit. Nihil de officiis, nihil de cantibus, nihil de prolixa Cluniacensi psalmodia, quarumlibet curarum prætextu reliquit. Servabat in palatio instituta claustri, & mundo expositus, firmo & longo usu, velut innato religionis proposito, à secularium vanitatibus se quasi septo firmissimo secernebat. Cohibebat se intra se nunquam magis negociosus quam cum solus erat. Præferebat cunctis operibus suis omnibusque sanctis studiis, sacrificandi Deo illum suum quotidianum usum, à quo nec rei familiaris cura, nec multiplex occupatio, nec ipsa continua post summum Pontificem, omnium Ecclesiarum sibi imposita sollicitudo, eum retrahere poterant. Conquerebatur inde sæpius Papa, & aliis ad curiam mane ex more convenientibus, ipsi ad horam tertiam vix occurrenti, quod plus nimio esset monachus, velut improperabat. Nec hoc tantum Romæ, sed etiam ubique terrarum studiosè servabat Vrebatur sæpe æstivis diebus acriore Italici solis ardore, quod matutinas in his sacris studiis occupans horas, extrahi ab Ecclesia circa sextam quandoque horam vix poterat. Et quia non solùm simplex religiosa innocentia, sed & prudens erat singulari sapientia, mittebatur sæpe à magistro, ad diversas partes orbis terrarum, & vices Apostolicas in partem ab eo vocatus sollicitudinis prudenter administrabat. Nec iuxta modum gratiæ à Deo sibi collatæ inferior in hac parte erat David, de quo scriptura sacra loquitur, quod ad Imperium Regis ingrediens & egrediens in toto illo regno fidelis extiterit, cum ille in illo Iudaico hic in longè sublimiore Christianæ reipublicæ regno, totas animi & corporis vires consumendo, fidelis fuerit.

† *Hoc capitis initium longe prolixius in MS. sic* Dehinc contigit ut quibusdam causis contra Christi naviculam, hoc est Cluniacensem Ecclesiam insurgentibus iam dictus venerandus Matt. inter innumeros Monasteriorum Cluniacensium Priores ad orbem tractus, & tandem per Dei gratiam & eius Matthæi maximo præ cæteris studio, causis ad honorem Dei & Ecclesiæ Cluniacensis diffinitis redire cum sociis ad propria festinabat. ]

## CAPVT XV.

*Quod cum adhuc Prior esset, pecunias à Iudæis mutuari prohibuit.*

Et quia fidelitatis vel fidei eius extollendæ causa de Iudaico regno mentio facta est, quod mente exciderat ad hoc probandum pertinens, referatur. Hoc enim in ipsis & de ipsis Iudæis probari contigit. Accesserat, ut supradictum est, noviter ad Prioratus S. Martini curam administrandam, & inter cætera negotia, debita monasterij ipsi à fratribus proponebantur. Requirens ille creditores, quosdam ex ipsis Iudæos esse cognovit. Statimque ad fratres ista sibi referentes conversus, Et unde, inquit, hoc vobis, quod Christiani & Monachi, à Iudæis & impiis mutuas accipere pecunias voluistis? Quæ enim conventio Christi ad Belial, aut quæ societas luci ad tenebras? vel fideli cum infidele? Ite ait, ite, & huius improbandæ societatis vinculum, pecunias illas soluentes, festinanter dirumpite, & Iudæis ulterius in ratione dati & accepti, mutui vel depositi, vel cuiuslibet commercij, communicare nolite vel cavete. Ad hæc cum illi responderent, non posse se monasterij paupertate cogente, à mutuandis Iudæorum pecuniis abstinere: absit, inquit, absit, nec unquam deinceps sermo iste de ore vestro procedat. Quo enim vultu, qua conscientia, ad altare Salvatoris Christi accedere, qua fronte ad colloquium piæ matris ipsius venire tentabo, cum blasphemis hostibus eius blanditus fuero? Quomodo pessimis inimicis ipsorum amicus effectus, ipsis placere valebo? Quomodo illo ore, quo pecuniarum vel cuiuslibet rei causa, eis blanditus fuero, ipsos invocare vel deprecari audebo? Videte igitur ne de his ulterius quæstio fiat. Soluite cito quicquid eis debetis, & velut æterna lege præfixa, ab universis eorum commerciis deinceps abstinete. Sic fidei zelo devotus homo repletus, & contractus illos inhibuit, & quid amoris in intimis cordis sui, Christo Domino suo servaret, ostendit.

## CAPVT XVI.

*De schismate Romanæ Ecclesiæ, & quàm viriliter Catholicam partem defenderit.*

Hanc suam erga Christum & eius Ecclesiam fidem, maxime illo tempore probavit, quando schismaticus furor, contra unius columbæ, hoc est eiusdem Ecclesiæ unitatem altare prophanum erexit. Divisa erat, immò discissa, Romana prius, dehinc tota Latina Ecclesia, & primo ex magna sui parte, vi & pecunia intrusum Leonis filium sequebatur. Restitit ille cum quibusdam sociis fortiter, & quod non plantaverat pater cœlestis, eradicare totis viribus contendebat. Ea de causa cum Pontifice suo, immo cum communi Papa Innocentio, urbe expulsus, multaque iniustitiæ causa perpessus est. Inde per Tiberim mare ingressus, ad Gallias venit. Vbi primum ab eodem Domino Papa Innocentio, Cluniacensi nova & maiore consecrata Ecclesia, ac gemino Concilio, alio Claromonti, alio Remis celebrato, totam (excepta parte Aquitaniæ) Galliam, Hispaniam, Angliam, Germaniam, sibi, immo Christo, studio præcipuè Matthæi Papa iam dictus univit. In quibus partibus diu Matthæus cum ipso commoratus, per Alpes ad Italiam Pisas usque, ubi & prius aliquamdiu manserat, cum eodem regressus est. Occupabat adhuc Sedem Apostolicam Leonis filius Petrus, & Leonini catuli contra partem Catholicam sæviebant. Permittebat hoc Christus, & qui Antichristum, Schismaticorum omnium caput, in templo Dei sedere permissurus est, & suos exulare, & sedem Petri à non suis occupari sinebat. Eapropter mansit reliquo vitæ suæ tempore Pisis cum Innocentio Papa Matthæus, nec ei urbem vel sedem propriam revisere facultas data est. Quo toto tempore, in nullo retrocedens, semper seipso melior virtutum profectu fiebat, & sacris semper studiis occupatus, quanto fini propinquior, tanto virtutibus exercitatior apparebat.

A

## CAPVT XVII.

*De fine ipsius miris insignibus glorioso.*

DE quo eius fine aliqua subdere, quia iam rei series vel processus admonet, differre ultra non debeo. Possent quidem adhuc plura de ipso digna memoria literis tradi, sed quia hoc occupatio prohibet, illud saltem, in quo suis vel nostris diebus parem non habuit, tacendum non est. Non ignoro equidem, suis illis nostrisque diebus bonæ vitæ multorum bonorum finem optimum successisse, sed quantum ad aures meas pervenire potuit, nullius iam dicto tempore transitum miris insignibus sic contigit claruisse. Missus fuerat Benedictus vir à Domino Papa pro pace reformanda Mediolanum, & maximam post Romam Italiæ urbem, unitati Ecclesiæ, à qua per Anselmum schismaticum defecerat, reddere festinabat. Dedit cito Deus optimum successum eius labori, & multos Liguriæ populos, à pace Catholica aversos, matri Ecclesiæ mira celeritate restituit. Consummato dehinc, ut olim Martinus, Ecclesiasticæ pacis negotio, notum statim in se advertit vocantis, & fluxu ventris interioribus dissolutis, viribus corporis paulatim destituebatur. Passus ante fuerat huiusmodi incommoditatem Cluniaci per annum, & gravi dissenteria liquefactus, multis fratrum pro eo fusis Deo precibus, vix mortem evaserat. Correptus est itaque, ut dixi, eodem morbo, & tam labore itineris quàm ardore Solis (nam tempus tunc æstivum instabat) eo invalescente, ad defectum naturæ cœpit urgeri. Reversus est tandem Pisas, & per aliquot menses, vir animosus cum hac invaletudine luctabatur. Nolebat, licet ægritudine valde cogeretur, lecto decumbere, nolebat de labore solito quicquam intermittere, nolebat corpori suo vel in modico parcere. Tolerabat constanter Apostolicæ curiæ labores, causis Ecclesiasticis nunquam deerat: fratrum se subtrahere utilitatibus nesciebat. Divina obsequia, quibus, ut supradictum est, se totum à puero dedicaverat, irrequietus frequentabat. His totum more suo se impendebat, ut quantum ad illa, sic æger esse nesciretur, sospes & alacer putaretur. Orationes continuæ, oculi assidue in lachrymas defluentes, psalmodia utpote Cluniacensis, totum pene diei noctisque tempus occupans, cui cor, cui linguam, cui opera, cui tandem se totum devovisset, id monstrabant. Illud autem, illud, inquam, singulare suum refugium, quod omni ferè vitæ suæ tempore, insatiabili desiderio perpetuaverat, altaris dico sacrificium, nulla vis morbi, nulla debilitas, ut vel una die intermitteretur, cogere poterat. Pugnabat cum morbo, singulari devotione pertinaciter, &, ut de iam dicto suo Martino legitur, pro modo vel posse suo, invictum ab oratione spiritum non relaxabat. Productum est hoc eius salubre certamen, ab Idibus Iulij usque ad Kalen. Decembris: quo toto tempore, artus languore solutos, violenter spiritui servire coëgit, nec alicuius suasu, ab his divinis vel similibus sacris operibus revocari potuit. Tandem prima Adventus Domini hebdomada, omnimodum iam naturæ defectum ferre non valens lecto decubuit. Et cum iam non valde remotum, mortalis vitæ suæ finem instare sensisset, advocat fratres sibi obsequentes, vocat & famulos, & benigne illos alloquens & consolans, adiungit. Oro vos, inquit, fratres & filij, ut quia me in proximo recessurum à rebus humanis intelligo, valedicatis ex parte mea, & affectuose salutetis, in primis Dominum meum & patrem Cluniacensem Abbatem, Priorem & Subpriorem, Hugonem Camerarium, & Arbertum Sacristam, totumque simul fratrum nostrorum Cluniacensium Conventum, Abbatem Vizeliacensem Albericum, & Priorem de Charitate. Specialiter autem intimos & præcordiales filios meos, apud sanctum Martinum de Campis Deo servientes, quos ego pro ut melius potui, in Dei servitio educavi. Hæc benedictus vir dicens, non solum quantum in Deum, sed etiam quantum in fratres & filios haberet affectum, ostendit.

## CAPVT XVIII.

*De visione quam vidit de ipso Prior Sancti Zenonis.*

NOn multos vero ante dies, Prior monasterij Sancti Zenonis, quod Pisis constitutum est, viderat in somnis eum, de quo agitur, habitu monachali indutum, eique puerum venustæ formæ, qui etiam regis filius dicebatur, adstare. Præferebat autem idem puer manibus librum, aureis literis scriptum. Quem cum aperuisset, venerabili illum Matthæo offerens, ut legeret, suadebat. Cumque ille respondéret, quid sibi lucri de lectione illa proventurum esset, adiecit puer, Percipies, inquit, huius libri lectione, omnium linguarum notitiam. Qui postquam legit, interrogatus à puero, Hebraica lingua, Hebraice respondit. Sciscitatus & Græca respondit eadem. Et puer. Sicut, inquit, in his duabus te peritum probasti, sic universarum diversitatem linguarum te noveris assecutum. Dixit hoc, & statim ei regale palatium, mirabili pulcherrimaque structura insigne, monstravit, & ut ingrederetur præcepit. Cumque ille se quia imparatus esset, ingredi non posse respondisset, adiecit puer. Vade, inquit, & ut ingredi possis, cito te parare festina. Cessit ille partem, & universis tam sacerdotalibus quàm pontificalibus indumentis se cito componens & ornans, ad puerum statim reversus est. Cum quo & alios innumerabiles Angelici decoris pueros inveniens, ad designatum palatium accessit, & omnibus læta ac sublimi voce cantantibus, Alleluia, Benedicamus Patrem & Filium cum Sancto spiritu, in illud ingressus est.

## CAPVT XIX.

*De visione alterius fratris.*

ADvenerat penultima Adventus Domini hebdomada, & frater alius de alio sancti Michaelis monasterio, quod itidem Pisis est, conspexit similiter in somnis venerabilis vitæ Ioannem prius Camaldulensem Priorem, deinde Episcopum Ostiensem, velut ad se venire. A quo cum quæsisset dicens, quo vadis Domine? ille respondit. Pisas venio, ut fratrem meum Albanum Episcopum assumam, & numero nostrorum adiungam. Scias autem, quod octavo Kalendarum Ianuarij, ad nos venturus, & nobiscum perpetuo mansurus est. Has visiones, imo ad meritum hominis declarandum revelationes, earum inspectores sicut ante eius obitum viderunt, sic & ante quibusdam, insuper illi qui hæc mihi retulit, bono & fide digno viro retulerunt.

## CAPVT XX.

*Quomodo dæmones signo Crucis à se fugaverit, & de infatigabili eius ad Deum intentione.*

SVccesserat iam nox Dominicæ proxime præcedentis nativitatem Domini, & benedictus vir morbo diutino fatigatus, quiescentibus sociis in lecto, decumbebat. Et ecce subito velut in perturbatam vocem prorumpens, circumiacentes vocavit. Quibus astantibus, horribilem malignorum spirituum turbam sibi apparuisse, seque valde terruisse, narravit. Ita, inquit, mihi conspicui fuerũt, ut mirũ mihi sit, si vos latere potuerũt.

Qui

Qui signo quidem crucis à me facto, pavefacti, statim disparuerunt, pessimas tamen intollerandi fœtoris reliquias recedentes reliquerunt. Festinanter ergo Cancellarium Domini Papæ accersite, & ut ad me venire festinet, rogate. Factum est, & Cancellario religioso & sapienti viro post paululum venienti, rursum quod viderat narrat. Qui sapienter eum ne timeret hortatus, & commonem omnium etiam valde bonorum de seculo migrantium, hunc esse transitum dicens, simulque rei congruentia adiungens, bonum virum benigne in Domino confortavit, & ad expectandum bona spe exitum suum, religiosis sermonibus animavit. Vrgebatur ille magis morbi gravedine ad extrema, nec ut iam dictum est, suspenso prorsus in cœlum corde, à divinis officiis vel operibus avocari poterat. Non noverat, iuxta Psalmum, os eius iam loqui opera hominum, nec aures eius humana audire patiebantur. Si quis ei sermonem de rebus transitoriis afferebat, cum nullum prorsus responsum redderet, non audisse putabatur. Si vero quis de spiritualibus sermonem coram eo proferret, statim illuc convertebat auditum, & velut nihil patiens, paratissime respondebat. Quotienscunque ad eum Episcopi, quotiens monachi, quotiens religiosi clerici, quotiens ipsi socij accedebant, totiens & unicuique suum confiteor Deo, quod in monachatu pro more didicerat, proferebat. Confitebatur sic omnibus, absolui postulabat ab omnibus, commendabat se omnibus, sicque licet sancta anima iuxta quod scriptum est, ut sanctus sanctificetur adhuc, confessione, oratione, fratrum absolutione magis sanctificari contendebat. Protraxit ista usque ad ultimum vitæ spiritum, nec optimus denique protractus devoti animi usus, eo vel parum spirante, deficere potuit.

## CAPVT XXI.

*De revelationibus ante mortem illi ostensis, & de gloria quam sibi præparatam vidit.*

OStendit benignus Salvator antequam ille ex toto deficeret, hæc eius opera, hæc eius studia sibi placuisse, & quò pro his post mortem demigraturus esset, ex parte monstravit. Iacebat ille in lecto, nocte iam secundam feriam præcedente, & nocturnas laudes parum ante tempus, quia sic ipse iusserat, socij decantabant. Et ecce circumsonante undique psalmodia, subito ille rapitur, & à sensibus humanis alienatus, ipsa vultus immutatione cognoscitur. Instant fratres acrius divinis officiis, & velut tunc defungi deberet, expectant. Arripit frater Pontius, multa ei diu propter honestos mores familiaritate coniunctus, arripit, inquam, Evangelium, & ei assidens, Passionem Domini secundum Matthæum, secundum Marcum, secundum Lucam devote recitat. Cumque his perlectis, finem legendi fecisset, & ubi est, inquit ille beatus vir Passio Domini secundum Ioannem? Si placet fili, lege & illam. Vere beatus vir, totusque ut supra dixi, spiritu & mente divinis intentus, qui nec raptus ad invisibilia, & corporeis sensibus pene emortuis sacrarum rerum oblivisci poterat. Perlecta igitur & illa quarta secundum Ioannem Passionis Domini lectione, Retribuat, inquit, tibi omnipotens Deus fili, cuncta quidem à te mihi semper impensa beneficia, sed specialiter hoc in æterna retributione servitium. Noveris autem pro certo, me mortuum fuisse, atque ad invisibilia & cœlestia raptum. Esto ergo securus, me amodo hac nocte minimè moriturum. Vade igitur interim, & quiesce. Redibis autem mane facto ad me, & tunc miranda quæ vidi narrabo. Indicto tempore, rediit ad eum iam dictus frater cum sociis. Cumque Psalmis primæ diei horæ decantatis, tempus iam loquendi adesset, ait ad socios. Verba autem eius ab eo Latine prolata, nihil addens mutans, vel minuens dicturus sum. Ite, inquit, ad Dominum Cancellarium & dicite ei, ut dicat Domino Papæ quatenus huc veniat, & eiiciat me de sepulchro isto, in quo iaceo. Et certe ipse libenter hoc faceret, si sciret lectulum qui mihi præparatus est. Non fuit enim lectulus tantæ pulchritudinis, tam miræ suavitatis, sicut ille qui mihi præparatus est. Ego autem mortuus in ista nocte fui, & fui ante Dominum meum Iesum Christum, vidique beatam Mariam matrem eius, & ipsum, qui concessit mihi locum ad pedes suos, ibique sedebo. Cumque fratres, quibus ista narrabat, eum rogarent, ut rerum quas viderat, statum, modum, vel beatitudinem indicaret. Et quis, ait, ô fratres hoc posset? quis certè posset bonum illud, felicitatem illam, illa ineffabilia, & mortalibus incognita bona narrare? Non est, non est planè aliquis mortalium, qui hoc posset. Servatur, inquam, inter innumera, quæ ibi conspexi, disciplinæ reverentia singularis, cunctaque ibi ad unguem ordinata subsistunt. Et cum post ista paululum conticuisset, Pœnitet, inquit, me, non quæsisse à Domino, quid de illa sua Cluniacensi domo facere decreverit, vel quid de statu illius penes ipsum sit. Respondente vero fratre supradicto ad hæc non esse curandum, si hoc tunc à mente eius exciderit, quia ipse Deo astans, pro eadem domo eum precaturus esset, ille adiecit. Et vere, inquit, ac libenter hoc facturus sum, ipsumque pro illa, totis animi affectibus deprecabor. Ecce vere mens hominis, semper quidem, sed nunc maxime dedita Deo, à qua post summum illum, & præcipuum divinitatis affectum, amor fratrum suorum & cura nec in ultimis excidere poterat. Eadem die ad vesperum vel vesperam, adiit eum visitationis gratia, magnæ & probatæ religionis vir, Guillelmus Prænestinus Episcopus, & more bonorum infirmitati eius compatiens, eum consolabatur. Cui venerabilis Matthæus inter cætera retulit. Venit, inquit, hac nocte ad me vir reverendi vultus, multa ac venusta, tam capitis quam vestium albedine decorus. Videbatur autem mihi, esse de incolis regni. Qui me de hac domo educens, in pratum insigne traduxit, indeque ante Dominum addoxit. Vernabat autem pratum illud per quod traductus sum, amœnitate singulari, nec aliquid ei iocunditatis deesse videbatur. Ibi arbores omnigenis fructibus gravidæ, ibi rura graminibus viridissimis, ac floribus super omnem decorem pulcherrimis depicta: ibi quicquid visu delectabile, quicquid olfactui odoriferum, quicquid sensibus universis iocundum. De quo si quis vel florem unum obtinere mereretur, omnibus vitæ suæ diebus sanior, omnibus alacrior, omnibus felicior existeret. Recedente ergo ab ipso, iam dicto Episcopo, venit eadem visitandi causa, & Ioannes Cluniacensis monachus tunc Domini Papæ Capellanus, post vero Perusinus Episcopus, & cum eo similiter colloqui cœpit. Cui cum diceret, videri sibi quod in proximo moriturus esset, respondit ille. Non hac certe, non hac nocte moriar. Datum enim mihi est à Domino, ut ea die qua ipse de Virgine natus ad homines venit, eadem ego ab hominibus recedens, ad ipsum eius prævia misericordia pergam. Vere misericors Dominus, vere servorum benignissimus consolator, vere iuxta canticum Moysi servorum suorum miseretur. Non obliviscitur consolari, eorum diuturnos labores, nec eorum obsequia sibi devote impensa contemnit. Vere secundum quod ipse ait, quemadmodum mater consolatur filios suos, sic & ipse non solum in futura vita, sed etiam quandoque in ista consolatur, delinit, lætificat servos suos, ut hæc gaudia sequentia prægustantes, ineffabili dulcedine trahantur, & adhuc in corpore positi, toto illuc animo desiderio rapiantur. Noluit enim magnam illam multitudinem dulcedinis suæ quam abscondere solet timentibus se, à Matthæo nondum à corpore mortis liberato ex toto abscondere, nec ea quæ daturus erat, omnino post mortem differre. Præmisit inde signa aliqua etiam ante mortem, ut ipse ad ea speranda vel amanda, multo magis animaretur, & quale illius apud ipsum meritum esset, ignorantibus prodeeretur.

A prodeeretur. Mansit ergo beatus vir, tam præclaris revelationibus recreatus, alacrior usque ad extrema, & in Domino confortatus, suam illam horam ultimam expectabat.

## CAPVT XXII.

*Quomodo * sanctè & gloriosè, natalis Domini die, prima lucescente aurora, de hoc mundo transierit.* *Quam

IAm vero ipsa Natalis Domini vigilia, transcursis more suo devote tam nocturnis, quàm diurnis officiis, iamque vespertina hora instante, Dominicum corpus sibi rogat afferri. Quo allato, audite, inquit fratribus, confessionem meam, & fidei meæ hic & in æternum testes adestote. B Confiteor, ait, hoc sacrum Salvatoris mei corpus, illud vere & essentialiter esse, quod de sancta Virgine ab ipso sumptum est, quod pro mundi salute in cruce pependit, quod in sepulchro positum est, quod tertia die, à mortuis resurrexit, quod in cœlos ascendit, quod venturum est iudicare vivos & mortuos, & seculum per ignem. Per ipsum credo incorporari ei, & fieri unum cum ipso, & habere vitam æternam. Hoc dicens, refectus coram fratribus, eodem salutari Christi corpore, per carnem illam, quæ dat vitam in æternum, ad æternitatem futuram idoneus factus est. Cumque prima sacræ noctis vigilia advenisset, & signa totius urbis ad nocturnas laudes pulsari audisset, statim tota mente ac voce in vocem exultationis prorumpens, qua poterat voce, quo poterat gestu lætitiæ, Christus natus est nobis, Gloria in excelsis Deo, sociis & omnibus inclamabat. Angelico vero hymno, sicut ad Missas canitur, ex integro decantato, reliqua circumstantibus ad quæ non sufficiebat dimisit. Animo tamen ad illas sacras Dominici Natalis laudes suspensus, quoties in cantibus, quoties in lectionibus, beatæ Virginis matris Domini nomen legi vel cantari advertebat, C toties oculis sursum levatis, toties manibus in cœlum extensis, ubi mens eius conversaretur, quo sancta illa anima caperetur, monstrabat. Iamque nocturnis laudibus consummatis, dum sacerdos astans sacro altari, Missam quæ dicitur de nocte cantaret, erexit se nisu quo potuit, & iuvante se quodam fratre, quia vires ad standum deerant, in lecto resedit, Conversusque ad Dominicam Crucem quæ coram erat, velut si in ipsa Salvatorem, ut olim crucifixum, conspiceret, ait. Iam ô misericors Salvator tempus est, ut quod promisisti adimpleas, & tuo instante Natali à vita mortali migrandi, & ad te, qui vita es æterna, transmigrandi, licentiam concedas. Hoc ultimo verbo postquam cunctis sermonibus suis finem dedit, in lectum reclinatus, indeque post modicum ad cilicium cinere cōspersum, à fratribus translatus est. Sæpe autem eosdem fratres ante rogaverat, ne se casu aliquo, nisi in cinere & cilicio Christiano more mori permitterent. Timebat enim, ne qualibet infirmitatis eius compassione ducti, hoc prætermitterent, vel negligerent. D In quo sicut & in aliis, Martini sui exempla & verba sequi nitebatur, qui sicut omnibus notum est, discipulis moriens prædicabat, non debere Christianum nisi in cinere mori. Ubi & Matthæus à suis vel fratribus vel discipulis collocatus, horam vocationis suæ ultimam sustinebat. Qua iam instante, dum noctis tenebræ in lucem verterentur, & à monachorum in eadem Ecclesia constitutorum conventu, ad secundam Missam cantaretur, Lux fulgebit hodie super nos, Matthæus vere monachus & Pontifex Dei, densas Ægyptiorum, hoc est mundi huius tenebras deseruit, & per mortem carnis, ad sempiternam lucem & vitam pervenit.

## CAPVT XXIII. E

*De exequiis eius celeberrimis, & tumulatione honorabili in Basilica S. Fragdiani. ** * Frigidiani.

FErtur statim iusti corpus à devotis viris in claustrum monachorum, & Cluniacensi more psalmodia undique decantatur. Abluitur ut se habet communis mos, & secundum quod ipse insserat, suo, quo nunquam à Monacho carnerat cilicio prius, dehinc monachali cuculla vestitur. Adduntur à fratribus Sacerdotalia & Pontificalia indumenta, & his Sacerdos & Pontifex Dei, ut dignus * ornatur. * dignè. Accurrit accepto nuncio, & ipse summus Pontifex Innocentius, atque cum ipso Episcoporum & Cardinalium totaque Romanæ Ecclesiæ vel curiæ plenitudo. F Congregatur pene tota urbs Pisana, & illud cernere illi obsequi, omnibus suis negotiationibus anteponunt. Osculantur plurimi manus vel pedes iacentis, & se sanctificari tali contactu vel osculis, non irrita fide confidunt. Consueverat urbs illa multo quæsita labore marina negotia aucupari, & à remotis Africæ vel orientis partibus, pretiosa quæque convehere. Impleverat sinum suum congestis undique multarum gentium mercibus, & inde cunctis pene Italiæ urbibus ditior effecta gaudebat. Suscipit tandem universis Ægyptiorum opibus præferendam, Missam sibi ab ultimis Galliæ finibus Margaritam, eamque se longe quam prius ditiorem esse lætatur. Ostendit in isto mortuo, quantum præponderent terrestribus thesauris cœlestes gazæ, quantumque opes Christi, etiam post mortem, opes viventium antecedant. Iacebat ille extinctus, neque aliquid in mundo vel possidebat, vel sentiebat. Venerabantur tamen eum viventes, reverebantur potentes, efferebant laudibus locupletes. Discernunt etiam amatores mundi, & ipsis obsequiis quæ sanctis impendunt diiudicant, quantum subiaceant terrena cœlestibus, humana divinis, fugitiva sempiternis. G Servatum est corpus venerandi hominis, toto illo die Natalis Domini, & Psalmis ac Deo fusis precibus frequentatum. Sequenti die, hoc est, in festo magni illius Martyris Stephani, obtulit pro eius æterna requie iam dictus Papa Innocentius solemne Deo sacrificium, & devote supernam pietatem, pro Pontificis laborum suorum comparticipis requie, imploravit. Fecerunt idem & Episcopi qui forte tunc aderant, & simul omnes fusis Deo precibus, eumdem ad peregrina Cōepiscoporum deduxerunt. Tandem circa horam diei sextam, præmissis omnibus Christianæ sepulturæ cæremoniis, astante insuper clero & populo civitatis pene universo, in Ecclesia sancti Frigidiani olim Lucensis Episcopi, quæ Pisis habetur, vir vita, morte, famaque venerabiliter ad sepulchrum delatus, ac tumulatus est. Septem deinde annis exactis, cum ad urbem proficiscerer, causa reformandæ pacis inter Pisanos & Lucenses, specialiter tamen eius tractus pia recordatione, Pisas adii. H Secunda dehinc Adventus mei ad illam urbem die, cum sociis ad charissimi mei sepulchrum accessi, eiusque sacros cineres ut dignum erat visitans & honorans, salutarem pro eo hostiam obtuli. Et licet eius meritis multo magis me iuvari posse confiderem, omnipotenti tamen Creatori, ac benignissimo Redemptori, unanimem mihi dum viveret hominem, quantis tunc datum fuit precibus & fletibus commendavi. Requiescat ergo per immensam ipsius omnipotentis misericordiam in perpetua pace, fidelis, devota & accepta Deo anima, fruaturque perenniter fructu bonorum operum suorum, nec obliviscatur apud Deum se diligentium, fratrum & filiorum suorum * * Amen.

CAPVT

## CAPUT XXIV.

*De quodam malo Monacho pessimè mortuo.*

POst illa miranda opera vel signa, quæ ad legentium vel audientium spiritualem ædificationem supra præmissa sunt, sequatur & istud, quod post universa illa me comperisse contigit. Nec solum me post illa hoc comperisse contigit, sed insuper post illa omnia provenisse accidit. Fuit in Monasterio Lehunensi, Ecclesiæ Cluniacensi subiecto, frater quidam nomine & habitu Monachus, sed vita & moribus monasticæ conversationi & sanctitati non parum adversus. Hic strenuus & perspicax in humanis, hebes & obcæcatus erat in omnibus ferè divinis, & ad monasticum propositum pertinentibus rebus. Corripiebatur sæpe à Priore suo, & à religiosis fratribus in iam dicto monasterio cum eo simul morantibus, & multa propter excessus suos frequenter tam verborum quam verberum sponte vel invitus probra ac iniurias tolerabat. Videbatur aliquando in eo proficere spiritualium cura medicorum, & specie tenus conversus à pravis studiis putabatur. Sed parvo interiecto tempore, non solum in nullo melior, sed insuper omni spreto cœlestis medicinæ labore, seipso deterior apparebat. Producta est hæc eius pertinacia multo tempore, nec alicuius studio finiri potuit, quousque eo indurato, ille qui attingit à fine usque ad finem fortiter congruum tam diuturnis malis finem imposuit. Depositus erat ab exteriorum administratione, merito culparum suarum, & invitus ac murmurans, regularibus claustri septis retinebatur. Non potuit tandem pati tam odibilem sibi clausuram, & diabolico dolore stimulatus, carceris sui iniurias in Priorem vel fratres suos casu aliquo refundere gestiebat. Erant prope ipsam Ecclesiam horrea, ad recondendas fruges monasterij præparata. Concluserant intra eadem Prior ac fratres suum pene totius anni victum, & tam ad esum quam ad potum sibi ex ipsis frugibus necessaria præparaverant. Nam quia terra illa parum vini fertilis est, non solum panem ad edendum, sed & cerusiam ad bibendum, ex ipsarum frugum succo conficere soliti erant. In hæc fratrum victualia nequam ille exarsit. Et arbitratus mala quæ pro sceleribus suis à fratribus perpessus fuerat, damnis eorum se eis optime recompensaturum, igne horrea prædicta succendere parat. Vnde claves claustri fur nocturnus furatus, de claustro egreditur, & universorum absentia explorata, occulte ignem horreis iniicit, sic quod ad claustrum nullo sciente regreditur. Iamque fratres matutinis pro more finitis laudibus, ad strata propria reversi fuerant, & ecce immissus à monacho ignis paulatim succrescens, in manifestas subito flammas erupit. Exclamat ille sacrilegus primus, & velut innocens & inscius facti, quasi ad extinguendum cum aliis accurrit. Laborantibus tamen cunctis, & ad flammas extinguendas pro posse occupatis, respicit ille nec adiuvat, & velut ultionis congratulans, ociosus spectator assistit. Non tulit hoc in longum divina censura, nec, ut de similibus solet, tantum nefas in posterum punire distulit. Mox enim eum percutienti Angelo tradens, invisibili gladio peremit, cunctisque qui aderant videntibus, morte præsenti pariter & æterna frustravit. Fratres tam subito & horrenda eius morte perterriti, elisum ad terram iamque exanimem, in manus suscipiunt, atque ad abluendum pro more deferunt. Iamque illo ad lavandum nudato, clavem quam paulo ante furatus fuerat, cum nefanda manu adhuc tenentem reperiunt. Placuit ita Deo, & ad corrigendos pertinaces in malo homines, sic disposuit. Nam cum vitali spiritu recedente, mos sit universa corporis membra dissolui, manum mortui huius ad retinendam clavem, quam ad tantum scelus perpetrandum furata fuerat, tenacem reddidit. Fecit hoc ne vindicta tanti sceleris casui deputaretur: fecit, ut virus eius notum fieret, ut maiore miraculo seipsum nequam ille quod vivens noluerat, mortuus proderet, & ut omnes ad quos tam pessimi criminis fama pertingeret, à consimili opere deterreret. Iam dictæ igitur clavis & aliarum quas nunc reticeo rerum indiciis, de tanti mali auctore certificati fratres, cadaver illud, cuius animam iam inferus possidebat, utpote furis, sacrilegi, incendiarij, excommunicati, à consortio sanctorum corporum expulerunt, & procul extra Christianum cimiterium proiecerunt.

## CAPUT XXV.

*De visione quam ego Romæ positus vidi.*

LIcet autem propositum meum sit, ut in narrandis huiusmodi miraculis, aut nunquam aut raro somnia admittam, quia frequenter aut falsa sunt aut dubia: quoddam tamen somnium inter hæc quæ narro miracula, quia fide dignum videtur, admisi. Nam ut sanctus Pater noster Odo in vita sancti Viri Geraldi scripsit, somniorum visiones non semper sunt inanes. Probat hoc Pentateucus in primo Genesis libro, probat & ipsũ ut cunctis notum est Evangelium. Audite ergo somnium meum quod vidi. In primordiis Pontificatus Domini Papæ Eugenij, ad visitandum tam ipsum quam communem matrem Romanam Ecclesiam, Romam adij. Illuc perveniens, apud Cardinalatum sanctæ Mariæ novæ, quod iuxta antiquum Romuli templum constructum est, hospitium suscepi. Ibi dum nocte quadam quiescerem, ecce vir venerandæ vitæ Dominus Guillelmus, qui nuper de vita excesserat, mihi dormienti visus est in somnis astare. Et quia frequenti narrationi hoc necessarium est, quis iste vel cuius vitæ fuerit, quo insuper eventu ex hac vita migraverit, breviter inserendum est. Fuit hic iuxta carnem nobilis, iuxta spiritum longe nobilior, à primis adolescentiæ annis religionis amator, inquam quamdiu advixit, hoc est fere usque ad senectutem, bonis meliora semper addendo, profecit. Angelicæ monachus munditiæ, singularis in pauperes & desolatos misericordiæ. Zelo Dei contra negligentes, & maximè contra graviter delinquentes totus igneus, exceptis nocturnis & occultis vigiliis, dimidiam partem diei quotidianis orationibus & lachrymis pene semper occupans. Et licet hæc principaliter de eo scribam, quia in his hic specialius effulsit, non tamen sola hæc de ipso vel in ipso commendo. Nam quantum facultatis & scientiæ in eo fuit, iuxta morem & modum Cluniacensis Ordinis ac propositi, sacris semper etiam aliarum virtutum exercitiis invigilavit. Hoc merito, & quia præter hæc quæ dicta sunt in exterioribus administrandis multam à Deo sibi collatam gratiam obtinebat, multis eum & magnis monasteriis diverso tempore ut res exigebat, præfeci. Vnde Ambertæ, Caroloco, Celsinaniis, Silviniaco, ipsi tandem Cluniaco, à me in Priorem Prælatus, indeque in Abbatem Moysiacensem assumptus, ubique iam dictarum virtutum signa impressa reliquit. Casu dehinc interveniente quem nominari nulla necessitas cogit, dans locum iræ, à loco illo recessit, Cluniacum rediit. Vbi aliquanto tempore, Camerarij, hoc est, fratrum procuratorio officio functus, ad ultimum, ad Prioratus administrationem eorum loco remissus est. Illic assuetis religionis & disciplinæ studiis toto conatu intentus, dum nulli prorsus in causa Dei parceret, zelo, ut iam dixi, iustitiæ totus ignitus a quodam nequissimo, qui sibi provenire timebat quod de aliis delinquentibus ab eo fieri cernebat, insidias passus venefica fraude extinguitur. Talem vitæ terminum sortitus bonus vir, regno cœlorum dignus factus est, coniunctus illis ut iustum est credere, de quibus Christus veritas ait, Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Vnde quia non solum

A propter iustitiam iam persecutionem passus est, sed et, quod maius est, propter iustitiam mortuus est, merito dignus iudicatur regno cœlorum. Fraus ergo qua tantus vir vitæ subtractus est, quibusdam indiciis antequam Romanum iter aggrederer, ad me delata, in quæstionem versabatur. Sed itineris acceleratio quæstionem impediens, ad finem rem perducere non permisit. Ita interim de tam nefanda re anxius & dubius, propositum iter incepi, & Romam, ut suprascripsi, perveni. Ibi loco, tempore, modo, quo dictum est, venerabilem Guillelmum mihi astare conspicio, quem cum viderem valde gavisus surrexi, & multo cum affectu amplecti eum & osculari cœpi. Licet autem altus sopor exteriorum sensuum officia occupasset, vigebat tamen velut in vigilante memoria, meque dormire dormiens non ignorabam. Nec illud mente exciderat, illum qui videbatur, in somnis videri, nec eram immemor ante non multum temporis mortuum, & dolo, B quem supra scripsi extinctum. Quodque magis mirum est, & illud nescio qua vi occulta naturæ statim menti occurrit, non posse mortuum diu cum vivente morari, nec prolixum sermonem miscere. Vnde priusquam recedere virtute invisibili cogeretur, interrogare illum festinanter de quibusdam decrevi. Quæ tamen ut non phantastica, sed verax quæ apparebat visio videretur, nequaquam prius præmeditatus fueram, sed tunc ac dormiens nutu ut arbitror Dei noviter menti occurrentia, cogitare incipiebam. Quatuor ergo quædam, quæ nescio unde dormienti occurrebant, interrogando ei proposui. Quomodo, inquam, vobis est Domine Prior? vocans eum non ex proprio nomine, sed ex officio. Ad quod ille breviter ut fuerat semper breviloquus, ac bis vel ter ex more verba replicans, respondit. Multum, ait mihi bene est, multum mihi bene est. Huic primæ interrogationi secundam subiunxi. Vidistis adhuc Dominum? & ille. Assidue video, assidue video. C His duabus, & tertiam addo. Est ne, inquam, certum quod de Deo credimus, est ne absque dubitatione, vera fides quam tenemus? Nihil, ait, ita verum, nihil ita certum. Et quarto. Verum est, aio, quod fama refert, verum est, quod multi opinantur, quosdam quos ipse non ignoratis fraude sua ac veneficio vos occidisse? Verum est, inquit, verum est. His dictis, & ipse disparuit, & ego, evigilans ea quæ videram recolere & admirari incipiebam. Interim dum hæc agerem, & visa memoriæ commendarem, rursum somno opprimor, & sicut in hyemalium noctium prolixitatibus, nam dies Adventus Domini tunc instabant, iterum caput ad dormiendum compono. Nec mora, adest qui supra, & se eodem modo quo prius ostendit. Occurro & ego illi non segnius quam ante, & visionis, præmissæ omnino immemor, amplecti eum & osculari, ut prius cœperam. Quid multa? Nihil plus minusve in animo meo, nihil plus vel minus in ore meo, in hac secunda visione fuit quam in prima fuerat. Eadem quæ supra interrogo, eadem quæ supra audio, de statu suo, de visione Dei, de certitudine Christianæ fidei, de morte sua, ordine quo D præmisi à me interrogatus, eadem nec pauciora respondit. Huic tamen secundæ visioni, in fine aliquid additum est. Mox enim ut dixit se vere dolo falsorum fratrum extinctum, in fletus amarissimos ut mihi in somnis videbatur prorupi, & quia iam de facto non dubitabam, tantum nefas insatiabilibus lachrymis deplorabam. In fletibus istis evigilans, oculos humectos genasque meas recentibus lachrymis tepentes inveni. Vt vero huius visionis vel somnij indubia veritas commendaretur, regressus ab urbe, atque ad Galliam nostram rediens & Cluniacum perveniens, quæ de morte sancti viri suspicatus fueram, ipsius nefarij parricidæ publica confessione vera fuisse probavi. Quem gehenna dignissimum, quia gladio, laqueis, ignibus, vel extremis nefandorum suppliciis, Ecclesiastica pietate prohibente, punire non poteram, exilio perpetuo quod pene solum licuit, infernalem proditorem damnavi. Nam sacrosanctis Evangeliis adhibitis, compulsus est in publico E Cluniacensi Capitulo me præsente iurare, quod transactis tribus sibi à me præfixis mensibus, nunquam deinceps intra terminos universam Galliam concludentes maneret, sed extra illos locum saluti suæ aptum requireret, & in invento loco Deo pro peccatis suis digne satisfaceret. Hæc suprascripta visio licet in somnis apparuerit, idcirco mihi fide digna videtur, quia & dormientis tam integra in tantis, ut dixi, memoria, & iterata ac per omnia primæ similis secundæ visionis, præter illud quod in ultimo exceptum est, forma, atque ipsius detestandi hominis publica confessio, non falsam, sed veram eam, ut arbitror, omnino demonstrant.

## CAPVT XXVI.

*De visione fratris Enguizonis.*

Svbiungatur & huic visioni altera, quæ quamvis in somnis ut illa apparuerit, veram tamen fuisse, ipse rei exitus comprobavit. Venerat Cluniacum meo tempore conversionis causa nobilis vir Enguizo nomine, & ut in primordiis suis erga divina magis exerceri F assuesceret, locum quiescendi ad serviendum Ecclesiæ, in Ecclesia suscepit. Vbi dum quadam nocte dormiret, videt quendam olim commilitonem suum qui Petrus dicebatur de Rocha, quod castrum in Gebennensi diœcesi situm est. Defunctus vero fuerat iam dictus miles in Hierosolymitano itinere ante non multum tempus, sed eius obitum supra nominatus frater penitus ignorabat. Nondum enim vel tenuis fama mortis eius ad eum pervenerat. Visus est ergo ei, ut dixi, iam dormienti in specie illa, qua eum in seculo videre consueverat. Gavisus est frater, & ut optime notum ac familiarem, eum alloqui familiariter cœpit. Quid est, inquit? quomodo te habes? Ego, ait ille, in transmarino itinere quod te, ut nosti, conscio cœpi, defunctus sum. Et frater. Quid G est ergo & de sociis qui illud iter tecum aggressi sunt. Illi, inquit, & illi iam de vita excesserunt, illi vero & illi adhuc supersunt. Quomodo, inquit, tibi est in statu illius vitæ, ad quam transisti? Ad hæc ille. Bene, ait, mihi est, quia misericordiam quam à Deo speraveram, iam consequutus sum. Obest tamen adhuc multum, & obstat plenitudini salutis meæ, quod proximo tempore antequam Hierusalem pergerem, sacerdotem Ecclesiæ de Seconiaco, quandam à me decimam exigentem, per vineam quandam fugavi, & in exitu vineæ irreverenter percussi. His frater auditis, & quid, ait, de me tibi videtur? Potero consequi salutem quam spero? Saluaberis, inquit, sed ante salutem multa & gravia patieris. His dictis, is qui apparuerat miles disparuit. Frater à somno evigilans, cuncta quæ viderat vel quæ audierat, mihi statim mane retulit. Rogavit insuper, ut liceret ei partes illas de quibus miles ortus fuerat, & in quibus ea de Presbytero acta fuerant adire, & utrum vera an falsa esset visio iam dicta, probare. Nam sicut mortem militis nullus ei ante militem nunciaverat, sic nec de sociorum eius morte aut vita, sic nec de fuga Presbyteri, seu militis percussione quicquam vel modicum prius audierat. H Accepta ergo regulari more licentia, Gebennensis territorij partes adiit, ibique à notis & veracibus personis cuncta quæ à mortuo audierat, vera esse agnovit. Nam & quod de Presbytero actum fuerat, tam ab illo quam ab aliis didicit, & paucos post dies, mortem militis & eorum quos mortuos ille nunciaverat audivit. Quæ postquam parentibus defuncti innotuerunt, bono usi consilio, quod in Presbyterum ille deliquerat, ipsi pro eo digne satisfacientes Presbytero, expiaverunt. Et quia tam certis indiciis verax fuisse præfata visio probata est, à me ut non dubia, sed ut certa, inter cætera miracula conscripta est.

CAPVT

## CAPUT XXVII.

*De cuiusdam pueri vigilantis visione mirabili.*

ET de mortuorum quidem apertis manifestationibus licet multa superius dicta sint, unum tamen adhuc addere volo, quod nuper compertum, tacendum non esse videtur. Nam anno, quo hæc scripsi, illud contigerat. Vigilia Natalis Domini, nocte scilicet, qua sanctificamini hodie, cantatur, iacebat apud Catumlocum puerulus quidam monachus ante sacros matutinos in fratrum dormitorio, & nescio quid meditans dormire non poterat. Et ecce post aliquantum processum noctis aspexit & vidit venerabilis vitæ fratrem Achardum nomine, qui eiusdem monasterij Prior fuerat, & ante paucos annos vita excesserat, per gradus dormitorij ascendentem, sibi appropinquare. Erat vero iam dictus puerulus fratris eius filius. Venit ergo, & in scamno ante lectum pueri constituto resedit. Erat cum illo & venerandus ille Dominus Prior Guilelmus, & ipse similiter defunctus, quem mihi Romæ in somnis apparuisse supra retuli. Neutrum tamen illorum, dum viverent, puer viderat, sed ex his quæ ab eis audivit absque ulla eos ac si vidisset dubitatione cognovit. Morati sunt & collocuti adinvicem aliquandiu, puero audiente, quousque Domino Guillemo recedente, solus frater Achardus ante illum, ut dictum est, sedens remansit. Qui ad puerum conversus, hortatus est eum ut surgeret, & ad mira quædam videnda, usque ad fratrum cimiterium cum eo procederet. Respondit ille, timore qui eum invaserat, patrui sui familiari collocutione iam ex parte sedato, non posse fieri quod monebat: sub custode se esse, timere ne si eum aliquis præter morem egredientem videret, dira flagella subiret, nec ipse inter multiplices plagas sibi adesse valeret. Ad hæc illo dicente, nihil sibi esse timendum, credendum esse patruo, optime se ne quid mali ei inde contingeret provisurum, salvum & incolumen ducturum ac reducturum, adductus est puer in sententiam, & surgens, ac se regulari more induens, præcedentem secutus est. Duxit autem eum per claustrum maius, in claustrum infirmorum, indeque usque ad cimiterij ostium. Quo aperto, statim ulterius processerunt. Et ecce conspicit puer totum cimiterij ambitum sedibus innumeris refertum, ac supra sedes illas viros monastico schemate indutos sedere. Dixerat autem illi patruus & sibi inter alias sedem servari, in qua statim aliorum modo veniens resideret. Indicaverat etiam querelam in Conventu illo de se futuram, propter quam necesse esset se exurgere, & ad vocantis iudicium properare. Monuerat insuper, ut in illo examinis intervallo, eandem puer sedem occuparet, nilque metuens sibi usque ad reditum conservaret. Quod & sic factum. Ingressus namque frater Achardus cum puero Conventum illum, mox in sede sibi parata resedit. Ortus est statim clamor, & à quodam circumsedente querela deposita, quod idem frater tardus illi suo conventui occurrisset. Surrexit ille confestim, & ad satisfaciendum more monastico in medium processit. Quo facto, puer ut monitus fuerat, surgens constanter in sede eadem resedit. Obtinet autem medium cimiterij locum, structura quædam lapidea, habens in summitate sui quantitatem unius lampadis capacem, quæ ob reverentiam fidelium ibi quiescentium totis noctibus fulgore suo locum illum sacratum illustrat. Sunt & gradus per quos illuc ascenditur, supraque spatium duobus vel tribus ad standum vel sedendum hominibus sufficiens. Ibi sedem cuiusdam magni & reverendi iudicis, supraque ipsum sedentem puer dum conspiceret, vidit iam dictum fratrem Achardum ante ipsum velut pro satisfactione prostratum. Quid dixerit, quid ei responsum fuerit, intelligere licet multum nisus, non potuit. Clare autem idcirco cuncta videre poterat, quia quædam maxima claritas absque subsidio humanorum luminum, totum illud illius cimiterij spatium illustrabat. Modicó temporis intervallo translacto, sæpe nominatus frater ad locum proprium redit, & puero sibi cedente, atque ad eius pedes residente, sedem suam recipit. Parum intercesserat, & ecce puer conspicit totum Conventum illum de sedibus suis exurgere, & non ad illam, per quam ingressus fuerat, portam, sed ad aliam quandam tendentem, ad exitum festinare. Antequam tamen egrederentur, conspexit multum ignem, proxime ante ipsam portam accensum. Per quem, ut referebant plurimi ex illo agmine transeuntes, alij diu in illo morabantur, alij cito transibant. Hæc tamdiu vidit, quousque portam illam omnes excesserunt. Remansit autem post tantum spectaculum, solus puer cum patruo. Quem patruus, ut promiserat, per viam qua venerat reducens, cum eo fratrum dormitorium ascendit, eumque usque ad lectum proprium prosecutus, statim disparuit. Hanc visionem quia auditam prius ab aliis, & postea ab ipso puero fallere nesciente, fide dignam iudicavi, ad legentium utilitatem vel cautelam, sicut & præcedentia, ne mente exciderent, scribere volui.

## CAPUT XXVIII.

*De institutis Carthusiensium Monachorum.*

ET quia propositum meum in narrandis miraculis, de quo iam frequenter lectorem instruxi, tale est, ut absque aliquo temporis præiudicio, non attendens quid quando factum sit, sed quando mihi relatum sit, ad Dei gloriam & legentium ædificationem, quæ pro certo vera esse comperi describam, trado legentibus quæ ante paucos dies didici. Sed antequam ea scribere exordiar, quædam ad rem pertinentia illis præpono. Servatur in Burgundiæ partibus inter omnes Europæ nostræ monastici ordinis professiones professio quædam, multis aliis eiusdem monastici propositi sanctior & cautior, instituta nostro tempore à quibusdam patribus, magnis, doctis & sanctis, magistro Brunone Coloniensi, magistro Landuino Italico, ac quibusdam aliis vere magnis, ut dixi, & Deum timentibus viris. Qui quorumdam antiquorum monachorum tepiditate, negligentia ac desidia prædocti, seculo abrenunciare volentes, cautius sibi suisque in via Dei sectatoribus consuluerunt, & vigilanti oculo, Ordinem contra omnes pene satanæ insidias circumspectum instituerunt. Nam ut contra superbiam, quæ iuxta scripturam, initium est omnis peccati, & contra eius nefandam sobolem, invidiam dico, ambitionem & vanam gloriam, ac si qua sunt alia, Ordo ab eis institutus, quantum iuxta eorum scientiam homini erat possibile, armaretur, vestes vilissimas, ac super omne religionis propositum abiectissimas, ipsoque visu horrendas assumpserunt. Quantitate enim breves & angustæ, qualitate ita ut vix aspici possint hirsutæ & sordidæ, nullum gloriandi vitium se posse admittere indicant. Et novi quidem quod etiam in sordido habitu diabolus quod suum est quærit, & humilitatis vestibus quandoque texturam superbiæ interserit. Sed tamen iam dicti iusti & Deum quærentes viri, in quantum potuerunt, ne princeps mundi per superbiam aut superbiæ familiam in se vel suis sibi locum invenire posset, summo studio providerunt. Cupiditatem insuper quæ radix malorum omnium dicitur, vel avaritiam quæ idolorum servitus vocatur, ne mihi * venenosa virgulta quolibet tempore procedere * posset, ita radicitus avulserunt, ut certos terminos iuxta locorum suorum fertilitatem aut sterilitatem, in circuitu cellarum suarum maiores minoresve præfigerent, extra quos etiam si totus eis offerretur mundus, nec saltem quantum pes humanus occupat,

* nimi
* prod
cere.

A terræ spatium acciperent. Ea etiam de causa, animalibus vel pecoribus suis, certum quem transgredi fas non esset, terminum instituerant, bobus scilicet, asinis, ovibus, capris, vel hircis. Et ut non esset eis quandoque necessarium, vel plus terræ, quam dictum est possessioni suæ addere, aut numerum iumentorum suorum, vel pecorum augere, duodecim tantum monachos cum xiij. Priore, ac decem & octo conversis, paucisque mercenariis, nullo prorsus superaddito in sui Ordinis monasteriis esse perpetuò decreverunt. Præter ista ad edomandum iumentum corporis sui, & ad subigendam iuxta Apostolum legem membrorum suorum, repugnantem legi mentis suæ duris carnem ciliciis semper exasperant, continuatis pene acribus ieiuniis corpora affligunt, extenuant, & desiccant. Inde est, quod pane furfureo semper utuntur, vino adeo adaquato, ut merito magis villum, quàm vinum dicatur. B Ab omni carnium esu, tam sani quam ægri, in perpetuum abstinent. Pisces nunquam emunt, sed fortè ex charitate datos accipiunt. Die Dominico & quinta feria tantum, caseum vel ova ad vescendum admittunt. Tertia feria ac sabbato, aut legumine aut olere cocto utuntur. Omni secunda, quarta & sexta feria, pene solo & aqua contenti sunt. Semel in die semper comedunt, exceptis octo diebus Natalis Domini, octo diebus Paschæ, octo diebus Pentecostes, Epiphania Domini, repræsentatione eius, hoc est Purificatione sanctæ Mariæ, Annunciatione Domini, quando Paschali tempore provenit: Ascensione Domini, Assumptione ac Nativitate iam dictæ sacræ Virginis matris eius, & exceptis festis duodecim Apostolorum, sancti Ioannis Baptistæ, sancti Michaelis, sancti Martini, & illo quod in Kalen. Novembris celebratur, festo omnium Sanctorum. Super hæc omnia more antiquo Ægyptiorum monachorum, singulares cellas perpetuo inhabitant. Vbi silentio, lectioni, orationi, atque operi manuum, maxime in scribendis libris irrequieti insistunt. In eisdem cellis debitum regularium horarum, hoc est primam, tertiam, sextam, nonam, C completorium, signo Ecclesiæ commoniti, Deo persoluunt. Ad vesperas & matutinas, in Ecclesia cuncti conveniunt. Ibique non perfunctorie, ut quidam, sed intentissime oculis in terram demissis, cordibus cœlo infixis, Deo preces, Deo gratiarum actiones persoluunt, totumque suum tam interiorem quam exteriorem hominem, habitu, voce, vultu, rebus visibilia excedentibus, spretis cunctis aliis intentum, immo affixum esse ostendunt. Ab hoc more excipiunt illos festivos dies qui supra scripti sunt, in quibus bis comedunt, & in quibus more monachorum non per cellas, sed simul habitantium, non solum omnes regulares horas in Ecclesia decantant, sed & in refectorio tam post sextam quam post vesperas, nullo sospite excepto, communiter edunt. Quibus tantum diebus antiquorum eremitarum æmulatione ne ab aliis sacris operibus licet dignitate inferioribus impediantur, salutare omnipotenti Deo pro salute sua ac mundi, sacrificium offerunt, quod ex usu iam veteri tracto nomine, quia Deo mittitur Missa vocatur. His sacris diebus, qui singulari privilegio à Domino vel eius Resurrectione Dominici dicuntur, ac sæpe dictis ipsius vel sanctorum eius solennitatibus Missas D celebrant. Diebus quibus eis legumine uti licet, illud ipsi ad mensuram acceptum, sibi aptant & coquunt. Hoc vero tunc, quando non communiter in refectorio, sed quando eos in cellis suis solos comedere eremitica institutio præcipit. Vinum nullo tempore, ante mensam vel postea sumunt. Sed si quis tunc sitim passus fuerit, aqua ei, non vino uti licet. His ne tam sanctam Institutionem omnino muti præteriisse videremur, breviter præmissis, ad miracula per quosdam ex ipsis nostro tempore facta, procedendum est. Hæc enim in toto isto opere principalis, ut sæpe iam dixi, fuit mihi causa scribendi, hoc est, miracula ubilibet vel quolibet tempore facta ad præsentium vel posterorum memoriam transmittendi.

E

## CAPUT XXIX.

*De quodam fratre Carthusiensi, qui mira vigilans vidit.*

MVlta quidem in illo sacro ordine miracula contigisse, a pluribus accepi. Sed quia ipsius humilitatis virtute, qua semper servi Dei miranda opera sua quanto possunt nisu occultant, vix aliquid ex his prodere alicui voluerunt, rara, immo rarissima, quibus omnimoda fides accommodanda esset, ad me miracula pervenerunt. Quæ tamen absque dubio certa comperi, tacere nec volo, nec proposui. Fuit ex eorum numero, non quidem monachorum, sed conversorum, conversus quidam humilis genere, iuvenis ætate, sed moribus generosus, F & vitæ sanctitate provectus. Hic toto studio, obedientiæ, humilitati, mortificationi omnem quam poterat operam adhibens, mundum sibi, seque mundo non solum crucifixerat, sed etiam sepelierat. Amori divino, & specialiter memoriæ matris Domini, ita se totum devoverat ut à bonis viris ipsum vitamque eius cognoscentibus, nihil scire iudicaretur, nisi Christum Iesum & hunc crucifixum, sacramque ipsius crucifixi matrem, ac perpetuam Virginem, humanæ salutis singularem post Dominum amatricem, Mariam. His studiis à conversionis suæ principio cœptis, magis ac magis insistens, & in hac nostra iuxta Psalmum lachrymarum valle, de virtute in virtutem proficiendo, Ascensiones in corde suo disponens, antiqui & communis hostis invidiam contra se velut novam ac specialem concitavit: nec iam occulte, sed palam, quantum perditus ille perditionis humanæ sit avidus, ex seipso monstravit. Iacebat quadam nocte in cella, sibi ut talium mos est, ad laboris solamen & orationis secretum designata. Et ecce in multo iam processu noctis, ipsi G adhuc vigilanti & cœlestia meditanti, dæmonum turba in specie porcorum agrestium apparuit. Furebant ubique per totam cellam, & discursu insano, rictu horrendo, dentibus longissimis ac velut in necem eius exacutis, pavefactum ac trementem hominem circumstabant. Sudabat ille, ut mihi relatum est, præ timore, & quasi iam iamque à bestiis discerpendus, nil nisi mortem ultimam præstolabatur. Talia eo patiente adauctus est metus, & quendam enormis magnitudinis hominem, ut ex cordis sui iudicio sibi videbatur, dæmonum principem, cellam illam in qua ista fiebant, conspicit intrantem. Qui primo ingressu suo conversus ad porcos, quid (ait) segnes facitis? Cur iam hunc non rapuistis? Cur non discerpsistis? Quod dicis, inquiunt porci, magno conatu facere nisi sumus, sed cuncta tentantes, nil facere potuimus. Ego, inquit ille, iam faciam, quod vos desides facere non potuistis. Quo dicto uncum ferreum longis ac recurvis ungulis terribilem, minaci manu protendens, atque ad virum Dei rapiendum, immo ad discerpendum adaptans, eum nimio terrore pene mente excedere coëgit. Sed Deus, H cui bonus vir ille sæpe supplicando dicebat, ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo, tentationem tam duram non est passus ultra procedere, sed multa misericordia, qua semper suis providet, eduxit eum à tentatione, & liberavit à malo. Mox enim ut nequam ille manum, ut dictum est, ad eum rapiendum, & uncum, ut videbatur, ferreum ad eum discerpendum extendit, statim omnipotentis filij Dei mater, mater vere, ut dicimus, misericordiæ, in qua ille, sicut dictum est, totam spem suam post Deum posuerat, visibiliter adfuit, ac virga levi manu prætensa: Quomodo, inquit, huc detestandi venire ausi fuistis? Non est, non est hic vester, nec iam contra eum in aliquo prævalere poteritis. Dixit, ac dicto velocius, totum illud infandum collegium ut fumus evanuit. Perstitit illa post dæmonum fugam, cum homine adhuc tremente, eumque his verbis consolata est. Placet, inquit, quod facis

A **tuique animi devotionem Deo mihique gratam esse** noveris. Hac ergo quod facis, & de his ad meliora perseveranter proficere stude. Et ut tibi aliquid singulare in mandatis tradam, **stude vilibus escis, complectere abiectis vestes, operi manuum devotus insiste.** His **animatum hominem virgo relinquens, cœlos repetiit.** Illud de hoc bono viro miraculum, aliud isto non inferius sequitur. Rusticus quidam pauper, sed paupertate devotionem fidei eius non impediente, se bonis illis viris, de quibus sermo præmissus est, in amicitia iunxerat, eisque non minimum familiaris erat. Diligebant enim illi in ipso, non solam, quæ quantum ad animæ salutem spectat nihil prodest, rerum paupertatem, sed beatam spiritus paupertatem, de qua Dominus, Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Ea de causa cum quanto erga Deum devotiorem sentiebant, tanto ut magis familiarem sibi associabant. Inde contigit ut duos eius filios & parvulos
B susciperent, & in religione sancta, patris post Deum maxime causa educarent. Horum unus, non multo post tempore elapso defunctus, alterum superstitem dereliquit, quem religiose educare & instituere volentes, in prædicto bono viro cui mira quæ præscripsi ostensa fuerant, eius curam committunt. Nec segnis ille mandatorum exequutor, puerum commendatum suscipit, enutrit, ac sacro religionis lacte, quo ipse educatus in viriles annos evaserat, eum imbuens, nil rerum terrestrium sapere, nihil eorum quæ in terris sunt diligere, brevi edocuit. Cœlum mente conspicere, cœlestibus inhiare, **ad Christum cœli ac terræ Deum ac Dominum, totis animi viribus anhelare, quæ sursum sunt quærere, non quæ super terram, ubi Christus est in dextera Dei sedens, iuvenem sibi creditum bonus do**ctor edocuit. Edoctus ille ab eo, in vanum laborasse **doctorem suum, ut quidam indisciplinati faciunt, ostendit: sed ut à quodam satis noto dictum est, recens testa semel cœlesti sapore imbuta, odorem inde con**-
C tractum non diu tantum, ut ille ait, sed semper quo ad vixit servavit. Sed placuit Deo, ne puer tam bene educatus, tam sancte edoctus, diu particeps mortalium fieret, vel aliquem de ipsorum diutino consortio nævum contraheret. Raptus est igitur, ne malitia mutaret intellectum, aut ne fictio, quæ quibusdam etiam religiosis quandoque familiaris esse solet, deciperet animam ipsius. Præveniens ergo in morte dilectum discipulus magistrum, bonam quidem spem salutis suæ, sed cum eadem spe magnum illi ac pene intolerabilem de morte sua dolorem reliquit. Acceperat quippe illum à Priore suo, ut iam dictum est, ad educandum, sed eius bonos mores sanctamque intentionem intuens, admirans & amplectens, eum non solum ut commendatum, sed ut filium unice diligebat, atque ideirco eius tam celerem, immo quasi furtivum de mundo recessum, pene assidue dolendo deflebat. Eo tractus af-
D **fectu** orabat continue pro ipso, Psalmorum quicquid noverat Deo quotidie profundebat, nec satiari orando, psallendo, mœrendo, pro ipsius anima poterat. Cumque hæc tam devoti animi sui tam pia studia, nullo fere tempore intermitteret, nec ab his quantum facultas dabatur cessaret, volens Deus hominem suum **aut à tam duro labore relevare, aut cuius meriti vel** ipse, vel puer illius esset ostendere, dignum fecit eum visione cœlesti, qua & ipse consolaretur, & quid de ipso, vel puero sentiendum esset, legentibus, sive audientibus proderetur. Pernoctabat aliquando sub divo bonus vir, ut sæpe facere consueverat, ac spiritum cœlo intentum ab orationis labore vel studio, ut de magno Martino legitur, non relaxabat. Cúmque defixis non solum mentis, sed & corporis oculis in cœlum, Deum ut homini erat possibile super æthera, quæ visui corporali obstabant contemplaretur, ecce subito per **medium, velut** per medium discissi aëris lux longè **omni corporea** luce clarior ei de supernis infulsit, eumque ac loca sibi circumposita splendore immenso **perfudit. Et ut servi sui votis, ille qui voluntatem ti**-
E **mentium se facit, satisfaceret, conspicit & dilectum** puerum, immo in Deo filium suum, de cœlis cum eadem luce descendere, atque usque ad se lætum & radiantem **venire, & in insueta visione gaudio simul & timore** turbatus, hærebat. Ad quem is qui apparuerat puer, **quid, inquit, turbaris? an non agnoscis filium tuum?** Redi ad animum, & mecum ut solitus eras loquere. Sed ut ea quæ circa me aguntur tibi aperiam, noveris multum profuisse mihi, quod me tam tenere Dei causa dilexisti, quod morti meæ tam benigne compassus es, quod pro me tam sollicitas & continuas Deo orationes fudisti. Amodo per Dei gratiam noveris me ad illum statum pervenisse, ut sicut tu hactenus mihi profuisti, sic ego tibi amodo apud ipsum prodesse valeam. Dixit hoc, & statim unde venerat paulatim eo conspiciente regredi cœpit. Referebat autem ille huius visionis inspector, quod dum a se discederet, cœlumque conscenderet, non aversa facie, vel huc atque converso, ut
F vale facientes solent, recessit, sed sicut ei colloquutus facie ad faciem fuerat, sic semper ad se converso vultu ad superna tendens, tam diu permansit, quousque ut de Martino iam dicto legitur, patente cœlo receptus, videri ultra non potuit. Quæ visio, in hoc forte visioni illi præponderat, quod Severus Sulpitius illam, sicut ipse perhibet, licet matutinis horis leviter dormiens, tamen dormiens vidit, hanc autem ille non dormiens, sed vigilans, sub divo positus, atque orationi toto corde intentus, conspexit.

## CAPVT XXX.

*De miraculo cereorum Romanorum in Ecclesia matris Domini.*

**I**Llud quoque nobile & iucundum miraculum, quod **ante plures annos compertum, iam penè cum tem**pore mente elapsum fuerat, memoriæ sequentium mandare, ultra non differam. Habetur Romæ Patriar-
G chalis Ecclesia in honore perpetuæ Virginis matris Domini consecrata, quæ vulgari sermone, sancta Maria maior vocatur. Maior autem ideirco, quia post Lateranensem sancti Salvatoris Ecclesiam, maior dignitate non solum Romanis, sed & totius orbis Ecclesiis est. Illuc Pontifex Apostolicus in præcipuis ac solennibus festivis diebus, id est natali Domini, Pascha atque Assumptione iam dictæ gloriosæ Virginis, cum celebri processione more Romano coronatus pergit, ibi stationem facit, ibi totius urbis clero ac populo assistente, solemne Deo sacrificium offert, & sacros dies, quanto potest, colit honore. Ibi præter ipsum & coadiutores eius septem Episcopos, ac Cardinales Presbyteros, nulli Missam celebrare fas est. Ibi quam inauditum miraculum non solum semel contigerit, sed etiam iam à multo tempore annuatim in festo supra nominato As-
H sumptionis proveniat, dicendum est. Mos est Romanorum, festum illud Assumptionis matris Domini inter universas anni festivitates præcipuo honore colere, speciali devotione venerari. Vnde est, quod inter plura devoti animi sui erga præcelsam Virginem signa, **cereos maximos faciunt, & eos ante paratos vigilia fe**stivitatis ad nominatam Ecclesiam deferunt, atque vespertina hora vel circa, accendunt. Pondus tamen eorum æqua lance pensatum, domi retinent, ut sequenti die solemni Missa peracta, eos rursum pensantes quantum de quantitate eorum ignis absumpserit, rutilante statera cognoscere valeant. Manent ergo Romanorum cerei, a vespertinis utique horis, usque ad sequentis diei sextam vel nonam ardentes in Ecclesia matris Domini, ad honorem utriusque accensi, & festiva Missæ solemnius consummatis, singuli a propriis Dominis ab Ecclesia reportantur. Referens quisque cereum suum, mox ut domum pervenit, geminas lances præparat, imponit uni cereum, alteri pondus hesternum. Attendit diligens inspector, quantum de cerei prius appensi

quantitate possit deesse, & vespertinas, nocturnas, [illegible] quibus continue crescens ardet, innumeri [illegible] quia [illegible] de diminutione priami ponderis [illegible]. Et ecce, mirabile dictu, nihil minus [illegible] quod ad pondus pertinet, post tam prolixam [illegible] experientiam, sollicitus ille appensor, & inspectator invenit, sed quasi nihil consumptum sit, totum quod Deo & eius Virgini matri devotus incenderat, se accepisse miratur. Hoc tam nobile & ante nusquam auditum miraculum, ad commendandam mortalibus gloriam matris Domini, non in quolibet ignoto vel [illegible], non in quolibet, vel quacumque civitate, [illegible] orbis capite, non semel tantum, ut dixi, [illegible] recursu annuo, divina pietas & potentia operatur. Facit hoc ut & frequentia miraculi augeat admirationem, ædificet fidem, accendat charitatem: & [illegible] nulli patiatur esse occultum, quod cœlestis providentia, tam famosi loci occasione pluribus [illegible] omnibus, fieri voluit manifestum. Magnum quidem fuit Prophetcis temporibus quod ad viduam Deo mittente Heliam, Hydria farinæ non defecit, & lecytus olei non est imminutus, iuxta verbum [illegible] quod locutus fuerat in manu Heliæ. Magnum [illegible] Propheta Dei pastus est [illegible] Dei [illegible] hoc iussu Dei panes & carnes [illegible], & panes & carnes [illegible]. Magna [illegible], non tamen [illegible] tempore gratiæ. Magna [illegible] tempore Mosaicæ legis, non [illegible] sunt ista, tempore Christianæ & Evangelicæ legis. [illegible] ministratæ a corvis mane & sero, non defecit eidem pauxillum [illegible] & dimidium non [illegible] matris Domini [illegible], ut dictum est, con[illegible] quantitas, non solum per tres annos & dimidium, sed iam per centum [illegible] ætatem, [illegible] Dei [illegible].

## CAPVT XXXI.

*[illegible] per sanctum M[illegible] [illegible] vitæ [illegible].*

ADdam & illud quod fere cunctis [illegible] puer [illegible] per sanctum Maiolum [illegible] Is etenim Sanctus, sicut pene cunctis Galliarum populis notum est, ut magnus vita, ac miraculis & dum mortalis viveret, & post mortem [illegible] insignis extitit. Hac miraculorum gratia, in tantum iam per centum lx. & duos annos, hoc est a tempore mortis suæ claruit, ut post sanctam Dei genitricem, nullum sanctorum in tota Europa non in [illegible] operibus parem habeat. Testantur hoc innumeri diversis morborum generibus pressi, qui ad sepulchrum eius divinam clementiam ipsius meritis sibi misereri precantes, exauditi sunt. Inter quos & mulier parvum habens filium, infra hos septem annos, similem, immo maiorem per ipsum Dei misericordiam experta est. Nam cum iam puer ille plus quam triennis esset, contigit eum morbo correptum extingui. Indoluit acriter mulier affectu [illegible] maternæ, ac doloris [illegible] agitata, totam vim animi non tam [illegible] muliebriter, quam ad fidem constanter convertit. Excitata namque [illegible] operibus, quæ non solum frequenter ad sepulchrum sancti [illegible] facta audierat, sed etiam picta [illegible] viderat, in spem animum erexit, & sibi ab eo [illegible], non [illegible] fide præsumpsit. Unde statim [illegible] non ad præparandum funeri sepulturam [illegible] sed mortuo puero inter brachia sumpto ad Ecclesiam [illegible]. Quo cum [illegible] gressibus velut [illegible] pergeret, interrogata a multis quid ferret, & quid sibi vellet, hoc unum omnibus responsum dabat: Filius, inquit, meus est, quem mortuum sancto Maiolo defero, ut illum mihi restituat. Mirabantur audientes de tam insolita re tam constans mulieris responsum, & eventum rei iam sollicite præstolabantur. Venit tandem mulier ad sancti sepulchrum cum parvulo, & eum ante altare [illegible] potuit. Mira astantium expectatio. Noverant quidem, ut dictum est, & quamplures viderant, multos ibi sancti virtute curatos, sed a morte redivivum nec ipsi viderant, nec a patribus acceperant. Attenti ergo tam Monachi quam [illegible] ad tantum spectaculum, nutum omnipotentis, cuiusque beneplacitum sustinebant. Mansit puer exanimis ab hora diei prima (dies enim tunc æstivi erant) usque ad horam nonam. Tunc tandem oculos aperuit, ac matrem, quæ proximo loco ei assederat, eumque materna custodia asservabat, tenui ut puer voce vocavit. Surrexit mater attonita, & non sola ad eum accessit. Hunc viventem & loquentem quem mortuum deposuerat, cum multis qui aderant cernens, spe sua, pietate sancti se frustratam non esse agnovit. Fit statim lætus clamor in populo, & voces altissimæ ad Dei laudem, & S. Maioli præconium resonant. Accurrunt fratres meridianis horis regulari more in lectis quiescentes, totaque Sylviniacus, nulla pene licet villa sit Galliarum urbe plebium numerositate inferior, audito tam felici nuntio, in momento advolat. Replentur tam clamoribus quam devotis lætantium vocibus Ecclesia, & cernentes viventem, quem mortuum reliquerant, vix se ipsos præ gaudio capiebant. Obtulit dehinc devota mulier puerum sancto, & quia sicut ab utroque parente primam, ut sic loquar, vitam acceperat, sic a sancto Maiolo tam insigni miraculo secundam resumpserat, authoritate [illegible] sancti Maioli filium decrevit perpetuo nuncupari. Ne vero legenti, vel audienti superesse aliqua de tanto miraculo dubietas possit, noverint me antequam hæc scriberem, bis Sylviniacum venisse, & tam a matre quam à pluribus & fide dignis testibus, dum id sollicite inquirerem ea accepisse.

## CAPVT XXXII.

*De confessione cuiusdam Fratris Cluniac. tandem facta Domino Abbati veraci & devoto.*

IAm aliam de utilitate confessionis visionem, præter illas quas longè supra narravi, quia multo post tempore accidit, non præteribo. Eo enim anno quo de Anglia secundo redii, illud me audisse contigit. Quod ne menti excideret, eodem anno literis tradidi. Regressus a iam dictæ Angliæ partibus dum Cluniacum tendens per Franciam iter agerem, ad quoddam Monasterium Cluniacensis ordinis quod Radolium vocatur, & ad Charitatem pertinet, hospitandi causa diverti. Præsidebat tunc eidem loco more Prioris frater quidam Bernardus nomine, Pictavus natione, iuvenis ætate, elegans moribus, opere strenuus, domui sibi commissæ prudenter providens. Detinebatur tunc valida febri, támque gravi, ut lecto assiduè decumbere cogeretur. Veni ergo, & tali morbo eum gravatum inveni. Accessi statim facta regulari oratione ad ipsum, & qualiter se haberet sollicite perquisivi. Respondit ille, quod clarum erat, nec aliquem cernentem latere poterat, multum se incommodo iam dicto gravari. Monui pro officio, ut quamdiu compos sui erat, conscientiam scrutaretur, peccata confiteretur, nec aliquid ad salutem animæ pertinens intermitteret: sed confessione, devotione, oratione, ad iter peregrinum secure explendum, se toto quo posset conamine pararet. Acquievit monitis libens, & semotis aliis me tantum coram eo residente, confiteri devote aggressus est. Expleta, prout tunc datum fuit, confessione, feci quod meum erat, & ægrum confitentem Christiano more absolvi. [illegible] vero ei congrua,

A iuxta quod ab ipso audieram & mihi visum est, pœnitentia, die sequenti ad ipsum reditum, recessi. Facto mane, ut proposueram redij, & remotis astantibus, seorsum cum de similibus ut prius feceram, admonui eum. At ille ut potuit corpore, totus autem mente ad me conversus. Peccavi, ait, Domine, & valde peccavi, quod de hesterna confessione, quam purè facere debuissem, de industria quædam subtraxi. Ea de causa ad iudicium hac nocte vocatus, mira & tremenda videre coactus sum. Adstabat quodam in loco multitudo hominum tetri coloris, horrendæ formæ, quorum deformitatem vix visus humanus tolerare poterat. Allatæ sunt ab eis lances geminæ, in quarum una animam meam, in alia opera mea cernebam. Accusabant me undique, & quandoque vera, quandoque falsa plurima more suo proferebant. Æstuabam constitutus in arcto, nec tot, ut videbatur, millibus hominum innumera obicientibus, præ timore respondere poteram. Cum-
B que diu huiusmodi litibus, & accusationibus me ad omnia suspensum ac trementem vexassent, occurrit tandem formosus, ut videbatur, vir, & in medio astans, turbis insanientibus, immo ut animo conceperam dæmonibus. Quid, inquit, quæritis? Non est iste plane, non est iste de vestris. Eripuit, eripuit eum certe de manibus vestris, ea quam hesterno die Abbati suo fecit confessio. Non sic est, inquiunt, non sic est, ut dicis. Novimus enim, & benè conscij sumus, quid dixerit, & quid retinuerit. Tacuit pro certo quædam, quorum sibi ipse conscius est, non oblivione inductus, sed deliberatione seductus. Cum igitur bonus ille defensor meus prolatam licet à mendacibus veritatem negare non posset, nec tamen me deserere vellet, consumpsi in immenso labore ac formidine totam hanc noctem. Qua transacta, aurora, ut credo, dante diei principium, expergefactus ad me redij. Nunc quia plenè intelligo, multam mihi à Deo hac visione impensam misericordiam, ut fateri me velit, quod tacere decreveram: detegam Deo cuncta ex integro, tibique, Pa-
C ter, nec ultra meam animam parata salute fraudabo. His dictis ad confitendum rursus conversus, quicquid exhauriendum reliquerat totum per Dei gratiam exhausit. Expleta veraci, & devota confessione, absolvi pro officio fratrem, & oleo sacro inunctum, Christi corpore ad æternam vitam obtinendam refectum, Deo & fratrum precibus intentè commendavi, sicque valefaciens ei, cum sociis recessi. Dehinc ut Cluniacum veni, paucis interiectis diebus, eius decessum audiens, & sibi debita quæ ad animam pertinent beneficia à fratribus sollicite reddi rogavi, & plura supra debitum addidi.

SANCTI PETRI

D # MAVRICII

## DICTI VENERABILIS

### ABBATIS CLVNIAC. IX.

## RYTHMI, PROSÆ, VERSVS, & Hymni.

*Adversus calumniatores carminum sui Petri Pictaviensis, Defensio, cuius argumentum est.*

Egregius pro vate suo dux ipse perorans.
His iaculis rabidam confodit invidiam.

AVDIO, livor edax, te sacrum rodere carmen,
Verbáque divino carpere scripta stylo.

E Sed scelerata licet tibi sit, nequamque voluntas,
Commoda cunctorum quam tua damna putas:
Vix tamen id de te quisquam mihi credere suadet,
Nec quemquam tantum credo putare nefas:
Vt vitreum rivum puro de fonte manantem
Tentaris cœno turbificare tuo.
Sed quid erit? cogor veraci credere famæ,
Certis indiciis quæ sua dicta probat.
Ha! scelus, & Stygio mens submergenda profundo,
Quæ vomit ex antro dira venena tuo.
Manes tartarei talem compescite linguam,
Quæ demens potuit verba nefanda loqui.
Oris de baratro tractam per frusta secate,
De qua mox faciat flamma vorax cinerem.
Infandæ vocis fauces arctate meatus,
Et tumeat guttur, ne sonet illicita.
Audiri timeas, ô vox indigna, sonare
Consulo deficias, teque silendo premas,
F Humanas strepitus ne talis polluat aures,
Communes usus spiritus ipse nega.
Sed numquid fieri tanti queo criminis ultor,
Cum mage districto iudice res egeat?
Aut fragili calamo crimen tentabo piare,
Vngula quod ferri radere vix poterit?
Nec mihi communis nocet hæc iniuria tantum,
Sed magis egregios respicit illa viros.
Vos ô præcipui cultores philosophiæ,
Quos eadem propriis educat in laribus.
Eius vos, inquam, pasti, potique papilla,
Quos proprio studiis imbuit ore sacris.
Naso, Flacce, Maro, Stati, Lucane, Boëti,
Et quicumque tuum carmine comis opus.
Huius livoris vos tangere mucro minatur,
Hic & de vestro cogitat exitio.
Vos etenim lædit, qui lædere non timet illum,
Quem vobis socium Calliopea dedit.
Hunc inter reliquos æquali sorte locavit,
Impatiens ut sit cuilibet inferior.
G Huic sacer ille chorus concessit sponte cathedram
Sublimem, medio dans residere loco.
Nec me miretis primis æquare sequentes,
Nil tempus meritis demere iure potest.
Nec senibus iuvenes sibi displicet æquiperari:
Gloria namque patris filius est sapiens.
Hunc igitur iuvenem senioribus æquiparamus,
Hunc quem Musa facit patribus esse parem.
Nam nil splendoris, nil ponderis, aut rationis
Præfert plus isto lingua vetusta patrum.
Lux micat in verbis; gravis est sententia rebus,
Nec se dissociant aut decor, aut gravitas.
Laudibus extollit tollenda, premitque premenda,
Nec reticenda loquens, nec recitanda tacens.
Flet cum flere decet, gaudet cum prospera poscunt,
Reddens officio congrua quæque suo.
Scribere sic didicit, ut pingere cuncta putetur
Non ars ulla sibi, non color ullus abest.
H Verba quidem resonant, sed res magis esse videntur,
Pulchra velut vivum fingit imago virum,
Auribus hæc oculi rapiunt, audita videntur;
Nec nisi mirari quisque legendo potest.
Pennula multicolor varios miscendo colores
Æquor adumbratum mox rutilare facit,
Omnia conveniunt assumptæ materiei,
Nec quisquam melius dicta loqui potuit,
Felix materies tanto sublimis honore,
Quam dignata fuit Musa superna loqui.
Vilis eras, tenuis, languens, & tota iacebas;
Sed quod laudis habes aurea lingua dedit.
Nec tibi cuiusquam lyra se præponere tentet:
Nam numquam cecinit dulcius ulla melos,
Et quia nil melius in carmine cernitur ullo,
Hoc qui non recipit, cuncta simul perimit.
Quod vobis tutum remanebit in orbe Poetæ,
Si tam munito pellitur ille loco?

Nec

A Nec volo blandiri, par est fortuna duorum,
Sive probando bonum, vel reprobando malum.
Si bene dixistis, pariter dixistis uterque:
Si male, culpa simul stringit utrumque reum.
An sentire licet tantos errasse Poëtas,
Quos mundi venerans multus amor sequitur?
Sed non sunt isti, non sunt errasse putandi,
Quod qu cumque putat, desipit ille nimis.
At si fas non est tales errasse putare,
His errare parem dicere quis poterit?
Sed video virus, quod adhuc sub pectore servas,
Quod tibi iamdudum livide corda premit.
Vnde cave dirum tacitus tolerare gravamen,
Ne tua rumpatur peste tumente cutis
Dic rogo, dic & qua premeris celer evome pestem,
Sic secreta tui pectoris allevians.
Dic, dic, quid retices: an forte pudore teneris,
Et metuis rursus verba nefanda loqui?
B Iuste si metuis, favet isti quisque timori:
Sitne tamen verum, quærit ab ore tuo.
Mira refers, iuvenis compegit carmina noster
Plausibus immensis digna sui merito,
Æmula nullius quæ possent esse nitoris,
Turpis adulandi ni nota fuscet ea.
Sed nihil in rerum ratione placet vitiosum,
Hinc vitiosa mihi carmina nulla placent.
Ias revoca sordes, quas sordidus evomuisti:
Neve fluant, forti guttura claude sera.
Si secus, aut nimio cunctos fœtore fugabis,
Aut coges nares claudere quemque suas.
Sed ne te verbis urgeri forte queraris,
Accipe quod cupio dicere pace tua.
Quod vitium dicas mihi clarius exprime quæso,
Quo vitiosa tibi Musa placere nequit.
Si quia laudavit, ô quot tenet iste reatus!
Quot, quantosque viros ista cathena ligat!
Cum quibus hac merear felici sorte ligari,
C Qua mihi nulla dies gratior esse potest.
Si memorem mundi Sapientes, sive Poëtas,
Qui plenos laudum composuere libros:
Oppones forsan reprobam mihi religionem,
Qua sola docti desipuere viri.
Ast ergo perfidiam reprobo, qua displicuere:
Nec minus ideirco quod sapuere probo.
Namque perita manus sic vuam carpere novit
Vt pariter spinam cautè cavere sciat.
Nunc tamen his tacitis, taceant ut murmura cuncta,
Christicolas tantum dinumerare placet.
Quos magnos meritum, quos claros fama per orbem
Fecit, & ad cœlos vita beata tulit.
Hic nihil invenies furor impie, quod reprehendas,
D Nil quod mordaci rodere dente queas.
Horum te virtus, aut gratis cedere cogit,
Aut si nolueris, tunc mage victus eris.
Nunc igitur geminæ veniant in fronte columnæ
Fulta quibus, casum non timet aula Dei.
Hi sunt Hieronymus, Augustinúsque beati
Quos pro lege sequi lex iubet Ecclesiæ.
Ille suam Paulam quantis ad sidera tollat
Laudibus, egregio claret in eloquio.
Cuius virtutes sic effert lingua diserta,
Vt nil de meritis verba perire sinant.
Hinc non post dirum laudes cantare sepulchrum
Sat fuit, & læto solvere vota pio.
Incolumem missis recreavit sæpe libellis,
Non dubitans ipsam prodere laude sibi.
In sanctis studiis est matrem nata sequuta,
Consimiles animos à genitrice trahens.
Hanc quoque non terra passus sub nube latere
Curavit scriptis clarificare suis:
Eustochium dico, quæ corporis inviolati
Christo virgineum præbuit hospitium.

E Iam iuvat Ecclesiam Paulam recitare frequenter,
Nec minus Eustochium lectio sæpe sonat.
Harum se laudes iurat non posse tacere,
Nec timet inde cani displicuisse meo:
Quæ quia viventi præconia scripsit utrique,
Liuor eum mecum iudicat esse reum.
Sed certe talis laus est mihi magna, reatus
Hoc quia cum socio censeor esse reus.
Iam si laudatos placeat memorare viritim
Non duo, sed populus confluet innumerus.
Quos qui nosse cupit non ad mea carmina currat,
Sed de fonte sacro larga fluenta bibat.
Hæc studiosus amans, armaria consulat illa,
Quæ gravidum libris constat habere sinum:
Hieronymoque dehinc per multa volumina lecto,
Omnis lecta mihi pagina testis erit.
Post hunc indomitus accedat belligerator,
Cuius sola terit millia multa manus:
F Qui vinci numquam, qui semper vincere suetus
Tela repugnantum abdere cogit humo.
Augustinus hic est, quem nobis Africa misit
Tertia pars orbis, re maior, hinc potior.
Partibus ista minor spatiis est terra duabus,
Ast Augustino vincit utramque suo:
Quo nihil vberius Libycis increvit aristis,
Qua valeas animæ fruge fugare famem.
Clarior inde polus gemino nos sole serenat
Sed novus antiquo clarius iste micat.
Sic etenim tetras de mentibus effugat umbras,
Hic modo corporeas irradiat tenebras.
Ambrosio laudes dum viveret iste dicavit,
Quas studuit populis edere voce, stylo.
Hieronymo multis blanditur Epistola verbis
Ipsius, utque Patri scribit uterque sibi.
Nil laudum titulis detraxit, nilque reliquit
Quod foret egregio gloria, lausque viro.
Quid modo, si pariles notet eius penna iugales
Paulinum sanctum, Therasiamque suam?
G Nonne tuum feriet saxosa turbine murum
Emule, quo tua mox mœnia cuncta ruent,
De quibus ut tutus prospectas eminus hostem,
Et rides hilaris quas iacit ille minas?
Hos natale solum pro Christo deseruisse,
Hos cœlum terræ præposuisse probat.
Laudat eos, & opes, & fastum nobilitatis,
Vinclaque coniugij postposuisse Deo.
Narrat ab occiduo venientes cardine solis
Hactenus ignotas arripuisse vias,
Et sedes meruisse pias Oriente propinquo,
Proximus ut fieret transitus ad requiem,
Auribus ipsorum laudes commisit eorum,
Non sibi, non ipsis hinc aliquid metuens.
Iam mea si reliquos conetur penna notare,
Quos nimium propriis extulit ille libris:
H Deficiet cum mente dies, cum tempore verba,
Mole gravi pressum concidet ingenium.
Iam nobis veniat cum primis annumerandus
Alpibus Ambrosius celsior Italicis.
Non magis Eridanus terras vicinus inundat,
Quando tumens pluviis unda superba furit:
Quam Patris Ambrosij cœlestibus imbribus auctum
Eloquij flumen arida corda rigat.
De quo condignam si quis vult scribere laudem
Sumat opus multi iure laboris egens.
At mihi sufficiet, laudandi fasce relicto,
Totius mecum laudis habere virum.
Quem patet Augustis laudes misisse duobus,
Regales animos alliciendo Deo.
Vt rigidas mentes melius mulcendo doceret,
Dura levi Christi subdere colla iugo,
Mentibus ingenuis fertur natura dedisse
Vt cupidæ laudum, quas meruere semel,
Addere laudatis semper laudanda labores,
Quo sibi perpetuus concilietur honos.



Digitized by Google

A Noverat hæc Cicero, nobis quoque scripta reliquit,
Cui multam debet lingua Latina fidem.
Cuius pauperiem sic ditat divite lingua,
Vt iam sit nullum ditius eloquium.
Publica res, inquit, proprio stat Principe stante,
Cuius & in casu labitur ipsa simul.
Convenit idcirco causas removere ruinæ
Et stanti vires addere continuas.
Vt stomacho mentis impensa laude refecto
Principis esuriem gloria submoveat.
Sicque fit ut nullum timeat respublica casum,
Dum semper vires Principis ipsa novat.
Laudibus ergo piis Reges vir sanctus alebat,
Posset ut ipsorum pellere laude famem:
Quo saturi pastu, mentisque vigore resumpto
Ius regerent magni fortius imperij.
B Nunc Cypriane sequi proprias dignare sequaces,
Tempore seu meritis es quibus anterior.
Horum cœlestes illustrant lilia campos,
Sed tua purpureis sunt sociata rosis.
Iungeris his verbo, præcellis sanguine sacro,
Quo melius solito Punica terra rubet.
Quam tua multorum rubricavit lingua cruore,
Quos monuit vitam perdere morte pia.
Te duce bellatrix rursum Carthago superbit,
Rursus & in Latium concutit arma solum.
Nec velut Hannibalis formidat tempore vinci,
Sed secura manet Principe fisa suo:
Cum quo Romuleas sternens sine cæde catervas
Cæsa triumphavit, Romáque succubuit.
Quæ multo melius moriendo subiugat hostes,
Dum vivit moriens, & moritur perimens.
Hunc tua Corneli præconia Papa beate
Non piguit scriptis nobilitate suis.
C Hic studuit multos scribendo reddere claros,
Quos fecit celebres gloria martyrij.
Iam decus Arvernum, quam tot virtutibus ornas,
Nobis Sidoni sancte vocate veni:
Et referens laudes quas sanctis exhibuisti,
More tibi solito perfida corda feri,
Quæ nobis laudes audent grunnire negandas
Quando virtutis exigit has meritum.
Ergo Viennensem iam nunc modulare Mamertum,
Quove docente pius servet ovile Lupus.
Præsul Lugdunum patiens qui rexit aquosum,
Quanti sit meriti te referente patet.
Sed neque Faustus abest Abbas, heremita, sacerdos,
Quem tua nequaquam lingua latere sinit.
Nec te præter eam primis æquande Poëtis
Fortunate, tuum quod probat ingenium.
Gallorum populis te tellus Italia misit,
Vt veterum caneres gesta Poëta novus.
Post veteres etiam libuit cantare modernos,
Quorum de meritis tu tibi testis eras.
D Gregorium laudas Arverno germine clarum,
Cui dat Martini celsa cathedra locum.
Nec non Panthonici mores & templa Leontis,
Quæ duo construxit compta decore pari.
Nec numerare vacat tot quot tua pagina præfert:
Nam tempus prohibet, materiésque premit.
Hos tibi nosse sat est, qui carmen legeris istud,
Quod laudare bonos optime cuique licet.
Nam si sunt digni, nec vivi laude carebunt,
Ne dicam laudes nil nisi mortis opus.
Vnde nihil trepides vitam laudare bonorum:
Qui bonus est, fiet laude tua melior,
Huius te culpæ merces, non pœna sequetur,
Ornabitque tuum digna corona caput.
Nunc qui stelligero nutu dominaris Olympo,
Et mundi moles quem venerando colit,
O tu post Christum maiorum maxime Petre,
Te si dignaris nunc mea Musa vocat.
Te Pauli laudes viventis non tacuisse
Innumeri testes, & tua scripta probant.

Vltimus adveniat, sed fortius omnibus hostem E
Paulus Apostolico conterat imperio.
Nullus eo melior, nec maximus ille Ioannes,
Quem gaudet meritis Petrus habere parem.
Hic toti solus indicit prælia mundo,
Et contra populos dimicat unus homo.
Non metus hostilis, non vis, non vulnera mille,
Nec cruor effusus hunc superare queunt.
Sed victor proprio vincens cum Principe mundum
Invicti Regis se docet esse ducem.
Hac virtute meos hostes proturbat, & ipsos
Eius iacta manu spicula confodiunt.
Nam quotiens laudes ipsius Epistola mittit,
Ipsorum totiens pectora dura ferit.
Romani, Galathæ, simul Ephesus atque Corinthus,
Laudis Apostolicæ promeruere decus.
Sed reliquos populos, quos laudibus extulit ille, F
Commemorare, nimis carmina longa vetant,
Quæ loquor intenta meus audiat æmulus aure,
Nec me tot frustra fundere verba putet.
Si quia laudavit, reus est meus ille Poëta;
Omnem qui laudat par quoque culpa ligat.
Quod quia nemo potest ulla ratione negare,
Præmissos sanctos hinc patet esse reos.
Quod si tot sanctos involuerit iste reatus,
Nullum credo latet quanta vorago patet.
Nam si quis iustos turbæ miscere reorum
Tentarit, fiet maximus ipse reus.
Hoc vitare chaos si noster vis reprehensor,
Quæ prohibere soles illa licere dabis.
Nec iam censebis à laudibus esse silendum,
Cum videas tantos non siluisse viros.
Sed forsan dices, voluit laudando placere,
Hinc saltem reus est, hinc reprobandus erit.
O scelus, & vere nimium damnabile crimen! G
Cui precor ut libeat iungere me sceleri.
Tali si tenear iusto sub iudice culpa,
Præmia, non pœnas cognita causa dabit.
Nam quis me damnet maiorum scita sequentem,
Quæ si non sequerer, carcere dignus eram?
Paulus se dicit cunctis per cuncta placere,
Vtque placere queat, quemque studere monet.
At nunc adverso contendere tramite cogor,
Et reprobor si non devia quæque sequor.
Sed mihi fas non est antiquo calle relicto
Errorum sectas, & nova quæque sequi.
Sunt igitur veteris Pauli mandata sequenda,
Cúmque novis pariter sunt reprobanda nova.
Istis concessis, quæ non sunt iure neganda,
Claruit esse bonum velle placere bonis.
Restat adhuc aliquid quod possis dicere contra
Livida segnities? exprime si quid habes. H
Nil habeo fateor, postquam duo solveris illa,
Quæ certant animum sollicitando meum.
Falsa tuum carmen multi cecinisse queruntur,
Dum nimium laudes vult celebrare tuas:
Vt non servatis modulis fit musica discors
Dum studet excelsa tangere vere * polos. * voce.
Hinc precor ostende mihi carminis utilitatem,
Qua sine nullius carmina sunt pretij.
Nam quid pulchra valet foliis & floribus arbor,
Ni mihi fœcundo stipite poma ferat?
Audivi fortem moveant quæ flamina turrim,
Et quantum robur concutiant video.
O! ô quam firmis hæret radicibus ilex!
Et quam structa manet firmiter illa domus,
Quam non evellit Boreas, non destruit Eurus!
Hanc tamen una volans vertere musca potest.
Vt dicis, dubitas mea carmina vera fuisse:
Accipe, nec post hæc vlterius dubites
Multa tamen nostram versat dubitatio mentem,
Quo tibi nunc pacto quod petis insinuem.
Nam tantis tenebris, tanta es caligine pressus,
Vt lateant aciem sydera clara tuam.



Digitized by Google

A Hæc ut nube queas omnino videre remota,
Tolle velamen quod tegit illa sine.
Mos mundanus habet cunctis ut litibus ille
Sit finis, quem sors judicij dederit.
Hinc simul ad iustum properemus utrumque tribunal,
Nam nullus iuri subdere colla pudor.
Tunc ibi non poterit cuiusquam causa perire,
Sed sua cuique dabit iudicialis apex.
Quod si iudicio compellar dicta probare,
Testibus indubiis assolet ut fieri:
Mox me millenos videas producere testes,
Hæc qui certatim vera fuisse probent.
Quod si nos acri melius certare duello
Iudicibus libeat, ratio sat resonat.
Mox per plana ferum cernes fervescere Martem
Ipso sub pedibus iam trepidante solo.
B Hinc aut terribiles surgent ad bella Quirites,
Aut duros campus proferet hic pugiles.
Vtraque mox acies mulcebit bellica tela,
Victus ut iaculis hauriat una necem.
Vt solo ter sic iam miles demittat Averno,
ut cedat pugilis reddita clava tui.
Vltimus iste solet causarum terminus esse,
Et tua sic finem iurgia percipiant.
Esto quod quædam fuerint in carmine falsa:
Non tamen hæc scribens carmina, falsus erit.
Nam potuit falli quæ scripsit vera putando,
Fallitur ut veri nescia mens hominum.

*In laudem Salvatoris Rythmus.*

A Patre mittitur, in terris nascitur, Deus de Virgine.
Humana patitur, docet & moritur libens pro homine.
Per lignum vetitum sumpsit interitum nostra mortalitas.
C Ligni patibulo redditur sæculo amissa dignitas.
Fructus comeditur, quo vita perditur, de mortis arbore.
Sanguis effunditur, qui fide sumitur, de Christi corpore.
Draco perimitur, mundus redimitur, sanguinis pretio
Huic mortem intulit, sed vitam contulit nobis hæc potio.
Exul à propria proiectus patria, mundum incoluit:
Qui tumens impia Deo superbia subesse noluit.
Cuius periculis clemens à sæculis Deus condoluit,
Propter quem filium mortis supplicium subire voluit.
At ille proprio Missus à solio, mox carnem induit:
In qua dum cæditur & crucifigitur, nil Deo minuit,
Nec diu distulit, sed statim contulit vitam de funere.
Opus mirabile, cui nihil simile divino munere.
D Adam eiicitur, latro reducitur, mira mutatio:
Tunc primum claruit, quid de mundo profuit auctoris passio.
Cruce deponitur, sepulchro conditur sumpta mortalitas,
Inferni torrida fortis & splendida subdit divinitas.
Æternas tenebras, & cæcas latebras fulgens irradiat.
Sanctorum hominum cognoscens Dominum chorus tripudiat.
Remugit infernus, tremiscit Cerberus auctor nequitiæ,
Atris in sedibus fulgere stupidus solem iustitiæ:
Dira repagula, vectes & pessula potenter conterit.
Ingenti gloria, summa victoria superbum proterit.
Tunc draco ferreum sensit aculeum, quem caro texerat.
Tunc primum doluit, tunc primum gemuit, quia voraverat.

E Nil Deo fortius, nil sapientius, nunc tandem didicit,
Dum vires viribus, & artes artibus devictas perspicit.
Hic cito labitur, dum præceps graditur insana cæcitas.
Sic cæcum currere; currentem ruere permisit deitas.
Quem ipsum ignea retrusit cavea quò se demerserat,
Nec mora miseros solvit innumeros, quos ille ceperat.
Potenti dextera disrupit viscera vetusti carceris.
Multum timuerant, quæ massam ceperant humani generis.
Scrutatur omnia regis victoria mortis latibula,
Dissolvit fortia forti potentia reorum vincula.
Hæc Christus spolia victor post prælia vexit ab inferis.
Hæc adgaudentibus supernis civibus invexit superis.
F Peracto triduo vitam in mortuo reformans corpore
Surgit continuo, nullo iam denuo passurus tempore.
Ionam glutiverat, sed non consumpserat marina bellua;
Quem ut traiciens, ita reiiciens remansit vacua.
Sic Christus gentibus, emergens fluctibus, salutem prædicat.
Tunc mundus timuit, timens pœnituit, & culpas abdicat.
Hinc formidantibus & desperantibus suis apparuit,
Atque visibilem & contrectabilem illis se præbuit.
Sed admirantibus & non credentibus illis præ gaudio,
Se vere vivere, se carnem gerere monstrat convivio.
Agnoscunt protinus, quod esset Dominus qui resurrexerat:
G Nec tardant credere quem cernunt vivere, sicut prædixerat.
Postquam sat luminis creator hominis terris infuderat,
Parat ascendere, secúmque vehere quod inde sumpserat.
Sed coram testibus ista fidelibus disponens agere,
Sumit familiam, ducit Bethaniam: hæc illi pandere
Vt per discipulos virtus per populos tanti miraculi
Vere claresceret, & sibi subderet tumorem sæculi.
Ascendens igitur, in altum tollitur suis videntibus:
Nube suscipitur, nec ultra cernitur ab assistentibus
Fertur ad æthera, transcendit sydera, nostrúmque hominem
Super Angelicum, & totum cælicum provexit Ordinem.
Tunc moles gravior est facta levior, cum caro terrea
Prius inferior, nunc est superior vi facta ignea.
H Gaude mortalitas, redit æternitas, qua reparaberis.
Quicquid de funere soles metuere, iam ne timueris.
Dat certitudinem vita per hominem & Deum reddita:
Quam in se pertulit, ac tibi contulit morte deposita.
O nova dignitas! dat locum deitas humano pulveri.
Nullum se præferet opus vel conferet huic tanto operi
Limus calcabilis, nunc adorabilis super cœlestia.
Summis virtutibus contremescentibus gubernat omnia.
Quod in principio pravo consilio perverse voluit,
Nunc per iustitiam, non per superbiam, Adam obtinuit.
Deus, dum timuit, esse non potuit, quod concupierat.
Factus est humilis, fit Deo similis & cœlis imperat.
Hic umbris horrida, hic flammis torrida sedes quem habuit,
Per Dei filium paternum solium tenere meruit.

Hortor

A Hortor ne lugeas homo, sed gaudeas quem cœlis intulit,
Quem mirabilius, quemque sublimius in Deum extulit.
Antiqui gemitus cessate funditus, non est miseriæ
Iam locus penitus: nam tempus cœlitus advenit gratiæ.
Et vos ô superi, iam vestri numeri damna ne plangite:
Sed novis sociis expulsis impiis, gaudere discite.
Magnum miraculum, magnum spectaculum tunc vobis præbuit
Deus, cum tegmine carnis pro homine tectus apparuit.
Hunc novum ordinem, prælatum hominem summis spiritibus
Dignè miramini; nec dedignamini benignis mentibus.
B Huic tamen canitis, huic genuflectitis vos in cœlestibus,
Qui carnem luteam, ut vestem trabeam, fert de terrestribus.
Hinc requirentibus, cur tinctis vestibus de Bosra venerit,
Sermo propheticus semper veridicus, narrat quid dixerit,
Vva dum premitur, vinum obiicitur, & præli pondere
Caro dum patitur, sanguis effunditur sub crucis onere.
Calcantis tingitur vestis dum tingitur vini rubedine.
Quo Deus tegitur corpus inficitur, effuso sanguine.
Hic rubor vestium signat supplicium quod sponte pertulit,
Quod tamen gloriam atque victoriam devincens retulit.
Quid ultra referam? Patris ad dexteram iam Christus residet,
C Vnde cæligenis atque terrigenis ut Deus præsidet.
Quid de discipulis? assistunt oculis alta rimantibus,
Et ad insolitum stupent intuitum, suspensis mentibus
Sublatum visibus, susceptum nubibus ducunt affectibus:
Spiritualibus, ipsis corporibus pene sequentibus.
Tunc viri splendidi, vestéque candidi missi ab æthere
Hæc contemplantibus & admirantibus cœperunt dicere:
O quid suspicitis? iste quem cernitis cœlos transcendere,
Descendet iterum cunctorum operum causas discernere,
Sicut ascensio fiet regressio, quando iudicium,
Commotis omnibus cœli virtutibus, erit mortalium.
Illum, cum veniet, nubes suscipiet, sicut susceperat
Quando videntibus & obstupentibus vobis ascenderat.
D Istud iudicium per Dei filium tunc adimplebitur
Cum à fidelibus & infidelibus iudex videbitur.
Hic primum humilis & contemptibilis vobis apparuit,
Cum sub velamine carnis de virgine suscepto latuit.
Sed tunc quæ fuerit & quæ latuerit omnipotentia,
Monstrabunt iudicis nutum ac vindicis cuncta tremenția.
Tunc terror pessimus & horror maximus orbem concutiet
Tunc quicquid firmius atque stabilius erit diffugiet.
Cœlum plicabitur, mare siccabitur, terra deficiet.
Iam nihil seminis, nihilque graminis ultra parturiet.
Vt unda labilis, nutat instabilis longæva firmitas.
Vt cera solvitur, igne dissolvitur terræ soliditas.
Tunc latex fontibus, cursus fluminibus prorsus negabitur:
Et via navibus, volatus avibus tunc prohibebitur.
Tunc decus nemorum, tunc fructus arborum, quæque virentia
Adustis floribus delectabilibus marcent arentia. E
Non aqua piscibus, non aër avibus tunc famulabitur.
Sed nec mortalibus calcari pedibus tellus dignabitur.
Fragrabunt æthera, nigrescent sydera fugato lumine.
Tunc nox perpetua, nox lucis vacua, dira caligine,
Ventis & turbine, multo iam ordine mundum operiet,
Tunc hians puteus ille sulphureus os adaperiet,
Et de flammigero profundens utero flammarum maria,
Ima cum superis, summa cum inferis exuret spatia.
Illud incendium sicut diluvium replebit omnia.
Mundus damnabitur, Noë salvabitur tota familia.
Tunc tuba cælica, vox archangelica superne resonans,
Et cum clamoribus diris fragoribus horrendum pertonans,
Clamabit populis qui sunt in tumulis, Omnes consurgite,
Indutis spiritibus suis corporibus vitam resumite, F
Et Christi solio iustus cum impio simul assistite,
Et quidquid gesserat quisque dum vixerat, modo recipite.
Hoc ab altissimo die novissimo vox ut sonuerit,
Nullum comprimere quolibet aggere terra iam poterit:
Quod ante latuit nunc tandem patuit, cum terræ viscera,
Quæ diu texerant atque celaverant, reddunt cadavera.
Quod canis roserat, fera contriverat, vermis depaverat,
Ignis assumpserat, aqua diluerat, aër dispersérat,
Ad statum pristinum redit per Dominum: qui sicut facere
Scivit per gratiam, sic per potentiam novit reficere.
Quæris cum pereat, unde post redeat carnis substantia?
Est tota ratio cœlestis iussio sive potentia. G
Vide quid fuerit antequam fecerit cœlum & terrea,
Vnde substiterit, unde processerit moles corporea,
Cum non existeret, unde quid faceret, creavit omnia,
Nulla consilium, nulla subsidium dante materia.
Qui sicut potuit, statim ut voluit hoc in principio:
Mox ut voluerit confestim poterit hoc in iudicio:
Tunc carnes ossibus, & cutis carnibus superinduitur.
Tunc quantitatibus & qualitatibus corpus induitur.
Et illa corpora per longa tempora quæ prius fecerat,
Dicto velocius, quo nil celerius, ut surgant imperat.
Momento temporis humani corporis fit resurrectio.
In ictu oculi novi miraculi fit exhibitio.
Tunc Deo proxime supernis animæ relictis sedibus
Vbi sublimius, ubi splendidius nitent sideribus,
Incorruptibile nec ultra fragili carnis huic vasculo.
Tunc sathan territus emittit spiritus de cæcis caveis,
Quos prius ceperat, quos alligaverat cathenis igneis,
Non infelicium solvens supplicium, sed acta nequiter, H
Vt cum corporibus & cum spiritibus luant dupliciter.
Sic & æthereis, sic & tartareis exhaustis domibus,
Sola mirabitur quando replebitur tellus hominibus.
Nam ex innumeris quos matrum vteris paulatim fuderat,
Omnes insolito quoniam subito partu regenerat.
O quam terribilis & formidabilis hæc dies irruet!
Heu! heu quam luridum! heu! heu quam turbidum tunc vultum induet!
Hæc luctum regibus, hæc planctum gentibus dirum incutiet.
Cum præ doloribus mentis angoribus quisque deficiet.
Cœlis ardentibus, terris trementibus iudex adveniet.
Quem admirabilem atque terribilem orbis conspiciet.
Tunc cruce prævia, mortis insignia de cœlis afferet.

A Ea volentibus atque nolentibus terrenis inferet.
Videbit populus & omnis oculus hunc admirabitur:
Et qui crediderat, & qui deriserat hunc contemplabitur.
Iudææ respice, en Iesus, despice, quem olim spreveras,
En tibi cognitus, & quondam subditus homo, quem videras,
En cuncta temperat, en cœlis imperat quem blasphemaveras.
Cunctorum pariter nunc sedet arbiter, quem crucifixeras.
Regem cœlestium atque terrestrium Iesum considera.
Cuius imperium, cuius iudicium tremiscunt æthera.
Credis adhuc Deum, cum sis iam per eum tradendus inferis:
B A quo iam flammea clauderis cavea coniunctus miseris?
Christe Deus meus, ad te clamo reus, quem spero iudicem:
Vt tunc clementiam, non iram sentiam malorum vindicem.
Tunc cum in solio tanto iudicio parato sederis,
Oves ad dexteram, hædos ad alteram partem posueris:
Tunc ovi ultimæ tu pastor optime locum te deneges,
Neque à gregibus illis felicibus me quæso segreges.
Cluniacensium sis memor ovium in tanto turbine,
Et ad perpetua duc eas pascua benigne Domine.
Tua vox ultima mergit in intima flammantis putei
Sathan cum perditis, in pastum traditis ignis sulphurei.
Post hæc ad patrium regressus solium decorem indues,
Atque Christicolas terrarum incolas cœlis restitues.
Hoc quod promiseras, & diu texeras tunc revelabitur,
C Quando sine fine summus ab homine Deus videbitur, Amen.

*De Resurrectione Domini, Rythmus.*

Mortis portis fortis vim intulit,
Cruce ducem illius perculit
Lumen clarum tenebrarum sedibus resplenduit,
Dum salvare, recreare quod creavi voluit.
Hinc Creator, ne peccator moreretur, moritur:
Cuius morte nova sorte vita nobis oritur.
Inde sathan victus gemit, unde victor nos redemit.
Illud illi fit lethale, quod est homini vitale:
Qui dum captat, capitur: & dum mactat, moritur.
Captis inferni carcere, solet qui nulli parcere.
Sic decenter, sic potenter rex devincens inferos,
Linquens ima die prima rediit ad superos,
D Resurrexit, & revexit secum Deus hominem,
Reparando quam creando dederat originem.
Per auctoris passionem ad amissam regionem
Primus redit nunc colonus, unde lætus fit hic sonus.

*In honore Matris Domini, Prosa.*

Voce iocunditatis alleluya, Veritas de terra orta est, cum Christus de carne natus est.
Nova sit in cœlis gloria, nova sint in terra gaudia.
Auctor rerum creaturam miseratus perituram, affuit;
Atque dextram libertatis iam ab hoste captivatis præbuit.
Cœlum terræ fundit rorem, terra gignit Salvatorem.
Chorus cantat Angelorum, cum sit infans rex eorum.
Venter ille virginalis, Dei cella specialis fœcundatur spiritu.
Et ut virga parit florem, sic & virgo Redemptorem carnis tectum habitu.
Alitur matris intactæ puer Deus sacro lacte, res stupenda sæculis. E
Esca vivit aliena, per quem cuncta manent plena nullis par miraculis.
Pastu carnis enutritur, vitam carni qui largitur.
Matris habet gremium quem & patris solium
Virgo natum consolatur, & ut Deum veneratur
Nobiscum Emanuel, salutare Israël,
Mens, & vox, & oculi, Christiani populi
Te mater suscipiunt: per te natum sitiunt
Habere propitium, & tutum confugium.
Ergo mundi domina, pia flecte lumina, dissolvendo crimina.
Fugetur nequitia, redeat iustitia, Iesu Christi gratia.

*Item alia Prosa.*

Cælum gaude, terra plaude, nemo mutus sit laude. F
Ad antiquam originem redit homo per virginem.
Virgo Deum est enixa, unde vetus perit rixa:
Perit vetus discordia, succedit pax & gloria.
Tunc de cæno surgit reus, cum in fœno iacet Deus.
Tunc vile celat stabulum cœlestis escæ pabulum.
Nutrit virgo creatorem, ex se factum Redemptorem.
Latet in pueritia divina sapientia.
Lac stillant matris ubera, lac fundunt nati viscera,
Dum gratiæ dulcedinem per assumptum dat hominem.
Ergo dulci melodia personemus, ô Maria,
Religiosis vocibus & clamosis affectibus.
Salve virgo benedicta, quæ fugasti maledicta.
Salve mater Altissimi, Agni sponsa mitissimi.
Tu serpentem evicisti, cuius caput contrivisti,
Cum Deus ex te genitus eius fuit interitus.
Tu cœlorum imperatrix, tu terrarum reparatrix,
Ad quam suspirant homines, quam nequam tremunt dæmones, G
Tu fenestra, porta, vellus, aula, domus, templum, tellus
Virginitatis lilium, & rosa per martyrium:
Hortus clausus, fons hortorum, sordes lavans peccatorum,
Inquinatos purificans, & mortuos vivificans.
Dominatrix angelorum, spes post Deum sæculorum,
Regis reclinatorium, & deitatis solium.
Stella fulgens orientis, umbras fugans occidentis,
Aurora solis prævia, & dies noctis nescia,
Parens nostri tu parentis, & genitrix nos gignentis.
Piæ matris fiducia, natos patri concilia.
Ora mater Deum natum, nostrum solvat ut reatum,
Et post concessam veniam, det gratiam & gloriam. Amen.

*In honore S. Mariæ Magdalenæ, Hymnus.* H

Magdalenæ Mariæ meritis magna dies micat & celebris.
Laude in hac Mariæ Dominum angelicus chorus ac hominum.
Carcere libera corporeo, splendida lumine sydereo
Deserit exilij tenebras, atque domos adit æthereas.
Christus eam sibi consociat, & Genitoris in arce locat
Spem miseris tribuens veniæ dum miserans dat eam Mariæ.
Namque pedes Domini lachrymis laverat hæc lachrymando nimis:
His sua crimina cuncta lavans, vanaque gaudia flendo pians,
Tergere crinibus hos meruit, nec minus ungere digna fuit.
Oscula dat Domini pedibus, atque sibi veniam Dominus.

Ergo

A Ergo Maria precare Deum nostra precata ferens ad eum,
Pondere quo scelerum gravidos exonerans levet ad superos,
Annuat & precibus populi, obsequij memor ipse tui:
Gaudia cum superis tribuens, dansque bonum sine fine manens.
Gloria pie Christe tibi spirituique Deoque Patri,
Qui super astra levans Mariam, cæligenis facis hanc sociam.

*De sancto Patre Benedicto, Hymnus.*

B Inter æternas superum coronas,
Quas sacro partas retinent agone,
Emicas celsis meritis choruscus,
O Benedicte.
Sancta te compsit puerum senectus,
Nil sibi de te rapuit voluptas:
Aruit mundi tibi flos ad alta
Mente levato.
Hinc fuga lapsus patriam, parentes
Deseris, fervens heremi colonus:
Edomas carnem, subigisque Christo,
Tortor acerbus.
Ne diu tutus latebras foveres,
Signa te produnt operum piorum.
Spargitur felix celeri per orbem
Fama volatu.
Fracta restauras prece præpotenti,
Frangis oblatum cruce mortis haustum:
C Currit ignarus Monachus per undas,
Patre iubente.
Verberas fratrem, fugit hostis atrox.
Ad manus ferrum redit è profundo:
Præcipis rupi, vomit illa rivos
Arva rigantes.
Ales agrestis sibi iussa complet,
Lora constricti piè visa solvis:
Conspicis mundum radio sub uno,
Raptus ad astra.
Mortuum vitæ revocas precando,
Corda multorum penetras propheta.
Cernis ad cœlos animas levari
Clarificatus.
Laudet exultans deitas creatrix,
Te chori nostri iubilus perennis:
Quem poli iungas superis choreis,
Quæsumus omnes. Amen.

D *De Translatione simul, & illatione eiusdem Patris alius Hymnus.*

Claris coniubila Gallia cantibus,
Læteris Benedicti Patris ossibus:
Felix quæ gremio condita proprio
Servas membra celebria.
Miris Italiæ fulserat actibus,
Gallos irradiat corpore mortuus:
Signis ad tumulum crebrius emicat,
Illustrans patriam novam.
Hinc vatum veterum facta resuscitat.
Morti quod libuit mortuus imperat:
Extinctum propriis ossibus excitat.
O quam mira potentia!
Navis per fluvium nat sine remige,
Mirando glaciem desecat impetu,
Sancti membra ferens obvia flumini,
Vndas retro reverberat.
Eductum fluvio sensit ut arida,
Non curans gelidi frigora temporis,
Vestit cuncta novis illico floribus E
Mutata facie soli.
Iam cœlo residens, ô Pater optime,
Divinis famulos imbue regulis:
Angustum per iter scandere largiens,
Dona regna perennia.
Cunctorum dominans omnipotentia,
Quæ de sede poli conspicis omnia:
Psallentum placidè suscipe cantica,
Votis, voce precantia. Amen.

*De Sancto Hugone Abbate Cluniacensi, Rythmus.*

Hugo pius Pater clarus prosapia,
Extat præclarior virtutum gratia.
Clausus adhuc latet matris in utero, F
Immolat hostiam sacer pro puero:
Index in calice magni miraculi
Imago cernitur ipsius parvuli.
Si quærat aliquis, quid inde sentiam,
Præsignat hostia futura hostiam.
Hinc puer nascitur, & natus alitur,
Ætatis ordine vires assequitur.
Corporis viribus sat iuvenilibus,
Ardenti studio studet virtutibus:
Contemnit seculum, & eius gaudia,
Cognoscens omnia cito labentia.
Mundo renuntiat, se Deo sociat.
Sic terram fugiens cœlis appropiat.
Divino postmodum afflatus spiritu,
Mutato pectore mutatur habitu:
Intra dominica manet ovilia
Christi cum ovibus ovis egregia.
Pastoris nutibus obedit sedula, G
Nil horum præterit quæ iubet regula.
Forti conamine calcat superbiam,
In sapientia vincens malitiam.
Tulit iustitiæ sanctam esuriem,
Beatam sequitur Christi pauperiem.
Processu temporis crescens virtutibus
Ipsis apparuit mirandus senibus.
Mundo iam mortuus Christo se vivere,
Sancto mortalibus demonstrat opere.
Hinc pastor moritur, ovis præficitur.
Pastoris strenuè vices exequitur.
Edocet subditos verbis & actibus.
Se donans specimen bonorum omnibus.
Dirus ad scelera misericorditer
Vtrunque temperans, fit æquus arbiter.
Vt prudens medicus perungit languida,
Quæ salus abiicit, præcidit putrida.
Non illum extulit sedes superior,
Qui mente permanet cunctis inferior.
Magister mitium, pater humilium, H
Locat hunc humilem loco sublimium.
Ex dono Spiritus augetur sanctitas,
Legis perfectio, non deest charitas.
Aluntur pauperes mente promptissima,
Quæ dentur dat Deus manu largissima.
Vestitur nuditas Christi, vel pauperum,
Accrescit cumulus bonorum operum.
Hic venerabile Cluniacensium
Plus priscis patribus ditat Cœnobium.
Illius studio crevit religio,
Crevit & numerus fratrum collegio.
Hanc domum Dominus rebus amplificat.
Sic quantum diligat Hugonem indicat,
Beata servitus tot parans redditus
Dum servit, imperat vir Deo subditus.
Non tantum studio contentus practico,
Intendit otio vitæ theoricæ:
Marthæ sollicitus implet officium,
Audit cum Maria Christi colloquium.



Digitized by Google

A Cum Lia filios Deo multiplicat,
Quos Dei cultibus devotus applicat:
Cum Rachel sterili, sed pulchra facie,
Subtili cælica rimatur acie.
Iugi silentio iungitur lectio,
Nec deest lachrymis fervens oratio.
Satiant frequentia hunc sacrificia,
Quæ dum sacrificat, ipse fit hostia.
Quæ addam amplius eius operibus,
Cum hæc plus niteant cunctis sideribus?
Nam eius opera sunt velut sidera,
Quæ propter numerum manent innumera.

*In Epitaphio Eustachij Comitis, Versus.*

B Principis Eustachij, quo Gallia floruit olim,
Exuviis præsens nobilitatur humus.
Istius arma viri tremuerunt Persica regna,
Et Babylon timuit, quæ timor orbis erat.
Æthiopum proprio rubuit nigredo cruore,
Quem fudit Christo dextera sacra ducis.
Pallet adhuc Oriens stupefactus cæde suorum,
Dum pavet occiduo rursus ab hoste premi.
Regia Hierusalem Christi veneranda trophæis,
Hoc duce captivum tollit ad astra caput.
Spem Cluniace suæ tibi credidit iste salutis,
Vt sibi placaret te mediante Deum.
Hac spe longinquis veniens peregrinus ab oris,
Hic iacet & pro se supplicat ecce tibi.
Aurea crux, geminæ cellæ, piscésque marini
Clamant, quod nihil huic iure negare potes.
Huius tu membris sicut tua claustra parasti,
Sic prece spiritui regna superna para.
Hæc quoque fœlici quæ contegis ossa sepulchro,
Post hoc hospitium redde suæ patriæ.

C *In Epitaphio Bernardi Prioris, Versus.*

Egregius senior, cui nil iuvenile cohæsit
Bernardus Prior, pausat humatus humo.
Hic post militiam cœlestia castra subintrans,
Consenuit certans hoc in agone diu.
Iste sibi pro te nunquam Cluniace pepercit,
Hinc sibi nulla dies absque labore fuit.
Sic bene totius pondus tolerando diei,
Nummum promeritum sero reportat ovans.
Huius vos fratres memores estote sepulti,
Nec cadat ex animo quæ tegat ossa solum.

*In Epitaphio Rainaldi Archiepiscopi Lugdunensis, Versus.*

Gloria pontificum iacet hic præsul Rainaldus,
Magnus in exiguo conditus hospitio.
D Vizeliacensis prius Abbas, post Patriarcha
Lugduni fulsit, factus honoris honor.
Prædia, thesauri, fastigia celsa loquuntur,
Quo studio primo præfuit ille loco.
Lugdunensis apex iunxisset cornua cœlo,
Ni celer occasus surripuisset eum.
Cuius erat Monachus, prope cuius ab ubere natus,
Accubat in gremio nunc Cluniace tuo:
Quem tibi commissum numero committe piorum
Cumque tuis precibus fac penetrare polum.

*In Epitaphio Petri Abelardi, Versus.*

Gallorum Socrates, Plato maximus Hesperiarum,
Noster Aristoteles, Logicis quicunque fuerunt,
Aut par, aut melior: studiorum cognitus orbi
Princeps, ingenio varius, subtilis & acer:
E Omnia vi superans rationis, & arte loquendi,
Abelardus erat. Sed tunc magis omnia vicit,
Cum Cluniacensem monachum, moremque professus.
Ad Christi veram transivit Philosophiam,
In qua longævæ bene complens ultima vitæ,
Philosophis quandoque bonis se connumerandum
Spem dedit, undenas Maio renovante Calendas.

SANCTI PETRI
# MAVRICII
## DICTI VENERABILIS
### ABBATIS CLVNIAC. IX.

F

## Statuta Congregationis Cluniacensis MS.

*Apologetica, hoc est, satisfactionalis præfatio Domini Petri Cluniacensis Abbatis de quibusdam suo tempore mutatis Consuetudinibus.*

QVONIAM res gestas, & maximè religiosas memoriæ commendare semper utile est: visum est mihi vt ea quæ in Cluniacensibus institutis à viginti quatuor annis, hoc est, ex quo officium pastorale indignus suscepi, mutata, aucta, & dempta sunt, scriptura mediante, ad modernorum & posterorum notitiam transmittam. Hoc eo modo facere decrevi, ut non solum ea quæ, ut dictum est, mutata, aucta, vel dempta sunt, ponam, sed & qua G ratione variata sint subiungam. Horum duorum alterum cognitioni rerum inserviet, alterum scandalo eorum, qui causam mutationum ignorantes, & moti fuerant, vel moveri poterant, fortasse sufficiet. Nulli enim sapientium nova, insitata, & mira videri debet usuum Ecclesiasticorum si necessaria fuerit, & frequens mutatio, quoniam aliud est quod à Domino æterna lege immobiliter tenendum præcipitur, alterum quod ab hominibus utilitatis cuiuslibet causa ad tempus, non in perpetuum imperatur. Et illud primum quidem idcirco mutandum non est, quia si non servatur, nec salus æterna ullo modo conservatur. Hoc vero secundum ideo quandoque mutatur, quia quod aliquando utile fuerat, aliquando noxium comprobatur. Et ut clarius eloquar, quæ veræ virtutis sunt, nunquam mutanda sunt: quæ vero adiumenta virtutum, pro congruentia rerum, personarum H & temporum utiliter dispensanda sunt. Nec enim præceptum fidei, spei, vel caritatis, & quæ sub ipsa caritate continentur, castitatis, humilitatis, veritatis, & sinceritatis mandata mutari, quolibet dispensante, vel qualibet dispensatione possunt. Ieiunia tamen, vigiliæ, opus manuum, corporalis exercitatio, quæ iuxta Apostolum, utilis quidem, sed ad modicum est, & similia istis, quæ enumerare prolixitas prohibet, nunc minui, nunc augeri, nunc omnino subtrahi, certæ necessitatis vel caritatis causa, Præpositorum magisterio debent. Hanc regulam Apostoli ipsi sequuti sunt, hanc eorum successores Apostolici Pontifices, hanc sancti Monachorum seu Heremitarum Patres, hanc & præcedentes Cluniacensis ordinis magni & egregij fundatores. Hos si nominare sigillatim necessitas imperaret, ostenderem à primo sancto Odone, usque ad ultimum sanctitatis titulo insignitum, Hugonē sanctum Patrem universos de institutis consuetudinibus plurima suis tēporibus,



Digitized by

vrgente tamen necessitate, utili semper causa mutasse. Multa enim priores vtiliter instituerunt, quæ sequentes certa interveniente causa utiliter mutaverunt. Hos ego sequutus quædam in pristinis vsibus, certæ utilitatis causa monente, mutavi, & idcirco, non ut quidam olim in angulis, ad corrodendas carnes fraternas, semotis locis insusurrabant, me, ista faciendo, eis prætuli: immo hac sanctorum Patrum mutatione, ab eorum tramite non deviavi. Feci tamen hoc non solo meo arbitrio, sed iuxta regulæ Præceptum, quorundam Deum timentium ac sapientium fratrum consilio. Feci hoc tandem Capituli universalis assensu. Et quia quod prætermittendum erat breviter prætermissum est, ad ipsa, quorum gratia hæc præcesserunt, iam stylus accedat. Verum quoniam operi Dei nihil præponendum esse Regula præcipit, nec ego ei aliquid in scribendo præferam: sed ab ipso opere divino, hoc est, Ecclesiastico officio, exordium sumam.

## I.

STATVTVM est, ut omnes versus regularium horarum, exceptis hymnis, sub una & mediocri repausatione decantentur, ita ut universorum voces simul cesuram versus finiant, & post mediocrem, ut dixi, repausationem, simul quoque aliam incipiant. Mediocrem vocavi, ad distinctionem illius, quam quidam facere solent, in cuius intervallo Orationem Dominicam, hoc est, *Pater noster* sæpe bis, quandoque ter, olim ipse consummavi. Vnde tantam esse oportet, ut plene ab omnibus semper resumatur, & mora ipsa labor cantantium allevietur. Ab hac institutione Cluniacensis tantum conventus exceptus est, ubi hoc servari non potest, quia ad illud nec diurnæ horæ, nec nocturnæ visæ sunt posse sufficere.

Causa institutionis huius fuit, ut confusa distinctio cantantium, quam alij priùs, alij posteriùs & incipiebant, & finiebant, uniretur, & intellectus ipse, velut quodam communi silentio, simul pausando reformaretur, & par diurnarum, sive nocturnarum horarum in superfluis & minus vtilibus rebus priùs expensa, in tam utili & cœlesti divino opere expenderetur.

## II.

STATVTVM est, ne propter ullam duodecim lectionum festivitatem, Dominicale Officium intermittatur, illis festivitatibus exceptis, quæ ex more in cappis, vel albis fiunt, & quæ proprietatem nocturni cantus habent, hoc est, integra responsoria, & exceptis octavis Apostolorum P. & P. & Assumptionis sanctæ Mariæ. Præter ista quæ excepta sunt, si duodecim lectionum festivitas die Dominico occurrerit, octo primas lectiones cum responsoriis suis dies Dominica obtinebit. Reliquas quatuor cum Matutinis, Laudibus, & Missa tantum matutinali sibi sancti illius commemoratio vendicabit.

Causa instituti huius fuit, quia frequenter, ac diversis occasionibus antiquis festis novæ superadditæ solemnitates, immensam illam Dominicæ Resurrectionis gloriam, nostræque per ipsam, & futuræ resurrectionis beatam spem, quæ duo omnis Dominica dies commendat, penè assidue interpolabant, & lectiones atque cantus proprios ad Dominicam pertinentes, quandoque per quadriennium & quinquennium auferebant. Ea propter, ut sacrosanctæ Dominicæ diei reverentia, quantum rationabiliter fieri poterat, reformaretur, & aures Ecclesiæ nostræ Evangelicis seu Apostolicis, veteris quoque Testamenti lectionibus, sive cantibus Dominicæ diei deputatis, non defraudarentur, hoc præceptum est.

## III.

STATVTVM est, ut nulla prorsus solemnitas die Dominico proveniens, commemorationem Dominicæ diei ad matutinos & ad vesperos impediat.

Causa instituti huius fuit, quæ supra, hoc est Dominicæ diei reverentia.

## IV.

STATVTVM est, ut in die Dominico nemo in oratione genua flectat, exceptis genuflexionibus illis, quæ à Sacerdote ante, & post Missam fiunt, & illa quæ ex longo iam usu pene ab omni Ecclesia observatur, quando in professione fidei ad Missam cantatur, *Et homo factus est*. Illa etiam, quam communicantes ante perceptionem corporis Domini observare solent. Sed & illa quæ fieri solet ab iis, qui portanti Eucharistiam, quolibet in loco occurrunt, atque illis metanœis, quæ quotidiano usu in Capitulo fiunt, & vulgo veniæ nominantur.

Causa instituti huius fuit iam dicta reverentia Dominicæ diei, & universalis Ecclesiæ in Canonibus decreta observatio.

## V.

STATVTVM est, ut per omnia Monasteria, & Ecclesias quæ ad Cluniacum pertinent, Transfiguratio Domini eo more quo Purificatio sanctæ Mariæ, excepta processione, cum Lectionibus, Responsoriis, & officiis ad diem pertinentibus, celebretur.

Causa instituti huius fuit ipsa admirabilis post Nativitatem, vel Resurrectionem Christi Transfigurationis eius, nulli alij diei solemnitati inferior dignitas, & antiquus atque modernus multarum per orbem Ecclesiarum usus, quæ non minore quàm Epiphaniam, & Ascensionem Domini, honore iam dictæ Transfigurationis memoriam recolunt.

## VI.

STATVTVM est, ut dum maior Missa in conventu cantatur, nullus alicubi in toto Monasterio Missam cantet, quia occasione illarum Missarum in tantum maior & principalis Missa negligebatur, ut vix quarta pars, cum eadem celebraretur, adessent.

Causa instituti huius fuit quod iam præmissum est, ne secretarum Missarum occasione ea negligeretur, in qua solemne sacrificium omnipotenti Deo non solum à Sacerdote, sed & ab universa præsentialiter Congregatione, iis exceptis, qui nullo modo interesse possent, offerri à Patribus institutum est.

## VII.

STATVTVM est, ut paulo antequam iam dicta Missa incipiatur, ad invitandum eos, qui extra Ecclesiam, per loca diversa hora illa dispersi sunt, privatis diebus aliquanto diutiùs duo signa pulsentur.

Causa instituti huius fuit, quia, ut præfatus sum, horis Missam præcedentibus, per obedientias, & per opera diversa dispersi fratres, tempore quo Missa cantabatur ignorabant, & sæpe iam ea consummata, nec dum cœptam esse putabant. Vnde ne vel ipsi tam luctuosam animæ horam hac ignorantia amitterent, & laici extra manentes, aut peregrini undecunque convenientes, tempus illius solemnis Missæ ignorare possent, decretum est, ut tali signo universi studiosi pariter ac desides ad conveniendum admonerentur.

## VIII.

STATVTVM est, ut omnium Monachorum

A Cluniacensium defunctorum anniversaria dies ab universis Congregationis nostræ fratribus vigilia Sancti Michaelis Archangeli, more anniversariorum solemnium fiat, & vigilia conversionis Sancti Pauli aliud eodem modo anniversarium, pro omnibus utriusque sexus parentibus universorum fratrum Congregationis nostræ.

Causa instituti huius fuit, ut licet quicquid ab Ecclesia Dei adhuc in terris posita pro defunctis fidelibus fit, nullo excepto, cunctis iam defunctis fidelibus, istoque adiutorio indigentibus prosit; tamen iustum esse visum est, ut super solita plus aliquid magis domesticis adderetur, quod & ipsis specialiter, & cunctis, ut dictum est, hac cura indigentibus, universaliter subveniret.

## IX.

B Statutum est, ut prima Dominica Adventus Domini, legatur principium Evangelij secundum Marcum, quod sic incipit. *Initium Evangelij Iesu Christi filij Dei, sicut scriptum est in Isaia Propheta*, & reliqua.

Causa huius instituti fuit, quod ignotum ex quo tempore, & cuius instituto legebatur prius Evangelium, & parum vel nihil ad diem Adventus Domini: quo per Nativitatem suam mundo primò apparuit, pertinens, & magis passionis ipsius, quam Incarnationis, vel Nativitatis præcursioni congruens, hoc est, *Cum appropinquasset Hierosolymis, & venisset Betphage ad montem.*

## X.

Statutum est, ut universi fratres Cluniacenses, omni sexta feria, præter Nativitatem Domini, si eadem die occurrerit, ab adipe abstineant.

C Causa instituti huius fuit inconveniens non parvum, quod non solum clerici, non solum laici, sed & ipsi pueri & infirmi totius Latinæ Ecclesiæ ab omni esu carnis, & solidæ vel attritæ & liquefactæ pro more iam antiquo ea die, ob reverentiam passionis Dominicæ abstinebant, soli Monachi iam dicti adipe & legumina sua infundebant, & eo frixa diversa fercula assumebant. Insuper autem tam absurdum hoc omnibus præter Monachos videbatur, ut nec ipsi pauperes datas sibi talium ciborum reliquias comederent, sed aut in posterum diem reservarent, aut statim indignantes proiicerent. Unde ut tam indecens nota ab ordine nostro tolleretur, & Dominicæ passionis abstinentiæ publicæ reverentia, ab iis qui crucem Domini tollere magis, quàm eum sequi videntur, non infringeretur, hoc præceptum est.

## XI.

D Statutum est, ut ab omni mellis ac specierum cum vino confectione, quod vulgari nomine pigmentum vocatur, cœna Domini tantùm excepta, qua die mel absque speciebus vino mistum antiquitas permisit, omnes Cluniacensis ordinis fratres abstineant.

Causa instituti huius fuit aliquod, licet parvum, abstinentiæ incrementum. Et non solum hoc, sed & verba Patris magni Benedicti, de mensura potus Monachorum, ut notum est, loquentis. Licet, inquit, legamus, vinum omnino Monachorum non esse, & reliqua. (Cap. 2. Regula.) Quòd si iuxta hæc verba vinum omnino Monachorum non est, quia tamen fragiliores primis Monachis posteriores fuerunt, vix indultum est: qua authoritate, quave ratione transmarina vel orientalis species magno labore quæsita, multo pretio empta, vino pauperum & abstinentium Monachorum postmodum admixta est? Cúmque velut ex magna condescensione infirmo discipulo Apostolus præcipiat, dicens, *Modico vino utere, propter stomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates*, (1. Tim. 5.) quid dicent Monachi, non

E ægri, sed sani: non infirmi, sed robusti: non parvo, sed multo, nec solum multo, sed & mellito: nec solum mellito, sed & regiis speciebus vino confecto utentes? Et cum iam dictus ipsis & laicis præcipiat Apostolus, *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria:* quid fiet de Monachis non solum ebrietatem non præcaventibus, sed ut magis eam provocent, peregrinis saporibus gulam irritantibus?

## XII.

Statutum est, ut exceptis infirmis & omnino debilibus, carnibus nullus vescatur.

Causa instituti huius fuit ipsa Regulæ authoritas in qua hoc idem præcipitur: & ne sanus & integris viribus Monachus carnem comedat, prohibetur. Insuper etiam quia nulla rationabilis causa mutandi huius capituli inveniri poterat, sicut in quibusdam aliis eiusdē Regulæ olim mutatis capitulis à Patribus inventa est. F

## XIII.

Statutum est, ut si vigiliæ festivitatum, quæ publica ieiunia habent, die Dominico provenerint, Sabbato præcedenti ieiunium observetur.

Causa instituti huius fuit imprimis quidem reverentia & amor Sanctorum, secundo tamen loco incongrua nec honesta nostræ consuetudinis ab aliarum Ecclesiarum usu dissonantia: quia & Romana Ecclesia, & aliarum Ecclesiarum universitas, nostris tantum exceptis, ieiunia vigiliarum modo suprascripto servabant.

## XIV.

Statutum est, ut ieiunia regularia ab Idibus Septembris usque ad caput Quadragesimæ à nostris, semel in die comedendo, serventur, excepto festo S. Michaëlis, & dedicationis Ecclesiæ, & Apostolorum, extra Adventum, & Septuagesimam, provenientibus festivitatibus Abbatum Cluniacensium, octo diebus Natalis Domini, Epiphania prima tantum, die festo sancti Marcelli Papæ, & Sancti Vincentij Martyris, atque Purificationis sanctæ Mariæ. Conversione vero sancti Pauli ieiunium non solvetur, quoniam de eodem Apostolo alias alias anni temporibus festivitates Ecclesia celebrat. Cathedra sancti Petri eadem ieiunium relaxabitur, & etiam quia infra Septuagesimam festivitas illa semper occurrit. Tunc vero post Missam maiorem statim Sexta cantabitur, & facto intervallo Nona sequetur. G

Causa instituti huius fuit multiplicitas noviter adinventarum festivitatum, quæ magis fortasse causa quorundam commodorum, quæ proferre nolo, quàm amore Sanctorum, acclamatione quoque velut indocti vulgi adauctæ, maius iam dicti temporis spatium occupabant, & ex Regula iniuncta ieiunia, frequentatis bonis commestionibus, iam pene universa excluserant. Unde eodem modo servata utrinque sobrietate res diffinita est, ut in duodecim lectionum festivitatibus sanctis iam institutis honor non minueretur, & ex Regula præceptum ieiunium, ex quanta rationabiliter parte fieri potest, servaretur. H

## XV.

Statutum est, ut omni die Adventus Domini, excepta prima Dominica, ab adipe, qui in duodecim lectionum festis in usu esse solebat, omnes abstineant: & nec in eisdem festis, quod similiter antiquo ex more fiebat, nec in ipso festo sancti Thomæ Apostoli bis comedant.

Causa instituti huius fuit ipsorum dierum ab omni pene Ecclesia solito maior, ob præparationem Domini Natalis servata abstinentia: ut sacros dies illos,

A quos multi alij maioribus ieiuniis dedicant, nostri saltem mediocribus dedicarent.

## XVI.

STATVTVM est, ut nullus fratrum nostrorum pannis, qui dicuntur galabrum, vel isembrum, vestiatur, nec iis qui vocantur scalfarij, vel frisij exceptis Anglis vel Angliæ affinibus Monachis, neque illis qui appellantur agnelini, exceptis Teutonicis & iis adiacentibus Monachis: hac tamen conditione, si magis religioni congruentes nigri coloris vestes in regionibus suis invenire non potuerint.

Causa instituti huius fuit supra quam dicere velim, sicut & ipse vidi, talium vestium notabiliter inhonesta, & turpis curiositas, qua olim multi nostrorum, non B aliter quam seculares homines sericis variis vel grisiis vestium generibus se comebant: & electo ad intimam cordis humilitatem designandam humiliore cunctis coloribus nigro colore, ipsa repugnante natura ornare se, velut sponsi procedentes de thalamo, summo studio contendebant. Versa res iam erat in habitum, nec in iis delinquere se, excæcati usu longissimo, sentiebant.

## XVII.

STATVTVM est, ut nullus fratrum Cluniacensium, cattinis, sive aliis, quibus uti solebant, peregrinis pellibus, induatur, nec prorsus quibuslibet, exceptis arietinis, sive agninis, atque caprinis pellibus, & ad coopertoria facienda solummodo, sicut hoc magis placuerit, putosiorum, & iuxta aliorum linguam, vesonum pellibus.

Causa instituti huius fuit, multa, ut supra de pannis dictum est, cattinarum, sive aliarum pellium notabilis & damnabilis curiositas, quæ in tantum, ut ipse novi, C processerat, ut Gallicanorum cattorum pellibus contemptis, ad Iberorum vel Italorum cattos, religiosorum hominum curiositas transmigraret. Nil se habere non parua piorum, eisque adhærentium multitudo putabat, nisi ex pilosis illis & condensis, Numantinorum, hoc est iuxta modernos, Amorensium cattorum pellibus contexto multi pretij coopertorio, lectus & muniretur pariter & ornaretur. Quod malum paulatim succrescens, ad hoc iam pervenerat, ut fere centum solidis empta coopertoria, addito quoque vestium non mediocri pretio, ditiores domos congesto multo alieni æris debito, non parum gravarent, pauperiores pene omnino pessundarent.

## XVIII.

STATVTVM est, ut nullus scarlatas, aut barracanos, vel preciosos burellos, qui Ratisponi, hoc est apud Rainesbors fiunt, sive picta quolibet modo stramina habeat, sed solummodo cilicium, superiectis tantum duobus mediocris pretij pannis, qui albi, & nigri, & ex utroque mixti coloris sint: & qui non D duplices, aut quadruplices, seu multiplices, ut à quibusdam fieri solet, sed simplices fratribus supponantur.

Causa instituti huius fuit, ut in aliis vestium generibus damnata curiositas etiam à lectis Monachorum removeretur, maximè cùm ante tempora S. Hugonis, non nisi cilicio, superposito tantum uno & simplici panno aliquis uteretur.

## XIX.

STATVTVM est, ut in Infirmaria Cluniacensi, quæ quinque habitaculis sub uno tecto divisis distinguitur, tali discretione silentium teneatur, ut in ea parte, in qua fratres defunguntur, quæ media est, & in illa quæ superior à parte meridiana est, silentium & E colloquutio antiquo more servetur: in tribus verò aliis claustri regularis silentium teneatur. Sic in cella Novitiorum & adiacenti claustro sive officinis, exceptis Novitiis, & eorum magistro, qui ubi & quando loqui solent, loquentur, exceptis etiam Episcopis & Abbatibus supervenientibus maiore Priore, & Subprioribus ordinis custodibus: qui in partibus illius cellæ Novitiorum, & ipsi loqui poterunt, & in præsentia tantummodo eorum alij. In operatoriis verò universis continuum teneatur silentium, excepto uno tantum Magistro uniuscuiusque operatoriæ domus, & exceptis operariis novæ Ecclesiæ, & operatoriis ipsorum. Teneatur insuper claustri silentium in cimiterio, & claustro cimiterij, in sacristaniis omnibus, & via quæ ad domos superiores ducit, quæ iuxta maiorem Ecclesiam sunt, & in adiacentibus locis, exceptis supradictis Abbatibus & Prioribus, quibus in partibus illis loqui supradicto modo licebit. F

Causa instituti huius fuit summè necessaria in omni Religione silentij utilitas, sine quo modis congruis observato, nec dici Religio, nec esse potest. Cuius laus in Scripturis sanctis tanta est, ut inter innumera eius præconia, de illo etiam magnus Propheta Isaias dicat, *Cultus iustitiæ silentium*. Quod quia Cluniaci propter frequentiam negotiorum, & multitudinem supervenientium valde ex aliquanto tempore corruptum fuerat, necessarium visum est, ut hic modus silentij, sicut supra distinctus est, institueretur.

## XX.

STATVTVM est, ut quadragesimali tempore additis ad silentium tribus diebus, hoc est tertia feria, & quinta, & sabbato, quibus in claustris iuxta morem pristinum loquutio esse solebat, continuum per totam quadragesimam silentium teneatur.

Causa instituti huius fuit, tam sanctorum dierum reverentia, quia non plenè religiosum videbatur, ut illis summæ abstinentiæ, & omnium virtutum diebus, virtus silentij colloquiis non valde necessariis etiam publice interpolaretur. G

## XXI.

STATVTVM est, ut de usitatis in claustro binis loquutionibus, secunda omni totius anni tempore subtrahatur.

Causa instituti huius fuit, nulla prorsus eius utilitas, nulla necessitas, à quibus aliquando horam diei apud Religiosos vacare, non solum otiosum, sed etiam perniciosum. Occupabat enim illius temporis spatium inutilis, imo noxia loquacitas, quod modo sibi assumit lectionibus & cantibus divinis salubris taciturnitas.

## XXII.

STATVTVM est, ut silentium ad mensam sicut in regulari refectorio ubique & ab omnibus teneatur. Sed si extra refectorium regulare comedenti quilibet superveniret, surget, cumque invitabit, loquetur, & stando quantum necesse fuerit, sed postquam resederit, ut prius tacebit. H

Causa instituti huius fuit Apostolus etiam laicis præcipiens, *Vnusquisque panem suum cum silentio manducet.* Etiam S. Benedictus Monachis imperans & dicens, Summum fiat silentium ad mensam: etiam antiqui seu moderni temporis Religiosi, qui ubicumque comedant, rigorem silentij in nullo relaxant. Nec honestum est Cluniacensibus videri minus religiosos, per quos in Galliis, Germania, Anglia, Hispania, Italia, ac tota fere Europa, à multis annis arefacta Religio refloruit, multorumque inveteratus tepor, divina præeunte & comitante gratia, recaluit.

A

XXIII.

STATVTVM est, ut in claustrum, vel in reliquas regulares domos nullus clericorum aut laicorum ingrediatur, nisi aut causa operis alicuius, aut causa videndi domos, ut honesti hospites facere solent, aut causa medendi infirmis in infirmaria iacentibus.

Causa instituti huius fuit clericorum, aut laicorum, & maximè famulorum, adeo frequens per claustrum, quibuslibet de causis, transitus ac regressus: ita ut pene in stratam publicam claustrum vertisse, & in eundo ac redeundo, fere iam à Monachis nihil distare viderentur.

B

XXIV.

STATVTVM est, ut infirmis ipsis, vel quibuslibet in infirmaria comedentibus, nullus ut fieri solebat, famulorum laicorum serviat, sed Monachi tantummodo, aut conversi barbati.

Causa huius instituti fuit, honestior conversorum quam secularium famulorum cum Monachis cohabitatio, & ne materiam furandi ea quæ de mensa in infirmaria comedentium supererant, servientes fratribus conversi haberent sicut priores famuli, quæcunque palam vel furtim fratribus subripere poterant, uxori, filiis, ac qualicunque familiolæ suæ in burgo constitutæ deferre solebant. Præter hoc, & illud in causa fuit, quod secreta monastici ordinis, aut disciplinas regulares, quas, utpote in regularibus officinis assiduè commanentes vel videbant, vel ab aliis audiebant, more secularium secularibus divulgantes detegebant.

XXV.

STATVTVM est, ut loco famulorum, qui mane vociferando, fratres in infirmaria iacentes inhoneste ad Missam vocare solebant, scilla ad hoc in sublimi infirmariæ loco suspensa pulsetur.

C

Causa instituti huius fuit, quia aptius & honestius visum est ut fratres in infirmaria dormientes signi ubique usitati sono excitarentur, quam incongruo in summi silentij tempore verbo, ut sæpe contingit, terrerentur.

XXVI.

STATVTVM est ut meridianæ ieiuniorum, quæ in æstate post sextam fieri solent, momentaneæ, & simulatitiæ, dimittantur, & pro spatio illius temporis quod inutiliter expendebatur, fratres in claustro sedeant, & legant, aut Missas cantent, aut aliquid necessarij operis agant.

Causa instituti huius fuit ipsa, ut dictum est, inutilis occupatio temporis, quia pro more antiquo diebus ieiunij, quæ in æstate proveniunt, necesse erat fratribus ante Missam & mensam, non ad dormiendum, vel quiescendum, sed ad dormitionem & quietem simulandam, se expoliare, discalciare, & velut longo somno seipsos in lectis componendo, & bene operiendo præparare. Et quidem antiquus monachorum mos erat, ieiuniorum diebus detrimenta usitati somni congruenti dormitione ante mensam compensare. Vnde Hieronymus. Sæpe vacuo ventre dormiendum est. Sed quia sequētes Monachi antiquis curiosiores, Physicæ sectatores, ventre vacuo dormire inutile corpori indicaverunt: ad eam brevitatem meridianos ieiuniorum somnos redegerunt, ut meridianæ quietis nullam veritatem, sed solum veritatis simulachrum retinerent. Addebant, quod salua pace eorum loquor, iam dictæ simulationi magis ridendam superstitionem, ut velut graviter dormientes prolixiore sonitu signi excitarentur, & quasi longa lectorum revolutione hispidi & incompti manus abluerent, capita comerent,

D

E

& omnem prorsus solemnitatem longissimæ meridianæ explerent. Vnde iudicatum est, ut corporis tam inutili labori inserviens, lectionibus, cantibus, & sacrificij divinis seu quibuslibet utilibus exercitiis impenderetur.

XXVII.

STATVTVM est, ut non vasis illis vinariis, quæ iustitiæ vocantur, sicut olim facere cogebantur, sed propriis scyphis unusquisque bibat eo tempore quo post Nonam ad potum fratres pergere solent.

Causa instituti huius fuit ipse ineptus, & omnibus displicens bibendi modus, quo urgebantur fratres scyphis depositis iustitiis bibere, nec in ipso muscatum tempore, quid intus lateret discernere.

F

XXVIII.

STATVTVM est, ne calciarios cum corrigiis, quia inutiliter laboriosum erat, sabbatho abluant.

Causa instituti huius fuit, quia olim ubicumque necessitas occurrebat, sub diuo operantes, & pluviis & lutosis diebus Monachi calciarios suos, ipsa operis necessitate cogente, luto plerumque infectos, ad claustrum revertentes, lavabant. Inde superstitio descendens, cum illi hoc ex necessitate facerent, & illos qui per annum & biennium de claustro nusquam procedentes, sua & mundissima & nova calciamenta lavare quidem, quia necessarium non erat, non compellebat, sed duorum tantum digitorum extremis summitatibus duabus aut tribus aquæ guttulis infundere imperabat.

XIX.

STATVTVM est, ut fratres equitantes froccum simul & cappam ferre non compellantur, sed aut frocco simplici, aut cappa tantummodo si voluerint, induti iter faciant.

G

Causa instituti huius fuit, vestium ipsarum munditia, ne, ut fieri solebat, fratrum claustra ingredientium frocci & tunicæ luto, pluvijs vel lutosis diebus contracto infecti ac sordidi apparerent, & insuper labor itineris alleviaretur, & antiquus de hac re utiliter institutus modus reformaretur.

XXX.

STATVTVM est, ut morem veterem, quo sine involucris crurum longa plus una æquitare prohibebatur, tenere, si voluerint, non cogantur.

Causa instituti huius fuit, quia nulla ratio apparebat qua cogerentur absque necessitate, quibuslibet involucris crura involuere, & quod necessitatis tantum causa permissum fuerat, sine ulla necessitate portare.

XXXI.

H

STATVTVM est, ut Psalmi illi, qui à, *Deus auribus nostris*, incipiunt, & post orationem quæ fit ante Vesperas decantari solent, in omni xij. lectionum festivitate intermittantur.

Causa instituti huius fuit, laboriosa, imo pluribus odiosa Psalmorum familiarium paulatim multis de causis adaucta multiplicitas. Quæ, quia multos gravabat, multorum, & totius pene Conventus postulatione, in hac parte immutata est.

XXXII.

STATVTVM est, ut defunctis fratribus nostris, universis scilicet professis, die anniversarij, quo recitari nomina eorum à lectore, sicuti mos est in Capitulo,

A tulo, solent, quinquaginta præbendæ dentur, tali conditione, ut sive plura sint, sive minus, quam quinquaginta, ultra numerum iam dictum nec augeantur præbendæ, nec minuantur.

Causa instituti huius fuit, mira virtutum discretio, quia difficile visum est, & etiam importabile, ut si multiplicitas defunctorum usque ad octogenarium, & centenarium, aut forte infinitum numerum, assiduè decedentibus fratribus se extenderet, quod pari modo præbendarum numerus. Nullius enim Monasterij substantia, si à prioribus institutus mos servaretur, diu ad hoc sufficere posset. Raris tamen adhuc diebus defunctorum fratrum nomina usque ad quinquagenarium numerum perveniunt.

XXXIII.

B STATVTVM est, ut quicquid de mensa quotidiana à fratribus superest, eleemosyna communis accipiat.

Causa instituti huius fuit, quia contra morem pene omnium tam religiosorum quam secularium, si tantum de pane cuilibet fratri superesset, quod panis more absque casu in mensam subsistere posset, non eleemosynæ, sed custodi refectorij, ut servaretur in crastinum, reddebatur. Quicquid autem vini supererat, exceptis quibusdam ieiuniorum diebus, & die qua frater defunctus tumulabatur, custos vini in crastinum similiter reservabat. Hoc quia inhonestum videbatur, & ut insuper id eleemosynæ adderetur, omnes absque aliqua exceptione mensarum, refectorij atque infirmariæ reliquiæ eleemosynæ datæ sunt.

XXXIV.

STATVTVM est, ut dies rasurarum aliter ex parte quam fieri solebat, immutarentur; ita ut prima rasura C fieret die præcedente vigiliam Natalis Domini. Secunda propter assiduam mutationem quadragesimalis initij, iuxta Domini Abbatis aut Prioris dispositionem, medio vel congruo die inter iam dictam rasuram Natalis Domini & primam Dominicam Quadragesimæ fiet: quæ secunda rasura nunc maturius, nunc tardius occurrit: sed quando maior quinque, quando minor trium hebdomadarum est. Tertia, Sabbato præcedente eandem primam Dominicam Quadragesimæ. Quarta, feria 3. hebdomadæ Palmarum. Quinta, Sabbato Paschalis Dominicæ, qua cantatur, *Iubilate Deo*. Sexta, feria sexta ante Pentecosten. Septima, inter Pentecosten & Natalem Apostolorum Petri & Pauli, sed quando hæc prolixitas temporis exegerit. Octava, die præcedente vigiliam Apostolorum Petri & Pauli. Nona, vigilia Sancti Iacobi Apostoli. Decima, die præcedente vigilam Assumptionis beatæ Mariæ. Duodecima, vigilia Sancti Michaëlis. Tertiadecima, vigilia omnium Sanctorum. Quartadecima, vigilia Sancti Andreæ Apostoli.

D Causa huius instituti fuit earundem rasurarum importuna, & fratribus, maxime in hieme, molesta frequentatio.

XXXV.

STATVTVM est, ut nullus in Monachum Cluniacensem recipiatur absque Cluniacensis Abbatis præcepto, & permissione, sicut mos est, nisi ad succurrendum: exceptis magnis & utilibus personis, quæ si differentur, levitate fortassis animi retrocederent, nec in incepto conversionis proposito permanerent.

Causa instituti huius, immo renovatæ institutionis fuit frequentissima inutilium personarum per cuncta pene Cluniacensia loca, & indiscreta susceptio. Qua indiscreta susceptione nunc rusticorum, nunc infantium, nunc senum, non stultorum, nec ad aliquod opus utilium, eo iam res pervenerat, ut talium personarum iam ferè maior numerus haberetur, & frequentia, ac nefanda mala ab eis commissa, quæ quia etiam relatu inhonesta sunt reticeo, pene assiduè à diversis terrarum partibus audirentur.

XXXVI.

STATVTVM est, ut nullus etiam ex concessione futurus Monachus regularibus usque ad xx. annos vestibus induatur.

Causa instituti huius fuit immatura nimisque celer infantium susceptio, qui antequam aliquid rationabilis intelligentiæ habere possent, sacræ Religionis vestibus induebantur, & admixti aliis puerilibus ineptiis omnes perturbabant, & ut quædam taceam, & multa breviter colligam, & sibi nihil penè proderant, & aliorum F religiosum propositum non parum, immo quandoque plurimum, impediebant.

XXXVII.

STATVTVM est, ut pro annua & regulari probatione, saltem menstrua, hoc est, unius mensis probatio erga novitios observetur, antequam voto promissæ obedientiæ astringantur.

Causa instituti huius fuit, quia annua & ex regula præcepta probatio discretione succedentium Patrum temperata ad hoc devenerat, ut non dico annus non dico dimidius, sed nec mensis, nec hebdomada, nec aliquando erga novitiorum probationem dies integri servaretur. Quod quia omnino, & contra rationem & contra Regulæ decretum erat, quæ præcipit probari spiritus si ex Deo sunt; visum est esse rationabile, ut unius saltem mensis novitiorum probatio observaretur, tali modo ut frocco tantum induti, & ut alij regulariter rasi ac tonsi, absque verbi vel scripti alicuius professione, tam in cella novitiorum, quam in claustro, G cum cæteris ex more permaneant. Si finito mense vel verbo coram priore ac fratribus, & scripto coram Domino Abbate stabilitatem suam firmaverit, & obedientiam professus fuerit, corpori Monasterij, iuxta verba Regulæ societur. Si vero infra iam dictum mensem recedere voluerit, facultas ei libera concedatur.

XXXVIII.

STATVTVM est, ut modo quo prædiximus, extra Cluniacum novitij recepti usque ad primum, vel secundum, aut plus tertium annum ad benedicendum Cluniacum adducantur, nec interim sicut usus Cluniacensis exigit, & ad ordines Ecclesiasticos ascendant, & Missam ante ordinati cantent, aut extra claustrum curam alicuius obedientiæ administrent.

Causa instituti huius fuit, nimis tardus ad Cluniacum novitiorum extra Cluniacum susceptorum adventus. Vnde lex talis data est, ut quia Priores parcentes H sumptibus, per x. aut xv. sive per xxx. quandoque annos Novitios Cluniacum ducere & mittere differebant: saltem præscripta lege coacti eos vel ad benedicendum, vel si extra benedicti fuerint, ad obedientiam rursum in Cluniaco coram fratribus adducant vel mittant.

XXXIX.

STATVTVM est, ut antiquum & sanctum opus manuum, vel in claustris ipsis, aut ubi honestè, remoto conspectu secularium fieri poterit, ex parte saltem aliqua restauretur; ita ut omni tempore præter festivos dies, quibus operari non licet, quolibet semper fratres utili opere exerceantur.

Causa instituti huius fuit, quia otiositas iuxta Patrem Benedictum inimica animæ, intantum magnam

partem

Digitized by Google

A partem nostrorum, eorum maximè qui Conversi dicuntur, occupaverat, ut in claustris, vel extra claustra, præter paucos legentes, & raros scribentes, aut adhærentes claustri parietibus dormitarent, aut ab ipso, ut sic dicam, ortu solis, usque ad eius occasum, immo ferè mediam noctem, quibus impune licebat, totam pene diem vanis, ociosis, & quod peius est, plerumque detractoriis verbis consumerent.

XL.

STATVTVM est, ut nullus Priorum, nullus aliorum iter faciens, ducat secum plus quam tres equitaturas, vel si Prior Ordinis fuerit, quatuor, aut plus quinque: & hoc tam propter honestatem aut testimonium societatis, quam propter officia Ecclesiastica studiosius decantanda.

B Causa instituti huius fuit, ne fastus, vel curiositas in ministris, vel iter agentibus notaretur, & Monasteriorum, vel quorumlibet hospitum gravamen quantum posset fieri, vitaretur.

XLI.

STATVTVM est, ut ubicunque facultas loci permiserit, exceptis Decanis, XII. fratres constituantur, addito tertio Priore, plenumque ordinem teneant.

Causa instituti huius non est necesse scribere, quia patet omnibus.

XLII.

STATVTVM est, ut ubi XII. fratres esse non potuerint, saltem in refectorio & dormitorio semper, in claustro verò ab hora vespertina usque ad horam tertiam alterius diei, perfectum silentium teneatur. Nam quod universaliter in omnibus Ecclesiis semper & ubique teneri debeat, certum est.

C Causa instituti huius, ut si fratres in talibus locis plenum ordinem tenere aut non possent, aut nollent, saltem aliquam umbram, vel vestigium, vel particulam Ordinis retinerent, ne integra die nugacibus verbis, aut rebus vacantes, in nullo à secularibus differre viderentur.

XLIII.

STATVTVM est, ut nullus nostrorum ad sacerdotium provehatur usque ad XXX. vel saltem XXV. annos.

Causa instituti huius fuit, ut iuxta decreta sacrorum Canonum ne adolescentes, ne illiterati, ne illi qui nondum capere possunt, quantum, quam divinum, quam excellens, sit sacerdotale officium, ad sacra illa cælestia, magis temerarij præsumptores, quam digni administratores accederent.

XLIV.

D STATVTVM est, ne quis terras, vel thesauros Ecclesiarum dare, vendere, commutare, pro vadimonio alicubi vel apud aliquem sine domni Abbatis præcepto vel consilio deponere, vel impignorare audeat. Quod si fecerit, à fratrum suorum, & totius Ecclesiæ communione alienum se esse cognoscat.

Causa instituti huius fuit, audita & cognita quorumdam Priorum temeritas, qui aliquando ita fecisse probati sunt.

XLV.

STATVTVM est, ut clericorum aut laicorum ad nos non pertinentium homines vel servi domorum Cluniacensium procuratores Cellarij vel Propositi nullatenus fiant.

E Causa instituti huius fuit, frequens damnorum experientia, quæ à talibus vel talium occasione, plerisque Monasteriis Cluniacensibus illata sunt.

XLVI.

STATVTVM est, imo renovatum, ut nullus Priorum, de Prioratu ad alterum Prioratum translatus, famulum aliquem ad sibi commanendum de priore loco adducat.

Causa instituti huius fuit, sinistra quarundam rerum, nec non dicendarum suspicio, immo magis probatio, quæ etsi olim in his famulorum de locis ad loca translationibus provenerint: hoc decreto quantum fieri potuit, provisum est, ne de reliquo provenirent.

F

XLVII.

STATVTVM est, ne Sanctimonialibus aut conversis mulieribus iuxta domos Monachorum infra duas leugas ad minus habitatio aliquatenus concedatur.

Causa instituti huius fuit, ne in quibus maximè cavendum est, contra Apostolicum præceptum locus diabolo daretur, sed ut cum fomite iniquitatis omnis eius etiam suspicio tolleretur. Impulit magis ad hoc instituendum quorundam temeritas, qui mulieribus sanctimoniam vel conversionem professis terrarum pecuniæ gratia habitacula iuxta domos parare iam cœperant.

XLVIII.

STATVTVM est, ne hi qui vocantur familiares, hoc est nec monachi nec conversi, quorundam Monasteriorum pessimi destructores, nec etiam pro maximo lucro alicubi recipiantur.

Causa instituti huius fuit, familiarium illorum multis nota perversitas, qui nec Deo servientes, nec manibus operantes, nec aliud utile domibus providentes, ad garriendum, ad detrahendum, ad dissipandum quæ poterant, in quibusdam Monasteriis & alebantur & vestiebantur. G

XLIX.

STATVTVM est, ne quis fratrum nostrorum, in propriis saltem locis sine lumine noctibus dormiat. Qui si adeò pauper fuerit, ut propriam lucernam in dormitorio suo providere non possit, illam quæ in Ecclesia fuerit, accipiat, & ad dormitorium transferat.

Causa instituti huius fuit, ut filij lucis semper in luce etiam corporali conversentur, quia iuxta Apostolum de spirituali loquentem, *Omnes filij lucis estis, & filij diei: non sumus noctis neque tenebrarum.* Quod licet, ut dixi, de illa spirituali luce dicat, hoc ipse de corporali tamen simul, & spirituali ait Dominus, *Omnis qui male agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera eius. Qui autem facit veritatem venit ad lucem, ut manifestentur opera eius*, quia in Deo sunt facta. H

L.

STATVTVM est, ut sex diebus infra octavas Assumptionis sanctæ Virginis matris Domini; & eodem modo infra octavas Apostolorum Petri & Pauli, xij. lectiones ex Evangelio, xij. aliæ ex Prophetis, vel ex Propheticis libris, aut Actibus Apostolorum, vel Epistolis eorum, sicut à me excerptæ sunt, ad maiorem Missam legantur. Infra octavas scilicet sanctæ Mariæ sex ex Evangelio, & iterum sex ex Prophetis, sicut dictum est, aut Propheticis libris. Infra Octavas vero Apostolorum, sex similiter ex Evangelio, & sex ex Actibus Apostolorum, vel Epistolis eorum.

Causa instituti huius fuit, specialis, quem, post

Salvatorem

A Salvatorem nostrum, erga sanctam matrem eius, & erga sanctos Apostolos Petrum & Paulum habere debemus, amoris affectus: & quia ad eorum venerationem & amorem non adeo plerosque audientium accendebant toto penè anno frequentatæ, quantum rarius auditæ lectiones.

### LI.

STATUTUM est, quod tamen antiquum, sed neglectum erat, ne quis fratrum à communi refectorij mensa surgentium, ante à choro Ecclesiæ, quæ ex more omnes ingredi debent, discedat, quam similiter omnes pro perceptis beneficiis omnium bonorum benigno largitori usque ad ultimum Benedicamus, gratias agat, excepto mensæ lectore, vel eius custode, si custodiæ idem lector deputatus fuerit.

B Causa instituti huius fuit, quod Ecclesiam plerique, imo multi fratrum post mensam cum conventu ingredientes, statim à choro, levi qualibet ex causa recedebant, nec debitas cum fratribus suis Deo gratias agebant.

### LII.

STATUTUM est, ut magnæ illi coronæ, ex ære, auro, argenteoque elegantissimè compositæ, quæ in medio chori forti cathena sustentata dependet, accensi cerei non imponantur, nisi in quinque præcipuis festis, & festo dedicationis Ecclesiæ, & omnium Sanctorum. In reliquis vero festivitatibus, quibus accendi solebat machina illa ferrea, quæ vulgo Erza vocatur, pro illa lampadibus vitreis illustretur.

Causa instituti huius fuit, superfluæ, & velut ex adipe prodeuntes, cum non nisi ex macie procederent, expensæ, & nimis frequens, ac viliorem reddens dignitatem solemnitatum, cereorum illorum super coronam

C accensio, quia iuxta antiquorum sapientium dicta, nihil tam charum & preciosum est, quod assiduitate nimia non vilescat.

### LIII.

STATUTUM est, ut pars illa novi Monasterij, quæ ad sinistram partem post chorum sinistrum est, clericis vel laicis non pandatur, nec quibuslibet, ut fieri solebat præter Monachos, ad eam aliquo tempore accessus sit: exceptis Dominicis diebus, & solemnibus Ecclesiæ festivitatibus: & hoc tantum à principio horæ Tertiæ usque ad finem maioris Missæ. Excipitur nox Nativitatis Domini, & nox Apostolorum Petri & Pauli, & etiam nox illa quæ ad vincula Sancti Petri dicitur. Excipiuntur & peregrini omnes qui causa orationis vel oblationis, altare maius, aut matutinale adire voluerint.

Causa instituti huius fuit, ut quia fratres præter veterem Ecclesiam S. Petri non habebant ubi quædam sacra & secretiora ad religiosos homines pertinentia exercere valerent, iam dictam illam novæ Ecclesiæ partem sibi diebus & noctibus vendicarent, ubi sancta &

D secreta orationum aromata Deo assidue accenderent, frequentibus metanæis vel genuflexionibus pio conditori supplicarent, à tribus sæpe flagellis vel ob pœnitentiam, vel ad meritum augendum corpus attererent; & his ac similibus sacris studiis, velut in heremo, ab hominum remoti conspectibus, incessanter se, suosque Domino commendarent.

### LIV.

STATUTUM est, ut ad altare matutinalis Missæ, quod est consecratum in honore B. Mariæ, de eadem matre Domini Missa quotidie secreto decantetur.

Causa instituti huius fuit, ut quotidiana ad Dominum oblatione, mater quoque Domini specialiter honoraretur, & ipsa ad subveniendum specialibus post Dominum servis suis talibus obsequiis animaretur. E

### LV.

STATUTUM est, ut Conventus, qui, domno Abbate in Capitulum veniente, ex antiquo more non solum ei assurgere, sed & per omnes inferiores gradus ad terram usque descendere solebat, assurgat quidem reverenter, sed scannum subpedaneum descendendo non transgrediatur.

Causa instituti huius fuit, quia licet ex multo & magno, quem semper Patribus suis Cluniacenses fratres exhibent, amore & reverentia, hoc ab antiquis & bonis viris decretum sit: visum est tamen parcendum esse in hoc labore multitudini maximæ propter senes & debiles, quorum maior in eo tempore numerus ccc. vel cccc. fratribus erat, quam priore illo inter fratres sexaginta, aut ad plus octoginta. F

### LVI.

STATUTUM est, ut parui scholares, dum ad suffragia Sanctorum orationes dicuntur, more Conventus sedere permittantur, neque in refectorio iuxta morem antiquum comedentes stare compellantur.

Causa instituti huius fuit, ut ea debiliori ætati necessitas* imponatur, quæ à fortiore non exigitur, cum pius Pater Benedictus, de huiusmodi dicat, Licet ipsa natura humana trahatur ad misericordiam in iis ætatibus, senum videlicet & infantum, tamen & ipsa authoritas Regulæ eis prospiciat.

### LVII.

STATUTUM est, ut in festivitatibus XII. Apostolorum, *Credo in unum Deum*, ad Missam maiorem dicatur, sive ad alias quaslibet Missas, quæ extra Conventum cantantur. G

Causa instituti huius fuit, aliarum Ecclesiarum, & pene omnium rationabilis mos quam ab antiquis Patribus institutum retinent, ut in illorum festis professionem fidei Christianæ decantent, super quos, & per quos principaliter post Christum fides Ecclesiæ fundata est; scribente hoc idem magno Apostolo Paulo Ephesiis, cum dicit: *Superadificati super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum*, & reliqua.

### LVIII.

STATUTUM est, ut solemni nocte Natalis Domini, ad Missam de Luce cantetur Prosa, cuius initium, *Cæleste organum*.

Causa instituti huius fuit, quia illius, cuius, principium erat, *Nostra tuba*, series verborum incomposita, nihilque pene ad Nativitatem Salvatoris pertinens, longè amplius incomptiore cantu, cunctis hoc advertentibus displicebat. H

### LIX.

STATUTUM est, ut quatuor primis hebdomadibus Quadragesimæ, Antiphonæ quæ in quinta feria ad *Benedictus*, & ad *Magnificat*, dici consueverant, mutarentur, & pro illis aliæ cantarentur. Quinta feria primæ hebdomadæ ad *Benedictus*, *Si manseritis in sermone meo*: ad *Magnificat*, *Cognoscite veritatem*. Quinta feria secundæ hebdomadæ ad *Benedictus*, *non possum à meipso*: Ad *Magnificat*, *Non quæro voluntatem meam*. Quinta feria tertia hebdomadæ ad *Benedictus*, *Operamini non cibum qui perit*: ad *Magnificat*, *Hoc est opus Dei*. Quinta feria quartæ hebdomadæ, ad *Benedictus*, *Non potest filius à se facere quicquam*: ad *Magnificat*, *Pater diligit filium*.

Causa instituti huius fuit, quoniam Antiphonæ, quæ

prius

Digitized by Google

A prius dicebantur, aliorum temporum erant: & cum alio tempore cantarentur, velut mutuò acceptæ tertium in Quadragesima cantabantur, hoc est, *Pater Abraham: Fili recordare: Exibant autem dæmonia à multis: Cum sol autem occidisset: Propheta magnus surrexit in nobis. Accepit omnes timor.* Et quod magis absurdum erat, quinta feria primæ hebdomadæ dicebantur Antiphonæ, *Missus sum ad oves: O mulier magna est fides tua.* Quæ Antiphonæ statim sequente Dominica secunda, ex Evangelio ipsius Dominicæ iterum cantabantur. Quod sicut à quibusdam prioribus accepi, ideirco contigit, quia iam dictæ feriæ quintæ antiquitus Evangelia propria, ex quibus exceptæ Antiphonæ cantarentur, minimè habebant: quæ à posterioribus Patribus, & erga divina officia studiosis de Evangelio Ioannis postmodum excepta sunt. Vnde B postquam illæ quintæ feriæ propria Evangelia habere cœperunt, Antiphonæ novæ de ipsis quoque Evangeliis factæ sunt.

## LX.

STATUTUM est, ut sicut ex consuetudine, aliæ Horæ sanctæ Virginis matris Domini in Ecclesia infirmorum, quæ in honore ipsius consecrata est, quotidie decantantur, & eiusdem ibi Completorium cantaretur, & in omnibus Horis ante Psalmos præmitteretur versus, *Memento salutis author* cum Gloria tua.

Causa instituti huius fuit, honor matri Domini super omnem creaturam singulariter exhibendus, & ut quia eius Horæ in conventu publico propter fratrum numerositatem, & officiorum multiplicitatem, brevitate temporis prohibente cantari non poterant, saltem in Capella ipsius à paucioribus ex integro cantarentur.

## LXI.

C STATUTUM est, ut regularis Prima, & Prima S. Mariæ diebus privatis a festo omnium Sanctorum usque ad Pascha, quæ ex antiquo more post primum Matutinos, & post finitam aliam Psalmodiam in Capella infirmorum ante adventum Conventus profunda nocte decantabantur, usque ad lucis ortum, & signi, quod in infirmaria pulsari mane solet, sonitum differantur.

Causa instituti huius fuit, quia & frequenter Psalmodia ab infirmis non satis pro sui prolixitate expleta, Conventus superveniens eosdem infirmos, immo universos, quos in illa Ecclesia offendisset, expellebat: & quia frequenter media ferè nocte, sole adhuc sub terris profundissime occultato, cantabant, *Iam lucis orto sidere.* Vnde ne tantum mendacium à sensu veritatis coram Deo ulterius proferretur, & ne a rebus verba Dominum precantium ac laudantium discordarent, institutum est. Quod si quis obiiciat, cur non & in cæteris, in quibus consimilis nota men-D dacij invenitur, istud correctum non est, quando multa adhuc nocte cantatur, *Aurora lucis rutilat*, &, *Aurora iam spargit polum*; &, *Lux intrat, Albescit polus*, & multa in hunc modum. Respondeo, velle me quidem valde, ut talia cuncta, si cum pace fieri posset, apud nostros, & ubique corrigerentur. Sed quia, ut æstimo, hoc non potest fieri, verbis magni Gregorij Papæ utar. Si non possum de agro Dominico multos reportare manipulos, saltem paucos, saltem duos, saltem unum feram.

## LXII.

STATUTUM est, ut quando fratres infirmi oleo sacro ex more Ecclesiastico inunguntur, non aurea vel argentea crux eis ad adorandum offeratur, sed lignea, quæ imaginem Domini crucifixi pictam habet, & de ipso Dominicæ Crucis ligno particulam cum auro E aptatam, & sub pedibus picti Crucifixi eidem Cruci insertam.

Causa instituti huius fuit, quia rationabilius & devotius visum est, ut non de quolibet alio metallo, aut de alia qualibet re, sed de eadem ligni materia, quo Salvator crucifixus est, Crux facta ægro præsentaretur, & in verbis ipsis, quæ, dum adoratur, decantari solent, nulla vel modica falsitatis nota reprehenderetur. Nam non dicitur, Ecce aurum crucis, ecce argentum crucis, sed, *Ecce lignum crucis in quo salus mundi pependit, venite adoremus.* Vtique verum est, quia non in auro, neque argento, sed in ligno Christus crucifixus est: Non tamen hoc dicens, Cruces ex auro vel argento ad honorem Dominicæ Crucis factas condemno; vel reprehendo, quod ore Catholico maximè approbandum & laudandum est. Sed aliud est metalli pre-F ciositas, quæ mentes simplicium excitat ad maiorem Sacræ cruci, venerationem: aliud ligni vilitas, quæ spiritualium animos commovet ad vehementiorem erga Crucem, & Crucifixum devotionem. Vnde ut magis mens devota in amorem Salvatoris passionis accenderetur, particula de ipsius primæ Crucis ligno, ut iam dixi, pedibus picti Crucifixi supposita est, quæ statim post pedum osculum, oculis, animo, & ori Crucem adorantis & osculantis infirmi se offert. Hanc tamen ligneam crucem, quam ego, hoc quem dixi intuitus, isto quem præscripsi modo aptari feci, non iam mortuis, sed morientibus ad adorandum deferri decretum est. Quod sicut Cluniaci a me factum est, sic ubi fieri potuerit apud nostros, licet præcipere verear, opto tamen ut fiat.

## LXIII.

STATUTUM est, ne staminiæ, quæ ex more antiquo, propter graviora quælibet fratribus acrius flagellandis scindi solebant, & usque ad cingulum violenter G detrahi, ulterius scinderentur, sed staminia integra manente, verberibus subiiciendus frater ea ex toto exueretur.

Causa instituti huius fuit, ut & frequens damnum scissarum staminiarum vitaretur, & plenius nudatus frater expeditius verberaretur.

## LXIV.

STATUTUM est, ne finita Lectione refectorij, canistra iuxta morem antiquum ad suscipiendas panis reliquias per Refectorium ulterius deferantur.

Causa huius instituti fuit, quoniam prius ea de causa canistra ad suscipiendas residui panis partes deferebantur, ut granatorio, non eleemosynario, ad expendendum in posterum redderentur. Sed quia nunc nihil de pane refectorij granatario, sed totum eleemosynario redditur, visum est non esse necesse, ut ulterius eadem canistra per refectorium deferentur.

## LXV.

H STATUTUM est, ne ad Missam matutinalem & maiorem, finito cantu offerendæ usque ad præfationem, Conventus, ut olim fiebat, stare cogatur, sed mox ut cantus cessaverit, qui sedere voluerint, sedeant: tamen ut cum sacerdos conversus ad chorum dixerit, *Orate fratres*, modestè scabellis elevatis in illis subsellis, quæ eisdem sedilibus inhærent, acclives ex more resideant privatis diebus, festivis autem inclinentur ante formas.

Causa instituti huius fuit, ut magnus & continuus labor Cluniacensis Conventus hac quantulacumque remissione relevaretur.

LXVI.

A

## LXVI.

STATUTUM est, ne parui scholares, si boni fuerint, procedente tempore, aliquid de aliorum dignitate amittant.

Causa instituti huius fuit, quia nescio unde res orta, fama tamen hoc referente, dicebatur, morem esse, ut nullus scholarium puerorum aliquo unquam tempore aut hebdomadarius maioris Missæ, aut Prior, aut custos Ordinis, sive Circa fieret, aut quodlibet dignitatis monasticæ privilegium obtineret. Quod quantum contra communem iustitiam & rationem sit, etiam leviter attendens advertit. Nam cum princeps Apostolorum dicit, In omni gente, qui timet Deum, & operatur iustitiam, acceptus est illi. Si, inquam, in omni gente, nunquid non in omni Ordine? Si in omni Ordine, nunquid non in omni gradu? in omni conditione? in omni ætate? Et quia res clara lõga probatione non eget, breviter dico omnem Monasticam vel Ecclesiasticam dignitatem, si boni & digni fuerint, restitutam esse à nobis publicè scholaribus: Quia cuius fides, scientia & vita probatur, à qualibet Ecclesiastica dignitate valde iniustissimè reprobatur.

B

## LXVII.

STATUTUM est, ut pneuma, quod in fine Antiphonarum canitur, ubi plures Antiphonæ se invicem sequentes fuerint, sicut ad vesperas & matutinos, ulterius non cantetur, exceptis quinque præcipuis festivitatibus, hoc est; Natali Domini, Pascha, Pentecoste, festo Apostolorum Petri & Pauli, & Assumptionis B. Virginis. Similiter & illud decretum est, ne ad suffragia Sanctorum, excepta oratione S. Crucis & S. Mariæ & Apostolorum Petri & Pauli & ultima, *Per Dominum nostrum*, cum sequentibus usque ad *Amen* dicatur, Scilicet *per Christum Dominum nostrum*.

C

Causa instituti huius fuit, tædium prolixitatis multiplicium adiectionum, quæ à diversis diverso tempore officiis Ecclesiasticis additæ sunt. Cuius tædij, ut aliqua relevatio fieret, & quia hoc in nullis Cluniacensibus Monasteriis, præter Cluniacum, servabatur, hoc institutum est.

## LXVIII.

STATUTUM est, ut Hymni proprij de S. Stephano primo Martyre, de S. Ioanne Evangelista, de SS. Innocentibus de sancto Laurentio, de S. Vincentio, sumpti de Hymnario S. Ambrosij, vel Hymnario Prudentij docti & religiosi viri, in eorumdem SS. solemnitatibus modo à nostris, qui eos habere potuerint, ubique cantentur.

Causa instituti huius fuit, amor & reverentia illorum SS. quia cum dilectus Christi Ioannes post Petrum & Paulum de præcipuis Apostolis sit, illique iam dicti Martyres, de summis & sublimioribus martyribus sint, incongruum visum est, ut communibus aliorum Apostolorum vel Martyrum hymnis decantarentur, maxime cum præter hymnos omnes alios cantus tam nocturnos quam diurnos proprios habeant.

D

## LXIX.

STATUTUM est, ut duo maturi & studiosi fratres semper die noctuque dormitorium custodiant, aut quando potuerint simul, aut quando non potuerint vicissim: quando vero causa refectionis simul esse non potuerint, sicut inter se condixerint, unus reficiat, alter custodiat. Quando autem alia de causa, similiter fiat.

Causa instituti huius fuit, quia frequenter propter absentiam custodum, & multitudinem illic convenientium, multorum querelæ fiebant, quod vestes suas, vel quælibet regularia indumenta sæpe perderent, nec perdita facile invenire possent. Vnde ut tam istud vitaretur, quam ut omnes qui provenire possent contrarij casus caverentur, istud decretum est.

E

## LXX.

STATUTUM est, ne vel Abbas Cluniacensis, aut prior, aut quilibet Priorum, vel fratrum Cluniacensium in Cluniaco, vel extra manentium, famulis aut servientibus sibi cuiuslibet generis pelles præter agninas emat, vel donet: additum est ut rubeo, viridi, omnique alio vestium colore, remoto, aut de burellis mediocris pretij, aut de pannis nigri coloris, hoc est vel agnelinis, aut paris precij, aut minoris, famulos secum equitantes & suo famulatui deputatos vestiant.

F

Causa instituti huius fuit, primò & præcipuè religionis augmentum, & ipsum notum cunctis inconveniens, ut Monachis regulariter indutis obsequentes eis secularibus vestibus uterentur. Nam iuxta verbum Domini, qui mollibus vestiuntur, non in domibus Monachorum, sed in domibus Regum esse vel habitare solent. Secundo, ut multiplices & graves expensæ quæ in superfluis illis, & noxiis vestibus malè, & prodigè consumebantur; in necessariis, & utilibus rebus benè, & rationabiliter expendantur.

## LXXI.

STATUTUM est, ne in Responsoriis vel Antiphonis, quæ sunt de Baptismate Domini, aliquis Cluniacensium dicat, vel cantet, *Ipsum audite*, sicut verbi gratia, antiquitus in Responsorio, quod sic incipit, *In columba specie Spiritus sanctus visus est, paterna vox audita est, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Addi solebat, *Ipsum audite.* Item, sicut in Antiphona, quæ talis est, *Vox de cœlo sonuit, & vox patris audita est. Hic est filius meus in quo mihi complacui*, & in similibus si quæ sunt vel Antiphonæ, vel Responsoria, interdictum est, ne quis addat, *Ipsum audite.*

G

Causa instituti huius fuit, evidens & apertum mendacium, quod cantantes vel legentes inconsideratè proferebant, quando sacris illis verbis addebant, *Ipsum audite.* Testes huius rei sunt non quilibet, sed ipsi sanctissimi & veridici Evangelistæ, Matthæus, Marcus, & Lucas, qui pari sententia scribentes, apparuisse spiritum Dei super baptizatum Christum in specie columbæ, & vocem patris de cœlo factam, vel; *Hic est filius meus in quo mihi complacui*, vel, *Tu es filius meus, in te complacui mihi*, nusquam addiderunt, *Ipsum audite.* Addita sunt hæc verba, non in Christi baptismate, sed in eius transfiguratione. In illa, inquam; Transfiguratione adiunctum est, verbis similibus, *Ipsum audite*, sed & ipsa ratio hoc lucidè declarat. Nam cum in Christi baptismate vocem illam omnipotentis Patris solus post Christum Baptista audierit, non diceretur soli, *ipsum audite*, sed *ipsum audi.* Vnde apparet, quod non illi, qui solus erat, hoc in baptismate dictum est, sed tribus Apostolis, Petro, Iacobo, & Ioanni, & in ipsis, & per ipsos, universali Ecclesiæ, quam prægnabant, non singulari, sed plurali numero in Domini Transfiguratione præceptum est, *ipsum audite.*

H

## LXXII.

STATUTUM est, ut in Nativitate Domini nullus ex fratribus ante finem Missæ illius quæ de Luce dicitur, & quæ de more in Conventu cantatur, Missam alicubi vel dicat vel audiat. Excepti sunt ab hac constitutione infirmi, qui in infirmaria comedunt, de quibus antiquus mos constituit, ut sicut sancto die illo tres

A tres Missæ in Conventu cantantur, ita eis eodem tempore tres similiter Missæ in Capella sanctæ Mariæ, quæ eorum officiis deputata est, celebrentur.

Causa instituti huius fuit, quia solebant Sacerdotes, non quidem ex consuetudine, sed ex quadam inconsiderata festinatione, statim post Evangelium illius Missæ, cum quibusdam aliis, qui vel eos iuvabant, vel communicare ad eorum Missas volebant, à Conventu recedere, ac sibi unusquisque Missam de die cuius introitus est, *Puer natus est nobis*, celebrare. Ita fiebat, ut non solum chorus pene vacuus remaneret, sed non quod de ipsa Missa post Evangelium restat, audirent. Hoc iam sic in consuetudine versum fuerat, ut multi consuetudinem esse putarent, & media fere pars Cluniacensis Conventus, aut forte plus, die Natalis Domini non audiendo ea, quæ in Missa de Luce B post Evangelium supersunt, nec ipsam Missam audirent. Quam idcirco non audiebant, quoniam eius maximam & meliorem partem, hoc est Sacrificij divini celebrationem, ex cuius dignitate maximè Missa vocatur, perdebant. Hoc ne ulterius fieret, hac constitutione provisum est.

## LXXIII.

Statutum est, ut de vasis omnibus vinariis, quæ in cellario fuerint ad opus fratrum, hospitum, vel pauperum, hoc est, de unoquoque eorum, vigilia Natalis Domini, frater qui vinum ad Missas providere solet, tantum accipiat, quantum ad celebrandas omnes Missas illius sacræ noctis, atque diei sufficere valeat.

Causa instituti huius fuit, res à multis, ut audivi, probata, & sæpe mihi relata, quod videlicet, nunquam vasis illius vinum acescere, vel innaturalem & corruptum saporem converti possit, unde pars quantalibet vini ad celebranda iam dicti Natalis Domini Sacra- C menta assumpta fuerit.

## LXXIV.

Statutum est, ut illud *Kyrie*, cuius cantus habet prosaicos versus, quorum principium est, *Clemens Rector æterne, pater immense eleison*, qui in Multis Monasteriis ad Cluniacum pertinentibus usu antiquo cantabatur, etiam Cluniaci in quinque præcipuis festis cantetur. Additum est & hoc, ut in eisdem solemnitatibus & in quibuslibet, prout libuerit, maioribus ad vesperos, vel ad laudes cantetur, *Benedicamus Domino*, iuxta cantum novi quidem, sed boni & iam publici versus illius, qui in Nativitate B. Matris Domini à multis canitur, *Virgo Dei genitrix virga est, flos filius eius.* Sumptus est autem cantus non de toto versu, sed de fine versus, hoc est, *Flos filius eius.*

Causa instituti huius fuit, ut & solemnioribus diebus magis congrueret solemnior cantus, & ut ipsa cantuum variatio maior esset cantantium devotio.

D

## LXXV.

Statutum est, ut in festo Inventionis S. Crucis, & exaltationis eiusdem, ad laudes matutinas cantentur versus excerpti de hymno, cuius principium est, *Pange lingua gloriosi prælium certaminis*, quorum primus est *Crux fidelis*, secundus, *Flecte ramos*, tertius, *Sola digna tu fuisti*, cum *Gloria* sequenti quæ est, *Gloria & honor Deo.*

Causa instituti huius fuit, quia devotius & elegantius visum est, in iam dictis salvatricis Crucis solemnitatibus, laudes ipsius continentes hymnos variari iocunde, quam easdem iterari fastidiosè. Canebatur enim prius hymnus, cuius principium est, *Vexilla regis prodeunt*, ad utriusque festi utrasque laudes vespertinas, & rursus iterabatur ad matutinas.

E

## LXXVI.

Statutum est, ut Antiphona de sacra matre Domini facta, cuius principium est, *Salve Regina misericordia*, in festo Assumptionis ipsius, dum processio fit, à Conventu cantetur: & insuper in processionibus quæ à principali Ecclesia Apostolorum, ad eiusdem Matris virginis Ecclesiam ex more fiunt, exceptis illis Sanctorum festivitatibus in quibus mos antiquus exigit, ad eosdem Sanctos pertinentia decantari.

Causa instituti huius fuit, nulla alia quam summus & maximus amor, ab omni rationali creatura, quibuscunque modis rationabiliter fieri potest, exhibendus post auctorem omnium matri Auctoris universorum.

F *Finis operum S. Petri Mauricij dicti Venerabilis Abbatis Clun. IX.*

V. D.

# GVILHELMI ABBATIS S. THEOD. CLVNIACENSIS ORDINIS, Meditationes devotissimæ.

G

*EIVSDEM LIBELLVS Meditatorius de amore Dei.*

## PRÆFATIO ad Lectorem.

*IN tibi, Lector optime piarum Meditationum opuscula tria damus, quorum duo priora sunt Guilhelmi Abbatis sancti Theodorici; tertium; Domini Guigonis Carthusiani Instituti præcipui provectoris. Qui cum fuerint viri non minus eruditi, quam pij, nil ab his nisi pium atque eruditum exspectare debes. Hos itaque libellos ob eam potissimum causam evulgamus, ut istorum virorum exemplo discas & assuescas, in hunc modum frequenter tecum & cum Deo loqui, & dormitantem cessantemque, seu languentem animum, ad sui cognitionem, & ad Dei amorem huiusmodi meditationibus, veluti stimulis quibusdam, excitare. Nam hic mos fuit olim viris sanctissimis, ut sibi ipsis formulas quasdam* H *precandi, & meditandi describerent, quibus veluti follibus subinde tepescentem ignem divini amoris in cordibus suis accenderent: id quod videre licet in sanctissimi doctoris Augustini libris, quibus titulum dedit Confessionum, & Soliloquiorum suorum. Cuius vestigia hic noster Guilhelmus pulchre insequitur, & ferè assequitur in his Meditationibus; quas cum legeris attentè, miror si non exclamabis Evangelicum illud:* Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur nobis in via? *Quandoquidem in huius sancti viri Meditationibus exardescit haud dubiè ignis ille divinus, quem Dominus Iesus misit in terram, & voluit vehementer accendi. Iam vero quis non miretur, mirum illud artificium, quo scripturas sacras copiosè adductas, suis verbis tam aptè connectit, earum mysticum sensum obiter explicans; pulchrè hac in re Beatum Bernardum referens, cui, dum viveret, valde charus fuit ob cuius etiam*

Amorem,

A *amorem, relicta dignitate Abbatis sancti Theodorici, factus est humilis monachus sub eodem Patre Bernardo, Clarevallensis. Cuius rei videtur meminisse sub finem prioris libelli, ubi secum disceptat, omniaque interiora sua discutit, an bona ratione, ac sincera intentione, hoc propositum mutandi Ordinis, & deponendæ curæ pastoralis concepisset. Ex his itaque Meditationibus, pie Lector disces, & assuesces orare frequenter & ferventer, disces intima tua discutere, & videre numquid in his resideat indignum divinis oculis. Primum enim Guilhelmus hic pulchre docet; alterum vero ex Guigone rectius disces, cuius Meditationes omnes circa sui ipsius exactissimam discussionem versantur. Nam huic perpetua lis est cum pravis animi affectionibus, & præposteris iudiciis; mentis enim humanæ cæcitatem acriter subinde deplorat & castigat. Vale Lector, & hunc magni pretij libellum, parvo tibi pretio compara.*

B

---

## EX LIBRO ABBATIS Spanheimensis, de Scriptoribus Ecclesiasticis, Guilhelmi Abbatis vita.

*GVilhelmus Abbas sancti Theodorici, & postea (ut dicitur) monachus Clarevallensis, sub Beato Patre Bernardo Ordinis Cisterciensis, vir in divinis scripturis studiosus, & eruditus, vita quoque & sanctitate conversationis insignis, & ob id eidem Bernardo singulariter dilectus, edidit non spernendæ lectionis opuscula, de quibus ad nostram notitiam pauca pervenerunt. Incepit scribere: (sed morte præventus non perfecit.)*

| | |
|---|---|
| *Vitam S. Bernardi Abbatis* | *lib. 1.* |
| *Scripturus vitam servi tui, &c.* | |
| *Speculum fidei,* | *lib. 1.* |
| *Ænigma fidei.* | *lib. 1.* |
| *Sententiarum fidei.* | *lib. 1.* |
| *Ad Theophilum de natura animæ.* | *lib. 1.* |
| *De contemplando Deo.* | *lib. 1.* |
| *De natura & dignitate amoris.* | *lib. 1.* |
| *De Sacramento altaris.* | *lib. 1.* |
| *Meditationes pro novitiis.* | *lib. 1.* |
| *Contra Petrum Abelardum.* | *lib. 1.* |
| *In Cantica Canticorum imperfectum.* | *lib. 1.* |
| *In Epistolam Pauli ad Romanos.* | *lib. 1.* |
| *Et quædam alia.* | |

C

*Sunt qui dicunt, hunc Guilhelmum, cum adhuc Abbas esset sancti Theodorici, vulgatam ad Carthusienses illam scripsisse epistolam, cui initium est: Fratribus de monte Dei Orientale lumen, &c. quæ beato Bernardo ascribitur. Claruit sub Conrardo Imperatore tertio, anno Domini M. C. X L. Et ante Bernardum (cum unum de vita ipsius librum complesset) moritur: cui Arnuldus Abbas Bonavallis, quatuor alios adiecit libros.*

D

---

## ORATIONES, SIVE Meditationes Domini Guilhelmi Abbatis Sancti Theodorici, & postea Monachi Clarævallensis, qui scripsit primum librum vitæ beati Bernardi.

Rom. 11. O ALTITVDO *divitiarum, sapientiæ & scientiæ Dei, quam inscrutabilia sunt iudicia eius, & quam investigabiles viæ eius? Quis enim cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius eius fuit?* Misereris enim Domine, cuius misereris, & misericordiam præstas, cuius misertus fueris. Nec enim volentis, neque currentis, sed miserentis tui Deus. Resilit hic vas fictile, à manu eius, qui se finxit, qui dicit per Prophetam: *Ego feci, ego feram:* resilit à manu tenentis & portantis casurum, confringendum, conterendum, & clamat: *Quid adhuc quæritur? voluntati enim eius quis resistit?* Et addit: *Quid me fecisti sic?* Sic tibi dicit, ô æterna sapientia, vas fictile & luteum, vas contumeliæ & iræ, aptum in interitum, cum potius tremere ad te haberet, & orare deberet, qui *habes potestatem ex eadem luti massa facere vas, aliud quidem in honorem, aliud in contumeliam.* Sed permanent vasa honoris & electionis, vasa misericordiæ, quæ præparasti in gloriam, quæ non hoc dicunt, sed agnoscunt te creatorem & figulum suum, se autem lutum compactum in manu tua, de qua si ceciderint, væ eis, quia confringentur, contererentur, & redigentur in nihilum. Hoc sciunt, & ex gratia tua non deficiunt. Miserere Domine, miserere, tu plastes noster es, & nos lutum. Adhuc tamen quocunque modo hæremus, adhuc manu virtutis tuæ portamur, & adhuc de tribus digitis tuis, fide, spe, & charitate dependemus, in quibus appendis molem terræ, soliditatem Sanctæ Ecclesiæ tuæ. Miserere Domine, tene nos ne de manu tua cadamus. *Vre renes nostros, & cor nostrum* igne Sancti Spiritus tui, & confirma, quod operatus es in nobis, ne dissoluamur, & in lutum nostrum, vel in nihilum redigamur. A te creati sumus, & ad te conversio nostra; te factorem & formatorem cognoscimus; tuam in disponendo sapientiam, in continendo & conservando bonitatem, & misericordiam adoramus & invocamus. Perfice nos, qui fecisti nos; perfice usque ad formam plenam imaginis tuæ & similitudinis, ad quam formasti nos. Dicit tibi vas luteum, luto destinatum, & vox eius est cadentis & crepantis: *Quid me fecisti sic?* Vas autem in honorem non hoc dicit. *Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confitetur ad salutem* quia bonus bene omnia fecisti, & ipsum in honorem, illud vero in contumeliam bene fecisti, utrique dans liberum arbitrium, ut uterque non cogente necessitate, sed spontanea voluntate facere quod faceret, & proprium haberet virtutis meritum. Virtus enim est spontaneus in bonum voluntatis assensus. Habens autem omnium scientiam, præsciebas de utroque ô æterna Sapientia, quomodo libero arbitrio uterque uti deberet, qualis futurus esset, sui rerumque arbiter, utrique paratam habens gratiam, qui non eam in vacuum reciperet. Præscientia autem tua non utique cogit eos esse, quod futuri sunt, tanquam necessario sic sint futuri, quia sic eos futuros esse præscisti; quin potius quia sic futuri erant, ideo tu sciens omnia antequam fiant; etiam hoc tu præscisti, & omnino non potest falli præscientia tua. Est autem præscientia tua Deus, ipsa sapientia tua, quæ ab æterno tibi æternaliter coest (etiam si nulla esset creatura) in qua sunt omnes causæ æternaliter omnium, quæ fiunt temporaliter, & ipsa præscientia creturæ in tempore suo creandæ. Quæ tamen tibi futura non erat, quia in consubstantiali tibi ipso verbo tuo, per quod factum est, quicquid factum est, vita erat; sic existens in eo vita, sicut futura erat, sic omnino futura, quia in ipso vita erat. Vita autem non cogens ut ita sit, sed sic existens in eo quod sic futurum sit. Quod ergo modus futuri temporalis, causa est in Deo eius quod est, id est, æternitatis. Nam si sic non esset futurum temporaliter, videtur in verbo Dei non posse esse æternaliter. Sed scientia vel præscientia tua, Deus, ipsa est veritas tua, quæ dicit: *Ego sum veritas*, & sicut tu Deus præsciendo non cogis fieri quod futurum est, sic nec cogi potes præscire ab eo, quod futurum est. Tibi quippe nihil est præteritum, nihil futurum, sed es semper quod es; illud

Marginal notes (right column): E; *Esa 46.*; *Rom. 9.*; *Ibidem.*; F; *Esa. 40.*; *Psal. 25.*; *Psal. 67.*; *Gen. 1.* *Gen. 9.*; G; *Rom. 9.* *Rom. 10.*; Definitio virtutis.; H; Præscientia Dei quid; *Ioan. 1.*; *Ioan. 14.*

A autem quomodocunque sit, sive præsens, sive præteritum, sive futurum, in verbo tuo vita est. Psal. 11. *In circuitu impij ambulant.* Collige te ergo homo à circuitu erroris ad centrum veritatis, vas luteum sic redigitur in lutum suum, ut non eum cogat ad hoc divina præscientia, quia eum non latuit sic futurum. Quod tamen quia sic futurum præscivit, in interitum prædestinavit. Præscientia etiam Dei, bonitas eius est, quæ ab æterno parata est omnibus, quamvis non ab omnibus suscipienda. A quibus autem suscipienda sit, à quibus non, neque hoc alienum est à Dei præscientia: quæ, sicut dictum est, quantum ad bonitatem Dei, omnibus ab æterno parata est, etiam si nulla esset creatura: Bonitas enim Dei hæc, Spiritus S. est Patri Filioque coæternus. Gen. 1. Vnde in creatione mundi, *Spiritus*, inquit, *Domini ferebatur super aquas*, scilicet omnibus se offerens, ad omnes se exhibens benefaciendo, & utilia providendo; quod proprium est Spiritus S. sed malivolam refugiens animam, in quam non potest introire sapientia. B Sap. 1. Itaque præscientia Dei de creatura, quantum ad Deum, præscientia est; quantum ad homines, prædestinatio, ipsa est electio vel reprobatio. Vnde est illud: Ioan. 15. *Non vos me elegistis, sed ego vos.* Prædestinatio autem, gratiæ est præparatio. Gratia vero ipse est effectus, in quam cur unus assumatur, alter relinquatur; noli quærere, si non vis errare. Si superbus es, non latet Dei præscientiam, nec effugis eius providentiam, qua prædestinatus es in pœnam superbis præparatam: Iac. 4. 1. Pet. 5. *Deus enim superbis resistit humilibus autem dat gratiam.* Superbia ergo & meritum est, & signum reprobationis, sicut humilitas & meritum, & signum electionis. Rom. 9. Dicat ergo lutum vas, *Quid me fecisti sic?* id est, quare me prædestinasti in interitum? Et respondit ei veritas: Vt secundum te loquar, quia præscivi te futurum vas iræ aptum in interitum, futurum fatuum, qui nescias vel nolis saluari; superbum, qui contemnas humiliari: ideoque nihil iam quæror, sed tu irremeabiliter ibis in interitum. Voluntati enim meæ non resistis, cum sit voluntas mea, ut miseris, id est, qui miseros se cognoscunt, proxima sit misericordia. C Sap. 6. *Potentes autem* iniquitate, *potenter tormenta patientur.* Nec nisi humilibus volo misereri, qui misereor cuius misereor. Perge quærere: Cur non dedisti mihi humilitatem, Quia dedi tibi, quod maius est, arbitrij libertatem, & tu ex ipso quasi Psal. 51. *potens in iniquitate dilexisti malitiam super benignitatem*, insuper & declinasti in me mala tua, & de eis sic niteris excusare te, ut vel is accusare me. Psal. 35. Non vis ut inveniatur iniquitas tua ad odium, vas aptum iræ in interitum.

Psal. 33. *Accedite ad eum, & illuminamini, & facies vestra non confundentur.* Confundor Domine Deus, confundor confusione tetra & horribili, quotiens accedens ad te, clausam mihi invenio ianuam visionis tuæ, & pene mihi videor audire vocem illam terribilem. Mat. 25. *Amen dico vobis, nescio vos.* Et qui illuminari à te desiderabam, sic à dolore cordis mei, & perturbatione sensus, totus tenebresco, ut pene mihi melius fuisse videatur non accessisse. Quis enim me consolabitur, si desolare me volueris? Abeant & pereant omnia solatia mea, quæ tu non es, vel ex te non sunt. D Eccl. 4. *Væ soli,* ait Salomon. Verè væ mihi soli, si non fueris tu mecum, vel ego tecum. Beatum & beatissimum me credo, Domine, si sentio te esse mecum, sed tædet me mei; & odio ipse mihi sum, quoties sentio me non esse tecum. Quamdiu sum tecum, sum etiam mecum; non sum autem mecum; quamdiu non sum tecum, & væ mihi quotiescunque non sum tecum, sine quo nunquam esse possum. Non enim haberem subsistere quovis modo subsistendi, sive in corpore, sive in anima, nisi præsente virtute tua. Non desiderarem, non quærerem te, nisi ex præsente gratia tua, nunquam invenirem te, nisi occurreret mihi misericordia tua, & veritas tua. Sed cum in omnibus his ego tecum sum, sentio in me operantem gratiam tuam: bonum est mihi quod sum, quod vivo, Psal. 33. *In Domino laudabitur anima mea.* E Si autem cum tu mihi benefaciendo es præsens, ego cogitatione vel affectu sum absens, sic mihi videntur erga me beneficia gratiæ tuæ, sicut circa mortuum sollicita & officiosa cura sepulturæ. Si aliquando sentio te transeuntem, non stas mihi, sed præteris me clamantem post te, sicut Chananæam illam. Mat. 15. Cumque quasi clamoribus importunis necessitatis meæ fatigaris, obiicis ignominiose conscientiæ meæ; præteritam carnis immunditiam, præsentem impudentiam; & canem à mensa tua ieiunum, & famelicum, & flagellis conscientiæ afflictum expellis, vel abire permittis. Ergone ulterius accedam? utique Domine, nam & catelli à domo domini sui cum flagellis eiecti, statim redeunt, & circa domus custodiam invigilantes, panem suum quotidianum recipiunt. Expulsus redeo, exclusus clamo, flagellatus obsecro. Absque hominis contubernio canis vivere nescit, nec anima mea absque DOMINO DEO suo. F Psal. 33. Aperi ergo mihi Domine, ut accedam ad te, & illuminer à te. Psal. 17. Tu in cœlis habitas, posuisti tenebras latibulum tuum, tenebrosas aquas in nubibus aëris, nubemque, sicut dicit Propheta, Tren. 3. opposuisti, ne transeat oratio. Ego vero in terra computrui, & aggravavi contra me densum lutum, scutumque cordis, nec lucent mihi sidera tua cœlestia, sol obscuratus est, luna non dat lumen suum. Audio enim in psalmis & hymnis & canticis spiritualibus magnalia tua. Abac. 3. Mat. 24. Rutilant mihi in Evangelijs facta tua vel dicta. Verberant assidue oculos meos, & aures exempla servorum tuorum, concutiunt me terroribus, & vellicant promissis scripturæ veritatis tuæ, quæ se assidue ingerunt oculis meis, & strepitu suo contundunt surditatem aurium mearum. Ego vero usu pravo & stupore nimio, obdurui, & didici & assuevi contra solis splendorem dormitare, non videre occurrentia; in mari positus, non audire maris rugitum, vel cœli tonitruum, mortuus à corde. Esa. 64. Vsquequo Domine, usque quo? Vsquequo non dirumpis cœlos, & descendis, & non concutis stoliditatem meam in ira consummationis tuæ, ut non sim, quod sum, ut sentiam G Psal. 58. dominantem Iacob & finium terræ, & convertar saltem ad vesperam, & famem patiar ut canis, & circumeam civitatem tuam, Luc. 16. quæ adhuc partim peregrinatur in terris, sed ex maiore parte sua iam gaudet in cœlis; si forte inveniam, qui me suscipiant in tabernacula sua deficientem, nec proprium habentem cubile ubi caput inclinem? 3. Reg. 19. Audio quidem nonnunquam vocem spiritus tui, sed pertranseuntem quasi sibilum auræ tenuis, & intelligo dicentem: Psal. 33. *Accedite ad eum, & illuminamini.* Audio, & concutior; surgensque quasi à somno, & excutiens meipsum, aliquatenus destupesco, Psal. 118. os meum aperio, & attraho spiritum. Distendo sensus animæ meæ, ut depigrescant, egredior de interioribus nocturnæ conscientiæ meæ, exeo ad lucem orientis mihi solis iustitiæ. Sed cum somnolentos oculos in eum volo dirigere, reverberantur desuefacti luci & assuefacti tenebris. Et ad insolitum splendorem tremente, & palpitante pupilla rationis cum palpebris suis, exterius manu tergo quam possum ab eis reuma diuturnæ somnolentiæ. Si te donante invenio fontem lachrymarum, H Psal. 103. qui in humilitate & contritæ animæ vallibus cito solet exoriri, lavo manus operationis, & faciem devotionis. Deinde sicut extendit accipiter alas suas ad austrum, ut plumescat, Iob. 39. Psal. 142. *Expando manus meas ad te Domine, & anima mea sicut terra sine aqua tibi.* Et sicut *terra deserta, & invia, & inaquosa, sic in sancto apparuo tibi, ut videam virtutem tuam & gloriam tuam.* Psal. 62. Cumque oculos mentis, sive sensum rationis ad te erigo, ô Sol iustitiæ, contingit mihi, quod contingere solet ebriis à somno, vel infirmis oculis, ut unam rem aspicientes, duas vel tres esse arbitrentur, donec videndi processu incipiant intelligere vitium esse oculorum, non rei quæ videtur. Nam ab usu vel oblectatione sensuum & sensibilium expergefactæ animæ prima occurrit imaginatio, quæ assuetam sensibilibus animam

sensibus

A ſenſibus obturatis ſenſibilium obſcurat imaginibus, ut ſicut tota ſenſibus ſolebat vacare, ſic nihil iam niſi imagines ſenſibilium cogitare ſciat vel intelligere. Propter quod cum à ſomno negligentiæ expergefactus, ſubito reſpicio in Deum, de quo me lex divina inſtruit *Deut. 6.* dicens, *Audi Iſraël, Dominus Deus tuus, Deus unus eſt*: & in eum, à quo ſum illuminandus, quem ſum adoraturus vel oraturus, dirigere omnino habeam mentis intuitum, occurrit mihi Trinitas Deus, quam fides Catholica (à progenitoribus mihi incantata, uſu ipſo inculcata, à te ipſo tuiſque doctoribus commendata) mihi demonſtrat. Sed eam fatua animæ meæ imaginatio ſic accipit, ſic intuetur, ut Trinitatis numerum ſimpliciſſimi divinitatis ſubſtantiæ ineſſe ſi minet, quæ extra omnem numerum exiſtens, in pondere *Sap. 11.* & menſura & numero omnia fecit, & ſingulis in Trinitate perſonis, quaſi ſuum unicuique locum deputet, ut ſic Patrem oret per Filium in Spiritu ſancto, ut de B uno ad alterum tranſeundum ſibi videatur per tertium. Sicque mens caligans in uno, diſſipatur in tribus, tanquam tribus diſcernendis inſiſtat, vel uniendis corporibus. Cum hoc imaginatio, id eſt, mens imaginans, & nolens imaginatur, vel imaginatum invita, vel recipiens patitur; venit fides & reprobat, ratio per fidem diiudicat, auctoritas condemnat, pariterque reclamant omnia quæ intra me ſunt, quod ſupra dictum eſt. *Deut. 6.* *Audi Iſraël, Dominus Deus tuus Deus unus eſt.* Nam cum fides & ratio, & auctoritas cogitare me doceant Patrem per ſe, nil tamen in ſancta Trinitate cenſent admittendum, quod tempore vel loco vel numero, ſubſtantiæ faciat diviſionem, vel perſonarum ſonare videatur confuſionem. Sic enim aſtruunt Trinitatis unitatem, ut ſolitudinem removeant: Sic unitatis Trinitatem, ut in deitatis ſubſtantia non recipiant numeri pluralitatem. Omne enim meritum, omnem ſcientiæ prudentiam, omnemque virtutem præveniens in nobis gratia tua, Domine, dat nobis noſtri tuique quantulamcunque cognitionem, ipſa vero ſubvenit nos humilitas C auctoritati, auctoritas fidei. Fides inſtruit rationem, ratio per fidem erudit, vel deſtruit & abiicit imagi- *Sap. 9.* nationem; fidem vero non inſtruit ipſa per intelligentiam, ſed per fidem deſurſum eam expectat à te Patre luminum, à quo omne datum optimum eſt, & omne donum perfectum. Intelligentiam autem non quæ ex ratione colligitur, vel ratiocinatione formatur; ſed quæ de ſede magnitudinis tuæ merito fidei adducitur, & ſapientia tua formatur ſimilis omnino tuæ origini, quæ veniens in mentem fidelis tui, rationem ad ſe colligit, & ſibi conformat; fidem vero vivificat, & illuminat. Stat igitur oratura Deum ſuum pavida & ſtupens anima, ſemetipſam in manibus ſuis ſemper portans, quaſi eam tibi ſemper oblatura, pavida à conſuetis, ſtupens ad inſolita, ad inveniendum te, portans ſignaculum fidei tuæ, ſed non adhuc inveniens cui illud reſolvat, vultum tuum Domine, vultum tuum requirens, nec ſciens, nec omnino neſciens, quid requirat. Cordis ſui phantaſmata de te abominatur ut idola. Amat te qualem te ſibi fides deſcribit, ſed mens videre non ſufficit. Ardentique faciei tuæ deſiderio, cui ſacrificium pietatis, & iuſtitiæ ſuæ D offerat oblationes & holocauſta, cum differtur, magis turbatur. Et cum non tam cito fidei tuæ, cui ſe credidit, impetrat illuminationem, intantum nonnunquam ſtupeſcit, ut credere ſe in te vix ſibi credat, & ut oderit ſe, quia (ut ſibi videtur) non amat te. Abſit autem ut non credat in te, quæ ſic anxiatur deſiderio tui; ut non amet te, quæ deſiderat te uſque ad contemptum ſui & omnium quæ ſunt. Vſquequo Do- *Pſal. 17.* mine, uſquequo? Tu ſi non illuminas lucernam meam, ſi non illuminas tenebras meas, non eripiar ab hac *Pſal. 6.* tentatione, nec, niſi in Deo meo tranſgrediar murum hunc. Iam non audeo intendere in faciem tuam Domine, quam deſidero uſque ad mortem, quia dixiſti *Exod. 33* Moyſi. *Non videbit me homo & vivet.* Sed licet mori velim, ut videam te, vel videre te ut moriar, operio tamen vultum meum, ſicut idem Moyſes non au- E dens reſpicere contra te. Sic enim ibi legitur: *Porro* *Exod. 4.* *Moyſes operuit vultum ſuum; non enim audebat reſpicere contra Dominum.* Nam forſitan contra Dominum reſpiceret, ſi vellet reſpicere non quis, ſed quid eſſet. Nam quis eſſet, audiebat: *Ego ſum Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob.* Tamen eidem Moyſi, audita *Ibidem.* morte ſua, eodem adhuc deſiderio æſtuanti, & oranti, oſtendi ſibi gloriam tuam, reſpondiſti: *Ego oſtendam* *Exod. 33* *tibi omne bonum.* Et ô Domine, ubi eſt omne bonum, niſi in vultu tuo? Vnde & David eodem ardens deſi- *Pſal. 15.* derio, *Adimplebis me*, inquit, *lætitia cum vultu tuo.* Ignoſce Domine, ignoſce, impatiens eſt ad te cor meum, vultum tuum requiro, exquiro faciem tuam *Pſal. 26.* ſemper, per temetipſum, *ne avertas faciem tuam à me.*

*Pſal. 88.* Scio enim & certus ſum, quia qui ambulant in lumine vultus tui, non offendunt, ſed ſecure ambulant, quorum omne iudicium de vultu tuo prodit; ipſi ſunt qui vivunt, quia ſic vivunt, ſicut in exemplari vul- F tus tui legunt & intelligunt. Domine non audeo te *Pſal. 26.* reſpicere contra te, ne amplius obſtupeſcam, Stans autem coram te ſicut pauper & mendicus & cæcus, ſicut tu vides me, non videntem te; plenum deſiderio tui pectus, totumque me quicquid ſum, quicquid ſcio, & hoc ipſum quod poſt te langueo, & deficio, offero tibi. Sed ubi te inveniam non invenio. Vbi es Do- *Act. 17.* *Pſal. 118* mine, ubi es? Et ubi Domine non es? Scio certe, & certe certus ſum, quia hic modo mecum es, in quo movemur & ſumus, & ex cuius ſaluberrima præſentia ardet & deficit in ſalutari tuo anima mea. Scio certe & veriſſime ſentio, ſaluberrime te eſſe mecum ſcio & ſentio, adoro & gratias ago; ſed cum tu ſis mecum, cur ego non ſum tecum? Quid obſtat? quid impedit? quid intercedit? Si tu mecum es, bene mihi faciendo, cur ego non ſum tecum, te bono omnium bonorum meorum fruendo? An propter peccata mea? Et ubi eſt qui tulit ea de medio, & affixit ea cruci ſuæ? An quia eum non amo. Nonne centies & millies mori vellem pro te *Coloſſ. 2.* Domine Ieſu? Si hoc non ſufficit tibi, nec mihi ſufficit, quia nihil ſufficit animæ meæ. Nec videtur ſibi G omnino amare te, niſi fruatur te. Frui autem te non poterit, niſi pro dono tuo, & modo ſuo te viderit & intellexerit. Cur autem te non videt? Qui modo te amo uſque in mortem, tunc amarem uſque in vitam æternam. Ipſam Domine iam mihi ſpirat neſcio quis odor tuus, qui ſaltem ſi perficeretur in me nunc interim, non quærerem amplius. Siquidem mittis mihi aliquando quaſi quaſdam conſolationis tuæ buccellas; ſed quid hoc ad deſiderium famis meæ? Obſecro dic animæ meæ, ô ſalus eius, quare ei tuum inſpiraveris deſiderium. Num ut tantum torqueat me, diſcerpat, & oc- *Pſal. 34.* cidat? Et utinam occidiſſet. Obſecro, Domine, hæccine eſt mea gehenna? Et hæc ſit, nec unquam me deſinat torquere, nec unquam deſinam in hac ardere, nec in aliquo liceat reſpirare una die, una hora, uno momento, donec appaream in conſpectu *Pſal. 16.* tuo, & appareat mihi gloria tua, & faciei tuæ feſtivitas æterna illuxerit animæ meæ. Habuerit Domi- *Exod. 4.* ne vetus ille Moyſes opertum ad te vultum ſuum, & velatam faciem, formam gerens populi tui, cui præe- *Iona 1.* rat ſemper à facie Domini fugientis, Paulus tuus, & H totus noſter, quia totus tuus, novi Teſtamenti tuba pro ſe loquens, & pro ſuis in deſiderio & amore tuo diſcipulis. *Nos*, inquit, *omnes revelata facie glo-* *2 Cor. 3.* *riam Domini ſpeculantes, in eandem imaginem transformamur, à claritate in claritatem.* Homo iſte tuus non fugiebat à facie tua, ſed ad faciem tuam. Ignoſce *Luc. 12.* Domine, ignoſce improbitati & importunitati meæ. Adhuc ardemus, quia ardemus; ignis tuus urget, nos, quem veniſti in terram mittere, & voluiſti vehementer accendi. Obſecro te per omnipotentiſſimam bonitatem tuam, per manſuetiſſimam ſemper in nos patientiam tuam, patere adhuc me ad quid quærentem, & dic animæ meæ, quid eſt quod deſiderat, cum faciem tuam deſiderat. Sic enim cæca eſt,

A sic ad semetipsam turbata, ut & desiderio tabescat, & ignoret quid desideret. Nunquid vult te videre sicuti 1.Ioan.3. es? Et quid est, Sicuti es? Num qualis aut quantus? sed nec qualis aut quantus es, quia nec qualitas, nec quantitas in te est, qui es, quod es.

Quid ergo est, Sicuti es? Hoc videre, supra nos est, quia videre quod tu es, hoc est esse quod es. *Ne-* Matt.11. *mo* autem *videt Patrem nisi filius, & filium nisi Pater*, quia hoc esse Patri, quod videre filium, & hoc esse filio, quod videre Patrem. Sequitur & dicit: *& cui voluerit filius revelare.* Voluntas autem non alia Patris est, non alia filij, sed una eadem, quæ est Spiritus sanctus. Ego per Spiritum sanctum alicui amico Dei, quem nimis honorare voluerit, revelat semetipsum Trinitas Deus. Sed nunquid homo videt Deum, B sicut filium Pater, vel patrem filius, quibus, sic ut dictum est, alium videre, hoc est, non esse aliud & aliud, sed unum Deum? Sic omnino, sed non per omnem modum. Quod ut aliquantum nobis lucidius pateat de visu & naturali eius potentia, videndum est quid habeat Physicus intellectus. Omnis sensus corporeus, ut sensus sit & sentiat, oportet ut quadam sensibili affectione aliquo modo mutetur in id quod sentit. Visus scilicet in id quod ei sit visibile, auditus in audibile, sicque de reliquis. Alioquin nec sentit, nec sensus est. Nisi enim rem sensam, sensu rationi renunciante) anima sentientis quadam sui transformatione mutetur in rem vel rei qualitatem, quæ sentitur; nec sensus est, nec sentire potest. Si ad sensum animæ revertamur: nonne hoc est, quod Paulus dicit: *Glo-* 2.Cor.3. *riam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur.* Sic enim est quodam modo de sensu animæ. Sensus enim animæ amor est, per hunc sive cum mulcetur, sive cum offenditur, sentit quicquid sentit. Cum per hunc in aliquid anima extenditur; quadam sui transformatione, in id quod amat transmutatur.

Non quod idem sit in natura, sed affectu rei amatæ conformatur. Vtpote non bonum aliquem amare po- C test, quia bonus est, nisi & ipsa in ipso bono bona efficiatur. Ideoque si sentit amore, qui sensus suus est, Sap.1. Deum bonum, & amat quia bonus, non hoc potest, nisi bono ipsi affectu communicans & ipsa bona effi- Sap.6. ciatur. Nonne hoc est sentire de Domino in bonitate Philip.2. & sapientia? Scire enim te, sensus est consummatus. 1.Ioan.4. Et Apost. *Hoc sentite in vobis quod in Christo Iesu.* Hæc est charitas; qua qui diligit, in Deo manet, & Deus in 1.Ioan.3. eo. O charitas charitas, quæ usque huc nos adduxisti, ut amando Deum & filium Dei, dij & filij Dei nomi- Matt.9 nemur & simus. *Et si nondum apparet quod erimus, cum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est. Domine bonum est nos hic esse*: libet hic immorari, & utinam liceret immoti. Sed meditantibus, & colloquentibus, & scribentibus de te, da quæso, sensus sobrios, verba circumcisa & disciplinata, cor ardens de Matt.14 te ô Iesu in apertionem scripturarum, quæ de te sunt. Ignosce Domine, ignosce, amor amoris tui agit me, tu Prov.25 scis, tu vides. Non sum scrutator maiestatis tuæ, sed pauper gratiæ tuæ. Obsecro Domine te per dulcedinem tuæ dulcissimæ mansuetudinis, non opprimat me maiestas tua, sed sublevet me gratia tua. Ignosce inquam, D quia proprium fidei desiderium est visio Dei; hic in 1.Cor.13 ænigmate, ibi vero facie ad faciem. Non enim præsumas, neque confidas ô homo, neque hic stes quisquis Dan.5. vir desideriorum es, sicut Daniel; nec dicas, sufficit. Quicquid hic de Deo sentis, quicquid vides, quicquid de eo hic te docet fides ænigma est; aliud quidem obscurius aliud autem expressius. Et ipsum tamen quam dulce sit cum adest, quam desiderabile cum videtur Apoc.2. deesse, sciunt qui sentiunt. Hic est enim calculus habens nomen scriptum, quod nemo scit nisi qui accipit. Porro de eo quod erit facie ad faciem, dictum est: Exod.33. *Non videbit me homo & vivet.* Nam & hic qui videt non vivet, sed dicet. *Infelix ego homo? quis me liberabit de corpore mortis huius?* Tunc demum sperans se vere victurum, quando perfecte visurus. Quid hic E sensus, quid imaginatio valet? Quid ratio potest? Quid intelligentia rationalis? Nam etsi ratio, Deus nos ad te mittit, per se tamen te non attingit; nec intelligentia ea quidem, quæ de inferioribus ex ratione consistit, rationis terminos excedit, nec mensuram habet pertingendi usque ad te. Qui vero desursum est, quod sursum est redolet, nihil humanum, sed totum divinum: & ubi se infundit, rationes secum defert sui generis, non communicantes inferiori rationi, nisi in quantum eam subiectam habent ex obedientia fidei. Hæc in Trinitate sancta nihil dividit, nihil compingit, sed sensum fidelem sic (quando, & quantum, & quomodo vult Spiritus sanctus) perstringit, ut orantes te, vel contemplantes nonnunquam omne quod tu non es, supergressi, per hoc ipsum quod tu non es, videant F aliquatenus te qui es, quamvis te non videant sicuti es, sed tamen medium quid devotæ mentis demulceat intuitum, quod constet, nec de eis esse, quod tu non es, nec (& si non sicut omnino totum quod tu non es) alienum tamen non esse ab eo quod es. Sic enim Spiritus Domini quietum, & humilem suum, super quem requiescit, induit repente & mutat in virum alterum, ut sensum intuentis non dividat Trinitas, non confundat unitas, non offendat Trinitas personarum pietatem unum Deum quærentis, non contristet substantiæ unitas charitatem Patris, & Filij dilectione gaudentis, in neutro conturbet solitudo vel pluralitas, sed ad hoc ei valeant unitas Trinitatis, & Trinitas unitatis; ut pio & sobrio intellectu comprehendat, non comprehendendo animæ incomprehensibilitatem. Sicque gustans & videns, quam suavis sit Dominus, repente sic totus gustando dulcedinem eius dulcescit, sic videndo lucem veritatis eius lucescit, sic de repentina summi boni plenitudine in gaudio sancti Spiritus hilarescit, ut si hic in eo perficiatur, confidat se vitam obtinuisse sempiternam. *Hæc est,* inquit, *vita æterna, ut cognoscant te solum verum* Ioan.17. *Deum, & quem misisti Iesum Christum. Accedite* er- Psal.33. *go ad eum, & illuminamini, & facies vestræ non confundentur.* G

*Miserator & misericors Domine, patiens & multum* Ps.144. *misericors. Suavis es Domine universis, & miserationes tuæ super omnia opera tua.* Hortaris nos Domine & tu, & per tuos Spiritus sanctus tuus, ut oremus & vigilemus in oratione. Hortaris nos, & doces sicut pius, si- Luc.21. cut misericors, sicut misereri desiderans: & causam Col.4. præparas nobis, faciens nobis iudicium & iustitiam, ut orantibus nobis quemadmodum oportet orare, quasi iustam habeas causam miserendi. Quin etiam orandi formam ipse nobis dictasti, ne in aliquo causæ nostræ deesses, ipse iudex, ipse advocatus. Et confidenter nos petere iussisti in nomine tuo, & credere, quia quæcunque petierimus, impetrabimus. Tibi Domine hoc sug- Mat.18. gerit tua bonitas, nobis autem gravis incumbit necessitas, & tamen te hortante pigrescimus, te dictante negligimus, te promittente non credimus. Tu autem in misericordia & miseratione tua multa pigros & negligentes concutis, in patientia tua incredulos dissimulas, quin etiam (quia quemadmodum oportet nos Rom.8. orare, nec scimus nec possumus) mittis nobis Spiri- Ibidem. tum sanctum tuum, qui adiuvet infirmitatem nostram, H & interpellet pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Oramus itaque quia tu hortaris: petimus confidenter, quia tu promittis, statimque occurris, & orantes exaudis, innuens quia facies in quo nobis propitieris. *Suavis Dominus universis*, suavitates tuas nobis mul- Ps.140. tiplicas, & miserationes tuæ super omnia opera tua incipiunt apparere nobis. Nam tu Deus appropin- Hier.23. quans, & non elongans, cum nobis incipis appropin- Psal.43. quare, & consolationes tuæ lætificare animas nostras, continuo ex odore & tactu saluberrimæ præsentiæ tuæ, emortui animi sensus reviviscunt, fides exultat, fiducia hilarescit, cor accenditur, lachrymæ fluunt, non quæ ignem accensum extinguant, sed accendunt

amplius.

amplius. Et cum spiritus tuus adiuvat infirmitatem nostram, flemus ubertim lachrymas pingues & dulces, ex dulcedinis tuæ affectu; quas cum pia consolationis manu detergis, fiunt nobis noctibus, & efficiuntur nobis panes die ac nocte, & fortis & grata refectio: quia dulce habemus plorare coram te Domino Deo nostro, qui fecisti nos, qui sumus populus tuus, & oves pascuæ tuæ. Ego ego Domine, sicut dicit Propheta tuus, *Vir videns paupertatem meam, pauper sum & in laboribus à iuventute mea, exaltatus autem humiliatus sum, & confusus. Quantas enim ostendisti mihi tribulationes multas & malas, & conversus vivificasti me, & de abyssis terræ iterum reduxisti me. Multiplicasti magnificentiam tuam, & conversus consolatus es me.* Nam cum in paradiso tuo olim me creasses, ipsum quoque lignum vitæ in possessionem mihi perpetuam mihi donasti, voluisti, vel permisisti, ut etiam ad lignum scientiæ boni & mali manum mitterem, & quasi bonorum experimentorum meorum pertæsus, quid foris possem, Eva mea, carne mea, in hoc consentiente, probarem. Gustavi & vidi non suavitatem tuam, sed confusionem meam; ut viderem me esse, cuius turpitudo velamento egeret, cuius nuditas a faciem tuam paveret, cuius libertas opus haberet cohibente legis disciplina. Inventus enim sum in oculis tuis nudus ab omnibus quæ intra me homines putabant, turpis in occultis meis, in quibus nec me, nec te latebam, egens tectore, qui regendos alios susceperam. Ideo, Domine, absconde me inter ligna paradisi. Ideo refugi in tenebras meas, *elongavi fugiens*; non tamen a te, sed ad te, *& mansi in solitudine*, ibi te *exspecto, qui salvum me fecisti à pusillanimitate spiritus & tempestate. Posui in pulvere os meum, si forte sit spes: Onager solitarius, attrahens ventum amoris mei.*

Cùm que totus mihi redditus, sedeo solus & tacens, nec audiens vocem exactoris, vel sonitu a prælij, videns quia tempus me adiuvat, & vaco vacare mihi, discutio metipsum quis sim, unde sim, unde venerim; & invenio me unum filiorum Adam, filium irae per naturam, sed ancillæ tuæ sanctæ Ecclesiæ per gratiam; unum exulum paradisi habitantem & laborantem in terra maledictionis, cui maledixisti in opere suo. A qua, qua in eum operatus fuero, non dat mihi fructus suos, sed spinas & tribulos generat mihi. In sudore vultus mei vescor pane meo, secundum severissimam sententiam iusti iudicij tui, qui increpasti superbos & maledictos, qui declinant a mandatis tuis. O bone creator, quam bene me creaveras, quam gloriose me formaveras, quam feliciter locaveras. *Creaveras* enim me, sicut dicit Apostolus tuus, *in operibus bonis, quæ præparaueras ut ambularem in eis*, formaveras me ad imaginem & similitudinem tuam, & locaveras me in paradiso voluptatis tuæ, ut operarer & custodirem illum; operarer bonorum studiorum exercitiis, custodirem ne serpens irreperet. Serpens irrepsit, Evam meam seduxit, & per eam prævaricatorem me constituit. Propter quod expulsus de paradiso bona conscientiæ, exul factus sum in terra aliena, in regione dissimilitudinis.

Sed ô Domine, qui omnia creasti, & vidisti cuncta quæ creasti, quia sunt bona valde, nunquid per opus meum malum, peribit bonum tuum? Siquidem non propter paradisum me, sed propter me paradisum constituisti, cum me hominem super terram fecisti. Non te pœniteat, ô creator, hominem fecisse super terram. Sed præcipe sicut ab initio, ut sim homo rationalis, potestatem habens super terram meam, ut corpus meum subditum sit spiritui, spiritus tibi. Non te pœniteat donatæ homini dignitatis, ut sim super bestias terræ meæ, truces & indomitos motus animæ meæ, & reptilia cogitationum humi repentia, & de veneno terræ, cui iugiter inhærent noxia, vel mortifera, pisces maris, & volucres cœli, cogitatus scilicet de spiritu huius mundi, curiosa sæculi, altitudinemque diei nimis scrutantes & fluctuantes, iumenta & sensus alios corporis ad hoc ut secundum non suum invent nos, nobis [illegible]. Domine, qui ea dedisti nobis, ut patiantur [illegible], sit boni stimulos, stabulum [illegible], [illegible] pascantur & nutriantur, producentur ad usus [illegible] exegerint; non autem ut vetere [illegible] in [illegible] publici erroris. Veniet, dicit qui permittit, veniet cum leo & agnus cubabunt simul, cum, quæ modo nocent, non nocebunt in omni monte sancto tuo; iumenta quoque pascentur in pascuis uberrimis non iam infirmitatis nostræ iumenta, sed beatæ felicitatis instrumenta. Interim Domine exaudi cœlos, & cœli exaudiant terram, & terra exaudiat vinum, & oleum, & frumentum, & hæc exaudiant Hiezrael, id est, semen Dei, quod seminasti in nobis. Lactasti enim me, ut ait Propheta, Domine, & eduxisti me in solitudinem, promittens, quia ibi loquereris ad servum tuum. Iam gratias tibi, locutus es semel, & iterum, & aliquoties; & dicenti tibi [illegible] animæ meæ, *Deus meus es tu*, respondes aliquando [illegible] ac benigne: *Salus tua ego sum.* Et tunc, o [illegible] animæ meæ, vacare tibi aliquantisper, desiderans ipsa [illegible] & gustare & videre, quoniam suavis est Domi[illegible] nissimam misericordiam tuam, ut [illegible] peccatum [illegible] quæ extra sunt vel intra, pacem mihi facias & [illegible], ut in ea quæ intra me sunt, ius mihi conserves [illegible] disti, exterius autem percutias mihi fœdus, cum [illegible] agri, & reptili terræ, & volucre cœli, & arcum & [illegible] dium conteras de terra mea, ut in pace fiat totus locus meus, & in Sion habitatio mea. Da mihi Domine consolationem solitudinis meæ, cor solitarium, & colloquium tuum frequens. Non enim ero solus, quamdiu tu mecum eris, Deus meus: sed si me deserueris, *væ soli: quia si obdormiero, non erit, qui calefaciat* dormientem, si cecidero, non erit, qui sublevet cadentem. Sed adhuc, ô refugium meum & virtus, deduc me ad interiora deserti tui, sicut duxisti famulum tuum Moysen, ubi ardet rubus & non comburitur, sed purgatur, & tunc primum melius subsistit, quod est tabernaculum omnium miraculorum tuorum, & [illegible] visionum, ubi locus sanctus est, in quo non statur, nisi proficitur, nisi solutis corrigiis impedimentorum carnalium, nudis pedibus, id est, mundis & puris affectibus, incedatur: ubi qui est, & si non potest videri sicut est, auditur tamen dicens, *Ego sum qui sum*, ubi operiendus est vultus interim, ne videat contra Dominum, sed in humilitate obedientiæ exercendus auditus, ut audiat quid in eo loquatur Dominus Deus suus. Absconde me Domine, interim in abscondito tabernaculi tui, in die malorum horum in abscondito faciei tuæ, a contradictione linguarum. Iugum quidem tuum suave, & onus leve imposuisti mihi: & cum offerens mihi servitutis tuæ distantiam, & servitutis sæculi, blande & leniter me interrogas, utrum melius sit, servire tibi Deo viventi, an diis alienis. Ego manum imponentis adoro, iugum deosculor, onus amplector, & multum mihi suave est sub eo desudare. Multi enim, & multo tempore possiderunt me domini absque te, quorum iugum non est suave, nec onus leve. Tui iuris esse cupio, tuum iugum recognosco, & onus leve, quod sublevat, non premit. Sed ingrediens novam servitutis tuæ disciplinam, videor mihi videre cœlos novos, & terram novam; & ecce mihi nova facis omnia. Doce me Domine hominem rusticanum de rure sæculi venientem ad civitatis tuæ mores disciplinatos, & curiæ tuæ venustas urbanitates: deforma me a forma sæculi, cui me conformaveram, conforma me civibus tuis, ne inter eos deformis appaream. Doce me etiam linguam, quam non novi, quam egrediens de terra Ægypti audire incipio: sed inveteratus in terra aliena non intelligo linguam, scilicet qua loqueris filiis tuis, & ipsi tecum. Fac me etiam intelligere nutus tuos, quibus intelligere facis intelligentes, *quæ sit voluntas* tua *bona, beneplacens, & perfecta.*

A Et iam anima mea, Pater dulcis (gratias tibi, cum ei cœperis loqui) vocem tuam incipit agnoscere; sed non satis intelligit, quid ei loquaris, & quid eam facere velis: quia vox tua nunquam venit vacua: quia vox tua, gratia tua, non sonans exterius, sed potenter & dulciter interius operans. Cum etiam ego loquor tibi, intendo tibi: & in hoc etiam bene mihi est, quaquaversum eat oratio, nunquam gratis te oro vel adoro, cum etiam in orando fiat mihi retributio multa. Doce ergo sancte Spiritus sine intermissione orare, ut des mihi sine intermissione gaudere in te. Nam etsi plorat, cum orat pauper tuus, pauper spiritu, vel peccatorum suorum memor, vel in angustiis constitutus; dum vehementius dolet, vehementius gaudet: sicut è contrariò qui gaudet in sæculo, cum vehementius gaudet, tunc si quid sapit, in occultis conscientiæ suæ vehementius torquetur, & dolet. Pia ergo & pura oratio nunquam est sine gaudio.

B Cum ad iugiter & efficaciter orandum excitare & exercitare & assuefacere cor meum desidero, nullius in hoc magisterio malim erudiri, quam tuo, ô Domine Iesu, Sapientia Dei Patris. Recogito ergo modos orationum, quos ... orans coram hominibus in terris, formam ... dabas perfectæ orationis; & in... aliquando quidem orantem solum, aliquando te ali... aliquando in exultatione Spiritus, aliquando in tur... in sanguineo sudore, aliquando exaltatum in ... Exultatio spiritus, & solitudo orandi, dulcissima mihi sunt ad imitandum: Sed nisi tu me præveneris in benedictionibus dulcedinis tuæ, locum quidem facile invenio; sed non tam facile cor solitarium. Exultatio vero spiritus fit ex puritate conscientiæ, cuius ego mihi conscius non sum; vel ex abundantia gratiæ tuæ, cuius ego indignus sum. Orare in turba tuum fuit, cui nihil defuit, quod tamen cum ... exigeres, nec nos refugimus. Scio Domine, scio, quia pernecessaria esset mihi illa sanguinea oratio, & oratio crucis: quia cum sentio quid in me oratio habeat exsudare, quid crux excruciare, non quidem habeo sanguineum sudorem, sed sanguineas lachrymas exsudat cor meum in oculis tuis. Nec invenit corpus meum crucem, in qua crucietur, sed infelix anima mea super omnem crucis dolorem in seipsa cruciatur. Con-

C crucifixus tamen tibi sum Domine Iesu utcunque in cruce professionis, quam de munere tuo quotidie & iugiter tibi offero; quia munera tua data tua: sed de meæ crucis deliciis contemplans passionem tuæ crucis, clavis timoris tui confixus, confundor & totus contabesco, non ex dolore crucis meæ, qui ex gratia tua tam mihi nullus est: sed ex dolore cordis, quo considero opus tuum in medio annorum vivificatum in omnes annos, & ante & post effectum redemptionis clarificatum, cui nullus compensari potest, cui nulla mors, nulla vita respondere sufficit, quod tamen mundus per ipsum redemptus despicit. Usu enim ipso iam pro nihilo habemus crucifixum te videre, cogitare te mortuum & sepultum, & quod amplius & penetrabilius est ad corda transpungenda, cæsum alapis & flagellis, irrisum, consputum, clavis & lancea confixum, spinis coronatum, potatum felle vel aceto, qui in cruce

D tua nihil aliud nisi nostram salutem sitiebas. Te crucifixo terra tremuit, nos ridemus: cœlum cum luminaribus suis obscuratum est, nos clarere in sæculo æstuamus: petræ scissæ sunt, nos corda nostra obduramus: monumenta aperta reddiderunt mortuos suos, nos in stratis lascivè luxuriantes, sepelimus mortui mortuos nostros. Tres Domine, in tempore passionis tuæ (si bene adverti) Deo Patri obtulisti orationes, in quibus totum constat esse inclusum, quod in ipsa passione tua pretio sanguinis tui erat agendum, pro te, pro amicis, pro inimicis. Pro te quidem cum orasti, non laborasti: quia sicut dicit Apostolus: *Exauditus es pro tua reverentia.* Orasti & pro amicis, in tentationibus tuis tecum permanentibus. Et pro inimicis crucifigentibus te, sed nescientibus quid facerent.

Matt.. Luc..

Matt.27.

Hebr.5. Ioan.11. Luc.23.

E Ubi est oratio pro scienter peccantibus? Quam diu sic sunt, extra amplexum crucifixi sunt, qui expansis in cruce manibus, etiam forma patibuli amplecti videbatur omnes pro quibus patiebatur. Itaque sicut dicit Apostolus. *Voluntariè peccantibus nobis, iam non relinquitur pro peccatis hostia.* Quæ nisi pœnitentia deleat, nisi sanguineus sudor exsudet, & crux excruciet, voluntariè & scienter peccantes non invenio partem habere in oratione sanguinem sudantis, vel in sacrificio in cruce pendentis. Heu me, quem conscientia accusat, quem veritas non excusat, ut dicere possim: non enim scivi, quid feci. Ignosce ergo Domine in pretio pretiosi sanguinis tui omnibus peccatis meis, in quæ incurri scienter & nescienter; & dic peccatori tuo, insinua pauperi tuo quid faciat pro eis, & maxime pro eis quæ commisi scienter. Nam si omnes scienter peccantes videris exclusisse, væ universo mundo, quia paucissimos videris in-

Hebr.10.

F clusisse. *Voluntariè peccantibus nobis*, ait Apostolus, *iam non relinquitur pro peccatis hostia. Irritam quis faciens legem Moysi, sine ulla miseratione, duobus aut tribus testibus moritur: quanto magis deteriora putatis mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, & Spiritui gratiæ, in quo sanctificatus est, contumeliam fecerit? Scimus enim qui dixit, Mihi vindictam, ego reddam.* Verè Domine voluntariè post acceptam veritatis notitiam multum peccavi, & Spiritui gratiæ contumeliam feci: à quo gratis in baptismo accepta remissione peccatorum, post acceptam notitiam veritatis reversus sum ad ea, sicut canis ad vomitum suum. Sed nunquid te Fili Dei conculcavi? Conculcavi, si negavi; quamvis nec arbitrer Petrum conculcasse, quem contigit negasse, qui tunc ardentissimè te diligebat, etiam cum semel & iterum & tertio te negabat. Non sanguinem testamenti pollutum duxi. Qui hoc sentit, anathema sit. Absit ut unquam hoc senserit cor meum, absit ut unquam hæc confessio transeat per os meum, non quod Satanas aliquotiens non expetierit fidem meam, ut cribraret sicut triticum; sed oratio tua usque ad me pertigit, ut nunquam deficiat fides mea à te. Virtus est voluntarius as-

Ibid.

Ibid.

Rom.12. Exec.9.

Luc.22.

G sensus animi in bonum. Tu scis Domine mi, quam voluntarium semper eum habui in fidem tuam: tu conserva eum mihi in finem. Semper in te credidi, nunquam te negavi: semper te amavi, etiam cum in te peccavi. Pœnitet me peccati mei usque ad mortem, sed amoris tui non me pœnitet, nisi quia etiam tunc non sic te amavi, sicut debui: quia si sic te amassem, non peccassem. Sed heu quam timeo, ne hoc ipsum, quod te nunc amavi, proveniat mihi in iudicium: quia si tam grave est peccare post acceptam notitiam veritatis, quam gravissimum est, post suavissimum gustum boni tui, post acceptam dulcedinem tuæ dilectionis. Nam etiam in ipsa pueritia mea puer impurus, iam ex gratia tua te amabam, & tamen non pueriliter in te peccabam. Ex tunc usque nunc nunquam cessavi peccare, nec tu mihi benefacere. Quid restat, nisi ut dicatur mihi, *Recepisti bona in vita tua?* Sed converte

H Domine iudicium tuum in misericordiam, & de peccato damna peccatum, ut qui iustè me damnare habes, pro tantillo amore, quo tunc te amabam, accepta nunc ex gratia tua plenitudine amoris tui, veniam in iudicium tuum, & appaream in sancto tuo, & in oculis misericordiæ tuæ ea ratione qua apparuit peccatrix illa, de qua dixisti, *Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Sed primum dignare cor meum igne perfecti amoris tui inflammare, exundet in me magnus eius ardor, & excoquat omne peccati venenum; exploret & diluat lachrymis oculorum meorum, omne conscientiæ meæ contagium; excruciet crux tua, quicquid concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ longo negligentiæ meæ situ est contractum: pereat ab increpatione vultus tui, quicquid ex voluntate carnis, vel consensu mentis incensum est & suffossum. Domine, qui vult

Luc.7.

audiat,

A Ibid. audiat, & irrideat me confitentem: videat eum peccatrice ad pedes misericordiæ tuæ iacentem, lavantem lachrymis cordis, & vnguento piæ devotionis vngentem. Eat omnis substantia mea, quantulacunque est, sive in corpore, sive in anima, in pretium placiti tibi vnguenti, quod effundam super caput tuum, cuius caput Deus; & super pedes tuos, cuius pars vna humilitatis nostræ natura est. Murmuret Pharisæus, tu miserere mei Deus. Fremat & tabescat dentibus fur loculos habens in me: dum tibi placeam, non magni pendo cui displiceam. Sit tibi ò amor cordis mei quotidiana, immo continua hæc vnctio mea; quia cum vngo te, vngo etiam me. Natura quippe mea invetératæ nequitiæ habens duritiam, *facta est sicut uter in pruina*; quæ nisi vnguenti huius suavitate Ps.118. demulceatur, rigescit, durescit, & crepat; & effundit, si quid boni tui intus habere videtur. Dixisti quidem; *Quod habuit, hoc fecit.* Da mihi Domine fa- Luc.7 cere tibi fideliter quicquid habeo, quicquid scio, quic- B quid sum, quicquid possum; nihil mihi reservem. Tecum habeo causam, cum nullo hominum: ad pedes misericordiæ tuæ iaceo, ibi iacebo, ibi plorabo, donec me facias audire vocem tuam bonam, iudicium oris tui, sententiam iustitiæ tuæ; & meæ, quia à te mihi datæ: *Dimittuntur ei peccata multa, quoniam di-* Ibid. *lexit multum.* Domine, per omne iudicium quod dedit tibi Pater, præveni me hodie merito, & indica me hoc iudicio: quia amore amoris tui malo hoc iudicio iustificari & salvari, quam alio magnificari & glorificari. Domine, non excludas me ab amplexu redemptionis tuæ, qui per omnia desidero communicare cruci tuæ. Tu dixisti: *Mihi vindictam, ego red-* Ezec 9. *dam.* Nequaquam ò benignissime, sed mihi vindictam, vt ego pœniteam. Horrendum incidere in manus Dei viventis. Præcipe quicquid vis, sed da mihi intelligere & posse quæ præcipis, qui iam in hoc dedisti paratum cor meum, vt à facienda voluntate tua, in nullo se subtrahat cor, vel corpus meum. *Tu cog-* Ps.138. *novisti sessionem meam, & resurrectionem meam, &* C *omnia novissima mea & antiqua.* Deforma me à sæculo cui me conformavi; forma & conforma me gratiæ tuæ, ad quam confugi, & da cordi meo placitæ tibi pœnitentiæ formam. Da etiam mihi Domine fidem puram & devotam, piam, fortem, & inconcussam, vt dicas etiam mihi, gratiam dans pro gratia: *Vade, quia* Luc.7. *fides tua te salvum fecit.*

*Vidi ostium apertum in cælo*, ait Ioannes, *& vox prima, quam audivi, tanquam tuba loquentis mecum, dicens:* Apoc 4 *Adscende huc*, ò Domine, qui cœlum & terram crea- Gen.3. sti, terram autem in peccato & opere Adam maledixisti, & filiis eius deputasti inhabitandam: in qua quicunque habitant, sub maledicto sunt, cum & veteris maledicti pœnas luunt continuas; & declinando à mandatis tuis, novis quotidie cumulantur, de quibus Ps.118. dicitur: *Maledicti qui declinant à mandatis tuis*, pertæsus tot maledictionum novarum & antiquarum, D quibus & quæ non rapui cogor exsolvere, & quæ rapui multò cum fœnore exigor, quam libenter, quam desideranter fugerem de terra nostra, in cœlum tuum, quod semel mundatum à superbia, proiecto inde superbo, tibi retinuisti, si ascensum invenirem, & ostium apertum. Audio nihil esse ibi malorum omnium, quæ Ps.29. hic patimur, non esse ibi matutinum & vesperum, matutinum lætitiæ non demorantis, & vesperum demorantis fletus, quorum exitus tu scis quantum me delectaret, sed unam ibi esse diem de visionis tuæ continua gloria festivam, feriatam ab omnibus quæ festum vultus tui interturbare possint. Audio quia ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum illuc non ascendunt; nulla ibi mors vel corruptio corporum, vel animarum; remota penitus omnium perturbationum pestis; una ibi virtus, una felicitas & gaudium, charitas tua fervens omni bono suo absque suspicione perdendi. Audio adhuc festivam diem illam, Angelorum gaudiis & laudibus celebrem, Apostolorũ & Martyrum coronis gloriosam, & omnium bono- E rum qui ab initio sæculi tibi placuerunt, Ecclesiam imbi congregatam, & ad diem festum hunc perpetuas fixisse mansiones. Quorum cum duos aut tres in terris aliquando videmus in nomine tuo congregatos, te in Mat.18. medio eorum existente, si tam bonam & tam iocundam videmus eorum cohabitationem, tam plenam unguento Spiritus sancti, vt palam fit omnibus, tuam illic mandatam benedictionem; quanto maxime vbi congregasti Sanctos tuos, qui ordinaverunt testa- Ps.46. mentum tuum super sacrificia, & facti cœli annuntiant iustitiam tuam. Non enim solus ille dilectus Discipulus tuus invenit illic ascensum, nec soli illi ostensum est ostium apertum in cœlo, palam quippe omnibus prænuntiasti, non per Præconem, vel per Prophetam quemlibet, sed per temetipsum dicens: *Ego sum ostium: per me si quis introierit, salvabitur.* Ioan.10. Tu ergo es ostium: & cum dicis, *Per me si quis introierit*; omnibus introire volentibus, videris apertum. Sed si ostium patens in cœlo videmus, nos qui in ter- F ra sumus, quid nobis prodest, qui illuc ascendere non possumus? Respondet Paulus: *Qui ascendit, ipse est qui descendit.* Quis hic est? Amor. Amor enim Ephes.4. ad te Domine in nobis illuc ascendit, quia amor in te ad nos huc descendit. Quia enim amasti nos, huc descendisti ad nos. Amando te, illuc ascendimus ad te. Sed tu ipse qui dixisti, *Ego sum ostium*; per temetipsum te obsecro, aperi nobis temetipsum, ut ostendas evidentius, cuius domus ostium sis, quando & quibus apertum. Domusne ergo cuius ostium es, sicut iam dictum, cœlum est, quod Pater inhabitat, de quo legitur, *Dominus in cælo sedes eius?* Siquidem nemo Ps.10. venit ad Patrem nisi per te, qui es ostium. Sed dicit quidam servus tuus: Qui visibilibus adhuc pulchritudinibus delectantur, nec possunt de Deo spirituale aliquid cogitare, quin terræ præferunt cœlum, tolerabilior est eorum opinio, si Deum quem corporaliter adhuc cogitant, in cœlo potius esse credant, quam in terra. Nam, ò conditor omnium, & locorum, & temporum, tu nec tempore moveris, nec loco teneris, nec cœlo corporeo sustentaris ne cadas. Nec sic G in eo habitas, vt cœlum & terram non impleas, vbique præsens, si de in locali hoc dici potest; vbique totus, si in te vel de te prædicari potest totitas, in quo non est particularitas. Tu ipse tamen docuisti nos dicere, *Pater noster qui es in cælis.* Et hæc opinio sic Mat.6. omnes complectitur, vt ab omnibus hominibus etiam Iudæis & Ethnicis, in cœlis Deus habitare perhibeatur. Sed alia est sententia, quod falsum est opinantium, alia quod verum est proferentium talibus rerum nominibus, vt ab intelligentibus veritas possit intelligi, & opinantes quia res sicut sunt cogitare vel intelligere non possunt, ex rerum nominibus aliquanto tolerabilius permittantur opinari. Vnde Propheta qui dicit, *Deus autem noster in cælo*; paulo post, *Qui habi-* Ps.113. *tat in Hierusalem.* Ad te tendentibus, post te anhelantibus responde obsecro. *Rabbi ubi habitas?* Cito re- H spondes & dicis: *Ego in Patre, & Pater in me.* Et ali- Ioan.1. Ioan.14. bi: *In illo die vos cognoscetis, quia ego sum in Patre meo & vos in me, & ego in vobis.* Item: *Ego in eis, & tu in* Ibid. *me, ut sint consummati in unum.* Locus ergo tuus Pater Ioan.17. est, & tu Patris; & non solum, sed etiam nos locus tuus sumus, & tu noster. Cum ergo, ò Domine Iesu, tu es in Patre, & Pater in te, ò summa & indivisa Trinitas, tu tibi locus es; utique tu tibi locus es: tu tibi cœlum es, sicut non habens ex quo, sic non indigens in quo subsistas, nisi ex te ipso in te ipso. Cum autem nos inhabitas, cœlum tuum sumus vtique, sed non quo sustenteris, ut inhabites; sed quod sustentes, ut inhabitetur: tu quoque cœlum nobis existens; ad quem ascendamus, ut inhabitemus. Nostra ergo, vt video, in te, vel tua in nobis habitatio, nobis cœlum est, cœlum vero cœli tua æternitas tibi, qua es, quod es in teipso, Pater in Filio, Filius in Patre, & vnitas qua Pater & Filius vnum estis, id est, Spiritus sanctus,

non

A non quasi aliunde veniens, & medium se faciens, sed coelitus in hoc ipsum exiens.

Vnitas vero, qua in nobis, vel in te vnum sumus, auctor & ordinator est idem Spiritus sanctus, filios Dei nos faciens per gratiam, qui filij iræ eramus per naturam, dicente Apostolo: *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filij Dei cognominemur & simus,* (1. Ioan. 3.) dono vtique, qui est Spiritus sanctus. Et post pauca: *Charissimi nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, videbimus enim eum sicuti est.* (Ibid.) Natiuitas vero Filij de Patre æternitatis natura est; natiuitas in nobis gratiæ adoptatio est. Illa nec fit, nec facit vnitatem, sed ipsa in Spiritu sancto vnitas est: ista non est, sed fit per Spiritum sanctum, in quantum similitudine Dei insignitur, equidem vltra modum humanæ naturæ, sed citra essentiam divinæ. Nam & semen huius natiuitatis Spiritus sanctus dicitur, de quo dicit idem Apostolus: *Omnis qui natus est ex Deo, non peccat,* (1. Ioan. 3.) B quoniam semen ipsius in ipso manet, & ideo non potest peccare. Similitudinem autem Dei ipsam conferet nobis visio eius, qua Deum videbimus, non quod est, sed sicut est, & ipsa similitudo qua similes ei erimus. Nam videre Patri Filium, hoc est, esse quod Filius; & è contrario: nobis autem videre Deum, hoc est, similes esse Deo. Hæc vnitas, hæc similitudo ipsum est cœlum, quo Deus in nobis habitat, & nos in Deo. Tu autem cœlum cœli es, ô summa veritas, qui es quod es, qui à te tibi es, tuus tibi, sufficiens tibi, cui nihil deest, nihil redundat, apud quem nulla discrepantia, nulla confusio, transitio nulla, nulla transmutatio, vel vicissitudinis obumbratio, nulla indigentia, nulla mors; sed est ibi summa concordia, summa evidentia, summa plenitudo, summa vita. Creaturæ autem tuæ nulla tibi turpitudo turpis est, nec nocet malitia, nec error errat, qui bonis, suas singulis virtutum, vel beatitudinis præordinasti mansiones, ad quas C omnino pervenire habent, quæcunque impediat, vel retardet necessitas, malisque in malo suo terminos præfixisti, quos præterire non sit potestas, etiam si non desit voluntas. O Domine, hæc altitudo, hoc profundum, hæc sapientia, hæc virtus, nunquid hoc est cœlum, cuius tu es ostium? Sic est plane, sic est. Vidi & aperto ostio, sicut dicit idem Ioannes, arca testamenti in cœlo visa est. (Apoc. 4.) Quid est enim arca testamenti recognita in cœlo, nisi, sicut dicit Apostolus, *dispensatio sacrorum absconditi à sæculis in Deo, qui omnia creauit?* (Ephes. 3.) Tu enim vere arca testamenti es, in quo reconditum est à sæculis, & in novissimis impletum temporibus, quicquid ab initio mundi à Sanctis omnibus & Prophetis testificatum est lege, prophetiis, signis & prodigiis. Tu arca es circumtecta ex omni parte auro mundo, quia in te requievit, téque totum complexa est glorificans sapientiæ plenitudo. (Exod. 25.) In te est urna aurea habens manna, sancta & immaculata anima, quam corporaliter inhabitavit plenitudo divi- D nitatis: & virga Aaron, quæ fronduerat, dignitas Sacerdotij æterni: & tabulæ testamenti, quibus hæres gratiæ tuæ constitutus est mundus, gentésque positæ cohæredes & concorporales, & comparticipes promissionis tuæ. Supra quæ Cherubin gloriæ obumbrantia propitiatorium, plenitudo scientiæ; supra autem, non quasi dignitate præeminentia, sed ab his portari & fulciri indigentia, obumbrantia propitiatorium, id est, (Hebr. 9.) mysteriorum propitiantis gratiæ tuæ incomprehensibilitatem testantia. Hæc bona à sæculis in cœlo secreti tui abscondita, in fine sæculorum desideranti mundo ostendisti, cum teipsum in cœlo ostium aperuisti. Aperuisti autem cum *apparuit gratia tua omnibus hominibus, erudiens nos: cum apparuit benignitas & humanitas tua, non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum tuam misericordiam saluos nos faciens.* (Tit. 2. Tit. 3.) Tunc aperto cœlo omne bonum, omnis gloria, omnis suavitas cœli se terris infudit. Tunc quanta in te esset benitas circa nos, ô Deus, qui proprio Filio tuo non pepercisti, sed pro nobis omnibus eum tradidisti, E omnibus palam innotuit, cum notum fecisti mundo salutare tuum, & in conspectu gentium revelasti iustitiam tuã, quam in sanguine amici tui nobis fecisti, cum ipse castam charitatis obedientiam circa salvationem nostram impendit tibi; nobis autem obedientiæ ipsius charitatem. Tunc enim benedixisti terram tuam, naturam nostram, & ex tunc cœpit dare fructus suos. Ex tunc ad cœlum tuum strata est via publica: trita Apostolorum vestigiis, & Martyrum & Sanctorum omnium, qui exemplo & gratia charitatis accepta à te, dilexerunt te usque ad contemptum sui, & pro te animas ponere non timuerunt. Investigabiles illæ divitiæ gratiæ tuæ. Domine penes te latebant in cœlo secreti tui; donec lancea militis aperto latere Filij tui Domini & Redemptoris nostri in cruce, redemptionis nostræ effluxere (Ioan. 19. Ioan. 20.) Sacramenta, ut in latus eius iam non digitum mittamus, aut manum, sicut Thomas; sed in apertum ostium toti intremus usque ad cor tuum, Iesu, certam sedem F misericordiæ; usque ad animam tuam sanctam, plenam omnis plenitudinis Dei, plenam gratiæ & veritatis, salutis & consolationis nostræ.

Aperi, Domine, ostium lateris arcæ tuæ, ut ingrediantur omnes salvandi tui à facie diluvij huius inundantis super terram. Aperi nobis latus corporis tui, ut ingrediantur qui desiderant videre occulta Filij tui, & incipiant profluentia ex eo Sacramenta, & pretium redemptionis suæ. Aperi ostium cœli tui, ut videant bona Domini in terra viventium redempti tui, qui adhuc laborant in terra morientium: videant & concupiscant, ardeant & currant, quibus factus es via, per quam illuc itur, veritas ad quam itur, vita propter quam itur, via, exemplum, humilitatis, veritas puritatis, vita æterna. Hæc omnia factus es nobis, misericors Pater, suavis Domine, dulcis frater, qui sumus filioli tui, quibus aiebas: *Filioli mei, adhuc modicum vobiscum sum,* (Ioan. 13.) servi tui, qui dicebas: *Vos vocatis me, magister & Domine, & bene dicitis, sum etenim,* (Ibid.) fratres tui, quibus mandasti, vt irent vbi te viderent. (Mat. 28.) O bone Pater, dulcis frater, suavis Domine, bonus quicquid es, & dulcis & suavis, in quo G abundat tanta bonitas; aperi nobis te, vt de te vsque ad nos maneat tua suavitas, & impleat nos. Aperi mihi te, qui es ostium, vt per te aliquoties affectu, etsi adhuc non mereor pleno affectu, *ingrediar in locum tabernaculi admirabilis.*

Revelasti enim aliquando auriculam servi tui, ut aliquando subaudierit vocem illic exultationis, & confessionis soni epulantis, sed procedere non licuit. (1. Reg. 9.) Propter quod *tristis es anima mea,* & merito *conturbas me: sed spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultus mei & Deus meus.* (Ps. 41. Ibid.)

Aperi mihi Domine, vt, quia homo alienus, non sum dignus civis adhuc illi adscribi, donante te, vel aliquotiens, vel aliquantulum ibi liceat peregrinari mihi, ut videns videam gloriam tuam, nec nisi expulsus eam. H

Si sæpius illuc meruero ascendere, si aliquandiu immorari, si serius redire, innotescam civibus tuis, illis non lætantibus, sed sicut lætantibus omnibus habitantibus illic, quorum lætitiam nulla verba exprimunt, quorum participatio in idipsum; nec ut alienum me habebunt, si aliquando in aliqua domus tuæ parte iubeas me inter eos requiescere. Domine, inquietum & impatiens est ad te cor meum, nec extra te ei requiem invenio. Propter quod cum expellor à cœlo, à tædio vitæ meæ, libet etiam me aliquando descendere ad infernum viventem, nec contingat illuc descendere morientem, ut videam quid etiam ibi agatur. Sed cum in primo eius limine scriptum invenio, *quia in inferno non est qui confitebitur tibi:* (Ps. 6.) anathema ei dicens, inde refugio. Audio intro fletum oculorum, & stridorem dentium; sed non mihi contingat Domine usque illuc descendere. Ad te Domine, ad te semper oculi mei, qui habitas in cœlis; ad domum tuam,

ad

ad civitatem Hierusalem, unde ad nos descendisti: cuius tecum tam mirabile exemplar nobis detulisti: à quo accensus, ardenter & cupide illic recurro. Si te ostium invenio apertum, ingredior, & bene mihi quam diu licet: Si clausum invenero, confusus redeo: & prohibitus videre gloriam tuam, remittor miser in domum meam, & cogor pati domesticam, & familiarem paupertatem meam. O si videbo, ô si durabo, ô si unquam aliquando audiero, *intra in gaudium Domini tui*, ut sic introeam, & ultra non exeam. *Potens es Domine, & veritas tua in circuitu tuo.* Perfice quod fecisti, dona quod promisisti. *Mat. 25. Ps. 88.*

*Ps. 26.* *Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea, faciem tuam Domine requiram. Ne avertas faciem tuam a me, ne declines in ira à servo tuo.* Comparare quidem faciem tuam faciei meæ, Domine Deus, inspector & iudex cordium, temerarium nimis videtur & insolens: cum, si introieris in iudicium cum servo tuo, non habeat facies iniustitiæ meæ, nisi fugere à facie tua. Sed si donante te, charitas ardens excusaret, humilitas pia adiuvaret paupertatem meam, fugiant qui oderunt, ego non fugerem à facie tua. Altera enim præsumit, altera nutrit fiduciam. Harum ego mihi conscius non sum, sed amicum profiteor. Si enim interrogas me, sicut interrogasti Petrum, *Amas me:* dicam plane, dicam confidenter, Domine tu omnia nosti, tu scis quia volo amare te. Si millies me interroges, millies tibi respondebo; sed non aliud, nisi, Quia tu scis quod volo amare te. Quod etiam sic vult, ut nihil sic velit cor meum, quam amare te. *Ioan. 21* Humilitatem etiam amplector, quam definiunt definientes contemptum propriæ excellentiæ: sed dum quasdam excellentiarum minutias nonnunquam inscius incurro; vel cum offeruntur, non satis cito inde excutio me, optime scio, quia humilis non sum. Est alia humilitatis species, scilicet notitia sui, in qua, si iudicor secundum ea, quæ in me novi, actum est de me, & malo (ut aiunt) omine, tetendi pedem in iustitiam iudicij tui. Si autem hoc apud te virtus iudicatur, *si peccatum coram me est semper*, huius virtutis non omnino expertem me arbitror, cum etiam volenti mihi, & melioribus rebus intento, sic sæpe fœda peccatorum meorum facies mentis meæ oculis se ingerat, ut propter ipsa ipse me oderim. *Ps. 50.*

O Domine, quid multa dicam de ignominiosa facie conscientiæ meæ? Qualiscunque, quomodocunque sit, sic tota eius facies tuam faciem desiderat, ut omnia quæ sunt vitæ huius, ipsam quoque vitam, præ amore eius fastidiat & despiciat, nec curet omnino quid videat, dum te videat. Sic interim, ô visu desiderabilis, exquirit te facies mea, faciem tuam requiro, ne, obsecro, avertas eam à me: sed doce me interim, ô æterna Sapientia illustratione ipsius vultus tui, quæ sit ista facies & facies: quia licet desiderio unius ad alteram contabescam; neutram tamen satis novi.

Scio enim, quia si non est datum Paulo Apostolo, ut videret te in hac vita facie ad faciem, & dilecto discipulo tuo sicuti es: quod sic diligenti, & sic dilecto non conceditur, non sani est capitis à quo hoc speratur, vel quæritur.

Tamen ubi audio in David faciem & faciem, non possum desperare, quod aliquem de te audiam sperare, non quod oblitus sim quis sim; sed spero de indulgentia misericordiæ tuæ: & quia licet misere in hoc proficiam, nollem te minus amare ab ullo te amante. Nam licet Moysi videatur esse negatum, quod tum David nullo modo erat desperatum, tamen de eodem Moyse cæterisque Patribus cantat, & psallit ipse David: *Quia non in gladio suo possiderunt terram, & brachium eorum non salvavit eos sed dextra tua & brachium tuum, & illuminatio vultus tui.* *Ps. 43.*

*Ps. 29.* De seipso etiam, *Domine*, inquit, *in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem: avertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus.*

Eam ergo dulcissime faciem quam avertisti aliquando a sancto David, & factus est conturbatus, converte ad me, & ero consolatus: quam priusquam avertisses ab eo, in voluntate tua præstitisti decori eius virtutem. Et possideat terram meam dextra tua & brachium tuum, & illuminatio vultus tui quæ terram patrum possedit, in quibus complacuisti. *Ps. 43.* Nam de vultu tuo, & facie tua neminem audio tam sæpe, tam familiariter agere & loqui quam David. Nec credendum est, eum vultus tui inexpertum, de quo precatur omne iudicium suum prodire; & cum vultu tuo, lætitia se præsumit adimplendum. *Ps. 16.* Qui etiam beatificans beatum populum qui scit iubilationem, *Domine* inquit, *in lumine vultus tui ambulabunt.* *Ps. 88.* Quam attentius possum, ô Deus cordis mei, consulens ipsum vultum tuum, ut de eo super hoc iudicium meum prodeat, conclamante hoc in omni conscientiæ meæ assensu, vultum tuum hunc, & faciem tuam invenio esse notitiam veritatis tuæ, cui beatus populus tuus faciem exhibens bonæ voluntatis, iubilat gaudium in Spiritu sancto, & magni anni iubilæi festum, in contemplatione & fruitione ipsius veritatis tuæ, in cuius etiam lumine ambulat, gressus suos & omnia sua dirigens secundum iudicia iustitiæ tuæ. Est quidem alia facies & alius vultus notitiæ tuæ, de qua dictum est ad Moysen: *Facies mea non videbitur tibi; non enim videbit me homo & vivet.* *Exod. 33* Visio vel scientia divinæ maiestatis tuæ, quæ in hac vita melius nesciendo scitur, & scire aliquem quomodo eam nesciat, hæc in hac vita summa eius scientia est. Sed ô Domine, licet tenebras ignorantiæ nostræ, & cæcitatis humanæ posueris latibulum faciei huius, tamen in circuitu tuo tabernaculum tuum, luminosi illi tui sancti, qui aliquando fuerunt, qui de luminis & ignis tui contubernio lucentes & ardentes, verbo & exemplo cæteros illuminabant, & accendebant, & huius supervenientis notitiæ tuæ solenne gaudium in futura nobis vita denuntiabant, qua videberis sicut es, vel facie ad faciem, interim verò per eos fulgura veritatis quæ alluxerunt orbi terræ, & illuxerunt coruscationes. *Ps. 17.* Ad quas hilarescunt qui sanos habent oculos, commoventur autem & conturbantur qui diligunt magis tenebras quàm lucem. *Ps. 96.* Nam manifestatio huius veritatis tuæ per quoscunque fiat, sic est sicut sol tuus, quem facis oriri super iustos & iniustos, qui in suæ naturæ puritate permanens, utitur rerum materiis sicut eas invenit, lutum stringens, ceram solvens, illustrans omnem oculum, & videntem, & cæcum: videntem, ut illustratus plus videat, cæco in sua cæcitate permanente. Sic & tu ô Sapientia Dei, & lux veritatis, cùm venisti in mundum, per quem mundus factus est, illuminasti omnem hominem venientem in hunc mundum, sed tenebræ te non comprehenderunt. *Ioan. 1.* Quotquot autem te receperunt, & lucem veritatis tuæ, dedisti eis potestatem filios Dei fieri. Ideo ô sol iustitiæ, fulgurans omnibus lumen vultus tui, & veritatis tuæ splendorem sponsam tuam quæcunque illa est, invitas dicens: *Ostende mihi faciem tuam, soror mea sponsa.* *Cant. 2.* Statimque anima bonæ voluntatis, cui de cœlo pax annuntiatur; qui frater est Christi, cuius anima soror appellatur, sicut est, sic in sancto tuo apparere tibi desiderat, & in lumine tuo videre lumen. *Ps. 35.* Si peccator est, ostendit tibi faciem miseriæ suæ, requirens faciem misericordiæ tuæ. Si sanctus est, occurrit tibi in facie iustitiæ suæ, & invenit in te faciem similitudinis suæ: quia iustus Dominus iustitias diligit. Porrò cui frons est meretricis, non vult erubescere: & fugiens veritatem tuam incurrit sævissimam iustitiam tuam. *Hier. 3.* Quot enim anima humana habet affectiones, tot ad te habet facies. Tu autem, ô veritas omnes excipis, & omnibus te mutuans, in te ipso non mutaris.

Invenit in te pia humilitas familiaritatem gratiam, invenit ardens amor suavem olei materiam, invenit cordis humilis contritio paratam sibi à te iustitiam, invenit frons meretricis confusionem suam. Sic, ô summa iustitia, *misericordia in te & veritas obviaverunt sibi,* *Ps. 84.*

cùm

A cùm veritas humanæ iustitiæ in anima iusta humiliter confitetur: & tuæ iustitiæ veritas in veritate confitenti, quasi iuste miseretur.

Et dum illa porrigit osculum iustæ confessionis, tu eam suscipis in osculo pacis. Hoc est osculum sponsi & sponsæ, cuius facies ut digna inveniretur osculo tuo, ô Domine, tua facies consputa est: (Mat. 27.) ut illius appareret decora & speciosa, tua facies alapis palmarum & ictibus arundinum facta est livida: tua in oculis hominum saturata opprobriis, ut illius pulchra appareret in oculis tuis. Quin insuper fecisti lavacrum ei tui pretiosi sanguinis, in quo lavaretur, Fili Dei, horribilia patiens pro nobis, qui fecimus horribilia; pro quibus faciei summæ iustitiæ in nullo satisfacere potuisset facies cuiusvis pœnitentiæ, nisi eis quæ pro nobis passus es, addita fuisset tua innocentia, & quia cum esses Filius, (Hebr. 5.) *exauditus es pro tua reverentia.*

Pro meis enim manibus, Domine, quæ fecerunt B quæ non debuerunt, tuæ manus clavis transfixæ sunt, pedes tui pro pedibus meis, oculi tui pro illicito visu meo, aures pro auditu in mortem obdormierunt, lancea militis apertum est latus tuum, ut de impuro corde meo per vulnus tuum totum aliquando efflueret, quicquid in eo longa tabe fuerat igni incensum & suffossum.

Ad vltimum, mortuus es, vt ego viverem; sepultus, ut ego resurgerem. Hoc est osculum dulcedinis tuæ ad sponsam tuam, iste est amplexus dilectionis ad amicam tuam. Væ ei qui huius osculi particeps non fuerit, væ qui de amplexu isto ceciderit. Hoc osculum accepit in cruce latronis confessio; (Luc. 23.) hoc accepit Petrus cum respexit eum Dominus negantem, & egressus foras, flevit amare; & plurimi eorum qui te crucifixerunt, post passionem tuam ad te conversi, in hoc osculo tibi confœderati sunt. In amplexu isto exultabat Maria illa septem olim dæmoniorum possessio, de quo deciderat Iudæ proditoris malitia. In C hoc amplexu stringebantur publicani & peccatores, (Ps. 86.) quorum conviva & amicus factus es. Illic Raab meretrix conversa Babylon te sciens alienigenæ Tyrus & nigri Æthiopes. Quò autem Domine trahis eos quos amplecteris & adstringis, nisi ad cor tuum? Cor tuum, dulce est illud manna divinitatis tuæ quod intus habes, ô Iesu, in urna aurea supersapientiæ animæ tuæ. Beati quos ad eam tuus trahit amplexus: beati quos in abscondito abscondisti illius abscondisti in medio cordis tui; ut scapulis tuis obumbrentur à conturbatione hominum, nec habent spem nisi sub pennis tuis protegentibus & foventibus. (Ps. 90.) Scapulis enim virtutis tuæ obumbrantur, qui in abscondito cordis tui absconduntur, suaviter dormientes, & dulci exspectatione lætantes, inter medios cleros, meritis sanctæ conscientiæ & exspectatione præmij promissionis tuæ, non propter pusillanimitatem deficientes, vel propter impatientiam murmurantes. Sed & D qui se dulciùs osculantur, mutuos sibi suos spiritus dulciùs infundunt, quorum quibusdam odoribus dulcè habent perfundi. Accipe tibi, Domine, nec respuas totum spiritum meum, quem totum in te effundo, qui totus olet: infunde mihi totum tuum, qui totus quidem redolet; ut de tui suavitate meus vltrà non oleat, & tui dulcis odor ô dulcissime, semper interiùs in me permaneat. Hoc est quod agitur, cùm facimus quod in tui commemorationem nos facere præcepisti, quo in salutem filiorum tuorum nil dulcius, nil potuit provideri potentius, cùm manducantes & bibentes incorruptibile epulum corporis & sanguinis tui, sicut munda animalia tua, ab intestino memoriæ cogitandi dulcedine quasi ad os reducimus, & in novum & perpetuum salutis nostræ officium novo semper pietatis affectu ruminantes, rursum suaviter in ipsa recondimus memoria, quid pro nobis feceris, quid fueris passus; ubi dicis animæ desideranti: (Ps. 80.) *Dilata os tuum, & ego adimplebo illud.* Et illa, gustans & videns suavitatem tuam, sacramento magno & incomprehensibili, hoc efficitur quod manducat, os ex E ossibus tuis, & caro de carne tua, ut sicut orasti Patrem iturus ad passionem, hoc Spiritus Sanctus operetur in nobis per gratiam quod in Patre & te Filio eius est ab æterno per naturam; vt sicut vos vnum estis, ita & nos in vobis unum simus. (Ioan 17.) Hæc est, Domine, facies tua, ad faciem te desiderantis; hoc est osculum oris tui ad os te amantis; hic est amplexus dilectionis tuæ ad amplexum sponsæ tuæ suspirantis tibi, & dicentis: (Cant. 2. Ps. 26.) *Dilectus meus mihi, & ego illi; in medio uberum meorum commorabitur.* Et, *Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea.* Nam si facies animæ nostræ tuam faciem non requirit, non est facies eius naturalis, sed bestialis aliqua larva quam induit.

Quis non requirat eam? Quis non infirmabitur pro ea? Quis non languebit? Quis non deficiet? Quis non morietur? (Iob. 10.) Miserere Domine iam post eam; mortuus fuissem nescio quali morte, nisi visitatio tua F custodisset spiritum meum. E contrà invenit in te (Ps. 20. Ps. 10.) inimicus in tempore vultus tui clibanum ignis; peccator partem calicis sui, laqueos, ignes, sulphur, spiritus procellarum; superbus potentiam qua superbis resistis; hypocrita lucem veritatis quam odit. Et (Iacob 4.) hi omnes propriis privatorum malorum suorum faciebus, cauteriatas habentes conscientias quasi generalem habent faciem malitiæ impœnitentis, & tu excipis eam in facie iustitiæ iuste iudicantis, & odientes iustitiam in odio iniquitatis. Quia enim *probaverunt se Deum non habere in notitiam, tradidit illi eos Deus* (Rom. 1.) *in reprobum sensum, ut faciant ea quæ non conveniunt*, quæ turpia sunt ad commemorandum antè te, quæ tamen impudenter & irreverenter fiunt ante te, & de concupiscentiis suis, id est, filiabus earum, & de peccatis suis, id est, eorum filiis, & filiis filiorum nectunt sibi illam duram, illam lachrymolam & longam cathenam de multitudine peccatorum, quasi de connexione ansularum ferrearum suaviter interim stridentem, sed insalubriter stringentem, per quam de- G trahuntur in infernum, ubi nullus ultrà confitebitur tibi, ô Deus; ubi nulla spes, nullus inde egressus. De quibus miror si positis in inferno scire quoquo modo dabitur, quantum sit bonum te fruendi: quod si aliquo modo datur eis scire, non puto in inferno maius esse tormentum, quàm tua visione carere.

Sed heu heu, qui horribilia commiserunt, horribilia insuper patientur: quia impœnitentibus sanguis tuus, Christe, non subveniet, quin potiùs rei iudicabuntur sanguinis tui, quem peccando & non pœnitendo conculcaverunt. Hæc est facies furoris tui, quam Propheta pavet, & tremit ad faciem eorum quos exspectat, sicut dicit Apostolus, (Hebr. 10.) *terribilis quædam exspectatio iudicij; & ignis æmulatio, quæ consumptura est adversarios.* Domine Deus, iudex vivorum & mortuorum, isti sunt duo greges dextræ tuæ & sinistræ in H die iudicij tui. Et inter medias sortes has, & cleros hos, sortem mortis & vitæ, perditionis & redemptionis, iræ & gratiæ, ego vbi parebo? O veritas, veritas, per gloriam & maiestatem faciei tuæ ne abscondas eam à me, sed fulgura coruscationes eius totas in me, vt in lumine eius videam lumen, scilicet, quid facies mea sit ad tuam faciem, quid tua ad meam; vtrum sicut est veritas in te Iesu, sic veritas sit in me, deponere me omnem secundùm pristinam conversationem veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris. Omnino enim, ô veritas, quòd te quæram scio, sed vtrum verè quæram nescio. Hæc est facies mea ad te magnæ miseriæ meæ, & magnæ necessitatis meæ. (Ps. 93.) Licet enim consolationes tuæ nonnunquam lætificent animam meam; scio tamen quis fuerim, modò autem nescio quid sim. Vnam petij à Domino, hanc requiro; vt, sicut ad te anxiatur facies miseriæ meæ, sic super me ampliùs & ampliùs illustret se facies misericordiæ tuæ, vsque ad omnimodam consumptionem miseriæ & caliginis meæ.

A Tanta est, Domine, in me miseriæ meæ densitas & tam ... ut nec ... per partes div ... re vel aspicere, nec totitatis ejus ... videre. Nam ecce ... sol & ... ejus me obvolvit, nec ad te Dominum meum, cui ... re desidero, liber est visus, vel expeditus auditus, sic mihi semper facit, sic a te me tenet domus propria conscientiæ meæ. N... hoc est ... ne videat gloriam Dei? Et cum ... oculis obtenebratis ... quo ... lassata & quassata ardentis desiderij intentione de altis tuis in profundis mea, recido à te in me, à me subtus ... & resoluta omni conatus mei machina, sicut ... pulveris ... a facie terræ ... per ... cogitationum, voluntatum, affectionum, tot quot vultus hominum, quot horarum momenta, quot rerum vel ... Et cum ... bonitatis tuæ ... per ben... ciendo, facies miseriæ meæ stolidam semper terram

B respiciens, sic cæcitatis suæ caligine obvolvitur, ut nec ... veritatis ... ejus ... & ... bi Dei lucerna, in indignatione & amaritudine spiritus ... meæ, quasi ... unde tenebræ istæ, unde caligo ... dividens inter me & lumen cordis mei. Et ecce quasi quædam muscarum pestis ruens in oculos meos, & penè exturbans me à proprio conscientiæ meæ domicilio, ingredior tamen sicut in rem juris mei, & ecce cogitationum turba, tam procax, tam indisciplinata, tam varia, tam confusa, ut discernere eas non sufficiat cor hominis, quod eas genuit. Resideo tamen quasi judicaturus eas, jubeo eas stare præ me, ut vultus singularum nationéque di-

C gnoscam, ... Prius-quam perspiciam, priusquam dignoscam, ... Indignor & irascor mihi: Exsurgo quasi in eas severiùs acturus pro potestate, sicut in regno meo ... cusator, ipse testis. Secerno in partem, immundas ac ... das. Otiosas, odiosas quasi quasdam muscarum importunitates abigo. ... audiendas & ... sua eis tempora, suáque loca distribuens. Quæ damna ... propriæ conscientiæ, absque ... Otiose rem vel ... act tari ... vel lentiores efficiuntur. ...

D ... caligine ... sitate ... tus & exitus ... rent patentes ... m, tu pectam habebam ...

Sed & princeps eorum amor per gratiam ejus qui me confortat, uni illi quam peto assiduè a Domino & requiro vacans, omnem eorum turbam sibi redegit in servitutem, leges dat, modos informat, præfigit terminos, quos præterire non licet. Iam ergo discussa omnium ... veritatis; & exclusis omnibus ... ô veritas, me includo & ab... cretiùs & familiariùs te alloquor, & omnes conscientiæ

E meæ sinus tibi aperiens, & ... fessionis suæ, nudum me, sicut me creasti tibi exhibens ... aio: Ecce me, Domine, non qualem me fecisti, sed qualem ego me feci, ex quo à te defeci. Ecce vulnera mea recentia & antiqua; nihil subtraho, omnia tibi expono. ... me creasti in Paradiso ... filiorum tuorum locum nominatum mihi dedisti, ab ... pro pueritia mea impura super me lumen vultus tui ... vultus tui fide & voluntate semper tenui, sed opere abjeci: quia sequendo concupiscentias meas & vanitates cordis, adolescentiam meam perdidi, & viam carnis ingressus sum. Semper autem ... dilexit, etiam cùm cato neglexit. Cum ab his fugerem, ad te confugi, & tu de sæculi voragine me ab... finum aperiens meum me collegisti, in quo cùm sua viter quiescerem, diem hominis vidi & concupivi. Et

F ... & volentem & nolentem, sed me à te non ... verò, supra dorsum meum fabricabant peccatores. Sic cadentem, resurgentem, morientem, reviviscentem ... de ventre inferi clamarem ad te, statim mihi ... porrexisti manum, de lacu miseriæ me eduxisti, testi... Sic sum, Domine, ... en totus tibi assum; mala mea, quæ patent, nec te nec me latent, sed sunt plura quæ me per cæcitatem meam vel oblivionem latent, quæ tamen tibi patent. Si bona in me ulla, incorrupta nulla, quia plura mihi

G præripuit inimicus; vel si hoc non potuit, quovis modo corrupit, quamvis ego plura mihi quàm inimicus. Ecce coram te facies mea, cujus nomen est m... tia, ad faciem tuam, ô summa misericordia. Angulos ejus occultos & recessus non tibi occulto; tu scis, ô ... do te, non credo tibi, non credo in te Deus meus: Non ... minos fidei meæ corde, ore, manu & scripto tibi ... Catholica Ecclesia. Hos fidei meæ fines ... credo. Te credo, te spero, te mihi da, aliud non quæro. ...

H ... lentescit. Credo tamen adhuc te, & spero, & amo, ô vita æterna. O patria patria, quam de longe te video & ... longe est experientia mea, in tantum peregrinatur ab ... *Domine ... cum meum ... est, ut sciam quid ... * In ... proficio, de amore tuo pauper assisto & mendicus. O amor, ô ignis, ô charitas, veni in nos. Esto dux & lux, ignis ardens & consumens in pœnitentia peccatorum, paracletus, consolator, advocatus, & adjutor in causis orationum nostrarum. Ostende nobis quod credimus, insinua nobis quod speramus, fac faciem

A Psal.28. Galat.6. quam faciei Dei comparemus, ut dicamus: *Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea.*

Mihi *absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri* Iesu-Christi. Ad crucifixum meum conversio mea. Crux ejus gloria mea qua frons mea insignitur, hilarescit mens, dirigitur vita, mors amatur. Non despiciant me, Domine, super hoc qui merentur videre te sedentem super solium excelsum & elevatũ divinitatis tuæ, & majestate tua replentem omnem terram: quia & ea quæ sub te sunt, humanæ dispensationis mysteria, omnis contemplationis replent templum, cujuscunque sit magnitudinis. Habeant sancti Angeli tui in cœlis gloriam suam, sed nonnunquam communicent nobis in terris gratiam suam: quia & de nostris adhuc proficere amat, & dulce habet beata eorum perfectio; cùm, sicut dicit Apostolus, *innotescit principatibus & potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei.* (Eph.3.) Propter quod ignoscant nobis, Domine, etiam in hoc, si amor tuus eò aliquando nos abducit, B ut desideremus videre cum eis, quod cum eis amamus, quibus nos plena charitate congratulamur, videntibus quod adhuc videre non meremur. Contemplentur feliciter in sapientia tua divinitatis majestatem, quæ ante medium nostrum & post inspecta, totum quicquid illud est vel præteriti vel futuri intra præsens æternitatis suæ includens, *attingit à fine usque ad finem fortiter:* (Sap 8.) media autem nostra, quæ sunt humanæ dispensationis tuæ charitate constravit, *disponens omnia suaviter*, propter filias Hierusalem devotas, sed infirmas adhuc animas; quæ ad contuenda sublimia illa nondum habentes exercitatos & idoneos sensus, amant affici circa humilia tua & resolvi sicut circa similia sibi. Inter quas meum quoque spiritum docebis, Domine, aliquando te, qui spiritus es, adorare in spiritu & veritate, carne jam adversus eum non concupiscente, vel lentiùs id agente. Sed nunc interim quia non potest in ea, quæ tua sunt, sic fortiter expediri, sicut ei expedit, disponès ei quæ sua C sunt, sic suaviter, sicut ei competit. Cùm enim sensualis imaginationis meæ rudimenta needum supergressus sim: permittes & gratum habebis ipsa mentis imaginatione, circa humilia tua infirmam adhuc animam meam, suam indolem exercere, nascentis scilicet amplecti præsepia, & sanctam adorare infantiam, pendentis in cruce lambere vestigia, tenere & deosculari pedes resurgentis, mittere manum in loca clavorum, & exclamare, Dominus meus, & Deus meus. Et in his omnibus, sicut dicit Iob, *visitans speciem* meam *non peccabo* (Iob 5.) cùm orabo, & adorabo quod imaginando videbo, quod audiam, quod manus meæ contrectabunt de verbo vitæ. Audacter enim dicam, in suavi dispositione sapientiæ tuæ, hanc ab æterno provisam nobis gratiam, & de præcipuis incarnationis tuæ causis hanc apud te fuisse non minimam, ut parvuli tui in Ecclesia tua lacte nutriti, lacte adhuc indigentes & non solido cibo, nec spiritualiter & tuo te modo cogitantes, haberent in te non ignotam sibi formam, vel faciem quam in sacrificio orationum suarum proponerent sibi absque fidei scandalo, D non sufficientes adhuc intueri in claritatem illam divinæ majestatis tuæ. Quapropter etsi jam te non novimus secundum carnem, (2.Cor.5.) secundum hoc tamen quo glorificatus sedes in dextra Patris in excelsis, tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditasti: ipsam carnem nostram, quam non abjecisti, sed glorificasti, quæ est scabellum pedum tuorum, oramus, adoramus, obsecramus, David nos ad hoc exhortante: *Adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est.* (Psal.98.) Et ô beatum illud Spiritus sancti templum, de quo exaltatum in cruce Christum nulla exterminat oblivio, & recens semper decurrit sanguis in salutem credentis & amantis, & jugiter operatur, quod postulat Propheta: *Redime me, & miserere mei.* (Psal.25. Nota.) Totiens enim redemptionis nostræ in nobis celebratur effectus, quotiens eam E recolit pius supplicantis affectus. Sed quia neque hoc possumus, neque volumus, ideo adhuc amplius audentes, proponimus nobis formam passionis tuæ; ut habeant etiam oculi carnis quod videant, cui inhæreant, non adorantes picturæ imaginem, sed in imagine passionis tuæ, veritatem. Cum enim attentius respicimus in imaginem passionis tuæ, silente ipsa, videris nobis dicere de cruce: *Cum dilexissem vos, in finem dilexi vos.* Mors & infernus mordeant me in mortem suam; *Comedite vos amici, & inebriamini charissimi* (Cant.5.) in vitam æternam. Sicque crux tua linteum nobis efficitur illud quod beato Petro ostensum est, (Act.10.) quatuor initiis demissum de cœlo, in quod omnes intrantes & munda & immunda animalia in cœlum nos levans gratulamur, in quo & mundamur, qui sumus immundi, mediante namque imagine passionis tuæ, Christe, cogitatum à nobis circa nos, bonum tuum repente nos transfert in summi boni affectum. Cujus faciem in opere salutis tuæ das nobis videre, non jam quasi humano conatu extorta intelligentia, & tumentibus oculis mentis & refugientibus lucem tuam; sed placido amoris sensu, & bono usu videndi & fruendi, suavitate, sapientia tua, quæ nostra sunt, F disponente nobis suaviter. Laborat enim qui ascendit aliunde; qui vero per te intrat ostium, per planum graditur, & venit ad Patrem, ad quem nullus venit, nisi per te; nec jam laborat in intellectu supereminentis scientiæ, sed totus resolvitur in suavitate bene affectæ conscientiæ: & abundantiore fluminis impetu lætificante animam illam, videtur sibi, videre te sicuti es, dum de mirabili passionis tuæ sacramento cogitandi dulcedine ruminant bonum tuum circa nos tantum, quantus ipse es, vel quod ipse es. Videtur sibi videre te facie ad faciem, cum summi boni facies appares ei in cruce, & opere salutis suæ, & ipsa crux efficitur ei ad Deum facies mentis bene affectæ. Quid enim melius præparatum, quid suavius potuit esse dispositum, quam quod ascensuro homini ad Deum suum offerre dona & sacrificia, secundum præceptum legis, non sit ei ascendendum per G gradus ad altare ejus, sed per planum similitudinis placidè & pede inoffenso, eat homo ad hominem similem sibi, in primo ingressus limine dicentem sibi: *Ego & Pater unum sumus;* (Ioan.10.) statimque per Spiritum sanctum affectus, assumptus in Deũ, & ipse Deum in semetipsum excipiat venientem, & mansionem apud eum facientem, non tantum spiritualiter, sed etiam corporaliter, per mysterium sancti & vivifici corporis & sanguinis Domini nostri Iesu-Christi.

Hæc est, Domine, facies tua ad nos, & nostra ad te, plena bonæ spei. Indue me hoc salutari tuo, Domine, & forma mihi hanc faciem Christi tui: quia impossibile est, ut avertas eam, quotiescunque in sancto apparuerit tibi. Vade, ô homo, quicunque thesaurum istum absconditum invenis in agro cordis tui; (Mat.13.) unde omnia quæ habes, & temetipsum in servum perpetuum, ut possideas eum jure hæreditariæ possessionis, & beatus eris, & bene tibi erit. Thesaurus in possessione tua, Christus in conscientia tua.

H Deus virtutum, converte nos, & ostende faciem tuam, & salvi erimus: cum enim ex munere gratiæ tuæ, Domine, ad ea quæ carnis sunt, faciem cordis non habeam, sed posueris ea mihi dorsum, & mundum, & quæcunque ejus sunt, posueris mihi deorsum: quid est, obsecro, quod in toto corde exquirens te, cum faciem tuam apprehendisse me gratulor, quam solam facies mea desiderat, repentè me invenio seorsum? Cur eam abscondis? nunquid arbitraris me inimicum tuũ? Num *consumere me tu vis pecatis adolescentiæ meæ?* (Iob. 13.) Nunquid ego non sum ad te conversus, vel tu es adhuc à me aversus? Si non sum conversus, *Deus virtutum converte me.* (Psal.79.) Si tu es aversus, *Deus virtutum convertere.* (Ibid.) Tu dixisti: Si converteris Israël, convertere. Et iterum: *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos.* (Zach.1.) Tu scis donum gratiæ tuæ in corde pauperis tui, *paratum* (Psal.56.)

*cor*

A *cor meum Deus, paratum cor meum.* Præcipe quod vis, fac me intelligere quod præcipis, da posse, qui dedisti velle, & fiet in me vel de me quicquid vis: *Psal. 39.* *Ut faciam voluntatem tuam Deus meus volui: & legem tuam in* mandatis amplector, *in medio cordis mei.* Sed & alia *Psal. 18.* *lex tua immaculata convertens animas*, sed nescio eam Domine. Latet in abscondito vultus tui, quo ego ingredi non mereor. Si semel dares mihi sic intrare illuc ut viderem eam, calamo scribæ velociter scribentis Spiritus sancti tum scriberem eam super cor meum dupliciter & tripliciter, ut haberem quo recurrerem; & intelligens opera mea, ambularem deinceps simpliciter & confidenter. Nunc autem sum sicut cœcus palpans in meridie quocunque ascensus mei tendo pedem, laqueum timens & ruinam: & sicut cœco, dicitur mihi, huc vel illuc, hac vel illac: ego verò, sicut qui non videt, neque huc scio neque illuc, neque hac *Psal. 24.* neque illac. *Emitte* mihi Domine *lucem tuam & veritatem tuam: ipsa me deduxerunt & adduxerunt in montem sanctum tuum, & in tabernacula tua.* Dicis *Joan. 14.* mihi: *Ego sum via*, per quam ibis: *veritas*, ad B quam ibis: *vita*, propter quam ibis. Et, *Quo eundum scitis, & viam scitis.* Et ego Domine, *nescio* *Psal. 72.* *quo vadam, & quomodo possum viam scire? Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me.* Tenuisti manum meam, cum cœco tuo porre-*Matt. 11.* xisti clamanti post te & ploranti, & dixisti: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego refi-* *Psal. 118.* *ciam.* Quo audito, *in viam mandatorum tuorum, cu-* *Act. 9.* *curri, cum dilatasti cor meum.* Veni ad te, paratum *Matt. 19.* tibi offerens cor meum, & dicens: *Domine, quid me vis facere?* Et dixisti mihi: *Vade, vende omnia, & da pauperibus, & veni sequere me.* Abij, cucurri, vendidi omnia quæ habui, ipsum corpus meum, ipsam animam meam; pauperibus nihil dedi, quia nihil habui. Et tibi, Domine, vendidi quæcunque habui, & pretium meum tu es. Tu scis quia nihil mihi retinui, vel si effugit me aliquid & latet me adhuc in abscondito aliquo conscientiæ meæ, exquiram illud, & fideliter offeram tibi. Sed cum quæro à te pretium, tu im-C putas mihi delicta juventutis meæ, antiquum debitum. Obsecro Domine, patientiam habe in me, non habeo unde reddam tibi. Huc usque veni, hic sto, procedere non licet. Sedens ergo secus viam, transeun-*Luc. 18.* te te, cœcus & pauper mendicus clamo ad te: *Fili David, miserere mei.*

Et turbæ opprimunt faciem meam, & increpant ut *Psal. 68.* taceam: ego verò multo magis clamo: *Miserere mei, fili David: Laboravi clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ, defecerunt oculi mei dum spero in Deum meum,* tu verò clamantem pertransis. Aliquando stas mihi, sed ad modicum: jubes me venire ad te, & dicis mihi: *Luc. 18.* *Quid vis faciam tibi?* Ego verò, & omnia ossa mea dicunt tibi: *Domine, ut videam.* Tu verò pertransis: *Miserere, miserere mei, fili David.* Sequi te non possum, quia cœcus sum, miserere mei: habui ex te quantulamcunque rationem quæ me adduxit ad te, non habeo virtutem, quæ me faciat currere post te: *Miserere mei fili David.* D Miseremini mei saltem vos amici, domini mei, servi Dei mei, & dicite ei: *Dimitte eum, quia clamat post nos.*

*Psal. 119.* *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est: multum incola fuit anima mea* in domo tenebrarum. Quid feci? Quid profeci? Dominus est: quod bonum est in oculis suis, faciat. Sedebo secus viam, viam non deseram. Redibit aliquando forsitan sine turbis, & videbit non videntem, & miserebitur. Adest enim bo-*Psal. 26.* num verbum ejus in corde meo, dicens: *Expecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine Dominum.* Congregamini ad me intima *Hebr. 4.* mea, & omnia quæ intra me sunt, & *sermo Dei vivus, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, & discretor cogitationum & intentionum cordis: & non sit ulla creatura invisibilis* E *in conspectu ejus: omnia mea nuda sunt & aperta oculis ejus, ad quem nobis sermo. Dixi Domino, Deus meus es tu, in manibus tuis sortes meæ.*

Mittamus sortem, cujus peccato malum hoc acci-*Psal. 30.* derit nobis, ut avertat Deus faciem suam à puero suo. *Jon. 1.* Sententia sortis meæ, inventio Deus veritatis tuæ. Vivit Dominus, quia si dextra manus mea, si oculus, si spes scandalizaverit me, non parcam ei, sed *Matt. 5.* amputabo eum, & projiciam eum à me. Dic mihi, ô Verbum Dei, nunquid non bonum est quod feci credens tibi, quod relictis omnibus sequutus sum te? Omnes cogitationes meæ, & intentiones cordis, anima & spiritus, compages & medullæ respondent, quia bonum est. Addo quærere: Nunquid etiam bonum hoc non bene factum est? Submurmurant cogitationes, & loquendi accepta licentia aiunt. Dixit Dominus Petro: *Petre amas me?* Respondit: *Tu* *scis quia amo te. Pasce oves meas.* Et hoc tertio, ut fu-*Joan. 21.* niculus triplex sententiæ hujus, non facilè videatur rumpendus: Quia pastio gregis, probatio est F amoris.

Intentiones. Pastor, & qui non est mercenarius, etiam si pro grege animam suam posuerit, vix ei sufficit. Sed gravissimum est ei præesse, ubi non potest prodesse. Fuerit aliquando ut Rex David sic infirmus *3. Reg. 1.* corpore, ut lecto decumberet; sic senio frigens, ut vestibus calefieri non posset, de lecto suo, verbi imperio populum Dei regeret, & oculi totius Israel de omnibus in eum intenderent. Nondum sic fascinatio nu-*Sap. 4.* gacitatis obscurabat bona; nondum sæculi senescentis dura nequitia sic incaluerat, ut senibus emeritis non servaretur sua reverentia. Nam cum pastoribus Ecclesiæ incumbat pascere gregem Domini in corpore simul & anima: de anima autem maximè Deus requirat, dicens: *Primum quærite regnum Dei*, de corpore *Matt. 6.* autem quasi secundario securos faciat, subjungens: *Et hæc omnia adjicientur vobis.* Quis hoc hodie audiat prædicantem? Quis sufferat facientem? Quis parcat seni? Infirmo quis ignoscat? Prudentia carnis, G spiritus hujus mundi curiositas, urbanitas, & alia hujusmodi à magistris Ecclesiæ requiruntur, irridetur simplicitas, despicitur religio, humilitas nullius momenti est. Et si sufficere videtur adhuc utcunque qui præest, ad subministranda interiora; cui hoc hodie sufficit, nisi sufficienter abundent etiam illa exteriora? Et utinam terminos suos sufficientia cognosceret! Propter hoc, *Væ nobis, quia pecca-* *Thren. 5.* *vimus.* Propter hoc, sicut dicit Propheta: *Ægy-* *Ibid.* *pto dedimus manum, & Assyriis ut saturaremur pane.*

Nam contra Apostolum, servi facti sumus ho-*1. Cor. 7.* minum raptorum, feneratorum, filiorum alienorum hoc sæculo abundantium. Si non hujusmodi hominibus ad nutum hodie qui præest obsequatur, si sæculo huic sic formato non conformetur, hominibus impositis super caput suum aduletur, subditis multa simulando, & dissimulando plurima non blandiatur, quid faciet? quid poterit? ubi H parebit? Hodie enim planè obsequium vix pau-*Nota.* cos, ipsósque labiles & volatiles, parit amicos; veritas manifestos, & crudeles, & pertinaces inimicos. Sed sit hoc interim animas pro fratribus ponere, sit sagorum cilicinorum exterius pati molestias aëris hujus, ut in decore suo intrinsecus permaneat domus Dei.

Sed utinam non superveniat gladius ad animam! fascinatione nugacitatis, & inconstantia concupiscentiæ obstupuimus, & indurata sunt corda nostra, & facti sumus Ephraim vitula docta diligere trituram. *Sap. 4.* Sic enim à nobis recessimus, sic in ea quæ erant *Ose. 10.* necessitatis transivimus per affectum cordis, quibus id agere incumbit, solo usu agendi in eis, quæ pati pudori est & horrori, delectemur; quando etiam ambiant ad hoc, quibus non imponitur

Vbi est hodie quærela Marthæ, quod sola dimittitur ministrare? *Luc. 10.* Nonne hodie potius Mariæ murmur totam replet domum, quod permittitur ad pedes Domini sedere? Propter quod & corpore periclitantes & anima per longam militiam, & vires longo laboris usu attritas, fas est (ut æstimamus) jam ad manus regiæ munificentiæ respirare: ut senectutem nostram jam patiatur vocari emeritam, & largiatur ei melius, quam ipsa sibi conscia scit se esse promeritam. Antiqua quippe lex est & consuetudo Romanæ militiæ, sexagenarios accipere missionem. *Gen. 28.* Semper Iacob Liæ suæ lippitudinem sustinebit? Semper serviet pro Rachel, & nunquam eam adipiscetur? Quando etiam omnia quæ peribant, ab eo exigebantur, cum quotidie mercedes ejus mutarentur, ut nigra pro albis acciperet, pateretur & intus uxores zelantes, foris Laban cum filiis jurgantes: oportet Iacob aliquando providere domui suæ, justúmque videtur, ut senescens saltem, & defectus, in domum patris sui redire permittatur.

Compages. Si sic res agi incipit, finis est. Compago enim totius corporis dissolvitur, & pereunte unitate, necesse est, ut partes fiant & divisum regnum desoletur, *Luc. 11.* domúsque super domum cadat. Sapiens paterfamilias peregre proficiscens, & ordinans domum suam, unicuique servorum data potestate cujusque operis, janitorem posuit in limine; domus enim sine janitore, publicum est diverticulum. Qui vult, intrat & exit, infert & tollit. Domus Ecclesia est. Ipse janitor quisque, CHRISTVS IESVS. *Ioan. 10.* Qui per eum non intrat vel exit, fur est, ascendens vel descendens aliunde. *Philip. 2.* Ipse *obediens factus* est Patri *usque ad mortem.* Qui hanc obedientiæ regulam non tenet, à Christo recessit. *Hebr. 12.* Sicut dicit Apostolus: *Recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus adversum semetipsum contradictionem, ut non fatigemini animis deficientes, nondum enim usque ad sanguinem restitistis.* Nullum senectus, nullum infirmitas excusat, donec qui induxit educat. Alioquin si sit janua absque janitore, & patens omnibus: quid restat nisi ut sicut exeundi, sic etiam & intrandi sit par & æqua licentia?

Medullæ. Heu, heu, *in circuitu impij ambulant, secundum altitudinem tuam multiplicasti*, ô Deus, *filios hominum.* *Psal. 11.* Acti enim in circuitu erroris, quadam capitis vertigine obstupescimus, ut ad veritatis centrum & unitatis punctum immobile non pertingamus, quod stabile permanens dat cuncta moveri. Ipse est veritas, ipse est qui dixit: *Ego sum veritas: Et cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos*, utique à circuitu erroris. *Ioan. 14. Ioan. 8.* Consulamus ergo centrum veritatis, utrum ab ipso & per ipsum ducatur circuitus in quo rotamur. Legibus quidem ejus, si bene ducitur, in rectum sibi concurrit; sin autem, error manifestus est. Considerentur affectus & actus. Affectus figatur in centro veritatis, & convenienter sibi respondebit exterioris actus orbiculata rotunditas. Totus quippe affectus debetur Deo, cui cum fideliter adhæretur, quaqua rotetur circulus operationis, errare non potest à recto; sed bene sibi concurrit, ut in omni parte æquè respondeat ad centrum veritatis. Et po est esse punctus sine circulo: circulus autem nullatenus bene potest duci sine puncto. Sufficit enim bonus affectus, si res non exigit, vel possibilitas deest, ut exerceatur actus. Cum enim actum exigit necessitas charitatis: debet eum sive Deo sive proximo veritas charitatis, si non exigitur, habere nos vacantes sibi, charitas exigit veritatis. Et sicut semper debetur Deo totus affectus, sic tunc debetur ei etiam totus vacantis actus. Et ubi non postulat necessitas proximi, qui de affectu vel actu à Deo aliquid extrinsecus dissipat: committit rem sacrilegij. Sed & quæcunque expostulat necessitas, non sic prompta debet esse ejus voluntas, ut non discutiatur possibilitas. Quæ utrum sit an non centrum veritatis, in veritate consulendum est. Si non est & præsumit, non inhæret centro, ideóque exteriores orbis perfectionem confundit. Nam sunt qui stabilitatis puncto nunquam amant inhærere, sed semper foris orbiculari. Hi sunt impij, qui in circuitu ambulant; *Psal. 11.* hi sunt filij hominum, quos cum altitudo judiciorum Dei in hoc sæculo multiplicat vel multiplicari permittit, unitatis & veritatis efficiuntur inimici. Hic est finis: Si verè potest, qui expostulatur, in veritate figat affectum, nec recuset servitutis actum. Si consulta veritas insufficientem eum respondet, & non idoneum; vacet interius stabilitate veritatis, ne exterius positus ut rota mittatur in præcipitium erroris. Tamen quem consulta veritas absolvit, si expostulante necessitate absque timore magno de possibilitate sua judicat, in favorem propriæ voluntatis magnus eum error involvit. Nam si scienter errat, & in proximum reus est negligentiæ, & in veritatem fallaciæ: & jam nec actum habet nec affectum. Non errat adeò, si errat nesciens, sed errat omnino, si est securus. Non autem penitus alienus est à veritate, qui judicium veritatis reformidat. Propter quod intraturi in judicium veritatis brevi & fideli compendio devitemus omnes anfractus erroris: & quia forsitan volumus non posse, ut quasi in judicio veritatis non inveniamur mendaces; mendaces non fateamur secundum judicium propriæ voluntatis: & super hoc & affectu & actu petentes indulgentiam in judicio veritatis, magis apparebimus veraces. Non enim dolose nobis agendum est in conspectu veritatis, ut inveniatur iniquitas nostra ad odium.

Spiritus. Assentio. Et hic verè est medulla & centrum veritatis, morbum non palpare, sed exulcerare totum virus interioris nequitiæ.

Anima. Sic est. Sicut enim olim delectat me præesse, sic voluntatis est nunc subesse. Et propria voluntas mea gratam mihi efficit necessitatis excusationem: & attendere me non permittit fratrum necessitatem.

Spiritus. Licet, ô anima, necessitatis fratrum plena non desit compassio; sic tamen, ut dicis, tua est affectio. Ideo nil restat nisi humilitatis confessio, & omnis conatus virtutis, ut quomodocunque infructuosi & inutiles appareamus exterius, interius non omnino inanes inveniamur & steriles. Et licet turbæ opprimant os nostrum, toto corde, tota mente clamemus: *Iesu fili David, miserere mei.* *Luc. 18.*

DOMINE *exaudi orationem meam, auribus percipe obsecrationem meam: in veritate tua exaudi me in tua justitia.* *Psal. 142.* *Domine* qui *propè es omnibus invocantibus te in veritate*, *Psal. 144.* sicut scriptura veritatis tuæ nobis promittit: sicut veritas est coram te, voluntatem mihi esse invocandi te hodie; si ô veritas, exaudi me in multitudine misericordiæ tuæ, & in veritate salutis tuæ. *Nam dixi: Nunc cœpi, sit hæc mutatio* tua *dextera excelsi*, ô dextera excelsi. *Psal. 76.*

In malis enim meis præteritis & peccatis, quæ magna sunt & innumerabilia, in quibus inveteravi, factus sum mihimetipsi vilis & despectus: in bonis (si qua in me visa sunt fuisse) scrupulosissimè ipse mihi sum suspectus.

Venio igitur hodie ad te quasi mortua tota vita mea præterita: in te, ô principium, novæ vitæ facturus principium. Si qua bona feci, tua sunt, tibi ea consigno: tu reddes ea mihi in tempore beneplaciti tui. Mala quæ gessi, mea sunt. Heu quot & quanta sunt quæ ex maxima sui parte à memoria mea perierunt! utinam & à tua, congrua ea deleat pœnitentia, quæ pro sui horrore longè aliter memoriæ meæ affixa sunt, quam ut ab ea abolere ulla possit oblivio. Quorum tamen sic odi memoriam, ut sæpè velim funditus oblitum me fuisse omnia. Sed tu Domine, *delicta juventutis meæ ne memineris.* Fuerunt hæc primogenita Ægypti,

quæ

A quæ in Ægypto peremisti: & quæ feci in Ægypto, in Ægypto dimiserim, cum inde exivi. Longo enim jam tempore per desertum postea circumduxisti me, & docuisti, & custodisti ut pupillam, corripuisti peccantem, consolatus es dolentem, erudisti nescientem, donec jam prope ad introitum terræ repromissionis perduxisti. Vbi cum sto, te monstrante contemplans delicias terræ viventium, & Exod. 1. recordor quod Moysi dictum est: *Videbis eam, & non intrabis*, totus horrore concutior. Si enim hoc ille audire meruit propter unius peccati excessum: quid ego auditurus sum, qui tot & tanta peccata mea hodie ipse coram te delaturus sum? Omnia tum hodie & quæ memoria teneo, & quæ non mala mea præterita, & merita eorum non præterita sicut coram te sunt ô veritas, & etiam me tacente: sic hodie coram te veniant me confitente. Sed proferantur quasi in fasciculum ad comburendum, imò in fascem grandem & enormem & importabilem, si non est qui adjuvet. Non discutio ea, non dinumero (nec enim possum) quantumcumque, vel quomodocunque, verum est me coram te peccasse ô veritas. B Sicut me scis peccasse, sic me esse confiteor. Nullus mihi ea leviget, nullus exageret, nullus minuat, nullus multiplicet, nec egomet mihi. Coram te enim Deus res agitur. Non parcam mihi, tu parce Domine. Veruntamen non sic parcas, ut ex Iob 13. hac die arbitreris me inimicum tuum, & scribas contra me amaritudines ad consumendum me in peccatis præteritæ vitæ meæ. O custos hominum, ne ponas me ulterius contrarium tibi, in quo nimis factus sum mihimetipsi gravis; sed tolle peccatum meum, quod dividit inter me & te. Si ignoscis Domine, ignosce. si placet tibi ulcisci, & ego ulciscar Hier. 30. Esai. 37. tecum. Veruntamen plaga inimici ne conteras me. *Quoniam ego in flagella manus tuæ paratus sum, & dolor meus in conspectu meo erit semper. Quoniam iniquitatem meam annuntiabo, & cogitabo* me pati *pro peccato meo*.

Non enim credo me manibus inimici: sed cum omni fiducia tuis me committo, quas crebrò expertus C sum. Quarum cum una me percutit, altera blanditur: cum una deiicit, altera supponit se, ne collidar. Sed etiam aliquando super iram inimicorum extendis manum tuam, gravius feriens quam quilibet inimicus, cum iratus avertis a nobis faciem tuam: & fit nobis Deut. 28. cœlum æneum, & terra ferrea: & dura omnia & mala omnia quæ fieri solent in aversione vultus tui. Propter nomen tuum, Domine, in hoc parce servo tuo. Quantum vis flagella, dum semper illumines vultum tuum super nos, & miserearis nostri. Veruntamen Dominus ultionum es, libere agens in remittendis eis vel levigandis. Declinasti enim in te mala nostra: & in passione tua exsolvens quæ non rapuisti, parasti in judicio thronum tuum; ut injustè judicatus, justè judicatos absolvas in tua justitia. Iudicia ergo tua Domine adjuvabunt me, & aspicies in me secundùm judicium diligentium nomen tuum: sicut judicasti aliquando de Luc. 7. peccatrice amante te: *Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*. Ipse amor tuus sit mihi hodie D in causa tua patronus: quem si negavero in terra, timeo ne & ipse me neget in cœlis: si erubuero, ne & ipse me erubescat.

Quem profectò erubesco, quia sicut debeo, non habeo. Et quia hodie judicij mei dies est, in hoc etiam, ô judex cordis mei, judica me hodie, & discerne causam meam, utrum verè patronum habeam quem prætendo. Hoc est enim in quo sic caligat meæ mentis intuitus, ut penitus hæsitem, an videar mihi videre quod non videam, an non videre quod videam. Certissimus quippe mihi esse videor, quod amorem tuum semper amo, in tantum, ut afficiar quotiescunque de eo vel admoneor vel recordor. De te autem semper cum recordor vel admoneor, & non moveor, non afficior; timeo, quia forsitan non

E semper te amare convincor, cum ubique & undique verberent, ut excitent in hoc stupiditatem meam signa præstantissimæ potentiæ & bonitatis tuæ. O lux veritatis, disjice mihi hodie tenebras istas, & dissolve caliginem. *Ciba me in hoc pane vitæ & intellectus, & aqua sapientiæ salutaris pota me*. Eccl. 15. Etenim intelligere quæ tua sunt, & cibus est & potus. quia sunt in quibus terendis & quasi masticandis exercemur & laboramus, quædam autem quasi potus, sicut sunt transeunt, & suo modo nos reficiunt. Cum enim amorem tuum per intellectum quærimus, & nonnunquam invenimus, ipse est panis vitæ, confirmans cor hominis, quem sæpe cum magno labore quærimus priusquam habeamus, quo in pœnam peccati Adæ vescimur in sudore vultus nostri. Aliquando verò *spiritus tuus ubi vult spirat*, Gen. 3. Ioan. 3. & quando vult, & amoris tui gratiam nobis inspirat, & vocem ejus audimus, quia sensum amoris accipimus, sed nescimus ex quo misericordiæ tuæ veniat judicio, & quo justitiæ tuæ judicio aliquando dulcius, aliquando levius, quasi nos salutatos pertranseat. F Ipse est potus: Ciba me Domine hodie pane tuo, qui dat mundo vitam; ut de his quæ de amore tuo quæro, firmior & solidior mihi detur intellectus; & gratiæ tuæ suavitate, sicut potu salutari, cibum ipsum ordina & modifica, ne minus capacem sensum meum lædat potius quam confortet cibus solidior. Quæro, Domine, utrum habeam amorem tuum. Si invenero me habere, hoc est, in quo solo laudatur anima mea & placet mihi; sin autem odio est mihi, & nihil est quod amem, cum meipsam oderim. Sentio & confiteor habere me amorem amoris tui in tantum, ut omnino nisi in ipso vel propter ipsum nil amare velim, nec meipsum. Cujus faciem ut plenè mererer inspicere, in cujus lumine ut plenè mererer ambulare, & frui deliciis ejus non curarem penitus quomodo pro ipso vel in mortem, vel in vitam darem meipsum. Hæc conscientia mea coram vocata & discussa in lumine veritatis tuæ, intrepidè mihi de amore amoris tui videtur respondere, de te autem utrum te semper amet, & satis amet, G respondere trepidat in judicio tuo. Amorem quippe tuum ubicunque, in quocunque video, & signa ejus evidentia, totus hilaresco; tuæ verò bonitatis vel potentiæ præsentiam cum semper omnia mihi undique testentur, vix in hoc aliquando moveor. Vnde si quæras hodie à me quod olim ab Apostolo tuo quærebas, *Amas me?* respondere trepido, *Tu scis quia amo te*: sed alacri & secura mente respondeo: Ioan. 21. Tu scis quia amare te volo: *Revela, Domine, oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua*, & de Psal. 118. lege amoris tui. Forsitan ideo videor mihi amare amorem tuum, quo aliquoties cogitavi de te, vel de eo aliquatenus sentio, video, sapio eum: te verò non sentio, non video, vel vix video, rarissimè & parcissimè sapio. Difficile verò res amatur, quæ per semetipsam non innotescit amatori suo. Nam crebra & magna beneficia tua, & ipse amor tuus, quem certissimè amo, mittunt me ad te. Sed cum te non invenio, recido in eum, & in eo non sine spe requiesco. H Nam cum amorem tuum suaviter sentio affectu, te autem quæro ipsius amoris intellectu, amo quod sentio, desidero quod quæro, & in desiderando languens deficio. Nam & aliquando dono tuo modo meo afficitur ipse intellectus, non permittitur glutire totam salivam gustus boni, sed quasi de ore ei aufertur, & recidit in famem & ignorantiam suam; nec permittitur stare in lumine vultus tui, donec discernat & finiat hæsitationis hujus molestiam. Cumque in meditatione mea exardescat ignis, & scire laboro quid sit mihi & quid desit mihi, ordior mihi Psal. 38. viam ascendendi ad te, postulans in hoc auxilium abs te. Dispone ergo in corde mihi ascensiones istas. Nota. Primum necessaria videtur voluntas magna: deinde illuminata, deinde affecta. Hæc in omnia adscendente,

A primum est magna secundum posse suum, illuminata secundum donum tuum, affecta secundum modum suum. Magna, quantam eam creasti; illuminata, quantam dignam fecisti; affecta, sicut eam formasti. Formasti autem sine forma, quia cum tu nec forma sis nec formatum quid, nec etiam amoris tui aliqua forma esse potest, ut formetur circa aliquid quasi formatum. Ipse est enim sapientia de qua dicitur: *Vapor est virtutis Dei, & emanatio quadam claritatis omnipotentis Dei sincera: & ideo nihil inquinatum in eam incurrit. Candor est enim lucis æternæ, speculum sine macula Dei maiestatis, & imago bonitatis illius.* (Sap.7.) Propterea non eam apprehendimus cum volumus: & nisi ipse prior ad nos veniat, & nisi gratia ejus nos præveniat, parum aut nihil nos promovet conatus quilibet nostri intellectus. Nam quod dicit Apostolus, (Philip.2.) in forma Dei te esse: forma deitatis tuæ, ipsa est simplicitas naturæ vel substantiæ tuæ, cui similem oportet esse amorem suum. Nam sicut dicit sapiens quidam de fide tua: quia sicut res est, sic de ea fidem
B capere, tentare debemus. Sic & tanto magis hoc de amore tuo intelligendum est, quanto fidei supereminet charitas. Hoc autem solus discernit affectus. Voluntatem tui, vel ad te habeo, qua majorem habere non possum: & mallem non esse, quam eam non habere. Cujus sicuti protectio si non olim me coronasset: *Cum exsurgerent homines in nos, forsitan vivos absorbuissent nos.* (Psal.123)

Gratiæ verò illuminantis, & afficientis charitatis, aliquando aliqua sensi dulcia irritamenta: sed longè sunt à me plenitudinis eorum experimenta. Et cum raro aut parum voluntas, quantam mihi eam dedisti, illuminetur, facientibus peccatis meis, & tarius afficiatur, miserè in hoc concurrentibus studiis & meritis meis: nescio utrum amor vocari debeat. Sola quidem vehemens voluntas à diffinientibus amor diffiniri solet. Sed qui hoc diffiniunt, de finibus amoris tui judicare non noverunt. Si desiderium vocetur, non renuo: nam revera desi-
C dero te.

Sed quam diu coram te tam pauper, tam misera apparebit professio mea, non potest habere gaudium conscientia mea. Rideat me vel irrideat qui vult, ego scio quid in hoc patior, & scio quia in hoc nullus mihi compatitur, qui hoc ipsum vel non passus sit, vel non patiatur. *Mihi vero lachrymæ meæ panes die ac nocte erunt, quam diu dicitur mihi, ubi est Deus tuus:* (Psal.41.) id est, quam diu erit in anima mea aliquis affectus, in quo suo modo non sit Deus meus, maximè amor, qui propria ejus sedes debet esse in me. Dolorem hunc nō mihi revelabit, donec seipsū mihi revelabit cum videbo quod amabo, & certo mētis gaudio amabo quod videbo. Tamen interim quod ex parte sentio, ex parte amo: quod nisi aliquatenus sentirē, nullo modo amarē. Nam cum in mensa tua filios tuos epulantes in deliciis amoris tui, video; jejunus amorem tuum amo in eis vehementer: & ipsos te amantes in medio cordis mei amplector dulciter, & video eos congaudentes gaudio meo, quod habeo de gaudio eorum, & volentes nec valentes
D exprimere modum gaudij sui. Affectus enim quo te amando fruuntur, sensibili quidem suavitate cujusdam gaudij spiritualis vel divini potest sentiri. Sed sicut sapor cibi cujuslibet nulli insinuari potest nisi gustanti: sic sapor ille nec ratione discuti, nec exponi verbis, nec sensibus potest concipi. Divinum quiddam est & arrha Spiritus sācti vel pignus quo in hac vita pauperem tuum lætificas & pascis ne deficiat in via: & de gaudio vitæ æternæ annuncias, sicut dicit Iob amico tuo, quod possessio ejus sit, & ad eam possit pervenire. (Iob.36.) Reformatur enim anima sancta ad imaginem Trinitatis, ad imaginem ejus qui creavit eam, etiam ipso modo beatitudinis suæ. Nam ipsa illuminata voluntas & affecta, id est, intellectus, & amoris, & fruendi habitus, sicut de Trinitate Deo, dicitur & creditur, quodammodo tres sunt affectionum

E personæ, sed una beatitudinis substantia. Quia quod amatur, non nisi intelligendo amatur: nec nisi amando intelligitur, nec nisi amando & intelligendo fruitur eo qui meretur frui. Hoc est enim ibi habere vel frui, quod intelligere vel amare. Felix conscientia, cujus affectus ordinatæ charitatis tenens viam, indeclinabili constantia, sic ad te proficiendo proficiscitur, sic operante ei gratia tua in proficiscendo prosperatur, ut non deficias, donec tu perficias, qui multitudinem dulcedinis tuæ quam abscondis timentibus te, (Psal.30.) perficis sperantibus: maximè quorum opera lucent in conspectu filiorum hominum ad gratiam tuam, ô Pater, qui es in cœlis.

Hi sunt qui te amant: Tales cum video, & inter eos me non invenio, tædet me vivere. Quorum sapientia non est de spiritu hujus mundi, vel de prudentia hujus sæculi: sed quia non cognoverunt literaturam, introierunt in potentiam Domini, & pauperes spiritu memorantur justitiæ tuæ solius. (Psal.7.) Propter quod do-
F cuisti eos, ut vita & conversatione pronuntient mirabilia tua. Ipsi enim simplices servi tui, cum quibus esse solet sermocinatio tua, qui in eundo ad te (Psal.70.) non in curribus ingeniorum suorum, vel in equis virium suarum spem habent, sed tantum in nomine Domini. Ideo sapientia tua suaviter eis omnia disponente, ut compendio brevi, sarcina levi, ad destinatum finem perveniant: ubi currus & equites deficiunt, qui non formant vel conformant sibi amorem tuum subtiliter indagando: sed ipse amor tuus, simplicem in eis inveniens materiam, format eos, & conformat sibi & effectu & affectu: ut absque eo quod intrinsecus latet, gloria scilicet & divitiis, in domo bonæ conscientiæ non artificiali conamine, sed quasi naturali quadam complexione, lux interior in vultu eorum exteriori relucceat; in tantum, ut de vultus eorum & habitus venusta quadam simplicitate, quædam provocatio charitatis tuæ procedens, rudes etiam nonnunquam ac barbaros animos solo visu ad amorem tuum compun-
G gat. Siquidem redeunte natura ad suam originem, absque doctore fiunt docibiles Dei; & cum spiritus eorum, adjuvante infirmitatem eorum Spiritu sancto, in divinas transeunt affectiones spirituali quadam disciplina modificatis sensibus, etiam corpora eorum spiritales quasdam induunt effigies, & facies plusquam humanas, & singularem quandam gratiam habentes. Sed caro eorum studiis boni exercitij seminata in corruptionem, jam incipit resurgere in gloriam, ut pariter & cor & caro exultent in Deum vivum, & sitiente in te anima, quam multipliciter sitiat & caro. Possident enim beati mites corporis sui terram, quæ spiritualium exercitiorum studiis fœcundata, bono usu etiam dimissa sibi & inculta sponte fructificat, in jejuniis, in vigiliis, in laboribus, parata ad omne opus bonum, absque contradictione vel pigritia. Istos cum video, in amorem amoris tui, qui hæc in eis operatur, totus afficior, quem in eis deprehendo, certa quadam experien-
H tia cognita amantibus. Amo ergo eos quia te amant: & multum amo; sicut amo amorem quo amaris, quem in ipsis amo. Etsi eos hoc modo amo, ut in eis & in affectu eorum naturali nil amem nisi te: cum ipsum affectum ob hoc tantum amem, quia plenus est te; sed & in meipso nonnunquam amem meum affectum, nisi cum ipso affectu me invenio de te, in eis quos amo in te, & in meipso, quem non nisi in te amare volo: quid amo nisi te? Nil penitus.

Nam & si illos, & si meipsum alio quovis modo sentio amare me: plus in hoc odio me habeo quam amori. Invenio igitur te, Domine, in amore meo, sed utinam semper inveniam. Cum enim amor non sit nisi amet, semper autem in me vehemens sit voluntas tui, id est, amor urgens me in te, cur non seu per afficior de te?

Nunquid

A Nunquid aliud est amor, aliud ipsius affectus amoris? Vt video, amor naturæ est, amare te gratiæ est, affectus gratiæ manifestatio, de qua dicit Apostolus: *Vnicuique datur manifestatio Spiritus ad vtilitatem.* Nam quamdiu *corpus quod corrumpitur aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem:* necesse est, vt animæ quantumuis amantis defectus fiat vel profectus: quorum alterum nisi consolaretur, alterum contineret, iste affectus in omnimodum rueret defectum, de quo nullus subleuaret profectus. Semper ergo in anima pauperis tui Deus amor tuus est, sed latens sicut ignis sub cinere, donec Spiritus, qui vbi vult spirat, & quando vult, placitum habuerit, sicut & quantum voluerit illum ad vtilitatem manifestare. Adesto ergo, adesto ô sancte amor, B adesto sacer ignis, vre delectationes renum, & cordium cogitationes: late sicut vis ad faciendam flammam manifestationis tuæ copiosiorem humilitatis materiam. Appare quando vis ad manifestandam bonæ conscientiæ gloriam, & diuitias quas habet in domo sua. Manifesta, vt sollicitum facias ad custodiendum. Absconde, ne temerarium facias ad dissipandum: donec qui cœpit perficiat: qui viuit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum, Amen.

*Visus & admissus per Petrum Curtium, Pastorem S. Petri Louan. die quarta Ianuarij, Anno M. D. X L V I.*

# INCIPIT LIBELLVS Guilhelmi Abbatis Sancti Theodorici, de Amore.

C VENITE *ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis eius.* Intentiones, cogitationes, voluntates affectiones, & omnia interiora mea, venite ascendamus in montem vel locum, vbi Dominus videt vel videtur: curæ, sollicitudines, anxietates, labores, pœnæ, seruitutes, exspectate hic cum asino corpore isto, donec ego cum puero, ratio cum intelligentia, vsque illuc properantes, postquam adorauerimus, reuertamur ad vos. Reuertemur enim, & heu quam cito! Abducit enim nos à nobis charitas veritatis. Sed propter fratres abdicare & abiurare vos, non patitur veritas charitatis. Sed licet retrahat vestra necessitas, non propter vos omnino omittenda est illa suauitas. *Domine Deus virtutum conuerte nos, & ostende faciem tuam, & salui erimus.* Sed heu heu, Domine, quam præproperum est, quam temerarium, quam inordinatum, quam præsumptuosum, quam alienum à regula verbi veritatis & sapientiæ tuæ, corde immundo velle Deum videre. Sed ô summe bonus, summum bonum, vita cordium, lux oculorum interiorum, propter bonitatem tuam, Domine, miserere. Hæc est enim mundatio mea, hæc fiducia mea, hæc iustitia, contemplatio bonitatis tuæ Domine. Ergo, D Domine Deus meus, qui dicis animæ meæ modo quo tu scis, *Salus tua ego sum:* raboni summe magister, vnice doctor videndi quem desidero, dic cæco mendico tuo: *Quid vis faciam tibi?* Et tu scis quia iam hoc ipsum das, vt ex omnibus recessibus suis, abiectis procul omnibus huius sæculi altitudinibus, pulchritudinibus, & quicquid per concupiscentiam carnis, vel oculorum, vel ambitionem spiritus attentare potest vel solet, tibi dicat cor meum, *Exquisiuit te facies mea, faciem tuam Domine requiram: Ne auertas faciem tuam à me, ne declines in ira à seruo tuo.* Impudens quippe & improbus sum, ô adiutor meus antique, & susceptor indefesse: sed amore amoris tui hoc facio, sicut video me non videntem te, & sicut mihi dedisti desiderium tui, & si quid tibi placet in me, & cito ignoscis cæco ad te recurrenti, & manum das in aliquibus incurrendo offendenti.

Respondet mihi quippe in anima & mente mea, tumultuans in me & concutiens omnia interiora mea vox testificationis tuæ, & caligant oculi mei interiores à fulgore veritatis tuæ, ingerentes se mihi: *quia non videbit te homo, & viuere poterit.* Ego enim verè in peccatis totus vsque adhuc, necdum potui mori mihi, vt viuam tibi. Sed tamen ex præcepto & dono tuo sto in petra fidei tuæ, fidei Christianæ, in loco qui verè est penes te, in qua, vt possum, interim fero patienter & amplector & deosculor tegentem & protegentem me dexteram tuam: & aliquotiens contemplans & videre gestiens posteriora videntis me, humilitatem scilicet pertranseuntem dispensationis humanæ Christi filij tui suspicio. Sed cum accedere gestio ad eum, & vel sicut hæmorrhoissa illa, infirmæ & miseræ animæ meæ, à salutifero tactu vel fimbriæ eius quasi furari gesto sanitatem: vel sicut Thomas ille vir desideriorũ, totum eum videre desidero & tangere; & non solum, sed & accedere ad sacrosanctum lateris eius vulnus, ostium scilicet Arcæ quod factum est in latere; vt non tantum mittam digitum meum vel totam manum, sed totus intrem vsque ad ipsum cor Iesu, in Sanctum, sanctorum in Arcam testamenti ad vrnam auream, nostræ animam humanitatis, continentem intra se manna diuinitatis. Heu dicitur mihi, *noli me tangere:* & illud de Apocalypsi, *Foris canes.* Sicque cum dignis conscientiæ meæ verberibus expulsus & propulsus, improbitatis & præsumptionis meæ pœnas cogor luere. Rursumque in petram meam me recipiens, quæ refugium est herinaciis, spinis peccatorum plenis, reamplector & reosculor tegentem & protegentem me dextram tuam: & ex eo quod vel leuiter sensi vel vidi, magis accenso desiderio, vix patienter exspecto, vt aliquando auferas manum tegentem, & infundas gratiam illuminantem: vt tandem aliquando secundum responsum veritatis tuæ mortuus mihi & viuens tibi, reuelata facie ipsa tuam faciem incipiam videre, & affici tibi à visione faciei tuæ. Et ô facies facies, quam beata facies, quæ affici tibi meretur videndo te, ædificans in corde tabernaculum Deo Iacob, & omnia faciens secundum exemplar quod ei ostenditur in monte. Hîc verè & competenter cantat: *Tibi dixit cor meum, exquisiuit te facies mea, faciem tuam Domine requiram.*

Itaque vt dixi, ex dono gratiæ tuæ contemplans omnes angulos conscientiæ meæ, vel terminos, vnice & singulariter desidero videre te: vt omnes fines terræ meæ videant salutare Domini Dei sui: vt amem cum videro, quem amare hoc est verè videre: dico enim mihi in languore desiderij mei, quis amat quod non videt? quomodo potest esse amabile, quod non aliquatenus est visibile? Sed te desideranti amabilia tua quidem occurrunt, & à cœlo & à terra, & ab omni creatura tua se mihi vltrò offerunt & ingerunt, in omnibus adorande & amabilis Domine. Quæ quanto, te manifestius & veriùs prædicant & approbant amabilem, tanto ardentius te mihi faciunt desiderabilem. Sed heu, non ad fruendi perfectam suauitatem & gaudium, sed ad intentionis & defectus (non tamen sine aliqua suauitate) tormentum. Sicut enim mea non tibi perfectè placent oblata nisi mecum: sic bonorum tuorum contemplatio reficit nos quidem dulciter, sed non satiat perfectè nisi tecum. Hæc est enim animæ meæ assidua exercitatio, hinc assiduè scopo spiritum meum, & cum bonis & amabilibus tuis, quasi pedibus & manibus, & totis innitens viribus, sursum tendo ad te, summe amor, summum bonum. Sed quanto tendo fortius, tanto retrudor durius, infra memetipsum, sub memetipso. Sic ergo respiciens, & discernens, & diiudicans

A cans memetipsum, factus sum mihi ipsi de meipso laboriosa & tædiosa quæstio. Tamen, Domine, certus sum per gratiam tuam, desiderium desiderij tui, & amorem amoris tui, habere me in toto corde, & in tota anima mea. Huc vsque te adiuvante profeci, vt desiderem desiderare te, & amen amare te. Sed hoc amans, nescio quid amem. Quid enim est amare amorē, & desiderare desiderium? Amore amamus, si quid amamus: desiderio desideramus, quicquid desideramus. Sed forsitan cum amo amorem, non amo amorem, quo amo quod amare volo, & amo quicquid amo, sed me amantem, cum in Domino laudatur & amatur, à me anima mea, quam proculdubio detestarer & odio haberem, si eam alibi quam in Domino, & in eius amore, invenirem. Sed & de desiderio quid dicemus? Si dicam, desidero esse desiderans, iam me invenio desiderantem. Sed nunquid desiderium tui desiderantem, quasi non habeam, aut desiderium maius quam habeam? Cum ergo hoc modo deficiant, & caligent, & cæcutiant interiores oculi mei; oro vt à te curas aperiantur; non sicut aperti sunt Adæ carnales oculi, vt videret confusionem suam, sed vt videam Domine gloriam tuam; vt oblitus paruitatis & paupertatis meæ, totus erigar, & curram in amplexus amoris tui, videns quem amauero, & amans quem videro: & moriens in me vivere incipiam in te. Et bene sit mihi in te cui pessime est in se. — B — *Gen. 3.*

Sed festina, Domine, ne tardaueris. Habet enim, Domine, sapientiæ tuæ gratia, vel gratiæ tuæ sapientia, sua compendia: & quo ratiocinationis vel rationis nullis argumentis, nullis discussionibus quasi quibusdam scalis conscenditur, ad torrentem scilicet voluptatis tuæ, ad plenum amoris tui gaudium. Cui hoc datum est, si feliter quærens, sæpe repentè se ibi invenit. Sed ô Domine, si quando (quod perrarum) me ne aliqua huius gaudij parte invenio, clamo, vociferor: *Domine bonum est nos hic esse; faciamus hic tria tabernacula*: fidei vnum, spei vnum, amori vnum. Nunquid nescio quid dicam, cum dico, *bonum est nos hic esse?* sed repentè cado in terram quasi mortuus, & respiciens nihil video, & me vbi prius eram invenio, in dolore scilicet cordis, & afflictione spiritus. *Vsquequo Domine, vsquequo? quam diu ponam consilia in anima mea, dolorem in corde meo per diem?* quam diu *non permanebit spiritus in hominibus; quia caro sunt*, sed venit & vadit & *spirat spiritus vbi vult?* Sed *in convertendo dominus captiuitatem Sion, facti erimus sicut consolati: tunc replebitur gaudio os nostrum, & lingua nostra exultatione*. Interim *heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est: habitaui cum habitantibus, cedar, multum incola fuit anima mea.* — *Matt. 17. Marc.* — C — *Psal. 12.* — *Gen. 6.* — *Ioan. 3.* — *Psal. 125.* — *Psal. 119.*

Sed respondet mihi intus in corde meo veritas consolationis tuæ, & consolatio veritatis tuæ. Est amor desiderij, & est amor fruitionis. Amor desiderij meretur aliquando visionem, visio fruitionem, fruitio amoris perfectionem. Gratias ago gratiæ tuæ, qui loqui dignaris ad cor serui tui, & anxiis eius quæstionibus aliquatenus respondes. Suscipio & amplector hanc Spiritus tui arrham, & lætus exspecto in arrha promissionem tuam. Desidero itaque amare te, & amo desiderare te: & hoc modo curro vt apprehendam in quo apprehensus sum, scilicet vt amem te perfectè aliquando, ô qui prior nos amasti amande & amabilis Domine. Sed est ne aliquando aut alicubi, Domine, hæc amoris tui perfectio? Hæc in amore tuo beatitudinis consummatio, vt sitiens anima ad Deum fontem vivum sic satietur, sic impleatur, vt dicat sufficit. Minor quicunque vbicunque ille sit, si non deficit, si dicit sufficit: sed vbi istius sufficientiæ est defectio, quæ potest esse perfectio? Nusquam igitur & nunquam perfectio. Sed & inimici Domine, nunquid regnum tuum possidebunt? Iniustus autem est, qui non tantum diligit, & debitorem se sentit, & intelligit te amare, quantum ab aliqua creatura tibi possibile est amari te. Confitetur etiam beata illa — D — *Psal. 41.*

Saraphim, quæ à vicinitate præsentiæ tuæ, & à claritate visionis tuæ, ardentes interpretantur & sunt, plus amare te quam aliquem qui minor est in regno cœlorū. Qui si in regno cœlorū non dicam minimus, sed nonnullus est, vtique desiderat amare te quantū ab aliquo vel potes amari vel debes: & hoc forsitan est in quod desiderant Angeli prospicere. Desiderat ergo beatus ille minor, quicunque ille est, tantum te amare, quantum te amat quicunque eo plus amat, non æmula infectatione, sed pia & deuota intentione. Si verò & in amore proficit, quanto feliciùs illuminatis oculis in interiora procedit, tanto dulcius sentit & intelligit, si ingratus non est & iniustus, & te plus posse amari, & se debitorem plus amare, vel quantum te amant Cherubim & Seraphim. Sed qui desiderat quod assequi non potest, miser est: miseria verò est à regno beatitudinis prorsus aliena. Assequitur ergo quod desiderat, quisquis ibi aliquid desiderat. Quid dicemus ad hæc, quid inquam dicemus? *Loquere Domine* obsecro, *quia audit seruus tuus*. Nunquid & magni paruique omnes qui sunt in regno Dei, vnusquisque in suo ordine, & amat, & amare desiderat, & amoris vnitas non sinit vt sit diversitas dum amat, cui hoc datum est, ardentius. Minor autem in amore sine invidia bonum vbicunque videt, amat quod ipse sibi desiderat, & habet vtique amorem, quantuscunque est quem in amante amat. Nimirum amor est qui amatur: qui ex magna bonitatis suæ affluentia & natura, amantes & coamantes, gaudentes & congaudentes, pari implet gratia, licet dispari mensura. — E — *1. Petr. 1.* — F — *1. Reg. 3.*

Et quanto se amantium sensibus largiùs infundit, tanto eos capaciores sui efficit, satietatem faciens, sed sine fastidio: de ipsa satietate non minuens desiderium sed augens, sed remota omni anxietatis miseria. Amor enim est, vt dictum est, qui amatur, qui à voluptatis tuæ torrente omne ab amatore suo repellit vel in satietate fastidium, vel in desiderio anxietatem, vel in zelando invidiæ miseriam, illuminans eos, vt dicit Apostolus, à claritate in claritatem; vt in lumine videant lumen, & in amore concipiant amorem. Hic est enim fons vitæ qui semper fluit, & nunquam percessit. Hæc est gloria, hæ sunt divitiæ in domo beati amatoris tui, quia præsto est desideranti & amanti quod desiderat & quod amat. Ideo & qui desiderat, sæper amat desiderare; & qui amat, semper desiderat amare; & desideranti & amanti, quod desiderat & amat, sic facis abundare, ô Domine, vt nec anxietas desiderantem, nec fastidium affligat abundantem. Et nunquid, obsecro, Domine, hæc est via æterna, de qua cantat Psalmus: *Et vide si via inquitatis in me est, & deduc me in via æterna?* Hæc est affectio, hæc est profectio, sic semper ire, est pervenire. — *2. Cor. 3.* — G — *Psal. 35.* — *Ps. 138.*

Vnde Apostolus tuus, qui paulò antè dixerat, *Non quod acceperim, aut perfectus sim; sequor autem si comprehendam, in quo comprehensus sum in Christo Iesu. Vnum*, inquit, *quæ retro sunt obliviscens, ad ea verò quæ sunt priora extendens me, ad destinatum persequor brauium supernæ vocationis in Christo Iesu, Quicunque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus.* Et hoc est amare tuum, quo amas te amantes à dulcedine bonitatis tuæ, quam habes ad creaturam tuam, creator bone, inspirare eis hoc desiderium amandi te, & amorem quo amant, & desiderare & amare te. Non enim afficeris ad nos vel à nobis cum nos amas. Sed es qui es, qui semper idipsum es, cui hoc est esse, quod bonum esse. Bonum autem tibi in te, & omni in te creaturæ tuæ. Nos autem à te ad te afficimur, cum te amamus, qui possumus aliquo misero modo esse, & non amare te; id est, esse & male esse. Tibi autem, qui semper idem es, nihil accedit, si amando proficimus ad te; nihil decedit, si deficimus a te. Cum autem nos amas, non nisi propter te amas; cum verissima summæ iustitiæ regula etiam nos nil amare permittat extra te. Et certè possibile est amori, — *Philip. 3.* — H

Deum.

A Deum amantis ( vbi magna occurrit gratia ) eo proficere, vt nec te nec se amans propter se, & te & se propter te solum amet. Et per hoc reformatus ad imaginem tuam, ad quam creasti eam, qui ex veritate tuæ naturæ, & natura veritatis tuæ, nec te nisi propter te, nec Angelum, nec hominem amare potes nisi propter te. Et ô felicem & felicissimam animam, quæ Deo sic adeo meretur affici, vt per vnitatem spiritus in Deo solum amet Deum, non suum aliquid priuatum: nec nisi in Deo amet seipsam: & Deus in ipsa amet vel approbet, quod amare & approbare debet Deus. id est, seipsum, immò quod solum debet amari & à creatore Deo, & à creatura Dei. Amoris enim vel nomen vel affectus nulli competit vel debetur, nisi tibi soli ô vere amor, & amande Domine. Et hæc in nobis voluntas Filij tui: hæc pro nobis oratio eius ad te

B *Ioan.17* Deum Patrem suum: *Volo, vt sicut ego & tu vnum sumus, ita & in nobis ipsi vnum sint.* Hic est finis, hæc *Mat.25* *Apoc.8.* est perfectio, hæc est consummatio, hæc est pax, hoc est gaudium Domini, hoc est gaudium in Spiritu sancto, hoc est silentium in cœlo. Quàm diu quippe in hac vita sumus, hoc felicissimæ pacis silentio in cœlo, id est, in anima iusti, quæ sedes est sapientiæ, aliquando fruitur affectus, sed hora dimidia, vel quasi dimidia. *Psal.75* *Mat.25.* Intentio verò de reliquiis cogitationis diem festum aget tibi. In illa verò beata & æterna vita de qua dicitur, *intra in gaudium Domini tui*, sola erit perfecta & æterna fruitio; & tanto felicior, quanto, remotis iam omnibus quæ hæc tardare vel impedire videntur, amoris eius indissolubilis æternitas, irrefragabilis perfectio, incorruptibilis erit beatitudo. O amor veni in nos: posside nos. Dispereant à facie tua in nobis omnia fœditatis nomina, quæ à concupiscentia carnis, & oculorum, & superbia vitæ huic innascuntur affectui, quasi spuria quædam vitulamina: affectu, inquam, qui amor in nobis dicitur, & corrumpitur sæpius insto morbis animæ à te creatæ, & ad te creatæ, ad te solum conversus & reluctans lege naturali, & reclamans, cogitur vocari luxuria, gula, auaritia, & his similia: qui incorruptus & in sua permanens natura, ad te solum est, Domine, cui soli amor

C debetur. Est enim amor animæ rationalis, sicut dicit quidam seruus tuus, motus, vel quieta statio, vel finis in id vltra quod nil appetat, vel appetendum iudicet voluntatis appetitus. Vltra te verò, vel supra te, qui quærit aliquid, tanquam melius te, nihil est quod quærit: quia nihil est melius te, vel dulcius ô bone & dulcis amor: ideoque nihil efficitur recedendo à te, qui amandus solus es verè: & fornicatur & luxuriat in alienis affectibus, aliena ( vt dixi ) nomina habentibus. Amor enim ( vt sæpe dictum est, & sæpius di-*Eccl.20.* cendum est ) ad te solum est Domine, in quo solo est quicquid vere est: vbi quieta & secura statio. Quia *Deum timere* timore amoris casto, *& mandata eius obseruare, hoc est omnis homo.* Recedat itaque ab anima mea omnis iniustitia, vt te diligam Dominum Deum meum ex toto corde meo, ex tota anima mea, & ex omnibus viribus meis. Recedat omnis zelotypia, vt tecum aliquid amem quod propter te non amem, ô verè vnice amor, & verè Domine. Cùm verò propter te aliquid amo, non illud amo, sed te propter quem amo quod amo. Tu enim verè solus es Dominus, cuius dominari super nos, hoc est saluare nos, *Psal.2.* *Psal 79.* nostrum verò seruire tibi, nihil aliud est quàm à te

D saluari. Quæ est enim salus tua, ô Domine; cuius est salus, & super populum tuum benedictio tua, nisi *Matt.1.* quam à te accepimus vt amemus te, vel amemur à te? Idcirco Domine, Filium dextræ tuæ, hominem quem confortasti tibi, Iesum, id est, Saluatorem appellari voluisti: *ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum*: & non est alius in quo sit salus, qui docuit nos amare se, cum prior dilexit nos: amando & diligendo suscitans nos, vt amemus, qui vsque in finem prior dilexit nos. Hæc est iustitia filiorum hominum: ama me, quia amo te. Rarus autem est qui dicere possit, amo te, vt ames me. Hoc tu fecisti, quia sicut

E clamat & prædicat seruus amoris tui, *prior dilexisti* *1.Ioan.4.* *nos.* Et sic planè sic est, prior amasti nos vt amaremus te. Non quòd egeres amari a nobis, sed quia, quod nos fecisti, esse non poteramus, nisi te amando. *Heb.1.* Ideo *multifariè multisque modis olim locutus patribus in prophetis, nouissimè diebus istis locutus es nobis in Filio,* *Psal.32.* id est, in Verbo tuo quo *cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Loqui tuum in Filio tuo, non est aliud, quam in sole, id est, in manifesto ponere. *Rom.8.* Quantum & quomodo nos amasti, *qui proprio Filio tuo non pepercisti, sed pro nobis omnibus eum tradidisti:* *Ephes.5* qui etiam *dilexit nos & tradidit semetipsum pro nobis.* Hoc est verbum tuum ad nos Domine, hic omnipotens Sermo, qui dum medium silentium, profundum scilicet erroris, tenerent omnia: à regalibus sedibus venit durus errorum debellator, dulcis amoris commendator.

F Et quicquid fecit, quicquid dixit in terris vsque ad sputa, & alapas, vsque ad crucem, & sepulchrum, non fuit nisi loqui tuum nobis in Filio: amore tuo prouocans & suscitans ad te amorem nostrum. Sciebas enim creator animarum Deus, in animabus filiorum hominum cogi non posse, sed prouocari oportere affectum istum: simul etiam quia vbi coactio, iam non libertas: vbi non libertas, nec iustitia. Tu autem Domine iuste, saluare nos volebas iustè, qui nullum saluas vel damnas nisi iustè: ipse nobis formans iudicium & causam, sedens super thronum, & iudicans iustitiam, sed quam tu fecisti: *vt omne os obstruatur, & subditus fiat omnis* *Psal.9.* *Rom.3.* *mundus Deo*: cùm misereris cui misereris: & misericordiã præstas, cuius misertus fueris. Voluisti ergo vt amaremus te, qui nec iustè poteramus saluari nisi amaremus te: nec amare te poteramus, nisi procederet à te. Ergo, Domine, sicut Apostolus amoris tui dicit, & nos iam *1.Ioan.4.* diximus, *prior dilexisti nos*: & prior diligis omnes dilectores tuos. Sed nos te diligimus affectu amoris à te nobis indito: tu verò conditor omnium & affectuum bonorum, & animarum afficiendarum, nunquid accidenti vel incidenti amoris affectu amas quos amas, vel aliquo in aliquo afficeris, qui & omnes facis & omnia? Absit. Absurdum est, procul est à fide, alie-

G num ab omnium creatore. Quomodo igitur nos amas, si nos amare non amas. Sed amor tuus bonitas tua est, summe bonus & summum bonum. Spiritus sanctus à *Genes.1.* Patre procedens & Filio, qui ab initio creaturæ superfertur super aquas, id est, super mentes filiorum hominum fluctuantes, omnibus se offerens, omnia ad se trahent, inspirando, adspirando, noxia arcendo, prouidendo, vtilia: Deum nobis, & nos vniens Deo. Sic enim ipse Spiritus sanctus tuus, qui amor dicitur Patris & Filij, & vnitas, & voluntas, per gratiam suam in nobis habitans, & Dei in nobis charitatem commendans, & per ipsam ipsum nobis concilians, Deo nos vnit, per inspiratam nobis voluntatem bonam, cuius bonæ voluntatis vehementia, amor dicitur in nobis, quo amamus, quod amare debemus, te *Amor quid.* scilicet. Nihil enim aliud est amor, quàm vehemens & bene ordinata voluntas. Amas ergo te, ô amabilis Domine, in teipso, cùm à Patre procedit & Filio Spiritus sanctus, scilicet amor Patris ad Filium, & filij ad Patrem; & tantus est amor vt sit vnitas, tanta vnitas vt sit homousion, id est, eadem Patris & Filij substantia. Amas & te ipsum in nobis, mittendo Spiritum filij tui in corda nostra, à dulcedine amoris, à vehementia inspiratæ à te nobis bonæ voluntatis, cla-

H mantem abba Pater: sic nos efficiens tui amatores; imò sic teipsum in nobis amans, vt qui primùm sperabamus, quia noueramus nomen tuum Domine, & gloriabamur in te, qui diligebamus nomen Domini in te ô Domine: iam per inspiratam nobis gratiam per Spiritum adoptionis tuæ, omnia quæ Patris sunt, nostra esse confidentes, ipso te nomine inuocemus per adoptionis gratiam, quo Filius tuus vnicus per naturam. Sed quia hoc abs te totum est, cuius amare, hoc est benefacere: à quo omne datum optimum, & omne donum per-

fectum,

A fectum, summe Pater luminum, tu teipsum ama in nobis, & nos in te, cùm per te amabimus, & in tantum tibi vniemur, in quantum amare te merebimur: & participes efficiemur, vt dictum est, orationis illius Christi Filij tui: *Volo, vt sicut ego & tu vnum sumus, ita ipsi in nobis vnum sint.* (Ioan. 17.) Genus enim tuum sumus, Domine; *genus Dei*, (Act. 17.) sicut dicit Apostolus tuus, transferens ethnici sententiam de malo vase in vas bonum: vt non nisi ipsum & vas bonum sapiat. *Genus*, inquam, *sumus Dei, dij & filij excelsi omnes:* (Psal. 81.) cognatione quadam spirituali magnam apud te nobis vendicantes affinitatem: cùm per Spiritum adoptionis Filius tuus vnum nobiscum nomen sortiri non dedignatur: & cum ipso & per ipsum præceptis salutaribus moniti, & diuina institutione formati, audemus dicere: *Pater noster qui es in cælis.* (Matt. 6. Luc. 11.) Amas itaque nos in quantum nos efficis tui amatores; & nos amamus te, in quantum à te Spiritum tuum accepimus, qui est amor tuus, obtinentem & possidentem omnes affectionum nostrarum

B recessus, & perfectè eos convertentem in puritatem veritatis tuæ, & veritatem puritatis tuæ in plenum amoris tui consensum, tantaque fit coniunctio, tanta adhæsio, tanta dulcedinis tuæ fruitio, vt vnitas ab ipso Domino nostro Iesu Christo Filio tuo vocetur dicente: *Vt sint vnum in nobis*, tantæ dignitatis, tantæ gloriæ, vt subsequatur & dicat: *Sicut ego & tu vnum sumus.* O gaudium! ô gloriam! ô diuitias! ô superbiam! Habet enim sapientia sui generis superbiam quæ dicit: *Mecum sunt diuitiæ & gloria, opes superbæ, & iustitia.* (Prou. 8.) Quid autem est absurdius, quàm vniri Deo amore, & non beatitudine? Beati enim verè, & vnicè, & singulariter, & perfectè beati, qui verè & perfectè amant te: nullus autem & nullo modo beatus, qui non amat te Domine Deus. Beatum enim (Beatitudinis diffinitio.) dixerunt populum cui hæc, sed mentiuntur: quia solus beatus, cuius est solus Dominus eius. Quid est enim beatum esse, nisi non velle nisi bonum, & omnia habere quæcunque vult? Te igitur velle, & vehementer velle, quod est amare, & singulariter amare, qui non dignaris cum aliqua omnino re, siue carnali, siue spirituali; siue terrestri, siue cælesti, quæ non ametur propter te. Hoc demum est velle nisi bonum, hoc est habere omnia quæcunque vult, quia habet te quis in quantum amat te. Ergo & amore & beatitudine vniri Deo intelligimus, quòd verè *Domini est salus, & super populum tuum benedictio tua.* (Psal. 3.)

C Ideoque orationes nostras, vota & sacrificia & omnia nostra offerimus tibi Pater assiduè per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, credentes & intelligentes ex te, à te, & ad te, per ipsum nobis esse quicquid nobis bonum est, à quo habemus ipsum esse, qui omnia per subministrationem Spiritus tui sancti, habitantis in nobis, fieri credimus, & intelligimus quantum intelligere fas est: qui, vt dictum est, conformans sibi & vniens spiritum nostrum, spirat in nobis quando vult, quomodo vult, quantum vult: *cuius sumus factura creati in operibus bonis*, (Ephes. 2.) existens sanctificatio nostra, iustificatio nostra, amor noster. Ipse est enim amor noster, quo ad te pertingimus, quo te amplectimur. Alioquin, ô incomprehensibilis Maiestas, comprehensibilis esse videris animæ te amanti. Licet enim nullus sensus cuiuslibet animæ vel spiritus te comprehendat; tamen totum te, quantus es, comprehendit amor amantis, qui totum te amat quantus es: si tamen est totitas, vbi non est particularitas; si quantitas, vbi non est tantitas; si est comprehensibilitas, vbi hæc

D omnia non sunt. Sed cùm te amamus, afficitur quidam spiritus noster Spiritui tuo sancto, per quem habitantem in nobis charitatem Dei habemus diffusam in cordibus nostris. (Rom. 5.) Cumque amor tuus, amor Patris ad Filium, amor Filij ad Patrem, Spiritus sanctus habitans in nobis ad te, est quod est, id est, amor, omnem captiuitatem Sion, id est, animæ nostræ omnes affectiones in se convertens, & sanctificans amamus te, vel tu amas te in nobis: nos affectu, tu effectu: &

E vnum nos in te efficiens per vnitatem tuam, id est, ipsum Spiritum sanctum tuum, quem dedisti nobis: vt sicut non est aliud Patri nosse Filium, nisi hoc esse quod est Filius, & nihil aliud Filio nosse Patrem, nisi hoc esse quod est Pater, vnde in Euangelio: *Nemo novit Patrem nisi Filius, & nemo Filium nisi Pater:* (Mat. 11.) & sicut Spiritui sancto nihil est aliud nosse vel comprehendere Patrem vel Filium, quàm hoc esse, quod est Pater & Filius: ita nobis (qui ad imaginem tuam conditi sumus, & ab illa per Adam inveterati, per Christum ad illam renovamur de die in diem) amantibus Deum nihil sit aliud amare & timere Deum, & mandata eius obseruare, quàm esse, & vnum cum Deo esse. *Deum* enim *timere & mandata eius observare, hoc est omnis homo.* (Eccl. 12.) Adorande, tremende, benedicende, da eum nobis. *Emitte Spiritum tuum, & creabuntur, & renovabis faciem terræ.* (Ps. 103.) *Non* enim *in diluuio aquarum multarum*, (Psal. 31.) in perturbatione & confusione affectionum tam diversarum *ad eum appropinquabunt.* Iam sa- (Gen. 8.)

F tis Domine durauit cataclysmus iste, pœna filiorum Adæ: adduc spiritum super terram, recedat mare, recedat antiquæ damnationis salsugo; & appareat arida fontem vitæ sitiens. Veniat columba Spiritus sanctus, expulso teterrimo alite, & cadaueribus suis incubante: veniat inquam columba ramo oliuæ, ramo refectionis & luminis pacem annuncians. Sanctificet nos sanctitas & sanctificatio tua, vniat nos vnitas tua; vt Deo qui est charitas, velut cognata quadam affinitate per charitatis nomen sociemur, per virtutem nominis vniamur. Sed interest, Domine, quomodo quis te amet. Multi autem, sicut ait quidam à te illuminatus, amant veritatem lucentem, & non amant redarguentem, iustitiamque multi colunt affectu; à qua procul sunt effectu; approbantes eam & amantes eam in seipsa, non autem exercentes eam in seipsis. Nunquid isti verè te amant ô vera iustitia Deus, & nunquid isti verè te amant? Philosophi mundi huius olim eam coluerunt & affectu amoris, & effectu operis, in tantum vt diceretur ab eis: Oderunt peccare boni virtutis amore. Sed convincuntur iustitiam non amasse qui non amauerunt te, à quo fons & origo, & in

G quem finis & recursus veræ iustitiæ, & sine quo omnes iustitiæ hominum sicut pannus menstruatæ. (Esai. 64.) Non enim habebant fidem, quæ per dilectionem operatur, licet affectatum quendam amorem, & opera quædam haberent honestatis: quæ quia ex fonte veræ iustitiæ non prodibant, nec in veræ iustitiæ finem ibant, tanto desperatiùs errabant, quanto fortiùs extra viam currebant. Via enim patens est, ô Pater, Christus tuus, qui dixit: *Ego sum via, & veritas & vita.* (Ioan. 14.) Veritas ergo tua vel vita ad quam itur, & via per quam itur, metam & simplicem nobis describit formam diuinæ & veræ philosophiæ, dicens ad discipulos: *Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos: manete in dilectione mea, si præcepta mea obseruaveritis, manebitis in dilectione mea, sicut & ego præcepta Patris mei seruavi, & maneo in eius dilectione.* (Ioan. 15.) Ecce dilectus dilecti, sicut in Psalmo legitur, (Psal. 67.) cum Pater diligit Filium, & Filius manet in dilectione Patris, vsque ad plenam mandatorum eius observationem. Rursusque dilectus dilecti cum dilectus discipulus diligit magistrum Christum vsque ad mandatorum eius observationem: & vsque ad mortis necessitatem non perdit hanc voluntatem, in illuminatione veritatis & amoris eius: rebus omnibus, & idoneis ad bonum, & pronis ad malum, & inter vtrumque mediis bene vtens in bono:

H quod proprium est Christianæ virtutis. (Quid sit virtus.) Est enim virtus, sicut iam ante nos dictum est, bonus vsus liberæ voluntatis: opus verò virtutis, bonus illarum rerum vsus, quibus etiam malè vti possumus. Exinde ne manca sit charitas, docemur & amare proximum secundùm legem charitatis puram: vt sicut Deus non nisi seipsum amat in nobis, & nos solum Deum didicimus amare in nobis, ita & proximum sicut nos suscipiamus amore, in quo solum Deum amamus sicut in

nobisipsis.

A nobisipsis. Sed vt quid tot verba? Sed nuda est, Domine, & gelida & algens anima mea misera, & desiderans calefieri calore amoris tui. Ideo vestes non habens, panniculos hos vndecumque collectos contraho, & consuo ad tegendam nuditatem meam; & non,
3.Reg 17. vt sapiens illa Sareptana, duo ligna, sed surculos istos minutos de deserti mei vastitate, de cordis mei spatiosa collige vanitate: vt aliquando ingrediar in tabernaculum domus meæ, & faciam mihi de pugillo farinæ, & de hydria olei, vt comedam & moriar, imo Domine non moriar, sed vivam, & enarrem opera
Osea 8. Domini. Stans igitur in domo solitudinis quasi onager
Ierem 2. solitarius, & habitationem habens in terra salsuginis,
Psal.118 & attrahens ventum amoris mei, *os meum aperio* ad te, Domine, *& attraho spiritum.* Et nonnunquam Domine quasi clausis oculis ad te inhianti mittis mihi in os cordis, quod non licet mihi scire quid sit. Saporem quidem sentio, dulcem adeò, suavem adeò,
B adeò confortantem, vt si perficeretur in me, nihil mihi vltra quærerem. Sed tamen cum accipiens, nullo corporis nisu, nullo animæ sensu nullo spiritus intellectu advertere me permittis quid sit. Cum autem accepero, tenere & ruminare volo, & diiudicare eius saporem, sed statim transit. Deglutio quidem illud, quicquid illud est, in spem vitæ æternæ; sed operationis eius virtutem diu ruminando, omnibus animæ meæ venis & medullis quasi vitalem quendam succum optabam transfundere: vt ab omnibus aliis affectionibus desiperet, & illud solum & semper saperet: sed festinat transire. Et cùm de inquisitione eius vel acceptione vel visu formata quædam lineamenta, memoriæ gestio arctiùs impressa committere, vel etiam memoriam subsidium scripto iuvare, & experimento co-
Ioan 3. gor dicere quid illud sit quod in Evangelio dicis de spiritu: *Et nescis vnde veniat, aut quo vadat.* Quæcunque enim quasi quibusdam lineamentorum figuris commendare curo memoriæ, quorum quasi reductu quodam, cùm voluero, illuc me recolligam, ac per hoc sub ... mihi velim posse quotiescunque voluero, audio à Domino: *Spiritus vbi vult spirat*, sentiens etiam in me, quia non quando ego volo, sed quando
C ipse vult, spirat. Omnia illa interiora mortua invenio & insipida, & ad te solum levandos esse oculos,
Psal.35. *fons vitæ*, vt *in tuo* solo *lumine videam lumen.* Ad te ergo, Domine, sunt vel sint oculi mei, ad te, in te, de te proficiant omnes animæ meæ profectus; & cum defecerit virtus mea, quæ nulla est, post te anhelent omnes defectus eius. Sed interim, quamdiu me differs? quamdiu miseram & anxiam & anhelam, post te animam meam protrahis? *Absconde me* obsecro *in abscon-*
Psal. 30. *dito faciei tuæ à conturbatione hominum, protege me in tabernaculo tuo à contradictione linguarum.* Sed iam
Asinum vocat corpus suum, & pueros subditos suos. asinus renocat, & pueri perstrepunt. Nunc ergo, Domine, plena fide te Deum colo, vnum omnium principium & sapientiam qua sapiens est quæcunque anima est sapiens, & ipsum donum quo beata sunt quæcunque beata sunt. Te vnum Deum colo, adoro, benedico, te ex toto corde meo, & ex tota mente mea, & ex omnibus viribus meis vel amare amo & desidero. Quisquis Angelorum vel bonorum spirituum te diligit, constat quia & me diligit diligenté etiam te in te. Quisquis in te manet & potest sentire preces vel affectiones humanas, scio quòd me in te exaudit, in quo & ego eorum gloriæ congratulor. Quisquis te habet bonum suum, in te me adiuvat, nec mihi tui participationem
D potest invidere. Solus enim apostatæ spiritus est, nostram miseriam, suam facere lætitiam, nostrum bonum, suum facere damnum: nimirum quia à communi omnium bono, & vera beatitudine lapsus non est subditus veritati, privato suo gaudens, & commune omnium odiens bonum. Te igitur Deum Patrem, quo creatore vivimus, te Sapientia Patris, per quam reformati sapienter vivimus; te sancte Spiritus, quem, & in quo diligentes beatè vivimus, & beatissimè vivemus, vnius substantiæ Trinitatem, vnum Deum, à quo sumus, per quem sumus, à quo peccando discessimus, cui dissimiles facti sumus, à quo perire permissi sumus, principium ad quod recurrimus, forma quam sequimur, gratia qua reconciliamur, adoramus & benedicimus. Tibi gloria in secula Amen. E

*Visus & admissus per Petrum Curtium, Pastorem S. Petri Lovan. die quarta Ianuarij. Anno M. D. X L V I.*

CÆtera eiusdem Gullelmi S. Theodorici Abbatis opera quæ sunt 1. Epistola seu liber de vita solitaria ad Patres Carthusienses de Monte Dei. 2. Liber de natura & dignitate amoris. 3. Tractatus de expositione Missæ. 4. Libri duo de natura animæ & corporis. 5. Speculum fidei. 6. Ænigma fidei. 7. Disputatio adversus Petrum Abælardum. 8. Liber de Sacramento altaris. 9. Expositio super Cantica. 10 Expositio super Epistolam ad Romanos. 11. Liber de vita S. Bernardi, reperiuntur tomo 4. novæ Bibliothecæ Patrum Cisterciensium, F & etiam inter opera S. Bernardi, S. Anselmi & S. Thomæ Aquinatis.

# GVIGONIS CARTHVSIANI MEDITATIONES.

## Ex Ioa. Trithemio Abbate Spanheimensi, de Guigone Carthusiano.

*GVIGO quintus Prior Carthusiæ, vir in divinis literis scripturisque longo studio peritus, & secularium literarum non ignarus; ingenio placidus, & eloquio clarus, nec minus conversatione quam doctrina venerabilis: fertur nonnulla composuisse opuscula, quibus nomen suum immortalitati donatum est. E quibus exstat insigne opus luculento sermone conscriptum:* G

*De vita Hugonis Gratianopolitani Episcopi. Liber. 1.*

*De institutionibus Charthus. Liber 1.*

*Et quædam alia. Epistolas beatissimi Patris Hieronymi nimio scriptorum vitio depravatas, diligenti studio ad veritatis limam emendavit, & in vnum comportavit. Moritur sub Lothario Imperatore iuniore. Anno Domini 1137. Indictione x v. 6. Calend. Augusti.*

## EX CORONA CARTHVSIANA Venerabilis Patris Petri Dorlandi, de eodem.

*GVIGO Prior Carthusiæ, vir literis secularibus & divinis admodum eruditus, facundi sermonis eloquio clarus, ingenio solers, memoria tenax, exhortatione efficacissimus, inter Priores sui Ordinis clarissimum luminare. Hic gratiæ spiritualis vnguento mirifice delibutus, Carthusiensis propositi constitutionem, & scripto digessit & exemplo monstravit: qui & propositi sui sequaces multos habere promeruit. Hic in corpore mortali conversatione m suscipiens Angelorum, æthere magis quam terris se dignum præstans, aureis (vt ita dicam) pennis evolavit in cælum. Sub hoc Patre siquidem Domus portarum excubiarum, Durbonii, Silva benedicta, Maiorevi, Arveriæ, exordium sumpserunt, simul & incrementum. Hic libris authenticis perquirendis, scribendisque & emendandis studium præbuit infatigabile. Epistolas B. Hie-* H

ronymi

A *ronymi multipliciter vitiatas, erroreque scriptorum corruptas, ingenij sui propè divini vbertate, ad veritatis lineam redaxit, ostendens in præfatione, quæ Epistolæ, & quæ non, ipsi Beato Hieronymo forent adscribendæ. Scripsit quoque admirabilem sanctissimi præsulis Hugonis Gratianopolitani vitam, quā nos suprà texigimus. Scripsit & librum Meditationum, eloquentia clarum, sententiis vbique gravissimum, dignum qui nedum à devotis, verum & à doctissimis revisetur. Scripsit & Epistolas præstabiles, & eloquentia claras, & cœlesti quodam igne calefactas, præsertim ad Beatum Bernardum Abbatem Claravallis, sui amantissimum: ad alios quoque, quos virtus sibi vel meritum conciliavit, viros egregios. In his Epistolis est eruditio insignis, sermo suavis & purus, oratio luculenta, laudabileque compendium, cum adhortatione admirabili. Quod dulcisonæ simul & efficaces eius fuerint Epistolæ, ostendit S. Bernardus, qui eum vt suum* B *cor diligebat: scribens in hæc verba, Patrum reverendissime, amicorumque charissime, legi Epistolam tuam: & quas volvebam in ore literas, scintillas in pectore sentiebam, quibus & concaluit cor meum intra me, tanquam ex illo igne quem Dominus Iesus misit in terrā. &c.*

*Tandem bonorum studiorum in terris finem faciens felicibus meritis ditatum spiritum suum Domino commendavit, sexto Calendas Augusti, Anno Christianæ salutis septimo & trigesimo post millenum & centenum: Ætatis suæ quarto & quinquagesimo. Conversionis suæ Trigesimo. Prioratus verò sui septimo & vigesimo: Ab inceptione verò sacri Ordinis, tertio & quinquagesimo.*

---

*Ex Gallia Christiana capite de Prioribus Carthusiæ.*

GVigo Delphinas Valentinensis, fit prior anno 1110. Primus Consuetudines ordinis sui in scriptum digessit. Cluniaci Innocentio II. occurrit anno 1130. sequenti S. Bernardum Abbatem Claravallis in Cartusia hospitem excepit; cuius extant Epist. 11. & 12. C cum perhonorifica mentione, necnon Petri Venerabilis. Lib. 1. ep. 24. lib. 2. ep. 12. in quibus affectum mentis tuamque erga illum benevolentiam significat; scripsit autem Guigo vitam S. Hugonis Gratianopolitani Episcopi, quæ Innocentio II. Papæ dicata reperitur apud Surium die 1. Aprilis, Meditationes, aliave opera, de quibus videndæ notæ Quercetani eruditissimi ad Epistolas Petri Venerabilis, ad meliorem vitam migrat 27. Iulij anno 1137.

Librum eiusdem de contemplatione ineditum asservari in primaria Carthusia asserunt Possevinus & Vossius, quem tamen eundem esse arbitror qui inter opera S. Bernardi sub titulo Scalæ claustralium circumfertur.

# VENERAB. PATRIS GVIGONIS CARTHVSIANI MEDITATIONES ALIQVOT

D Pientissimæ.

## CAPITVLVM I.

*De veritate & pace, & quomodo per solam veritatem pax habetur.*

VERITAS ponenda est in medio, tanquam pulchrum aliquod. Nec iudices si quis eam abhorret, sed compatere. Tu verò cùm ad eam venire desideres, cur respuis eam, cùm de tuis E vitiis increparis? Vide quanta patiatur veritas. Dicitur ebrioso, ebriosus es: luxurioso, superbo, linguosoque similiter. Hoc autem verum est. Insani ut tamen illi protinus, & veritatem in suo prædicatore persequuntur & occidunt. Vide quantum honoratur mendacium. Dicitur pessimis & vitiorum omnium seruis: Boni Domini. Placantur, gaudent, & mendacium ipsum in ita loquente venerantur.

Sine aspectu & decore, crucique affixa, adoranda est veritas.

Quanto quæque creatura nobilior est & potentior: tanto libentius subditur veritati: imò hinc potens & nobilis, quia subditur ei.

Pungunt temporalia: cur non fugis ad alia, id est, ad veritatem?

Ideo vltra omnia adversa amara est nobis veritas: quia singulæ adversitates, singulas aut plures oppugnant F voluptates. Veritas autem simul omnes calumniatur.

Si colores omnes, & cætera quæ per oculos experiri possunt, esses expertus, aut ab aliis sensibus corporis sis expertus: si rumores omnes aut recitares, aut audires, quæ vtilitas? Sic nec in tantis quæ expertus es vel audisti.

Neminem odisse potes, nisi tua iniquitate. Nam etiam iniquis optare bonum: sanctorum est. Veritatem tantùm & pacem, quæ ex ea procedit, amare oportet.

Minister veritatis amet quod ministrat, & cui ministratur. Et cùm idipsum ab alio ministratur sibi, cum gratiarum actione suscipiat, tanquam id quod amat.

Charitas sit tibi causa dicendi veritatem, tanquam medendi. Quod si quis etiam non recipit, aut compateris ei, aut non eum diligis, aut id quod spernit vile ducis, tanquam si respuat æger salubrem medicinam.

Veritatem sine fine pax sequitur communis cum Angelis: mendacium, labor & dolor, communis cum diabolo. Non defenditur veritas, sed tu illa indiges.

Amara & insuavis est veritas generi tuo nimis valde, non suo, sed eorum vitio; sicut lux fulgens infirmis oculis. Vide ergo ne tu eam amariorem facias, dum non eam sicut debes dicis, id est, charitate. Sicut G enim pius medicus, qui salubrem & amaram ægro dat potionem, linit oram vasis melle: vt quod (dum est dulce) libenter sumitur, etiam quod salubre est, hiatu facilè capiatur. Prodesse autem hominibus tuum officium totum.

Si dicis veritatem non amore veritatis, sed desiderio lædendi alium: non præmium dicentis veritatem, sed pœnam conuitiatoris assequeris.

Vide quantum supplicij passurus es, cum lux vera Pulch. & simile. perfectè ostenderit te tibi: si tàntum cruciatur, cui vno verbo aliquid malorum suorum ostendis. Tunc enim patebunt consilia cordium.

Æqualiter peccas cum vel alium vituperas, vel ab alio vituperaris, in vtroque enim veritatem aut pro malo recipis, aut pro malo irrogas. Qui ergo te flagellare voluerit; vitam tuam, id est, veritatem arripiat: per illam te cædat & cruciet.

Veritas est vita & salus æterna. Debes ergo compati ei cui displicet. In tantum enim est mortuus & perditus. Tu autem perversus non ei diceres veritatem, nisi putares amaram illi esse atque intolerabilem. Ex te enim metiris alios. Sed hoc pessimum est quando vt placeas hominibus, dicis veritatem, quam diligunt & amantur sicut diceres mendacia aut adulatio- H nes. Non ergo vel quia displicet vel quia placet, dicenda est veritas, sed vt prosit. Silenda est autem tantum ne noceat, sicut lux infirmis oculis.

Panis, id est, veritas confirmat cor hominis, ne succumbat corporum fortius.

Beatus, cuius mens solummodo cognitione & amore veritatis movetur sive afficitur, corpus verò ab ipsa tantummodo mente. Ita enim & corpus à sola veritate movetur. Si enim nullus in mente motus nisi veritatis, nullus in corpore nisi mentis: nullus quoque in corpore esset nisi veritatis, id est, Dei.

Propter

A Propter pacem facis omnia, ad quam iter est per solam veritatem: quæ est adversarius tuus in hac vita. Ergo aut illam tibi, aut te illi subiice. Non enim aliud tibi restat.

Adversitas monet pacem desiderare. Tu autem cæcatus id desideras, quod dum amas atque desideras, impossibile omnino est te pacem habere.

Cur rapis in te id quod in alio ita displicet, id est, ira? Irasceris ergo, quia ille irascitur. Imò iam tibi irascere, quia irasceris. Si ira ipsa tibi verè displiceret, non admitteres eam, sed fugeres. Quod fit tantummodo tenendo pacem.

Non gloriatur lacus quod abundet aqua; de fonte enim est. Sic de tua pace. Semper enim aliud aliquid est causa pacis. Tanto ergo infirmior & fallacior est pax tua, quanto mutabilius est id unde oritur. Quàm B vilis est ergo cùm oritur ex iocunditate humanæ faciei?

Tutus appetit esse omnis homo. Quod tanto minùs est, quanto magis potest inquietari. Tanto enim magis potest inquietari, quanto sunt paratiora habere se aliter quàm vult, ea quæ diligit. Dicat ergo aliquis hominum tibi: Ego tibi malum faciam: ego tibi pacem auferam. Cogitabo quippe de te malum aut dicam. Ecce quàm paratus es mortificari & turbari.

Non sint temporalia causa pacis tuæ: ta n vilis enim & tam fragilis erit quàm illa. Hæc pax tibi communis erit cum brutis: tua sit cum Angelis, id est, quæ de veritate procedit.

Quicquid ob pacem & beatitudinem tenueras & amaveras, contemne, nisi pacem & beatitudinem omnino vis perdere.

Pax est bonum illius animi in quo ipsa est. Propter seipsam igitur appetenda est, tanquam bonus sapor. C Tanta sit in te, ut & malos non excludas.

*Non turbetur cor vestrum, neque formidet*; sabbatum est verum. Hoc celebrat, qui nec illicitur nec cogitur, hic habet se in potestate, hic potest de se eleemosynam facere: ut sicut alius viderit expedire, iratus sit aut placatus.

Amor temporalis pacis, necessariò parit inquietudinem mentis. Qui ergo habet hanc pacem & amat, necessariò caret pace.

Si malefacientibus tibi non invideas, erit tibi pax cum eis.

Sicut per similitudinem & pacem consistunt, ita per dissimilitudinem & discordiam cuncta intereunt.

## CAPITVLVM II.

### *De utili displicentia sui ipsius, & de humili confessione peccati.*

INitium redeundi ad veritatem, est displicere sibi in D falsitate. Emendationem præcedit vituperatio. Non enim libet mutare nisi quod displicet. Quia ergo semper indiges mutari, semper indiges tibi displicere.

In omni cura quam pro salute tua geris, non est ullum officium vel medicamentum utilius tibi, quam teipsum vituperare atque contemnere. Quicunque ergo hoc facit, adiutor est tuus. Hoc enim agit quod tu agebas, aut agere debuisti, ut salvus fieres.

Ideo tibi places, quia nihil te boni à te habere non intelligis. A te tibi nil nisi malum. Nullas ergo tibi grates debes. Malum omne à te tibi est. Pœnas itaque magnas pro vindicta debes.

Facile est iter ad Deum, quoniam exonerando itur. Esset autem grave si onerando iretur. In tantum ergo te exonera, vt dimissis omnibus, te ipsum abneges.

Qui se vilem esse novit, vituperationes suas tanquam suas sententias quietus suscipit & humilis. Laudes verò respuit, tanquam non suas sententias.

Cùm aliquis de te malum dicit, si non est ita, eidem nocet, non tibi: sicut si vocet aurum stercus, quid auro nocuit: Si verum est quod dicitur de te malum, doceris quid caveas. Qui autem quod bonum est E dicit; non ei quem laudat, sed sibi ij si prodest. Cùm vero bonum tibi de te dicitur, vt quid rumores quos tu meliùs nosti, narrantur? Tu te solùm vitupera.

Sua vitia quisque fugiat; nam aliena non nocebunt.

Continuum mendacium est habitus tuus, & corona tua: quoniam quod deest significant.

Cùm aliquis dolet se commisisse furtum, ob natum sibi inde opprobrium: non eum pœnitet furti, sed dolet opprobrium incurrisse. Nec horret aut malum ducit peccare, sed puniri. Iustis autem non aliud est peccare & aliud puniri. Ipsum nimirum peccatum atrocissimam pœnam ducunt: & ideo nullam iniquitatem impunitam posse esse: eo quòd iniquitas peccati magna pœna sit, nihilque peius ea cuique valeat F irrogari. Et idcirco ipsam præ omnibus malis cavendam ac fugiendam censent, etiam si nihil aliud mali eam sequatur.

Si quem odisse debes, neminem ita vt te. Nemo enim tantum nocuit tibi.

Si nihil melioratur nisi priùs vituperatum, tunc qui non vult vituperari, non vult vtique meliorari. Scriptum est enim: *Qui odit increpationes, insipiens est: qui autem acquiescit increpationibus, possessor est cordis.*

### *De Confessione.*

NVllus publicano esse poterat ad salutem reditus, nisi humiliter confessus fuisset, quod ei Pharisæus superbè improperaret.

Hoc solo iustus es, si ob peccata tua te damnandum agnoscas & dicas. Si iustum te dicis, mendax es, & à Domino veritate damnaris, ut contrarius ei. G Dic te peccatorem, ut verax Domino veritate conveniás liberandus.

Magnorum est, pro confitentibus intercedere, ut eis ignoscatur. Maiorum autem, pro his etiam supplicare benignè, qui nondum suum recognoscunt reatum, vt cognoscant. Et pro his qui aut quia erubescunt, aut quia amant reatum suum, non confitentur, ut confiteantur.

Omnis anima rationalis volens vlcisci se, hoc irrogat alteri quod sibiipsi metuit, & abhorret, & malum ducit. Nihil autem libentiùs ad vlciscendum se, quam veritatem arripit: nec ullum malum venenatiore mente infligit. Ergo nil sibi magis abhorret fieri, quàm veritatem dici. Hoc quippe adversarius de alio dicit, quod si is cui dicitur humiliter recognoscit, salutem meretur æternam. Qui enim adulterum, adulterum vocat, hoc ei dicit pro malo, quod ipse pro salute sua fateri debet gratis. Libenter ergo hoc recipiat; nec qua intentione, sed quid sibi dicatur, attendat.

Qui non videri, sed esse verax veraciter diligit; nec H videri, sed esse mendax veraciter metuit: statim ut se mentitum advertit, sibi contradicit, nec ab hoc ulla eum vel improperia vel damna revocant. Mavult enim verax mori, quam mendax viuere, si tamen vivit mendax, cum scriptum sit: *Os quod mentitur, occidit animam.*

Hoc quod vis abscondere, id est, peccatum tuum, improba: & iam non erit quod abscondere debeas. Delere enim illud potes, abscondere non potes. Nihil enim opertum quod non reveletur, nec occultum quod non sciatur. Quare ergo morbum mavis celare, quàm sanare? Quomodo morbos tui corporis libenter aliis, ut compatiantur, ostendis; & si nolunt credere, miserum te habes, augetúrque dolor, sed & irasceris: & ita de animæ ægritudinibus ipsis facito.

A

## CAPITVLVM III.

### *De voluptatibus, ac vilibus delectationibus quinque sensuum.*

Vide duas experientias ingestionis & egestionis, quid te magis beatificet, quod per hanc, an quod per illam experiris. Illa onerat inutilibus, hæc exonerat. Quid profit vtrumque, circumspice. Hoc est totum devorasse expertum esse. Nil ultrà spei remanet. Sic in omnibus sensualibus. Vide ergo quid beatitudinis omnia huiusmodi, sive in spe, sive in re, in te effecerint, & sic cogita de futuris. Cogita, inquam, prospera præterita, & sic futura indica. Quæ speras, peritura sunt omnia. Et tu quid post hæc? Ali-
B quid ama & spera quod non transeat.

Pingi vis ligna coloribus, igne consumenda: cùm ea quæ consumis, vis esse decora, seu cibos, seu vestimenta. Vestibus indiges contra frigus, non colore illo vel illo, sic cibo contra famem, non sapore illo aut illo.

Voluptas bestialis ex sensibus carnis; diabolica verò, omnis fastus & invidiæ & fallaciæ; philosophica verò, nosse creaturam; Angelica, nosse & amare Deum.

Quæ in transitoriis plus delectant, hæc magis mortificant.

Eadem aut peior est stultitia genuflectere his quæ tu feceris, & animum inclinare his quæ destruis, id est, saporibus vel aliis sensibilibus.

De regionibus congregavit eos, à saporibus scilicet & odoribus, & carneis tactibus eruens animos sanctos, in se colligit.

C Ita conantur homines facere veram voluptatem sive beatitudinem, quasi aut nulla sit, aut fieri possit; cùm ipsa sola sit, fieri verò nullo modo possit. Id autem est facere sibi beatitudinem, & Deum; & putare non esse beatitudinem, & non esse Deum.

Vide si omnes homines, dimissis omnibus aliis rebus quibus intendunt, vni tantùm colori aut sapori ex toto intendant, quàm miseri fœdi stulti erunt. Sic sunt & modò, cùm tam multis ac diversis rerum qualitatibus intendunt. Non enim magis plures aut universæ creaturæ Deus noster, aut nostra salus sunt, quàm una quælibet earum.

Cùm gaudemus unde & bruta, id est, de luxuria, ut canes; de voracitate, ut porci, & cætera: anima nostra fit similis animabus illorum, & non horremus. Ego autem mallem corpus habere canis quam animam. Et tamen si corpus nostrum in tantam canini corporis transiret similitudinem, in quantam animæ caninæ similitudinem anima nostra per luxuriam transit: quis nos ferret? quis non horreret? Melius au-
D tem ac tolerabilius esset, corpus nostrum in bestiam commutari, anima in sua dignitate, id est, Dei imagine, permanente; quàm corpore manente humano, animam fieri bestialem. Et hæc mutatio tanto est horribilior, magisque deflenda, quanto anima præeminet corpori. Vnde David: *Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus.* Non enim de corporis hoc similitudine, ne sit ridiculum, dici putandum est.

Coaptare aliquid, sicut cibum aut potum, tantummodo ut plus delectet, diabolo cooperari est in perniciem nostram, & acuere gladium, quo faciliùs & altiùs nostra possit viscera penetrare. Quanto enim his ampliùs delectamur, tanto graviùs ac profundiùs vulneramur.

E

## CAPITVLVM IV.

### *De vanis timoribus, doloribus, & cruciatibus filiorum huius sæculi, quos contrahunt ex periturorum cupiditate & amore.*

Sponte se implicat homo corporum ac vanitatis amori, sed velit nolit, cruciatur timore ac dolore pro eorum interitu, sive cùm auferuntur ipsa corpora, sive cum ipse vituperatur. Amor enim periturorum est quasi fons timorum inutilium, & dolorum, ac sollicitudinum universarum. Pauperem ergo à potente liberat Dominus, solvendo eum à vinculo mundani amoris. Qui enim nil periturum diligit, ubi à quolibet potente lædatur non habet: & omnino inviolabilis est,
quia sola inviolabilia, sicut diligenda sunt, diligit. F

Si omnes capillos capitis tui abscindat quis, non te lædet, nisi cum eos qui capiti adhærent tetigerit. Sic te non lædent, nisi ea quæ per concupiscentiam in te fixêre radices, quis tangat. Quæ quo plura fuerint & magis amata, eo plures ac vehementiores dolores parient.

Aut exstingue penitus concupiscentiam, aut para te ad conturbandum, id est, ad timendum & dolendum unde non debes.

Anima humana tam diu in se cruciatur quam diu potest cruciari, id est, quam diu aliquid amat præter Deum. Deum enim nequit amittere nolens. Dimittere ergo cum potest, non amittere. Nemo enim læditur nisi à seipso.

Quot rerum amoribus, quæ tibi, vel quibus tu periturus eras, te Dominus liberavit à totidem te tristitiæ timoribus & doloribus absolvit.

Dum corporum species vel formæ, quibus tibi adhærentibus fœdaris, pereunt (tanquam syllabæ suis
temporibus, Deo modulante) cruciaris. Eraditur enim G
quæ increverit rubigo.

Nil tibi laboriosius quàm non laborare, id est, contemnere omnia unde labores oriuntur, universa scilicet mutabilia.

Vide quanta turba generis tui pro mundo laboravit, & non solùm non sunt adepti: sed insuper seipsos amiserunt. Tu autem si studueris, plus acquires sine ulla comparatione, quàm est id propter quod omnes laborant aut laboraverunt.

Turbatio animi stulta, ipsa est misera, hæc ferè semper fit in te cùm causas mortis tuæ, id est, ea quibus malè adhærebas, corrumpit Deus, ut ea deserens vivas.

Ancillam diligis turpiter, id est, creaturam: ideò tantum cruciaris, cum Dominus eius, id est, Deus tuus, agit de ea quod bene vult.

Vni ex syllabis magni carminis adhæsisti, ideo tur- H
baris cùm canendo procedit cantor sapientissimus. Subtrahitur enim tibi syllaba, quam solam amabas, & succedunt aliæ ordine suo. Non enim canit tibi soli, nec tuæ voluntati, sed suæ. Quæ autem succedunt syllabæ, ob hoc tibi contrariæ sunt, quia impellunt eam quam malè amabas.

Quod syllaba in carmine, hoc loci aut temporis obtinet unaquæque res in Mundano discursu: ideo ergo cruciaberis quia deterioribus inhæsisti, & suo ordine transeunt tanquam syllabæ in carmine.

Hæc omnia quæ dicuntur adversa, non sunt adversa nisi malis, id est, amantibus creaturam pro creatore.

Si ille aut ille tantum laboraret propter Deum, quantum laborat propter mundum: natale eius tanquam martyris agerètur.

Sicut ex glacie frigus, ita ex temporalium amore timor inutilis animam invadit, & cæteræ miseriæ. Remove à te universa quæ tibi timendi causa sunt, sicut quæ frigoris. Remove dico non à loco, sed ab animo. Non est enim timendum nisi quod potest & quod expedit vitari.

A vitari, id est, peccatum. Quicquid autem vitari expedit, vitari & potest, adiuvante Deo; id est, iniquitas.

Vide quàm sis in potestate hominum ad turbandum & cruciandum. Quam facile est eis vituperare te verbis, aut cogitationis opinione, tam facile est perturbare. Quid ergo? Si displices eis, perturbaris. Ergo in eorum es potestate. Sive quis hæc faciat, sive non: tu tamen ita ex præparatione mentis expositus es. Si in bono displices eis, ipsis hoc nocet, non tibi. Labora ergo tunc mutare corda eorum, non bonum tuum. Si in malo displices eis, non ipsum displicere tibi nocet, imò prodest, sed ipsum malum tuum.

Dicunt martyres Deo, *Propter te mortificamur tota die*: tu quibuslibet vilitatibus, Propter vos conturbor tota die.

B Restringe te & collige undique; ne fortè volubilitas mutabilium inveniat te in ipsis, & crucieris.

Quod aliquo modo cruciaris; sive timendo, sive irascendo, sive odiendo, sive quolibet modo dolendo, tibi tantummodo imputa, id est, concupiscentiæ tuæ, ignorantiæ, vel torpori. Quod si quis vult te lædere, eius imputa concupiscentiæ. Læsura tua & dolor, indicium est peccati tui: amasse te scilicet læsibile aliquid, Deo dimisso.

Læsis spectaculis doles. Tibi & errori tuo hoc imputa, quia læsibilibus inhæsisti. Nam in tantum consuevit homo malum omne in aliud retorquere, ut si aut in lapidem offenderit, aut igne adustus fuerit, ipsas Dei creaturas culpare ac maledicere audeat; quæ nisi hoc facerent, tanquam invalidæ atque emortuæ meritò culparentur, & non potiùs suæ debilitatis lugere miseriam.

C Vide quomodo tanquam mare tam innumerabilium formarum corporearum, & animorum humanorum nunquam in eodem statu permanentium, nunquam sinaris quiescere.

Quamvis sciat nutrix parvulum accepto passere lætaturum; timet tamen summopere ne accipiat, ac tanto magis, quanto magis eundem inde lætaturum existimat, certè omnes homines & se, & quos amat, gaudere optant. Cur ergo id nutrix puero non solùm non optat, sed insuper tanquam magnum malum, ne habeat cavet? Certè vult eum gaudere. Cur ergo & unde gavisurum scit subtrahit? Cur nisi quia futuram tristitiam attendit, cuius esse causam istam novit esse lætitiam? Scit enim profectò, tanto post hæc graviorem tristitiam animum pueri subituram, quanto vehementius gaudium tale præcesserit; ex quantitate præsentis utique lætitiæ, futuræ tristitiæ metiens magnitudinem. In quo facto quid aliud mulier ista suggerit esse faciendum, nisi omnia illa gaudia, quæ subsequuntur lamenta, tanquam pestem venenúmque vitanda? Nec attendendum quid suavitatis habeant in

D præsenti dum adsunt: sed quid amaritudinis generent in nobis cùm abeunt. Talia sunt omnia temporalia gaudia. Cur non ergo vineam possidendam, pratum, domum spatiosam, agrum; cur non aurum argentúmque cur non opiniones hominum laudésque, ac cætera similia, eadem causa provida cautela devitem? O quis dabit decrepito puero & tamen stulto, id est, humano generi toti orbi diffuso, quandam magnam, quandam sapientissimam nutricem, quæ tali cura ac sollicitudine subtrahat ei, vel revocet eum à gaudiis, quæ futurorum semina sunt dolorum? Sed unde tantus in toto orbe gemitus fletuum, nisi quia hæc nutrix piissima ac potentissima nunquam cessat, sive per semetipsam, seu aliter, humano generi, causas dolorum, id est, temporalia, tanquam passerem puero auferre aut non dare.

## CAPITULUM V.

E

*De cupiditate, amore, & gloriatione terrenorum & temporalium: & quomodo per ea vera miseria non tollatur, sed augeatur.*

DUobus modis, cùm duæ res sunt æquales, potest hæc maior illa fieri, aut suo proprio augmento, aut sociæ detrimento. Hoc posteriore modo omnes principes & potestates sæculi aut gaudent, aut nituntur cæteris omnibus esse maiores, eorum, videlicet deiectione & detrimento, non sua, id est, corporis aut animi sui erectione aut augmento. Neque enim aut corpora eorum, aut mentes ullo modo meliorantur, sed videntur sibi profecisse & crevisse, quia illi defecerunt & decreverunt. Quod si ita omnia diminuta essent, ut in nihilum redacta essent: in quo cresceret ex hoc anima vel corpus tuum? F

Sicut qui vult lateres facere, plateam præparat, ubi eos interim ponat, non utique ibi remansuros; sed cùm exsiccati fuerint, alibi transferendos; & ita platea illa nullis specialiter lateribus parata est, sed omnibus æqualiter qui faciendi sunt: ita hunc locum humanæ habitationis, creandis hominibus & alibi peracto suo tempore transferendis, fecit Deus. Et sicut figulus alios aufert, ut recenter facti in eorum succedant locum: ita Deus morte, tanquam translatione priorum, successuris præparat locum. Stultus ergo & insanus est qui in platea cordis amore inhæret, ac non potiùs quò sit transferendus hinc semper sollicitus meditatur. Nec iniustum aut austerum videri lateribus debet, cùm hinc transferuntur, nimirum cùm hac intentione positi fuerint. Neque videbitur nisi his qui se hinc necessariò transferendos non cogitant, qui commune & nulli propriũ, sed innumerabilibus futuris communiter deputatum, insana cupiditate tanquam suum vendicant proprium. G Vide in hac eadem te aliam insaniam nihilo minorem. Cùm enim hi lateres ferè omnes eiusdem sint quantitatis; vix tamen eorum ullus, unius tantùm spatio contentus est: imò erectis aut confractis quod potest multorum laterum, vni sibi vendicat locum.

Quid tibi videtur de eo qui totam intentionem suam, & tempus impendit ad fulciendam aliquam domum, quam fulciri est impossibile ex his rebus, ex quibus nil omnino fulciri potest, vel si possit, ipsæ fulturæ indigent totidem fulturis aliis quot ipsa domus quæ ex his fulcienda est: & illæ fulturæ totidem, & ita in infinitum? Vita hæc, domus: fultor tu: fulturæ, temporalia, quæ nunquam in eodem statu permanent, & nec fulcire, nec fulciri omnino possunt.

Longam tentationem petit, qui longam vitam petit. *Tentatio est* enim *vita hominis super terram.*

Quod in suis amicis vel parentibus non amavit Deus, id est, potentiam, nobilitatem, divitias, honores; non ames tu in tuis. H

Laqueos comedis, bibis, vestis, dormis: omnia laqueus.

Exsules amore, voluptate, affectu, non loco. Exsules in regione corruptionis, passionum, tenebrarum, ignorantiæ, malorum amorum, & odiorum.

Quantum diligis te, id est, hanc vitam temporalem, tantum diligas transitoria, sine quibus esse non potes, necesse est. Et quantum spernis hanc vitam, tantum & eius fomenta.

Grave est tibi hoc vel illud amisisse. Ne quæras ergo amittere. Quærit enim amittere, quisquis ea diligit & acquirit, quæ retineri non valent.

Omnis miseria in hoc est. Omnes amant aliquid principaliter, ubi semper intentionem habent fixam. Tu verò quid? Ecce omnes quasi thesauro invento arreptis mundi partibus singulis, singuli intendunt, aut certè inter plures scinduntur: ac si canis inter duo frusta carnis positus, ignoret cui potissimum appropinquet, alterum timens amittere.

A Si hæc in quibus confidis aut delectaris, facerent hoc in semetipsis, irrideres tanquam stulta: uno lugeres tanquam perdita. Et si omnes ita insaniunt: nunquid bonum est tibi insanire? Si teipsum tam immundum toleras: cur non quemlibet alium? Quot ea quæ diligis casibus subiacent: totidem & animus tuus.

Qui hoc amat quod amandum non est, miser est & stultus, etiamsi nunquam vel ipse, vel illud pereat. Nunquid enim idololatra propter hoc tantùm miser est, quia periturum est quod adorat? Ergo non esset miser, si illud non periret? Certe manente idolo eius, miserrimus est adorator; licet incolumis corpore, & temporalibus bonis plenus.

Non te faciunt adversa miserum: sed ostendunt fuisse, & docent. Prosperitates verò excæcant animum, tegendo & augendo miseriam, non auferendo.

B Vide quomodo capiatur anima rebus corporeis, & capta crucietur: vtpote in puero. Capitur enim viso passere: quem cùm acceperit, subiacet tot casibus, quot passer ipse. Quomodo autem est tuta priusquam talibus capiatur? Ea enim quæ placent, tenent illam, ut possit adversis mulctari.

Data nave, flatibus ferebamur ad gandendum seu dolendum in alternatione occursantium formarum.

Quomodo non glorietur aut superbiat de fortitudine vel pulchritudine, quando de infirmitate vel turpitudine gloriatur homo? Gloriatur enim si vehatur equo, aut eius turpitudo pannorum decore veletur: cum potius gloriari posse videretur, si equum sua ipse virtute portaret, aut certè eo non indigeret, & fulgore suo vestes ipse decoraret, aut earum saltem decore non indigeret. Hæc enim & his similia indigentiam eius ac turpitudinem protestantur.

Quàm libenter ostentaret homo suam pulchritudinem si C haberet, qui tam libenter ostentat alienam: videlicet in vestibus sive pelliceis, sive cuiuslibet modi!

Non minùs dolendum est pro eo qui gaudet temporalium adeptione, quam qui amissione dolet. Vterque enim febre vexatur, id est, amore mundi.

## CAPITVLVM VI.

*De inutili & vili appetitu laudum & gloriæ, vel favoris humani.*

SI bene scires naturam ac potentiam humanæ opinionis, vel favoris: nunquam vel exiguè pro eis laborares, aut gauderes, aut contristareris. Nil enim prosunt cui impenduntur; sicut colores, & cæteræ formæ, corpora, vel res quibus insunt, deturpant, & ipsis nil prosunt aut obsunt. Quid enim profuit Soli aut D Lunæ quòd eos pagani deos putaverunt? Aut quid eis, quòd tu eos creaturas esse cognoscis, obest? Quod si etiam stercora eos esse putares: quid eis noceret? Quære, sicut naturam & potentiam illius aut illius herbæ sive ligni: ita harum rerum scrutare. Facilè, adiuvante Deo, id poteris, ex cuius opinionibus vel favoribus cætera metienda.

In hoc cognoscis quæ soli Deo debentur, quia exhibita cuicunque rei nil prosunt: ut cognitio, amor ad fruendum, timor, reverentia, admiratio, & cæt. Hæc enim eo ipso quòd ei cui exhibentur nil prosint ostendunt se et soli degeneri, qui nullo eget Si enim laudari vel cognosci aut admirationi esse prodesset: quis non quotidie mercede conduceret tanquam operarios, qui hæc sibi exhiberent assiduè, ut sine intermissione proficere posset? Quæ mater filiis suis id non sine cessatione impenderet? Quis non vestes, prædia, iumentáque, seipsúmque die noctuque bona diceret, ut sic meliora laudando redderet? Nihil ergo ista prosunt, cui impenduntur. Quis autem exhibet, exhibendo deterior aut melior efficitur Si autem amat, aut admiratur, aut timet id quod debet, melior, si autem non debet, deterior utique fit. Similiter in cæteris. Quàm ergo pius

E est Dominus, qui nihil à nobis exigit, ut sibi prosit: multumque à nobis sibi serviri reputat, ii, quod nobis est vtile semper agamus.

Sicut radicum, herbarum, vel cæterarum rerum naturas; ita opinionis, favoris, laudis, vel vituperationis, expende.

Amor unius cuiuscunque hominis est omnium. Singuli enim omnes amare debent. Qui ergo hunc sibi specialiter exhiberi vult, raptor est, & ideo reus contra omnes efficitur.

Ecce huic corpori immixtus, satis miser eras: omnibus enim eius corruptionibus usque ad morsum pulicis, vel forunculi subiacebas. Non suffecit hoc tibi. Immiscuisti enim te aliis quasi corporibus, opinioni hominum, admirationi, amori, honori, timori, & aliis similibus: & sicut ex corporis, ita ex horũ læsione, do- F lore afficeris. Ipsemet ligna, quibus combureris, tibi adhibuisti. Læditur nempe honor tuus cùm contemneris: sic de cæteris. Ita etiam de formis corporum cogita.

Quo te ille aut ille vitio contempsit: eodem tu te contemptum tanquam timidus doluisti, scilicet superbia. Et quo tibi vitio abstulit, eodem tu doluisti ablata, id est, amore periturorum.

Nisi contempseris quicquid possunt homines vel adversando, vel adiuvando: non poteris contemnere eorum affectus, id est, odia vel amores: quare nec opiniones bonas aut malas.

Vide quomodo vendis amorem & cæteros affectus animi tui ad obolatas aut nummatas, sicut in taberna vinum. Rursum attende qualiter emas opiniones & amores ac cæteros affectus, sive motus humanorum animorum, ad obolatas & nummatas, sicut in taberna vinum.

Hic homo dedit pro laudibus omnia sua: ille pro G voluptate ventris & gutturis quis horum peius operatus est? Hoc quidem nescio, sed scio alterum porcina, alterum diabolica voluptate actum.

Quare vis amari ab hominibus? Vtique vt adsint mihi, id est, huic vitæ meæ. Ergo quia sentis te infirmum, & eorum violentiæ succumbere paratum. Quasi dicas: Si voluerint homines, moriar: si voluerint, viuam. Quod falsum est. Necessariò enim morieris, sive illi velint, sive nolint. Quid enim ages vt non moriaris? Ergo optas magna de te vel bona opinari homines, vt te ament aut timeant. Ament autem vel timeant, vt prosint, vel non obsint. Econtra metuis vel abhorres prava de tè vel mala opinari homines, ne oderint aut contemnant, aut ne noceant, aut certè vt non prosint. Hoc autem propter ipsam experientiam infirmitatis atque debilitatis quam contraxisti, à Deo recedendo, & instabilibus atque infirmis inhærendo & innitendo. Si enim non sentires eorum vilitatem atque infirmita- H tem, non timeres pro eis, atque doleres. Sed times pro eis ac doles, cùm videlicet pereunt aut auferuntur. Ergo cognoscis eorum vilitatem & infirmitatem. Quapropter nullam potes omnino excusationem prætendere, quòd ea diligis, aut eis inniteris. Mirum tamen valde est alicuius rei infirmitatem sentire, & tamen inniti ei; vilitatem nosse, & amare sive mirari. Dum ergo propterea doles aut metuis; duo in te, quæ simul posse esse non videntur esse demonstras, id est, & nosse te, & sentire eorum infirmitatem ac vilitatem, & tamen amare & inniti eis. Nam nisi horum alterum inesset tibi, id est, si aut non amares, aut non nosses eorum vilitatem, nullo modo doleres pro eis pereuntibus.

## CAPITVLVM VII.

*De vera laude iustorum, & vituperatione malorũ, & quis sit laude dignus vel indignus.*

ESto talis qui lauderis: non enim bene laudatur, nisi bonus, quod non est qui laudis cupidus est, non ergo laudatur. Cùm ergo laudatori blandus es, iam

A non tuo laudatori blandus es: non enim iam tu laudaris, quippe tam vanus.

Cùm dicitur, quàm bonus, quàm iustus qui hoc est laudatur, non tu qui non es, imò etiam vituperaris non parum, quippe tam malus, támque iniustus. Laus enim iusti, iniusti est vituperatio. Ergo tua, vt iniusti. Cum ergo laudatori iusti applaudis: tuo verissimo vituperatori applaudis, quia iniustus es. Non est enim iustus, qui se iustum putat, nec vnius diei infans.

Qui gaudet laudibus, perdit laudes. Si amas laudes, noli laudes sciri, hoc est, si vis laudari, ne velis laudari. Non enim potest verè laudari, qui vult laudari. Ille laudatur, cuius bona iactantur. Qui autem vult laudari, non solùm vacuus est omni bono, sed insuper plenus est magno & diabolico malo, nimirum magna arrogantia. Non ergo laudatur. Iustus autem B econtrario semper laudatur: cuius vituperatio nulla esse potest. Vituperatio quippe est malorum improbatio: quæ autem iustus non habet, non possunt ei improperari, quare non potest vituperari. Vniversaliter autem omnis iustorum laudatio, iniustorum est vituperatio, & omnis iniustorum vituperatio est iustorum vera laudatio. Cùm verò quis de bono laudatur, non laudato, sed laudatori prodest.

Laudat te quis propter sanctitatem, sursum tendit. Vltra te est enim, quod ei placet, id est, sanctitas. Tu verò si amas illum non tanquam cui placet sanctitas, sed tu deorsum tendis.

Qui dolet aut irascitur amisso aliquo temporali, eo ipso se dignum, qui amitteret ostendit. Similiter qui accepto convitio irascitur, aut dolet, eo se dignum fuisse demonstrat. Tantum enim vellet laudari, quantum noluit convitiari.

C Contemptus aut parvi habitus doluisti: hoc ipso contemnendum ac parvi habendum fuisse, & ideo iure id factum demonstraris. Nisi enim contemnendus ac parvi habendus fuisses, contemni nec parvi haberi nequaquam timuisses aut doluisses. Hoc enim ipso solo, vel maxime contemnendus & parvi habendus es, quòd id times aut doles. Prorsus non timet vilis haberi nec contemni, nisi vilis & contemni dignus.

## CAPITVLVM VIII.

*De his qui volunt amari & admirationi haberi, & quomodo per talem appetitum homo diabolo assimilatur, & seipsum facit idolum cæterorum.*

VEre colit Deum ille solummodo qui in eum verè intendit, cum vero timoris, vel amoris, honoris vel reverentiæ atque admirationis affectu. Hic enim D solus cultus verus & perfectus. Quicunque ergo alicui rei præterquam Deo hunc exhibet, idololatra verus est. Qui verò hæc vult sibi exhiberi: cuius nisi diaboli veraciter locum tenet, qui modis omnibus hæc ab hominibus conatur extorquere? Itaque omnes querelæ hominum in hoc sunt, quòd scilicet aut pereunt, aut auferuntur eis dij eorum, id est, creaturæ, quibus hunc verum & divinum exhibebant cultum; sive quòd talis eis non exhibetur cultus. Vide ergo quantū adhuc in te, & in toto mūdo regnet idololatria.

Nulla res debet velle amari tanquam bonum, nisi quæ eo ipso quòd amatur, suum beatificat amatorem. Nulla autem hoc facit, nisi quæ amatore non eget, id est, cui non prodest nec ab alio amari, nec amare aliud. Crudelissima igitur res est, quæ vult vt quis in ea intentionem suam & affectum & spem constituat: cùm ipsa ei prodesse non possit. Hoc faciunt dæmones, qui pro Dei servitio, suo volunt homines occupari. Clama igitur tu amatoribus tuis: cessate iam miseri nunc me admirari, revereri, vel quolibet honorare modo: quoniam ego miser nec mihi nec vobis auxilium ullum ferre possum, imò ego ego egeo vestro.

E Quantum in te est omnes homines perdidisti: interposuisti enim te inter Deum & ipsos; vt verso in te intuitu, & dimisso Deo, te solum admirarentur, intuerentur, atque laudarent: tibique & eis omnino hoc inutile, nec dicam damnosum.

Nil dignius in creaturis rationabilibus, mentibus præsertim piis, nil vilius corruptionibus corporum. Cùm itaque vis esse admirationi hominibus, hæc ipsa superbia cæcatus, vide ad quam miseranda deveneris. Vide ergo iustitiam Dei. Tu enim proposuisti te Deū, id est, admirandum excellentissimæ parti creaturarum, & ille subiecit te infimæ. Tu enim voluisti & fecisti quantum in te fuit, te ab omnibus hominibus sciri, videri, laudari, admirationi & venerationi haberi, amari, timeri, honorari: quæ omnia ab excellentissima omnium creaturarum parte, id est, solis rationabilibus mentibus, soli Deo debentur. Iustè ergo factum est, ut F qui Deum dignissimis creaturæ partibus te proponebas, quod in ea vilissimum est, ut Deum acciperes, & qui ab excellentissimis, quicquid soli Deo debebatur, extorquere perversa usurpatione voluisti, quicquid ipse debebas, soli Deo vilissimis, id est, corruptis corporum cadaveribus impenderes. Nam omnia quæ superiùs posuisti, soli Deo debita amorem scilicet, & cætera, istis exhibes toto corde. Dum ergo vsurpas quicquid est Dei, laudari scilicet, & cætera; amisisti quidquid est hominis, laudare Deum, ad quod creatus es, & cætera. Et quia supra summum locus non est, nec infra infimum, dum supra summum tendis, infra infimum rursus es. Qui enim aliquo fruitur, ei necesse est per amorem subdatur. Tu autem frueris infimis: ergo infra infima trusus es, ubi locus nullus est.

*Amicitia mundi huius*, ut beatus Iacobus dicit, *inimica est Deo. Qui enim voluerit esse amicus sæculi huius, inimicus Dei constituitur.* Qui autem diligit vel unam G muscam in hoc mundo, totum mundum diligat necesse est. Totus enim ei quam diligit rei necessarius est. Porro quàm diu amor huius mundi, tam diu inimicitiæ inter Deum & homines sunt. Cùm ergo ab eis te vis diligi, vt inimici Deo sunt vis. Prædicas autem, vt quicquid est creatum, contemnatur, quatenus Deo reconcilientur. Nunquid ergo te solum excepturus es, dictutúsque hominibus, omnia contemnite propter Deum præter me: vt scilicet nil sit aliud quod impediat reconciliari homines Deo, nisi tu, atque ita propter te solum inimicitiæ inter Deum & homines perseverent, sitque nemo salvus, dum diligendo te, totum mundum diligere coguntur tanquam sibi necessarium? Aliud est autem diligere homines in mundo vel propter mundum, aliud in Deo vel propter Deum, aliud cupidè vel misericorditer.

## CAPITVLVM IX.

*De anima quæ per fruitionem & amorem temporalium à Deo recedit, & à dæmonibus constupratur.* H

DIcant temporalia bona: Si Deus sanaverit nos à morbo corruptionis, quid ages? In ipso usu considera in quo melior ex nobis fias, vel quid inde speres in posterum. Expertus es nos. Quid ergo? Vis in nos mutari, an nos in te? Quid tibi & nobis? Quid doles de transitu nostro? Maluimus interire secundùm Domini voluntatem, quàm manere secundum tuam cupiditatem. Nullas tibi pro hoc amore tuo referimus gratias, sed potius vt stultum irridemus. Cui enim potissimum obedire debemus, Deo an tibi? Dic, si audes, nonne hoc est ferè tuum totum officium, nos in putredines devorando convertere?

Hæc tua vtilitas, tua potentia, vt per te nostra sanies transeat affluenter: nō enim facere vales ut maneat hoc tuum studium. Hæc tua beatitudo, vt nostris non careas sordibus, quibus votivè succumbis, corrūpente

A & constuprante te per eas diabolo, non sine sua voluptate magna, & gaudio de tua deceptione & interitu.

Quacumque forma frueris, ea quasi masculus est tuæ menti. Cedit enim & succumbit ei: & non ipsa tibi, sed tu ipsi conformaris & assimilaris. Eiusdémque formæ imago remanet impressa tanquam simulachrum in templo suo, cui non bovem, non hircum, sed animam rationalem & corpus, id est, teipsum totum immolas cum ea frueris.

Vide quomodo quasi in taberna amorem tuum quasi venalem prostitueris, & ad mensuram munerum pariter ipsum hominibus impendis. Nihil in hac taberna accipit qui nihil dat, aut daturus speratur. Et tamen nec quod venderes haberes, nisi tibi nil danti gratis esset datum desuper. Recepisti ergo mercedem tuam.

B Evacuatio & elongatio à Deo præparat ad concupiscendum.

Qui te in te frui vult, eas à te gratias meruit, quas muscæ & pulices, tuum sugentes sanguinem.

Si hæc (quibus in mente tua impressis admiratione & amore, qui cultus soli Deo debetur, succumbis) in aliquo angulo domus, seu sculpta, seu picta, admiratione seu amore, seu corporis inclinatione venerareris, & innotesceret populo, quid de te faceret?

Mulier quæ propter hoc non fornicatur, & deserit proprium virum, quia non invenit adulterum diu mansurum, non vitat adulterium, sed quærit diuturnum. Tu autem ad mali cumulum divaricasti crura mentis tuæ omni transeunti, ut vel momentaneis adulteriis fruereris, quia diuturnis vel æternis non poteras.

Hæc est prorsus pravitatis humanæ summa, meliora se deserere, id est, Deum, & minoribus se intendere, fruendoque eis inhærere, id est, temporalibus.

C Scarabæus dum supervolat, cuncta intuens nil pulchrum aut sanum sive durabile eligit, sed sicubi stercora iacent fœtentia, eis protinus insidet, spretis tot pulchris. Ita animus tuus cœlum terrámque, & quæ in eis magna & pretiosa sunt, intuitu pervolans, nulli adhæret, contemptisque omnibus, vilia multa ac sordida, quæ cogitanti occurrunt, libens amplectitur. Erubesce ex his.

## CAPITVLVM X.

*De impudentia & frontositate animæ fornicantis, quæ petit à Deo in suo scelere confoveri.*

D Cum rogas Deum vt non auferat tibi aliquid cui inhæsisti cupidè, ita est ac si mulier à viro suo in ipso adulterio deprehensa, cùm debeat petere veniam criminis, roget potiùs ne interrumpat ei ipsius adulterij voluptatem.

Non satis tibi est à Deo fornicari, nisi ipsum ad hoc inclines, vt ea quibus corrumperis fruendo, augeat, conservet, & coaptet, id est, formas corporum, sapores, & colores.

Quæ est adeò impudens mulier, vt dicat viro suo: Quære mihi illum aut illum cum quo dormiam, quia placuit mihi plus te, alioquin non quiescam? Tu tamen facis hoc viro tuo, id est, Domino, cùm præter ipsum aliquid diligens, id ipsum ab eo petis.

Cùm dicis Deo, Da mihi hoc aut illud: hoc est dicere, Da mihi in quo te offendam, & à te fornicer. Cùm enim aliquid aliud ab eo quàm ipsum petis, ipsa petitione tua reatum ei tuum & fornicationem ab eo, ostendis, & nescis.

Misericors vindicta si sponsus sponsam suam adulteram deprehendens, ea tantùm subtrahit ei cum quibus fornicabatur. Quàm vero impudica & inverecunda est ipsa, si ad iniuriam hoc accipiat! Nulla alia

E fere tibi est causa dolendi, nisi talis, id est, de subtractis fornicationibus tuis. Ipsi ergo dolores tui arguunt fornicationes tuas, ita vt non sit opus aliis testibus.

Hæc solet à sponsi oculis quamlibet inverecunda & impudica mulier abscondere: lachrymas quas pro damnis quæ contingunt adultero, & quas pro iniuriis ab adultero, sibi irato, illatis fundit, ipsas quoque iniurias similiter & gaudia. Vide nunc si id saltem tu ad Deum facias, si non apertè coram eo pro damnis adulterij tui, id est, mundi huius, luges, & prosperis exultas. Frons ergo meretricis mulieris facta est tibi.

## CAPITVLVM XI.

F *De ignorantia sui ipsius qua homo, per amorem terrenorum extra seipsum effusus, se considerare non potest.*

Penuria interioris spectaculi, id est, Dei (non quòd non insit, sed quòd à te interiùs lippo non videatur) facit vt a tuis interioribus foras libenter exeas, imò in te tanquam in tenebris nequeas commorari, & exterioribus corporum formis, seu opinionibus hominum vaces admirando. Nec imputes formis corporeis, quòd te aut detinent aut terrent, sive aliquo modo movent, sed tuæ cæcitati, atque à summo bono vacuitati.

Vide quantum teipsum ignores. Nulla est enim regio tam remota & ignota tibi, de qua faciliùs credas falsa narranti.

Aliquando malum displicet sine mercede boni: velut si duo velint in domo vna propriam superbè exercere voluntatem, vterque malum vult. Horum si alterutrum sibi displiceant voluntates, non odio superbiæ fit, sed amore. Odit enim illius superbiam, hic qui amat suam, quæ impeditur ab illo. Hic laqueus est valde occultus.

G Ita te habes in hoc mundo, quasi ad spectandum & mirandum formas corporum huc adveneris.

Si spectaculis interioribus non careres, nunquam ad exteriora exires, sive vacares.

Sicut in fabula puella defecit intuendo solem: ita es tu ad necessariò perituras corporum formas & opiniones humanas.

Hoc spectaculum nullius oculis in hac vita, nisi Dei maximè, & tuis pro captu tuo patet: quàm videlicet corporibus, & eorum formis, vel opinionibus humanis & favoribus superferatur animus tuus, aut subiaceat.

Vide quomodo aversus à Deo intrasti in hunc mundum, inhiante ore ad omnia præter ipsum.

## CAPITVLVM XII.

H *De vera utilitate hominis, & qualiter omnium hominum est una & eadem utilitas.*

Beatus qui eligit vt securè laboret. Hæc est autem secura electio, & labor utilis, id est, omnibus velle prodesse, ita vt talis velis esse eis, qui tuo non egeant auxilio. Tanto enim minùs agunt quod expedit, quanto propriis vtilitatibus videntur intendere. Hæc est autem propria vniuscuiusque vtilitas, omnibus velle prodesse. Hoc autem quis intelligat? Qui ergo propriam quærit agere vtilitatem, non solùm nullam suam vtilitatem invenit, sed etiam magnum animæ suæ detrimentum incurrit. Dum enim propriam quærit, quæ nulla esse potest, à communi repellitur, id est, à Deo. Sicut enim omnium hominum vna est natura, ita & vtilitas.

Felix est omnis qui nihil vult, quod sibi prosit. Potest

ergo

A ergo homo velle quod sibi aut non prosit, aut obsit? Vtinam vel semel in vita tua tota velis quod expedit sicut volendum est! O misera sors, non posse nolle quod obest!

Si interroges homines quare sint miseri, utrum non velint quod sibi sit utile, an quia non habeant quod nolunt: respondebunt statim quia non possunt habere quod volunt. Hoc autem est dicere: Illuminati quidem sumus, & bene quid utile nobis sit novimus & amamus, sed infirmamur. Quod falsum est. Quis enim sæcularium omnium diligit aliquid quod eum facere potest meliorem? Nil optant homines quod non sit vilius ipsis. Et quomodo id quod melius & preciosius est ac dignius, ex deterioribus ac vilioribus & indignioribus potest meliorari? Heu quot sunt qui agunt quod volunt: quàm pauci qui velint quod sibi prosit adeptum! Et tamen quis unquam poterit hoc persuadere filiis Adæ? Quando credentur non amare utilitatem suam, cùm parati sint iurare, nihil se sibi malè optare, & omnia quæ patiuntur in tot laboribus propter suā utilitatem se tolerare? Tanquam si dicas idololatræ quia non colit Deum. Statim enim insiliet, iurans se colere Deum, & quanta in cultu eius expendat annumerabit, ipsumque etiam quem colit Deum, digito demonstrabit. Et tamen non colit Deum: sed errore deceptus pro Deo habet. Ita homines sine dubio non utilitatem suam diligunt aut volunt, sed quod errantes utilitatem suam putant. Et ideo quicquid pro re tali aut agunt aut patiuntur, pro utilitate se agere putant aut pati. Non autem vult aut diligit utilitatem suam, nisi qui Deum diligit. Ipse quippe solus, tota & sola est utilitas humanæ naturæ. Scriptum verò est: Quoniam *qui manet in charitate*, id est, qui Deum diligit, *in Deo manet, & Deus in eo.* Talis est ergo utilitas humana, ut eam, nisi qui habet, diligere nemo possit: & quæ à suo dilectore non possit omnino seiungi. Hoc ergo ipsum quòd dicunt homines diligere se quidem utilitatem suam (quis est enim qui hoc non sit iurare etiam paratus?) sed eam non habere, hoc ipsum, inquam, testimonium est, eos aliud diligere, non ipsam suam utilitatem. Nihil enim aliud homini faciendum est ut utilitatem suam habeat, nisi diligere. Sed ipsi homines conantur assiduè facere eam quasi non sit, sicut Pagani Deum. Nam si solus Deus utilitas est hominum, quo carere non potest, nisi qui eum nequaquam diligit: non facienda utique est, cùm sit æterna, sed tantùm diligenda. Hoc solum prorsus est totius miseriæ nostræ causa: quod scilicet utilitatem aut non cognoscimus & non amamus; aut non quantum vel sicut cognoscenda & amanda est, cognoscimus & amamus.

## CAPITVLVM XIII.

*De prudenti cautela qua utendum est ad suam utilitatem quibuslibet prosperis vel adversis.*

ECce contristatus & conturbatus, quereris de illo aut illo, quòd contumeliosa & odio plena tibi dixerit verba. Doles ergo aut talia tibi, aut tali mente esse locutum. Bene omnino, si propter eius utilitatem doles.

Non enim hoc ei expedit. Si autem propter te, pravè. Nil enim tam sanctum ac bonum, tam sanctè ac bene tibi dicere potuisset, quod esset utilius tibi, quàm hæc erunt, si benè eis utaris. Sive enim bona sive mala, benè vel malè dicat tibi quis vel faciat: talia tibi erunt, qualiter eis usus fueris. Sibi autem qui fecit aut dixit, talia erunt, quali ea voluntate fecit aut dixit. Sicut enim mentitur iniquitas sibi tantummodo, non tibi, si non consentias, & si redarguas: ita omnia mala facit sibi ac dicit, id est, ad perniciem suam, si piè ac compatienter non consentias, sed redarguas. Ei ergo qui malum tibi fecit aut dixit, condolere debes, non tibi, cui etiam aliena mala in bonum, si eis bene utaris, cedent: & in tam bonum, quàm bene eis uteris. Ergo & tantum in malum, quàm malè uteris eis: sive mala sint, sive bona, quæ facta vel dicta tibi sunt: *quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, in tantum omnia, ut etiam aliena mala. Odientibus autem Deum, è contrario omnia cooperantur in malum ipsorum: & in tantum omnia, ut etiam bona. Totam igitur querelam in teipsum malè utentem verte. Nam & si re vera mala sunt quæ facta aut dicta sunt tibi: tibi certè mala esse nullo modo poterunt, nisi eis malè utaris: sic nec bona bona, nisi bene eis usus fueris.

Hoc semper intuendum quid fiat in animo tuo; nec quid sive boni sive mali alij faciant, sed quid tu de ipsis eorum factis facias: quomodo scilicet utaris bonis & malis eorum, quantumque ex eis proficias sive favendo & adiuvando, sive compatiendo & emendando. Tunc enim de omnibus factis hominum bene operaris, cùm nullis eorum beneficiis illiceris ad favorem, nullisve malefactis deterreris ab amore. Tunc enim gratias amas. Non enim est ullius meriti pacem habere, nisi cum iis qui eam nobiscum non habent.

Quicquid fiat tibi, dummodo animus tuus nec iræ, nec odij, nec tristitiæ, nec metus motum incurrat, neque horum causam, in futuro sæculo nihil nocebit.

Oppone duas pilas radio solis, unam de argila, alteram de cera; quamvis sit unus idemque radius, non tamen idem in utraque operari potest, sed secundùm præparationes earum, diversa in eis agit, hanc indurans, illam liquans, neque enim terream liquare, aut ceream durare potest. Ita & una metalli species, aurum scilicet, conspectum à pluribus, diversos in eis, secundùm præparationem mentium eorum, excitat motus. Alius enim accenditur ad rapiendum, alius ad furandum, alius autem ad pauperibus erogandum. Qui stultus est, dicit beatum eius possessorem: qui sapiens, luget eius amatorem. Nec in bona mente malam, nec in mente mala bonam voluntatem excitare valet: sed omnino & hæc, & aliæ seu corporum seu rerum aliarum species sive causæ, mentes humanas, secundùm præparationes earundem, movent. Et ideo tota causa malitiarum nostrarum nobis ipsis imputanda est, non ipsis rebus in quibus peccamus. Ergo nihil aliud nobis faciunt, nisi probare. Ostendunt enim quales in occulto eramus: non faciunt nos tales. Quam enim firmo & immobili amore sponsa sponso adhæreat, aliorum virorum probat intuitus. Si enim bene casta est, nullius alterius pulchritudine permovetur. Ita quoque tu, si firmissimo affectu adhæreres Deo, nullius creaturæ illicereris aspectu. Omnia namque hæc, tuam erga Deum, quanta sit, probant castitatem.

## CAPITVLVM XIV.

*De adversitatibus huius sæculi, qualiter toleranda sunt, quia per eas cogimur utiliter ad Deum redire.*

VIde quomodo te pungat Deus, quocunque extra eum extenderis per concupiscentiam in creaturis, tanquam nutrix pueri brachium extentum extra cunas ne pereat frigore.

Propitius tibi sit Deus, ne inveniat ubi requiescat pes mentis tuæ: ut saltem coacta, ô anima, redeas ad arcam, sicut columba Noë.

Egestas ipsa, vel asperitas, temporalis tortoris vice cogit nos bona, atque his diversa desiderare. Sed quia nos tantùm temporalibus assueti sumus, nihilque aliud novimus, non malum diversa ab his quæ patimur desideramus: & vel iras eorum, id est, asperitates, temperamento, quasi quadam reconciliatione, ad momen

A momentum interrumpere, vel non multum diversa ab his, subire optamus.

O homo qui dolorem pateris, vis eum lenire? Volo. Temporaliter an æternaliter? Æternaliter. Æternum ergo linimentum, id est, Deum desidera. Nam ideo te percussit, ut eum desideres, non herbas, non ligaturas.

Vna febris aufert omnia contra quæ pugnas, id est, oblectamenta quinque sensuum. Quid restat ergo, nisi ut Deo gratias pro collata victoria referas? At tu contrà quæris cui succumbas, odiens libertatem.

Quæ spes est, si laqueis inimici gratis incumbis & iaculis, si hæc non solùm non caves, sed insuper libenter amplecteris, téque illis detegis? ab illis ad illa confugis. Ea putas remedium, ea solatium, ea desideras, & abesse non pateris.

B Prosperitas laqueus est, culter incidens hunc laqueum, adversitas: carcer amoris Dei, prosperitas; confringens hunc aries adversitas.

Dicit tibi adversitas: Niteris ut recedam. Quod certe nullo modo prohiberes si benè velis, poteris. Non enim possum Domino modulante manere, quippe syllaba.

Si erga homines pessimos velut agnus esse debes: quid ad Deum, cùm ab eo corriperis flagello aliquo?

Vide quomodo sis quasi in bello. Sitis torret, opponis potum. Fames cruciat, opponis escas. Frigori, vestem aut ignem. Morbis, medicinam. Contra hæc omnia opus est patientia, & mundi contemptu, ne alio bello, quod hinc surgit, supereris, catervis videlicet vitiorum.

Quando quidem sola voluptate caperis, sola delectabilia sunt cavenda. Nusquam ergo secura est anima Christiana, nisi in adversis.

De his quæ diligis, tibi fecit Deus virgas. Prospera fugiendo, in adversa irruendo cruciaris. Omnia flagella sunt, præter ipsum. Qui flagellum destruit, quasi filius est, qui virgam patris verberantis frangit.

C Corpus à validioribus victum aut impellitur aut attrahitur, similiter voluntas. Tu verò non quod corpus vincendo moveat, sed mentem & voluntatem cura.

Væ non his qui perdiderunt temporalia, sed his qui perdiderunt sustinentiam. Nulla enim passio superatur, nisi per ipsam. Non enim edendo contraitur fami, sed servitur, sicut bibendo siti. Ad hoc enim tendunt ista ut scilicet ad fruendum exterioribus corporum formis inclinent animum. Quod quando fit, non superantur, sed regnant, finem suum, id est, animi inclinationem & præparationem ad faciliorem & maiorem inclinationem obtinentes.

Omnium dolorum & cruciatuum sola medicina est contemptus eorum quæ læsa sunt, & conversio mentis ad Deum.

Quot voluptates carnales & quàm vehementes spernis: totidem & tam validos diaboli laqueos devitas. Quot tribulationes, præsertim pro veritate, fugis: totidem medicinalia remedia spernis.

D

## CAPITVLVM XV.

*De vera patientia, qua tolerandi & amandi sunt peccatores & infirmi, piè sperando correctionem eorum.*

Vide quomodo in spe diligere possis frumentum, in herba triticum gibbosum: sic eos dilige qui nondum boni sunt. Talis esto erga omnes, qualis erga te Veritas exstitit. Qualem te sustinuit & amavit, ut meliorem faceret; tales sustine & ama, ut meliores facias.

Blasphemas medicum, desperando ægrotum. Tam facilis enim est eius sanitas, quanta illius in medendo potestas & benignitas.

E Vide ne propter opus hominis, contemnas opus Dei. Opus enim hominis, homicidium est, adulterium est, & cætera similia; opus verò Dei, ipse homo. Qui diligit aliquid, sicut domum aut aliquid huiusmodi, materiam quoque unde illud fieri possit, amat, ligna scilicet aut lapides. Omnis ergò qui bonos diligit, malos, eo quod nunquam aliunde boni fiant; diligat necesse est. Cur enim non amas id unde potest Angelus fieri, si illud amas unde scyphus fieri possit? Scriptum namque est de hominibus, *Erunt æquales Angelis Dei.*

Quàm pulchra ars vincere in bono malum: contraria enim à contrariis superantur.

Positus es quasi signum ad retundenda iacula inimici, id est, ad destruendum malum, oppositione boni: Reddere autem malum pro malo non debes unquam, nisi fortè medicinaliter, quod iam non est malum pro malo, imò bonum pro malo reddere.

F Qui mundum amant, artem qua id quod amant assequantur vel fruantur, laboriosè addiscunt: tu Deum vis assequi, & artem qua acquiritur, id est retribuere bonum pro malo, contemnis.

Aut hinc recede, aut propter quod hic positus es age, id est, medere, patere.

Hic stultus est, id est, homo inimicus; ille callidus, diabolus scilicet, qui per hunc te impugnat. Circa hunc blandus, ut eum liberes, esto: contra illum cautus.

Turbaris quia ego turbatus sum, turbatus turbatum reprehendis. O pudor! Loripedem rectus derideat, æthiopem albus. Ego quidem corrigar, nec ampliùs hoc malum faciam. Tu autem quid facies de hoc vitio tuo: quo non solùm mihi mederi non vales, sed nec ferre salutem potes?

Quare vis fratrem illum dimittere? Quia iracundia, & omnibus vitiis plenus est. Sic ergo faciat tibi Deus. Ex ore tuo probasti quòd non debeas eum dimittere.

G *Non est sanis opus medicus, sed malè habentibus.* Si matrem interroges, quare filium suum derelinquat, & responderit, quia debilis est, & ægrotus: interroga si idipsum velit ipsa fieri sibi à filio. Et cùm dixerit, Non: adde, Mala ergo causa odisti. Sic est de medico.

Non sit exactor vindictæ, qui petitor est veniæ.

Si teipsum tam immundum toleras, cur non etiam quemlibet alium?

Hierusalem eant alij: tu usque ad patientiam aut humilitatem, hoc est enim te ire extra mundum, illud intra.

Qualem erga te Deum & homines voluntatem habere vis, quantumcunque aut quomodocunque offendas: talem te aliis exhibe quantumcunque aut quomodocunque delinquant.

## CAPITVLVM XVI.

*De pia compassione & medicamine infirmorum, & quomodo mente incorrupta vivendum est inter eos.*

H Læsa mater à filio non requirit in vindictam læsuram eius, eo quòd hanc quoque suam deputet. Quare si quis eam ulcisci volens lædat filium, non putandus est ei fecisse vindictam, sed iterasse læsuram. Ita debet esse omnis Christianus ad omnes homines, misereri scilicet desiderantis certissimas causas doloris sui, id est, peritura.

Tam facile est inter fratrem tuum & vitium eius discernere, quàm inter bonum & malum. Denique viso homine, quis irascitur, quis indignatur? Viso vitio eius, quis non offenditur, nisi quis valde sapiens & bonus, qui norit hoc potiùs eidem obesse quàm cuiquam alij, ac per hoc eidem compatiendum esse?

Charitate, sapientia, repletur frater, nec communicas: ira, odio, furoreque repletur, nec evadere potes

quin

A quin communices. Insanus sanis indiget, ut eum vel servent, vel curent.

Quod solum tibi à Deo exhiberi desideras, id est, benignitatem, hanc omnibus hominibus exhibe: sive flagello, sive lenitate. Quid insultas cæcis & infirmis? Tu idipsum: aut si aliud, non per teipsum, nec à teipso.

Cogita, si omnes homines ira semper & insania agerentur, quid tibi agendum esset: Nunquid ideo turbari deberes? Cur ergo cùm unus aliquando turbatur, turbaris? Medicinam ei debes, non turbationem. Quomodo enim insania insaniendo curari potest?

Cur tibi tui generis placent cruciatus? An quia iustum est? Ergo & tui Deo placeant, quia iustum est. Hæc autem sententia ignibus te tradit æternis.

B Stultus medicus nolens opinionem suam minuere, quicquid non bene contingit, licet culpa sua sit, ipsis tamen imputat ægris: Ita facis tu subiectis tuis.

Qualem animum haberes ad omnes homines, si remotus esses ab eis cogitans eorum peccata atque miserias: omnino saltem nunc talem habeto, cum videas oculis perire eos aut cæcitate, aut infirmitate, Aut enim falluntur à Diabolo per temporalia, aut superantur.

Horresce inscrutabilia iudicia Dei super te. Quicquid enim es super alios, nescis quare ipsi non fuerint super te, Talis ergo esto ad illos, quales vides illos esse debuisse ad te, si essent super te.

Non secundùm profectum subiectorum, sed secundùm desiderium tuum & conatum erit merces tua: sive illi proficiant, sive non.

Cùm benè probaveris illum esse sceleratum, erit tibi necesse ut lugeas peccatum eius: quia & Dominus luxit tuum. Cur enim rimaris languidi morbum, si cognito morbo non solùm non condoles nec mederis, sed etiam insultas.

C Dum vides vel audis mala, aliena respice animum tuum; ut probes quantum ei veræ dilectionis erga homines insit.

Non gaudendum tibi est, si cæteris te meliorem esse contingat: sed dolendum potiùs, eos de bonitate minus habere, computandumque id tibi deesse.

Indue eum priùs quem iudicare vis aut corripere: ut sicut tibi expedire senseris, si ita sis, sic ei facito. *In qua enim mensura mensus fueris, in eadem remetietur tibi: & in quo iudicio iudicaveris, in eodem iudicaberis,* nam & Christus priùs induit hominem, quàm iudicaret.

Non tibi conandum est ut Domini tui quorum servitio ab eorum Patre, id est Domino Deo tuo deputatus es, quod tu vis, sed quod eis prosit agant. Te enim ad eorum utilitatem, non eos ad tuam voluntatem inclinare debes: quia non ut præsis, sed ut prosis eis, tibi commissi sunt, sicut & æger medico, non ut ei dominetur, sed potius medeatur, committitur. Nec contra ægrum sed pro ægro, id est, contra ægritudinem eius est medicus; totamque & sufficientem vindictam pro omnibus quæ ab eo patitur, salutem eius habet: neque enim aliquid ei imputat, sed ipsi morbo; & ideo

D plena est ei ultio, morbi ipsius extinctio.

Duobus medicis commissi fuerunt quatuor homines: sanus unus cum ægro uno, uni; & sanus alius cum ægro alio, alij: promissaque est merces pro cura sive conservandæ sive recuperandæ sanitatis. Itaque alter eorum fecit, susceptis quicquid pro conservanda vel restituenda salute fieri debuit, & tamen mortui sunt. Alter nihil eorum quæ fieri debuerunt fecit, & tamen qui sanus erat ita mansit, & æger convaluit. Quis horum mercede dignus est, cuius suscepti ambo mortui sunt, an cuius vivunt & valent? Ille sine dubio, qui quod debuit fieri, pia voluntate fecit, laude & mercede non minus dignus est, quàm si illi viverent & valerent. Ille verò qui noluit facere quod debuit, pœna non minùs dignus est quàm si illi mortui essent.

Duo ergo perficiunt medicum: voluntas bona, & perfecta scientia. Nam ut omnes quibus curam impendit sanet, hoc non est eius. Non enim scire quisquam potest qui desperabiliter, vel qui cum spe salutis ægrotet. Et ideo omnibus adhibenda est cura, & cum omni benignitate, tota in singulis ars exsequenda. Sic enim apud Patrem omnium non minùs gratiæ & præmij pro defunctis quàm pro sanis merebimur. B

Putate ad cohabitandum malis mente incorrupta, quod est Angelicum. Quæ autem gloria est, hoc facere cum sanctis?

Angelorum virtus est, vivere cum vitiosis, nec eorum corrumpi vitiis. Summorum medicorum est, degere cum ægris, & insanis: & non solum minimè corrumpi, sed salutem eis restituere.

## CAPITVLVM XVII. F

*De virtute & effectu amoris Dei, & proximi, & quemmadmodum charitas optanda est & impendenda.*

QVi fruitur aliqua forma corporis, quod sibi bene videtur ex ea, non sibi sed eidem formæ imputat: & propter hoc eam mente laudat & amat. Sed nec se bonum, sed illam ducit: se autem bonum ex ea. Nec in seipso remanet, sed in illam tendit & transit: tanto utique nisu mentis, & motu voluntatis, quanto magis eam fruendo miratur & diligit. Et ideo si quis eandem formam aut læserit aut abstulerit non ei, sed sibi iniuriam factam putat. Et quia paradisus & beatitudo ei erat, eidem inhærere infernus ac miseria ei est, ab ea separari, Ita esto tu ad Deum.

Si imago stercoris ex auro fiat, melior est utique substantialiter quàm imaginaliter. Substantialiter namque aurum, imaginaliter verò stercus erit. Si autem Angeli imago auro imprimatur imaginaliter erit melior quàm substantialiter. Imaginaliter enim substantia viva spiritualis ac rationalis: substantialiter autem corpus insensatum, & sine vita: itaque cùm mens tua corporibus mortuis ac perituris cum amore afficitur, melior est utique substantialiter quàm imaginaliter. Substantialiter enim vita est rationalis ad Dei imaginem facta: imaginaliter verò talis est, qualia sunt ea quibus intendit ac fruitur. Cùm ergo à seipsa effusa per corporis sensus, in ea intendit: à meliore perfecto, id est, à substantia viva ac rationali, quod est ipsa, in deteriora tendit: quantoque id vehementius agit, tanto deterior efficitur. Cùm autem super seipsam effusa, veritate, id est, Deo afficitur, melior sanè & preciosior est formaliter quàm substantialiter. Substantialiter enim anima, formaliter autem (si dici fas est) Deus est. *Ego enim dixi, dij estis, & filij excelsi omnes.* Cùm itaque à seipsa in ipsum tendit, à deteriore in id quo nihil melius esse potest, tendit: quantóque id efficaciùs agit, tanto melior efficitur. G

Cùm volitur bonum quod indiget aliquo bono; non miseria excluditur, sed indigentia cumulatur & augetur. Ergo velis bonum quod non indiget alio bono. Omnia autem bonitate bona sunt. Igitur omnia egent bonitate ut bona sint. Bonitas autem nullius eget: per se enim est bona. Hanc itaque ama, & beatus eris. H

Vide quale est bonum cuius ultima vestigiorum vestigia, id est, temporalia, tot & tantis laborum errorumque discriminibus à tot rationabilibus & irrationabilibus appetuntur.

Nil gaudendum est tibi in te omnino, vel in alio, nisi in Deo.

Omnia vitia & peccata quia propter creaturam fiunt, id est, ultimum bonum, bonitati creatoris adversantur, id est, summo bono.

Si tantum appetitur ventus generis nostri, id est, opinio vel laus, quantum appetenda est salus generis nostri, id est, creator! Si tam dulce est dici bonum, ut



Digitized by Google

A etiam qui hoc esse nolunt, mali, hinc gaudeant; quanto est dulcius esse! Et si tam amarum & fœdum est dici malum, ut etiam qui lætantur cùm malefecerint, & exultant in rebus pessimis, hoc nequeant tolerare, quanto est deterius esse!

Appetit aliquid creatum homo, vel inhæret ei sensu corporis, & sui obliviscitur: quando tu ita ad creatorem?

Beatitudinem tibi præcipit Dominus, id est, perfectum amorem sui: unde venit non formidare nec turbari, id est, pax & securitas.

Declinare à malo, sola veritas novit, & solus eius amor potest: ergo non localiter declinatur à malo.

Amato quod amando carere nequeas: id est, Deum.

Si adhærere Deo, totum & solum bonum est tibi: ita separari, ab eo, totum, & solum malum est tibi, & nihil aliud. Hoc tibi gehenna, hoc tibi infernus.

B Ablactare amodo ab istis corporum formis, pudeat te non posse esse sine istis. Et quia ista, velis, nolis, quandoque es amissurus; fac modò volens cum magna mercede aut gratia, quod etiam non sine magno supplicio quandoque facturus es. Nunquid enim, etsi nullus auferat, non es hanc vitam, & omnia quæ ad illam pertinent, contempturus? Ecce habeto omnia: nunquid non es his omnibus quandoque cariturus? Fac ergo modò, quod facturus es quando omnia amiseris: id est, disce esse sine istis, disce vivere & gaudere de Domino.

*De dilectione proximi gratuita.*

QVi omnes diligit, saluabitur sine dubio: qui verò ab hominibus diligitur, non ideo saluus erit. Sicut odium tui omnibus est impedimentum ad vitam: ita omnium tibi. Expedit ergo tibi, omnes diligere: illis quoque prodest, diligere te.

C Optanda est dilectio gratis, id propter suam dulcedinem propriam, tanquam nectar suavissimum; etiam si omnes inimantur, non vendenda ulla mercede. Nobis enim utilis est, nosque beat, quicquid alij faciant.

Si amas quia amaris, vel ut ameris; non tam amas, quàm redamas, amorem pro amore rependens: cambitor es, recepisti mercedem tuam.

Ad eum qui iniuriam tibi fecit, affabilem magis & privatum te exhibe: ad eum cui tu fecisti, supplicem & erubescentem.

Sicut quicquid boni ab hominibus fit tibi, Dei munera æstimas, & ei totam gratiam referendam credis: ita quicquid tu boni hominibus exhibes, eius beneficia, non tua deputa.

Cùm amas aliquem ut amicum, optas autem ei divitias tanquam bonum: excellentius eas amas quàm ipsum. Eum enim ut egentem, has autem ut sufficientiam amas, paratior nimirum isto carere quàm illis.

Qui in iniquitate sua occidit iniquum, eo quòd odio habet iniquitatem, & vult eam delere, fallitur. Mortuo enim iniquo in sua iniquitate, æterna est iniquitas.

D Qui ergo odit iniquitatem, det operam ut corrigatur iniquus, & sic peribit iniquitas eius.

*Deus charitas est.* Qui ergo charitatem exhibet alicui, nisi propter ipsam, Deum vendit, beatitudinem suam vendit: non enim bene illi est, nisi amando.

Si charitas, & eius signa, id est, alacritas, & cætera, ita tibi placent in alio, cur non in animo tuo multo dulcior est?

Qui dat alicui aliquid, vel quia dedit, vel quia daturus est aliquid, non habet à Deo gratiam: sic tu de pace & dilectione.

Si amas tantùm, si ipso amore cogeris, obiurga, verbera: si aliter facis, teipsum condemnas. Omnia eo animo quo tibi à Deo vis fieri facito aliis.

*Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Tu autem nec Deum, nec proximum, nisi propter temporalia beneficia diligis. Per temporalia ergo diffunditur in te, non per Spiritum sanctum, non est charitas quæ ita diffunditur, sed cupiditas. E

Ecce nullum aliud est officium tuum, quàm erat antequam prior fieres. Votis enim ac precibus, & affectibus agebas, quod nunc factis agere incepisti, id est, prodesse hominibus. Non autem debent opera affectus ipsos minuere, sed incitatione augere.

In quacunque re castitatem erga Deum, in eadem poteris etiam erga proximum tuum iustitiam custodire, quod fit non concupiscendo.

Difficile credunt homines ex charitate fieri, quod sibi molestum est.

## CAPITVLVM XVIII.

*De perfecta Angelorum iustitia: & quæ sit differentia inter iustitiam illorum & nostram* F

CVm qualibet re perfectè quis fruitur sui oblitus: se quasi derelicto & contempto tendit in illam; nec attendit, quid in se, sed quid in illa agatur; nec qualis ipse, sed qualis ipsa sit. Ergo angeli magis se contemnunt, quàm nos. In Deum quippe toto nisu tendentes, seipsos cum cæteris creaturis post se tota intentione derelinquunt: nec saltem respicere sese dignantur, ita se viles ducunt. Tota se utique mente contemnentes, suique obliti, toti ad illum vadunt: nec quid aut quales ipsi, sed ipse sit, attendunt. Et quanto se amplius contemnunt, seque à seipsis avertunt, suique obliviscuntur; tanto similiores ei, & ideo meliores fiunt.

Angelos ducit Christus in amplexum sponsi sui: nos avellit ab adultero, id est, à mundo. Illos fortes & constantes efficit ad fruendum sponso: nos ad carendum adultero, id est, mundo. Illos tenet in specie seu re: nos in fide & spe. Illis perfectum dat gaudium in vera beatitudine: nobis tolerantiam in tribulatione. Illis beatam vitam, nobis autem ut multum: preciosam mortem. Illis vivere sibi, id est, Deo: nobis mori mundo. Illis gaudere de suis bonis; nobis dolere de nostris malis. Illis læta corda: nobis contrita. Illis iustitiam: nobis pœnitentiam. Illis finem: nobis initium boni. Confidenter iuro Angelos nullum a Deo percepisse munus maius aut dignius, preciosius sive utilius, & ideo optabilius, nec pulchrius, charitate. Quis hoc intelligat aut credat? Deus enim charitas est. Et ideo qui maius aliquid aut melius charitate habet, aliquid maius aut melius Deo habet. G

## CAPITVLVM XIX.

*De vera & interiori animæ pulchritudine, & in quo consistat omnis hominis vera perfectio.*

NVllam rem cernis, quæ non in suo genere naturalem quandam pulchritudinem habeat atque perfectionem. Quæ cùm deest aliquo imminuta modo, iure tibi displicet. Vt, verbi gratia, si hominem naso truncatum contingit videre, statim improbas. Sentis enim quid ei desit ad perfectionem naturalem humanæ naturæ. Ita est in omnibus rebus usque ad folium urticæ vel cuiusli bet herbæ. Quis verò neget, humanam mentem naturalem quandam ac propriam habere pulchritudinem atque perfectionem? Quæ utique in quantum adest ei, meritò approbatur: in quantum deest, iustò vituperatur. Huius itaque pulchritudinis atque perfectionis quantum tuæ menti desit, adiuvante Deo considera, atque hoc improbare non cesses. Quæ est ergo naturalis animæ pulchritudo? Devotam esse erga Deum. H

Et quantum? *Ex toto corde, & ex tota anima, & ex omnibus*

Digitized by Google

A *omnibus viribus.* Adhuc pertinet ad eandem pulchritudinem, benignam esse erga proximum. Quantum? Vsque ad mortem. Quod si hoc non feceris; cuius erit damnum? Dei quidem nullum: proximi fortasse aliquod; tuum autem sine dubio summum: naturali enim pulchritudine ac perfectione privari, nulli rei non potest esse damnosum. Nam si rosa desistat rubere, vel lilium benè olere, damnum mihi quidem nonnullum esse videbitur voluptates huiuscemodi diligenti: sed eis, id est, rosæ vel lilio, multo maius multoque infestius naturali ac propria pulchritudine viduatis.

Rationalis creaturæ vera perfectio est, unamquamque rem tanti habere, quanti habenda est. Nam pluris vel minoris eam habere, errare est. Porrò omnis res naturaliter aut supra ipsam, aut iuxta ipsam, aut infra est. Supra, Deus; iuxta, proximus; infra, cætera. Deum itaque tanti debet habere, quanti habendus est. Tanti verò habendus est, quantus est. Tanti autem quantus
B est, habere eum nemo poterit, nisi quantus est noverit. Sed quantus sit, non nisi à seipso noteri poterit perfectè. Quantum enim nostram eius essentia, tantum nostram eius de seipso vincit notitia. Vnde sicut essentiæ eius nostra collata, nihil est: ita notitiæ eius de se, si nostra comparetur, cæcitas & ignorantia est. Sola igitur eius de se perfecta, ac sibi æqualis notitia est. Vnde Dominus: *Nemo novit Patrem nisi Filius.* Sicut ergo sola eius de se sibi perfecta cognitio: ita sola eius de se æqualis & par est ex toto dilectio. Solus quippe, se quia perfecte quantus est novit, perfectè quantus est diligit.

Redi nunc ad illam definitionem quam in principio posui. Subtilius enim inspecta, non rationali creaturæ, sed tantum Deo convenire convincitur. Nam ut cætera taceantur, seipsum, sicut ostensum est, non nisi ipsemet tantum ex toto quantus est & novit, & diligit. Quæ ergo creaturæ rationalis perfectio est? Ea scilicet, ut omnia & superiora, id est, Deum; & æqualia, id est, proximum; & inferiora, id est, spiritus brutos,
C &c. tanti habeat, quanti à se, id est, à creatura rationali habenda sunt. Quanti autem habenda sint, sic collige, Deo nihil præfertur, nihil æquatur, nihil pro media, nihil pro tertia, vel pro quantacunque usque in infinitum parte comparatur. Nihil ergo pluris, nihil tanti, nihil pro media, vel pro quantacunque in infinitum parte habeat. Nihil plus nihil tantum, nihil pro aliqua parte ad comparationem illius diligat. Hinc ipse Dominus: *Dilige Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omni mente tua, & ex omnibus viribus tuis*, hoc est, nihil aliud ad fruendum, ad innitendum diligas. Habes de superioribus. Æquales autem naturaliter, id est, quantum ad naturam attinet, sunt omnes homines Omnes itaque tanti habere debet, quanti se. Ergo sicut de superioribus, id est, de Deo in dilectione nec præferre, nec æquare, nec ulla debet ex parte comparare: ita nec saluti cuiuslibet hominis, & quicquid pro sempiterna sua salute facere vel pati debet, idipsum totum facere vel pati debet pro sempiterna salute cuiuslibet hominis. Hinc enim ait Dominus: *Diliges proximum sicut teipsum* Habes de mediis. Inferiora vero sunt quæcunque post Spiritum rationalem
D sunt, id est, sensualis vita, communis cum pecoribus, & quæ vegetat corpus, communis cum herbis & arboribus, & substantia corporis cum formis & qualitatibus, cum metallis communis & lapidibus. Sicut itaque nihil plus quam superiora, nihil tantum in comparatione eorum debet diligere: ita nihil minoris quàm inferiora, nihil tam parui, nihil in comparatione eorum, pro quantacunque usque in infinitum parte, vile debet habere. Et hoc est quod scriptum est: *Nolite diligere mundum, nec ea quæ in mundo sunt.* Habes de inferioribus. Habebit itaque talis superiora ad gaudium, æqualia ad consortium, inferiora ad servitium. Devotus erit ad Deum, benignus ad proximum, sobrius ad mundum. Dei servus, hominis socius, mundi dominus. Sub Deo constitutus, erga proximum non elatus, mundo non subditus. Redigens inferiora ad utilitatem mediorum, media ad honorem superiorum. Nec impius, nec blasphemus, nec sacrilegus ad superiora. Nec elatus, nec invidus, nec iracundus, ad æqualia. Nec furiosus, nec flagitiosus, ad inferiora. Nihil ab inferioribus nihil ab æqualibus, sed totum à superioribus suscipiens. A superioribus impressus, inferiora imprimens: à superioribus motus, inferiora movens: à superioribus affectus, inferiora afficiens: superiora sequens, inferiora trahens: ab illis possessus, ista possidens: ab illis in eorum similitudinem redactus, ista in suã similitudinem redigens. Ad hanc perfectionem in hac vita tendimus, quam tamen non nisi in futura perfectè obtinebimus. Hanc tanto tunc plenius obtinebimus, quanto nunc ferventiùs affectamus. Nullus tunc erit motus in mente, nisi à Deo: nullus in corpore, nisi ab anima: atque ita nec in anima, nec in corpore nullus nisi à Deo. Nec erit peccatum, id est, perversitas voluntatis, nec pœna peccati, corruptio videlicet & dolores & interitus carnis. F
Nuda mens, nudæ adhærebit veritati, nullis verbis, nullis sacramentis, nullis similitudinibus, ut ad eam perveniat, indigens, aut exemplis. Ibi enim non docebit vir fratrem suum, dicens, Cognosce Dominum. Omnes enim à minore usque ad maximum scient me, dicit Dominus: nam omnes erunt docibiles Dei.

## CAPITVLVM XX.

### *De incarnatione Verbi: & quemadmodum in seipso nobis perfectionem prædictam plenissime demonstravit.*

HAs virtutes seu iustitiæ lineas etiam nunc in hac mortali vita, si valde munda esset anima, per semetipsam in ipsa veritate atque sapientia Dei videret. Videret etiam non solùm se, id est, animam humanam immortalem atque æternam fore; sed etiam carnem suam talem in resurrectione futuram. Nam & eandem resurrectionem ibidem, id est, in Dei Verbo & Sapientia, clarè conspiceret, sed quia hæc nõn poterat propter G
immunditiam suam, adita est Verbo mens humana, quæ ipsum Dei Verbum plenissimè suscipiens, eique omnino conformis atque consimilis, eoque solo tota & ex toto impressa. Sicut scriptum est: *Pone me sicut signaculum super cor tuum.* In eius itaque similitudinem tota redacta, sicut ad sigilli similitudinem cera redigitur, ipsum nobis in seipsa videndum sciendumque exhiberet. Sed nos ita cæci eramus, ut non solum Dei Verbum, sed nec humanam animam videre possemus, idcirco additum est etiam corpus humanum. Pone enim hæc tria, Dei Verbum, humanam mentem, corpus humanum. Si primum benè videre possemus, non indigeremus secundo. Quòd si saltem secundum videremus, non indigeremus tertio. Sed quia nec primum, nec secundum, id est, nec Dei Verbum, nec humanam mentem videre poteramus, additum est tertium, id est, corpus humanum. Atque ita Verbum caro factum est, & habitavit nobiscum in exterioribus nostris: ut vel sic nos introduceret, aliquando ad interiora sua. Anima itaque rationalis, habens carnem, addita est Verbo, quæ per ipsam carnem quicquid nobis docendis & corrigendis necessarium erat, doceret, faceret, pateretur. In illa sola perfectissimè fuerunt, quæ supra tractavimus, id est, devotio ad Deum, benignitas ad proximum, sobrietas ad mundum. Nihil enim Deo prætulit, nihil æquavit, nihil pro parte aliqua comparavit, nihil pro quantacunque parte ad comparationem illius. Vnde ait: *Voluntatem eius*, id est, Patris, *facio semper.* Proximum verò perfectissimè dilexit sicut seipsum. Nulli enim ex iis quæ infra se, id est, infra rationalem mentem erant, pepercit, sed omnia ad utilitatem proximi convertit, & vitam, sed sensualem, & eam quæ carnem vegetat, & ipsam carnem. Nam & H

dolores

A dolores pro nobis sustinuit acriores, & mortem, contra vitam vegetabilem, & vulnera cõtra ipsam carnem. Ad mundum autem tantam sobrietatem, tantumque habuit contemptum, ut non habuerit filius hominis, ubi saltem caput reclinaret suum. Nil ab inferioribus, nihil à mediis, sed totum à superioribus, id est, Dei Verbo, cui ad unitatem personæ coniuncta est suscepit. Non sacramentis, non verbis, non exemplis; sed Dei tantummodo Verbi præsentia est docta ut intelligeret, & accensa ut amaret. Per eam nobis ipsum Dei Verbum & Sapientia tripliciter, id est, sacramentis, verbis, & exemplis, quid agendum, quid tolerandum, & per quid esset, ostendit. Non enim sequi homo debebat nisi Deum; nec poterat, nisi hominem. Assumptus est igitur homo, ut dum sequitur quem potest, sequatur & quem debet. Item non proderat conformari nisi
B Deo, ad cuius imaginem factus est: nec poterat nisi homini. Itaque Deus factus est homo; ut dum conformatur homini cui potest, conformetur & Deo, cui prodest.

# HVGONIS ETERIANI, DE ANIMA CORPORE IAM EXVTA, ad Clerum Pisanum; liber.

*Hugonem Eterianum claruisse sub Alexandro Tertio Pontifice, & Emmanuele Comneno Imperatore rectè annotavit Genebrardus, lib. 4. Chronograph. pag. 613. contra*
C *Trithemium aliosque existimantes sub Alexandro Quarto floruisse. Vide infra præfationem eiusdem Hugonis in libro de hæresibus, quas in Latinos Græci devolvunt. Vbi cum dicat se ad opus illud scribendum incitatum ab Hubaldo Hostia & Bernardo Portus Episcopis Cardinalibus, constat utrumque interfuisse electioni Alexandri Tertij, & Hubaldum postmodum creatum Pontificem Lucium Tertium.*

*Ex Bellarmino de Scriptoribus Ecclesiast.*

HVgo Eterianus natione Tuscus, vir doctus Græcè, & Latinè, Constantinopoli degens scripsit valdè eruditè *Librum de processione Spiritus sancti adversus errores Græcorum*, quem librum ad Alexandrum tertium Pontificem misit ann. 1177. teste Card. Baronio tom. 12. Annal. ubi & Epistolam eiusdem Alexandri ponit, qua gratias agit Hugoni. Scripsit etiam *de regressu animarum ab inferis*. Vtrumque opus extat.

D

## CLARISSIMO, Prudentissimo Hugoni Tam Græca quam Latina Lingua Elimatè instructo, universus Clerus Pisanus Salutem & optatæ fœlicitatis partum.

PRVDENTIÆ *tuæ ac miræ scientiæ fama, veluti Solis iubar, universum propè orbem terrarum in dies magis magisque spargitur: quod nobis proculdubio tam acceptum esse credito, quàm cum maximè. Quis enim huiusmodi profectu, & gratia, corporis totius & animi iucunditate*
E *non impinguesceret? Egregij horti præstans fructus, adeo sua suaveolentia omnium nares, sensusque afficit, ut nullius animus ad eum non aspiret. Tu huius gentis columen es. Quare ex æquitate, tuæ provideas civitati, in cuius honestis muniis haud postremas tenebis. Sed cum & hactenus id non segniter feceris, laudandus admodum nobis es, & gratiarum iusta relatione dilatandus. Porrò, commune votum nostrum est, ut quædam pro tuo ingenio multiiuga eruditione conscribas, ex quibus iudicium tuum de iustis, quæ pro Christianorum defunctorum vita & animis absoluuntur, appareat. Ea non minori studio amplexaremur, quàm si beati Augustini essent. Sunt enim apud nos, qui, ceu desperantes dicant mortuis fidelibus neque orationes, neque denique sacrificia conferre. Atque iidem cùm & in hæsitationem de resurrectione provoluantur, spes & desiderium est, te eam non præteriturum in iis quæ concinnabis. Vale totus optimè.*
F

## REVERENDO VRBIS Pisæ Clero, Hugo Eterianus, animo rectitudinis abundare, illumque semper complecti animo, Qui est.

VBERIBVS *glebis semina constanti fide cõmittuntur. Quippe cùm exorta fuerint, Aquilonis frigiditatem, vehementiam Euri, ac intemperantiam Austri rectius perferunt. Fælicem ingenio, & eloquentem suspicantes, me, rogastis tanquam peritum cantandi, ut μάστιξ à pulsibus aliquem efficacissimum concentum efficerem, quo hyrcosa & mordax pituita naribus & obtorto gutturi tonsillæ illorum exciderentur, qui de Resurrectione dubitant. Nec non beata oratione depravati mores eorum dirigerentur, qui hostiam salutarem, & cæteras oblationes defunctis conferre inficiantur. Proclivius sanè est mandare huiusmodi, quàm negotium exequi, eò quòd præsentem animum, elimatas assertiones, clausularum distinctiones apertas, & crebris lucubrationibus omnimodam exigat diligentiam. Suscipite igitur quod duce Deo elaboravi, & præclarissimum consulite Albertum, & illustres eius collegas: quoniã hoc vestro prudenti iudicio transmisi. Nempe, ceu spero, iucunditatem præstabit auribus, ori erit melliferum, infirmos vitio animi reformabit, & satanæ retibus præpeditis, si legere, si audire atque intelligere dignabuntur, cælum aperiet. Valete in eo, sine cuius auspiciis nihil usquam validum fuerit.*
G

# HVGONIS ETERIANI, DE REGRESSV ANIMARVM ab inferis liber ad Sacrum Vrbis Pisæ clerum.
H

## CAPVT I.

FORTIS *est ut mors dilectio*: & defecatæ benevolentiæ meraciter custoditum pignus. Etenim amica vestri petitione minimè abdicanda, & exhortatione atque adiutorio dilecti fratris mei Leonis, imperialis aulæ interpretis egregij, dum ea quærito, quibus existo prorsus inferior, corpus ab anima penè seiunctum est separatum. In multis nimirum, ad apum Cant. 8.

similitudinem

A similitudinem tam Græcorum quàm Latinorum codicibus quæsiui, & inveni fauum mellis confectum, qui per ora vestra distillari debeat. Adhuc incertus agor, præstolans vt iudicium vestri examinis me certificet, & quæ mitto legenda examinet, & examinando (si meruerint) approbet & confirmet. Quod quidem haud ambigo futurum esse, cum non mea, sed modo sensus, modo voces sint sanctorum, scilicet Gregorij, Ioannis Chrysostomi, Ambrosij, Gregor. Nisseni: Hieronymi, Basilij, Augustini, Ioannis Damasceni, Hypoliti, martyris, Nili martyris, Anastasij, Cyrilli, & aliorum quos sua nomina indicabunt. vt auditori estis iam nunc. Ponite igitur quæso in cordibus vestris, quid prædicta Deo amabilis societas de humana sentiat anima, quid de pœnitentia & confessione, quid de morte, quid de resurrectione atque iudicio, pronuntiet. Similiter autẽ quàm constanter asserat, quod ea quæ piè defunctis fiunt fidelibus (magis autem salutaris hostiæ immolatio) efficacissimã eisdem medelam præstent, peruigili mente animaduertite. B Plena forsitan hæc conscriptio formidinis, & horroris aliquibus videbitur: verùm præstantibus fidẽ, exuberantissimam (licet cursim singula delibet) instillabit consolationẽ. Postremo suapte natura indigens modulaminis, auditu digna, intellectu assequenda, & in sedibus memoriæ tenacius servanda est.

## CAPVT II.

INitium loquendi à nota domesticæ valetudinis, & naturæ communis fragilitate sumo: eo quòd nihil in hominibus statum habet perseverantem. Siquidem vmbræ vespertinæ arentique fœno humana vita & gloria cõparatur. (1. Par. 29. Isa. 40.) Sed quid vmbra tenuius? quid fœno languidius? His certè nostra infirmiora sunt inediæ, langoores, æqualitates, & quæ repente nobis pericula superueniunt, terra marique, morsque ex insidiis emergit intempestiua. Quid enim facilius, quàm hominem mori? Tumescit homo miser, & quia nondum moritur, bellułino impetu efferatur. Ideò Propheta dicit: *Verumtamen in imagine pertransit homo, thesaurizat & ignorat cui congregabis ea. Vanitas omnis homo vivens*, quia respectu illius beatitudinis ista vita vanitas est. (Psal. 38 Eccles. per totũ Iacob. 4) C Ac divites vapori comparantur dissoluto: frustra ædificant & in vanum accumulant divitias, cum nihil à picta imagine differant. Deficiunt certè ad imaginis similitudinem vetustate temporis, & tamen nihilo minus contendunt, decertant, rixantur, laboribus, sudoribus & afflictionibus, vt divitias acquirant, ignari quis post eos futurus sit hæres. (1. Tim. 6.) Vana est ista conturbatio quia in desideriis vanis, in victu & vestitu conturbantur. Non vacat certè quod ex omnibus vitiis auaritiam Propheta elegit, quia radix omnium malorum, & fomes omnium vitiorum est cupiditas. Audi Salomonem: *Vanitas*, inquit, *vanitatum & omnia vanitas, & afflictio Spiritus*. (Eccles. Eccles. 1. Genes. 3.) Quid enim vanius homine cum terra remaneat, quæ hominum causa facta est, & ipse homo terræ Dominus in puluerem repentè dissoluatur. Vivens homo est vanitas, mortuus verò vanitas vanitatum: & tamen cœlum & terra, & omnia quæ in eis sunt, bona sunt: quia vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona: sed ad Dominum comparata reputantur pro nihilo. Veluti lucernæ lumen ardente rota solis, quando ab Oceano erumpit festina. Invisibilia enim respectu Dei vanitas dicuntur, visibilia verò vanitas vanitatum. D Conturbatur miser homo ad capiendum aptissima venatio: statua non manufacta, idolum animatum obumbratio quotidiana, famulus perfuga, animal passibile ac dissolubile, mutabile ac volubile, modo ad melius, modo ad peius. Qua de re creaturã creatori suo à principio præposuit. Scriptum est enim, quia *cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis*. (Psal. 48.) Multis quidem malis subiiciuntur nostra vsque hodie, quia fovemus antiquam contumeliam & inæstimabilem gloriæ decorem pro nihilo computamus. Certè rationalis imago repetenda erat & prima similitudo, sed (proh dolor) dum in his visibilibus detinemur, ab intelligibilibus porrò exulamus. E Inhonoramus imaginem nostram, quæ est ad similitudinem Dei, & imaginem terreni portantes, & secundum carnem viventes: cœlestis autem imaginem, qui portat virtutes amplectitur. (Cor. 1. 15. Gene. 1.) Homo certè ad imaginem Dei factus est, quia innominabilis & incognita, intelligibilis & immortalis animæ substantia, ad imaginem & typicam similitudinem innominabilis, incogniti & immortalis Dei existit. Nã neque rationalis animæ substantiam quisquam hominum novit à mundi origine, quæ cùm vnica sit, constitutiua & gubernatrix est quadrifidæ naturæ corporis, & hoc ad imaginem Dei, qui gubernat hanc vniversam quadrifidam, & quadriterminam creaturam, & illam simul et quæ sursum est. Et quemadmodum Dei locum nescimus, & vbi habitet, sed tantum credo quoniam vbique est, sic & animæ locum ignoramus, sed tantum scimus, quia in toto corpore est, & operatur. F Amplius autem & in hoc ad Dei similitudinem animalis existit. Nam sicut Deus non est aliquid eorum quæ sunt, sed ab omnibus diversus, ita rationalis anima diversa est ab omni creatura. (Opiniones ... de origine & natura animæ.) Ad hæc autem quod mirabilius est, & in hoc alio ad similitudinem Dei existit, quia neque substantiæ Dei rationem humana mens valet comprehendere, neque animæ hominis essentiam valet invenire, vnde & quomodo ad esse proueneritt. Quapropter qui hanc comprehendere arbitrati sunt, à cæca caliginis voragine absorpti, à veritate recesserunt. Si quidem alij cœlitus missas corporibus infundi affirmauerunt, alij ex traduce, alij ex coitu masculino & fœminino gigni: veluti ex ferro & lapide ad invicem concussis fauilla excutitur. Et alij quidem Angelis consubstantialem autumauerunt: quorum licet multiplex fuerit error, vna veritas, quam omiserunt, satis eos confundit. Verùm sicut superius comprehenditur, ad imaginem Dei facta est, quod ex hoc maximè patet, quia neque visibilis neque cõprehensibilis spiritus, vel figura, qualitate vel subsistentia seu pulchritudine, est tamen pulchritudinis & decoris inæstimabilis. Qua de re quandam æmulationem videntur habere cœlestes spiritus, praecellentissimam pulchritudinem illius intuentes in eo maximè, quod hæc sola inter alias creaturas ad Dei similitudinem esse facta legatur, & est. (Genes.) G Omnis quippe incomprehensibilitas, difficultas incertitudo, nihil aliud indicat, nisi quod vere ad imaginem Dei condita est. Ideo quia omnia quæ penes ipsam sunt ignorantes, ex solis, quas exercet in corpore, actionibus, illius essentiam atque præsentiam percipimus. Sic vtique Dei essentia ex his tantum percipitur quæ in suis creaturis agit & operatur. Denique discors gentilium philosophorum turba, tripartitam esse asserit animam rationalem, siquidem huius animi, hoc quidem concupiscibile, aliud autem rationabile, irascibile verò aliud. Inquiunt enim quod per concupiscentiam ad Dei amorem excitatur, per rationem verò scientiam & sapientia ab ipso Deo accipit, per iram spirituales nequitias repellit & abdicat. (Phil. 2. Sap. 14.) In qua quidem trifaria divisione imago Dei totius describi potest. Omnes enim tres partes vniversitatis, cœlestia dico, terrestria & quæ infernorum sunt tribus modis dispensat & gubernat, conditrice videlicet & potentia, sapiente prouidentia, & expultrice vitiorum clementia. Omne enim quod facit, secundum aliquem horum trium modorum perficit aut condendo, aut præsciendo, aut castigando. H Concupiscibilitas igitur animæ quodammodo conditioni Dei assimilatur, siquidem concupiscentia producit concupiscentem ad actum, rationalitas autem Dei præscientiam imitatur, sed irascibilitas ad Spiritum sanctum pertinere videtur: iuxta illud, *in spiritu Dei eiicis Dæmonia*, & illud: *cum venerit Paracletus, arguet mundum de peccato*, &c. (Mat. 12. Ioan. 16.) Et ex concupiscibilitate rationalitas emanat & irascibilitas. Nam antequam loquatur puer, vbera concupiscit, & somnũ appetit: similiter autem ratio irascibilitatem præcedit. Etenim antequam discernat, nequaquam irascitur vitius, sunt tamen tria

ſimul appetentia. Quemcumque igitur ſcire delectat, quomodo ad imaginem creatoris ſui formatus ſit, hæc inueſtigato, hæc ſcrutator, hæc cogitato: ſui ipſius naturæ conſtitutionem perquirat, omnia quæ ſunt animæ rationalis, minutatim & ſubtiliter perdiſcat quæ ſint huius partes, & quæ ſint partes partium: qui modi, quæ acceſſiones, quæ diſcretiones, & quid animæ ſit vniforme, quid informe: & quomodo cum vna ſit, in tribus conſideratur. Verùm nullo modo putanda eſt anima perſonis inſigniri, cùm de nulla ſuarum partium poſſit appellari. Vna quidem eſt in ſubſtantia, ſed non eſt vna in ſpeculatione ſuarum partium, habet enim concupiſcentiam, rationem & iram. Si concupiſcentiam boni ab anima ſepares, deſinit eſſe anima: ſi rationem ſeiungas, irrationalem ipſam conſtituis: ſi mentem amoueas, erit vtique mortua, & non viuifica. Apparet igitur quod in anima tria quædam ſunt ſecundum rationem, vnum autem ſecundum naturam, & ſecundum ſubſtantiam, & ſunt incomprehenſibilia hæc, & indiviſibilia: ſemper enim vna eſt anima. Si hæc velis attendere nunquam præcipitaberis in ambiguitatem Trinitatis, ſed naturæ rationibus quod ſupra naturam eſt inveſtigabis, neque dices: Si Deus eſt Trinitas, non eſt vnitas, & ſi eſt unus, non eſt trinus; Ideo enim fecit animã tuã ad ſimilitudinẽ Trinitatis ſuæ, vt in harum inquiſitionum vertiginem non laberetis. Inviſibilis enim eſt anima & inviſibiliter manet in corpore, & inviſibiliter egreditur à corpore. Niſi corpori adeſſet anima, neque intus corpus vivificaret, neque foris pungentem ſentiret. Sed quoniam de anima multa inter veteres exiſtit dubitatio, circumſcriptis opinionibus congruum viſum eſt, quid ſuper hac re ſanctorum chorus ædiderit, manifeſtum facere audire cupientibus. Omnium igitur eorum quæ exiſtunt aut ſenſu cognoſcuntur, aut intellectu concipiũtur. At vero quæ ſupponuntur ſenſibus, per eoſdem ipſos affatim manifeſtantur. Nimirum contractu ipſo, abſque intercapedine, fantaſiam nobis rei ſubiectæ ipſi conficiunt. Sed quæ intellectu deprehenduntur, non per ſe, ſed tenus affectibus percipiuntur. Anima ergo cum per ſe incognita ſit, ſuis tantum affectibus in corpore dignoſcitur & demonſtratur, quod qualiter fiat attentus auditor animaduertat. Corpus noſtrum cum movetur, aut interius moveri neceſſe eſt, aut exterius. Sed exterius noſtrum corpus non ſuſcipit motum: niſi fortè in pactionibus, ſeu diſtractionibus, ad ſimilitudinem corporum inanimatorum Qua de re intus ſolummodo motum accipiẽs, movetur quidem, ſed non ſolum naturaliter. Etenim ſi ſecundum naturam noſtrum corpus tantum moveretur (veluti ignis qui nunquam à motu deſiſtit, quamdiu extra propriam regionem permanſerit) aut tantum ſurſum, aut tantum deorſum moveretur. Cum itaque ſurſum & deorſum, ante & retro, dextrorſum & ſiniſtrorſum moveatur ab anima præſtante vitam eo penè modo, quo ab artifice inſtrumenta, prorſus moveri non reſtat ambiguum: propter quod animam eſſe in corpore liquido patet. Quæ quidem cum ab ipſo ſeparatur, manet corpus inefficax, vt ipſe tibi viſus demonſtrat. Nec certè ſecus, quàm inſtrumenta cuiuſlibet fabri, ſi ab eo qui minat dimiſſa fuerit. Et quoniam huiuſmodi anima vna & eadem manens, nunc quidem iuſta, modo autem iniuſta: nunc quidem ſtudioſa, modo autem vitioſa: hodie quidem fatua, cras verò ſapiens: ſubſtantia eſſe indubitatò euincitur. Nam proprium eſt ſubſtantiæ iuſtitiæ ac iniuſtitiæ, virtutis & malitiæ, atque aliorum contrariorum eſſe ſuſceptibilem. Eſt igitur anima in corpore quam ſi ſenſus vehementer pulſantes adipiſcantur, tunc ſubiugata ſeruit, & poteſtatem cum pontificio mittit, eademque amens efficitur: ægra quaſi facta crebris paſſionibus. Quamobrem competenti motu minime vtens, per diverſa naturæ vitia præcipitatur, & è veſtigio in ipſa bonitas & honeſtas caligant. Item & alio modo monſtratur quod anima ſubſtantiæ veritatem non deſerit. Animam eſſe aliquid eorum quæ ſunt iuſtitia & ſapientia, & actiones ipſius manifeſtum faciunt: quæ cùm per ſe nequeant exiſtere, oportet ea ſubiectum habere. At verò non eſt quippiam eorum anima, quæ rationem ſubſtantiæ non ſuſcipiunt. Non eſt enim quantitas. Nam omnia quibus ratio quantitatis convenit, paruarum ſive magnarum rerum menſuræ poſſunt eſſe. Anima vero nullarum rerum menſura eſt, neque augetur, neque minuitur: ſicut patens erit. Sed neque complexiò eſt anima, iuxta quorundam medicorum aſſertionem, quia cùm omne corpus ex elementis conſtitutum habeat complexionem, omne habere animationem: quo dato, altera ſpecies corporis interimitur, inanimatum ſcilicet. Sed neque qualitas eſt anima. Siquidem qualitates inſeparabiles ſunt, quia ſine ſubiecto eſſe non poſſunt. Anima verò rationalis vbi deſerit corpus, ſecum eſt ac exiſtit per ſe. Cùm itaque anima non ſit quàntitas, neque qualitas, de quibus magis videbatur, manifeſtum quod ipſa non eſt accidens, ſed ſubſtantia. Sed vtrum corporea ſubſtantia ſit anima ſeu incorporea, breuiter diſcutiendum eſt. Non defuerunt philoſopi, qui animam eſſe corpus aſſererent. Nam Stoici Spiritum calidum & feruentem animam eſſe affirmabant. Critias verò ſanguinem, Democritus ignem & alij plures ſimilia complaſmabant, dicentes quia non per corpus tantùm ſimiles parentibus exiſtimus, ſed & per animam, veluti conſuetudine, paſſionibus, quæ ſpectant ad naturam corporis. Quorum opiniones Amonius, Plotinus Mimmius, argumentis & rationibus improbant. Omne, inquiunt, animatum corpus connertibile, ac diſſipabile prorſus & in infinitum diviſibile eſt. Omne autem tale corpus quantumcunque tenue diviſionem non effugiens, continente ac gubernante opus habet, vt ſtatus, quem accepit, huiuſmodi non tabeſcat: ex quibus colligunt individuum eſſe atque incorporeum, quod animatum corpus continet. Rurſus omne corpus compoſitum aut intrinſecus movetur, aut extrinſecus: ſed quod intrinſecus movetur, animatum eſt, quod extrinſecus, inanimatum. Horum autem neutrum de anima poteſt prædicari. Nam neque animata eſt anima, neque inanimata Item omne animatum corpus corporeo alimento indiget, ſed anima nutrimenti non indiget corporei. Quare nullo modo anima ſuſcipit rationem corporis animati. In quo manifeſtè oſtenditur falſam illorum eſſe ſententiam, qui ex traduce animam eſſe putauerunt, cum à generatione ſit aliena, omne vtique quod per generationẽ ad eſſe peruenit eſt corruptibile. Anima vero humana incorruptibilis eſt, & immortalis, hoc non ex traduce. Porrò animæ brutorũ animaliũ, quia ex traduce, per naturã fiũt, mortis interitũ nõ effugiũt, & in ſuis ſpeciebus pollẽt ſimilitudinibus. Nã lepores ſimiliter timidi, lupi aſtuti, porci ſordidi, genus ſimiarũ paſſim habet ingeniũ æmulandi. In homine verò non ſic Multiformes vtique ſunt viæ humanorũ actuũ. Nimirũ liberũ quid, & ſui iuris eſt, quod rationale dicitur. Qua de re non vnum & idem ſingulorum hominum extat ingenium, artificium, opus & effectus. Verum in aliorum animalium diverſitatibus idẽ ſecundum vniuſcuiuſque naturam, motus & impetus, eadem aſtutia, & fatuitas. Sed rationalium actus non ex neceſſitate apud omnes idem. In brutorum quippe corporibus congruam animam indidit conditor, vt per diſpoſitionem in ſuis actibus non amplius haberent quam ingenita eorum ſimplicitas exhiberet. Vnumquodque ſanè brutum animal, impetu naturali movetur, ad illum operis vſum quem à principio ſortitum eſt, & ad ea ſolum quibus corporis non contradicit effigies. Sed neque ſine adiutorio conditor ille primus ea dereliquit, cùm ſingula naturali quodam ſenſu non rationali prudentia inſignierit, quibuſdam verò aſtutiam tribuerit, veluti artis imaginem, & vmbram animæ rationalis: vt per hæc & præſentes inſidias declinarent, & futuras præcognoſcerent. Quoniam verò non per rationem hæc faciunt, manifeſtum ex eo quod in ſua ſpecie quodvis animal ſimiliter hoc faciat, & nulla in faciendo niſi ſecũdũ magis & minus differentiam habeat: eodem quippe impetu ſpecies univerſa, parili varietate actuum inſignita,

movetur,

A movetur, quod per animam fieri non est ambiguum. Ea enim est cuius præsentia consistunt, quæ animantur, & cuius absentia deficiunt. Ad hæc autem dicentibus animam tres habere dimensiones, eo quòd corpus quidem, quod tribus extenditur distantiis totum occupet, respondendum puto, animam nullo modo tres habere distantias, licet totum corpus vivificet: sicut nec vnitas qua homo dicitur vnus. Quare anima corpus non est. Fallebantur quoque qui sanguinem, seu aquam ipsam esse dicebant, cùm plura inveniantur animalia, quæ neque potu aluntur, neque sanguine irrigantur. Chrysippus autem ad probandum animam esse corpus hoc vtebatur argumento: Mors est, inquit, animæ à corpore separatio. Nullum autem incorporeum à corpore separatur. Non enim corpori coaptatur incorporeum: anima coaptatur corpori, & separatur à cor-
B pore. Quare nō est anima incorporea substantia. Verùtamen anima non contingit corpus. Nā contingere propriè est extrema tantum habere simul. Corpus toti prorsus non potest non adiacere corpori. Nullū quippe corpus locū alterius inuadit, ni sibi occupanti cedat quod continetur. Quòd si alicui anima corpori adiaceret, ipsū animal totum nequaquam animaret. Cùm igitur animal totum sit animatum, neque adiacet anima corpori, neque corpus esse poterit. Rursus inquiunt, nullum incorporeum compatitur corpori. Anima verò compatitur ægro corpori, atque languenti: similiter autem & corpus animæ. Nam cum anima confunditur corpus rubet & patitur. Quare anima corpus est, quod ab omni veritate remotum. Etenim circa generationes & corruptiones, qualitates patiuntur, & cum corpore alterantur, quæ tamen corpus non sunt. Cùm igitur anima non sit corpus sicut monstratum est, nec accidentium aliquod: manifestum quoniam incorporea substantia, est intelligibilis atque immortalis. Non enim omnimodè subiaceret corruptioni. Viuit sanè ipsa non propter corpus, imò ipsa vitam corpori præstat. Quasdam tamen virtutes habet, quas præter corpus exercere non valet, vt
C est appetitiua, nutritiua. Intelligibile verò exercet
Gen.2. perpetuo. Vis scire quoniam anima hominis spiritus est rationalis, & immortalis, audi quid dicat Moyses ille Dei amicus: *Formauit* inquit, *Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem.* Nullo tamen modo credendum est, huiusmodi flatum aliquod fluentum spiritus factum ex ore Dei. Nam diuinum incorporeum cùm sit, simplex est sine omni compositione: sed ita esse animam à Deo, aut rem quam condidit & creauit. Nihil enim aliud est Deum sufflarē, quàm animam face-
Esa.54. re. Cui sententiæ accedit quod dicit Esaias: *Spiritus enim à me prodit, & flatum omnem ego feci, & propter peccatum,* inquit *pusillum contristaui eum, & percussi eum.* Quid ergo dicit flatum nisi animam, quæ propter peccatum percussa est & contristata. Sic est igitur anima ex Deo, vt non sit substantia Dei, & non sit corpus, sed spiritus, non de substantia Dei genitus, nec de substantia Dei procedens, sed Deus est fictor illius sicut
Psal.32. scriptum est: *Qui finxit sigillatim corda eorum, qui intelligit omnia opera eorum.* Non enim datur à genitoribus
Eccl.12. anima sicut & ille sapiens affirmat: *Conuertatur*, inquit, *puluis in terram suam vnde fuit, & spiritus reuertatur ad Dominum qui dedit illum.* Quo sanè testimonio satis admonemur, ex nihilo Deum fecisse animam primi ho-
D minis, non ex aliqua iam facta creatura, sicut corpus ex terra. Quæ de re cum redit, non habet quò redeat,
Iob.10. nisi authorem qui condidit eam. Audi Iob dicentem: *Memento quæso quod sicut lutum feceris me, vitam & misericordiam tribuisti mihi, & visitatio tua custodiuit spiritum meum:* post creationem corporis mira est aspiratio viuificationis. At hinc quidem calamitosa vilitas, hinc verò dignitas inexplicabilis: dignitas spiritus est, vilitas verò per carnem quæ iudicem vocet ad pietatē. *Memento* inquit, *quæso*, per hæc vtique nuptialis conventus, naturum propagines, & vnum thorum in infinitas species transfiguratum monstraui: animam à Deo conditam, & corporis gubernationi præpositam, ratio-
E nalem quoque atque immortalem. Nisi enim indubitatò credatur anima immortalis, fides perit inter homines, & locus virtutis. Quomodo enim posset virtus in illis existentiam habere, quibus cum anima interimitur, & amplius vltra nihil separatur? Porro rationalis anima proculdubio est incorruptibilis singulari quadam sua natura, per se existens, penes corpoream grossitiem. Nam vt omnem hunc mundum cognoscentes per susceptionem sensuum, & per actus nostros, qui circa sensus versantur, ad ea quæ supra sensum sunt, extollimur, oculo nobis facto interprete omnipotentis sapientiæ, gubernantis per se omnia: sic & ad nostrum respicientes mundum, non modicas habemus occasiones, & de occultis & apparentibus coniectare. Absconditum autem maximè illud est, quod per se qui-
F dem existens, intellectu solo cogitatur; quia cum sit inuisibile, refugit sensuum inuestigationem. Anima certè rationalis quanquam incorporea existat & sine materia, per corporea tamen instrumenta quædam secreta conijcit, præterea quæ auris audit, docet & oculus. Inde est quod medicus languidi arterias contingens digitis, per pulsum quodammodo inclamitantem audit naturam, & ægritudinis causas interpretantem. Quippe pulsu latenter indicante, animaduertit causas langnoris medicus, & vsque ad quot dies insanire debeat æstuum intentio. Quid igitur? Nonne incola qui domum regit & sustinet, hæc pandit & reserat? Quid enim manus vel alia corporis pars per se medicum docuisset, nisi per tactum scientiam latentium morborum intellectus aperuisset. Non est procul à vero quod quidam Philosophorum inquiunt: Mens cuiusque is est quisque. Ipsa enim est quæ meminit, audit, & intelligit. Quomodo enim solem intuendo (splendidissimum illud corpus) non quantus apparet plerisque, tantum illum esse asserit Geometra circuli magnitudine, sed multis partibus vniuersum terræ ambitum excedere. Quomodo lunam lucere dabit luce aliena? Manifestum sanè, talia nequaquam esse
G facultatis corporis elementaris. Quid referam alios Geometricos excursus, qui per sensibiles figuras ad ea nos eleuant, quæ omnes sensus exuperant? Hæc quidem & omnia his similia rationalis anima, quæ penitus diuersa est à natura corporis percipit, & comprehendit. Nam nullum ex elementis consistens corpus in eo quod huiusmodi est, virtutis seu intellectus capax potest. Siquidem incoporearum substantiarum hoc cognoscitur singulare atque proprium. Qua de re anima rationalis, quia est incorporea, potest adhærere Deo vt ei existens similis. Omnis quippe natura similium sui quodammodo attractiua est, ex quo manifeste intelligitur, quod à Deo spiritus hominis attrahitur. Oportet enim quod suū est, Deo redi. Igitur si anima superflua sibi non fuerit, ingrauescentibus masculis, ad trahentem se accelerat iucunda existens & agilis. Quòd si peccati mole ingrauans, premit eam iniquitas, rumpitur trahens funiculus: & misera facta & dissimilis linquitur in terra, vt Dei auxilio destituta. Iam puto, patet nobis quod ex similitudine, calles anima complectitur virtutis. Nam si cum Deo similitudinis aliquid nō haberet, nequaquam naturæ suæ terminos transcendens relictis terris, quæ sursum sunt, quæreret. Vt enim quæ ratione carent animalia humano more fari non appetunt, socia & quam secundum naturam habent, voce vtentia, neque detrimentum putant absque ratione degere, ac tantum ventri obedire, sic anima si esset expers naturæ superioris, nun-
H quam in desiderium accenderetur virtutis. Huic quidem animæ, cùm esse incipit, pro sui conditoris voluntate, libertas arbitrij, & potestas quod voluerit faciendi. Quod qualiter fiat, cuique corporeus oculus manifestè indicat. Cui quidem ex natura videre inest, non videre autem, ex voluntate, vel ex irrepente passione. Eodem verò modo, anima exclusa necessitate, suo arbitrio relinquitur, vt illud quod sibi melius placet, amplectatur, siue bonum ex voluntate, seu malum ex insidiis inimici domestici, qui oculum lædit clausum, & excæcat,

A vtpote subuersor vitæ hominis, & callidissimus insidiator. Itaque irrepente in ipsa malitia excæcatur, & quia non probauit Deum habere in notitia, in reprobum sensum traditur; Nimirum quia sponte oculos clausit, & solem videre noluit, sua manifestissima culpa in foueam corruit. Nam non soli lumen, sed lumini solis oculos ipse subtraxit. Quemadmodum igitur fide intelligimus sæcula aptata verbo Dei, id est, præcepto, vt ex inuisibilibus visibilia fierent: sic fide intelligere debemus animam in corpore iam formato à Deo locari, vt ex ipsa inuisibili, pleræque fiant, quas in corporibus nostris cernimus, actiones. Quæ quidem si a principio perfectæ non sunt, nulli mirum debet videri corporis indigentia, & defectu impediente. Hinc est quod sensus, qui corpori familiares existunt, statim post natiuitatem emergunt, deinde ipsi conueniens rationis virtus illucescit, cum iam corpus ad pubertatem venerit. Sed forsitan huic sententiæ alicui videtur sapiens obuiare, qui quidem asserere videtur, quòd animæ hominum aliqua in regione locatæ sint, donec perfectis corporibus ipsæ ad ea mittantur viuificandæ, *Sortitus sum*, inquit, *animam bonam, & cum essem magis bonus, veni ad corpus incoinquinatum.* Nonne tibi depromere videtur, quòd de supernis animæ veniant in corpora. & quod in illa regione animarum, aliæ sint bonæ, aliæ non bonæ? quæ sorte quadam exeant, quænam cui hominum tribuatur: vt fortassis secundum animarum merita destinari putentur in corpora. Quod manifestè Apostoli sententiæ repugnat, qui dicit: *Cum enim nondum nati fuissent, nec egissent aliquid boni aut mali*, vt præscientia Dei secundum gratiam impleretur, non secundum debitum meritorum dictum est Rebeccæ, *maior seruiet minori:* quia alterum spreuit, alterum elegit præscientia. At verò quod sapiēs dicit, positæ sententiæ nō contradicit: Ait enim: *Puer eram ingeniosus & sortitus sum animam bonam*, per datam mihi sapientiæ abundantiam. Cùm nouiter essem æditus, sensum non habebam, optaui, & datus est mihi sensus. Inuocaui & venit super me spiritus sapientiæ. Et cum per datam sapientiam essem valde bonus, veni per ætatis processum ad corporis incoinquinamentum, & sciui quoniam aliter non possum esse continens, nisi Deus det. Apparet quia Salomonis spiritus sapientiam ab artifice superno accepit, precibus impetrauit, bonitatem per gratiam inuenit: & corpus suæ ætatis incremento à gratia quam acceperat destitutus, multipliciter inquinauit. Audisti Moysi, David, Iob & Esaiæ de spiritu hominis testimonium. Omnes quoque prophetæ, à superno artifice docti, his consona præcinuerunt, vt nullus suspicetur Græcos aliter, aliter Latinos, Ægyptios aliter Persas, Messagetas, Sauromatas, aliam substantiam fuisse sortitos. Nam qui scripsit Genesim, docuit quòd vnum hominem Deus à principio fecerit, & ex eius costa mulierem formauerit: ex quorum conuentu orbem hominibus impleuit. Ideò vtique humanum genus ex vno iugo voluit producere, vt nullus differentes hominum esse naturas auderet existimare. Mulierem autem de costa formauit, tum quidem, vt neque ancillam viri, neque dominam constitueret, tum verò ne viri vna, fœminæ verò altera putaretur natura. Leges contra easdem indixit vtrisque. Nam forma quamuis distarent corporis similitudine, tamen æquales erant animæ rationalis. Ambo certè rationales erant æqualiter: & eligendi, & abigendi nihilominus capaces. Vtrique pro delicto pœna, vtrique pro virtute præmia promittebantur. Humanæ quidem leges cruciant delinquentes, Deus verò interminatur peccatoribus ignem inextinguibilem: & vtique meritò. Nam cum sit rationalis, & liberum habeat arbitrium, coercere potest impetum passionum, sponte legem fit præuaricator, sponte frequenter omittens vitium, per viam vitiorum graditur. Si homo peccaret ex necessitate, nequaquam dedisset per Moysen Deus leges suppliciorum. Neque qui fortiori sunt principatum si fati aut naturæ necessitate homines compelleretur delinquere acerbissimis eos cruciatibus destinarent.

Gen. 1. Rom. 1. Ibidem. B Obiectio contra prædicta. Sap. 8. Rom. 9. Obiectionis dissolutio. C Gen. 1 & 2. Genes. 1. D Sap. 5.

E Sub appetitu hominis igitur vitam & mortem posuit medicus animarum. Hinc est quòd nolentium medelam recipere, voluntatem minimè cogit: principem enim & sui iuris rationalem naturam condidit. Instructionibus, legibus, à malis prohibet, ad potiora exhortatur, sed inuitum neminem cogit, ne legem naturæ coæquasset. Vnde per Prophetam clamat: *Si volueritis & audieritis me, bona terra comedetis.* Et iterum: *discite benefacere.* Et David: *Venite filij, audite me, timorem Domini docebo vos*, & quamplura his similia inueniuntur. Sed quæso te ô auditor, si rursus super ratione animi connecto vt omne tollam ambiguum, non molestè feras. Esa. 1. Psal. 33.

## CAPVT III.

In rebus certè occultis, perutiles sunt huiuscemodi assertiones. Age igitur, spiritus hominis artes, quæ numerosa commoda humanæ vitæ conferentes, laude multa dignæ sunt, adinuenit. Quidquid autem verè laudabile, à ratione inuentum & elaboratum est. Nonne consideras quòd institorum nauis quanquam nullius armamenti sit indigna, ima tantum petat profundi, circumscripta ratione gubernatoris. Nonne vides, quòd non sufficimus ad rerum cognitionem, sola sensuum exercitatione? Nam quæ figuris sunt æqualia similiaque coloribus sensus: quia rationem non habent in discernendo hebescunt. Cum itaque sensus irrationales sint, falsamque nobis rerum phantasiam conuehant, cogitandum nobis est, vtrùm comprehendi verè possint imaginata, seu non. Et siquidem comprehenduntur, haud ambiguum, aliam esse virtutem, sensibus multo potiorem: quæ hanc perficit absque fallacia. Qua de re, si nostræ aperiuntur cognitioni, ea quæ sensus falso imaginantur: mens proculdubio est, quæ illa omnia ratione comprehendit, & diiudicat. Hæc est animæ virtus: hæc est animæ oculus: hæc est intelligentiæ capacitas: hæc non gignitur ab extrinsecis, imò ipsa quidem in se consistens, exteriora disponit, singulariaque describit: deinde ad effectum perducit. Maxima vero & excellens animæ dignitas est, omnia cum ratione facere: per quod ipsa mens apertissimè differt à sensibus. Veruntamen quædam bona insunt homini per animam, vt castum esse, iustum esse, sobrium esse: & quæ his propinquant. Neque absque his corporales affectus solent apparere. Quædam sibi reseruauit anima, in quorum exercitaminibus corporis non eget instrumento. Talium est ratio, memoria, & earum rerum quæ verè existunt contemplatio. Et quoniam luce clarius patet, humanam animam rationalem esse, satisque singulariter dictum est de ipsa: æquum est vt de compositione ipsius ad corpus, sermo instituatur. Quare non est prætereundum quod de Adam immortalitate tradiderunt Hebræi: Aiunt enim hominem à prima origine neque fuisse mortalem, neque immortalem: sed naturam inter vtramque asserunt fuisse creatum: vt corporis passionibus corporeas incideret passiones. Quòd si animæ bona proponeret, hæres constitueretur vitæ immortalis. Inquiunt enim si ab ipso exordio mortalem illum fecisset, post peccatum non vt reum mortis condemnasset. Mortalem enim morte non est æquitatis condemnare. Quòd si immortalem fecisset eum, nequaquam esca indigentem statuisset. Nam nullū immortale, corporali esca opus habet. Neque verò tā subitò pœnituisset, vt quem fecisset immortalē, continuò pœna multasset.

F G H

Angeli certè licet peccauerint, à prima tamen natura nō destiterunt, aliam præter mortem pœnam de peccato subeuntes. Pleriqne tamen doctorum hanc sententiam improbant, asserentes quod mortalis factus vt fuerit, poterat tamen sub virtutis processu immortalis fieri: eò quòd potestate immortalis fuisset. Est autem à ligni gustu prohibitus, vt sui ipsius naturam nō antè cognosceret, quam obtineret culmen perfectionis: Nam minimè conferebat. Propterea nolebat Deus, vt ante perfectionem propriam cognosceret naturam ne se multis egere animaduertens, corporis persequeretur visus,

cura

A cura animæ omissa. Inter pretiosa Paradisi ligna illud erat, cuius gustus boni malique scientiam simul præstabat: de quo Adam vetitus gustauit. In cuius gustu obedientiam temerauit; seipsum agnouit: à perfectione decidit, factus egenus vsuum corporis, indumentum postulauit continuò. Gen. 3. Scriptum est enim, quod *aperti sunt oculi amborum. Cumque cognouissent se esse nudos, consuerunt folia fici, & fecerunt sibi perizomata.* Aperti sunt oculi adinuicem concupiscendum, ad peccatum, pœnam carnis ipsius morte conceptam. Neque clausis oculis facti erant, & in Paradiso deliciarum cæci palpantesque oberrabant, vt vetitū etiam lignum nescientes attingerent, palpantesque fructus prohibitos ignorando decerperent. Ad aliquid igitur intuendum, & cognoscendum aperti sunt: quod antè non adverterant. Nullo modo autem ambigendum est, quin in Paradiso

B corporali Adam positus fuerit, quem & quatuor flumina irrigabant: & arbores preciosissimi germinis & fructus decorabant. Hunc Adam ad colendum & ad operandum, à creatore suo accepit, sicut scriptum Gen. 2. est: *vt operaretur & custodiret illum.* Operaretur quidem delectationem, custodiret autem, ne pateretur expulsionem. Flumina quæ egrediebantur, atque nomina ipsorum, orbi universo notissima sunt, Gyon scilicet, Physon, Tygris & Eufrates, quorum nominum interpretationes atque figurationes exponere, non est præsentis temporis. Lignum quoque in medio paradisi, dignoscendi inter bonum & malum, Deus posuerat. Nec quippiam cogere debet allegoria, vt lignum non sit, & aliquid aliud nomine ligni significet. Prov. 3. Nam quamvis scriptum sit, quòd *sapientia est lignum vitæ amplectentibus eam:* & Ierusalem æterna, & in cœlis dicitur, & in terris civitas condita est, & significatur. Factus est Adam reus mandati, & corpus suum mortis subiecit necessitati, quia priùs non habebat necessitatem moriendi. Nam antequam præcipitaretur, hoc tantum restabat vt immutaretur, & factum spirituale plenam perciperet immortalitatem: vbi cibo corruptibili non egeret. Sed quia de corpore primi hominis, quod dictum est, sufficit ad ea quæ ab ipso de-

C cessa sunt, ad modicum sermo vtendus est: Haud abs re: Nam sic palam fiet, an ea quæ de animæ conditione superius prælibata sunt: persistant veritate subnixa.

## CAPVT IV.

IGitur quam plurimi fuerunt, qui animum sicut corpus per decisionem ex traduce fieri multis allegationibus firmarent: Pauli testimonium in medium produ-Rom. 5. cunt: vt suas sisterent opiniones. Audis, inquiunt; Paulum dicentem *Sic per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, ita* Ibidem. *& in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt.* Et iterum: *Sicut per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi, ita & per vnius obedientiā iusti constituuntur multi.* Inquiunt igitur: Si secundum solam carnem potest intelligi peccatum vel peccator, non cogimur his verbis ex parentibus animam credere. Si autem quamvis per illecebras carnis, tamen non peccat nisi anima, quomodo accipiendum est, quod dictum est, *in quo omnes peccauerunt.* Quomodo per illius inobedientiam peccatores constituti sunt, si tantùm secundum carnem in illo, non etiam secundum animā fuerunt? Cauendum est enim, ne vel Deus videatur author esse peccati, si dat animam carni, in qua eam

D peccare necesse sit, vel possit esse anima præter ipsius Christi gratiā. Cui liberandæ à peccato non sit Christi gratia necessaria, quia non peccauit in Adam. At verò si secundum carnem & tantùm, non secundum animam peccauimus in Adam, carnis tantùm vinculum, non etiam animæ in baptismo soluitur puerorum. Quod si tantùm per hoc sacramentum corpori eorum consulitur, non etiam animæ, debent & mortui baptizari Sed hæc Ecclesia execratur, tantùm id ministrans viventibus Restat igitur vnumquemque paruulū

E & secundum corpus, & secundum animam; existentiam habere de primo parente Adam: obque id Christi gratiam omnibus esse necessariā. Ætas quippe illa in se ipsa nihil egit vel boni vel mali: proinde ibi anima innocentissima est, si ex Adam propagata non est. Vnde quomodo possit inde ire in condemnationem, si de corpore absque baptismo exierit. Scriptum est: *Caro concupiscit* Galat. 5. *adversus spiritū spiritus autem adversus carnem.* Sed caro sine anima nihil videtur posse concupiscere ac per hoc ipsius concupiscentiæ carnali causa non est in anima sola, sed moltò minus in carne sola. Ex vtroque enim fit, ex anima scilicet, quia sine illa delectatio nulla sentitur: ex carne autem, quia sine carne carnalis delectatio non perficitur. Caro igitur concupiscens & spiritus, delectatio carnalis est proculdubio, quam de carne & contra carnem spiritus habet adversus delectationem, quam solus habet. Solus quippe habere videtur illud desideriū

F non carnis voluptate. vel carnalium rerum cupiditate commixtum, quod desiderat *& deficit anima in atria Do-* Psal. 83. *mini.* Solus etenim habet illud de quo dicitur: *Concupisti sapientiam, serva mādata & Dominus præbebit illam tibi.* Eccles. 1. Hanc quidem obiectionem responsio quæ sub iungitur interimit. Vitiū quidem corruptio & languor ante animæ coniunctionē in carne persistunt, ex qua tabe anima maculatur. Quemadmodum, si testa odore malo imbuta sit, quemcumque liquorem susceperit sua corruptione inficit. Nam & si ante animæ infusionē non sit in carne culpa, eò quòd ratione caret, locum tamen mortalitatis cum passibilitate obtinet. Ideoque peccatū in carne habere dicitur: quia peccati causa ex carne, non ex anima est, quia caro quæ per traducem fit, origo existit peccati. Caro enim primi hominis per prævaricationem eneruata & emollita, induit mortalitatem. Vnde anima singulorum; languore atque mortalitate affligitur, ignorantia cæcitatis in vmbroso & caliginoso loco non voluntate, non necessitate, sed sola societate percellitur: ægrescit, & debilitatur. Nam si voluntate corrumperetur anima, non originale, sed actuale peccatum censeretur. Rursus si necessitate caderet in præcipitium peccati, non vltra esset imputandū illi huiusmodi vitiū. Etenim quod

G necessitate contingit, non est alienum à remissione. Hinc manifestum est quomodo intelligendum sit illud Apostoli: *Per inobedientiam vnius, peccatores constituti sunt multi.* Rom. 5. Vno peccante atque in mortem præcipitato, quæ ex ipso sunt tales fieri, nihil inconveniens. Sed ex illius inobedientia alterum constitui peccatorem, quam habet consequentiam? Si de voluntate peccator factus non est, quomodo pœna dignus? Peccatores ergo dicit pœnarum reos & morte condemnatos Ergo ex sola coniunctione labefactatæ molis, pestiferam atque calamitosam attraxit conditionem, quæ nisi per gratiam adiuuetur, neque cognitionem veritatis adipiscitur, neque concupiscentiæ carnali poterit resistere. Hinc est quod filij originale peccatum à patrib (quib. per fidei sacramentum dimissum est) contrahunt. Nam quamvis ad culpā dimissum sit, ad pœnam tamen retentū obsidet genus humanū. Est enim originale peccatū fomes actualis peccati, concupiscentia: languor naturæ, qui mouet mala desideria: Quod quidē peccatum primi hominis, ex voluntate prodiit sed posteris nō ex voluntate inest, sed sicut dictū est, ex societate. Nec mireris, si à parentibus ab illo peccato mundatis per baptismum filij traducunt originale peccatū: quia in puro seminis grano remanet palea. Itē pater nō generat filiū, in eo quod baptizatus, sed in eo quod carnaliter ipse generatus fuit. Anima igi-

H tur filij, neq; per decisionē, neq; per traductionē, aut alio quopiam modo de patre nascitur. Nulla enim rationalis creatura potest esse alicuius materia, in sua semper simplicitate consistens Nimirū incorporea substantia est, & ab omni motu corporis semota. Nō augetur, non minuitur, nō generatur, non corrūpitur, vt esse desistat huiusmodi substātia nequit propagari. Si trāsiret, tota trāsiret, vna enim res & prorsus indiuidua, in plura essētialiter diuidi nō potest, vt tota & integra trāseat ad filiū, & tota & integra in patre cōmaneat. Demq; authoritas tibi dicit:

A *Revertatur pulvis in terram de qua sumptus est, & spiritus redeat ad Dominum qui dedit illum.* In quo patet, quia non anima de anima, sed caro de carne materialiter traducitur. Nam sicut primi hominis corpus compactum est limo in quo animam insufflauit opifex, ita omnes filij Adam, primam ab ipso corporis materiam, & à creatore proculdubio animam accipiunt. Audi David dicentem: *Qui finxit sigillatim corda eorum, qui intelligit omnia opera eorum*; non enim gignitur vnus spiritus ab alio spiritu, sicut aliud ab alio generatur corpus, sed de nihilo quotidie nouas creat animas opifex ille mirabilis. Audi & super hac re Moysi testimonium. Ait enim: *Si litigauerint duo viri, & percusserint mulierem prægnantem, & exierit infans eius nondum formatus, detrimentum patietur, quantum indixerit vir mulieris. Quod si fœtus formatus fuerit, dabit animam pro anima, oculum pro oculo,* & cætera. Ecce Legislator hic apertè demonstrat, quòd caro ex carne propagatur, sed anima de anima non generatur. B Nam si animam in carne pater seminasset, æquum fuisset, vt in abortiuo & formato, eidem pœnæ percussor subiacuisset. Sed cum in abortiuo pecunia, in formato autem reddatur anima, palam est, quòd alterum quidem animam habuerit, alterum verò non habuerit. Ordo certè qui fuit in primo homine in posteris sine mutatione perenniter seruatur. Primò quidem terrigena ille de limo accepit effigiem, deinde factus est ille in animam viuentem. Similiter autem in vulua prius humanum genus formatur, membrisque formatis, confestim author vitæ rationalem spiritum infundit. Cauendum profectò est cuique ne illi literæ adhæreat. *Omnia vadunt in vnum locum. Omnia facta sunt de humo, & omnia reuertentur ad humum. Et quis scit si spiritus filiorum hominum ascendat sursum, & spiritus pecoris si descendat ipse deorsum in terram.* Non est mirandum si in hac vita inter iustum & impium nulla est distantia, sed incerto euentu voluuntur. Nam inter pecus & hominem nulla euidens est differentia, secundum corporis vilitatem. Eadem est conditio nascendi, & sors vna moriendi. Simul venimus ad lucem, & pariter dissoluimur in puluerem. Non tamen arbitrari debemus, Salomonem sensisse animam simul perire cum corpore, & vnum hominum & bestiarum esse receptaculum, C sed ideo talia disseruisse, quoniam ante Christi aduentum omnes in infernum descendebant. Vnde Iacob dicit se ad inferos descensurum: & Iob pios in inferno detineri conqueritur. Et reuera antequam flammeus ille gladius tolleretur à foribus Paradisi, clausa erant cœlestia, & spiritus pecoris minisque coæqualis vilitas coartabat. Et quanquam aliud dissoluatur, aliud reseruetur, non multum intererat perire cum corpore, vel inferni tenebris detineri. Ideoque inquit, hoc solum inter homines & iumenta Deus esse voluit, quia nos loquimur, illa sũt muta. Nos volũtate sermonẽ proferimus & in sermone à bestiis differimus, & tamẽ iuxta corporis fragilitatem pecora sumus. Sicut iumentum moritur, ita moritur & homo, & omnibus vnus est flatus aër iste. Euentus filiorum hominum euentus pecori, sicut mors huius & mors illius, & spiritus vnus omnibus secundum corporis rationem. Eundẽ aërẽ spiramus, mortem similem sustinemus, fame, siti ac aliis passionibus, bestiis consociamur: propter quod sub specie animalis hominis eundem esse asserit hominum euentum atque bestiarum. D Sciebat enim spiritum bestiarum simul interire cum corpore, rationalem hominis dico ad superiora festinare. Nam ipse post plura seipsum explanat inquiens; *Reuertatur pulvis ad terram de qua sumptus est, & spiritus reuertatur ad Deum qui fecit illum.* Audi quoque David: *Manus tuæ fecerunt me & plasmaverunt me.* Magno commendationis vtitur exordio, cùm opus Dei se esse dicit secundum vtramque sui naturam, quo facilius circa se sui fauorem inclinaret autoris & grandis contra hominis prærogatiua monstraretur. Sed fecerunt quidem ad animam plasmauerunt vero, ad corpus retulit. De aliis namquam legitur operibus; *dixit & facta sunt*: E hominem verò manibus conformem Filio & Spiritu paracleto figurauit. Est igitur in hominis corpore anima substantia immortalis, rationis particeps, regina corpori accommodata.

(Margin: Eccl. 12. — Psal. 32. — Exod. 21. — Eccl. 3. — Gen. 37. Iob 7. 14 & 17. Gen. 3. — Eccl. 12. — Ps. 118. — Gen. 1.)

## CAPVT V.

QVomodo verò anima corpori cohabitet, qui potest explicare, deorum spiritum habere dicendus est. Quæ aliquid constituunt vt vnum fiant, non permanent quòd prius fuerant: sicut videmus in complexionibus elementorum ad inuicem. At anima iungitur corpori, in eo perseuerans sine confusione: & absque corruptione in parte migrat animantis. Quid ergo dicendum? Non est certè anima in corpore, vt turba in foro. Neque adiacet corpori, vt calculo adhæret calculus. Neque miscetur corpori, vt aqua temeto. Quippe in istis tum actu, tum intellectu præter corruptionem fieri potest separatio: F scilicet in illa nequeunt ab inuicem separari, sine alterius miseranda corruptione. Cùm igitur neque vnita, neque contigua, neque commixta sit, quæ est ratio vt animal vnum dicatur. Propterea quidam Philosophorum ex anima & corpore animal consistere diffitebantur, affirmantes eam vti corpore, vt corpus vestimento potitur: non attendentes quòd is, qui induit, cum veste nequit vnum fieri. Confert vitam anima corpori, nullum substantiale admittens in copula, quam init cum corpore: & quam vnita est corpori, compassio declarat. Nam totum animal vniformiter sibi compatitur, vt vnum existens. Quod autem inconfusa persistat in corpore, manifestè ex eo scilicet est, quòd in somnia quodammodo à corpore sequestratur. Sæpè enim quando dormit homo, anima futura præuidet, atque intelligibilibus appropinquat. Vigilando etenim nullo instrumento corporis vtens; ea quæ verè sunt, pertractat atque considerat, & in sua specula quasi residens, quoad fieri potest seipsam à corpore dirimit. Sanè in corpore, absque corpore omnia corruptibilia speculando transilit, incorrupta & inconfusa commanens, & inconuertibilis. Nam quemadmodum iubar solis aëra ipsa permutat in lumen, totumque sui præsentia facit perlucidum, lucemque suam eidem inconfusè simul atque perunit diffusè: G sic rationalis anima corpori vnita, omnifariam sine confusione perseuerat. Veruntamen non abest differentia. Siquidem sol quia corpus est, loco circumscribitur, nec loca per omnia comes suorum radiorum efficitur: sed in cœlo existens, absentibus porrigit splendorem luminis. Anima verò incorporea extat, loco non circumscribitur lumine ipsius præsentis, corpus vniuersum illustratur, nec vsquam corporis pars quæpiam, in qua non est ipsa, illuminatur. Non enim tenetur sub corpore, sed corpus ipsa dirigit, sustinet, atque gubernat, quia non est in eo ceù in vtre aut aliquo vase, sed tanquam lux solis in aëre. Nam permutat ipsa corpus, nec tamen quod est, esse desinit. Sicut esca quæ permutat corpus, & desinit esse quod erat inuicem à corpore permutata.

## CAPVT VI.

VErum de animæ quidem habitudine, qua tenetur in corpore, quidam Philosophorum præter communem opinionem senserunt. Inquiunt enim animam sic in corpore detineri, vt mulier sobrietatis & honestatis comes, viri sui amore atque affectione tenetur. H Non localiter, non corporaliter, sed secundum habitudinem. Quippe cùm indiuidua omnino sit & expers tumoris atque magnitudinis, nullum profectò ambitum circa se suscipere potest circumscriptionis. Quòd enim partes nullas habet, quo pacto, quæso, poterit circumscribi loco? cùm per tumorem locus videatur subsistere. Siquidem locus est terminus continentis, quo circumscribitur id quod continetur. Quòd siquis instet dicens, animam esse in Paradiso seu in inferno, Romæ siue Hierosolymis, inquiunt rursus, acta agit. Nã hujuscemodi

(Margin: Excluditur cauillus.)

hujuscemodi nomina, locorum significativa sunt, sed jam dictum est, quia secundum habitudinem intelligitur anima, non secundum locum, nisi fortè secundum accidens. quia id quod continet animam, est in loco. Abusivè igitur anima isthic, aut illic esse dicitur, eo quòd actio ejus loco in isto vel illo appareat: locus pro habitudine aut actione subintelligatur. Apparet ergo quam anima individua est, nec loco circumscribitur, quia Deo similis est, cujus factura est. Hoc quidem Salomon testatur: *Deus, inquit, creavit hominem inexterminabilem, & ad imaginem suæ similitudinis fecit illum.* (Sap. 2.) Quare ad ipsum anima, quando separatur à corpore reditura est: Si à corpore separata nō viveret anima, sancti Apostoli & Martyres Christi, præsentem vitam non despexissent. Et morte carnis animas non ponerent, nisi certiorem animarum vitam subsequi scirent. Quod quia crediderunt, quotidianis miraculis coruscant. Siquidem sanctorum corporum ex præsentia infirmi liberantur, leprosi mundantur, & mortui suscitantur. Attende & obstupesce Mausolea Regum & Principum orbis: Magni Pompeij, Germanici Cæsaris, Augusti: nequam Neronis, & aliorum, quæ gentilium parum sciuntur, & coluntur minus. Sepulchra verò Apostolorū à dominatoribus mundi adorantur, & multa in veneratione habentur. Manifestum igitur quòd animæ post mortem vivunt, & corporibus quæ prius inhabitabant, post venerabilem exitum, magnos honores conferunt. Et cum mirabiliter à corporibus egrediuntur, à sanctis viris videntur multoties.

## CAPUT VII.

VIR quidam vitæ venerabilis Benedictus sororis suæ Scholasticæ animam à corpore egressam cœli penetrantem intuitus est. Similiter autem vir quidam solitarius magnæ vitæ in insula, quæ dicitur Lipparis, eadem die qua in Italia fuerat mortuus, Theodoricum Regem vidit. Qui quidem cum inter Ioannem Papam & Symachum patricium discinctus, manibus vinctis atque discalceatus deduceretur, in ollam Vulcani, quæ vito Dei vicina erat, jactus est. Quare manifestum, quàm sis ô homo immortalis, & à corpore separabilis: pretiosum te artifex & gloriosum debet facere imago. Monere debet operatio artificis, & commemoratio tuæ originis. Vis audire de dignitate atque excellentia quâ præditus est homo? paucis id absolvam.

## CAPUT VIII.

MIrabiliter quidem homo conditus est. Nimirum non solum ad decorem, verumetiam ut in sensibus per tactum cætera exuperaret animalia: non est circumamictus crasso corio, veluti boves, & alia quæ densis vestiuntur pellibus. Neque obtectus pilis, ut pecudes, capræ, lepores, atque vulpes. Neque squammis septus ut coluber, & pleræque piscium manenies. Neq; instar alitum pennatus. Hinc est quòd vestibus eguit, quia leni pelle ut expeditus sentiret, fuit ambitus. Medicinæ peritia & medelæ suavitas, ei tributa est: ne sub intemperantia qualitatum dissiparetur continuitas. Datus est cibus & potus, evacuationū restaurativi & evaporationum. Quid multa? inferiora hæc omnia propter hominem fecit artifex, & ejus servituti subjugavit, quod habitus & vultus ejus tam patenter demonstrat: volatile, terrestre atque aquatile animal homini famulatum præstat. Alit, vestit, medelam porrigit, delectationem confert, interdum etiam ingerit admirationem. Quare patet, quia facta sunt causa solius hominis. Nam quæ propter aliud fiunt, ad aliquem defectum supplendum proveniunt aut alimenti, aut vestium, aut medelæ, aut alicujus talium. Verùm neque Angelus, neque cœlestis quæcunque creatura, rebus hujuscemodi opus habet. Quærenda est igitur rationalis creatura, cujus causa creata hæc omnia fuerint. Sed nulla præter hominem inventa: restat propter hominem fuisse condita. Ob amplitudinem igitur dignitatis, quam habet homo, minor mundus nominatus est. Cui non solum inferiora, imò etiam superiora jugem famulatum exhibent. Ecce præclara & spectabilis firmamenti moles, cum sua militia, ut hominis non desit obsequio, supra verticem ejus vertitur assiduè. Deus etiam qui est omni creatura excellentior, propter hominē factus est homo. Quis hujus animalis, ad imaginem Dei conditi, edisserat amplitudinem dignitatis? Pelagus transit, cœlum speculando vestigat motus stellarum, ortus & obitus, mensuras, & distantias considerat, quod mare, quod aer, quod tellus possidet, usurpat. Cete grandia, & immanissimas bestias despicit, omnem disciplinæ viam emēdat & absentibus, quibus cum vult literis loquitur: omnibus præsidet, omnia tenet, & suo ipsius obsequio destinatis omnibus fruitur. Cum Angelis & Deo disputat, naturæ præcipit, dæmonibus imperat. Rerum verè existentium naturam exquirit, domus & templum fit Dei, si largitæ potestatis non obliviscitur.

## CAPUT IX.

INter cætera quæ homo adeptus est, duo hæc sunt admiratione digna. Vnum quidem, quia si pœnitet, indulgentiam habet, alterum verò quia hoc corpus mortale, cùm surrexerit fiet immortale. (1. Cor. 15.) Peccatum certè diaboli venia caret, quia non suggestione, sed propria superbia corruit. Homo verò quia non per se cecidit, sed per alium, resurgere potest per IESVM CHRISTVM. Verum post mortem, languida est confessio, quando omnium malignorum instantia spirituum vehementissima est, qui non solum peccatorem, verumetiam justum enituntur ut præcipitent in inferni profundum: quod Iudas testatur Apostolus, *cum Michael, inquit, Archangelus, cum diabolo disputans de Moysi corpore altercaretur, non est etiam ausus judicium inferre blasphemiæ, sed dixit: Increpet te Dominus* (Iud. unic. cap.) Volens Deus diaboli tyrannidem in genus humanum manifestam facere: permisit inter sepeliendum Moysi corpus diabolum obviare, ut disceremus quoniam Sathanas cum suo comitatu & apostatico exercitu cohibet transire spiritus ad loca quietis & beatitudinis. Nullo certè modo ambiguū esse debet Christiano, quin egredientes de carceribus corporum animas Angeli suscipiant. Etenim cum molem corporum deserunt, boni protinus Angeli, & invida dæmonū acies occurrunt, investigatione subtili qualitates operum discutiunt, & cujus partis de jure censeatur, ad invicē contendunt. Hoc tibi Michael demonstrat de Moysi corpore cum diabolo rixatus. At contra hunc bonus Angelus nullum tulit convitium, dans omnium dominatori illius illius judicium. Ideoque adversus catervas dæmonum, per bona opera dum vita fruimur, nobis cōparare debemus Angelica præsidia. Quis sordibus peccatorum decoloratus, non formidet præsentiam dæmonum obmurmurantem adversus se: frendentē atque distrahentem invidiose per aera nimis inclementer. Qui quidem postquam in aere exactiones & vilicationes suas peregerint, ad inferum succedunt, & execrabiles incolatus. Nam sicut electos beatitudo lætificat, ita credi necesse est, quòd à die sui exitus ignis reprobos exurat. Audi quid de morientibus Areopagita dicat Dionysius: Cum ad extremam vitæ hujus, inquit, perveniunt viam, incorruptionis suæ qua ituri sunt, jam enudatam de propinquitate manifestius aspiciunt, quia quanto magis nox sæculi propinquat fini, tanto amplius dies judicij illucescit. Hi delectatione replentur, quomodo ad deterius flecti ultra nequaquam trepidant, certi sunt quòd ea quæ possident, immutabili perennitate obtinebunt. Sed flagitiorum pleni, qui sacræ instructionis libamen quandoque adepti ad corruptificas concupiscentias versi, postea interemptoriis voluptatibus domesticarum passionum colliquescunt. Hi vitam à qua insipienter exciderunt beatificant, & inviti cum multa formidine ab ista secedunt, quia nullam spem bonam animo complectuntur.

A Hic pœnitere oportet, delicta confiteri oportet, ne in exitus tempore fidelium, aliquis inveniatur reus timiditatis. Formidabile est mysterium mortis, quando quærit animam, exercitus ille horribilis. Incutit timores, formas mutat, delicta improperat, ad se trahit exeuntem, interminatur lugubria, ut ante tormentum, talis molestia sufficiens fit ad cruciatum. Tunc quidem miser horrescit, veluti mortiferum venenum degustaverit. Ingravescit calamitas instabilis tenoris & atrocium facinorum fit attonitus, obmutescit sensuum vigor, deflorescit inconsiderata dolorũ perpessio: affligit acrimonia vehementi, & ignominia ineluctabili penitus deficit. Nunquid ignoras quomodo in novissimo die vexant animam flagitia, quomodo cor deorsum premunt? Hinc est, quòd temporibus plerique corripiuntur, vultus horrendos conspicantes, quorũ ulterius aspectum sustinere nequeant. De subito enim attollentes caput, innituntur cubito, & lectum ipsum cum multo impetu concutiunt, oberrantibus oculis huc illúcque prospiciunt, ab interioribus anima crimen metitur nolens à corpore separari. Nam si homines horrendos conspicantes veremur, angelos ministros, virtutes inflexibiles comminus videntes quid non patiemur? Audi quid tibi dicitur:
B Ne differas de die in diem, ne cadas inquam, non expectans diem, quando deserent te vivendi occasiones, defectus autem & tribulatio inconsolabilis supervenient, quando muneri cedent, dimestici fugient: quando difficultas respirandi erit densa & sicca, febre incendente te ac depopulante. Quando suspirabis ab intimo cordis, nec invenies adjuvantem falleris gracile ac languidum, sed non erit qui te audiat. Nam omne quod tunc à te dicetur, quasi delitamentum, quasi insania, quasi dementia contemnetur. Nullus itaque te decipiat frivolis & vanis sermonibus, superveniet tibi repentinus interitus, & vertigo procellarum. Veniet Angelus immitis seducens cum violentia, & trahens tuam animam ligatam peccatis: frequenter se vertentem ad ea quæ sunt hic, & lugentem sine voce, organo lamenti ac tristitiæ intercepto. O quotiens lacerabis te ipsum,
C ô quotiens suspirabis ociosè pœnitendo, in his quæ male voluisti & fecisti! Quotiens loqueris in dolore cordis tui: Væ mihi quia non valeo abiicere grave hoc pondus peccati. Væ mihi quòd maculæ nequeunt ablui. O parva consilia, ô fœdi concubitus, quia usum peccandi ad tempus habui, æternaliter cruciabor. Propter carnis voluptatem & ardorem, igni trador. Iustum est judicium Dei: Vocabar, & non audiebam, contestabantur me, & ego deridebam. Hæc & hujusmodi conclamabis, si præreptus fueris pœnitentiæ. Hic miserere tui. Imprime menti tuæ novissimum diem exitus, angustiam suffocationem, & horam direptionis spiritus, sententiam Dei urgentem, Angelos festinantes, animam inter hæc fluctuantem; obtenebrescentem, trementem vehementer, dubitantem inutiliter, pœnitentem quando nihil prodest. Audisti Deum dicentem: *Dedi illi tempus ut pœnitentiam ageret, & noluit pœnitere.* (Apoc. 2.) Non est quod cum causa dubites, non est quod sine causa desperes. His ad confitendum exemplis accingere, his ad pœnitentiam armare. Differt
D enim Deus pœnam, ut inveniat pœnitentiam, & morituris necens spatius, protelat patientiã, ne invadat censura, quod clementia possidebat, non præterita mala expectat Deus nec errata computat, sed correcta laudat. Habes promissum ad pœnitentiã suadentis tibi, si non pœnitueris, imputabit. *Et dedi,* inquit, *illi tẽpus, ut pœnitentiam ageret, & noluit pœnitere.* Huc similiter accedit illud Propheticum: *Et dixi, postquam fornicata est omnia, ad me convertere, & noluit ad me reverti* postea. (Jer. 3.) Quare si in desperationis gurgitem enormitate tuorum scelerum circumactus te immerſere, illico tibi spes promissæ reparationis demitur, rapiet te sorbens in abruptum vorago facinorum, clauduntur oculi nocte peccati, ne veri luminis videant radium permicantem. Huc atque illuc te circumducent Angeli deceptores, fient grata cuncta flagitia, & peccandi licentia tibi penitus adlubescet. Tenebit te Diabolus sub specie libertatis addictum, ut sit tibi liberum peccare, non vivere. Captivum te tenet author scelerum, pedes tibi libidinis imposuit, & undique te sepsit armata custodia, legem tibi dedit, ut licitum putes omne quod non licet: & vivum te in æternæ mortis foveam demersit.
E Confitere quæso cuncta quibus te reum nemineris, confitere & faciem Dei præveni satisfactionis officio: Humiliante ante eum cor tuum, & in conspectu ejus curva cervicem, flecte genua, & eliso vultu terræ prosterne te. Suscipiet continuo gemitum tuum cœlestis medicus, qui fidem præbere consuevit pœnitentibus patrocinium. Scriptum est enim: *Misereris omnium Domine, quia omnia potes, & negligis pœnam hominum propter pœnitentiam.* (Sap. 11.) Subest enim tibi, cùm voles, posse. *Convertimini ad me,* inquit, *& ego convertar ad vos.* (Zach. 1.) Hæc est indignatio, quã de pietate minatur, hæc est ira quæ infert misericordiam. Fœlix homo qui Dominum suum agnoscit vocantem, qui conversionis suæ tempus non
F prolongat delectationibus, qui in fletu sternitur, ut in lætitia erigatur, qui serit in lachrymis, ut in gaudio metat. *Ne tardes converti ad Dominum, ne ira ejus in tempore vindictæ disperdat te: Misericordia enim & ira ab illo.* (Eccl. 5.) Non demus corpora nostra scelerum ditioni, sed obediamus Apostolo dicenti: *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis ei:* (Rom. 8.) ut quia deesse non potest, certè non regnet, hoc est, non sine respectu evadendi, abrupta fiat peccandi licentia. Quomodo putas restare tibi tempus cùm nobis inopinatus superveniat exitus interminabilis: (Esa. 38.) & vitæ nostræ dubiæ sint curricula præ incertitudine mortis. Audi dicentem Scripturam: *Vivens & sanus fateberis, & laudabis Dominum, & in partem vade sancti sæculi, cum vivis & dantibus confessionem.* (Eccl. 17.) Certum enim habet donum veniæ, cui pœnitere permittitur.

De pœnitentibus scriptum est, quòd dederit eis Deus viam justitiæ, & confirmaverit deficientes sustinere, & destinaverit illis sortem veritatis. Ideóque in Evangelio monet te dicens: *Quando vadis cum adversario tuo ad principem in via, da operam liberari ab illo, ne fortè trahat te ad judicem, & judex tradat te exactori, & exactor*
G *mittat te in carcerem. Dico tibi non exies inde donec novissimum etiam quadrantem reddas.* (Matt. 5.) Sed nunquam redditurus est qui non erit aliud judicium. Quare nunquã dehabebit cruciatum. Magnum sacramentum pœnitentiæ. Audi Christum quanti faciat pœnitentiam: *Aderant* (inquit Lucas) *ipso in tempore quidam nunciantes illi de Galilæis, quorum sanguinem Pilatus miscuit cum sacrificiis. Et respondens dixit illis* IESVS: *Putatis quod hi Galilæi præ omnibus Galilæis peccatores fuerint, quia talia passi sunt? Non, dico vobis: Sed nisi pœnitentiã habueritis, omnes similiter peribitis.* (Luc. 13.) De Iuda Galilæo in Actibus Apostolorum legitur. (Act. 5.) Hic legisperitus existens, dicebat nullum hominum, nec etiam ipsum Cæsarem Domini appellatione censeri debere, nec aliud quàm quod Moyses præceperat sacrificium fieri. Et propterea Iudæ sanguinem atque discipulorum ejus, sacrificiis quæ pro Cæsare fiebant, commiscuit Pilatus. Sed hoc
H Iudæ peccatis & sociorum, Iudæi ascribebant. Salvator autem Iudam & ejus socios non negat fuisse malos, sed ideo quod alij sceleratiores fuerint, non confitetur fuisse passos. Ideo ait, *nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis.* Talibus fideles debent instrui, non exaltari. Non enim si nobis in portu navigantibus alij succumbunt tempestatibus, ideo justi sumus.

Imò tunc eorum erudimur eventu, ut absque dilatione in melius nos emendemus. Ut non pereamus sicut illi à Tito & Vespasiano sunt perditi, & in inferno cruciantur sine fine, quia non pœnituerunt. Ad pœnitentiam similiter pertinet parabola quam de ficulnea subjungit, cujus fructum triennio Dominus expectaverat. Ficulnea quidem unusquisque nostrũ dicitur in vinea plantatus & aqua baptismi regeneratus in Ecclesia. Procurator vineæ Angelus datus nobis ad custodiam, qui gravioribus periculis cum affligimur, ad Dominum interpellat

A pellat pro nobis: Domine, inquit, dimitte eam, quæ etiam hoc anno pœnitentiam aget. Hic tibi monstrat foveam, cui committenda stercora. Foditur peccator, quando pulverem animæ negotiis sæcularibus excutit, & factus levior bonis fructibus perturbatur. Stercora verò tunc in circuitu mittuntur, quando pro pretiosa & molli veste, fructus causa vilis & aspera induitur, cùm pro gloria & pompa hujus sæculi monasticam, seu cujuslibet sanctæ conversationis normam amplectatur. Si non feceris post spatium triennne fructum, ut otiosus, ut ineptus, ut terram tantum occupans, è vinea excideris. Nam triennio te in peccatis perseverantem, in adolescentia, juventute, senecta proximus cernens & causarũ gnarus scandalizatur, fitq; deterior. Quare merito ille succidendus est, cum sterilitate pudendus, ad ferendos fructus, proximum vehementer impediat. Non potest fructum facere, quem jucunditas gaudiorum assolet dissolvere. Omne quod carpitur desiderio corporis hujus calce succiditur. Deformis certe anima remanebit, si saltem pœnitentiæ velaminibus & confessionum amictibus non obtegatur. Tu putu linem corporis festinas
B abscondere, & animæ maculis non contendis abolere per pœnitentiam? Si hæc pœnitendo non aboleveris, confitendo coram non averteris faciem Dei a peccatis tuis: in inferno te nolente nota erunt, & manifestabuntur omnibus.

## CAPUT X.

*Luc. 16.* OMnes quidem mortui se vicissim cognoscunt, & cognoscuntur. Hoc te docet Abraham, hoc Lazarus suggerit, hoc Dives ille affirmat. Si enim Abraham Lazarum minimè cognovisset, nequaquam ad divitem in tormentis positũ de transacta ejus conditione fuisset locutus, quòd mala receperit in vita sua. Etsi malos mali non cognoscerent, nequaquam Dives in tormẽtis positus fratrum suorum absentiũ meminisset. Quomodo enim præsentes non posset agnoscere, qui etiã pro absentium memoria exorare curavit? Ergo & boni malos, & mali cognoscunt bonos. Nam & Dives ab Abrahã
C cognoscitur, cui dictum est: *recepisti bona in vita tua:* & electus Lazarus à reprobo Divite est cognitus, quẽ mitti flagranter precatur, dicens: *Mitte Lazarum ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguã meam, quia valde crucior in hac flamma.* In qua videlicet cognitione, utriusq; partis cumulus retributionis in longum excresceret, ut & justi amplius gaudeant; quia secum eos lætari conspiciunt, quos amaverunt, & mali, dum eũ eis torquentur, quos in hoc mũdo, despecto Deo dilexerunt, non sua, sed etiam eorum pœna consumuntur. Fit etiam in electis quiddam mirabilius, quia non solum eos agnoscunt, quos in hoc mundo noverant, sed tanquam visos ac cognitos recognoscunt bonos, quos nunquam viderunt. Videtur autem quod dolor tangat mortuos de his quæ in suos post mortem contingunt. Nam dives iste de quo sermo nunc est, dum tormenta apud inferos pateretur, levavit oculos ad Abraham, & inter alia dixit: *Habeo quinque fratres, ne & ipsi veniant in locum hunc tormentorum.* Habent ergo
D mortui curam de vivis quos bene sciunt vivere, quia nec in locis pœnarum vident eos. At dives, qui sine fratribus erat, nec in requie beatorum, Abraham & Lazarum, quamvis à longè cognoscebat.

## CAPUT XI.

CHaos autem quod erat inter divitem & Lazarum, justorum à peccatoribus differentiam atq; distantiam significavit. Nimirum quemadmodum differentes extiterunt voluntates, ita & mansiones. Infernum autem hi quidem putant regionem sub terra caliginis & tenebrarum. Unde per Psalmistam dicitur: *Eruisti animam* *Psal. 85.*
*meam ex inferno inferiori.* Ut infernus quidem inferior sub terra esse, infernus vero supra ipsum vere intelligatur, & uterque multis locorum varietatibus dispertitur.

E Hanc sententiam Joannes in Apocalypsi comprobare videtur. Qui signatum librum septem sigillis per leonem de tribu Juda dicit apertum esse. Nullus enim inventus dignus aperire in cœlo, quia nequit Angelus, nullus in terra, quia nequit vivens homo in corpore. Nullus subtus terram, vel in inferno, quia neque spiritus diaboli, vel hominis. Nullus utique præter Salvatorem nostrum inventus est, qui pennas columbæ deargentatæ, ac posteriora dorsi cum pallore auri, utrumque dico testamentum potuisset interpretari. Alij vero int ... ex apparitione ad disparitionem animæ nominaverunt. Quandiu anima est in corpore, per proprias videtur actiones. Sed ubi à corpore discessum est, omnibus modis incognita nobis existit. Intuere miserum Divitem de se diffidentem, & pro aliis effundentem deprecationes: Ecce in tormentis memoriam non perdidit, quia Lazarum quem contempserat, ad fratres amandari efflagitabat, ut quem viderant sanie profluentem ulceribus delitescentem, paupertate deficientem, illum conspicerent sanatum esse, atque hono-
F rem amplissimum habere: *Non potest*, inquit dives, *sed si quis ex mortuis ierit, credent. Habent Moysen & Prophetas, audiant illos.* Patriarcha respondit: Si ab inferis regressio, ad fidem conferret, frequenter humano generi Salvator hoc præstitisset. O dives, tu obloquebaris cum dicentibus: *Manducemus, & bibamus cras enim moriemur.* Quis ab inferis regressus est ut credamus ei? O fatue, si pater tuus resurrexisset, iterum moriturus ei credidisses? Qui Scripturæ docenti te fidem non adhibuisti. Scrutentur ergo fratres tui scripturas, & fidem eis accommodent. Mortuos quippe per phantasiam resurgere faceret etiam diabolus, à veritatis tramite insipientes corde abduceret, & de his quæ in inferno sunt, dogmata erroris & nequitiæ disseminaret: cujus astutiis, cujus versutiis, ut non decipiamur, sacra instruimur pagina. Ipsa est lucerna qua lucente fur apparet & invenitur. Huic itaq; credendum est, & non est exigendum ut mortui resurgant, quasi ea prædicaturi quæ sunt in inferno. Et quoniam miser dives ille in flamma cruciatur, de igne inferni paucis absolvendum est.

*Apoc. 5. & 6.*

*Psal. 67.*

*Luc. 16.*

*Esa. 22.*

## CAPUT XII.

G VNus igitur gehennæ ignis est in inferno, sed non uno modo omnes cruciat peccatores. Unumcujusque enim quantum exigit culpa, tantum illic sentiunt & pœna. Nam sicut hic unus sol non omnia corpora æqualiter calefacit, ita illic unus ignis animas pro qualitate criminum dissimiliter exurit. Nec est in dubitationis parte locandum, ignem illiusmodi esse corporeum, in quo certum est spiritus cruciari. Adeo pertinax incendio, ut si mare influeret, caloris nullam remissionem sentiret. Similiter autem & intolerabile frigus penes inferna esse dicitur. Scriptum est enim: *Ad calorem nimium transibunt ab aquis nivium*, quod quidẽ in constringendo tam efficax esse putatur, ut igneos montes contactu in glaciem permutaret. Hinc fletus & dentiũ stridor oboritur. Illic sunt vermes, qui nunquã moriuntur, quibus alimenta præstant ulcerices cutæ, vipereus livor, & situs pallens. Illic est palus frequentia dæmonũ
H horrenda ad compediendum, armata vinculis ferreis: sunt & aliæ formæ quamplures, præter fidẽ terribiles. Illic certe rivus est, quem Græce dicunt ..., turbidus, cœnolentus, vasta voragine formidabilis, nebulam exhalans intolerabilis fœtoris. Sed quid tartareas difficultates & ingratitudines numerare conor? Plures sunt quàm lingua exprimere, vel intelligentia hominis explicare, aut comprehendere valeat. Timete igitur judicem amici, formidate pœnas & cruciatus inferni: quia si hic tenebræ vitiorum diliguntur, ibi lumen obscuritate latibulorum non videbitur. Si hic pro peccatis nostris non flagellamur, ferreis malleis ibi quassabimur. Audi quid dicat David: *In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur.* Quia non flagellati cum Sanctis, æternum eis supplicium

*Job. 24.*

*Mat. 22. Esa. ult.*

*Psal. 72.*

præpara-

A Psal. 72. præparatur. *Ideo superbia tenuit eos, operti sunt iniquitate & impietate sua*, superbia tenentur, ne evadant, iniquitate operiuntur, ne retro sapiant. Miseri sunt, quia felices putantur, & transeunt in affectum cordis implendum desiderio, non necessitate constricti. Mensuram humanitatis rejiciunt, ignorantes quia eorum superbia velut araneæ tela succidetur. Abjice ô auditor omnem pravam consuetudinem memor supplicij & infernalis incendij. Nunquid ignoras, quòd ex improviso tolleris, avellerisque hinc subito, dies mortis ut fur nocte veniens adrepet, & procul vera in vitia præcipitem dabit. Molem omnium durissimarum pœnarum insatiabilis inferni ante oculos tuos propone, conditionem mortis animo providus retine, tumultus, molestias, acerbitates dæmonum verere, tempore non absorbebit te impius tartarus, non urgebit te infernus, neque contra te aperiet os suum puteus ille formidabilis. In quo quidem est ardor perpetuus, qui sine lignis existens, nunquam opprimitur. Ignis enim inferni ab homine non succenditur; non nutritur lignis, & semper inextinguibilis manet. Accensionis non indiget, &
B semper habet fervorem nimium. Lucet quidem ad pœnam tantum flamma gehennæ, in qua anima miserabilis & flagitiosa jactatur, ut illos videat, quorum amore deliquit, & augmentum damnationis sentiat, quia contra præceptum conditoris in eos in errore dilexit. Cruciatur spiritus miser igne corporeo, quia hic dum corpus coluit, perpetravit scelera. Volutatur in stagno ignis ardentis & corporei, qui Angelis diaboli paratus fuit, ut cum suo duce constringatur eodem debito damnationis, & fiat quod scriptum est: *Vindicta*
Eccl. 7. *carnis impij, ignis & vermis*, uterque enim & ignis & vermes, erit pœna carnis. Ardent animæ in inferno, & ipse (quasi sit in igne est) conspicuntur ipsi nitus ab nocte igne alienus existit. Nam neque visu, neq; auditu, neq; intellectu, nisi solo tactu, sentit ignis contingentia te adurit. Verum dives in inferno torquetur, pro modo Abrahā
Luc. 16 quasi precabatur ejulans: *Mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui.* Nota quod anima Lazari digitus, divitis vero linguam habere significatur. Quia corporis animæ rationalis, haud tamen exprimit humani corporis, ad instar, ut quibusdam videtur esse simulachri quod
C in speculo resultat habens effigiē. Ergo per hujusmodi effigiem in hoc mundo, in inferno, & in Paradiso, ut Lazarus & dives cognoscitur, videt & videtur. Incorporea existens corporis esse putatur Alicubi esse videtur, sed nulla circumscriptione locorum includitur. Quæ quidem licet instrumentis sensuum careat, intellectu memoriâque pollet, gaudio afficitur & tristitia, metu evanescit, & spe robur accipit. Aufer sensum, tolle intellectum ab animabus hominum, nulla eis pœna timoris remanebit apud inferos. Sed cùm miser spiritus pœnis deputatur; affligitur, dolet, torquetur, inclamat, vociferatur; conquerendo de injuriis dæmonum, de perdita libertate, de otio quod voluptatibus præbuit. Quare autem, ô auditor, quæso, accommoda: & non me loqui, sed ipsum spiritum absque mendacio & omni fallacia scias, quas in inferno patitur ærumnas enarrare, atque pro se supplicare puta.

D

## CAPUT XIII.

Acutissimus amici super dolorem, dolor, quem cœtus prævus cæterorum ad me cruciandum infigit, vociferare compellit, & injurias quas patior, inter initia miseri con... vellere notas facere. Iste hostis apud quem nunc hospitor, lucem promisit, & palpabilibus me aperuit tenebris. postea quæque qui acriora supplicia intentat, involutus amaritudine, remedium pœnitentiæ mihi auferre voluit: mala laudavit congeminavit culpam, & peccandi occasionem porrigendo sceleris excusationem edocuit. Tortuosus serpens, qui abysso subsidit interdum profunda, suis me coarctavit insidiis, sua adulatione demulsit, falsa spe illaqueavit. Hei mihi nunc æstuo, nunc angustiis perstringor. Circumseptus miseriis, & magnum perdidi refugium. Minuendi doloris quam medicinam assequar? Dæmones

E me calumniantur, insaniunt & frendent adversus me: malitiam suam detegunt, nunc venenum quod occultaverant effundentes, palam nolenti mihi propinant. Iam in facie scelus ostendunt, quod in imo cordis latuerat, facinoris nodos complicant, crimen objicientes in crimen, & in periculum præcipitant me dolentem. Et quia dolo me acciverant, factus sum eis odiosus in manifesto. Quotidie moliuntur contra me demolitiones, quærunt quæ accusent, non quiescentes. Sæviunt persequendo me obstrepentes, clamoribus irruunt in me violenter. In frigora nivis, in hyemis algorem, in tempestatem formidinis, in æstum gehennæ jactare me volunt, ut moriendo vivam, vivusque coliquescam. Carnifices substantiæ meæ, remedio ab omni abducere nituntur: ideo compedibus vinciunt, stringunt catenis, & in me multiplicia crudelitatis genera exercent. Ideo lachrymæ defecerunt, præ abundantia luctus. Quare

F pro lachrymis sanguis emanat. Præterea chaos & interitus os suum ad absorbēdum me aperiunt. Quid igitur faciam? Fortunæ quidem meæ casus miserandus est: Verum exercitus dæmonum omnis, sine misericordia existens, non potest flecti ut misereatur: Vos, in quibus spes mea, qui superstites estis, & in Christo fratres mei, nunc longè à me vitam ducitis, & propterea arbitrabimini, nullam vos posse mihi, & his qui tanta immanitate hic distrahuntur opem ferre. Sed miseremini, precor, mei, & potestis scio juvamini esse nobis etiam in hoc carcere durissimo. *Non est enim*
Isa. 59. *abbreviata manus Domini*, aut misericordia ut liberare
Psal. 117 *nequeat.* Ecce Psalmista David dicit: *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus.* Antequam ergo à vobis recederem, antequam corpus exuerem, antequam tortuosis colubris adjudicarer, pignus sanctæ Ecclesiæ suscepi Et si usque in diem exitus, usque in horam mortis noxiis actus, sordidam tem libidinem, & nefaria complexus sum facinora: cor tamen in novissima hora contrivi, & humiliavi, munus redemptoris nostræ, scilicet corpus Salvatoris, pleno fidei manducavi sacramento. Si dum loqui dabatur, tacuissem, jure me nunc, omnēsque mihi similes tartarus

G suffocaret. At verò Christum ego confessus sum (& omnes qui venerant mecum præcantur) scelera mea detexi, lachrymas fudi. Quare cum his qui mecum sunt, salvari debeo. Ius proculdubio videtur exigere, ut si taciturnitas extrema causa est perditionis, confessio similiter extrema sit salvationis causa. Dominus Prophetæ loquitur: *Tu fili hominis, dic ad filios populi mei:*
Ezec. 33. *Iustitia justi non liberabit eum in quacunque die peccaverit, & impio non nocebit ei in quocunque die conversus fuerit ab impietate sua, & iustus non poterit vivere in justitia sua, in quacunque die peccaverit.* Malefacienti dictum est, morieris; bene agenti dictum est, vives, & ubi te invenero, ibi te judicabo. In pœnitentia, fide, confessione unusquisq; inventus est. Paulus conscius secretorum Dei, ait: *Quia si confitearis in ore tui Dominum*
Rom. 10. IESUM, *cordéque credideris quòd Deus excitavit illum à mortuis, salvus eris.* Ergo quod in corde habui, ore con-

H fessus sum. Nam credidi quòd filius hominis venit quærere & salvare quod perierat, & de faucibus Sathanæ evellere captivatos In hanc certe fiduciam ultima confessio latronis me adduxit, & alterius latronis animus obstinatus. Hunc, quia non credit, ignis devorat gehennæ. Alter verò quanquam similiter latrociniis cruentatus fuisset, semper q; feritatis diabolicæ extitisset amiger, nunquā Dei meminisset, nulla mandata legis servasset, cujus spes tota erat desperatio tamen quia resipuit in ipso supplicio constitutus, magnum & præcellens invenit remedium. Domini est, ubi pendebat judicem futurum agnovit. Et quia illi publicavit crimina conscientiæ, cum eo Paradisum eadem die introivit Credidit & veniam meruit, factatissimo ta gu ne ille apertius est ipsis Angelis celsior factus est. Ideoque in ictu oculi cum ipso Salvator Paradisū intravit. Ego quidem,

&

A & si corpus quod in ara crucis pependit, non sum sensibiliter intuitus, nec illo contactus sanguine (in specie dico sanguinis) spiritualiter tamen alterum bibi credēdo, alterum manducavi penes eundem modū. Esto mihi ideo ex inferno tardior exitus, quia sceleratissimus sum latronum, neque similiter cum Christo crucifixus: attamen quia crimina mea confessus sum, & execravi actus temulentos, remedio medelæ perennitas cruciatus debet recidi. Miseremini & sociorum, ô viri Christiani, vestro adjutorio nunc opus est, ut pro nobis paschalem victimam offeratis, agnum videlicet salutarē, qui tollit peccata mundi. Si sic verè de baratro inferni educere potestis. Exorate Deum pro nobis, coram ipso effundite orationes, & egentibus eleemosynas porrigite. His divitiis, his petitionibus, his largitionibus vorago inferni captivos reddit, absolvit, & abire in vitam permittit. Sed scio plerosq; vanis opinionibus deformari, putantes non esse orandum pro mortuis, eo quòd neque Christus, neque Apostoli ejus successores hæc scriptis intimaverint. Nesciūt quidem illi plura esse ac persummè necessaria, quæ sancta Ecclesia frequentat, quorum traditio ex scripturis non habetur. Nihilo tamen minus ad cultum Dei pertinent, & vigorem maximum obtinent: quæ si contemnantur, eam fidem quæ per Evangelium claruit, vulnerabunt. Sed propter compendium ex pluribus pauca quædam referre volo. B

## CAPUT XIV.

FRONTES credentium, sempiternámq; salutem sperantium consequi sub typo Dominicæ crucis, in nomine CHRISTI IESU, nulla novi Testamenti Scriptura instituit signari. Similiter autem in oratione constitutos, faciem versus Orientem intendere quæ scriptura monstravit? Item mystica verba quibus ad sanctificandum panem vitæ, Spiritus sancti gratia invocatur, in nulla serie novi Testamenti reperiuntur. Benedictio aquæ baptismatis, ter aquis immergere illum, qui baptizatur, & benedictio chrismatis in Ecclesia sine Christo & Apostolorum scripturis observantur. Noluit Christus Ecclesiam suam scriptis tantū traditionibus C astringere. Nam quæ non licet prophanos scire, illorum doctrinam non expediebat literis publicare. Verum his omissis, quoniam aliquos vestrum forsitan latet; quare cum orat Ecclesia, in Orientem prefigat intuitus paucis edisseram. Omnis igitur Christianus in oratione constitutus, ad Orientem faciem dirigit. Qui iterum antiquam patriam quam perdidit, perorando requirat: ut Paradisum (ex quo pulsus est, quemque ad Orientem Deus plantaverat) synceris petitionibus recipiat: ut in Occidentem versum vultum Christi pendentis in cruce videat. Quippe Christus crucifixus plagam occidentalem, ad quam conversus erat, conspicabatur. Quare in prima Sabbathi stando quisque fidelis orationes suas in atriis domus Domini perficit, ut consurgens cum Christo quod sursum est, quærat, sicut egregius doctor hortatur. Tenor quippe orationis, qui sine inflexionis D vicissitudine diebus fit dominicis, futuram resurrectionem portendit. Futuri enim sæculi dies illa imago est, in qua genua orantium non succidunt. Vnde a Moyse non prima, sed una nominatur. Et factum est, inquit, vespere & mane dies unus, quasi per circuitum reducta frequenter, eadem una fit, & octava, quæ nullam habebit varietatem: nil declive post hujus temporis decursum, siquidem erit sine vespere, sine successione, absque senio. In aliis verò diebus cùm terra genibus contingitur, humani generis casus per peccatum, & expulsio de Paradiso significatur. Sed rursus cùm os in sublime tollitur, per clementiam Redemptoris ad cœlum revocari exulem liquido manifestatur. Planum ergo est, ut opinor, quàm multa sint in Ecclesia, plena vigoris exuberantia sanctitate, fidem corroborantia, & hominum actus dirigentia in melius, quæ chartis à primo Pastore commendata non sunt. Sed occulto suo judicio habenda ipse tradidit, & per vicarios Apostolos paginis & atramento annecti non permisit. Apostolicis E sane mandatis, non scriptis insistendum est. Audi Paulum dicentem: Laudo vos per omnia quoniam memores mei estis, & sicut tradidi vobis, traditiones tenetis, sive per sermonem, sive per Epistolam, id est, sive verbo, sive scripto. Earum traditionum quas sive scripto fecit Apostolus, una est pro defunctis exorare. Hujusmodi traditionem non solum Paulus, sed omnis chorus Apostolorum, à primordio Ecclesiæ constituit. Nec quidem traditio usu temporis semper emanans ex longa consuetudine, Ecclesiæ Dei radicitus inhæret. Quamobrem, sicut multa sacramenta sine scriptionis intimatione ipsa observat, sic pro fidelibus defunctis non habens emolumentum scripturæ novæ legis, preces jugiter ad Dominum sanctè ac piè ab initio fundit. Certum esse novi apud vos quod scripto minimè invento, probata testium fides, omne ambiguum excludit. In ore, inquit omnipotens, duorum vel trium testium stabit omne verbum. Suscipite igitur testium qui fallere non noverunt probationem. Hermannus F Capuanus Episcopus Paschasium diaconum, qui dudum ex mundo transierat, quem nequam ista dæmonum caterva cùm poterat, huc deducebat, in thermis Puteolanis invenit. Qui quidem Episcopi oratione veniam promeruit, sicque promissum pro quo tenebatur, confessionis animadversione non damnaverat. Siquidem omnium unanimitate superatus, in sua tamen sententia usque in diem sui exitus perstitit. Laurentium amando atque præferendo, quem Episcoporum judicio præesse sibi Ecclesia refutarat. Ideo enim pœnali loco deputatus fuerat, quia in parte Laurentij contra senserat Symachum. Mei ergo (quem pœnituit) vestræ deprecationes non potuerint delere condemnationis chyrographum? Donabit Dominus propitius, orationi vestræ & eleemosynæ quem destinaverat ardentis gehennæ stagnis atque sulphuribus.

## CAPUT XV.

IVdas Machabæus vir justus, Deique amicus extitit. G 2. Mach. 12. Hic quidem vir quum multis & magnis sæpissimè Domini misericordiam precibus consecutus fuerat, spe ad superiora elevatus pro mortuis etiam offerre sacrificium pia devotione sensuit. Verum pro illis qui mandatorum legis prævaricatores extiterant, & idolis à Timotheo & Sosipatre comprehensis, obsecuti fuerant. Quippe cum Iudas pietate commotus eos sepulturis paternis traderet, donaria idolorum (à quibus lex prohibebat Iudæos) sub vestibus interfectorum invenit. Omnibus ergo manifestum factum est ob hanc causam eos corruisse, propterea benedixerunt justum judicium Domini, qui occulta fecerat manifesta. Atque ita ad preces conversi, rogaverunt Dominum ut id quod factum erat delictum, obliteraretur. Hac itaque de causa Iudas argentum collegit, & Hierosolymam efferri pro admisso jam dicto mandavit, memor illius, egredietur Prou. 25. vas purissimum. Non est arbitratus eos qui legem violaverant æternum supplicium perpessuros. Literæ superficiem non est veritus, sed per intellectum complexus misericordiam opificis Dei, ad offerendum congregavit argentum multi ponderis, ut qui damnati erant, ab incendiis æternis erueret. Tunc populum alloquebatur, H cum ad misericordiam fratrum videbatur pronus, quando commovebantur pro delicto fratrum viscera. Collationem argenti fecit, sed non elegit numerum quemvis. Nam duodecimum & millesimum solummodo assumpsit, ut per duodecimum sanctæ Trinitatis fides (quæ per quatuor mundi partes prædicanda erat) insinuaretur: per millesimum verò ejus integritas & perfectio commendaretur. Dragma verò decr atius erat argenteus, insignitus imagine regali hujusce denarij oblatione, qui ad imaginem summi Regis conditi fuerant, Machabæus capitali decreto suppositos redimere statuit. Si pro mortuis orandum non esset, nunquam vir Domini tale quid consuluisset fieri. Si Deum offensurum

A se scivisset, nequaquã collationem fecisset dragmatum, pro transgressoribus legis. Quomodo amicus Dei oblationem pro defunctis Hierosolymam misisset non exaudiendus? Denique sacra Scriptura non hujus, ut amici Dei memoriam in hodiernum usque servasset, si contra Dominum aliquid præsumpsisset tali oblatione. Scio scripturam dicentem: & *Tu reddes unicuiq; iuxta opera sua, &, quæ seminaverit homo, hæc & metet, in inferno quis confitebitur tibi?* Verùm in secundo adventu redẽptoris, in terribili judicio illo & mundi consummatione, complebitur hæc sententia. Tunc indubiè omne mundi tempus evanescet: Tunc erit irrita omnis deprecatio. Nam ubi tunc pauperes? ubi Missarum solennia? ubi psalmodiæ? ubi beneficia? Vbi quidem facta est nundinarum solutio, frivola regressio est ad mercandũ. Propterea precor amici ante illam horam leviora facite onera mea, quia delictum meũ non contexero caligine negationis. Effundite preces coram clemente ac misericorde Domino. Exauditurus est certè clamorem vestrum pro me atque aliis, qui ad pœnas nondum migravimus sempiternas. Quando apud vos in mũdo oravimus, ut vestris juvaremur obsequiis utcunq; prome-

1.Cor.3.
Galat.5.

B ruimus. Non exurimur in ea flamma, in qua dives cruciatur. Nondum chaos magnum nobis obiicitur, nondum regressus obstruitur: præstate auxilia, & offerte pro nobis hostiam redemptionis. Nam talibus suffragiis pœnæ nostræ mitigantur, & tabescunt, locus quietis aperitur, & verum lumen faciei divinæ quod erat nobis absconditum, paulisper illucescit. Horrendæ sunt minæ omnipotentis Dei, sed vincit eas ineffabilis ejus clementia. Propter hæc enim salutifer ejus descensus, tartarea hæc irradiavit antra. Propter hoc multos, qui in eum crediderunt, Reges, & Prophetas, Principes & Iudices, & ex Hebræis numerosum populum ab inferis reduxit. Propterea puto omnes qui hominem illum esse, verùmq; Deum natum de virgine crediderant, & miracula quæ supra naturam fecerat, mortuorũ, cæcorum, mutorum & surdorum, leprosorum, hydropicorúmque, aridorum, à dæmonibus obsessorum, gressuum maris, multiplicationis panum & piscium, & commutationis aquæ in vinum, æquo animo susceperant, esse voluit

C eos in parte prædæ atque morsu: quibus infernum hunc antequam resurgeret, sauciavit. Vult utique misericors Deus, ut nostrum qui mortui sumus onera, vos qui vivitis portetis: si tamen antè, vel etiam dum vocabamur, pignus Ecclesiæ suscepimus, si sacramentis ipsis fidem pleno corde præstitimus, & si carnem & sanguinem IESV-CHRISTI non specie sed fide, non exteriori visu, sed interiori affectu spiritaliter manducavimus. Vult plenus misericordia Deus, ut in adjutorium nostrum & proximum intendatis. Non est enim opus sanis medico. Vt quid per incruentam hostiam occasionem dedisset faciendi memoriam pro nobis, qui vos anticipavimus. Vt quid in scripturis & trigesimis, & anniversariis diebus omnium obituum commemorationes Apostolica & Catholica per fines orbis terræ celebraret sancta Ecclesia? Si enim impium, si abominabile, si frivolũ, si inutile redemptor humani generis tale obsequium reputaret, quomodo etiam multi hactenus sancti patres decessserint, neque aliqui eorum reve-

D latum foret, quatenus hujusmodi errores à Dei Ecclesia amoverentur? Sed neque inter sacrorum solennia successores Apostolorum, in ipsis mysteriis pro dormientibus deprecationes semper fieri censuissent in hunc modum. Non habentibus etiam locum refrigerij lucis & pacis, qui potest, commodet. Num ignoratis quid Dialogus Gregorij, cui summi Angeli in solennitatibus sacrificiorum famulabantur, fecerit? Hic aliquando per lapideum pontem, quem Imperator Trajanus extruxerat, gradiens modicum tardato eundi officio, ex industria ardentem orationem ad Dominum pro remissione peccatorum Trajani fundit. Et continuò vox ad eum cœlitus facta est, dicens: Orationem tuam audivi, indulgentiã Trajano donaturus, sed tu amplius abstineas pro impiis orare. Nolite quæso dicere in cordibus ve-

stris, falsum hoc aut fictũ esse. Quærite, si placet, apud Græcos, Græca certè omnis testatur hæc Ecclesia. Et quanquam multorum Martyrum sanguinem effuderit Trajanus, oratione tamen sancti viri coactus est illum reddere tartarus alioqui implacabilior. Sed magnus Athanasius ille in sermone quem scripsit de dormientibus, sic loquitur: Oratio pro fidelibus defunctis non est omittenda, ubicunque morte præoccupati fuerint. Offerenda est salutaris hostia, offerendum est oleum. Offerendi sunt quasi pro sepeliendo cerei, Christum Dominum vocando in adjutorium. Sunt, inquit, Deo acceptabilia hæc, & multam ex ipso ferentia retributionem. Et oleum quidem & cereus, fragrantiam odoris emittunt. Incruenta verò hostia propitiationem impetrat. Largitio eleemosynarum accumulationem conficit retributionis. Talis debet esse pro dormientibus offerentis intentio, qualis est habentium infantem tenerum & debilem, quo languescente hostiam, oleum, cereos in templo parentes offerunt. Verum puer neque contingit, neque offert, prorsus existens ignarus sacrificij. sicut abrenunciationũ & professionum, in regene- E

F ratione baptismi. At verò promittentium atque offerentium fides absque dubio efficit, ut hæc multam in his pro quibus geruntur, habeant efficaciam. Talia docti à Spiritu sancto Apostoli constituerunt. Talia successores Apostolorum confirmaverunt in Spiritu Dei. Talia postmodum Ecclesiæ doctores docendo comprobaverunt. Inde est quod incrementum suscipiunt, & dilatantur ab ortu Solis in occasum, ab Aquilone in Austrum ad gloriam & laudem Regis omnium seculorũ. Suscipit utique Deus sacrificium altaris, hostiam laudis, quia sitit generis humani salutem. Nunquid Deus Angelis mercedes laborũ seu coronas præparavit? Nunquid propter Angelos in terras descendit, carnẽ assumpsit, homo factus est, passionem & mortem debellavit? Nunquid Angelis dicturus est: Venite benedicti patris mei, percipite regnũ quod vobis paratũ est? Non subest fides affirmationi, sed sicut propter hominẽ passus est, ita omnia propter hominẽ præparavit. Cujus mortem perosus, vitam diligit. Quis enim aliquando convivium

G magnum paravit, amicos invitavit, mensas ferculis instruxit, & expositis epulis cõvivas vesci prohibuit? Sed ego quidem, & qui mecum sunt, per negligentiam, per desidiam, & spurcitiam indigni facti sumus, & à janua convivantium prohibiti. Gerite igitur nobis morem, vicem supplete, sed transmittite ad nos quæ omisimus. Quæ debueramus, vos pro nobis erogate, & reconciliate miseris nobis redemptorem, quem offendimus. Verùm nulla macerari ambiguitate convenit egenorum atque pauperum causa, ut salutem non cõsequantur eo scilicet, quia non relinquunt superstitem, qui Sacerdotem ad sacrificandum invitat, qui eleemosynas dispergere, aut qui orationibus vacare debeat. Putasne, injustus est Deus ut habenti intercessorem indulgeat, non habenti verò immisericors existat? Absit hoc Iustus est utique Deus, non habentes beneficos, habentibus connumerans, nam beneficia quæ pro suis mortuis quique

H faciunt, misericors Deus pro omnibus, qui meruerunt in vita ut juvari possent, acceptat. Idcóque magis annitendum est vobis ut sacrificium offeratur, ut orationum fiat instantia, ut eleemosynarum succrescat largitio: quia quod putatis singulare, benignus Iudex ut commune accipit. Item justorum animæ, quæ sydereas mansiones percolunt, quanquam pro omnibus, illorum tamen qui viventium famulatu & singulari obsequio destituuntur propensiùs orationes suas ad communem Dominum fundunt. Namque ut pro se Iudicem deprecentur, non indigent. In cœlo quippe (ubi sunt) summum bonum est, & nullum malum. In inferno autem inferiore adest nullum bonum, sed malum summũ. Apud nos verò malum quidem est, verùm haud summo discruciamur Quare beneficiis vestris possumus adjuvari, iis nostri reatus expiari poterunt, ut aut tolerabiliorem nunc damnationem patiamur, aut integram adipiscamur remissionẽ. Accingimini ad persolvenda beneficia

pro

pro defunctis vita Christianis: quæ quidem si his quorum sinistra trutina terram contigerit, parum conferant, eorum tamen qui faciunt, remedia sunt & consolationes. Universæ viæ Domini misericordia & veritas. Semper iudex aliquid de pœna mali relaxat. Si iniquitatem observaret, quis iudicem sustineret? Si in fluctibus interioris & exterioris calamitatis, quantum potest, attereret, oblivisceretur misereri Deus, & contineret in ira misericordias suas. Quare non exercet iuxta molem scelerum pœnas miserorum. Omnis humana vita peccatis circumsepta est, omnis conscientia suis cogitationibus accusatur: sed propitiatio non cessit, quia non est tantum iudex in observatione iniquitatum, sed in omnium iudicio misericors. Vultis audire quantum paschalis victima nobis conferat? Fœlix Episcopus ei, quem dudum defunctum in vaporibus sibi obsequentem invenerat, indulgentiam per sacrificiũ impetravit. B. quoque Papa Gregorius pro quodam suo monacho, qui hoc in igne cruciabatur per triginta continuos dies, hostiam salutarem offerri præcepit. Et factum est, ut trigesima oblatione completa, monachus communionem susciperet, simul & evaderet suppliciũ. Sustinetis accipere quantum eleemosynæ pro defunctis exhibitæ, nobis conferant? Apud Alexandriam Episcopus quidam vitæ admodum venerabilis, quemdam in vicinia sua philosophum habuit, Evagrium nomine: qui quidem, quanquam gentilis fuisset: Episcopi tamen amicus erat, quia in philosophorum gymnasio extiterat eius discipulus. Hunc Episcopus ad fidem Christianorum promovere cupiens, ei salutis verba frequenter prædicabat. Quibus cum nequaquam philosophus caperetur, Episcopo perhibetur dixisse: Domine mi, inter omnia mihi displicet, Christianos vos somniare mundum finiendum, corporum resurrectionem futuram, mercedes secundum opera reddendas fore, asserentes insuper quòd qui miseretur pauperi, fœneratur Domino, qui in nomine Christi pro animabus vestrorum defunctorum Christianis pauperibus subvenit, centuplum recipiet. Quæ omnia quoniam procul à vero sunt, ludicris & fabulis annumero. Verùm Episcopo confirmante multis argumentis nihil falsitatis esse in dogmatibus Christianorum, discessit philosophus: & haud multo post tempore credidit Episcopi prædicationi, atque baptizatus est. Tandem aliquando cum rerum suarum facturus esset rationem, accersivit Episcopum, itaque ait: Sume auri libras sexaginta, pauperibus, prout dixisti, distribuendas: data syngrapha, quod à iudice Christo pro una centum in illo, de quo tanta sonas, seculo recepturus sim. Quod cum Episcopus sine cunctatione fecisset, accepit pecuniam eo modo quo prædixerat philosopho, eam pauperibus erogaturus. Denique cum iam moreretur philosophus, iussit filiis suis ut sibi chirographum Pontificis in manu sepeliretur. His ita peractis post diem tertium philosophus Episcopo in somnis apparuit dicens ad eum: Vade ad sepulchrum meum, ô Episcope & recipe ideographium tuum: Nam debitum omne recepi, neutiquam iam mihi obligaris, cum iamdudum de Christo centuplum certè acceperim: quin etiam ut nulla te ambiguitas circumagat, propria manu subscripsi. Obstupuit igitur Episcopus, prorsus eorum quæ gesta fuerant ignarus. Qua de re sub diluculum filios accersiri iussit philosophi, à quibus cum didicisset verum esse quod in somnis viderat, convocato urbis clero, perrexit ad monumentum. Quo aperto philosophum sedentem conspicati sunt, manumque protendentem cum literis. Quas unum clericorum Episcopi accepturus, de manu illius evellere nequivit; Porrigebat enim Episcopo. Pontifice igitur accipiente literas, philosophus recubuit: Episcopus in conspectu omnium eas perlegit. Tenor autem scripturæ; quam paulò antè eduxerat ipse philosophus, huiuscemodi erat: Evagrius philosophus, sanctissimo Episcopo in Domino gaudere. Noluerim te pater ignorare, quòd pecuniam omnem, quam tibi adhuc in corpore vivens dedi, centuplicatam, sicut mihi promiseras, recepi. Quamobrem nulla debiti ratione mihi astringeris. His auditis, obstupuerunt omnes qui astabant. Ast cautio Episcopi haud negligenti iussione reposita est. Quare, ô amici, manifestum est, quid sacratissimi corporis oblatio, quid oratio, quid eleemosynæ nobis conferant: proculdubio perversitatis plumbum convertunt in argentum synceritatis.

## CAPUT XVI.

POstremo quod officium extremi muneris non debeatis intermittere, Ioseph docet & Nicodemus, qui quidem mixtura myrrhæ & aloes quasi libras centum ferentes, corpus Dominicum condierunt, maximam laudem & gloriam consecuti.

## CAPUT XVII.

ITem sanctæ mulieres ut eadem officio exhiberent, multa & pretiosa unguenta paraverunt. Unde ipsum Salvatorem meruerunt videre. Atque quanto præconio extollantur quotidie per orbem universum, non est in ambiguo. Si sepulchra, rationes, obsequia defunctis fieri magister noster Christus renueret, nequaquam suum corpus mundo in exemplum exposuisset universo. Ecce Ioseph & Nicodemus multam insumpserunt pecuniam, ut illud tantum corpus à vermibus defenderent. Certè qui potest, divitiarum copiam erogare debet, ut corpus amici honestè sepeliat, maximè verò ut animam eripiat dæmonum faucibus. Sed & pro nobis orantes beneficiis vestris conducite, succurrite pauperes nobis. Atqui & ad illud quod ante omnia maximum præstat remédium obnixiùs enitamini, ut Agnus scilicet, qui tollit peccata mundi, in memoriam defunctorum frequentiùs immoletur.

## CAPUT XVIII.

HUiuscemodi oratione ad vos transmissa rationalis spiritus, quia credit persuasisse, adminiculum exigit simul & favorem vestrum, quæ quidem haud dubium est exhibituros fore vos: qui fide vivitis, cum quibus nos iampridem eiusdem conditionis fuimus, habituri hic vos propediem socios. Sed quia oratio iam longiùs processit, reliquum est, ut animo incalescente, innovatoque auditu, pauca, quæ dicenda supersunt, de lamentationibus funerum, de adventu Antichristi, & de die extremo Domini, deque resurrectione eius atque iudicio enodemus.

## CAPUT XIX.

MOvet me conflictus humanarum necessitatum, ut rememorem amicis aliquas causas nostræ communis calamitatis. Sed multo amplius avolare me facit altitudo divini consilij, cùm cogitem qualiter in utero infantes format, membra coaptat, nervos & arterias compaginans, cuique humani corporis particulæ congrua officia dispertit. Animat lutum, & pulveri iungit spiritum, cibum in carnem vinum in sanguinem, phlegma in ossa permutat. In vulva ut bonus pictor, imagines adumbrat: colores distinguit, qualitates distinguit: Statuit terminos vitæ, quos diffinivit ante fundamina mundanæ molis, quam cernimus. Hæc consilij profunditas exquisite quidem corpori animam indit, & mirabilius ut puto, dirimit à corpore. Nam *quis est homo qui vivit, & non videbit mortem?* Mortales sumus, terrei, & in pulverem reversuri. Hinc dolor innascitur, hinc oboriunt pavor, & hinc gemitus concrepitant. Etenim qui heri fulgebat veste auro texta in hemicyclo sublimatus, elevatus superciliis, undique astantium multitudine splendide septus, hodie exanimis atque adeò putidus ad sepulchrum in feretro portatur: miserandus humatur, amicorum quidem magna pompa atque frequentia vallatus, luctibus, decantationibus honoratus, illustratus funeralibus.

A Sed post modicum hæc amittentur, etiam cum nominis memoria. Non enim ulterius sepulchro, amicitia cuiuspiam progreditur: adeò qui heri tumescebat, hodie anhelat languoribus. Qui paulò antè formidandus erat, hodie olidus cernitur: heri speciosus, hodie abominabilis, heri in domo, hodie in sepulchro. Vbi dives? ubi tumor, ubi aparitores conturbantes omnia? Vbi violentiæ, ubi potentatus, ubi moles rerum, ubi bella, ubi collatio signorum? Omnia sunt pulvis, cinis omnia, omnia favilla, & umbris ipsis prætereuntia celeriùs. Quo abierunt hæc omnia? gloriæ magnitudo evanuit? primores? ubi filia? dulcisque filius? ubi procax uxor? ubi amicus? ubi adversarius? defecerunt universi, & hic qui item paulò antè. Ille verò pro patria interiit, hunc æquoris procella subruit, alius morsibus ferarum internectus est. Vere istud umbraculum nihil distat a vernis floribus. Nam ad illorum similitudinem liquescit, & marcescit homo. Vnde satis apparet, quòd compago B nostri corporis à iumentis in nullo dissimilis est. Præcede modicum; preveni, præcurre, inspice sepulchra mortuorum, & videre non renuas, triste & nequaquam delectabile spectaculum. Incumbe diligenter, & deformatum quod est mortuorum, reforma. Vide pulverem dissolutionis, & nostri fastus calamitatem sustine. Reprime odore nimio, intolerabili foetore. Vestra sunt hæc, non aliena. Patere fortiter evaporantem de putredine halitum, & tabem expirantem. Suffer vermium acervos aspicere. Intuere diligentiùs, si libet, discerne, si tibi posse suppetit. Apta rursum os ossi, & si vis singulas eorum, quæ cernis soluta, partes partibus compone, considera, si vales, cuius hæc, cuius illa sit, quis iste, quis sit ille: utrùm senex an adolescens, fœlix an pressus infortuniis vixerit, longævus an citò vita functus, gloriosus an ignobilis. Hæc expende, circumspice, quanto mœrore quantaque maceraberis tristitia. Quò inquies, figura horum & decor abiit? Quàm ingratus est iste aspectus, quàm displicens, quàm sordidus, & quàm tristis fit: heu hanc sortem! Carnes C solutæ sunt, viscera disrupta, partes disgregatæ plasmationis & fabricæ, decor exterminatus. Ad horum certe similitudinem quisque nostrum in loculis deponetur, computrescet, deinde eadem vermium ingluvie consumptus dissolvetur. Intelligis homo quid dicatur? Circumspice sepulchra, & vide ossa humanæ compaginis, eorumque ad te collachryma, ingemisce, suspira de profundo, animadverte humanam calamitatem, qualem finem sortita sit, animadvertito. Quis rex, quis dives, quis pauper, quis nobilis, quis ignobilis, quis liber, quis miles, quis princeps, quis iustus, quis damnatus, quis sapiens, quis insipiens, quis orator, quis barbarus, quæ concepit, quæ pepererit, quis pater, quis filius, ex aspectu aut contradictione horum ossium nequiveris pronunciare. Quid multa? Optimum quod apud nos sensu percipitur, æqualem ossa videns, corruptionem patietur, & tamen humana cura omnis ad hoc enititur, ut in vita hæreatur. Propterea domorum ædiumque fabrica excogitata est, ut neque frigoribus neque caloribus corpora nostra exanimentur. Agricultura quoque quid aliud est, nisi D quædam vivendi præparatio? Cura conservandæ vitæ formidine mortis tantum exercetur. Medicina similiter in honore penes homines eadem ratione habetur. Nam quodam artificio videtur supplicio mortis resistere. Loricæ, clypei, galeæ, cuspides, ocreæ, armorum apparatus, parietum ambitus, portæ cum vectibus ferreis. Munimina vallorum ob quid aliud, nisi propter metum mortis excogitata sunt. Cùm utique mors adeò formidolosa odio vitam premat acerbissimo, quomodo superstes, mortui nulla tangetur pietate? At non tristitia dignum est: Cùm intueamur illum, qui paulò antè vivebat, mutum factum de subito & immobilem? Extincta esse instrumenta naturæ, neque visu, neque alio sensu operantibus. Cui sive ignem apponas, sive ferrum, sive corpus gladio confodias: aut si volatilibus quæ carne pascuntur proiicias; aut si in E cœnum abiicias, ad omnia qui iacet, similiter afficitur. His ita factis permutationibus vitalis causa cuiuscunque modi sit, evanescit, & in ictu oculi abit. Velut si lucerna extinguatur quæ ardebat, neque in lichno flamma perseverante, neque locum ad alium demigrante, sed in disparitionem omnimodam secedente. Quomodo id fieri potest, ut tantam tristitiæ molem quispiam sine dolore sustineat? Exitum animæ audimus, corpus relictum cernimus: sed qui vivificabat, spiritus quid sit secundum naturam, & quò abierit, ignoramus. Non aër, non unda, nec aliud quid monstrat illam virtutem, quæ corpus exercebat. Qua egressa, mortuum iacet quod relictum est, & invidæ corruptioni obvium. Quis igitur vel si ferreus sit, potest à lachrymis temperare tali superveniente iactura? Hinc comæ dilaniantur, stillant oculi, & pectus adductis palmis sonat.

F

## CAPVT XX.

VEruntamen in vanum lamentis miser afficitur, pro mortui causa plorans & deficiens. Vanum est lugere in sepulchris habitantes, dissolutos, & in suum pulverem iam reversos, aut post modicum reversuros. Quousque luctus & clamor, tumultus & crepitus, mœrores, blasphemiæ, ad sepulchra usque dilaniatio? Curata humatione & post ora dissecantur, lamentatur in foro atque in ædibus. Quid facis ô homo, Mortuum dormientem conspicatis, & prorumpis in convitia? Filium primitus mortuum plangis, quasi non sis moriturus? Illius finem in conspectu habes, & tuum non præstolaris. Hæc cogita tecum quis sis, & cùm sis mortalis, quem genuisti similis tui erat. Cuius principium habuisti, finem illius debuisti expectare. Noli molestus esse cum iuvenem avocari conspicias, & transmigrare ad statum meliorem. Tu ipse haud multò post quem lugens sequeris, comitaberis, cum terminum nullus hominum effugere poterit. Non est à potioribus ad deteriora ista revocatio, imò à corruptibilibus ad incorruptibilia, à visibilibus ad invisibilia, quibus nos sumus destinati. Noli ergo fletu mensuram excedere. G Iuxta illud quidem, quod Dominus ac Salvator noster dicit: *Beati qui lugent*, non propter funera, sed propter peccata sua. Sed scio quod dicis: at homo sum, non possum non tristari. Non prohiberis lachrymari & dolere. Natura enim angit, hoc impellit. Requirit consuetudinem & confabulationem quotidianam. Non prohiberis contristari, uti Christus te docuit: nam super Lazarum lachrymatus est. Lachrymare tu quoque, sed cum honestate, sed cum timore Dei. Quod si obiit singularis peccator, qui Deum offendit vehementiùs, solummodo lachrymari fas esto, quod illi tamen nihil attulerit utilitatis. Sed tribuere solatium quod potes eleemosynarum, oblationum, hoc est ei adesse. Propterea gaudendum, quoniam præcisa est malitia illius. Rursus si iustus extitit, lætandum est: ad portum enim quem cupierat, pervenit ab incertitudine huius stadij semotus. Quòd si iuvenis, gratulari oportet, quoniam laqueis mundi præreptus est. Si senex, non est dolendum, adepto enim quod desiderabile ante omnia H videbatur omnibus, satiatus decessit. Contristare si adeò libet, sed modum non transcendas. Nam mors naturaliter accedit, hinc enim intravit homo in mundum, ut exiret. Peregrinatio est vita hominis super terram. Cùm multum ambulaverit, redeundum est. Ad idem dies ducunt singuli. Num ignoras quòd ille qui anxiatur plus iusto, aliquid maius ipsa natura requirit. Homo natus est mortalis. Si natura iter suum peregit, quare tristaris? Nullus dolet, quòd esculentis & poculentis alitur. Nullus absque his gestit vivere. Sed expers mortis esse contra naturam appetis: solæ leges naturæ. Mors certè de illarum rerum numero est, quæ semel homini contingunt. Excipe, quod natura omnibus communiter dedit. Non involuat mordaces curas in animo tuo, mœror duplicatus. Mites sunt plagæ, quare

dolores

A dolores sunto decentes. Animo sano & recto fortuna quævis contemnitur, & laterna tentationis quantacunque sit, levigatur. Anxietas ista mœroris ideò tibi apparuit, ut à frequentibus procellis, à variis sæculi fluctibus indemnis egrediaris. Hæc tibi Sapiens persuadet. *Coniungere*, inquit, *Domino, & sustine, ut crescat in novissimo vita tua.* Quàm plura sunt, quæ sine vulnere sanari nequeunt. Dolores isti putantur nocentes, sed si tuleris, remedia tibi præstabunt. Nam in adustione ignis, in sectione ferri, remedium expectatur. Mordax adiumentum, interdum fomes est ut delirium. Medicus cœlestis ad te curandum venit, tu noli quod spirituale est facere animale: bonum est à Domino redargui? iucundum esse debet à Domino castigari. Et quidem moleste ac supra modum dolorem admittentibus terribile est, quod dicitur: Recedunt à me iniqui. Vias enim

B illorum scire nolo, quoniam lucerna illorum extincta est, & gemitum habebunt in vita sua. Erunt enim sicut paleæ, quæ à vento agitantur, & sicut pulvis qui à tempestatibus tollitur. Vna via est Christus, quæ ad cœleste palatium credentes perducit. Per illam viam qui pro mortuo immodestius dolet, non graditur. Casus eius festinanter veniet, ægritudine vexabitur, quia medicum propulit assistentem. Flendum est, dolendum est. Flendo intravimus mundum, ut lacrymis hauriremus dolorum primitias. Audi Sapientem quid dicat:

Sap. 7. *Ego*, inquit, *natus accepi communem aerem, & in similiter factam decidi terram, primam vocem emisi similem omnibus plorans, fasciis involutus, curis magnis nutritus sum. Nemo enim ex regibus aliud habuit nativitatis initium. Vnus ergo omnibus introitus, & similis exitus.* Quare necesse est, ut qui venit transeat. Quid igitur tristitia maceraris? Angustum certe satis est tempus vitæ mortalis. Simul homo gignitur, simul obnititur morte. Vince ferendo impositum onus æquo animo. Quodvis onus gravius lædit si gravate portetur. Non est

C sub hominis potestate non mori, quia nasci humani non exstabat arbitrij. Rari sunt in hoc sæculo prosperi eventus, turbulenti vero sunt densissimi. Vt iva debent esse pericula, ut virtus inhabitans examinetur. Cessantibus ventis, nec probatur, nec cognoscitur gubernantis peritia. Congruit famulis Christi probari calamitatibus & sub pressuris, & angustias exercere admodum ignis succensi. Talibus exercitationibus, huiusmodi certaminibus virtus crescit, & dilatatur: & portum attingit optandæ felicitatis. Audi Paulum dicentem: *Quotiens*, inquit, *infirmor tunc verius probor: & placeo mihi in infirmitatibus meis.* Vsus frequens laborum, robustissimum corpus efficit.

2.Cor. 12.

*OTIVM ET DESIDIA VIRTVTEM*
*Faciunt abiectam & dissolutam.*

## CAPVT XXI.

D AVdite mulieres quibus dolorum amicus est, quæ luctum acerbiorem exercetis, quoniam vestigia illorum qui fidem non habent imitamini, quorum plerique pro suis mortuis dissecant facies, dilacerant carnes, & capillos evellunt. Dic mulier, quare luges, si credis quia resurget: Mihi crede dormit strepens somnus clausit oculos. At inquies, fortasse, propter familiaritatem, opitulationem & curam rerum quam gerebat, & propter alia multa quæ administrabat. Verum cùm puerum perdis, qui obsessus ab infantiæ debilitatibus omnifariam inefficax exstitit, & ad omne opus inutilis. Quare ploras? Quid requiris? Bonæ, inquis, erat indolis, & ideò fructum præstolabar: ex me genitus erat. Idcircò maritum conqueror ereptum, pro filio lamentor: ob hæc fleo, dissecorque. Non ut incredula quòd minus resurgant, sed magna spe viduata, & privata solatio. Caput mihi ablatum est, domus bonum amisi. Qui omnium consors fuerat, cuius præsentia

E refovebat: qui confortabatur, extinctus est. Hæc destituo, Scio quia resurget, sed nequeo sustinere paritater, quæ interponitur, separationem. Multa rerum perturbatio me circumvenit. Omnibus expono mœrens, Clientula quæ prius me reverebatur, nunc despicit, Insultat nunc mihi, quisquis aliquid mali sub ipso passus est, & in me transitum declarat. Hæc sunt quæ me æquiùs, quod accidit non permittunt ferre. His & similibus irritatur animus, spiritus acescit, & tota colliquescit corporis machina. Quod remedium huic dolori præstabitur? Quis sermo tristitiam mitigabit, & expellet de illius animo.

## CAPVT XXII.

PRimum ergo redarguenda est, quoniam non sunt hæc doloris causa, & irrationabilis passionis. Nam

F si hæc deploratores, oportebat ut semper lugeres illum qui obiit. Sed antequam prætereat annus, obliviscerts, ac si non fuisset, maximè si secundò nubere volueris. Sed talem in præsentiarum non quærit oratio; at eam quæ mariti thorum intemeratum custodiat. Tu quare luges puerum, quare maritum deploras? Et hunc quidem, quia fructum non vidideris, illum verò quia præstolabaris, ampliorem. Quantæ incredulitatis & perfidiæ est arbitrari, quod maritus vel filius te in securitate statuat, & non Deus? Quomodo non putas te ipsum exacerbare? Ideò tales tollit Deus de medio, ut non eis ita vehementer alligata permaneas, ut ab illis spem tuam amoveas. Nam Deus æmulator est, & nobis ab omnibus diligi vult, quia multum amat ipse nos. Scit enim consuetudinem immoderate amantium vehementer zelotypam esse, qui potius animam dare vellent, quàm suis amatoribus displicere. Propter hæc dies temporis illorum detruncat. Non erant autem quibus viduæ neque infantes orphani. Quare Abrahæ & Isaac multo permisit tempore vivere, quia dum viverent, Deum suæ voluntati præposuerunt. Dixit enim ad

G Abraham: Macta, & mactavit. Similiter autem & Sara ideò contenuit, quia Deum magis audivit quam se: sed neque propter filium, neque propter maritum Deum exacerbavit. Nunc autem qui declives o mulieres estis, vestros viros Deo præponitis, ideò ipse vos invitus ad tui plus desiderium abstrahit. Noli diligere maritum plus quam Deum, vidui tatem atque nudi non sentites. Vis autem quomodo amandus est Deus? Non primò patrem aut matrem, deinde Deum diligas. Non filij, vel filiæ plusquam Dei charitate teneantur. *Qui amat*, inquit, Christus *patrem aut matrem supra me, non est me dignus.* Ama virum tuum ut carnem, ama & Deum, sed ama illum non ut carnem & sanguinem, sed ut spiritum. *Qui enim Adhæret Deo, unus spiritus est.* Deum quidem primo loco debes diligere ex toto corde, & ex tota mente, & tota virtute; proximum verò tuum sicut teipsum. Non debes diligere proximum ex toto corde, mente, atque virtute. Rursum inquit, *diligite inimicos vestros*, non addidit ex toto corde, nec diligite inimicos vestros ut vosmetipsos, sed tantum, *diligite inimicos vestros.* Sufficit eis quòd diligimus, & odio non habemus. Deus igitur præ omnibus

Mat. 10.

1.Cor. 6

Mat. 22.

Mat. 22.

H diligendus est. Quòd si Deum magis amas, noli flere. Nam qui magis diligitur, immortalis est, & non permittit ut minùs dilecti sensum accipias doloris. Ideò B. Iob nihil animum disfructavit, audita filiorum morte repentina. Quid dicis ó mulier? Maritus & filius assistebant, Deus autem non opitulabatur tibi: Quis illum tibi dedit? Nonne ipse, te quoque qui condidit? Nonne ipse? qui quidem de non esse perduxit ad esse, animam infudit, intellectum tribuit, mentem inseruit, qui filio suo unigenito pro te non pepercit, tui obliviscetur: & servus memor erit? Hæc verba sunt plena ferventissimæ indignationis. Maritus tuus si tibi benefecerit, vicem accepti reddidit beneficij. Sed in Deo nil tale habemus dicere. *Quis enim prior dedit illi, & retribuetur ei?* Nam bonorum nostrorum non

Mat. 5.

Iob. 1.

A templa Dei erunt despectui. Ecclesiarum subversiones ubique fient. Sacræ scripturæ, vel leves fabulæ spernentur. Aures illius discessionis complicium maledictis, blasphemiis, mendacio, irritationi obtemperabunt, impudicis cantibus & abominabilibus sonis delectabuntur, invicem se criminabuntur, instigabunt adlites, calumnias movebunt, & quæcunque indigna sunt Christiano, effutient. In omnem lasciviam proruent, in omnem libidinis gurgitem volutabuntur infrenes; obscœnis & fœdis cupiditatibus penitus inhiabūt. Veneficia, incantationes ab his, qui nominabuntur Christiani, palam exercebuntur: pseudoapostoli & falsi Prophetæ ad invicem insurgent mentientes, avari, periuri, detractores lupi fient; sacerdotes Christi amplexabuntur mendacia: monachi adhærebunt his quæ sunt huius mundi. Divites immisericordes erunt, pauperum principes non miserebuntur. Iudices iniqui manibus datis magno studio servientes, sacrosanctam, & penitus necessariam domum iustitiæ iniusto præcludent, nec legum examina servabunt, sed excæcati donis, iniustitiam sectabuntur. Sed quid nostrorum hominum detestabilia enumero facinora? Elementa mundi, præscriptas leges deserent. Nam terræmotus erunt per omnes civitates, per omnes regiones validissima fames. Tonitrua tristia, coruscationes horrendæ, domos & villas incendent. Ventorum conflictibus dispergetur tellus omnis. Nodosa robora subvertentur, æther insonabit & e nubibus ignes exilient. Ab imis sedibus æquora concutientur molimine ventorum. Terra contundetur magnitudine grandinis: hyemis acerbissima incommoditas, gelu asperitas intolerabilis, æstus immoderatus. Repentina fulgura, & inopinata incendia emergent. Et ut simpliciter sit dicere, fletus & luctus sine spe consolationis, omnem animam viventem invadent. Etenim ubi abundavit iniquitas, refrigescit charitas multorum. Cùm igitur Antichristi tempore concordia tantam cladem passura sit, discordia inundante, iure pestis illa nuncupatur discessio, qui nasciturus est de tribu Dan: sicut Iacob prophetavit: *Fiat Dan*, inquit, *coluber in via & cerastes in semita, mordens ungulas equi, ut cadat ascensor eius retro.* Serpens cerastes cornutus esse perhibetur, per quem digne significatur Antichristus, qui contra vitam fidelium morsu venenosæ prædicationis armabitur. Equus hunc mundum significat, ungula verò equi, finem mundi. Vngulam equi mordebit Antichristus, quia extrema vexabit feriendo & retro cadet, quia ex hac vita plenus iniquitatis & malitiæ ex divinitate repentè corruet, ad supplicia æterna distrahendus, quod Apostolus apertè insinuat dicens: *Tunc revelabitur ille iniquus quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui.* Veniet Antichristus, sed non est timendus, quia Dominus Iesus interficiet eum virtute spiritus sancti, qui dicitur spiritus oris Christi, quia ab eo procedit. In tempore Antichristi de medio tolletur regnum Romanorum, ut sancti doctores perhibent. Quemadmodum enim regnum Medorum à Babylonis destructum est, Persarum à Macedonibus demolitum: Macedonibus autem Romani principatum abstulerunt: sic Romanum imperium ruinam per Antichristum sentiet. Ipse vero Antichristus destruetur per Christum Dominum liberatorem nostrum. Illius quidem Antichristi adventus erit secundum operationem Satanæ, in omni virtute & signis & prodigiis mendacibus, & in omni seditione iniquitatis. His quidam peribunt eo quod charitatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent. Sic peribit brachio Christi Antichristus pestifer, ut minuta animalia magno superveniente incendio videas, idque haud immerito. Quippe operatio illius in falsitate, non in veritate erit. Magica enim arte homines eludet & fantasia: ut Simon magus fecisse credendus est: qui quod non faciebat, facere videbatur. Multa & insueta faciet Satana Antichristus, tunc soluto, docente semitas omnis erroris, omnis figmenti, omnisque Deo adversi. Inde est quod minis, blanditiis, & omnibus mo-

Gen. 49. C Dan. 12. B D

dis seducet eos, qui dediti sunt animalibus affectibus, qui Christum non receperunt, in quo promissa omnia sunt completa. Æquum certe est, ut qui non receperunt veritatem, perditionem inveniant. Omnia igitur quæ facturus est Antichristus, aut phantasticæ erunt illusiones, mendacijs nullibet plenæ: aut his bona falsas insanias inferentia peritulis. Hic quidem, ut Daniel inquit, sermones contra altissimum loquetur, & sanctos altissimi conteret, & mutare tempora & leges. Nam tres annos & sex menses contra sanctos sæviet Antichristus, quos dum superaverit, erigetur in superbiam, ut leges Dei & cæremonias mutet. Completo autem trium annorum spatio cum semestri additione, præsidebit iudicio, ut auferatur potentia, & conteratur & dispereat usque in finem. Quare, inquis, Deus hoc permittit fieri: Quænam est illa dispensatio? Quod lucrum? Quis fructus? Quæ fiducia in adventu illius? Cùm ad perniciem nostræ generationis venturus sit? Beatus Paulus ait: Quia in his qui pereunt, perituris est adventus eius, quia si sibi venisset Antichristus, prætendere causam possent iustæ damnationis. Quid vero hic commodi? Quoniam illi iidem qui pereunt, quodammodo examinabuntur. Nam sive venisset Antichristus, sive non venisset, illi Christo minime fuerant credituri. Veniet ergo Antichristus, ut arguantur increduli perfidi, ut non sint dicturi, quia Deum se quidem dicebat Christus. Nos vero ex lege didicimus: quoniam unus Deus ex quo omnia, ideo non credimus. Hanc illorum Antichristus excusationem infirmabit. Quippe cum ille venerit nihil sanum præcipiens, nihil integrè faciens, mendacibus phantasiis, & fictis prodigiis os suorum discipulorum oppilabit. Etenim si Christo non creditis, nulla ratione Antichristo debueratis credere. Ecce Christus dicebat à patre se missum fuisse. Antichristus vero contrarium asserebat. Ideo Christus dicebat ad Iudæos: *Ego veni in nomine patris mei, & non recepistis me, si alius venerit in nomine suo illum suscipietis.* Sero dicturi estis: Stupenda in conspectu nostro signa fecit, miraculis coruscavit, monstravit prodigia. At vero Christus multa & magna operatus est. Cui Prophetæ omnes testimonium de bono perhibent. Sicut è diverso de Antichristo testimonium detestabile reddunt, siquidem filium perditionis secundum operationem Satanæ, ac discessionem eum cognominarunt.

B F 2. Thess. 2. Ioan. 5. Actor. 10. G

## CAPVT XXIV.

VEniet quidem Antichristus multimodam persecutionem in Christianos facturus. Sed non formidine concuti, quia in his qui pereunt, efficacia malitiæ ipsius nidificabit. Nam Helias tunc veniet ad confirmandum credentes: ut in Evangelio scriptum est: *Helias venturus est, & restituet omnia.* Ipse enim Hebræos, qui tunc inventi erunt, quum à sorte paterna quasi exciderant restituet: & Prophetiam Evangelij reducet ad eorum memoriam. Audite, inquiet, Salvatorem dicentem: *Si quis vobis dixerit, hic est Christus, ecce illic, ne credideritis. Exurgent enim pseudochristi, & pseudoprophetæ, & dabunt signa & portenta ad seducendos, si fieri potest, electos.* Vos videte. Ecce vobis hæc omnia prædixit, ut non decipiamini. Nam sicut fulgur exit ab Oriente, & emicat in Occidentem, ita erit adventus filij hominis. Ideoque non indiget indice, qui omnibus utique manifestus erit, sicut fulgur quod apparet subito universis. Non enim de loco ad locum iturus est Christus, cùm ad iudicandum venerit, sed in ictu oculi aderit ubique. Et sicut ubi cadaver est illuc aquilæ congregantur: sic ubi Christus erit in nubibus raptim sancti venient. Et statim post tribulationem dierum illorum, veniente veri luminis claritate, sol & luna videbuntur obscurati splendore supervenientis lucis. Virtutes quoque cœlorum obstupescent, sentientes mundi renovationem, & omnes ab Adam homines usque ad illud tempus rationem reddituri iudici illi magno.

Luc. 1. Mat. 24. H

A Tunc plebs Antichristum formidabit, lapsi à fide pavebunt, tunc miseri contremiscent Pharisæi, à quibus Christus interrogatus, quando veniet regnum Dei respondit: non veniet regnum Dei cum observatione.
Luc.17. *Ecce regnum Dei intra vos est.* Non est de hoc mundo regnum Dei, ut vos arbitramini, nec ita observabile. Non enim habet diffinitum tempus, sed volenti semper adest regnum Dei. Relinquite quæ mundi sunt non loco, sed animo: non proficiscendo, sed proficiendo. Et Deus regnabit in vobis. Et hoc quidem Pharisæis responsum dedit: ad discipulos autem dicebat.

## CAPUT XXV.

Luc.17. VEnient dies, *quando desiderabitis videre unum diem filii hominis, & non videbitis.* Cavete ne seducamini. Nam in iudicio non concludar loco non fovebolatebras: sed sicut fulgur ab extremo terræ usque ad
B aliud extremum coruscabo. Interea expecto pretiosum fructum terræ, temporaneum & serotinum inventutis, & senectutis. De illa die Domini Petrus vaticinatur.
2.Pet.3. *Veniet*, inquit, *dies Domini ut fur, in qua cœli magno impetu transient elementa vero calore solventur. Et terra, & ea quæ in terra sunt, exurentur:* per noctem quidem incertum, per furem vero insperatum Domini adventum significavit. Res enim nox usibus humanis subtrahit. David quoque de cœlorum transitu scripsit.
Psal.101. *Initio*, inquit, *tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli. Ipsi peribunt & mutabuntur.* Nisi forent cœli opera manuum Dei, nequaquam possent permutari, neque mutationem susciperent: si cœlum factum non fuisset, interminabile atque inalterabile foret. Nunc autem quia Deus est factor cœlorum, potens est ipsos permutare cùm voluerit, quia stabilivit cùm non erant. Unum quidem solum est quod permutari non est, & quod semper manet idem: in cuius substantiæ pelago nihil est semotum, nihil est obtensum, nihil futurum, nihil præteritum, Deus scilicet:
C
Psal.89. apud quem unus dies sicut mille anni, & mille anni, sicut dies una. Ideoque actus hominum & cogitatus non possunt latere iudicem huiuscemodi, quin singulos in momento discutiat, singulis prout gesserunt, reddituros. Merito igitur cœlum transibit, quia Deus solus idem ipse est, cuius anni non deficiunt. Qua de re idem
2.Pet.3. Apoc.21. Apostolus scribit: *Novos cælos & novam terram, & promissa Dei expectamus, in quibus iustitia inhabitat.* Idem Ioannes in Apocalypsi confirmat dicens: *Vidi*, inquit, *cœlum novum, & terram novam. Primum enim cœlum, & prima terra abiit, & mare iam non est.* Idem
Esa.65. Propheta Esaias concinit: *Ecce enim, ego creo cœlos*
Esa.66. *novos, & terram novam & non erunt in memoria priora.* Et iterum: *Quia sicut cœli novi & terra nova, quæ ego facio stare coram me dicit Dominus, sic stabit nomen & semen vestrum.* Renovabitur quidem homo in resurrectione, renovabuntur quoque cœli, maria, & terra. Omnia enim hæc vanitati, id est, corruptioni subiecta fuerant propter hominem. Sanè quia corpus
D mortale homo induit & passibile: suscepit tantam maledictionem, & spinas & tribulos protulit. Cùm autem hoc immortale liberum statuetur à servitute corruptionis, æquum est, ut creatura nostræ comes existens afflictionis, resumat vigorem prioris incorruptionis. Sicut cœlo & terra renovatis, mare iam non erit: quia vicissitudo mutationum, generationis & corruptionis prorsus in exterminium dabitur. Non est ergo ambiguum quin veniat dies, & Dominus iudicij. Ecce Zacharias Propheta eiusdem sermonis autor est. *Veniet*, inquit, *Dominus Deus meus, omnesque sancti cum eo. Et erit in die illa, non erit lux, sed frigus & gelu. Et erit dies una quæ nota est Domino, non dies neque nox: & in tempore vesperi erit lux, & exibunt aquæ de Ierusalem ad utrumque mare.* Præsentis sæculi finem revelaturus Propheta Christi de cœlo adventum ut iudicet, orbi prænuntiat. Veniet, inquit, Dominus in gloria

E Dei & patris cum sanctis angelis suis cumque Prophetis & Apostolis suis. David quoque idem concinit: *Quoniam non repellet Dominus plebem suam*, quoadusque iustitia convertatur in iudicium. Iustitiam nominat Salvatorem, qui utique post resurrectionem in cœlum ascendit, ad iudicium in novissimo reversurus: & cum eo universi, qui recto sunt corde. Nunc quidem dies & nox ad invicem discernuntur per temporum diversitatem, sed postquam omnes peccatores frigus suum geluque contraxerint, una dies erit atque perpetua, nequaquam sibi luce & tenebris, die ac nocte succedentibus: ipse Dominus lux erit omnium, de quo Esaias: *Non erit*, inquit, *tibi sol in lucem diei, neque* Esa.60.
*ortus lunæ illuminabit te per noctem, sed erit lux æterna, & Deus tuus gloria tua.* Sed illi erunt in tenebris, quos frigus enecaverit, & illi ambulabunt in lumine qui secuti fuerunt Apostolos & Prophetas: tunc in tempore noctis erit per Christum dies. Sub cœlo enim tunc ipse fulgebit, abolitis tenebris prorsus, ut ne- F
quaquam ultra cœlos sanctorum offendant. Illa dies soli Deo altissimo nota est. De illa die Christus ac Salvator noster dicit: *Diem illam nullus scit, neque An-* Zach.14
*gelus in cœlo, neque filius, sed solus pater:* Verum in eo quod homo est filius ignorare dicitur. Nam in eo quod Deus, nihil eum latere poterit. Ab illa die Christus erit sanctis lumen perpetuum: ut Ioannes dicit, *Et civitas non habebit necessariam lucem solis, quoniam* Apoc.21
*Deus omnipotens lumen eius erit.* Ab illa quoque die Zach.14
iuxta Zachariæ vaticinium, egredientur aquæ viventes de Ierusalem, quarum media pars ibit ad mare orientale quod vulgo appellatur mortuum: eò quod nihil in aquis eius possit vivere, & media pars ad mare novissimum, quod ad Ægyptum ducit. In æstate Salvator noster inquit, & in hyeme ita erit, ut nec gelu constringantur hyemis, nec æstatis nimio siccentur calore. Nam ponè diem iudicij effundet Salvator de cœlesti Ierusalem aquam vivam, spiritum super sanctos suos, sed non ut pignus. Quippe in templo penitus pacato, non erit ultra in nobis ad mensuram spiritus, imò plenitudine ipsius irrigabimur affatim: qui quidem congruè de cœlesti Ierusalem venire perhibetur: quia in G
cœlis habitare Deum omnium, sacra scriptura manifestè denũciat, & in cœlis quidem existens, replet orbem terrarum. Quoniam verò sacris literis consuetudo est, spiritum sanctum comparare aquis, idem spiritus dator testatur dicens: *Qui credit in me, sicut dicit scriptura: Flumina de ventre eius fluent aquæ vivæ:* quod Evangelista Ioan.7.
interpretatus est dicens: *Hoc autem dicebat de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* Et attendendum. quòd eadem mensura, his qui ex Israël, & his qui ex Gentibus crediderunt, gratiam spiritus distribueret. Hoc enim per aquam vivificam significatur, cuius pars media effluet ad mare orientale, reliqua verò medietas ad mare novissimum. Et primum quidẽ mare, Israël nominavit, novissimum verò Gentes: quæ post ipsum crediderunt. Nec Propheta dixit spiritum sanctum dividi, & absque perfectione populo in utroque inveniri: eò quod medietatem huc, reliquam partem verò illuc exisse pronunciavit. Immò verò magis confitendum est, quod utrisque gratia ex æquo distribuitur. Nam medium &
medium est æquilibrantis gratiæ designativum. Erit igitur illarum aquarum perfusio in hyeme & in æstate, id H
est, per omne tempus: ut de oriente & occidente veniãt, qui recumbant cum Abraham & Isaac, quando vox turturis audietur in terra, hyeme transeunte, quando ver necessarium erit, quando flores apparebunt in terra: ut celebremus Pascha, & Pentecosten, in quibus de terrenis transmeamus ad cœlestia: & omnes fructus nostros offeramus Deo. Tunc erit Dominus re super omnem terram: quando dicemus: *Dominus regnavit, exultet terra, & dicite in gentibus quia Dominus regnavit: & correxit orbem terræ, qui non commovebitur:* quando amovebit omnem errorem, ut nullam deinde alterationem sentiat. In iustitia quidem iudicabit, ut orbi iudicium subeunti, reddatur merces pro merito sanctitatis.

In

A In veritate autem, ut populis penes quos locum habuerunt Dei miracula, perfectionem largiatur ſcientiæ: ea ceſſante quæ ex parte eſt: orbem iudicabit, non partem, ſed totum, quia non partem emit. Nam pro toto dedit pretium. Erit ergo æquitas & veritas in illo iudicio. Quid enim æquius, quam electos ſtatuere ad dextram, & reprobos ad ſiniſtram? In præſenti quidem vita omnes commixti ſunt, nec bona à malis diſcernuntur. Tunc verò ſegregabit à peccatoribus iuſtos, ſemovens eos à certaminibus, ut faciat certos ſecuritatis. Qua de re hos quidem hœdos, illos autem oves nominat. Hœdi, ut noſtis ſteriles ſunt, & natura infœcundi: ſed rationale animal ex libero ſterileſcit arbitrio, propter quod nulla excuſatio ſuppetit. At ovis plurimus proventus eſt, lactis, fœtuum, lanæ, carnium. Item, oves cùm pabulum inveniunt, abundanter paſcunt atque id in ſemetipſis recondunt, ut tempore famis de ventre ad palatum referentes, pro alimentis iterum ruminando B habeant. Has imitare, quarum nomine appellatur, qui Deum diligit. Nunc rapiendum eſt regnum Dei, nunc prælibandus eſt cœleſtis cibus, & in ventre cordis ſervandus, ut in tempore reſurrectionis, membra omnia protegantur, & foveantur in illius revelatione. Nunc ſpiritu vivendum eſt, nunc ſiniſtris abrenuntiandum actibus, ut à dextris locus reperiatur, ubi filius Dei, qui Patri conſubſtantialis eſt, ſedere decrevit. Porrò qui à dextris erunt, communem licet cum omnibus habituri ſint reſurrectionem, inſigne tamen quiddam præ aliis obtinebunt. Vehementi quippe irradiabuntur ſplendore à Deo, ut lucifero orbi videantur æque coruſcare: ſumentes pennas ut aquilæ. Nimirum ſi aquilarum corpora earundem animæ, dum vigent ſuſtollunt in æthera, multò proclivius credere eſt, humanos ſpiritus ſua poſt reſurrectionem corpora inferre ſyderibus. Aquilæ quidem ſancti nominantur, G eò quod in excelſum obviam Chriſto ituri avolabunt. Et qui ſicut aquilæ ſolem ipſum intuentur abſque reverberatione: ita iuſti à ſervitute corruptionis exuti, veræ lucis radios, Chriſtum ſcilicet intuebuntur venientem in nubibus, ſicut in Apocalypſi legitur: *Ecce veniet cum nubibus, & videbit eum omnis oculus: & qui eum pupugerunt. Et plangent ſe ſuper omnes tribus terræ.* (Apoc. 1.) Sicut enim in nube aſcendit, ita in nube veniet, quæ quidem ſanctis erit refrigerio, impiis vero terrori, ut in deſerto nubes Hebræos refrigerabat, & cruciabat Ægyptios. Similiter autem ignis qui iudicem præcedet, bonos illuminabit, & inimicos eius inflammabit in circuitu. Qui plangent ſe ſuper eum cum viderint ignem æternum ſibi paratum, & contemplantes gloriam, à qua tollentur, intolerabili anguſtia & dolore cruciabuntur. De illo adventu ſimiliter Daniel Propheta vaticinatur: *Aſpiciebam*, inquit, *in viſu noctis, & ecce cum nubibus cæli, quaſi filius hominis veniebat, & uſque ad antiquum dierum pervenit, & in conſpectu eius obtulerunt eum, & dedit ei poteſtatem quæ non auferetur, & regnum quod non corrumpetur.* D Deleto enim Romano imperio, & mortuo Antichriſto iam ultra non erit terrenum imperium, ſed ſanctorum converſatio, & adventus filij Dei triumphantis. Regnum autem Chriſti ſempiternum erit, & poteſtas. Nam diaboli poteſtas, imperfecta eſt: & terminum habebit. Plerumque enim vult nocere & non poteſt, quantum accepit, tantum fecit. Cuius virtus & poteſtas in die iudicij evacuabitur, & cum ſuis ſequacibus æternis deſtinabitur cruciatibus. Hanc diem expaveſcens Propheta inclamat: Ut quid timebo in die mala: iniquitas calcanei mei circumdabit me. Diem malam vocat diem cladium, diem peſtium, diem ſuppliciorum. Talis eſt futura peccatoribus in iudicio illo terribili. Dies illa calamitatis, ideo abſolutè dies nominatur, quia omnia nudabuntur, quæ occulta erant, & manifeſtabuntur in ea. Illa quidem dies iræ mala quoque nuncupatur, quia malis plena cauſa condemnationis erit. In illa miſer timebit, cuius calcaneum ipſe truculentus tyrannus vulneravit obſervando, & blãda ſuggeſtione præcipitavit E in ſententiam libidinis. Diabolus quidem hominum calcaneo inſidiari certiſſimo perhibetur: quia finem vitæ mortalium nimium alioqui ærumnoſæ, maximè cuſtodit, ut ſuffocet ſpiritum, decipiatque cum ante deceſſum, quatenus poſt exitum, inextricabili retinaculo peſtilentis malitiæ ſuæ protrahat ad ſupplicium interminabile. Calcaneus interdum deceptionem ſignificat, ut levavit ſuper me calcaneum ſuum. Huiuſmodi res peccatum eſt. Allicit enim, illaqueat & decipit. Unum igitur ſolum eſt, quod in die homo debeat timere. Non paupertas, non ægritudo, non ignobilitas, ſed tantùm certè timenda eſt macula ſceleris, & vitæ iniquitas, ne in die mala comprehendat te. Dies illa finis eſt humanæ diei & principium diei Domini. Ideóque permultum formidabilis. Nam in die ſuo, quod volebat operabatur homo. In die verò Domini F tollitur actus, cedit effectus, & omnis extinguitur poteſtas arbitrij. Siſtetur in iudicio puriſſimis Angelorum conſpectibus: ubi prorſus ſecreta conſcientiæ reſerabuntur. Quiſque ſeipſum demonſtrabit, & quæcunque fecerit confitebitur abſque peregrinorum allegatione teſtium: operibus quæ fecerat, palam aſtantibus, & teſtimonium perhibentibus, cui contradici non poſſit. Manifeſtum ergo eſt, quòd erit iudicium, atque reſurrectio corporum.

## CAPVT XXVI.

PEreat igitur ſecta Saducæorum, qui dicebant non fore corporum reſurrectionem, quibus Salvator & magiſter noſter tale reſponſum dedit: *Erratis neſcientes ſcripturas, neque virtutem Dei. De Reſurrectione mortuorum non legiſtis quod dictum eſt à Deo dicente vobis: Ego ſum Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob. Non eſt Deus mortuorum, ſed viventium.* (Matth. 22. Marc. 12.) Docet proculdubio in hoc loco Reſurrectionem corporum verè futuram, ſed non qualem Saducei arbitrabantur. G Ipſi enim putabant quòd poſt Reſurrectionem nuptiæ, partus, & coitus reformarentur: & quòd iterum homines vitam morte finirent. Unde dicitur eis. *Erratis, & ſcripturas non intelligitis.* Si ſcripturas cognoſceretis, ſciretis utique quod Deus non eſt mortuorum, ſed Deus viventium. Et ſi virtus Dei vobis ita nota fuiſſet, profectò crederetis, quia omnia Deo poſſibilia ſunt, & quod homines Reſurrectione, Angelorum ſimillimos facturus ſit. *Ego ſum*, inquit, *Deus Abraham, Iſaac, & Iacob.* Non eſt Deus mortuorum, & eorum qui non ſunt, ſed eorum qui permanent & exiſtunt. Si Abraham atque cæteri ad nihilum deveniſſent, Deus nequaquam dixiſſet: *Ego ſum Deus Abraham*, ſed fui. Licet enim mortuus ſit Abraham, & cæteri, ſpe tamen vivunt Reſurrectionis. Paulus quoque magiſtrum ſecutus ait: *Oportet*, inquit, *corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem.* (1. Cor. 15.) Et rurſum: *Seminatur in corruptione, ſurget in incorruptione. Seminatur corpus animale*, pingue ſcilicet & H paſſibile: *ſurget corpus ſpiritale*, inalterabile, impaſſibile & tenue: quale fuit corpus Domini Salvatoris poſt Reſurrectionem: Quod quidem ianuis clauſis ad diſcipulos introiit, non eſcarum indigens non ſomni, nec alterius talium. Sed dicit aliquis: Quomodo reſurgent mortui? O inſipientiam! ô incredulitatem! Qui pulverem in corpus voluntate ſua permutavit, nonne diſpertita coadunabit oſſa? Quod ſi adhuc dubitas, opus tibi tuum fidem faciat. Tu quod ſeminas non vivificatur niſi moriatur priùs. Et cum tu ſeminas, non corpus futurum ſeminas, ſed nudum granum: ut puta tritici, aut alicuius cæterorum. Non enim ſeminas herbam vel ſtipulam, vel quæ in palea ſunt multiplicia tegumenta granorum, cum quibus tamen ſemina exurgunt. Deus autem dat grano corpus cum palea, & ariſta, ſicut vult. Sicut ergo ſemen veſtitum reſurgit cum multo incremento & decore, ita mortuus Dei virtute poteſt vivere & corpore reſurgere glorificato. Unicuique ſemini dat Deus proprium corpus, quod naturali-

A

ter debet habere. Non omnibus granis idem corpus dat: sed unicuique suum: tritico tritici, & ordeo ordei. Considera igitur in sulcis tanquam in sepulchris semina humani: quis radices inserit, stipulas præstat, folia & aristas? Nonne omnium factor & conditor? Sic itaque crede mortuorum resurrectionem futuram esse. Itaque Apostolus: Si enim credimus, quòd Iesus mortuus est, & resurrexit: ita & Deus eos qui dormierunt per Iesum, adducet cum eo. Christus quidem surrexit à mortuis, primitiæ dormientium: ut credamus, quod eadem potestate, qua ipse resurrexit, ac virtute in die novissimo debeat nos excitare. Etenim Christi resurrectio, chirographum est universalis omnium resurrectionis. Si mortuorum resurrectio futura non esset, neque Christus resurrexisset. Ideò utique ipse resurrexit, vt inveniretur primitiæ dormientium. Si Christus non resurrexisset, inanis esset Apostolica prædicatio: inanis esset & proculdubio fides nostra.

B

Si Christus non resurrexerit, quomodo Apostoli signa in nomine ipsius fecerunt? Et si signa non fecerunt, quomodo gentilis populus, piscatoribus & idiotis credidit? Quòd si Christus seipsum mortuum non potuit suscitare, neque peccata mundi tulit, neque infernum expoliavit, neque mortem destruxit, neque paradisum aperuit: & sic omnes qui dormierunt in Christo perierunt. Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur. Christi resurrectione omnes resurgent, eò quod ipse solus sine peccato inventus fuerit. Sed unusquisque in suo ordine resurget: primitiæ Christus, deinde ij qui sunt Christi, qui in adventu eius crediderunt. Fideles quidem in illa die resurgent primi, Christo de cœlis ad iudicium descendente; in voce Archangeli, & in tuba Dei. Et ij quidem, qui iustitiæ merito pollebunt, bonæ misericordiæ sublimati rapientur in nubes obviam

C

Christo in aëra. Impij verò & peccatores, iudicem in terra expectabunt, vt rei, vt condemnati, vt sulphureis ignibus addicti. In tuba & voce Archangeli descendet, quia per vniversum orbem dispersos in terræ pulverem, quasi ad bellum tuba milites convocabit, & ad solemnitatem æternæ gloriæ invitabit. Sed & illos qui tunc vivi erunt, celerrimo raptu in mortem, & rursus mortuos in vitam permutabit. Græci tamen illos, qui tunc vivi reperti erunt, non morituros, sed de mortalitate in immortalitatem mutandos tantum putant: quod Epistolæ Pauli ad Corinthios, testimonio firmant: Omnes quidem, inquit, resurgemus, sed non omnes dormiemus, id est, moriemur: in Latino autem habetur, non omnes immutabimur: quod Ambrosius exponit in gloriam, scilicet beatitudinis. Quare animarum resurrectio expectanda non est, sed corporum, quæ ipsæ incoluerunt. Quippe si nihil aliud mors est, nisi separatio animæ à corpore, resurrectio erit prorsus utriusque copulatio, & dissoluti & omnifariam dilacerati restauratio. Ipsum igitur corpus quod

D

dispersum & dissipatum fuerat, in momento reformabit. Si mortui non resurrexerint, animalia bruta multò nobis essent præstantiora, quippe quæ sine tristitia cæterisque ægris affectibus vitam ducunt. Si immortalitas frustra speratur non providentia divina, sed casu, humana cæteráque reguntur. Nonne quàm plurimos cernimus iustos egentes, angustia septos, nihil habentes consolationis: peccatores autem & iniquos locupletes, potentes, affluentes delicijs? Quis non compositæ mentis hoc nihil iudicij, & sapientis providentiæ opus suspicetur? Erit ergo mortuorum resurrectio, quia iustus est Deus singulis prout meruerunt, præmia redditurus. Quid in hoc seculo boni, Ioannes Baptista, & Iacobus frater Domini, ut alios taceam, quorum virtus maxima fuit, habuerunt? Quantis Nero nequam, & pessimus Herodes inundaverunt delicijs? Hæc qualis Dei iustitia putaretur, si congrua his & illis non redderetur merces? At verò reddi nequit, nisi corpus animæ restituatur. Profectò æquum est, vt animæ, quæ in corporibus de virtute seu vitio conten-

E

derunt in eisdem corporibus, accipiant coronas, vel cruciatus. Præterea talis successionis ac permutationis terminus, non modò fide, verùm necessitate quadam præstolandus est. Non enim semper hominis natura influet, & effluet, ut per sibi succedentia, recta deorsum linea propagetur, non inveniente finem successione filiorum. Omnis quippe natura superiorum æternitati sortita numerum, in propria plenitudine consistit. At natura hominum, similis est superiorum. Quare conveniens est, vt deserta propagatione finem aliquando nanciscatur consummationis. Nimirum si semper in propagatione versaretur, semper foret deficiens nunquam adeptura statum, nunquam inventura perfectionem, quæ in naturis sunt amplissimæ commendationis. Ad hæc si numerus creationis animarum semper augendus esset, nullus unquam numerus illius creationis fuerit extremus. Quòd si nullus extremus est, non

F

est penes Deum scientia, quot animas creaturus est. Sed hæc existimare, patens est quàm sit abominabile. Attinget ergo plenitudinem humana vita: consistet prorsus radicalis. Hæc naturæ promotio est, superveniente corporum resurrectione. Natura verò extremum terminum de necessitate cùm est complexa, status huic vitæ alius succedet, ab ea vita, quæ in generatione ac corruptione versatur, separatus. Sed generatione cessante, nec quod dissolvatur erit, siquidem alterius generatio, alterius est corruptio. Terminabitur ergo aliquando augmentum numeri creationis animarum. Quare cessabit prorsus corruptio, & sequetur vitæ indissolubilis atque interminabilis beatitudo exoptanda. Denique Propheta Ezechiel de resurrectione mortuorum loquitur, Ossa, inquit, arida, audite verbum Domini. Hæc dicit Dominus Deus ossibus his: *Ecce ego intromittam vobis spiritum, & vivetis. Et succrescere faciam super vos carnes: & superextendam in vobis cutem: & dabo vobis spiritum, & vivetis & scietis quia ego Dominus.* Ecce hic Propheta corporum resurrectionem manifestè futuram denuntiat. (Ezec. 37.) Sed tu inquis: Ille

G

naufragium ubi fecit, ponto in medio periit, quem piscium multitudo devoravit. Pisces hi capti mortalium vsui cesserunt: at iis qui pasti sunt forte à feris dilaniantur. Feræ rursus venatorum industria prostratæ, gulæ humanæ satisfaciunt. Naufragus verò ille qui tam varia mutatione multis animantibus nutrimento fuit, qua ratione quæso in horrendo illo die resurrexerit? Quare hoc dicis homo, & deliramenti telas contexis, & quasi dubius hæc ponis? Quis est qui pulverem colligit de humo? Dic: quid si in mare delapsus non est, neque à piscibus devoratus, neque pisces à piscibus, & hi postea ab hominibus infinitis: & ita deinceps: sed exequiarum ritu peracto, locetur in mausoleo qui obiit, & neque vermes, neque aliud quippiam vllum detrimentum inferat, quomodo resurget, quod penitus omnimodæ dissolutioni subiacet? Quomodo cinis & pulvis se recolligent. Vnde flos re-

H

liquus adveniet corpori? Certè corporis totiens devorati, & huius quod nullam talem sensit alterationem æquè difficilis est resurrectio. Quid miraris, quid dubitas de resurrectione? Num ignoras quòd omnis vita corporis sit à corruptione? Omnis planè. Omnia semina dicto modo attolluntur in vitam. Nonne vides ficum, quantum quidem habeat stipitem, quantum truncum, quot ramos, quot folia, quot radices in alto defixas. Hæc quidem quæ tanta cernitur quasi de milij grano? & illa prius putrefacto exorta est. Nam nisi prius putrescat & dissolvatur, nihil horum quæ dicta sunt, consequitur. Vitis quoque quæ tam pulchra est, latéque suam propaginem spargens, & visu delectabilis, de humili acino nascitur: quod quidem granum non solum in lignum, & pampinos, verumetiam in vinum permutatur, atque tacemus. Explicet qui potest, qua ratione illud modicum in tanta, & tam varia vertatur. Sed non suppetit respondendi ratio. Considera humanum semen, quod tibi est vicinius, qua ratione post conceptum vertitur in oculos: quomodo in aures, quo-

modo

A modo in manus, quomodo in cor, quomodo per tam diversa insinuatur & coaptetur. Nonne innumeræ differentiæ sunt in corpore: figurarum, magnitudinum, qualitatum, positionum, virtutum, ordinum. Membra quoque diversa: nervi, venæ, carnes, arteriæ, articuli, & alia plura: quorum penes medicos consideratio est, quæ nostram naturam consti tuunt ex modico semine. Nonne videtur tibi hoc illo multo magis in dubium vocandum? quod humidum est & molle in os, quod est durum, & frigidum densetur, quomodo in carnem, quomodo in nervum, qui est tener & frigidus? Unde hæc omnia? Edissere si potestis. Nunquid huiusmodi non ambigis, imiteris quidem resurrectionem fieri & mortem in ætatibus? Quomodo iuventus abiit? Unde venit senectus? Quomodo qui consenuit, non potest facere vt iuvenescat? Puerum

B quidem gignit infantulum: quod sibi non potest præstare, alij præstat absque difficultate: hoc in arboribus, hoc est in animantibus videre. Quamquam quod alij quidem præstat, secundum humanam rationem prius possidere debeat. Sed ubi Deus artifex est & conditor: & omnis humana cesset inventio, & disputatio. Cùm itaque super vite ac fico, & cæteris huiusmodi, sensus hebescat humanus, quid in operibus quæ solius Dei sunt, assumis negotium disputationis? Sed dicis quia quod fit, non est acini, sed terræ vis: ut verum fatearis non est terræ quod fit neque seminis, sed continentes atque telluris Domini. Ideo cum ie nunc & absque semine fecit talia exoriri. Et in altero quidem virtutem, in altero autem potentiam demonstravit quando dixit, producat terra herbam virentem. In altero autem facto potentiæ iudicio, instituit nos ad laborem, & amorem agriculturæ. Hæc dicta sunt, vt de resurrectione nostrorum corporum,

C nullatenus ambigamus. Erit enim corporum reformatio non solum ex terra, verumetiam ex aliorum elementorum secretissimo sinu: quo dilapsa cadavera recesserunt, in temporis momento reddenda, & reintegranda. Hoc est, quod in Evangelio Dominus loquitur: Audient, inquit, qui in monumentis sunt, vocem filij Dei, & procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, qui vero mala egerunt in resurrectionem iudicij. Lazarum certè atque alios mortuos ideo suscitavit, vt fidem illis quam mors non sequitur, faceret resurrectionis. Verum enim facilius est, an ex eo quod non est aliquid facere, an quod dissolutum est iterum excitare? *Viri Ninivitæ*, dicit Christus, *re-*

Mat. 12 *surgent in iudicio cum generatione ista & condemnabunt*

Esa. 65 *eam*, &c. Esaias quoque dicit: Resurgent mortui, & resurgent, qui erant in sepulchris, per verbum factum in carne filium hominis. Ipse vtique in forma humanitatis, suscitaturus est corpora: prædicato prius Evangelio in universo mundo & in eadem forma cunctis in iudicio apparebit, & vocem dabit qua mortui de monumentis surgent & procedent. Angelis ante illum signum crucis deferentibus sicut Matthæus ait: *tunc apparebit signum filij hominis.* Est attendendum quod

D non solum Christus indicabit, sed sancti cum eo iudi-

Mat. 19 cabunt nationes. Ipse enim Apostolis suis dixit: Se-

Mat. 4 debitis & vos super sedes duodecim, id est, eritis in perfectione iudicantium eorum scilicet, qui relictis omnibus secuti sunt Christum. Tunc formam Christi quam secundum quod homo est habet glorificatam, boni & mali videbunt, sed terribilis quidem apparebit impiis, iustis verò mitis & clemens. Tunc Satanas ille magnus, qui de custodia sua per annos tres, & sex menses ad seducendas nationes exierat, perdet decipiendi & nocendi efficaciam, iterum in latebris malitiæ suæ, & angustiæ religandus. Ordinem vero illius tremendi iudicij, series Evangelica nobis exponit. *Mittet*, inquit, *angelos suos cum tuba, & congregabunt*

Mat. 24 *electos, à quatuor ventis.* Et rursum: *Exibunt Angeli & separabunt malos è medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis.* Et item: *Mittet Angelos suos, qui colligent de regno eius omnia scandala, & mittent iniquos in caminum ignis:* Veniente autem Domino ad iudicium, præcedet ante eum igneus fluvius cum multo impetu, quasi mare plenum ventis & æstu: neque facies mundi ardebit, & cœlum & terra non secundum substantiam, sed secundum formam peribit, cum & mare. Æther dissolvetur, stellæ cadent, sol convertetur in tenebras, & luna: cœlum sicut liber involvetur. Verumtamen vt quidam sanctorum asserunt, tantum ascendet ignis in iudicio, quantum ascenderunt in diluvio aquæ. At vero ille ignis malorum, qui repertus fuerit, erit consumptio: bonis nullam inferens læsionem.

E

## CAPUT XXVII.

HAc quidem purgatione mundi consummata per ignem, magna illa vox audietur, qua in ortum vitæ restituentur, similque ministerio angelorum area ventilabitur, & separabuntur grana à paleis. Nam bo-

F ni a quatuor partibus orbis angelico ministerio congregabuntur, & illico eodem rapientur obviam Christo in aera, malis in terra quam dilexerunt hærentibus. Et tunc præconia illa bonorum: *Esurivi & dedistis manducare*, & increpationes illæ malorum: *esurivi, & non dedistis*, exponentur. Tunc certe proferetur sententia: *Venite benedicti*, venite Prophetæ atque Patriarchæ, qui pro nomine meo exules fuistis, qui antequam in carne apparerem, obedistis mihi, adventum meum desiderantes. Venite Apostoli, qui mecum in variis versati estis tribulationibus. Venite Martyres, qui coram Regibus & præsidibus non me erubuistis, & cruciatus & tormenta sustinuistis propter me. Venite Sacerdotes, qui quidem immaculatè corpus meum & sanguinem meum assiduè tractastis. Venite San-

G cti, qui in montibus, & speluncis, & cavernis terræ nomen meum sanctificastis. Venite qui vendidistis, quæ possidebatis, & dispersistis pauperibus. Venite qui sermonibus meis credidistis, & in lege mea die ac nocte meditabamini: mihi placere cupientes. Ecce regnum meum paratum est vobis. Ecce paradisus meus apertus est, coronæ immortalitatis paratæ sunt. Cuius os enarrabit bona illa, quæ neque oculi viderunt, neque auris audivit, neque in cor hominis ascenderunt, quæ præparavit Deus diligentibus se. Quoniam igitur cognovistis gaudium sine successione, cognovistis regnum sine permutatione, cognovistis delicias bonorum finem nescientes, cognoscite formidabilem vocem illam quam iustus iudex in ira, furoreque in illos qui à sinistris erunt, pronuntiabit: *Discedite à me maledicti in ignem æternum*, quem vobis præparastis. Ego plantavi, & alius possidebat. Ego de vulva eduxi, & me sprevistis. Ego pavi & nutrivi, & mihi noluistis servire. Ego plenitudinem terræ maris que vsui vestro dicavi, & vos mandata mea post dorsum abiecistis, & nefandis sceleribus provocastis me ad iracundiam: *Ite maledicti, nescio vos* Dominum adepti estis alium: estote cum eo in caligine tenebrarum: vbi est vermis qui non moritur, & ignis qui non extinguitur. Esurivi, sitivi, nudus

H fui, & me non respexistis. Solutum est spectaculum vitæ, præterit error, & imaginatio. Mihi oblati estis cum lectum omne genus. Misericors sum, sed iustus iudex omnibus secundum merita retributionis, vnicuique secundum proprium dans laborem. Omnibus qui bene certaverunt, corona gloriæ offertur. Miserer sed oleum in vasis vestris non reperio. Misereri vellem, sed vos cum in mundo viveretis, non estis misertis. Misericordia moveor, sed lampades vestræ cum sint ten brosæ, discedite à me. Nam iudicium sine misericordia ei, qui non fecit misericordiam. Ite in ignem æternum, qua iusti ibunt in vitam perpetuam. Ecce patronorum nubes repulsa, & omne servitium atque multitudinem longe facientes ab eis, sine hac vultus mei splendore illustro eos omnes. Quare ô amici despiciamus hoc præsens seculum: & tremendi iudicij memoriam locemus in promptuario cordis, pœnitentiæ lachrymis: efficacia confessionis peccatorum maculas

dum

dum licet, abstergamus: pro mortuis nostris misericordem iudicem non intermittamus fatigare precibus. Sed neque in defunctorum obsequia simus æs, quod tantum sonat, & non lucet, verùm argentum, quod tam splendore quàm tinnitu (quibus claret) delectamento est. Larga est misericordia redemptoris nostri. Qua de re sacramento Dominici corporis, orationibus, eleemosynarum beneficio vinctos, ab inferno solvit, educit & aditus regni cœlestis aperit eis Non enim in vanum pro vita defunctis offertur hostia, non temerè eleemosynæ in sinum pauperum expromuntur, non frustra coram Deo effunduntur orationes: siquidem multi dudum propter huiusmodi, sicut superiùs comprehensum est, tormenta inferni evaserunt: sed maximè per hostiæ immaculatæ oblationem remedia dormientibus præstantur. Quippe cùm hostia in manibus est, Angeli Archangelique assistunt: & ipse etiam Dei filius. Ideò magni honoris est, in præsentia dominatoris, eos dignari memoria qui obierunt: quando terribile mysterium illud commemoratur, quomodo pro mundo dedit seipsum Deus. In quo utique miraculo congruè ac opportunè Christus invitatur, ut iis qui decesserunt indulgentiam donet. Quemadmodum utique quando triumphus imperialis victoriæ agitur, tunc laudantur quidem etiam, quicunque victoriæ communicaverunt, dimittuntur etiam qui in vinculis tenentur, illo tempore, sed illo spatio assumpto non quilibet remissione fruitur: sic & in hoc loco suffragiorum est hoc tempus. Quotienscunque, inquit, manducabitis panem hunc, mortem Domini annuntiabitis. Quare non simpliciter accedamus, neque quomodolibet hæc fieri existimemus: Dominus est cuius caro attrectatur manibus: Ideo acceptissimum est illiusmodi tempus, ad culpæ mortuorum, veniam impetrandam. Hæc scientes præstemus, quod possumus, remedia iis, qui vita functi sunt: pro lachrymis orationes: pro luctibus eleemosynas, & pro sepulchri decore hostiam vivam exhibeamus, vt illi & nos interni gaudij atque vitæ interminabilis consortes efficiamur.

# ALEXANDER

## EPISCOPVS,

SERVVS SERVORVM DEI,

Dilecto filio Magistro Hugoni, Salutem, & Apostolicam benedictionem.

COGNOSCENTES *laborem plurimum, quem sustinuisti in componendo libro, quem nobis per dilectum nostrum Magistrum* CACIAREDAM *misisti, attendentes quoque fructum quem exinde speramus Ecclesiæ Dei proventurum librum ipsum, grata & læta manu recepimus, & devotè sollicitudini & liberalitati tuæ uberrimas propter hoc gratiarum referimus actiones: desiderium & voluntatem habentes, te quem hactenus relatione nostrorum, qui à partibus Constantinopolis revertebantur, charum habebamus, de cætero ferventius diligendi, & multo chariorem habendi & syncerius amplexandi. Rogamus autem prudentiam tuam sollicitéque monemus, ut sicut pro Deo & pro devotione Ecclesiæ præscriptum librum composuisti, ita quoque charissimum in Christo filium nostrum illustrem & gloriosum Constantinopolitanum Imperatorem ad devotionem & reverentiam Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ exhibendam, & ad unitatem ipsius Ecclesiæ diligentibus provoces monitis, & exhortatione inducas ut sicut esse debet, unum fiat ovile, & unus pastor. Data Troiæ. idus Novembris.*

# ALEXANDRO

## PRIMÆ SEDIS,

VERE DIGNO PONTIFICI

Patri Amantissimo suo, atque finium terræ Domino, HVGO ETERIANVS Famulatum, cum omnimoda subiectione.

EXACTVM *à me opus de immortali Deo, Græciæ iudicium delatura, in ipsum crimina, peregrinámque inhumanitatem, ut semel timore liberetur, fugitat. Cùmque iam latere nolit, pugnatorum extimescens mucronibus sauciari, evolat ad eminentissimam approbatissimamque auctoritatem Romani culminis: summi tui Pontificatus clementiam precatura: ut in lege atque iure, ab adversariis se custodiat: Frendent sane vehementer offensi, & tropheis invidendo nostris, trophæorum nostrorum simulacrum, nequaquam excolunt. Sed ea certè publicis decretis & elaboratis orationibus, delere satagunt: atque omni conatu decertant, ut medicis mundi utantur finibus. Atqui hæret in anima mea sollicitudo, ne inæqualitas orationis, in ventrem tantum videatur crescere, nihil solidi pene habens alimenti, ut cucumer. Narratio forsitan exilis putabitur, & præceps, conclusiones quoque vagabundæ ac effusæ apparebunt in conspectu tuo, quo nihil vulgare dignum videri potest. Profectò te iudice, honestatis & pulchritudinis quas discere operæ pretium est disciplina, delinquere aliquid suspicantur, & inopia verborum suasorio splendore privari. Quem enim sapientiæ tuæ magnitudo, morum defæcata gravitas, & veri iudicij acumen non terreant? Hæc sunt utique quæ summa utique & sola bona dixere Philosophi. Verum spe non derelinquor, qui credo illum, in cunctis Hesperiæ finibus debere recipi, qui iam aliqua peperit ante factis: qui pro Latinæ ritu Ecclesiæ se opposuit contra viros bellatores, qui nihil penè minus quam adversarios confutat: eloquar, qui ad Apostolicos pedes; non aurum, non argentum, non lapides pretiosos, ut plerique, sed quod omne metallum, omnémque lapidem exsuperat, & quod mortiferam Græcorum controversiam potest sedare, gratis offert. Præterea singularis præstantissimáque tua virtus, minuis metum: qui familiaritatem consuetudine non afferente, gratiam mihi suam, ceu inclyte Pactoli fluore asperso, conciliavit. Quapropter tui censura Pontificatus, amputato Medusæ capite, subductis si qui sunt lapsibus, vetustati eripiendo, & oblivioni publicis dictum opus monimentis spero consignabit: ut fructus nepotes ex eo carpant, tanti Pontificis favore ipsum tuente, ac servante seculorum posteris usibus.*

A

# IN LIBRVM DE HÆRESIBVS, QVAS IN LATINOS GRÆCI Devoluunt, HVGONIS ETERIANI.

## *PRÆFATIO.*

MOYSES quondam ex collocutione Dei, cum disciplinam omnem habere putaretur, & virgam Dei habens in manu, cùm descenderet in Ægyptum, alienigenam con-
B iugem cum duobus natorum pignoribus abducere secum voluit. Itaque sub huius typo literæ cùm in Theologiæ controversiam alia qua necessitate itur, complexionum acumen Gentilium Philosophorum,
Certa scuti genus. veluti ad dimicandum cetram gladiúmque amplexandum est. Inductiones syllogismique disponendi sunt ei, qui de difficillima & prima Philosophia, fide dignam vult facere demonstrationem. Veruntamen spuria vitulamina huiusce acuminis, præcidenda sunt proprietatis circumscriptione, qua cognoscuntur aliena. Quod quidem convenienter fit, si Sephora, id est, perspicacitas pulchritudinis, Gersam quidem advenam mundum ostendat: & Eliezer, id est, Deum adiutorem, habere se demonstret. Hac quidem ego semita progredi gestiens, de illa quæ supra omne creditur esse Philosophia, sermonem coactus facere, Attici quædam modulaminis argumenta, læsibile, immundum, alienúmque contagium resecans, ad præsentis seriem disputationis assumpsi, ut permultum necessaria. Nempè suspicor, quod huiusmodi extera
C valde referent, & plana faciant quæ dicenda sunt, si facilia, si vulgaria, si pauca quædam extiterint. Perhibent enim Physici, quod si piperis multa sumatur quantitas, obvertitur ad cystim, bilémque concitat: sed cùm quantitatem mensuret parvitas, solvit ventrem, salutiferáque medicina fit. Atqui dum supremæ Philosophiæ principium delibare aggredior, aquatili videor mihi similis esse testudini, quæ freta tranare cupiat, stupore cogitatus obsidetur, tabescit mens, lingua tanquam Ægyptiam palmam, quæ apud Græcos Adiperos vocatur, gustaverit, retardatur. Simpliciter autem & omnis sensus, quasi vehementissima
Palma Ægyptia. sensibilium perceperit, titubat. Porro ignis quidem, ferrúmve Indici Adamantis alterutrum respectum languidum est: cùm ferrum sculpturis pervicaciter contradicens, Adamas dictus exuperet: & ideò igni domabilis nondum repertus sit. Ego autem arbitror Adamante incomparabiliter durius & difficiliùs esse scribere de divino, quòd nō modò sensum, verùm omnem transcendat intelligentiam. Ideóque volebam circa has latebras fovere, ceu imbellis miles dimicare trepidans: & ne ieiuno eloquio perspicuus apparerem,
D difficultatem, gestionem, & odorem tanti negotij, vt Libyci serpentes piganum subterfugiunt, devitare. Sed Constantinopoli cùm essem, accersitus sum consulendus à Magno atque Augustiss. Imp. Emmanuele,
πήγανον. ruta. utrumne Latini aliquas sanctorum haberent auctoritates, quæ spiritum sanctum ex filio esse asseverarent. Vt veni coram, multivadis hinc inde nodis quæstio-
Multivadam. num dissolutis postremò Imperatori magno illi dum reddo responsum, Imperatoriæ celsitudini conveniens: auctoritate firmum, reverendum gravitate, optimis propinquum rationibus, Basilium, Athanasium, & Cyrillum, magnam singulùm eorum fidei lucernam, processionem ex filio asserentes, in medium produxi. Et quoniam intuitus sum tunc Imperij serenitatem intendere ad divinæ disputationis religionem, involucrum verborum rimari subtiliter, gravissimósque disceptationum Labyrinthos solvendo sufficere, volun-
E tatis multum irrepsit de altissimo hoc negotio pertractare diligentius. Hoc quoque accessit Hugbaldi Hostiæ, ac Bernardi Portus magnorum pontificum, Ioannes quoque Sanctorum Ioannis & Pauli reverendi Cardinalis, iterata eadem prorepetitio multotiens. Nihilominus autem me de his ad scribendum illexit plurima, quæ inter Græcos Latinósque contrarietas exæstuat: Græcus sanè quod ex Patre solo Spiritus procedat, vehemens apparet assertor: Latinus autem æqualiter ex Patre & Filio progressum eiusdem Spiritus profitetur. Igitur quanquam non sim sufficiens, omnino decorem veritatis tanti negotij enodare (neque enim omne quod succenditur, in flammam prorumpit) tamen imprimis opitulante Deo, Latinæ assertionis expromam consilium. Demum Græcorum intensiones, cum insimulatione adversus Latinos iuxta vi- F
res meas, rationibus, exemplis, auctoritatibus depellere, ac diluere tentabo.

Sed enim ex consequentibus negotium, ex communibus si quæ reperiri queant conceptionibus, & ex scriptura quæ à Deo inspirata est, eidem causæ fides præstabitur. Ad ultimum verò sanctorum Ecclesiæ pastorum testimonia, Constantinopoli multo tempore quæsita, mihi assensum & favorem Latinorum dogmati maximè præstantia, & tenorem fidei eorumdem confirmantia, ut demonstrativos adiciam syllogismos. Namque horum inductione, vt arbitror faciliùs & expeditius, cui veritas paci faveat, considerari poterit.

# DE HÆRESIBVS QVAS GRÆCI IN LATINOS DEVOLVVNT, SIVE, Quod Spiritus Sanctus ex utroque, Patre scilicet & Filio procedat, contra Græcos HVGONIS ETERIANI, G

## LIBER PRIMVS.

*Quamvis Hugo Orthodoxus & eruditus extiterit, at circumspecte, & cum iudicio legendi eius tres isti libri sequentes, in quibusdam enim à propria, & exacta loquendi norma Theologorum declinare videtur præsertim in eo quod Patrem, Filiu, & Spiritus Sanctus causam sæpissime appelat.*

BEATAM & immortalem Trinitatem, H
quæ per Iesum Christum Apostolis perspicuè, ut possibile erat, innotuit, gentium Philosophi sub ænigmatibus valde caliginosis abscondendo publicabant. Nam Plato Philosophus Dionysio talia de Trinitate †
scripsit: Φραστέον δή σοι δι' αἰνιγμῶν, ἵν' ἄν τι ἡ δέλτος ἢ πόντου, ἢ γῆς ἐν πτυχαῖς πάθῃ, ὁ ἀναγνοὺς μὴ γνῷ. ὧδε γὰρ ἔχει περὶ τὸν πάντων βασιλέα πάντ' ἐστὶ καὶ ἐκείνου ἕνεκα πάντα, καὶ ἐκεῖνο αἴτιον ἁπάντων τῶν καλῶν, δεύτερον δὲ περὶ τὰ δεύτερα, καὶ τρίτον περὶ τὰ τρίτα: Quod Latinæ sic sonat redditum orationi. Dicendum tibi per ænigmata, ubi ne liber seu ponti, seu terræ in tabulis patiatur, qui legit non intelligat. Hoc enim modo habet: Circa omnium regem: omnia est omniáque pro-

pter illum, & ipse utique causa omnium bonorum: secundum circa secunda: & tertium, circa tertia. Plotinus quoque similia edidit. Tria sunt (inquit) tempus excedentia & æterna: Bonum, Mens, & Anima universitatis. Hoc est apud nos: Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, quem Philosophi animam mundi nuncupaverunt. Verum Timeus Locrensis Trinitatem ignorasse videtur, Deum solitarium quasi confitendo: Vanm (inquit) principium omnium est ingenitum: Nam si genitum esset, abique initio non foret principium, sed illud ex quo prodiret. Filij verò & Spiritus nihil hic meminit. Hoc quidem principium non solum excelsus Deus, invisibilis, & incorporeus, verum à Christianis Pater censetur, solus sine causa existens, & absque initio. Ex hoc autem proximè atque immediatè, Filius iuxta fœcundam genitoris virtutem generatur: quo medio existente ex eodem Patre Spiritus prodit, vt ex sua causa inexhausta, & infinibili. Ergo ex causa est Filius, & ex causa est Spiritus Sanctus. Qua de re ad dicendorum declarationem, subobscura, nebulosique voluminis amans ex causis provenientium, differentia, sub compendio hic distinguenda est. Nam hæc quidem manant & profluunt, vt ex sole radius & lux: & odor ex musco & balsamo: hinc verò profluunt omnino & non manent, vt scintilla ex lapide cudendo: ac ex nubibus coruscatio. Alia verò commanent & non separantur ab eo in quo sunt, vt auditus, odoratus, gustus, tactus: visus etiam (ut Aristoteli placuit) quorum nullum cum suo principio numerum admittit, nec aliqua per se insignitur personali differentia, à sua causa existens indiscretum. Igitur quod profluendo nequaquam suæ causæ commanet, incopulabile illi est, ut scintillæ ac coruscationis exēplum demonstrat. Omnimodæ quidem progressiones, prorsus secernunt à causis causativa, & longius faciunt ea ab ipsis, profluentia verò simul & commanentia, suas causas contingunt semper & arctius eis adhærent: quia de proximo suum conspicantur principium. Et hic quidem profluentium modus est, qui minus alienus videtur esse à Filio sanctóque Spiritu, Patre ob fœcundam quam habet virtutem, quia multiplicante seipsum ex sua substantia, Filij quidem personam per generationem, Spiritus verò personam per processionem, indemutabiliter & inalterabiliter producente. Nam neque Pater demutatur in illas neque minoratur: & meritò, cùm neque filius, neque Spiritus Sanctus ex ipso per aliquam derivetur decisionem: qui omnium visibilium atque invisibilium æqualiter, & indivisè una causa, sicut unus Deus, existunt. Vnum sunt tres hæ personæ, non participatio unitatis, nam cùm ante omnia sæcula unum sint, non fiunt unum: quia existens non fit quod iam existit. Si divinum factum fuisset, aut cum tempore, aut per temporis initium incepisset fieri, & aliquid præ se habuisset: si neque incepit, neque præ se aliquid habuit, manifestum quod semper fuit, eritque semper. Vnde non est aliquid Deo prius: qui vere unum est, ut dicitur, non unitum, non finitum, nec ab uno diversum. Infinitus autem cùm sit & æternus & simplex nihil potest ei accedere, nec aliquid deperire quod eius essentiæ sit, neque quod non est fieri.

aquam.

Atque Pater quidem filij absque medio genitor est, æqualis genitori potentis, ac æqualem habentis virtutem. Similiter enim Spiritum ex se ut Pater emittit, prout Latini asserunt. Namque aiunt quod licet Pater, Filius, & Spiritussanctus unum sint, una unitas, una substantia, unum principium: Pater tamen paterna auctoritate: id est, secundum quod esse præstat & gignit, Filij causa seu principium dicitur, sancti verò Spiritus, secundum quod esse præstat, & ipsum emittit, causa vel principium nominatur. *In* quo, à Filio minimè Patrem arbitrantur differre: Atque ita secundum illos ex Patre Filius, ex Patre autem & Filio provenit Spiritus sanctus. Inquiunt enim, Si ab uno solo duorum processionem Spiritus haberet, duorum non esset æqualiter commune & indifferenter, sed præcipuè illius, ex quo proveniret: at verò Spiritus est alterutrius æqualiter, & indifferenter: non enim minus Filij & magis Patris est, quare non ab uno solo duorum processionem habet Spiritus. Item inquiunt: Omne quod provenit ex aliquo, per quotcunque progreditur, tot copulatur, tótque accipit communitates, vt in Logicis apparet. Nam generalissimum genus sine principio esse dicitur, sine causa, & omnium quæ sub eo sunt causa, licet non solum existit atque principium. Quippe subalternæ causæ specierum etiam existunt, cùm proximi tamen sola substantia causa sit principiúmque, animati verò corporis non solum generalissimum, sed & subalternum, principium, causáque existit. Quam conditionem quæcunque similis existunt ordinis, non refugiunt. Similiter autem & in naturalibus materia sine principio, & sine causa esse intelligitur. Forma quoque cùm alterutra causa sit, & principium rerum materiatarum.

At verò per Filium Spiritus sanctus de Patre procedit, ergo Spiritus Sanctus Filio copulatur, aliquid ab ipso accipiens, dum per illum progreditur, atque provenit. Hoc idem profectò quæ inter vtrumque similitudo est compellit fateri. Similis est enim Filio Spiritus, sicut quidem ex causa est suo immediato principio: cui vt immediatè communicat, sic ab ipso absque medio provenit, & per ipsum Patri coniungitur. Quicquid sanè in progressu medium sortitur aliquid ad copulam & communitatem suæ, ut ita dicam, primitivæ causæ; per medium referri desiderat. Ideo per filium communitatem Spiritus ad Patrem referri nullus debet ambigere. Qua de re manifestum, quòd nullo modo Verbum Dei Patris externum sit ab huiuscemodi consortio. Manet quidem Spiritus in Patre, manet & in filio, progreditur ex Patre, progreditur & ex filio. Quod enim rursus progreditur ab illo qui manet, inseparabile non omnino existit, semel nactum divisionem, sed ab ipso est omnino discretum. Atqui expressam personaliter communitatem cum filio Spiritus habet, penésque illum ex ipso profluens commanet. Nimirum si solum maneat non progrediens, suo personaliter à principio nequaquam distet, nec alia intelligatur persona: igitur manet simul & progreditur Spiritus ex filio quemadmodum utique omnimoda discretio identitatem interimit, & communitatem: ita omnimoda commansio atque unio tollit personarum discretionem. Ex quo liquido apparere videtur, quod manens in filio Spiritus, ut proprius eius existens, ex ipso sicut ex Patre progrediatur & procedat.

† *Ad Dionysium Epist. 2. sic ego legerem*: Proferendum itaque tibi per ænigmata quædam nunc sunt ne (si per mare vel terram missas has tabellas intercipi contingeret) lector id intelligat, huiusmodi autem est: Circa Regem omnium omnia est, ac propter ipsum omnia: & ipse causa bonorum universorum: circum secunda, secundum: & tertium, circa tertia.

## CAPVT II.

SEd hoc Græcorum Theologi omnibus modis interimere grassantur contradictione; quæ dicit: Spiritum ex solo Patre procedere. Atque in hac universi opinione consentiunt, cùm in veritate negatio procedendi Spiritum ex filio, sanctorum nulli Patrum perspicax extiterit. Quis igitur cognoscendi modus sit, quod non procedat ex filio? Quomodo autem Theodoritus negationis huius inventor & præco, promulgando quæ nusquam scripta sunt, idoneus appareat? Quomodo astruere quis hoc audeat, cùm nullus sanctorum Patrum hoc asseruerit? cùm nulli revelatum fuerit? Veruntamen illi quos novella ætas produxit, ut iustissimi rigoris servantissimum, publicant in libris, quod non procedat Spiritus ex filio. Afferunt & ad huiusce positionis demonstrationem quàm plures Elenchos, sed apparentes.

CAPVT

A

## CAPVT III.

NAm Nicomediæ Præsul, in hunc modum syllogismũ nectit, & cõplicat: Si ex Patre & Filio procedit Spiritus S. quod autem ab aliquibus provenit, illa habet principia ex quibus provenit: duo itaque habet principia Spiritus S. Nicolaus autem Episcop. Methonæ, in eandem propè intelligentiam elenchum format huiusmodi: Si Spiritus ex Patre ac Filio procedit: erit vtique vnum ex duobus, & duo principia vnius: Vnus est enim Spiritus S. vt Pater vnus, & filius vnus. Pater autem & filius nõ vnus, sed duo, licet natura vnum sint: alius enim & alius, quamvis non aliud & aliud: at omnium rerum rationes in Deo sunt, primam & ab ipso in res vniversas distribuuntur. Quare omnis erit quæ in rebus percipitur vnitas ex dualitate, & dualitas principium vnitatis, quod est inconveniens, & communi contrarium conceptioni: secundum quam vnum omni & vnitas dualitati ac omni præponitur numero, quia vnitas principium dualitatis est, & omnis numeri: & alij quam plurimi tanquam ex veris & subito familiaribus ide[m] colligunt, minime probabiliter.

B

## CAPVT IV.

NOn est enim ex veris falsum syllogizare. Omne quippe quod ex veris demonstratur verum est: hoc autem antecedens quidem verum, sed assumptum atque illatum falsitatis plenum est. Conclusio enim ex syllogistica non provenit necessitate, cum non consequuntur propositiones quod ostenditur per eas. Nam quod in assumptione positum est. Eo autem, quod aliquibus provenit & concurrentium & infinitum est: potest quippe referri ad decem prædicamenta, ut sit quod dicitur. Quod ab aliquibus substantiis, aut qualibus, seu quantis, similiter autem & de singulis aliorum: potest autem rursus subintelligi, quod ab aliquibus principiis seu causis provenit, ipsa habet causas seu principia ex quibus provenit. At verò infinitum in huiusmodi Aristoteles in analyticis ad finitum reducit, & indo sic: Ex quibus quidem demonstratio, conveniens est eadem esse. Quorum autem genus diversum, quemadmodum Arithmeticæ, Geometriæ non est Arithmetica demonstratio coaptare in his quæ magnitudinibus accidunt, nisi magnitudines numeri sint. Nam eiusdem generis necesse extrema & media esse: ideo ex Geometrica non est ostendere quo[d] contrariorũ una disciplina. Quare manifestum, inquit, quoniam non est demo[n]strare vnumquodque simpliciter, sed ex vniuscuiusque principiis. Dico autem principia in vnoquoque genere, quæ quoniam sunt non convenit demonstrare Alexander vero super idem capitulum, dicit: non communiter amplius sumit, sed ait: si de numeris dicit numeros. Inquit enim, Si de æqualibus numeris æquales auferuntur. Generis enim adiectione, quod commune est, propriũ facit. Quod si de magnitudinibus magnitudines, & in aliis similiter. Maxima enim propositio est quæ dicit: In demonstrationibus, ex eodem genere necesse est omnes terminos esse. Non enim ex alio genere ad aliud est transire, quæ demonstrantur. Quoniam igitur de divinis est sermo personis maxima quæ inducitur: dicens autem: Quod ab aliquibus provenit illa habet principia ex quibus provenit tantum nullum aliud nisi habet constituit: quod ab aliquibus personis provenit divinis, illa habet principia ex quibus provenit: quod manifeste falsum est. Nõ enim simpliciter aliqua duo sunt Pater & Filius, ex quibus Spiritus S. provenit. Nam neq; duæ res propriè sunt, sed vna, neq; duæ substantiæ, sed vna: neque duo principia, sed vnum: neque duo dij, vel Domini, seu sancti, sed vnus Deus, vnus Dominus, vnus Sanctus. Vnde patet quod secundum quid duo dicuntur, Pater & Filius: velut duæ personæ, duæ Hypostases: igitur cùm hæ duæ personæ nõ sint duo principia, neque duo simpliciter, manifestum quòd quod ab istis provenit, ex duobus minimè producere principiis. Posito & concesso Spiritum S. ex vtroque procedere. Atque ideo impossibile est colligi duo principia esse Patrem cum Filio. Hoc item argumentum exemplorum inductio vtiq; arguat falsitatis, si hoc in negotio ad dissipandam involucrorum caliginem, ad enucleandã veritatem, ad internecionem Paralogismorum, ad legentium remedium, refocillationemque (tanquam multi coloribus pictores varietatibus ad decorandas, venustandasque picturas) similibus vti liceat. Et enim ea necesse ut sine quadam similitudinibus vtendum esse videtur, tum vt velamina nostra pacti varietate fœcundantur, fructu quæ publicæ honestatis appareat: tum ne termino vbertatis florentis campi amantissimus, imprudens aspiciendi mens pigrescat. Ecce eadem substantia, semen, fructus, & etea à et potestatemen, respectu ferendæ telluri fructus, respectu præteritæ messis. Ita verò vt in corporis permutanda sunt. Sed non arbitror rectè colligi posse: Si ex semine ac fructu provenit, quod ex duobus ideo principiis progrediatur. Quippe non sunt duo semen & fructus, nisi ratione. Quemadmodum ascensio & descensio: via scil. Thebis Athenas, & Athenis Thebas. Vnum est enim in his viæ spatium: deorsum sursum, & sursum deorsum, at verò diversa ratio: siquidem hinc incipienti ascensio, hinc verò descensio est: sic quidem Pater & Filius vnum ambo principium existunt Spiritus S. Neque ideo colligitur Patrem [illegible] Filium, vel Filium Patrem, seu ambos duo principia. Quia neque quis [illegible] vnum spatium est longitudinis ab Athenis Thebas, & a Thebis Athenas, duo aliter sit descensio est, vel e converso: vel vnum quod ascensio scilicet descensio, viæ vias, vel duo itinera sed vna via, vtrique vnum. Sed fortassis vt dicatur etc. [illegible] præstat indu[illegible] a multibus præsidium. Namque Theologus Gregorius in serm. de Spiritu, hoc prohibere videtur: ait enim. Non est aliud quod quæ deorsum sunt, naturam divinam comparare. Nam & si parva similitudo inveniatur, fugit quod amplius est: me deorsum emittens, cum paradigmate, venam aliquam & fontem & fluvium intellexi. Nam & alij ne hanc forte Pater, illi autem Filius, alij verò Spiritus similiter habet. Hæc enim neque tempore distant, neque ab invicem dividuntur continuitate, & videntur quodammodo tribus proprietatibus secari. Sed formidavi primum quidem fluxum aliquem Deitatis accipere stationem non habentem. Secundo autem ne vnum numero per similitudinem hanc introducerem. Vena enim, fons, & fluvius vnum numero differenter transfigurati Rursus solem considerare, radium, & lucem; sed & hic formido primum quidem, ne compositio aliqua subintelligatur illius, quæ compositionem non habet naturæ, velut solis & eorum quæ in sole. Secundum autem ne Patrem quidem substantiam, alia verò [illegible] Deo faciamus inhærentes, non subsistentes. Neque enim radius, neque splendor, alius Sol est sed solis quædam emanationes & substantiales qualitates, & simul esse & non esse Deo tribuamus quantum ex similitudine. In Trinitate igitur si similitudo servetur, solus nuncupabitur Pater substantia, Filius autem & Spiritus qualitates, vel Patris proprietates. Et hæc quidem sic. At ille qui dualitatem Patrem dicit & Filium, eo quod ex ambobus provenit Spiritus, & principium emissionis abnegat à Filio, solum Patrem principium Spiritus dici arbitratur. Vnde si Filius emittat Spiritum cum non sit principium emittendi, est inconveniens. Magis autem si in altero alterius principium intelligatur, & non in vnoquoque propria cuiusque emissio. Quòd si pariter in Patre & Filio huiusmodi principium attendatur, rursus sequi dicit inconveniens, dualitatem, scilicet, antecedere vnitatem, & eius esse principium.

## CAPVT V.

VIdetur quidem iste vir non attendere quod in Trinitate magnopere considerandum est, hoc, scilicet, quod vnitas naturæ tantum attribuitur, dualitas verò personis duabus quibusl bet. Quare non est verum si Spiritus procedit ex Filio, & Patre, quod vnitas procedat ex dualitate. Natura enim quæ vnitas intelligitur, nullo asseritur modo ex aliquo procedere: sed neque Spiritus accepus personaliter censetur vnitas aliquando, nisi abusive fortassis accipiatur. Itẽ cum dicitur vnitatis terum in Deo esse, Deus nomen, ibi non personas Patris, vel Filij, sed substantiam & naturam, & vt simpliciter dicatur, Trinitatem significat. Dualitas verò nomen personas requirit tantum. Sed enim principium hoc nomen, cùm dicitur Pater & Filius sunt vnum principium. Spiritus sancti nõ

Non duo huius principia, sed vnum.

Spiritus persona non est vnitate.

E

F

G

H

A vnicam proprietatem significat, sed communem Patri & Filio, vt simplicem, non vt geminas: quod ex his quæ circa personas Patris ac Filij considerantur, verum esse apparet. Nam cùm Pater sit, & dicatur ingenitum principiũ, filius verò genitum: ingenita quoque causa Pater, vt genita filius: Nullatenus tamen duæ causæ, vel duo principia reputãtur ab aliquibus, sed vnum. Si ergo ingenitum & genitum vnum verè principium existunt, non sunt ipsi Spiritus differẽtia principia. Igitur ex his quæ dicta sunt manifestum esse potest, quod neque pater ex eo quod Pater, vnum proprie dicitur vel vnitas, neque filius, neque Spiritus S. sed vnus, vnus, vnus, non tria, neque duo. Quare neque filius & Pater dualitas propriè dicitur: si quidẽ non sunt duo, vt ostensum est. Non enim si secundum quid Pater & Filius duo dicuntur, ideo simpliciter duo sunt. Sed neque ex dualitate vnitas est, verùm dualitas ad personas vtcumque referri possit, vnitas verò sicut mon-
B strantum est ad naturam pertineat.

*Principalitatem, proprie esse commune Patri & Filio.*

## CAPVT VI.

VEreendum est ne divino disputantes, igni comparemur, nivique, quorum alterum (vt Philosophus perhibet) vrit nesciens quare: alterum verò infrigidat, causam non animadvertens. Non est dubium perfectam solum Deum habere scientiam, eique competere soli quod dictum est. Non oportere imperari sapientem, sed imperare, vt prima sciente ac novissima: cuius scientia non modo omnium cognitiva, sed bonorum effectiva est vniuersorum: hominum autem quorundam superficie tenus cognitiva, perfectiva vero nullorum: Quia contemplationis, non actionis, est: quæ antequam rei summam contingat, tabescit: antequam explicet, deficit: & ante abortum patitur quam pariat. Conducibilissima tamen Dei agnitio, pabula doctrinæ, atque studij affatim hominibus largitur, dum non acceptando personas, faciat
C distributionem pro dignitate suscipientium. Extenditur profectò Dei bonitas & virtus ad omne quod ipsam suscipere potest: extenditur inquam per filium, quem solus Pater generat. Ideóq; solius Patris est, & dicitur: per Spiritum quoque qui non solius Patris est, nec à Patre solo emittitur: quod ostendere nititur omnino. Nulla enim res incorporea, quæ ab aliquo non habente principium per medium venit, expers est medij, vel mediorum habitudinis, si plura medio vno sint. Nam omne quod sic progreditur, medijs ex singulis aliquid contrahit: & cum non habẽte initium, existit principium ex se prodeuntis: quod ex Logicis Methodis manifestum est. At verò in S. Trinitate, inter Patrem & Spiritum, medius existit filius. Quare idem filius cum Patre principium Spiritus S. existit. Semper enim eundem ordinem habent tres divinæ personæ, cum nullam habitudinem habent ad alia omnia, & impermixtæ sint. Cùm igitur omnis divisio à beata Trinitate absit, in qua nulla decessio, nulla inæqualitas, nulla imparitas, necesse quod per vnicum medium, filium scil. Patri Spiritus copuletur. Aliter enim non sic secundum personalem progressum, trium personarum continuitas. Vbi autem abest continuitas, divisio intercedit: quæ si de-
D tur in Trinitate, Spiritus scil. quod persona est, à filio prorsus separetur. Si enim Spiritus soli vniatur Patri, alienus à filio existat, nec aliquo modo ad eius pertineat proprietatem: veluti ad ædem non attinet qui habitat in ea. Sed necessarium est continuitatis catenam ad Spiritũ vsq; progredi. Nam si Spiritus filij est, & filius ipsum non emittat, inefficax secundum hoc filius, & Patri dissimiliter eundem Spiritum emittenti videatur. Quinetiam & Spiritus imbecillis, si cum sit filij & in filio, ex ipso progredi non valeat. Provenit ergo spiritus ex filio, neq; secundum processionem ab ipso, magis quam à Patre secedit, qui per vtrumq; existit. Nam ambo sunt existendi causa ei ab quo defectu perseverãti, & sine diminutione. Sufficit Patri & Filio Spiritus Patris, qui est filij proprius & omnia implet: nam si Phœbe lux soli & eius radio sufficit, multo amplius Patri filióq; Spiritus. Propterea non quærit permutationem iste Spiritus, cum optime se habet: neq; trãsvehi, cum omnia penes se inveniat: neq; augmentum flagitat, cum sit perfectio suprema, & omnia in ipso perfe-

E cta. Nihil quippe habet adiectum, sed æternaliter possidet omnia, vt Spiritus Patris & Filij emanans pariter ab vtroque. Quæ autem ab ipso effluunt, operationes vel gratiæ ipsius nuncupantur: quorum calore viuificamur, & maturescimus peracerbi. Viuificati verò & maturati, dulcescimus, Vivificat Deus Pater vt Apostolus dicit. *Denuntio tibi in conspectu Dei viuificantis omnia.* Vitam dat & filius. *Oves enim, inquit, mea vocem meam audiunt, & ego vitam æternam do eis.* Viuificat autem & Spiritus, sicut scriptum est: *Spiritus viuificat, caro auti nihil prodest.* Quẽ filij esse dictus Apost. testatur. *Et pax Christi quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra.* Pacem Christi supra omnem sensum non aliud esse putandum est nisi Spiritum ipsius: quem qui obtinuerit, vniverso bono omniq; copia oblectamentorum replebitur. Itaque habet Filius Spiritũ Patris, sicut & omnia quæ genitoris propria sunt,
F manẽs filius. At verò proprium est illius qui genuit, Spiritum emittere. Quare verbum Dei, qui natura filius est non positione, similiter generantis Spiritũ emittit. Sin autem ita non est, nequaquam prorsus propriũ habet illius qui genuit. Verum non arbitretur quispiam in hoc comprehendi generare filij esse proprium, eo quod filiũ dixerim Patris omnino proprium habere, quia individuũ omne, licet speciei proprium suscipiat, non tamen aliquando erit species. Qui autem hoc dicunt, non honorant filium sicut honorant Patrem, condicentes filium Patrem esse, si omnia quæ habet Pater & Filius habet. Patet enim quod Spiritum filius in se, sicut & Pater habet: quia non prius ipsum Pater genuit, & tunc Spiritũ ei dedit, quamquã dator quilibet alius, existẽti dudum alicui tribuat: Sed sicut dedit vitam, genuisse ipsum viuentẽ est: sic dedit ei Spiritum, est genuisse ipsum Spiritum habentem. Quod si ita non est, prius genitus est filius, & tempore post Spiritum accepit. Igitur sicut dicitur vita & viuens, iudex, & veri-
G tas: sic Spiritus dator & emissor. Si enim voluntatem Patris quoniam filij esse cõstat, à se ipsa filius quia abnegat cùm dicit: Non quæro voluntatem meam, sed voluntatẽ illius qui misit me: de Spiritu verò nihil tale inveniatur pronuntiare: Nusquam enim scriptum reperitur quod ipse dixerit: Spiritus Patris non est meus, neq; ex me procedit: Manifestum planè quod pariter eius vt patris Spiritus sit. Non esse dubium ergo debet quin Spiritus sit filij, & ex ipso: neq; ideo colligi duo eius esse principia vel duas causas: quod non rectè Nicomediæ Metropolita syllogizat: Inquit enim: Si Pater causa est spiritui emissionis, causa autem est & filius, eo quod ab ipso procedat quemadmodum & à Patre, duæ rursus causæ sunt, sicut & duo principia. Huius paralogismi falsam esse conclusionem, & hinc forsitan manifestum erit. Omni ex elementis cõditæ rei, aliqua causa est: Pater vt sit, cuius eiusdem filius, eo quòd per ipsum facta sint omnia, negari causa non potest. Igitur duæ causæ atque duo principia omnis huiusmodi conditionis existunt: Quod vt non proveniat, superius monstratum est, vbi enuntiabatur Patrem filiúmque secundum quid duo dici, & non simpliciter propterea
H vnus operator Pater & filius existit. Audimus enim Salvatorem per Ioannẽ dicentem: *Pater meus usque modo operatur, & ego operor:* non duo operatores sed vnus, vt vnus Deus & vnus creator. Omnia per filiũ facta sunt, absque Patre: abest. Scriptũ est enim, quoniã *in principio fecit Deus cœlum & terram.* Et rursum: *Quoniã ipse dixit & facta sunt, mandavit & creata sunt: præceptum posuit & non præteribit:* quod maximum est potestatis. Quemadmodum enim cuilibet dicere promptum, & præcipere facile est, sic Deo facere quæ non erant, & facta conservare: magis autem & multo amplius expeditum erat. Huius operatoris est mare, & ipse fecit illud. De filio quoque idem scribitur: *In initio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli.* Non dixit per te facti sunt cœli, & fundata est terra; sed tu fecisti terram, & opus tuum est cœlum. Ecce manifestum est quod Pater condit & filius, non duo conditores, non duo principia, non duæ causæ, sed vna causa consistunt. Cum igitur creaturarum non sint duo principia Pater & filius, neque duæ causæ, multo minus sancti Spiritus ratione ab eis

differentis,

A differentis, & æqualiter vtriusq; existentis, duæ causæ seu principia duo censebuntur. Attendendum vero est, quòd causa & principium genitum, & procedens, & similia, nó sint naturæ seu substantiæ, sed personarum piæ ac diligẽtes explorationes, & sacerrima quæ sun nomina. Quod ex animalium prima conditione patet melius: etenim prima animantium facta sunt & creata, mandato, non generatione. Ea nó ex similibus prodiere, cum nulla prius existerent. Ideoque ingenita quidem illa, tamen sicut quæ ab eis decisa sunt, genita totum merita nuncupari possunt. Qua de causa ingenitum genitúmq, naturæ non sunt animalis germina, cum omnibus similiter non adsint, vt substantialia nascentibus animalibus: & cùm nunquam circa idem animal vtrumque repertum sunt, genitum scilicet, & ingenitum. Igitur cũ omnis similis & dissimiliter creaturæ vna causa & vnum principium, Pater, Filius, & Spiritus S. existant, multo magis iuxta suum ordinem proprium, Pater & filius vt sine medio existentes, proprij & vnici eorundem Spiritus vna causa sive vnum principiũ, absq; dubitatione consistunt. Porro solus Pater filij causa est: qui si à Patre in emittendo Spiritum absistat, in habẽdo eundem Spiritum non sit ei compar per indifferentem habitudinẽ. At verò æqualiter atq; indifferenter ab vtroque Spiritus habetur, igitur æqualiter atque indifferenter ab vtroque idem Spiritus emittitur. Alioquin non tam similiter sit Pater secundum imaginem, quantum aliter habens si alienus ab eo est, scil. Spiritus emissionem, quod est inconveniens. Similia enim per similitudinem copulantur, non per dissimilitudinem. Nam vt dissimilitudo tã segregat omnia & distare facit, ita similitudo tam substãtialis quam non substantialis coniungit, copulat. Qua de re Spiritus filio coniungitur: quia simile ei est, vt imago eius: quæ imago communitatem, copulam, & similitudinẽ indicat. Cæterum ex consonantia quam habet ad filium Spiritus, & ex similitudine, sortitus est hoc idem nomen quod Paracletus nuncupatur. *Rogabo*, inquit, *Patrem & alium Paracletum dabit vobis*. Nã Pater non dicitur Paracletus sed Spiritus & filius: quibus saltem hoc nomen æquivoce commune esse videtur. Quam communitatẽ non ignorans Theologus Ioannes in prima Epistola scripsit: *Si quis peccaverit, Paracletum habemus apud Patrem eũ Christum*. Sed enim eodem modo Spiritum habemus Paracletum, pro nobis Patrem interpellantem, sicut facit filius, licet hæc humano more ac dispensationis dicta videntur. Nihil enim appositum habent, vel adiectum, cùm in eo quod Deus sunt, rationes omnium rerũ æternaliter habeant. Ergo similis est filio spiritus, & Patri filius: at nó sicut quibusdam Hæreticis visum est. Quidam enim perversi dogmatis arbitrabantur similes esse Patrem & filiũ, secundum speciem, dissimiles verò secundum substantiá, propterea compositum ex oppositis, simili, scilicet, & dissimili, filium Dei constituerunt. Quibus non solum iniquitatis cohabitat clades, verum detestabilia inconveniẽtia eos consequuntur. Nam si ex simili atque dissimili componeretur, non esset simplex, neque totus lumen, totus veritas, & totus natura Deus: & aliquid intelligeretur ipso prius & antiquius. Quippè simplicium conventus composita perficiunt, quæ ipsis constitutis priora sunt, antiquioráque natura: filius verò ex substantia Patris est, ex simplici simplex, ex simili similiter, & ex æquali æqualiter, verum in Patre filius est, & nihil in Patre ipso prius, neque absque ipso. Quare ipsa spiritus emissio non absque filio est.

CAPVT VII.

SEd Niceta Byzantius Philosophus per inconvenientium inductionem probare decertat, quod non procedat Spiritus ex filio, & aliquid esse in Patre & ex Patre sine filio. Ratum enim tenet Spiritũ ex Patre procedere, nullo modo verbo communicante. Si vt quidam (inquit) fatentur, Spiritus ex Patre & filio procedit, cùm manifestum verissime sit nobis ex Theologicis informationibus, quoniam Spiritus ex Patre procedens, per filium datur, & in filio quiescit, simul autem & Patri copulatur: procedit autem secundum illos & ex filio, necesse vtique est dari filium filij, in manifestatione ac distributione Spiritus ex ipso Sin autem ita est, erit filij filius, & ideo nepos pronũtiabitur. Et rursus secundũ illorũ nugas de nepote erit, apparens pronepos, & ille rursus alterius egebit: & sic in E infinitum. Non igitur secundum illorum vanitatem spiritus procedit ex filio, sicut ex Patre. Ex quo liquido appa ret quod ex parte, ac solo, spiritus est sicut per vniversũ Ecclesia orbem, longe vsque in hodiernum rectè docet. Sed & hoc quia non rectè dicitur, de facili videri potest.

CAPVT VIII.

PRimum quidem, quia insyllogizatum est: etenim propositio quæ dicit: Quod emittit Spiritum, filium habet. Maior, vniversaliter deberet esse, ea particularis accipitur. Nam illatæ conclusionis causa propositio, quæ rectè debet syllogismum talem perficere, hæc est: Omne quod emittit spiritum, filium habet: quæ indemonstrabilis est, & impossibiliter: quia neque maxima est, neque fidem ab aliqua maxima suscipere. Emissio spiritus non F facit Patrem esse neque filium: quoniam non est nascibilitas spiritus progressio ex Patre, qua sola filius à Patre differt. Nam in emissione Spiritus atque omnibus aliis videtur Pater filio communicare, simulq; cum eo de sua substantia spiritum emittere. Substantia verò ipsa neq; emittit, neq, generat neq; generatur. Quæ enim secundum naturam substãtiæ adsunt divinæ, omnem personam consequuntur. Itaque si substantia generativa esset, & filius & spiritus vtique generarent; quorum nihil veritati propinquat: Ex quo manifestum quod Pater nó in eo quod substantia, sed in eo quod Pater, & secundum huius habitudinem ex sua substantia filium generat. Si non ex substãtia sua generaret, secundum naturam minime Pater nuncuparetur, ac tum in generando ex substantia nullã facit distantiam. Non enim corpus & substantia illa, sed ceu lux non assumit extrinsecus splendorem, ex sua substãtia ipsum effundens: ita neq; Pater habet filium extrinsecus, sed ex sua ipsum substantia gignit, indivisus perseverans: atq; propterea vere Pater est, ex quo paternitas omnis nominatur. Ergo non sine substantia credendæ sunt personæ, G nec cogitandæ, quomodo vnico caractere absq; substantia qualibet personarũ intelligatur, cùm per insignitivas proprietates singularis personarum caracter circa vnam substantiam & eandem attendatur, hic minimè apta nata facere substãtia est, atqui emissio Spiritus nó est insignitiva proprietas, nec vnicus character. Quod vnum esse manifestum ex hoc est, quod spiritum emittere nó est vnica personæ Patris figura, cùm nó in eo quod Pater spiritum emittat, sed in eo, quod causa sive principiũ. Quod videri potest iuxta hunc modum: Si spiritus non vt genitum ex Patre progreditur, Pater non emittit Spiritum vt genitor: nam si in eo qui genitor Spiritum Pater emitteret, Spiritus ex Patre vt genitum prodiret, at verò non est Spiritus ex Patre vt genitum: non enim duos filios, sed vnum solum Pater habere creditur: Manifestum ergo quod non vt genitor spiritum Pater emittit. Amplius, Pater cum spiritus emissor sit, aut in eo quo differt à filio ipsum emittit, aut secundum id quo non differt: At in eo quo differt non emittit: nam in eo quod Pater nõn emittit spiritum, in quo solo à filio differt. Ecce similiter H Ioannis Evangelium, Chrysostomus etiam confirmare videtur quod dictum est, vbi salvator dicit, *Pater meus non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit filio, ut omnes honorificent filium, sicut honorificant Patrem*: ergo, inquit, Patrem ipsum dicemus? absit, propterea enim dixit filium, vt manentem filium honoremus sicut Patrem, sed qui Patrem illum dicit, nequaquam filium vt Patrem honoravit, sed totum confudit: & post pauca. Quæcunque est Pater, hoc est filius genitus & manens in esse filij: secundum huius Sancti viri intelligentiam dico: Pater est emittens spiritum, ergo & filius: quod quicunque a filio removet, non enim sicut Patrem honorat. Ex quo aperte datur intelligi, quod non in eo quo differt Pater à filio emittit Pater spiritum, sed in eo quo communicat. Verum considerandum in hoc loco est, quòd licet Pater à filio differat, & a spiritu & è converso, paucas tamen admodum inter se habent differentias, eo quod superlatio communitatis secundum naturam plurima exi-

A ſtit. Propterea vt æſtimo non poteſt colligi Patrem & Filium & Spiritum ſanctum tres Deos eſſe, quia quæ circa naturam conſiderantur, quam plurima intelliguntur, pauciſſima verò quæ circa proprietates, atq; in rebus creatis, maximè in animalibus, contrarium videre eſt. Nam animalia motu, appetitu, actibus, voluntatibus, tempore, loco & aliis pluribus differunt. Ex quo huiuſmodi argumẽtatio non reprobatur. Socrates eſt homo, Petrus eſt homo. Et Ioannes; ſed neque Ioannes eſt Petrus; neque Petrus eſt Socrates, tres igitur homines ſunt. In divinis autem perſonis tres proprietates immobiles ſunt paternitas, filiatio, proceſſio ſecũdum quas ſolas tres perſonæ, Pater ſcil. & Filius, & Spiritus S. inſigniuntur. Quæ non modo in his, modo in aliis, nec in pluribus, aliquando in pauciori. bus, ſed in eiſdem ſemper perſonis inſpiciuntur. Hæ perſonæ neq; augmentum ſuſcipiunt vt ſint quatuor, neq; diminutionem vt in dualitatem redigãtur, cum vnus Deus

B pariter exiſtant abſque permutatione. Si enim vna ſpecie plures homines vnum, multo convenientius tres perſonæ vnus Deus pura fide ac religione immaculata pronuntiatur: de quibus nõ eſt quærendum quomodo ſint tres, cùm prorſus & omnino ſint inſeparabiles, languidi enim circa fidem homines læduntur in huiuſmodi ut dicit Apoſt. Quoniam animæ ægritudo, malignè ac otioſe quærere de Deo. Credere enim oportet accedentem ad eum, ea quæ a Sanctis enuntiata ſunt, & manifeſtata: & non rationibus inveſtigare quia non ſunt. Ecce vt credere ab omnibus fidelibus quod vnicum habeat Deus Pater filium, ita omnis Latinorum ſinceritas devotioque credit, quòd Patris & filij æternaliter, inſeparabiliter & ſimiliter Spiritus S. ſit proprius, & ex vtroque procedat: aſt ex adverſo Nicomediæ Antiſtes inclamans ad impoſſibile quaſi ducit orationem. Inquit enim, Si Pater emittit Spiritum,

C emittit autem & filius qui ex Patre genitus eſt: propriũ eſt Patris hoc, quaſi ex cauſa collatum, proprium utiq; & filij continget: Filium hinc pro vno duo habere propria, ad invicem contraria: paſſionem & actionem ſcil generari & emittere. Nam etſi Pater dicitur gignere filium, & mittere ſpiritũ, non tamen eſt proprietatũ hæc diverſitas: differẽtia enim magis aliquo modo habẽdi ea quæ ex ipſo.

† Hugo [illegible] Græcis [illegible] loquendi, quibus [illegible] omnino eſt cauſa & principium ac patres Latini principium in Trinitate [illegible] recte cognoſcunt, non item cauſam fatentur. Patrem & Filium principium ſpiritus & non cauſa n [illegible] rationes, quas S. Th. colligit 1. p. q. 33. art. 1.

## C A P V T IX.

IGnorantia certe Elenchi, hoc eſt, cùm non ex his quæ data ſunt ex ſyllogiſtica neceſſitate, [illegible]: id eſt, Argumentatio conficiatur. Nam Spiritum emittere non proprium ſolius Patris, qui ex pluribus ratiocinationibus directis & impoſſibilibus demonſtrari poteſt. Et vtique ſi detur proprium eſſe filij, nõ tamen pro vno filium duo propria habere ad invicem contraria paſſionem, actionẽ, ſequitur. Nequaquam enim Dei filius dum generatur vel naſcitur, patitur aliquid: cum pati ſit in paſſionem adigi, quod in tempore omnino eſſe habet. Deus autem in paſ-

D ſionem nõn adigitur, neque de Patre in tempore naſcitur, ſeu gignitur. Nam ante omnia ſecula temporáque filium Pater genuit: denique ſi creatis in rebus, non omnis actio paſſionem infert: veluti actiones quæ abſolutæ cenſentur: vt regere ſicut quidam dicunt, accurrere, ſpirare, & huiuſmodi: multo minus in Deo ex actione qualibet paſſio emergit. Divinum quippe, cùm ſimpliciter bonum ſit, alterari non poteſt. Et autem quod alterari non poteſt, ſi quid aliud adiectum intelligatur, appoſiti conventu intermitur. Impaſſibile eſt, quod divinum eſt. Vnum minimè patitur Dei filius in eo, quod de Patre naſcitur: præterea iam oſtenſum diverſas eſſe proprietates, generare ac ſpiritum emittere. Nam hoc quidem eſt perſonæ inſignitivum, hoc vero minimè: quod ſi Patre ſimplici & individuo exiſtente, ſimiliter habet ſe ei quod generare illud, quod emittere dicitur: ſimiliter ſe habebit hoc quod dicitur præſcire, ei, quod eſt facere: vt neque circa hoc Divinum intelligatur compoſitum. Sin autem ita eſt, erit faciens, qui præſcit mala ſed non ſicut præſcit divinum: ita omnino & facit. Non igitur idem eſt generare ei, qui cẽ-

E ſetur emittere: ſicut non idem eſt generare & communicare: Solus enim Pater generat, ſed non ſolus creat, nec tamen privationem hoc in Deo ſimplicitatis conducunt. Amplius. Si idem eſt generare, & emittere, emittens erit generãs, emiſſum erit genitum. Atqui nihil eſt inter Patrem & Filium. Imo ſemper Pater, ſemper filius ſpiritum emittit: nequaquam in emittendo diffuſum, nequaquam in aera diſſolutum, nec indigentia compulſum aliqua. Virtus enim ſanctificativa eſt per ſe ſubſiſtẽs, nec virtutis, nec vitij, nec viciſſitudinis, nec alterationis ſuſceptibilis: qui dum à Patre & filio mittitur & procedit, miſſus & procedẽs non ex loco ad locum facit tranſitum: Quomodo replevit orbem terrarum, cœlum, terram, & mare, & quæ in eis ſunt rationalia: vndiq; in eis Spiritus perſiſtit, & ea continet: Domini ſcilicet Filij exiſtens, & ab eodẽ vt à Patre miſſus, & emiſſus: quod inevitabili vt æſtimo neceſſitudine, quæ ſupponitur, ſiſtit argumentatio.

F

## C A P V T X.

OMne quod a Filio mittitur ſeu donatur, ſi non eſt ex ſubſtantia mittentis, ſeu donantis ſe verbi, aut opus eius eſt, aut poſſeſſio, aut factura, aut aliud quippiam ab illo ſeparabile: Nam Filius aut nullo modo mittit Spiritum, aut forinſecus mittit, aut deintus ex ſua ſubſtantia. Neganti mittere Salvator contradicit evidenter: Enuntiare verò, ab exterioribus mittere, qui poteſt aliquis cùm Filij profunda Spiritus perſcrutetur. Magis autem cum omne qui forinſecus ipſe mittit vel perducit, eodem poſterius, ſit & ſecundum primam originem ex nihilo: vt pote militia cœleſtis exercitus, cœlum, ſtellæ, atque mundus, cum ſua primordiali materia. Si ergo extrinſecus mittit filius ſpiritum, aut eſt quippiam eorum quæ dicta ſunt, aut aliud aliquid ab illo ſeparabile. Relinquitur ergo quod deintus ex ſua ſubſtantia mittat Spiritum Filius: Quod ſi deintus mittit, & non ex ſua ſubſtan-

G tia, ſedem participationem advenientem ſcilicet, & adiectum habet ipſum, cùm odor aliáque plura ſubſtantiis ex quibus prodeunt inſint, ſecundum participationem. Verum nequaquam filius, ſecundum quòd ex Deo eſt, mittitur à Spiritu. Eadem quippe res alij poteſt eſſe cauſa, & alij cauſativum: eidem verò nihil poteſt cauſa & cauſativum eſſe: Pater quidem filij & Spiritus cauſa exiſtit, at filius nequaquam Spiritus cauſa negari debet: quod eius ſit ſubſtantialiter, eundémque nihil adveniens, nihil adiectum, nihil ſecundum participationem habens mittat ſecundum naturam. Simpliciter námque, vt habet ipſum Pater & mittit, ita & filius: Quamobrem ex alterutrius ſubſtantia exiſtens, ab vtroque pariter mittitur & pervenit: cùm nihil aliud ſit Spiritum ex aliquo exiſtẽtiam habere, quàm, ex ipſo ex quo eſſe habet, procedere. Amplius Si perſona S. Spiritus, à filio inſeparabiliter mittitur & donatur, ex eodem filio inſeparabiliter ſpiritum eſſe oportet: Nam ſi non eſt ex filio, inſeparabiliter verò alio modo, cum ab ipſo mittatur & donetur, ſeparabiliter eſt ab eo. At qui ſine deciſione atque inſeparabiliter mittitur & donatur, alter ab altero: Quare aliquo modo eſt alter ex altero. Amplius: Si quædam ſeparabiliter miſſa,

*Canò lege & regredere ad vers cap 8.*

*Sic tibi fac ineũ in multis huiuſmodi locis, quæ paſſim in opere occurrent.*

H ex cauſis ex quibus mittuntur profluunt, multo amplius qui inſeparabiliter ab aliquo mittitur, ex mittente eſſe iudicandum eſt. Quomodo autem vtroque modo, ex cauſa deductio ſit manifeſtum: Nam truncus à radice: à cerebro dentes: cornua & vngues à carne, & à ſubſtantia cordis venæ ſeparabiliter producuntur. Radius verò à ſole: ac ſplendor ab igne mittuntur inſeparabiliter: quæ omnia ex ſe mittentibus proveniunt. Qua de re Spiritusſanctus, qui à filio mittitur inſeparabiliter & donatur, ex ipſo profluit, & habet exiſtentiam. Sed Methone præſul his non conſentit, hoc modo dum Syllogiſmum connectit. Si vnus eſt Spiritus & perfectus, quia Deus, vnus autem Deus, & perfectus quoniam bonus: Nam quod perfectum non eſt, imò quod huiuſmodi bonum non eſt, ex vna vtique ſit & perfecta principali cauſa, quæ eſt Pater, vnumquidque. Si autem non ex vno, & hoc ſolo, ſed & ex filio: non idem ergo vnum. Quomodo enim eſt, quod non ex vno neque principali, cauſa vna? duo enim ſunt Pater atque filius, & neuter eorum perfectus:

in

A in quantum sui adinvicem egent ad productionem: Nō est igitur ipse spiritus perfectus. Quomodo enim, cùm sit ex imperfectis: nihil ex imperfectis perfectum: quin & Diarchia Monarchiam ab vna exterminat Deitate.

## CAPVT XI.

AC vero iuxta rationem hanc, neque Pater perfectus est, cùm non sit ex vno: ex nullo enim Pater est. Similiter enim cœlū astráque minimè perfecta sunt: Non enim ab vna sunt sola persona sortita esse, cùm tres æqualiter personæ, ipsis fundamentum essentiæ præstiterint: licet à quibusdam principalis Pater causa censeatur: Filius verò conditiva, Spiritus verò sanctus consummativa. Quam vtique habent rationem, si Spiritus non ex Patre solo, sed ex Filio, non idem ergo vnum. Quærendum est quomodò dicatur vnum? Nam vnum multipliciter dicitur apud divinam scripturam, similiter & apud Philosophos: veluti genere, specie, numero: Sed quod genere vnum est, specie verò, plura consistit: specie autem vnum, numero plura sunt: Nam vna species de pluribus numero prædicatur. Vnumquodque numero multipliciter videtur, aut enim vt continuum, vt vnum dixerim corpus totius continuitate. Quod quidem plura est in partibus: vnum toto, aut quod natura dividi non potest. vt punctum, & vnitas aut quæ rationem habent eandem nominibus differentia, vt tunica & vestis: punctum verò & vnitas, quanquam dividi non possint, alteruter tamen principium nominatur & finis, prius dicitur & posterius. Et quidem in divina scriptura vnū de multitudine accipi consuevit, & vnum de eo quod natura vnum est, atque numero: Et de multitudine quidem cùm dicitur: *Erat universa terra labij unius, & linguæ unius*: cui simile in Actibus Lucas protulit: *Multitudinis credentium erat cor unum, & anima una*: de vno numero similiter eundem est: *Unus est magister vester Christus*: vnum autem rursus habet divina scriptura: quod substantia est vnum & natura, proprietatibus verò minimè: sicut tres Divinæ personæ, quæ propriè proprietates tres nuncupantur: sed neque natura, neque substantia tres sunt. Vnum quippe simplex indivisibile, ac vnicum quod divinum est: Sancti enim differunt, ab intellectu solo ex proprietatibus differentiam personarum confitemur. Non enim vt res innumerabiles, tres personas credimus: vt vnum, vnum, & vnum: sed solam differentiam proprietatum: neque tres diversæ res esse creduntur: etsi actu personæ tres existant, secundum tres proprietates, quæ rerum non introducunt sectionem aut divisionem, sed proprium à communi distinguunt: Nam persona quod singulare est, & per se manifestat concursúmque insignitivarum proprietatum, secundum rationem ex proprietatibus considerata, vt individuum à communi secernit, & indicat. Qua de causa, personæ à maioribus talis assignatur descriptio: aiunt ergo personam esse substantiam, è proprietatibus ab eisdem naturæ rebus numero differentem: cuius descriptionis integer consummatúsque hic esse sensus videtur: Persona est substantia rationalis, quæ per suas proprietates singularis potest intelligi: vt Pater per generationem: Filius per nativitatē: Sanctus verò Spiritus per processionem: per horum similia, quæ singulis personis connecti possunt singulariter: substantia verò eorum & natura simplex est & vniformis. Vnum sunt natura, & eiusdem substantiæ, tres personæ vtpote simplices. Composita enim non vnum natura dicuntur, etsi vnum numero existant. Etenim mundus est compositus sic ex differentibus naturis, non vnus videtur natura, sed vnus numero: Qua de re propriè personas & solas plurali vtitur in Deo numero scriptura: veluti; *Faciamus hominem*: &, *Venite descendentes linguas confundamus.* Non vnum modum & incomplicabilem tantum, sed vnicam naturam, personarúmq; significando differentiam. Nam Divinam naturā vnum sed non personis. Quomodo ergo in supradicta conclusione, quæ dicit: Si non est ex vno solo Patre Spiritus, sed ex Filio: non ergo idem vnū accipere vnū:

Vnum multipliciter dici.

B

Vnum simplici tate, sob- tudine, singula ritate.

C

Quid persona sit.

D

E Si dicit Spiritum non esse idem vnū Patri & Filio, manifestū est inconveniens: quia idem vnum sunt per substantiam & per naturā. Quòd si dicere intēdit, non esse vnam personam eundem Spiritum: eò quod ex duabus prodeat personis, & hoc à veritate omnino remotum est. Nam ex duobus luminibus tertium provenit, duobus nequaquā imminutis: rursus ex substātia & virtute actio progreditur: Ex vena & fonte fluvius emanat: Ex Patre & Filio Spiritus mittitur: & ex Patre & Filio sanctóque Spiritu mundus creatus est: omnibus itaque patet minoris falsam esse dictam consequentiam ac conclusionem: hanc scilicet Diarchia, Monarchiam exterminat à Deitate. Nam ex superioribus liquidò apparet, quod neque duo principia, neque duæ nuncupantur causæ, Pater & Filius: sed neque Pater licet sine principio sit, Monarchus appellatur. Monarchia enim naturæ, non personæ est: Manifestum ergo huiusce inconveniens, dicentem Spiritum non ex Patre solo, sed ex Filio procedere: nequaquam consequi.

F

## CAPVT XII.

AT tamen Nicetas ex adverso instat dicens: Si omnibus quidem qui divina dogmata benè meditantur inambiguum & indubitabile constat, quoniam omne quod in Zoarchica & omni conditrice Trinitate simili modo conspicitur, aut communicatur de tribus prædicatur, aut singulariter de vna persona dicitur: Emissio autem simili modo, secundum eandem processionem in Zoarchica Trinitate dicta non est communis, vnius vtique omnino erit. Si autem hoc ita est, vtrùm Patris fatebuntur solius, an & Filij? Quorum si Patris? ecce quanquam nolint, domesticam suam opinionem inficiabuntur: Si verò filij? Heu quanta impietas: hanc enim Patri auferunt, & filio attribuunt. Quibus concedere necesse erit, alia propria in invicem permutari, & succedere. Imóque omnimoda confusio atque inordinatio erit in Deitate, quæ alia in ordinem redigit, & neque hoc solùm, sed fugit esse quod est sancta Trinitas, sibi vicissim cedentibus succedentibúsque proprietatibus, quæ omnis impietatis plena sunt. Ergo Spiritus non ex Filio procedit, quemadmodum ex Patre vt quidam fatentur. Hæc quidem necessaria forsitan fuisset argumentatio, si quæ inducta sunt ab adversariis, concessa positáque constitissent: at neque ab adversariis concessa sunt hæc, vel posita: neque manifesta per se, vt ex his liquet quæ supponuntur. Palam enim est, quod quæcumque naturæ propria sunt, ea esse communia eiusdem substantiæ personis: vt æternum, immortale, incommutabiliter per se: nam qui participatione inconvertibilia existunt, vt Angeli sancti, terminum finémque habent. Sed magnitudinis Dei finis non est. Quò enim ibo à spiritu tuo? Vbique divinum est, & in omnibus, & in omnia tres personæ consistunt, quæ adinvicem consubstantiales sunt: vt eandem suscipientes substantiæ rationem. Verùm Filius ex Patre, ac ex Patre Filióque Spiritus sanctus est, nec ideo succedunt proprietates, è quibus Pater Filiúsque insigniuntur: neque in vano est filiatio seu paternitas, vt nudum nomen circa nudum substantivum intellecta, neque consequens. Quod Græci Latinis insultando asserunt dicentes: Si Spiritus procedit ex filio, excidit Pater à sua proprietate: certum est non esse sibi substantiam consubstantialem, personæ verò si consubstantiales sunt: & nullatenus proprietates suas alternare queunt. Quomodo enim quod singulare est, habere valeat alterius proprietatem? Quò fit vt Caracter, id est, proprietas insignitiva personæ, ac quælibet proprietas singularis, immobiliter adhæreat circa divinam quamlibet personam considerata. At verò non est vnius tantùm personæ, aut trium quævis proprietas, vt sequentia indicabunt. Insecabilis quidem est Divina substantia, sed tamen plenissimè eam personarum vnaquæque habet sine diminutione. Quod igitur erit inconveniens personis prorsus inseparabiliter commanentibus, proprietatum aliquam Filij Patrisve communem esse?

G

Naturæ propria, cōmunia esse tribus personis.

H

Proprietates alias esse personarum, aliquas esse communes.

Non omnis proprietas personam describit, id est, sicut ea æqualiter ei, quæ segregare naturam putatur à reliquis, sic quædam proprietates in his quidem quæ diversarum substantiarum sunt segregant naturam. In consubstãtialibus, id est, in his quæ sunt eiusdẽ naturæ verò personam insignire videntur, vt in homine & equo risibile atque hinnibile: quæ cùm differentium naturarum sint proprietates, intra eandem speciem non substantiam secat alterutra, sed personarum separationis indicium, adiecto numero, tantum præstat: Dextrum autem & sinistrum & huiusmodi nec secant substantiam, nec personas definiunt. Similiter his divinæ personæ quasdam habent proprietates, quæ neutrum efficiunt. Quasdam verò quæ alteram, quæ solùm tres sunt: paternitas, filiatio, atque processio. Nam proprietas, quæ causa nuncupatur, sive principium alicuius personæ, minimè insignitiva est: sicut & quædam aliæ, ut ingenitum sine causa esse, sine principio esse, emittere, sine Patre esse, non esse Spiritum sanctum, non esse processibile, habere Spiritum sanctum, mittere Spiritum sanctum. Quare plerasque Filio Pater communicat, similiter quasdam habet proprietates & Filius, quæ insignitivæ non sunt. Quare quasdam Spiritui communicat, ut causativum, non esse Anarchum, non esse Patrem, & alia his similia. † Iuxta eundem modum & Spiritus aliquas habet, quas Pater communicat, veluti non esse Filium, non esse genitum, differre à Filio, & alia huiusmodi quæ non sunt Hypostaticæ proprietates sive personales. Hæ omnes circa substantiam considerantur, & singularum non sunt sortitæ personam, ergo sunt proprietates, quæ nequaquam personarum insignitivæ sunt: una certè in Divina Trinitate proprietas, unam personam indeficienter indiminutè ac indemutabiliter insignit, ut paternitas Patrem: & filiatio Filium. Quippe circumscriptis omnibus aliis, quæcumque conveniunt Patri, ut ingenitum esse, principium esse, Spiritum emittere, relicto eo verò solo, Patrem esse, semper Filius ad ipsum dicetur, & è converso Pater ad Filium. Nam Filius filius Patris dicitur, & Pater pater Filij: nequaquam Filius ad ingenitum dicetur. Nam cùm non sit Pater, non est Filius. Quod si una proprietas, unam hypostasin indeficienter, & absque omni diminutione insignit (habet autem plures proprietates quælibet de tribus) erunt proprietates, quæ minimè personas insigniant. Quamobrem non idem est habere proprietates, & ab eisdem insigniri: plures enim quodlibet animalium proprietates habet, à nulla quarum insignitur. Patet igitur, vt arbitror, nullum inconveniens sequi, si Pater, & quæ cum eo duæ personæ sunt, huiusmodi possident proprietates, cùm differens habitudo, compositionem non adducat: sicut in punctis, in vanitatibúsque liquido apparet. Nam tribus ex ordine positis unitatibus, media prioris respectu secunda videtur, tertia verò prima: & eadem prima & secunda cùm sit non suscipit compositionem. Non enim est possibile passionem unitatibus, cùm sint indivisibiles, inesse: quæ neque minores, neque maiores inter se fiunt, neque excrescunt, neque contrarium patiuntur: quæ fortè ad primam relata, dextra intelligi, ad secundam verò sinistra: & eadem dextra & sinistra existente, non deperit propria ideo simplicitas: sed neque Divina natura composita dicetur, eo quòd habet virtutem & actionem, personisque in tribus existat. Per omnem utique modum divina simplex natura est, & tamen tota Patris, tota Filij, tota Spiritus sancti est. Quid igitur cuipiam inopinabile videatur una in tribus personis Deitate commanente, si duarum personarum inseparabilium proprietas una est, & dicitur? Amplius: Ex affectionibus animæ ut quibusdam visum est, quædam vestigia in corpore commanent, & ex corporis in anima, quibus Physiognomones, ex corporis idea portendunt animæ affectiones. Quoniam verò ex passionibus corporis, vestigia quædam adhærent animæ (manifestum, dolenti enim condolet, vulneratoque affligitur) patitur anima non solùm in senectute, sed in ebrietatibus, ægritudinibúsque: & propter corporis intemperantiam arcetur ab actionibus, Quo ab huiusmodi lapsu regresso, rursus perlucet anima: nec alius tamen innascitur sensus, cùm priorum reminiscatur post ebrietatem. Verùm hæc omnia & quæcunque horum similia sunt, ad compositum, Aristoteles retulit in lib. de Anima, dicendo sic. Sentire, & amare, aut odire non sunt mentis passiones, sed habentis illam in eo, quod illam habet, eo quod non moveri animam arbitratus est, sic nequaquam tamen cum passiva movendi societate, omnem corpori & animæ communitatem abstulit. Non est anceps alteruter singulares quasdam proprietates nactum esse, ut rubrum, nigrum, album, dividuum esse: aliis alibi positis partibus, & similia his, corpus. Rationalis autem anima absque corpore intelligere, cùm sit in corpore: unum cùm velit intelligat, nullius eorum quæ extrinsecus egens, & quanto maiora in se suscipiat, tanto facilius inferiora dispenset, se cognoscat, séque contempletur, ex quo monstratur separabile & immortalis, & utrumque quasdam communes proprietates habere, vt in toto esse, animal constituere, ab invicem posse separari, copularique iterum. Dato tamen hodie omnibus reclamet communitatibus corporis, cuncta dubitatione suffossa post resurrectionem alicuius consortium habitudinis adipiscetur: ait enim Apostolus: *Corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem.* Iterum: *Seminatur corpus animale, resurget corpus spirituale:* non quod vertendum sit in spiritum, sed quòd plures cum suo rationali spiritu habiturum sit communitates: huius rei omnis dubitationis nodum ex amussi dissolvere videntur, exoptati corporis Iesu Salvatoris nostri, eiusque Beatæ super omnes mulieres Genitricis subtilitas, levitas, candor inviolabilis, immortalitatis quoque ac incorruptionis gloria: quæ corporis æqualiter & Spiritus esse non est ambigendum. Cùm igitur anima & corpus plurimum distarent ab invicem, præter singulares quas habent proprietates quibusdam communicent: nihil utique sit inconveniens, si Pater & Filius, non voluntatibus discreti, nec dispertiti intervallis, non separabiles, non dividui aliquibus, non substantialibus participent proprietatibus, simúlque una causa, unumque principium sancti Spiritus existant: unius enim luminis duo lumina, unam causam, unumque principium esse animadvertimus sensibiliter.

Proprietates dici non substãtiales quæ cõmunes duarum sunt personarũ.

† Personales proprietates dici græce Hypostaticas, quæ singularum Hypostaseum, id est, personarum sunt insignitivæ, aliæ autem sunt proprietates non singularum insignitivæ, sed duarum personarum vel Patris & Filij, vel Filij, & Patris & Spiritus communes, & has dicit circa substantiam considerari non proprias singularum. Non ideò Deum esse compositum, & simplicitate carere, si plures habent qualitates dictæ proprietates. Divinam naturam non ideo esse compositam quod tribus in personis. Anima etiam corporis affectionibus condolet. *Argyrophili versio sic habet:* Ratiocinari verò, & amare, aut odisse: non sunt illius affectus, sed huiusce quod habet illud ea ratione, qua illud habet, *lib. 1. de Anima, cap. 4.*

## CAPVT XIII.

SEd obiectiones adhuc iterare adversarius non cessat: Si una, inquit, causa Spiritus Filius est & Pater: huiusmodi causa aut secundùm numerum habet unum, aut secundùm speciem: Quorum si Spiritus sancti causa secundum numerum habet unum, & una numero causa Pater est cum Filio sancti Spiritus, quare non sunt duæ personæ Pater & Filius? Item, Omnis, inquit, causa numero una existens aut ex principio aliquo est, aut nullum habet principium. Nam habere principium, & carere principio, unum numero & idem non videtur possibilium, at verò causa quæ dicta est, neque habet principium in eo quod Filius dicitur, unde non est Spiritus sancti una causa numero Filius & Pater. sed neque secundùm speciem una propinqua Spiritus causa Pater est & Filius.

Nam

**A** Nam ex uno non numero, sed specie habentia esse similiter illi unum habent? quippe quæ ad unum specie comparantur, similiter illi unum habent. Quod si ita sit, non erit specie numero unius, cùm non habeat ex causa esse, quæ numero una, sed quæ specie una sit. Porrò causa secundum numerum vna, vna numero ex necessitate est, quod specie vnum habet plurium est. Ecce enim ba syllaba, quod secundum speciem vnum habet, plurium atque differentium pars dictionum invenitur: ea si secundùm numerum vnum haberet numero discreta esset, & unius tantùm pars dictionis, hoc autem si quis dicat non rectè colligit, eo quòd verè dicatur unus Deus Pater & Filius, atque Spiritus sanctus, sed neque tamen genitus Deus, neque ingenitus sunt hi tres. Quare non sunt unus Deus: Dico, inquit, Græcus, Deum non habere ibi vnum secundùm numerum, sed secundùm naturam, seu secundum speciem. Nam dicendo unus Deus est Pater & Filius, & Spiritus sanctus, nihil aliud intelligimus, non quod huiusmodi substantiæ Pater & Filius, & Spiritus, per quam Pater Deus est, non Deus Pater: & Filius Deus, non Deus filius: Non enim in eo quod Deus Pater, neque in eo quod Deus Filius, cum in eo quod Deus nullas recipiat personales proprietates. Solus hæc potest, vt arbitror, obiectio, & per alia plura, & per ea quæ supponuntur. Divisio causæ quæ dicta est habentis vnum aut secundùm numerum, aut secundum speciem de materiali, formalive causa, & reliquis quæ supponuntur dici consuevit. Sed neque Pater solus, neque cum Filio materialis, sive formalis causa Spiritus sancti est. Neque verò efficiens, seu finalis, quod manifestiùs fieri potest per inductionem divisionemque earum, quæ apud primos philosophos dicuntur causarum quadrifariam divisarum. Namque harum alia est efficiens, alia materialis, alia formalis, alia finalis. Earum rursum. Eæ quidem insunt, vt materialis & formalis: Eæ verò extrinsecus intelliguntur, vt efficiens & finalis. Efficiens autem ideò extrinsecus, quoniam voluntatis est: secundùm voluntatem enim facienda disponimus, & pro voluntate moventur, quibus secundum locum motus inest. Sed neque Pater extra Filium est, neque Filius factura est. Materialis autem causa inest rei, quemadmodum domui fundamentum, res statuæ, ac elementum syllabis, res quidem potest absque statua esse, Spiritus autem sine Filio & Patre impossibile quod existat. Formalis item causa rerum designativa est: nam secundùm speciem, non quæ à genere differentiis abundat, sed quæ dividitur, è diverso materiæ insigniuntur res, sed Pater non est species Filij, neque Spiritus sancti. Magis autem Filius esset Patris species, si dici hoc liceret: Ipse enim manifestavit nomen Patris hominibus: Finalis causa est, propter quam facienda in actum prodeunt: vt medicina propter sanitatem: est enim finalis causa, propter quam alia ipsa nullius causa, & extra rem consideratur & abest: Pater autem semper est, nunquam à spiritu separatur. Quare non est finalis causa Spiritus Pater. Manifestum igitur secundum nullum dictorum modorum, Patrem esse causam filij, seu sancti Spiritus: quia indicibilis atque ineffabilis est ille modus, quo Pater filij Pater & causa censetur, & Pater est filio, sancti Spiritus vna quoque causa vnumque principium. Quæ verò dicta sunt patet, quia divinis personis minime propter prædictas causas conveniunt. Quare vnaquæque semper ens adesse ducit, quæ non existunt. Etenim vt pater, sic & Filius, sic & Spiritus sanctus nulla vnquam re inferior esse potest, per se expetibilis, per se liber, per se bonus existens. Quoniam igitur monstratum est causam non esse personalem proprietatem, manifestum & evidens est, quod nullum inconveniens sequitur: si Pater & Filius vna sancti Spiritus causa, vnumque principium esse credantur, ex quo falsa manifeste apparet Nicomediæ antistitis aliorumve positio quæ dicit. Quod non est unius proprium, trium est commune: si igitur causa emissionis Spiritus non est tantùm Patris, sed & filij, necesse quoque Spiritus esse, sicque erit Spiritus emissor simul & emissus: quod mendacij plenum est. Nam commune est Patri & Filio ex aliquo non procedere, non esse spiritum alicuius, nec Spiritum sanctum esse, sicut dicitur in substantivo non esse, omni substantiæ commune est, primis scilicet & secundis: & sicut dicit Porphyrius commune esse proprij & inseparabilis accidentis, quod præter ea nunquam consistant illa, in quibus considerantur. Vnum vt huiusce omittam negationes, dico, quod habere habitudinem ad invicem Patri Filioque commune est. Omnis enim habitudo circa plura licet consideretur, vt vna tamen habitudinalis proprietas segregatur, ex quo liquet rursus, duos vnam proprietatem habere, quæ quamquam pluraliter videantur dici, non propter se, sed propter participantia plurali vtitur numero: quia per ea quæ habitudinem habent, & ipsa faciliùs habitudo manifestatur. Commune quoque est Patris & Filij caracterem habere ad invicem se respiciendi, & rursum æqualiter secundùm habitudinem differre ab invicem: sed & illud quod illorum quæ aliquid sunt quis inficietur Patris ac Filij esse commune, dici scilicet ad convertentiam? vt enim Pater Filij Pater dicitur, sic & Filius Patris filius esse dicitur: exæquatur utique ab alterutro ad alterutrum prædicatio, quæ & conversio dicitur: quoniam ut hoc ad illud, sic & illud ad hoc prædicatur conversim: similiter autem & descriptio eorum quæ ad aliquid, hæc scilicet quibus hoc ipsum esse est, ad aliquid quodammodo se habere: de Patre quidem atque Filio prædicatur, vt de existentibus ad aliquid, nequaquam verò de Spiritu. Et quoniam adversus positam obiectionem sufficiunt hæc ut arbitror, in alias quæ restant contradictiones eundum res ipsa postulat.

*Hoc sup adversarius seductor hoc loquitur, scil. hoc autem si quis, &c.*

*Deū unū esse tres personas non secundum numerū sed secūdum naturam. Non in eo quod Deus est Patrē.*

**B**

*Causarū divisio.*

**C** *Efficiēs.*

*Materialis.*

*Formalis*

*Finalis.*

**D**

**E**

**F**

## CAPUT XIV.

**G** Ecce Methone præsul talia proponit: Si perfecta, inquit, ex Patre processio Spiritus. Perfecta autem, quoniam Deus perfectus, de Deo perfecto Patre Spiritus: quid, inquam, confert ad hanc illa quæ ex Filio? Quorum si & hic aliquid confert, non est perfecta illa: quomodo enim perfecta, si tantum dehabet quantum illa confert? Si autem ex Filio processio Spiritus eadem quæ ex Patre processioni est, nihilque amplius est, neque invenire, neque dicere, ad declarationem Spiritus perfectionis: superflua vtique sit prorsus ea, quæ ex Filio, at superfluus est atque vanus, superfluum quid inducens, insuper consummata supra perfectaque Trinitate. Mihi quidem huiusmodi ratio non videtur sufficiens, ad tollendam Spiritus processionem ex filio: verè cùm passibilis vnius cuiusque anima sit, non potest magnum quid ac generosum concipere, maximè circa Divinum, dum perpetitur caliginem: non faciunt horrenda sic belligerantes vulnera. Ignorantia certè, hoc in loco, huiuscemodi cavillatione prudentior, hæc quidem & similia his quam plurima in Latinos, ut circa pueros ex omni vento formidantes naufragium iaciuntur: Nonne quæri & similiter potest,

**H** Filius ex Patre perfectus est, perfectus quia Deus perfectus, de Deo perfecto Patre. Solus enim Deus perfectus vere videtur: illo existente solo perfecto, extra quod nihil est summè, & quod non indiget alicuius, alia verò omnia videntur, & sunt abusivè perfecta: sive secundùm quantitatem, sive secundùm qualitatem, seu metaphoricè, ut perfectus calumniator, perfectus latro, perfecta destructio: res quippe perficere dicitur annullari: si igitur perfectus Deus est, Filius ex Deo Patre perfecto, quid, inquam, Spiritus ad huiusmodi conferat perfectionem? Qui si confert, neuter est perfectus, neque Pater, neque Filius. Quomodo enim perfectus si tanti eget, quanti Spiritus dator est? sin verò vnus Deus perfectus est

*Perfectus solus Deus*

A Pater & Filius, & nihil amplius est invenire, neque dicere ad manifestationem paternæ perfectionis, superfluus vtique sit Spiritus, quod cogitare impium est. Nam sicut vniversitas videtur Patris & Filij esse, ita & Spiritus sancti: atque quos vocat Pater & Filius, quos vocat Filius & Spiritus? Quos sanctificat Pater hos quoque sanctificat & Spiritus: licet de Spiritu dictum sit: *Non loquetur à semetipso, sed quæcunque audiet loquetur*: quod quidem præcipue ostendit eiusdem naturæ veritatem communitatis, & non aliquam minorationem. Omne enim quod natum est, si rationale sit, non ex imbecillitate, vel casu cùm vult, à seipso propriam habendo voluntatem, loquitur, Spiritus verò Dei non sic. Quicquid enim vult Spiritus est, Dei est voluntas: & quicquid vult Deus, Spiritus sancti voluntas est. Cæterùm Prophetæ reliquique homines nolunt quicquid Deus vult. Ecce Petrus magistrum negavit, Aaron adversus Moysen murmuravit, Ieremias

B Prophetiam aspernatus est: Spiritus autem non sic. Non enim aliquando quæ Dei Patris aliquando quæ sumptius vult, quia in se aliam non habet voluntatem: sed neque Filius vna & eadem existente trium personarum voluntate ac perfectione, propterea perfecta Spiritus ex Patre processio non debet prohibere eam quæ ex Filio esse dicitur, cùm neque perfectio Filij ex Patre prohibeat perfectionem sancti Spiritus ex eodem. Quare planum est, quod ex vtroque perfectionem & esse habeat Spiritus. Nam si separatim & seorsum Spiritus progressio ex patre esset, nullo modo Filio communicante, imminueretur dignitas illius, qui genitus est. Etenim si ex solo Patre Spiritus procederet, solus Pater ipsum mitteret & tribueret, quod sic manifestum fit: Si Filius eo quod à solo Patre generatur, à Patre solo datur & mittitur: propter eandem rationem, si ex Patre solo procedit Spiritus: Pater solus ipsum tribuit ac mittit, Mittere autem & dare Spiritum, Filij dignitas est. Quare de re si seorsum, & separatim Pa-

C ter mittit Spiritum, minuitur Filij dignitas, quod cogitare impium nefariumque est: igitur ex ambobus est Spiritus processio. Amplius vt anterius ostensum est, nihil commune habet, Pater & Filius ex eo quod habet est Pater, hic est Filius, personaliter ab eo dividere prorsus ad similitudinem individuorum speciei cuiuslibet, sub substantia intellectæ: at verò Spiritus veluti qualitas est Patris & Filij, prout magnus Cyrillus in septimo ad Hermiam sermone, patenter videtur asserere, sic dicens: Nunquam signa & prodigia per Paulum Christus operatus est in virtute Spiritus sancti, vt actio quædam naturalis & vivens, & vt ita dicamus, qualitas divinitatis Filij Spiritus sanctus est: Si autem hoc ita est, quomodo erit factura, quod in Deo, & ex Deo naturaliter? Et iterum idem dicit: Quasi aliquis vapor, & qualitas est substantiæ ipsius Patris, & hæc quidem Sanctus, sed talis qualitas non est accidens. Magis autem vna personarum sanctæ Trinitatis verusque Deus: hoc idem Theologus Ioannes testari videtur, vbi dicit: *Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in illo.* Quæ

D charitas cùm vehemens est & indeficiens erga proximum, Spiritus est in nobis, qui manere facit nos in Deo, Deumque in nobis: quod ex operibus maximè cognoscitur. Quemadmodum animam quam nullus videt, ex actionibus motibusque percipere, quod in nobis sit ac existat: sic in nobis Dei charitas, per aliquos motus actionesque cognoscitur: quas Spiritus datus efficit, vt scriptum est: *Quoniam de Spiritu suo dedit nobis*, qui vt mundus munda & immaculata largitur. Tale donum Spiritus sanctus est, quod charitas dicitur, per quam Pater diligit Filium, & Filius diligit Patrem, & æqualiter huiusmodi charitas communicatur Patri & Filio: Nam qui diligitur, debet diligenti æqualem reddere affectionem: quia sincera & certa dilectio, & ex æquali si omnino ad invicem dilectione consistit: crimen alioquin dilectio foret, inæqualem reddere diligenti affectionem, & amanti amato dissimiliter assistere. Ergo

E hæc charitas quæ ineffabiliter iungit Patrem Filio, Filiumque Patri, quæ coniunctio nos ad amorem Dei, Filiumque ad amorem Patris trahit. Non est enim ociosus in Deo amor, quo tres personæ invicem connectuntur. Quamobrem non est putandum, quod propter homines solum, amor Deus dicatur: qui ante omnia sæcula charitas existit, quæ est Spiritus sanctus, vt Evangelistæ Paulus contestatur dicens: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis*, exuberans, optimumque donum, vt Chrysostomus perhibet. Donum enim quod maximum erat, hoc dedit, non cœlum & terram, & mare: sed quod his omnibus erat honorabilius, quod Angelos ex hominibus, & filios Dei ac fratres Christi præparavit: & post pauca in Epistola ad Romanos: *Non cum intercapedine*, inquit, *& pedetentim nos honoravit, sed repente bonorum fontem diffudit, & hæc ante certamina.* Quare licet non permultum di-

Deus est amor vel charitas, quia in cordibus hominum charitatis amorem infundit.

F gnus sis, noli desperare, magnum habens advocatorem charitatem iudicantis. Quid est quod maximum dicit vniversorum donorum bonorumque fontem? Deus vtique Spiritus sanctus, quem charitatem nuncupavit Evangelista cùm dicit: *Deus charitas est.* De hoc quoque in quartodecimo Psalmo ait Hieronymus: Spiritus sanctus nec Pater est, nec Filius, sed dilectio quam Pater habet in Filium, & Filius in Patrem. Augustinus quoque in sexto libro de Trinitate ait: In omnibus æqualis est Patri Filius, & est vnius eiusdemque substantiæ. Quapropter & Spiritus sanctus in eadem vnitate substantiæ & æqualitate consistit, sive enim sit vnitas amborum, sive sanctitas, sive charitas, manifestum est, quod non aliquis duorum est: quo vterque coniungitur, quo genitus à gignente diligitur, genitoremque suum diligit. Quoniam igitur Spiritus vt est amor Patris, ita & Filij, vt procedit ex Patre, procedit ex Filio, manifestum igitur ex iis quæ dicta sunt, quod non existente Filij Spiritu, neque ex ipso procedente, impossibile est eundem Spiritum Patris esse, vel ex ipso procedere. Quippe superius

G monstratum est, quoniam Spiritus progressio ex Patre, Filiove vna eademque est, & quod commune duorum, Patris dico & Filij, ex seipsis Spiritum emittere; ostensum quoque est, quod cum emittendi proprietate plures alias communes habent proprietates, Pater & Filius, quæ Spiritui minime conveniunt. Dictum etiam est, quòd Pater non in eo quod Pater, Spiritum emittit, sed in eo quod principium & causa: nec ideò in vnam confunduntur personam, etsi per vnam & indifferentem progressionem ex ambobus Spiritus proveniat. Sed neque indivisibilitas simplicitasque deperit, neque Semiarrium prodigium neque Semisabellius exoritur error, vt nequaquam sui ipsius conservet proprietatem Pater, aliquid huius & filio impertiat. Similiter autem & Filius non solus insigniatur filiali proprietate, vt aliquid de ea Pater assumat: Nempe non omnia quæ Patris & Filij, Spiritus quoque communia existunt, & è converso: propterea non est verus qui dicit; Omnia quæcumque habet Filius, habet & Spiritus excepta nascibilitate. Si itaque habet emissionem Filius, habebit hoc

H & Spiritus, quod à veritate remotum est: nam Filius eundem Spiritum habendo mittit, sed Spiritus non Spiritum, neque seipsum propriè mittere dicitur.

## CAPVT XV.

His atque similibus Byzantius novus Philosophus non consentit. Inquit enim; si Spiritus ex Patre Filioque procedit, sicut quidam autumant & dicunt, necesse aut simul sine tempore & æternam esse progressionem Spiritus ex Patre & Filio, aut secundum prius & posterius. Quod si secundùm prius & posterius, in quocunque duorum sit, evidens est blasphemia, erit enim Spiritus se ipso prior & posterior, æternus & temporalis, recens & antiquus, sub tempore

A ac ante tempora, eo quod non simul adsit Spiritus progressio, ac eius existentia, quod impietatis plenum est: Sin autem simul, præter tempus æternaliter ex ambobus, Patre dico & Filio, procedit, cui ut propugnaculo, innituntur, qui ex adverso dimicant: quærendum est ab ipsis, utrùm simul præter tempus & æternaliter an quomodo dicant? Nam si principaliter ex ambobus dicant, aperta est blasphemia. Erunt enim in super substantiali, supranaturali, & Zoarchica Trinitate duæ principales, & sine principio, sine causa personæ: ideoque duæ causæ, duoque principia, & duo non habentia neque causam, neque principium. Itaque in duorum pluralitatem quæ Christianæ sunt religionis transferentur, & iniuria non qualibet Zoarchicæ ac supersubstantiali irrogabitur Trinitati. Quod si non principaliter, licet simul & æternaliter, sed propius atque remotius, aut primo & secundario, &

B sic parturitur impietas: primùm quidem, quod magis erit Filius causa Spiritus, minus autem Pater. Nam quæ propinqua causa est, magis causa est, prout communis conceptiones & veritatis sermo declarat. Sed in ea, quæ incommutabilis & inalterabilis est divinitate, atque in Thearchicis hypostasibus, neque minus est invenire, eo quod æquitater, & in eadem gloria omnia quæ communia sunt, divinis personis consistant. Hæc quidem & alia dictus Philosophus concinnat & exacuit, quæ adversarius vulnera non infigent: prius quidem & posterius secundùm tempus, & principaliter & secundario, propriè in Deo Latini non enunciant, & hoc meritò: Numero quippe divinum superius est, & temporis consequentia: nam ubi unum & idem communitas est, nihil dehabens numerus tollitur, & concordia in unitatem coadunatur. Ideoque principaliter procedere Spiritum ab alterutro renuentes, de utroque provenire affirmant æqualiter: inquiunt enim, si non est in sancta Trinitate prius secundùm tempus, neque secundùm naturam, honoremve, potentiamve, non est aliqua trium personarum principaliter ab alia, magis autem quod à nullo secundùm posteriorem rationem provenit, principaliter ab

C aliquo non videtur procedere. Qua de re, secundùm exceptissimum causæ modum, ineffabilemque ordinem, quo Spiritus quidem tertius, Filius verò secundus a Patre censetur. Colligi non potest aliquid eiusmodi, nempe, si quia Pater à nullo Spiritum, à Patre verò, ipsum Filius habet principaliter, is Patris existit, propter eandem causam. Quæcumque filius habet, Patris erunt principaliter. Quod si ita est, solus Pater principaliter vivit, principaliter regnat, principaliter iudicat, quin etiam principaliter persona est: hæc si concedantur, reum mendacij Apostolum facere videntur dicentem: *Non rapinam arbitratus est, esse filium æqualem Deo Patri.* Sed & illud quomodo stabit: *Ego sum via, veritas & vita. Nemo venit ad Patrem nisi per me:* ac alia quæ multa his aggregari possunt? Quod verò sequitur, scilicet propinquam quidem causam magis esse causam, minus verò quæ remota est, absoluendum sufficiens esse arbitror, quod id tale in naturalibus, logicis, similibusque, in quibus non eadem causa ubique propinqua remotaque est, locum

D habet. In Divinis vero personis, nequaquam tum propter alia multa, quæ sitere nunc præstat, tum pro eo, quod propinqua, mediataque prorsus eadem causa censeantur Pater & Filius, atqui neque secundùm tempus, neque secundum naturam, neque secundùm aliquem alium modum, Pater filio prior est, ut de Patre quidem Spiritus principaliter, de Filio autem secundario, aut nulla ratione ut Græci nimium inopinabiliter affirmant, procedat: ut enim ante omnia tempora simul natura sunt Pater & filius, eiusdemque honoris, ita quicquam potest Pater, potest & filius, & quicquam à Patris & filij potentia removetur. Non potest peccare Pater, non potest peccare filius, eo quod peccare non sit res existens, sed tantùm boni privatio infirmitas est, ut Apostolus dicit, Christus

E cùm essemus infirmi, pro nobis mortuus est: & David *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum:* ideoque non est Deo possibile, sicut neque quod factum est, ut non sit factum facere Deus potest. Verax enim Deus est, factum autem facere non factum, mendacium est. Potius enim hoc sit facile, a seipso differre, pœnitere, naturamque propriam deserere, id est, docere quod possit non esse Deus, quod ridiculum prorsus & inutile propterea ut Aristot. dicit: Nulla potestas præteriti est, sed præsentis aut futuri: nullo enim modo possibile est, præteritum tempus existere nunc: sed neque in præterito verum erat dicere, quoniam nunc est illa quæ fuit temporis particula; si præteritum tempus relabi non potest ad præsens, vel ad futurum, nihil eorum quæ sunt nunc, vel futura sunt in tempore præterito existentiam habere possibile, à quocumque autem omnis aufertur existendi aptitudo, ei nulla vere potest

F attribui potentia: quare nulla est præteriti possibilitas, sed præsentis, vel futuri. Quocirca præteritum omne necessarium videtur non possibile neque contingens, possunt utique Pater & Filius æquè omnia: volunt autem potiora. Quòd enim si quis dicat: Non quæcumque Pater, potest & Filius, & è converso: eò quod Pater cùm sit Pater, non potest esse filius, neque filius Pater, verum hæc & his similia negationes autem infinitæ sunt, & neque naturam, neque subsistentiam habent, quare neque potentiæ sunt. Ex quo manifestum, quod ad nullam potentiam pertinet, Patrem esse filium, cùm utrumque interimat. Item si quis dicat aliud esse generare posse, & aliud posse generari, & alterum quidem Pater tantùm potest, alterum verò tantum filius, unde differentes ad invicem potentias Pater & Filius habere videntur: respondendum quod eadem potentia est in Patre, secundùm quam potest generare, quæ in Filio, secundùm quam potest generari, quanquam diversis effulgeat proprietatibus: velut una potentia est hominis disciplinæ perceptibilis, secundùm quam Orator potest atque Philosophus, attamen secundùm Oratoriam Rhetor, & secundùm Musicam Musi-

G cus nuncupatur. Eiusmodi sane distinctionibus trium personarum posse ad proprietates, ad instar loricis esse ostenditur, at verò si solus Pater Spiritum possit emittere, ut Græci autumnant, defectum patiuntur actiones: & dictarum personarum posse, paritas, atque proprietatem interire videtur, quod hoc modo monstrari potest: Solus Pater duo maxima in Trinitate potest singulariter, scilicet gignere Filium, ac Spiritum emittere. Quæ diversa esse, cùm illa sequitur contradictio palàm est: nam secundùm quod potest gignere, potest Filium habere: secundùm verò quod potest emittere, non potest Filium habere. Quare secundùm aliud potest gignere ac secundum aliud potest emittere. Quæcumque verò duo maxima in Trinitate singulariter potest, plura singularia eo potest, qui unum singulariter ibidem consimilis figuræ potest, ut filius quidem tantum gigni. Quod si hoc singulum tantùm in Trinitate Filius potest, Patri duo maxima in Trinitate singulariter potenti non exequatur secundùm hoc. Nempe si exæquatur in Trinitate Patri, tot singulariter in Trinitate potest quot & Pater. Sed neque Filius duo potest, in Trinitate singulariter, neque Spiritus. Plura ergo in Trinitate singularia solus Pater potest, quam solus Filius, aut solus Spiritus. Sed instet fortè aliquis

H dicens: Ex præmissis non provenire huiusmodi conclusionem, pro eo, quod posse pluraliter relatum, ad proprietates tantùm referatur, veluti persona singulariter intellecta est, secundùm substantiam dicitur producta in pluralitatem, non substantiam, sed proprietates indicat. Quod ex propositionum consecutione videri potest. Si est persona cum substantia; sed duæ personæ, si antecedant, non inferent duas substantias, vel aliquid talium. Iuxta hunc modum, inquiunt, posse, singulariter intellectum substantivè dici: & ex eo, quod unum sunt personæ tres. In quo quantum possunt duæ, tantum quælibet trium sola potest, plura-

Peccatū n d. ... [illegible] non potest.

A liter autem posse, cùm in Trinitate pronuntiatur, solummodo proprietatum indicativum est: Quare superius positæ conclusionis, hoc scilicet plura in Trinitate singularia, solus Pater potest, quam solus Filius, aut solus Spiritus: verus hic est sensus, plures singulares proprietates Pater habere potest solus, quàm Filius solus, aut Spiritus solus.

## CAPVT XVI.

SEd videre mihi videor, quod talis responsio magis impedit quàm expediat: nam sive duas proprietates seu duas potentias Patrem, Filium verò unam tantùm quis habere dixerit, imparitatem, aut proprietatum, aut potentiæ, quorum vtrumque detestabile arbitror, apportat. Profectò vt vna & eadem est trium potentia, secundùm quam aliud Pater, aliud Filius, aliud
B Spiritus singulariter potest, ita proprietatum numerus circa singulas personas, ne quicquam imparitatis appareat, idem penitus conservatur. Cùm enim Deus nihil in vano faciat vel habeat prorsus, non æstimo debere recipi, Patrem habere plures filio propritates: quippe si aliqua proprietate genitor à filio abundat, aut aliquid potest secundùm illam, aut minimè: si potest, non est omnimoda inter Patrem filiumque paritas singularis posse. Nec reprehendenda est illata conclusio: si non potest, in vano est. Cùm ergo nullas divinarum personarum proprietates, absque virtutis titulo habere possibile sit, non est ambiguum, si earum aliqua abundet proprietate, ab alia eandē & posse abūdare singulari. Sed attendendum quod in quibuscumque infirmitatis vel imbecillitatis causæ proprietates esse possunt, sive in quibus vna proprietas amplioribus æquivalere potest: talis complexio locum non habet, alioquin conditorem suum in posse creatura transcendat, & Dominum suum plerumque servus quilibet. Amplius; si Spiritus secundùm singulare proce-
C dendi quod possidet proprium, tantum potest, quantum suo vtroque Pater singulare: Spiritus posse Patris alterutro posse validius est. Rursus, si posse singularis proprij Spiritus, non æquè potest ambobus paternis propriis, plura potest in Trinitate singulariter Pater, vt superiora monstrant, quam filius, sive Spiritus. Talium utique ac similium inconvenientium causa origoque Patris habitudo ad Spiritum, quæ à Filio removetur existit. Et quoniam istiusmodi dogma impossibilia sequuntur, reliquum est, vt solùm Pater gignere singulariter, Filius verò gigni, Sanctus quoque Spiritus tantùm emitti possit. Cuius quidem spiritus existentiam personalem, quod ex duobus progreditur opinandum non est, idcircò geminam constitui; sicut in Mathematicis evidens est: punctum enim absque intervallo superpositum puncto, pinarium non pertingit, nec aliud quàm prius fuerit, efficitur. Eodem autem modo linea, si superponatur lineæ, non constituit superficiem, neque crescit, neque in speciem pertransit aliam; hoc idem superficies & consi-
D lium literarum figuræ obtinere putantur. Cùm autem ex toto esse illius qui gignit, eiusque qui gignitur, Spiritus proveniat, omnis excessus, via, imparitatisque singularis personis singulare proprium obtinentibus intercipitur. Quare secundum Latinorum dogma, de nulla Trium complexio necti potest, quod aliqua illarum, plures alia proprietates habeat, vel plura quàm alia possit singulariter. Quicquid enim sic inducitur, ἀκόλουθον, id est, consequens est, sicut anteriora ostendunt. Ergo circumscripta est omnis imparitas, etiam quæ putabatur Spiritus; vel ad Patrem, vel ad Filium, ex eo quod Pater aliquid singulariter, & aliquid potest cum Filio, Filius quoque aliquid singulariter & aliquid potest cum Spiritu, Spiritus etiam aliquid singulariter, & aliquid cum Patre, licet nomen quo exprimatur, forsitan inventum non sit. Sanè quod his orationibus significatur, immediatè Filio iungi,

*ἀκόλουθον.*

causam vel causativum esse tantùm in Trinitate, soli Patri Spirituique convenit, αἴτιον etiam de vtroque tantùm prædicatur. Item differre à Filio, removeri à Filio, aliam personam esse à Filio, & aliam insignitivam proprietatem habere, ambobus ita quod cuique duorum tantùm convenit, quorum æquipollentia reperiuntur similiter apud Filium cum altera duarum. Præterea & alia communia Patri & Filio, Filio & Spiritui, Spiritui & Patri, quæ non habent ad singulos relationem: ut est, duas personas esse, duas insignitivas proprietates habere, & aliqua singularia in Trinitate posse: atque si qua horum similia excogitentur. Quorcirca si Pater & Filius, duo in Trinitate singularia possunt, unum autem Spiritus, nulla imparitas vel inæqualitas colligitur: habet enim id idem cum Patre Spiritus. Et notandum, quod quemadmodum aliud est sensibus commune, ac aliud proprium: commune quidem sensu perceptibilia esse, proprium verò, vt colore, visu, sono aut auditu, percipi: Ita tribus personis commune est insigniri personali proprietate: duabus verò commune est emittere, duabus autem causativum esse, duabus quoque immediatè Filio iungi. His omnibus ad singulos relatis, proprium est autem vt huic quidem gi nere, illi verò gigni, alij autem procedere. Quorum quidem si aliquis vrgeat, esse aliud ex Patre quàm ex Filio, non tamen obtineat, aliam esse atque aliam ex alterutro processionem, vtpotè, si aliud sit iuratum esse Regis, ac aliud hæredis Regij: vna tamē est fides, qua iuratus ab vtroque complectitur, Itaque liquet ex prædictis, quod in Trinitate neque prius, neque posterius, neque principaliter, neque secundario, eo quod Spiritus ex Filio procedat, dicendum est, & quod nō est, ad consequentiam ducendum illud Augustini: Non dicitur de quo genitum est Verbum, & de quo procedit principaliter Spiritus sanctus, non Deus Pater. Nec illud Hieronymi: Credimus in Spiritum sanctum, qui de Patre procedit propriè. Ex quo enim sensu hæc dicta sint, Augustinus statim aperit: Ideò, inquit, addidi principaliter, quia & de Filio Spiritus sanctus procedere reperitur, sed hoc quoque illi Pater gignendo dedit, ut de illo Spiritus sanctus procederet: ergo abusivè dictum est, principaliter & propriè: quod hoc habet Pater à se, non ab alio, Filius autem à patre hoc habet, ut de ipso sit & procedat, sicut de Patre est & procedit Spiritus sanctus: quæ nullam procedendi prorsus faciunt differentiam, quod ex peritia Grammaticæ artis apertè potest intelligi, Ecce Verbum à nullo accipere tempus, participium autem à verbo accipere: & tamen eodem modo utrumque habet, & pariter ambobus convenit tempus: nam per omnem modum vt ex Patre, ita ex Filio procedit Spiritus sanctus. Cui ex his quæ supponuntur, iterum fides præstatur: Si enim Pater solus, vt Græci fatentur, Spiritum sanctum emittit, solius Patris Spiritus sanctus est: nam si Pater non est genitor, nisi geniti ex eo Filij, & Filius non est Filius, nisi generantis se Patris, manifestum quod Spiritus nullius est Spiritus, nisi Patris ipsum emittentis. Qua ex re, si Filij est Spiritus, liquido apparet, quod & ab ipso emittatur. Item, Patris quidem proprium est generare, Filij verò generari, & Spiritus sancti procedere: at Pater solius filij Pater: & Filius solius Patris filius, eo quod ab ipso solo generetur: Quare Spiritus sanctus, Patris solius spiritus est, cùm ab ipso procedat & solo: nam si non procedit ex Filio, neque filij Spiritus est. Cæterùm, Pater illius quem genuit solius Pater est, quia Filius ex quo generatur solo, illius solius est filius, vnde manifestū, quod Spiritus sanctus si non procedit ex Filio, neque Filij spiritus est: hoc autem impossibile. Quare impossibile quod ex hoc sequitur erit, dico autem, Spiritum non procedere ex Filio. Item Spiritus Filij est, non vt ἐνεργούμενος, neque per gratiam, sed secundùm naturam, quemadmodum Patris ex quo manifestè progreditur. Quorum si per naturam alicuius esse Patrem & generare idem est, similiter & per naturam

E *αἴτιον*

F *Proprietatū aliæ communes tribus, aliæ duabus tantum personis, aliæ singulis tantum singularum.*

G

H *Spiritus Energomenus est in possessis malus, in bonis bonus est per gratiam.*

alicuius esse filium, & ab aliquo generari est idem: manifestum quod & per naturam alicuius esse Spiritum, & emittit ab aliquo est idem. Igitur cùm per naturam Spiritus filij sit, & ab ipso emittatur, quoniam verò per naturam habet Filius Spiritum, id est, non per gratiam, nec vt Energumenum, manifestè considerari potest ex eo, quod nihil adventitium, nihil corruptibile, nihilque secabile habet natura Divina, vel aliqua personarum divinarum.

## CAPVT XVII.

AD hæc autem, nequeo præterire sub silentio gravissimam illam obiectionem, quæ tanquam ex tuba emittitur in longitudinem, qua Latinorum implentur aures, & si valdè illicitum putem in Divino nugas confingere, aut confictas proferre huiuscemodi: Ecce, Nicomediæ Præsul cum aliis exclamat: Si ex Patre est Filius, ex Patre autem & Filio Spiritus, Nepos vtique Patris Spiritus est: quia & apud nos nepos proximè quidem est ex quo ducitur, per quem medium ab avo derivatur. Quid dicendum huic aut quid respondendum erit? Hoc neque in naturalibus consecutionem habet: vt ales quidem prima ovum peperit: ex alite autem & ovo, passer prodiit: igitur, quæ progressa est avicula; neptis indicabitur alitis. Multo minus in Divino locum reperit redargutio huiuscemodi, vbi neque corporea generatio est, neque passibile: Omne autem quod talibus generationibus subiacet, necesse est secari: Omne autem quod secatur passibile. Stupesco in talibus, & ideò maximè, quòd non solùm dictus Antistes, sed quicunque contra Latinos scripserunt in hoc negotio, Paralogismo eodem, quo & antiquissimi hæretici, & similibus quæ non habent locum, præter quam in naturalibus vsi sunt. Qua in re, qui hæc opponunt, secundùm apparentiam tantùm, nequaquam autem secundùm veritatem decertant: nihilque sic litigando, contra eos qui è regione veritatem complectuntur aliquod affertur inconveniens. Palàm est haud dubito, ex his quæ dicta sunt. Quod si genitor in eo quod Pater est, habitudinem relationemque habet ad Spiritum, consequitur ex necessitate, propter identitatem habitudinis genitoris, Spiritum genitum esse & filium. Ideoque aut confundi personas, aut fratrem filij Spiritum confingere: quod idem personas confundit. Itaque genitor non in eo quod genitor causa est Spiritus, sed in eo, quod causa principiumque, vt sæpè conculcatum est. Quare neque alienus à Filio Spiritus est, neque absque habitudine ad ipsum indicandus. Sed neque hoc inconveniens. Si Filius non in eo quod Filius Spiritum emittat, cùm Pater non in eo quod Pater Spiritus causa existat, contra quod Nicetas syllogizare conatur. Ait enim: Si Filius non in eo quod Filius, Spiritus causa existat, relinquitur vtique secundùm aliquam aliam habitudinem: Quod si ita est, erit Filius, vt Filius ex causa: vt autem & ipse Spiritus emissor causa: propter quod hinc inde inconvenientia oboriuntur. Aut enim non ex causa existens, habuit Filius emissor Spiritus esse, aut ex causa existens Patre scilicet, atqui si non existens ex causa, erunt rursus in supernaturali & supersubstantiali Trinitate duo principia sine principio: Pater scilicet & Filius. Ideoque duo principia, & duæ causæ: si autem ex causa Filius existens Spiritus emissor sit, omninò ex Patre hoc sortitus est. Nam &, Quod Filius est, & omnia quæcumque habet, per Patrem habere dicitur: sin autem ex patre hoc habet: quæ est ista exhæredatio & detrimentum filialis existentiæ, vt non in eo quod Filius Filium generet, & Pater censeatur, cùm Pater in eo, quod emissor, Filium rursus emissorem Spiritus ostendat? Si enim ex Patre indemnis est Filij generatio, Spiritusque processio quemadmodum emissor Filius ostendetur: necesse omninò, vt detrimentum circa Divinam naturam non inveniatur quòd generet filium, & fit nepos hinc complasmatus aliquis, cùm & emissor Spiritus, in eo quod ex Patre filius monstretur, quod si ita est, congeries impietatis & profunda emerget fovea: Non ergo Spiritus ex Filio procedit, sicut ex Patre. Huiusmodi quidem argumentationes, quibus tollere nititur à filio processionis causam, prudens iste vir, ignorantis apparent magis quàm studiosi. Quærit, quæ exhæredatio ista est & filij detrimentum, vt non in eo quòd Filius Pater sit (quod quidem quærendum non erat, sed multo minus inferendum, vt ex pluribus aliis videri potest, veluti si Pater in eo quod factor filium factorem ostendat. *Omnia* enim *per ipsum facta sunt*: necessarium sit filium Patrem esse, ad ostendendum eum in eo, quod factor genitorem: nullum verò detrimentum circa Divinam naturam inveniatur: quæ fallacia, si de his quæ apud nos sunt, exemplum sumatur, apertissima est hoc modo: si Pater in eo quod desipit, Filium demonstrat insipientem, nulla certò videtur necessitas fatui filij generationem inferre, ne fiat paternæ detrimentum fatuitatis, puto in figura dictionis huiusmodi peccatum obuolui, eo quòd non idem eadem exponatur interpretatione. Etenim huiusce consecutio substantialium est, non proprietatum: quod reclusis considerati potest latibulis, si omissa religione ad modicum divina, mentem ad humani generis propagationem quis revocet. Nonne cuiuslibet hominis filius, cùm omnia quæ Patri substantialia sunt habeat, eorum quæ talia non sunt, minimam interdum portionem retinet? Si Patri substantialiter inesset filij generatio emissioque Spiritus, ex necessitate filius ipsum idem nactus foret, quin etiam & Spiritus sanctus, & hoc in infinitum: sed Pater in eo quod substantia generat, aut Spiritum emittit: Neque in eo, quod Deus à Filio, vel à Spiritu differt, vnus enim & idem Deus hi tres sunt: sed in eo quidem, quod Pater generat à filio differt: in eo autem quod emittit, à Spiritu solo. Qua de re manifestum, quod penes substantialia tantùm, talis locum habet consecutio. Nam indubitabile est personales, sive hypostaticas proprietates, impermutabiles esse, & earum permutationem tantam confusionem & disparitionem personarum facere, quibus solis circumscriptis omnibus aliis, differentes cognoscuntur personæ: at causa, & ut ita dicam, causativum, & mittere & mitti: & quamplures aliæ hypostaticæ non sunt, sive personales: ideoque non fit confusio personarum quando dicitur: Vna causa sancti Spiritus Filius & Pater est. Natura enim quasi res substantia quædam una est, proprietates autem notamina, & differentiæ indivisibilium, & quæ notæ non sunt personarum, In rebus verò creatis contingit eiusdem aliqua differentia, & separabilia esse naturæ, & sæpè nequaquam easdem habere proprietates. Et Filius quidem solus est ex Patre, vt genimen, secundùm illud: *Ego à Patre exivi*, & illud, *de vtero ante luciferum genui te*: non quòd vterum habeat Deus, sed quia legitima frequentiùs germina, uteri cõcipientiũ parturire consueverunt. Nihil ergo aliud sermo innuit, nisi ut certum faciat, quomodo legitimus fructus Patris unigenitus existit, propterea & Spiritus proprius eius est, sicut & Patris, cùm nihil inter omnia quæ Patris sunt existat, quod à filio alienum sit. Omnia, inquit, mea tua, & tua mea. Quomodo ergo Spiritus causam Patri soli attribuere quis audeat? pro foribus habet periculum, dividens à filio Spiritum, dum dicit, non esse ex filio, ex quo existentiam quemadmodum ex Patre habet, sicut monstratum est, qui certè à filio effunditur: sed eius non est possessio, qui munus est Patris & Filij, non factura, docens non ab alio instructus, quia cùm Deus sit, omnia scit, & omnia habet. Nos autem quamquam Dij per ipsum efficiamur, quod efficitur, non est de substantia facientis, sicut quod gignitur est de substantia generantis, ergo Filius de substantia Patris gignitur, & figura substantiæ Patris, quia de illo existit nascibiliter solus: Spiritus verò ex substantia

Patris & Filij est processibiliter. Quorum si Spiritus ex substantia Patris existentiam habet, ex substantia verò filij, cuius est secundùm naturam minimè, separabilis est Pater à filio, & non est substantiæ vnius, vtriusque persona, & inseparabilis: at non est separabilis Pater à filio, cùm eandem cognitionem, eandem substantiam, eandemque vitam habeant. Nam quæ non sunt eiusdem substantiæ, non una cognitione comprehenduntur, neque similiter possunt viuificare. Cùm igitur substantialiter ex vtroque sit spiritus, ex alterutro æqualiter & similiter habet existentiam. Ideo ait: *Sicut cognoscit me Pater, & ego cognosco Patrem:* ita perfectè scio eum sicut & ipse me, inde omnia scio, *quia Pater in me, & ego in Patre.* Quare si Spiritus Patris est: secundùm naturam, & Filij si Patris est substantialiter & Filij. Amat enim Pater filium, & omnia monstrat ei, & exhibet quæcunque ipse habet. Attamen sapientia Patris Filius est, & nihil scit Pater, nec habet sine Filio. Ex quo patet, quod amborum æqualiter sit spiritus, quo Pater Filium diligit, & quam ei non ad mensuram tribuit: diligendo autem Pater Filium, in filio existit, & Filius in Patre, non vt contentum in continente, sed vt quibus esse vnum & idem & æquale est, propterea dicit: *Si me sciretis, & Patrem meum vtique sciretis:* quæ certè consequentia falsitatis arguenda est, si Spiritus ex Filio non procedit. Nam si Pater habet aliquod proprium quod non sit Filij, nequaquam ex filij cognitione perfecta Patris habetur cognitio: quod forsitan hoc modo melius apparebit. Nullius scientia in filio deprehendit quod ad eum non pertinet, ac emittere Spiritum sanctum ad solum Patrem pertinet. Nullius ergo scientia in Filio deprehendit emittere Spiritum sanctum, quod proprium Patris est. Quare non est verum, si Filius scitur & Pater, fugienda sunt ea ex quibus inconuenientia oboriuntur, tenenda verò est veritatis norma, quæ dicit: *Si me sciretis, & Patrem meum vtique sciretis:* quæ quia vera est, manifestum quod ex Filio sicut ex Patre Spiritus prodit. Non separantur personæ, neque distant ab inuicem, sed mutuo absque confusione in se sunt. Quamobrem nos tres homines dicimus, vt tres personæ locis distantes, & quam pluribus aliis & non vnum propriè existentes: at in sancta Trinitate vnus Deus, non tres dij, propter personarum eandem substantiam, & inconfusam ad inuicem capacitatem, non virtute differunt, non tempore extenduntur, non spaciis diuiduntur, quia non est aliquid inter Patrem & Filium, ut antiquior sit existentia Filij Pater: cùm igitur æterna sit Filij communitas ad Patrem, & per omnia par, æterna est Spiritus sancti ad Filium, à quo in nullo, nisi per processionem quemadmodum à Patre differt.

## CAPVT XVIII.

SED adhuc Methonæ Antistes Nicolaus, verborum nouitates excitat suas, quasi Latinorum opiniones existant, cum iniuria pronunciat, & tanquam bonus Athleta in certaminibus, aut sicut in nubibus aquila pullos ad volandum prouocans, extollitur crassaturque in sermone capere, quos nondum intellexit: ait enim: Si quia vnum sunt Pater & Filius, sunt autem omnino natura vnum, ideo vt ex Patre, ita ex Filio dandum est procedere Spiritum, hoc enim nouitas Latini dogmatis appetit, dandum sit & Filium ex necessitate vt ex Patre, ita ex Spiritu generari quoniam & Pater & Spiritus vnum sunt natura. Quod si non ita est, periclitatur Spiritus cum non sit vnum natura cum Patre: & rursus palam fit Macedonius. At hic quidem vir minime veritati appropinquat, Latini quippe non ideò dicunt Spiritum ex Filio esse, quod Pater & Filius vnus Deus sint, nec per aliquam hoc dicere disputatione coacti sunt, sed propterea ex vtroque Spiritum procedere fatentur, quia æqualiter filij atque Patris existit, non condibiliter, non nascibiliter, non possessiuè, sed similiter amborum est, nequaquam vt actus & opus est hominis, sed quodammodo vt radij alma lux existit & solis. Amplius autem, & ex hoc manifestum est, Filij esse Spiritum & ex Filio, quoniam Filius per se figura est personæ Patris, & æqua, vt ita dicam, mensura magnitudinis eiusdem personæ ac æquilibris, cum ergo figura personæ Patris par sit, ac personæ figuræ, enuntiatur autem de persona Patris Spiritum prouenire, necesse cùm idem Spiritus sit filij, per omnia Patris comparis, & de ipso enunciari: quare si procedit ex Patre Spiritus, procedit ex Filio, aut non est æquilibris, & par figura personæ Patris. Item, Figura par est magnitudini ac personæ Patris. Ex magnitudine verò & persona enunciatur Spiritum procedere: quare idem ipsum & ex figura enunciabitur: emittit igitur Filius Spiritum sicut & Pater. Opponet autem aliquis Spiritus par est personæ Patris: at verò de persona Patris enunciatur habere Filium. Quare idem de Spiritu prædicabitur, & erit Filius filius Spiritus sancti. Sed dico non esse huiusmodi æquipollentem comparationem, eo quod nunquam datum sit Filium æqualiter esse Patris ac Spiritus, cùm omnes confiteantur Spiritum æqualiter esse Filij atque Patris. Quare in quibus quidem nihil indignum nec indecens Diuinas personas consequitur, in his Patrem dicimus causam, & Filium concausam, nec aliqua iniuria Filio Patriue, aut sancto Spiritui corrogatur. Nam in legationibus & donationibus Spiritus, semper Patris Filius consors est: at Spiritum dicere Patrem, seu Filium Spiritus filium appellare, execrabile profanumque est. Sed neque propositio illa quæ dicit; Emissionem Patri & Filio communem esse, proprium paternæ personæ, quo aptus natus est insigniri, Pater solus intereunit: hoc autem paternitas est & sola, secundùm quam vt ex anterioribus liquet, emissor non videtur, sed solùm Pater. Quælibet proprietas in omnibus quæ ab ea denominantur, nominis sui principium seruare consueuit, vt caliditas calidi, & frigiditas frigidi. Nulla vtique proprietas circa suum quod consideratur singulare, dupliciter in principio denominari facit: at paternitas vna, sola proprietas, & circa solum Patrem consideratur. Itaque secundùm paternitatem tantùm Pater dicitur, & non emissor. Trium egere quod ab aliquo denominatur, dicunt Philosophi: Rei, à qua denominatur: nominis quoque: amplius autem, & solius dissimilis terminationis: quodcumque horum trium defecerit, impedit denominationem. Manifestum itaque, quòd emissor neque à paternitate, neque à filiatione denominatur. Qua ex re patet genitorem secundùm aliam proprietatem generare, ac secundùm aliam emittere Spiritum. Et attendendum, quoniam non propter honoris parilitatem Patris & Filij, vt ex Patre, sic ex Filio Spiritus procedit. Si enim propter honoris parilitatem ex ambobus Spiritus emanaret, consequi videretur, vt Filius propter honoris parilitatem sicut est ex Patre, ita & ex Spiritu esset. Quod Methonæ astruit Episcopus, qui veras in his quæ intulit, inuitus reperietur: ait enim: Duobus eiusdem honoris à Patre progredientibus, si alterum alteri existentiæ usum præstet, alterum æqualem alteri decet reddere gratiam, ut honoris æqualitatem ambo conseruent: quod si non retribuit, ubi est incommutabilis ordinis obseruantia? Et si quidem non potest, languidus est: si verò non vult, inuidus. Vah, bonus Spiritus, & rectus, & principalis eiusdem potentiæ secundùm naturam, Filio Patrique consubstantialis. Hic quidem Vir, & omnis intelligere volens, verum esse quod dictum est, reperiet: Spiritum sanè Filio æqualem, vt Deus Deo gratiam reddit. Nam qualem gratiam Pater ex ipso prodiens retribuit, eandem Filio recompensat, ex ipso procedens: vtrumque enim emissum dicitur, & est. Ex his ergo quæ dicta sunt, vt arbitror: soluetur & Nicomediæ Præsulis instantia, quæ dicit, In quocumque communicat Filius Patri, non magis & minus communicat:

Secundū proprietatem & aliā generare & emittere Patrem.

communicat: si igitur in causa ei communicat æqualiter communicare debet: Quod si æqualiter communicat, erit utique ut emissor, sic & genitor, nam ambo ad causæ rationem referuntur. Sin autem non ita est, qua ratione dimidiam & non totam habebit causam? quod enim ex dimidio imperfectum, nihil autem eorum quæ circa Dominum, imperfectum est. Demiror virum hunc, tum quidem, quod veluti mixtionem substantialium ac proprietatum faciat: causa enim non est de substantialibus, neque Hypostatica sive personalis proprietas, sicut prius dictum est: tum autem, quod quasi ab univoca voce facit conclusionem: sed causa hic nomen univocum non est, nec etiam æquivocum proprie ut quidam putant. Dicunt enim ideò æquivocum non esse, quòd ostendat causatum communitatem, secundùm quam communiter habent habitudinem aliquam, ad ea, ex ipsis sunt causis: sed nulla rerum communitas in æquivocis, secundum æquivocum nomen consideratur, habent autem causæ hoc æqualiter commune: primas esse, quorum sunt causæ: aut potestate, aut actu, ideóque non est homonymum. Quod verò non sit univocum, hoc manifestum est. Nam univocum habitudinem habet, ad rem indifferenter, ut una eadémque ratio eorum omnium sit, quæ sub univoca voce continentur: at hic non est eadem ratio quæ Patri competat & emissori: secundum aliam quippe rationem Pater genitor dicitur, & secundùm aliam emissor, sicut jam demonstratum est. Talia verò proponentes dicunt, quod hoc nomen causa sit, quasi ab uno ad unum. Denique cujus veritatis consequentia esse potest, quæ dicit: Si Filius in causa Patri communicat, & in qualibet: aut iterum, si in aliqua & in qualibet (talem enim sensum facere videtur superius posita propositio) ad neutrum antecedens sequitur consequens. Indefinita enim particularem, non universalem inferre consuevit. Verumtamen inficianda non est propositio quæ dicit: Filium æqualiter Patri communicare in quo communicat: qui cùm in emittendo Spiritum Patri communicet, nequaquam in generando eidem participat. Solus autem Pater generat, solus autem Spiritum non emittit. Propterea ex simili potest dignosci fallacia hujusce, & Filij ac sancti Spiritus singularis communitas hoc modo: In quocumque Spiritus Filio communicat, æqualiter & non secundum magis & minus communicat: si ergo communicat ei in consolatione paterna, æqualiter omnino communicare debet. Quod si ita est, erit utique, ut paracletus, ita & Verbum, ambo enim ad consolandi rationem referuntur: sin autem ita non est, qua ratione dimidiam & non totam habebit causam consolationis paternæ? Quod enim dimidiatum est, imperfectum est, habent autem & alia communia Spiritus & Filius, profectò sicut Trinitatem trium, sic & duorum tantùm, Filij scilicet, & Spiritus communitatem scriptura exprimit. Vnitatem quidem Moyses parabolicè, ac Trinitatem insinuando producit: *Audi*, inquit, *Israel Dominus Deus tuus, Deus unus est*: in quo & unitatem docet, & Trinitatem quodammodo manifestat. Semel enim dicendo Dominus, bisque Deus, Trinitatis numerum edisseruit: subjungendo autem unus est, commodam fidelibus doctrinam attribuit unius Dei: una enim est sanctæ Trinitatis substantia, virtus & voluntas: hoc idem & cœlicarum virtutum agmen Deo hymnum decantantium, cùm ter Sànctus, semélque Dominus dicant, confitentur: & in altero quidem numerum monstrant proprietatum, in altero autem unitatem naturæ commemorant. Ex quo iterum evidentissimè tres esse Divinas personas, unius substantiæ apparet. Sed enim Salvator, in Evangelio indivisibile ac inseparabile sanctæ Trinitatis confitetur, dicens diabolo: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* Et alibi: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*: putasne quia non dixit Dominum Deum tuum & Filium ejus, non oporteat nos diligere, magis autem condiligere Patri Filium, sanctùmque amborum Spiritum? hic quidem est Spiritus, qui solus Divinus est. Nulla certè creaturarum, Divinus, vel sanctificationis spiritus dicitur: verum hoc nomen Divinum per se tribus personis tantùm convenire, manifestum Paulus facit, cum Athenienses propter simulachra, superstitiosos vocet, ut in Actibus Lucas his verbis refert: *Genus cùm simus Dei, non debemus æstimare, auro vel argento, aut lapidi sculpturæ, artis, & cogitationis hominum Divinum esse simile*: sed de Filio & Spiritu dicit Propheta, ut quidam autumant, ex persona Christi ostendimus se, & Spiritum Patrem misisse: *Dominus*, inquit, *misit me, & Spiritum eius.* De missione quoque Spiritus Salomon testatur in libro Sapientiæ his verbis: *Difficile æstimamus quæ in terris sunt, & quæ in prospectu sunt invenimus cum labore: quæ autem in cœlis sunt, quis investigavit? sensum autem tuum quis sciuit? nisi tu dederis sapientiam, & miseris Spiritum sanctum tuum de altissimis.* Ideò Salvator perhibet in Evangelio: *Si diligitis me*, inquit, *mandata mea servate, & ego rogabo Patrem & alium paracletum mittet vobis.* Alium dicit paracletum, ut me. Et iterum: *Hoc locutus sum vobis, paracletus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo* (id est, in virtute mea, & per me) *ipse vos docebit omnia.* Palam est igitur ex his quæ dicta sunt, quòd Filius & Spiritus aliquid præter Patrem commune habent: hoc est paracletum esse, ex Patre existens, quod nullum creatorum habere potest: manifestare paternum nomen hominibus ac voluntatem, utpote illi, qui eam bene noverunt & perfectè, quod nulli contigit creaturarum, quare non sit inconveniens, si Filius una causa, unúmque cum Patre est principium Spiritus sancti.

Joan. 7.

## CAPVT XIX.

SEd magnopere observandum, quòd principium sive causa, ut ex superioribus liquet, cùm referuntur ad Spiritum, nec Patri tantùm, nec Filio tantum convenire singulariter piè intelliguntur. Ambobus enim sine metu dilapsis fidei stabilibus vestigiis, propriè attribuantur. Verum cùm Deus de Deo, lumen de lumine, principium de principio dicitur, Filius in singulis clausulis intelligitur, quemadmodum cùm dicitur ingenitus principium est Filij sive causa: utrobique Pater concipitur. Nihil enim, ut puto, refert dicere, ingenitus est principium, sive causa geniti, & ingenitus esse præstat genito, & Pater est principium Filij, & Pater est existentiæ causa Verbo. In talibus quippe locutionibus principium sive causa circumscripta, qualibet alia proprietate, de Patre solo intelligentiam faciunt. Propterea secundum Dialecticorum regulam, eorum quæ simul sunt natura, neutrum alteri causa est ut sit. Non enim Pater, sed res quæ Pater est Filio ut sit, causa est. Similiter autem neque Filius, sed res quæ Filius est, Patri causa est ut sit. Pater namque tunc sit cùm Filius fuerit. Aiunt ergo, cùm Pater Filio tempore prior non sit, causa verò cujuslibet rei prior est actu vel potestate illo, cujus causa existit, manifestum satis est, quod neutrum neutri causam existentiæ præstet. Quæ sententia de primo Patre ac superno non est particeps veritatis, est enim Pater causa Filij: sed non quod Pater est simpliciter, videtur causa esse Filij existentiæ: nempe cùm Dominus ingenitum principium geniti, & genitorem esse causam verbi, non substantia quæ Pater est simpliciter, sed Pater videtur in singulis intelligi. Eodem quoque cùm dicitur Deus de Deo, lumen de lumine, principium de principio, non substantia quæ Filius est, sed Filius simpliciter concipitur, ex singulorum prolatione nominativorum, tanquam in qualibet clausula hoc exprimatur: Filius de Patre existit, & Deus quidem de Deo, lumen de lumine à sanctis Patribus conscribitur: principium autem de

A principio. Secundum quam rationem causa rectissimè pronuntiatur, in ejusdem Filij nativitatis Sermone, videlicet: Christus nascitur, gloriamini: Magnus in Theologia Gregorius, dogmati Latinorum perhibens testimonium, his verbis depromit, dicens: Erat Dei verbum ante sæcula invisibile, incomprehensibile, incorporeum, ex principio principium, ex lumine lumen, fons vitæ ac immortalitatis. Quod certè verbum, si causa paracleti principiúmque minimè sit, vanè ipsum solum de principio nuncupatur principium. Nimirum Spiritus, & de Deo Deus est, & de lumine lumen, & de principio cum Patre ac eodem Verbo creaturæ omnis principium atque causa existit. Verum Deus Dei, causa causæ, lumen luminis, sive principium principij, Divinæ consuetudo scripturæ haud multum utitur. Ergo Pater solus causa sive principium est Filij, quoniam solus generat, & unigenitum Dei verbum ob id solius Patris dicitur: quod solum ab illo generetur. Sanctus verò Spiritus neutrius tantum dicitur, sed amborum pariter. Ex quo

B rursus apparet Deum Patrem, & Filium existentiæ causam præstare sancto Spiritui, nec paternum impedit proprium, si Filius cum genitore suo Spiritum ut mittit, emittat.

## CAPUT XX.

IGitur nullus strideat erroribus divulsus, nullus stygio calmo patientis lapsum fidei vectetur irremeabilis ad tartarum, nullus totius aspectum veri Solis excludat à se, nullus distorto libramento veritati objectus, dictarum orationum pervertat interpretationem: sed altiùs menti habeat infixum, quòd præses simplicitatis Deus cùm sit, ab emissione Spiritus, unigenitum Filium suum, quamvis nullius egeat, & nulla unquam re inferior esse possit, excludit. Et quoniam solvendis adhuc omnibus multa supersunt, & LEONIS dilecti fratris, qui est ingenij mei acumen, hujusque suscepti laboris incentivum, calamus, tum quod Imperialium vacet Epistolarum interpretationibus, tum quod nuper per Hellespontum in Asiaticam trans-

C fretavit plagam, cum Augustissimo Principe EMANUELE, solitum scribendi obsequium continuare nequeat, hic respitando, cogor modicum instringere.

Calmo. pro kalmo.

## IN LIBRUM DE HÆRESIBUS, QUAS IN LATINOS GRÆCI Devolvunt, Secundum HUGONIS ETERIANI,

D

### PRÆFATIO.

*REDITUS tuus, germane mi LEO TUSCE, illidentium cor æstuum, anhelos exhausit fomites: & æternarum personarum indagandæ studium propaginis, admodum confortavit. Nam cùm animi tui honestate inculti prudentia addita comprobat, & quasi liquore perfusa cœlesti, securitatem habere spectandi aliena certamina vaticinatur, plurimum germana opitulatur sollicitudini. Cùm verò astruit nihil verendum esse ulterius gravissimorum judicum examen, si quod de magnis, excellentibus, majestate præclaris, & optimis per naturam rebus concepi, edisseram. Leve reddit enim inexplicabile visum, summi principatus eminentiáque dignitatis. Qua de re mentis acies noctu interdiúque post tuum discessum, tanquámve perculis pungeret, coarctata latitudinem aëriam de inanimata cogitatione pervagari suspicatur, & aliquid attingere Lyricæ dulcedinis. Quod futurum esse haud ambigo, si commoditate intelligendi, prætermissis divite vena eloquij, ampullis eloquentiæ, multiplicibúsque figuris, quas luculenta exigere oratio solet, conceptum sermonem, quoad licet, explicare coner absolutis rationibus. Nempe difficiles sunt aditus, & multa sunt ostia, quæ recipiendum tum excludunt, tum difficulter se aperiunt, vix pulsanti facientia intentioni locum. Idcirco cùm in talibus suam exerceat invidiam fortuna, millia vectium ante quamlibet sit introitus, probabilium necessariorúmque argumentorum numero locupletè perfringenda sunt. Quis haud mediocriter animus irritatus, ad mulctram venire perquirit, ac perpensius indagare, qui sanguinem, qui lactis dulcedinem instillent. Cujus propositi executionisque, ut neque nos, neq; alios pœniteat, unctione non luctantium in palæstra opus est, sed lætitiæ oleo, inspiratione, scilicet Dei, ac spiratione, qui machinam hanc omnem, & septenum flammantium coruscantes globos regit, luminisq; immensi universam continet æthercam charitatem. Hunc igitur supremum rerum conditorem invoco, ut occurrat esurienti cum panibus, & operis incepti cumulatam completionem largiatur. Namque sine illo spes obtinendæ finis expers est, impetus dicendi cassus, inutilis utilitas, errórque perniciosus. Profectò non est humani consilij, tantarum rerum investigatio, indefessa vitæ opera redundans, & laudabilis speculabunda tua solertia Frater instantia. Verùm eodem Spiritu afflatus, de quo sermo instituitur, ut Æthnei Cyclopes chalybem inceptum urges, & grandioribus & sonantioribus verbis septemplicis fistulæ, attribuis peritiam, tanquam Philosophiæ illius thesaurum in Fratre reperèris. Cùm igitur vestibuli pariter formidolosæ disputationis, ejusdémque consummatoriis te desiderantissimum intuear, longos anfractus gravitate delectos, circumscribere tentabo: & inter Cetrina seu Cypressina laquearia, dirigam cursum incepta orationis. Quo in proposito multum præstat fiducia illud Evangelij: Ubi fuit corpus, illic congregabuntur & aquilæ, aliorúmque alitum grex, talis corporis carne vescentium. Etenim ubi veritas est Christianæ fidei, Sanctorum exuberant testimonia: & unguentum scilicet, Spiritus sanctus, diluendo tenebras mendacij, descendit in barbam Aaron, hoc est, in eos qui ejusmodi veritatem colunt, vomeréque rectitudinis insulcant. Cæterùm tales nunquam contradictio, ceu nec procella Oceanum, derelinquit, eò quod natalis soli consuetudo pertinax existat, nec exui valeat de facili patritus amictus. Tu quidem satis ad unguem nosti, qualiter adversariorum agmen, instituto sermoni obviaturum sit: qui certè si fuerit incastigatus, ut vitis amputata, jocunditate fructuum ac suavitate privabitur: astuta enim hominum natio, quæ absque amaritudine fellis esse nequit, minimè quatienda stabilitate antiquitatis spreta, intempestivos plerumque sermones magis vanitate, quàm veritate amplectitur. Nimirum ab eadem flamma quædã aduruntur, alia vix calefiunt, & quædam dealbantur, velut argentũ, alia denigrescunt, ut æs. Ad hoc circunspectissima divini sermonis cautela, nihil sui violatum iri patitur, quæ necessitatem incommodi extraposita, inferre prohibet cum celeritate pedem in rem difficillimam. Ea namque sive cominus sive eminus cernatur, inopinatis recessibus arcet enodare cupientem, tanquam molestum interpellatorem, aucupantem intelligentiam candoris splendidissimi. Postremò non videtur debilis refellenda calumnia domestica exercitatio, sollicitudo Græcorum quotidiana, velamine forsitan obtecta, adeò firmatum argumentationum, ut æra nostri communis perfugij, ab inferentibus liquefieri putentur. Propterea contentioribus flagrans acerrimis, animo nocendi, ut accipiter, magis armatū quàm unguibus. Hinc ut æstimo usque in præsens factum est, quod eorum insimulatio, nullis depugnatoribus lenita, imò latius sit diffusum opinione malum, adeout Catholicæ fidei, germanæque justitiæ regulam violarit. Quocirca quanto majus*

E Pocula:

F

G

Græcia astuta.

H

discrimen

A *discrimen est, tanto invigilandum acrius, in hoc quem flagitas sermone, eodem priori genere argumentandi futuro, desiderante hoc materia. Et quoniam calamus nisi scriba manu moveatur, ipse naturaliter nihil gerit, age mi Frater, dimidia mei pars, sicut jam data chartis indidisti laudastique, duce Deo aggredere dicenda: Consequentia enim mutuo antecedentia complectentur, & publicæ utilitatis explorando, præmium sensuum firmitati, quam nitori verborum accommodabuntur.*

# DE HÆRESIBVS QVAS GRÆCI IN LATINOS DEVOLVVNT, SIVE Quod Spiritus Sanctus ex utroque, Patre scilicet & Filio procedat, contra Græcos HVGONIS ETERIANI,

B

## *LIBER SECVNDVS.*

### CAPVT I.

DE Patre Deo, & ejus substantia Filio, ac Spiritu prodeuntibus differenter, cùm unica inter Christianos confessio esse deberet (proh dolor) varia, ut de mundi genitura inter Philosophos, versatur opinio. Quorum hi quidem hunc mundum æternum esse asserebant, atque ingenitum, dicentes: Hunc mundum, neque quis Deorum, neque hominum fecit, sed erat semper. Quidam verò genitum esse arbitrabant, pro eo solum, quòd sensilis sit, non quod ab aliquo tempore inceperit. Nam sic genita necessariò anteit tempus, cùm sub aliquo tempore sortita existentiam, ut Aristoteles dicit: qui sine ingenitum secundum hoc dicit mundum, quod ipsum non præcesserit tempus: Genitum verò rursus, ut quod suam existentiam à Divina causa susceperit, sicut idem in libro de Cœlo, ait: Cœlum quidem movet quod non movetur, neque fit melius illo existens. Et rursus in Metaphysicis circa principium: Deus quidem videtur causatum omnibus esse principium aliquod. Impossibile est enim, primæ causæ generationem esse: nam ut quilibet effectus à causa efficiente aliqua fit, sic & omne quod gignitur ab aliquo gignente gignitur. Quare secundùm Aristotelem: Deus prima causa est omnium invisibilium atque visibilium, hic Deus unum simplex est, quo simplicius excogitari nequeat. Cujus omnia participant, & quod ipso non participat nihil est, participatur quidem Deus non sensibiliter, nec obtentus loco ab iis qui participant, sed absque habitudine totus in participatione singulorum existit, & totus excipitur ab omnibus, quod per simile quidam Sanctorum demonstraverunt, dicentes: Sicut grandis & acutæ vocis, qui præsentes sunt universi secundùm propriam virtutem, juvenes, pueri, fœmineus sexus, senes quoque, irrationabilia etiam participant, vox tamen quæ ab his participata est, in se ipsa perseverat imparticipabilis: ita Deus secundùm substantiam, nec participatur, nec cognoscitur: verùm dicitur participari, in eo quod ut ex efficiente causa, sunt omnia, & in ipso continentur omnia, in eo quod sunt, ut magnus perhibet Dionysius. Ab uno quoque, inquit, Deus, & à nullo in parte aliqua, veluti centrum in medio circuli, ab omnibus, circulo lineis circumjacentibus participatur, ut sicut sigilli alicujus singulare, insignitiones prototypo participant sigillo, penes unamquamque insignitionem toto & eodem, sed in nulla secundùm aliquam partem existente. Igitur Deus licet à pluribus participetur, unus est, non ut numerorum principium, sed ut ab omnibus exceptus, nihilque post se habens quod ei communicetur. Unde hoc sæculum, quod dum fit esse habet à divina causa existentiam suscipiens, nequaquam à se persistit, neque propriè unum est, cùm divisibile sit, & parti partem subjiciat: atqui quod propriè indivisibile est, indistans, & se totum suo toti coaptari necesse est: quod per se verè existit, principiumque non habet, divisibile autem quodlibet distantiam habet, & extrinsecus esse contrahit. Cæterùm solus Deus cùm nihil extrinsecus habeat, verè indivisibilis, & unus est, sicut ipse Moysen instruit: *Ego enim, inquit, sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti:* & præcipiendo non dividere cultum ait: *Non erunt tibi Dii prater me alii.* Deinde planè quod nihil ei eorum quæ possunt videri conveniat, ostendit dicens: *Non facias tibi sculptile, neque omnem similitudinem eorum qua sunt in cœlo desuper, & qua sunt in terra deorsum, & qua in aquis subtus terram* vocem audisti, formam non vidisti. Nullam figuram operaberis, quia Dominus Deus tuus unus est; divisibilis non est, nec extrinsecus esse habet, indivisibiliter divisibilia, sine tempore quæ sunt in tempore, ac permutabilia sine permutatione cognoscit. Et quanquam indivisibilis sit Deus, ut ostensum est, dividere tamen in Trinitatem quæ indissolubilis est & inscissilis, neque partibus compacta est, neque in substantivo est, ut actu, vel potestate substantivum deferens, non existendo dispareat, sed est sempiterna æternitas, collectum esse habens simul omne nequaquam effusa vel explicita, ob temporis productionem: hæc quidem Trinitas omnia simul continet, omnia simul providet, omnia simul & sola mensurat, à nullo mensurata. Námque tempus particulariter mensurat quæ temporalia sunt. Ea verò simul omnia quasi mensuratis conspicitur rebus mensurat: differt certè ab his quæ fiunt prorsus, atque ab omnibus quæ futura sunt, cùm neque fuit, neque erit, sed cùm proprium ejus sit, tota simul præsens est, & non hoc quidem ejus subsistit, hoc verò jam subsistet, & nondum est. Infinita est, & non habet prius & posterius, sine materia est, & supra omnem simplicitatem, supra omnem terminum, supra omnem intellectum, & supra universæ rationalis creaturæ comprehensionem existit, sicut magnus scribit Dionysius. Non ut mentem, inquit, vel substantiam laudare licitum est, Thearchicam supersistentiam, quæ omnium essentium suprema est, ut ante omnia existens, & omnia continens in se, ab omnibus ut supersubstantialis excepta super bona, sursum initiale principium, adeò ut nihil eorum quæ de ipsa dicentur propriè dici queat. Ex quo ut arbitror fit, quòd in ejus divisione peccatur à pluribus, de quibus verendum est, ne odore mortificentur vitæ, dum asserere conantur, optimo, velut Ericius, unguento suffocari, quod nullo modo divina scriptura peperit. Quorum unus est Nicetas Byzantius Philosophus, qui adversus proximum vana confingendo, suas in hunc modum complicat argumentationes.

Variæ opiniones de mundo. 1

C 2

Deus prima causa omnium.

D

E

F

G

H

### CAPVT II.

SI Spiritus, inquit, procedit ex Filio sicut ex Patre, aut secundùm eandem processionem, aut secundùm differentem, si differens, aut prior est aut deterior. Quod si potior erit prorsus Patre Filius melior. Nam quorum secundùm naturam emissio potior,

A omninò & ipsa meliora sunt. Quod si pejor, erit Spiritus seipso deterior, & potior, eò quod differenti processione habeat existentiam : sed & Filius minimè consubstantialis Deo Patrique : Nempe, quorum secundùm naturam emissiones deterius habent, horum & naturæ deteriores sunt. Quod si æqualis eadem erit paternæ, si eadem : quæro utrum actu compleat existentiam Spiritus an non ? Si non complet ? Frustra est : nihil autem circa Deum frustra. Si opere complet ? Imperfecta est ex Patre emissio, quamobrem ipsámque assumit. Si perfecta est paterna Spiritus emissio, quomodo enim non, cùm perfectam existentiam Spiritui efficiat ? Superabundat rursus quæ ex Filio ? nihil præstat enim circa Spiritum completionis, eo quòd illa quæ ex Filio eadem paternæ sit, etiam propter existentiæ Spiritus simplicitatem. Quid huic respondebo ? cum fiducia confiteor, quod æqualis, magis autem eadem. Quæstio verò quæ sequitur : Utrum compleat existentiam Spiritus an non ? duorum mihi facit indicium : tum quòd indigens sit ea quæ

B ex Patre, quod nullo modo standum est : tum quod plena sit emissio Spiritus, ut ex Patre illa quæ est ex Filio, quod pium est confiteri. Quocirca si non complet, ergo frustra non consequitur. Quam enim potest habere consequentiam, si paterna emissio indiga non est, frustra eam esse quæ ex Filio ? Neque hoc rursus colligitur : si confert, id est, actu complet, imperfecta est Patris emissio : Non enim ex parte Pater, sive Filius Spiritum, sed ex toto & perfectè uterque pariter emittit : Solus enim Filius existit de Patre absque medio, idcóque perfectè Spiritum emittit sicut Pater : qui existens in Patre, non aliunde habet ut sit Filius, & Pater in ipso est, quia nihil habet ei dissimile. Imago quippe Patris est Filius, & in ipso tanquam in imagine paterna cognoscitur. Signaculum existit verum Dei Verbum in se repræsentando Patrem : propterea Spiritum perfectè ut ipse Pater emittit. Nunquid non dicimus Deum Patrem perfectum, & perfectè eodémque modo Filium ? attamen neuter ind gus

C est. Ad hæc autem quæri similiter potest paucis quibusdam adjectis. Salvator in Evangelio loquitur : Nemo cognoscit quis est Filius, nisi Pater, & quis Pater nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare, & hoc merito, quod ejusdem sum, inquit, cum eo naturæ ac consubstantiæ, & sicut illum nullus novit, sic neque me nisi Pater solus, & hoc majus omnibus est quod habeo nosse Patrem, & ejusdem cum eo substantiæ ac naturæ consistere. Quare Filius novit Patrem, Pater Filium ? Revelat se utique Pater, revelat se & Filius, Pater quidem se revelat, ut Salvator Petro respondens, perhibet : *Beatus es Simon Bar-jona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui est in cœlis.* Revelavit quoque & Filius Patrem & seipsum, non tamen sicut ipse seipsum novit, sed quantum nosse potest qui dignus existit revelatione. Nam Ezechieli à lumbis sursùm in electri specie apparuit : Danieli verò antiquus dierum, velatus autem à Seraphim, Esaiæ : Patrem etiam ipse similiter revelat : *Ego enim*, inquit, *in Patre, & Pater in me, & qui videt me, videt & Patrem*, uterque igitur Pater & Filius Petro revelavit. Age itaque, eadem vel diversa revelatione, omnimodo eandem confiteri oportet. Quod si eadem, quærendum est, utrùm actu compleat Petri cognitionem Filij revelatio, an non ? Si actu & opere compleat, frustra est Filij revelatio, sed Deus nihil in vanum facit : si actu & opere complet, paterna erit imperfecta revelatio, atque propterea illam assumit : si verò perfecta Patris revelatio est, superabundat rursus Filij, hoc quoniam non provenit manifestum, cùm neque defectus, neque separatio sive divisio in Divinis apparere vel esse possit personis. Igitur æqualiter revelant, at non quantum ipsi sciunt, sed quantum ij quibus fit revelatio capere queunt : Pater quidem & Filius non per revelationem se vicissim, sed per naturam cognoscunt. Creaturæ verò rationa-

Ezec. 1. Dan 7. D Esa. 6.

E les, gratia cognitionem accipiunt, atque revelationem. Tollendo enim superjacens cordi nostro velamen, se ipsum nobis uterque revelat, in Patre. Nullus quippe divinam Trinitatem, eo quòd ultra omnem intelligentiam sit reposita cognoscit, idcóque sola à se sola cognoscitur, sicut Evangelista dicendo præcinit : *Deum nemo vidit unquam.* Certè nisi eandem de Deo scientiam quis habeat, quod nulli contigit, nec futurum est, verè ipse seipsum novit, cum nosse non est possibile, quod ex hoc manifestum esse potest. Omnis scientia, aut sensu, aut intellectu, aut similitudine, seu imaginatione rerum veritatis comprehensionem amplectitur. Item : Quinque sunt ex quibus anima cognitionem recipit : Ars, Prudentia, Disciplina, Sapientia, & Mens : sed per nullum horum quis perfectam de Deo cognitionem potest accipere, eóque magis, quod neque in Deo, neque circa Deum sit accidens : quanto enim pauciora in aliquo fuerint accidentia, tanto id cognitu difficilius est, & ampliore opus habet diligentia. Cùm igitur

F in Deo nullum sit accidens, & simile simili cognoscatur eius non potest cognosci substantia. Item : Nulla scientia infinitorum est, nam nisi scibile scientia comprehendat, ipsum nequaquam cognoscit. Deus autem infinitus est, propterea nullo supradictorum modorum comprehendi potest : qui omnem similitudinem corporum incorporalium que, sua puritate transcendit, credi potest, comprehendi omnino non potest, sola ei mente propinquatur, & fide, sine qua neque mens videre potest quæ intelligibilia sunt. Non enim quales facturæ, ut dicit Parmenides, talis & factor : neque quantus ille, tantæ sunt hæ. Igitur cùm pariter revelentur, séque per naturam cognoscant, & æqualiter ac perfectè Spiritum emittant Pater, Filiúsque, manifestum quod ex neutro imperfecta, seu indiga, vel sursum abundans emissio est.

Scientia à quibus rebus.

## CAPUT III.

G Sed unde sermo ad idem regrediatur, rursus Methonæ Antistes, Paralogismos texit ordiendo : Etenim neque simpliciter, neque ad respondentem in hunc modum syllogizat. Si cum Patre, quæ est sine initio & causa, consubstantiale, rursus principium existit filius : duo sunt in Trinitate diversa principia : hoc quidem in eo, quod sine principio est, principatúque dignitatis consolidatum : hoc verò in eo, quod intercidens & initians simul, & initiatum habitudinúmque differentia conjungum sit.

Huic objectioni multa ex adverso responderi possunt, ut ex iis quæ in primo libro posita sunt, evidens est. Nam si Pater & Filius non simpliciter duo dicentur, sed secundum quid, nec alter ab altero separatur, multò minus duo principia, sive duæ causæ, eo quod alterutrer causa sit, sanctique Spiritus princi-

H pium prædicabuntur. Nunquid Verbum Dei Patris Deus cum Deo ? & Deus quidem genitus ex Deo ingenito, at tamen non duo dij genitus & ingenitus, sed unus & idem Deus : sic igitur unum principium, unáque causa Spiritus sancti, qui est sine initio Pater & Filius : qui principium & caput dicitur, ut Hilarius dicit : caput enim omnium Filius est, sed caput Filij Deus est. Duo sanè ubi similia numerandi nomina, rerum aliquam pluralitatem ostendere volunt, etsi earum existendi rationem taceant. Nam neque continuitatem, neque discretionem, neque dividendorum aperiunt differentiam, aliquam tantummodo manifestantia varietatem, quæ nulla inter Patrem & Filium, ex eo quod Spiritui esse præstant : Unum una causa est Spirius uterque. Præbendæ quoque sunt aures & Theologo Gregorio, de eo qui sine initio, de eo qui principium, & de eo qui cum principio, philosophanti hoc modo. Qui sine initio, qui principium, qui cum principio unus Deus. Neque sine initio

Ingenitû non esse quod Deum.

A initio esse, natura est non habētis initium, sive ingenitum: Nulla enim natura, quæ non est hoc aliquid, sed quoniam hoc, rei existentis est positio, non illius quæ non est existit interitus, neque principium. In eo quod principium sit, ab eo qui sine initio dividitur. Non enim natura illi principium, sicut neque illi qui sine initio. Nam circa naturam hæc, sed non sunt hæc natura. Ut qui est cum non habente principium, & cum principio, non est aliud quam illa. Nomen autem illi qui sine initio Pater, illi verò qui principium Filius. Ei autem qui cum principio Spiritus sanctus. Natura quidem tribus una Deus, concordia verò Pater, ex quo, & ad quem referuntur, quæ ex ordine, non ut collidantur, sed ut jungantur. Ecce absolutè sanctus ille vir, Filium vocat principium, & ab ipso Spiritum sanctum numerat, quia principium Spiritus immediate filius est. Creaturarum quippe omnium æqualiter tres personæ principium existunt, ex quo patet, quòd Spiritus sancti principium Filius est. Veruntamen ad Patrem, & quæ Filij, & quæ Spiritus sunt referuntur: qui solus sine initio & sine

B causa est: Filius autem ex Patre genitus, principium est Spiritus sancti, quod syllogismo qui supponuntur, demonstrari potest. Quicquid est in sancta Trinitate principium, alicujus in ea principium existit, alioqnin solum pro nihilo filium sanctus vir principium nominasset, cùm omnium conditorum tres personæ pariter censeantur principium. At verò Filius est in sancta Trinitate principium, Filius igitur alicujus est in ea principium: sed non est Patris principium Filius: necesse igitur, ut Spiritus sancti principium existat. Manifestum ergo ex his quæ dicta sunt, quod principium personas non dividit, cùm Patre & principium, & ἄναρχος in scriptura nominetur. Filius verò licet non dicatur ἄναρχος, ex Patre enim, principium tamen nuncupatur, perfectus ex perfecto Patre, non sicut ex diluculo dies fit: quia non ex imperfecto perfectus, quippe quæ ad esse conducuntur, ab imperfectione veniunt: talis est natura rerum, ut cum ordine progrediātur, dato à providentia. At ille qui in divinis personis ordo inspicitur natura indicibilis, & ineffabilis quamquam sit, hoc tamen pie sentientibus de Trinitate innuit patenter, ut quod pri-

*Ordine creaturæ progrediuntur.*

C mum dicitur, causa illius sit, quod ab ipso numeratur vicinius: ut Pater quidem, qui sine initio causáque, proximus verò huic absque medio filius, qui absque omni dubitatione, secundùm dictam rationem, principium Spiritus existit. Non enim sui ipsius causa Spiritus est, qui Spiritus, quamvis per se repleat, quæ illum habent in se singularia, non tamen ex se provenit. Si enim se ipsum emitteret, antequam emitteretur, esset, & se ipsum cùm non esset emitteret. Quare aut in irritum cedit qui dictus est ordo, aut est necesse Filium Spiritus causam per traditam annumerationem intelligi, ex quo patet, quod falsus est qui dicit: Omne quod de Zoarchica & omni conditrice Trinitate prædicatur, aut communiter de tribus personis, eodémque modo & univocè dictum reperitur, aut de una singulariter: nam missio Spiritus cùm sit ex Patre & Filio, pariter, neque trium communis est, neque singulariter unius. At Nicomediæ Præsul, è regio-

D ne talia diffundens mittitur. Quicquid Deus est, hoc propriè est, neque intercidit sub oppositum, ut Pater propriè, quia non est Filius, & Filius propriè, quia non est Pater: nam natura non propria, quoniam ambo. His igitur sic se habentibus, cùm ex causa, Patre scilicet Filius sit, causa ipse non existit. Nam idem causam & ex causa esse, penes naturam, quæ sectionem non suscipit, immachinabile, sicut ratio demonstravit. Dico quia non est syllogismus, nec ex eo aliquod Latinorum dogma suscipit inconveniens, cùm circa Hypostaticas personaléque proprietates tantùm hoc veritatem contingat. At principium causativúmque talium non sunt, Igitur neque de his vera est propositio, quæ dicit: Quicquid Deus est, hoc propriè existit:

E Nequaquam enim sub hac principium & ex causa esse comprehenduntur, quod quidem Nicæ Gregorius in tertia Homilia Pater noster, manifestum facit dicendo. Proprium Patris non ex causa esse, hoc autem non est propriū in Filio, sive Spiritu: nam Filius à Patre exivit, sicut dicit scriptura: & Spiritus ex Deo & Patre procedit. Sed quemadmodum sine causa esse solius Patris est, & Filio Spirituive convenire non potest, sic versa vice, ex causa esse, proprium Filij atque Spiritus, in Patre perspici naturam non habet: cùm sit commune Filio & Spiritui, & infra: Filius autem cùm ex Deo sit, non est Spiritus, neque dicitur: quia non convertitur habitudinalis hæc consecutio, ut possit æquipollenter per resolutionem oratio converti, ut sicut Christi Spiritum dicimus, ita & Spiritum Christum nominemus. Hac proprietate manifestè ac sine confusione alterum dijudicante ab altero. Ecce purus puro, bonus bono, & rectus innititur recto dogmati. Quicunque igitur astruere audet

F non esse proprium Filij & Spiritus ex causa esse, similiter autem & Spiritum non esse Filij, quemadmodum & Patris multum manifestè hunc virum increpat. Hinc utique manifestum esse potest etiam, quòd causam esse non sit Patris proprium, eo quòd nec ex causa esse sit filij proprium, ut ostensum est: nam si ejus, quod ad aliquid, non est proprium ad aliquid: nec ejus quod ad aliquid, proprium ad aliquid: veluti duplum quidem dicitur ad dimidium, excedens verò ad excessum, non est autem dupli proprium excedens, nec sit dimidij proprium excessum. Similiter autem quoniam dicitur Pater ad Filium, & causa ad causativum. Non est autem proprium Filij ex causa esse, cùm Spiritui conveniat: nec causam esse sit Patris proprium. Et quoniam Spiritus Filij est & Patris, quidam quasi concordiam ipsum vocarunt utriusque: aliqui verò asserunt, quòd animarum nostrarum causa concordia dicatur, quas concordes facit, & in unum convenire. Quamdiu enim Spiritus adest, inquiunt, neque quarum acus scissura connexio scinderetur, propterea Spiritus datus est, ut gentes quæ lingua dividuntur, conjungeret, cujus æqua diligentia est, ut animæ corpus consentiat simplici & uniformi.

*Spiritus concordiā procurat.*

G At verò Methonæ Præsul ante dictis rationibus ex adverso inclamans non traducitur: Si Pater, inquit, eorum causa est, qui ex ipso sunt, secundùm quod major non ratione naturæ, sed ratione personæ: ratio autem paternæ personæ non convenit filio, qua sit ratione unius in Trinitate scilicet Spiritus causa, filius naturæ. Itaque natura major est, & ἀνόματμεχία manifesta, at ratione personæ, ergo coaptabitur rationi personæ Patris, quo filius, à Sabellio, qui cum prodigialiter Patrem asserebat, infamatus est, nulla ratione Spiritus causa filius existit. Nam si eadem ratione causa personæ Spiritus extat filius, qua & Pater eorum qui ex ipso sunt causa est, duo hæc secundum idem accidunt inconvenientia: Patrem quidem dicere filium paternæ Hypostaseos, cùm hic quidem duorum, hic verò unius eorum causa existat, & quod actu compleat Patris personam, quasi ante completionem imminutam, sed neque hoc absque improbatione dimittendum est.

H

## CAPUT IV.

Dico itaque insufficientem esse factam divisionem, quæ Spiritum ex filio, aut ratione naturæ, aut ratione personæ provenire significat, eandem quippe cùm habeant naturam, non est alter ex altero secundùm substantiam: Natura enim seipsam quomodo pariat? Similiter autem neque secundùm personæ rationem. Quemadmodum enim Pater, non in eo quod Pater est tit, ita & filius non in eo, quod filius, causa principiúmque Spiritus. Quapropter ex natura quidem Patris & filij, & ex persona quæ est Pater & quæ est filius, nequaquam verò in eo, quod hic quidem

A quidem Pater, hic verò filius existit: sed in eo quod ei existentiam præstant, Spiritus esse habet: neque sunt duo principia, cùm secundùm spiritus emissionem numerum non suscipiant. Numerus enim non unius neque ejusdem penitùs, sed habentis aliud & aliud, unde cùm de Patre & Filio, quot sint personæ quæritur, duæ respondetur. Cùm verò de indicibili, ac ineffabili causa Spiritus sancti exquiritur diligenter, non duæ Spiritus causæ Pater & Filius, sed una, secundùm dictum concordiæ modum nuncupantur: propterea nec voce significativa differentium principiorum causarúmve sancti Spiritus utendum est: Si enim Dei & hominis Filius una persona est, & Divina humanáque natura unus Christus. Non debet inopinabile duas personas unam Spiritus sancti causam esse videri. Ecce enim apud Grammaticos significat substātiam & qualitatem una causa, unáque significatio nominis existit, secundùm quorum opinionem omne ferè nomen substantiam & qualitatem significat: sed neque quod hæc significat, duo significare, vel aliquod nomen æquivocum dicitur, vel substantia & qualitas, quæ una significatio existunt nominis confunduntur. Manifestum igitur, quod Filius Patris personam ut patientem defectum aliquem non adimplet: neque quispiam ipsum filium partem esse personæ Patris, eo quod Spiritus ex ipso procedat, dicere cogitur. Quomodo enim si filius eadem ratione connumeratur Patri: qua Spiritus, utrique personæ Patris portio inveniatur, filius? Sanè si nata Loth eadem ratione causa est filij qua parens, utriusque causa existit, minimè ipsa in paternæ compositionem personæ adigitur. Amplius, si spiritus nullam habitudinem ad filium haberet, neque ab ipso mitteretur, neque per eundem ex Patre procederet; quin etiam non esset trium personarum uni divinæ communicans proprietati, sed post ipsum existeret, & ejus esset factura, ut dicebat Eunomius. Quare habet spiritus ad filium habitudinem, quemadmodum ad Patrem pariter differens ab utroque. Tres quippe divinæ personæ nullo quidem secundùm naturam modo differunt: secundùm verò personales proprietates non modo differunt, verùm etiam conveniunt. Igitur Filius sicut Pater, Spiritum dat & mittit, & emittit. Ex ipso enim filio exuberat nobis Spiritus, sicut idem ipse testatur: Si quis sitit, veniat ad me, & bibat, qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ: quod Evangelista interpretatur dum subjungit: hæc autem dicebat de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum: aqua viva Spiritus dicitur, ejusque gratia: eo quòd in actu sit, qui si idoneum inveniat habitaculum, non derelinquit, nec evacuatur, cujus gratia præter ipsum de credentium ventre non emanat. Sic enim discipulorum flammantia corda replevit à Christo missus & datus. Ex quo manifestum est, quod plus ipsis: & aliter Apostolis, similiter nobis passibilibus existentibus, Spiritum habuit: qui quamvis grandia in virtute facientes & Spiritum sanctum per orationem & sæpè absque oratione, solo Domini nomine invocato, credentibus darent, nihil à se ipsis operati sunt in rebus hujuscemodi, sed filius sua virtute, & ex se Spiritum dat, quare ex filio procedit spiritus. Sed Nicetas in sententiam hanc disputat, hujusmodi utens prolixis argumentationibus.

## CAPUT V.

Omnis imago, inquit, disparem habet circumferentiam, ad illum, cujus imago esse dicitur, præter illam quæ naturaliter dicta est. Cùm autem homo imago Dei, & ad imaginem Dei conditus, hic cùm duplex sit duplicem ad Zoarchicam Trinitatem ex proportione similitudinem refert: uno quidem modo, quoniam primus homo ingenitus est: plasma enim est: Seth verò genitus, est enim genimen: at Eva neutrum horum, quia sectio est: altero verò modo quoniam mens nostra impassibiliter & sine fluxu generatrix est, quæ in nobis orationis existit: Quippe ratio mentis genimen, sed enim spiritus diversus à mente cùm sit, ac oratione in nobis cum oratione provenit: ergo, quidem in homine consideratur, ad imaginem Dei circa Hypostaticarum proprietatum differentiam, secundum quam ad sanctam Trinitatem ex proportione remetitur similitudinem, incommunicabile est, ad reliquas personas, quæ comprehenduntur sub demonstrata imagine circumferentiæ similitudinis, scilicet. Magis autem cùm non habeat quis fingere, aliquando idioma primi hominis, contingere Seth ut commune: neque quidem Evæ, ad alterutrum genitorem dico & genimen: sive rursus geniminis nascibile Adam vel Evæ. Similiter autem ea quæ quis interius sunt si speculeris, idem videas. Nam mentis idioma, quod quidem illam orationis genitricem constituit, non invenies in oratione, neque orationis, ut nascibilis in mente, neque Spiritus ut Spiritus. Quòd si in his quæ imaginabiliter ex proportione languidiorem aliquam circumferentiam, scilicet, similitudinem habent, incommunicabilis proprietatum differentia invenitur, multo magis in ea, quæ ultra sensum & intelligentiam est. In inalterabili & incommutabili prorsus Trinitate, quis inveniat personalium proprietatum existentiam incommunicabilem? Nam si quod minus videtur inesse, inerit, & quod magis videtur inesse, inerit (videtur autem multo minus, quod in desluxa & creata convertibilique natura est non moveri: Neque commutare proprietates personarum secundum quas ex proportione similitudinem imaginis repræsentat) multo autem magis in ea quæ inconvertibilis & inalterabilis, & semper similiter habens natura, hoc inerit. Quod si verum ut demonstratum est; Non igitur Spiritus emissio, communis est Patris & Filij, ut qui hoc dicunt detestabiliter & maximè impiè agentes dogmatizant. Non est quod cuique videtur verum sicut Protagoras arbitrabatur: ut Solem unius pedis esse, qui centies & septuagies amplior terra ostenditur. Fallitur penè iste Philosophus, dum de Patre Deo ac primo homine ingenitum similiter dici asserit. In quo parum minus Eunomio Hæretico aberrarut videtur: qui divinæ solum substantiæ competere ingenitum, hujusmodi demonstrare argumentationibus conabatur. Non est (aiebat) possibile intellectum iri, eo quod neque secundum privationem intelligatur, quod dicitur ingenitum: Eorum enim quæ secundum naturam privationes sunt, ideóque habitudinibus posteriores: at in Deo nullus præcessit, cujus privationem ingenitum significet.

*Protagoræ sententia de Sole.*

Item: Neque in parte est genitum, in parte verò ingenitum, quod divinum est. Indivisibile enim, neque in ipso est aliquid ut diversum, simplex enim, unum enim, & solum ingenitum cùm sit, ipsa utique substantia ingenita est, unde non est dividenda: ut hoc quidem ejus ingenitum, hoc verò genitum pronuntietur. Primum itaque dicendum, quod talia compositionem non indicunt: dein ingenitum privationem in Deo non ostendere. Consequenter verò, quod adjectionis forsitan, seu subtractionis litteræ unius, ν scilicet, errore traductus est. Nam ingenitum quoniam per unum ν apud Græcos scribitur, quantum hoc nomen increatum significat, & non solùm divinæ naturæ, si sic dicatur, verum tribus competit personis, etenim natura pariter cum personis incausata est. Cùm autem per duos ἀγέννητον scribitur, soli propriè Patri, non Filio, non Spiritui, neque alicui creaturæ convenit: innuens quod nullum principium, nullámque causam per se habeat. Ergo si Divina substantia, agenita dicatur, increata debet intelligi per unum ν, quia cùm duo scribuntur νν, Pater solus, sicut per genitum intelligitur filius: Sanctus verò Spiritus, neque γέννητος, neque ἀγέννητος, quamvis unum sit, quod non generetur vocatur, sicut neque incredulus vocatur,

A neque impius, quamvis, non credat. Neque veneretur, vel colat aliquem exiſtens Deus. Agennitio verò, & his ſimilia, quæ de Deo dicuntur, nullam monſtrant creatoris ad creata ſimilitudinem. Omnis quippe ſimilitudo expoſitione ac exiſtentia, ſed nullam apud Trinitatem Zoarchicam primus homo habuit, ex eo quod fuit ingenitus, ſimilitudinem, cùm ad naturam minimè pertinet ingenitum, vel exiſtentia. Nam ſi ad naturam ſpectaret ingenitum cum animalia omnia ingenita prodierint à principio, eiuſdem vtique omnia naturæ forent. Adam enim, neque in eo quod ingenitus erat genuit, neque Seth in eo, quod genitus, generauit. Cùm igitur Deus quidem dicatur ingenitus, quia nulla eum cauſa præceſſit, Adam verò quia cauſam habuit efficientem Deum, ſcilicet plaſmatorem, alter pro eo, ſcilicet, quod ex traduce non fuerit, nec vteri coarctatus anguſtia ingenitus nuncupetur. Manifeſtum quod eius ingenitus nuncupetur. Manifeſtũ quod eius in genitum non ſit ad Dei ſimilitudinem vel imaginem. Quippè ſi

*Adam quomodo ad Dei imaginem creatus.*

B Adam ex hoc ad imaginem Dei conditus vocetur, ſimili modo irrationalia, quod fari non licet, ad Dei pronunciarentur imaginem condita: ad hoc autem ſciendum eſt ingenitum differentes ſignificationes habere apud Philoſophos. Nam ingenitum dicitur: vno quidem modo, ſi quid nunc eſt quod prius non erat, præter temporis latitudinem ac permutationem: veluti quidam tangi ac moueri dicunt, vno autem cùm aliquid contingit fieri, ac non fieri vt domus: quæ cùm fit, nondum eſt: alio verò, cùm quid omnino impoſſibile eſt fuit, vt quandoque quidem ſit, quandoque vero non, vt Deus Pater, qui neque genitus eſt neque principium ſortitur ex aliquo: Æternus cùm ſit & in ... ff rens, nullius principij cauſam attigit aliquando: qua de re, propriè dicitur, ingenitus. Nominatur quoque principium quaſi procedens cauſa, eo quòd exiſtentiam præſtet, faciat etiam ac expleat. At verò Hæreticorum verſutia, huius contrarium dicebat genitum. eo quòd Dei verbum generationem habeat. Argumentatione vtens huiuſcemodi. Si principium habeat vt ſit, non erat vtique priuſquam gigneretur, &

C erat quando non erat, at non ſic ſub tempore naſcentium eſſe oſtenditur Verbum Dei. Nequaquam hac nomen circumſcribit Verbi naturam. Ex ſubſtantia enim Patris eſt, vt lumen & genimen, & ſic apud illum æternum exiſtit. Cæterum: ingenitum Adæ non erat inſignitiua perſonæ proprietas, nec Euæ ſectio, nec Seth naſcibilitas. Nam omne inſignitiuum, circa rem quam inſignit conſideratur. Ingenitum verò Adæ, non circa rem quæ inſignitur, ſed extrinſecus attenditur: ſimiliter autem & Euæ ſectio: primum enim coſta reſecta eſt, & poſtea Eua formata eſt: ſed notandum quod genitum inſignitiua videtur Filij proprietas, & eius ſolius, quam nullus aliquando filius ſortitur eſt vel ſortietur. Nam ſi omnium filiorum natiuitas inſignitiua proprietas eſſet perſonaliter, omnes eundem perſonæ characterem haberent: Nec autem differunt homines numero, quorum differentiæ inſignitiua proprietas cauſa exiſtit: eo quod ſit, immachinabile in proſpectibus, idem in alio invenire. Nam quæ proprietatem habent eandem, non differunt numero vt enſis; mucro, gladius. Et hæc quidem de ingenito ad monſtrandum

D quod non ſit perſonalis proprietas, neque ſubſtantiã inſigniat adveniens extrinſecus. Propterea breuiter ad obiecta reſponderi poteſt, non eſſe conſequens ſi Adam Eua, Seth, ſupradictis tribus non communicant proprietatibus, quod nullis communicent aliis. Ecce enim anima & corpus neque incorporeum, neque commune habent corporeum: attamen vt ſuperius declaratum eſt, alias quaſdam communes habent proprietates. Hoc quoque modo Pater & Filius ingeniti genitique differentiis differunt: cauſa verò principioque conueniunt, De oratione verò Spiritu & mente dico, quod languida ſimilitudo ſit, & nequaquam familiaris propoſito, vtro modo λόγος ratio, ſive oratio accipiatur: Nam mens rationem non generat, cùm potius ex ipſa

ſuo modo conſtitutionem habere videatur. Quare tantum de ratione cum voce prolata intelligenda eſt comparatio, quæ vt Spiritus adminiſtratur, per corporalia inſtrumenta, & vtrumque diffunditur, & in aëra diſſipatur: In ſancta verè Trinitate genitum & emiſſum incorporaliter, impaſſibiliter, & incommutabiliter. Ex Patre quidem ſolo Filius, ex Patre verò & Filio, abſque paſſione, ſine ſeparatione, & abſque deciſione Spiritus prodit. Apud homines verò non ſic: Nam & Spiritus ſine oratione, vt per gemitus & voces non ſignificatiuas, & oratio ſine mente, vt in temulentis & plenis Dæmonio, aliiſque pluribus reperitur: Sed & mens ſola ſine oratione, abſque ſenſibus, quin etiam ſine phantaſia operatur, dum convertitur ad ſe ipſam, dum incorporalium comprehenſionem amplectitur, dum contemplatur divinum, & dum ſcientiam vniverſalium quæ ſubſiſtere non eſt, in ancipiti meditatur. Subſiſtit enim huiuſmodi communitas, cùm quæ participant, ea indubitanter ſint. Quippè quæ vnius

F Speciei ſunt eandem naturam habent, vt eiuſdem rei participantia: quam contemplari ſecundum ſe, mentis ſolius eſt. Oratio verò & Spiritus per corpus ſemper exercentur. Palam eſt igitur, quod valefaciendum ſit huiuſce argumentationibus, atque ſimilibus, quia nullam fidem ad aliquid colligendum inconveniens conclusioni faciunt. Neque enim per hæc conducere, quod de vna ſola divinæ Maieſtatis perſonarum, aliquod naturæ deitatis idiomatum neque rurſus aliqua proprietas alicuius perſonarum de divina natura prædicetur. Quare omnino innititur veritati, quod ſpiritus emiſſio, Patris Filijque ſit communis: quod Nicomediæ Antiſtes non conſentit, ait enim: Si filius ex cauſa eſt, vt ex Patre, cauſa verò rurſus, vt Spiritus emiſſor: dividitur vtique idem, cùm ſit cauſa, & ex cauſa, At verò ſimplex eſt quod divinum eſt, nec dividitur; igitur ſi eſt cauſa, non eſt ex cauſa, quod enim Deus habet, hoc inſeparabiliter habet, & non ſecundum accidens. Sicut infinito finitum exæquari non poteſt, itaque ei quod ſine materia materiatum: hæc quidem ratio, neque ei quæ materiam habet cauſæ, ritè coaptetur. Niſi

G cauſa ex qua primum ſit aliquid & in quam vltimum reſoluitur accipiatur: qualis eſt prima materia, quæ in quibuſcunque fuerit, ſubſtantiam ſuam conſeruat, ex qua primo elementa fiunt, quæ ſimplicia eſſe per eorum motus Ariſtoteles probat. Vnum enim ſingula naturaliter habent motum, vnamque materiam: Nam vna numero materia, vnius formæ actu ſuſceptiua eſt, quod in compoſitionibus magis patet: vnum enim lignum, non ſimul ſcamnum, menſa & paries eſſe poteſt: licet vna numero ſpecies plura efficiat, vt ars aliqua & quilibet artifex plura, differentiaque conficit. Quòd ſi elementa cùm ſint ex materia & forma & cùm cauſæ ſint ipſa compoſitorum corporum ſimplicitatem non abiiciunt, multo amplius licet cauſa ſit Filius Dei, & ex cauſa in ſua permanet ſimplicitate. Amplius: Actio à ſubſtantia ex qua progreditur tertia exiſtens, à virtute quæ ſubſtantiæ cenſetur effectus, vt abſque medio ex illa proſiliens ſecunda eſt: qua virtus dignitate, vt virtute ſubſtantia, ex qua procedit prior eſt. Ex quo ſatis liquere poteſt, quod ſicut ſubſtantia virtutis, virtus vero actionis cauſa eſt ſimplex &

H individua perſeuerans, ita Pater Filij, Filius verò Spiritus cauſa eſt ſimplex exiſtens & indiviſibilis. Sciendum verò, quod quidam actionem diſtinguentis, dupliciter aiunt eam etiam & circa Patrem Filij & Filium cõſiderari: & vnam quidem dicunt aſſiſtricem, nec prodeuntem extrinſecus, ſecundum quam genitor genituſque ſimiliter & eodem modo Spiritum emittunt. Aliam vero attribuunt naturæ, quæ tres pariter comitatur perſonas ſecundum quam quæ ab ipſis perſonis aliena exiſtunt, ex nihilo Pater, Filius, Spirituſque Sanctus condunt & faciunt Si ergo ex ſubſtantia virtus provenit, ex virtute vero procedit actio. Nec ideo virtus duo, vel aliquod duplex eſt: multo amplius de Patre, qui ſine principio eſt virtus exit,

A filius, scilicet, ex quo, vt ex Patre, Spiritus sancti emanatio profluit. Item: Ex alio dictus Paralogismus falli potest, mens vniformis est, mens seipsam cognoscit: quare quod vniforme est, se ipsum cognoscit. Duplex igitur mens est, cognita, & cognoscens, intellecta, & intelligens: agens, & patiens. Propterea Plato dicebat: Animam semper moueri, id est, se semper cognoscere: quo posito, colligat qui voluerit, quod mens se ipsa potior, & honorificentior, cum faciens patiente honoratius,sit hæc quidem & his similia in rebus quæ materiam compositionemque habent, atque sub tempore suas perficiunt actiones, interdum veritatē obtinent:At in his, quæ sine materia sunt fugit veritas conclusionem. Amplius: Filius mittitur & mittit, sed non ideò duplex est:Ex quo vt suspicor,& alius eiusdem præsulis Paralogismus eneruatur, qui dicit: si Filio esse est à Patre solo, Spiritui autem à Patre & Filio
B duplex ergo, & huic existentiæ ratio: & quomodo duplex, quod compositionem nullam suscipit? Abstendum certè erat ab huiusmodi. Nam,si ideo ex Patre ac Filio Spiritus procedat, duplicem existendi habet rationem, Pater iuxta eandem rationem duplicitatem adinveniet: cùm solus filium generet, non solus verò spiritum mittat & donet. Verum huiusmodi habitudines duplicitatem non inducunt: Et enim causa hoc nomen & causatiuum, vt ita dicam, non hoc aliquid, nec quantum, nec quale quid, sed vt habet, ad aliquid significant. Qua de causa manifestum, quòd nihil talium nominum, in eo quod huiusmodi facit duplicitatem. Si nomina substantiarum significatiua, quantitatum, qualitatumve duplicitatem, de Deo enunciata non inferunt, multo minus hoc facient habitudinum significatiua. Nam Dominus, ostium, via, panis, veritas, vitis, lux, vita dicitur: vna substantia cùm sit, & simplex, propter aliqua idiomata quæ perpiciuntur circa opera ipsius sic nominatur. Rursus Pater ἄναρχος, id est, sine principio: ἀναιτιος, id est sine causa dicitur, ingenitus, genitor & huiusmodi: sed vnum est, secundum subiectum & simplex & indivisibile: non solum ipse Pater, sed & Filius, Sanctusque
C Spiritus: tota nempe Trinitas, ab iis quæ non insunt, frequentissimè nominatur. Eo enim quòd ab homine videri non possit, invisibilis, & inconspicabilis, quia omnem superat intelligentiā, inaccessibilis & infinita: quia corruptione ac morte maior est, incorruptibilis, & immortalis, non incipiens, non quiescens: quasi aliquod pelagus substantiæ infinitum, & interminatum, & si personis diffinita sit, antequam teneatur, dilabens: & antequam intelligatur, profugiens. Hæc quidem non ex his, quæ secundum ipsam, sed ex his, quæ circa ipsam: ex Pátre quidem scimus, sed non ex Patre, imò perfectè credimus, quòd Pater generet Filium, & cum Filio pariter Spiritum emittat:quod quidam inficiantur, non bene. Nam Spiritus ex Patre prodiens, aut contingit Filium aut non contingit: si non contingit, non est aliquid quod coniungat & copulet Filio Spiritum: secundum quod persona cùm non complectatur proprietatem, vel vnam ex Filio Spiritus, nullamque personaliter communitatem cum eo habeat. Hoc si ita est, non est eius
D Spiritus, etenim si nihil assignationum in quibus esse spiritus est, ex filio accipit, neque filij spiritus est, nec eius imago: hæc vtique, assignationes & annotationes Spiritus sunt. Quòd si hæc ex filio accipit, vt ex Patre semper emittitur. Semper enim Pater & filius emissor est conditorque, sed cum semper emittant, non semper propter infirmitatem rerum, quæ conduntur, quæ nequeunt ei, quæ sine initio est Trinitati, exæquari, condunt. Qua de causa, non piè ac verè diiudicant, qui dicunt impossibile secundum idem communicari Patri filioque Spiritum sanctum, conserunt io verba, non ad fidem faciendam, sed ad illaqueandum si valeant. Quemadmodum, in omnibus in quibus communicat Pater Spiritui, non est aptus aliquomodo discerni, vel disiungi à filio, ita, in quibus discretionemque ad Spiritum habet, non est possibilium, secundum illud Filio

E communicare, quod penitus à veritate remotum est, cùm ex anterioribus palam sit, quòd quædam quidem Filio, quæ non Spiritui: quædam verò Spiritui quæ non Filio, Pater communicet. Quæ verò ambobus communicant,hæc natura, vt secundum naturam sunt, vnde nunquam euenit, quod in quo aliquis trium personaliter ab aliquo disiungitur, secundum illud, eidem coniungi eodem modo, prorsus enim impossibile ac inconsequens est, veram esse contradictionem, quæ idem discretum personaliter eodemque coniunctum modo, esse pronuntiat in Trinitate, hoc quidem de aliquo existentium asserere inconveniens, ne dum Divinarum Maiestate personarum. Sed neque colligitur, si emissio Spiritus communis est Patris, & Filij, natura vtriusque est Spiritus emissio:& idem est natura
F & persona.

## CAPVT VI.

VErum Nicetas arguendo sermonem adhuc extendit:ait enim:Si omne quod de vnaquaque persona Divinæ Maiestatis dicitur,non enunciatur,de ea magis & minus. Causa verò & principium prædicatur de Patris persona Non erit Pater magis causa,vt sit filij genitor;quam vt sit emissor Spiritus, at verò proprietatem, scilicet paternitatem secundum quam genitor Filij existit, non impertit Filio vt ipse Pater appareat, & non sit vnus Deus Pater in Trinitate dictus. Non igitur in eo, quod emissor, & causa existit, Spiritus dat Filio vt non magis & minus causa Deus Pater appareat Filij quam Spiritus. Quod adhuc invereçundius qui ex adverso disputat instituerit: famur ad ipsum: Quæ exhæredatio, vt Deus & Pater, causa, & principium existens Filij ac Spiritus:huic quidem attribuit emissionem, paternitatem verò minimè. Si autem nihil de aliqua Divinæ Maiestatis personarum, secundum magis & minus dicitur. Non enim est aliqua noua sectio in omnipotente ac supersubstantiali Trinitate: manife-
G stum vtique, quod Deus Pater solus est causa Spiritus vbi emissor, sicut & genitor solus Filij. Opinio citius fallitur quàm sensus, propter duas causas: aut quia sensus circa manifestas certasque res versatur: opinio verò circa occulta: aut quia sensus intemporaliter fere rebus adhæret: opinio autem per media, porrò quæ circa Deum sunt occulta incertaque, nobis existunt: ex quibus fallitur qui nimium præsumit animus. Certè omni modo inconsequens est: Pater filio non præstat, vt ipse filius Pater sit, non dat ei paternitatem, non tribuit ei Spiritus emissionem: veluti si non dat Pater spiritui vt nascatur, non dat ei, vt conglorificetur: & accipere de filio, & annunciare nobis. Amplius. Longè à vero prospicit: Si Pater solus est causa filij: Non est autem solus sancti Spiritus causa: magis est causa filij Pater, quàm Spiritus: Nam genus generalissimum substantia sui proximi solum causa existit principiumque, specialissimorum verò non solum. Sed propterea non puto, quòd magis superiorum quàm inferiorum
H genus, siue causa, nuncupetur: vel magis contineat superiora, quàm inferiora, mediatum quippe vel immediatum proximum, & remotum: habitudines quidem possunt interdum facere differentes, augmentum autem vel diminutionem non afferunt, sed neque intentionem vel remissionem, propterea in ipsa Trinitate talis complexionis falsitas deprehenditur: si Pater solus est causa filij, non autem solus est causa missionis sancti Spiritus.

Quare magis est causa vnius quam alterius quod nullus recipit rectè credentium, ideoque supervacaneum est quærere cur dederit Pater emissionem, non tribuendo paternitatem cùm nequaquam duos Patres, vel duos Filios Trinitatis admittat fides. Talium quæstionum, non est idonea positio: sicut & huius, cùm anima causa, & principium existat phantasiæ rerumque

Opinio fallitur duplici. ex.

A que dederit ei quarumlibet imaginationem, cur non tribuerit ei opinionem? Nam quod volumus quimus imaginari: vt hominem non solum tricubitum, sed viginti & mille cubitorum. Possumus quoque fingere hircocervum, & hippocentaurum, quamquam opinari nequeamus quæ volumus. Nam bis duo octo dicere possumus, opinari verò hoc nequimus: quia opinionem fides sequitur, vt Philosophus dicit. Non enim contingit opinantem quibus videtur non credere. Nec tamen anima phantasiæ magis causa est, quàm opinionis. Igitur sicut quærendum non est, quomodo genuerit Deus, ita non est investigandum quomodo duo sint causa vnius. Nam si quomodo in Deo quæratur: omnino & vbi, vt in loco: & quando, vt in tempore: atque alia similiter prædicamenta quærantur. Quòd si hoc inconveniens absurdum est, & sanctis Patribus non credere, sed incircumciso corde obuiare scripturis eorum: ac dicere, quis fuit Ambrosius, quis fuit Augustinus, qui asserunt Spiritum ex filio procedere? à Spiritu certe docti: hoc asseueraverunt hi & alij quam plures. Et vtique idem spiritus docuit Patrem non esse filium Patrem sed virtutem potentis, sapientis sapientiam, hypostaseos, & substantiæ proprium characterē: hic est spiritus, quē & veritatis omniū Dominus nominat, imago filij, & digitus vt spiritus oris eius, vt Dominus pariter cum eo & Patre; ac conditor. Et si ad Patris personam Apostolus omnem reduxerit conditionem, sic dicens: *Vnus Deus Pater, ex quo omnia, & nos in ipso*: sed idem dicit: *Vnus Dominus filius: per quem omnia, & nos per ipsum*: non tres conditores: sed vnus. Nam Angelos in conditione cooperari tribus nullus audeat asserere, sed neque vnam quis personam intelligat, cùm dicitur conditor vnus; quemadmodum neque quod in Prophetis dictum est, in persona dicuntur *Subuerti eos*, inquit, *vt subuertit Deus Sodomam, & Gomorram*: & alibi: *Saluabo eos in Deo eorum*: & Apostolus eadem figura dictionis vtens dicit: *Tradidit eos Deus in reprobum sensum.* Sunt igitur tres personæ, vnus conditor: sicut vnus Deus qui sine motu, sine labore absque assumptione materiæ fecit hanc vniuersitatis molem, omnino impassibilis, omnino indemutabilis. Ideoque in proprio quod fecit opere, non eguit instrumentis. Cuius rei exemplum animæ inseruit humanæ quodammodo idem creator. Etenim animæ nostræ motus, sine labore consummantur, absque substantiis constituuntur è rebus ac intemporaliter penè fiunt. Quod si animæ substantiam actionesque inspicere nequimus minus autem & Angelorum, quomodo idiomata divinarum personarum perfectè cognoscemus: Credendum Sanctis certè Viris, qui fatentur spiritum ex filio procedere: cùm hoc etiam idem pluribus necessariisque rationibus intelligere volentibus euidenter appareat: Cùm enim Filius & Spiritus soli esse habeant ex Patre, alter quidem sine medio, mediatè verò alter: necesse autem filium ex spiritu esse, aut spiritum ex filio. Non autem habet filius ex spiritu. Restat igitur, vt spiritus ex filio esse habeat, tanquam ex immediata causa.

Opinionem sequitur fides.

B

C

D

## CAPVT VII.

NAm vt dicit Magnus Basilius in Epistola ad Canonicum: nihil est inter Patrem & Filium. Si autem non est ex Deo Spiritus per Christum neque est omnino: Quare circa ordinem euacuatio ipsius existentiæ, aspernationem habet, & omnino fidei est negatio. Igitur vt ex immediata causa cuius, sic vtique spiritus & filio, vt ex immediata causa Filius imago est, ex in quo quiescit: quamquam secundum Græcos ex ipso non prodeat. Si enim Filius, quia imago Patris existit, ex ipso esse habet: manifestum quod spiritus imago filij cùm sit, ex ipso esse habet. Qui filios facit sanctificatos, & per quem clamamus Abba Pater: Si ex filio cuius imago est, non esse habet spiritus, dicendum vtique, quod sit, vt imagines æquivocè iis pro quibus factæ sunt, hoc si ita est, non eadem substantiæ rationem suscipiunt imago, illeque, cuius imago est. Secundum quid ergo dicemus spiritum imaginem Filij, si non habet vllam, ex eo quod persona communitatem ad ipsum? Omnis imago ex prototypa idea similitudinem Typum figuramque accipit. Ecce filius cū sit imago, invisibilis Dei, splendor gloriæ, ac figura substantiæ Patris, ex ipso esse habet: at verò, spiritus imago filij est, vt sancti perhibent: & non ab extrinsecis notis, vt Rex à purpura, chlamyde, ac diademate: sed ab eo quod demum habeat & emittat, quemadmodum & Pater. Ex quo & aliqua similitudo inest, non secundum figuram & colorem, vt imagines: quia nihil in illis huiusmodi. In eo autem, quod æternum, incorporeum, immobile secundum substantiam est, comparatio, ex quibus non multum videtur imago Filij Spiritus, aut Filius Patris existere. Quippe, secundum ea quæ tribus personis communia insunt, nulla differentia in personis apparet, nulla personæ attenditur proprietas: nam neque secundum ea, hic quidem Pater, iste verò filius ille autem spiritus censetur, si secundum substantiam imago diceretur: non magis filius imago Patris, quàm Pater Filij nuncuparetur. Ergo, secundum proprietatem imago filij dicitur spiritus, & non secundum substantiam, vt æternum, incircumscriptum, & similia. Hinc est, quod Magnus dicit Basilius, in tertio contra Eunomium sermone: Imago vera, & naturalis Filij Spiritus, non ex imagine divina, quemadmodum nos: imò enim cùm sit imago, non habet imaginem, & cùm sit vnctio, vnctionem non habet. Et Gregorius qui θαυματουργὸς cognominatur ex revelatione, dicit hæc: Vnus Spiritus-Sanctus, qui ex Deo existentiam habet, imago filij perfecti perfecta. Ioannes quoque Damascenus similiter Patrum vestigia dum imitatur, scribit hæc: Imago Patris filius est, & Filij Spiritus. Theologus quoque Gregorius de filio loquēs, talia pronuntiat: Imago est vt consubstantialis, & quoniam hoc modo, at non ex hoc Pater, hoc est imaginis natura, vt sit imitamen Archetypi, & cuius dicitur. Vnde patet, quòd si Spiritus imago filij est, ex illo esse habeat. Sed qui dicit nullam comparationem esse Spiritus ad filium, imaginis tollit rationem. Non est enim impossibile comparatione sublata, imaginem intelligi. Ideoque si Spiritus imago Filij existit, palam est, comparationem ad ipsum habere. Imago enim, quid aliud est, quam ex causa esse; illo scilicet, cuius imago est? Omnino autem substantia in eo, quod substantia, non imago, non causa, non causatiuum, non maius, neque minus dicitur: sed neque substantia nomen imaginis est significatiuum. Nam personæ consubstantiales sunt, sed non substantiæ.

Caute lege, nā Theologi non admittunt istam locutionem. Spiritus-Sanctus est imago filij.

E

licet eā Græci passim vsurpēt, quibus hic voluit indulgere Etheria-nu. *Vide S. Thom. 1. p. q. 35. ar. 2.*

F

G

## CAPVT VIII.

VErum Nicetas, vt mihi videtur, non vt tendendo hæc quæ dicta sunt, fertur, in vacuum: Inquit enim: Si omnibus qui rectè sapere volunt, confitendum est, quod filius sanctusque Spiritus ex Deo Patre, hic quidem per generationem, ille vero per processionem, secundum naturam ex Patris substantia intemporaliter, & æternaliter simul, ceu germina exorta Deo prodeunt, nec hic quidem prius, ille verò posterius, vt non alterum fortè tempus præveniat. Nam in quibus prius est & posterius, ibi prorsus temporis intercalatio. Quod si penes Trinitatem detur, erit aliquid Zoarchicarum personarum sub tempore: Ideoque creatura, vt in tempore esse accipiens, nec suæ causæ consubstantiale: quod est Arrianæ, Eunomianæ, atque Macedonianæ hæreseos actus, & inumbratio Quod si verum, imò, quia maximè verum intemporaliter & æternaliter simul Filium Spiritumve de Patris substantia effulgere: verum dicatur quærendum,

simul

A simul ipsum intemporaliter & æternaliter esse ex Deo Patre, & naturaliter ex ipso effulgere quemadmodum & Filius, & ex Filio eodem modo prodire vt ex Patre, aut posterius? Quod si posterius erit spiritus se ipso prior, & posterior, & ante tempus & sub tempore, & æternum, & non æternum: eo quod concurrentem habeat processioni existentiam, quod omnis plenum est impietatis. Sin autem propter huiusmodi, quod consequitur impossibile ac prophanum hoc dicere vitauerint: ex necessitate dicent alterum, quia intemporaliter ex Deo Patre, ac æternaliter ex filio procedit. Sed quomodo est possibile, simul intemporaliter & æternaliter, vt ex duabus causis esse habeat: nisi ambæ primæ causæ sint & principales? Aut qua ratione vna potest causa duabus ex causis existentiam habere: cum altera causatum simul cum illa ex se quam emittit, de alia causa existentiam habeat? Hoc omni

B prodigio figmentoque Dæmoniaco irrationabilius. Quòd si instantes qui hoc modo disponuntur dicant, quoniam omnia Deo & Patri possibilia sunt quæcunque ei placent, respondendum eis est: quod ipsum negare non possit se, & cùm sit principium & causa filij, Spiritusque non esse hoc idem quod est. Si ergo propter abominabilem huiusmodi opinionem quæ dicit spiritum ex filio procedere, multa sequuntur inconuenientia. Palam quod spiritus ex solo Patre procedit, sicut veritatis sermo ab antiquo vsque in hodiernum manifestè prædicat. Demito plenam contumeliæ responsionem, nefario huic vaniloquio retribuere. Nusquam certè in sacra Scriptura repertum est, quòd solus Pater causa sit principiumque Spiritus: vel quod ex eo solo Spiritus procedat: quoniam Pater quidem solus generat, & quod solus sit causa principiumque Filij, scriptura in pluribus testimonium perhibet. Namque solus habet Filium, solus autem non habet Spiritum sanctum, cùm neque solus mittat, neque solus tribuat, quia filius dat & mittit Spiritum, quemadmodum & Pater. Cùm igitur à Patre & Filio

C æqualiter habeatur Spiritus, mittatur atque donetur, duæ sunt causæ habentes, mittentes atque tribuentes Spiritum sanctum. In superioribus dictum est, quod Pater & Filius non dicuntur simpliciter duo: qui cum duo dicuntur, talis est sensus, vt quidam putant: Pater non est solus, nec Filius est solus, sed Pater est & filius. Secundum verò aliam rationem, non est recipiendum in eis, propter supradictas causas dualis numerus. Etenim binarius, quemadmodum reliqui omnes numeri, nequaquam propriè de Diuinis personis, sed de discretam continuamque habentibus quantitatem enuntiatur. Continuum quidem, quod de solis magnitudinibus dicitur, est, vt Philosophi perhibent, cuius partes, ad communē terminum copulantur: at partes in Patre vel filio intelligere, quas communis copulet terminus, neque figmentum etiam suscipit. Tres quidem dimensiones, quæ licet continuæ sint in partibus, determinatæ tamen dicuntur: non quòd dissecentur adinuicem, sed vnaquæque ipsarum, propriam rationem possideat, nullo modo eis competunt. Discretum verò est, cuius partes, per se considerantur, vt non contrahantur inuicem: Pater vero & filius singulas licet habeant rationes, nullo modo partes habere intelliguntur. Ergo proprietatibus tantum duæ personæ, siue duæ Hypostases Pater filiusque nominantur. Quamo-

D brem patens est, quòd nullum prodigium introducant, nullum afferant portentum, nullumque satanicum figmentum complasment: qui fatentur ex filio Spiritum procedere. Quippè omnis impietas, omnisque impossibilitas fugit talia enunciantem. Nam Patris & Filij vna manus est, & eadem testatur dicens: *Pater meus, qui dedit mihi maior omnibus est, & nullus potest rapere oues de manu Patris mei:* & post pauca iterum dicit *Nullus rapit eas de manu mea.* Ecce vna manus, non duæ, Patris & Filij: quoniam vna est, vnumque principium Spiritus existit vtrique. De hac manu digitus prodit, Sanctus videlicet Spiritus, sicut Euangelistæ testantur, Matthæus enim

E ita scribit: *Si in spiritu Dei eiicio dæmonia:* Lucas verò: *Si in digito Dei:* digitum insubstanter dicendo spiritum vt manifestum faciat, quod sicut digitus consubstantialis est manui, & ex ea prodit, substantiam existentiamque ab ipsa sumens, ita Spiritus sanctus Patri, filioque consubstantialis existens, licet mediate quidem de Patre, immediate vero de filio. Nam splendor cum substantia intelligitur, imago cum Archetypo, & filius omnino cum Patre. Spiritus autem neque imago, neque filius Patris est: qui etiam nec multum in eo quod Pater ad ipsum habere videtur habitudinem. Ex quo liquet, quod neque a modo intelligendi, neque ab ordine procedendi, neque à scriptura possibile accipere sit, quod immediate spiritus ex Patre, & non per filium proueniat. Si enim quia filius immediatè de Patre nascitur, sine medio datur

F & nobis, & spiritus absque medio de Patre procedit, & immediatè datur nobis, at vero non sine medio datur nobis, non igitur immediatè de Patre procedit.

## CAPVT IX.

Cæterum: Nicomediæ præsul & afferentes ex filio esse spiritum, & profitentes ex Patre per filium, veluti per medium procedere vehementer arguit: Tempus, inquit, hic considerare, quæcunque asseuerantem ex Patre ac filio Spiritum sanctum procedere sequuntur inconuenientia: Si autem quosdam tumultuantes audimus non ex Patre & filio, sed ex patre per filium, hoc Latini asserant procedere, prorsus, mediante filio, ex Patre, filius autem sine medio, ex ipso est, minor est spiritus filio: Nam quod per medium aliquod participat, minus est, immediatè participante illius. Et hinc rursus habet locum Macedonij dogma diminuentis spiritum, tollentis æqualem dignitatem ac potentiam. Quomodo autem filio mediante, dabimus à Patre procedere? Namque si Pater emissor est,

G Spiritus verò sanctus emissus: hæc autem sunt habitudinis nomina, & simul natura: nam emissor emissi, emissor est: & emissus, ab emissore emissus. Nihil autem eorum, quæ sunt ad aliquid, per medium aliquid dicitur: Quomodo ergo Spiritum sanctum, mediante filio dicamus procedere? Repugnans vtique hoc est syllogisticis ratiocinationibus, atque demonstrationibus veris: Hæc igitur contra illos, qui in sermone varij sunt, & per rationabiles arbitrantur decursus infirmare, quod apud nos dogma perlucet: Nos autem siquis interroget, quomodo similis ex Patre, Filius & Spiritussanctus? Respondemus: Quemadmodum ex sole radius, & splendor: calor, & lux: quamquam & harum comparationum multa fit permutatio, defectusque similitudinis. Quo enim modo, alicui eorum, quæ deorsum sunt ad similitudinem Diuina comparata natura similabitur.

At verò Latinus ei quidem, qui asserit spiritum ex filio existentiam habere, vt ex Patre, consentit: dicentem autem, ex Patre per Filium, & non subintelligentem ex filio aspernatur. Cur autem hoc faciat, superius ostensum est, & rursus in eodem sermo persistet. Nunc autem, ante delibatum discutiendum est,

H id scilicet, vtrum Spiritus ex filio immediatè progrediatur, an non? ast quod immediatè proueniat, fidem potest facere, qui supponitur syllogismus: Si veritas capax firmitatisque ordo, & habitudo nominum existit, verus est & firmus ordo personarum, & habitudo: nempè quæ scribuntur, notæ sunt eorum quæ dicuntur. Voces verò, intellectuum notæ: Intellectus autem finem habent rerum comprehensionem: & tunc verè intellectus existunt, cum quasi rebus ipsis coaptantur. Nam imagines sunt in anima rerum intellectus, voces verò intellectuum indicatiuæ sunt: Ideoque à natura tributæ, vt per eas significemus ad inuicem animæ conceptiones, secundum rerum dispositionem. Atqui

[Left margin: ...tinuū ...d.] [Left margin: ...retū ...d.] [Right margin: Trinitatis analogia in Creaturis]

Ordo

A Imago quid Vox [illegible] data [illegible]

Ordo habitudoque trium nominum divinarum personarum, cum sit invariabilis, veritatisque capax nomen Paracleti filij Dei nomen coniungit absque medio: quemadmodum nomen Verbi D[illegible] copulatum genitoris vocabulo Enimvero Dominus IESVS CHRISTVS, in traditione salutaris Baptismatis, cùm baptizare discipulis, In nomine Patris & Filij & Spiritus sancti communes gentes præciperet hunc ordinem assignavit, [illegible] copulat filio & patri spiritum, propter [illegible] procul-dubio communitatem atque paritatem. Non est enim æqum [illegible] ordinatum, ad naturam ita divinam [illegible], [illegible] Hypostaseon proprietatem. Nam natura cum vna sit, ordini non deputatur alieni, neque numero. Innumerabile penitus est, quod vnitatem aliquando non excedit. Vnus enim Deus, vna substantia, vnaque natura in tribus intelligitur personis: hæ quidem ordinantur, hæ numerantur, hæ communitatem & copulam inter se possident. Porro quæ ex natura communitas, ordinem nullum exigit, sive vt que dicamus filius & spiritus & pater Deus est, sivè spiritus & Pater & filius, recta [illegible]. Sed quæ inest ex proprietate communitas, non [illegible] habet: In hac enim observandus [illegible], quem Dominus discipulis tradidit baptizare [illegible] omnes gentes, In nomine patris & filij & Spiritussancti. & non in nomine spiritus & filij; patrisque vel filij, & patris & Spiritus. eo quod pater causa, principiumque sit Filij, filius quoque causa sit sancti spiritus, quod quidem vsquequaque manifestum, ex eo, quod secundum baptizandi [illegible] [illegible] copuletur, ordinem [illegible] [illegible] qui [illegible] est, in [illegible] [illegible], huna conveniens esse [illegible]. Qui [illegible] habitudinem [illegible] & ordinem, nominum ordo existit & dispositio. Sed [illegible] apud Apostolum est ordo, huic repugnare videatur, [illegible] *Divisiones gratiarum sunt, idem autem spiritus: divisiones administrationum sunt, idem autem Deus, qui operatur omnia in omnibus.* Ecce [illegible] spiritus [illegible], secundo filij, tertio autem Dei & patris. Sed non est arbitrandum [illegible] Apostolum permutasse, qui à nostra initium habitudine, vt magnus testatur Basilius, fecit: Quoniam inquit, suscipientes dona, primum interpellamus distribuentem, deinde mittentem, ac postremo erigimus cogitatum, ad fontem & causam omnium bonorum, quo [illegible]. Et iterum vt dicit: *Gratia Domini nostri Iesu Christi, & charitas Dei & patris, & communicatio sancti Spiritus sit cum omnibus vobis.* & in [illegible] [illegible] est. Non enim secundum ordinem, aut secundum gloriam, quam ipsi susceperunt, inter se gloria & ordo est, qui à nobis [illegible], cum hic secundum personarum consi derent habitudinem, hic autem à nostra habitudine, quæ [illegible] ponit, neque verò contradicit illi ordini neque repugnat gloriæ, scilicet, veluti beneficij [illegible] principiū. Manifestū igitur ex his quæ dicta sūt, quod firmitatis veritatisque capax [illegible] nominum, & habitudo, hoc si verum esse constet, vt in ordine nominum paracleti nomen, absque medio iungitur verbi Dei vocabulo: ita & personæ, quæ est spiritus, sine medio quidem filio, median te verò eodem patri copulatur. Quare immediatè quidem ex vno, mediatè verò ex altero procedit: Nam quod medium dicitur, vtrumque habet aliqua inter se diversa, vbi verò tres, secundum ordinem pronunciantur personæ, quomodo harum non erit aliqua media? Quod vero illamvest, dico autem, minor igitur spiritus filio: siquidem quod per medium participat [illegible], minus eo est quod absque medio participat; quia in [illegible] est, [illegible] non est. Non enim propterea spiritus minor est Filio, quod eodem mediante, de ingenito provenit, vt in rebus sensibilibus evidentissimum est: Ecce enim Atlanticum Pontico mari participat, scilicet, Propontidi [illegible] attamen dictum pelagus, Propontide maius est. Similiter autem Nilus, & ei similes, mediante fonte vena participant, cum ipso fonte [illegible] priores existant. [illegible] rationalissimum substantia [illegible] medium participat rationali, & irrationali, cùm sit maior ambobus. Sed enim verbum Dei, mediante rationali anima, participat humani generis sed quis minorem illum anima rationali aut virgine matre audeat asserere: Ergo, non ob hoc macedonij dogma locum inveniet. At vero iam cundum est, in secundam obiectionem quæ dicit: Quomodo dabimus omnino ex patre ipsum procedere & cætera? Ad quod, dicendum, quod pater, filius, atque Spiritussanctus, communes & proprias appellationes quam plures habent, quas sacra scriptura manifestas facit. Quare aliquas, quia res ipsa exigere videtur, sub compendio hic memorandum est: Pater igitur ingenitus, causa, principium, & emissor nominatur: Similiter autem filius genitus, verbum, principium, causa dicitur, & emissor, scilicet immediatè: paracletus autem spiritus, causatus, & emissus nuncupatur: quia licet secundum hanc appellationē patris dicatur & filij, nequaquam tamen pater & filius secundum hæc appellationa vocabula, [illegible] convertunt ad spiritum. Nam ingenitus spiritus Pater non dicitur, neque [illegible] Dei verbum scilicet, filius censetur Spiritussancti. Itaque si mediatam causam patrem, filium autem, quia nulla mediante persona spiritum emittat, immediatam quis causam vocaverit, à vero non aberrat. Et rursum cum Pater & filius vnum principium, vnus causa [illegible] sint causa spiritus, vnam & [illegible] causam penitus quis a nobis dicit, nullo modo peccabit. Causa quidem causativi est, & causatiuus ad causam refertur, & emissor emissi emissor est. Sed fortan [illegible] aliquis & dicat: Quomodo pater mediata causa existit spiritus, secundum dictam rationem, immediata verò filius, eo quod nulla inter ipsum & spiritum persona existat media, duæ causæ spiritus, mediata scilicet, & immediata filius existit & pater? Quod nullo modo [illegible], sicut non provenit Deum habentem filium, & Deum non habentem, duos Deos esse, vel duos Dominos. Et sciendum quod quidam dicunt, patrem & spiritum; vel filium & spiritum, non esse ad aliquid, quia neque à dictione monstrante habitudinem, ad dictionem quæ non est cum simili habitudine, relatio attenditur: Non est enim ex altero scire alterum, sed neque omne quod alterius dicitur, continuò illud est ad aliquid, vt habitus animæ & virtus dicitur, hoc enim, & similia, solum esse alicuius exigunt: vt in patre & spiritu, & filio & spiritu contingit. Quidam enim aiunt: in hoc, & in similibus, cum nulla sit conversio per huiusmodi vocabula, tantum exigi quod alicuius sint. Hi tamen patrem mediatam spiritus causam, filium verò immediatam, sed eandem constituunt. Nec contra Aristotelem, vel alios Philosophos quæ humanarum & non divinarum rerum divisionibus vtuntur humanitus. Causarum hæ quidem existunt per se, hæ verò secundum accidens, & rursum, hæ quidem remotæ, illæ verò compositæ: hæ quidem potestate, illæ autem actu, per se causa dicitur, vt statuæ quidem, ὁ ἀνδριαντοποιός; id est, statuæ factor: secundum accidens autem homo, &. simpliciter animal remota causa dicitur, vt sanitatis artifex, propinqua vero vt materialis: Et rursum διπλάσιον, propinqua causa duplum, remota verò numerus, sed non eodem modo in divinis contingit [illegible]. Nam [illegible] in eo quod [illegible], mediata emissi spiritus causa, filius vero eodem existens immediata [illegible]. Notandum hoc loco, patrem à quibusdam inter filium sanctum [illegible] spiritum [illegible]. Similiter autem [illegible] [illegible] quod non [illegible] trahi [illegible] [illegible] quod ex [illegible] pater [illegible] verum copulaque [illegible]. Spiritus vero [illegible] neque ge-

nitus

A nitus, neque ingenitus propriè dicitur, medius inter patrem filiumque locatus est. Reliquum est solum filium propriè medium existere, vt quodammodo ex aliis animaduerti potest: scilicet, ex generalissimo genere. Quod licet existentiam det subalternis & specialissimis, nullus tamen eorum medium ipsum generalissimum esse asserit, sicut neque inter venam fontemve fluuius, ab aliquo constituitur medius. Itaque cùm filius immediatè se habeat ad patrem, & ad spiritum, solus ipse simpliciter, & absolutè medius inter patrem est atque spiritum. Verùm de diuino formidabile permultum tractare, quod etiam Socrates verebatur, qui talia dicebat: de Diis cum difficultate suscipio sermonem, ne de facili dicat me aliquis, delinquere. Ergo pater filius, emissor & emissus, causa & causatiuus, ad aliquid dicuntur. In his, enim existentia ex habitudine adest. Nos tamen ex his, quæ nobis impedit beneficiis Deus beneficum nominare, ac patrem didicimus, vnumque Deum, B vnumque beneficum patrem, filium, sanctumque spiritum credimus: cùm existentiæ modum, neque mens imaginari neque ratio describere valeat: sed neque alio modo, quam per actionem quæ trium vna est penitus, & eadem, vnitas illorum cognoscatur: quæ vnus Deus, & vna substantia est: Eam sim pietatis rationem, licet secundum aliud pater, secundum aliud filius, & secundum aliud spiritus dicatur, non omisit. Inseparabiles quidem omnino existunt quanquam distinguantur hæ tres personæ proprietatibus, inter quas si filius non sit medius, vt dicitur, In nomine patris & filij, possit dici vtique in nomine patris & spiritus, quod Ecclesiastica non recipit traditio. Ex quo patet, neque spiritum, neque patrem, in trium enumeratione medium debere intelligi: id idem processionis emanatio ex patre filioque profluere affirmat. Nam principiorum attributio, per proxima transit: at verò genimen proximum est generanti, eique coæquale, quòd si coæqualitatem exeat, Deus esse desinet, à summa decidens excellentia infinitam habens potentiam, quia coæqualis est patri generanti se, ac coæternum, quod C pater solo esse subsistentia, scilicet generare, ideoque solus generat, solus verò spiritum non emittit, cùm non in eo quod pater, sed vt emissor causa principiumque filio mediante. Hoc nullum in admirationem ducere debet cùm plura in naturalibus talia, per medium ad inuicem referri comperiantur. Etenim Tantalus Agamemnonis proauus, dicitur mediante Pelope atque Atreo: Similiter autem, Pelops eiusdem Agamemnonis auus appellatur, quoniam Agamemnon eius dicitur nepos. Qua de causa idem Pelopides censentur & Tantalides. At verò patruus & nepos sunt eorum, quæ ad aliquid & per medium dicuntur, & non est possibile subintelligi absque medio. Iuxta verò eundem modum, gener, socer, & quæcunque his similia. Quod si non fieret, parentelæ non ad multum linea extenderetur, neque in Logicis generalissimum, specierum contentarum genus censeretur: Neque specialissimum eorum, quæ ante ipsum sunt dicetur species, cùm medium & generalissimum horum genus, & specialissimum illorum species nuncupetur: ergo nihil inconue- D niens est dicere spiritum procedere per filium, & ex filio.

So[illegible]ates de [illegible] non [illegible] cile loquebatur.

## CAPVT X.

Verum Nicetas prolixa nimis oratione, iterum contra hæc impetu fertur vastissimo, in hunc modum: Si apud omnes, inquit, qui circa diuinum exhibere pium cultum volunt, manifestum constat, quod diuinum incausatum est, incommutabile est, & nullius vicissitudinem obumbrationis suscipit: Am- E plius autem, omnipotens, infinitum, & quascunque quis Deo dignas ex sacra scriptura denominationes, ex communibus de Deo conceptionibus excerpens, quoad licet diuinum esse fateatur, quicquid de Deo, secundum existentiam enunciet: manifestum, quod substantialiter hoc depromat, eo quod insuscept bile diuinum, sit accidentis. Et quoniam sic sentire ac dicere, diuinæ pietatis ratio nos instruit, considerandum, vtrum diuinum susceptibile sit prædicationis eorum quæ opposita dicuntur, an non? hæc qui circa ea versantur quadrifariam diuidunt: aut enim in oratione, inquiunt, esse, aut in re: & ea quidem quæ in oratione, vt affirmationē & negationem opponi dicunt: quæ verò in re, aut in habitudine aut absque habitudine accipiunt: at verò quæ in habitudine inferunt se atque inferuntur, & vt aliquid opponi faciunt, quæ verò sine habitudine, hoc quidem aptum est permutari, hoc verò non, & sunt opposita, vt priuatio, & habitus. Quomodo verò diuinum, eas quæ secundum F contrarietatem, priuationem, habitumque oppositiones ad prædicationem non suscipit. Manifestum est eo, quod natura prorsus incommutabile sit: hæc autem, in iis quæ aptitudinem habent alterandi & permutandi, suam existentiam ostendunt: neque verò ea, quæ vt contradictio in eo repetitur oppositio, quia semper eadem & similiter quæ circa diuinum considerantur existunt, & post modicum: Cùm igitur diuina natura, tribus sit communis personis, conditrixque vniuersalis, eorum, quæ ad aliquid oppositionem, secundum eandem speciem habitudinis, nullo modo de se prædicari permittit: ne fortè vniforme vnifarium habitudinis videatur interimi. His igitur ex communibus nobis de Deo conceptionibus, & naturalibus & demonstratiuis rationibus, Philosophorum conquisitionibus promulgatis animadvertendum est, illis qui confitentur spiritum sanctum: ex filio procedere, quemadmodum ex patre. Nam si hoc ita est, communis erit emissio patris & filij, & erit filius spiritus existentiæ causa, quemadmodum & pater, in eo, quod emissor: At vero filius genitus est ex Deo patre, & causam ipsam describit vt genitorem, iuxta verbum veritatis. G Colligitur ergo quod filius oppositorum habitudinem, eorum quæ ad aliquid suscipiat, & similiter sit causa spiritus, & ex Deo patre vt ex causa. Sed monstratum est nobis per vniuersalem rationem, quod impossibile sit, inuenire opposita de diuina natura prædicari: vel de aliqua trium Hypostaseon. Non igitur procedit ex filio sanctus spiritus, sicut quidam impie ac profane opinantur. Hoc autem quam friuolum sit satis patet, cum neque vt asserit ex communibus conceptionibus, seu Philosophicis colligatur, cum de Hypostaticis tantum proprietatibus hoc vnum sit: Non est enim aliquando pater filius, vel filius pater, aut spiritus: sed de aliis nihil prohibet ad aliud & aliud, eamque ad aliquid oppositionem suscipere, ad vnum vero idemque nequaquam. Namque possibile non est, idem sui ipsius causam & causatiuum esse. Quoniam vero de Hypostaticis proprietatibus, quod illatum est pro inconuenienti verum existat, ex ordinis obseruantia earundem personarum liquido apparet. Ecce enim sanctæ ac beatæ Trinitatis plura sunt nomina, eo quod plura ipsius circa humanū genus beneficia existant, quorū hæc quidem substantiam monstrant, hæc vero non: in quibus nullus est H ordo necessarius, nempe in tribus nominibus, sicut superius expositum est, quæ sunt pater, filius, & spiritus, & si qua his similia reperiantur, sacra scriptura ordinē obseruat: qui ordo, si non imitatur personas, falsa est glorificatio, & indecens, & in somnio similis, quod quidem est aliquid sed nil eorum habet quorum phantasiam repræsentat: Ita erit huiusmodi ordo, illius qui non est ordinis faciens imaginationem. Itaque imitatur ipsas personas nominum ordo, & mediante filio, de patre spiritus procedit, & est quidem filius ex causa, scilicet, patre, à quo genitus est, & idem spiritus causa, vt eius emissor. Hoc vtique Saluator ostendere volens, cum discipulis

baptizare

A [illegible] patet, [illegible] nominum ordinem præfatum [illegible] quod nul[illegible] modo sentire fecisse putandum [illegible] Salvator attiramit, cum dicit ad patrem, *Omnia mea tua sunt*, [illegible] tanquam a principium, [illegible] etiam & con[illegible] nativitatis. *Et tua mea sunt*, quia licet [illegible] condeque pariter omnia, [illegible] Ignt[illegible] inconveniens eandem esse personam, causam esse atque [illegible] dicitur mittens, & [illegible] glorificans, & glorificatus: prædicata, & prædicans, ad aliud [illegible], & ad aliud semper: Nam [illegible] monte, pater quidem [illegible] cabatur, & nubes obumbrabat, [illegible] spiritus, ut manifestè non erat opus tabernaculo. Ex

B his ergo quæ dicta sunt, evacuatur manifestè, quod à [illegible] aliquid irrefragabile inducitur. Una inquiunt, existente causa, plures effectus eiusdem [illegible] in naturalibus, artificialibus, voluntariis, & [illegible]: ut Adam cum unus homo fuerit, multorum effectum ex ipso prodeuntium, [illegible] & Beseleel [illegible] tabernaculi [illegible]. Idem invenire est in his, quæ sponte fiunt: nam Petrus [illegible] Paulus Evangelicæ [illegible] quamplures traxerunt ad fidem, & alteruter singulis [illegible] factus est [illegible] in fide genuerunt [illegible]. Nam [illegible] proximam esse causam necesse est, nisi propter defectum [illegible] imbecillitatem [illegible]. [illegible] spiritus ex filio [illegible] defectum & imbecillitatem indicat, quod minime consequitur: Nam si hanc rationem sequi volumus, mundus cum causativus sit, neque filium, neque spiritum [illegible]

C [illegible] patris, sed una [illegible] æqualiter factor mundi, & creator existit: ut enim superius [illegible] est, pater solus generat, non autem solus creat, & condit.

## CAPUT XI.

V[illegible] ad hæc Methone[illegible] Omnia, inquit, quæcunque habet filius a patre accipiens habet, proculdubio, & ex patre habet spiritum [illegible] hæc liberalitas, secundum quam filius quidem ex patre accepit, ut sit & ipse spiritus causa. Spiritus autem quanquam ad idem honoris habeat, & [illegible] substantiæ [illegible] prodeat, tamen patri honore privatur, cum à patre nequaquam accipiat, ut causa sit [illegible], aut alterius sui similis: nisi forte [illegible] imputare [illegible] patri quis audeat. At eodem ille [illegible] potest [illegible]

D [illegible]: Nam si filius quæcunque habet, a patre accepit: & spiritus [illegible] eodem accepit, mittit quippe spiritum filius. *Nisi enim abiero*, inquit, *paracletus non veniet ad vos: si autem abiero mittam eum ad vos* [illegible]: *hæc a principio non dixi vobis, quoniam vobiscum eram: nunc autem vado ad eum qui misit me*: Ecce patet quod filius mittat spiritum sanctum, & quod a patre idem mittatur. Quomodo igitur a patre filius accipiens spiritus emissionem: est enim mittens & missus: Spiritus autem non accepit missionem, neque filij neque alterius sui similis: privatur ergo [illegible] honore, liberalitas hæc. Potest tamen & [illegible] solui [illegible] habeat talis obiectio, cum convenienter respondere possit [illegible] non accepisse spiritum filij causam esse, quia filius est ipsius causa, Spiritus vero eius causa esse, [illegible] neque alterius sui similis [illegible] quarta in Trinitate persona in lucem demonstretur: Amplius, Quomodo [illegible] omne filius a pa-

tre, & [illegible] *ne maiorum dedit* [illegible], *ut omnes honorificent filium, sicut honorificant patrem.* [illegible] credo firmiter, [illegible] spiritus, [illegible] patris [illegible], ad honorem [illegible] referatur, [illegible] a patre vitam habet, [illegible] habet: ita & spiritus [illegible] habet, & sicut [illegible] non [illegible] habeat natura [illegible] patris, [illegible] spiritus ex patre & [illegible] quin habeat patris filijque naturam, [illegible] & filius non sint eiusdem cum patre [illegible]: cum pater [illegible] generet, solusque spiritum [illegible] emittat. Spiritus vero & filius, [illegible]. At vero adhuc hic idem instat, dicens, [illegible] non esse [illegible] tempore, cum non sit ex [illegible]. Quorum alterum cum sit [illegible] ex nulla causa [illegible], alterum vero ex causa prodeundo, & [illegible] causa. Cæterum si ideo quia ex duobus proced[illegible] dus sit spiritus, patrem dicat quis eodem [illegible] tum fore: cum ex se [illegible] generet emittatque spiritum. Quomodo enim ex indivisibili, duo [illegible], filius quidem per generationem, spiritus vero per processionem progrediuntur. [illegible] pro certo [illegible] putatur. Nam quæ ad aliquid dicunt, nihil amplius quam sua substantivâ [illegible] contingit, [illegible] vum facta permutatione, demutari habitudinem, veluti qui prius erat dexter, [illegible] alteratus [illegible] parte [illegible], altero similiter fit demutatio [illegible]. Propterea prædicamentum ad aliquid, [illegible] si propago à Philosophis, in novem prædicamentis [illegible] quibus attenditur [illegible], [illegible] in pluribus [illegible] substantivi mutationem, [illegible] quam. Ex quo patet, quod minime colligitur, si filius causa est, & ex causa provenit, neque totus causa, neque totus ex causa, sed ex alterutro imperfecto componitur. [illegible] causa, & totus ex causa est, cum [illegible]. Quoniam [illegible] causa & caus[illegible] non inducunt, manifestum: Ecce namque filius & spiritus, [illegible] est [illegible] sunt [illegible]. Ex [illegible] sancto spiritu, secundum aliam & aliam speciem, in quo magis quam in aliquo alio composito appareat, existentibus [illegible] spiritus [illegible] patre prodeunt: Eorum enim quisque creator est, non creatura. [illegible] Nicetæ obiectio, de oppositis, Igitur si causa & causatum [illegible] differentem habitudinem [illegible] spiritumque competentia, nullam in eisdem faciunt [illegible] positionem, [illegible] filius ex eo quod a [illegible] patri spiritus causa nuncupetur [illegible] habeat. Amplius autem, idem [illegible] in hunc modum argumentatur: Si ex patre filius [illegible], & mediante filio, ex eodem patre spiritus [illegible], idem pater propinqua remotaque causa [illegible]. Sed hoc [illegible] dictum est, [illegible] prius & posterius est, [illegible] homo, [illegible] causa [illegible] existat: [illegible] artifex, secundum accidens: ex quo quidem propinqua & [illegible], In divinis vero personis, mediatum [illegible] & propinquum dicimus [illegible]. Nam [illegible] natura, ex quo apparet, quod non sit personalis [illegible] proprietas [illegible] filio [illegible]. [illegible] spiritus nunquam aliquando [illegible] spiritus, sed semper immediatè, [illegible]. At vero [illegible] mediante filio, spiritus causa patet existit: [illegible] esse, neque patris neque filij. Q[illegible]

medium filium, & ex filio spiritus procedit, manifestum (semper enim filius suo patri absque medio iungitur) cum pater generet quidem non per aliquem, emittat vero per filium, & ideo spiritum vt pater habet sicut ipse testatur: Pater non dimisit me solum. Sin autem spiritus æqualiter & similiter filij est, ut patris, & pater emittit ipsum filio non emittente, consequitur, vt pater solum secundum hoc filium deserat, quod cogitare, vniversam transcendit impietatem. Sed forte quis dicat: Si filius à se ipso non est, neque spiritum per se habet: si per se non habet, neque similiter, neque æqualiter patri mittit vel emittit. Non est autem a se ipso filius, sicut ipse perhibet dicens: *Ego à me ipso non veni*, quod in superioribus solutum est sufficienter. Nam si hoc datur, nequaquam æqualiter & similiter patri vitam filius habeat, quod nullius habet intelligentis confessio. Et attendendum, quod non potentiam sui minuendo talia fatus est, sed alienum intermendo & contrarium. Nam si homo liberum habet naturaliter arbitrium, & super omnia Dominum quæ tellus fovet, multo amplius vnigenitus Dei filius qui se ipsum exinaniuit, & se ipsum pro nobis tradidit, spiritum & vitam habet vt pater: sicut idem ipse asserit dicens: *Sicut pater habet vitam in se ipso, sic dedit & filio vitam habere in semetipso.* Et quomodo non similiter sicut habet spiritum ipsumque emittit, filio dedit habere atque emittere? Non habet filius spiritum secundum participationem, qui per se vita, per se lux, & per se veritas existit: nec ab alio modicum quid ipsius spiritus accipit, ut ideo impotens sit emittere ipsum, cum pater ad plenum hoc queat facere. Quod semper habuit, quomodo ab alio accepit? Quid autem Apostoli plus habeat, si patrem interpellando mittat spiritum, non habens per se, neque ex se prodeuntem? Quare mittit & emittit filius spiritum sicut & pater: Porro spiritus nihil detrimenti dum mittitur & procedit patitur: quippe licet mittatur, vbique præsens est, dividens vnicuique prout vult. Deus est cuius proprium, non solum futura præscire, verum facere quæcunque vult: *Vnicuique* enim, vt Apostolus dicit, *datur manifestatio spiritus ad utilitatem.* Amplius: Spiritu fideles ducuntur, & filij Dei efficiuntur, sanctificantur quoque in nomine Domini nostri Iesu Christi & in spiritu Dei nostri, sicut idem dicit Apostolus: hic est spiritus, qui profunda Dei novit, qui orbem terrarum replet, qui in omnem veritatem deducit, vbique præsens, nullius indigus: nec aliquid habet adiectum vel adventitium. Qua ex re manifestum quod cum filius dicit: *Ego à me ipso non veni*: & de spiritu: *Ego mittam & de meo accipiet: & me glorificabit*: & quæcunque, talium personarum distinctionem solummodo ostendunt, quæ prorsus incognita hominibus fuerat: hic est spiritus qui loquebatur, in Apostolis: loquebantur enim Apostoli prout spiritus dabat eloqui illis: & rursum: *Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui in cœlis est, loquitur in vobis:* locutus est & in Prophetis hic idem spiritus. *Quis det*, Moyses dicit, *totum populum istum Prophetare, quando dabit Dominus spiritum suum super ipsum.* Novus autem novit testamenti Propheta Agabus clamabat dicens: *hæc dicit spiritus sanctus*: Igitur in Prophetis, in Apostolis, & in Christo vnus spiritus sanctus loquebatur: sed tamen aliter ab illis, & aliter à Christo idem spiritus habebatur. Nam Christus per se spiritum, illi vero per Christum habebant. Cum igitur altissimi verbum per se spiritum habeat, per se spiritum det, patet quod per se emittat & quod ex ipso procedat spiritus. Amplius. Quæ vero per Apostolos fiebant signa, non propria illorum, sed Dei per eos operantis erant. Quod vero fiebant per Dei filium: eiusdem erant, qui nihil in eo, quod Deus, adiectum habere potest. Namque divinum simpliciter ens bonum ex se sufficiens est, sin quo complectivum: quanquam quidam quod ex se sufficiens est simpliciter, bono inferius esse fateantur. Quid enim aliud, inquiunt, est ex se sufficiens, quam illud quod à se, atque in se bonum possidet? hoc autem iam boni plenum est, vt quod ipsum participat. Verum latent se ipsos dividentes, quod divisionem non recipit, per participationem. Emittit ergo filius spiritum, sed non absque patre: sicut neque pater absque filio. Quia quemadmodum patris est spiritus, ita & filij: propterea filius Dei verbum Dei est, filij vero spiritus paracletus, hinc est quod dicit: *Mittet pater in nomine meo*: quod nihil aliud significat, quā in mea virtute, & in mea potestate. Ego enim emissor sum, sicut & pater: quia spiritus à me procedit. Ego enim sine medio patri coniungor: *Ego sum vita & veritas*, & ad ij sum *via*. Nemo venit ad eum nisi me existente medio, & alibi dicit patrem sibi attrahere. *Nemo*, inquit, *potest venire ad me, nisi pater meus traxerit eum.* Liquet ergo quod filius offert patri, & pater attrahit filio: qui immediate patri iungitur, & æqualiter ei per omnia existit, vnde: *Qui videt me, videt & patrem*: &, *Pater in me manens, ipse facit opera*: non habeo aliquid singulare, vel à patre separatum: sicut nec pater aliquid habet quod à me separatur, sed omnia communia: ergo si in toto patre filius est, non solus pater spiritum emittit. Nam si solus spiritum emittat, non est in toto patre filius absque medio.

Liberum ar. i. t. 6.

## CAPVT XII.

Atqui Methonæ Præsul asserit non esse filio spiritum æqualem, si ex ipso prodeat, tali vtens syllogismo. Quod ex duobus est, ei quod ex vno tantum, nunquam est æquale: atqui spiritus ex duobus est cum filius ex patre solo nativitatem habeat: ergo non est æqualis filio spiritus, sed aut maior aut minor. Quid ad hoc respondendum arbitrer, aliud nisi complexione simili depromere inconveniens, hoc modo. Quod ex vno, ei quod ex nullo nunquam est æquale: at vero filius ex uno solo patre scilicet, qui à nullo est habet existentiam: Inæquales sunt ergo pater atque filius. Non sunt hæc in quantitatum proprietate, quia neque mensura, neque quantitas in divino est. Propterea vero non sunt proprie duo pater & filius: ex quibus vt ex duobus differentibus, spiritus existentiam habeat, cùm tantus Deus solus pater sit, quantus pater cum filio. Sed enim hic quidem vir rursus experimentum sumit fallendi, hoc modo disputans: si spiritus ex patre & filio procedit, non erit deinceps solus pater, pater: nec vltra tota vnitas deitas. Et quomodo vtique quo cum paternam causam filius partitur, nec vltra solus filius, filius. Quomodo enim cum sit pater in parte spiritus, nec deinceps vnus solus spiritus? Quomodo enim cum non ex vno, neque solo? Hoc quidem & alia plura, Vir hic complicat, vt videatur arguens: maxime enim, vt Aristoteles dicit, volunt videri arguentes: Sed quoniam commiscet falsa veris, nihil concludit. Quænam vis consecutionis esse potest, si spiritus ex patre & filio procedat, pater non est pater, nec filius filius, nec vnitas deitas. Nam similiter quis colligat, si spiritus secundum naturam à patre habetur, & filio pater est filius, & filius est pater. Vel, si filius & spiritus ex patre diviso modo existentiam contrahant, non erit vltra Deus vnus & simplex pater, quod fortasse proveniret, si spiritus & filius dicerentur, per naturam duo, & non tantum per proprietates, nec autem vnitas secundum naturam est personæ tres simul, sed non divisim. Qua de re, neque duæ vnitates pater, & filius, neque tres: pater, filius, sanctusve spiritus, vnitates existunt. At vero, vna vnitas sunt tres personæ, sicut vnus Deus, & tota vnitas: & tota Trinitas, Deitas. Veruntamen sicut non est aliqua personarum Trinitas, ita earum nulla, ut anterius monstratum est, vnitas proprie censeri potest. Vnus certo solus & solum pater, pater: & vnus est solus, & solum filius, filius: & vnum & solus, & solum spiritus, spiritus sanctus: Trinitas tota pater, & filius, & spiritus sanctus, vnitas Trinitas, & Trinitas vnitas, vnus

enim

A enim hoc tria Deus, & Deus hoc tria, & solus Deus: Ideo autem unitatum dualitas sive Trinitas non intelligitur, sed pater quidem fons est earum, quæ ex ipso duarum personarum, & eam ex quo nullæ provenmunt unitates, sed personæ, propterea non duo patres, non duo filij, non duo spiritus creduntur: neque tres Dji, sed unus & solus & totus Deus qui ante omnia, & super omnia, & omnium causa existit. Palam est igitur inconsequens esse quod illatum est: omne enim quod ex natura infertur ad proprietates, & ex proprietatibus ad naturam, inconsequens est: ut inconsequens est: ut in hoc apparere potest exemplo: Vnus Deus est tres personæ. Igitur aut ingenitus Deus aut genitus est tres personæ: aut procedens: insyllogizatum est, eo quod unus secundum naturam dicitur: Ingenitus vero genitus & procedens minime. Ideoque nihil ex his colligi potest. Amplius, unitas in eo quod unitas immobilis est, cum nullam existentiæ suæ causam habeat: nam- B que omne id quod prius non est aliud, merito immobile putatur: Deo autem nulla existimari causa potest antiquior, his magnus Dionysius testimonium perhibet. In omni pene, inquit, Theologiæ negotio, Thearchiam conspicamur Sacrosanctæ sanctam, ut unitatem quidem propter simplicitatem supernaturalis individuitatis ex qua, ut ex unifica virtute intelligimus in Deo dignam concordiam ut Trinitatem vero propter trium personarum superessentialis fœcunditatis apparitionem. Quamobrem, vnitas quidem naturæ est, Trinitas vero personarum. Cum igitur à sanctis patribus vnitas dicitur moveri, non ipsi vnitati, sed nostro motus animo referendus est, qui Deum in tribus unum speculando personis, eandem prorsus naturam habentibus movetur: & hoc est, quod Dionysius iterum dicit: Est quidem, inquit, fontana Deitas pater, filius vero & spiritus, uberis Deitatis, si sic opportunum sit dicere, germina Deo plantata. Fontanam quidem deitatem, hoc est, fontem in deitate patrem vocat. Propterea solum- C modo quod sine principio pater est, & duobus solus præstat esse, filium vero & spiritum germina Deo plantata, eo, quod ex patre vterque esse habet, sed quoniam improprie deitas pater dicitur, subinnxit: si sic oporteat dicere. Nequaquam his verbis inficiando spiritum ex filio esse, magis autem quod ex filio spiritus sit, affirmare videtur, dum dicit: Filius & spiritus, & non spiritus & filius: tanquam mediante filio, ex patre spiritus proveniat. Modus autem proveniendi, nec exprimi, nec intelligi potest, cum sit omnino ineffabilis. Liquet igitur ex his quæ dicta sunt, quod neque filius, neque spiritus dicitur vnitas: pater vero ut quibusdam videtur, aliquotiens vocabulo significatur unitatis: ut apud Theologum Gregorium sic disceptantem. Vnitas, inquit, à principio mota in dualitatem vsque Trinitatem stetit. Sed videtur tamen sanctus iste vir, in hoc loco abutive, vnitatem pro patre, dualitatem pro filio, Trinitatem vero pro spiritu sancto translative accipere: cum quidem, quoniam vnitas, nomen naturæ significativum est, & non personæ, tum vero quia verbum Dei nequaquam vnitatis, filius D dicitur: cum vnitas eius pater nullo modo censeatur. Est autem dicti intelligentia huiusmodi: Pater sterilitatem abiiciens, in dualitatem motus est, id est, Filium genuit: & vsque in Trinitatem, secundum scilicet spiritum, stetit: emisit spiritum: & vltra neque generando, neque emittendo processit. Quidam vero dictum capitulum aliter volunt interpretari, dicentes: Vnitatem moveri in dualitatem, & Trinitatem absque medio: putantes, quod sicut pater in generationem filij sine medio movetur, ita & in emissione sancti spiritus: hoc si verum esset, non in dualitatem à principio, sed in Trinitatem pater moveretur, immediate generando ex se filium, atque emittendo immediate spiritum, quia certe regnans ei est ordini, qui de baptizando datus est Christo discipulis. Similiter autem & glorificationi, de qua iam dictum est, cum & veritati congeneret quidem non per aliquem, emittat vero per

E filium. Amplius autem, impossibile est ad Trinitatem non per dualitatem migrare. Nam si disciplina & dignitate, duo, priora sunt tribus, non est possibile intellectu comprehendi, in Trinitatem iterisse, per dualitatem minime progredientem. Atqui disciplina & dignitate Trinitate prior est. Et unitas quidem dualitate prior est, eo quod non convertitur, secundum subsistendi consequentiã. Nam cũ duo sint, vt Aristoteles dicit, statim sequitur, vnum esse. Vno vero existente, non necesse est duo esse. Si utique cum sit Trinitas, sequitur statim dualitatẽ esse: dualitate vero existente, non necesse est Trinitatẽ esse per consequentiam: quia tertium ad secundum refertur, secundum vero non ad tertium, sed ad primũ. Ex quo evidentissime apparet, quod pater & filius sancto spiritui æqualiter esse præstant. Quapropter, filius etiam in sancta Trinitate principium, ut superius disputatum est, nuncupatur. Solus igitur pater alijsque initio, & absque causa existit. Causa vero & principiũ F non solum. Qui quidem moveri dicitur, vt disciplina indisciplinatis existens, eosque informans, immobiliter ipsa permanens, aut ita moventur, vt Aristoteles solem dicit occidere, infixaque astra moveri: quæ nequaquam secundum se, sed secundum absentiam nostræ visionis moventur: Noster vtique, inquit, visus obtentus longe nutat propter imbecillitatem quod quidem causa forsan est, vt vibrare videantur astra, quæ infixa sunt: planetis non revibrantibus, ad quos sufficit venire visus. Quod vero ab oriente in occidentem progressu solis occasus apparet, non est ipsius solis, sed nostri visus: sic igitur divinum, cum sit immobile, prorsus secundum naturam & substantiam moveri dicitur, dum nostram intelligentiam movet ad se speculandum, faciendumque differentes investigationes, de Trinitate, de vnitate atque personarum proprietatibus. Item moveri vnitas dicitur in dualitatem, vsque in Trinitatem, non vlterius: quoniam iste numerus perennitatem, & identitatem habet: & idem principium, idem medium, eundemque finem, quod numerorum alius quispiam adeptus non est. Etenim, vnitas prin- G cipium, vnitas medium, & vnitas finis. Omnia sunt vnum, & tria sunt omnia, vt Aristoteles asseverat: Corpus, inquit, solum magnitudinum perfectum est, solum enim distinctur tribus, quod quidem omnia esse dicitur, eo quod principium habet, & medium, atque finem: & quod non sit magnitudo, quæ tribus plus habeat dimentionibus. Quemadmodum igitur in tribus personis, divinum, perfectionem habet, sic & omne corpus, in tribus distantiis vt Ptolomæus docuit: Oportet namque, inquit, tres distantias diffinitas esse, & eas secundum rectas accipere cathethos: tres enim solas rectas adinvicem lineas possibile sumere, duas quidem secundum quas superficies diffinitur, tertiam vero quæ profundum mensurat. At vero trium personarum copula omnem cogitandi seriem, omnem exsuperat rationum vigorem, naturamque supra omnem collocata est, eo quod absque tempore vnum principium existant divinæ tres personæ: Nam licet ex patre sit filius, & ex patre ac filio spiritus sanctus, non tamen post patrem filius, neque post hos duos spiritus esse incepit. Nullum profecto H momentum dandum est sive punctum omnino, quo pater filium, seu spiritum præcessit, sicut sol non prius luce sua extitit, neque radios præcessit lux. Qua de re, non prorsus causam, eo quod ex causa videtur antiquior. At Methonæ Præsul, investigandum, inquit, est quomodo sentiant, qui fatentur spiritum ex filio procedere, sive ideo: quia filij dicatur: sive quia vniversaliter, omne quod alicuius dicitur esse, ex eodem ipso procedere videatur: hoc si ita est, quia Deus Abraham esse dicitur, & Isaac, & Iacob, ex his vtique & procedat, & mundus omnis, & item: Magis, inquit, vt oratio familiaribus fungatur exemplis: Quoniam ipse pater & Deus dicitur, & pater Christi, ex ipso procedat, vt ex filio ad patrem & in omnem deitatem blasphemia pertranseat.

A

## CAPUT XIII.

Theophilactus quoque Bulgariæ Archiepiscopus super idem capitulum hoc modo disputat: Non est intempestivum in hoc loco dicere, negotio seipsum offerente: quo modo habeat filius spiritum, & quo modo spiritus sit filij? dicit enim Apostolus: *Spiritum filij sui in corda nostra misit clamantem Abba pater*: & alibi: *Si quis spiritum Christi non habet, hic non est eius.* At vero Latini hoc suscipientes, & desipientes fatentur, quod spiritus procedat ex filio. Nos autem primum hoc dicimus ad eos, quoniam aliud est, esse ex aliquo: & aliud est, esse alicuius: veluti spiritum esse quidem filij, indubitabile est, & scripturæ testimonio firmatum: esse quidem ex filio nulla scriptura perB habet, ut non duas causas spiritus, patrem scilicet atque filium introducamus etiam inquit. Sed *insufflavit discipulis, & dixit: Accipite spiritum sanctum.* O insipientiam, si ter dedit discipulis spiritum sanctum quando insufflavit. Quomodo ergo dicebat: *Accipietis virtutem supervenientis spiritus sancti in vos, non post multos hos dies*? aut quomodo in Pentecoste credamus advenisse spiritum, si vero in die resurrectionis ipsum dedit, ter utique insufflavit? Sed hic quidem sunt lati risus. Manifestum sane, quod ter illius spiritum sanctum nequaquam dedit, sed unum donorum spiritus sancti, dimittendi scilicet peccata. Et rursus: Habet autem filius spiritum substantialiter, ut consubstantialem sibi, non ut energumenum. Prophetæ quippe aguntur, & item dicitur spiritus esse filij, secundum quod unitas est filius, & virtus, & sapientia, sanctus vero spiritus & unitatis, & fortitudinis, & sapientiæ spiritus apud Esaiam describitur: dicitur autem filij spiritus, quia per filium datur hominibus. Vterque sane virorum istorum, ut vera fatear, humi haurit & nequaquam Dei creaturam attingit, atque quam plura inconvenientia implicat? sed quoniam sine demonstratione incredibilia sunt atque incerta, cum neque C ex communibus conceptionibus, neque auctoritatibus sanctorum huiusmodi argumentationes irradiatæ sint. Quapropter tentabo quantum Dominus præstat, veritatem reserare ac detegere, ne falsitas pro vero recipiatur, lucernaque veritatis sub huiusmodi procellarum incursionibus videatur extingui. Primum igitur dicendum est, quod sicut spiritus sanctus specialiter nuncupatur spiritus, sic utique sapientia, virtus, & unitas filius nominatur. Attamen pater sanctusque spiritus est, quando eisdem applicationibus utuntur. Non enim intelligi potest, sine sapientia sapiens: nec potens absque potentia: sicut nec absque dilectione diligens. Est autem sapiens pater, sapiens filius, & sapiens spiritus sanctus. Similiter autem verus & potens, confert autem spiritui pater esse, confert autem cum illo & filius. Etenim spiritus patris & filij charitas, æque ac substantialiter, & secundum naturam. At forte nominati prius viri ex filio esse spiritum ideo inficiati sunt, quod secundum nullum modum eorum qui dici ex aliquo à Philosophis consueverunt, ex ipso sit filio spiritus. Sunt autem qui dici consueverunt, D ex aliquo modi hi: quippe quiddam ex aliquo esse dicitur, quod ex materia & forma consistit. Nam ex materia dicuntur materiata, & ex forma quæ in illis formata: secundum quem modum ex filio spiritus esse non perhibetur, dicitur quoque aliquid esse ex aliquo, ut ex efficiente causa, & ex imperfecto perfectum, ut de puero dicere consuevimus, iuvenem fieri. Sed enim ex partibus totum, & ex contrariis contraria, & equidem posterius fit, ut ex Hebraicis Græca: & ex Græcis Latina. Atqui secundum nullum dictorum modorum ex aliquo spiritus filij est, porro neque patris. Nam neque materia neque species spiritus sancti est pater, neque pars, neque ut ex contrario fit, permanente subiecto eodem ad contrarij E permutationem, quod per passionem fit, & alterius corruptionem: sed à spiritu sancto corruptio abest omnis, & universa penitus altercatio, quæ non variatur per tempora, quasi ante parvulus extitit, & ut puer in virum, sic per momenta temporum, ad incrementum veniunt. Alius certe modus est existentiæ, secundum quod amborum patris scilicet & filij, spiritus esse censeatur: ineffabilis & investigabilis, licet dictus spiritus polliceatur dicere creaturæ omni. Veruntamen apud Latinos omnes patet per fidem, patris & filij esse spiritum substantialiter, & secundum naturam, & æqualiter, quia non minus filij, magis vero esse apparet patris, scilicet utriusque per omnia æque existit. Ob quam rem, non est secundum abundantiam vel defectum alterutrum, quia quot modis est patris, totidem filij existit secundum naturam, substantialiter F secundum causam: & secundum emissionem, id est, processionem. Ad hoc autem quæ superius posita sunt, ut opposita, scilicet, aliud esse ex aliquo: & aliud alicuius, eidem in pluribus convenire inveniuntur. Nam pars quidem totius est, & ex toto, & arboris fructus, & ex arbore: & spuma maris, & ex mari: & sicut impossibile est, fontis esse aquam, & non ex fonte, sic impossibile est, spiritum esse filij, & non ex filio: aut patris, & non ex patre filium spiritumque, pater vero non, eo quod non sit alicuius, ut, ex aliquo, sed in eo, quod generat filium eius dicitur. Non est igitur congrua comparatio duorum Abraham & spiritus. Quippe, Deus dicitur Abraham ut creator, & Dominus Abraham: forsan vero, & ut amicus illius. Intellectus autẽ & fortitudinis & similium, ut efficiens causa dicitur: Sed spiritus dicitur filij & patris, ut ex Deo ens, & ipse Deus non ut adventitium adveniendo extrinsecus (hoc enim quis asseverare audeat?) sed ut plenitudo eius, qui certe non aliter sano intellectu comprehendi potest, secundum quod tertius dicitur a patre, ut prius dictum est, nisi ex filio habere sub G stantiam intelligatur & consideretur, hic utique spiritus iuxta Domini vocem veritatis est, quia dicitur spiritus veritatis: qui profecto in quantum veritatis est, in tantum filij existit, & ex ipso existentiam sortitur, quod hoc modo manifestius fortasse esse poterit: si spiritus veritatis est, ex veritate autem esse non habet, sed accidens verus est idem spiritus, ut motus secundum accidens, calidus nuncupatur, eo quod calidum faciat; at vero non est verus secundum accidens, ergo ex veritate esse habet: huic syllogismo exemplorum multitudo fidem porrigit: Ecce enim, humana anima, quia non est ex unitate, secundum accidens vera prædicatur sicut & alias virtutes dignoscitur habere. Non enim naturaliter inest virtus vitiumque quod apparet ex facili eorum permutatione. Ea quidem cum ex ratione esse habeat, non est secundum accidens rationale: corpus vero quia non habet esse ex colore, secundum accidens coloratum est. Sic utique spiritus sanctus, si ex unitate non habet esse, adveniens & adventitia est eius veritas: cum ipse veritatis prædicetur, & eius dicatur esse. Igitur sicut est veritatis, sic & esse & subsistere habet ex veritate, & ex ipsa, filio scilicet, procedit secundum personarum ordinem. Namque veri ordo non est, nec alter alteH rius causa existit. Quod si constet, neque principium, neque causa in Trinitate possit inveniri. Item rerum existentium tres ordines sunt apud Philosophos. Nam hæ quidem earum omnino separabiles sunt: subsistentia, scilicet & intelligentia, veluti divinæ: hæ vero modis omnibus inseparabiles esse, & intellectu ut naturales: aliæ vero, secundum quid separabiles, & secundum quid inseparabiles, utpote Mathematicæ: quæ medium inter supra dictas locum obtinent: communicantes quidem divinis, in eo quod separabiles: naturalibus vero, secundum quod non separantur. Similiter autem his in terminis syllogismorum perfectæ figuræ rectum possidentibus ordinem, medium semper extremitatibus communicat:

&

A & secundum habitudinem semper alterutrum respicit, nunc prædicatus, nunc subiectus. Amplius: Rationalem animam Philosophi trifariam dividunt: irascibile ipsam habere proponentes, ratiocinativum, atque concupiscibile: sed ratiocinativum aiunt derivari: concupiscibile subiugari: irascibile autem modo fungi divino, modo cohærere subiectioni. Palam est igitur, ut puto, quod in solitario naturæ, & in trino personarum ordine ineffabili, quemadmodum ex non habente principium filius nascatur, ita & ex filio proveniat spiritus. Sed quoniam hic plane iam patescet, vadendum deinceps ad alteram obiectionis partem, hanc, scilicet, utrum Christus insufflando in faciem discipulorum spiritum sanctum eis dederit? an absque spiritu donum, id est, virtutem operandi miracula, discipuli acceperint? forsitan neque ad huius solutionem sermo elanguerêt, at Gregorio qui B Theologus cognominatur, super hæc disceptante, taciturnitati famulandum est ad modicum, hic utique de dato discipulis spiritu, hoc modo disputat: Spiritus sanctus in Christi discipulis, tribus modis operabatur, prius & per tria tempora, antequam glorificaretur Christus passione: post glorificationem in resurrectione: atque post ascensionem in cœlos: Et primum quidem leniter, secundo autem vehementer, tertio vero consummatius, non ultra præsens actu ut ante, sed substantialiter: ut quis fateatur conversando & commanendo. Insufflat autem dum demonstrat se esse qui à principio nostram naturam condidit: ait enim quodam in loco Moyses: *Et plasmavit Deus hominem, limum accipiens de terra, & insufflavit in faciem eius spiraculum vitæ.* Quoniam quidem, per inobedientiam in mortem ductus est, & ab antiquo illo honore delapsus, renovavit illum Christus denuo, morte suæ carnis, destruendo mortem, & ad pristinum honorem reduxit: per insufflationem avolantem absistentemque à nobis, spiritum iterum nobis restituens. Sed enim Apollinaris his similia profitetur: *Insufflavit* enim, inquit, *in faciem* Adam *spiraculum vitæ*, & C postquam à mortuis redüt, insufflavit in faciem discipulorum, ut reformati ad antiquam imaginem, conformes appareant suo factori, per spiritus participationem. Idem inclytus Papa Romæ Gregorius dialogo astruit dicens: quod per insufflationem illam Christus spiritum sanctum discipulis dederit: In terra, inquit, datur spiritus, ut diligatur proximus: è cœlis datur, ut diligatur DEVS.

## CAPVT XV.

CÆterum huic sententiæ, Ioannes Chrysostomus contraria videtur asserere, & solus. Quomodo ergo, inquit, nisi ego abiero, ille non veniet, nisi spiritum dedit? Non enim tunc spiritum dedit, sed aptos illos ad suspiciendum reddidit per insufflationem: & post modicum idem dicit: Nequaquam quis peccet, & tunc accepisse eos dicens potestatem, aliquam spiritualem & gratiam. At non mortuos suscitandi, virtutesque faciendi, sed dimittendi peccata: differunt D nempe dona spiritus sancti, ideoque subiunxit: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur: & quorum retinueritis, retenta sunt*, ostendens quam formam operationis tribuat. Post quadraginta vero dies, signorum acceperunt efficaciam: unde & dicit: *Accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos.* Qua, iure seipsum interpretatur, Quomodo dixerit, non tunc dedisse spiritum, id est, non omnem spem operationis spiritus perfecte tunc largiebatur, Theologo Gregorio consentiens dicenti. Primum quidem leniter, secundo autem informatius, tertio vero consummatius. Ipse enim IESVS testimonium perhibet spiritum accepisse discipulos per insufflationem, dum dicit: *Accipite spiritum sanctum*. Nemo enim nihil porrigens illusor nisi sit, dicit accipite. IESVS E autem dixit eis, *accipite.* Qua de causa manifestum, quod aliquid eis largitus sit: Quod si aliquid eis dedit; aut quid erat in voce, aut quid voce non significabatur. At nullus lapidem porrigens, cum sit mentitus post, ex industria dicat, accipite panem: ergo quod voce significabatur, donavit, scilicet, Spiritum sanctum. Quod si quis adhuc contentionis finem contrahendo dicat: Non tunc Spiritum, sed unum donorum sancti Spiritus dedisse, Remittere, scilicet peccata; attendat, si huiusmodi virtus separabilis sit: Sed patet, quod non sit separabilis, cum nihil secundum accidens, divinis insit hypostasibus, ergo dum dat Spiritum largitur totum, non partem: Scimus enim, quod Spiritus sanctus non dividitur: in quo non est partes accipere, cum totum sit, quod est & individuum. Igitur totum discipulis Spiritum simul donavit. Sed quærunt quidam, si tunc Spiritum dedit: F quare dixit, *Nisi ego abiero, Paracletus non veniet ad vos?* Et item dicunt: Si tunc insufflando dedit Spiritum sanctum, quomodo in die Pentecostes rursus dederit? Ad quod dicendum, quod in die Resurrectionis, dedit quidem Spiritum, sed non secundum omnem operationis speciem: * In die vero Pentecostes, dedit eis Spiritum, secundum omnem in ipsis operationis speciem. Amplius: Quæratur & ab illis: Nunquid Spiritus sanctus Deus est? Nunquid Deus utique est, ergo & Spiritus sanctus utique est? Quod si utique, manifestum quod in Apostolis tunc extitit, quomodo ergo in quinquagesimo die, Spiritum sanctum ad discipulos misit, quibus eum idem Spiritus aderat? ad personarum certe discretionem, & propter operationum in ipsis Apostolis efficaciam, huiusmodi distinctiones fiunt. Ad hoc: insufflasse Christus ut emissor, in eo, quod Deus in faciem discipulorum creditur, tum, ut per hoc intelligeremus Spiritum vere de illo procedere, ut de profundo corporis eius, ille flatus corporabat sensibiliter, tum quod ad habendum & quasi possidendum spiritum eis daret. G Quod in die Pentecostes ad robur & operationem, ostensionemque signorum è cœlis discipulis eisdem misisse fertur. Quod ex hoc liquido apparet: præsente Christo raro signa faciebant eius discipuli, quo in cœlum abeunte, ac mittente Spiritum, per manus Apostolorum signa fiebant: unde in specie ignis missus dicitur, ut eos qui adhuc quasi limus erant, molles existentes, corroboraret atque confirmaret. Nonne ante hac primus discipulorum Petrus ad vocem expaverat ancillæ? hic tempore post corroboratus, principum orbis tyrannidem contempsit. Ex his igitur manifestum esse potest, quod non sit vecordiæ neque imprudentiæ, si quis dicat Christum discipulis tunc Spiritum dedisse, quando post resurrectionem eis dixit: *Accipite Spiritum sanctum*: cum scientissimi Græcorum idemque sanctissimi, hoc comprobaverint, ut ostensum est: porro nostri temporis homines errorem hoc reputant, & insaniam pro eo solum, quod Spiritus processionem ex filio abolere conantur, qui ab ipso Salvatore testimonium habet dicente mulieri quæ fluxum sanguinis patiebatur, fimbriam vestimenti eius contingebat: *Quis me tetigit? novi enim virtutem exisse de me*: Deus enim sum, & H Spiritum habeo, in quo eiicio dæmonia, coæqualem mihi sanitatum largitorem. Nam virtutem exire deintus, & ex propria natura Deo soli competit, eiusque solius proprium est, qui supra omnem creaturam esse recta fide creditur. Prophetæ nempe, ex seipsis non habebant exeuntes virtutes; qui gratia tantum Dei, miraculis coruscabant, clarebant doctrinis, & Dei consilia manifestabant: Atqui Christus fons totius boni, potentiæque omnis de se Spiritum exeuntem, licet non localiter transmigrantem, habet disciplinæ instar, quæ apud Doctores commanens, discentibus attribuitur. *Novi*, inquit, *virtutem exisse de me*, in eo quod Deus sum: nam in eo, quod homo, non habet consubstantialem sui Spiritum sanctum,

* actus.

nec de se exeuntem, sed super se stantem. Cum igitur ex se virtutem exire commonstraverit, evidentissime Spiritum ex se procedere docuit. Quando autem resuscitavit Archisynagogi filiam, cum nollet quippiam huiusmodi ostendere, tenuit puellæ manum, & clamavit dicens: *Puella surge*: nullam in hoc significando sancti spiritus imbecillitatem: neque quod insufficiens foret spiritus mulierem vitæ restituere, sed in medio tantum, quod caro eius eadem quæ spiritus operaretur mortis corruptionisque interemptoria, eo quod propria verbi facti fiunt omnia vivificantis. Neque tamen præter spiritum hoc egisse credendum est, in quo renovavit hominem, & in discipulorum faciem insufflando restituit perditam gratiam, & omnem huiusmodi administrationem per fidem: hinc est quod Theologus Ioannes in quadam Epistola denuntiat, dicens: *Hæc autem scripsi de his qui seducunt vos, & unctio quam accepistis ab eo maneat in vobis, & non opus habetis, ut quis doceat vos: sed ut ipsa unctio docet vos de omnibus, verax est, & non est mendacium.* Ecce unctionem spiritum sanctum dicit quam à Christo acceperunt, quem qui constanter apud se tenent, non opus habent, vt quis doceat. Lucas quoque de Christo loquens dicit: *in ipsa hora exultavit IESVS Spiritu sancto, & dixit: Confitebor tibi pater Domine cœli & terræ, quoniam abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus*: Exultavit spiritu sancto, id est, indicium præstitit, quod ex se, vt ex patre spiritus procederet, qui spiritus huiusmodi mysteria parvulis & mundis corde, revelat. Repleti sunt Apostoli spiritu sancto, sed non similiter CHRISTO. Non enim ex se habebant, sed extrinsecus acceperunt. IESVS autem non ex adventu, non ex adiectione vel extrinsecus, sed ex seipso spiritus plenitudinem vt DEI filius habet, & habuit. Quod manifeste in novo adversus Nestorium, e usque complices, capitulo, Magnus Cyrillus enunciat dicens: Si quis dicit, vnum Dominum IESVM CHRISTVM glorificatum à patre, tanquam aliena virtute per ipsum vtentem, & ab ipso accipientem, agere posse contra immundos spiritus, & perficere in hominibus divina miracula, & non magis proprium ipsius spiritum dicit: per quod operatus est cœlica miracula Anathema sit. Quod idem sanctus sic interpretatur: Homo factum vnigenitum DEI verbum permansit, & sic Deus omnia existens quæcunque & pater: excepto solo, quod sit pater, & proprium habens, ex se, & substantialem naturaliter spiritum sanctum: operatum est divina miracula, vnde & homo factum permansit, sic DEVS vt propria virtute, per spiritum impleret miracula. Qui autem dicunt, vt hominem vnum similem nostri, scilicet sanctorum glorificatum, & ipsum per spiritus operationem, non vt propria magis, sed vt aliena & non DEO digna vtentem, & tanquam in gratiæ parte accepisse a spiritu quod in cœlos ascendit, iuste subiacebunt virtuti Anathematis.

## CAPVT XVI.

VErum hoc cum undecimum capitulum Theodoritus Cyri Episcopus, infatuata confidentia, contra fas infirmat, quæ multo digna sunt, pro nihilo faciens, & quæ nefaria magnipendens. Qui & in Cyrilli hæc, scilicet, verba, Proprius est spiritus filij: talia scripsit: Siquidem vt consimilem, & ex patre procedentem asserit, consponsdebimus & vt piam suscipiemus vocem: si autem vt ex filio, aut per filium existentiam habentem, vt blasphemum & impium abiiciemus. Credimus enim Domino dicenti: *Spiritus qui à Patre procedit*: & beatissimo Paulo similiter enuntianti: *Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum qui ex DEO est.* Vbi vero hic idem Theodoritus, ex Magni Cyrilli scriptis plenum certificatus est, quod cum Latinis de processione spiritus sancti dogmatizaret, quæ sequuntur, oblocutus est: Blasphemat & in spiritum sanctum, dum non ex patre solo illum asserit procedere, iuxta Domini vocem: sed ex filio eundem existentiam habere: hi sunt Ægyptij partus, malo patre germina deteriora. Respondendum quidem erat conviciatori huic, sed quoniam idem Magnus vir iustus est, respondere, & pro se facere conviciatori suo responsionem, ego quidem taceo ipso respondente hæc. Scimus quidem, inquit sanctos, CHRISTVM sancti spiritus operatione, malas & immundas virtutes contrivisse: sed non sic famur, ipsum vt vtique sanctorum quemlibet quasi aliena virtute vti per spiritum. Erat enim & est eius spiritus, sicut vtique & patris: & hoc nobis evidenter planum facit sanctus Paulus, vbi scripsit: *Qui in carne sunt, DEO placere non possunt: vos autem non estis in carne, sed in spiritu, siquidem spiritus DEI habitat in vobis: si quis autem spiritum CHRISTI non habet, hic non est eius.*: procedit quidem de patre spiritus sanctus, iuxta Salvatoris vocem, sed non est alienus à filio, omnia enim habet cum patre, & hoc ipse perdocuit dicens de spiritu sancto: *Omnia quæcunque habet pater mea sunt, ideo dixi vobis, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.* Ergo clarificavit IESVM spiritus sanctus, operantem inopinabilia: verum vt spiritus eius, & non aliena virtus, & ipso melior, secundum quod intelligitur DEVS. Non igitur blasphemavimus in sanctos Angelos, neque in Prophetas vt ausus est dicere, qui solum novit conviciari. Eo quod eius, & eorum qui cum eo intentio sit, dividere in duos CHRISTOS, vnum, & alterum quidem glorificatum & energumenum: alium vero glorificantem, & operantem dicere. Vituperant insipienter omne verbum pium, & quod ab huiusmodi eos absistere facit prava opinione. Et rursus in Epistola, contra impium Nestorium: Nam & si sit in persona spiritus propria, & intelligatur per se, secundum quod spiritus est, & non filius, verumtamen non est alienus ab ipso: Spiritus enim veritatis nominatur, & est CHRISTVS veritas, ex quo emanat, quemadmodum vtique ex DEO & patre. Quare patet hic Theodoritum ex filio spiritum existentiam habere, interpretati, Spiritum ex filio procedere, quod veritas habet: & Magno Cyrillo adversari, eo quod asseveret habere spiritum ex filio existentiam, cui quidem, scilicet Cyrillo, maxime credendum esse Græcus etiam confiteatur: nisi forte qui vestigia Photij Patriarchæ Constantinopoleos prosequitur. Cuius quidem Sophismatum laquei, & tristes ac atroces iniuriæ in Latinos, breviter hic, quia sermo appetit, exprimendæ sunt. Hic enim est, qui post Theodoritum in æquorea puteum fodiens arena, non semina, sed Cienena venena sepeliendo, diri valde languoris fidei Christianorum causa factus est. Profecto hunc cum suis complicibus Esaias deplorat dicendo: *Væ qui sapientes sunt apud semetipsos, & in oculis suis prudentes.* At vero iam exponenda est superciliosa & extraria mendacium amantis Patriarchæ contradictio, & turpilloquium. Est quidem, inquit, adversus Latinos acutum & inevitabile telum, & ante omnia alia Dominica vox, quæ feram omnem, omnemque vulpem attonitam faciendo exterminat & demolitur. Quæ est hæc, Spiritum quæ ex patre dicit procedere: Ex patre filius Spiritum procedere astruit: Et tu autorem quæris, per quem facias, imo perficias impietatem, dum fabularis Spiritum ex filio procedere? Si communis Salvatoris, conditoris, & legislatoris dogmata, vt à tua vecordia evincantur, impetum non formidasti capere. Quid utique aliud quispiam accipere quærat, per quod tuum penitus coarguat impium studium? Si tu Dominicas despicis leges, quis religiosus tuam non abominetur opinionem? Quid vtique aliud te de ruina erigat? Quæ autem medelæ astutia, totum corpus occupanti plagæ medeatur? non ei quam

Photius Patriarcha Cōstantinopol.

salutaris

salutaris sermo effecerit, sed ei quam spontanea indidit ægritudo, quæ Dominicæ doctrinæ medicamentum, ex incredulitate litigando permutat in rem, quæ iuvare non potest, mortiferam: magis autem, dum debellatorem adversum inimicos gladium diripit, qui quærit in eorum parte annumerari. Propterea te humi iacentem sub bicipiti gladio spiritus, nihilominus tamen & nos pro communi Domino, amorem & promptum animum demonstrantes, quæcunque calculi sacræ nostræ, armantis nos militiæ ad dimicandum commovent. Sed neque ea quæ ex hac fiunt vulnera vt fugias, curam extra faciemus. Si enim ex vna causa patre, filius spiritúsque proveniunt, licet hic quidem per generationem, ille vero per processionem: est autem rursus filius spiritus productor, quemadmodum blasphemia clamat. Quomodo vtique consequentiæ sustineat ratio, quòd spiritus filij non sit productor? Cum enim æqualiter ambo ex vna causa proveniant: si alterum alteri causæ vsum suppleat: neque verò alteri alterum, nonne ad æqualem recompensandam gratiam, spiritum esse causam immutabilis ordinis observantia exigit? Ecce post primum vaniloquium, & illecebras præsidis, & autoris totius schismatis, impudica lingua & inficiatrix conscientia, quantam conceperit & pepererit blasphemiam? scribere ausa, quæ nullus alius, & supervacuos extrema arrogantia syllogismos componere. Similis interrogatio eidem imminet: Si enim ex vna causa patre, filius spiritúsque proveniunt: mittit autem rursus spiritum filius, vt ipse perhibet; quomodo vtique consequentiæ sustineat ratio, non generari filium, vel mitti à spiritu? Cùm enim æqualiter ambo ex vna causa proveniant, quantum à patre filius accipit, tantundem accipere debet spiritus. Quare si filius mittit spiritum, & spiritus generat filium: vt quemadmodum filius à patre mittit spiritum, ita & spiritu recompensando gratiam à patre generet filium. Amplius: Filius à patre accipit, vt eius sit Paracletus, quare non similiter accipiat spiritus, vt eius dicatur verbum? Quare quidem recompensatio & æqualitas in hoc extitit, vt sicut filius a patre accipit causam esse spiritus, sic vtique spiritus ab eodem patre accipit causativum esse filij. In quo non corrumpitur fidei ratio, salvis adinvicem vtique proprietatibus, pariter atque æqualiter. Et rursus idem Hæresiarcha, & novæ Philosophiæ complasmator, non erubescit impudicum principium attribuere sermoni. O sensum, inquiens, intemperantia ebrium & impietate! ò linguam impietate audacem! Quis dixit sacerdotum seu Patrum nostrorum, spiritum ex filio procedere? Quæ synodus vniversalibus sponsionibus firmata & adornata: magis autem quod Pontificum diuinitus adunatum collegium, non hanc sententiam, & ante quàm appareret sancti spiritus inspiratione condemnavit: per quos spiritus sanctus, patris esse iuxta Dominicam institutionem apparet. Ex quo liquido procedere magnis vocibus prædicaverint? Et quidem non sic sentientes, vt vniversalis, & Apostolicæ Ecclesiæ contemptores, subdiderunt Anathemati. Ab antiquis enim temporibus, noviter ortam impietatem, præsagis prouidentiæ oculis, & ipsam cum anticipante multifaria discessione, scripto, verbo, atque sententia condemnarunt. Dogmatizavit statim vniversalium & sacrarum synodorum secunda, spiritum sanctum, ex patre procedere, suscepit tertia, quarta confirmavit, consensum præbuit quinta, sexta adiudicavit, splendidis consignavit certaminibus septima: per singulas earum est patenter videre fiducialiter egisse pietatem, & spiritum ex patre sed non ex filio diuinitus annuntiatum procedere. Te vero quis grex impius perdocuit, quis contrarias leges Domini ponens legibus, incidere in nefarias sectas subinduxit? In errorem invium, hic Hæresiarcha inductione hac, & verisimilitudine ducere tentat, non solum idiotas, verum & scientes, qui quidem quoniam ex propriis loquitur, falsitatis operarium sermonem efficit, dissiminat verba, perscrutatur propria, dum quærit quæ synodus sancierit dicere spiritum ex filio procedere. Quare sine querela vti nunc possum, eiusdem maledici sermonibus, & efferre. O sensum ab incontinentia crapulatum, & impietate! Omitto reliqua, quæ pene certum non habent numerum, venio ad magnos fidei articulos. Quæ synodus esse tri fermentatum, lanceáque illud percuti constituit? Panis quidem azymus erat ille quem accipiens Dominus ... *Hoc est corpus meum.* Nam legale pascha, prius consummavit: dein mysticam illam perfecit cœnam in eadem mensa. Refert enim Chrysostomus vbi de traditione Iudæ ac Pascha disputat: *Vbi vis paremus tibi comedere pascha?* non hoc nostrum, sed Iudaicum: illud enim discipuli paraverunt, nostrum autem ipse paravit: & iterum in eadem mensa, vterque fit Pascha, & quod figuræ, & quod veritatis. Magnus quoque Cyrillus, in *sexto, De eo quod est in spiritu & veritate obsequio, sermone, talia loquitur. Dies quidem salutaris huius & desiderabilis occisionis, secundum lunam quartam decimam: Sic vero lex prædixerat manifestè Salvatoris nostri occisionis tempus, quoniam pro mundi vita instituisse dicimus ipsum, decima, inquit, mensis primi, tollat unusquisque agnum pro domo iuxta numerum animarum; & servabitis eum vsque ad quartam decimam mensis huius, immolabitque illum vniversa multitudo filiorum Israël ad vesperam. Audis quomodo à decima tollebatur, & vsque ad quartam decimam servabatur, quondam victima, vt quintum intelligas tempus, in quo factus homo pro nobis sustinuit mortem, minui iam incipiente luna, quæ noctis principio dicata est.

*Pascha Christus quomodo celebraverit.*

## CAPVT XVII.

Sed enim Epiphanius Cypri Archiepiscopus in libro qui Panaria nuncupatur, contra Ebionitas comestionem carnium inhibentes: Quomodo, inquit, non protinus eorum amentia coarguatur, primum quidem Domino comedente Pascha Iudæorum? Pascha autem Iudæorum agnus erat, & azyma, carnes agni, assæ igni: & quæ comedebantur, prout ei discipuli dicunt: *Vbi vis paremus:* & cætera. Et rursum: *Desiderio desideraui, hoc Pascha manducare vobiscum.* Non dixit simpliciter Pascha, sed *hoc Pascha:* Pascha vero erat vt dixi, carnes assæ igni & reliqua: & iterum idem Sanctus vt verè dicebat: *Desiderio desideravi hoc Pascha*, carnes, scilicet, manducare vobiscum. Planè autem ostendit quod & Pascha consummavit, & carnes manducavit, vt dictum est; dicit autem & lex, *Habebitis hanc diem in monimentum, & celebrabitis eam solemnem Domino, cultu sempiterno: Septem diebus azyma comedetis, in die prima non erit fermentatum in domibus vestris: quicunque comederit fermentatum peribit anima illa de Israël: à die prima vsque ad septimum, primo mense, quarta decima die mensis ad vesperam comedetis azyma. Vsque in diem vigesimam primam eiusdem mensis ad vesperam, septem diebus fermentatum non invenietur in domibus vestris: omnis quicunque comederit fermentatum, peribit anima eius de cœtu Israël, tam de advenis, quam de indigenis terræ.* Christus autem non fuit aliquo modo transgressor legis, alioquin iustè occidissent eum. Quamobrem azymum benedicens fregit, & dedit discipulis, & dixit: *Accipite, comedite, hoc est corpus meum.* Ideò Latinorum sancta Ecclesia æternaliter azyma offert & immolat, nequaquam in hoc Iudaizans, cùm in anno illi semel, & non proposito simili, hoc verò perpetuo, secundum Christi traditionem: profectò si hoc esset Iudaizare: qui vtuntur templo, altari, oleo, aqua, lumine, thuribulo, angelorum imaginibus, & barbas non radunt, Iudæis vtique consentirent. Quoniam autem Angelorum iconas habuerunt, patet ex eo,

A quod Dominus ad Moysen dixit: *Facias mihi duo Cherubin ex auro ductili, & pones ea ex utraque parte propitiatorij, extendentia alas super propitiatorium, & mutuo se respicientia.* Palam est igitur penes Iudæos fuisse vsus imaginum. Amplius: Quis Pontificum cœtus, tradidit baptizandos præungi oleo Domino docente baptizari in nomine Patris & Filij, & Spiritus sancti, & nihil amplius adiiciente? Amplius. Quæ synodus sancivit, ferventem aquam sanguini Dominico permisceri, quod quidem magis facit apparere animalem, & gratia sanitatis corporis susceptionem Filij, quam rationalem seu vivam vel spiritalem? Nunquam enim scriptum est, Dominum ferventem aquam misisse in calicem, quando in cœna dixit discipulis: *Bibite ex hoc omnes, hic est sanguis meus:* Sed neque magister sobrietatis & omnis continentiæ vinum sine aqua dedisse credendus est, cùm mysterij Sacramentum eisdem discipulis tradidit. Et rursum quæ synodus
B constituit, in officiis Ecclesiarum Kyrie eleison tantum psallere: & non concinere huic Christe eleison. Dixit DOMINVS: *Spiritus qui à Patre procedit:* confirmaverunt hoc, & sanctæ Synodi, Latinorúmque omne collegium, non modo non inficiatum est: sed cum omni diligentia, & ex toto corde credit, & dicit, confitetúrque & ex filio procedere. Nam licet solus nominetur pater: subintelligitur omnino & filius, eo quod absque medio de patre non prodeat, & cum nusquam patrem dixisse reperiatur, Ego solus emitto spiritum: sed neque Prophetarum quispiam, seu aliorum patrum, solus pater emittit spiritum, aliquando protulit: at vero neque contra decreta Sanctorum Patrum, qui Niceæ, Constantinopoli, Chalcedone, vel vbi libet locorum pro firmanda fide convenerunt. Idem enim, sed aliter dicit explanando & interpretando, quod piè intelligi oporteat: Spiritum ex Pa-
C tre procedere subintellecto, scilicet, filio: tum quia verissimum est, spiritum ex filio procedere, tum quia multi à filio ipsum dividebant. Enimvero sicut intelligitur filium esse spiritum, cum dicitur esse patris, ita concipiendus est ex filio procedere, cum Deus à Patre procedit. Nam si spiritus ex eo quod habetur, non incipit paternum proprium, neque ex eo, quod procedit, at vero ex eo, quod habetur non incipit. Est enim spiritus proprius filij, cum non in eo quod pater habeat spiritum, quia neque spiritus habetur vt genimen: Verùm bonus pastor suis falsis opinionibus consistentia & bene habentia dimovet, & Latinorum sanctam Ecclesiam absque synodo pro suis viribus condemnat, contráque sanctas synodos, contráque Apostolicæ sanctitatis viros mentitur, dum eos sanxisse affirmat spiritum à Patre, sed non à filio procedere. Evidenter calumniatur sanctos Patres denuntiasse, quod non pronuntiaverint atque sensum, quia oratio non significat ei docuisse. Salvator quidem dixit,
D *qui à patre procedit:* Idem sancta concilia, idem venerabiles Patres confessi sunt, hic autem convitiator edocuisse illos asserit, quod indicare orationem arbitratur, scilicet qui à Patre solo procedit. Quare quod non pronuntiaverint quasi sancitum complaudit ei, dum ex solo patre docet spiritum procedere, Salvatorem, sanctas synodos, venerabilésque Patres arguit. Nempe non idem significant hæ duæ orationes: qui à patre procedit: & qui à patre solo procedit: neque apud Græcos, neque apud Latinos, neque penes Oratores, neque penes Philosophos: profectò rimari quidem oportet, non solum dictionem, verum dictionis intentionem. Sanè quæ dubia sunt interdum, per alia manifestantur: & ex his quæ alibi scripta sunt. Notum quidem videtur Latinis qui à patre solo, notum verò Græcis qui à patre, & filio: eo quod neutrum in Evangelijs scriptum reperiatur, verum sic opposita sunt, vt alterum quidem duorum sit verum ex necessitate: alterum vero non, sed ex filio quidem procedere scripturis consonat & concordat, & neque contrarium vel repugnans invenitur, quanquam à synodis expressum non sit. Etenim quisque Romanorum
E Pontificum qui synodos sanctificaverunt & confirmaverunt, semper hoc dixit ac dogmatizavit. Quos quidem vtique Athanasius, Basilius, Cyrillus, sanctorúmque reliqui manifestè secuti sunt: propterea ex filio sentire ac dicere debitum est. In quantiscunque quidem, neque cum filio, neque habere intelligere commune est spiritu, solus intelligitur pater: veluti cum dicitur ingenitus, absque causa, & sine principio: ac quicquid simile. In quantiscunque vero cum vtroque, aut cum altero tantum habere intelligere commune, quanquam solus nominetur, solus tamen non intelligitur. At verò spiritum habet cum filio communem patrem. Quare cum dicitur à patre procedit, & à filio procedere debet subintelligi. Ex solo autem dicentem, multa sequuntur inconvenientia: quorum perpauca hic memoro: Nam si ex solo patre procedit
F spiritus, non est ipse imago filij, sed patris, vt sine medio ex ipso coruscans: Non est autem hoc, cum spiritus imago sit filij, & ex ipso proximè refulgeat. Quare si filius ideo ex patre provenit, quia eius existit imago, & spiritus ex filio existentiam habet, quia imago eius est. Amplius: Propinquior erit patri quàm filio, & magis patris quàm filij. Amplius Si ex patre solo procedit, ad mensuram dat pater filio spiritum, cùm solam missionem, & non emissionem ei tribuat. In quo, scilicet, non videtur remetiri paternam excellentiam, nec ex integro spiritum habere cum omnibus, quæ circa ipsum considerantur sicut habet pater.

Ait enim Magnus Cyrillus: *Non ad mensuram dat spiritum filius,* iuxta Ioannis vocem, sed ipse emittit ex se, quemadmodum vtique & pater. Quocirca quicunque orationem: *Qui à patre procedit:* transformat, in eam quæ dicit: à patre solo: Salvatoris vocem, qui est perennis fons veritatis, infirmat. Sed os quod men-
G titur, non erit impunitum: sicut dicit Salomon. Tenebrosum & nigrum evomuit bonus pastor, vt piscis qui nuncupatur sipia. * Nam neque synodus, neque sanctorum quispiam Patrum dixit, non procedere spiritum à filio, aut à solo patre. Restat igitur Hæresiotam Photium huiusce dogmatis post Theodoritum fuisse præconem, quod quidem demonstrationibus cœnulentis supervacaneísque monstrare allaboravit, quarum vna hæc est. Si omnia communia patris & filij, & spiritus omnia existunt communia, vt Deus, Rex conditor, omnipotens, simplex, incorporeus, & simpliciter omnia alia: commune verò patris & filij progressio spiritus ex eis: & ex se vtique procedet spiritus, & principium erit sui, & causa simul, & causativus. Quod neque Gentilium fabulæ confinxerunt.

* sepia.

## CAPVT XVIII.

H Acuti Sophistæ ac periti artificis complexio, vt videtur, non inviolatam conservat fidem, dictiones proferendo in dolo & astutia: & in Hæreticæ impietatis veneno, obnoxium invectionibus seipsum fecit: licet nolit, cum non habeat divinam advocatricem scripturam: miscet non miscenda, & comparat non comparanda, & quia non diiudicat naturales qualitates à proprietatibus in Acherusiam paludem præcipitatur. Non enim idem est proprietas naturali, & substantia æqualitati. Quippe quascunque naturales qualitates habet pater & filius, has habet & spiritus. At vero cum quascunque proprietates habent duo, & tertius vt retro monstratum est. Propterea hoc idem dicit Sophista, sibimet invenire contrarius, cum dicat: Spiritus & filij commune esse, vna ex causa & indivisibili, habere progressum. Quod vtique nequaquam patri causam non habenti convenit: sed neque Theologus Gregorius consentit huic sententiæ, in quodam sermone ad Ironam Philosophum. Commune, inquit, patri quidem & filio sanctóque spiritui non fieri, Deitas quoque: Filio autem & sancto spiritui, qui ex

Cū alicubi distinguit Hugo essentiam divinā à proprietatibus personalibus, non de reali, vel formali actuali distinctione loquitur, sed de

A

*di simplicitate rationis ratiocinata formali, virtuali & eminentiali, vt Theologi loquuntur, intelligit. Vide S. Thom. p.1.q.28 art.2. & q.39.a.1 cum quae interpretes ei, de locis.*

B

*Cōmune triū deitas.* Duorum proprietas.

ex patre: secundum, quemadmodum spiritus ex patre ac filio progressio, proprietas est: nec vlla cogit ratio, trium esse, quia duorum est proprietas. Incorporeum quidem & supersubstantiale, ac similia quae ad naturam referuntur, trium aequaliter communia, vbi saepiuscule determinatum est, existunt, & rursus divinae impugnationis plenus dicit. At vero procedit spiritus ex filio, aliquid accipiens quod procedendo ex patre non habuit. Si enim aliquid est accipere & dicere qui acceperit, quomodo non absque assumptione imperfectus? Quod si nihil accepit, obuuntur & hinc alia: duplex, scilicet, & compositum, violantia simplicitatem naturae, quae compositionem non habet. Quae ratio nihil potentis praestare processionis. Sed neque consequitur proprietas dictiones quae infertur conclusio. Mendacium aegritudo est, vt dicunt magis dicentis quam audientis fallacia. Pater fecit per filium, aliquid accipiens: sine quo creare impotens erat, qui operatur omnia in omnibus. Numquid imperfecta est operatio patris, aut filij, aut spiritus. Non indiget pater alicuius, perfectus cum sit, ac sibi sufficiens. Verumtamen omnia per filium condit. Non accipiens quod non habuit. Sed & spiritus ex filio, & per filium procedit: nihil ab ipso sumens, nisi quod a patre accepit: perfectus vt qui Deus ac nullo indigus cum sit pater, generat tamen ex substantia filium: per quem condit vniversa, aeque sibi potentem. Nec adeo superabundat spiritus ex vtroque progressio, eum ut quae imperfectum spiritum ostendit, ut quae impotentem patrem vel filium demonstret: Neque aliquem inducit compositionem. Si sub tantae pars foret causae & causativum, haberet vtique locum ratio compositionis. Nunc vero natum dicitur filius, emissus vero spiritus. Non in eo quod substantia, sed in eo, quod hic quidem gignitur; ille vero procedit: sed hoc ad naturam non spectat divinitatis. Amplius, Verbum Dei cum sit perfectum, & nullius indigens, quid nec per a spiritu sancto, quando assumpsit carnem cum assistentia, vnctionémque illius factam, sicut scriptum est: IESVM à Nazareth, quem vnxit Deus Spiritu sancto, & virtute. Non igitur indigentiam aliquam, vel imperfectum quippiam filius supplens, spiritus consessor existit. At vero emittere Deus cum patre nullius indigo, tum quod innotuit indifferenter est spiritus, tum quod sine medio de patre filius provenit. Idcirco non ex solo patre Spiritus, sed ex filio, qui solus fructus existit patris, secundum eandem habitudinem quae ex patre procedit. Amplius idem convitiator, Si causa, inquit, est pater eorum qui ex ipso non ratione naturae, ratione vero personae, sed ratio personae paternae à nullo vsque nunc includere filij personam, impiè dicta est. Nequaquam igitur sit aliquo modo alicuius eorum qui in Trinitate causa filius. At hoc autem, neque hic convenit praeterire, quoniam & ipsam personam patris in duo dividit impietas, aut prorsus filij personam in partem recipi paternae personae asseverat. Et quidem multa est zizaniorum alia multitudo, ab ea quae à principio infecta est, mala pullulans dispersione. Quae non dormientium vt videtur, sed secundum animam vigilantium, mortem quaerentium insanorum, vt supremum generosum & salutare degener efficiat semen, superveniens generis inimicus, in eorum saevit miseris animabus zizania. Vtri danda est responsio, blasphemiae, an paralogismis? Sanctam Dei Ecclesiam obiurgat, spinoso afficiens opprobrio hic litis amator nec erubescit, Prophetarum complexionem malè disponendo torta lis est, quod dici solet: Qui temperantia caret, virtutem non habet. Qui virtutem non habet, sub iniusti est. Iste convitiator cum iniuriis & ignominia victoriam latronis excessu venatur. Sed vanus est sermo & inefficax. qui propter causam & causativum sicut ex superioribus patet, personam patris dividit. aut filius personam patris personae patrem constituit. Causam enim & causativum nesciunt personam dividere, neque in inferioribus. Non ergo cum natura existens cum patre spiritus, dividit paternam personam. Quare omnino supervacaneus est dictus paralogismus, quemadmodum & hic: Si pater mittit filium & spiritum, non ratione naturae, ratione vero personae: ratio autem personae patris, non cum concludit personam filij. Nequaquam igitur aliquod eorum qui in Trinitate mittat filius: & rursus idem bonus pastor. Etiam, inquit, sed Salvator dixit discipulos instruens: *quoniam Spiritus de meo accipiet, & annuntiabit vobis.* Et quod vtique lateas: qui ad Salvatoris confugeris vocem, non vt advocationem sumas; sed vbi ipsum per dissonantiam chaurges, sic enim tua lingua est audax, & impudica, vt in iis quae incomprehensibilia sunt occasiones confingas, & subintelligat. Quomodo tuam ex lege dissonantiam quae incommutabilem & inalterabilem dissipat veritatem, non coercuisti, cum poenam debeas. Ideo autem te, vt quae puerorum sunt, non cognosceas impossibilia conando, privavit temeritas. At vero age, nunc & si non prius intelligere te oportet. Quod nihil hic manifeste stat contra tuam insolentiam, quemadmodum Dominica & salutaris ista vox. Nam si dixisset: De me accipiet, neque sic adinventio tua reperisset terminum: verum haberet aliquam competentem occasionem error, propterea tantam impietatis magnitudinem Salvator providens, non humiliandi emisit vocem: ne forte diaboli versutia, multos per te devoraret: Et post pauca, non dixit Salvator, De me: sed *de meo accipiet.* Multam & magnam licet brevi permutetur verbo, de me, ad illud, quod de meo, differentiam possidet. Nam de me ipsum inducit, qui vocem pronuntiat, *De meo*, autem, omnino, aliam a pronuntiante personam. Et post modicum: hic autem quis sit, ex quo spiritus accipit nisi pater. Neque enim aliquid aliud, qui contra Dominum pugnant confingent, neque enim ex alio filio, sed neque ex accipiente spiritum. Cum dixisset *quoniam accipiet*, manifeste declarat, & ad quid accipiat: Non enim vt procedat aut subsistat. Attende Dominicas voces, ô homo, sed quae accipiet, vt quae ventura sunt annuntiet vobis: planius autem referens quid sit illud, quod dicit: *De meo accipiet*: continuò subiungit: *Omnia quae habet Pater, mea sunt.* Quare mea, accipiens de meo patre accipit, & ideo dixit, *Quia de meo accipiet*: quia in patre sunt mea. Spiritus autem de patre accipit. Nam quae patris sunt, mea sunt. Quare cum dicit, *De meo*, ad patrem oportet intentionem dirigere, & non ad alium divertere.

E

F

C

G

D

## CAPVT XIX.

HVius convitia, quemadmodum abyssus sive tartarus, fundum non habent, cum ex eius ore Averni flumina effluant, quorum nomina vt Socrati visum est, sunt haec: Acheron, Pyriphlegeton, Cocytos, ex quibus Stygia nascitur palus, & innabilis vnda, quae Acherusia nuncupatur. Vtinam iste obliuionis aquam potasset, omnium que perdidisset convitiorum memoriam. Paratos esse ad satisfactionem omni poscenti nos rationem, de ea, quae in nobis est fide, & ipse Apostolorum princeps praecepit: sed cum modestia & timore, conscientiam habentes bonam. Sed hic non quaerit cum modestia & timore, secundum Apostolicam institutionem, propterea se veritas illi non manifestavit, vtpote, non rectè quaerenti. Ita quippe veritas quaerenda est, quasi Deus praesens sit. Si Deum hic praesentem habuisset, nequaquam in Dei Ecclesiam tot convitia profudisset. Nullus enim praesente Domino suo prudens servus impudenter agit, proprij Domini honorem contemnendo. Sed attendendum quod supradicta Petri verba, & ad doctrinam spectant, & ad investigationem CHRISTI. Vbi vero praecepit: Dum steteritis ante Reges & prae-

H

A fides nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini & responsuri eis: ad testimonij gloriam præsentiæque sancti Spiritus, sæpe namque sapientiam hanc aliquis in disceptationibus, atque audiciam: sed quia facile in tumultibus turbatur, confundetur in perorando: Apostoli autem in vtroque gratiam acceperunt, vnde stupebant Præsides, & ipsi secum habere spiritus præsentiam certificabantur. Magnopere conatur iste vir, secundum Grammaticorum regulam ostendere, quòd, Me, a Meo, in significatione quamplurimum differat. Nam, meo, vt omne possessivum pronomen, duas personas, vnam intrinsecus, scilicet possessoris, alteram vero extrinsecus, id est, possessionis significat. Quare cum CHRISTVS vt possessor intelligatur, dicendo: *De meo accipiet:* Spiritúsque sit accipiens, Pater proculdubio est persona, quæ vt possessio nuncupatur. At vero nihil pro certo videtur cogi B veritas, vt palam est. Idem enim Salvator dicit: ***Non possum ego à me ipso facere quicquam, sicut audio iudico, & iudicium meum iustum est, quia non quæro voluntatem meam:*** Et rursum: ***Omne quod dat mihi pater ad me veniet, & eum qui venit ad me, non eiiciam foras, quia descendi de cœlo, non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me patris:*** & item: ***Mea doctrina non est mea.*** At vero si secundum positionem Photij Patriarchæ Meum, pronomen ubique duas personas significat, voluntas Filij alia sit à Filio persona. Quo fit vt non quatuor aut quinque personæ, sed centum vel plures in Trinitate possint subintelligi, & esse. Quare non est necessarium, Meum, pronomen, ubique duas significare personas, cum & figurate de eadem persona dicatur, vt Persius dicit: Vindicta postquam meus à Prætore recessi. Et Euripides: Ego autem meus sum: attendere debuisset homo iste, quod aliter apud Grammaticos accipitur persona, & aliter apud Theologos. Etenim in Grammatica quælibet res persona nunc pari potest: sive C per se subsistat; sive per aliud, sive substantia sit, seu accidens. Quare secundum huiusmodi disciplinam, cum Filius dicit: ***Mea voluntas, meum iudicium, mea doctrina, mea generatio:*** & quicquid simile in singulis clausulis, alia & alia intelligitur, ad similitudinem possessionum, persona. In Theologia vero, tacitis proprietatibus, ab omnibus qui secundum substantiam dicuntur, tres tantum imminuantur personæ, quarum nulla expresse intelligi videtur, vbi Salvator dicit: ***De meo accipiet, & annuntiabit vobis.*** Et hoc ita esse demonstrat dicens: ***Omnia quæ habet Pater mea sunt: ideo dixi quia de meo accipiet & annuntiabit vobis.*** Si spiritus accipit de iis quæ sunt filij, & habet filius: accipit de iis quæ sunt Patris, & habet Pater: Item si accipit de iis quæ sunt patris & habet Pater: accipit de iis quæ sunt filij & habet filius. Omnia enim quæ habet pater, sunt filij: & quæ habet filius sunt patris. At vero accipit spiritus de iis quæ sunt patris, & habet pater, quare accipit de his quæ D sunt filij, & habet filius. Quod si accipiendo de iis quæ sunt patris & habet pater, accipit de patre, & accipiendo de iis quæ sunt filij, & habet filius, accipit de filio. Manifestum igitur, quod non ex solo patre accipit spiritus vt Photius asserit. Amplius. In his quæ sunt patris, & habet pater, non videtur omnino patri communicari debere, neque in his quæ sunt filij, & habet filius. Nam neque pater patris est, vel patrem habet: neque filius filij est, vel filium habet. Veruntamen accipiendo de his quæ sunt patris, & habet pater: & de his quæ sunt filij, & habet filius, indubitanter accipere de vtroque dicitur: quia emissionis ac processionis causa secundum quas spiritus esse accipit, de thesauro sunt patris & filij: qui licet ambo emittant, non tamen secundum quod pater vel filius ei esse præstant, ipsum neque producunt. Quamobrem, ***De meo accipiet,*** sic intelligendum arbitror: ***De meo,*** scilicet, & patris thesauro essentiam sortitur, & quæ ventura sunt annuntiabit vobis, id est, ipsum esse Deum

Grāmatici ac Theologi [illegible] dissentiunt

E vt nos sumus, per ea quæ vos docebit animadvertetis. Eandem enim nobis scientiam, substantialiter habet, & secundum naturam. Quæ vero natura communicant, ex se invicem cognoscuntur. Nam per vnum hominem, omne hominum genus videre est, & per vnum bovem omnem boum generationem, sed non per bovem oves, neque angelos per homines. Etenim quæ differentis naturæ sunt ex se invicem nequeunt cognosci. Amplius. Si emissor spiritus non in eo quod generat secundum naturam est pater, filius vero minime, quomodo verax erit Salvator asserens. ***Ideò dixi quia de meo accipiet, quia omnia quæ habet pater mea sunt,*** aut enim habebit secundum naturam, vt sit emissor, quod patris non vt genitoris est, aut si non hoc patris quidem sunt quæ existunt filij, quæ vero F sunt patris, non pertinent ad filium. Quare si omnia quæ sunt patris, non vt genitoris habet filius, emittere autem spiritum patris: non vt genitoris est, hoc abesse non potest à filio. In eo enim quod dicit: Omnia quæ sunt patris: non vt genitoris esse filij nihil extra dimittit. Et idcirco neque spiritum emittere, quod patris, non vt genitoris est. Amplius: Magnus Athanasius in vna Epistolarum ad Serapionem scribit hoc modo: Quemadmodum genimen vnigenitus est filius, ita spiritus, qui à filio datur & mittitur, & ipse vnum est, & non plura, neque ex pluribus vnum, sed solum ipse spiritus. Nam cùm vnum sit Dei filius vivens, verbum vnum esse oportet, & plenam sanctificativam & illuminativam vitam, quæ est operatio ipsius & donum, quæ ex patre dicitur procedere, eo quod à filio qui est à patre manifestè splendet & mittitur & datur. Igitur filius quidem à patre mittitur: ***Sic enim,*** inquit, ***Deus dilexit mundum vt filium suum vnigenitum daret,*** filius autem spiritum mittit. ***Si enim,*** inquit, ***abiero, mittam eum ad vos.*** Et filius quidem patrem clarificat dicens: ***Pater ego te clarificaui.*** Spiritus quoque clarificat filium: ***Ipse*** enim, inquit, ***me clarificabit.*** Et filius dicit: ***Quæ audiui à patre meo, illa loquor in mundo.*** Spiritus verò ex filio accipit, ex filio, G inquit, accipiet, & annuntiabit vobis. Idem quoque magnus Basilius in tertio de Spiritu sermone affirmat. Dignitate quidem est secundus à filio, ab ipso esse habens, & ab illo accipiens nobis annuntiat, & quod omnino de illa causa exeat, tradit sermo pietatis. Sed enim Magnus quoque Cyrillus in sexto ad Hermiam sermone, similia loquitur. Quomodo igitur, inquit, per spiritum sanctificari dicunt illum, cum ipse manifestè dicat de spiritu; ***quia de meo accipiet & annuntiabit vobis.*** Et hoc Dominus non secundum participationem aliquid esse, credentes in sancto spiritu, cum ipse perfectus omnino sit, & absque indigentia, secundum propriam naturam & existentiam: illud autem magis significantes, quod de Dei & Patris substantia, verbi quoque quidem, secundum propriam naturam ex ipso est & in ipso apparet, spiritus existit. Sed neque Chrysostomus in Ioannis Evangelio ad patrem ***de meo accipiet*** referre videtur, exponens: ***De meo accipiet,*** id est, quæ dixi ego & ipse dicet, aut, Ex meo ex H quibus scio ego, & ex mea scientia. Et iterum: ***De meo,*** id est, consona meis pronuntiabit. ***Omnia quæ habet pater, mea sunt*** illa. Ipse enim ex his quæ patris sunt dicet, & ex meis dicet, quæ ventura sunt annuntiabit vobis. Dei hoc maximè proprium dicere, quæ ventura sunt. Quod si ipse discit ab alio, nihil amplius Prophetis habeat. Verùm in hoc loco diligentissimam apud Deum scientiam demonstrat & hic sanctus. Quid ergo convenientius dici possit, diligentissimam scientiam, quam Patris sapientiam, quæ CHRISTVS est, & ex qua spiritus accipit, sicut patet ex eo, quod non tanquam indignus dixerit: & ab alio dicens, sed ad ostendendum quod eius causa est filius, sicut & pater.

## CAPVT XX.

AVdisti Photi [illegible] Athanasium dico, Basilium & Cyrillum: ij tuam instantiam dissoluunt. Audisti asserentes illos, spiritus ex filio accipiet, & annunciabit vobis: & non protinus tacuisti, [illegible] tis, quibus quidem omnis sapiens concinit, & summa [illegible] partium tuis, quos ut filiatus [illegible] Quantum [illegible] tius erat, sentire ac dicere, quæ cœlibes illi viri senserunt & conscripserunt, quam dehonestare, ac contumeliis afficere Dei Ecclesiam, dum & [illegible] quod [illegible] Symbolum [illegible] bus, & [illegible] ad tollendum, sub excelsu consistentes [illegible] Propterea & vociferaris, ô malitiæ machinamenta, Spiritum sanctum, non ex Patre solo, sed ex Filio procedere, frustra profitentur. [illegible] in corda illorum talia instillavit? Ad hoc autem fatemur [illegible] Spiritum esse [illegible] & Filij, sed & substantiale ad vtrumque tantum vocibus [illegible] ex ipso procedit, consubstantialis verò filio, non [illegible] per generationem, sed quoniam ex vna & indiuisibi[illegible] [illegible] Socrates Platoni consubstantialis, quia rationalis est, [illegible] est: Igitur, non sunt einsdem naturæ cum Patre, Filius atque Spiritus. [illegible] qualiter & vnivoce de tribus prædicatur personis, quod quidem & Photio videtur dicenti, consubstan[illegible] nificatione reddimus, sed non bene. Nam substan[illegible] Quo fit, vt consubstantiale de omnibus consubstantia[illegible] [illegible] Deus & substantia, de tribus dicitur personis. Et quemadmodum omnia, quæ specie participant, [illegible] [illegible] Ergo secundum quem modum dicitur Spiritus consubstantialis Patri, secundum eundem & Filio consubstantialis est. [illegible] consubstantialis est Spiritui, ita Spiritus filio & Patri.

Nullam enim possident differentiam, in eo quod consubstantiales, quare non quia procedit consubstantialis est Patri Spiritus. Amplius. Quoniam consubstantialis est Spiritus Patri, non differt à Patre. Quoniam vero procedit, differt à Patre, ergo quoniam procedit, non est consubstantialis. Amplius. Consubstantiale [illegible] tione enim [illegible] vt Philosophus dicit, plures homines vnus. Nam Socrates & Alcibiades duo cùm sint, reducti ad hominem [illegible] & sunt specie vnus, collectivum verò & adunativum quod commune, propterea [illegible] sunt, sed nullus homo, in eo quod homo alterius esse dicitur. Amplius. Incomparabile ac incommunicabile est quod substantialiter [illegible] procedere, sive [illegible] aliquid illorum, quæ [illegible] Non enim exciditur à natura, cùm nulla quidem diversitas insit personis, secundum substantiam: proprietatum verò tantum natura, in substantiæ identitate demonstrat alteritatem. Quamobrem [illegible] tiale, nulla neque secundum prolationem, neque secundum [illegible] Amplius. Si processio substantia est Spiritus, natura Spiritus processio est: si [illegible] procedit Spiritus [illegible] verò non, non sunt einsdem substantiæ, Pater & Spiritus: igitur non consubstantiale est Patri Spiritus, quoniam ex ipso procedit. Amplius. Neque hoc videtur esse verum, vt Spiritus ideo sit filij, quod ex vna causa & indivisibili ante secula æqualiter vtrumque progressio. Inconvenientia [illegible] & hoc nimirum, nempe, secundum quòd sunt ex vna causa & invisibili vniuntur ambo. Non enim tot, sed huiusmodi [illegible] in eo quod nihil differunt, cum secundum distantiam [illegible] quod Spiritus est filij differens ab ipso, & quasi altera persona ostenditur. [illegible] Quare [illegible] quod ex vna causa & indivisibili, ante secula æqualiter vtrumque progressio. Amplius. Non dicitur Spiritus filij vt consubstantiale, & qui mittitur per ipsum, vt [illegible] eius existit. [illegible] aut tanquam per instrumentum mittitur per filium, velut per arcum mittitur sagitta: sed hoc est [illegible] strumenti: alienus vtique foret filius à Patre, vt [illegible] cet, Spiritus, neque in eo quòd mittitur alicubi consubstantialis est. Profectò quæ minimè substantialiter [illegible] à proprietatibus ad substantiales qualitates, scilicet, [illegible] filius Dei est Spiritus dator, & eius emissor vt suæ plenitudinis, est enim eius plenitudo Spiritus [illegible] sicut Ioannes inquit: *Nos*, inquit, *de plenitudine eius omnes accepimus* [illegible] Quod si Spiritus in eo, quòd persona filio non communicat, plenitudo filij non communicat filio.

Item si Spiritus non est ex filio, plenitudo filij non erit ex filio, quod est inconveniens, cum ergo ex filio, & ex ipsò procedit. Hoc qui negant, asserere videntur non propria virtute [illegible] Spiritum fecisse miracula. [illegible] omnia quæ Pater habet, excepto quod Pater non sit. Quare causa Spiritus est & emissor, vt ipse Pater ex quo exit & procedit, sicut Lucas testatur dicens. *Omnis populus quærebat eum tangere, quia virtus de eo exibat, & sanabat omnes.* Quæ est ista virtus, nisi de qua dixi: *Accipietis virtutem Spiritus sancti super venientis in vos?* Huius virtutis CHRISTVS causa & fons existit sicut Pater, quia [illegible] sapientes facit, & infinita præstat beneficia. Per Matthæum quoque CHRISTVS loquitur: *Cum tradiderint vos, nolite solliciti esse, quomodo aut quid loquamini: non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.* Et rursus per Lucam [illegible] *Ponite in cordibus*

vestris

A *vestri: non præmeditari quemadmodum respondeatis, ego enim dabo vobis os & sapientiam.* Marcus quoque idem affirmat dicens: *Cum duxerint vos tradentes, nolite præcogitare vel præmeditari quid loquamini, non enim vos estis loquentes, sed Spiritus sanctus.* Scimus quidem indubitanter & firmiter tenemus, quòd CHRISTI verba plena veritatis sunt, & quod loquebatur in Apostolis ipse dederit, sanctúsque fuerit Spiritus. Ex quibus colligitur vera illa conclusio, CHRISTVS dat & remittit Spiritum, hoc modo: CHRISTVS dat qui loquebatur in Apostolis, hæc autem propositio vera est, ipsius testimonio Salvatoris: *Ego enim,* inquit, *dabo vobis os & sapientiam:* At vero qui loquebatur in Apostolis, Spiritus sanctus erat, vt idem Salvator testimonium perhibet. Quare CHRISTVS secundum se dat Spiritum vt Pater. Non enim, inquit, per me
B Pater dabit, sed vt Pater, ego dabo. Liquet igitur ex prædictis quod sicut Spiritum dat Filius, ita & emittit Filij & ex Filio existentem. Quare non quomodo Filij, ita intelligi[tur c]onsilij, fortitudinis, timoris, sapientiæ, adoptionis, omniúmque simpliciter beneficiorum, donorum, atque gratiarum Spiritus esse dicitur? Nequaquam hoc modo Filij nuncupatur Spiritus, Filij tunc Spiritus, vbi Patris æque ac indifferenter censetur. Intellectus verò gratiarum & donorum dicitur Spiritus, vt dator, & effectiva illorum causa. Is idem sicut Dei dicitur Spiritus, ita & Domini Spiritus nominatur, sed non convertitur. Etenim licet Deus Pater Spiritus, iuxta Domini vocem censeatur, *Spiritus est Deus,* Spiritus quoque & Filius Dei, secundum illud: *Spiritus ante faciem vestram* CHRISTVS *Dominus:* neque tamen Pater, neque Filius, Dei Spiritus dicitur: sicut igitur commune est Patri & Filio non esse Spiritum alicuius, sic proprium est Spiritum esse amborum Spiritum. Amplius. Sicut inter illos qui
C ex Deo nati sunt, solum Dei verbum, de vtero eius genitum esse pronuntiatur, ita inter Spiritus Dei, solus Spiritus sanctus, de ore Filij prodire creditur. *Verbo enim Domini cæli firmati sunt, & Spiritu oris eius,* Verbi, scilicet, iuxta Apostolum, *omnis virtus eorum.* Isto Spiritu ille iniquus Antichristus disperdetur, quia *Dominus* IESVS *interficiet eum Spiritu oris sui, & destruet illustratione adventus sui,* vt Paulus dicit: quod de anima CHRISTI nullus intelligere præsumet. Nam illa in eo quod anima est, neque interficit, neque destruit aliquid. Reliquum igitur est, vt sancto Spiritui solummodo attribuatur hoc. Qua ex re manifestum est, quod sicut Filius de Patre per nativitatem exiitit, ita Spiritus ex Patre & Filio per processionem. Quod iterum & sic monstrari potest. Spiritus oris CHRISTI ex CHRISTO procedit, cuius rei signum est insufflatio in faciem discipulorum facta: scilicet, Spiritu oris CHRISTI, Spiritus sanctus est, vnum enim habet Spiritum consubstantialiter vt Dei Filius, non plures. Itaque Spiritus sanctus ex CHRISTO Dei Filio procedit. Sed fortè dicet adver-
D sarius, insufflatio, donatio, processio, sive missio Spiritus ad Apostolos seu Prophetas, à CHRISTO facta, temporalis existit procul dubio. At vero illa, qua spiritus existentia consideratur, secundum se est, & non intelligitur ad aliquid, sed à quo. Eam enim Græcus intelligit, dum Spiritum ex Patre solo asserit procedere, prius verò dicta, cum sit temporalis, & ad homines, æterna non est: nec dogmatis ambiguitatem facit, nec multum ad schisma pertinet divulgatum, propterea superius positis argumentationibus nullo, vt videtur, qui ex adverso disputat, coarctatur inconvenienti. huius obiecti solutio, quanquam ex superius dicto magni Cyrilli, adversus Nestorium capitulo, & ex eo quod relatio talium creaturis magis quàm creatori conveniat, patens fit. In his tamen quæ sequuntur quia præsentis voluminis series finem poscit, commodius explicabitur. Iam enim vt æstimo, Græcorum penè omnes instantiæ solutæ sunt: demonstratum est enim, quoquo modo ex Patre ac filio Spiritus prove-

E niens, non progrediatur ex duobus principiis, seu ex binis causis. Apparuit autem, quomodo causa principiúmque ac ingenitum, non sint personales proprietates, cum genitor non emittat Spiritum, in eo, quòd Pater, neque solus. Ostensum quoque est, nullam proprietatem esse personarum, & quomodo non vni tantum personæ adsit quælibet proprietas, cùm aliud sit habere proprietatem, aliudque proprietate insigniri: similiter autem patefactum est, secundum nullam eorum quæ apud Philosophos dicuntur causarum, Patrem seu filium causam esse Spiritus, sicut non spiritum causativum esse vtriusque, dicto tenore, cum sit amor amborum. Explanatum quoque non apparere inæqualitatem circa personas propter proprietates, existente duorum æqualiter spiritu. Adapertum etiam est spiritum & Filium & Patrem, Patrem quoque cum
F spiritu, quædam obtinere vicissim singulariter, Patrémque similiter esse Filij causam, non quòd est Pater cum Filio. Dilucidatum est perfectam esse Patris, & perfectam esse filij emissionem spiritus: nec aliquam superabundare, cùm sit vna & eadem. Filium quoque principium existentem in Trinitate, spiritum emittentem sine medio, non ratione naturæ sive personæ, sed ratione causæ ac principij, ex vtroque progredientem, nec esse duplicem vel compositum, ex duobus proveniendo, sed neque Filium componi, eo quòd causa sit & causativus. Enucleavit autem oratio primum hominem non fuisse Deo & Patri similem, secundum ingenitum, & quot modis ingenitum. Amplius autem, Imaginem esse Filij spiritum medij existentis Patris, spiritusque secundum ordinem, & vnitatem quidam ad naturam referri, ad personam verò non: spiritum etiam filij esse, non vt intellectus, aut vt consilij, aut vt timoris, aut vt adoptionis filiorum, vel vt aliquorum huiusmodi, quibuscum ostensum est
G Christum insufflando in faciem discipulorum dedisse spiritum. Amplius autem evidens factum est, per necessarias rationes à Photio dicta invalida esse, spiritúmque plenitudinem esse Filij, ex ipso procedentem, iuxta Evangelistarum testimonium. Qui quidem Christi, oris spiritus, Pauli authoritate, nuncupatur. Igitur deinceps vestro favore atque hortatu (animo Frater mi, charissime LEO) non paucis præstantior & definiendi perite CACIAREDA, transeundum est ad genus talium demonstrationum, qualium huius sublimitas participat negotij: vt diductis lucubrationibus, sub crepitantes lucernas, requisitisque sanctorum atque Philosophorum Latinorum (Græcorúmve quàm multis voluminibus, inventam quod ad legendum vestræ primum ac aliorum diligentiæ, Liber tertius exhibeat.

H

# IN LIBRVM DE HÆRESIBVS, QVAS IN LATINOS GRÆCI Devolvunt, Tertium HVGONIS ETERIANI,

## *PRÆFATIO.*

PERSVADETIS, *pollentis ingenij Germane mi* LEO, *itaque* CACIAREDA. *in optimarum artium eruditionibus præstantissime, ut stylum orationis renovem, ac disceptationis varietate fastidio medear lectorum. Commodissima quidem ut puto, vobis videtur in explicandis solitaria natura quæstionibus, & in enucleanda puritate, nulla contagione polluenda mendacij, renovatio tali methodo progressura. Eundum verò est rursus adversus olearias Pelasgorum cellulas, opinione maligna confutanda sunt, non hostiliter, & series aliqua demonstrationum*

*cum*

A *cum authoritatibus ordienda, quæ cunctis emissionibus præstatiorẽ ex Patre atque Filio, Spiritus progressũ anspicetur. Qua ex re, indagandi veri cura, crudescentem iam morbum perfectius cognoscens, silua quæ segetes interimit, dissipata caligine, meritum promptius veritatis persequitur. Amplius quidem veridicus sensus, ex varietate huiusmodi, concentum nasci iudiciorum proventu copiosissimum arbitratur. Nam palam est, ex his scientiæ augeri claritudinem, confragositatem ambiguitatum leuigari, mucrones retundi diurnis excubiis insidiantium, & inextricabilem supernectæ contemplationis difficultatem, ut anni tempora Eois conuersionibus quodammodo reserari. Hæc utique peragratio, certum ducem habet, rationem, scilicet, nobiliter in acumine fastigiatam, quæ cum semper eadem existat certissima est, & inexpugnabilis, circa id quod valet comprehendere. Interdum vero authoritatibus confortata Sanctorum, hyemales conculcando saturigines, attollit aciem ad sublimia, & dum summa & alta capescit, damnis non prorsus consumitur probationis: licet enim supereminens claritas divinæ fertilitatis, nimia* B *subtilitate audita sit, non humanis omnino subiaceat inquisitionibus, tamen quia eadem argumenta maximis minimisque causis conveniunt, non ex toto ipsa se subtrahit nostris demonstrationibus. Colendus autem diligenter est animus, qui una & eadem intelligentia, similitudinem, differentiam, identitatem & diversitatem prædicamentorum cognoscit, & ima & altissima contemplatur mirabiliter. Ex quibus nimirum haud iniuria, spes iacens erigitur & dilatatur. Eóque amplius quod vigilantissimi nostri pectoris censuram, exactissimam ingenij limam, atque probatissimum examen, duo quæ præcedunt volumina, cum iam subierint, Charibdis, seu Syllæ, à modo non formident naufragium. Quod ut puto iam Mareotidum amplectantur Ebenum, corruptionem fugantem & sui aunt, solitam conferre, ne visu nigra metum incutiant, optima est, proculdubio, Cylindrus vestra immutabilis perseverantiæ, & ad coæquandam aream, quotidianis implanationibus, abundantium videlicet resectione supplemento hiantium erratoriúmque cauteris. Hæc censura dum dicta comprobat, magnam attribuit fiduciam operi, exercendo: fidem habens cum integritate sensus, & admirationem* C *cum gloria. ... acutè diiudicat sicubi textilis etiam, ig nobiliter eminentissimæ sapientiæ connectantur, aut malibus ingentium columnarum arundines. quod nihil negotio necessarium in hoc omnino est, nam cùm in Asphaltide stagno Iudeæ provinciæ tauri fluitent impunè cum camelis, ut notum est, non tristis rumoris præconio, in divinorum verborum purum fluorem petit, ima quisquis immergitur, tenuitate laticis non sustinente. Nec diem longius licet detinere, cum animadversione plectendus sævissima execrabilis factus sit. Ergo de hac materia edere aliquid formidabile est: nam in his non solum vicina facultas rationis orationisque, verum ... vix se a mendacio temperat, & ab inconsultis erroribus. Age vero quod absolutissimæ puritatis specula, eos qui ab imis non recedunt lineas, cui omne pervium est, ... aliquid excogitari potest, quod eius oculis nubeculam ... obiiciat: propterea de talibus scribere incipienti, adhibenda permultum est ... in sua dulcedo, ad polis australis infima mergi & illic* D *exulare, prohibentura ... tonitru ... que stare nescit perpetuo agitatu excessus & replicationis. Ea certè dum luxuriat, non modo dulcibus, verum amaris floribus, & ubi sæpè non est aqua, sed lutum insidet, Phœbeos radios, non Phœbum ipsum imitando, morarum impatientem & nunquam Zodiaci excedentem terminos. Igitur si extremo in littore luctantes ventos, crebras procellas, imbrem inimicum verentur periti æquoris, quid in scribendo efficiat favilla pertransiens, tellus serotina, violentúsque torrens, quæ magis sterilitatis causa existunt, quam porrigant ubertatem. Ego autem Spiritu veritatis stillante in conscientiam: & favente propositionem: amplius, & utriusque vestrum bona fides collucente suffragio, necnon intimè amicorum* CALCIAREDA *tuo chrismatismo, sed oraculo, me de his vaticinante, scripturum, nequaquam vereor, quin partis, quæ à nobis defenditur quæstionis purgem* E *ambiguum. Nam quæ præciduntur, & si plurimis ramis repullulent, languidiora tantum resurgunt. At verò ne licentiæ vagandi fama reclamet, vertendus est stylus, ut proveniat quod pollicetur oratio.*

DE

# HÆRESIBVS

## QVAS GRÆCI IN LATINOS DEVOLVVNT, SIVE, Quod Spiritus Sanctus ex utroque, Patre scilicet & Filio procedat, contra Græcos HVGONIS ETERIANI,

F

*LIBER TERTIVS.*

### CAPVT I.

HVMANVS peregrè proficiscens animus, quam quam ægre invisibilia, magis autem quæ trina divinarum existunt personarum, rimari valeat, tamen investigando laborat, ac rationibus ostendere quibus potest nititur, quod unus Deus est, ex quo & per quem, & in quo sunt omnia. Non possunt certè plura esse prima, cum necesse sit, unum esse, quod exhibitum extat universorum, tam similium quam dissimilium: quo cum sit aliud quid latitur, suprema unitas, & vere unum, tum non erit. Nam si Deus non est, per se unum, sed in semetipso aliquid habet, cuius vocabulo, rite queat denominari: non erit causa. Item, G si ex alia ipse causa provenit atque in infinitum ... gradietur, nullo reperto, in quo stare possibile sit, ad instar sectionum continuæ quantitatis. Cuius quidem quia quælibet particula factæ divisionis, potest rursus dividi, currit in infinitum divisio. Itaque necesse est, causam absque causa, & principium esse sine principio, quod nullius participando simpliciter unum sit & prima causa, primumque omnium quæ sunt principiũ, quod sic manifestius fit. Si omnis multitudo uno posterior est, & unius aliquo modo participat: unũ simplexque principium omni multitudine prius est. Atqui omnis multitudo uno posterior est, & eius aliquo modo participat, quippe si multitudo unum præcedat, ex uno esse non contrahet, cum uno prius ipsa extiterit. Etenim non existentis, non est aliquid quod participet. Quare cum nulla supremum principium multitudo H præveniat, nec aliqua divisio, unum est & simplex supremum principium. Amplius. Omne divisibile, aut secundum multitudinem, aut secundum magnitudinem, aut secundum actiones, quæ in tempore feruntur videtur posse dividi: Deus autem omnino immobilis existens & æternus, cum quamlibet præveniat multitudinem, nullo dictorum modorum dividi potest. Liquet igitur, quod ante supremum principium non est, aliud principium absque principio, par, vel melius, nec ante Deum est Deus, nec aliud post ipsum, quod sit Deus. Qua de re, neque generalissimum in divinis personis, neque subalternum, neque particulare, seu speciale perquirere oportet. Quia ubi genus, & prius, species, & differentia, proprium, & accidens. Sed ut monstratum est, Deo nihil prius est, sed neque differentiis ex aliquibus ipse constituitur, natura existẽs supra omnem, nihilque habens secundum participationem.

A Simplex enim divinum est, & vniforme, extra omnem duplicitatem & compositionem. Equidem quod compositum est, ab aliquibus diversis componitur, aut præexistentibus, vel electrum ex auro argentóque: aut ex iis, quæ simul considerantur: vt caput, ex ossibus atque carnibus, & aliis huiuscemodi. Hæc enim & his similia consistentiam pariter sortiuntur, quamquam differant, quia nequaquam horum prævenit singulum, quod ex his constitutum est caput. Itaque cum divinum sine principio, & absque causa sit, neque disciplina propriè, neque demonstratio, neque diffinitio eius est. Nempe disciplina per demonstrationem fit, demonstratio vero per prima, diffinitionémque: Deo autem nihil prius est, diffinitio principium finémque habet, principium quidem generalissimum. Interdum etiam & quod sub generalissimo, B finem vero, differentias. Idcoque nulla diffinitio potest divino assignari, nec aliqua talis certè demonstratio solis affirmationibus contexta, de Deo esse potest: eò quod infinitus sit, & absque principio. Quas ob res, per remotiones & inficiationes, adhuc Spiritus sancti processionem ex filio esse, quantum facultas ipsa permittit, duce Deo monstrare aggrediar: iam nunc in hunc modum.

## CAPVT II.

Charissime, quod disgregat & dissecat aliud ab alio, aut intelligitur vt substantia, aut vt qualitas, aut vt quantitas, aut vt ad aliquid, aut vt quippiam aliorum prædicamentorum. Nam præter hæc nec esse, nec intelligi aliquid talium possibile est. At verò quod disgregat ac dissecat à filio ratione causæ Spiritum sanctum, neque vt substantia, neque vt qualitas, aliorúmve aliquid potest intelligi. Substantia quippe non est, quod dissecet, quoniam eiusdem substantiæ ac naturæ Pater, Filius, Spiritúsque sanctus existunt. C Sed neque quantitate spiritus secernitur ratione principij à Filio: Etenim vtraque, distincta, scilicet, & continua inficiatur, hoc perficere vt patens est. Nam distincta quantitas secundum passionem, atque collectionem consideranda, suas particulas actu exhibet intellectui, & non potestate, alioquin discretum continuum existimabitur. Hoc intellectu concipitur, cogitatúque quanta sit, sed Deum intelligere, quantus sit non sufficimus, cuius maiestas, vt individua, vt indistans, vt sine compositione, vt absque quantitate, qualitateve non diffinitur. Hoc idem ipsum de continua quantitate sentiendum est, ea secundum concordiam, & alternitatem attendere, tem divisibilem in semper divisibilia, cùm partes non discretæ actu, sed potestate accipiendæ sunt. Nec continuum faciamus discretum, & cœlestia quæ impassibilia sunt corruptibilia. Amplius, Omne quod mensurari potest, aut quantitas est, aut quantitatis participat. Nempe mensurabilium, hoc quidem proprio esse D mensurari possunt, vt linea, superficies, hoc vero participatione vt homo, lignum. Socrates enim non in eo quod homo mensuratur, sed in eo, quod magnitudine participat: verum secundum accidens mensurabilis est, at verò trium Divinarum substantiarum personarum, nulla mensurabilis est. Quare neque quantitas illarum est aliqua, neque quantitatis participat earum quæpiam. Sed neque qualitas aliqua intellectu potest comprehendi, quæ Spiritum à filio quin causa ipsius filius sit disterminet: Equidem nulla hoc efficit differentia. Quippe cùm differentia tripliciter dicatur, communiter, propriè, ac magis propriè: sola quæ magis propria dicitur, hoc ab illo dissecando aliud facit. Dei verò filius, atque Spiritus sanctus, substantiales sunt, nullam separabilem proprietatem sortiti. Quia quidem ex re liquet quod Spiritus à Filio nec magis proprie, nec communiter differat seu Patre. Nam quod communiter de rei esse aliquid non complecti-

E tur, nec aliquid demonstrat inesse alicui specialiter. Reliquum est igitur, vt proprie tantum Spiritus à Filio differat. Inseparabili enim proprietate, quæ nequaquam substantiam complet differt à Filio Spiritus, quæ contraria sub eodem participari aliquando non ostendit. Etenim magnitudo Æthiopis nequaquam per temporis successionem in albedinem permutatur. Neque qui calvus est, capillatus rursus fit. Sed neque glauci oculi nigrum aliquando colorem, secundum naturam recipiunt. Sic vtique in sancta Trinitate Pater Filius non fit, neque Filius Pater, sive Spiritus sanctus, aut Spiritus Pater, sive Filius. Hæ itaque personæ, quia nullam permutationem suscipiunt, propriè differunt: atque in eiusmodi impossibile est in invicem permutationem fieri. Sanè non solum inseparabiles commanent tribus personis proprietates, verum & impermutabiles, quemadmodum, imò F amplius multo ipsis privationibus. Hinc est quòd videtur divinas ab invicem differre personas, differentia quæ dicitur propriè alteratum faciente tantum, & non aliud. Nam communi non differunt differentia, quæ separari potest, sed neque magis propria quæ aliud facit. In sancta verò Trinitate nihil separabilium, nec aliud & aliud, sed alius atque alius existit. Patet igitur tres personas, neque communiter, neque magis propriè, sed propria tantum differre abinvicem differentia. Amplius. Omnis privatio, quæ propria differentia dicitur, dum suo inest susceptibili, oppositum tantummodo ab ipso excludit: vt calvitium capillatum esse, cæcitas visum habere, aliorum verò nihil secundum se circumscribit. Quòd quidem non prorsus communis habet, atque magis propria omnis. At verò Spiritus sanctus vt privatio ab habitu, à Patre differt, & à Filio. Similiter autem Filius, iuxta eundem modum à Spiritu & à Patre differentiam nactus est. Nihilominus autem Pater à Filio, Spiritúque, quòd ex insignitivis personaliter proprietatibus G evidenter apparet, quæ sunt paternitas, nativitas, & processio. Earum vnaquæque à sua persona, sola duo vt vnum oppositum excludit, veluti processio æqualiter generantem & genitum à Spiritus persona disterminat: Spiritus namque neque generans est, neque genitus. Eodem quoque modo generans & genitum, duo circumscribit, nempe innascibilitas quidem processionem atque nativitatem: nativitas verò processionem & innascibilitatem. Ex quo liquido apparet quod processio non magis Spiritum à Filio quàm à Patre dissecat cum duo & sola, innascibilitatem dico, ac nascibilitatem; vt vnum oppositum excludat, sicut ex anterioribus palam est. Amplius. Si paternitas non excludit Spiritum à Patre ratione causæ, seu principij, neque nascibilitas excludit eundem Spiritum à Filio secundum eandem rationem. Quippe Spiritus æqualiter & similiter alterutrum existit: de similibus verò idem iudicium. Igitur nulla differentia Spiritum, quòd non sit Filij causativus disterminat: quare pro- H prius Filij, sicut & Patris ex alterutro procedens sanctus existit Spiritus. Quoniam vero instar privationum proprietates in tribus personis considerantur, manifestum ex communitate privationis ad illas. Commune enim est privationibus & proprietatibus iam dictis inseparabiliter quidem adesse, sed non substantialiter: alteratum solum, & non aliud facere, & impossibile in alterutram permutationem filij. Verum attendendum quòd privatio dicitur multipliciter. Nam absentia formæ in eo quod aptum est, habere illam privatio dicitur: secundum quam significationem dicitur ab Aristotele: Omne quod aliquo modo fit, ex contrariis fit, id est, ex oppositis, & in contraria, id est, opposita corrumpi. Contraria dicit privationem & formam, tanquam duo principia. Omne enim quod aliquo modo fit, dum abiicit priorem dispositionem, illum adipiscitur statum, secundum quod fieri dicitur. Quo absistente absentia formæ sub[illegible]ante vnum nanciscitur, veluti si quid iniustum est, iustum fiat,

&

& quod insipiens, sapiens: & sciens, qui idiota. Nisi [illegible], non habet locum formæ privatio. Quippe [illegible] privationem [illegible] simul consistere. Sed [illegible] consuetudinem loquendi, nuditas privatio nuncupatur: [illegible] regressio in habitum fit. Similiter languidum, & inerme, cum privationes sint, facile in habitum redeunt. Rursus pecuniæ perditio, possessionis [illegible] privatio censetur, [illegible] possibile regressionem fieri. [illegible] verò de [illegible] nunc sermo non instituitur, sed de his tantum, quæ in [illegible] positis per [illegible] distribuuntur dispositionem, ex quibus non fit regressio, vt Aristoteles addocet sic dicens: Ab habitu in privationem fit permutatio, a privatione verò in habitum, impossibile est: neque enim cæcus factus rursus vidit, neque cum esset calvus, comam iterum resumpsit: neque cum esset sine dentibus, dentes ei iterum pullulaverunt. Quamobrem [illegible] dicere necesse, aut secundum nullam differentiam differre tres personas, aut secundum illam quæ propria dicitur. At secundum nullam diff[illegible] patitur. Nam differentia, differunt à se singula, vbi verò nulla est differentia, nulla proprietas attenditur, quia secundum proprietatem [illegible] referentia, qua vicissim differunt. Ast nullus asserere [illegible] privationem personas, [illegible] proprietates, similes pronunt averim. Nihil quippe violentum, vel præter naturam in eis, quia ineffabilis, vnaquæque simplicitatis existit nihil habens extrinsecus, porro multoties [illegible] differt, cuius nulla pars est, ex eo, quod non inest, ipsum notificat, assignationisque rationem constituit. Similiter autem [illegible] differentiam personis [illegible] Deo [illegible], sed quod inseparabiles habeant proprietates, nequaquam substantiales dictæ Hypostases ostendit, & quod oppositum tantummodo excludant, vt privationes, pro huiusmodi, vt puto, Plotinus dicebat: Oportet plures linguas, id est, vestigines, in vnum conducere, atque sic intelligere Deum: & comprehendere illum clausis oculis. Excup[illegible] intelligentiam omnem, & cum sit simplex, universitas tamen ex illo emanat, omnibus [illegible] quæ condidit. Nam qui præstat, accipientibus melior est: maximè verò ipse Deus qui solus bonus est, cui de nullo accedit invidia, quia nullius eget, aliàque omnia, ipsius habent indigentiam: Ergo hæ tres personæ, ingenitam licet concordiam adinvicem, secundum naturam, habeant, differunt tamen: & secundum quantitatem quæ apparet ex proprietatibus, quæ non insunt substantialiter. Etenim ex proprietatibus figura, sive character videtur innasci. Omnis autem figura, sive character, vt Philosophis visum est, ad qualitatem refertur, & secundum qualitatis assignationem [illegible] atque participationem: qua de re in singulis prædicamentis, generalia sive specialia nomina qualitatem videntur significare, eo quod circa substantiam qualitatem determinent. Quorum quidem quasi speciale atque præcipuum, qualitas sola, aliorum prædicamentorum obtinuit: vt sub tali redditione rei cuiuslibet existentis figura per se ad ipsam referatur. Nam quod quantitate participat, secundum quam dicitur quantum, eò ipso insignitur figura differentiæ, in quo qualitas consideratur: idem vero de singulis aliorum dicendum est. Cæterum, qualitatis qualitatem, aut differentiæ differentiam, invenire vel investigare non expedit, trium verò personarum differentias perquirere necesse est, quibus singulæ adinvicem distinguantur, quarum differentia secundum rationem solam attenditur. Nam huiusmodi differentiæ se ipsis differunt & earum non est differentia, cum ipsæ sint differentiæ.

Sicut enim nec motio [illegible] motus: nec generatio [illegible] generatio: aut permutatio, permutat [illegible] gentia differre reperitur, quod [illegible] proprietatibus recipiendum est. Nihil enim se [illegible] convenienter participare dicitur, veluti bonitas bono non fit, nec æqualitas æquatur, sed æquat. Ex quo manifestum, quod tres personæ differentiis à se discernuntur, ipsæ verò differentiæ se ipsis differunt. Dubitabit autem aliquis fortasse in [illegible]. Verè existentis, & illorum qui in generatione ac corruptione provolvuntur, vt consimilium non potest vnum genus substantia esse, vel qualitas, seu ad aliquid, licet horum [illegible] proprium, cum alio [illegible]: vt in substantia Pater, in quantitate maius, in qua[illegible] eodemque modo & in cæteris. At verò Pater, & Filius, Spiritúsque sanctus, cùm verus Deus sint, [illegible] generationem corruptioneque provolvuntur. [illegible] corruptibiliaque continentur. Quibus [illegible] habentibus, quomodo erit quod dicitur, verum, quod divinæ tres personæ proprietates, communitates & differentias obtinuerint? Nam cui differentia inest, aliud mox sequitur genus, ad quod [illegible] respondendum, divinum genus non esse, cùm neque generalissimum, neque subalternum sit, neque in genere contineri, [illegible] neque potestate, neque actu divino aliquid prius [illegible]. Sed neque secundum ordinem, vt in disciplinis Grammatica prior est Dialectica, neque secundum rationem, vt universalia quidem, secundum rationem, singularibus priora sunt, secundum sensum vero singularia universalibus. Manifestum itaque quod divinum, neque in genere est cum nihil eo prius sit actu, vel potestate: neque id genus existit, cum nec de aliquibus differentibus specie prædicari habeat. Sciendum quippe est, vt ex antedictis patescit, quod dissimiliter rationali ac mortali creaturæ in divinis proprietates personis considerantur. Porrò ex his quæ nunc insunt eis, convenientissime illarum proprietatum, quæ circa ipsas consistunt, demonstratio fit. Rationalis vero & mortalis creaturæ ostensio, versa vice fieri [illegible]. Nam ab existentibus abesse a [illegible] perpendit, & quæ nondum insunt, ceu Adam mortem esse, quam non habebat, nec vnquam viderat, per vitam cognovit. Nunquam enim adhuc morientem intuitus fuerat, sed ex repugnanti, vita scilicet, mortem quæ est privatio vitæ, intellexit: sic dives paupertatem, ægritudinem animadvertit sanus, ab existentibus non existentia. Amplius, aut investigare oportet substantiam, identitatem, & differentiam trium divinarum personarum, aut non. Quod si non oportet, vnde sciemus quod Deus Pater non est Filius, atque alterutrum, quomodo assignabimus proprietates? Quomodo percipiemus quod vivat, audiat, videat, finemque habeat Deus Pater, nisi ex his quæ apud nos sunt rebus, atque vocibus per quascumque demonstrationes referantur hæc? palam est quod ex iis quæ apud nos rebus sermonibúsque sunt, circa Deum comprehendamus existentia. Ipsum enim non vidimus aliquando, describimus autem illum per ea, quæ amplioris apud nos honoris existunt, excipientes incursus passionésque, ab his quæ à nobis dicuntur: ne ignorantiæ tenebris humanum genus ex toto commaneat. Itaque cum inter nos vita morsque versetur, morte autem vita potior sit, Deum vivere credimus & confitemur. Rursum quoniam, vita quæ hic est principium finemque habet, & escæ, atque potus indiga, cùm aliorum quàmplurium ab eo quod honorabilius est, Deum appellamus, asserentes nullorum hunc indigere, vitamque habere principij finisque nesciam. Eodem quoque modo videre, audire, ac generare ipsum confitemur, pro eo quod cæcitate visus, auditus surditate, ac sterilitate fœcunditas potiora sunt. Cum igitur necesse sit, & opportunum existat,

A

perquire, quæ & quales trium personarum personales proprietates, & quæ non, & cùm omnino perutile sit, de his disputare, per eas quæ apud nos sunt res vocésque, proculdubio eorum soluitur instantia, qui de diuino disputare interimunt. Veruntamen decet naturæ ineffabilis rei concedere, ne amplius laborare ad harum personarum inventionis proprietatem, nisi quantum res permittit quæ quæritur, cum pateat vnamquamque personam ex propria denotari figura. Videtur autem quibusdam tribus esse communē proprio charactere insigniri, earumdem suffragante constitutionibus, ac commune idioma esse Patris, Filij, atque sancti Spiritus, quasi collectionem proprietatum, non substantialium complecti. Quemadmodum fortè humani generis numerositati commune est, diei, noctis, horarum, ac cuiuslibet diffiniti temporis esse perceptibilem. Etenim irrationabilia, & si temporis habere sensum videantur, veluti hyemis, æstatis, caliditatis, & frigiditatis, non tempus, sed quæ in tempore fiunt, percipiunt: tempus quippe res incorporea est, nec sensu percipitur. Qui verò sensum refugit, irrationabilia non noverunt. Apparet igitur ex his quæ dicta sunt immobili proprietate insigniri, non substantiali, & vnicum characterem habere, tribus personis communia esse: quod vero huiusce communitates, non sint substantiales: manifestum, cùm non secundum substantiam dicantur, neque substantialiter insint, neque singulariter. Non enim easdem omnes proprietates complectuntur insignitivas, cum singulare perfectam sui characteris completionem habeant, & differentem ab omnibus suis rationem: Igitur tres divinæ personæ, alia quidem habent insignitiva, & alia quibus minimè insigniuntur: vt de Adam & Eva, & Cain videri potest. Adam enim proprium plasma esse, quod immobile idioma in ipso extitit. Evæ verò proprium ex sectione costæ provenisse: Cain primum esse omnium genitum, quod alij non contigit homini. At nihil horum dictarum personarum insignitivum erat, cùm collectio proprietatum qualiter nunquam in alio fuerit, eadem, id est, proprietas quæ innascitur ex tali collectione illorum, ac quorumlibet similium insignitiva censeatur proprietas, quam nunquam duo vel plura individua insignire possunt, veruntamen quodlibet huiusce collectionis, secundum speciem vel genus, aliis inesse præter supradicta possunt: vt Philosophum esse, Atheniensem, calvum, & his similia. Trium vero personarum tres proprietates insignitivæ sunt, paternitas, nascibilitas, & processio. Quare vnaquæque dum vnam tantum personam insignit, circa vnam tantum consideratur. Attendendum verò est, quod in tribus personis, qualitas duobus modis consideratur. Nam substantialiter & secundum proprietates, quibus distinguuntur: quod ad qualitatem spectat & qualitatis est proprium, vt declaratum est. Propterea non puto dandum esse, quod insignitiva proprietas persona sit, quam insignit, & circa quam consistit, vt character circa substantiam: secundum quod persona constitutionem habet. Coniuga tamen personæ talis proprietas semper est, immutabilem cum ipsa subsistentiam sortita. Ergo singulæ personæ singulares habent proprietates, & alias quasdam vni sive duabus communes. Quibus de rebus vt superiori planum fit, quod nulla qualitas, Spiritum à filio magis, quam à Patre determinet.

B

C

D

## CAPVT III.

Porro neque habitudo est magis dissecans, & determinans Spiritum à communitate Filij quam Patris. Nam habitudo est & communitas differentium adinvicem, vt vocum harmonia, animorum proportio: & animæ atque corporis coniugatio. Et habitudinis quidem proprium est differentia colligere in communitatem. Ad aliquid verò, ad aliud respicere, nec in seipso consistere. Quorum quidem forma est ad aliud dici, illud vero, ad quod dicitur similiter dici addit, quod ad se dicitur, eorum quæ ad aliquid consecutio. Cæterùm, quæ consistentia sunt adinvicem non dicuntur, vt lux solis est, & ad solem non dicitur. Aliud enim est, alicuius esse mensuram, aut actionem, aut passionem, aut possessionem, sive proprietatem: & aliud ad aliquid esse, vel dici. Illa enim etsi alterius sint, propriam naturam habere videntur. Ad aliquid verò, in eo quod ad aliud respicit, esse habet, ex eo, quod ad suum relativum aliquam suscipit conversionem. Quod de Spiritu sancto quidam non arbitrantur recipiendum, qui quidem & si Patris sit & Filij, non tamen Pater Filiusve conversim ad Spiritum referuntur. Non enim Pater, sive Filius, Sancti Spiritus, Pater vel Filius, qui amborum donum dicitur: & comparibus alterutri donatorum honoribus decoratur. Nam cœlestis est, orbem replet, donum existens vitæ & virtutis, per hoc donum omnia Deo & Patri Filius reconciliavit. Hoc dono anima quæ salita non est putrescit, fœtorúmque sordescit cogitationibus: hoc dono Apostoli roborati vniversum peragraverunt orbem, doctoris prædicantes mandata, sanctificati à Patre & à Filio prout Salvator dicit: *Pro eis ego sanctifico me ipsum, vt & ipsi sancti sint in veritate:* quamvis Patrem roget vt sanctificet illos, & CHRISTVS quidem seipsum sanctificavit, pro Apostolis cæterisque fidelibus, quando hostia pro mundo oblatus est, & quando tota humanitas, vt primitiæ in ipso per crucem sanctificata est. Pater quoque hostiam suscipiens mundum sanctificavit, per quam reformati Filij Dei nuncupamur. Sed & Spiritus sanctus, vera sanctificatio est, qua fideles per ipsum vnum fiunt, qui proprium quasi vocabulum & singularem characterea, sanctum dico, sortitus est. Verum sicut natura Spiritus est sanctus, sic natura sanctus est Pater, sic natura sanctus est Filius: propterea vtique apud Esaiam Seraphin ter vociferantia Sanctus, describuntur, quia in tribus personis secundum naturam significatio consideratur. Nec solum hoc ipsum Patri & Filio commune habet sanctificationis nomen, sed & ipsam Spiritus nuncupationem, cuius multiplicitas breviter hic distinguenda est. Multifariam certè Spiritus dicitur; Nam *Spiritus est Deus, & eos qui adorant eum, in spiritu & veritate, adorare oportet:* & Propheta dicit: *Spiritus ante faciem vestram Christus Dominus.* Spiritus, & sanctus Spiritus, iuxta illud: *Ite baptizantes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Spiritus angeli dicuntur, sicut scriptum est: *Qui facit angelos suos Spiritus.* Spiritus & sancti Spiritus dona nuncupantur: quæ operationes Propheta nominavit. Cuius iterum gratia aliquando quidem ignis, aliquando vero aqua, nuncupatur: aqua quidem, vt: *Quicunque biberit ex aqua hac, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ vivæ in vitam æternam.* Et rursus: *Flumina de ventre eius fluent aquæ vivæ.* Ignis autem dicitur vt illud: *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto, & igne:* Spiritus rursus dicitur spiritualiter vivere, ac secundum Deum conversari. Quicunque enim, inquit, in Spiritu Dei vivimus, hoc est, spiritualiter. Novit autem scriptura & Spiritum vocare ventum: & quod litteram distinguit, vt illud: *Littera occidit, Spiritus autem vivificat.* Item Spiritus dicitur quo filiorum adoptio secernitur, vt illud: *Non enim accepistis Spiritum servitutis.* Spiritus enim notabilis affectio: vt Esaias: *Cognoscentur qui errant Spiritu.* Spiritus dicitur & vitalis virtus iuxta Ecclesiasten: *Quis novit Spiritum filiorum hominum, si ascendat ipse sursum, & spiritum iumentorum si descendat ipse deorsum in terram.* Spiritus & humana anima nuncupatur. *Vt in manus tuas commēdo Spiritum meum.* Manifestum ergo ex his quæ dicta sunt, quod non solum Pater & Filius, & quod est amborum donum, Spiritus nominantur: verùm quam plura alia insigniuntur eodē nomine, vnde non vbicunque Spiritus dicitur, Deus ostenditur, neque rursus vbi Paracletus, ibi intelligitur

E

F

*Quale donum spiritus sancti.*

G

*Idē dicit Didimus de Spiritu sācto.*

H

A & Spiritus. Quanquam & hoc eius nomen sit, quo maxime cognoscatur. Nam vt omittantur alia, CHRISTVS qui est sapientia Dei, Paracletus vocatur, & tamen non est ipse illa tertia persona, quæ appellatur Spiritus sanctus. Sed forte dicet aliquis cum Spiritus Pater, Spiritus Filius, Spiritus dicatur & Sanctus Spiritus, quomodo secundum hoc vocabulum a Patre & Filio differentiam habere possit notari? ad quod dicendum quòd Pater cum sit Spiritus & sanctus, non est neque dicitur alicuius Spiritus. Similiter autem Filius Spiritus existens atque sanctus, nequaquam alicuius Spiritus nuncupatur, quia naturam divinitatis ipsam, sic acceptum significat. Spiritus verò sanctus, & est alicuius Spiritus & dicitur, etenim Patris est Spiritus atque Filij: Apostolo testante qui dicit: *Misit Deus Spiritum Filij sui in corda nostra*: atque etiam
B donum est Patris & Filij, in quo nomine habitudo videtur significari. Etenim his quæ ad aliquid sunt, huiusmodi assignatur proprietas & habitudo: cum esse ad aliquid sit habitudinem habere, ad aliud ex quo potentiam non minus in his quæ extrinsecus sunt, quam in se ipsis existendi habent quæ relativa sunt. Sane cum externa permutantur, fiunt illa & corrumpuntur, quod verò secundum se esse dicitur, hoc ad aliquid non est, vt homo † tricubitum †. Hæc quamquam de alio dicantur, tamen sui ipsorum sunt quòd existunt, homo enim etsi alterius dicatur, non hoc tantum ipsum quod est homo, sed in eo quod filius sive pater vel aliud huiusmodi. Referuntur interdum relativa & per accusativum casum, & aliter: vt magnum ad parvum: & ab aliquo, vt donum à donatore, quod quidem sancto Spiritui congruere videtur, vel alterius dicatur, & secundum huiusmodi habitudinem, ad aliquid sit. Est enim donum Patris & Filij, & divitiæ quæ terminum non habentes defectum ignorant, qui amborum dona distribuit, quæ ambo ab æterno donant, vt quidam arbitrantur omnium bonarum donationum receptaculum. Inquiunt enim, licet ante
C omnem creaturam non fuerint qui talibus dotarentur, ac operas præstarent largitionibus, erat tamen Spiritus perfectum donum, nullo ipsius participante, alioquin adiectum aliquid divino accessit & adventitium. Hoc modo Dominus censebatur, priusquam ei serviretur, antequam aliquid creatum crearet. Id si non constet sequitur quod ex accidenti, & non ex natura ei creare ac dominari advenerit, & recenter adiectum; subinductúmque sit, & non coæternum. Item, inquiunt, Si ante creaturas non erat Dominus, & creator atque donum, frustra sunt ei causa dominandi, donandique condita, & creata promoventia ipsum sibi in dominum creatorem atque donum. Quare si pedem retro creatura ferat, diminuitur Spiritus dono & dominio. Ergo manifestum ipsum ab æterno habere talium habitudinum rationes. Qua ex re palam est Spiritum sanctum aliquam habere ad Filium habitudinem. Nempe habitudo per omnia prædicamenta transire videtur, &
D per contraria: per substantiam enim, vt in Patre & Filio: per quantitatem, vt in duplo, dimidioque: per qualitatem, vt in disciplina & disciplinato: vbi, vt in sursum & deorsum. Quando, vt in antiquius, & recentius: facere, secare: pati, secari: iacere, præponi, subiici: habere, vt in calceamento: quæ si rebus non adiacerent, à se omnia divellerentur, per habitudines vtique, differentia & numerus in divinis hypostasibus apparuit. Quod qualiter sit, breviter quia interest disputationis commemorandum est.

† Dicit bicubitum [illegible]

Quomodo Spiritus sanctus sit donum.

## CAPVT IV.

CHristianorum fides indubitabile ac firmum tenet, quod Deus ex Deo lumen de lumine nascatur: & quod Deus ex Deo procedit, & hic quidem ex quo quis nascatur, hic verò qui nascitur ex aliquo: hic verò qui ex aliquo procedit. Et pater quidem Deum

E ex quo quis nascitur indicat, Filius verò Deum qui nascitur ex aliquo significat, porrò Spiritus sanctus quia non absolutè pronuntiatur, sed Patris & Filij Spiritus, ex aliquo procedens ostenditur. Qui ergo tres sunt adinvicem distantes. Etenim vero Pater neque Filius est, neque Spiritus: neque Filius Pater sive Spiritus est: neque Spiritus esse potest, quorum Spiritus dicitur, cum impossibile sit ex aliquo existentes esse ex quo existit, & ex quo existit esse quod ex illo provenit. Hæc profectò sunt habitudines, ex quibus numerus innotescit pluralis, & sancta Trinitas ostenditur, quæ quidem eò quod Pater & Filius & Spiritus sanctus vnus Deus sunt, vnitas esse subintelligitur. Quamobrem vnitas est in Trinitate, ac Trinitas in vnitate. At verò vnitas naturæ attribuitur Trinitas verò personarum est, non naturæ. Sane non est natu-
F ralis vnitas ex eo quod Trinitas hypostatica, neque rursus hypostatica Trinitas, ex eo quod vnitas naturalis. Ideoque quidam opponunt dicentes: Si alia existit naturæ vnitas quam personarum Trinitas, quatuor reperiuntur in divinitate res, Trinitas, scilicet, & Vnitas. Cuius rei solutio, satis manifesta est, ex eo quod nulla persona cum ea natura quam habet numerum facit, vnde nec CHRISTO humanam naturam connumeramus, vt ipsum hominem quem naturam quam habet, duas res esse profiteamur. Ab ipsis autem nihil quod alterius completivum est, sive genus sit, seu differentia, sive natura, seu substantia, vel personæ determinativum & constitutivum, connumerari licet cum constituto. Igitur Deitas cùm sit natura trium personarum, non eis connumeratur: vt quatuor pronuntientur res: vnitas, scilicet, naturæ, atque personarum Trinitas, vere tamen creditur & dicitur, quod natura Patris non sit Pater, cum nulla persona natura sit, neque sui ipsius, neque alicuius alterius. Qua in re tali quidem similitudine vtuntur: Inquiunt enim: Qui dicunt libravi numisma, portendit se in pondere aurum esse libratum. Et rursum qui dicit aurum libravi, nummum aureum se librasse asseverat. Numismatis quippe character, cum gravitatem expressit non libratur. Sic itaque, inquiunt: Nos cum dicimus ex substantia Patris Filium nasci, non cogimur
G fateri, ex duabus ipsum exoriri rebus, sed ex vno eodemque generante. Quòd autem ex substantia Patris nascatur Filius, palam est: Aut enim ex substantia Patris nascitur, aut alicunde extrinsecus. Quod si extrinsecus nascitur, non est eiusdem naturæ cum Patre Filius, sed alio participans sanctificatur, quod etiam cogitare profanum est. Sin autem ex tota substantia Patris Filius profluit, est autem Spiritus Patris & Filij, necesse autem sectionem & divisionem, passionemve accidere, circa Patris substantiam, aut Spiritum impassibiliter & individue de Patris & Filij esse substantia. Individua enim Patris substantia est, quam totam cuius Spiritus est Filius implet. Ex quo manifestum, quod habitudinibus tantummodo prohibentibus non est Filius Pater, neque Spiritus Filius. Nullius enim intelligentia capit ex aliquo profluentem, esse ex quo
H profluit, ne forte prior seipso inveniatur: verùm vnitatis divinæ naturæ consensio exigere videtur, Patrem esse Filium, ac Filium Patrem, eo quod tres hi vnus Deus sint, sed vt exaratum est, intercessio habitudinum hoc prohibet, quia Pater, non potest esse is, qui profluit ex eo, cum ex nullo sit. Sine initio enim atque ingenitus Pater est, Filius verò sanctúsque Spiritus ex substantia Patris, aliter & aliter existunt. Nam Filius ex Deo est, qui est Pater eius. Sanctus autem Spiritus non est ex Deo Patre suo, sed ex Deo qui est Pater. Ergo Filius in eo quod ex Deo est, Filius Dei censetur. Ille verò ex quo est, eius appellatur Pater: at vero Spiritus non est ex aliquo, vt ex Patre, sed vt ex causa. Profectò Filij & Filius proprium est ex aliquo esse, vt ex Patre suo palam est quod in sancta & beatissima Trinitate non sit Pater nisi vnius Filij: sicut Filius est vnius Patris, neque Spiritus

[illegible]

A vt Trinitas servetur, nisi vnius Patris atque Filij vnius. Enimvero vt vnus Deus solus est, ita vnus solus Pater est, vnus solus Filius, & vnus solus Spiritus sanctus: qui Patris est & Filij æqualiter &, indifferenter. His igitur sic se habentibus, si Spiritus sancti donator & missor, ab æterno Filius existit, & Spiritus quoque donum & imago Filij æternaliter, claret quod habitudine non dissecetur à Filij amplius, quam à Patris communitate: vt autem superiora monstrant, habitudo est communitas à se invicem aliquo modo differentium: nempe vbi nulla est differentia, nulla est habitudo: & vbi habitudo, ibi alicuius modi differentiam esse necesse est: inde nihil ex alio provenire potest, nisi ad aliquid aliquo modo habentis intercedat habitudo. Hæc enim est quæ copulat faciens patienti, per aliquam familiaritatem: vt hoc quidem
B possit in illud agere, hoc verò ab eodem pati: propterea multiplices modi humanarum habitudinum sunt, sicut aliarum rerum, ceu Patris ad Filium immediatè, ad Filium verò Filij mediatè: & deinceps ad gradum vsque septimum. Harum habitudinum quædam cum ipsis interimuntur subiectis, aliæ verò subiectis absque alteratione omni manentibus disparent. In quo satis apparet, ad aliquid non esse secundum participationem. Nam vt quidam opinantur, quæ ad aliquid sunt, neque invicem participant, neque de se prædicantur. Ideirco positum, & positio: stans, & statio: sedens, & sessio: & quæcunque talium non sunt ad aliquid. Participat enim positum positione, ac sedens sessione: ad aliquid vero non participant invicem, quia opposita sunt: sed neque Deus Pater, suo Filio participat, neque ab illo prædicatur. Namque Pater semper est Pater, & non Filius, Filius verò semper Filius, & non Pater. Cum verò Pater nuncupatur Dei Filius, non absolutè intelligendum: sed sæculorum Pater atque creaturarum. Conditor quippe noster existens, per conditionem noster vocatur Pater,
C & non per naturam, vt Deus Pater eius est. Inseparabiliter tamen habet, quod noster Pater sit, sicut & Spiritus donum: ac donati nobis vt superius disputatum est. Nihil enim alienum ipsi accidere potest, quod circa ipsum non semper fuerit. Erat certè ante secula omnitenens conditor & Dominus, sine habitudine habens omnium eorum rationes, quæ circa ipsum perspiciuntur. Quæ habitudines cum circa substantiam sint, ipsæ nequaquam substantia sunt, nec tamen ab extrinsecis obveniunt. Similiter autem quæ substantiam divinam complent, non solùm ab intrinsecis nihil contrahunt, sed per se insunt intellectæ absque omni talium habitudine. Qua ex re quidam in hunc modum argumentator. Si divinum sui ipsius perfectè absque quolibet defectu completivum est, nullam habet habitudinem ad ea, quæ extrinsecus sunt. Nam si ex conditis & creatis acquisivisset habitudinem, fuisset potentia eius indiga, & per extrinsecam habitudinem condendi potentiam sortiri visum fuisset.
D At verò divinum per se sufficiens est & sui ipsius absque quolibet extrinseco completivum. Nefas enim est aliquod adiectum Deo attribuere, vt habent qui vicissim ex defectu copiam nanciscuntur. Deus sane non cùm fuerit res, tunc eas perdidicit, quia mundi ante originem præscivit ea, quæ in novissimis sunt futura temporibus. Ideò ante quam faceret terram & secula, in seipso habuit vt modo habet, & non aliter rebus iam conditis & creatis, eorum quæ circa nos rationes, quod Paulus insinuat Timotheo sic dicens: *Collabora Euangelio, secundum virtutem Dei, qui saluauit nos, & vocauit vocatione sancta, non secundum opera nostra, sed secundum suum propositum & gratiam, quæ data est nobis ante tempora secularia manifestata autem nunc, per illuminationem Saluatoris* IESV CHRISTI. Si ante secula, cùm nondum nostri essemus vocavit nos secundum propositum Dei omnia præscientis, certum est quòd antequam vocati vocator, & antequam creatura esset, creator extitit Deus,
E & antequam donaretur Spiritus, donum fuit Patris & Filij, nullam ad illos habens habitudinem, qui accepturi erant. Propheta David ad Deum loquens dicit; *Esto mihi in Deum protectorem*, & iterum: *Factus est Dominus refugium pauperum.* Sed enim protector & refugium semper erat. Quare quod erat hoc & factus est postulanti, scilicet, & obsecranti. Ab æterno quidem erat Rex, quia Deus: factus est Dominus plasmatis nullam habitudinem, nullámque alterationem suscipiens, ex quo in actum creatura prodiit. Si enim homo non permutatur individuis illius, totiens pereuntibus aliisque succedentibus, sed manet indemutabilis, & inalterabilis, propriam conservans rationem, multò ampliùs, quia incomparabiliter habitudines circa divinas personas, quamquam in pluribus di-
F stantibúsque considerentur, inalterabiles tamen perseverant. Inconveniens igitur dicere pro iis, quæ fiunt divinis personis, quæ sunt inpermutabiles aliquid accidere, profanum est & interimere differentium adinvicem Spiritus Filijque rationes sempiternæ alterutrius habitudinis. Manifestum igitur habitudinem quam habet Spiritus ad Patrem, eam habere ad Filium: nihil eorum quæ ad aliquid sunt prohibente, quin Filij sit, & ex Filio idem Spiritus.

## CAPVT V.

CÆterùm emissio Spiritus ex Patre nequaquam prohibere potest provenire Spiritum ex Filio, dum per eundem Filium Pater, non vt per instrumentum Spiritum emittat, nullo intellecto medio. Quare si Pater est causa Spiritus, & Filius. Nam in Filio est Spiritus sanctus, vt in causa, quod ex causa est, non vt in loco, neque vt in subiecto. Etenim locus ab eo quod in loco est, differt substantialiter, similiter autem & subiectum, ab eo quod in subiecto: at verò Spiritus in Filio per causæ rationem consistens, vt in Patre,
G vtrique idem est. Itaque vt in causa, quod ex causa est, sic amborum ac in ambobus Patre, scilicet, & Filio, Spiritum inseparabiliter esse constat. Amplius, Quæcunque duo vt individua secundum naturam, absque aliquo medio, intelliguntur, quicunque alterum esse præstat, & alterum, hoc enim in vena & fonte; trunco ac radice: vnitate ac binario: aliisque forsan pluribus est videre. At verò Pater & Filius duæ personæ sunt, & secundum naturam absque medio prorsus intelliguntur: qua de re Spiritui vterque præstat existentiam. Igitur vt verum est Filij Spiritum esse, sic ex Filio progressum & causam ipsum habere manifestum est. Sed quoniam iam patet emissionem non esse impedimentum Filio, quin is cum Patre Spiritum emittat, demonstrandum similiter videtur, quod neque facere, vel pati, dictam causæ Patris ad Filij communitatem disterminet. Id quidem multò liquebit evidentiùs, si commemoretur breviter, quid facere, quid pati, & quid actionem esse Philosophi constituerint, & vtile
H quidem hoc forsitan erit, ad dicendorum declarationem. Est igitur vt ipsi dicunt Facere secundum naturam, in passionem duci: vel Facere, est assimilare sibi quod patitur: Pati verò facienti assimilari. Hoc autem exemplis dilucidant. Assimilat, inquiunt, sibi faciens, patiens: vt ignis in aqua agens, sibi eam secundum caliditatem assimilat. Ecce cùm aqua quidem potestate calida sit, actu verò frigida, ignis accedendo potestate calidum contingens atque passibile, permutat: quod in ea potestate fuerat, in id quod actu nuncupatur. Etenim quòd à potestate in id quod poterat permutatur, hoc actu esse perhibetur, sive species, sive passio, sive quies sit: vt æs, ab eo quod potestate, ad id quod actu proveniens, statua fit per formam consummata. Nam activum aut absque medio, aut per medium passibile contingere oportet: vt homo in balneis per medium calescit: dum ignis aëra hominem verò calefacit aër. Verùm attendendum, inquiunt, quòd tantū in his quæ mota è regione movent propriè

Dominus & Deus vel conditor [illegible] est [illegible] esse vel substantialiter [illegible] sine [illegible] æternaliter intelligitur convenire.

Facere & pati quid

contactus

A contactus fieri dicitur. Quippe neque imago, neque exprobratio animam contingit principaliter, dum ab ipsa nihil mutuò repatiantur: vtpote quæ prorsus dissimilia & diversa, & quæ in se vicissim facere apta non sunt, neque pati mutuò, quod fit vt dulcedo nihil agat in nigredinem, neque in dulcedinem gravitas: Aiunt ergo, si facere est secundum qualitatem permutare, Deus autem conditor substantiæ omnis: manifestum quòd non propriè factor censeatur, sed conditor atque productor vniversitatis: Naturalium enim atque artificialium factores tantum esse constat: Deus verò cum sit, vltra omnia invisibilia atque visibilia nequaquam factor censeri debet. Namque factor per viam quandam & generationem, quod agendum est, ad esse conducit: Deus verò in tempore nihil facit, propterea non factorem, sed conditorem eum censeri oportere dicunt. Amplius, Si facere est sibi quod patitur assimilare, secundum aliquam qualitatem: non est B Deus factor orbis propriè, cum nulla ratione mundo existat simul, aut creaturæ cuipiam. Sciendum verò, vt quibusdam sectarium videtur, non simpliciter dandum est faciens comitari quod patitur. Nam facere est boare, currere, ambulare, scribere, atque alia huiusmodi, quorum nullum patiens sibi assimilat. Cùm igitur Pater sine causa, & absque initio sit, & perfectior aut potentior eo quem generat esse non possit: æqua enim duobus potentia, quæ potest æqualiter tam minora quam maiora producere, idcirco non plurium exhibitivus est Pater quàm Filius: sed quicquid exhibet, qui sine causa exhibet, & qui ex causa est, absque medio, & cum neque prius qui sine causa est, eo qui ex causa producat, sed simul Pater, simul Filius, evidens quod non sit inter Patrem Filiumque separatio causæ Spiritus propter Facere & Pati. Quicunque enim duorum singulariter Spiritum emitteret, foret vtique altero potior: vt causa comprehensibilior, amplior, atque continentior. Ergo cùm Pater Spiritum emittat, & Filius qui est imago Patris, nequaquam C ἀπαραχάρακτος vel demutata, integram servans circumferentiam, qua de re necessariò adsunt Filio quæcunque adsunt Patri. Omnis quippe imago quæ ἀπαραχάρακτος non est, semper ad archetypum integram habet circumferentiam. Quod quidem mendacij arguitur, si ex Patre Spiritus prodeat non communicante Filio: at verò nihil est Patris ante Filium, nec absque Filio Pater producit quicquam, quia non adoptione verbum Dei Filius Patris existit: sed secundum veritatem de substantia ipsius genitus est, eorum qui participatione Dei & Filij, ipse factor est atque conditor. Hinc igitur manifestum, cum perfectissimum signaculum omnem ad Patrem servans inconfertentiam existet Filius, quod ex se ipso, vt Pater emittat Spiritum. Quicunque verò huic repugnat dogmati, metuere videtur, quod ab Hæresiarchis profanarumque novitatum inventoribus commentum est, hoc modo argumenta concinnantibus, imò Elenchorum ignorantias: si Spiritus ex Filio est, omnium potestatum cœlestium atque terrestrium habente, malè D ac præter Patris voluntatem faciunt, qui adorando à Patre vel Spiritu aliquid postulant: omnia enim Filij sunt à Patre donata: cuius dona sine pœnitentia & indemutabilia sunt. Siluit igitur à potestate omnium eorum quæ tradidit Pater, etiam, & ab iudicio, & ab emissione Spiritus. Ideoque peccant qui à Patre vel Spiritu aliquid postulant per orationem, ipsum Spiritum potestatemque vniversorum possidente Filio. At verò non est in his formidandum, quia nihil aufertur Patri, quòd Filio attribuitur. Omnia enim Filij Patris sunt: vt enim lux à sole, alter ab altero inseparabilis est, verùm æqualiter tres personæ omnibus præsunt creaturis, quarum singulæ iuxta suum ordinem, & virtutem illarum præsentia irradiantur: hæc quidem æternaliter, illa verò secundum tempus: & hæc quidem incorporaliter, illa verò secundum corpus, vtraquæque proprietatem ferens à propinqua familiarique causa: secundum quam inde sortitur existentiam. E

## CAPVT VI.

*Necessaria ratio in his quæ principia sunt.*

Ad hæc autem sciendum, quod quibuscunque substantia quælibet adest, & eius actio, sed non quibuscunque actio & substantia. Nam solis actio illuminatoria, in aere quidem & in aliis perlucidis diffunditur, non assistente illis solaris substantia: at verò de summa & divina substantia vera conversio fit. Nam vbi divina substantia, & eius actio, & vbi eius actio, & ipsa, quæ vbique simul & nusquam est. Non in parte quidem vbique, in parte verò nusquam: sic enim à se ipsa divulsa esset, & separata: si hoc quidem eius vbique & in omnibus, hoc verò nusquam, & ante omnia: sed tota vbique, at tota nusquam. Ideo vtique vbi actio Dei & Deus, qui tantùm se præbet, quantum quis capere potest: non vt habens partes, sed vt F existens ante omnia, vnus enim Deus cùm sit, personæ tres, ante omnia quæ ipso replentur, causa eorum omnium est inalterabilis, & impermeabilis suis vberrimis mundum gubernans largitionibus & actionibus. Ad dum sermo de actione instituitur, à memoria excidere non debet, quòd sicut divina substantia, paternitas, filiatio, missiove: & cætera quæ in Deo & circa Devm supra substantiam, paternitatem, filiationem, & missionem: sic & actio Dei supra actionem intelligenda est. Nam licet prædicamentorum nuncupentur vocabulis, quæ in tribus & circa tres personas considerantur, nihil tamen ad prædicamenta, divina aliqua res pertinet. Sed quidam dum volunt ostendere quod facere disgreget à Spiritus causa Filium, talibus vtuntur argumentationibus. Si facere in divino vt in creaturis quibusdam duplex est, hoc quidem secundum voluntatem, vt condere, scribere & cætera quæ ad artifices spectant: hoc vero secundum naturam, vt generare, & ignis, vt vrere. Pater vero in eo quod secundum voluntatem facit, inseparabilis à Filio Spirituque sit. In eo vero quod secundum G naturæ consecutionem agit, separabilis: solus ipse suo esse quo à Filio distinguitur Spiritum emittit. Quo fit, vt Filius non emittat, de Spiritu vero patens est, quod se non possit emittere, quia nihil ex se provenire potest vel fieri. Cæterum: pati nullo modo asserunt impedire processionem ex Filio, etsi dupliciter dicatur: vt secari, vri, & consummative vt discere, legere. Quippe nec secundum corruptionem, nec secundum consummationem Deus aliquid patitur, cum sit incorruptibilis, & sibi sufficiens, creaturisque omnibus: obque hoc solum Deum Patrem isti generare & emittere dicunt, vt materiam pati tantum: per quam & alia passionis participant, facere autem & pati opinantur elementa, vt participantia formæ atque materiæ, necnon omnia pene quæ composita sunt: vt plumbum agendo in argentum patitur & corrumpitur, dum ipsum purificat. Agit quidem dum purificat: patitur vero dum ab igne consumitur: facit ergo, inquiunt, Pater natura & voluntate: natura quidem faciendo Filium generat, emittitque Spiritum: volun- H tate vero faciendo, mundum creat conservatque creatum: propterea æqualem & coæternum sibi generat & emittit, quia esse generat, & esse emittit, sed esse non creat, nec conservat: nam neque artifex esse suo, ea secundum quæ artifex nuncupatur perficit, frequenter in seipso contemplans, quod non producit in opus, à quo longe cadit opus quod facit, sicut omnia corruptibilia à divina natura procul. Item dicunt: Si esse Deus produceret, cum ipso simul emersissent omnia, & tam præterita quam futura simul convenissent, quæ simul natura nequaquam patitur. Atqui alia est Dei generatio, & alia eorum quæ non sunt productio, quæ simul esse nequeunt: eo quod non esse Deus ea produxerit, sed voluntate. Nam si esse produxisset, tot emersissent, quot exprimere potuisset

A toto vtique faciens esse, tota fecisset virtute : quæ cum infinita sit, non solum hunc mundum, verum infinitos huic præsenti consimiles fecisse potuit. Sin autem non poterant, quam multa imbecillitate opprimebatur, qualibet artificis disciplina potente, quamplura facere similia? Quare, inquiunt, Deus Pater sicut solus esse suo generat, ita solus esse & emittit, voluntate vero neque generat, neque emittit, quod sic demonstrant : Si voluntate, non natura Deus Filium genuisset, aut semel cum voluisset, nolens permansisset de cætero : aut rursum voluisset, & rursum genuisset : qui si non est vnius voluntatis sed differentis, non vnum tantum habet, sed plures filios : Amplius. Si quæcunque vult facit Deus si non generat, aut quia non potest prorsus dimittit : aut quia non vult : si non potest corruptibili minor est natura, quæ apta est ad impotentiam. Sin potens noluit quod natura habuit, B coercuit voluntate. Quare si nondum genuit, volens generabit aliquando. Amplius : Si voluntate genuit, voluntas generatione prior est vt in creaturis, iuxta illud : *Faciamus hominem*, & illud : *Omnia quæcunque voluit fecit* : aut virtus, sapientia, consiliumque Patris Filius est, in quo permanet, & per quem operatur omnia. Qua de causa, non est voluntate genitus, sed neque necessitate, quasi nolens & coactus pater genuerit, nullo existente qui possit cogere. Idem de Spiritu sancto sentiendum esse; vnde manifestum, quod sicut Pater solus esse generat, sic esse solus emittit: natura, non voluntate, quod ex hoc patet, & quod coæternum coæqualemque sibi Spiritum emittat. Porro hæc vt mihi videtur quæstio, ex superioribus lucem habet solutionis, vbi Patrem, non vt Patrem emittere Spiritum demonstratum est, talis vtique complexio in proprietatibus tantum quæ insignitivæ sunt personarum veritatem tenet : in his enim antecedit ac sequitur dictum esse, vt si esse generat solus generat: & si solus gignitur, esse gignitur. In aliis vero minime, C vt ex pluribus animadverti potest, Pater cognoscit Spiritum suum, esse, scilicet idem secundum quod persona est, non voluntate. Solus ergo Pater Spiritum cognoscit. Item esse Pater habet Spiritum, non voluntate. Quare Pater solus Spiritum habet : sed hoc falsum esse Apostolus perdocet. Vna enim causa vnumque principium, Pater & Filius, quorum Spiritus sanctus est, & idcirco non ex alterius esse tantum, sed ex vtrisque prodit esse par vtrque & coæqualis. Nequaquam enim magnificentior Filio Pater, vel Spiritu, vt homo inter animantia, qui illis ampliora facere potest : Itaque non absque Filio Spiritum emittit. Veruntamen existimandum non est ex Patre Filiove, Spiritum sortiri aliquod principium vt ipsis posterior, neutro enim iunior sive recentior Spiritus est : Quanquam in multis quod ex aliquibus provenit illis posterius esse videatur, in paucis vero intelligatur simul, vt splendor solis, ex sole prodiens, ipso posterior non est. Eodem vero modo Pater & Filius, quia nec multum, nec modicum Filius pater præcessit, nec Filius Spiritum. Dicit enim Propheta : *Ante me non est* D *factus Deus, & post me non est* : Deus autem neque fit, neque habet quicquam se antiquius. *Ego* enim, inquit, *primus, & ego novissimus*, hoc de Patre, hoc de Filio, & hoc de Spiritu sancto confitendum est : de his tribus personis Ieremias dicit : *Dij qui cælum & terram non fecerunt pereant* : alibi tamen scriptum reperitur : *Ego manu mea extendi cælum*, in quo tres personæ intelligendæ sunt. David enim dicit : *Verbo Domini cæli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Ecce conditorem demonstrat Spiritum & Filium : non nudum verbum Filium, non vaporem diffusum in aëra, Spiritum nominando, cum verbo cœlum firmaverit, & virtus sanctificaverit Spiritus sancti. Vt enim sancti perhibent Patres, verbum essentiam præstitit, sanctitudinem vero Spiritus. Ex quo liquido apparet, Spiritum non habere ante se principium, etsi ex Patre & Filio proveniat. Quippe quod infinitum est, vtrumque oportet infinitum esse, vt Paulus testatur dicens : *Neque principium dierum, nec vitæ terminum habet.* Qua ex E re quia divinum, supersubstantiale, ac ante omnia existens, principium, terminumque ignorat : impossibile est dicere quid sit secundum substantiam. Vix enim possibile languide eorum aliquid apprehendere : quæ circa ipsum, pro eo quod eius sapientia supra nostram exaltetur intelligentiam, quæ quanquam divisibilium & permutabilium sit, ipsa enim dividitur. Nam individua vnitas est, non alteratur : quia indemutabilis est, non habitudine multiplicatur, quia impermixta ea perseverat.

## CAPVT VII.

RESTAT igitur per actiones tantum hominibus Deum manifestari, quæ iuxta quorundam opinionem non F habent, quod potestate dicitur, asserentium circa singulas temporis partes, de subito emergere : & concursu voluntatis, non motu Deum facere omnia. Motus enim non est repentina emissio ab habitudine, sed alia ante aliam fit promotio in speciem, quæ potestate tantum existit in facienda re, secundum materialem informemque proprietatem per transitum consideratam in continuitate dividua, Dei autem actio maxime cum fine est plena sui ipsius indeficienti consummatione. Quod autem ad plenum consummatum est, cum illo qui festinat consummatum iri, non habet communitatem. Quamobrem absque motu Deum operari asserunt, & repente, hoc est præter extensionem temporis; Cuius opere, mentem sensus, emissionemve luminis, imagines quasi ponunt. In apparendo enim lux de subito terræ illustrat ambitum, non comitante temporis motu actionem luminis : in omnem partem similiter diffundentis se. Qualis pene videtur esse actio sensuum sive operatio. Simul vtique in aspiciendo absque temporis intervallo, visibilia ; præsentia, & absentia visus æqualiter comprehendit. Hinc est quod G quidam dicunt actionem esse repentinam emissionem habitudinis, quam non prosequitur temporis motus: latitudo vt cælestium corporum, solis, aliorumve sine fine illuminantium : alias vero naturales, vt calefacere, infrigidare. Artificiales quoque vt mederi, fabricare tempus prosequitur. At vero licet mens sensusque sine latitudine temporis noscat & sentiat, consummationem tamen absque temporis latitudine non possidet. Porro DEVS sine temporis latitudine opus quodcunque vult suum perficit, & consummat : quod ex his quæ à Christo facta sunt miraculis liquido apparet : *Tolle*, inquit, *grabatum tuum & ambula.* Dixit verbo, *& sanatus est puer* : & iterum : *Extende manum tuam*, & *remittuntur tibi peccata : Fiat tibi sicut vis.* Hoc autem & his similia, in ictu oculi Salvator patravit, cuius virtus & potestas, absque qualibet distinctione temporis, ac dilatione omnia perficit : hoc vtique Pater per se facit, hoc Filius, vt Pater possidet, hoc Spiritus habet sanctus substantialiter. Sicut enim lapis H dimissus non à mittente deorsum movetur, ille enim dimisit tantum. Naturale vero quod possidet momentum tulit deorsum lapidem : & sicut ignis qui ad inferiora iacitur, ab ea quam intrinsecus natura possidet, ad superiora reducitur : ita tres personæ, non ab extrinsecis facere vel operari, æqualiter habent : sed ab intrinseca virtute, quam naturaliter complectuntur. Quippe licet secundum naturam & voluntatem faciant, non est tamen in eis virtus ad similitudinem inferiorum, in quibus alia est naturalis, alia est adiecta. Naturalis quidem, quæ se per adest: vt igni vrere, lucere soli. Similiter autem lapidi dimissio, violentia cessante, moveri ad inferiora. Adiecta vero quæ advenit extrinsecus, & abesse potest, talis virtutis effectus censetur actio. Quæ scilicet, virtus interdum causa, interdum causativum, nuncupatur. Substantiæ quidem effectus ex qua prodit, causa vero quam emittit actionis. Atqui Patris virtus causa ipsa est, & ex causa,

generatur

A generatum enim, & emittit & nullum sortita est adventitium. Nec huic sententiæ repugnat quod scriptum est: *Filius non potest à seipso facere quicquam.* Nam si quid Pater facit, & similiter Filius facit: Filius autem non potest aliquid a se ipso facere, erit vt neque Pater aliquid à se ipso faciat. Quare si Filius non potest aliquid a seipso facere, neque Pater, quia non hoc Pater facit, hoc Filius contemplando imitatur. Qui vtique optimum & omnium bonorum maximum, Spiritum habendo in medio terræ operatus est per se, consequens est quod omnia possit sicut & pater: sed à se ipso non potest aliquid facere, in eo quod nihil contrarium Patri, vel ab eo alienum. Is potestatem suam clarificat, cum dicit: *potestatem habeo ponendi animam meam, & iterum sumendi eam. Nullusque tollet eam à me:* potestatem habeo vitæ & mortis, sicut & Pater. Propterea quos volo vivifico & illumino, dando eis

B Spiritum vitæ, & quos volo mortifico, & in tenebris dimitto auferendo eundem. Ergo non est contrarium à se ipso nihil posse facere illi qui est, vt vult facit, licet vult potestatis, non posse autem à se ipso subiectionis sit. Nam virtutis indemutabilitatem, potestatis coæqualitatem, communitatem Spiritus & omnia quæcunque habet Pater, præter singularem proprietatem habet & Filius, Etenim Spiritus dator est sicut & Pater: sed non convertitur, vt Paracletus Filij dator sit, remissionemque peccatorum facit per Spiritum quod non fieret, nisi à Filio mitteretur, & ex ipso coruscando sicut ex Patre procedere ad transitum pertineat, cum Deus ubique adsit: quia hoc idcirco dicitur vt causam intelligimus Spiritus sancti Filium, & credamus: quorum identitas pimeis quibusdam scinditur differentiis, quod hic, scilicet, sit Filius, ille vero Spiritus, & hoc solum est, quod inducit divisionem: alia vero omnia paria & indemutabilia sunt. Quare patet, quod neque facere, neque pati, neque actio dividit Filium à Patre in emissione Spiritus.

C

## CAPVT VIII.

Vbi & quando quid.

DE vbi vero & quando, palam est: quod non differunt Filium à Patre, in emittendo Spiritum. Nam vbi & quando, loci & temporis sunt exhibitiva. Sed neque, vbi locus, neque quando tempus est, quia locus natura prior est eo quod in loco. Similiter autem tempus, eo quod in tempore prius est natura, præexistentibus vtique loco & tempore natura. Dein alio adveniente ipsis, vbi esse dicitur quod in loco est, & quando quod in tempore, at vero ante Deum nihil est: secula enim omnia ipse fecit & spacium omne. Quare temporibus, seculis, numeris omnibusque est Deus superior. Enimuero si seculum eo antiquius fuisset, non vtique secula fecisset Deus. In nomine simpliciter dicto, tres personæ subintelliguntur: Pater, Filius, Spiritusque sanctus, quod Seraphim testantur tribus Sanctitudinibus glorificantia, & in vnam coeuntia dominationem, Deitatemque. Certe non modo tempori atque loco præexistit Deus, verum Angelis, Archangelis,

D Cherubim, Seraphim, omnibusque virtutibus, à quibus in tantum abest, vt non possint Dei substantiam cognoscere. Ex quo fit, vt nihil aliud nisi gloriam reddant Deo, pacemque hominibus bonæ voluntatis, dum sanctitudinem solam concinnunt, & quoniam plenum est cælum & terra gloria eius omnium quoque superiorum virtutum opus, laus Dei. *Laudate eum*, inquit, *omnes virtutes eius.* Qua de causa solus seipsum videt, creatura nulla videre ipsum potente: sed minus supernis rationalibusque substantiis homo, vt Paulus perhibet. *Quem vidit nullus hominum nec videre potest*: quia nec visibiles virtutes plene vt est, ipsum contemplantur: licet idem Salvator dicat: *Amen dico vobis, quia angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cælis est:* At vero is localem personam non habet, neque in cælis circumscribitur. Quare ad illud quod in Evangelio

E alibi habetur huc referendum est: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*: intelligentiæ scilicet oculo, quantum capere possunt. Quomodo angeli videre ipsum creduntur, qui puram & pervigilem habentes naturam, divinum imaginantur, prout eis possibile est. Substantiã vero divinam, nullus unquam vidit vt omnium conditricem, & ante omnia sæcula existentem. Manifestum igitur, neque vbi, neque quando impedire Filium, quin cum Patre Spiritum emittat.

## CAPVT IX.

SItum vero esse, cùm corporibus, scilicet, magnitudinum terminis superficiei, lineæ, aliisque insit, palam est, quod divinis nullo modo personis conveniat: vt enim localis habitudo facit esse vbi, & temporis habitudo facit esse quando, sic positionis habitudo situm

F esse perficit. At vero quæ in vita, virtutibus, principalibusque causis stabilita sunt, impropriè sita esse dicuntur. Cum supradictis & similibus situm esse accidat, & positionem habere, secundum locum, excepto corpore ἀπλανεῖ vniversa continente. Porro incorporeis situm esse substantiis non competit, nisi secundum metaphoram in Deo quis dicat sita esse omnia, vt in causa, & in principio. His itaque sic se habentibus, eundum est iam ex ordine disceptatum, vtrum habere dictam causæ communitatem dissecet vel impediat.

## CAPVT X.

HAbere igitur multa significat, vt Aristoteles in Categoriis perdocuit: de corpore prædicatur, & de incorporeo, & de corpore quidem, propter ea quæ circa corpus sita sunt particulariter, vt anulus circa digitum: & quæ circa corpus totum vt indumentum, penaliaque instrumenta, vt arma. Quorum quædam vt thoracem voluntariè habemus: quædam contra vo-

G luntatem, vt vincula nostra, quippe corpora cum dividua sint, extrinsecus adhærentia complectuntur. Cælum vero quia nihil extra se emittit, in se cohærentia intercludit, & vndique circumscripit. De incorporeo autem habere dicitur, vt de anima: propter prudentiam, sapientiam, & his similia. Sed enim & de eo, quod ex anima & corpore constat, habere dicitur: propter quædam incorporea, veluti propter quantitatem: bicubitum, tricubitum: & propter qualitatem, vt album, nigrum, & cætera talium. Quin etiam & de divinis duabus personis propter tertiam, habere suo modo dicitur. Vere enim dicitur, & Pater, & Filius quod Spiritum sanctum habeant. Nam si Spiritum Filius non habeat Patris, dignior persona est ipsum habens, Filij persona ipsum non complectente. Omnis enim cum Spiritu essentia dignior, & potior est, quam ea quæ Spiritum non habet, profecto animalia plantis, seminibus, herbisque digniora sunt, & ampliora illis, vt habentia Spiritum facere possunt. Atqui persona Patris indubitato habet Spiritum, Filij persona eundem non habente. Quare dignior est persona Patris quam per-

H sona Filij. Id quidem vt prophanum Christianorum professio abdicat. Igitur absque ambiguitate dandum Filium Spiritum habere, vt Pater. Quamvis enim Ioannes testatur sic, se *vidisse Spiritum descendentem manentemque super eum*, non tamen advenientem habere Spiritum credendus est vt Deus. Nam vt homo habet, sicut quidam demonstrant, hoc modo disputantes: Si hominum in animabus pie ac religiose degentium, non tamen absque sorde penitus existentium, Spiritus sanctus habitare pollicetur, multo magis in Christi anima quæ inviolata & immaculata, sine sorde semper existit: nullum omnino peccati vestigium habens, idem Spiritus habitavit, hoc Propheta vaticinabatur quando dicebat: *Propterea unxit te Deus Deus tuus, oleo lætitiæ præ participibus tuis.* Fratres Christi & participes secundum humanitatem sumus, oleum Spiritus signum

Christi sumus fratres. Oleum quid. Christus quomodo vnctus.

est,

A est, vnctus est autem Christus non vt Deus, sed vt homo. Nequaquam enim vt Dei Filius vngitur, sed caro Christi vera vnctione vncta est, adventu scilicet Spiritus sancti in ipsa Filij hominis conceptione. Et præ participibus, quia illi vt capere poterant particularis quædam sancti Spiritus emanatio tributa est. Ad instar enim humani Spiritus hominibus videtur distribui Spiritus sancti gratia, quemadmodum vtique is à cerebro descendens, per sensibiles nervos, non omnibus membris, sed secundum proportionem vnicuique potenti suscipere. Amplius, Plus potenti suscipere, modicum minus infundit, ita & largitio donorum, secundum proportionem fit vniuscuiusque animæ. Porro Dei filius nequaquam ex proportione habet, sed totum habet Pater, totum habet Filius, & eundem. Non enim alius est Patris, & alius Filij Spiritus, sed id m est: & eodem ab vtroque modo habetur. Nam
B in CHRISTO *plenitudo divinitatis corporaliter*, id est, perfecte habitat. Qua ex re iterum ostenditur, Deum Dei filium semper Spiritum habuisse. Nempe si Deus Verbum carnem animatam, anima rationali vt intelligibili vniendo sibi, secundum personam Spiritum accepit, ex incarnatione primitias Spiritus habuit, simul autem & aliquod perfectum. Quod si profecit, cum æqualis Deo, & ante hac existeret, maior Patre factus est. At non profecit Dei Filius, quia nullius vnquam fuit indigens, semper Spiritus habens plenitudinem: hoc ad Salvatorem prophetico David ore clamabat: *Emitte spiritum tuum.* Sed enim Apostolorum princeps manifestissime asserit, quod ante incarnationem Spiritum habuit Filius, in prima sic loquendo epistola: *CHRISTVS semel pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis vt nos offerret Deo, mortificatos quidem carne, vivificatus autem Spiritu.* In quo scilicet Spiritu, & his qui in carcere erant spiritibus adveniens prædicavit, qui increduli fuerant aliquando, quando expectabatur DEI patientia in diebus Noë,
C cum fabricaretur arca. Quare oportet vitam Filij non esse absque Spiritu, quam non modo ante incarnationem: verum ante mundi omniumque seculorum creationem habuit Dei verbum. Audiendus autem & credendus in his est Magnus in Theologia Gregorius, fidei Ecclesiæ Latinorum testimonium perhibens, in hunc modum: Spiritus sanctus erat quidem semper, & est, & erit, neque incepit, neque desinet, sed semper Patri Filioque coordinatur & connumeratur. Non enim decebat aliquando deesse Filium Patri, aut Spiritum Filio. Ecce vir sanctus proprium esse Filij Spiritum demonstrat. Nam si solus Pater Spiritus haberet, nequaquam idem *συμφυΐα* & *συμπνοΐα* vtriusque diceretur. Quare habet Filius Spiritum, sed non ex aliquo profectu, vt homo. Omnis quippe homo Energumenum habet Spiritum, & subinductum vt donorum eius existens indigus, atque beneficiorum: sic Apostoli cæterique Sanctorum: vt lumen, vt charisma, vt vnctionem, vt munus Spiritum habuerunt. Dei autem Verbum quod consummatissimum est, nihil indiget beneficio Spiritus, seu donationibus. Quippe non tantum vt
D homo, sed vt Pater Spiritum habet. Qua de re, cum potior incomparabiliter hominibus sit, incomparabiliter melius Spiritum habere oportet. Apostoli egentes, imperfecti, mortales, per gratiam Spiritu sancto repleti sunt, nec omnia Spiritus dona, nec omnes eius operationes habuerunt aliquando: nam vnum tantum virum, Christum, scilicet, septem mulieres, septiformis gratia Spiritus apprehenderunt. Impossibile enim est, ab aliqua creaturarum perfecte Spiritum apprehendi: at vero quem mundus capere non potest, cum insitum & ex se, ac secundum naturæ consecutionem habet Pater, habet & Filius. Qua de re, habere non discat processionem Spiritus ex Filio. Igitur, cum nihil sit quod disterminet processionem Spiritus ex Filio, quia neque intellectum vt substantia, neque vt quantitas, neque vt qualitas, neque vt quodlibet aliorum manifestum & evidens per demonstrationem positam

E factum est, vt æstimo, Spiritum sanctum ex Filio, vt ex Patre procedere, ac de his hæc dicta sufficiant.

## CAPVT XI.

VElim vtique iam & Sanctorum Ecclesiæ pastorum testimonia, quæ Spiritus existentiam ex Filio esse prædicant, latius omnium auribus insinuare, ni quædam communis omnium Græcorum opinio, quæ infirmanda est, cum cæteris hoc facere inhibeat. Asserunt itaque Græci æquivoce Spiritum dici esse Filij atque Patris. Quod ex verisimilibus colligentes, eos qui hoc negant inconvenientia plura sequi opinantur, sicut manifestum est ex his, quas inferunt conclusionibus. Aiunt igitur plures in divina scriptura voces inveniri, quæ similiter quidem proferuntur, intelliguntur vero
F dissimiliter, ut apud Lucam Evangelistam dicentem: *Iesus proficiebat sapientia & ætate, & gratia apud Deum & homines:* profecto si proficere illum in sapientia quis dixerit, consequens erit nequaquam ipsum scientiæ perfectionem habuisse. Rursus si neget in sapientia proficere, neque secundum ætatem debet habere profectum: qua ex re proficiendi verbum æquivoce audiri oportet: proficere enim significat ex parvo magnum fieri, & ab imperfecto, venire ad perfectionem, secundum quod significatum, ætate vere dicebatur proficere. Nam cum esset parvulus circa corpus augmentum suscepit, sapientiæ vero & gratiæ dissimilis erat profectus. Quippe non ex indocto doctus, & gratiosus ex ingrato, proficiendo fiebat: sed gratia & sapientia proficere apud Deum dicitur, quia gratior & sapientior videbatur esse hominibus quotidie quod revelaretur & manifestaretur in eo per singulos dies Spiritus sancti actio. Quare proficiebat verbum, licet vnivoce videatur dici, tamen æquivoce pronunciatur. Similiter autem & Pater nomen æquivoce accipitur, ab ipso Salvatore loquente post resurrectionem ad Ma-
G riam: *Ascendo ad Patrem meum & patrem vestrum.* Eodem modo suum discipulorumque nominavit Patrem, sed eodem modo non intellexit. Etenim Christi pater natura, discipulorum vero adoptione: Propheta quoque David, creaturam ad glorificandum invitans dicit: *Laudate eum omnes angeli eius, virtutes, dracones, abyssi.* Idem tres pueri psallebant: *Benedicite Dominum angeli Domini, imber, ros, & omnia nascentia in terra: filij hominum, sacerdotes, servi Domini.* Ecce similiter omnia benedicite Deum exhortatur, quantum ad prolationem dictionis, quæ dissimiliter intelliguntur. Rationales sane creaturæ per scientiam disciplinamque Dominum benedicunt: Irrationabilia vero, quia talium minime participant, non per se, sed per nos, qui cum simus rationales illa intuendo factorem nostrum ipsorum intelligimus Dominum benedicunt. Ait enim Apostolus: *Invisibilia eius à creatura mundi, per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur.* Etenim ex admirabili dispositione illorum quæ facta sunt, conditor omnium creaturarum pronunciatur. Sed enim Matthæus
H Christum conceptum esse de Spiritu sancto, & Maria virgine innuit sic dicens: *Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est.* At non est Christi Pater Spiritus sanctus, quia non ex eo est tanquam ex Patre, sed vt ex eo, qui præparavit vulvam fœcundam, consubstantiali Verbo, carnemque condidit absque lege commixtionis, divino prorsus, & ineffabili modo. Quo fit ut non Spiritus sancti Filius, sed sanctissimæ virginis, secundum naturam dicat & existat. Attribuitur autem huiusmodi opus Spiritui, propter sanctitudinem: & quia causativus est Patris & Filij, & alia similia, his annecti quamplurima possunt. Eodem vero modo Spiritum esse Filij, ac procedere ex Patre & Filio dicitur æquivoce. Hoc Nicomediæ Antistes sic distinguit: Quid igitur, inquit, dicemus, cum vnaquæque dictio differentes habeat significationes, & aliæ quidem pene cum infinitæ sint, ac omnibus notæ vbi mihi videtur,

Quare ex Spiritu cōceptus filius dicatur.

tur, prætermittendæ sunt: de illa vero sola quæ imminet, & proposita est nobis, nunc divisio facienda est, de hac scilicet, procedere. Potest enim significari vox ista procedere, vt aliquid de loco moveatur ad locum, potest autem significare mitti & dari, & hoc ipsum, quod nos profitemur, ex causa secundum existendi rationem provenire. Cum ergo Athanasius, Ambrosius, & si quis alius pater Spiritum dicit à Filio, vel per Filium procedere, non secundum existendi rationem dicit: absit, sed secundum alterum horum duorum omnino significatorum. Quemadmodum enim fatemur ipsũ Spiritum per filium manifestari, sic & mitti ab eodem & dari. Alius vero quidam: sic Spiritus sanctus ex Patre procedit, nequaquam autem ex Filio. Præsul vero Methonæ Nicolaus hoc modo: Licet Spiritus Filij, at non ex Filio est: aliud enim est Filij, aliud dici ex Filio. Equidem hoc eius quæ secundum naturam vnionis & familiaritatis significativum est, vtro modo dicatur, sive Spiritus, sive processibile, hoc autem, scilicet, ex Filio esse, illius quæ ex causa est productionis. At vero nequaquam. Quicquid secundum naturam alicui propinquat, hoc ex illo esse contrahit. Nam fratres secundum naturam propinquant adinvicem, alteruter enim alterutrius dicitur, ast ex altero, alter nũquam asseretur: aliquando, quia non est alterius alter causa, sed ambo rum Pater, & ideo ex solo Patre ambo: Sic igitur [illegible], tum dogmatos, quas putant redargutionibus fugere, capiuntur supra malitiam vaniloquium stabilientes. Nicetas vero Philosophus, non minus amara effundit. Ex dæmonis, inquit, odientis bonum prava consilio [illegible], id est, aberrantes, vel seducti, & quamplurimum à veritate absistentes, sanctissimum conditorem divinum Spiritum ex Filio procedere, vt ex parte, simili modo decernere conantur, Non intuentes miseri emergentem hinc foveam, & prophana quam multa quæ sequuntur.

## CAPVT XII.

HÆc quidem & alia quorum relatio necessaria non est ad præsens, Latinis peritissimi Græcorum obiiciunt, habentia quidem aliquas forte verisimilitudines, basem vero nec unam innitentem soliditati. Oportet certe quamlibet acute cernentem, aliorum delicta arguentemque convenientes inducere argumentationes, rebus illis quibus fidem negotiatur. Cæterum quæ dicta sunt, nulla comitatur demonstratio, nec à scripturæ quæ divinitus inspirata est testimoniis comprobantur, nec a sanctis Ecclesiæ pastoribus aliquem sortiuntur favorem, ob quam rem inutiles magis positiones sunt, quam demonstrationes. Æquivocationes quidem in divina scriptura omnes recipiunt, Spiritum vero cum æqualiter Patris sit Filiive procedere ab vtroque dissimiliter, non puto concedendum. Sed minime absque demonstrationis adminiculo, atque scripturæ divinitus inspiratæ testimoniis, sanctorumque Patrum sanctionibus inducor ad hoc. Et quidem arbitror quod illi fides parti tribuenda est, cui hæc quam maxime conveniant. Igitur adiuvante Sancto spiritu, plena veritatis contradictio prosiliat in medium, primum quidem similitudo ex fratribus assumpta reiicienda est. Nam valde dissimilis existit, & nullo modo fidem apta est facere, propter duas causas: vna, quod Filius non dicitur Spiritus sancti, vt fratrum alteruter, alterutrius: alia vero quia fratres absque medio ex Patre similiter per generationem prodeunt, nisi mediante forte quis matre dicat progredi ad lumen. Veruntamen quantum ad genitorem immediati vere pronuntiantur, filius vero atque Spiritus dissimiliter ex Deo Patre prodeuntes, minime per conversionem reciprocantur, vt superius ostensum est. Insuper nec hoc bene dicitur: ideo Spiritum filij esse, quod secundum naturam illi propinquet, eidemque vniatur. Eodem vtique modo, quilibet Patrem esse Spiritus profiteatur, quod substantialis ei sit, vnumque natura. Quare non ob hoc asserendum est Filij esse Spiritum, quod sit eiusdem naturæ, neque quod per Filium detur: quod nihil differt dicere, Filius ipse dat vt apparebit in sequentibus. Et quoniam Latinorum dogma infringere non sufficiunt, discutiendum quoque est, vtrum æquivocatio verbi procedere, obviet fidei Latinorum, secundum dicti præsulis opinionem, an non. Atqui non obviare sic ostenditur. Si non esse Filij sanctum Spiritum vocationem fugitat, neque dum asseritur Filij esse Spiritum multipliciter debet intelligi: huius propositionis fides ab Aristotelica investigatione trahitur dicentes Si quid secundum contradictionem alicui opponitur, non dicitur multipliciter, nec oppositum, vt non videre opponitur, dicitur autem non videre multipliciter, vno quidem modo non habere visum: alio vero, non vti visu. Quare necessarius & videre multipliciter dici. Vterque enim eorum quod non videt, opponitur quid ut ei quod non habet visum, habere, ei vero quod non vtitur visu, vti. Quare sine esse Filij Spiritum vno modo intelligitur, & esse vniformiter profertur: at vero non esse Spiritum, filij vnum semper falsum possidet intellectum non esse scilicet, de substantia filij. Nempe neque quantitas, neque qualitas, neque possessio, neque actio, nec aliquid huiusmodi aliud negatur, esse Filij: vnde nusquam in sacra scriptura, secundum aliquem verum sensum reperitur Spiritum sanctum non esse Filij, Inveniretur autem procul dubio, si non esse Filij Spiritum prædictarum aliquam significationum innueret. Item æquivoca non sunt comparabilia, ut alba vox, alba tunica: acutus humor, & acuta vox. Hoc enim non similiter alba vel acuta neque magis alterũ. At vero ex Patre procedere, ac Filio procedere comparabilia sunt: quoniã procedendo vnũ esse quod personaliter Spiritus habet, ab utroque similiter & æqualiter accipit. Quare non æquivoce dicitur, procedere Verbum de ambobus pronunciatum. Amplius: Quælibet trium personarum, aut præstat esse alteri duarum, aut accipit ab ipsa. Hæc per inductionem propositio, suscipit probationem: Pater à Filio alia persona est, eo quod per generationem ei esse præstat. In hoc enim differt à Filio, quod ei esse dat per nativitatem: rursus à genitore Filius differt, quod nascendo accipit ab ipso existentiam. Item à Spiritu sancto præter hoc differt Pater; quia esse illi dat dum ipsum emittit. At vero Spiritus sanctus non ob aliud alia existit à patre Persona, nisi quia ex ipso procedendo accipit. Igitur & à Filio dum alia sit persona, idem Spiritus aut illi esse dat, aut ab ipso accipit. Non autem dat, vt palam est, accipit ergo. Circa vnam enim & simplicem substantiam Patris, & Filij, Spiritusque sancti, aliam præter eas quæ dicta sunt, causam differre adinvicem vix quis rectæ fidei assignabit. Quare si alia est à Filio persona Spiritus, dictarum aliquam habitudinum ad ipsum habet. Sin autem non, ab ipso non est alia persona: igitur his prædictis proprietatibus, tres personæ adinvicem æqualiter differre habent, & non aliquibus accidentibus. Nihil enim in suprema Trinitate quod posset abiici, vel abesse. In quibuscunque autem subintelligitur aliquid huiusmodi accidens adiacet. Quare in supersubstantiali Trinitate non est accidens. Amplius: ubi accidens posterioris non abest intelligentia, quod accidens in alio prorsus esse habeat, quod autem in alio prorsus esse habet, & per se non potest existere, eo in quo est, quasi posterius reputatur. Propterea communis intelligentia de Deo non permittit accidens in eo intelligi. Ne quid circa divinum eo posterius consideretur, atque ex hoc sive actu, sive potestate, dissolubile cogitetur ac corruptibile: talis enim est existentia supervenientium secundum naturam, vt posse dissolui videantur. Restat igitur Patrem à Filio & Spiritu, æqualiter differre, Filium quoque à genitore ac Paraclito, similiter Spiritum à Patre & Filio. Qua ex re quantum filiatio Filium differre à Patre facit, tantundem paternitas à Filio Patrem. Quibus vere positis & concessis, aut Pater secun-

A dum emissionem Spiritus nihil differt a Filio, aut amplius Pater a Filio differt, quam à genitore Filius. Si enim generatione sola insignitur Filius, generare vero & emittere Pater, pluribus differentiis a Filio Pater quam Filius a Patre differt. Generare vero ac mittere, duæ proprietates sunt, quibus Pater verisque à Filio differt. Hoc autem inconveniens haud puto aliter vitari posse, nisi confitendo quod Patris & Filij commune sit Spiritum emittere. Per id ambos eodem differre modo a Spiritu. Iuxta vero huiusmodi rationem credendum est quod Filij & Spiritus commune sit ex eadem persona existentiam habere, in quo par eorum ad Patrem differentia intelligitur, etsi alter quidem per nativitatem, alter vero per processionem vt frequenter commemoratum est splendeat. Sed hoc æquivocationi non debet putari obnoxium, cum inter creaturas absque vlla æquivocatione multo differentiora reperiantur, B vermis quippe ac Elephantus ex eodem genere esse habent. Animal enim hoc genus amborum, sicut cæterorum causa existit animalium. Quod sicut ab eis æqualiter participatur, sic de illis vnivoce prædicatur, & amborum causa dicitur univoce. Verum alter absque semine naturam adipiscitur animalis: & sciendum quæ per generationem ad esse prodeunt, non simul fieri & existere: quod præveniat eorum generationem substantia, præterea est quidem aliquid horum, quæ fiunt vsque quo perficiatur, vt Leonis, & similium. Idem in arboribus herbisque invenire contingit. Nam eorum quædam ex seminibus, quædam vero sine seminibus ex terra, vt ex sua causa progrediuntur: quibus secundum hoc commune causativum esse nullus ambigit. Amplius. Quæcunque alterantur non eodem modo alterationem suscipiunt. Contingit enim repente alterari, & non prius dimidium, vt aqua congelari, argenteum quoque vas, mox vt aquam calidam susceperit, calere. Interdum autem vicinam partem à cohærente calefieri, aut congelari. Postremo generis & differentiæ commune est de pluribus prædicari, sed C alterum in quid, & alterum in quale: nec idcirco alterari vel prædicari æquivocatio amplectitur. Sed affirmationi quoque ac negationi, privationi, & habitui, contrariis, & relativis commune, vt pluribus, & maxime notis, visum est opposita vnivoce dici. Attamen affirmatio & negatio in oratione consistunt, in rebus autem privatio & habitus, quorum alter tantum, scilicet habitus, secundum naturam est. Nam privatio, in eo quod privatio, semper contra naturam est & relativa quidem licet ad aliud & ad aliud de eodem prædicantur, contraria vero nequaquam, vt ex diffinitione eorum patens est. Quidquid re talis proveniendi modus prænominatas voces non facit æquivocas: ad hoc autem adiiciendum, quod Patris & Spiritus commune sit, immediate habere ad Filium, *ex quo paritas vtriusque differendi à filio discernitur. Congruum proculdubio est per omnia, divinaque dignum Maiestate, vt sicut per substantialia non superat alium alius, ita & differentiarum excessus non reperiat locum. De insignitivis autem proprietatibus, certissimum est quod intelligi faciant tres personas, paribus D distare differentiis: fugit nimirum Trinitatem elementorum, aliarumve creaturarum assignatio; quæ quidem secundum magis & minus differunt. Aqua enim non habet tantum gravitatis, quantum ignis possidet levitatis. Ideoque magis à terra, quam a liquido elemento, per levitatem differt ignis: at vero Pater quantum differt à Filio, tantum differt à Spiritu. Similiter autem Filius tantum differt à Patre, quantum à Spiritu, Spiritus quoque tot differentiis à Patre distat, quot & à Filio: hoc autem ex eo dignoscitur, quod circa vnamquamque personarum, par proprietatum numerus reperiatur, sive singulares sint illæ habitudines, sive non; hoc modo: Spiritus solus procedit, solus imago Filij est, & solus mediate Patri copulatur. Est autem ei commune cum Filio, ex eadem persona existentiam habere & cum Patre immediate

E habere ad Filium, Filius quoque solus gignitur, solus splendor & figura substantiæ dicitur: & solus immediate ad Spiritum, & Patrem habet. Emittit autem cum Patre Spiritum, & ex eadem persona cum Spiritu accipit existentiam: Pater etiam sine causa existens solus esse præstat duobus simul, secundum quam significationem amborum causa vnivoce pronuntiatur: ex quo vterque causativus dicto tenore dicitur, solus generat, & solus mediate se ad Spiritum habet. Atqui cum filio emittit Spiritum, & cum Spiritu immediate habet ad Filium. Quod si filius nihil commune cum Patre personaliter haberet, communicat autem Spiritui vt dictum est, ex eadem persona existentiam habere, magis à Patre differt quam à Spiritu. Rursus si Filius Spiritui, & Spiritus Filio aliquid communicat vt persona cum Patre, aut neuter aliqua proprietate iungitur, pluribus alteruter differentiis à Patre F quam à se dividitur. Hæc igitur & quæ in ante expositis distinguuntur, sunt differentiæ, seu proprietates, vel habitudines, quæ circa tres personas considerari possunt, absque fidei periculo: præter quas haud multas inveniri posse arbitror, quæ cum istis in eadem portione numerari debeant. Sed in omnibus his atque similibus magnopere attendendum, & quod mediatum, & immediatum, propinquum, & quicquid simile; non vt temporis aut localis positionis, aut spacij, aut remotis, aut magnitudinis significativa dicuntur, sed omnia ut beata dignum Trinitate accipienda sunt. Quod si apud sanctorum aliquid legere in Trinitate non esse ordinem, intellectum dat auditui, quod omnem transcendat ordinem. Quomodo non esse aliquid eorum quæ sunt Deus dicitur, non quod sit, sed quod super omnia entia sit. Nempe si ordo tollatur, non sit Spiritus tertius & Filius à Patre secundus, ut Christus tradidit, Magnusque Basilius testatur: nec Pater sit Filij, Spiritusque causa, nec Filius sit ex Patre, nec amborū Spiritus censeatur. Idcirco est in Trinitate ordo, etsi ab homine impossibile sit sciri qualis sit. Et G immediate quidē Filius, mediate vero Spiritus ex Patre proveniunt. Ait enim Damascenus, per Filium datur Spiritus, & ab omni creatura participatur: & Nicenus Gregorius scribit ad Aulalium, hoc quidem credimus esse causam, hoc vero ex causa: & eius quod ex causa est, rursum aliam differentiam intelligimus, hoc quidem proxime de primo, hoc autem per proximum de primo.

## CAPVT XIII.

MAgnus quoque in Theologia Gregorius idem perhibet: Spiritus sanctus Patri & Filio coordinatur, & connumeratur, itaque non expedit Filium à Patre in emissione Spiritus separari. Enimvero ex tali divisione funiculus æqualitatis differentiarum rumpitur, salutis nostræ minuitur fides, trium personarum magnificentissimus ordo in irritum cadit, & magis & minus, multum & parum, inalterabili commiscetur Trinitati. Quod solum cogitare prophanum est, & plenum execrationis: æqualiter enim, vnaquæque trium H personarum ab altera differt vt ostensum est, æqualiter convenit nihil impediente, quod Spiritus amborum dicitur, & vere existit, quod sic verum ostendi potest. Spiritus Filij est, aut ratione naturæ, aut ratione gratiæ, at Dei verbum nihil ex gratia, quia Deus est, possidet. Quare nihil adiectum, nihil habet nuper adveniens, sed vt à principio constiterunt exuberantiæ divinæ ratione consistunt naturæ, videlicet, naturaliter. Non enim vt cætera viventia, vitam Spiritumque attributionis causa possident, sed ut Filius ex Patre naturaliter Spiritum habet. Qua ex causa rursus ostenditur, quod vnivoce Patris Filiique Spiritus esse dicatur, æqualiter & indifferenter, à Patre missus & à Filio: quod Ioannes qui meruit Chrysostomus censetur, super Ioannem his verbis affirmat: Intuere, inquit, qualem inducit, *cum venerit Paracletus quem ego mittam vobis*, ipse testis erit

A fidelis: etenim *Spiritus veritatis est*: Propterea
non Spiritum sanctum, sed Spiritum veritatis ipsum
vocauit, qui à Patre procedendo diligenter omnia no-
uit, sicut & ipse dicit de seipso: *Scio unde venio &
quo vado*: Ecce, inquit, nequaquam Pater solus, sed
& Filius mittens est. Quis igitur contradicere audeat,
tantæ sanctitatis viro, omnibus manifestissime quod
ambo Spiritum mittant, & asserere quod à Patre ac
Filio Spiritum mitti æquivoce ac non eodem modo
pronuntietur? Quod si æqualiter ab alterutro Spiritus
mittitur, alterutri missionis Spiritus causa æqualiter
est, & verax est Christus qui hoc dicit, & dictus Ioan-
nes magistro testimonium perhibens, mendacij reus
non invenietur. Si igitur Filius mittens, & mission is cau-
sa, & ex causa est, nihil inopinabile sequatur, quod
B Spiritum emittit, sicut mittit. Nam si homo secundum
naturá & ex propria voluntate corpulentum suum Spi-
ritum respirat, & inspirat, multo magis Dei Filius
Spiritum suum mittit & emittit: æqualiter Patri perfe-
ctè ac eodem modo ipsum complectens, absque dimi-
nutione. Ex quo patet iterum quod Filius Spiritus
sancti quædam causa existat naturaliter, vt ipse Pater:
dubitabit autem aliquis si ratione naturæ Pater Filius-
que Spiritum mittunt, nequaquam Spiritus suæ ipsius
missionis expers sit. Nam quæ naturæ ratione insunt,
tribus æqualiter congruunt personis. Ad quod dicen-
dum, quod non omnia quæ naturæ ratione insunt, na-
turæ aut natura sunt, vt videre quidem naturale est,
attamen posterius in specie fit ratio[...]. Similiter autem
nutriri, respirare, moveri, secundum locum animali
adsunt, & nihil horum ex animalis natura existit. Item
animantia naturaliter producunt pontus, tellus quoque
plantas, animalia, herbas, quorum nullum delluris
seu ponti natura est, sed producunt ea ex ingenita &
naturali aptitudine quam habent. Iuxta vtique talem
modum mittere naturaliter ac emittere Pater Filiusque
dicendi sunt: hoc est, non adiacente, nec postmodum
C adveniens extrinsecus, & hoc merito: namque suf-
ficiens & perfecta est missio Patris, quæ in eo vno
solo filio adimpletur. Cæterum, si plures Pater filios
haberet, posset dicere aliquis: hunc non omnia quæ
Patris sunt habere, nec cum Patre adimplere Spiritus
emissionem. Nunc autem vnus est Filius Dei vnige ni-
tus, verusque Deus, qui vt suum mittit Spiritum, sic
esse tribuendo emittit: quod Magnus Basilius in tertio
adversus Eunomium sermone patenter affirmat, dicens
sic: Quæ vtique necessitas si dignitate atque ordine
tertius existit Spiritus, tertium esse ipsum & natura? di-
gnitate namque secundus à Filio, ab illo esse habens, &
ab eo accipiens nobis annuntiat: & omnino illi causæ
innixum traditur sermo pietatis. Natura vero tertium vti
neque à sanctis scripturis addocemur. Neque ex his
quæ dicta sunt per consequens syllogizari possibile.
Quemadmodum enim Filius ordine quidem secundus
est à Patre, quoniam ab illo & dignitate, quia princi-
pium & causa est Pater, & quod per ipsum accessum
habemus ad Deum & Patrem; natura vero neutiquam
secundus, eo quod Deitas in alterutro vna. Ita ma-
nifestum quod Spiritus licet ordine Filio supponatur ac
D dignitate, nequaquam vtique quod alienæ sit naturæ
consequatur. Hinc manifestum: angeli omnes sicut
nuncupatione vna, ita & natura omnino idem sunt
adinuicem. Et post pauca: Spiritus sanctus Filio digni-
tate supponitur & ordine. Accepimus enim ipsum ter-
tium à Patre numeratum, ipso domino tradente ordi-
nem: in quibus dixit: *Euntes baptizate in nomine Pa-
tris & Filij & Spiritus sancti.* Sed forsan opponet ali-
quis vbi causa ibi prius & posterius: sed in superex-
cellentissima Trinitate non est prius & posterius, qua-
re nec causa: ad quod convenienter responderi potest,
quod de sole ac eius splendore sermo superius enodauit,
prius quidem & posterius in ipsa non debet dici, pri-
mum autem & secundum quantum ad ordinem ineffa-
bilem, si dicatur, non longe forsitan aberit, rectitu-
dini. Est namque in sancta Trinitate princi-
pium, causa, & ordo. Nempe filius à Patre numeratur, E
& Spiritus à filio: quo in ordine Spiritus a Filio se-
cundus est. Quod autem secundum est, ab aliquo pri-
mo secundum est, vt a causa, ex qua nomen sortitur huius-
cemodi. Hoc sciens verum esse, Nyssæ Gregorius testi-
monium Basilio, imo veritati perhibet, in quibus
scripsit ad Ablabium dicens sic: Immutabilitatem na-
turæ confitentes, eam quæ secundum causam, & eius
quæ ex causa differentiam non inficiamur. In quo
solo discerni alterum ab altero deprehendimus,
dum hunc quidem causam esse credimus: hunc
vero ex causa, & eius qui ex causa est, rursus aliam dif-
ferentiam intelligimus. Nam hic quidem proxime de
primo, hic autem ex primo per proximum. Et post
modicum: Personas quidem in sancta Trinitate causæ
discernit ratio, hanc quidem absque causa esse, hanc F
vero sanctam esse ex causatiuo. Ecce Dei prolocutor
iste vir manifeste depromit, quod ex causatiuo Spiritus
est, videlicet ex Filio. Igitur si verus huius magni viri
sermo, quoniam causa Spiritus sancti Pater, aut imme-
diate, aut cum medio, existit. Si immediate non pro-
cedit, ex primo per proximum & mendacij obnoxius
Sanctus vir deprehenditur, qui hoc conscripsit. Quod
si per proximum procedit, oportet Spiritus sancti quan-
dam causam verbum Dei Patris existere, aliquamque
ad ipsum habere habitudinem. Quo fit vt solus Filius
ex genitore suo immediate splendeat, quod nihil inter
ipsos possit intelligi, & Spiritus intrepide sit ex Patre
ac Filio, quia omnia quæ adsunt Patri, adsunt & Filio:
excepto quod hic non dicitur Pater, nec ille Filius.
Nihil habet demutatum, quod aliud sit à Patre, sed idé.
Propterea Sanctus Spiritus secundum dictum ordinem
existens amborum communis est, qui ordo propter cau-
sam, & id quod ex causa est apparuit in superexcellen-
tissima Trinitate. Verum cótra hoc Eunomius oblatrat,
dum omnem ordinem posteriorem esse asserit, illo qui
est ordinis: cui Magnus Basilius his sermonibus
respondet: Ordinum alius est naturalis, alius adven-
titius. Naturalis quidem, vt creaturarum secundum G
conditrices rationes dispositos, positio quoque nume-
rorum & causarum ad ea quæ procedunt ex ipsis habi-
tudo: adinventitius autem & artificialis, vt in assertio-
nibus & disciplinis aliisque huiusmodi. Cum ergo ali-
qua ordinis species non ex nostro placito consistens,
sed ex naturæ consecutione proveniens: sicut est ignis
ad lucem, quæ ex ipso est. Et infra: Nos autem secun-
dum carnem adeo quæ ex causis sunt habitudinem præ-
ponit Filio Patrem dicimus, secundum vero naturæ dif-
ferentiam nullo modo, neque secundum temporis emi-
nentiam: & huc vsque sanctus. Porro divina natura,
quia vere vnitas est in simplicitate manens, omne tem-
pus, omnemque ordinem exsuperat, & neque multum
neque parum ab vno absistit, quod eius esse nunquam
disgregatur. Vbi enim disgregatio, multitudo cum vno
& totum partesque apparent, & tempus oportet esse
mensuramque disgregationis: vt ne ab vno absistentia
ad infinitatem eant, propterea multitudo quidem nu-
mero mensuratur, distant a vero secundum superficiem
termino magnitudinis, quorum quidem multitudo per
divisioné ad indivisibile reducitur. Magnitudo vero per H
divisionem trahitur, in infinitum. Cuius rei hæc est ra-
tio, vt Geometræ perhibent: Quod magnitudo fantasti-
ce intelligitur: multitudo autem opinabiliter, termina-
tur autem magis opinio, & in vno stetit, fantasiæ
vero multitudinem infinitam habent. Propterea fanta-
stica infinita sunt & magnitudines quidem, quia fan-
tasticæ infinitæ sunt, atque illarum sectio: vel quo-
niam magnitudinum novissima possibile vnum fieri
continuum, multitudinis autem non, eo quod vni-
tates cum sint indivisibiles, non habeant extrema
propter quod non fit vnum ex eis continuum. Sola
denique divina natura, nullo modo mensuratur, quia
universa continet, ignoratur accidentibus extra, nullo
modo locatur, quia impassibilis est: cui quoque nihil prior-
sus iungari potest, non tempus, non sæculum, nec

A ordo, & sicut nihil quod divinitatis sit disponi potest sub alio: ita nihil divinitati, neque divinis personis connumerari potest: licet enim scriptum, *visum est Spiritui & nobis*, non tamen seipsos connumerant Spiritus potestati, sed subiiciunt: vt ab ipso repleti prudentia, & scientia qui Deus est Trinitate non discissa nec seiuncta natura. Quoniam tres personæ non sunt tres Spiritus, sed vnus: sicut vnus Deus.

## CAPVT XIV.

VT de his satis superiùs disceptatum est. Quapropter vnde sermo Spiritum à Filio mitti, & ex eo existentiam habere Magnus Athanasius ad Serapionem scripsit dicens sic: Quemadmodum *γέννημα* vnigenitus est Filius sicut & Spiritus à Filio datus & missus vnus est, & solum Spiritus qui ex Patre dicitur procedere, pro eo quia de verbo quod ex Patre est, manifeste splendet & mittitur atque datur. *Ille* enim, inquit B *me clarificabit*: non vt creatura, sed vt Spiritus veritatis huiusmodi naturam & ordinem habens ad Filium, qualem Filius ad Patrem habet. Similia his Magnus Basilius ad Amphilochium scribit, inquiens: *Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est eius:* vnde solus dignè clarificat Christum, non vt creatura, sed vt Spiritus veritatis patenter in se ipso veritatem demonstrans: & vt Paracletus in se ipso insignit mittentis se Paracleti bonitatem, & declarat magnitudinem, ex qua provenit. Ecce in hoc loco sancti duo hi viri pleni Deo, manifestè asserunt Spiritum ex Filio provenire. Liquere debet igitur, cuilibet intelligere volenti, ex his quæ dicta sunt, quòd ex Filio est Spiritus, & ipsum clarificat, & non filius Spiritum: Filius autem clarificat Patrem, secundum quòd ex ipso est, non Pater Filium, nisi secundum humanitatem. quòd Evangelista declarat cùm dicit: *Eleuans Iesus oculos suos ad cælum dixit: Pater venit hora clarifica Filium tuum, vt & Filius clarificet te.* Sanè vt Deus & Verbum existens Patris tempus non habuit, homo autem factus, dicendo *venit hora*, demonstrat vnicuique hominum tempus esse mensuratum, & tempus non fortuitum, vt quidam Gentilium dicebant, sed quod ipse qui est conditor temporum prout voluit destinauit C cuique. Quare in hoc loco gloriam quæ extrinsecus in passione patefacta est nominat, & non propriam solùm, sed etiam & Patris: Qua non Filius solus, verùm & Pater clarificatus est. Equidem ante crucem Iudæi, non adeò, vt priùs, ipsum cognoscebant. *Israel enim me non cognouit, & populus meus non intellexit me*: post crucem verò mundus post ipsum cucurrit, quia quantò maiora quæ circa Filium fiebant paruerunt, tantò maior Pater monstratus est. Clarificata est carnis natura incorruptibilitatem accipiendo, regni thronum adepta. Ideoque dicit: *Clarifica me*, humanam scilicet naturam, quæ nunc contumeliis afficitur, crucifigenda post modicum, & induc in gloriam quam habui apud te. Filius ego tuus priusquam mundus esset. Quare dum dicit *clarifica me*, humanitatem demonstrat; cùm dicit *claritatem quam habui*, divinitatem. Vtrunque enim, vt vnus & idem pronunciauit, propter personalem duarum naturarum D proprietatem & concordiam. Igitur gloriam secundum hominem quærit. Nam secundum Deum antequam mundus esset, habuit semper eus. Non enim qui non est clarificatur: porrò si gloriam non habuisset mentitus fuisset Evangelista qui dixit *Et vidimus gloriam eius*; & Apostolus: *Nunquam Deum gloria crucifixissent:* David quoque: *Introibit Rex gloria.* Qua de causa, non secundum quòd Deus est clarificari, sed secundum humanitatem quærebat. Vtraque fortitan gloria intrinseca scilicet, & extrinseca. Est enim gloria intrinsecus, vt in sole claritas: alia verò extrinsecus adveniens, vt honoris, scientiæ, laudis, ac similium. Et Spiritus sanctus me clarificabit, quia in nomine meo donationes & operationes faciet: hoc est E in mea virtute: vt existentiam à me accipiens: hoc enim significat, & non aliud, *de meo accipiet.* Nunquid non habuit Spiritus? absit: Sed hoc dictum est vt personarum ostenderet distinctionem, & quod ex Filio esse habeat Spiritus. Si Filium igitur clarificat Patrem, non Pater Filium, nisi secundum humanitatem (vt anteriora edisserunt) & Spiritus Filium, non Spiritum Filius, oportet ex Filio Spiritum prouenire, sicut magni Athanasius & Basilius asseverant. Amplius. Filius non accipit de Spiritu, Spiritus autem accipit de Filio, in profundo eius existens. Quippè si extrinsecus manendo, ex Filio accipiat, aut scientiam, aut quidlibet aliud, rei habere alicuius credatur indigentiam. Atqui nullo indiget, quare si commanens in Filio, ab ipso accipit dum est in Filio, ab ipso procedit. Cùm enim omnia quæ Filius habet, Spiritus habeat, immachinabile prorsus videtur, ob aliam causam de Filio accipere, nisi quia est, proceditque ab ipso. F

## CAPVT XV.

HIs itaque per demonstrationes necessarias, argumentationes, Sanctorum quoque autoritates patefactis, restat, vt valde necessarium, ostendere, nequaquam Latinos esse reos Evangelicæ illius enunciationis quæ dicit: *Spiritus veritatis à Patre procedit.* Propter quam à Græcis suprà iustum bonumque mordetur Latinus omnis. Equidem nimium acriter Latinorum in hoc fidem Græci dilacerant, & magniloquis sanctionibus adinuentis, vt contemptores, vt prævaricatores, vt desertores Christianæ legis, ab Ecclesia & Christiana fide iudicant alienos. Igitur quosdam nunc, & eorum adhuc morsus, ne qua prætermittatur congrua responsio, licet secundum volumen contumeliosas Photij redargutiones, super idem capitulum, confutauerit, expono lectoribus. Aiunt ergo, Qui Spiritum sanctum ex Filio procedere, vt ex Patre asserere conantur, sui dogmatis securitatem non habent: magis quidem cum omnibus veracior ipse Dei & Patris consubstantialis coæternusque Filius, qui omnia cognoscit, quæ sunt Patris, & quæ sunt Spiritus, nihil minus habens ad Deum Patrem & ad Spiritum, quàm ad se, qui propter nos, & secundum nos homo G factus, propter investigabiles divitias bonitatis suæ, vt saluaret humanum genus, & ad pristinum restitueret, quando perfectiora regni sui mysteria Discipulos edocuit, sancti Spiritus adventum eisdem promittendo dicebat: *Alium Paracletum:* vt me Deum natura existentem, Deum verum, & lumen verum, vitamque sicut ego & Pater *vobis mittam*, qui omnium consolationem suscipit. Ideoque Paracletus est, & vocatur *Spiritus veritatis, qui à Patre procedit*: non dixit qui à Patre, & ex me Filio procedit. Quid enim prohibebat hoc dicere, si sermo sic habebat veritatis, vt ne qui veritas est, videlicet, ipse Dei & Patris Filius, falsiloquus inveniretur. Quoniam verò non sic dictum est, sed solum *qui à Patre prodit*, & non adiectum est in Dominico sermone, ex ipso Filio: manifestum vtique, quod hoc decernere tẽtantes, adversus dominica verba, reliquasque sacras voces. Apostolicas traditiones, & cõmunes conceptiones de Deo: sed enim cõtra sanctas & H vniversales synodos, semperque memorandos Patres insurgunt. Qui si, vt æquum est, ad viam redire veritatis velint, gratias Deo, qui non vult mortem peccatoris, sed vt convertatur, & viuat. Sin autem salutem amplecti nolunt, hoc vt ἀποτροπαίους, id est, fugiendos, odiosos, impiosque quicunque rectè sentire vult (& cũ sancta vniversali Ecclesia, quæ à finibus usque ad fines terræ fidem rectè tractat, credere, atque consistere appetit) abiiciat, & nullo eos verbo dignos adiudicet. Hæc sunt missilia & alia plura his, quibus integrescit odium, quæ sola dicti capituli occasione Græci male in Latinos mussitant. Senium quidem attendere indiciis virtus est, oratoris autem vera dicere, vt ait Socrates: Frustra certè huiuscemodi tã multa, & non quibuslibet appellationibus

A iaculantur. Non sunt Latini ex Terebyntho seu quercu, nec de lapidibus exorti, sed ex hominibus, disciplinarum peritiam aliquatenus habent, & sacræ Scripturæ nequaquam expertes sunt: qui suum idioma, vt singulare habent, prout patet illis, qui eius habent experientiam. Et ergo consuetudinis est, vt cùm solius Patris vocabulum pronunciet, Filium cum Patre faciat intelligi. Interdum etiam sola Christi nuncupatione, vnaquæque trium personarum intelligitur: quod monstrari ex pluribus potest. Enimuerò solus intelligitur Pater, in his tamen prædicamentis, quæ incidunt paternum proprium. At verò emittere prædicamentum, haud solum incidit paternum proprium. Quare in emittere prædicamento non solus intelligitur Pater. Scriptum est: *Erat lux vera*: nec ideò falsa lux est Pater vel Spiritus: tres enim personæ, vnum lumen existunt indifferenter, & indemutabiliter: quia
B nihil in nouationis habet Filius ex eo quod dicit: *Omnia quæ dedisti mihi*: sicut nec Pater ex eo quod scriptum est, *cùm tradiderit Filius regnum Deo & Patri* quia non et vt possessionem donando tribuit, sed vt Filio & hæredi vniuersorum quæ Patris sunt, Christo, scilicet, qui est Dei virtus, & Dei sapientia. Amplius: de consummatione Saluator discipulos instruens dicit: *De die illa & hora nullus scit, neque Angeli in cœlo, nisi Pater solus.* Quis cogitet Filium exceptum esse, seu Spiritum ab illa cognitione? Propterea quidam illud Euangelij, sic distinguendum esse putant. Nullus hominum, sed neque angeli sciunt diem & horam illam. Quod autem ex ordine sequitur, seorsum legendum, neque Filius, nisi qui solus Pater cognoscit. Est autem & huius eiusdem capituli apud sanctum Epiphanium, in Libro qui vocatur ἀγκυρωτὸς alia expositio, quæ talis est: Pater scit diem duobus modis, secundum naturam: Scit enim quando veniet: & secundum actum. Iam enim indicauit quando diffiniuit indicare illum: Dei verò Filius scit quando veniet,
C & cùm ipse facturus sit illam, non ignorat: nondum enim secundum cognitionem peregit. Adhuc enim impij, impiè agunt: infideles infideliter: male credentes, blasphemant: diabolus operatur: peccata regnant, iniquitas obtinet: & iudicium patienter expectat, donec veniat ipsum cognoscere actu ad faciendam vltionem, & saluandum illos, qui in veritate superauerunt ipsum, non blasphemantes eiusdem Deitatem Patris &, Filij, sanctique Spiritus. Ab angelis verò deficit duobus modis huiusmodi dignitas & gloria, secundum cognitionem, & secundum actum. Non enim sciunt quando veniet Pater, Filius sanctusque Spiritus expromere diem illam secundum cognitionem actus. Nondum enim missi sunt exire ad colligere impios, vt zizania & ligare per fasciculos ad comburendum in igne inextinguibili: Nondum vtique fecerunt neque sciunt, Pater verò scit, regit: hoc enim est, nisi Pater solus: neque angeli, neque Filius, tacendum est multotiens quod ex necessitate sequitur. Vbi enim Patris memoria & Filij non excluditur, excepto quod non generat vt sæpe dictum est. Nam postquam resurrexit à mortuis, antequam ascenderet in cœlum, interrogabant eum discipuli dicentes: *Domine, si in tempore hoc restitues Regnum Israël?* ait:
D *Non est vestrum nosse tempora vel momenta quæ Pater posuit in sua potestate.* Ea perfectè & absque diminutione qualibet Filij existunt. Omnia enim ipse fecit, & quomodo consequens temporum factorem tempora ignorare? Igitur sicut falsum est, Dominum non habere consummatissimam illorum temporum & illius diei scientiam, quòd dixit: *Nemo nouit nisi Pater solus*: &, *quæ Pater posuit in sua potestate*: Ita non est credendum Filium non emittere spiritũ, quod is dixerit *qui à Patre procedit*: & non adiecerit, à se Filio. Quòd si pro eo, quod ibi scriptum est, manifestè Spiritum ex Filio procedere, neque credere oportet, propter eandem causam, neque dicendum, neque credendum erit, quòd Spiritus apud Deum erat. *In principio erat*, Deus

E ex Deo erat: lumen verum, terræ cœlique factor, & quòd Deus Trinitas sit, tres quoque personæ vnus Deus, cùm neque hoc nomen persona, neque hoc nomen Trinitas, sancti Symboli editio expressit. Amplius. *Quicunque*, inquit Apostolus, *in Christo baptizati estis, Christum induistis*: at nusquam sine Spiritu sanctificatio perficitur, sed in Filio Patrem, Spiritumque significauit: & alibi: *Nemo cognouit Patrem nisi Filius, aut cui voluerit Filius reuelare.* Quo in loco Spiritus non nominatur, & tamen intelligitur. Nam Spiritus sanctus & Filium cognoscit & Patrem: apud Mathæum loquitur Saluator: *Nolite*: inquit, *solliciti esse dicentes*: *quid manducabimus* &c. *Scit enim Pater vester cœlestis quod his omnibus indigetis.* Et rursus: *Si ergo vos cùm sitis mali, scitis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester qui est in cœlis, dabit bona petentibus se*? ergo non dabit eadem filius bona, quæ
F cunque dat Pater & Filius? Et iterum: *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Nunquid dum Patris Spiritum esse profitetur, eundem Filij abnegat esse? sed scriptum est: *Spiritum filij sui misit*: si ergo in memorato capitulo, scilicet, *Spiritus qui à Patre procedit*, intelligendum est solo, hoc intelligendum est solius, & solum, vt syllogistica necessitate inferri possit, Spiritum esse Patris solius, & non solius: & Filij solius, & non solius: quod quàm sit impossibile, minimè fouet latebras. Igitur vbicunque de Patre dicitur aliquid, nisi ad personalis distinctionem proprietatis, vocabulum Patris proferatur, vt est Pater dicitur, quia generat, quo in loco non subintelligitur cum eo generare Filius. Idem de Filio intelligi oportet: vnde cùm dicitur: *Qui à Patre procedit*: qui non nominatur cum Patre, subintelligitur necessario. Regula enim est quæ dicit: Si quod minus videtur inesse, inerit & quod magis: veluti futurorum seculum Filius, vt scriptura perhibet, iudicabit, cuius iudicij primatus, signanter ei attribuitur, vt dispensatori omnium conditorum, quæ ipse ab initio ex nihilo ad esse produxit: vt duplicem iudicandorum scientiam possidenti, propter quod in
G regeneratione, resurrectione, ac reformatione ipsum iudicem æquissimum est sedere: legislatorem noui testamenti. Attamen quæ non nominantur personæ, subintelliguntur. Licet enim humanum tormentum ipse assumpserit, in quo passus & tentatus, possit tentatos, sine interpellatione vel exhortatione, non tamen absistente Patre vel Spiritu: nam quod Filio attribuitur, à Patre non abnegatur. Igitur frustra Spiritum procedere, pro eo solo quod scriptum sit: *Qui à Patre procedit.*

## CAPVT XVI.

Calcedonensis Synodus sexcentorum et triginta Patrum.

POstremò nequaquam convenienter de verbis Græci sarciunt calumniam: quippè idem faciunt quòd illi, qui detrahebant quartæ ac vniuersali Synodo quæ celebrata est, regnante Martiano, sexcentis & triginta sanctis Patribus congregatis Calcedone, aduersus Dioscorum Antistitem Alexandriæ, ac Euthychem Archimandritam Constantinopoleos, qui ob incarnationem blasphemabant, & fugientes Nestorij diuisio-
H nem, duos Filios inducentis, in aliud ex proposito malum præcipitabantur. Namque duas naturas, Deitatem, scilicet & humanitatem post vnitionem, in vnam redactas fuisse naturam, impiè sentiebant: vt secundum hoc Deitatis passiones congruerent, quos anathematizauit Synodus. Similiter autem & Nestorium qui talia vociferabatur. Non peperit, ô potissime, Maria Deum, sed peperit hominem, instrumentum Deitatis: sin autem hic sine crimine Græcus, est, dum diis Matrem attribuit, & in aliis stultiloquiis similia euomuit. Quas ob res, sancta Synodus rectè intelligens mysterium incarnationis, bene nobis tradidit vnam hypostasim in duabus naturis inconfusè, inconvertibiliter ac sine diuisione notificatam

A Eutychis insaniæ, atque Nestorij repugnando, vt oportebat: vtriusque quorum æqualiter infirmat errorem, per huiusmodi voces: & Nestorium impudenter dividentem vnum Christum in Deum singulariter, & in hominem singulariter, dum confundit vnam personam, & eundem confitetur Deum & hominem, dominum nostrum Iesum Christum. Eutychen verò, vnam naturam Deitatis & humanitatis confitentem confutat, dicendo duas naturas inconfusè atque inconvertibiliter in vna hypostasi vnitas, conseruatis alterutrius naturæ proprietatibus. Quare autem accusatores veritatis, hanc Synodum reprehenderunt, euidens est eiusdem Synodi diffinitione, quæ dicit: Dominus noster & Saluator Christus, fidei notitiam in discipulis confirmans, dixit: *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis*: vt nullus à proximo dissideat in dogmatibus pietatis, sed æqualiter omnibus veritatis illucescat prædicatio, & omnis mendacij à Christi grege

B propellatur corruptio, quod quidem fecimus communi electione, amoventes erroris dogmata, dum nihil erroris habentem Patrum fidem renouamus, trecentorum decem & octo, & Symbolum omnibus prædicantes, & vt proprios hoc pietatis pactum qui susceperunt patres describsimus. Hi sunt qui post hæc in magna Constantinopoli convenientes, centum quinquaginta sancti Patres, eandem fidem consignauerunt. Approbamus itaque ordinem fidei, universas figuras seruantes, & nos eius, quæ apud Ephesum quondam celebrata est sancta Synodus, cui præfuerunt sanctissimæ memoriæ Celestinus Romanorum, & Cyrillus Alexandrinorum Pontifices, † præradiare, quidem rectæ & immaculatæ fidei editionem trecentorum decem & octo Sanctorum ac beatorum Patrum, qui apud Niceam sub piissimæ memoriæ Constantino Imperatore congregati fuerunt. Obtinere autem & quæ à centum quinquaginta sanctis Patribus Constantinopoli sancita sunt, ad confutationem obortarum tunc temporis Hæreseon, & confirmationem Catholicæ nostræ fidei atque Apostolicæ. Et hoc quidem quarta sacra Synodus, tertiæ, secundæ atque primæ fidei comprobans, quæ fides tradita est à sanctis Apostolis, & in Ecclesia Dei sancta, vt beatus Epiphanius meminit, si non scripto versabatur. Arrij autem causa, scripto ma-

C nifestata est in Nicea vrbe, ab omnibus sanctis Episcopis, eo loci convenientibus: Ego autem hic sanctæ quartæ Synodi actũ, & quicquid ex ea hic exprimitur, ideò commemoraui, quoniam similis est horum reprehensio qui nunc, illorum qui tunc. Etenim reprehensio illorum calumniatorum circa dictionem adiectionemque versabatur quæ dicit: ἀνανεοῦν Patrum renouamus fidem: quod adversarij non fida interpretatione aperiebant, hoc modo: Renouata est fides, quæ antiquata priùs fuerat, & quassata. Atqui renouauit Synodus fidem, non secundum sensum, neque secundum directionem aliquam, sed adiectione sola huiusce dictionum, patribus consentiens: addocemus perfectum eundem in Deitate, & perfectum eundem in humanitate, Deum vere, & hominem verè, consubstantialem Patri secundum Deitatem, & consubstantialem nobis, secundum humanitatem. Hæc est vtique adiectio, quam sancta Calcedonensis synodus ei quæ Constantinopoli Synodo celebrata fuerat fecit, quæ rursus

D Niceno addidit concilio quod manifestum fit per fidei editionem Synodi vtriusque. Etenim trecentorum decem & octo Patrum editio, nec ea quæ dicta sunt nuper haber, nec quod Spiritus Dominus sit, & Deus, aut vivificans, aut quod ex Patre procedat, cumque illo, cumque Filio adoretur & conglorificetur, quoniam quæ Constantinopoli peracta est Synodus, hoc edidit. Non quasi defectũ præcedentis aliquid supplentes illi Patres, sed de Spiritu sancto suum sensũ adversus Dioscorum eiusque complices, eundem Spiritum creaturam esse dogmatizantes, & non Deum, scriptis testimoniis deprompserunt. Epistolam etiam maximè antiquioris Romæ sanctissimi Papæ Leonis scriptam,

E sancto Archiepiscopo Constantinopoleos Flauiano ad confutationem Eutychis vecordiæ, quasi magni Petri confessionem significantem, & communem quendam titulum existentem, contra malefacientes meritò conseruerunt, ad rectorum dogmatum confirmationem. Itaque si Constantinopolitana Synodus, Niceno adiecit Symbolo, in Spiritum dominum, & vivificãtem, & ex Patre procedentẽ: si Calcedonẽsis Synodus quoq; Constantinopolitanæ addidit Synodo, perfectum in humanitate, perfectum in divinitate, consubstantialem Patri secundum Deitatem, consubstantialem nobis secundum humanitatem: & alia quædam vbi dictum est, nulla insimulatione, nulla reprehensione, nullaque calumnia notandus est antiquioris † Romæ Antistes, quod causa interpretationis dictionem vnam, dico autem ex Filio procedere Spiritum, sanctorumque plurium Episcoporum, scientissimorum Cardinalium consensu habito apposuerit: licuit enim ei, semperque licebit, fratres confirmare, decreta edere, cudere interpretationes, si vbi aliquid obscure scriptum sit, & de voluntate scriptoris argumentari, iudicio volunta-

F tis illius relicto facere, hoc persuadente. Is enim est, cui oues & agni commissi sunt, & idcircò non solùm scripti recitator esse debet, virùm interpres illorum quæ adscripta non sunt: vt caput ouium Dei pastor, quod sancta & universalis secunda Synodus, his verbis sancivit: Episcopus quidem Constantinopoleos habeto primatum honoris post Romæ Episcopatum quòd ipsa sit noua Roma. Iustinianus quoque piissimus Imperator, in sua νεαρᾷ talem legem promulgauit. Sancimus iuxta sacras Synodorum constitutiones, sanctissimum antiquioris Romæ Papam primum esse omnium sacerdotum: beatissimum vero Episcopum Constantinopoleos nouæ Romæ, secundum ordinem habere post Apostolicum thronum antiquioris Romæ. Et rursus idem Imperator Epiphanio sanctissimo antistiti Constantinopoleos in quadam Epistola scribit inter cætera: Hunc per omnia seruamus statum concordiæ sanctissimarum Ecclesiarum, & circa sanctissimum Papam antiquioris Romæ Patriarcham, cui & horum similia scripsimus. Non enim sustinemus quippiam, quòd ad Ecclesiasticã spectet constitutionem non illius referri beatitudini, vt capiti omnium existenti sanctorum Dei

G sacerdotum, nimirum quoties in istis partibus hæretici exorti sunt consilio rectoque iudicio illius venerabilis sedis venerunt in destructionem. Ast quid Synodicam vel Imperatoriam sanctionem in memoriam reduco? maius his testimonium habet Coryphei Petri successor, Christi, scilicet, Saluatoris nostri, qui vt solùm Petrum in tributi solutione sibi exæquauit, ita & eundem solum orbi præfecit universo vt Theologus Ioannes perhibet: *Cùm igitur*, inquit, *cœnassent, dicit Iesus Simoni Petro: Simon Iona, diligis me plus his? dicit ei: Etiam Domine, tu scis quia amo te: dicit ei, Pasce oues meas:* hunc locum Ioannes qui meritò Chrysostomus nuncupatur, aperit interpretatione huiusmodi: Et quid vtique prætereundo alios, cum Petro disputat de huiusmodi, quia Petrus est præstantissimus Apostolorum, os Discipulorum & princeps Chori: propterea & Paulus ascendit Hierosolymam, ipsum videre præ aliis dicit ergo ei: *Amas me*, fratrum habeto curam: tertiò autem ipsum interrogat, præcipitque tertiò eadem: ostendens quanti honoris

H faciat regnum propriatum ouium, & post pauca. Quod si quis dicat: Quomodo igitur Iacobus thronum accepit Hierosolymis? Illud vtique dicam: Quia Petrum orbis ordinauit Didascalum: & iterum: Cùm itaque magna ei dixerit, orbem commiserit, prædixerit martyrium, & amorem testatus sit ampliorem aliis, dum Petrus Ioannem asciscere vult sibi socium, *Domine*, inquit, *hic autem quid?* Verùm Christus æqualem Petro consortem nullum associauit. Qua in re manifestum antiquioris Romæ præsulem potestatem à Petro accepisse, fidem renouandi vt verbis Patrum vtar, habendi curam,

&

Synodus Constantinopolitana centum quinquaginta Patrum. Nicænæ synodus trecentorum & decem & octo Patrum.

† Præfulgere, vel præfulgeat e limo, &c.

† ob Cõstantinopolim dicta quæ vocabatur Neoroma.

A & regnum omnium sacerdotum : quin etiam omnium Christianorum. Ergo qui resistunt primæ sedis, totius orbis præsuli, Christi dispositioni resistunt, & nisi resipiscant, contumaciæ iudicio plectentur. Propterea illud Evangelicum : *qui à Patre procedit* : & salutare Symbolum, vt Calchedonis Synodus, Constantinopolitanam, & ea Nicenam interpretata est, nullo modo quartæ Synodi decreto contradicens. Cuius tenor & institutio talis est : Constituit sacra & universalis Synodus, aliam fidem non licere alicui conscribere, aut componere, aut sapere, aut docere aliter. Audentes autem componere fidem aliam, aut proferre, aut docere, aut tradere Symbolum aliud, volentibus converti ad cognitionem veritatis, ex Gentilitate, vel Iudaismo, seu ab Hæresi qualicunque, hos si Episcopi quidem vel clerici sint, ab Episcopatu & clero alienos esse præcipit : Monachos autem, & laicos anathematizat talia præsumentes. Quòd si propter interpre-B tationem præfati capituli enuntiantem ex Filio vere Spiritum procedere, cum omni cautela sub sanctorum Patrum, Athanasij, & Basilij, Gregorij, Augustini, Ambrosij, Hylarij, aliorumque plurium testimonio, aliam fidem conscripsisse, aut docuisse, Apostolica Ecclesia credenda est : simili ratione congregati sancti Patres Constantinopoli, aliud à Niceno Symbolum ediderunt, & Calchedone convenientes, aliam fidem ab ea quæ Constantinopoli sancti Patres prodocuere. Quare palam vt puto fit ex his nequaquam licere cuipiam omnium calumniari sanctissimam, & magnam omniumque principem Romanam Ecclesiam, quasi aliam fidem conscripserit, aut composuerit, aut docuerit : Nam neque affert, neque prodocet, neque aliud tradit Symbolum, si editum à sanctis Patribus interpretatur : non perpetiens fidem labefactari, apud quos semper effulsit : Quæ licet primatum habeat, attamen humiliat seipsam, respondendo, quòd Calchedone celebrata synodus, quondam se calumniantibus res-C pondit : Inuitè, inquit, arguor dum non fidem, sed memoriam renouo : non apposui, non ademi, salutari Symbolo si dictionem occultam manifestaui. Renouaui enim vt patres antedicti fidem, & opposui Nicenæ, Constantinopolitanæ, atque Chalcedonensis Synodis, sed nullo modo illis contraria : quia dum illorum Patrum vestigia persequor, solummodo quæ tunc quæsita non sunt, tempore post per interpretationem, & appositionem verbi, quod non perspicue ab omnibus intelligebatur, enucleaui.

## CAPVT XVII.

ÆQuum igitur est, ratum habere, quod tanta Ecclesia decernit : quod tantus Pontifex enuntiat, sine quo vigor calami omnis Ecclesiasticæ traditionis arescit, vt memorandus inter sanctos beatus iunior Stephanus asserit : qui non modo ante Deum magni, verùm apud omnem Græcam multitudinem Apostolicæ prædicatur sanctitatis hic magnus vir, cuidam Synodo subscribere invitatus, huiusmodi voces cum fiducia D extulit : Quomodo qui sanctuaria prophanastis, sanctam constituistis Synodum : ô nephas. Quomodo vtique universalis vocetur Synodus, in qua Romanus Pontifex non complacuit? præter quem impossibile prorsus Ecclesiastica Canonicè stabiliri. Et ergo vertices montium, & omnium turba fidelium genua flectere debet, & pro bellicis increpationibus, iugum complecti subiectionis. Namque Petri Coryphæi & successoris eius, gentium principatus, & regna gubernaculo subduntur. Huius Ecclesia, de se splendorem emittit semper, & non tenebrescit : à qua exit lex & iudicium, ad quam homines vndique terrarum conveniunt, & meritò : Petrus enim hostium fidei gentibus propter illam quæ apparuit ei, vasis velut lintei visionem aperuit, in quo erant omnes bestiæ terræ, quadrupedia, repentia, simulachra nycticoracum, & aliorum animalium non paucorum. Cui dictum est: E *Surge Petre macta & manduca.* Reclamante autem discipulo, & legalem observantiam formidante adhuc, *Nequaquam Domine* dicente : *quoniam nunquam comedi omne commune & immundum: vox iterum ad eum ait: quod Deus purificauit, tu ne commune dixeris* ; Quibus ex rebus liquidò claret, quòd Petrum eiusque successorem principem Christus & caput non modò Latinorum, Græcorum, occidentis, ac Septentrionis universi ; verùm, Armeniorum, Arabum, Indorumque, Madianitarumque, Amalechitarum, & totius Orientis & meridiani climatis, in perpetuum constituit. Ob quam rem occidui solis, limites universi, Petri successorem ex tunc sibi dominum recognoscunt, & sub illo Præsule diriguntur : quod omnem ab vtero matris errantem facere oportunum est. Petrus enim magnus Christi Apostolus, in omnibus ferè civitati-F bus Syriæ, Cappadociæ, Phrygiæ, Macedoniæ, Ellados Epyri, Siciliæ, Italiæ, Galliæ, Hispaniæ, ac extremitatum, vt Ecclesiastica historia perhibet, Episcopos ordinauit. Etenim Iacobus eius fauore Hierosolymorum thronum tenuit dein Euodium Antiochiæ: Tharsi Vrbanum : Epaphroditum, Lyciæ : Figellum, Ephesi Smyrnæ, Appellem in apud Olympum, Philippum Thessalonicæ, Iasonem : Silam Corinthi : Patras, Erodiona ; Tauromenij, Maximum, ordinauit. Amplius autem, Ancyræ, Niceæ, Nicomediæ, in Thraciæ partibus, atque occidentalium regionum similem operatus est ordinationem : & eadem factum iri suis successoribus commendauit. Quicunque ergo naviculam Petri spernit, incautè nauigat, & nisi plumbeas moles pertinacitatis reiiciat, influent maria. Indecens quippe ac inconsentaneum est, legem matris dissoluere : *Audi*, inquit Salomon, *fili sermones Patris tui, & ne abiicias legem matris tuæ*, hoc est, illa pia & sancta mater, quæ non quomodolibet, sed Christo procedente, instruente paracleto, atque dictante Petro Spiritum ex Filio procedere asseverat : contestificante hoc idem ei multitudine sanctorum. Nam plurimus in Theologia G Hilarius, in sermone quem de beata Trinitate edidit, ait sic : Pater plenus Deus seipso, Filius plenus Deus ex patre genitus : Spiritus verò sanctus, plenus Deus ex Patre & Filio procedens. Vir quoque venerabilis Ambrosius, qui cùm didicisset apud Thessalonicam, perpetratam stragem multorum millium, advenienti Mediolanum Imperatori, pro foribus Ecclesiæ occurrit, accessumque prohibuit, vocem extollens cum fiducia : Nescis ô Imperator patrati magnitudinem homicidij? Neque enim permittit impij forsitan potentia magnitudinem peccati cognoscere, atque à purpura seductus, ignoras velati corporis imbecillitatem : sed scito vti corruptibilis, & fluxilis es, ita tua scissilis & labilis potentia, cuius post modicum rationem Regi Regum omnium redditurus es, & alia similia, Magnus iste Vir, Imperatori obiecit Theodosio. Qui retrò pedem cum lachrymis tulit, octo mensibus permanens gemebundus, post quod tempus multis supplicationibus absolui meruit ab Archiepiscopo. Hic vir Spiritu Dei plenus, de eodem Spiritu in libro quem de Trinitate composuit talia pronuntiat. Non tanquam ex loco H mittitur Spiritus, neque ex loco prodit, cùm ex Filio procedit. Et idem in secundo Libro de Spiritu sancto ait : Quod ex aliquo est, aut ex substantia, aut ex potestate eius est. Ex substantia : sicut Filius qui ex Patre, & Spiritus sanctus qui ex Patre Filioque procedit : ex potestate autem, sicut ex Deo omnia. Magnus quoque Augustinus, lucerna in Ecclesia perpetuò ardens, in quinto de Trinitate Sermone sic argumentatur : Si quod datur, principium habet, ipsum à quo datur : non enim aliunde accepit illud quod ab ipso procedit : confitendum Patrem & Filium vnum principium esse Spiritus sancti, & non duo : & iterum, Sicut Filio præstat essentiam sine initio têporis, sine mutabilitate naturæ de Patre generato, ita Spiritui sancto præstat essentiam sine initio têporis, sine vlla demutabilitate naturæ, de vtroque

A processio. Hieronymus quoque qui tantae sanctitatis extitit, vt ferina immanitas iussis eius obtemperaret. Enimverò formidolosis cunctis Leo ingens, tempore multo Ecclesiae cui praesidebat Bethlehem, asinum cum multa diligentia & humanitate inducendo ad pascua, & reducendo ad praesepe custodiuit. Hic verè Sanctus Vir, hoc inter caetera de Trinitate scripsit: Spiritus qui à Patre & Filio procedit, per omnia Patri & Filio coaequalis & coaeternus existit: horum igitur & aliorum quamplurium, vt superiùs praetaxatum est, fauorem & assensum habens dicta mater Ecclesia sine dubitatione affirmat, quemadmodum ex Patre, Spiritum ex Filio procedere. Saluator quidem noster Iesus Christus, hoc mandat: Vt *in ore duorum vel trium testium, stet omne verbum.* Hoc autem multitudinem testium habet, dicentium eadem, & similiter de Spiritu sancto sentientium. Qui vt Ecclesiae luminaria digni apparuerunt illustratione Sancti Spiritus, quo B mente illuminati sunt à Deo, vt intelligibilibus oculis Patrem cum Filio, sanctoque Spiritu in seipsis perspicerent inhabitantes. Manet quidem Deus Pater in obseruantibus Euangelij mandata, sed aliter manet in Filio. Nam in illo sicut is in Patre naturaliter est, in hominibus verò per gratiae habitudinem. Quos autem Pater diligit & Filius, Sanctusque Spiritus. Quo fit, vt sancta Trinitas per gratiam in his, qui optimae sunt conversationis mansionem faciat & inhabitet, secundum quod capi potest, & suscipi à creatura. Cuius habitationis modum, quidam subaperire cupientes tali vtuntur comparatione: aiunt enim, hoc esse sensibilem domum communi aeri quod est divinae gratiae rationalis anima, domum quantò amplius vacuam supellectile feceris, tantò abundantiùs in eam aër communis introit, & quantò ampliora immiseris, tantò pleniùs idem aer se subtrahit. Similiter anima rationalis inquantum à sua expoliatur supellectile, in tantum ad eam divina gratia ingreditur. Supellectilem domus, vasa, lectisternia caeteraque vtensilium esse proloquuntur: animae verò gloriam inanem, concupiscentiam oculorum, carnis voluptatem, & his similia. C Capacitatem cordis ad Deum, spei amplitudinem: angustiam verò, sollicitudinem corporis, planè Beati Viri quorum testimonio Ecclesia mater vtitur, conscientias mundauerunt: innatam supellectilem foras disiecerunt, & trinum Deum venientem apud se, mansionem facturum totis viribus complexi sunt. Atqui ab origine mundi auditum non est, vt in quibus sancta & beata Trinitas per gratiam habitauerit, iidem ipsi de sancta Trinitate malè atque impiè persenserint. Ergo de necessitate consequitur syllogistica, verum esse de Spiritusancto, ex Filio procedere hoc modo: Nulli Apostolicae sanctitatis viri, de superexcellentissima Spiritus sancti processione, falsam in scriptis suis sententiam reliquerunt: Atqui omnes quorum mater Ecclesia testimonio vtitur, emanationis Spiritus sancti Apostolicae sanctitatis viri fuerunt, & quoniam ipsi Spiritum ex Filio procedere conscripserunt, ex ipso procedere non est in ancipiti.

## CAPVT XVIII.

SED forsan quis iterum post tot argumentationes D obicem negationis afferat, & per id quod in fine secundi Libri expressum est, nec quasi ex stipulatione solutum iri oportet: perhibet conclusionem configendo Apostolicae sanctitatis viros dationem Spiritus, & missionem nuncupauisse processionem, quae temporalis erat ad homines facta, quam dum Graecus confitetur sempiternam processionem, secundum quam existere ac esse habet de Patre Spiritus, à Filio prorsus abnegat. Erit ergo hoc vna solutio, vt arbitror, ad omnia sufficiens: quae instantiae huius videntur intellectum constituere. Licet Apostoli & Prophetae in tempore à Christo Spiritum acceperint, Dei tamen Filius, non in tempore Spiritum habere coepit, neque idem Spiritus à Filio exire, initium sumpsit per tempus aliquod. Sanè à diebus aeternitatis, sicut Filius à Patre generatur, ita Spiritus sanctus ab vtroque exit: ab vtroque mittitur aeternaliter, & ab vtroque vt ostensum est, vniuocè procedit. Nam apud tres nihil praeterit, nihil futurum est, apud tres personas non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Hoc idem ante Iacobum, Timaeus docuit & Aristoteles, Parmenidesque: ante hos non apud Platonem tantùm, sed in suis conscriptionibus edidit, nihil esse apud Deum, neque praeteritum, neque futurum: neque enim horum alterum, hoc quidem non est, hoc verò nondum est, & hoc quidem demutatum est, hoc verò aptum demutari. Sane iis quae verè sunt nullo intellectu permutationem competere machinabile est, quia neque secundum locum, neque secundum alterationem, neque secundum genus movendi aliud. Necesse, inquit, quod indemutabile est, ante ire prorsus id, quod aliquod F modo demutatur: vt maneat quod demutabile est, alioquin non stabit, sed in infinitum curret. Ergo quae circa Filium & Patrem est Spiritus missio, eiusdem abesse non potest. Quare falsitatis arguitur talis consequentia. Si Spiritus in tempore ad homines mitti coepit vel donari, Filius Dei secundum se cum Patre mittere coepit Spiritum vel donare. Quantum enim ad ipsos spectat, ante omnia secula mittunt & donant. Existentibus autem dono missioneve dignis incipere dicuntur mittere vel donare: nequaquam secundum se, quantum ad suscipientes. Igitur si mittere aeternum, & missio, versaque vice: si missio aeterna, & mittere. Atque missio aeterna est. Non enim vt in λιθοτόμων ratio turris fabricandae fabricationem praecedit, & ab ea dividitur. Ita in Filio & Patre ratio missionis Spiritus, missionem praevenit, & ab ipsa separatur. Nam si ratio missionis Spiritus sancti ab aeterno in Filio est, & missio ipsius Spiritus coepit esse in Filio ab aliquo tempore, prius & posterius, adiectum & separabile habet Filius, & accidentium non effugit multiplicitatem. Nonne sol cum illuminat domum, aliqua hodie incipit irradiare: preciosi similiter splendent iugiter lapides, stellae quoque, attamen illarum in tenebris, harum G verò in luce minimè splendor rutilat. Non ex interceptione splendoris, sed ex aspicientium imbecillitate. Amplius, missio Spiritussancti, & cognitio missionis simul sunt, in Patre & Filio, neutrum enim horum duorum tempus praeiudicat: at verò cognitio aeterna est. Ergo & missio Spiritussancti ab vtroque aeterna est, & vterque aequaliter & aeternaliter causa missionis Spiritus, vt liquet ex anterioribus. Si vterque causa est, & Filius est aliqua causa Spiritus sancti: si neuter est causa, missio Spiritus sancti, nec causã habet, nec principiũ: quod est solius Patris privilegiũ in Trinitate. Quare forsitan nõ sit incõveniens, si processio Spiritus aeternaliter de Patre ac Filio manãs, penes suscipiẽtes creaturas, missio, vsitatiùs, donatio & si quid aliud huiusmodi nuncupetur sublimioribus, quidem, semper divino, inferioribus verò semper creato referendis. Nam idem Evangelium in Christo doctrina, in Apostolis verò, nobisque omnibus disciplina censetur. Lux quoque solis perennis est, quamdiu nobis oritur, diem vocamus, breue attribuentes ei temporis spacium. Denique vir memorandae sanctitatis Hieronymus amicus veritatis dictam fouet solutionem per id quod de mysterio H dominicae incarnationis Paulam & Eustochium verbis instruit huiuscemodi. Constat tempus non praeiudicasse sacramentum vniti hominis Dei, ita vt iam esset in illo per vnitatem personae ab initio seculi, qui necdum erat natus de Maria virgine, quod multis scripturarum declaratus indiciis: vnde Dominus ad Iudaeos: *Antequam Abraham fieret, ego sum:* fieret, humanitatis brevitas est: ego sum, aeternitas naturae declaratur. In qua nimirum aeternitate fuisse qui loquebatur per sacramentum suae incarnationis, insinuat: vnde Apostolus: *Iesus ex Aegypto populum saluans:* & iterum: *Neque tentemus Christum:* non quòd

A jam IESUS esset, aut Christus natus de Maria, sed quia in illo unico Filio Dei jam unitas personæ commendabatur, qui occultè erat in ministerio: quia profectò quicquid Deus fecit; ab initio Christus fecit totum, per unitatem sacramenti, quia semper cum eo, & in ejus consilio fuit, ut sic fieret. Et nunc quando tempus venit, factus est quod in Christo semper fuit. Theologus quoque Gregorius, in primo de Filio sermone talia proloquitur: CHRISTUS *Dei sapientia, splendor, figura, signaculum, qui est splendor gloriæ, & figura substantiæ ipsius, & imago bonitatis, &c, hunc Deus signavit, qui est Dominus Rex, Omnipotens. Pluit Dominus ignem à Domino: &c, virga directionis, virga regni tui: & qui est, & qui erat, & qui venturus est.* Planè de Filio dicta sunt, & quæcunque his ejusdem veritatis existunt quorum nihil est adjectum, neque tempore post, Filio adveniens aut Spiritui, sicut neque Pater. Non enim ex adjectione quod perfectum, & iterum: altiora quidem refers Deitati & naturæ meliori passionibus à corpore,

B humiliora verò composito pro te exinanito, incarnato, nihil autem deterius dicere humanato, postmodum & exaltato. Et idem in secundo sermone: Dicatur accipere ipsum vitam, ut judicium aut hæreditatem gentium, aut potestatem carnis, aut gloriam, aut discipulos aut quæcunque dicuntur, sed hæc humanitatis. Quod si Deo dederis nihil inconveniens ut adjecta dabis, sed ut à principio consistentia, & ratione naturæ, non gratiæ. Magnus quoque Basilius eadem confitetur, dum dicit: Carnem participasse Deitatis, & nihil omnino ei suæ impertiisse infirmitatis. Ergo cùm dicit, Deus cœpit esse Creator, Dominus, homo, ad res creatas referendum est: sicut quando dicitur charitas, quæ Deus est proficit in homine, id est, homo proficit in ea. Eodem verò modo cùm dicit, Deus cœpit esse Creator, intelligendum est, id est, creatura initium existentiæ habere cœpit, & servus & humana caro cœpit uniri Deo, quando *Verbum caro factum est.* Nam si ad Creatorem Dominúmve referantur creatura

C & Dominus, cum relativa simul sint natura, contradici non possit Deum aliquas sub temporis articulo accepisse habitudines, & sic aliquid accidens, quod divina pagina & Catholica fides non recipit, ad hunc sensum potest accedere quod dicit: *Si cognovissent, nunquam Regem gloriæ crucifixissent.* Deitati quæ est impossibilis passio reputatur, ut puta, si vestimentum alicujus sanguine aspersum sit, non pertingente corpus induti, asserentisque se inquinatum cruore. Reputatur ergo vestimenti macula, ei qui vestimentum induit, & se inquinatum fore astruit. Hoc modo Dei passus est in carne Filius hoc modo creator, qui creationis sunt admittit: Quod si unitas mysterij Dominicæ incarnationis in Filio principium temporis non habuit, multò minus credibile est, missionem Spiritus sancti, à Patre ac Filio in alterutro eorum incepisse sub tempore. Nam infirma satisfactio cunctis videri potest, ideò temporalem illam missionem fuisse, quod tellus, aqua, aër, ignis cœlúmque ipsum cum omnibus quæ continet in tempore

D sunt quia in loco ut corpora existunt. Omne enim corpus in loco est, & omne quod in loco est, aut totaliter aut particulariter per se, vel per aliud movetur. In quibuscunq; verò motus, in iis & tempus. Quietem ad motum relatam, tempus mensurat, & in tempore est. Aliquod enim proculdubio tẽpus extitit, quo amplius erat sumere, in quo quiescens non movebatur. Quiescens verò est quod aptum est moveri. Homo ergo & cætera talium, esse dicitur in tempore, quoniam esse hominis, videlicet, omnes annos vitæ ipsius diffinit, & mensurat: quo in loco esse hominis, spatium existentiæ ipsius, non species ipsa nuncupatur, quæ forsitan tempori non subjacet. Ex quo patet, non esse syllogismum, quod quidam facere conantur, hoc modo: Tempus est numerus motus, at verò quæ alia sunt à motu, non sunt motus: ergo quæ alia sunt à motu tempus non metitur, quare non sunt in tempore. Ad quod dicendum, quòd motus per se dicitur esse in tempore, ac à tempore mensurari sine medio. Ideò numerus illius principaliter dicitur tempus. Homo autem & quæcunque talium per motum aut quietem quam habent, dicuntur esse in tempore. In tantum enim existunt, in quantum annos vitæ illorum, aut moræ tempus per suum fluxum & extensionem diffinit & mensurat. Pater verò & Filius, & quicquid ex eorum personis profluit, simul sunt: qui non modò tempori, verum omnibus creaturis esse attribuunt, quare non potest trahi ullo modo ad veram consequentiam, missionem Spiritus tempori subjacere. Quod iterum per diffinitionem temporis ab Aristotele in Physicis assignatam, demonstratur: Ait ergo tempus esse numerum motus secundum prius, & posterius: non hujus vel illius motus, sed prius in eo quod motus. Ideóque omnium eorum quæ moventur, unum tempus opinantur plures, non modò Spiritus, sed & numero. Quidam verò distinguendo dicunt, subjecto unum esse tempus, ratione verò plura. Cæterùm, differentiæ motus, qui circa ejusdem species considerantur, ut alteratio, loci permutatio, & similia: non sunt temporis differentiæ, ut præteritum & futurum,

F cùm Romæ Constantinopoli, ac ubique terrarum qui sunt in eodem esse instanti nihil prohibeat. Planè non ut motarum rerum singularis potest esse motus, ita singularium motuum singulare est tempus, sed omnium ut unius: quare non est putandum tempus, esse motum, quòd motus est mensura, ut manifestum est: partim ex eo, quòd plures motus simul sunt, præsens verò, ubique idem: partim quòd omnis motus in tempore est, nullum verò tempus interpretatur, nisi aliud in alio contineatur. Item motus alius est celer, alius est tardus, tempus verò non. Multum parvúmque tempus dicitur, celere verò, aut tardum minimè. Idem judicium de numero habendum videtur. Quippe numerus discreta quantitas est, tempus verò continua. Numeri quidem non est generatio, aut corruptio, tempus verò fit & corrumpitur. Deinde cujuslibet numeri omnes partes esse necesse est. Non existentibus enim tribus unitatibus, ternarium esse non est possibile. Denique primus & secundus numerus simul sunt, tempus verò prius & posterius, nequaquam simul sunt. Ergo dicitur tempus

G numerus, vt quibusdam visum est numerans quæ sub firmamento, & numeratus in firmamento. Quemadmodum vtique mensuratum, mensuránsque dicitur metrum, vt modius ligneus, modiúsque frumenti: & aquæ amphora, & lateritia. Ita & numerus ex vnitatibus, & numerus in numerabilibus numeratus: quare tempus dicitur numerus, id est, mensura motus primæ speciei, secundùm prius & posterius: quæ duo in magnitudine aut multitudine simul sunt. In tempore autem & motu, nisi prius intermatur non habet regionem posterius. Hoc quidem videlicet, & posterius ex eo nominantur, quod ab instanti discedit. Nam prius versus præteritum dicitur, quòd ab instanti distat amplius: posterius verò quod præsenti vicinius attenditur, versus autem futurum dicti conversio: priùs, quòd

H præsenti vicinius, posterius quod antehac est remotius. Ea enim sequitur celerius, vbi posterius & tardius: Quòd si Filius Dei tardius nihil assequutus est, neque posterius: simili ratione neque celerius, neque prius. Sanè nihil quod ex aliqua trium personarum prodit, esse in tempore nanciscitur: non enim sempiterna in tempore sunt, quorum esse tempus non continet, quæ in tempore sunt, in mensura sunt. Quorum autem aliqua mensura est, & his mensura amplior est secundũ tempus: & passio iisdem inest, qui nullo in tẽpore omni modo passionem, mutationẽmq; effugiunt. Item quæ in tempore fiunt, eorum tempus per successionem mensura est. At verò sempiterna cùm simul sint, nullam productionem expectant temporis, quare supra tempus sunt. Nam si essent in tempore, essent & in motu: nec simul subsistere putarentur. Aliquod futurum tempus aut per revolutionem, aut per aliam aliquam causam præstolatia. Non enim, quia in tempore cognoscimus nos, quæ supra tempus, & ante tempus existunt, ideò illa esse in

A tempore constituemus. Neque si quod multi temporis
existit in tempore est, & quòd omni tempore existit,
esse sub tempore pronunciabitur. Qua ex re, quæstio
emersit hæc: utrùm cœlum, cœlestiáque corpora, sub
tempore sint necne? Si non est, inquiunt, cœlum sub
tempore, non est numerus ipsius motus. Rursus aiunt:
Si in tempore, sub tempore continetur, & amplius ali-
quod ipso erit tempus. Hoc solvunt quidam asserentes
ideò in tempore cœlum esse, quia cùm semper alius &
alius fiat motus ipsius, aliud atque aliud futurum est
tempus, sicut amplius tempus sumere contingit. Verùm
esse sub tempore dicuntur illa propriè, quæ sub tẽpore
accipiunt existentiam, per fluxionem & extensionem:
tantum enim eorum esse perdurat, quantum tempus di-
latatur, quod dum fit esse habet: quod nulli superiorum
nedum Deo contigit. Itaq; manifestum ex his quæ di-
cta sunt, Filium Dei nequaquam in tempore mittere
Spiritum, quanquam discipuli acceperint in tempore.
Nam sicut ratio missionis, ita & missio, antequam dis-
cipulos irradiaret, erat: quæ ante omnia sæcula, & ante
omnia tempora in Filio extitit. Si rationem mittendi à
B principio non habuisset, cùm nihil adjectum, nihil in
accipiendo, secundum quod Deus est possideat, nullo
modo Spiritum misisset. Quamobrem & habendo emit-
tit, & emittendo semper Spiritum habet Filius, qui est
imago Patris non inanimata, nõ manu sculpta, non arti-
ficis opus, aut intelligentiæ, sed imago vivens, magis
autem & ipsa vita est: non in figuræ similitudine, sed
in substantia conservans indemutabilitatem, hoc est,
personæ magnitudo dignitatis unigeniti omnibus
modis habere indemutabilitatem absque interjectio-
ne. Si ergo Patre Spiritum emittente Filius non
emittat, in emissione non habet indemutabilitatem:
dum multis modis imago inveniatur excidens, pri-
vata maximo bonorum. Dein Cherubin imago Pa-
tris posse censeri videbuntur, quorum quisque in-
visibilis & incorporeus existit, scientiæ habens pleni-
tudinem, nisi ex se habere Spiritum ac emittere, ab
eis distinguat Patris imaginem. Quo fit ut solus unige-
nitus propriè ac indemutabiliter imago Patris existat,
C multò magis expressius, quam Seth Adam. Nam hi qui-
dem separabiles sunt, illi verò inseparabiles: hi differen-
tes animas & varias voluntates possederunt, illi vero
unam virtutem, unámq; voluntatem & habent semper,
& habuere. Et Seth quidem circa exteriora imago Pa-
tris nominabatur, verbum autem Dei, omnibus modis
Patris imago existit: non coloris, non figuræ, nec talium
quippiam, hoc enim artificialium imaginum, & non
naturalium, sed substantiæ, id est, personæ Patris fa-
ciens imagines sibi & deos omnes, qui ea participant.
Hac de causa imago Patris, & Pater non æquivocè
Deus dicitur imago Filij, & Filius: sicut imago Chri-
sti & Christus nuncupatur non univocè sed æquivo-
cè: Patris autem imago, & Pater Deus dicuntur uni
vocè: unus enim & imago ejus Spiritus sanctus. Quo-
niam una & eadem trium natura est. Itaque Filius
æquipollens signaculum est absque omni fallacia, cha-
racter & imitamen effigiati Patris, indiminutum, quia
non est imago Patris superficie tenus, ad Christi simi-
litudinem imaginis, sed interiorum atque omnium
D profundorum Sapientiam Dei, & virtus in sinu Pa-
tris, *ἐν αὐτῷ μένων*, id est, commanens universorum
quæ Patris sunt productrix extat, & enucleatrix: pro-
pterea unigenitus quidem Dei hæres Patris plenissi-
mus est, omnia interiora ejus insignitens. Effigies
enim naturam rei debet effigiare. Nec ad artificem
aliter conformare pertinet, quod ad imaginem So-
cratis sculpitur simulachrum: nisi enim calvum, si-
mum, prominentámque oculorum ostendat Socratis,
nequaquam ejus esse dicetur effigies. Da enim quan-
quam æquivocè dicatur effigies. Da enim quanquam
æquivocè dicatur indemutabilitatem, tamen debet
habere secundum suam illius proprietatem, & co-
æqualitatem ex quo esse trahit, & cujus est assi
milatio. Amplius, si Filius non habet Spiritum,

E nec emittit ut Pater, privatur sanctitudine quæ ma-
xima est Filij hæreditas, eam Spiritus sanctus solus in
enumeratione amplectitur cùm sic dicitur Pater & Fi-
lius & Spiritus sanctus. Quare si sanctitudo à Patre
procedit, à Filio verò minime, nequaquam æqualiter &
indifferenter, ambo habent sanctitudinem, quod co-
gitare non est Catholicum. Plenitudo enim Filij Spi-
ritus quemadmodum scriptum est: *De plenitudine ejus*
*omnes accepimus gratiam pro gratia*, novam legem pro
vetere, pro adoptione sermocinativa & umbratili, rem
ipsam & veritatem ex Deo nati per lavacrum regene-
rationis, & renovationis Spiritus sancti, sine quo ne-
mo videbit Deum, à quo omnis sanctitudo emanat.
Non enim vacat quòd Filius esse dicitur & commanere
in sinu Patris, Spiritus vero non, quod quidem nomen
non corpus fore significat, sed consortium unigeniti
ad emissionem Spiritus innuit apertissimè ac manife-
stissimè, de Spiritu verò nihil tale scriptura protulit.
Ideò dicitur & character substantiæ Filius, quanquam
characterem non personam esse, sed personæ tantùm,
F hæreticus arbitretur: non animadvertens, quòd Filius
vocetur, quod persona est, sicut splendor qui coæter-
naliter de Patre coruscat: magni quoque consilij An-
gelus, admirabilis, consiliarius, & princeps pacis, ad
personæ distinctionem enuntiatur, & quod majora
servis suis Prophetis monstraverit, scientiam tribuen-
do latiorem & apertiorem Mosaïca institutione. Mul-
to impendio precabatur Moyses, ut illius qui verè est
scientiam acciperet. *Ostende*, ad Deum dicens, *mihi*
*faciem tuam, ut sciam te. Non videbit me*, inquit, *homo,*
*& vivet: Ecce locus est apud me, stabis supra petram,*
*cumque transibit gloria mea, ponam te in foramine petræ,*
*& protegam te dextera mea, donec transeam: tollámque*
*manum meam, & videbis posteriora mea, faciem au-*
*tem meam videre non poteris.* Iubetur Moyses stare
supra petram, & per angustum foramen intueri: hoc
monstrante Deo, quod brevem lex scientiam Trinita-
tis habuit, cujus solummodo per foramen paruit illu-
G minatio: foramen quippè ac manus protegens, nil
aliud, quàm particularem & obscuram portendit legis
cognitionem: tale est enim, quod per foramen oculis
subjicitur: Christi verò doctrina & prædicatio, gran-
diorem nobis scientiam ostendit, intelligentiæ oculum
instruendo, contingere supra sensum quæ sunt, & ra-
tionem: facies, gloria & splendor gloriæ, quæ Moyses
videre postulat, character sunt unius substantiæ Patris
Verbum Dei unigenitum, quod absque igne, id est,
anima & nube carnis, homo videre non potuit: ideò
audit, *stabis supra petram: Petra autem erat Christus.*
Nihil in lege gloriosum habuit Moyses, nisi solam fa-
ciem. IESUS verò, in monte totus glorificatus est, &
apparuerunt Moyses & Helias in gloria, colloquentes
cum eo, ubi non solùm vultus Christi ut Sol, sed &
vestimenta ipsius velut nix apparuerunt. Ibíque com-
pletur illa promissio, quam accepit in monte Sinaï
Moyses, cui dictum est: *Tollam manum meam, & vi-*
*debis posteriora mea.* Mittam Filium meum quem vi-
debis, cum venerit dierum plenitudo: *faciem meam*
*videre non poteris, quia non videbit me homo & vivet.*
H Non quod videntibus causa mortis vita fiat (vivifi-
cum enim natura divinum est) sed quia propria deno-
tatio est naturæ divinæ: omnem sensum transcendere,
quæ cum sola vita sit, si omnem prætergreditur scien-
tiam, quod ab homine comprehendere, vita non est.
Quicunque igitur aliquod eorum, quæ cognoscunt
Deum esse, arbitratur, aversus à Deo vitam non ha
bet. Non videtur Deus ab anterioribus, quod inter-
minabilis sit & absque principio: posteriora verò
ejus ille videt, qui eum sequitur, qui dum procedit se
sequenti viam ostendit. Posteriora ergo ejus visa
sunt, quando in novissimis diebus, carne recepta, *de*
*Spiritu sancto suo*, sicut dicit per Prophetam, *super om-*
*nem carnem effundit.* Hinc est quod *nemo potest dicere,*
*Dominum* IESUM *nisi in Spiritu sancto* & quomo-
do qui non dicit ex Filio esse Spiritum, dicit Dominum

IESUM

A IESVM in Spiritu sancto: maledicit & blasphemat IESVM qui hoc dogmatizat, tollens Filium de sinu Patris, & medium faciens inter generantem & genitum, qui humano intellectu transcendit processionem, primum enim oportet intelligi characterem substantiæ, deinde Spiritus emissionem. Nam sine charactere Filio solum intelligi Patrem non est possibilium. Etenim secundum quod Pater est Filium habet, secundum verò quòd Pater, Spiritum non emittit. Si ergo primum oportet intelligi Filium ut immediatum, & indemutabilem characterem Patris, secundum hunc ordinem ipse Spiritu prior est: unde imago Filij quidem Spiritus nuncupatur, Patris verò minime. Attendendum verò non idem imaginem & characterem ab Ecclesiæ doctoribus autumari, alterum enim ab altero sic distinguunt. Inquiunt ergo arcam habere imaginem arcis, fabri lignarij: videndo enim arcam, scio quod a fabro lignario facta sit. Navem quoque si videam, confestim intelligo esse opus artificis illam construentis, quod quidem opus imago & gloria illius artis existit. Nequaquam verò character personæ operatoris. Non enim figuram personæ artificis quæ humana est arca, sine navis complectitur. Eodem quoque modo dicunt, hominem, Dei qui plasmavit illum, gloriam esse ac imaginem, non characterem personæ conditoris, sed solummodo voluntatis sive actionis indicium. Filium verò solum characterem Patris esse, verè credunt. Ipse enim dicit: *Qui videt me, videt & Patrem*: non ipsum Patrem, sed talem qualis est Pater. Est Filius perfecta figura Patris, par illi per omnia existens, perfecta ante in figura substantiæ Patris omnia complectitur intrinsecus, quæ Patris sunt propria. Ergo & ipsam de Patre Spiritus emissionem non prætermit. Ea certe si caret, non est completa substantiæ Patris figura Filius, quia est aliquid in Patre accipere quod ipse non habet. Amplius, si persona Patris suo charactere amplior est, non toto esse suo illum Pater genuit. Et rursus: Si character personam excedit, secundum excessum subsistentia caret. Atque non debet excedere Patris substantiam character, ne fortè per excessum non subsistens evanescat. Neque rursus persona Patris, latior esse debet suo charactere, ne illud sine figura remaneat, quod character non figurat. Amplius: Aut totam figurat Patris personam Filius, aut non: si totam figurat, evidens quod emissionem Spiritus de Patre non dimittit infiguratam: sed est ex Filio ut ex Patre processio, & emissio. Si verò non totam insignit personam Patris character ejus, non est æqualis ipse Patri suo, charactere ampliora complectenti: videlicet, sancti Spiritus profusionem, quod quidem præcipuum maximumque est. Item si solus Patris esset Spiritum emittere, nequaquam Filius character ejus indiminutus existeret: at verò par est Patri ejus imago, ex qua vere sancti Spiritus processio emanat. Quare ex tempore veniendum est ad curiosas petierntationes Nicetæ præsulis Thessalonicensium, de processione sancti Spiritus, quæ approbatæ sententiæ non ritè consentiunt.

D

## CAPUT XIX.

VOs, inquit, ô Latini, qui ex Patre & Filio creditis procedere Spiritum, si sic quidem dicitis, hunc procedere ex Filio, ut ex primo principio, & non tanquam per Filium, sed ut ex Patre: duo prorsus facitis principia, & destruendo Filij generationem, contraria Damasceno dicitis, Athanasio, Cyrillo cunctisque aliis Patribus, atque nobis, quibus patres sanctos sequi gloriatio est. Si autem sic dicitis, ex Filio ut ex Patre per Filium, consonatis Damasceno Ioanni, Athanasio, Cyrillo, aliisque Theophoris Patribus consentitis, & secundum gloriam processionis Spiritus, nobis eritis amici & consentientes, & post pauca: Tacete ergo & vos, adjectionem hanc dictionis, & ulterius in Symbolo pronunciare: Qui ex Patre Filióque procedit, sed secundum Patres nobiscum: Qui ex Patre procedit, & cum Patre Filioque conglorificatur, dicite: Et rursus: Si igitur vos quod dicimus nos per Filium, ex Filio dicitis, nullam differentiam sensus autem habentes, quam dissimilium præpositionum prolationé, donate & nobis has syllabas, & plures syllabas nos vobis mutuò donabimus: quæ demonstrent sub cômonitione commune convenientiam & conspiratione, ac interitus syllabarum scandalum diruentium. Ego quidem dignum laude hunc virum adjudicarem, nisi quia dum specto in ore fortis Samson, ex ore disputantis cibus, & ex forti dulcedine, cucurbita utique protupiliet, cujus admodum amaræ sunt extremitates. Excessit nimium suum ordinem hic Antistes, & dum imitabilis vestigij venerabilem matrem instruit, procul deviavit aberrando. Tacete, objectionem hanc dictionis proferre ausus, & nolite ulterius ex Filio in Symbolo pronunciare. Vnde tibi, ô Episcope imperiose, vocis continuata fiducia: Non habent nervi congruentiam aut Harmonicum melos, quæ imperas & exhortaris quod Christus perdocuit, ut manifestum est ex his quæ superius disceptata sunt, prædicaverunt Apostoli, sancti Patres tenendo confirmaverunt, & confirmando tradiderunt cupientibus, ad fidem venire, taciturnitati committere atque silentio cum arrogantia jactantiaq; persuades impudenter. Iniquitatem meditatus es in cubilibus tuis, quòod non æquilibri sermonem tuum lance trutinasti. Nulla quippe syllogistica necessitas, nulla majorum natu sanctio, nullius decreti nexio dissona, talia te compulit vociferari. Abundantioribus enim opulentæ tuæ conquisitiones fallaciis redundant, quàm innitantur cupiam fulcimento verisimilis alicujus adumbrationis. Eadémque verò allegatione, quosvis concinnet syllogismos. Vos igitur ô Græci, qui ex Patre & Filio dicitis mundum provenire, si dicitis quidem sic provenire ex Filio, ut ex primo principio, & non ut per Filium, sed sicut ex Patre, duo prorsus facitis principia: & rursus: Si Patrem Filiúmque asseritis mittere Spiritum, ut sic videlicet à Filio mittatur, tanquam à prima causa, duas prorsus facitis causas missionis Spiritus sancti. Verùm quia hoc primo Libro pleniùs discussum est, non videtur iterandum jam nunc. Attamen quod nullo modo tacendum, sine trepidatione confitendum est: primum principium & secundum principium in Trinitate esse, non debere recipi aut credi, quoniam licet Pater sine principio sit, & Filius de principio, secundum eundem tamen sensum ac eodem modo conditor mundi censetur alteruter & principium, & una quoque causa missionis Spiritus sancti. At verò quare duo dicantur sæpius pronunciatum est. Quemadmodum utique corporis dimensiones, non eo quòd divisæ aut dispersæ sint, tres dicuntur, sed quòd unaquæque propriam rationem habeat, sic Pater & Filius non duo dicuntur in substantia, verùm quòd unusquisque rationem habent singularem secundùm quas hypostases duæ, id est, personæ subintelliguntur: & sicut profunditas quæ corpori attribuitur, a longitudine ac latitudine quòd sit profunditas accepit, nec aliter intellectus esse profunditatem admittit, nisi æqualiter ab alterutra proveniat: ita Paracletus a Patre & a Filio quòd utriusque Spiritus sit. Nec aliter sanè est intelligi, nisi existentiam ex utroque accipere credatur æqualiter. Quare nullo modo sequitur duo principia vel duas causas esse Spiritus sancti eo quòd ex Patre procedat & Filio.

## CAPUT XX.

IGitur quoniam hujus positionis nodus solutus est, consequenter de præpositione, Per, est respondendum: Per igitur præpositio, ad nomen Filij posita ut dictum est: aut remissionis; aut intensionis aut æqualitatis est Præpositioni Ex. At verò remissiori aut intensionis esse sic posita, non est possibile. Nihil enim minus, nec aliquid majus persona Patris Filius habet,

A habet, ut ostensum est, per omnia nactus indemutabilitatē. Restat ergo ut æqualitatis sit, Per Præpositio, Præpositioni Ex, ad Filium copulata. Quare per Filiū procedere, non tollit esse Spiritum ex Filio: non est remissionis Per Præpositio, uti Paulus demonstrat ipsam Patri ut Filio attribuens: *Fidelis*, inquit, *Deus, per quem vocati estis in communitatem Filij eius Dominum nostrum* IESVM CHRISTVM. Quo in loco præpositio, Per, nomini paterno apponitur: pater vocavit nos, quia non ex nobis nos, aut ex propriis operibus ad eum accessimus: & iterum similem servat sensus tenorem, ubi dicit: Paulus per voluntatem Dei, qui volens ipsum Apostolum constituit. In quo apparet eos qui distinguere conantur per Filium, ab eo quod ex Filio, ne absque principio & unigenitum verbum Dei subintelligatur, quòd Per Præpositionis non modò ad Filij & Spiritus, sed ad nomen ingeniti coarguat appositio. Et rursus Hebræis scribens: Ad Patrem, Per, præpositionem apponit, inquiens: *Dicebat enim propter quem omnia, & per quem omnia.* Et post modicum: Ex Per inferendo Ex, subjungit: *Nam qui sanctificat, & qui sanctificantur, ex uno omnes.* Quo in loco diligenter intuendum, Per Præpositionem, in Ex: non ex, in Per Apostolum resolvisse. Præsul verò

B Thessalonicensium Nicetas sententiam & dictionem Apostoli Latinos derelinquere admonet: hortando eos, Ex præpositionem in Per transferre: in illo in quo ea utuntur loco, dicentes ex Filio: qui dum à Filio aufert Ex, à Patre adimit Per: quasi, Ex, nunquam Filio, neque Per Patri, associanda sit: sed Ex solummodo Patri, & Per tantum Filio, in personarum distinctionibus sit præponenda. Ergo per Patrem sunt omnia, id est, Pater est causa Filij & Spiritus, & creaturarum omnium. Nam & qui sanctificat, id est, Filius de substantia Patris est, per generationem, & Spiritus de eodem Patre per processionem emanat, & qui sanctificantur, id est, homines: & quælibet creatura ex Patre per creationem existunt. Dum itaque per Patrem sit Filius, & per Patrem sit Spiritus sanctus, ut vas electionis perhibet: per Patrem generatur Filius, & per Patrem procedit Spiritus. Enimverò nihil aliud

*Per patrē sunt omnia, id est, filius & Spiritus & creatura.*

C verius dici potest, per Patrem esse Filium, quam ex Patre generari, & per Patrem esse Spiritum, quàm ex Patre procedere. At verò Græcus confitetur & Latinus Spiritum sanctum per Filium procedere. Reliquum est ergo, secundùm authoritatem Apostoli & interpretationem, cum æquè per Patrem & per Filium Spiritus existere habeat, Per, præpositione utriusque præposita nominibus, eandem servante significationem, confiteri simpliciter & absolutè, Spiritum ex Filio ut ex Patre procedere. Amplius, apud Græcos præpositio διὰ quæ, Per, interdum significat, apud Latinos cum Genitivo constructa, ut Grammatici perhibent, aut actionem, aut opitulationem, aut medium significat: actionem: veluti per Apostolos fiebant signa, hoc est, Apostoli signa faciebant: opitulationem verò significat, ut Per te ditatus sum, hoc est tua opitulatione, atque adjutorio. Medium autem significat, quando medium loci alicujus, vel temporis ostendit: veluti, Per forum transivi, velificavi per mare, per

D diem medium apud amicum detentus sum. Itaque cum dicitur Per Filium Spiritum procedere, aut quasi actionem, aut quasi opitulationem, aut quasi medium significat, Per. Atqui si medium significaret, non communicaret Spiritui Filius, & non modò remissionis esset præpositio, sed alienationis omnimodæ. Nec aliam inter se haberent habitudinem Filius & Spiritus, quam habet aqua canalisque, ostium, seraque, locus & quod est in loco. Quare aut quasi actionem, aut quasi opitulationem significat: coëmissorem, opitulatoremq; suo modo ad emittendum Spiritum, Patri Filium innuendo. Ideóque in iritum cedit transmutatio, Ex, in, Per, nimis approbata, celebratáque nimis: quæ ingenito & unigenito præposita eandem servat intentionis significationem,

E ut ex anterioribus manifestum est, & ex his quæ consequuntur. Scribit enim Apostolus ad Galatas verbis hujuscemodi: *Paulus Apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per* IESVM-CHRISTVM *& Deum Patrem:* hoc ex IESV-CHRISTO, & Deo Patre, qui effecerunt, ut non ulterius Legi, sed Christo inniteretur. Et iterum: *non ab homine accepi, sed per revelationem* IESV-CHRISTI. Postremò paracleti appellatio, Per, præpositionem admittit apud Apostolum dicentem: *Vt det nobis, secundum divitias gloriæ suæ, virtutem corroborari per Spirit' in interiori homine:* Spiritus est qui fortitudinem præstat. Ideo per Esaïam: *Spiritus fortitudinis* scribitur, per quē, & à quo sermo datur sapientiæ. Qua in re falluntur Hæretici atque quicunq; alij Per præpositionem attribuunt Filio ut remissionem significantē. Quia ex prælibatis intelligi potest, sine fallacia quod secundum eundē sensum Filio & Patri apponatur Per, præpositio, ut actionem significans aliquando, aliquando ut opitulationem. Nusquam enim remissionem significans, invenitur: *quando indicabit*

F *Deus occulta hominum per* IESVM-CHRISTVM. Is enim est sensus, quòd Christus redditurus sit singulis secundùm opera sua. Nam *Pater non iudicabit quenquam, qui omne iudicium dedit Filio:* à quo justificati sumus, cùm peccatores essemus, & existentes longè, adducti cooperando, ad conservandos nos in justitia: qui propter charitatem mortem subiit, & per mortem justificavit, per quem ad esse sicut omnia venimus, qui indifferenter dicitur Deus, & dominus Deus veluti, *ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus,* dominus: ut, *Dixit Dominus domino meo,* hunc dominum *Pater constituit hæredem universorum, per quem fecit & sæcula.* Quod qualiter intelligi debeat, Propheta testatur dicens: Et *in principio Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli.* Hoc idem & Theologus Ioannes, aliis versibus affirmat, dicens: *Omnia per ipsum facta sunt:* non tanquam per instrumentum, ut Arriani oblatrant dicentes per Filium facta esse omnia, non ipso existente factore, sed organo mentientes. Quia per ipsum facta sunt, qui factor & condi-

G tor est omnium visibilium & invisibilium. Quòd si positio Nicetæ præsulis vera est, quæ profitetur, per Filium, Spiritum procedere, non emittente Filio nec talis emissionis existente consorte, negari non possit, quin Spiritus & per instrumentum procedat tali complexione: Pater per Filium, aut coëmittentem sibi aut nō coëmittentem, Spiritum emittit. Si coëmittit Spiritum Patri Filius, emittit ipse Spiritum ut Pater exterminandis, minus & magis. Si non coëmittit, inefficax existens, restat instrumentum Patris Filium esse, quod impius Arrius evomebat, ad instar navis, quæ movetur per gubernaculum. In quo gubernaculo quidem non est principium motus navis & causa. Solus enim gubernator in navi' existens, per organum ipsam, clavum scilicet, movet extrinsecus. Quicunque igitur solum Patrem esse principium, ineffabilis processionis Filium excludendo asserit, extra Patrem Filium collocat, de sinu ingeniti, unigenitum evellendo instrumentum constituit eundem, quo quid nefarius? Ergo per Filium

H procedens Spiritus, absque dubitatione aliqua procedit ex Filio. Nam sicut verum est dicere, per Filium omnia facta sunt, & Filius omnia fecit, eodem modo vera est, quæ dicit oratio: Spiritus per Filium procedit, & ex Filio procedit, quod multis modis argumentorum & exemplorum, quæ numerum pene transgreditur, copia perdocuit: procedit ex Filio Spiritus Filij, qui constituit Apostolos, & Prophetas, in Ecclesia, in quibus posuit Spiritum sanctum, ut Coryphæus Petrus in prima Epistola dicendo asserit: *De nostra salute exquisierunt, atque scrutati sunt Prophetæ, qui de futura in vobis gratia prophetaverunt scrutantes, quod vel quale tempus significaret, qui in eis Spiritus Christi pronuncians eas quæ in Christo sunt passiones, & posteriores glorias:* Nam per Esaïam dixit: *Sicut ovis ad occisionem ductus est:* per Hieremiam verò: *Venite, mittamus*

lignum

A *lignum in panem eius.* Resurrectionem per Oseam significavit: *Vivificabit nos post duos dies, & die tertia resurgemus in conspectu eius.* Deum Christi esse Spiritum Evangelista Marcus innuit: *Erant,* inquit *quidam scribarum ibi sedentes & cogitantes in cordibus suis: Quid hic sic loquitur? blasphemat. Quos statim cum cognovisset* IESVS *in Spiritu suo, quia sic cogitarent intra se, dixit illis: Quid ista* &c. Accusabant IESVM quòd peccata dimitteret, solius enim Dei peccata dimittere. IESVS verò spiritu suo, qui scrutatur profunda Dei, cognoscens cogitationes illorum, signum dat illis se Deum esse, ex eo quod illorum corda rimabatur. Solus enim Deus quæ sunt in corde cujusque cognoscit. Ergo Pater quanquam sit Deus & non de Deo, & Filius sit Deus de Deo neque ut de primo principio, sed neque Spiritus sanctus est de Patre ut de primo principio, quia neque ut de primo Deo, multo minus est de Filio, ut de primo Deo, vel primo principio. Quemadmodum utique non dicitur in Trinitate primus Deus, quia secundus non est propter eandem rationem, non

B est dicendum: primum in Trinitate principium, quia secundum ipsa non habet. His itaque sic demonstratis, reliquum est ostendere, quod longe prospicit à veritate hic idem Antistes: dum Latinos asserit magno Cyrillo, & magno Athanasio, aliisque sanctis Patribus contraria de processione sancti Spiritus sentire. Etenim magnus Cyrillus, & multis in divinis scripturis Athanasius, cæterique Patres pleni Deo nequaquam illi assensum præstant, qui suis in contractibus id quod Latini credunt, & confitentur, publicè scriptum reliquerunt.

## CAPVT XXI.

MAgnus itaque Cyrillus, in primo sermone, qui est, λατρεία in Spiritu & veritate, Latinis testimonium perhibet, dicens: Qui secundum naturam vita Deus est, putâsne, quod anima hominis divinus fa-

C ctus sit Spiritus? & quomodo non inconveniens valde sit intellectus hujusmodi? Nam immutabilis & ipsa pro sua permansisset anima, nunc quidem mutabilis est: Spiritus verò nullo modo mutabilis. Quòd si mutabile esse infirmitatis est, in ipsam macula divinam redundet natura m, cùm sit Dei Patris, & utique Filij qui substant aliter ex ambobus profunditur Spiritus. Et idem in commentario Ioel Prophetæ, ac illo capitulo: *Effundam de Spiritu meo, & prophetabunt Filij vestri,* talia depromit: Remorata quidem fuerat de supernis dati gratia, sed in Christo renovata est, qui est secundus Adam. Quomodo autem renovata? In eo enim, quod Deus est, & Dei secundum naturam Filius: Ex Deo enim & Patre natus est, proprius ejus, & in ipso & ex ipso Spiritus est. Quemadmodum utique in ipso intelligitur Deo & Patre. In eo verò, quod homo factus est, & simul nobis apparuit, advenientem habere Spiritum dicitur descendit enim super eum in specie columbæ Spiritus

D S. quando ut nos factus, sicut dixi. Tanquam unus nostrum dispensativè baptizatus est; & post pauca, idem Sanctus: Oportebat igitur inter filios Dei connumeratos sancti Spiritus gratia ditari, hoc verò Christus ad effectum perduxit, ut facit Petrus asseverat, dicens: *Dextera igitur Patris exaltatus, promissionem Spiritus sancti accipiens, à Patre effudit hic quod vos videtis, & auditis:* accipit quidem ut homo à Patre, quod inest ei naturaliter: effundit autem abundanter super nos, quia Deus secundum natura est. Et hoc quidem Sanctus. At verò ubi permanet intellectus idem, & substantiæ ratio eadem. Vbi verò substantiæ ratio eadem, æquivocatio excluditur. Quare patet & secundū magni Viri hujus intelligentiam, Spiritum ex Patre, & Filio esse, univocè dici. Magnus quoque Athanasius in confessione suæ fidei, planè processionem ex Filio esse astruit; ait enim: Spiritus ex Patre & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens. Excellentissimus quoque doctor Ecclesiæ magnus inter sanctos Papa Gregorius ad Petrum Diaconum de sancti Spiritus processione in capitulo quodam, cujus non est fidelis apud Græcos interpretatio, talia loquitur: Ipsa, inquit, veritas, ut fidem Discipulis augeret, dixit: *Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos.* Cùm enim constet quia Paracletus Spiritus ex Patre semper procedat & Filio, cur se Filius recessurum dicit, ut ille veniat, qui à Filio nunquam recedit? Sanctus quoque Archiepiscopus Cypri Epiphanius in libro quem titulus ἀγκυρωτὸν nominat, eo quòd sit anchora fidei, de Orthodoxa fide talia memorat. Beatus, inquit, Petrus, ad Ananiam dixit: *Cur tentavit cor tuum Satanas, mentiri te Spiritui sancto, non es mentitus hominibus sed Deo.* Igitur Deus est, inquit, ex Patre & Filio Spiritus, cui mentiti sunt, qui de precio fraudaverunt; & rursum: Spiritus enim Deus est, & Spiritus Patris, & Spiritus Christi, non secundum aliquam compositionem, quemadmodum in nobis anima & corpus, sed in medio Patris & Filij ex Patre & Filio. & rursum: Vita totus Deus, ergo vita ex vita Filius.

F Ego enim *sum veritas & vita.* Sanctus verò Spiritus ab ambobus, Spiritus ex Spiritu, nam Spiritus est Deus; & infra: Nunquid dicimus duos esse Filios? & quomodo unigenitus? imò tu quis es, qui respondeas Deo? si Filium quidem vocat ex se, sanctum verò Spiritum ex ambobus? & rursus: Spiritus sanctus, Spiritus est, lumen tertium à Patre & Filio. Solus verò Damascenus Ioannes dissidere à magno Cyrillo, aliisque sanctis Patribus videtur, si tamen ita scribit. Spiritum ex Patre dicimus, & Spiritum Patris nominamus. Ex Filio autem Spiritum non dicimus, Spiritum verò nominamus. Veruntamen & scriptura sic se habente, non discordat hic sanctus à Latina veritate: hoc ad consuetudinem Ecclesiæ Græcorum referendo, quæ non esse Spiritum ex Filio confitetur, usque in hodiernum. Quippe si Spiritum Patris & Filij nominamus, ut sanctus Vir cum Apostolo asseverat, aut æqualiter & similiter confitendum est Spiritum esse utriusque: aut inæqualiter, & dissimiliter: & inæqua-

G liter Spiritus est Patris & Filij, & magis est unius, & minus est alterius; & erit infinitus secundum magis, respectu Patris, & finitus secundum minus, respectu Filij. Omne enim quod continetur, & exceditur ab aliquo, secundum quod continetur & exceditur, terminatur. Quare terminum habebit intensionis, dum habeat remissionis principium. Porrò si quid apud nos perfectum est natura, moribus & ratione, magis & minus reprobat, quid utique apud divinas personas omni perfectione præditas intelligendum sit? Nam quod omni parte perfectum est, stabile est, atque indilatabile. Quod verò magis & minus suscipit, defectum perpetitur, participationem habens, motum, adjectionem, & imperfectionem: at verò trium personarum ratio in eodem semper termino consistit.

## CAPVT XXII.

H AMplius: Remissio cujusque fit ex impotentia, impotentia verò contra naturam est: sed in primis ut simplicibus & in mixtis, & in propria existentibus regione, non est aliquid contra naturam. Quare neque remissio, neque intensio. Ergo Spiritus, qui omnium mensura & terminus est, quod mundus capere non potest, quo intendatur, aut à quo per remissionem terminum intensionis accipiat? Quare cùm Patris nominetur Spiritus, atque Filij, non magis est Patris & minus Filij, qui utriusque prius æqualiter, inseparabiliter, & naturaliter existit, & secundum eandem rationem. Quæcumque enim res duorum est æqualiter & secundum naturam, aut est proprium eorundem aut quasi proprium. Et attendendum, quòd proprium duobus modis dicitur, per se, ac secundum aliud, ut Philosophus perhibet: per se hominis est proprium, animal mansuetum natura, quod aliorum separativum est omnium.

omnium. Ad aliud verò proprium est, ut bipes, equi respectu proprium est hominis, & imperare corporis respectu animæ proprium, sicut servire, corporis proprium ad animam relati. Hujusmodi verò proprium, non ab omnibus separat, verùm ab aliquo. Secundum verò hanc significationem, dicitur Spiritus Filij proprius, aut quasi proprius. Non enim separat Filium à Patre, sed à creatura universaliter Filium distinguit, & Patrem. Quibus ex rebus necessitas profluit hujuscemodi. Omne secundum naturam proprium, aut quasi proprium æqualiter ab his communicatur, quorum est proprium, aut quasi proprium: Sanctus verò Spiritus, secundum naturam Patris & Filij proprius est, aut quasi proprius: Deinde Spiritus sanctus existens, quod Pater & quod Filius, æqualiter & naturaliter est Patris atque Filij. Quicquid verò æqualiter & naturaliter Patris est & Filij, secundum eandem rationem, eandémque considerationem ambobus convenit. Quare Spiritus sanctus existens, quod Pater & quod Filius, secundum eandem rationem eandémque considerationem ambobus convenit. Huic iterum conclusioni accidit fides, quòd in talibus locum non reperit contradictio. Sanè cùm absque fallacia dicatur, Spiritus sanctus Patris est & Filij, hujus abdicatur contradictoria penitus, ut plena falsitatis, quæ est Spiritus sanctus, non est Patris & Filij, quod in æquivocis repetitur frequentissimum. Amplius. Spiritus sanctus existens & quod Pater & quod Filius, æternaliter, similiter, æqualiter, secundum naturam Patris est atque Filij: Quicquid verò æternaliter, similiter, ac æqualiter & secundum naturam duorum existit, quia non magis accedit ad unum, quàm ad alterum, non magis ex uno habet esse, quàm ex altero. Nam si ex altero quidem existentiam trahat: ex altero autem minimè, dissimilitudo manifesta est, æqualitas, & æquilibritas, non utramque personam amplectitur: & lex eorum, quæ naturam sequuntur imparitatis nescia, terminos suos derelinquit. Itaque Spiritus sanctus existens quod Pater, & quod Filius, quia non magis accedit ad Patrem quàm ad Filium, non habet esse de Patre quàm de Filio. Ex his ergo ratiocinationibus, Viri nuper memorati, manifestè ut superiùs est exposita intensio panditur, & quod ab eodem magni Sabbathi editus sermo violentiam, corruptionémque per intestabilem nefariámque mutationem patiatur. Quippe ubi principaliter de Trinitate, trium reminiscendo personarum proprietates disseruit, nihil talium peperit. Verba tantum, quæ superius leguntur, ad posteros transmittendo: non secundum se, sed secundum consuetudinem Orientalis Ecclesiæ. Sed neque Orthodoxæ fidei quispiam ante illum simile chartis inaraverat. In præfato autem sermone, contra fas, contráque majorum contradictionem, Spiritum ex Filio, existentiam non habere, à quibusdam mendacij magis perquirentibus solatium, quàm semitas investigantibus veritatis insertum est. Quod sic esse, ipsa verborum series, styli alteritas, & quæ nihil ad rem pertinet erronea clausulæ insertio, magis autem quod apud Sanctorum aliquot nusquam scriptum reperitur, apertissimè declarat. Profectò si solus Pater emittit Spiritum Filij, non communicat emissioni Filius. Quippe si communicat Filius, non solus Pater Filij Spiritum emittit, communicante illi verbo suo, & erroris minimè arguendi sunt, qui hoc dogmatizant. Sin autem ut Græci dicunt, ex solo Patre Spiritus procedit, solus Pater Spiritum Filij emittit, Filio non communicante, quam consequentiam obliquæ ambages connectunt, veridici deserunt tinnitus, & ejusdem Spiritus concutit prostatio. Consequitur enim prophanum quiddam, & abominabile, Patrem videlicet, emittere Spiritum non communicante Patris virtute ac sapientia: Dei enim Patris & sapientia Christus est, ut Apostolus perhibet. Quare impotens secundum hoc & fatua erit emissio Spiritus, & causa & principium irrationale. Ipse etiam Spiritus Patris Filij existens, adveniens erit filio, nisi ex ipso, ut ex Patre proveniat. Sed enim si circumscripta virtute ac sapientia emissor Pater intelligatur, impotens & irrationalis ipse Pater secundum quod emissor constituetur. At verò impia & execrabilis illa vox est, quæ Spiritus sancti omnium bonorum datoris fontem, & causam, fatuam & impotentem esse personat. Quas ob res, clarum ut arbitror planè factum est, Filium qui est virtus & sapientia Patris, Spiritum suum, cum Patre ipso emittere. Quod constanter, piè, ac verè, cunctorum sanctorum Patrum vestigia persequens, omnis magni Petri successor tenet, & hujus decreti sententiam, ut societate veritatis inexpugnabilem, ut votis justioribus gratificam, ut opulentam justitiæ, ut priscis innixam authoritatibus, ut à summo pastore Christo editam, & ut habentem integras allegationes, orbi universo publicat, & ab antiquo ritè censet amplecti.

*FINIS.*

# ARNOLDI
## CARNOTENSIS
### ABBATIS BONÆ-VALLIS,

## De septem verbis Domini in Cruce, Tractatus pius, cum Scholiis & emendatione Francisci Titelmanni Hassellensis.

*EIUSDEM ARNOLDI SERMO de laudibus B. Virginis Matris.*

EIUSDEM ARNOLDI Tractatus de Operibus sex dierum.

### *DE OPERIS HUIUS AUTHORE.*

ARNOLDUS *Abbas Bonæ-vallis* (teste Ioanne Trithemio) Beati Bernardi familiaris amicus fuit, vir in divinis scripturis studiosus & eruditus, sæcularium quoque literarum non ignarus, promptus & clarus eloquio, nec minus conversatione quam doctrina conspicuus. Qui, defuncto Guilhelmo Abbate sancti Theodorici, & opus vitæ sancti Bernardi imperfectum relinquente, fratrum multorum precibus devictus, quod ille morte præventus imperfectum reliquerat, libro uno est prosequutus, cujus initium: *Virorum illustrium gesta*, &c. Huic Arnoldo beatus Bernardus in ultima ægritudine positus brevem scripsit epistolam, amicissimi erga illum pectoris testem, cujus titulus est: *Ad Arnoldum Carnotensem, Abbatem Bonæ-vallis* quam nos propter fidem astruendam authori, statim post sequentem nuncupatoriam epistolam locari curavimus. Fertur idem author præter duos hos tractatus, quos modo in lucem edimus, alia quoque conscripsisse opuscula, *de Operibus sex dierum, déque corpore & sanguine Domini*: quæ hactenus nobis invisa, si quando ad manus nostras pervenerint, lucernam sub modio non relinquemus absconditam.

ERNALDUS autem, Italorum fortasse consuetudine, vocatur ab Henrico à Gandavo in Catalogo.

A

*EX BELLARMINO*
*de Scriptoribus Ecclesiast.*

ARnoldus Carnotensis, Abbas Bonæ-Vallis, vir admodum pius, & doctus, & sancti Bernardi discipulus, & amicus in primis, ad quem etiam scripsit *epistolam 310. de obitu suo iam imminente.* Scripsit insigne *opusculum de septem verbis novissimis a Christo in Cruce prolatis.* Scripsit item *de laudibus Virginis Mariæ Matris Dei*: quæ duo opera extant. Scripsit quoque *secundum librum vitæ sancti Bernardi*, qui habetur ad finem operum sancti Bernardi.

B

*EX P. PHIL. LABBE*
*tom. 1. in Bellarminum.*

OBservandum in Oxoviensi Collegio omnium animarum, reperiri in M. S. Codice tractatum de Cardinalibus operibus Christi, qui editus est inter opera S. Cypriani, attributum Arnoldo Bonavillatensi Abbati ad Hadrianum Papam, quæ ego omnibus ritè perpensis, non alium esse arbitror ab hoc nostro Bonæ-vallensi Abbate qui tempore Hadriani 4. floruit.

# S. BERNARDI

C

## EPISTOLA, AD ARNOLDVM CARNOTENSEM,

### Abbatem Bonævallis: qui missis quibusdam munusculis, de ipsius fuerat valetudine sciscitatus.

SVscepimus charitatem vestram in charitate, & non in voluptate. Quæ enim voluptas, ubi totum sibi vendicat amaritudo? Nisi quod solum nihil comedere, vtcunque delectabile est. Somnus recessit à me, ne vel beneficio sopiti sensus dolor vnquam recedat. Defectus stomachi, fere totum quod patior est. Frequenter & in die & in nocte exigit confortari modico admodum qualicunque liquore: nam ad solidum omne inexorabiliter indignatur. Hoc parum quod dignatur admittere, non sine gravi molestia sumit: sed timet graviorem, si se vacuum omnino

D dimiserit. Quod si plusculum quid interdum admittere acquiescat, id gravissimum. Pedes & crura intumuerunt, quemadmodum hydropicis contingere solet. Et in his omnibus, ne quid lateat amicum de statu amici sollicitum, secundum interiorem hominem (vt minus sapiens dico) spiritus promptus est, in carne infirma. Orate salvatorem, qui non vult mortem peccatoris, vt tempestivum iam exitum non differat, sed custodiat. Curate munire votis, calcaneum nudum meritis: vt is qui insidiatur, invenire non possit vnde figat dentem, & vulnus infligat. Hæc ipse dictavi, sic me habens, vt per notam vobis manum agnoscatis affectum. Veruntamen rescripsisse, quam scripsisse malo erim.

*Hanc epistolam (ut testatur Gaufridus monachus Claravallensis, beati Bernardi discipulus) Pater sanctus imminente exitu suo conscripsit. Addunt alij, hanc epistolam Bernardum in extremis positum dictasse novissimam. Ponitur in ordine epistolarum, trecentesima decima: & à prænominato Gaufrido recensetur, vitam S. patris describente, libro secundo suæ descriptionis, cap. secundo.* E

## ORDO SEPTEM VERBORVM Christi, iuxta processum Tractatus sequentis.

Primum verbum. *Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti.* M. 27. Marc. 15.

F

Secundum. *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.* Luc. 23.

Tertium, *Mulier, ecce filius tuus*, ad matrem: & ad discipulum. *Ecce mater tua.* Ioan. 19.

Quartum. *Sitio.* Ioan. 19.

Quintum. *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Luc. 23.

Sextum. *Consummatum est.* Ioan. 19.

Septimum. *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.* Luc. 23.

*Iuxta communiorem tamen sententiam, non hoc ordine Christus verba ista dicitur protulisse. Quod enim primo loco iam positum fuit, quartum constituunt. In secundo & tertio convenientia est. Quarto solet dari locus quintus: quinto, locus primus. In sexto & septimo, nulla est dissonātia. Exactè quoque perspicientibus Scripturas, & singula adinvicem diligenter conferentibus, apparebit posterior iste ordo verisimilior, & Evangelistarum narrationi consonantior. Et forsitan non ideo author istum verborum ordinem est sequutus, quod ita putaret ea esse prolata, sed quia suæ devotionis affectui ita voluit deservire. Verum de ipso dictorum ordine aut ordinis ratione, non est quod impræsentiarum anxie disputemus. Ipsa magis quæ sunt dicenda, arrectis auribus & toto pectore intenti audiamus.* G

# ARNOLDI ABB. BONÆ-VALLIS

## TRACTATVS

### De ultimis septem verbis Domini.

*PRÆFATIO.*

VLtima Christi verba, quæ cruci affixus novi testamenti hæredibus tractanda proposuit, licet sparsim à nonnullis in commentariis Evangeliorum videantur exposita, movit me tamen verborum sanctorum reverentia amplius eorum penetralia scrutari, & quod illa hora, qua consummata videbantur quæ de eo fuerant prophetata, prolata sint, cum iam non doctrinæ, sed passionis agebatur negocium, & quod in eis sua omnia Christus recapitulat dogmata, & tam diffuse prius prædicata, brevibus coarctat capitulis: ita vt in illo verborum compendio, Christianæ fidei ratio splendeat, & de semine exiguo seges immensa vniversitati credentium profutura consurgat. Quanto etenim brevius dicta sunt, & in illo H

A articulo quo feria & necessaria agi rerum circumstantia postulabat, tanto diligentius inquirenda sunt: & tanto penitius intuenda, quanto fœcundior & causalis & seminalis ratio in eis delitescit.

Evolutis igitur causis, quasi ex quibusdam latebris, & ex quodam reclinatorio aureo honorabilem internorum intellectuum maiestatem produces in medium, & egredietur palam in decore suo cognoscibilis veritas, quam antea oppositis velaminibus ignorabas: & cum propius accesseris, & infuderit se tibi, illuminans sensum tuum divinæ radiis veritatis, intelliges & videbis in scintilla incendium, & in stilla reperies pelagus, & in lecytho olei, vnde creditori reddas debitum, & tibi affatim supersit, in inconsumptibilem cibum. Ante tamen exordium attendamus, quisnam ille sit, qui se clamat derelictum. Nonne ipse, qui latroni promittit & donat paradisum? Vtrobique verbi virtutem B intellige. Audi quid hæc vltima schola subtilitatis edoceat. Hic idem qui se derelictum causatur, non pro latrone patrem rogat, sed potestative immerito donatis reatibus, repente flagitiosum sanctificat, & cœlestibus invehit sedibus, & secum in gloria locat. Hoc fundamentum fidei esse, hoc argumentum probabile & necessarium, omni evidentia constat, quod regni Christi etiam in cruce perfecta sit efficientia. Nec minuatur humilitate carnis imperij dignitas: imo hoc ad gloriam crucifixi pertineat, quod in illa contumelia crucis, sapientiam & fortitudinem mundi huius vincat & 1.Cor.1. superet, quod stultum & infirmum æstimabatur incarnati Verbi venerabile sacramentum. Quod enim filius in persona derelictorum conqueritur, non est impossibilitatis indicium: sed hoc potius intimat, quod diminutio illa excellentiæ superioris, humilitati corporis tribuat incrementum: & vicissim humilitas & sublimitas quibusdam revolutionibus inter se partiantur negotium: forma Dei se exinaniens, & forma servi nomen Philip.2. quod est super omne nomen accipiens. Non derelinquitur vsquequaque, sed dispensatorie singularum exprimitur ratio naturarum: quia & relinqui & pati & C mori, quidam arcti & difficiles fiunt transitus, per quos ad solidum & immobilem statum, quasi pelle peccati deposita, & omni scabie vitiorum detersa, renovatus homo perveniat. Vnde etiam quod sitit in cruce fons vitæ, quod supplicante Christo, etiam crucifigentibus locus est veniæ, quod inter convicia, & supplicia pietate matris afficitur, quod omnibus consummatis, victor migrat ad patrem, indiscussum relinquere, ingratitudinis esset & torporis: cum hæc singula capitula proprium syntagma requirant: & meditatores legis Dei totius hic religionis reperiant semina, de quibus exercitatus animus, Divinorum intellectuum fructus vberes metat. Ad quarum rerum indaginem licet insufficientem me iudicem, nec oculis impuris puram lucem intueri sustineam: interim tamen sub vmbra Divinorum secretorum secedens, à prohibitis & inaccessibilibus abstinens, ad reliquas Paradisi arbores præsumpsi manus extendere, & experiri gustu, quid saporis intra se dulcedinum multitudo D proposita contineat.

## SCHOLIA F. FRANCISCI Titelmanni.

*ET quod illa hora quæ consummata videbantur*, &c.) Geminam hic author innuit rationem, quare novissima illa Christi verba in cruce prolata profundiori sint consideratione digna. Prior est, quod illa hora sint a Christo prolata, quando minime loquendi atque docendi tempus esse videbatur, nempe quando totus premebatur passionum tormentis. Ex hoc enim, quod nec tantis tormentorum afflictionibus ab horum verborum potuit impediri silentio, intelligimus, admo- E dum seria esse debere verba illa, & plurimum in se vtilitatem atque necessitatem continere. Veluti cum nos virum gravem loqui videmus eo tempore quod minime aptum videtur locutioni; intelligimus magnæ necessitatis vel vtilitatis esse verbum eiusmodi. Solent item maxime seria esse & familiæ regimen, bonum proxime concernentia, quæ patresfamilias cum à domo peregre abscedunt, in ipso abscessus novissimo articulo loquuntur iis quos domi relinquunt. Tunc enim ipsa rerum circumstantia postulat tractari maxime seria. Ita quia Dominus noster à nobis peregre abscessurus, in ipso sui abscessus articulo verba ista proloquutus est novissima: nihil dubium, quin verba sint in sese multi ponderis, nobis quoque vtilitatis permagnæ. Posterior ratio hæc est, quod mira brevitate plurimam sanctæ eruditionis vtilitatem in se contineant: eo quod penitius considerata paucula hæc verba, vniversam Christi F doctrinam prius diffuse ac late prædicatam, miro compendio in sese videantur concludere. Propter hæc, & *semen exiguum* appellat istud verborum paucolorum compendium, ex ipso dicens *segetem amplam* consurgere: aptissima nimirum comparatione, quoniam sicut semen quantitate quidem & mole perpusillum est, claudit tamen & abscondit intra se virtutem admirandam, qua de se possit arborem magnæ molis progignere, cum in terra bona absconditum atque mortificatum fuerit: ita & hæc verba syllabarum numero modica, maximam in se sacræ eruditionis vim concludunt: quæ tum demum se proferent, cum intra terram bonam, id est, cor mansuetum & humile, abscondita & bene mortua fuerint. Illic enim seges magna de semine exiguo cernetur exurgere. Atque hoc pacto etiam illud intelligendum est quod ait, in verbis istis multum fœcundam delitescere causalem & seminalem rationem.

*Et in lecytho olei, unde creditori reddas debitum, & tibi affatim supersit in inconsumptibilem cibum*) Alludit ad miraculū illud Helizeæ Prophetæ, de quo quarti libri Regum quarto capite legimus: quo videlicet G ad precem mulierculæ debitis oppressæ, paululum olei, quod solum in domo sua habebat, mirabiliter multiplicavit, ita vt ex eo replerentur vasa non pauca: quo facto, dixit Helizeus: *Vade, & vende oleum, & redde creditori tuo, tu autem & filij tui vivite de reliquo.*

*Quia & relinqui & pati & mori, quidam arcti & difficiles fiunt transitus*, &c.) De serpente fertur, vbi se senserit senio gravari, & velut scabie sive corruptione quadam pellem antiquam perfundi, tum ipsum ad sibi medendum eligere arctum aliquem transitum & angustum foramen, per quod magna violentia corpus totum traducens, pellem deponit veterem cū sua scabie: sicque veteri pelle liber, toto corpore velut renovatur: Quo- Mat.10. modo & de aquila ferunt, per attritionem incurvati rostri ad petram reiuvenescentis. Hocque esse putant & interpretantur nonnulli veteres authores, quod monet in Evangelio Dominus, prudentes fieri suos discipulos *sicut serpentes*: Hoc respicit, quod hic dicitur; *relinqui, pati & mori*, esse arctos quosdam transitus, per quos ad statum novitatis & immortalitatis debeat homo transire, prius deposita peccati pelle & omni scabie abrasa.

*Cum hæc singula capitula proprium syntagma requirant*) *proprium syntagma*, id est, proprium ordinem vel H dispositionem. Græcis enim συντάσσω significat *dispono, vel compono, vel ordino. Vnde σύνταγμα* significat *ordinationem*. Vel *dispositionem*.

*A prohibitis & inaccessibilibus continens, ad reliquas paradisi arbores præsumpsi manus extendere.*) In paradi- Gen.2. so protoparenti Adæ fuit permissum, de quibusdā lignis sumere, gustare & edere: sed prohibitum ei fuit, lignum scientiæ boni & mali. Ipse tamen non solum ad concessa, verum etiam ad prohibita ligna præsumpsit manus extendere. Sic in divinis rebus investigatio quædam est prohibita, ea videlicet quę per curiositatem maiora quærit, quam quæ humanus captus possit comprehendere:

de

A

Prov.25.

de quali investigatione per ſapientem dicitur : *Perſcrutator maieſtatis, opprimetur à gloria.* Quædam vero inveſtigare permiſſum eſt, ea ſcilicet quæ humanum captum non excedunt & animum in vera pietate ædificant. Qui ergo prohibita in rebus divinis ſcrutari præſumit, rectè dicitur, *ad prohibitam arborem manum extendere.* Qui autem conceſſa humiliter conſiderat, *ad alias arbores non prohibitas dicitur, manus extendere.*

B

# ARNOLDI TRACTATUS DE NOVISSIMIS SEPTEM Verbis Domini, & primùm de verbo illo :

Mat.27. Marc.15

*Deus meus, Deus meus, quare me dereliquiſti?*

* Seneca epiſt.5.

POST regulas fidei Evangelico dogmate promulgatas, poſt ſigna & miracula & documenta inſtitutæ, quia iter longum * fuit per præcepta, ventum eſt & ad compendioſum, & efficax per exempla. Et ne aliquid doctrinæ deeſſet, ſequuta eſt forma : quæ ideo ad ultimum dilata eſt, ut quaſi piæ hæreditatis teſtamentum filij ſuperſtites eo devotius amplecterentur, quo Chriſti ſanguine conſcripta privilegia ſua viderent, & impreſſam obedientiæ eius imaginem bulla imputribilis exhiberet. Ideoque ex illa cathedra crucis quoddam Deuteronomium dictatum eſt, in recapitulatis breviter quæ multa prolixitate diffuſa erant. Satagit

Act.1.

ſimul magiſter bonus facere & docere & exemplo conſummare doctrinam, nec tam veritatis præceptor eſſe,

C

quam teſtis. Modo ultro eloquitur, qui paulò ante ad

Luc.23. * fort. curioſit. faſt. tumentiú.

Herodis & Pilati inquiſitiones conticuit,* curioſitatem & faſtum timentium hominum aſpernatus, pauperes ſpiritu de patibulo edocet : ibique ſcholam religionis iterum inſtituens, pauca proponit capitula, in quibus & affectum charitatis intimat, & zeli ſancti imitationem commendat. Non poſſunt impedire tormenta doctrinam : ſed quaſi hebes contemnitur ferrum : & providet ſollicita pietas, ut ad regulam fidei diſcipulorum mores æquentur, & conquadrato fundamento ædificatio firma ſtabiliter innitatur. Se igitur ipſum modo hominem exhibet, modo Deum, modò omnipotentem & modo infirmum : ut inter ſe ſublimitas & humilitas vices negotio congruas partiantur. Modo ſupplicat, modo imperat, modo ſe dicit derelictum, modo latroni promittit paradiſum. Agit ſecundum utramque naturam quod exigit cauſa. In hac contemnitur, in illa gloriam regnumque largitur. Perſtrepebant ante crucem clamores irriſorij, & ad dolorem vulnerum cruenta plebs

D

addebat convicia : ringebat & torvis aſpectibus in faciem quam conſpuerat intendebat, & unanimi claſſico acclamabat. *Vah, qui deſtruis templum Dei, & in triduo*

Mat.27. Marc.15

*illud reædificas.* Vide quantum mali error & perfidia Principum adiunxerat plebi, quantum rubiginis ſuæ, affricuerat populo imprudenti auctoritas ſacerdotum, quantum convaluerat coniuratio facta in Chriſtum cum occiderent eum & nomen eius delerent è medio: Non verebantur omnes homicidij titulo in perpetuum eſſe notabiles, uno in ſe & in parvulos ſuos tãti ſceleris reliquias congerebant, & ultro damnationis ſuæ chirographo ſubſcribebant. Nondum expiraverat Chriſtus, ſed foſſis manibus pedibuſque, & ſciſſo vepribus capite, vivebat in cruce, & parricidalium mentium intuens vota non tam clavorum acumine quam illorum

E

crimine pungebatur. Pro his igitur ad Patrem convertitur, & charitatis argumento prolato in medium, inauditum dicendi genus novus orator aſſumit: & inimicorum cauſam allegans, ipſis invitis atque negligentibus parti contrariæ ſuffragatur : & utrum plus poſſit peccatum quam iuſtitia, Deo Patri quæſtionem proponit. Et ediſſerit, eſſe inconveniens, ut amplioris ſit virtutis delictum quam donum, & prævaleat malitia bonitati, & perditio ſaluti. Cum enim ipſe ad hoc nitatur ut ſalventur, & Iudæi ad hoc ut damnentur, plus debet apud Deum poſſe filij charitas, quam populi cæcitas : quia & hoc non minimum habet pondus, quod cauſæ huic non patrocinatur alienus, ſed filius : neque reipublicæ commodum ex hac indulgentia minuitur, ſed augetur : ideoque nec legibus nec iudici derogat,

F

ſi temperatur ſententia : quia cum communibus utilitatibus tribunalia deſerviant, non eſt ſibi contraria inſtitutio, quæ quocumque tramite ad propoſitum redit, quæ quod à ſtatu integritatis ſuæ elapſum erat reſtituit. Alioqui ſubtracta ſibi agonum ſuorum ſtipendia Chriſtus queritur, proteſtans non eſſe quæſtuoſos tanti diſcriminis ſudores, ſi hi quibus tanti laboris opera impenſa eſt ſic relinquantur, & ad ſalutem eorum inefficax ſit hæc humilitas, & ita ſanguis filij in conſpectu Patris vileſcat, ut non omnia poſtulata obtineat. Clamat igitur : *Helai, Heloi, quare me dereliquiſti?* Non improperat Patri, nec derelictum ſe dicit

Mat.27. Oblatus eſt quia ipſe voluit. Iſai.

quaſi contumelia crucis contra propoſitum videatur oppoſita : ultro enim & minas patibulo, & palmas ferro expoſuit : ſed quantum ſit obedientiæ fundamentum & culmen, interrogans innuit, cum ſe & minorem & æqualem oſtendit. Deſeritur humilitas, adeſt maieſtas : fortius eſt & ſapientius omni virtute & ſenſu

1.Cor.1.

hominum, quod in Chriſto Iudæus & Græcus ſtultum æſtimat & infirmum. Secundum formam ſervi, legationis ſuæ miniſterium non erubeſcit, non diffitetur carnis naturam paſſibilem & mortalem. In hac forma Patri blanditur mediator attentus, nec abnegat quod videtur, nec rapinam arbitratur, ſi aliquid pro poteſtate loquitur, & Patrem aliquando ex æquali affatur. Deum igitur ſuum vocat, ne quis quod proprium eſt alterius ad alterum, exiſtimet alienum: & quod commune videtur, ſecare præſumat, quaſi diviſum. Naturæ divinæ communio inter Patrem & filium, non admittit ſciſſuram : & licet ſit ibi diſcretio perſonalis, una

G

tamen eſt divinitas & eſſentia naturalis. Suum dicit, ut manifeſtum fiat, quod ille qui ſuus eſt in nullo ei contradicere poſſit. Deum ſuum dicit, ut nobis minime formidandum iudicem intimet, quem ſicut ſuum flectere poſſit, & ad eum tutum eſſe acceſſum, quem non ut alienum appellat, ſed ſuum. Nec parvam confidentiã huius familiaritatis germanitas exigit, quæ in conſpectu Patris tantam derelictorum ſollicitudinem gerit, ut ſe quoque in eo, quod conſtat voluntarium eſſe & ſpontaneum, dicere non dubitet derelictum. Impoſſibile ſane eſt, ut in Patrem bonum, bonæ voluntatis cadat ingratitudo, & non magis in tam benigno dilecti ſibi filij affectu complaceat. Quod autem derelictum ſe filius commemorat, mercedem obedientiæ poſtulare videtur : nec diu beneficium differri tolerat,

H

quod deberi ſibi obedientia morti obviam procedens, confidenter proclamat. *Quare* (inquit) *me dereliquiſti?* Huius myſterij rationem nondum intellexerat mundus, needum tanti ſacramenti effectus palàm advenerat : & neceſſe erat, ut tam opus quam virtus huius holocauſti innoteſceret, & auditoribus Evangelij imprimeretur hæc forma ut diſcerent ex præſenti regula, unumquemque oportere deinceps introire in ſancta in ſanguine proprio, & finem advenisse earum expiationum, quæ factæ erant hactenus in ſanguine alieno. Periret enim & prorſus diluceretur religionis auctoritas, ſi iterum circa imagines & umbras veritatis occuparetur, & non magis ipſam veritatem apprehendens, mores in ſe taurinos vel hircinos mactaret, & in altari intrinſeco puræ devotionis non adoleret flagrantiam,

A pro turture & columba pietatis & sanctimoniæ intendens affectui. Deseritur Christus ad modum Ionæ Prophetæ, proiectum in mare venter belluæ suscipit: sed prope erat *susceptio matutina*, de qua Pater prædixerat dicens ad Filium: *Exurge gloria mea*: & filius ad Patrem: *Exurgam diluculo.* Exarmata erat navis, fractumque remigium: sed recollectis reliquiis, iterum navigij supellectilem gubernator magnus aptat ad cursum: & cuius res deploratæ esse videbantur, dum clauderetur intra sepulchrum, devicta morte victor egrediens, imperavit ventis & mari. Et infernus obstupuit iudicem, quem quasi prædam peculiarem unguibus carni infixis pro consuetudine indifferenti attraxerat. Sane ille Psalmus cui titulus est: *In finem, pro susceptione matutina*, ex persona Christi sic incipit: *Deus Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti? Sed hæc erant verba delictorum*, id est, in persona eorum quibus ipse se numerat, quibus per omnia absque peccato similis erat. *Suos* dicit *peccatores*, propter quos venerat, quorum caput erat: neque membra sua a se abscindi conveniens iudicabat. Alioquin absque nota & labe peccati si corpus inquiras, caput sine corpore constituas: nec erit cui proficiat bonitas, si non sit infra quæ regatur infirmitas. Agit igitur caput causam corporis sui: & pro infirmis suis sollicitus medicus, in tantum compatitur, ut etiam ex parte se infirmari non dedignetur, & (ut amplius dicam) sit peccatum, qui abradebat peccatum. In qua parte patitur, derelinquitur: quia naturæ impassibili in nullo congruit iniuriari vel pati. Absentat se passioni divinitas: hoc solius carnis est, in hoc solo se deseri filius innuit, ut undique sanæ fidei veritas elucescat: & palam fit, quia secundum quod Deus est, omnino non moritur: & secundum quod homo, dispensatoria ratione ad tempus moriturus deseritur. *Deseritur* itaque cum derelictis & pro natura quam assumpserat, tributum soluit: & evecturus secum genus suum ultra huius sæculi pelagus, piratis rapacibus naulum carnis protulit: invisceatisque dentibus eorum, illusit voracibus, & tam se quam prædam suam abstraxit, & evexit. Pro debitoribus debitorem se obiecit, & quod ex se non debebat, ultro debere non abnuit: ideoque totius debiti summam, ab eo qui pro omnibus se tradebat, exactor exegit. Relictum vidit ad tempus, & penitus posse extingui arbitratus est: sed abiectio voluntaria non expers erat omnipotentiæ, & calix ille amaritudinis, concupiscentiæ venena infusa antiquitus, ab imo avulsit, & vomitu repentino tota veteris fermenti conspersio eiecta est. Extensis igitur brachiis Christus in cruce totum corpus suum infra se positum complexus est: & sub alis crucis aggregato genere nostro, ibi & protexit & fovit, ubi nihil posse putabatur: & in quo victus æstimatus est, maximæ victoriæ vexilla erexit: quia neque mors in eum usquequaque prævaluit; neque pater ullo modo negare filio indulgentiæ privilegium potuit, quod ad pedes eius prostrata charitas postulavit. Obtinuit itaque deiectio capitis veniam corpori, & percusso vertice, solidata sunt membra: ut non segnis sit recompensatio, & semper quid debeat homo Christo pro quo ille mortuus est, in hac forma meditetur & relegat. Fixumque præ oculis sit hoc charitatis argumentum, maneatque hoc vivum documentum, & continuæ persuasionis exemplum. Sed & nobis, qui toties derelinquimur quoties nos tentamina colaphizant, non negligenda quæstio est, inquirere cur derelinquimur, & intellectis causis indagare remedia. Quia non poterit in illa mente diu labes obrepere, quæ se provida studuerit circumspectione munire. Deserimur nonnunquam, cum hanc curam negligimus: & commonent nos contumeliæ propulsantes, ut solliciti simus, & medetur quandoque negligentiæ confusio: compelluntque ad remedia confessionum nonnullos (cum se erubuerint aberrasse) ipsa tentationum ludibria. Castigatur sæpe ex casu superbia, & præsumptio ex ruina. Pulsatur sanctitas, ne extollatur & ut exerceatur, vexatur: ad tempus in modico derelinquitur, & in magnis miserationibus denuo congregatur. Labitur, & erigitur: deficit, nec sufficit ex se ut ad medicum recurrat. Ad hanc inquisitionis formam proposita à Christo in cruce quæstio nos invitat, quoties non pungit stimulus carnis, vel rapit in mirabilibus supra nos elatio mentis. Nec tamen peremptorius æstimandus est recrudescentis peccati pruritus, cui obviam pergit ratio, & serpenti scabiei opponit cauterium. Licet enim subsumigent afflata incendia, & flamma vorax iam tectorum clambat fastigia, una gratiæ stilla subitusque respectus clementiæ, uno flatu ea in cineres rediget: sedataque procella divinitus, quod putabatur detrimentum, invenitur solatium: & quod relictum & oblitum, assumptum & restitutum.

Margin notes (left): Ionæ 1. — Psal. 56. — Mat. 8 — Psal. 21. — Hebr. 4. — letters A, B, C, D; (right): E, F, G, H.

## SCHOLIA.

*Ideoque ex illa cathedra crucis quoddam Deuteronomium dictatum est*) Multum apposite istud septem verborum novissimorum compendium appellat *quoddam Deuteronomium*: quod Græcis dicitur quasi δεύτερος νόμος, id est, *secunda lex vel iterata lex.* Atque ita appellamus quintum librum Moysi, eo quod in ipso Moyses breviter recapitulet pene omnia, quæ in aliis libris prioribus, vel quantum ad res gestas, vel quantum ad traditam doctrinam, latius fusiusque descripserat. Ita & hoc septem verborum compendium, quia breviter complectitur omnem Christi doctrinam ante per eum diffuse prædicatam, non immerito *Deuteronomium* potest appellari, quasi *lex secunda vel lex iterata.*

*Et ad dolorem vulnerum cruenta plebs addebat convicia.*) Videtur alludere ad illud Psalmi. *Et super dolorem vulnerum meorum addiderunt*, ubi supplendum videtur, *convicia*, aut aliquid huiusmodi. In eo autem quod statim subditur, *Ringebat*, &c. canum exprimit proprietatem, quorum est, nasi contractione in iracundia ringere. *Canes* enim scriptura nominat Christi persequutores. Veluti cum Psalmo 21. ex Christi persona dicitur. *Circumdederunt me canes multi.*

*Non verebantur omnes homicidij titulo in perpetuum esse notabiles.*) Id factum est, Iudæis adversus Christum clamantibus: *Sanguis eius super nos, & super filios nostros.* Tunc enim homicidarum titulum in se susceperunt, confitentes se esse authores mortis illius. Tunc *reliquias tanti sceleris*, id est, ultionem pro tanto scelere debitam in se & in suos parvulos congesserunt. Peccati namque reliquiæ, vindicta est & pœna quæ debetur pro scelere. Tunc & damnationis suæ subscribebant chirographo, quoniam voce propria homicidas sese esse confessi sunt.

*Pro his igitur ad Patrem convertitur.*) Videntur prima facie quæ hic dicuntur, non pertinere ad verbum propositum: *Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti*, sed magis ad illud, *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Veruntamen cum diligentius attendimus, comperiemus, recte omnia de verbo illo priore intelligi. Iuxta authoris namque sententiam, hoc verbo Christus honesta quadam & blanda humilique quetimonia suæ passionis à Patre exigebat mercedem, quæ erat hominum salus & peccatorum conversio. Agitque quasi *per iustitiam* cum Patre, velut indicans fieri filio iniuriam, si cum ipse secundum divinitatem Patri æqualis in assumpta humana natura ad tantam derelictionis miseriam ultro se submiserit, non ei concedatur postulata hominum salus, pro quibus ita se exinanivit. Atque hoc est quod post paululum author ait: *Utrum plus possit peccatum quam iustitia, Deo Patri quæstionem proponit.* Iustitiæ namque abtentu exigere poterat Christus hominum salutem, postquam pro eis tanta subisset certamina. Iniustum enim fuisset, tantos filij labores apud Patrem vanos & irritos fieri, id quod clarius exprimit post paululum, cum ita dicit: *Alioqui subtractis, sibi agonum suorum stipendia Christus quæreret*, &c. Et iterum clarius, cum post multa

Margin notes (right): Psal. 8. — Psal. 21. — Mat. 27.

interposita

A interposita sic dicit: *Quod autem derelictum se filius commemoras, mercedem obedientiæ postulare videtur.*

*Vnumquemque oportere deinceps introire in sancta in sanguine proprio.*) Potest id dupliciter intelligi. Primo de sanguine proprio ipsius *Christi*, in quo & per quem nobis est *ingressus in sancta*, id est, in cœleste regnum introitus. Quemadmodum Paulus Apostolus de ipso ait, quod *non per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introierit semel in sancta, æterna redemptione inventa.* Secundo possumus de uniuscuiusque sanguine proprio verbi huius intellectum accipere: ut indicetur unumquemque cum Christo volentem introire in cœlos, debere per proprium sanguinem, non per alienum illuc intrare, id est, seipsum mactando & immolando, *carnem* videlicet *crucifigendo* (iuxta Apostoli consilium) *cum vitiis & concupiscentiis*, sicque nos ipsos passioni Christi conformando. Cui bene respondet, quod paulo post adiungit de moribus hircinis vel taurinis mactandis. Vterque autem intellectus, bene proposito convenit. In hoc enim quod Christus ita in cruce derelictus pendet, clamans: *Deus meus*, &c. primum hoc nobis ostensum est, quod ipse vera sit hostia, per quam esset accipienda peccati remissio & cœlestis regni hæreditas: quoniam ipse qui ita pro nobis loquebatur mediator erat & hostia. Deinde & hoc docuit suo exemplo, debere nos ita nosipsos immolare in hostiam viventem Deo, quomodo ipse se ibi immolabat: ut *socij facti passionum* & similitudini mortis eius configurati, *consolationum quoque socij* & gloriæ consortes efficiamur.

Heb. 9. — Gala. 5. — B — 2 Cor. 1. — Rom. 6.

*Exarmata erat navis, fractumque remigium, &c.*) loquitur per comparationem sumptam ex naufragantium periculo: quibus hoc interdum videtur contingere, ut armis omnibus atque instrumentis quibus navis gubernabatur perditis, fractoque remigio, & omnibus rebus desperatis, tandem alicuius industria navis ad recti itineris cursum & portum quietis dirigatur. Ita videbatur res esse desperata, quantum ad nostram salutem operandam, Christo mortuo & in sepulchro posito: quemadmodum ipsi quoque dicebant in via colloquentes discipuli: *Nos* (inquiunt) *sperabamus, quod ipse esset redempturus Israel*, quasi res iam videretur desperata. Sed post paululum, gubernator magnus reparavit omnia, & fine bono consummavit.

C — Luc. 24.

*Sane ille Psalmus, cui titulus est, pro susceptione matutina.*) Psalmus ille in ordine est vicesimus primus: quia miseria passionis initium sumens, finit in resurrectionis gloria & magna lætitia. Propter quod, potius *à fine* inscribitur, *pro susceptione matutina*, quæ in resurrectione facta est, quam *à principio, pro derelictione vespertina*, quæ erat passionis tempore. In eo autem quod sequitur. *Sed hæc erant verba delictorum*, quidam codices habebant *derelictorum*, alij *delictorum*. Magis ad propositum videtur, *delictorum*. Videtur enim ad illud Psalmi respicere: *Longe à salute mea, verba delictorum meorum*. Vnde & in declaratione prosequens ostendit, quare dicat Dominus *verba delictorum meorum*: declarans, quomodo peccatores dicat *suos*, ac proinde & peccata eorum *sua*.

Psal. 21.

*Piratis rapacibus naulum sua carnis protulit: inviscatisque dentibus eorum, illusit voracibus.*) *Piratas* appellat diabolos, qui ante Christum omnes per huius sæculi pelagus navigantes, id est, de mundo transeuntes, rapiebant ad inferna. His quoque Christus carnem suam protulit pro naulo, dum secundum eam dispensatorie mori voluit. Cum autem dicit: *Inviscatisque dentibus eorum*, &c. videtur loqui author ex consuetudine navigantium in mari: qui occurrentibus sibi piscibus magnis, à quibus navi timent subversionis nocumentum, extra navem aliqua proiiciunt: in quibus dum illa animalia voracia occupantur, vel dilacerandis vel devorandis, navis transit illæsa: nonnunquam etiam visco aut huiusmodi materia liniunt quæ foras proiiciunt, ut ori ac faucibus illa adhærentia, à navis & navigantium persequutione voraces impediant. Ita legimus Danielem cum dracone, qui apud Babylonios colebatur, egisse. Massas enim composuit, ex pice & adipe & pilis, quas in os draconis mittens, eum interemit: quæ etiam figura huic loco non male convenit.

D — Dan. 14. — E

*Nec tamen peremptorius æstimandus est recrudescentis peccati pruritus, &c.*) Peccatum in homine recrudescit & pruritum excitat, quando concupiscentia ad peccatum semel commissum iterum nos invitat & sollicitat. Hic autem recrudescentis peccati pruritus non est ad mortem illi qui patitur, non est peremptoria vel mortalis illa ad malum tentatio, modo ratio obsistat contra luctando, nec permittendo scabiem malitiæ latius serpere, sed cauterium adhibeat & medelam. Quantumvis enim magna & vehemens videatur esse tentatio, si desit consensus, & sic contra se opponat ratio, nihil potest mali contingere: sed Dei gratia fiet ut (iuxta Apostolum) *diligenti Deum omnia cooperentur in bonum*, & nihil sit damnationis: quod pulchra comparatione consequenter indicat author, sumpta ab incendio grandi, quod una gratiæ stilla extinguitur.

Rom. 8. — F

# ARNOLDI TRACTATVS SVPER VERBO ILLO,

## *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso.*

DOMINE *Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra*, qui & ex impiorum ore perficis laudem. Ecce unus de derelictis assumitur. Latro ille collateralis tuus, damnatus ob scelera, illum victoriæ tuæ præcursorem constituis, & vivificatum ex gratia in paradisum præmittis: in quo confusus est inimicus, & ultor hæreticus, & proditor perversus discipulus, & detractor Iudæus. Opponebatur à Pharisæis Christo pro crimine, quod cum peccatoribus, quos lex abdicabat, ad legis iniuriam, non tantum verbo, sed etiam communicaret convivio. Cum enim leprosos & immundos ex ritu & decreto extra castra depelleret, abrasisque parietibus earum domorum, in quibus fuerant conversati, ipsis quoque in quibus consedissent subselliis, propria mandaretur purgatio, hoc arguebant in Christo, quod huiusmodi personarum nec mensam vitaret nec domum, sed susciperet & sanaret. Inoleverat superstitio; & occasione legis intellectæ carnaliter, persequebantur quidem ministri legis peccatum, cum tamen nec ipsi essent à peccato immunes: subscribebántque damnationibus propriis, nullum locum misericordiæ reservantes. Nefas putabant, quod Christus curabat in sabbato, quod misericordiam præponendam docebat iudicio. Ita & quidam hæretici (in quibus sunt Novatiani) qui volunt videri defensores Ecclesiæ, eos qui in quocunque crimine post baptismum lapsi sunt, pœnitentia censent indignos: & omnino non posse restitui dogmatizat illa impietas, quem in aliquod crimen humana impegit infirmitas. Verum Christus & falsos defensores fidei hæreticos, & inimicos gratiæ Iudæos, præsenti iudicio destruit & convincit: mutans legem in gratiam, terrorem in mansuetudinem, asperitatem in lenitatem, umbram in veritatem, iudicium in misericordiam. *Novus rex, nova lex: Novus dux, nova lux*: fractis prioribus tabulis, & silice ad silicem comminuto, novis subscriptionibus figit titulum, & dictat pietas, & discernit omnia charitas. Scribitur tribus linguis insignibus, *Hebraica, Latina*

Psal. 8. — G — Num. 5. — Levit. 14. — Luc. 13. — Ioan. 7. — Ioan. 9. — Novatiani. — H — Titulus Crucis.

A charitas. Scribitur tribus linguis insignibus, *Hebraica, Latina, & Græca* regnum Christi: & dominatio eius *Ioan. 19* emanatura in gentes, Cruci insculpitur, nec corrumpere Pilatus quod scripserat voluit: Et licet tam insignem titulum deleri perfidia Iudæorum clamose expeteret, obtinere nullo modo prævaluit. Iam ad hanc scripturam Latro crucifixus pertinebat, & cum intra se illæ litteræ colligebant: iam spes subintrabat conversio, quia crucifixo sibi mundo inhiabat cœlestibus: dilatatusque charitate, quasi consputis repudiatisque quæ infra sunt, cum Christo tractabat de regno, affectabat superiora: & cum iam anima egressum accelerans in primis labris esset, & hora ultima adventaret, æquo animo ibat: nec urgebat formido pœnarum conscientiam, quæ se sanguine Christi præterfluente sentiebat ablutam. Exacuebant linguas venenatas blasphemantes Christum Iudæi, & conclamabant & evomebant convitia, & quasi victores insultabant pendenti. B Fugerant Apostoli, sola plebs maledicta firmatis nequam sermonibus, celebrabat ludibrium: Romanis militibus seditionibus tumultuosis cedentibus, pro potestate ministerium potius exhibentibus, quam con- *Luc. 23.* sensum. Sed & alter latro oblatranti plebi assentiens, quod nec se nec alios saluos posset facere, testabatur: irridebatque comparticipem suum, qui in eum quem in eadem secum damnatione videret, spem poneret: & nugatorium omnino videbatur, illum credere regem *Latrone duos.* vel Deum, quem secum oppresserat idem opprobrium & simile tormentum. Erat itaque unus irrisor, alter confessor: Vnus exprobrator, alter venerator: Hic sperans, ille desperans: Hic diligens, ille negligens: aderatque illi controversiæ iudex, qui data sententia blasphemum ad tartara, confitentem præmisit ad regna. Sane hic de quo agimus Latro, mansueti animi, & sicut testem Christi debebat, in auditorio publico fidei promerat argumenta, & novo philosophandi genere supplicij tanti immemor, cum blasphemo illo de timore Dei, & iustitia disputabat. *Neque* (inquit *Luc. 23.* *tu times Deum, qui in eadem damnatione es: & nos quidem iuste, nam digna factis recipimus: hic vero nihil mali gessit.* Credit & confitetur, testis est innocentiæ C Christi: increpat maledicum, nec sibi parcit, sed tantum accusator sui, seipsum adversum se sententiæ veritate prolata, persequitur. Damnatio (inquit) similis quidem est, sed causa differens: cum hic ad hoc destinatus sit ex obedientia: nos ob flagitia. Causam accusat, non arguit pœnam: execratur scelus suum, non detrectat iudicium. *Neque* (inquit) *tu times Deum.* Deum fateri non erubescit, quem ex invidia, non ex merito noverat crucifigi. Intelligere enim, revelante non carne & sanguine, sed ipso cui attestabatur, iam poterat, quia quod fiebat, voluntarium erat, non necessarium: quia ut sic fieret, voluntarie fuerat definitum. Ibi igitur philosophatur, & prædicat, & fatetur, ubi non tantum diffugiunt & tremunt Apostoli, sed & ipsi maligni spiritus iamiam impositi sibi freni salivaria masticantes, per antiquum organum suum, linguam fœmineam nitebantur colligationes illas impietatis dissoluere: scientes, quia fortis armatus hic, ancipiti gladio erat eos de diu possesso huius mundi D atrio iecturus. Itaque concionator illustris, oblato confessionis & fidei odoramento, impositoque latroni blasphemanti silentio, victoriæ suæ palmam & auctoramentum à iudice exigens ad Christum convertitur, *Luc. 23* & dicit: *Memento mei Domine, dum veneris in regnum tuum.* Considerare necesse est, quem locum, quem modum, quod tempus, hæc causa habuerit, & quam celerem auditum confessio meruerit, quid possit pœnitentia, quomodo bonus Dominus tribulato corde clamantem ad se servum suum etiam in ultimo peccati puncto non negligat. Hora mortis erat iamque confitentis anima faucibus hærebat, iamque linguam eius alligabat angustia: illoque articulo temporis fere ab ipsis Apostolis salus desperabatur. Modus passionis, crux, inter omnia supplicia turpissimum E & atrocissimum. Quibus postpositis, quasi plagarum & sanguinis immemor, dictator Evangelij Latro efficitur: & (quod persuaderi illa hora difficile erat) Christum Deum in cruce fatetur: ibi orat, ibi adorat, multa simul pietatis officia complectitur. Credit, timet, compungitur, & pœnitet, confitetur, & prædicat, amat, confidit, & orat. Fide illuminatur, timore subditur, compunctione mollitur. Pœnitentia concutitur, confessione purgatur, prædicatione zelatur, dilectione dilatatur, confidentia sperat, *Mat. 16. Mat. 26.* oratione impetrat. Ne irascaris, princeps Apostolorum: tibi dico Petre, cui claves regni cœlorum commissæ sunt. Et te amare flentem Christus respexerat, & donaverat negationis reatum: qui non ex sententia, sed ex infirmitate desciveras. Te tamen iuxta crucem non video: territus lates, nec saltem matrem Christi fœminasque sanctas prosequeris, quæ spectaculo lugubri astabant immobiles. F Nec ibi Apostolica auctoritate uteris, ubi ad invicem fixis iuxta crucibus privata miscent colloquia, salvator & peccator. Absens eras, & ministerij tui claves (quod pace tua dixerim) modo non profers. Supplet vicem tuam sum- *Gen. 3.* mus sacerdos: apertisque seris antiquis, Latro primitiæ derelictorum introducitur, aperiente Christo, in regnum cœlorum. Amovetur ab introitu paradisi custodia ab initio pervigil, & versatilis gladius ille minax, quem Cherubin ab antiquo non vibraverat. Ibi Latro locatur, unde Lucifer corruit: & cui tu forsitan ultra septies ignoscere nolles, ultra septuagies septies reus, sed absolutus à bono Iesu, modo cum angelis conversatur. Resurge, & disce ignoscere, neque annumeres peccata, vel multiplices tempora. Non arctatur numero, non clauditur fine, nullas omnino habet metas divina clementia: sit qui invocet, erit qui exaudiet: sit qui pœniteat, non deerit qui indulgeat. Non huic pœnatenti multorum annorum ieiunia imponuntur, non nudipedalibus vel sacco afficitur: simul & confitetur, & iustificatur, & glorificatur. Vide horam, nota personam. Vltima hora, peccatrix persona, multa antiquaque peccata ilico abo- G let gratia, nec processu moraque temporis indulgentia limat corroditque culpæ rubiginem: sed ubi repente facto cœlitus sono spiritus sanctus illabitur, quicquid *Ioan. 11.* immaduerat peccati tabe, siccatur: nec superest ullum fœditatis vestigium vulneri, quod misericordiæ abluit lavacrum. Fœtabat etiam quatriduanus in monumento Lazarus: suscitatus non tabescit languore, Erigitur, soluitur, & statim convescitur. Nulla lepræ crepido, nullus sinus in facie Simonis superest. *Luc. 7.* Hospes incolumis, curatori suo hilarem exhibet famulatum: nullum signum horroris comitantibus magistrum, idem conviva & minister prætendit. Maria Magdalenæ ad pedes Christi plorat & orat, tergit & ungit: nec improperat Christus vitam infamem & inverecundiam, nec opponit quod diluit, nec exprobrat quod ignoscit: quicquid agit, in huiusmodi, celeri nutu spiritus sanctus consummat: nec emendicat aliunde suffragia, qui quod dicit facit, & quod illuminat format, qui statim piscatores facit doctores, H & idiotas prædicatores. In hac gratia non affligitur expectatio dilatatione, nec intervallum est inter opta- *2. Reg. 12.* tum & datum. David dicit: *Peccavi*: & Propheta: *translatum est peccatum tuum.* Ad Cain dicitur: *Pec-* *Gen. 4.* *casti, quiesce.* Ad mulierem in adulterio deprehen- *Ioan. 8.* sam: *Non te condemnabo, noli ultra peccare.* Quid *Iona 3.* commemorem Ninivitas, quorum pœnitentia subito *3. Reg. 21.* iudicem amovet à sententia? Quid Achab & Manas- *2. Par. 33.* sen, reges impios, quorum contritionem in angustiis non est aspernata divina clementia? Inter cætera pietatis exempla, latro noster nobis occurrit, pœnitentiæ regula, confessionis forma, indulgentiæ præ- *Luc. 23.* co, spei exemplum: qui dum ingemit, subito quod quærit invenit, quod petit accipit, & ilico audit: *Hodie mecum eris in paradiso.* Non ad loca purgatoria, flammasque peccatorum ultrices confitens

destinatur

A destinatur, non ad loca tenebrosa & tormenta deducitur, nullam pars adversa gratiæ Dei præsumit inferre calumniam: vna crucis pœna omnia abolet crimina: imo non pœna sed gratia. Præmittitur igitur in paradisum hic nostræ nuncius absolutionis, & primitias libertatis nostræ testis libertate donatus, paradisi civibus id expectantibus & desiderantibus, primus invexit.

## SCHOLIA.

Psal. 8. *Qui & ex impiorum ore perficis laudem.*) Canit Domino Psalmista, *quod ex ore infantium atque lactentium sibi perfecerit laudem.* Auget non minus author, dicens, etiam ex impiorum ore Deum sibi perfecisse laudem: id quod in ratione misericordiam consequuto declarat monstrat. Dicit autem, in hoc opere misericordiæ Divinæ confusos esse, inimicum *hæreticum*, perversum *proditorem* discipulum, & detractorem *Iudæum*, sic pulchre singulis singula tribuens. Et de duobus quidem novissimis bene id demonstrat, inverso ordine: prius de Iudæo detractore, posterius de altero sive de inimico hæretico. De *proditore* autem discipulo omittit prosequi, quoniam id ex aliis manifestum relinquitur. Confusus enim est ille qui desperavit, tollens veniam consequi de peccato suo, dum hunc latronem tam facile, tam multa, tam magna consecutum ...

Iaco. 2. *Subscribebántque Iudæi damnationibus propriis, nullum locum misericordiæ reservantes.*) Nimirum quia iuxta beati Iacobi sententiam, *iudicium sine misericordia fiet illis, qui non fecerunt misericordiam:* & (vt Paulus ait) *in quo quis alterum iudicat, seipsum condemnat.*

*Ita & quidam hæretici (in quibus sunt Novatiani) qui volunt videri defensores Ecclesiæ.*) Videtur author ... *vt detrahens inimicum ... defensorem*, velle particulatim applicare alterum ad Iu-

Hæretici. dæos, alterum ad hæreticos. Iudæum, vere *inimicum*, quasi invidum detractorem & persequutorem. Hæreticum autem appellat *ulicem sive defensorem*, quoniam ita se solent iactare hæretici, tanquam propugnatores sint veritatis & defensores Ecclesiæ. De his autem

C Novatianis, déque ipsorum principe Novato, & eo-

Exod. 32. rum errore, ex libris Orthodoxorum Patrum qui adversus illos scriptis depugnarunt, licet cognoscere.

*Silice ad silicem comminute.*) Alludit ad historiam libri Exodi, vbi legimus Moysen iratum tabulas lapideas digito Dei præcepta inscripta continentes, ad radicem montis proiecisse de manibus, atque in partes comminuisse: vt iterum necesse fuerit, novas tabulas excidi, & iterum scribi: quod signum erat commutationis vel potius renovationis & perfectionis veteris legis, per legem novam Evangelicam. *Silice* (inquit) *comminuto ad silicem:* quia & tabulæ erant lapideæ, & ad montem, qui erat lapideus, comminutæ sunt illæ tabulæ.

*Et cum iam anima in primis labris esset*) Proverbialiter dicitur *animam illi esse in primis labris*, qui est

D morti proximus, quando est in proximo vt emigret è suo hospitio anima.

*Romanis militibus seditionibus tumultuosis cedentibus, pro potestate ministerium potius exhibentibus, quam consensum.*) Hoc dicit, ad indicandum quanto crudeliores & petulantiores in Christum fuerint Iudæi, quorum tamen non erat, iustitiæ sententiam exequi, quam gentiles Præsidis ministri, ad quos spectabat sententiæ Præsidis, Domini sui, exequutio. Non enim verisimile est, Romanis & ingenuis militibus hanc placuisse petulantiam: quoniam non erat consuetudinis, ita procaciter insultare sic in extrema miseria reis pendentibus. Neque dubium, quin mirabantur gentiles Præsidis ministri improbam Iudæorum rabiem & insatiabilem malevolentiam, quam in hominem ita misere damnatum exercere non desinebant.

E *Quod fiebat, voluntarium erat, non necessarium,* Christi passio simpliciter voluntaria fuit, & non simpliciter necessaria. Videri tamen posset, fuisse non omnino voluntaria, eo quod iam definitum erat in consilio Divinitatis, vt Christus pateretur. Quod consilium quia non potest non impleri, videri posset, non fuisse omnino voluntariam, sed potius necessariam Christi passionem. Sed hanc dubitationem author evacuat, dum è vestigio adiungit: *Quia vt sic fieret, voluntarie fuerat definitum.* Simpliciter enim voluntaria fuit Christi passio, quia voluntarie Pater & Filius definierunt, vt filius in assumpta natura humana pateretur. Vnde licet supposita definitione illa, necessarium fuerit consequi eius adimpletionem (quia non potest Dei consilium quod voluntarie definitum fuit, irritum fieri) voluntarie tamen impleta est illa

F definitio, sicut voluntarie ita fuerat definitum. Quidam autem codices hunc locum velut contrario sensu legunt, cum assertione, hoc modo: *Quod fiebat, voluntarium erat & necessarium.* Et vt declaretur, quomodo erat id necessarium, subiungitur, *quia vt sic fieret erat voluntarie definitum.* Vnde cum non posset non impleri, quod definitum est, consequi videtur, vt supposita illa definitione, necessarium fuerit Christum pati. Quam necessitatem, non simpliciter necessitatem, sed necessitatem conditionalem, vel necessitatem consequentiæ appellant Theologi: priorem appellantes necessitatem simpliciter, aut necessitatem absolutam. Vnde neutra lectio falsitatem habet, sed prior videtur loco magis congrua, quam nos quoque sequuti sumus.

*Ipsi maligni spiritus, tanquam impositi sibi frena salivaria masticantes, &c.*) Aptissimam ab equis ferocibus ad spiritus malignos trahit comparationem. Videmus enim equos feroces, cum ipsis fuerint iniecta per aures frena, salivaria quoque in os immissa vel ... (quæ sunt ferramenta illa per os transeuntia, in quibus & noduli sunt vel globuli ferrei volubiles) magnam ostentare impatientiam, dum quasi frena gestantes rumpere, morsu continuo & linguæ assidua

G volutatione salivaria illa mordent, voluunt, & quasi masticant, ita vt effluat ab illorum ore saliva copiosa. Et ita quidem feroces equi impatientiam monstrant, prius etiam quam se in dorsum sessor gravis mittat, aut prius quam calcaribus vrgeat. Hæc ergo in accommodans malignis spiritibus, innuit, etiam ante Christi per mortem consummationem, in passione ipso adhuc constituto, cœpisse sentire dæmones virtutem Christi: propter quod, obluctantes cœperunt iniectum sibi frenum mordere, & masticare salivaria, id est, impedire passionem Christi conabantur: idque per linguam mulieris, vxorem scilicet Pilati: quam per somnis ad hoc vexaverant dæmones, vt mortem Christi per eam impedirent, iuxta quod sanctorum quidam

Feminea lingua. ... illum sunt interpretati. *Linguam* autem *fœmineam* vocat antiquum organum diaboli, quoniam per eam à principio Adam seduxerat serpens, totúmque genus humanum perdidit. Vnde per idem nostram tunc reparationem voluit impedire, per quod prius nos ad perditionem deduxerat.

H *Nulla lepra crepido, nullus sinus in facie Simonis super est. Crepido* à crepo venit, secundum eam significationem, qua frangi significat. Vnde *crepido* dicitur prærupti alicuius saxi prominens fractura sive fractura altitudo. *Sinus* vero dicitur curvatura sive inflexio, quemadmodum sinuosa dicuntur littora, quæ multas habent inflexiones sive incurvaturas, aquas ipsas in modum sinus complectentia. Ita in leprosorum carnibus, per similitudinem, velut crepidines quasdam & quosdam sinus videmus, ex carnis corrosione, quæ facit velut crepidinum & sinuum quorundam apparentiam. Hinc ad perfectam sanationem designandam, author ait: *Nulla lepra crepido, nullus sinus in facie Simonis superest, hospes incolumis curatori suo hilarem exhibet famulatum,* &c.

A

# ARNOLDI ABB. TRACTATVS

## DE VERBO ILLO DOMINI:

*Mulier, Ecce filius tuus.*

VBI *sunt misericordiæ tuæ antiquæ* Domine? Quid differs? Iam venit hora: mater tua coram te est, & Ioannes quem diligis. Latroni loqueris, & matri non loqueris? B Intuetur te illa in mulieribus benedicta, & confixis in te oculis, vulnera tua materna pietate considerat. Et licet non ignoret quid boni conferat mundo passio tua, tamen parentis affectu commoritur, & pectus maternum immanitate doloris arctatur. Suspirat intrinsecus, & erumpentes revocat lachrymas: & eo amplius anxietas intumescit, quo prohibetur egredi, & per luctus lamentáque dissolvi. Emergebant quidem aliquando gemitus, sed increpati reprimebantur, revertebantúrque in sinum mentis, de quo prodibant, & collidebant se ad invicem introrsus: erátque in anima illa tempestas valida, occurrentibus sibi procellis, & quasi in sartagine frixis medullis ebulliebant amaritudines, quas excoquebat & coagulabat exacerbatio perseverans. Imperabat quippe dolori silentium formido, & ringentium Iudæorum torui in eam oculi illos turbines suffocabant. Verum illa tantarum procellarum salsuginem ebibebat. Et (quod difficillimum erat) moriebatur, & mori non poterat: & clauso tanti doloris tormento intrinsecus, alium vultum palam exhibebat: nec poterat ex facie colligi crux illa C animæ & patibulum spiritus, in quo erat hostia viva, beneplacens Deo, & medullatum holocaustum: quod cum ipsa incenderet, tantum conscientiæ ministerio vtebatur ipsáque sine strepitu seipsam mactans, in altario interiori, & ligna & flammas & latices congerebat. Nimirum in tabernaculo illo duo videres altaria, Aliud in pectore *Mariæ*, aliud in corpore *Christi*: Christus carnem, Maria immolabat animam. Optabat quidem ipsa, ad sanguinem animæ, & carnis suæ addere sanguinem, & elevatis in cruce manibus celebrare cum filio sacrificium vespertinum, & cum Domino Iesu corporali morte redemptionis nostræ consummare mysterium: sed hoc solius summi sacerdotis privilegium erat, vt de sanguine munus intra sancta inferret: nec poterat ei consors hæc esse cum aliquo dignitas: & in reparatione hominis nulli angelo, nulli homini cum eo fuit, aut esse potuit communis auctoritas. Cooperabatur tamen plurimum secundum modum suum, ad propitiandum Deum, ille D matris affectus: cum tam propria quam matris vota caritas Christi perferret ad patrem: cum quod mater peteret, filius approbaret, pater donaret. Diligebat pater filium, & filius patrem: mater vero post vtrumque ardebat, vnumque erat quod diversa exhibeant officia, quod pater bonus, quod filius pius, quod mater sancta intendebat, quod incommune elaborabat dilectio: simúlque se complectebantur, pietas & charitas & bonitas: matre supplicante, filio interpellante, patre propitiante. Filius ad pectus matris & vbera, pater ad filij crucem & vulnera respiciebat: & quid inter hæc tanta pignora non moverent? quid illa sanctitatis schola nisi pietatem doceret? quid nisi misericordiam informaret? Dilectio & sanctitas & bonitas nihil sibi contrarium sapere poterant, nec reluctari sibi nec adversari concordiæ, congruebat: & omnino decebat, vt supplicatio & sanctificatio & exauditio in negotio rectitudinis convenirent. *Iesus* ergo vt per

E omnia pietatis fœdera commendaret, antiquum decretum quod de honorandis parentibus dictaverat, observavit: & matrem adhuc volens sic esse, ad consolationem Apostolorum reservavit superstitem; vt ex his quæ ipsa ab initio audierat & viderat, & contulerat in corde suo, senatus Apostolicus doceretur, & Evangelica firmaretur doctrina. Honoratur etiam affatu familiarissimo: & licet brevis fuerit sermo, intimatus tamen est debitus affectus, & expressa singularis dilectio. *Mulier* (inquit) *ecce filius tuus.* Præsens erat *Ioan.19.* Ioannes, cui & dicitur: *Ecce mater tua.* Non est passus Christus, vt Iudaica rabies in sanctuarium suum prophanam mitteret manum, vel aliqua infestatione violaretur illud templum Spiritus sancti. Positus est fidelis æditus ad tanti thesauri custodiam. Discipulus qui in cœna dominica cervical sibi in pectore magistri aptaverat, ecce iterum alio privilegio honoratur: *Ioan.13.* F & post illud reclinatorium in quo viderat: *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum,* *Ioan.1.* officina illa in qua *Verbum caro factum est*, diligenter à filio ei commendatur, probato dilectóque Discipulo pudor virgineus, matris thalamus, & sanctimoniæ integritas assignatur, vt testis esset idoneus, virgo virgini, fidei cubicularius matri Domini sui, minister devotus pro reverentia magistri. Vices filij naturalis, filius accipit adoptivus, & transfunditur in ministrum filialis affectus: formatúrque & firmatur in ambobus pietatis vnicæ gratus concórsque complexus, non ex traduce naturæ, sed ex munere gratiæ. Vnum igitur contubernium Ioannis & Mariæ virginitas accipit: & vnius moris in domo, vnum integritatis propositum, vnam habitationem meretur communémque convictum. Ecce Ioannes, piæ hæreditatis suscipis testamentum: eligeris, & in hoc præponeris omnibus. Ioseph qui eatenus ministraverat te subrogato cedit: nec maritalia iura opponit: vt obstruatur os loquentium iniqua in posterum: quia matrimonium illud dispensationi divinæ, non copulæ carnali servierat. Ideoque G nec Ioseph, cum Ioannes eam suscipit in parentem, queritur de disiuncto connubio, quod dispensatorium fuerat sine vllo carnalis copulæ commercio. Hoc testimonium integritatis matris Christus in fine perhibuit, vt haberet Ecclesia sancta ex Evangelio lapidem, quem Bonosi Helvidiique hæreticorum impudenti fronti infigerent, qui in matris illibatæ virginitatem ausi sunt impia blasphemáque garrire. Tu igitur *Ioannes* sancte, ad hoc eligeris, vt ministres & obsequaris, ea dilectione qua filius: ea obedientia, qua discipulus: ea subiectione, qua minister & famulus. Petro commendatur Ecclesia, tibi Maria: illi tumultuosa negotia, tibi pacifica & quieta: illi atria *Mat.16.* & vestibulum, & altaria sanguinum, tibi commendatur altare incensi, & sancta sanctorum. *Ioan.19.* Ad culmen ministerij tui nullus tecum admittitur: solus illi assistis propitiatorio, solus illud vas aureum continens manna, illud divinæ legis scrinium pontifex destinatus observas. Loco filij positus es, & vt vicem in matre suppleas, ordinaris: nec abnuit te mater sancta vicarium, licet longe imparem & inferioris tituli, tamen H quia sic visum est filio, amplectitur successorem. Certe piscator fueras, & in hac arte à parentibus institutus, nullum te stratagema inclytum facit; sed qui *infirma mundi elegit ut fortia confundat*, in assumptione tua, paupertatis & humilitatis & castitatis gloriam commendavit, fundatámque charitatem & illustris animæ puritatem, hoc singulari titulo honoravit. Intueor igitur quadrigam qua currendum est ad patrem, sic debere distingui: vt per te ad matrem, per matrem ad filium, per filium vero attingere possit pœnitentis affectus ad patrem. Et in hoc ferculo quod nos ab hoc sæculo evehit, tu sis columna argentea, mater ascensus purpureus, filius media charitas, reclinatorium aureum visio patris in decore suo, & æternæ pacis iocunda tranquillitas. Hanc interim gloriam proprie virginitas promeretur. Per hanc in hunc gradum

discipulus

A Luc. 1. Ioan 1. discipulus sublimatur per hunc ; pia mater & virgo placuerat Deo, & *obumbrante virtute altissimi*, in illo beatifico vtero, *Verbum caro factum est*: per hunc fuerat Gabriel Archangelus altare dilectus, quo tota militiæ cœlestis numeroso & naturæ angelicæ gloria (ad nitidus quod hic integram in terris reperiebat) circumfusa virginei cognato cœlorum exhiberet reverentiam, & divino incolatui clientelam: propriè tamen Gabriel & Ioannis hoc assignati officio communibus studiis ministrabant: vtrumque ab amoribus tam in cœlo quam in terra divina & humana consolatio procurabatur: Ioanne, iuxta quod res postulabat, providente subsidium; Archangelo, pia vota perferente ad filium. Factum est igitur vt Dominus imperaverat: & cohabitabant sicut in bono commoque conventu, virginitas & humilitas, dilectio & puritas, subiectio & charitas: & erat vnanimitatis participatio in idipsum, inter Dominam & ministrum, sicut magistri ordinarat auctoritas. Bonus itaque Dominus, bono fine consummans pietatis mysterium: in

B cruce iustificat impium, & debitum matri reddit affectum. Addit quoque & tradit exemplum quod ad conservandum quæ sancta sunt, debeat eligi sanctitudo: nec sacramentorum arcana impuris sint exponenda conspectibus: nec possit digne in eius ministrare mysteriis, nisi qui in schola studuerit continentiæ conversari. Decet enim, vt qui mundandis vel mundis officium exhibeat, omnimoda splendeat sanctitate: quia omnino non [illegible] est, vt contineret incorrupta [illegible], & pur[illegible] manum apponat [illegible]. [illegible] non ideo dicimus, quod in his qui iam ablati sunt & sanctificati, de quantiscunque [illegible] indulgentiam nota permaneat: quia nisi ad antiqua revertatur contagia, nulli [illegible] vita.

## SCHOLIA.

*Eratque in anima illa tempestas valida.*) Comparationem facit quasi poëticam, fluctuum maris intumescentium seque collidentium & adinvicem con-

C fringentium ad internos illos dolorum affectus qui erant in animo Mariæ, cum iuxta crucem suo astaret vnigenito filio.

*Imperabat quippe doloris silentium fortitudo.*) Non ita hoc accipiendum est, quasi carnali vanóque timore mater Domini Iudæos timuerit, ne videlicet aliquid ab ipsis pateretur incommodi, si internum dolorem foris ostenderet: sed quia honestas & constantia vetabat gestus externos coram illis improbis ostendere, ne illi amplius gloriarentur & sævirent adversus filium, si matrem vidissent ita in illius afflictionibus tormentis: Item ne spectatoribus occasionem daret suspicandi, quod coactionis & non voluntatis esset filij passio.

*Ipsaque sine strepitu seipsam mactans, in altario interiori & ligna & flammas & latices congerebat.*) Descri-

D bit oblationem holocausti interni & spiritualis, secundum comparationem ad oblationem holocausti corporalis, quod in exteriori altario offertur, vbi opus est lignis & flamma & laticibus; id est, *aquis*, quæ à la-

3 Reg. 18 tendo vocantur *latices*. Aquas autem adiungit, vel quia prius lavari debebant hostiæ corporales, quam offerrentur ant incenderentur: vel quia ad Heliæ sacrificium illud in monte Carmeli oblatum respexit, vbi aqua copiosa perfusum fuit holocaustum, antequam crematetur incendio.

*Nimirum in tabernaculo illo duo videres altaria.*) In veteri tabernaculo duo altaria erant, alterum quod hostiis immolandis deputabatur, quod erat ære opertum, & omnia vasa ministerij habebat ærea, de quo legi-

Exod. 27 mus Exodi. 27. Alterum erat *altare thymiamatis* sive incensi, vestitum auro purissimo, situm coram propitiatorio, super quo summus sacerdos Aaron incensum

E suave fragrans mane & vespere ex Domini præcepto adolere debuit. Super cuius etiam cornua, semel in anno sacerdos summus debuit in sanguine oblato pro peccato deprecari & placare Dominum, quemadmodum legimus Exodi. 30. In his duobus altaribus au- Exod 30.
thor figuram accipit matris & filij. Matrem comparat priori illi altari, in quo offerebantur quidem hostiæ, sed non sacrificium vespertinum neque expiationis illius generalis hostia: quoniam licet mater in corde seipsum immolaverit, non tamen sacrificium consummationis & expiationis peccatorum mundi ipsa offerre potuit. Filium vero *altare* facit esse *thymiamatis sive incensi*: quoniam in ipso immolatum est sacrificium vespertinum, in temporis plenitudine, quod erat consummatio sacrificiorum omnium præcedentium: & in ipso facta est expiatio generalis peccatorum mundi, in sanguine oblato pro peccato. Hanc comparationem indicat author, dum subsequenter ait. *Optabat quidem & ipsa (nempe mater) ad sanguinem animæ addere sanguinem carnis, id est, sicut spiritu ita & corpore immolari, & cum filio celebrare sacrificium*

F *vespertinum*, &c. Quæ verba profundius considerata, magnam habent devotionis dulcedinem.

*Cooperabatur tamen plurimum secundum modum suum ad propitiandum Deum ille matris affectus.*) Videtur hic causam reddere; quare matrem Mariam comparaverit altario priori hostiarum, non posteriori thymiamatis. Quemadmodum enim in illo priori per quotidianas hostias, quæ in eo offerebantur, Deus colebatur: & licet non offerretur in eo præcipuum & potissimum sacrificium thymiamatis, Matutinum & vespertinum, aut etiam sanguis ille expiationis generalis, secundum modum tamen aliquem illæ hostiæ operabantur ad placandum Deum, quasi in respectu & virtute sacrificij illius acceptissimi & expiationis generalis, quæ perficiebantur in altari altero thymiamatis: sic dicit, matris affectum secundum suum modum fuisse plurimum cooperatum ad propitiandum Deum: charitate Christi, quæ in ipsius corde quasi thymiama suavissimum flagrabat, matris vota simul

G cum suis perferente ad patrem: quemadmodum *incensio thymiamatis*, quæ erat præcipuum sacrificium, cæterarum quoque hostiarum oblationem ante Deum quodammodo faciebat acceptam.

*Ioseph qui hactenus ministraverat, te subrogato cedit, nec maritalia iura apponit.*) Plerique arbitrantur, Ioseph ante tempus passionis Christi, è vita excessisse. Author vero in præsenti loco se indicat alterius fuisse sententiæ, quam etiam plenius in Encomio virginis exprimit, his verbis. *Supererat Ioseph, ad quem vsque ad illud tempus præcipua obsequij spectaverat ratio, & cui ad hoc ipsum fuit desponsata: & modo quasi hoc ministerio censeatur indignus, Ioannes assumitur.*

Et alijs compluribus verbis eandem hanc sententiam ibi prosequitur. De hac tamen re ex Scripturarum authoritate nihil potest definiri, cum super obitu Ioseph aut obitus tempore, nihil vlla tradat Scriptura canonica.

*Vt haberet Ecclesia sancta ex Evangelio lapidem quem Bonosi Helvidijque hæreticorum impudenti fronti* H 1. Reg. 17
*infigeret.*) Alludit ad historiam David, qui blasphemum Goliath impia garrientem adversus castra Dei, lapide limpidissimo ex torrente (vt Scriptura refert.) desumpto, in fronte illum percutiens interfecit. Omnis enim hæreticus in Ecclesia quasi Goliath est, quasi gigas superbiens in fortitudine sapientiæ aut scientiæ suæ, & exprobrans Israëlitis veris; castris Domini, id est, Orthodoxis in vnitate Ecclesiæ (quæ est domus & castra Dei) permanentibus David vero, quilibet est fortis rectæ fidei propugnator: qui lapidibus de torrente limpidissimo, id est, authoritatibus ex Evangelio lucidissimo atque mundissimo assumptis, Goliath prosternit, id est, hæreticum revincit & confundit.

*Illi atria & vestibulum & altaria sanguinum, tibi*

commendatur

A *commendatur altare incensi & sancta sanctorum.* ) Vetus illud tabernaculum Israëlitarum divisum erat in duas partes. (Heb. 9.) Prior pars simpliciter *Sancta* dicebatur, & minora continebat : ad quam quotidie erat ingressus sacerdotibus, etiam non summis, sacrificiorum officia ( vt ait Paulus ) consummantibus. Posterior secundum excellentiam dicebatur *sancta sanctorum*, in qua erant aureum thuribulum, arca testamenti, vrna aurea habens manna & tabulæ testamenti. Volens ergo significare, quod Ioanni sit commissum id quod est in Ecclesiæ tabernaculo post Deum dignissimum, dicit, ipsi esse commissum altare incensi quod erat coram propitiatorio, eratque altare præcipuum, vt supra dictum est, & sancta sanctorum : Ioannem faciens pontificem, cui soli erat commissa cura sancti sanctorum : Mariam vero comparans cum iis quæ in sanctis continebantur, appellans ipsam vrnam auream continentem manna, propitiatorium sive (B) arcam sanctam, & Divinæ legis scrinium, sive testamenti tabulas. Quorum omnium rationes, quilibet per se facile agnoscit.

*Nullum te stratagema inclytum facit.* ) Græcum vocabulum est στρατήγημα, per duo è longa, quod Latine per vnum ascribunt, stratagema, significans *gestum militare, egregiúmque & insignem in re bellica actionem*, vel simile consilium. Ostendit autem hoc in loco, nihil nobilitatis fuisse Ioanni : quoniam quidem nec à parentibus illam traxisset per originem, nec ab industria aut fortitudine nobilitatem sibi vllo nobili opere comparasset, vt solent nonnulli in infima sorte nati, præclaris in re bellica actionibus eam quam ex nativitate non habent, per virtutem sibi comparare nobilitatem.

*Intueor igitur quadrigam, qua currendum est ad patrem.* ) Quadrigam appellat connexionem quatuor, à quorum alio semper ad aliud recto ordine pergitur. Hæc sunt, *Ioannes discipulus, Maria mater*, IESVS *filius, pater* DEVS. Ad quam quadrigam etiam illud author accommodat, quod in Canticis Salomonis legimus : (Cant. 3.) *Ferculum fecit sibi rex Salomon, de lignis Libani, Columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum media charitate constravit, propter filias Hierusalem.* (C) Ferculum hoc appellat quadrigam istam, qua sursum fertur affectus fidelium. In hoc ferculo Ioannem facit columnam argenteam, matrem ascensum purpureum, filium charitatem mediam, aureum denique reclinatorium, visionem paternam. Quorum rationes, devotus animus seipsum facile poterit advertere.

*Cognato cælibatui natura angelica exhibeat reverentiam.* ) Est angelis ( vt super Lucam ait beatus Ambrosius ) semper cognata Virginitas : quoniam qui cœlibes vivunt, hac in parte similes sunt angelis, & in terris vitam ducunt angelicam, qui generationem & generationis actum penitus ignorant.

(Culpa & pœna.) *Quod non ideò dicimus, quod in iis, qui iam abluti sunt & sanctificati, aliqua post indulgentiam nota permaneat.* ) (D) Cave, intelligas, post peccata dimissa nullum posse reatum in homine permanere, quasi culpa dimissa consequatur statim, & pœnam omnem esse ablatam. Id enim catholico dogmati & Orthodoxorum patrum determinationi est contrarium. Sed hoc tantum vult author, propter peccata prius commissa, & per pœnitentiam iam deleta, neminem debere immundum reputari, aut à sacris arceri. Id enim sibi vult, quod in fine dicitur : *Nisi ad antiqua revertatur contagia, nulli prior præiudicat vita.*

E

# ARNOLDI ABB.

## TRACTATVS

### DE VERBO ILLO CHRISTI In Cruce :

#### *Sitio.*

ECCE iterum mysteria, & ad invicem sibi sacramenta divinæ occurrunt. Responsum erat de cruce latroni, & matri : & ad confirmationem (F) spei pietatísque exemplum, latro in regnum præmittitur, mater interim ob rerum mysterium reservatur. His pie provideque dispositis, Christus inter supplicia sitit. (Ioan. 19.) Exhaustum erat sacrum pectus sudore sanguineo, & lignum illud, cui affixus erat, sanctis baiulaverat humeris : & vt solet ex mœstitia somnus nonnullis obrepere, sic poterat sitis illa accendi. Forsitan sic erat. Ego verò sacramentalem hanc sitim intelligo, in qua non tàm desideratur potus, quàm hominum salus. Neque enim ab irrisoribus & interfectoribus poterat beneficium expectari, qui omnes ad impietatem proni, paratiores erant augere iniurias, quam misereri vel compati. Perseverabant adhuc nec flagellis, nec sputis, nec colaphis, poterant saturari. Vnde nec consequens videtur, vt audita sitis eorum cor immolliret : quibus parum erat, quod in cruce pendebat, nec satis actum esse ipsa morte malignantibus videbatur. Christus tamen, sicut per David prædixerat, irruentibus in se vniversis, *tanquam parieti inclinato & maceriæ depulsæ*, currit & sitit. (Psal. 61.) Sitit conversionem : currit ad remissionem : exsolvit quod non rapuit. Et licet illi pretium illud magnum cogitarent repellere, iam absorpto serpente festinat ad lavacrum inimicorum, & moritur pro impiis, & rebelles adoptat, & tanti effectus beneficij largitur ingratis. (G) Hoc etiam in titulo Psalmi 33. continetur : ubi *affectare David* in persona Christi prædicitur, (Ps. 33.) cum coram Abimelech *vultum suum mutasse* perhibetur. Affectabat David, & tympanizabat ad ostia civitatis, & ferebatur manibus suis, & in barbam eius defluebant salivæ. Affectante quippe Christo, & hoc sitiente, vt mansuesceret domus exasperans, & duræ cervicis populus molliretur, exhaustoque pœnitentiæ antidoto, felleas viscosásque peccati feces evomerent, visa sunt eis huius doctrinæ verba omni ratione carentia : & dementiæ ascribebant, quod eos ad carnis suæ edulium invitabat. Horrebant potum sanguinis, & carnem humanam vt cibum insolitum, (Ioan. 6.) mensis suis inferre, impium & nefarium iudicabant. Durus erat sermo huiusmodi, quia sensu carnis oppressi, spiritum & vitam in verbis veracibus contemnebant. (H) Hoc intimabant illæ per barbam David fluentes salivæ, quod infantilia hæc verba & frivola æstimarent Iudæi, & contemnenda essent à prophanis sacramenta dominica, & quasi arreptitij & furibundi reputandi essent horum dogmatum discipuli, & intellectualium mysteriorum ministri. Sed Christus diffinitiones patientiæ edocens, nec irascitur, nec vlciscitur, sed sustinet & præstolatur, & affectat, vt illuminetur populi cæcitas, vt convalescat & insurgat infidelitatis mole suffocata illa tyrannica & effrenis obstinatio tandémque pateat veritas, & redeat ab errore conversa impietas. Tympanizat ergò ad ostia clausa, ad aures oppilatas, & incredulis cordibus intonat : & extensa in cruce pelle corporis sui, in psalterio decachordo, veteris & novi instrumenti concutit consonantiam : & quasi incantatis serpentibus, ad insolitam

A solitam harmoniam reddit edomitos, & detractores facit cantores, & impios modulatores. Mutatur omninò facies Christi in specie sacramentorum, coram Abimelech, id est, coram Iudæis, qui ad regnum Dei Christi ex promissionibus factis ad patres, pertinere videbantur. Hic Achis, id est, *ignorans*, hic est ex parte populus ille, qui non credit nec intelligit. Porrigit quidem discipulis suis, imò toti Ecclesiæ propriis manibus Eucharistiam, quasi se ipsum ferens, quam qui dignè accipit, vivit: nec immeritò proscribitur, qui contemnit: & aliis quidem tantæ rei mysterium odor est vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem. Vnde & Achis David dimittit: quia quibusdam ex Iudæis repellentibus verbum hoc & indignos se vitæ æternæ iudicantibus doctrinam huiusmodi Christus ad gentes convertit. Abimelech & Achis, non sunt vnius personæ nomina: sed quia vnius mysterij continent rationem; non incongrue diversis respectibus vni personæ aptantur. Ex parte, *Achis*, id est, ignorantia & error, adhuc in eodem populo perseverat: & qui filij regni videbantur, contempto affectu charitatis Christi, & tympano crucis, quasi David à se dimittunt, vt eat: cum dicunt Christo: *Recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus.* Maledicunt adhuc Iudæi Christo, & veri Heliſæi derident calvariam: nedum tamen vrsis, id est, dæmonibus ad feroces exponit: sed in multa patientia expectat pœnitentiam, & differt, nec infert pro meritis iram. Sed perversa & aversa mens carnalium sitis huius non intelligens sacramentum, lacteo ori amaritudinem applicat in calamo, & fonti misericordiæ venena propinat. Non tangit Iudæe Christus poculum tuum, non gustat acetum, de suburbanis Gomorræ, & vinea Sodomorum. Fons, ille de quo aquæ vivæ emanant, cuius rivi in æternitatem prosiliunt, non exstinguitur, neque vt a te impleatur afficitur. Hoc potius ille fons sitit irriguus, vt ex eo affluentia haurias, & laque repleatis dulcedine, vt puri te refrigerent latices, & ardentium in te libidinum extinguant carbones. Hoc sitit, vt virens in te charitas perseveret: vt sicut palma in sublime comam spei attollas, & sicut cedrus Libani imputribilis vivas. Pincernas veneficos, sitis ista detestatur, & propinatores amaritudinis horret & abijcit. Nullis passionum ardoribus fons iste necatur, nullis pressuris charitas exhauritur. Etiam vbi percutis & triſtes, vbi fel porrigis, non commutat se dulcedo in amaritudinem, nec exigit charitas vltionem. Sanguis & aqua, de latere exeunt vulnerato: aqua in lavacrum, & sanguis in mortis exemplum. Charitati igitur Christi quæ esurit & sitit iustitiam nostram, testimonium perhibet in cœlo Trinitas, ipse Filius qui iustificat, Spiritus qui sanctificat, Pater qui glorificat: quia & iustitia, & sanctitas, & claritas nostra desursum est: & testimonium Dei, (quod maius est hominis,) hæc in nobis dona sua commendat, & informat, & confirmat. Nihilominus in terra, per visibilia & corporalia sacramenta, quod intus invisibiliter agitur, commendatur extrinsecus: & attestantur fidei Christianæ, spiritus, aqua & sanguis: quæ tria vnum sunt, & individua manent, nihilque eorum a sui connexione seiungitur: quia Catholica Ecclesia hac fide vivit & proficit, ut iam nec fine vera diuinitate humanitas, nec fine vera humanitate credatur diuinitas. Nec sufficere nobis posset ad intellectum veritatis, testimonium quod de cœlo est, quod sibi ipsi prohibet Trinitas, nisi & nobis innotesceret aliquibus signis & aliquibus argumentis, fidei veritas. Sunt itaque hæc tria, spiritus sanctificationis, sanguis redemptionis, aqua purificationis. Non redimit sanguis, nisi quos gratia vocat & lavat: nec nisi ablutos & mortuos peccato, spiritus sanctificat. In commune participant, redemptio, & ablutio, & sanctificatio. Alterum sine altero esse non potest: quodque agitur, vnum est, non multiplex. Spiritus namque sanctus superfertur mysterijs, interest sacramentis, quorum rationem aqua mundans significat, quæ illius rei continet signum, cui & sanguis Christi

Margin: 2.Cor.2. — Act.13. — B — 4.Reg.2. — Deut.32. — Ioan.4. — Ps.91. — C — Ioan.19. — Mat.5. — 1.Ioan.5. — 1.Ioan.5. — D

E & spiritus Dei præbet effectum. In aqua non damnamur, in sanguine informamur. Mirum dictu, tremendum relatu. Tot fluentibus de sacro latere aquis viventibus, & emanantibus de fonte vberi largis liquoribus, Christus sitire se perhibet: & ipse mundum irrigans & fœcundans, de ariditate causatur. Omninò tamen sitis illa exprimit, raros tunc extitisse qui crederent, cum ipsi & laterent, & dubitarent illa hora Apostoli, & adhuc non illabebatur sanguis & aqua in corda discipulorum radicitus, nec immaduerant ebrietate spiritus, quorum animas timor & dubietas siccaverant. Te sitit Christus, ô Petre, revertere, & dic libere. *Obedire oportet Deo magis quàm hominibus.* Revertere & confide, & cum frater tuus in aliquo delicto præoccupatus fuerit, tu *qui spiritualis es, iudica in spiritu lenitatis.* Et tu tentatus es aliquando, & ad vnius vocem ancillæ à proposito excidisti. Verum sanguis magistri, hunc reatum aspersit, manet tibi eadem gratia, non privaris Apostolatu, manent tibi claves tuæ, & eadem excellentiæ tuæ dignitas perseverat. Exurge, & bibe de fonte misericordiæ: & tu aliquando conversus, confirma fratres tuos: & in eadem mensura, qua propinatum est tibi, remetire eis. & ad formam tuam, *qui stat, videat ne cadat: & qui ceciderit, adiiciat, ut resurgat.* Etiam te, Iudæe parricida, Christi charitas sitit. Muta intentionem: replica orationem. Dixisti: *sanguis eius super nos, & super filios nostros.* Bonum est, quod dicis, si recte intenderis. Sit super te sanguis eius, & consepelire ei, per baptismum in mortem. Opta salvari, non damnari: bibe & tu nobiscum, de calice passionis illius. Non est hoc horroris, sed poculum pietatis. Liminare frontis tuæ lini hoc sanguine: & præter te angelus percutiens, nec tanget primogenita tua, sed attrita Ægypto, evades illæsus.

## SCHOLIA.

*Christus tamen sicut per David prædixerat, irruentibus in se vniversis.)* Respicit author ad Psal.61. vbi sic legimus: *Quousque irruitis in hominem, interficitis vniversi vos, tanquam parieti inclinato & maceriæ depulsæ? Veruntamen pretium meum cogitaverunt repellere, cucurri in siti.* Quem passum in persona Christi exponens sanctus pater Augustinus, ita ait: *Retribuebant mala pro bonis.* Illi interficiebant, illi repellebant: & ego illos sitiebam. Illi honorem meum cogitaverunt repellere, ego eos in corpus meum sitiebam traiicere. Bibendo enim quid facimus, nisi humorem foris positum, in membra nostra mittimus, in corpus ducimus nostrum. Et quibusdam interpositis, subiungit: *Hoc usque in finem sitit Christus, currit & sitit. Multos enim bibet, sed nunquam erit sine siti.* Inde est enim: *Sitio, mulier da mihi bibere.* Samaritana illa ad puteum sitientem Dominum sensit, & à sitiente satiata est. Sensit prior illa sitientem, vt biberet ille credentem. Et in cruce positus, *sitio* dixit: quamvis illi non hoc dederint, quod sitiebat. Ipsos enim ille sitiebat: at illi acetum dederunt, non vinum novum quo implentur utres novi, sed vinum vetus & male vetus. Hactenus Augustini verba: quæ ideò sic prolixe recitavimus, quoniam proposito plurimum videbantur convenientia.

*Iam absorpto serpente, festinat ad lavacrum inimicorum.* Beatus Augustinus tractans illud Psalmi quadragesimi primi. *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum*, cervorum conditiones aliquot enarrans, inter cæteras hanc notat, quod cum serpentibus pugnent, serpentesque perimant, ac post serpentum interemptionem maiori siti ardescant, propter quod, peremptis serpentibus, acrius celeriusque ad fontes recurrunt. Hanc cervorum proprietatem autor respiciens, Christum comparat *cervo*, qui quoniam in cruce cum serpente diabolo pugnavit eumque iam absorpsit & devicit, proximus consummationi victoriæ, ad lavacrum festinat, dum clamat: *Sitio.* Ad lavacrum autem inimicorum Christus sitit, quoniam increduli &

Margin: Act.5. — Gal.6. — Mat.26. — F — Luc.22. — Mat.7. — 1.Cor.10. — Ps.40. — Mat.27. — Rom.6. — Exod.12. — Ps.61. — G — Ioan.4. — Ioan.19. — H — Cervi.

peccatores,

A peccatores, inimici Christi, ipsi erant lavacrum Christi, in quo refrigerari post labores quærebat: ipsi erant fons & aqua, vnde quærebat ille bibere, serpente devicto.

*Hoc etiam in titulo Psalmi trigesimi tertij continetur, vbi affectare David in persona Christi prædicitur &c.* Locus iste multam videtur obscuritatem continere, maximè si nostri textus verba consideremus. Nam in titulo Psalmi trigesimi tertij, de affectatione ista & tympanizatione David nihil legimus, neque quod ferebatur in manibus suis. Hic enim est titulus: *Psalmus David, quando mutauit vultum suum coram Abimelech, & dimisit eum, & abiit.* In ipsa quoque lib. Regum historia, vbi prolixius huius rei gestæ ponitur narratio, secundum tenorem textus nostri Latini, quem ex Hebræo vertit Hieronymus, nihil de *affectatione* dicitur, neque quod ferebatur in manibus suis. Sic enim primi Regum 21. legimus: *Immutauit David os suum coram Achis, & collabebatur inter manus eorum, & impingebat ad ostia portæ, defluebantque salivæ eius in barbam.* Sciendum est ergo, omnia quæ hic dicuntur, secundum antiquam editionem tractari & applicari: quæ immutatis quibusdam, iam citatum ex Regum libro locum ita legit: *Timuit David, & mutauit vultum suum, & affectabat, & tympanizabat ad ostia ciuitatis, & ferebatur in manibus suis, & procidebat ad ostia portæ, & saliua decurrebant super barbam eius.* Atque in hæc verba narrat expresse beatus Augustinus prædictam historiam, in tractatu super Psalmum trigesimum tertium, in expositione tituli: vbi prolixè singula quæ hic dicuntur, prosequitur, & declarat plenissimè. Ad quem locum te, bone Lector, remitto, vt ipse dulcissime super his rebus concionantem audias mellifluum Augustinum, à cuius melleo ore hæc omnia noster autor desumpsisse videtur, & tu si volueris, plenam eorum accipere poteris intelligentiam. Quod si prolixam tituli expositionem vel pigebit, vel non vacabit perlegere, saltem epilogum, quem statim ante Psalmi enarrationem velut recapitulando præmittit, diligenter lege: in quo paucis, quicquid ad hanc comparationem attinet, invenies. Nonnulla quoque apud Beatum Eucherium Lugdunensem, diligens Lector ad idem propositum invenire poterit, in Commentariis super primo libro Regum cap. 24. & item apud Rupertum Abbatem Tuitiensem, libro secundo Commentariorum in libros Regum, cap. 8.

*Coram Abimelech, id est, coram Iudæis &c.* Abimelech valet *patris mei rex*, vel patris mei regnum, quod aptè Iudæis applicatur, qui fuerunt regnum Dei patris, & ad regnum specialiter fuerant electi ex promissionibus factis patribus. *Achis* verò Augustinus interpretatur, *quomodo est.* Quoniam verò qui ita interrogat in re fidei, ignorans & errans est (dubitantis enim, errantis & ignorantis est sic quærere) ob hoc subsequenter dicitur: *Hic Achis, id est, ignorans, hic est ex parte populus ille, qui non credit nec intelligit.* Vtrunque enim nomen Iudæis applicat autor, appellans eos Abimelech & Achis.

D *Abimelech & Achis non sunt unius personæ nomina.* In commentariis libri Psalmorum, super hac re nonnihil diximus, in Annotationibus ex Hebræo super titulo Psalmi 33. quod scilicet *Achis* nomen erat proprium personæ regis. *Abimelech* verò, nomen commune regibus Palæstinæ: quemadmodum reges Ægypti communi nomine *Pharaones* vocabantur. Et secundum hoc intelligi debet, quod hic dicitur, Amimelech & Achis non esse vnius personæ nomina: quia non vtrunque uni personæ est peculiare, sed alterum quasi commune est, alterum peculiare & personale.

*Veri Helizei derident caluariam.* Historia manifesta est 4. lib. Reg. cap. 2. vbi legimus, pueros illusisse Helizeo transeunti, dicentes: *Ascende calue, ascende calue:* atque ob hoc, ab vrsis de silva exeuntibus fuisse devoratos. In qua figura, Helizeus Christi typum gerit, quem erant irrisuri Iudæi, erántque eius calvariam vel calvicium irrisuri: quoniam in monte caluariæ ipsum erant afflicturi & interfecturi. Tunc enim dixerunt pueri Helizeo: *ascende calue, ascende calue,* quando dixerunt Iudæi Christo in monte caluariæ in ligno pendenti: *Si filius Dei es, descende de cruce,* & cætera huiusmodi. Vrsis autem traduntur, licet ad præsens differatur vltio, quoniam tandem esca erunt dæmonum.

*Hoc sitit, ut virens in te charitas perseveret, ut sicut palma.*) Alludit ad illud Psalmi: *Iustus ut palma florebit, sicut cedrus Libani multiplicabitur.* Ac si dicat: Sitit Christus, suo humore & virore talem te facere, qualis à Psalmista describitur, dicente: *Iustus* &c. Ps. 91.

*Aqua illum rei continet signum, cui & sanguis Christi & spiritus Dei præbet effectum.*) Aqua significat purificationem & emundationem ab omni macula. Hanc tamen aqua ex sua virtute non efficit, sed conditionis suæ proprietate tantum significat. Spiritus verò Dei & sanguis Christi, illam purificationem effectivè operantur. Quod autem subsequenter autor adiungit, dicens: *In aqua mundamur, in sanguine informamur:* quantum ad partem posteriorem hoc sibi vult, quod oporteat nos Christo commori & concrucifigi, & quasi sanguinem nostrum effundere, sicut ille pro nobis sanguinem fudit & mori voluit: quomodo in passione & in morte Christi dicimur informari, videlicet ad commoriendum & compatiendum: in sepultura, ad consepeliendum: & in resurrectione, ad conresurgendum, vt ait Apostolus. Idem etiam in sequenti Tractatu clarius dicitur his verbis: *Sanguis ille nos purgauit Christo aspergente populum semel in sancta illa, & nos similis introitus formam in proprio sanguine, crucifixis membris nostris, & abdicatis voluptatibus retinemus.* Rom. 6.

# ARNOLDI TRACTATVS

## DE VERBO ILLO DOMINI In Cruce:

*Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.*

OCVLVM *pro oculo, dentem pro dente evelli,* lex præcipit. Nemini parcit Moyses omnes iniurias suas persequitur & ulciscitur: & absque ulla miseratione, decretorum eius contemptor occiditur. Tempore gratiæ temperantur edicta, & Evangelica mansuetudo à populo acquisitionis iram & convitium & contemptum excludit, nec *racha* fratri dici aut *fatue*, vel etiam irasci magistri nostri disciplina permittit. Ipse quoque qui iudex est omnium, cuius est vindicta, nequaquam per singulos dies irascitur, & gladium in vaginam revocari præcipiens, percutientes in gladio, gladio perituros denuntiat. Ipse scisso dorso verberibus, vellicatis genis, facie sputis illita, puncto capite vepribus, latere saucio, terebratis palmis, pedibus confossis, tanquam agnus iugulatori suo alludens, carnem suam non reluctans explicuit: & nudum corpus, quasi incudem, malleatorum ictibus patienter supposuit. Poterat utique accitis multis millibus angelorum agere pro se, & de tantis ludibriis erui: sed qui præceperat percussori sinistræ maxillæ porrigi dexteram, & auferenti pallium præberi & tunicam, seipsum intra regulas suas concludens, voluit, vt à capite, patientiæ forma prodiret in membra, & in hoc æmulatio filiorum probaretur, si non se degeneres exhiberent. Igitur quid prius sitierit, manifestat: & iterum conversus ad patrem, orat, vt hæc ignorantia populo dimittatur:

Marginal references: Exod. 21. Mat. 5. — Mat. 5. Rom. 12. Deut. 32. Ps. 7. — Mat. 26. vers. 52. — Mat. 26. vers. 53. — Mat. 5.

A Luc. 21. *Pater (inquit) dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt.* Quid est Domine, quod dicis? Non accusas, non quæris vindictam: potius excusas, & coniurationis illius † spissamentum attenuas, & hæreditarium onus ab impiis transferens, crimen malitiæ non opponis, qui ideo dimittendum censes, quia admissum ignoranter ipse testaris. († pro densitate Spissum.) Vbi est illud quod dixeras prius: Ioan. 15 *Si non venissem & locutus fuissem eis, peccatum non haberent? Nunc autem, & viderunt & oderunt, & me & patrem meum.* Viderunt quidem, & oderunt: & quod de te scripserat Moyses, & antiqua conclamabant volumina, omni sabbato decantabant. Intrasti synagogam & (sicut palam erat) nequaquam ex commentario literatus, librum Esaiæ explicas, & in Luc. 4. auribus omnium legis: *Spiritus Domini super me, eo* Esai. 61. *quod unxerit me, ad euangelizandum pauperibus misit me*, & in adiutorio publico, in te impletum huius scripturæ vaticinium, protestaris. B Quis ignorantiæ locus erat, cum ipsis inquirentibus, quomodo literas nosses, quas non didiceras, hoc ipsum divinæ sapientiæ documentum esset, quod te quem in scholis suis nunquam elementarium viderant, eruditum in lege probarent? Certe latere non poterat, sed in hoc te universitas mirabatur. Ex te sapis, ex te intelligis, disputas publicè de lege cum scribis, & ex lege brutos hebetesque doctores convincis. Quis dubietatis locus, quæ ignorantiæ ratio esse potest, vbi cæci vident, Mat. 11 Luc. 7. claudi ambulant, leprosi mundantur, resurgunt mortui, pauperes evangelizantur? Sed obstinatis animis & nolentibus intelligere vt bene agerent, nec signa Ps. 35. ipsa persuasoria erant, nec virtutes operariæ. In tantum in eorum pectore Christi induruerat odium, vt & bona quæ negare non poterant, non virtute Dei, sed præstigiis dæmonum fieri dicerent. Opera Christi Beelzebub asscribebant, & Spiritus sancti vnctio- Mat. 9 & 12 nem dæmonis. Et tamen Christus *nescire eos quid agerent* affirmat: [illegible] pro errore eorum & cæcitate C [illegible] supplicat patri. Sed habebat hæc ipsa postulatio [illegible]: & necesse erat, in terra arida & palustri & pinguium [illegible] pro frugibus, vtque ad [illegible] fidei fundamenta infigi, & ex profundis adytis primum submoveri [illegible] errores, vt [illegible] quæ [illegible] sibi veritas aptaret & illustraret, sicque fundatum [illegible] spes gloriæ pingeret. Nec tamen (licet [illegible] criminis molem mediatoris authoritas eliminaret) obstinatio illius infidelitatis ex se excusabilis erat: nec habebat quid opponeret destituta ratione mens, & animus ad vera prospicienda caligans, cui rectitudinem [illegible] veritatis (ad instar remi, qui in aqua Cicero. Aristot. [illegible] præfracti que similitudinem reddit) aliter intelligebatur quam erat: & cum esset præ oculis res ipsa, nubiaque interiectio impediret, ex se in transversum intuens, strabus ludificabatur aspectus. Ideóque nec ratio, nec doctrina in culpa erant, quæ utique non [illegible]. Sed dum multo impendio temporis supervacua quæritur, malum inolitum in ipsis visceribus [illegible] dens, [illegible] non admittebat manum. Ideoq; D quia [illegible] ægrotare [illegible], sanitatis contemnebant subsidia. Neque [illegible] ipsa luce oculis malignis erat infestius, demissisque palpebris & complosis in arctum, [illegible] cæcitatem imprimebant, usque adeo in hoc [illegible] voluntas, vt voluntas consuetudinem, & consuetudo faceret necessitatem: necessitas verò usque ad illam [illegible] erumperet, vt nescirent quid facerent. Hæc erat illa animi crassitudo, quam Esaias populo Iudæorum improperat, per quam in hanc hebetudinem venerant, Esai. 6 *ut videntes non viderent, & audientes non audirent:* quia exasperantes animos dignum erat in propriis sensibus confundi, & qui abutebantur iustitiæ [illegible], & veritatis radios abhorrebant, abdicati a naturæ & gratiæ luce, in cæcitate sua tabescerêt, & haberent intra se fumosas exhalationes, quæ totum candorem intellectuum & sensuum denigrarent. Legis quippè saliva quam ab antiquo imbiberant, ita eorum faucibus inviscata hærebat, & ceremoniarum veterum sapor palatum mentis perfidiæ ita infecerat, vt esset E eis in Sathan, quisquis a Moyse doceret discessum, & de occidente litera vivificantem spiritum hauriret. Vnde & Moysen Christo præponentes, quasi in blasphemiam linguas zelantes armabant: præferebant Ioan. 7. & 8. servum domino, & discipulum magistro. Nec negare poterant miracula: sed tanti ponderis odium erat, tantæ immanitatis invidia, vt Christi bene gesta vel dicta eis non saperent. Ad vesanas mentes nullus omnino veritati patebat accessus: & quæ palam erant, & nulla tergiversatione abscondi poterant, perverse prout poterant interpretabantur: & in defensione legis, iam non tam rationibus quam conviciis utebantur. Ex ipsa quippe lege convincebantur, & propriis concludebantur dogmatibus: nec supererat aliquod prævaricatoribus effugium, nisi quod detrahebant & persequebantur violentia veritatem: vnáque communis intentio F omnium ad hoc conspiraverat, ut contumelia gloriam suffocarent, & mortis opprobrio pariter & nomen eius delerent & famam. In hoc, omne consilium eorum volvebatur: & ad hanc definitionem omnia perfidiæ argumenta convenerant, vt sanctum & iustum (quia Sap. 2. contrarius erat eorum operibus) de medio tollerent: ac per hoc probarent, nullum ei esse cum divina natura consortium, cum sicut cæteri homines, mortalis & passibilis videretur. Hæc erat cæcitas, hæc ignorantia plebis erroneæ, quam dimitti Christi charitas postulat, beneficium præstans ingratis: quod vtique & ibi ex parte completum est, & in fine perfecte complendum, quando intra huius indulgentiæ sinum tota Israelitici populi massa concurret, cum gentium intraverit plenitudo. Rom. 11. Ioan. 13. Hoc sciens Iesus, quod omnia dederat ei pater in manus: cum dare posset quod petebat, & potestative hoc propria contineret auctoritas, supplicantis tamen pro tempore personam exhibuit, vt ex affectu charitas, & G ex subiectione humilitas, & ex effectu innotesceret veritas, quod in tanti absolutione criminis, nulla esset inter advocatum & iudicem contrarietas voluntatum, sed vna & concors esset in hoc negotio allegatio utriusque: quia nullus omnino severitati locus ibi esse poterat, ubi vulneratus Christus pro ipsis intercedens sanguinis exigebat. Exauditur ergo pro sua reverentia, nec Hebr. 5. tamen gratis accepit, sed ingens erogat pretium: vt commendetur his pro quibus res tanti ponderis agitur, quam desperata esset causa, tam generis causa, quæ ante componi non poterat nisi exsolveretur pro pace eius tanti pretii quantitas, quam singulariter habebat apud se humilitas Christi & assumpta humanitas. Convenerunt itaque iustitia & pax, & osculum datum est: & pro Ps. 84. captivo suo vadem fidelem liberator se posuit: tantaque auctoritate firmatum est huius indulgentiæ privilegium, ut in ipsius Christi crucifixi membrana proprio sanguine conscriptæ sint illius absolutionis literæ: maneatque infixum vsque hodie sigillum, plaga lateris, quam semper oculis patris exhibet præsentem Salvatoris. Perennem igitur huius gratiæ hæreditatem testator noster transmisit ad posteros: & originalis mali præcisa radice, licet recrudescat peccatum in multis, generalitas tamen in illis ita abrasa est, vt ad expiationem H eorum quæ quotidiè admittuntur; non iterum Christum crucifigi oporteat: sed vnum confessionis ad omnia crimina sufficit lavacrum, & ad omnia flagitia vna pœnitentiæ sufficit hostia. Vnde illud crucis sacrificium, factum est nobis & sanitas & exemplum: quia & propriè sanguis ille nos purgavit, Christo aspergente popu- Hebr. 5. lum, semel in sancta illatus: & nos similis introitus formam in proprio sanguine, crucifixis membris nostris, & abdicatis voluptatibus, retinemus. Nec nos latitudinis crucis & altitudinis & longitudinis & pro- Ephes. 3. funditatis usquequaque mysterium intacta præter te convenit. Nam sua profunditate usque ad interiora nostra Profund. penetrat hoc vexillum, & cuspide præacuta [illegible] interiora: & pertingens usque ad divisionem animæ & spiritus, ipsis [illegible] affectibus, secretisque & abditos comprimit motus, & totius petulantiæ perforat Crux.

appetitus. Hoc in profundo cordis crux agit abscondita. Intus compungit animam, subtérque Leviathan verme venenato hoc vecte transfixo, intrinseca nostra pacificat & conscientiam munit, & meditationes sanctificat. Et sicut lignum Moysi à Domino ostensum, aquis Marath immersum omnem illarum amaritudinem in dulcedinem vertit: ita sanctæ Crucis virtus animo recondita, omnem tentationum salsuginem sua immersione contactúque induleat. Iam verò longitudo, quæ à pedibus vsque ad ligni transversi incrustaturam se erigit, continuæ mortificationis Christianæ indicium est, & oportere crucifigi simul cogitationes & opera, efficax documentum. Necesse quippè est, quantumcunque longa sint huius sæculi spatia, vt omni vita infatigabilis ad ea quæ ante sunt semper tendat, semper se evehat, patientia constans, & longanimitas perseverans. Latitudo autem charitatis, zeli amplitudine universa complectitur, cum ægris infirmatur, & cum his quibus est scandalum vritur. Extendit se & superfertur afflictis, affectu nutritio: expansisque alis pullos implumes aggregat, & fovet, & protegit: & seipsam in tutelam parvulorum exponens, negligit: neque alios vt defendat, propria damna formidat. Cum his etiam qui oderunt pacem, in tantum est pacifica vt nec læsa exigit vltionem, nec exacerbata refertat contumeliam: & si corrigat omninò sollicite agit, vt plus agat benevolentia quàm severitas, cohortatio quam commotio, humilitas quàm potestas. Iustum & impium simul complectitur: alterum, vt stet, alterum, vt resurgat. Non est ei advena bonitas, nec emendicat aliunde clementia: non stimulis, non legibus, non loris ad portanda aliena onera urgetur, victo demisso poplite curuat scapulas, nec grave iudicat eos pati qui seipsos ferre non possunt, sed de alterius miseria beneficium ordinat, & liberalitatem exornat. Si qua sunt apud infirmos inhonesta, his abundantius honorem circundat, non improperat, non diffamat: sanat, non vulnerat: curat non lacerat: exonerat, non gravat. Operit peccata, non divulgat. Huius latitudinis mysteria Christus etiam inter supplicia commendans, in quod expansis manibus elevatáque læva & dextera inter latrones se medium exhibebat, volebat intelligi, commune esse illud beneficium, & non solum bonis, sed & impiis quod agebatur proficere, & se potius medicamina illa ægris proposuisse quam sanis, & gratia illa pari libertate donasse eos qui de libera, & eos qui nati fuerant de ancilla. Restat altitudo, quam vsque ad summum intimat pars porrecta. Hæc est bonæ spei confidentia, quæ crucifixos mundo cœlestibus invehit, & ex bonæ conscientiæ testimonio securos certósque illi gloriæ consociat, iam iámque bonis illis manum intentat, iam gustat, iam os aperit, iam delibat, iam conversatur cum angelis, iam illa prosequitur agmina, iam agnoscit, iam liquescit, iam amat, iam iubilat, iam lætatur & delectatur, hilarescit & quiescit, intelligit & diligit: & tamen quantalibet perfectione quisque quæ sursum sunt sapiat, interest tamen plurimum inter fidem & speciem, nec sine cruce est electis id latio plenitudinis, quos iam probatos consummatósque nulla quidem tentatio concutit, sed (vt diximus) hoc solum deest ad cumulum pacis, quod nondum ex toto se integram exhibet contemplatio veritatis.

## SCHOLIA.

*Evangelica mansuetudo à populo acquisitionis iram & convitium & contemptum excludit*) Populus Christianus à Petro Apostolo *populus acquisitionis* nominatur, dicente: *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis* &c. Iccirco autem *populus acquisitionis* dicitur populus Christianus, quoniam Christus illum sibi acquisivit & emit pretio magno, nempe sanguine suo. In eo autem quod author adiungit: *Iram & convicium & contemptum excludit*, tribus verbis illis Domini sententiam exponit, qua prohibet *non irasci, nec dici fratri racha, nec fatue*. In primo enim simplicem *iram* dicit prohiberi, in secundo *convicium*, & tertio *contemptum*.

*Spiritus sancti unctionem dæmoniis*) Ideo dicit Iudæos ascripsisse dæmoniis unctionem Spiritus sancti, quia quæ operabatur Christus ex Spiritu sancto, quo unctus erat, hæc à dæmonio dicebant fieri.

*Purgamenta creante pro frugibus*) Purgamenta, id est, spinas & tribulos & alia zizania multa, à quibus debet cum labore terra purgari, vt fructum bonum proferat. Dicuntur enim *purgamenta*, sordes aut alia supervacua, quæ purgando colliguntur & abiiciuntur. Quod autem sequitur: *Et de profundis adytis primum submoveri sensus erroneos*, per y legendum est, *adytis*. Est enim *adytum* secretior locus templi, ad quem solis sacerdotibus dabatur accessus: quemadmodum apud Virgilium dicitur:

*Isque adytis hæc tristia dicta reportat.* Græci ἄδυτον neutro genere dicunt. Vult ergo author, ex secretioribus Iudaici cordis primum debuisse submoveri erroneum iudicium. Quidam autem codices habebant, *abditis* pro *adytis*.

*Adinstar remi, qui in aqua demissus, curui præfractique similitudinem reddit.*) Comparationem facit sensus errantis cum intellectu errante. Decipitur sensus visus, in remo demisso in aquam: qui cum rectus sit & integer, aspicienti tamen oculo curuus & præfractus videtur: sic intellectus subinde aliter de re & veritate iudicat, quam ipsa se habeat. Et cum non sit defectus ex parte obiecti, nostris oculis, nostróque intellectui culpa ascribitur. Oculi enim strabi, non recte aspicientes, sed in transversum, sibi sunt deceptionis causa: sic mens sinistre ex se aspiciens & iudicans, seipsam fallit in suo iudicio, non fallitur à veritate. Quod subsequenter de Iudæis pulchre author declarat, dicens: *Ideóque nec ratio nec doctrina in culpa erant*, &c.

*Demissisque palpebris & complosis in arctum, violenter sibi cæcitatem imprimebant.*) Ita nonnunquam oblata re aliqua nostro conspectui, quam omninò videre noluimus, palpebras solemus demittere, eásque violenter comprimere, ad claudendum oculos, & impediendum ne videatur quod est præsens. Sic faciebant Iudæi, dum *noluerunt intelligere ut bene agerent*, nec quicquam ipsis deesset nisi voluntas. Aderat enim signorum evidentia, & doctrinæ efficacia. In eo autem quod sequitur: *Vt voluntas consuetudinem faceret, & consuetudo necessitatem*, non simpliciter necessitatem accipe, sed quandam necessitatem: quæ non est nisi magna obstinatio vel obstinatio in re aliqua: quomodo dicere solemus de homine vitio alicui assuefacto, quod impossibile sit illi hoc agere, aut illud non agere: vtpote de homine indurato in odio, quod non possit diligere, sed necessario debeat odire. Est enim consuetudo quasi altera natura (vt dici solet) atque ita & quandam necessitatem videtur adferre, ita vt aliter non possit fieri, nisi cum multa difficultate.

*Et nos similis introitus formam in proprio sanguine*, &c.) Huius loci intellectum supra dedimus in scholiis primi capitis, sub litera F.

*Vsque ad ligni transuersi incrustaturam.*) *Crusta* fœminino genere, significat fragmentum lapidis aut ligni aut alterius huiusmodi. A *crusta* autem, fit *crusto*, verbum à quo *incrusto*, quod est, crustam duco sive crustam applico. Vnde *crustatio* sive *incrustatio* deducitur, cum crusta alicui applicatur. Idem significat *incrustatura*. *Vsque ad ligni ergo incrustaturam*, id est, vsque ad locum illum sursum, vbi lignum transversum applicatur & coniungitur recto ligno. Nam *longitudinem* crucis ab altitudine sic distinguit, vt *longitudinem* sumat ab imo pedum, usq; ad coniunctionem ligni transversi: *altitudinem* vero sumit, secundū id quod ab incrustatura

† Vide I. Lipsium de Cruce.

residuum

A residuum est desuper. Sic enim videtur author crucis imaginari formam, quomodo fere a pictoribus solet depingi: licet nonnulli putent, super inculsaturam non fuisse partem aliam sursum porrectam.

*Interest tamen plurimum, inter fidem & speciem.*) Habebant quædam exemplaria, *inter fidem & spem.* Verum id nihil ad propositum facit. Vnde manifestum est, *speciem* non *spem*, esse legendum. *Modo enim* (vt
2.Cor.5. ait Apostolus) *per fidem ambulamus, non per speciem.* In
1.Cor.13 patria autem superna per *speciem* vident Deum, sine ænigmate, sicuti est.

B
# ARNOLDI TRACTATVS
## DE SEXTO ET SEPTIMO Vltimis verbis Domini in Cruce.

*Consummatum est.* Et: *Pater, In manus tuas commendo spiritum meum.*

POST myrrhatum calicem & reliqua crucis ludibria, quod à Matthæo & Marco & Luca fuerat prætermissum, Ioannes non tacuit: hoc videlicet, quod bene dispositis omnibus, & assignato in novis-
Ioan.19 simis testamento gratiæ, & certæ spei regulis com-
Luc. 23. mendatis, ad intimandum quod nihil omninò deesset ad doctrinam formamque iustitiæ Christus intulerit.
G Consummatum est: ac deinde in manus patris spiritu commendato, inclinans caput, quasi gratias agens, potestative emiserit animum: consummans omnem legalium rationem hostiarum, & vltimam ænigmatibus antiquis manum imponens. Sese itaque totum obtulit patri, & consummata est illius holocausti plenitudo, expensis in illud ministerium carne simul & spiritu: quia & pro carne & pro spiritu hominis agebatur, & totus homo totum Christum habuit sanatorem: dum & caro in medelam carnis oblata est in ligno, & ad sanctificationem animæ obtinendam, spiritus ille descen-
Ps.106. dit ad inferos & ascendit ad superos: ibi confringens
Ps.23. ferreos vectes, hic portas aperiens æternales. Et à corpore quidem anima illa Christi per illud triduum se absentans non ita divinitatem quemadmodum carnem
2.Cor.5. deseruit: sed erat Deus in ea indivisibiliter, mundum reconcilians sibi: tollens à nobis mortis formidinem, per maturam resurrectionem, purgans illa amaritudine, quicquid voluptatum venena infecerant, victoriæ suæ gloriam cœlo exhibens & inferno. Abstractisque
D his qui in illa expectatione diu languerant, etiam angelorum desideria complevit, quibus hæc hominum restitutio grata fuit. Nec fuit mora inter oblatum & impetratum, sed sub omni celeritate se complexæ sunt passio & absolutio. Itaque alterum ex altero constituit, vt eadem hora & repleret superos, & inferos captivaret. Acta sunt tamen in cœlestibus gaudia illa prolixiori spatio: neque statim reversa est ad corpus suum anima Christi, sed interim his quos de tam antiquis tenebris liberaverat, splendoris divini gratulabundam exhibebat præsentiam: & his qui in mundo erant consolationem dispensatoriè aliquantulum differebat, vt & dilatio augeret desiderium & resurrectionis repentinæ
Ps.39. lætitia impleret affectum. Quia igitur hoc in capite libri scriptum erat, vt hanc patris voluntatem filius faceret, & res diu expectata & multis præfigurata modis, occultam à sæculo faciem in lucem protulerat, exoneratum peccatis populum, non vltra passus est Christus supervacuis gravari cultibus: quia deinceps non esset

religio, sed superstitio, si cæremoniarum veterum fæ- E
ces cum vino mero in Evangelico calice miscerentur. Nec tantum passionum suarum finem, sed illarum etiam observantiarum intelligi voluit: vt postquam advenerat veritas, figuræ cessarent, nec vltra superflue vexarentur fideles spinosis circuitionibus, per devia aberrando, cum indicaret eis ipsa veritas viam, & loqueretur publice, qui loquebatur ecce assum. Vnctus erat
CHRISTVS oleo lætitiæ pro cunctis humanæ naturæ Esa.53.
participibus, qui etiam præ angelis nomen hæreditabat Ps.44.
differentius: & exiccata iam erat à facie huius olei Iu- Hebr.1.
daica unctio: & necesse erat, vt complicaretur ephot, Esa.
& teraphim non appareret: & quicquid beseleel vel contexuerat vel celaverat, locum daret vivis & ratio- Exod.38.
nalibus documentis: & abessent vmbræ & imagines & typica integumenta, vbi ipsa veritas nudam formam & puram speciem intuentibus exhiberet. Itaque finem legis advenisse, in fine passionum Christi monstratum
est: & quicquid ab antiquo in sanguine hircorum & vitulorum, sive in aliis quibuscunque vel odoramentis F
vel libamentis, lex multipliciter ad expiationem peccatorum agendum decreverat, gratia reduxit ad compendium: & abbreviato tantæ fatigationis itinere, vnum sanguinem, vnam incensionem proposuit, & vnum holocaustum omnia continens, ea moderatione aptavit, vt ad id comparandum, quantæcunque mendicitatis esset homo, haberet sufficiens pretium, nec vnquam persona vel locus impediret à tantæ dignationis accessu. Vnum igitur agnum habet Ecclesia, neque quo- Agnus
ties pascha revolvitur, quæri alterum necesse est: & vnicus.
cum vna sit tribus, & familia populi Christiani, vni populo una sufficit hostia, & in una domo una ponitur mensa. Vnum habet panem & calicem vniversitas fidei: & multitudini credentium vnus cibus apponitur, idémque sumitur, nec consumitur: & cum omnes impleverit, superest & abundat. Mutabantur panes propositionis per singula sabbata, appositisque
calidis, frigidi tollebantur: quia veteres oblationes, G
quasi frigidas & calorem spiritus non habentes, repudiandas tempore gratiæ, ipsa panum mutatio intimabat. Agnus noster idem est, nec diversi per diversas familias immolantur: quia sicut vnitas Ecclesiæ nec scindi potest nec dividi, ita necesse est, ut vnum agatur ab omnibus, & vniforme obsequium devotio communis exhibeat: totiúsque vniversitatis consensum, sacrificij singularitas ipsa commendet. Quod Exod.12.
vero ad esum agni, si forte quid superesset, vicinus Agni
coniunctus domui eius cui supererat, vocari præcipi- esus.
tur, introductionem Gentium ad communionem sacra- Exod.12.
mentorum Ecclesiæ exprimit: quas vtique per Evan- Vocatio
gelium vocatas, convivij huius sapor illexit, & ete- Gentiū.
nus ieiunos ad ea quæ Iudaicus populus edere non potuit, grata mater admittit. Mirum omninò est dictu, & res ipsa spiritualem exigit intellectum: quod cum agnus non nisi ab una familia posset immolari, quæ esse posset tantæ paucitatis familia, ita carens filiis vel
nepotibus aliisque propinquis, vt vnum non posset per H
se agniculum edere? maximè cum tam numerosa illius gentis esset fœcunditas, multáque coniugia multiplicem sobolem cumularent. Sed (ut diximus) intimata est Prophetice Vocatio Gentium, & admissæ sunt per fidem ad participationem sacramentorum, Iudæis secundum carnalem sensum literaturæ hærentibus, nec pervenire valentibus ad spiritualis plenitudinem intellectus. Assatus est ergo agnus noster in veru crucis, subter incensis tormentorum carbonibus, nihil crudum aut carnale in eo iam sapimus, nihil elixum aut molle: sed ita illa boni odoris assatio in patibuli flamma induruit, ita solidata est, vt nihil in eo ultra supersit vel passibile vel mortale: sed omninò mortis pyra ab antiquo accensa sanguinis illius conspersione extincta est. *Ideoque & sibi & nobis constat inconsumptibilis illius integritas, quia nec corrumpi potest quod omnino est solidum, nec minui quod æternum.* Caput eius cum pedibus edimus, nec

A abhorremus intrinseca : quia fides nostra in hoc vivit & proficit, hoc fatetur hoc credit, quod verbum quod erat *in principio apud Deum factum sit caro* Ioan.1. in fine sæculorum, & maiestas divina vsque ad infirmitatis nostræ descenderit intestina, nec nostræ fragilitatis abhorruit officinam : & qui erat nostrum principium, ad finem quoque nostrum accessit : constituens in se nobis metam & terminum, per finem temporalem revocans ad finem infinitum : & consocians corporis & capitis gloriam, individua connexione astrinxit in vnum. Sic caput, sic pedes, sic intestina comedimus, cum ita altitudinem Christi prædicamus, vt non erubescamus humilitatem : ita infirmum, vt fortitudinem quoque non negemus : ita stultum, ut sapientiam admiremur, quia hoc amplius stupendum est in illo nostræ redemptionis negotio, quod exinaniri sic se passa est divinitatis sublimitas, quam quod in se incommutabilis virtus & incomprehensibilis magnitudo, stat in beatitudine sempiterna immobiliter per-B severans. Atque ita & apud Ezechielem faciem & pedes Dei quasi prima & novissima Cherubin contegunt, media tantum videnda exponunt : quia quæ ante mundi constitutionem apud ipsum erant, vel quis status rerum futurus sit post iudicium vltimum, cibus est fidei & spei. Interim dum intelligere satagit quæ secundum carnem gesta sunt, & humanitatis indagatione affectus quasi ex charitatis eius visceribus, religionis mansuetudo pascitur. Carnem igitur hoc modo comedimus, ossa vero igne comburimus : quia sacramenta quidem (quæ quasi divinæ virtutis caro sunt, & veritatis integumenta) visibiliter secundum suam speciem percipimus & sumimus : ipsam verò substantiam secundum intelligibilem & invisibilem statum firmam omninò & solidam, nec frangimus nec minuimus, sed flammis iniicimus, id est, spiritualibus intelligentiis commendamus : quod spiritus & vita sint in divinis mysteriis : nec fas sit intellectu humano tantæ rei confingi notitiam, quam interim intra se Spiritus sanctus colligit, donec *evacuato quod*
C *ex parte est*, perfectum prodeat palam, & cognoscen- 1.Cor.13. tes sicut & cogniti sumus, iam non hoc sacramento agamus, sed specie. Ideo nocte agnum mactare præcipimur : quia nondum nobis liquido elucet huius operis ratio, cuius fides ministra est, quam in splendoribus sanctorum deteget veritas, cum novum vinum in Matth.26. regno Dei propinabitur, accensisque lampadibus virgines animæ ad æternas nuptias admittentur : positaque inextinguibili lucerna super candelabrum, omnibus qui in domo erunt lucebit, tam sacramentorum veritas, quam ipsius ratio Trinitatis. Interim sane immensi quædam res agitur, & virtutem invisibilem manifestus effectus eloquitur, fideique certitudinem beneficia indulta corroborant, & ex collatione præsentium firma fixaque est expectatio futurorum. Datur nobis agnus iste ad epulum, datur sanguis eius ad Exod.12. poculum. Mandatur extrinsecus liminaribus & postibus domorum nostrarum sanguis ipse apponi in signum, vt munitum sit quod patet & quod latet : ha-D bitantque caro & spiritus secura præsidia, cum cibus potusque divinus animam introrsus alat & vegetet, abigatque extra virtutes contrarias signum crucis & sanguinis nota. Nec dubium, quin omninò formident dæmones passionis formam, terroremque eis characteris huius inspectio ipsa incutiat. Etiam ipsos Sacramenta sancta & fidei muniunt signa, quos constat non quantum expedit Christiano dogmati & castis moribus conformari, sed solius fundamenti obtentu, eo quoquo modo inhærent : nec statim propter ligna 1.Cor.3. & fœnum quæ superponi à negligentibus vident, irruunt dæmones in quoscunque carnales : sed reverentur fundamentum, & dissipant ad vivificum signum, nec temere accedunt ad consecratam sanguinis balsamo domum. Alioquin, si ad singulos excessus vim suam penitus sacramentorum subtraheret virtus, & inaniter frontibus errantium crucis titulus pingeretur,

& nulla spes superesset ruentibus. A quibus licet, la- E psus articulo Spiritus sanctus abscedat, manent tamen etiam in reis, nec sunt inania sacramenta : ad quæ, vt compungitur qui deliquit, idem spiritus redit. Tantaque est sacramentorum dignitas, vt ipso spiritu absente, non audeat vis inimica ingredi, nisi desperatione & consuetudine, deliberatoque consensu, signum sanctum victa captivaque mens apostasiæ scalpello eraserit. Hinc est, quod exterminator an- Exod.12. gelus, primogenita quæque Ægyptiorum percutiens, viso hoc signo, à liminibus sanguine illitis, quasi increpatus se cohibet : enecatisque Ægyptiis, illæsi incolumesque manent quorum latera frontemque cruoris huius conspersio rubricaverat. Sic Raab cum esset Iosue 6. meretrix, appensa ad fenestram reste coccinea, salvatur, & sola ex Hierico libera evadit : nec patuit domus eius vastationi & prædæ, quam tam celebris signi reverentia muniebat. Iubetur etiam, vt festinanter & F avide hoc agatur convivium, vectesque itinerarios Exod.12. habentes in manibus lumbis præcinctis, panes azimos edant cum lactucis agrestibus : quia tanti operis ministros, nec desides decet esse nec molles, neque viaticum accipientibus exiturisque de Ægypto, quærenda sunt diversoria voluptatum : sed *in exitu de populo* Ps.113.1 *barbaro*, simul se debent componere amaritudo pœnitentiæ & sinceritas vitæ. Hæc carnaliter aliquando, sicut & cætera legis ænigmata, profuerunt, dum fides & pietas ad id quod promiserat veritas, concurrebant : sed *ubi venit plenitudo temporis*, finisque legis Galat.4. CHRISTVS, quicquid de agno vel hædo vel iuvenca Rom.10. rufa mandatum est, omnia factus secundum con- Consūmatū est. gruos status, & in se omnia referens iuxta proprios intellectus, cessatum est à multis, vbi vnum sufficientiam posuit : nec oportuit adhiberi significantia, vbi significatum advenit. Sacrificia de craticula vel Levit.2. sartagine, zelum fervoremque sanctorum præloquuta sunt : suffumigationes aromatum, incensiones orationum, & pia vota, affectusque sanctorum : incensi adipes, emortuas voluptates. Indumenta sacerdotum, multiplicium gratiarum ornatum continebant. Fœ- G minalia, quæ ad operienda pudenda primo loco posita Sacerdotis indumenta sunt, tantam edocent oportere esse continentiæ verecundiam, vt ne suspicioni quidem locum relinquat: Exod.28. & ita abscondi quicquid, id est, inhonestatis nota- 1. bile, vt nullo casu ad ea intuenda, zelotes admittatur aspectus : Sed talem se exhibeat conversatio sacerdotum, quasi sine sexu sit : & omninò abominetur huiusmodi labem ; quin etiam confundatur & erubescat ad membra communia, ipsamque operiat naturam consciam sui, detesteturque quod potest, non quod agit, & quasi emortuas & fœtidas partes illas sepeliat & abscondat. Secunda vestis, quæ poderis, 2. id est, talaris dicitur, linea est : quæ munditiæ perseverantiam intimabat, & vitæ immaculatæ candorem : quæ stricta erat & adhærens corpori, quia singularitatem hoc propositum diligit, & expeditos esse oportet, qui sanctis ministrant altaribus, carnemque & vestem & totam conversationem solitariam exhibere. Tertio loco aderat balteus, lineam tunicam in- H ter vmbilicum & pectus astringens, vt in eandem le- 3. gem sub eiusdem propositionis vinculo, mens & actio convenirent : & vtrumque quadam necessitudine ageretur, carnalisque & spiritualis affectus hanc regulam sibi pari voto conscriberent, & in idipsum communi studio perenniter consentirent. Quartus 4. ornatus erat thiara vel cydaris : qui capitis cultus (eo quod domestica est ibi camera sensuum, & propria sapientiæ domus) indicat, quo philosophica contemplatio tendat, & quantæ sit sapientiæ, eligere cœlibatum. Hæc omnia fieri iussa sunt de lino, vnde & byssus aptatur, vt non lateat huius studij & propositi animos : quia multis ablutionibus opus est, vt ad hunc candorem exercitatus quisque perveniat : diu torqueri & longa consuetudine carnales solidari affectus, ne tentationum mole facilè dirumpantur.

A Et quidem ad caput noſtrum (quod eſt Christus) hac cydari ſignante, tota puritatis noſtræ referenda eſt gloria: & tunc demum tuta poterit eſſe perſeverantia, ſi in eo fixa ſit ſpes, & fiducia radicata. Hæc quatuor indumenta minoribus & ſummis ſacerdotibus, ex lege & decreto erant communia. Quatuor reliqua, ſunt propria ſummi ſacerdotis. In primis, poſt indumenta prædicta, *tunica hyacinthina* ſummus Pontifex induebatur: dependebantque in inferiori eius parte per circuitum lxxij. tintinnabula: & inter duo tintinnabula vnum malum punicum. Omnia erant ex auro puriſſimo, vt totus vocalis ingrederetur in ſancta; ſi aliter ageret, continuo moriturus. Veſtis ſane illa hyacinthina animam in ſanctimonia enutritam ad ſummum profectum indicat pervenire, vt ſpiritu vivat, ſpiritu ambulet, à nemine iudicetur, & omnia iudicet. Hoc enim eſt ſummum ſacerdotium, ad hunc apicem ſanctitatis attingere, vt totum ſe vir intus cœleſtem exhibeat, moreſque ſupernos & divinam exprimat formam, ſolique creatori mente infixa individua converſatione inhæreat, hoc totum complectens, tunica hyacinthini coloris innuit. *Tintinnabula* vero *aurea* erant: mala autem ex hyacintho & purpura, cocco & byſſo, in modum ſphærulæ facta: hoc ſignante ſpiritu ſancto, quod viri contemplativi quorum *converſatio in cœlis eſt*, & qui *quæ ſurſum ſunt ſapiunt*, non quæ ſuper terram, fidei Chriſtianæ doctrinam & maximè noviſſimum debent populis denuntiare terribile iudicium; totúſque eorum inceſſus & ſermo reſonare debent divina myſteria, nec gratiam divinam quæ data eſt illis, premere vel ſuffocare debent ſilentio. Quia non ſatis eſt, acceptum in ſudario repoſuiſſe talentum, niſi a negotiatione ſervus revertatur cum lucro: nec prodeſt hyacinthinam tunicam, nec caſtitatis continentiæque inſignia doctori ſufficiunt, nec pretioſus eſt ad altaria ſancta ingreſſus, ſi negligit annuntiare impio viam ſuam, peccatique ſtipendium eum & ille non habens correctorem in peccato ſuo pereat, nec proſit doctori ſua iuſtitia, cum ſanguinem errantis iudex de manu ſpeculatoris requirat: nec magnum eſt ſibi vivere niſi ſatagat & alios ſecum vivere: quia (vt ait Seneca) qui res & homines fugit, qui alios videre non poteſt, ſed velut timidum atque iners animal metu deoblituit, nequaquam dicendus etiam vivere ſibi, ſed ſomno & ventri. Ideo ingrediens in ſancta ſanctorum totum vocalem ſe debet ſummus pontifex exhibere, & virtute verbi quaſi floribus odoriferis allicere auditores: vt prædicatio quaſi tintinnabulum ex auro puriſſimo puritatem perfectionemque ſingularis intelligentiæ indicet: & ex omni parte per circuitum ſermo eius lucis divinæ intonet claritatem: & ipſi florum colores in hyacintho (vt dictum eſt) cœleſte deſiderium, in purpura magnanimitatem regiam adverſus peccatum, in cocco bis tincto inflammatum in dilectione Dei & proximi piæ mentis oſtendat affectum. Oportet ſane, ut ſacerdotalis actio ſemper ſit, & auro ſapientiæ fulgida, & hyacintho ſpei in ſublime erecta, & purpura regni (vt debellatrix peccati & in captivitatem redigens dæmonum monſtra) circundata, & cocco bis tincto, dilectione gemina, flammea & byſſo retorta ſemper in oppreſſione & caſtigatione carnis ſollicita. In malis punicis, quæ intra corticem vnum contegũt multa grana, virtutum multifaria operatio exprimitur: quæ undique uno charitatis integumento ambitur. Et recte tintinnabulis mala miſcentur: cum ſimul prædicatio & actio cohærent, & doctor ipſe, quæ dicit, hæc facit. Sextum deinde additur indumentum, quod ſuperhumerale dicitur: hoc apud Hebræos etiam *Ephot* appellatur. Hoc Samuel, cum puer eſſet, habuiſſe legitur: & David ante arcam hoc tulit. Sed *Ephot*, id eſt, ſuperhumerale quod ſummorum erat pontificum, erat ex hyacintho & purpura & cocco byſſoque contextum. Aliud vero ephot quod & pro tunica linea accipitur, ſimplex erat & lineũ. In hoc ſuperhumerali duo lapides onichini, auro incluſi inſerti erant: vnus in ora vna, & vnus in altera: & ſcripta erant nomina filiorum Iſrael, ſex in lapide vno, & ſex in altero. Itaque in ſuperhumerali pontificis, hoc debet intelligi, quomodo in portandis fratrum oneribus officium ſuum ſe habere debeat, quantaque eis ex debito regiminis ſollicitudo immineat, vt propriis humeris ovem perditam ad ovile reportet. In hoc bonorum operum patientia, in laboribus perſeverantia innuitur.

Summi ſacerdotis indumenta: vt Aarons. Exo. l. 28. Eccl. 45. 1.

1. Cor. 2

B

Phil. 3. Coloſ. 3.

Matth. 25. Luc. 19.

C

Ezech. 3.

Senec. Solitaria vita.

D

In coloribus vero ſuperhumeralis, quæ ſit ratio, dictum eſt ſupra. Quod autem nomina Patriarcharum geſtat in humeris, ob recordationem eorum vtique fit: ut videns populus patrum nomina conſcripta in veſte Pontificis, eorum imitetur iuſtitiam, veniátque in memoriam fides *Abrahæ*, manſuetudo *Iſaac*, patientia *Iacob*, caſtitas *Ioſeph*, diſciplina *Moyſi*, zelus *Phinees*, victoria *Ioſue*, *Samuelis* ſynceritas, *David* humilitas: eorumque qui de illis xij. Patriarchis egreſſi ſunt principibus vel ſacerdotibus, recte facta vel dicta: *qui per fidem vicerunt regna, operati ſunt iuſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones*. Duplex autem ratio eſt quare hæc in humeris Pontifex nomina portet: vt & ipſe auditoribus ſequenda patrum exempla proponat: & ipſe eos quos verbo inſtruit & exemplo, ſi præoccupati fuerint in aliquo delicto, in ſpiritu lenitatis ferat, & amplius exonerare quam gravare infirmos intendat. Horum enim onera ipſum lege officij ſui ferre neceſſe eſt, & per ſingulos, ſicut diverſi morbi exigunt, cum his *qui ignorant vel errant, & infirmari & vri*. Quod autem ſex nomina in ſiniſtra parte erant & ſex in dextera, in lapidibus onichinis ſculpta, illud eſt, quod ad conſcriptionem hæreditatis ſupernæ pertinent, non tantum qui probati perfectique videntur, ſed etiam qui minoris æſtimationis habentur. quia imperfectum noſtrum non abiicit divina perfectio, & *calamum quaſſatum non conterit, & linum fumigans non extinguit*. Amplexatur quidem dextera eius, eos qui digni ſunt promoveri ad oſcula: ſed & leva eius ſupponitur eorum capitibus, quos imbecillitatis vertigo inclinat: nec patitur lapſos omnino collidi, quos corruentes excipit & piam manum inclinatis ſupponit.

Onyx vero lapis eſt habens vnguis ſimilitudinem, albiſque cingentibus zonis igniculos emittit: vnde per hunc lapidem, in quo dextrorſum & ſiniſtrorſum nomina xij. filiorum Iſrael ſculpi iubentur, recte intelligimus, hanc ſcripturam pertinere ad *Chriſtum*: qui in carne aſſumpta, quaſi vnguem ſe nobis exhibuit, & operuit multitudinem peccatorum, zonis candidis, id eſt, continentiæ doctrinis cingens electos, & miraculorum igniculis accendens ad fidem, ardebat intus, & lucebat exterius. Ipſe eſt autem lapis ille, in quo & lex eſt conſcripta divinitus: & in quo ſcribuntur nomina eorum omnium qui nomen ipſius non aſſumunt in vanum: quas nulla tribulatio vel adverſitas, cum ſemel inſculpti fuerint, eradere poterit vel delere. Ideo a dextris & a ſiniſtris locantur: quia fundatos vel ſcriptos in petra, nec altum conterit nec profundum: quia per arma iuſtitiæ, in proſperis & in adverſis graduntur invicti.

Sequitur indumentum ſeptimum, quod Hebraice *hoſen*, Græce λογεῖον, Latine vero rationale vocatur. Hoc ex eiſdem ſpeciebus & coloribus quibus eſt ſuperhumerale, & propter eaſdem rationes, aptari iubetur.

Duplex verò ſit, propter lapidum pondus, ne forte rumpatur. Quadrangulum quoque erat, & palmi menſuram tam in latitudine quam in longitudine continens. In quaternario, doctrinæ Evangelicæ iugem memoriam accipe. In palmi menſura, plenam iuris menſuram, quantum poſſibile eſt operationi humanæ attingere. Qui enim palmo aliquid metitur, expanſis digitis manum extendit, vt poſſit attingere in locũ quo tendit. Eadẽ igitur menſura eſt piæ intentioni in lõgitudine boni operis, & in latitudine charitatis. Intexti quoq; erant in eo xij. lapides per quatuor ordines terni & terni in latere vno, & terni & terni in latere altero.

E

F Heb. 11.

Galat. 6.

Hebr. 5. 2. Cor. 11.

Iſa. 42.

Cant. 2. G

Onyx, ὄνυξ, vnguis.

H 2. Cor. 6.

an ſeptimi

A Et sculpta erant nomina filiorum Israel in singulis singula, per tribuum differentias & ætatum. Per quatuor vero rationalis angulos, quatuor annuli aurei erant, habentes contra se in superhumerali alios quatuor annulos, vt annulus contra annulum veniens, catenulis aureis vtrinque ad hoc insertis, superhumerale & rationale inuicem iungeret, & mutuo copularet. Sed & vncini erant in superhumerali infixi, in quibus cathenæ inserebantur: quæ annulos vtrinque sibi occurrentes nectebant. Erant etiam & in lateribus & in superiori parte rationalis & humeralis annuli, duo in summitate & duo in lateribus, & per singulos discurrentes catenæ, sub & supra: vt in quatuor angulis & in ambobus lateribus iuncturæ adessent, & ad scapulas & ad extremitates & ad media vtrunque indumentum sic ne stringerent ligaturæ.

B Hoc autem indumentum non tantum rationale, sed etiam rationale iudicij, à domino dictum est. In quo doctrina & veritas poni iubentur, & hoc summi pontificis pectus cum ingreditur in sancta sanctorum, ornatur. In primis diligenter attendendum est, quod qui hac veste induitur, in qua literis doctrina & veritas impressa est consecratum doctrinæ & veritati pectus suum intelligat: neque debere sæcularibus negotiis & actionibus & lucris occupari, sed doctrinam suam exemplo & moribus indicare: quia omnino infame est, abuti ratione, & corrumpere doctrinam & circumventionibus vel technis opprimere veritatem. Oportet quippe, vt omnia quæ agit moderatrix ratio sic disponat, & sic suis locis aptet misericordiam & iudicium, vt cum iudicat, seueritas non excludat clementiam: & cum miseretur, iustitiam pietas non relinquat: & siue percutiat, siue parcat à veritatis tramite non recedat. Considerans igitur loca & tempora, & modos actionum & ætates & gradus, in numero & pondere & mensura singula suis aptet rationibus discretio sacerdotis: in cuius pectore horum debet esse scientia, cuius etiam necesse est vitam esse doctrinam: nec vllum locum in anima illa habeat falsitas, quæ ad C iudicij diuini regulam quadrare debet quæcunque vel docet, vel agit, vel statuit, vel corrigit. Superhumerale etiam & rationale, sibi iunctis annulis, cathenarum complexu ad inuicem copulantur: vt puri cogitatus in mente sancta, & rationabiles conueniant actiones, & omnia vinculo pacis cohæreant, vniuersámque pontificis dispositionem charitatis complexus astringit. Aderat præter has ligaturas, quæ cœlestibus desideriis piisque affectionibus aptantur: præter ephot, quod posterius & anterius logion coniungebat, baltheus tam tunicam hyacinthinam quam ipsum superhumerale & rationale superne constringens, tanta firmitate vt trium indumentorum vna species esse videretur, & omnia sibi strictim cohærerent: vt daretur intelligi, quanta sit diligentia sanctitas obseruanda, D cui etiam post tantæ excellentiæ gloriam, post dona virtutum, post agones & colluctationes & victorias innumerabiles, restant plerunque circa nouissima etiã carnis pericula: & necesse est vt semper huiusmodi sollicitudo & intus & extra inuigilet vt actionum & meditationum in finem illibata gloria perseueret. Etiã summos fulgura feriunt montes. Et nisi hoc baltheo, etiam cum omnia catenus bene disposita fuerint, & ratio & opera iugi nexu stringantur, per motus & impulsus diuersarum tentationum disiungi potest & dissilire quod nullo turbine propellente firmum videbatur & competenter dispositum. Baltheus iste ex purpura erat & bisso retorta, & hyacintho & cocco his tinctio, in similitudinem pellis colubri in rotundo contextus. Gestat autem sic ornatus Pontifex, nomina filiorum Israel, pro diuersis rationibus in pectore & in humeris. In humeris quidem, à dextera & læva, propter causas prædictas. Vel ideo in duobus tantum ordinibus, quia noster summus Pontifex, *cuius imperium super humerum eius*, & gentibus seruitutam crucis reliquit, & eorum nomina redemptioni intimavit inscripta, quorum lin-

Rom.

Esa.9.

E guas crucis titulus continebat. In rationali vero, quatuor lapidum ordines distincte sunt positi (vt dictum est) in quatuor eius extremitatibus, supra terni, & infra terni. In nominibus Patriarcharum, quæ hærent pectori summi pontificis, hoc intimatur, quod qui in regimine sunt, semper affici debeant pro his qui ad eorum sollicitudinem pertinent, & quantum possibile est, recordari eorum debent, ex nomine, & orationis exhibere suffragia: neque aliud illud pectus occupare debet, quam animarum zelus: quia officij illius est, reuocare deuios, reconciliare erroneos, confirmare eos qui proficiunt in iustitia, & qui deficiunt cohortari, ne desperent de venia. Sed & seipsum etiam ad præcedentium patrum, quorum gestat nomina, conformare debet exempla: ut quorum recolit gloriam, imitetur & vitam, neque ab eorum fide & operibus se alienum exhibeat, quorum actus & titulos circumfert & pro- F bat. Quod autem duodenarius numerus in quatuor ordines diuisus, per singulas partes, ternarium reddit, accipi non incongrue potest, quod Euangelij quadratura præ omnibus scripturis insinuat trinitatem. Et hæc est Apostolica doctrina, quæ decem legis præcepta in duobus consummat, & totum illud antiquatum traditionum dispendium, in dilectione Dei & proximi abbreuiat & coarctat. Sequitur octauus ornatus pontificis thiara videlicet, quam etiam nonnulli vocant *galerum*, vel *cidarim*. Hac etiam minores sacerdotes vtebantur, erátque byssina, circundata coronula aurea, opere textili facta, sicut hodie phrygium mitris nostrorum Pontificum plerunque consuitur: erátque in modum cassidis porrecta aliquantulum, verticis cacumen in sublime excedens: astringebatúrque capiti vitta hyacinthina, ne casu aliquo immolante pontifice laberetur. At vero summi thiara pontificis, excellentior erat, & præter hæc laminam auream (quam *petalum* vocant) fronti habebat insertam: in qua nomen Dei, quod apud Hebræos ineffabile dicitur, scriptum erat. Hæc thiara, quæ caput tegit & ornat Pontificis, totámque eius pulchritudinem coronat & protegit (vt dictum est supra) omnes sensus capitis Deo indicat consecratos, & totam corporis gloriam debere ad ca- G put referri. Totus enim bonæ mentis candor, & sapientiæ splendor, prædicationis gratia munditiæque gloria, benignitas charitatis, & quæcunque sanctitatis insignia, ab illo vniuersali capite veniunt, ex quo totum corpus per connexiones & subministrationes crescit ac proficit, solidatur ac perficitur. Idcóque ad totius candoris indicium, & complanatæ mentis compositum statum, omniúmque sensuum concordiam intimandam, cydaris byssina in capite Pontificis ponitur. In vitta vero hyacinthina quæ cydarim capiti astringit, hoc intelligitur, quod amor & regni cœlestis desiderium, huius perfectionis apicem cumulat, & ille respectus totas gratiarum connexiones vnit & sociat. Auri vero lamina, cui nomen illud Dei, quod diffiniri non potest ab homine, erat inscriptum, subiectam & suppositam diuinæ essentiæ omnem indicat creaturam. In superioribus quidem H hoc nomen ponitur, vt quicquid vndique est, quantumcunque sit, se cognoscat inferius, se fateatur indignius: & si quid habet candidum, si quid conspicuum, ad illud nomen referat vnde accepit, illique excellentiæ deuotus ascribat. Hoc nomen tetragrammaton id est, quatuor literarum erat, scilicet *ioth, he, vau, heth*: cuius interpretatio lingua Hebraica ineffabile sonat: non quia dici non possit, sed quia (vt dictum est supra) sicut est nec capi humano sensu possit, nec diffiniri. In fronte vero hoc nomen Pontifex gerit, quod vtique est super omne nomen, cui omne genuflectitur. De quo & in Apocalypsi legitur Ioannis, quod cum agno stabant supra montẽ Sion centum quadraginta quatuor millia, habẽtes nomẽ eius & nomen Patris eius, scriptũ in frõtibus suis. Ibi enim verecundiæ sedes est, & significat professionis nostræ fiduciam: per quam non tantum in nomine gloriæ vel omnipotẽtiæ Dei, sed etiã in

Mat.22.40. Marc.12. Leu.19.18.

Coloss.2.

Dei nomen.

Tetragrámaton nomẽ Dei.

Apoc.14.

crucε

A cruce Christi gloriamur. Vnde & ipsæ quatuor literæ, quatuor crucis intimant cornua de quibus Abacuc ait: *Cornua in manibus eius, ibi abscondita est fortitudo eius.* Abac 3. Sic ornatus Pontifex, creaturarum omnium typum portabat in vestibus sanctis: in quarum coloribus, totius mundi similitudinem præferebat. Byssus enim terræ deputatur, de qua gignitur: Purpura mari, quia ex eius cocleis tingitur. hyacinthus aeri cuius speciem habet: Coccus, propter ruborem, igni velætheri. Iustum enim erat, ut Pontifex creatorem non solum pro Israel, sed etiam pro universo mundo (qui ex his quatuor constat) rogaret, & indicaret cunctis indigere misericordia Dei: & cum sacrificaret universalis conditio expiaretur. Nec tantum pro liberis & parentibus, sed pro omni creatura & voce & habitu precaretur. Hæc quæ dicta sunt in visibili Pontifice, ad invisibilia iustitiæ B ornamenta nos mittunt, de quibus dicitur. *Sacerdotes* Psal 131 *tui induantur iustitiam.* Et alibi. *Erit iustitia cingulum* Esaie 11 *lumborum eius. & fides cinctorium renum eius.* Hæc omnia Psal.92 noster Pontifex, indutus decore & fortitudine, in spiritu & veritate, consummavit: & ingressus sacratiore cultu quam Aaron, virtutum significatarum ipsam rem amplius nos voluit moribus implere quam vestibus & lumbos spiritualis zona succingi præcipiens, ad lucē Luc.12 sui intellectus & cognitionem divinam, sine carnis mētisque munditia neminem posse pervenire, in illa præcinctione nos docuit. Denique ipse tunica inconsutili quasi podere pontificali indutus, integritatem charitatis, & unitatem spiritus in vinculo pacis, in eo nos observare docuit, Crucem autem quasi superhumerale, sacrificium oblaturus pro populo humeris imposuit: & plaga & sanguis loco rationalis, non solum intra se duodecim filiorum Israel nomina concluserunt, sed & totius generis humani opus illud complexum est naturam: sicut & infixus capiti titulus continebat, scriptus Græce, Hebraice & Latine. Nihil ad sanguinem Christi, Ioan.19 coccus legis bis tinctus apparet: ultra septuagies septies C nostra tinctura præcedit: totum pallidum est, quicquid lex typice coloravit: & ad comparationem veritatis totum marcidum est, quicquid contextum fuerat in figuris. Nulla hyacinthi comparatio ad carnem Christi: quia cum *Verbum caro factum* sit, totum cœleste erat, Ioan.1. quod nulla peccati infecerat macula: nec quicquam ei de suo princeps huius mundi admiscuerat. Nec byssus nec purpura eius munditiæ vel gloriæ aliqua ratione aptantur, omnia superat eius potestas & sanctitas, sanctitudo naturæ, & principatus militiæ, & amplioris gloriæ sunt quam fila quælibet torquentibus digitis elaborata, vel conchyliorum sanguine delibuta. Imposita est capiti Christo corona pro cidari, & intextæ illi serto erant pro bracteis spinæ: & pro lamina aurea, in qua nomen Dei sculptum erat, lignum cervici supereminēs: in quo Pilatus pro *Beseleel* conscripserat nomen, quo nihil in cœlo vel in terra sanctius, nihil potentius, nihil mirabilius. IESVS NAZARENVS REX IVDÆORVM. Hæc scripsit Gentilis homo, nesciens quia ipse esset Rex etiam Gentium. Ideo autem scripsit utique non intelligens, quia ad hunc titulum perventurus erat & iungendus aliquando populus Gentium. Vnxit etiam D manus sacerdotis nostri, imo & caput & pedes & latus. sanguis balsamo pretiosior: quem utique puncturæ veprium & clavorum & lanceæ exprimebant, & fundebant extrinsecus: eratque omni oleo liquor ille celebrior, sanctificationem & emundationem nostram non significans, sed consummans. Hæc & alia multa, quæ lex velamine posito super faciem Moysi absconderat Christo transfigurato in monte, paucis patuere discipulis, & consummato in cruce facta sunt evidentia universis. Ruptum quippe est illud velum integumentorum carnalium, & patuit candelabrum, & propositionis panes, & altare incensi, & Cherubin & propitiatorium, & sancta sanctorum. Petræ quoque scissæ sunt, & sepulchra reserata: quia hæc consummatio & lapideis cordibus aperit spiritualem intellectum, & ad eos qui mortui erant in peccato, vitalem revocat spiritum: E ita ut qui desperati erant & malæ consuetudinis institis ligati, in civitate Dei nostri (quæ est sancta Ecclesia) deinceps viventes appareant: & qui diu fuerant cineres, fiant doctores: & qui sepulti, magistri.

## SCHOLIA.

POst myrrhatum calicem) Duo verba novissima, sextum: *consummatum est*, septimum: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum*, uno tractatu author absolvit. Et de hoc quidem pauca admodum loquitur, in ipso principio: de illo autem, prolixius loquitur, ostendens in multis, quomodo per Christum sint consummatæ legales umbræ & ceremoniæ: ad quod propositum illa omnia spectant, quæ de agno paschali & F ritu eius illius exponit, item de indumentis & ornamentis sacerdotalibus.

*Potestative emiserit animam.)* Videlicet (quia ut ipse Christus dixerat) *nemo tollere potuit à se animam suam,* Ioan.10. *sed ipse eam a seipso posuit. Potestatem enim habebat ponendi animam suam, & potestatem iterum sumendi eam.* Sic autem animam emittens dicitur consummasse rationem, id est significationem omnium legalium hostiarum. Siquidem non aliud fuerunt omnes legales hostiæ, quam figuræ unius acceptissimæ hostiæ. Vltima quoque manus est imposita antiquis ænigmatibus, id est, perfectionem suam ultimam sunt adeptæ umbræ legis. Sic enim Proverbialiter dicitur, illi *manus extrema* vel *manus ultima apponi*, quod suam accipit perfectionem ultimam. Omnes autem umbras illas & figuras veteres manifestum est, perfectas, consummatas & impletas esse, per ipsius adventum veritatis. Vnde & ipse dixit in Evangelio: *Non veni solvere legem, sed adimplere* Et Paulus Apostolus ait: *Legem non destruimus, sed legem perficimus.* Mat 5. Rom.3.

*Nec ultra vexarentur fideles spinosis circuitionibus.* G Quædam exemplaria habebant *sinosis*, alia *spinosis* Vtraque lectio bonum sensum habet. Erant enim illæ umbræ legis circuitionis *spinosa*, id est, aridæ, afflictivæ atque punctivæ, in modum spinarum. Erant & *sinosæ*, id est, curvæ, per sinus & ambages hominem circumducentes, nec ad ipsam veritatem recta aut compendiosa via perducentes. In eo autem quod sequitur: *Et loqueretur publice, qui loquebar ecce adsum*, oraculum tangit Esaiæ Prophetæ, qui de Christi adventu verba faciens, Esai 52. in eius persona sic loquitur: *Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa, quoniam qui loquebar, ecce adsum.* Ipse (inquit) qui loquebar *multifarie multisque modis olim in prophetis*, nunc adsum in assumpta Hebr.1. carne, ut perficiam omnia.

*Et exsiccata erat, à facie huius olei, Iudaica unctio.* Esai.10. Involuit in verbo uno prophetiam duplicem, alteram Esaiæ, alteram Danielis. Apud Esaiam sic legimus: *Erit in die illa, auferetur onus eius* (nempe Madian) *de humero tuo, & iugum eius de collo tuo, & computrescet iugum à facie olei.* Hoc autem oleum, illud est quo Christus est unctus, à facie cuius olei computruit iugum *Madian*, id est, ablata est potestas diaboli, & captivitas H qua sub se nos detinebat. Apud Danielem vero de Psal.44. unctione Iudaica dicitur: *Cum venerit sanctus sanctorum, cessabit unctio vestra.* Quid autem hoc est, nisi cum venerit unctio huius olei, quo unctus erit sanctus sanctorum, tunc cessabit vestra corporalis unctio? A facie igitur olei Christi, & iugum diabolicum computrescere, & unctio Iudaica cessare debuit: quorum utrumque iam magno omnium fidelium gaudio perfecte est adimpletum.

*Necesse erat, ut complicaretur ephot & teraphin non apparerent.)* *Ephot* erat vestis sacerdotalis in lege veteri. De *theraphin* autem beatus Hieronymus in commentariis Osee, super verbo illo: *Sedebunt filii Israel sine rege, & sine principe, & sine sacrificio, & altari, & sine ephot, & sine theraphin*, sic ait: *Theraphin* proprie appellantur μορφώματα, id est figuræ & simulachra, quæ

A nos possumus in præsenti loco dumtaxat Cherubin & Seraphin, sive alia quæ in templi ornamento fieri iussa sunt d cere.

*Ai utabantur panes propositionis per singula sabbata, &c.*) Paulus Apostolus apud Hebræos de veteribus oblationibus, ad hostiam Christi præferendam, disputans ex illarum per singulos annos iteratione, arguit earum imperfectionem. Sic enim ait. *Vmbram habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum, per singulos annos, eisdem ipsis hostiis quas offerunt indesinenter, nunquam potest accedentes perfectos facere.* Alioquin cessassent offerri, ideo quod nullam haberent ultra conscientiam peccati, cultores semel mundati: sed in ipsis commemoratio peccatorum per singulos annos fit. Ita in proposito author noster, ex panum mutatione per singula sabbata, arguit, quod non essent perfectæ & consummatæ illæ oblationes: alioqui non sic mutarentur. Ac præterea speciale notat mysterium, in hoc quod panes frigidi tollebantur, & apponebantur calidi. — Heb. 10.

B *Quod vero ad esum agni, &c.*) Exponuntur hic atque in consequentibus mystice per allegoriam, quæ ex Domini præcepto Moyses circa esum agni paschalis præcepit observari, de quibus omnibus habes Exod. 12. Primum autem exponit, quid sibi velit quod præcipitur, si familia una non sit sufficiens ad manducandum agnum, ut vicinum suum debeat sibi adiungere. Deinde, quod præcipitur illis, ut agnum assum igni, & nihil ex eo crudum aut elixum sive aqua coctum comedant: quod facit, dum nonnullis interpositis dicit: *Assatus est ergo agnus noster, &c.* ac deinde, quid sibi velit, quod agni caput, pedes, & intestina vorari debebant.

*Ossa vero igne comburimus*) Non invenio in textu libri Exodi expresse id de ossibus agni dictum, quod igni essent comburenda: attamen secundum consequentiam dicitur, cum præcipitur os non confringi, & si quid de agno residuum fuerit, igne comburi. Sic enim præceptum fuit: *Os non confringetis ex eo.* Et iterum: *Si quid residuum fuerit, igne comburetur.* — Exod. 12 Num. 9

C *Interim sane immensi quæstus res agitur.*) Quia videlicet nunc per fidem ambulantes, non per speciem, cœlestis regni & vitæ æternæ hæreditatem nobis comparamus, quod est lucrum omnium maximum.

*Tantaque est sacramentorum dignitas, ut ipso spiritu absente non audeat vis inimica ingredi* Et hoc sane intelligendum de introitu ad plenam & quietam inhabitationem. Aliquo enim modo diabolus in hominem ingreditur, quandocunque peccato tali inquinatur quo fugatur spiritus, id est, peccato mortali. Cum enim sic peccans efficiatur filius & servus diaboli, habet aliquo modo diabolus in ipsum introitum. Verum non sic plenum & liberum, quin possit ille eum facile expellere, quoties pœnitere voluerit. Adiungit autem signanter: *Nisi desperatione & consuetudine deliberatoque consensu, signum sanctum victa captivaque mens apostasiæ scalpello abraserit.* Vbi notandum, multos peccare mortaliter, & spiritu Dei ad tempus privari, qui tamen non penitus ex deliberato consensu à Deo se alienant, neque ut tales derelinquuntur à Deo: quemadmodum cum David in peccatum incidit, qui ex infirmitate vel tentatione devictus magis quam ex malitia aut consuetudine, peccavit: propter quod non est à Deo derelictus. Qui vero ex desperatione aut consuetudine aut consensu deliberato, ex malitia & proposito, peccatis se subiunt, hi quasi scalpello eradunt signum sanctificationis suæ, & quasi seipsos (ut ita loquamur) degradant, ne de familia & Domo Dei habeantur: propter quod, liberam in illos dæmones sibi usurpant potestatem, tanquam si nunquam tali fuissent signo consignati. Sed hæc prolixiorem forte tractatum requirerent.

D *Sic & Raab meretrix, appensa ad fenestram veste coccinea, &c.*) In utroque signum est & figura illius salutis, quæ per Christi sanguinem erat mundo conferenda. Quemadmodum enim sanguis ille agni quo erant superliti postes Iudæorum Christi sanguinem signabat, & de percussione angeli evasio liberationem signabat

E credentium per sanguinem Christi: ita vestis illa coccinea (quæ erat rubri coloris) sanguinem Christi rubicundum præfigurabat, in quo salus est data, sicut illi data fuit salus per coccineam vestem. Possetque horum prius, ad liberationem Iudæorum: posterius, ad liberationem gentium referri: ut sic in duabus figuris illis idem signantibus, utriusque populi liberatio significetur.

*Feminalia, quæ ad operienda, &c.*) Omnia quæ ab hoc loco ad finem usque sequuntur, de indumentis & ornamentis loquuntur sacerdotum, eaque secundum moralem sensum apte & dilucide explicantur. Quæ quia ad propositum negocium de septem verbis domini non directe pertinent, & quia satis clare ab authore dicuntur, non multis neque prolixis scholiis duxi vel illustranda vel oneranda. Cæterum de ipsis *indumentis & ornamentis*, ad literam si requiras, plenissime omnia habes Exod. 28. per totum cap. & item eiusdem libri capite 3.. & Ecclesiastici 45.

F *Indicat quo philosophica contemplatio tendat, & quanta sit sapientia, eligere cœlibatum*) Quidam codices habebant pro *philosophica*, *prophetica*: alij *physica*: & est in omnibus his lectionibus æqualis veritas, quoniam ad idem tendunt contemplatio *prophetica & philosophica & physica* sive naturalis, nempe sursum ad Deum: quod signatur in thiara vel cidari, quæ est mitra sursum tendens. Indicat eadem mitra, quantæ sit sapientiæ, eligere cœlibatum, in eo quod caput sacerdotis ipsum eligentis, tali sit candido ornamento adornatum.

*Multis ablutionibus est opus ut ad hunc candorem exercitatus quisque perveniat, diu torqueri, &c.*) Antequam ex lino possit perveniri ad Byssum sive pannum lineum candidum, opus est multi laboris impendio, opus est multis ablutionibus, fila diligenter singula torqueri debent digitis, ut soliditatem & firmitatem accipiant. Nam antequam torta fuerint fila, statim rumpuntur. Sic oportet omnem eum qui velit assequi candorem puritatis & in ea stabilitatem obtinere, multo labore & continua exercitatione illam obtinere.

G *Onyx vero lapis est unguis habens similitudinem.*) Græce ὄνυξ *unguem* significat & propter similitudinem unguis humani, lapis ille *onyx* dicitur aut lapis *onychinus*. Christus vero dicitur unguem se nobis exhibuisse, quoniam sicut unguis carnis teneritudinem operit & defendit, sic Christus nostræ carnis infirmitatem operit, id est, peccata delet: & carnem mollem sua duritie vestit ac munit, id est, nostræ carnis imbecillitatem sua soliditate confirmat, & servat à nocumento.

*Etiam summos feriunt fulgura montes.*) ex Poëta Horatio lib. 2. Oda 10. ad propositum author verbum illud assumit, volens per hoc significare, eos etiam qui videntur consummatissimi & perfecti in omnibus non esse absque tentationum periculo, dum in hoc mundo vivant: quomodo montes quantumvis alti, propter suam altitudinem non sunt ab ictu fulminis liberi.

*Sicut etiam phrygium mitris nostrorum pontificum plerunque consuitur.*) *Phrygium* aut *Phrygianicum opus*, mira varietate diversorum colorum & magno artificio erat elaboratum. Vnde in Psalmo 44. pro eo quod nostra communis lectio habet *circumamicta varietatibus*, alij ex Hebræo vertunt, *inducta phrygianicis vestibus* aut indumentis diversarum figurarum. Tale autem *Phrygium* sive *Phryginiacum opus*, videmus consui solitum mitris nostrorum Pontificum. — Opus Phrygium.

H *Hæc quæ dicta sunt in visibili pontifice, &c.*) Hic iam prædicta pontificis legalis ornamenta Christo accommodat, & hactenus dicta ad propositum adducit verbum, *Consummatum est*, ut ostendat, quomodo in Christo sint fæliciter omnia consummata, qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat gloriosus in omnia sæcula. Amen.

# DE LAUDIBUS Mariæ, Arnoldi Carnotensis Abbatis Bonæ-vallis.

A SI linguis hominum loquar & angelorum, nihil digne, nihil proprie, de sanctæ ac perpetuæ virginis matris Christi Mariæ gloria eloqui potero. Quia vere in laudibus eius modulandis non invenitur conveniens organum, & hebes est cuiuscunque subtilitatis ingenium. Cum enim debitæ venerationis summa ad Christum respiciat, ex cuius plenitudine roratum est desuper, quod Maria prædicatur gratia plena, manifestum est, individuam esse matris & filij gloriam, & commune esse utriusque præconium, cuius definitio omnem superat intellectum. *Luc. 1.* Quamvis illud antiquum consilium de incarnato in sancta virgine verbo, quod Deus apud Deum erat, palam factum sit mundo, tamen huius tam insolitæ actionis modum (quia res miraculi est & ordinem non sequitur naturæ) sensus humanus timet attingere, & hæret ancipiti affectu, quia & stupor est in tanti operis, & ingratitudinis foret præterire silentio laudes auctoris. *Ioan. 1.* Res mira & inaudita: Mater virgo, Verbum caro, Deus homo, quis in tam celebri miraculo sileat? Item quis hæc prædicare sufficiet? Scimus quidem supra nos esse hoc aggredi: sed illa in cuius sacratissimo utero verbum caro factum est, locuturis de verbo conciliat verbum: Nec fas est mutam esse gaudia Ecclesiæ, ubi templum eius Verbo, hoc [illegible] mente, quod mater in utero. Et ipsum quidem unigenitum patris ipsa prius mente concepit, quam carne. Salutata ab angelo credidit sibi manere virginitatis propositum, & nasci ex se sanctum fructum: quia & hoc acceperat cœlitus intimatum, *quod non esset apud Deum impossibile omne verbum.* *Luc. 1.* In huius beatitudinis consortio, unita sunt divinis humana, terrenis cœlestia. Securum accessum iam habet homo ad Deum, ubi mediatorem causæ suæ filium habet ante patrem, & ante filium matrem. Christus nudato latere, patri ostendit latus & vulnera: Maria Christo pectus & ubera, nec potest ullo modo esse repulsa, ubi concurrunt & orant omni lingua disertius, hæc clementiæ monumenta, & charitatis insignia. Dividunt coram patre inter se Mater & Filius pietatis officia, & miris allegationibus muniunt redemptionis humanæ negotium, & condunt inter se reconciliationis nostræ inviolabile testamentum. Maria Christo se spiritu immolat, & pro mundi salute obsecrat, filius impetrat, pater condonat. Magnum quidem est, quod latroni conceditur venia: sed & hoc stupendum, quod consummata dispensatione incarnationis, expiraturus Iesus matrem tanto affectu honorat, victor suppliciorum, & quasi sui immemor, ad matrem de cruce convertitur, & colloquitur intimans, quanti apud eum meriti esset & gratiæ, quam solam in illo puncto respiceret, cum iam capite vulnerato, fossis manibus & pedibus, in ultimis esset. D Movebat enim eum matris affectio, & omnino tunc erat una Christi & Mariæ voluntas, unumque holocaustum ambo pariter offerebant Deo: hæc in sanguine cordis, hic in sanguine carnis. Verum altius repetenda sunt operis huius capitula, & brevi est sermone colligendum, quo initio, quo progressu, ad hunc beatitudinis cumulum virgo sancta devenerit, ut cum Christo communem in salute mundi effectum obtineat, & à dextris eius regnans in cœlestibus, circumamicta varietatibus, in deaurato vestitu assistat. *Psal. 44.* Inventa est virgo ab angelo in Nazareth [illegible], seorsum à turbis, vacans procul dubio meditationibus sanctis, credo secum pertractans, quomodo sine offensione legis maneret in proposito castitatis: quia hanc elegerat, hanc devoverat, & integritatem carnis & spiritus apud se Domino consecrarat. E Stabat in adverso lex, urgebat ad coniugium Moyses, qui maledictum intentans sterilibus, semen & sobolem a filiis Israël exigebat. Nullum de virginibus à Domino datum erat præceptum, sed nec erat Apostolus qui daret consilium. *1. Cor. 7.* Acceperat tamen hoc ipsum a Deo per spiritum sanctum familiare mandatum, non ex responso angelico, sed ex inspiratione secreta, quæ ei & affectum virginitatis intimaverat, & usque ad necessitatem voti purum desiderium alligaverat: quis tamen rei exitus futurus esset, nondum erat intimatum divinitus: sed huiusmodi accessionibus gradatim sibi officinam purgatissimam aptabat spiritus sanctus. Ob hoc eam æstimo elegisse solitudinem segregatam, ut diebus & noctibus in huius controversiæ angustiis congruis se rationibus muniret, quibus & stare sibi posset optata virginitas, nec tamen quasi in contemptum sui legis indignaretur auctoritas. F Hoc enim (ut diximus) id est coniugium, ad propagandum populum Dei, ita Lex ab omnibus indifferenter exigebat, ut nec summos sacerdotes pateretur immunes: quia necesse erat, filium patri defuncto statim substitui, nec alium quenquam in ordinem Pontificalem assumi. Ideoque propter successionis necessitatem oportebat eos misceri coniugibus, ut essent parati filij statim, cum pater obiisset, consecratione patrata, ad continuationis incensum accedere, & intra sanctam mane & vespere secundum ritum Legis omni die offerre: tantaque erat huius rei necessitas, ut cum immundis & contaminatis concubitu, ex aliarum tribuum cuiuscunque [illegible] personis nullos ad sanctum pateat accessus, solam summi Pontificis personam, propter hanc impossibilitatem, lex à ministerio non excluderet: licet & à quibusdam ita accipiantur, ut noctibus propter incensum matutinum uxores non tangerent, & ab illa hora si hoc egissent, usque ad vesperam permanerent immundi: qua hora purificati, lege non temerata, ex ordine ministrarent. G His difficultatibus vallata, quia humani consilij, ratio non occurrebat, qua & decretum & votum pariter convenirent, causam suam Maria Domino commendabat, & meditationibus & sanctis orationibus vacans, de cœlo expectabat consilium, ubi spiritu & mente conversationem sibi parabat, ubi cœlebs animus medullitus inhærebat. Nec defuit consolatio. Gabriel archangelus desursum illabitur solus solam affatur: *Ave* (inquit) *Maria gratia plena Dominus tecum.* *Luc. 1.* Raro in veteri testamento salutatione angelica quenquam honoratum reperies. Non salutatur Abraham cum extollitur titulo fidei, cum credit nil hæsitans, nasciturum de anu sterili filium sibi iam seni: *Gen. 15.* neque cum eundem filium de quo & cui promissiones factæ erant mactare iubetur, nec cunctatur. *Gen. 22.* Non salutatur cum regnatis quinque regibus, erepto Loth, victor revertit: & licet à Melchisedech ablatis decimis dignus sit benedici, non tamen meretur cœlitus salutari. *Gen. 14.* H Sub arbore Mambre & Deo loquitur, & eundem in ultionem Sodomæ supplicationibus devotis prosequitur: *Gen. 18.* & licet convivio & hospitio dignus inventus sit, &, si in illis quinque flagitiosis urbibus decem invenirentur immunes reliquis veniam impetrasset, non tamen ad salutationis familiaritatem pervenit. Non salutatur Moyses, cum de rubo eum Deus alloquitur, *Exod. 3.* neque cum in monte Sina testamenti tabulis honoratur. *Exod. 19.* Adveniente Christo salutationes incipiunt, & nomine proximo Iesu, qui est salvator, mundi salute non longe posita, verbum sanctæ spei, verbum incolumitatis & restitutionis nostræ de cœlis ad terras defertur: iam hoc verbum prius rarum omnino incipit frequentari. Salutat angelus Mariam, nec multo post Elizabeth occurrit, & ipsa salutans & prophetans. *Luc. 1.* Salutant angeli post resurrectionem sanctas mulieres, salutat ipse Christus discipulos.

A pulos. Denique & hunc salutandi morem salvata per
Christum semper gaudia sua commemorans, exultans
Maria servat Ecclesia. Inventa est in Christo perpes lætitia,
Domina. & salutis æternæ medicamina per ipsum sunt nobis
in pœnitentiæ balsamis designata. Maria lingua Sy-
riaca Domina dicitur: Christus Dominus, Maria do-
mina; & licet ipsa se Christi profiteatur ancillam, hoc
servitutis genus omni regno sublimius esse intelligit.
Constituta quippe est super omnem creaturam: &
quicunque Iesu curvat genu, matri quoque pronus
supplicat & acclivis. In superbis & inferis admira-
Luc.1. tioni est Virgo puerpera: stupent dæmones, gaudent
homines, in cœlo gloriam Deo concinunt principa-
tus & potestates. Non cadit in Angelos zelus, nec
invidiæ livore candidatus ille tabescit exercitus, nec de
præposito sibi carnis ordine offenduntur: quia & si
B Christus aliquando paulominus ab angelis, propter
Psal.8. Hebr.2. passibilitatem sit imminutus, modo *gloria & honore co-
ronatus* sub pedibus suis continet omnia subiecta. Nec
à dominatione vel potentia filij, mater potest esse se-
iuncta. Vna est Mariæ & Christi caro, unus spiritus,
una charitas: & ex quo dictum est ei: *Dominus te-
cum*, inseparabiliter perseveravit promissum & donum.
Vnitas divisionem non recipit, nec secatur in partes,
& si ex duobus factum sit unum, illud tamen ultra
scindi non potest & filij gloriam cum matre non tam
communem iudico quam eandem. Ecce tabernaculum
Dei, habens intra se sanctum sanctorum, virgam si-
gnorum, tabulas testamenti, altare incensi, ambo
cherubin respicientia in alterutrum manna, & sine um-
bra propitiatorium palam expositum. Hæc non in fi-
guris, sed in ipsa veritate sacrarium virginis in se con-
tinebat reposita, exhibens mundo legem & discipli-
nam, incensionem zeli, castitatis odorem, concor-
diam Testamentorum, panem vitæ inconsumptibilem
cibum, sanctitatem, humilitatem, & obedientiæ ho-
locaustum, pœnitentiæ omnibus tutum naufragis por-
C tum. Nulla facta est angelicæ dignitati iniuria: si il-
Eccl.24. lius excellentiæ cacumen obumbrat Virgo exaltata si-
cut cedrus in Libano. Cedrus arbor est procera, &
imputribilis. Virginitas quoque Mariæ: quia nulla
concupiscentiæ carnalis viscatur putredine, in hoc
procerior & altior virginitate videtur angelica, quod
hæc virtutis, illa naturæ: hæc voluntatis, illa neces-
sitatis: & in carne quod non est carnis agere, res in-
comparabilis meriti est & gloriæ singularis. Prosequi
Prophetarum oracula quæ de Maria scripta sunt, non
est nostri propositi: neque enim rem tanti culminis si-
bi noster arrogat stylus. Quomodo enim illud divi-
num puerperium eloquar, quod ab angelis in Be-
Luc.2. thleem celebratum est, ubi in angusto tugurio ho-
spitata virgo, non habens diversorium, infantem Ie-
sum laciniis reposuit fasciatum: ubi virgo & obstetrix
& genitrix sibi ipsi in illa celebritate exhibuit clien-
telam: Nihil quippe doloris, nihil clamoris ibi erat,
nullam ibi usuram pœnarum pro voluptate ultio repe-
tebat. Neque enim erat Christus in peccato conce-
ptus, cuius solius est donare peccatum. Vnde ipsi egre-
dienti, nullum exigens tormenti vectigal, ultro na-
tura ianuas reserabat. Aderant illi cherubin & sera-
D phin, & gratulabundus *gloria in excelsis Deo* decan-
Luc.2. tabat cœlestis exercitus: & usque ad pastorum excu-
bantium aures harmoniæ angelicæ consonantia per-
strepebat, reges Arabum & Saba ab oriente egressi,
Mat.2. Psal.71. sequuti stellam insoliti luminis, genibus curvatis, &
humi purpura defluente, Iesum nostrum pannosum
Luc.3. adorantes donis sacramentalibus venerati sunt. Ab
ortu salvatoris usque ad baptismum anni triginta de-
fluxerant, nec toto hoc tempore seiuncta est mater à
filio, semper individua astitit, & divini conscia sa-
crati, humili affectu venerabatur ut Deum, ample-
ctebatur ut filium. Ventum est ad miracula, & illico
Iudaica perfidia movit calumnias, & eadem felleo do-
ctrinam Evangelicam persecuta, ringens in Christum
Luc.9. Ioan.9. despumabat convicia, dicens eum in Beelzebub eiice-
re dæmonia, & non esse à Deo sabbati contemptorem. E
Multa præterit succinctus & ad finem properans sty-
lus. Qui singula prosequar? Nec mortuo Christo quie-
vit invidia, nec saturata est cruentæ plebis malitia, cum
pedibus & manibus clavi, cum lancea lateri, fel ori,
spinæ capiti, & totum corpus hæreret cruci. Obser-
vabant milites crucifixum, irridebant Iudæi, nec ex-
torquebant responsum. Fugientibus Apostolis, in fa-
ciem filij se opposuerat mater, & gladio doloris ani-
mæ eius infixo, vulnerabatur spiritu, & concrucifige-
batur affectu: & quod in carne Christi agebant clavi
& lancea, hoc in eius mente compassio naturalis & af-
fectionis maternæ angustia. Stabat ante crucem, non
minor quam matrem Christi decebat. Fortasse autem Ioa.19.25 Fort. non minor: quia mat. Ch. decebat.
quia in morte filij intelligebat redemptionem mundi,
etiam sua ipsa morte se aliquid æstimabat publico mu-
neri addituram. Sed Iesus alieno adiutorio non indi-
gebat, qui dixit, *Factus sum sicut homo sine adiutorio,* F
*inter mortuos liber.* Suscepit quidem parentis affectum,
non tamen quæsivit auxilium; imo ipsam inter reliquos Ps.87.5.
pro quibus sui sanguinis patri sacrificium offerebat,
illo generali beneficio complexus est. Ecce Bone Iesu,
coram te est mater tua. Cur modo non dicis: *quæ est
mater mea, & qui sunt fratres mei?* Modo matrem non
abiicis, nec ignoras, sed commendas discipulo, &
vicariam imponis sollicitudinem illi quem præcipue di-
ligis, qui *supra pectus tuum in cœna recubuit. Mulier* Ioan.13.
(inquit) *ecce filius tuus*: & ad discipulum: *ecce mater* Ioan.19.
*tua.* Supererat Ioseph, ad quem usque ad illud tem-
pus præcipua obsequij spectaverat ratio, & cui ad hoc
ipsum fuerat desponsata: & modo quasi hoc ministe-
rio censeatur indignus, Ioannes assumitur. Hunc in-
tellectum circumstantia sermonis videtur exigere. Ve-
rum secretiori ratione virginitas virginitati commen-
datur, ut hoc testimonio iugularetur Bonosus hæreticus,
& prophanus Helvidius: qui ore fœtido ausi sunt gar-
rire quod de utero virginali alius præter Christum par-
tus effusus est: & post salvatorem natum, Ioseph eam G
licentia maritali contigerit. Ipse Christus de cruce ma-
ternæ virginitatis est arbiter idem & assertor. *Obstru-
ctum est os loquentium iniqua: suscepit eam Ioannes in* Ps.62.12 Ioa.19.27
*suam*, non abnuente Ioseph, nec aliquam calumniam
referente, suscepit eam in suam, non quasi maritus,
sed loco filij, assecla & custos & testis, & conscius.
Erant quidem ambo in ministerio Mariæ, Ioseph ce-
dente pro tempore & causa Ioanne præposito. Chri-
stus quidem in eum expensis contumeliis & tormentis,
iam hora propinquante, in matre amplius quam in se
pati videbatur: nec dissimulans quod humano punge-
retur affectu, circa novissima expressit quantam matri
vellet reverentiam à mundo exhiberi, cui in ultimis
tam officiosum reliquit dilectionis indicium: in ipso
mortis articulo exponens, quod matris esset intemerata
virginitas, & quod ei gratiæ singularis æterna maneret
hæreditas. Suscepit itaque discipulus, quod ei com-
mendatum est, & Christus dixit: *Consummatum est.* Hoc Ioa.19.30
dixit & bono pietatis fine mysterium omne complevit.
Postulabat ordo, ut & de cæteris capitulis quæ Chri- H
stus in cruce tetigit aliqua † scriberemus, sed supra † Ex Cōmentar. 6 post dedit Arnoldus de verbis Domini in Cruce.
nos esse scimus, ad tantæ profunditatis mysteria mit-
tere manum. Quis enim disserere sufficiat, quod se
derelictum clamat in cruce, quasi infirmus: & latro-
nem in paradisum præmittit, quasi Deus: quod orat
pro eis qui se maledicunt, & crucifigentibus obtinet
veniam: & quod in eodem puncto, in quo apud pa-
trem totius mundi causam allegat, quam propriè & Mat.27.
singulariter matrem revereatur, indicat: quod de siti Luc.23.
& non de corpore vulnerato eloquitur: quod tunc de- Luc.23.
mum protestatur omnia consummata, & sic in manus Ioan.19.
patris spiritum commendato, capite inclinato, emoritur.
Magis hæc nostro, videntur honoranda silentio, quam
indigni sermonis ausu temerario contingenda. Verum
de Maria, quod cœpimus, ut breviter prosequamur, Act.1.
hoc ex actionibus Apostolorum traditum nobis acce-
pimus, quod post passionem Christi cum Apostolis

A usque ad pentecostem in orationibus & ieiuniis unanimiter conversata est. Postea vero Ioanne in eius obsequiis perseverante, non diu vocatione dilata, migravit ad filium, & angelis occurrentibus & deportantibus illam inclitam animam, assumpta est in cœlum. Verum in corpore, an sine corpore nullius Canonicæ scripturæ definivit auctoritas: sed quocunque modo sit, eam cum Christo esse, dubium non est. Nec fas est homini loqui, quid illud gloriæ sit, quæ beatitudinis plenitudo qua illa perfruitur, quia sicut scriptum est, *pax illa omnem superat * intellectum: nec eam oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit.* Hoc certum est, quod ibi est, ubi tam ipsa quam filius vultui Dei assistunt pro nobis misericordiam postulantes non iudicium, & obtinentes omni pœnitenti remissionem peccatorum. Imo datum est filio à patre omne iudicium, & eius est temperare & dispensare severitatis districtæ decretum: qui non facile eos, quorum advocatus existit, condemnat: cumque idem sit advocatus & iudex, nequaquam crudeliter iudicat, qui semper misericorditer interpellat.

B Merces quippe mortis eius, salus est hominum. Nec illud sibi perire facile patitur, pro quo & sanguinis precium magnum datum est: & tantum reconciliationis humanæ studium fuit, ut sua dispendia non attenderet dum erroneum lucraretur.

Assumptio B. Virginis.

Phil 4. 7. * sensu. Vulgata 1 Cor. 2. 9 Isa 64. 4 Hebr. 9. Ioan 5.

## SCHOLIA IN PRÆCEDENS Mariæ encomion.

*VTrumque holocaustum ambo pariter offerebant: hæc in sanguine cordis, hic in sanguine carnis.*) Hoc dicit, quia pendenti in cruce domino assistens Maria, spiritu parata erat, & desiderabat simul immolari & commori filio: pertransibatque eius animam doloris gladius, iuxta Simeonis vaticinium, sed ad carnem gladius ille non pervenit: quoniam propter Ecclesiæ

C utilitatem: bonum erat illam ad tempus in carne permanere. Eandem hanc sententiam clarius & plenius in Tractatu priori de 7. verbis Domini exprimit, cum super verbo illo, *Mulier ecce filius tuus*, ita ait: *Christus carnem, Maria immolabat animam. Optabat quidem ipsa ad sanguinem animæ & carnis suæ addere sanguinem, & elevatis in cruce manibus celebrare cum filio sacrificium vespertinum, & cum domino Iesu corporali morte redemptionis nostræ consummare mysterium.* Nos quoque in Scholiis eius loci nonnihil super hac re diximus.

*Ecce tabernaculum Dei, habens intra se sanctum sanctorum, virgam signorum, &c.*) Cum paulo post dicitur: *Hæc non in figuris, sed in ipsa veritate sacrarium virginis in se continebat reposita, exhibens mundo legem & disciplinam, &c.* diligenter attende, quomodo singula horum singulis præcedentium aptantur, & singula eorum exprimant. Mariam enim tabernaculo comparat, quantum ad præcipua quæ in tabernaculo continebantur, dicens singulorum significata in Maria inveniri. In tabernaculo est sanctum sanctorum &

D virga signorum: & in Maria est Christus, qui est sanctum sanctorum & virga signorum, virga scilicet virtutis paternæ, sicut in Psalmo dicitur. *Virgam virtutis suæ emittet Dominus ex Sion.* Tabernaculum insuper habet in se tabulas testamenti: Maria in se exhibet mundo legem & disciplinam, habet tabernaculum altare thymiamatis, in quo crematur incensum boni odoris: habet Maria zeli ardorem & castitatis odorem. Habet tabernaculum duo Cherubin, in alterutrum respicientia: habet Maria in se duo testamenta, eorumque concordiam. Nam duo Cherubin, duo testamenta significant: & ille ad alterutrum respectus, duorum testamentorum concordiam signat. Habet insuper tabernaculum, corporale manna: habet Maria panem vitæ, inconsumptibilem cibum. Habet tabernaculum altare holocausti & holocaustorum oblatio-

Ps. 109

E nes: habet Maria virtutum holocausta, nempe sanctitatem, humilitatem, obedientiam, atque huiusmodi, quæ in altario cordis sui Deo iugiter immolat. Denique, tabernaculum vetus propitiatorium habuit, sed obumbratum per duo Cherubin ipsum operientia, & per velamentum intermedium absconditum. Maria quoque propitiatorium in se continet, sed absque umbra & absque tegmine omnibus expositum. Propitiationem enim & remissionem omnibus pœnitentibus præstat, suscipit universos, & nemini negat pœnitentiæ propitiationem.

*Nihil quippe doloris, nihil clamoris ibi erat, nullam ibi usuram pœnarum pro voluptate ultio repetebat.*) Proprie dicit, *usuram pœnarum.* In iis enim mulieribus quæ communi lege concipiunt & pariunt, pro voluptate brevi & modica quæ habetur in concubitu & actu maritali, subsequitur in partu dolor maximus & diuturnus: propter quod, recte dicitur, *ultionem pro voluptate repetere,* non simpliciter pœnas, sed *pœnarum usuram:*

F quia subsequentium pœnarum mensura, voluptatum præcedentium quantitatem longe superexcedit.

*Iesum nostrum pannosum adorantes, donis sacramentalibus venerati sunt.*) *Pannosum* dicit Christum, non quasi sordidis, sed quasi vilibus & exigui precij pannis, mundis tamen, involutum. Vt enim propter paupertatem & inopiam non illum potuit paupercula & peregrina mater pannis involvere magni precij, sic propter eam quam erga filium habebat reverentiam, omnino est verisimile; quam mundissimis ab ea pannis fuisse revolutum. Dona vero Magorum vocat *sacramentalia*, eo quod ad signandum divina mysteria fuerunt apta.

*Fortasse autem quia in morte filij intelligebat, &c.*) Pie istud est accipiendum, non quasi Maria tam parum tribuerit filio, ut putaverit ipsius mortem non sufficere sine sua, ad mundi redemptionem perficiendam, nec quasi tanti fecerit, ut existimaverit se posse in tanto opere filio suo quasi ex se insufficienti cooperari: sed

G hoc tantum est intelligendum, quod desiderabat Maria se quoque in idem opus impendere, in quod filius se impendebat. Videns enim filium mori pro peccatis mundi, libenter & ipsa pro mundi salute cum filio fuisset mortua: non quod illum insufficientem iudicaret, sed quia filio similis & conformis esse cupiebat.

*Supererat Ioseph, ad quem usque tunc, &c.*) De hoc admonuimus in scholiis præcedentis operis, in Tractatu verbi illius: *Ecce mater tua*, ubi eadem ponitur sententia.

*Magis hæc nostro videntur honoranda esse silentio, quam indigni sermonis ausu contingenda.*) Ex hoc loco satis apparet, istud *Mariæ encomium* ante opus præcedens de 7. verbis Domini ab authore fuisse conscriptum: cum hic ad opus illud contremiscat, ut contingere non audeat, quod tamen postmodum arrepta sancta fiducia est aggressus. Vnde & hoc colligitur, multo ante opus illud fuisse in animo & concepto authoris, quam ipsum compleverit, ut solent boni artifices, quoties opus aliquod insigne concipiunt, diu illud in animo gestare, & in mente multo ante fabricare, quam

H ad operationem externam procedant.

AND. SCHOTTVS Recensui.

EIVSDEM

Digitized by Google

A

EIVSDEM

# ARNOLDI ABB. BONÆ-VALLIS CARNOTENSIS, DE OPERIBVS sex dierum, Tractatus.

*PER DIONYSIVM PERRONNETVM*
B *Melodunensem, & Ecclesiasten Antissiodorensem in lucem editus.*

REVERENDISSIMO & Illustrissimo Cardinali D. D. du Perron Senonensi Archiepiscopo, & Franciæ Magno Eleemosynario.

E**RVDITORVM**, *& bonorum virorum semper hic mos fuit (Cardinalis illustrissime, & omni scientiarum genere ornatissime) ut labores suos, & vigilias non solum utilitati publicæ dicarent: verum etiam & alios, ut suo exemplo de omnibus bene mererentur, stimularent. Inter quos unus Ioannes Gagneius invictissimi Galliarum Regis Francisci primi quondam à Consiliis, & ab Eleemosynis primus, vir non vulgaris doctrinæ, sed & monumentorum veterum diligens & sagax indagator, ut ea velut è tenebris eruens, & in lucem proferens, Ec-*
C *clesia Catholica inde præceptis optimis instructior fieret, quibus veri studiosi in semitam veritatis velut face deducti constantius in ea persisterent, & orthodoxæ fidei firmius adhærescerent, multos edidit libros; in quorum uno, cui titulus est.* Arnaldus Abbas Bonæ-vallis in diœcesi Carnotẽsi de septẽ verbis Domini in cruce, *sub finẽ monet hunc* Arnaldũ *etiam alium scripsisse tractatũ.* De operibus sex dierum; *rogatque quosuis, in quorum manus hic liber inciderit, illum prælo committere, tanquam melioris notæ librum, & qui in gloriam Dei, & Ecclesiæ ædificationem cedat. Quibus viri tanti verbis ita fui suasus, ut cùm primùm illa perlegi, in animum induxerim meum, illius vestigiis insistere, & nihil non tentare quo huiusmodi librum ubicunque gentium delitesceret, invenirem. Et in eum finem quas potui percelebres & instructissimas Bibliothecas, tum Ecclesiarum Cathedralium, tum celebriorum Conventuum, maximè ordinis Cisterciensis, cuius vir ille doctus alumnus erat, adivi. Quinetiam cùm ante annos triginta & quinque, apud Lingones mitteret me Illustrissimus Gondynus Cardinalis, tunc temporis Lingonensis*
D *Ecclesiæ præsul, eiusdem Ecclesiæ canonici me benignè susceptum in suam Bibliothecam introduxerunt: in qua cùm multa evoluissem, tandem thesaurus quæsitus quasi ex abditissimis tenebris in lucem prodiit. Quem Rogavi D. Comestorem Nigrepontis Episcopum, & Lingonensem Ecclesiasten, domum suam è Bibliotheca transferre, & illum tanquam pretiosum depositum custodire quousque opportuna sese offerret occasio illum ad me Lutetiam mittendi. Quod lubentissime pollicitus est. Sed morte cum præventus fuerit, nec illi pollicitis stare, nec mihi spe frustrato votis potiri licuit. Et inde longum defluxit tempus antequam quid, ne verbulum quidem, de isto libello audiverim. Verum cùm doctissimus Iacobus Amyotus Antissiodori Episcopus, & qui te in munere Summi Eleemosynarii Regis, antecessit, vir cuius laudes & merita nunquam dignè celebrabuntur, me in has partes deduxisset; & ipse, aliquantò post Diœcesim suam perlustrans, Vermentodunum divertisset, & illic aliquam morulam fecisset, interim me confero in Cœnobiũ Sanctæ Mariæ Regniacensis, eiusdem*
E *ordinis, cuius & huiusce libri auctor, quod non longè inde distat, ubi dum percontarer, fortè incidit in casses meos præda tam diu petita. Quam cum agnovi, huius loci cœnobitas, ut illius prototypi mihi copiam facerent, precatus sum, quod & ipsi dicto audientes fecerunt. Sed hanc præclaram gemmam invenisse, non satis fuisset, nisi in conspectum omnium venisset: ut tanto bono omnes boni fruerentur. Verùm cùm de illa in lucem proferenda cogito, tàm adversa conatibus meis intercedunt, ut in hunc usque diem optata adimplere fas non fuerit. At cùm his temporibus Summæ Bonitati placuerit civiles tumultus pacare, pacem nobis largiri, & hoc armis & incendiis laniatum Regnum in pristinum splendorem instaurare: mihi etiam, nunc otio liberiore fruenti, visum est opportunum tempus venisse, quo, & doctorum, & meo desiderio, satisfacerem, & munus quod erat mihi privatum in publicum ederem. Vnicum*
F *restabat, nempe cuius potissimum illustris viri tutelæ hoc præclarum opus commendarem. Multi quidem doctissimi viri in mentem venêre, sed nemo te doctior, nemo te dignior. Adde quòd Archiepiscopali Ecclesiæ Senonensi præsis, intra cuius fines & natus & educatus sum: tum quod Illustris domus tua vicina est loco, in quo pius & doctus ille* Arnaldus Abbas *hunc librum exaravit. Quare à te obnixe contendo (vir clarissime) ut hoc munusculum, pro tua singulari humanitate, tàm æquo suscipias animo, quàm benevolo illud tibi offero. Vale in Nestoreos annos. Antissiodori Idibus Maij, anno Domini, 1609.*

Tui observantissimus DIONYSIVS PERRONNETVS Melodunensis & Ecclesiastes Antissiodorensis.

G

INCIPIT TRACTATVS

# ARNOLDI ABB. BONÆ-VALLIS CARNOTENSIS, DE OPERIBVS sex dierum.

OMNIVM quæ sunt, moventur, & vivunt, unum principium Deus, in coæterna sibi sapientia dictavit & fundavit originem: Et quasi magni corporis membra, rerum naturas, distinguens propria loca, & nomina congruas mensuras & officia assignavit. Nihil apud Deum confusum, nihil informe in illa antiquitate fuit, quia rerum materia ubi facta est statim in congruas sibi species est formata. Quicquid de mundi æternitate, quicquid de hyle, vel ideis, vel de illa mundi anima quam noym dicunt
H sesere philosophi, plura inducentes principia, primum geneseos capitulum abolet, & confundit unum præfigens omnis creaturæ principium, scilicet, Deum: in quo non est aliud providentia, vel sapientia, ratio, vel ordo, vita, forma, vel materia, quam ipse, qui in verbo suo quod est æterni secreti manifestatio, quod, dicit facit: & quod illuminat format. Neque solitudinem, vel paupertatem, ante mundi constitutionem suspiceris in illo: neque arbitreris ex subiectione vel obsequio conditorum potentatui eius vel gloriæ aliquid accrevisse. Nunquam est sola Trinitas, nunquam egens divinitas, non deesse præsens, non ignorare sapiens, non infirmari potest omnipotens. Non senescit æternitas: non mutatur veritas: Nunquam excidit charitas. Non rumpitur solidum. Non dividitur unum: nihil deest ad perfectum: Non crescit totum: Non minuitur universum.

A Sicut erat, & erit, ita est, licet erat, & erit in eo dicantur improprie, quoniam solum ei præsens est: Cui nihil vel accedit, vel præterit. Omnium igitur quæ sunt, sola causa est bonitas, non necessitas: & participatio gloriæ rationali creaturæ, ita collata est, ut licet de plenitudine illa hauriat, non tamen sit ejus pars, cui conformata secundum aliquem modum, participans participat. Inconveniens omnino & nimis absurdum est, credere globum mundi informem & artificem simul ab æterno fuisse, & massam illam seorsum positam nullis usibus deservisse: quasi eam Deus, vel non potuerit vel non voluerit, distinguere & formare: Cum omnino in Deo idem est & velle, & posse, & facere. Sane voluntas & potentia, & effectus in illa rerum constructione sese indivisibiliter comitata sunt, *quoniam dixit & facta sunt, ipse mandavit & creata sunt.* (Psal. 148) Æternum quidem de tam magnifico opere in sapientia ejus fuit consilium, sed initium temporale nequaquam confusione illa quæ chaos dicitur, latuit involutum: nec omnipotentiam vel sapientiam, vel benignitatem conditoris materiam factam languore opprimere, vel dilationibus secularibus negligere tantæ excellentiæ fundamenta, (B) cum dilatio corporis inchoati nihil sibi, nihil creaturæ conferret, quia in imperfectione operis sui nulla esset gloria conditor: neque ipsa creatura insensibilis & inanimata vel defectum in hoc vel profectum haberet cui sine aliquo sui damno illa informitas vel inutilitas esset: unde constat aptata rerum primordia, *verbo Dei* sicut ait Apostolus, *ut de invisibilibus visibilia fierent:* (Hebr. 11) & placerent sub distinctionibus & formis universitatis amplexio indissolubili connexione in illa mente divina, ab æterno astricta. Aperta est janua, & egressa est de illa antiqua arca testamenti multitudo innumerabilis, visibilium & invisibilium, spiritualium & corporalium, & jam cœpit locus esse & tempus: quoniam secundum suum modum omnia circumscriptioni obnoxia sunt: præter illam solam naturam, quæ præcedit & excedit omnia, & intra se universa concludit. Circa illam ineffabilem & immensurabilem magnitudinem, vane cogitat homo loca vel tempora: omnino minor est authore universitas, & quicquid temporale est ad instar puncti, intra se concludit æternitas. Complectitur omnia, intra solidans, extra protegens, supra fovens, infra sustinens, arte investigabili ligans diversa, temperatura (C) mirabili attingens in pacem & in unum jungens contraria: premens levia, ne effluant, sustinens ponderosa ne ruant. In eodem corpore ignem & aquam vidimus convenire: terræ aërem circumfusum, illámque mollem immobilem firmis radicibus levi & subtili fundamento inniti aquas labiles & supra ferri, & ardoribus non consumi: ut in hoc sapientia & omnipotentia artificis propensiori admiratione considerata, nos in suam reverentiam trahat quo nihil ei impossibile videmus: Cujus moderamine diversa & contraria in unitatem pacis conveniunt & immobilia & errantia ad certum ordinem revocantur: nec intumescunt maxima nec minima consumuntur: nec tota illa mundi fabrica sine ulla ruinæ formidine ex tam dissimilibus partibus uniformis, ex tam diversis una, ex tam contrariis quieta & solida & concors in sua lege perseverat & ordine. Uni domino omnia subdita, non habent quod divertant: nec ullum patet (D) effugium à principe nisi in judicem & à judice in vindicem. *Ex ipso & per ipsum & in ipso sunt omnia, in quo vivimus movemur & sumus:* (Rom. 11) quoquot sumus sub certo numero certam habentes mensuram & pondus: Ex ipso sumus natura & origine, per ipsum sumus doctrina & regimine, & in ipso sumus unitate dilectionis & consortio gloriæ. In libro ejus omnia exarata sunt & conscripta cuncti quæ agimus, & quicquid ibi scribit transgressio, delet confessio. Imò de libro vitæ nihil deletur, quia liber ille æternitatis est, illius in qua nihil corrigitur aut mutatur. Apposita sunt talenta donorum, mensurata distributio gratiarum, ne nihil boni negligat, nihil subtrahat, nihil præsumat. Et eundem ante hunc visibilem mundum, id est ante cœli & terræ creationem Angelicæ claritatis obsequium creatori (E) non defuit, & præcessit illa spiritalis natura corporalem origine. Unde Ambrosius in exameron: Angeli, dominationes, & potestates, & aliquando cœperunt, erant jam quando hic mundus factus est. Et Basilius: Post illa invisibilia & intellectibilia, initium generationis eorum quæ cernuntur sensúque comprehenduntur scriptura enarrat. Hieronymus supra Epistolam ad Titum: Sex millia nostri temporis nec dum complentur anni, & quantas prius ætates, quanta tempora, quantas sæculorum origines fuisse arbitrandum est, in quibus Angeli, throni, & dominationes servierunt Deo, & absque temporum vicibus atque mensuris Deo volente substiterunt.

SUnt qui ita intelligant, non solum creatorem, sed ipsam etiam cœli & terræ creaturam ante tempora extitisse, quia ad discretionem diei ac noctis, ab ortu & occasu majorum siderum & minorum lunarium principia & fines & reditus concurrentium vicissitudinum, determinatis spatiis certarum horarum numero definita est dies & nox, & dierum certis collectionibus distinctum sit tempus: & illa quidem opera sex dierum instituta ex nihilo nullam habentia vel ex se, vel aliunde materiam, sed tantum voluntate artificis (F) prolata dicuntur, cujus verbo dictata est omnium quæ sunt, & causa, & ratio, & origo. Spiritualis quoque naturæ, id est Angelicæ ea plenitudine sentiunt ordinem institutum: ut nullum ad reparandam vel augendam successionem semen invicem transfundi, in genere illo ulla necessitas postulet: quia si quid ad numerum eorum forte deest hoc suppletur ex homine, cujus multiplicatio quod periit vel quod defuit, restituit, & consummat. Tantúmque aiunt fuisse spacium inter opus & opus, quantum sex dierum continent intervalla: Id est quantum dies & nox una mora metitur, & sic facta singula quibusdam præcedentibus, quibusdam subsequentibus, sicut prius est ordine in ædificio fundatum fundamentum, cui infigitur paries & tectum, quæ sicut mens, & opus artificis, gradatim aptat in domum: ita Deum fabricæ suæ modum & species ordinum esse, & quasi texuisse pedetentim sentiunt mundum. Verum illius spacij ante temporationem qua ante temporum vicissitudinem invisibiliter Dei sapientia (G) prima opera disponebat diffinire temerarium est, maxime cum canonicæ scripturæ de hoc nihil certi tradiderint. Casus tamen Diaboli qui ab initio fuisse legitur: si ante creationem cœli & terræ fuit, non intelligo vel cui inviderit, vel cujus fuerit homicida, cum homo non esset, unde illa scriptura, *qui vivit in æternum creavit omnia simul* (Eccli. 18) universam creaturam & Angelicam & humanam, & reliquas singulas videtur asserere simul verbo Dei fuisse exortas, licet difficillima sit illa distinctio, & tamen est distinctio qua intellectualis corporalem præcessit. Primus in rebus investigatur ratio essentiæ, deinde ordo naturæ, ad ultimum usus & necessitas causæ. Cumque eadem sit causa, & unire & partiri, & recolligere negotium, industriæ est, ut in eadem re aliquid primum, & aliquid intelligas ultimum. Hoc secundum nostri intellectus angustias in rerum consideratione ex crassitudine corporea patimur hebetes & lippi ad puræ lucis fulgorem. Verum *sapientia* Dei *attingens à fine usque* (H) (Sap. 8) *ad finem:* subtilissima celeritate, & prædestinata & creata coëssentia intuetur: & quæ ipse simul nos per partes colligimus, & per aliquas moras collectas unimus. Creavit itaque Deus cœlum & terram, rationalis creaturæ domicilia, ut haberet utrobique colonum & laudatorem implens cœlum & terram divinitas. Et superiora quidem agmina Deo vicinius conjuncta: quasi intellectualia vel spiritualia, amplius naturæ creatrici participantia, hærent stabilitati suæ affixa. Homo vero & terrestris & cœlestis, & caro & spiritus, à cœlo terráque commixtus aliquando apud se sobrius manet, nonnunquam mente Deo excedit,

A & secundum utramque naturam modo infra est, modo rapitur supra. De Angelis sane quorum gradus & officia & dignitates in multis locis, patrū distinguit authoritas nihil Moyses est locutus. Sed cum alibi in hoc ipso libro geneseos eorum personas & officia introducat: non est dubium quin eorum creationem in nomine cœli intelligat. Ideóque cœlum non est dictum inane & vacuum, etiam cum pars reproba cecidisset: quia non in quorundam lapsu tota Angelica collectio est infecta, nec peccatum quorundam nisi in consentaneos prævaricatores redundat, quia non nascitur spiritus de spiritu, sicut caro de carne, nec omnino illa natura descendit ex traduce: & licet omnium sit una natura nihil tamen habet alter ex altero, quia unicuique singulariter & proprie omnipotentia divina, specialis est, ut ita dicam nativitas & origo. Terra autē cujus habitator homo est inanis dicta est & vacua, quia licet in innocentia sit conditus homo, carnis tamen vigor nondum erat ad integrum solidus, & omnino etiam ante peccatum minus erat purus & perspicax humanus quam Angelicus intellectus. Nondum erat reformatum corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis divinæ, nec erat in eo statu humana conditio, quem absque dubietate resurrectio pollicetur. Vacua adhuc illius plenitudine beatitudinis quam acceptura erat: quantum sibi ad plenam compositionem deesset ad lucem accedens didicit, qua circumfusa, melius se m imperfectum considerans: ad eum qui potest implere & componere insufficientiam humanam conversa conformationem & reformationem suam nihil hæsitans præstolatur: vacua erat terra, non habens possessorem, inanis non habens decorem, quia informe est quod non illum nat Deus, & vacuum & egenum quod non implet.

Philip. 3. B

*Et dixit Deus fiat lux & facta est lux.* Scriptum est, *quia Deus lux est* & quia *lucem habitat inaccessibilem.* Ipse non est lux, quæ facta est: sed lux primordialis illuminans omnia, id est, causalium rationum quas apud se habebat reconditas, manifestans efficientiam, conspicabile faciens quod tamen sibi intelligibile erat: Et est illa prima lux repellens tenebras, & constituens dies, abigens ignorantiam, & purificans intellectum sapientia. Per hanc enim omnium rerum conditio disposita est, & ipsarum constitutionum cognitio, dies vocatur. Est itaque prima dies, ipsius sapientiæ intellectus. Secunda, corporalis dispositio creaturæ. Tertia, segregatis tenebris à luce, utilitatis rerum certa cognitio, qua in admirabili ordine & pulchritudine considerata in admirationem creatoris trahuntur invisibilia ipsius, per ea quæ facta sunt contemplantes, ita ut per hoc innotescat nobis sempiterna ejus virtus & divinitas. Quarta vero dies, Ecclesiastica doctrina & scriptura sancta divinitus inspirata, in qua certas fidei regulas invenimus, ut non quisque suo sensu, sed veritatis æternæ authoritate firmetur. Quinta vero dies, colluctatio rationis cum concupiscentiis, quasi cum reptilibus innumeris quibus resistit humana infirmitas: in quibusdam quidem membris suis actionibus hujus sæculi affixa: in quibusdam vero avolans conversationem sibi elegit in cœlestibus & quietem. Iam vero sexta dies, est oppressis concupiscentiis & triumpho de hujus mundi victoria celebrato, mundo corde & pacifico spiritu cognitio & contemplatio Dei: per quam deponentes imaginem terreni, & veterem hominem exuentes reformamur, & in similitudinem Dei & imaginem transimus: imaginem quidem exprimentes, signaculo charitatis: similitudinem vero, stabilitatis & pacis. Ad hæc consideranda sive contemplanda, prima lux, id est cognitio veritatis quasi inquisitorem suum humanum dirigit intellectum, manifestans ei singulas rerum species, hoc est distinguens dies ac noctes illuminans egressū de ignorantia, ad cognoscendum ordinem rerum: ut in nomine cœli & terræ, omnia cœlestia & terrena intelligat: quæ per quædam spacia, quasi per dies & noctes scriptura distinguit & separat, & ne quid desit, ne quid causetur infirmitas, superfertur spiritus Dei, fovens & formans rationabiles appetitus, adjuvans infirmitatem, fœcundans sterilitatem, excitans devotionem, operiens excessus, & distracta restaurans. Hic est spiritus multiplex, unicus, stabilis, mobilis, humanus, benignus: qui ubi vult spirat, & docet, & replet, & suggerit omnia: de cujus inexhausta plenitudine & manatione sincera repleta corda fidelium, unius moris in domo coædificata in habitaculum Dei, eructaverunt in Ecclesia verbum bonum, invincibili eloquentia & insuperabili inconstantia subjectis contradictoribus: cum repente, facto cœlitus sono illiterati & idiotæ facti sunt fidei assertores, & piscatores disputatores. Hic, absque emendicatis aliunde suffragiis, quos compungit inungit, quos invitat consummat, quod præcipit efficit. Ideóque in eo quod superferri dicitur, nota magisterij dignitatem, nutritoris affectum, vivificatoris præsidium, Charitatis impressionem, affinitatem naturæ, benevolentiam gratiæ. Et primo quidem lux, deinde dies, postea firmamentum: quarto loco illa magna luminaria facta narrantur, quia prima illa Angelica natura vigens bono naturæ & gratiæ, dum per humilitatem stetit in veritate, unica luci æternæ, segregata est à nocte, & stabiliri meruit & confirmari, & jam absque ruinæ periculo, de gloria sua omnino secura, nullum ultra habet ad malum accessum: quia ita est luci superiori conterminata, & adeo ex illo fulget splendore, ut lucem quæ ipsa est nullius caliginis vapor interpolet.

1. Joan 1. 1. Tim. 6. C

Act. 2. E F

Est igitur lux illuminans, Deus: lux illuminata, Angelus: firmamentum, radicatus in Deo rationabilis affectus. Est igitur prima dies, intellectualis vel spiritualis naturæ institutio. Secunda, corporalis & visibilis rerum creatio. Tertia, rerum ab invicem distinctio, & earundem secundum genus suum fructificatio. Quarta, per verbum Dei ex testimonio scripturarum mentis illuminatio. Quinta, inter appetitus carnis & spiritus rationis discretio. Sexta, in intellectu & actione, quasi quodam sexu maris & fœminæ, imaginis & similitudinis divinæ expressio, ex qua copula spiritalis fœtu repletur Ecclesia. Iam vero restat in septima sola vacatio, de quo Sabbatho ad Sabbathismum octavæ transibit quisquis renovatus spiritu mentis suæ potiora probaverit, & de tenebris hujus mundi emerserit: in omnibus inter lucem & tenebras dividens, & fructificans quasi arbor bona secundum gratiam quæ data est sibi. Oportet quippe hominem intelligere in primis, quia Deus est: Postea quid sit Deus, ad quod ex Creaturæ consideratione paulatim accedit: deinde luce veritatis accensa, inter carnalia & spiritualia, quasi inter aquas superiores, & inferiores firmamento rationis fixo, expulsa tentationum quasi fluctuum salsugine, gramina & arbusta producere, id est virentium gratiarum propagare gemmina. Sed & ipsas spirituales intelligentias quæ ex scripturis nascuntur, diligenter attendere. Quomodo ipsa veritas quasi Sol illuminet animam: ipsa vero anima quasi Luna irradiat noctem, id est corporales sensus, actiones quasi stellas multiplicans, quæ caligine tenebrarum hujus mundi non vincantur. Necesse est etiam ut inter reptilia & volatilia ea discretione utatur, ut, quia aliquos excellentioris vitæ conspicit, non contemnat infirmos: quia in omnibus est anima viva, & quæ inhonestiora sunt, iis honorem abundantiorem circundamus. Iis exercitiis homo ad formam Dei proficit, cujus est quies cœlestis hæreditas: cujus gloria beata æternitas, & in agnitione Dei omnem exuperans sensum pacis supernæ fœlicitas.

Rom. 1. D G H

IVstitia & judicium in primo statim patuere negotio, & sine ulla dilatione assentientium & dissentientium spirituum utraque pars suorum obtinuit stipendia meritorum, & sejunctis ilico contuberniis separata sunt sancta & impia agmina, expulsis dejectisque irre-

gressibiliter

A gressibiliter in inferiores mundi partes, sive in infernum (quicunque ubicunque ille est), his qui sine Deo esse affectaverant. A Dei quippe visione beatifica sine spe misericordiæ in æternum avulsi, immortales quidem, sed tamen passiones impassibiles [illegible] sanctorum Angelorum superstitum invident, & licet eos infectare non possint, quoniam illa [illegible] data natura inventabiles sunt, in livore malignitatis, in implacabili odio perseverant: & hoc ipsum invidiæ tormentum, continuæque rubigo malitiæ, jugis ira, infinita tristitia, spes veniæ interclusa: quasi flammæ ultrices eorum fellem undique allambunt, & est quasi quædam gehennæ fornax semper nocendi aviditate accensa. Mala voluntas est quasi perpetua cæcitas, id est a visione divina præcisa facultas. Sancti verò Angeli adhærentes Deo semper vultum ejus aspiciunt, & faciem ejus sine ullo velamine contemplantur. Bibunt de ipso fonte vitæ, & panem suum supersubstantialem in quo confirmati sunt, ad satietatem comedunt: regnant sine fastu, serviunt sine jugo, gaudent sine metu, obtemperant, sed non serviliter: omnis consummationis vident finem, sed non finaliter. Contemplantur altitudinem divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei: [illegible] quæ omnem exsuperat humanum intellectum, & si est aliqua superior & secretior pax quam [illegible] inhabitat Deus, id ipsum beatitudinis est: quod habent in suo bono sufficientiam, nec coæquari [illegible] super [illegible] præsumunt. Hoc enim illius maligni peccatum est, quod non sufficit ei excellentiæ [illegible] magnitudo: sed similis esse altissimo voluit, vel quasi Deus omnino, vel saltem sine Deo dominio. Itaque cum esset lux in Domino, factus est tenebræ in seipso, & justissimo judicio qui voluit esse summus, factus est infimus; qui supra lucem, [illegible] addictus, qui supra Regem, [illegible] captus, de libero servus, de Angelo Diabolus, de conspicuo obscurus, de nobili & gloriosio [illegible] horrendus: vere divisa est lux à tenebris, & in eodem consortio bonum & malum [illegible] non possunt. Non est communicatio Christi & Belial, non est participatio justitiæ cum iniquitate. Isa.28. *Angustum est stratum* (inquit Isaïas) *ita ut alter decidat, & pallium breve utrumque operire non potest.* C Sed & chaos magnum inter bonos & malos Angelos est firmatum: & [illegible] est, ut [illegible] possit [illegible] tra bonus Angelus in Diabolum, vel Sathanas transire in Angelum bonum: quia utrumque [illegible] immobilis promulgata est sententia, ut qui ceciderunt, ultra stare non possint: qui vero stant, periculum casus cujuslibet non [illegible]: & si ad peccatum in electos ultra non [illegible], [illegible] reprobos non redit justitia, quia sicut nulla [illegible] medelam, ita nullam admittit sanctorum gloria corruptelam. Fallitur Origenes, qui dogma Platonicum in Ecclesiam introducens in libris *peri archon* de quadam revolutione dæmonum in corpora (quasi per crassæ hujus corporeæ oppressionis [illegible] indignam purgatione facta) rursum post multa sæcula, per hujusmodi revolutiones expiatum, in statum antiquum Sathanam asserit reversurum. Addit etiam nescio quam passivam divinitatem pro [illegible] redemptione iterum in D aëre invisibiliter pati: & dum laborat emungendo sanguinem ex quibusdam scripturarum authoritatibus, & prædicat Deum misericordem & pium, probat eum mendacem & injustum. Mendax est, si impius cum Diabolo & Angelis ejus non vadit in ignem æternum. Injustus, si injusto & justo idem reddit stipendium. Sed hæc verborum monstra & rationum portenta, non Christiana sunt dogmata. Superficiem litteræ Origenes, nec intellexit Isaïam, qui in honore Tyri quædam mystice loquebatur, quæ ille literator ad proprietatem verbi [illegible] conatus est. Isa.24. *Et erit*, inquit Propheta, *in die illa, visitabit Dominus super malitiam cœli in excelso, & super Reges terræ qui sunt super terram: & congregabuntur in congregatione* E *unius fascis in lacum & claudentur ibi in carcerem, & post multos dies visitabuntur.* Visitatio hæc non est indulgentiæ, sed severitatis & justitiæ: sicut sæpe visitantur a custodibus, qui in carceribus sunt non ut liberentur, sed ut custodiri diutius & acrius puniantur. Sunt & aliæ scripturarum auctoritates quas ille quasi de convallibus rapuit, & statim ad eas cum clamore cucurrit. Animas quoque hominum Angelos fuisse, & rursum in Angelos reversuras: & in restitutione Angelos & Dæmones, & omnes homines sive Christianos, sive Gentiles, sive Catholicos, sive hæreticos æquales fore: & iterum animas ad nova corpora reversuras, & ex alio principio iterum alium mundum: & sic alternis vicibus usque in infinitum decessum & successum omnium & sensit & scripsit, & alia multa impia & nefaria quæ etiam replicare criminis est.

NE igitur detrusis in has inferiores partes malignis spiritibus, si eadem passim conversatio dæmonum esset hominum, liber & frequentatus accessus, & conflictus assiduus hominum esset jugis & pertinax scandalum, & nulla pacis forma esset, ubi indefessa infestatio urgeret: eorum pars reproba [illegible] importunos quasi amarissimos fluctus præfixis terminis F Deo præcipiente intra se collidere coacta est, & dictum est ei, usque huc venies, & hic confringes tumentes fluctus tuos. Qui dixerat, *sedebo in monte testamenti, ero similis Altissimo*: Isa.14. jam neque in gregem porcorum audet intrare nisi permissus, sed capistrata cervice hic atque illac quantum cathenæ longitudo attingit, spumans & fremens relambit quod evomuit: & nihil virium habet illa malitia, nihil effectus illa vesania, nisi quantum vel ad probandum, vel ad puniendum justos vel [illegible] justitia divina permittit. Habent & ipsi sub principe dæmoniorum [illegible] officiorum & ministeria distributa, & quantum [illegible] indulget potestas superior, dico sanctorum Angelorum, sub suis potestatibus militant & egrediuntur, & circumeunt, & suscitant tempestates [illegible], abscondunt laqueos, tendunt muscipulas, & exquisitis artibus modo violentiam, modo simulationem [illegible]. Persuadent & suggerunt [illegible] G [illegible] dolosi quæcunque impia, quæcunque impudica: nihil agunt potestative in animas, in quarum potestate [illegible] & voluntate est in forma crucis & sanguine agni resistere, & confusum & victum repellere in gehennam. Et ex propriis [illegible] quibus servos Dei irritat & appetit, ipse repercutitur & illuditur, fitque [illegible] coronæ & gloriæ quibus esse voluit transgressionis [illegible] & ruinæ. Sed & [illegible] quando præ[illegible] [illegible] contabuit, animis pœnitentiæ [illegible] fortiter [illegible] surrexerit, & expertos admissi turpitudinem, hostem suggestorem & se [illegible] exhortantur, & rursum cautior & [illegible] ad conflictus accessit. Profligati itaque, & repulsi ad se ipsos convertuntur, & in maris sui sanguine, hoc est propria cruciantur invidia, & inefficacis malitiæ dolore tabescunt, hoc est mare magnum & spatiosum in quo sunt reptilia quorum non est numerus, in quo draco ille antiquus quasi cete immensum perambulat, cui authore Psal.103. Deo illuditur. Ex immissionibus vero quæ per Angelos H malos fiunt, homo opus divinum non destruitur, sed probatur, & recedentibus tentamentis, omnique spiritu nequitiæ quasi intra suum pelagus recollecta, exsiccatis paludibus voluptatum terra fœcunda herbam virentem & lignum fructiferum [illegible] germinat incrementis: qui à cordibus electorum abstersa peccati illuvie de vitore fidei, ad sanguinem [illegible], & ad ipsum culmen perveniunt charitatis, radicati fiunt arbores bonæ in Christo, [illegible] donationis [illegible]. Nomine herbarum [illegible] intelliges: arborum vero proceritas sublimioris sapientiæ exprimit dignitatem, lignum sapientiæ,

A & lignum scientiæ, & lignum vitæ, quæ in hac scriptura inveniuntur, nos hæc spiritaliter intelligere persuadent, licet fundamentum litteræ non avellant.

CONstitutio corporalis vel spiritalis visibilis & invisibilis creaturæ, quæ est quasi prima hujus mundi dies, illuminante mentem verbo Dei, intelligibili ratione cognita est: Sed oportebat ut eandem lucem intellectus lux copiosior ipsius veritatis vivacioribus documentis accenderet, & acutiora & subtiliora per se dictaret dogmata veritas, quam humani ingenij vel rationis per se posset experiri capacitas. Condidit itaque sapientia duo luminaria magna, & constituit in firmamento: & quod intimaverat ex parte per spiritum, loqui voluit per se ipsam, ut esset posteritati divina auctoritas, nec errandi locum, aut ignorandi, aut pervertendi verum hæreticorum haberet impietas. Conveniunt sane in unum naturæ & legis decreta: sed majus pondus est, ubi doctor est Deus, quam ubi inquisitor est animus. Moysi in monte Sina datæ sunt

Exod.20. B tabulæ lapideæ scriptæ digito Dei: Apostolis sanctis verbum quod erat in principio apud Deum, & Deus erat verbum, & idem verbum caro factum est, & habitavit in nobis: Filius patris locutus est, & non in tabulis lapideis, sed voce viva prædicavit Evangelium scribens intus in cordibus, clamans extra in auribus:

Joan.10 Joan.14. Hebr.1. Matth.6. Luc.6. *Ego sum via, veritas & vita.* In his duobus testamentis, locutus est Deus multifariam patribus in Prophetis, nobis per se ipsum in Evangeliis: & everso modio velaminum, accensam veritatis lucernam figens super candelabrum quasi diem proposuit divinæ & humanæ naturæ in eadem persona unitum consortium. Ab Adam quippe usque ad Moysem naturalis Lex à ceremoniarum libera servitute sub familiari mandato primitivum populum docebat & regebat: sed sicut diximus, doctrina hæc, quia non muniebatur definitione authoritatis, labi poterat per successiones vel corrumpi: ideóque accessit Lex scripta quasi luminare minus in ænigmatibus & figuris, unius quidem Dei cultum & venerationem exigens, sed ad exercitationem tædium animorum sub multiplici verborum vela-

Exod.25. Levit.14 C mine, rerum veritatem occultans. Fecit Moyses tabernaculum & mensam propositionis, & arcam testamenti & velamentum ante sancta sanctorum & Cherubim gloriæ obumbrantia propitiatorium: multa de circumcisionis ritu, de mundatione lepræ, de lege zelotypiæ, de Sacerdotum vel Levitarum officiis, de unctione Pontificis, de civitatibus refugiorum, de violatoribus Sabbathorum, de generibus holocaustorum, & aliis legis decretis præcepta conscripsit: Sed

Hebr.7. ut ait Apostolus, luminare illud legis neminem ad perfectum perduxit. Erudivit sub timore quasi Pædago-

Hebr.6. gus teneram Ecclesiæ nescientis infantiam, & lascivientem primæ ætatis insolentiam oppressit serviliter, donec in præfinito tempore à patre provectus in intelligentia spiritali populus Dei introïret usque in interiora velaminis, & ipsa sancta sanctorum: intra quæ nullus ingredi nisi solus summus Pontifex præsumebat.

Hebr.9. Vbi vero gratia, scilicet luminare majus, intolerabile legis alleviavit onus, expirante IESV in patibulo, rupta sunt illa velamina: Iam non tantum Aaron &

D filiis ejus illud privilegium mansit, sed universitati fidelium liber ingressus datus est, & ad lignum vitæ, & ad sancta sanctorum. Primus ingressus est non in alieno sanguine, bonorum Pontifex futurorum, & dato illo magno precio sanguinis, vilnit aurum legis, & veniens sanctus sanctorum abolevit victimas Iudæorum.

Psal.75. LVminare minus fulgebat pro modo suo, cum tantum *notus* esset *in Iudæa Deus*: cum illas umbras & ænigmata mandatorum vix etiam pauci electi illius temporis caperent. Vbi lux gratiæ, Evangelij luminare effulsit, nullus fuit qui se à calore ejus posset abscondere: Disrupta sunt illa figurarum integumenta, illa verborum involucra, & facta sunt omnia munda mundis, accessibilia & intelligibilia universis, & repulsa multitudine exemplarium, unum pro omnibus omnia continens & excedens, & cujus plenitudinem omnis illa inchoatio figurabat, sanctum & rationabile superfuit holocaustum, unus ordo, una distinctio, nuda veritas, pura charitas. Iam non tantum tribus levitica ad Sacra Mysteria separatur, nec de sola tribu 1.Pet.2.

Iuda regalis persona eligitur, una est tribus populi Christiani gens sancta, populus acquisitionis: & Christus Rex noster & Pontifex regni Sacerdotij pauperibus tribuit dignitatem. Iam vitæ puritas non significatur, sed ostenditur: Iam agnus Dei digito demonstratur, Messias non expectatur: Iam nobiscum Emanuël conversatur, fulget in Ecclesia Sol justitiæ, Rex decore suo videtur. Propalata est sanctorum via Hebr.9.

æterna redemptione inventa. Nihil est ad hominis perfectionem quod non hæc duo doceant testamenta: omnia legis Sacramenta simplicitas Evangelica exponit, profunditatem propheticam explanat Apostolus, 1.Tim.3

*& manifeste* ad lucem istam *magnum pietatis arcanum innotuit, quód manifestum est in carne, iustificatum est in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est* F

*gentibus, creditum est mundo, assumptum est in gloria.* Stellæ quoque in firmamento dispositæ dant lumen suum, quod exponens Daniel, ait: *Qui docti fuerint, fulgebunt sicut splendor firmamenti: & qui* Dan.12.

*ad iustitiam erudiunt multos, quasi stella in perpetuas æternitates.* Docti & doctores stellæ vocantur. Quidam enim exemplo, quidam & verbo proficiunt, & exemplo. Dividit hæc scriptura inter diem & mortem, separans à sinceritate doctrinæ Catholicæ hæreticorum inquinamenta, & à moribus sanctorum eradicans quæcunque non competunt honestati. Lux ista veritatem separat à mendacio, à nugis seria, à pace discordiam, à Christo idola, à puritate religionis quæcunque impia & obscœna. Lux ista cor mundum, & à peccati amore divisum, primum pudicum, deinde pacificum usque ad contemplationis divinæ perducit arcanum. Descriptio Hierusalem in latere, & per Ezechiel adversus civitatem ordinata obsidio, sartago ferrea pro muro erecta, G

& reliqua signum sunt Domini Israël lumbare juxta Euphratem absconditum & putrefactum, oculi animalium, & pennæ quarum aliæ volant, aliæ caput & pedes sedentis in throno abscondunt, in signum magnæ rei ab Isaïa sunt positæ, & per Apostolum in Christo, & in Ecclesia signatur Sacramentum, cum de nuptiis & conjugij fœdere idem disputaret Apostolus. Agar & Sara: Duo significant testamenta, Isaac & Ismaël populos duos, & multa hujusmodi in signum alicujus rei sancta Scriptura ponere consuevit. Sed & temporum & annorum revolutio, & discursus de una ad alteram, volubilitatem mutabilium, & æternitatis stabilitatem distinguit: quia ferventi circuitu rationis desiderium ad principium suum recurrens festinat, ubi nec anni, nec tempora, nec aliquæ mutabiles vicissitudines, sed una sancta est dies consummatio & plenitudo sanctorum: Lux non erratica: Deus omnia in omnibus, perpetua illuminatio omnium. Circumcisio in signum H

est expoliationis carnis peccati: Baptismus sepulturæ, opus altaris crucifixionem carnis, visibilis unctio sanctificatum habitaculum Spiritus Sancti significat, templum mentis dies sunt: horum & similium congrui intellectus. Tempora sunt, collectio & concordia novorum & veterum, sicut matutina spacia ad certas metas finésque conveniunt. Licet proprie præsens & præteritum, & quod futurum est nomine temporis censeatur, nihilominus tempus dicitur æstas & hyems, & alia similia, quæ ad intellectuum volubilitatem aptata, rerum varietates & finem unitatémque diversorum, reductis ad suum principium causis,

&

A & conjunctis partibus exprimunt, Idem per annos, licet diffusius intelligitur, in quibus sicut & dies, & tempora concluduntur, & ipsi anni extenduntur in sæcula: ita verbum Dei lux æterna, omnia per scripturam sanctam intimat & comprehendit. Loquitur Moyses revelante sibi Spiritu sancto de constitutione mundi, cui temporaliter & corporaliter non interfuit. Galat.1. 2.Cor.12. Paulus prædicat Evangelium, quod ab homine non didicit, sed per revelationem IESV-CHRISTI: Ascendit in Paradisum, audit quædam arcana, quæ non licet homini loqui. Ioannes Apostolus ad æternitatem Verbi, & coessentialitatem & unitatem Patris & Filij ascendit & attingit: Isaias, & Daniel, multa de fine mundi & de judicio Dei eloquuntur, in quibus quasi per quosdam scalæ gradus ascendit & descendit quilibet studiosus habens scripturam & tempus quasi annos in quædam infinita sæcula proficiscens, quippe his omnibus diffluentibus sicut scriptum est, *cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt.*

B SPIRITVM Sanctum superferri aquis superius diximus, cujus inspiratio subjectæ sibi creaturæ vivificaret & fœcundaret originem: non incumbens ei quasi ad tutelam secundum Manichæum contra nescio quam gentem tenebrarum, sed concludens sub se, quia nihil per se, nisi idem Spiritus foveat, aut bene vivit, aut sane intelligit. Aquarum nomine generationes hominum intellige, quæ sicut de fonte in rivum, de rivo in fluvium labuntur: ita homines de concepto in partum, & de infantili ætate in senium inquieto volumine properant & decurrunt, unus at-1 Cor.12 que idem Spiritus prout vult ex eadem materia, diversa in varia ministeria operatur: *& alij datur sermo scientiæ, alij gratia sanitatum, alij discretio spirituum.* Seminat in agro suo mente hominis semen justitiæ, & quædam quidem ad horrea vitæ activæ, quædam ad cellaria æternitatis implenda prædestinat: ita tamen ut activæ fructus imputribiles, post necessa-C rios vitæ præsentis usus, cœlestibus inferat Apothecis. Nascitur ex eodem cespite frumentum & hordeum, & in eodem terræ gremio aurum foditur & argentum. Alia aliis excellentiora, singula in genere suo utilia & necessaria. Ex humano genere, quasi ex aquarum natura, & reptilia procedunt & volucres: quia quidam repunt per hæc terrena: alij vero his neglectis in cœlestibus conversantur. Repit & lento gressu incedit quem premit conjugij servitus potestatis, fastigium, ministerij sollicitudo. Ex occasione officij sæpe officio reddunt ultra quam 1.Cor.3. debeant: Sed licet ligna, fœnum, & stipulam con-1.Cor.7. gerant, à fundamenti tamen stabilitate non rece-Psal.86. dunt. Vtuntur hoc mundo quasi non utantur: plantant, ædificant, sed tamen iis animo non hærent, imò ad civitatem Dei, de qua gloriosa sunt dicta, medullatis affectibus suspirant. Neque vero illius civitatis Rex à domo sua simplicia hujus mundi excludit reptilia, qui etiam Raab quasi reptile venenatum purgavit & fecit innocuum: & Tyrum & populum Æthiopum & alienigenas, quasi multa reptilia, congregavit & posuit illic: & ipse natus est in ea quam D fundavit altissimus, & filios adoptionis cohæredes constitutos secum lætari & cohabitare voluit in eadem civitate. At vero viri contemplativi, relicto humanæ conversationis nido, nituntur & tendunt in ardua: & per arctas vias non parentes corpori, ubi sit dilectus, investigant, festinant per vepres & tribulos carnibus cruentatis, transiliunt sepes, & ir-Cant.1. ruunt in reclinatorium aureum, ubi Rex in accubitu suo nardi odore delectatur. Suscipiuntur ad osculum, fugiunt ubera potiora vino, trahuntur odore, post unguenta concurrunt. Gemit in fluctibus suis immensa actio & suspirat: gaudet contemplatio, & primitias pacis Angelicæ jam delibat. Mordetur tentationibus, quasi serpentibus homo in medio vipera-

E rum expositus, & concupiscentiarum lanceis latus nudum transfigitur, clamat oppressus: *Infelix ego! quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Rom.7. Nihil hujusmodi contemplatio sentit: sed rara omnino illa mens est, si aliqua est quæ in hoc mundo ita mente excedat, ut ad illusiones carnis, & pruritus titillationum, non aliquando sive abolita, sive oppressa respiciat. Etiam spirituales dicit Apostolus posse præoccupati in delicto. Galat.6. Tu quisquis spiritualis es, considera te ipsum, ne & tu tenteris. Intus in medullarum crassitudine in vapore cordis juge incendium & flamma æstuat perseverans: nullis aquis extinguitur, & quocunque fugeris, sequitur. Repit humana infirmitas, & ad longum cursum non sufficit: quod & si fugerit, non evadit: una patientia totum hunc ignem redigit in cineres: qui resistit vincit, qui tollerat superat. Infirmitas sentit, ratio non consentit: nec sensus peccatum est, sed consensus. Hic laborat discretio, hic vigilat ratio, hic est limus, hic est lutum fecis, hæc procellarum regio, in qua reptilia conversantur. Sed sicut diximus circumfuso Spiritu Sancto, qui subjectus est ei, quantæcunque circumfluant tempestates, exercitio proficit, motu purga-F tur, tentatione probatur, probatione firmatur. Inter hæc duo vitæ genera, quorum alterum reptat, alterum volat, & pusillanimitas & incolumitas creaturæ in altero sentit quid per se, in altero vero quid possit per Deum, ut nemo in se glorietur, quia *neque volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Rom.9.

ENVMERATIS & distinctis quæ ex terra, & quæ ex aquis gignuntur, sequitur quasi auriga omnium inferiorum homo, & ducens præ se pecora & jumenta, quasi bestiales motus sibi subjectos indicans, Dominus mundi constituitur: in se ipso quasi alterius machinam exprimens: habens omnium elementorum substantiam, & secundum aliquid om-G nium creaturarum naturam: Dignitate spiritus & animæ rationalis intelligentia alter Angelus in terris: societate carnis & vitæ, motus & essentiæ adeo participans hominibus, ut non solum secundum hoc quod moraliter vel allegorice definivimus, sed etiam secundum proprietatem naturæ ad universitatem rerum quædam sit ei cognatio & affinitas multiplex. Intueri possumus in homine velut quendam alterum mundum, totum in exiguo, è cœlo terráque commixtum: habentem sub se visibilem creaturam, supra se invisibilem: in unius mentis angustia, universitatis semina complectentem. Mens in eo quasi quoddam divinitatis insigne, subditos aptat & dispensat affectus. Habet de cœlesti natura sapientiam & intellectum, consilium & scientiam, constantiam & pietatem, & castum timorem: quo ductore in eo à quo est, humiliter gloriatur. Quicquid spirituale in nobis est, inde est: ibi exemplar est ad cujus formam homo sensum acuit, mores componit, aptat sanctimoniam, ordinat charitatem. Secundum illam naturam, paulo minor quam Angeli propter carnem passibilem, H non ignorat, quia ex hac conjunctionis suæ diversitate aliquando liberabitur, & rursum magnificentius colligabitur, nec jam ultra dissolutioni obnoxius, sed æqualis Angelis etiam in corpore constituetur, & illius gloriæ quam modo per patientiam expectat, culmen attinget. Corpus quidem de terra est, in quo, si diligenter consideres, in minimis corporis partibus omnia hujus magni mundi membra reperies. Gravia hæc elementa, terra & aqua, igne & aëre quæ levia sunt, circumfusa moventur: & ponderosa materia segregata ab invicem traductione subtiliorum, confusione non premitur, sed distinctis singulis ordinatisque accessionibus omnia sibi serviunt: ut omnino stupenda sit illa rerum discordia in tantam pacem redacta, ut absque ulla dissentione

A in vero quæ legitur testamento. Lux firmamenti, intellectus est testamenti. Reptilia & volatilia ex aquis producta: actiuos & contemplatiuos ex eadem massa orti significant. Hæc sibi inuicem omnino non possunt simul esse, non est qui ambigat.

FAciamus, inquit Deus, *hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* In omnibus quæ a Deo facta sunt, nihil huiusmodi legimus: sed in omnibus sensibilibus & insensibilibus, & in omnibus quæ sunt & viuunt, dictum est vt essent, & fuerunt. Sol & Luna magni & incomparabilis splendoris luminaria, inter reliquas creaturas sublimem obtinent locum. Solus homo ad imaginem Dei factus, hoc singulari priuilegio honoratur. Et de Angelis quidem, quod ad hanc similitudinem facti sint, nihil legimus. Quoniam sicut eorum creationem eo quod intellectuales naturæ sint, scriptura intellectui nostro reliquit, ita eorum dignitatem vel excellentiam prætermittit. Credendum tamen est, illam imaginem in illis tanto expressius signatam, quanto illa natura purior est, & diuinæ maiestati vicinior. Reliqua vero omnia ad imaginem æternitatis non pertinent, quoniam vanitati subiecta, inquieto circuitu rerum vicissitudines adumbrant: neque stabilitatem suæ essentiæ per hos discursus & motus consequuntur, & omnino desinent esse, id quod modo sunt: nullo pacto postquam dissoluta fuerint, ad corpora sua, vel iterum a quolibet dein[illegible] reuersura. Ipse quoque Sol in reformatione mundi, ab hoc labore suo quiescet: nec opus erit diurnis & nocturnis distinctionibus, quando vna dies æterna, & Sol vnus immobilis Deus erit, & quiescente omni creatura, vna erit omnis naturæ stabilitas, vna firmitas, vna lenitas, vna pax, vna æqualitas. Et qualia vero vtrum tunc sint, cœlum scilicet ipsum & terra, vel aliquid præter spiritualia, puri pectoris est intueri. Hoc tamen quod dictum est, *cœlum & terra transibunt*, nescio si ad hanc possit referri sententiam. Petrus Apostolus in secunda Epistola, quæ canonica dicitur verbum Euangelicum, vel exponens, vel sequens ait *Adueniet dies Domini vt fur: in quo cœli magno impetu transient. Elementa vero calore soluentur, terra autem & quæ in ea sunt exurentur:* Et infra, *Cœli ardentes soluentur, & elementa ignis ardore tabescent. Nouos vero cœlos, & nouam terram, & promissa ipsius expectamus, in quibus iustitia habitat.* De abolitione vero veteris mundi nulla quæstio superest quæ tam manifeste à principe Ecclesiæ est prædicta. Sed cuiusmodi illud nouum cœlum & noua terra futura sint, vel si iterum nouis creaturis cœlestia, vel terrestria repleanda sint, omnino prætermissum est. Quia vero dictum est iustitiam habitaturam nouitatem illam, potest intelligi, quod omne in illa reformatione alterius & multo purgatioris naturæ futurum est, & quicquid modo vel corruptibile est, vel corruptum, in illa regeneratione purgabitur, & tota erit mera de reliquo terræ habitatio sanctitatis. Quanto magis homo configuratus corpori claritatis Dei, nihil molis habebit, nihil necessitatis in corpore, quod quidem & spirituale erit, & tamen corpus. Ita & ipsa rationalis creaturæ conuersatio quæ vtique Paradisus erit, & tamen habitatio: quia siue in illo nouo cœlo, siue in illa noua terra illa glorificata corpora erunt, quæ, licet natura & gloria Angelica agantur, veritate tamen corporis non priuabuntur, sed sicut scriptum est, sancti *in terra sua duplicia possidebunt.* Paradisus autem, hoc est illa amœnitas, quies, pax, tranquillitas, & cætera omnia bona quæ adhuc *oculus non vidit, nec in cor hominis ascenderunt*, intelligentia & visio Dei erit: quia videbit homo & audiet & in cor hominis ascendet, quicquid illud est quod Deus est: nec de locis corporalibus, vel odoribus, vel saporibus, vlla erit vltra vel cura, vel quæstio, quia, sicut diximus, etiam si localis aliqua tunc erit delectatio, spiritualis erit vtique, non carnalis. Homo ad imaginem Dei conditus iam tunc nihil habens simile, nihil com[m]une cum iumentis insipientibus intelliget honorem suum, & in imagine ad quam conditus est intuebitur semetipsum, & mirabitur, & dilatabitur cor eius, & adhærens illi beatitudini, & in diuinis sinus aspectibus, ita in multitudine illius dulcedinis delectabitur, & in satietate illa glorificabitur, vt irrigationes fontium, vel obumbrationes arborum, vel vbertates fructuum, quas illa antiqua & corporalis habuit Paradisus, nec velit, nec quærat: cum sit ei Deus fons perennis, vmbra refrigerans, lignum vitæ, fructus perpetuus satietas infinita. In præsenti quidem vita, exteriores sensus per hæc visibilia euagantes minus ad vnum se colligunt, & minus illius imaginis dignitas intelligitur, eo quod effusa extrinsecus per multa diuerticula occupata ratio diuertatur. Aliud est imago, aliud illud cuius est imago: & aliud est similitudo, aliud illud cuius est similitudo. Similitudo potest referri ad aliquam partem: imago vero integritatem substantiæ repræsentat. Filius dicitur imago patris, *splendor gloriæ, & figura substantiæ eius*, & forma eius: quia inter patrem & filium nulla diuersitas est, nulla distantia, nisi quod pater non est filius, & filius non est pater. In verbo igitur, quod & sapientia patris est, omnis plenitudo diuinitatis existit, & ipse filius imago seu figura substantiæ dicitur, eo quod per verbum vel sapientiam sempiterna nobis reuelata sit diuinitas: sicut per imaginem cum proprie effigiata fuerit, repræsentatur, & intimatur nobis cuiuscumque rei proprietas. Ego cum me in speculo vel in purissimo fonte intueor, non me ipsum video, sed exprimit mihi imago mea omnem habitum meum vel gestum, & quantum ex facie indicari potest, ipsum mentis affectum: vt ibi videas vtrum decolor sim, an coloratus, & manifeste intelligas vtrum turbatus videar, an quietus. Ideo filius imago dicitur, quia in ipso patrem intelligimus: & per ipsum accessum habemus ad Deum, quia illuminans nos verbum & sapientia æterna in intellectu sui patris quicque aperit intellectum, quoniam qui videt filium, videt & patrem, quia vnum sunt pater & filius. Ad imaginem igitur Dei, hoc est ad intellectum & notitiam filij, per quem intelligitur & cognoscitur illa paternitas quæ in cœlo & in terra nominatur, factus est homo: expressa in mente hominis illius lucis plenitudine, illius sapientiæ conformitate, illius gloriæ communicatione communicat homo iustitiæ Dei: bonitatis particeps, æternitatis hæres: rationis consors, in appetitu pacis, in intellectu veritatis, in amore charitatis illam imaginem repræsentans: non ad illam similitudinem tendens, ad quam anhelabat qui dixit, *ero similis altissimo*: Sed ad illam de qua scriptum est, *filij Dei sumus: sed nondum apparuit quid erimus: cum autem apparuerit similes ei erimus.* Portantes imaginem cœlestis, cum formatur Christus in nobis, cum in moribus nostris & vita, illius generis nobilitas innotescit. Sicut enim exterior facies, paternæ generositatis prætendit indicium, & ibi vel pulchritudo, vel deformitas genitoris traiecta est, vt etiam ex vultu intelligas vtrum naturalis an adulterinus sit filius: ita in moribus euidentissimum est si veritatis & iustitiæ lineamenta imitantia exemplar diuinum, ad cuius inspectionem omnis pulchritudo & honestas depingitur, illam formam cœlestem expresserint, hunc esse Dei filium & hæredem, quem à paterna bonitate non degenerem indices. Hæc imago in anima, non in carne est, nec corporis est honor iste, sed spiritus. Exploditur anthropomorphitarum hæresis, quæ Deum corpus habere mentiens secundum corporalem effigiem metitur similitudinem diuinam, & imaginem Dei membra dicit visibilia circumscriptioni subiecta. Non intellexerant huius amentiæ assertores quia Deus spiritus est & quia ad intelligendam diuinam essentiam caro & sanguis non prodest quicquam. Secundum quod vir est, ad imaginem Dei factus est; secundum quod virago, ad similitudinem. *Masculum & fœminam*, inquit, *fecit eos.* Secundum intentionem plenitudinem spiritus vir, secundum remissiorem contemplationis appetitum,

Marginal notes: 2.Petr 3. — Isai.61 — Isai.64 — 1.Cor.2. — Heb.1.

in citro vel pino quinti vel sexti anni poma immarcescibilia perseverant. Quare ergo ibi, vbi neque horror hyemis, neque vlla intemperies ingreditur, sed continua veris fixa est novitas (cum ex ipsius temporis harmonia quæcunque ibi sunt, in augmento sint: & quicquid viuit, ex natura & ratione materiæ prægnantis parturiat) non dicamus ligna imputribilia, poma incorruptibilia, & efficacissimos illorum saporum vel odorum effectus, adimplendos vsque ad sufficientiā omnes vel gustuū vel olfactuū, vel aspectuū appetitus. Quid deerat illi mensæ, illi singulari convivio: vbi & oculus pulchritudine, & gustus dulcedine, & olfactus cōdito spiramine implebatur? Aderat quoque ad deliciarū cumulū fons ille ex vicinis & intrasenatis gramminibus saporis grati, refrigerandi & humectandi calorē interiorē habens effectū. Temperabat & mundabat corporis venas, per quas quasi per quosdam tumulos defluebat, irrigans quasi alterum Paradisum, & fœcundans in genere suo membra singula propriis officiis distributa. Cingebant labia fontis, hyacinthini & smaragdini flores, & crustæ purpureæ sedes aptabant intumescentibus glebis: ne recumbentium cervicem vel humeros superfluo aggravaret. Fundebant se humi pro tapetibus strata aneto & croco odorata cubilia: nec mordax cynomyia nudis artubus assidebat: quod genus si ibi erat innocuum erat, nec terebrantibus spiculis quietis illius delicias infestabat. Et quidem in illis minimis contemptibilibusque volatilibus post peccatum miranda est adeo aeris efficientiæ importunitas quæ fere invisibili, & omnino fragili stimulo etiam densissimas pelles armentorum penetrans, & quasi admota spongia vulneri, quicquid intus est humorum vel sanguinis ebibit & exhaurit. Ante peccatum quidem quia culpa non erat, nec pœna poterat aliqua esse molestia ab inferioribus, vbi superiori suo purum exhibebat famulatum rationis humanæ humilis obedientia, videret excedere si non describitur voluptatem: sed quicquid dici potest, minus est ab illis deliciis: quippe deliri & fatui sensus, & labe peccati infecti integris illis & virginibus sensibus quibus pura vtebatur natura omnino conquadrari non possunt: & omnem huius corruptionis experientiam illius iocunditatis purissimæ vbertas exuperat: & ne auditui desit, quæ demulceat, melodia, superne in ramis cedrorum vel aliarum arborum philomena vivax psallebat, & psittacus, & multiplici concinentium avium sono vna erat consonantia: quorum hilaris universitas laudabat secundum modum suum auctorem suum, in voce exultationis iubilans creatori, blandiens homini, movens ad mulcendum eum naturalia organa, & originalis musicæ à Deo condita instrumenta. Gemitus turturis & columbæ huius temporis suspiria præsignabant. Aliæ singulæ volucres de statu præsentis vel futuræ Ecclesiæ præcinebant quasi quædam oracula: vel gaudium vel affectum quemlibet in suæ naturæ modo & ratione promentia. Nihil tamen triste, nihil lugubre ibi erat: vbi non varietas concinentium dissonantiam efficiebat: sed sive per arctas sive per amplas faucium fistulas circunflexiones iubilorum impellerentur, ascensiones & descensiones vocum convenientibus in vnum differentiis ad vnius puncti revertebant harmoniam. Fistula & sambuca & cætera naturam imitantia organa, quæ satis oblectant huius temporis auditores, tantum ab illius monochordi vivis & claris vocibus differunt, quantum quicquid aliunde scriptum est discrepat ab exemplari. Omnino minor est gratia in raucis follibus, & compactis calamis, sive in testudinibus concavis quæ humanum instauravit ingenium, quam in illis vivis instrumentis quæ artifex natura dictavit. Huiusmodi ad mensam protoplasti excubabant tibicines, tales cytharistas habet illa originalis antiquitas: & tamen corporalis hæc erat consolatio, non prædestinata fœlicitas. In Paradiso nec mimus erat, nec histrio. Alludebant sibi cuncta simpliciter, nec deceptoriis illusionibus simulatio personarum scenas comicas exprimebant. Non emolliebat ad lasciviam dissolutas animas sensualitas sauciata: neque extraordinarius pruritus carnalis affectus legitimos terminos transiliebat, intra præceptum se continens: & formam omnium à creatore descriptam certis regulis, intra metas præfixas motus voluntarius cohibebat, & quiescebat. & abundans in rationabili sufficientia non tabescebat æstuans in intemperantia infinita. Omnis quippe vsus intemperans fœda est & turpis abusio: & miserum facit quæcunque non impletur, & certis non vtitur ponderibus, & mensuris, & numeris quarumcunque rerum experientia. Ideoque effreni & dissoluto animo appetitus & visus voluptatum irruit in tormentum, quia vehementia & ingluvies intemperantiæ suppositis stipulis non sedatur, sed irritatur. Non sic ante prævaricationem homo corporalibus illis vtebatur deliciis, vt se vagabundus mergeret vsque in feces profunditatis: sed honesto & modesto accessu deliberans universa, præposituræ rationabilis honorabat dignitatem, & dominabatur affectibus suis moderatione discreta, non oppressione tyrannica. In his quæ ex parte aliqua luminatim tetigimus, visus, auditus, olfactus, gustus & tactus in virginitatis suæ integritate perseverantia, habebant lampades accensas, sine aliqua curiositatis amurca: & puro obsequio, venienti sponso cum luminibus omnium sensuum occurrebant agmina insopita. De lignis illis quæ in illo horto plantaverat Deus præter ea quæ diximus, multa iam spiritualiter restant intelligenda: quia ex quadam vicinia, sic sibi è proximo bona corporalia & spiritualia iungebantur, vt fere vnirentur: & tamen separatim, & proprie visibilia corpori, invisibilia menti destinata suis distinctionibus necesse est adaptari.

DVo tamen de omnibus lignis Paradisi geneseos liber commemorat, lignum vitæ & lignum scientiæ boni & mali: cum multa alia in illa sylva densissima non dubium sit fuisse: quia & lignum sapientiæ legimus, & aliis quoque arboribus nomina virtutum secundum suas efficientias minime defuisse nullo modo ambigimus. Nec nos materialem plantam illius Paradisi corporalis eradicare præsumimus, sed spiritualem fructum in visibili colonia metimur, & de oliuis fructum sumimus & liquorem. Et in gemmis quidem quæ inter glareas fontis illius Cardinalis voluuntur, & ad nos fluminum allapsu delatæ perveniunt plurimam esse virtutem experti sumus: ita & in arboribus quæ odore & sapore sensuum nostrorum consuetudinem excedunt, quis dubitet singularem inesse gratiam an diversarum causarum remedia: vt & lignum vitæ senectutis morbum cohibeat, & lignum temperantiæ ingluviei ardorem extinguat: ita & lignum castitatis ibi proculdubio erat, cuius esus ita poterat temperare naturam, vt non magis genitales corporis partes moverentur ad copulam, quam reliqua membra: quæ singula sine aliquo titillationis pruritu ordinatis accessionibus sua peragunt instituta. Hoc etiam in eiusmodi languore iam senescentibus & arescentibus causarum effectibus camphora satis efficaciter agitur: & sæpe olfacta vel hausta desiccat receptacula spermatum, & illius negotij instrumenta congelata corrugat. Hoc multa semina radicesque iam fere effœtæ efficiunt. Quanto magis virente mundo, & in Paradiso, cum omnia primitiui succi novitate & puritate fervuerent, occurreret non vnum quodlibet gramen, sed semen vel fructus obsequio hominis propter quem facta erant: & alia quidem secundum hanc, alia vero secundum aliam causam salutis incorruptibilitatis poculum suo propinarent Domino & cultori. Quod si Salomon ab hysopo quæ nascitur in maceria, vsque ad cedrum libani disputavit, & tot physici inquisitores naturæ per coniecturas vel experientias assequi potuerunt tam profundæ rei doctrinam, nunquid Adam qui fuit Dei, hoc potuit ignorare, cui ex imagine Dei & similitudine hæc erat gratia, vt omnis creaturæ sibi subditæ intelligeret rationem? Novit plane primogenitus ille omnium corporalium tempora-

A les vicissitudines: novit causas, & motus, & essentias, & effectus omnium quæ sensibiliter & visibiliter elementalis origo produxit, & materialis essentia enutrivit. Quia vero boni & mali scientia mentis affectio est nec corporis est scire bonum vel malum, sed singulare & proprium est animæ, res quidem videtur spectare ad naturæ & essentiæ suæ proprietatem, nomen vero rei id est scientia boni & mali ad spiritualem sensum & mysticam intelligentiam. Absit a fide Catholica, vt alicuius mali creatrix sit illa sempiterna virtus & divinitas. Procul explodatur illa Manichæorum dementia quæ gentem tenebrarum rebellem Deo, & nescio quæ diversa introducit principia. Procul Paterniani exeant, qui secretas & pudendas corporis partes à Diabolo, & non à Deo asserunt factas. Excludatur à sensu Christiano Menandriana impietas, & patriciana hæresis, quorum Menander Simonis magi discipulus, ab Angelis,
B & non à Deo mundum asserit factum: Patricius totam humanæ carnis substantiam Diaboli esse creationem mentitur. Nec Mambres nec Iamnes creatores fuerunt illorum serpentium quos Moysis serpens coram Pharaone absorbuit; sed diabolicis præstigiis, virgæ eorum quæ vtique Dei creaturæ erant, versæ sunt in dracones: sicut putris caro in vermes, vel combusta vertitur in cineres. Quis convertibiles neget corporales substantias, cum de carne tua propria lumbricos scaturire, & de veste tineas, & de sudoribus vel quibuscunque putredinibus, vel muscas vel pulices egredi videas? Acceleratus magorum effectus, & virgarum in serpentes conversio repentina, admirationi quibusdam est & stupori: cum mirum non sit de omni re, quæ fieri potest vtrum tarde an cito fiat: cum etiam quorundam hominum ingenia, ea sub omni celeritate constituant, quæ multo tempore ab imperitioribus & lentioribus vix fiant. Quanto magis illa diabolica subtilitas, quæ rerum effectus & causas ab antiquo cognovit, secretam naturæ virtutem in publicum trahere prævalet, cum aliquid de re occulta efficiendum est in quo
C hebetes sensus hominum ludificare possit, & à veritate avertere, vt seruiant creaturæ potius quam creatori, qui est benedictus in sæcula? Creatura quidem non nisi à solo Deo potest institui, qui nihil malum creavit, sed singula bona, & omnia valde bona. Et Moysis serpens, vere serpens fuit, quem cum placuit creatori, & de virga aptavit in colubrum, & rursũ reverti præcepit in virgã. Moyses vero neque auctor, neque creator, sed tamen illius miraculi minister fuit. Ita & columba quæ baptizato Domino super eum apparuit, vere columba fuit, & peracta dispensatione propter quam ad negotij illius ministerium deducta est, iterum ad naturæ illius formam de qua assumpta est, subito est reversa. Ita tres Angeli quorum Abraham pedes lauit, quos etiam de panibus quos Sara parauit, & de vitulo quem coxerat ipse Abraham, legimus comedisse, non in fantasticis, sed in veris apparuere corporibus: quorum functio vt acta est non evanuit, sed est in se reversa assumptio. Hanc formam intelligentiæ custodiri oportet, quotiens per verba, vel visibilia signa loquutus est Deus vel ad Adam in Paradiso, vel ad prophetas: vt scias vbicunque est vox, ibi esse & corpus: nec tamen quotiens loquutus Deus per corporalis ministerium creaturæ, verbum æstimes incarnatum: sed sicut diximus, dispensatoria & perfunctoria erat illa corporalis & personalis assumptio, non essentialis naturarum vnitio. Longe digressi sumus, occasione hæ-
D reticorum qui Deum vel alicuius mali factorem, vel alium quemlibet mali astruunt creatorem: vt aliud principium, alium artificem vel conditorem ex sanctarum auctoritate scripturarum emulgeant. Lignum scientiæ boni & mali malum non erat in sua natura: nec fructus vel ante prohibitionem, vel postea, noxius fuit: sed ideo sic nuncupatum est quia in illa prohibitione experimentum obedientiæ positum est cuius obseruatio bonum, prævaricatio malum esset. Scientiam quidem mali ante peccatum homo non habuit,

Gen. 1. Exod. 4.

Matt. 3. Marc. 1. Luc. 3.

Gen. 18.

E id est nesciuit quantum malum esset non obedire Deo, sed docuit eum propria confusio & pœna peccati quid esset peccatum. Si enim pœna transgressionem non sequeretur, & idem esset iustitiæ & iniustitiæ stipendium, nulla esset ratio, qua timeretur vel amaretur Deus. Nulla omnino timoris causa esset, si non inobedientia puniretur: nulla dilectionis ratio, nisi amantibus copiosior gratia redderetur. Sciebat Adam non esse violandum mandatum Dei, sed facilem indulgentiam æstimabat non expertus iram vel iudicium, quia nondum severitatem vel supplicium. Oportebat omnino vt ibi statim in primis parentibus rigor inciperet disciplinæ, ne facilis venia in contemptum Dei filios Adam genus humanum erigeret, & creatura prævaricans & inhonorans Deum, non esset in gloriam, sed in contumeliam creatori. Poterat homo ex peccato
F Diaboli cuius deiectionem non ignorabat, considerare districtionem iudicis, & ex illa irreuocabili sententia quæ illum malignum à spe misericordiæ excluserat, simile formidare iudicium. Insani cerebri est, & amnu delirantis ibi te tibi polliceri veniam, vbi tu prouoces iram: in eodem articulo temporis sperare de clementia, in quo contemnitur gratia, & conculcatur iustitia. Qualecumque sit vinculum vel fœdus societatis humanæ, rumpenda sunt omnia quæ consuetudo alligat, vel natura, ne offendatur Deus. Non est ista Christiana pietas, quæ nos, divinæ obedientiæ auctoritate contempta, in carnales inclinat affectus. Propter coniugij gratiam, & complexus vxorios, relinquit homo patrem & matrem, & sunt duo in carne vna: non tamen deseri etiam debet Deus qui spirituali connubio universum Ecclesiæ corpus in vnitate fidei & charitatis compactum, ex coniugio & continentia & cœlibatu vnum instaurans corpus & spiritum, vt celebret sibi nuptias modo in spe, in regno vero suo in ipsa veritate disponit. Scandalizauit Adam oculus suus, id est persuasio coniugis quem vtilius eruisset & proiecisset à se, quam blandimentis fœmineis remisse obtemperans illa peremptoria consilia intelligeret. Nec
G erat immemor præcepti vel pœnæ, quam, si transgrederetur, ei Deus fuerat comminatus: sed nescio qua spe de Dei clementia præsumens, exiguitatem, non pondus pensabat præcepti. Nec vsquequaque mortem verebatur, quam non attigerat: nec forsitan se aliis bonis priuandum putabat, quia neque calamitatis secuturæ ordinem illa prohibitionis & comminationis sententia continebat. Comedit de fructu interdicto, & facta est arbor illa sciendi bonum & malum occasio vnde & ipsum lignum nomen accepit antequam illud tangeret homo, non quia in ligni natura boni esset vel mali scientia, sed quia in transgressione mandati quod de ligno erat, futura erat vtriusque rei experientia. Et illico sensit homo quod ante non senserat: sensit malum concupiscentiæ, & pruritum membrorum rebellium: obscœnos, & non voluntarios carnis appetitus & motus: & sciuit quantum interesset inter libertatem & pacem carnis spiritus, in qua fuerat, & controversiam eorundem, & stimulos titillatorios, quibus pungentibus & vrgentibus moribundos & fermentatos artus, languens anima desudabat. A facie insipientiæ suæ longe factus est à sanitate, miser & incuruatus, putres & corruptas cicatrices illusiones lumborum plorabat, & cucurrit ad folia ipse iam folio quod à vento rapitur, sinulis & contextis succinctoriis. Abscondit carnes enormes, &
H operuerunt tam ipse quam mulier iam ardentibus intus libidinum carbonibus, horrendas visu sordium officinas. Et cum eadem prius membra essent, pudenda non erant, quia nihil inhonestum erat in corpore, sed habebant omnia membra in suo ordine congruam dignitatem, venerabilem speciem, vsum rationabilem, modestiam competentem. Omnia intra modum: nihil contra voluntatem, nulla Lex dissentiens: omnia quieta & pacifica tam ipsum creatorem, quam ipsam creatam honorabant naturam. Vere, sicut serpens

prædixerat,

A prædixerat, aperti sunt oculi eorum ad propriæ confusionis cognoscendam miseriam, non ad illius præsumptionis qua dij esse affectaverunt, gloriam contuendam. Viderunt se, & erubuerunt, & indignos se iudicantes divinis aspectibus, non quasi latere possent vel effugere iudicem, sed quasi rei & iam in pistrino propriæ conscientiæ deputati ad molam, sese in aliquibus recessibus timidi absconderunt. Hoc solum verum in omni illa persuasione diabolica fuit, quod aperti sunt oculi eorum, non ad id quod ille promittebat, sed ad id potius sentiendum quod suggestor mentiens intendebat: qui eis quasi successori, parricidali odio invidebat. Hic illius Philosophi non incongrue aptatur sententia: Insidiosissime, inquit, nocet, cui gratiæ aguntur pro iniuria. Mendax in reliquis omnibusque pollicebatur, & detestatione dignissimus, ad illud verbum, quo eos nequaquam mori, sed sicut Deos futuros asseruit, statim & agnosci, & repelli rationis indignatio- B ne debebat: sed facilem accessum ad cor fœminæ illa habuit promissio quæ iam ambiebat propriam potestatem, excusso à ceruice sua creatoris dominio. Quod si superba præsumptio iã in mentẽ eius intrauerat, prius hæc superbiæ quam inobedientiæ rea convincitur. Hoc aliqui tractatorum senserunt: sed ego pro modo meo ita hunc locum accipio, vt superbiam & inobedientiam eodem puncto concludam, nec ante gustum pomi in elationis motu Evam contabuisse prætudicem. Vere qui in vno offendit, est omnium reus, & vbi mater virtutum charitas læditur, vniversitas bonorum quasi præcisa radice siccatur. Septem spiritus nequam simul cohabitant, nec facile est alterum auelli ab altero, sed forsitan idem ipse est qui secundum plures malitiæ effectus diversis nominibus nuncupatur. Spiritus quoque Sanctus dicitur septiformis, cũ non sit nisi vnus: quia vbi timor castus, ibi est pietas, nec pietati potest deesse scientia, vbi vero est scientia, nõ deest continuum, & consilio cõ tantia, & fortitudo accedit. Sic intelligitur, sic amatur sapientia Dei quæ est verbum patris, vbi humilitas mansuetudinem, mansuetudo compunctionem, com- C punctio feruorem, feruor benignitatem, benignitas puritatem, puritas exprimit pacem. Vide apud Prophetam omnes impietates & iniustitias simul in eodem articulo pœnitentibus condonari, & negligentibus & reversis ad vomitum, etiam condonata requiri. Omnis quippe superbus consequenter est invidus: quia propriæ excellentiæ appetitor semper est alienæ felicitatis detractor. Ita prudentia quæ in bono est, sine temperantia nulla est: & quicunque intemperans est nec de fortitudine gloriari potest, nec de iustitia. Vnum est corpus virtutum quod nec schisma scindit nec hæresis, & vniversitas gratiarum ex radice pullulat charitatis. Fundamentum & origo est omnis malitiæ superbia: & licet ipsa omne vitiorum vulgus parturiat, sic tamen habet in se vnita & coëssentia sua genimina, vt absque sua sobole nihil omnino efficiat, nec vnquam possit solitaria inveniri. Superbiuit, & in eodem momento inobediens mulier fuit: nec æstimanda est temporaliter hæc inobedientiæ successio cũ eadem sit & indivisa vtriusque connexio & origo. Adulterini surculi lasciviente radice nonnunquam contextos simul manipulis exurgunt: ita vt virgulas quidem discernas numero, sed in- D crementi non videas rationem. Vnus sapor viti & palmiti: vnus color carni & corpori: vnus odor ligno & cortici: & omnibus membris humanis, licet sint valde diversa, & multiplex eorum sit actio, vnum tamen principium & indivisa creatio. Vnum venenum diversas efficit passiones, & eadem diffusio frenesim quæ apoplexiam creat: & quosdam quidem eadem tabe subito intercipi & emori videas, quosdam vero diu languere. Duo promissa sunt mulieri, immortalitas & divinitas: neutrum provenit, sed iumentorum conditio, & hominum sub vnius similitudinis comparatione & damnatione promulgata censetur. Ecce Adam in cuius faciem insufflauerat Deus, quasi omnes sensus quorum ibi sedes est, & domestica cathedra, purificans

E & fœcundans, ob mali irrationabilitate oculos & aures & reliquos sensus ad inferiora repressit, & auertens à spiritualibus divinum intellectum, ventris animal inferioribus membris degeneri paruit famulatu, & sensit caro nudata virtutibus caumata & algores: sensit vacuus spiritus putredines & fœtores: sensit inanis gloria miserias & dolores. Sic ille idem serpens ausus est in altero Paradiso non deliciarum, sed abstinentiæ aggredi saluatorem: persuadens vt panem de lapidibus faceret, vt se de pinna templi deorsum mitteret, & vecordi dementia vt se dæmonem procidens adoraret. Christus vero qui non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed cum in forma esset servi vsque ad præfinitum tempus à patre, cum esset Deus omnium, seruilis terminos non excedens, vitam animæ vitæ corporis præponendam, nec gloriam nec potestatem mundi huius expetendam edocuit, & proprio exemplo quam facile, si patientia prætendatur, Sathanas repelli possit, F mansuetissimus magister ostendit. Ad primum sibilum ille primus homo contabuit: de quo post peccatum & damnationem iustissimam quasi insultans & increpans Deus dicit, *Ecce factus est Adam quasi vnus ex nobis sciens bonum & malum.* Hoc schema in scripturis sanctis Ironia dicitur, cum figurata locutio personam vel exprobrantis vel indignantis assumit. Vnde Apostolus, solidatis post resurrectionem corporibus, & carnis stimulis consopitis, quasi iam intuens quod futurum erat, exprobans morti clamabat, *Vbi est victoria tua? Vbi est mors stimulus tuus?* Deridebat Apostolus mortem, quæ gloriabatur quasi victrix occiso saluatore, & posito in sepulchro. Et quia in generali resurrectione ipsa mors destruetur, applaudebat illi victoriæ, & mortis defectui insultabat. Ita per hanc figuram, Hierusalem Civitas sancta, cum iam in mortem Domini conspirasset, per Isaiam vallis visionis invectiue dicitur, vtitur in multis locis hoc genere locutionis sancta scriptura. Vnde de Adam dicit Dominus, *Ecce Adam factus est quasi vnus ex nobis sciens bonum & malum.* Æternitatis honor & omnipotentiæ ad patrem, sapientiæ & hæreditatis gloria transfertur ad fi- G lium, ad Spiritum S. bonitatis insigne. Secundum quas differentias, Trinitatis similitudinem, naturæ humanæ integritas exprimebat. Nunc autem sciens maiorum actione, quod vitare poterat ratione, priuata est æternitate & potentia, hæreditate & sapientia, bonitate & iustitia, & à ligno vitæ longe proiecta, donec satisfactione condigna expiaretur admissum, & inobedientiæ scelus, malumque superbiæ, veræ humilitatis pœnitentia expurgaret: Ac si diceret Deus, voluit Adam esse sicut Deus, discat ex pœna & miseria quid tanta præsumptio mereatur: experiatur, excludatur à loci huius amœnitate, & experiatur quantum distet inter bonum & malum. Non possum satis mirari ad illius tentationis fallaciã, & ad verba mendacij tam cito animum hominis inclinatum. Sciebat homo quia in animalibus vel reptilibus nullum erat secum particeps rationis. Nouerat quippe naturas omnium, quibus & propria aptauerat nomina. Adduxerat quippe ad Adam Deus, omne illud viventium genus: in hoc ipso ostendens subiectam sibi omnem irrationabilem creaturam quæ sibi quasi domesticum peculium præsentaretur, vt H videret ipse superior & dignior & infra se plebem illius generis obtemperantem sibi, Deo iubente, concorditer: quæ etiam quasi propria mancipia, sciens vsum omnium, vocaret ex nomine. Hoc est enim scire & vocare ex nomine, propria officia & mores intelligere singulorum. Mugiebant, vel rugiebant, vel hinniebant in genere suo: & secundum naturæ suæ proprietates, dabant signa, vel sonos, vel motus, quibus posset eorum affectus intelligi: Verbum solius hominis erat. Et si aliquando Deus voce humana loquebatur, non pertinebat ad eum curiose inquirere quomodo loqueretur, cum de loquente non dubitaret quia Deus esset, & posset loqui vt vellet. Qui enim homini dederat verbum, poterat quod suum erat,

Matt.4. Philip.2. 1.Cor.15. Isaia 22.

cum

A cum volebat, capere, & formare in quolibet corpore.
Nunc autem serpens qui contra naturam & blasphe-
mans Deum, loquebatur, vtique ex Deo non erat, sed
contra Deum Auctor & inventor idololatriæ iam plu-
res Deos futuros docebat, & seminabat errorem quos
per multitudinem falsorum numinum vna & vera igno-
raretur divinitas. Nunquid Sathanæ præsentia illi no-
tuit fœminæ: quem forsitan putauit verum dicere,
quia hoc audiebat quod volebat. Solemus quippe cito
credere, cum id nobis consulitur quod optatur. Quod
si Adam, vel Eua scientes Diabolum esse qui persona-
liter in eorum auribus erat, contempto Deo perni-
ciosissimis sese consentaneos tradidere consiliis, hic
non tantum scelus inobedientiæ, sed & idololatriæ, fide
abnegata, intelligo. Idololatria quippe est, cum quis
vel se ipsum Deum, vel alium quemlibet propter
vnum Deum constituit. De serpente enim dubium
esse non poterat, quin illa verba ex sua non proferret
natura: nec erat inter omnes creatura Dei aliqua ra-
B tione prædita, persuadendi, vel consulendi, vel ratio-
cinandi habens scientiam vel potestatem præter so-
lam Angelicam & humanam. Constat itaque non
ignorasse mulierem quia vere ei Diabolus in serpente
loquebatur: sed appetitu liberæ potestatis oppressa,
quia sine Dei dominio esse voluit, eum qui contra
Deum & ad voluntatem suam loquebatur, libenter au-
diuit. Confuse aliquando viri & mulieris nomina posi-
ta sunt propter corporis vnitatem, & peccati similitu-
dinem: Adam tamen non ex Diabolo, sed ex muliere
verba illa audiuit, quibus nec restitit, nec contradixit:
& licet forsitan non crederet quod Diabolus vel mu-
lier suadebant, ausu tamen nefario sese illi action.
communicauit. Senserunt quidam serpentem illum non
verbo, sed signo aliquo prævaricationem illam homi-
ni intimasse: sed hæc sententia diversum à re gesta
exigit intellectum. Alij nec Diabolum fuisse in Para-
diso affirmant, nisi eo modo, quo vagis & incon-
stantibus motibus tentationum immittit incendia, quas
ideo incendere, vel exagitare dicitur, quia cum cor-
pus eius omnes reprobi sint, ipse vero caput, non
C potest diversa eorum esse actio quorum eadē est volun-
tas. Et hoc opus nihil aliud est quam malitiæ consensus
& vnitas: per quam communicationem quod nos male
agimus ille agens dicitur, & quod ille facit, nos me-
diante assensu efficimus, sicut in morte Christi quod
Diabolus, quod Iudas, quod Iudæi, quod Pilatus fe-
cerunt, vicissim & simul ab omnibus actum est: &
antequam commemoraret Evangelium quod intraverit
Ioan. 12. in cor Iudæ Diabolus, legitur *quia fur erat, & loculos
habebat.* Vnde & de hac vnitate maligni hominis &
dæmonis scriptum est, cum maledicit impius Diabo-
lum, maledicit animæ suæ. Nullum vero inconveniens
Eccl. 21. est si Paradisum permittente Deo Diabolus intrauit,
cum apud Iob, inter filios Dei legatur astitisse, & in
regnorum libro circumstante S. Angelorum exercitu ad
decipiendum Achab spiritus mendax sedēti in solio se-
ductionis suæ obtulerit famulatum. Nec desunt qui alle-
Iob. 1. goricis legibus per serpentem delectationem, per mu-
lierem sensum, per virum mentem accipiat: vt cum
delectatio sensum commouerit, mens vero carnali sensui
3. Re. 22. acquiescens delectationis gustum acceperit, de gloria
Paradisi, id est ab omni bonæ conscientiæ quiete &
pace homo foras pellatur: nec iam ad lignum vitæ ei
D reditus pateat, nisi per misericordiam Dei Cherubim,
qui est plenitudo scientiæ, infatuatum peccatorem re-
ducat ad sapientiam, inflammans cor eius ad pœniten-
tiam per quam solet variari & mutari vltionis senten-
tia, & possunt morti destinati ad lignum vitæ reverti.
Iam de sententia expulsionis & maledictionis aliqua
essent dicenda, sed de fonte & fluuiis qui ex eo procedūt
prius pauca tangenda sunt, ne tam tanti Sacramenti
subterfugisse videamur: non quod singula quæ vsque
ad Abel & Cain circa Adam acta sunt, susceperimus
exponenda: sed quia capitulis quæ proposuimus, ita
circumstantes cohærent sententiæ, vt ea ipsa quæ lo-

E qui volumus, quasi multitudinem conuiuarum, affines
intellectus ad mensam nostræ dictationis invitent, &
intrare compellant.

NOn statim post prævaricationē eiectus est homo
de loco voluptatis, sed cōscio sceleris nihil deliciæ
Paradisi conferebant. Tota enim nostra non in loco, sed
in mente est gloria: quia non fœlicem facit locus, sed
vita. Quæcūque prius subditam Deo animā delectabāt,
in tormentum versa sunt transgressori: tum quia sciebat
se cito amissurū, nec sibi posse stare quod stans ipse pos-
sederat: tum quia quicquid sine Deo potest de tempori
bus affluere, non implet possessorem, sed semper vacuum
& inanem, quantuscunque sit nebularū globus, vtrem
dimittit. Et hic expertus est homo quam longe esset à
deitate quā cupierat, quia iam in latebris nudus quasi
miseriæ & turpitudinis suæ operimentum mendicabat.
F Sane nulla purpura, nullus regiæ dignitatis amictus,
illius dignitatis quæ ante peccatum erat, imitari potuit
gloriam. Honestas quippe non egebat diploide: sicut
hodie non honestatur, sed celatur turpitudo, quantilibet
precij superducto velamine abscondatur. Absente Deo
vere à corde suo misellus pauebat & conturbabatur, &
non tā in amaritudine pœnitentiæ, quam in stupore mē-
tis, & rationis extasi tabescebat. Dilata est aliquantulū
sententia nec dum conclamatum erat: quia oportebat iā
tunc legis formā divino exemplo conscribi, & ante iu-
dicium in causis humanis, accusationis & defensionis
locum non præripi, sed datis aliquibus induciis, suspen-
sa interim sentētia, ij quibus distrusio pragmatica incū-
bit in medio actionum suarum monimenta producant.
Aut confessus, aut cōuictus necesse est, seruato antiquo
ordine, ille sit qui puniatur. Et in hoc quoque pietas di-
vina humanis providit erroribus: ne festinatio, vel impe-
tus, aut ira in rebus inexaminatis veritatē opprimerent,
& innocentē aliquē à rationis intuitu caligātibus æsti-
mationibus condemnarent. Arescebat Adā præ timore
& expectatione iræ, & reuelatio iudicij imminens mise-
ram animā affligebat. Iam non loci temperies, nec prata
vernātia, nec obumbrantia nemora, nec ligna fructifera,
nec aromatica gramina: non melodia vocum, non odorū
fragrātia, nec fontis illius saluberrimi viuacitas demul-
G cebat, sed totius dignitatis suæ immemor cæteris rebus
vacuus, oneratus cōtumelia, etiam pecora formidabat. Et
de animalibus, quod eis nomina imposuerit dubium non
est: de cæteris vero nominibus rerū primordialium quæri
potest, vtrum ab Adam, an à Moyse inuenta sint. Ego
æstimo Adam illis fluminibus quæ in quatuor partes ab
illo fonte divisa emanāt, aptasse vocabula: quorū primus
est Physon secundus Geon, tertius Tygris, quartus Eu-
frates. Nec ratio nominum latuit inventorem: & intelli-
gebat, cū in honore esset, rei profundæ mysterium, verū
*corpus corruptibile* iam *aggrauabat animam, & terrena
inhabitatio deprimebat sensum multa cogitantē*, & vaga
mens iam non vacabat Deo, sed per tumultuantiū pela-
gus discurrebat. Neque iam creatorem per se, neque ea
quæ facta sunt excæcatus cōsiderabat, sed inter passio-
nes & stimulos quibus pungebatur, anxius anhelabat.
Ipsa nomina fluminū quorū auctor, & interpres extite- Sap. 9.
rat, possent compungere miserū: & vtinā spiritū contri-
bulatum, & pœnitentiæ humilitatē pro sacrificio obtu-
lisset, & erupisset de corde eius fons lachrymarū irrigās
universi corporis ariditatē in satisfactionū fluenta dis-
currens. Non declinasset superbus & vanus in verba
malitiæ, nec excusationes in peccatis quæsisset, sed pro-
nunciasset adversum se iniustitiam suam: & forsitā pec-
cati remissionem impetrasset. Sed reprobam animam iā
serpens tanquam cinerem manducabat: repebat quippe
iam in pectore & ventre illius terreni & animalis, &
quæ Dei sunt non attendentis. Quod si ipse serpente Ps. 104.
absorpto, vel per remedium confessionis illuso, oc-
currisset ad fontem misericordiæ, lotus redisset ad iu-
stitiam, recepisset fortitudinem, amplecteretur tem-
perantiam, invenisset prudentiam. Hæc enim sunt in-
tellectualia flumina, de charitate Christi qui est fons
viuus, emanantia. Physon igitur primus fluminum

A prudentiam significat, & ipse circuit omnem terram evilat: ibi est aurum optimum, & lapis prasinus, & carbunculus. Physon intelligitur oris commutatio: evilat, parturiens vel dolens. In primis constitui oportet quid intellectualis Paradisus sit: deinde quid fons ille, postea vero quid flumina quatuor, ut intellectus rerum cardinibus, & quasi per quosdam alveos fluminum narrationis ordine profluente suis limitibus singula coarctentur: ne forte deliciarum & voluptatis materia si confuse tractetur: quod in propria natura est appetibile, imperitia fiat tractatoris odibile. Corporalem, & spiritualem, & intellectualem Paradisum esse quicunque sanctarum scripturarum diligens inquisitor est ex ipsis intelligit: & corporalem quidem in loco, spiritualé vero in anima, intellectualem vero in Deo, ratione & auctoritate discernit. B In corporali, quod Eden dicimus, positus est homo, facta est mulier: & benedictio & maledictio in eodem loco, pro ratione causarum in humanam promulgata est naturam. Ibi potuit diabolus & tentare, & vincere hominem: & multo robustiorem postea expertus est Iob, scatentem vermibus, *Iob.2.* sedentem in stercore, quam illum Adam in loco voluptatis constitutum, manente integra & substantia, & persona. Nec deerat etiam Iob linguæ fœmineæ stimulus, sed trivit mens solida nugas uxorias, & increpatione modestissima præsumptionem muliebrem virili dignitate coercuit. Erat utique in Paradiso mentis imputribilis inter virtutum delicias, & bonæ conscientiæ gloria nulla ulcerum sanie poterat inquinari. Non enim sedebat Iob, nec ad occultandam plagam suam diversorium quærebat, qui in arce virtutum pro tribunali sedens, de cunctis labentibus iudicabat: nec pavebat à facie Dei, coram quo de innocentia gloriabatur, & interrogatus securissime respondebat. Adam longe aliter se habuit in Paradiso & ubi omnia cooperabantur profectui, ipse nec percussus nec attritus defecit, ut C disceret instruata posteritas ex languore & ærumna, quia nulla sine Deo potest esse fœlicitas, nulla sanitas, nulla pax, nulla integritas. Bona quidem & iocunda erat loci illius voluptas, sed sine creatore manere non poterat, sine quo nec Angelo fulcimentum, nec homini decorum in tantæ excellentiæ gloria ulla potuit esse stabilitas. Quod si peccati radix non germinasset in homine, nec diffusa tabes agrum huius propaginis occupasset, locus ille corporalis ita omnia commoda colono suo ultro largiretur, ut nihil omnino deesset extrinsecus, si Spiritus sanctus in corde, quod proprium est domicilium eius, maneret intrinsecus. Sapor enim omnium illarum deliciarum, & tota illius gratia incolatus ex superna constabant dulcedine, & ipse totius illius voluptatis temperies erat & condimentum. Tradunt nonnulli doctorum Heliam & Enoch ibi à Deo translatos illa miseriarum experte affluentia vivere & quiescere, donec in extremis diebus perdito homini, in quo omnis plenitudo diabolicæ virtutis habitabit, pro testimonio D veritatis morituri occurrant. Aliqua in superioribus de loci huius amœnitate, quantum nos, quorum conversatio tota in amaritudine est, sentire possumus, descripta sunt, & ut verum dicam tacta sunt, non definita. Nunc de spirituali Paradiso, ut aliquid etiam tangamus urget promissio. Hortus iste deliciarum intus in anima est: hæc pax, hæc fructificatio intus in spiritu, ubi lignum vitæ est charitas, & lignum sapientiæ, intellectus Dei: & ubi est lignum scientiæ boni & mali, veritatis & falsitatis discretio: ubi est lignum iustitiæ, sua cuique reddens rationabilis & ordinata distributio. Omne illud virgultum virtutes fructificat, & producit charismata, & quasi surculæ palmitum baiulæ, sunt ibi quædam sustentacula, quibus variis onusta incumbit, & famulantur sibi, & ad invicem gemmina illa gratiarum subserviunt. Abstinentia castitati obsequitur, innititur orationi devotio: in timore humilitas, & in amore mentis puritas renitescit. Nihil vacat in vinea sanctitatis, ubi nec folium cadit, & omnis pampinus aliquis est gradus iustitiæ: ubi etiam vimen in vite, hoc est quod tota in lege. *Lex per Moysem data est*: Evangelium per ipsum verbum Dei expositum legi ... *Ioan.1.* tributa, quod volumina crediderunt: tam longe & late E palmites extenderunt. Scripturarum propagines ... mundi climata impleverunt, & de fructu doctrinæ S. plena eructat Eccles. Ad has arbores præcidendas diu scrutantes scrutationes laboraverunt hæretici, sed plantatio cœlestis vexationibus non defecit, sed crevit: decorticaverunt ramos, folia combusserunt, sed elisis fructibus vel ipsis etiam ad solum arboribus dirutis, radix illæsa, & vivacior persevans multiplicius pullulavit, nec est ex præcisione imminuta, sed aucta. In pace confessio, in tribulationibus claruerunt martyria, & sæpe sessus persecutionum vomere ager dominicus copiosiorem reddidit segetem. F In contemplatione Dei, carnalis mens, corporis abstersa rubigine, elimata & defecata profecit, & fructus uberes spiritualis cultura de exercitatione religiosa produxit. In Paradiso animæ, in horto bonæ conscientiæ, in munditia cordis, pax Dei gaudium parturit, & pura fides, in veritate quiescit. Iustitia disponit omnia suaviter, temperantia moderatur concorditer, sapientia docet, fortitudo corroborat, oratio mundat, abstinentia omnem labem deficcat, spes confortat, humilitas regnat, patientia imperat. Hæc in illis beatitudinibus quies vel gloria animæ, sinus est ille Abrahæ in quo dives ille Lazari animam vidit, *Luc.16.* vel illa fœlicitas quam latroni Dominus de cruce promisit. *Luc.23.* Quidquid videt oculus, vel auris audit, vel in cor hominis ascendit, non est illa quies quam diligentibus se Deus in vita æterna pollicetur. Odoramur tamen pacem illam, quæ omnem superat intellectum, & infra est, quidquid vel æstimari valet, vel compræhendi. Nec locus est, nec color, nec sonus, nec odor quicquid illud est, nec tangitur, nec videtur: sensus carnis G corporeis dimensionibus vallatur & clauditur: & tantum in crassitudine suæ naturæ volvitur & moratur. Ipsius quoque spiritualis acumen naturæ licet subtilissimum sit, reverberatur tamen superioris lucis splendore, & nihil omnino potest præter illam solam Dei sapientiam quæ à fine usque ad finem attingit. Ideoque in creatura nulla potest esse plenitudo beatitudinis effectum: & cui aliquid deest, nullum efficit consummatum. Nullus corporeus locus, nullus incorporeus spiritus ex propria natura plenas habet delicias: quia plenitudo totius est, non partium & necesse est ut omnis pars minus continens ad fundatorem suum recurrat, in eo finem figens, à quo habet initium. Hic occurrit quod idem Apostolus dicit se *raptum usque in 3. cœlum, & audisse arcana verba, quæ non licet homini loqui. Nescio* inquit, *Deus scit sive in corpore sive extra corpus.* *2 Cor.12.* Raptum se scit, sed de modo dubitat, de quo omnino non ambigeret, si alterum possibile, & alterum impossibile videretur. Nunc autem, quia & cum corpore potuit rapi, potest intelligi corporalis Paradisus etiam in cœlo: licet quasi diversa & cœlum posuerit & Paradisum, quod si eum raptum in corpore diceremus, necesse est ut cœlum H illud corporeum intelligamus. Si vero in spiritu, iam non locum, sed aliquam intelligibilem tranquillitatem visionis divinæ accipimus. Deinde præter totam Christi personam quæ primitiæ dormientium surrexit, *1.Cor.15* unus inter mortuos liber de nullo manifeste scripturæ tradunt canonicæ, quod iam duplicia in terra sua possideat: *Esa 61.* vel quod corruptibile hoc ante generalem resurrectionem, induat incorruptionem, vel mortale immortalitatem, *1.Cor 15* ut taceamus modo de ipsa theotoco, vel de his qui cum Christo resurrexerunt: quam & alia est, & nodosissima quæstio: de Paulo quantum possumus, quod cœpimus, persequamur. Certe cum hæc scriberet, in carne erat, & in ea carne de qua alibi scripserat: *Sentio aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.* *Rom 7.* Et post cætera. *Infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius.* Et datum sibi stimulum carnis suæ, *2.Cor.12* Angelum satanæ colaphisantem se ipse testatur. Quomodo in corpore rapi potuit sursum, nisi forsitan eo modo quo raptus est in Babylonem Abacuc à Iudæa, *Dan 14.*

A *Act.8.* vel Philippus de Azoto in eunuchi occursum? quod si aliquid huiusmodi à Deo contra naturam fit, res miraculi est, & virtutis, nec debet in illa æterna ratione quæ voluntas Dei est aliquid humanæ rationis ausus detrahere. Potuit tamen illa Pauli temporalis, immo momentanea assumptio eo modo fieri, quo transfiguratus est Christus præsente Petro & Ioanne & *Mat.17.* Iacobo, quando Moyses & Helias etiam ipsi glorificati visi sunt cum eo. Passibilis quidem adhuc erat Christus, & ante resurrectionem resurrectionis gloriam ostendit discipulis non solum suã, sed eorum pariter qui assistebant. Ita potuit Paulus configuratus ad horã illi gloriæ quam prædicabat, & in similitudinem spiritualium corporum quæ resurrectio reformabit, sine sensu alicuius infirmitatis, sana & purgata tota natura ad tempus sursum transferri, vt videret & audiret aliquid amplius præ participibus suis, qui plus omnibus in periculis & diversis laboribus ædificans Eccl. desudabat. Et sicut Pe- *Mat.14* B tro adhuc mortali mare fuit calcabile: ita potuit Paulo in corpore cælum fieri penetrabile. Si vero Paulum raptum in spiritu dicimus, iam nulla est quæstio: Quoniã vere omnem corpoream & spiritualem creaturam in cõtemplationem Dei transgrediens fixus, & in creatore quiescens, nec infra manere vir plenus Spiritu S. nec transgredi maiestatẽ præsumebat. Ascẽderat quasi duas scalas, rationabiles creaturas, & per ea quæ facta sunt, ad creatorem quasi ad tertium cælum peruenerat. In ipso quippe intellectualem Paradisum esse credimus, ad cuius gloriam in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi ad sonum novissimæ tubæ occur- *Ephes.4.* rentes resurgemus, & sic semper cum Domino erimus. Corpus humilitatis nostræ illi divinæ configurabitur claritati, & regem in decore suo in splendoribus *Philip.3* sanctorum fides Christiana videbit: immo neque fides, neque spes, expectationis dilatione ibi languebunt, cum regnum solius apparuerit charitatis. Ibi nihil per speculum, neque in ænigmate, sed facie ad faciem illud summum bonum videbitur, & cognoscemus sicut & *1.Cor.13.* cogniti sumus. Videbitur Christus, intelligetur Deus, implebit corda omnium Spiritus S. Comprehendetur modo incomprehensibili Trinitas, & arcana divinita- C tis universæ patebunt Ecclesiæ. Cessabunt ministeria Angelica, nec opus erit legationum discursu, cum civitate Dei perfecta & electionis universitate intus collecta, & omnia omnibus existente, tunc vere in cubito omnia fuerint consummata. Vna erit omnium lingua, iubilatio indefessa, vnus affectus, amor æternus. Vnum erit gaudium, de stabilitate securitas: vna erit pax, sufficientiæ æternalis tranquillitas. Patebit veritas, implebit charitas, & erit integra corporis & animæ sanitas. Fulgebit sicut sol glorificata humanitas: quieta erit & concors spiritus & carnis societas. Angelorum & hominum vnum erit consortium, vnus panis vtriusque & vnum convivium. Non languebit Amor: non liquefiet dilectio: præsentibus omnibus bonis, nulla erit dilationis afflictio. Inebriabuntur ab vbertate gloriæ illius patris benedicti: satiabuntur à multitudine dulcedinis omnes electi. Non erit eversio mentis illa ebrietas, sed oblivio ærumnarum, & lætitiæ sanctæ perennitas. Nec erit grauis aspectui lucis illius immensitas, immo tota erit illius summa beatitudinis, quod intelligitur D in suo puro esse sincera divinitas. Videbitur & cognoscetur, intelligetur & amabitur Deus: & hæc visio vel cognitio, intellectus & dilectio tota erit illius fœlicitatis perfectio: quoniam gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei sed in laudibus tuis humanæ linguæ succubuere præconia: nullus stylus, nullus te expressit affectus. Magnum est quicquid in te oculus corporaliter videt: maius quod sapit spiritus: amplius quod percipit & fruitur perspicax intellectus. Videt in te oculus carnis omnem materiam: longe aliter videt spiritus, materiæ rationem & causam: omnino dissimiliter, purgata mens ipsam intelligit veritatem. Spiritualis quippe visio vtitur ænigmatibus & figuris, & per quasdam similitudines animum circunducit: mens vero ipsam rem sicuti est, absque aliquibus phantasiarum simula- E chris ad liquidam intuitu mundo intelligit. Vidit Balea- *Dan.5.* sar articulum manus scribentis in pariete: & quod viderat spiritu retractans iam aliter in cõgitatione conspexit. Sciebat & videbat intus per spiritum, quia quod ostensum fuerat visibiliter, rei arcanæ signum esset, quam vtique nesciebat. Adductus est in medium Daniel qui spiritu Prophetico mente vidit, & quid sibi vellet visio, protinus intellexit. In illo regno licet totum quod ibi est, sit honor & gloria: gloriosior tamen & dignior præ omnibus iste est intellectus, & hæc est visio Dei implens & satians cor hominis. Ipsa est tertium cælum, tertius Paradisus. Ibi est finis, ibi est vnitas, atque idem finis, quia nulla diversitas. Non erit in illa pace linguarum varietas, sed morum & affectuum concors & amica societas. In torrente voluptatis illius nihil vltra appetet cumulata satietas, & omnium tristium immemor: tantum mente excedit Deo lætabunda ebrietas. F Et licet pro meritis sanctorum diversa sit & gloria, non tamen erit diversitas vel minoribus in invidiam vel maioribus in superbiam: Quia in distributionibus coronarum tanta erit discretio charitatis, vt & ordinem teneat, & communem omnibus gloriæ dignitatem exhibeat. Beatifica divinæ maiestatis præsentia omnibus erit omnia, & erit in commune omnium omnipotentia, omnium sapientia, omnium iustitia, omnium pax, omnium intelligentia, & à regno illo omnis excludetur malitia. Quasi vellicans aliqua de ligno vitæ folia, ad illius fructus gustum suspirans vix aliquem succum de corticibus expressi. Neque enim in cor hominis adhuc ascendit id quod latet intrinsecus, & medullam illius dulcedinis, nullus adhuc attigit intellectus. Sane fides loquitur: spes non confunditur, & nos interim charitas consolatur.

FOns in medio Paradisi recte intelligitur charitas, quæ arescentibus aliquando prophetiis & linguis, pleno semper gurgite fluit, nec vnquam siccatur. Nihil fœcundius irrigat, nihil efficacius mentem impinguat, quam ipsa charitas, quæ per Spiritum S. diffunditur in cordibus nostris. Nec charitas fons sanctorum est proprius, nec ad hunc potum quisquam admittitur alienus. In linguis, in fide, in abstinentia & signis, in G eleemosynis, in martyriis simul boni & ficti communicant: sola charitas ab impiorum se cœtibus absentat, & si defuerit vnius huius pura affectio, sterilis est cuiuscunque æstimationis videatur religio. Christus quippe est charitas, sincerissimus liquor, virtus mundissima, refrigerium animarum, purificatio mentium: nec vasis inquinatis mera spiritus bonitas illabitur, nec quisquam immundus vnctione illa regali linitur. Charitas quippe est amor, & qui non amat, amari non potest. Qui diligit non negligit, nec ociosa vnquam potest esse dilectio: sine dilectione confusa est & indiscreta omnis oblatio, & omnino peccas, si non dividis priusquam offeras. Non indiget Deus, nec sub nomine pietatis cruentum vult esse satellitem: nec oppressorem pauperum, nec conductitium iudicem: quasi ipse ad illas recumbat delicias quas de suspiriis & sanguine miserorum execranda extruxit crudelitas. Qui diligit non offendit, & si forte ceciderit, ruentem excipiens charitas mater manum supponit. Nec erumpit in flumina la- H chrymarum, & in pœnitentiæ gurgite lapsos baptizat & renouat & elisos illico restituit & reformat. Occurrit compunctis, suscipit pœnitentes, quos tamen ipsa & afficit & compungit. Solos illos qui in malitia perseuerant, abhorret & fugit: & licet prophetes vel ardeas, licet ieiunes vel montes transferas, licet in pauperum viscera quicquid possides congeras, tu si peccati seruus es, in vanum laboras: nec in visceribus charitatis vllum locum ficti cordis habet duplicitas. Hæc est origo illorum quatuor fluminum quorum nomina supra posuimus, quia de charitate emanat prudentia, fluit iustitia, fortitudo erumpit & temperantia. Ex iis Cardinalibus bonis sub alternis discursibus, riuuli & minoris famæ fontes, secretis meatibus omnem aridam imbuunt: & ex

A harum torrente virtutum totum nascitur, unde homo proficit & mundatur. Omnis intellectus rationis, & mentis discretio sub sapientia militant, omnisque actio ordinata, & mensura & pondus, & omnis æquitas ad justitiam se inclinant. Honestas morum ex temperantia, ex fortitudine vero patientia nascitur, & item ex his subdivisionibus innumeris series gratiarum multiplicibus voluminibus per diverticula animæ illabitur neque ista diffusio perpetuis exundationibus minuitur, augetur. Phison itaque qui est oris commutatio significat sapientiam vel prudentiam, ut diximus, quæ circuit omnem terram Evilath: quia vere hoc prudentiæ opus est, mutare & convertere irrationabiles & animales homines in cognitionem Dei, & laudem. Animales enim nascimur, sed per doctrinam sapientiæ illuminati, spirituales efficimur. Unde Apostolus. 1.Cor.15 *Non prius quod spirituale: sed quod animale, deinde quod spirituale.* Muta- B mus igitur os, & purgatis illo prophetico carbone labiis, non erubescimus, sed prædicamus improperium crucis: nec irridemus sicut vani Philosophi, quod verbum factum est caro, sed gloriamur in humilitate omnipotentis Dei, certi quia sicut ejus uniti sumus personæ, ita uniemur & gloriæ. Exuimus veterem hominem, & induimus novum: mutamus pellem peccati, & suc- Ephes.4 cincti munditiæ Baltheo currimus expediti. Mutamus os, & ipsi quæ probavimus condemnamus, & in nos ipsos severissimi judices vanitatum & voluptatum consuetudines præscribimus & delemus. Irascimur & indignamur quod tales aliquando fuimus, quales nos sine horrore & tormento non possumus reminisci. Mutamus os, cum sepultis vitiorum monstris, quasi resurgentes ex mortuis abdicamus quod volumus, & veritatis causam coram hominibus ratione, coram Deo zelo & constantia allegamus. Sic terram Evilath quæ luctum vel partũ significat, sapientia circuit, quia cum omnis creatura usque adhuc ingemiscat, & parturiat, non est sapientis Rom 5. hilarescere in loco formidinis, nec ibi quærere cubicu- C lum pacis, ubi est torcular doloris. Non invenitur pru- Job.4 dentia in terra eorum qui vivunt suaviter, sicut Job ait: quippe in locis humentibus & secreto calami sub umbra dormiens Sathanas commoratur. Panem arctum & aquam brevem prædicat Isaias & David ex verbo Dei Esa.30. per Spiritum sanctum per vias duras ingreditur. In mul- Eccles.1. ta sapientia, multa indignatio, & qui apponit scientiam apponit dolorem, quia vere adversus vanitatum amplexus semper indignans ratio colluctatur, & laborat sanctimonia, ne adulatione titillatoria mentis integritas corrumpatur. Nullus in hoc labor est effæminatis & mollibus, qui ultro se ad omnem divaricant corruptelam. In tentationum infirmitate, virtus servorum Dei perficitur & augetur, & ex luctu compunctionis, devotio sancta gaudium concipit. Circuit pœnitens, & per internos animæ suæ recessus sparsa congerit, & fasces alligat admissorum. Circuitus contra circuitum: quia flexibile corpus girat draco volubilis, & perplexis innodationibus vagos & improvidos usque in labyrinthum impellit, & immersos tenebris in desperationis abyssum concludit. Omnia mens divino timore compuncta discutit & retractat: luget in peregrinationis exi- D lio tẽtationibus exposita & ærũnis: plorat, quia ignorat: & errat, quia concupiscit: & tabescit, quia non bonum quod vult, hoc agit, sed malum quod odit, hoc efficit. Flet quia mutabilis & instabilis per inania rapitur: quia fragilis & corruptibilis carnis sarcina aggravatur. Quocunque se verterit, luctus causa occurrit, & sicut fit cum libitinarij efferunt funera, cum prosequens agmen lugubri conclamatione commoritur: ita sapiens in omnibus novissima sua commemorans ante mortem, causæ suæ dictat judicium, & quasi jam præsente cadavere fodit sepulchrum. Plangentium multitudo & subsequitur & præcedit: quia & de præteritis, & de præsentibus multum est quod seipsum quisque examinans lugeat, ubi tota vita adversus peccatum clamat, & ut aliquid amplius inferam, nec ab illusionibus ipsa sunt somnia aliena. Inter hujusmodi meditationum circuitus, inter lachrymas quas contriti spiritus turbo extundit, quasi ex matutino rore pinguescit devotio, nutritur intentio, & fructificat contemplationi divinæ assidua fœcunda oratio. Nulla est omnino comparatio inter luctus sanctorum, & gaudia reproborum: quia hæc carnalis prosperitas semper auspicatur supplicia, & corrosus animus flagitiorum aculeis, à flammarum ultricium exustione formidat. Nulla pacis veritas, nulla veri gaudij in transgressorum corde tranquillitas, in quorum conscientiis jam ante tempus incendia sua gehenna præparat, & ad lacerandam peccatricem carnem vermes horribiles, & terribilia dæmonum monstra dentes jejunos exacuunt. Hos interim stimulos, has vepres voluptuosa modo patitur præsens fœlicitas, sed adulatur sibi, & spe incerta blanditur prolongans iniquitatem, & extendens malitiam: donec subito veniat finis & culpæ & vitæ, & sit infinita pœnarum exactio F pro scelere. At sancti quorum vitam in derisum & in similitudinem improperij æstimabat mundana dementia, quorum luctus & jejunia videbantur insania, linguis ardentibus & modo siccatis faucibus stillam refrigerantem infundent: sed manebit utrorumque pro meritis immobilis & fixa sententia. Ideoque luctus eorum, etiam in vita præsenti non est cœlestis expers lætitiæ, nec consolatione caret divina: quæ utique in conscientia pacem, & gloriam, & in proventu amplius gaudium protestatur: cujus ipsa, quæ adhuc in spe est, delibatio denunciat quantæ excellentiæ futura sit illius gloriæ plenitudo. Invenitur quippe vel in ipso flumine, vel in terra Evilath, quam præterfluit optimum aurum, & carbunculus, & lapis prassinus. Sane in prudentia, quæ est ipsius contemplatio veritatis, quia quam nemo potest eloqui, ideo potius eam concipit quam parit, aurum est, id est purgatissima rectæ vitæ disciplina, quæ ab omnibus terrenis sordibus quasi excocta nitescit. Habet & carbunculum, cujus fulgor nocte non vincitur, quia veritas nulla falsitate fuscatur. Habet G & lapidem prassinum, id est, semper virentis æternitatis intuitum, & vitæ perpetuæ immarcessibilem statum. Est igitur Phison qui est oris commutatio propter causas quas diximus primo loco, quasi necessaria ad intelligendum, ad discernendum, ad standum, ad resurgendum, ad manendum prudentia: in qua est disciplina rectitudinis, veritas agnitionis, via perventionis. Secundo loco Geon ab alio Paradisi fonte egreditur. Hic est Nilus qui notissimo cursu Ægyptum cingens exundationibus annuis certis temporibus & metitis visitator munificus universæ regioni illabitur, & dilectus maritus agriculturę illius gremio commixtione optata non tam solum, quam arbusta fœcundat. Significat hoc nomen vel pectus, vel hiatum. Fortitudo secundum utrumque interpretationem fluvius iste accipitur, quia robur in pectore maxime constat. Juxta hunc fluvium filij Israel in Ægypto constituti, primum de esu agni accepere præceptum. Sed & de lumbis succingendis promulgata est cautio: quia expeditos esse oportebat divinis obsequiis mancipatos, nec holocaustorum solemnia ab impuris agi decebat. Opus quippe erat fortitudine ad renes stringendos, ut castitas quasi quidam H hiatus terræ omnes absorberet corporis passiones, & intra se omnem carnis petulantiam sepeliret. Hæc castitatis virtus in qua summa fortitudine & totis opus viribus est, per Æthiopiam quæ vilitatẽ significat, fluit, quia vilissimæ carnis nostræ extinguit incendium, & lavans sordes turpitudinum resumpta virtute ad integritatem revocat inquinatum. Quam nigra est pessimis exusta ardoribus pellis peccantium! quam vilis caro quæ se fœditatis facit mancipium, & omnium immunditiarum sentinam! Quam vilis facta es iterans vias tuas, hoc ad personam peccatorum dictum per Prophetam intelligimus, quos utique execrabiles constat esse & viles propter lenocinij obscœnitatem cui se impudenter prostituunt, & mutant quia Dei templum erat contumeliose spiritu sancto repulso, fœtoris prostibulum, immo ipsius Sathanæ habitaculum constituunt.

A Exod. 19. 1. Reg. 21. Hæc fortitudo eorum est, qui ad immolandum agnum de populis segregantur, qui antequam legem in Sina accipiant de continentia instituuntur. Antequam propositionis panes edendos sacerdos David concedat, utrum continuerit, & mundus sit diligenter inquirit. Aruerat torrens fortitudinis, iam desiccatis plebis Israëliticæ fecibus, cum thurificantes Beelphegor, & Idolis initiantes Madianitarum amplexibus captivas animas Num. 25. submiserunt, prævaricationis apostasiam pro precio turpitudinis prætendentes. Nec defuit zeli fortitudo in frememte per spiritum Dei Finee sacerdote, qui illius impudentiæ ultor adulterum simul cum scorto in ipsis natibus, pugione immerso per illius fœdi commercij fabricam una impressione transfodit. Et ilico quievit quassatio; & iterum ad canales suos Géon reversus non est indignatus, nec abiuravit beneficium, eo quod essent, immo fuissent prædicti viri Æthiopes, id est viles: sed iterum sparsum recollegit exercitum, & de infirmis sanitati restitutis rursum multifariam celebravit B victoriam. Tertius fluvius est Tygris qui vadit contra Assyrios, & significat temperantiam quæ resistit libidini multum prudentiæ consiliis adversanti. Tygris quippe velox interpretatur, in quo ipsius temperantiæ alacritas intelligitur. Assyrij quippe dirigentes lingua latina sonant. Vide quam velociter qui temperans est per dirigentium regna elabitur: quam directa sit temperantiæ via, cui nihil quod impediat 1 Cor. 6 occurrit. *Omnia licent* (ait Apostolus) *sed non omnia expediunt. Omnia licent: sed ego sub nullius redigar potestate.* Temperantia nec ad illicita, nec ad licita respicit: sed & per ipsa licita in neutram partem declinans regia via incedit. Hæc nec tangit spurcitias, nec ad aliquam inhonestatem accedit: indignatur ad voluptatis mentionem: nauseat ad olfactum. Non quærit tenebrosas crepidines ad impudica cubilia, nec theatrales fornices ad turpia perpetranda. Intra sese colligit: victrix sui ipsius & legitima dominatione, omnibus suis imperat affectionibus. Omnia infra se conspicit, nec ultra rationabiles metas etiam indulta transire C permittit. Quarto loco Eufrates ponitur qui fœcundus vel fructificans interpretatur. Ipse est quem auxen, eo quod foveat & augeat, Assyriorum & Hebræorum volumina nuncuparunt. Hic congruæ iustitiæ præfert insigne, eo quod ipsa plurimum in genere humano fructificet. Nulla quippe virtus abundantiores fructus facit, quam iustitia & æquitas, quæ magis aliis quam sibi prodest, utilitates suas negligens, communia emolumenta præponens. Nec dictum est de hoc fluvio, qui iustitiæ adaptatur, contra quid vadat, aut quam terram circumeat. Iustitia enim ad omnes animæ partes pertinet: quia ipse est ordo & æquitas animæ, qua sibi tria ista concorditer copulantur. Reliqua quippe in suis cursibus elaborant, quia prudentiæ stat ex adverso malitia, & fortitudini incontinentia: & temperantiæ crapula, & quicquid modum non habet, obsistit, iustitia vero, quia est omnium virtutum convenientium in unum grata concordia, non ex reliquis virtutibus, sed ex se ipsa agnoscitur, quia ipsa est pax & totius unitatis sanctitas, habens in se & D totum & singula, nec tamen in singulis tota.

Consummatis quæ de Paradiso, vel fonte, vel fluviis nos dicturos promisimus, ad Adam reverti nos cogit propositum, quæ ut diximus, post peccatum ex propria nuditate confusus intra alicuius glebæ, vel scopuli crepidinem, à conspectu Dei carnis prurientis contumeliam pavidus occultabat: nec iam sola confusio mentem stupidam stimulabat, sed iam fames, & sitis, & frigus, & reliquarum calamitatum moles miserum affligebant, & hoc maxime quod ipse iudice conscientia, intus in omni amaritudine anxius tabescebat. Quod ubi ad eum vox illa pervenit, *Adam ubi es?* consternata est peccatrix anima, & penitus dissoluta, quia deprehensio in scelere, nec subsidium erat, nec patebat effugium. Deambulabat autem Deus ad auram post meridiem E cum vocaret Adam, in vocatione increpationem, in deambulatione migrationem significans: quia iam tepescente charitatis fervore, & veritatis luce ad vesperam ignorantiæ propinquante, deserto homine de corde eius migrabat, & lento incessu protrahens allocutionem forsitan ideo morabatur & pedetentim accedebat, ut si compunctus homo in illo quantocunque spacio cognosceret facinus, & se ipsum iudicans pœniteret, vel ex toto dimitteretur flagitium vel aliquid staturetur clementius in humiliatum. Non, ut ait Ambrosius, de Paradiso voce corporea Dominus Adam appellat: sed virtute quadam & præstantiore quam vox corporis potest esse, oraculo eo scilicet modo quo Prophetas alloquebatur, vel ipse Moyses clamasse legitur, cum nullus audiretur sonus vocis, sed mentis. Interrogatus latebrarum causam, & confusionis nuditatem fatetur: cum amplius de ipso peccato, quam de pœna peccati verecundari debuerit. Erubescebat quidem de rebellione animi, de virtute peccati, de irrepente F tinea voluptatis: sed abundantiore pudore super hoc affici debuisset, quod veste nuptiali spoliatus de illius convivij gloria ligatis manibus & pedibus in tenebras exteriores præcipitari meruerat. Tulerant præcedentes virtutes operimenta dignitatum quibus ornabant Adam, dum obediret Deo, & relinquentes spoliatum in medio transgressorem contumelia affecerunt. Iam texebat miser folia mendacij, & excusationis ordiens telam, non confitebatur errorem: sed quasi subtegmen involvens arundine, & intra suspensos telæ diffundens parietes, responsione cavillata, latenter in auctorem erroris causam refundebat & culpam. *Abscondi*, inquit, *me, eo quod nudus essem.* Vere non consilium contra Dominum est, qui *comprehendit sapientes in astutia eorum*: cui loquitur omnis conscientia, & 1. Cor. 3. aperta sunt mentis arcana: cuius intuitum, nec inferni chaos impedit, nec abyssus obfundit. Videbat quippe ipse miserum, nec tamen ab illo videbatur, sed tantum audiebatur. Mundo corde videtur Deus, à quo beatifico aspectu tollitur impius. Audiendi & respon- Mat. 5. Esa. 5. dendi non negatur effectus, quia in examinatione cau- G sæ cum secundum districtionem iustitiæ, negotium agitur, necesse est quibuscunque tergiversationibus lubrica industria abutatur, ut ex ore suo coram illo iudice reus quilibet convincatur. *Mulier*, inquit, *quam dedisti mihi, dedit mihi de fructu, & comedi.* Velit nolit, fatetur transgressionem, sed latenter imponit creatori pondus peccati, qui deceptionis aptaverat instrumentum, & quasi muscipulam in quam collaberetur, solatium collaterale tetenderat. Abominanda suspicio, & adversus bonitatem Dei scientia pervicax: sensus malignus, responsio impudens, & ex hoc ipso solo etiam si aliud in causa non esset, homo morte dignissimus: quod æstimare potuit, mulierem sibi in insidiis positam, & se artificiosa inductione circumventum, atque secundum iustitiam se non meruisse damnationis iudicium, qui non suo appetitu, sed suasu fœminæ quam dederat ei Deus, ad prævaricationis declinasset consensum. Immo illam nuditatem perperam sibi illatam, & præiudicatam sibi nimis propera animadversione conqueri videbatur, nec agit secum ordine æquitatis, cum H ipse qui dederat legem, debuisset removisse & scandalum, & reprehensionem non in eum qui ceciderat, sed in eum deberet refundi qui casus posuerat instrumentum. Hoc illa Adam excusatio continere videbatur redarguens Deum, & contendens ausu seditioso contra tranquillitatem & verissimam iustitiam Dei, Rom. 2. quæ adhuc ad pœnitentiam in multa patientia reum expectabat, cum ipse secundum duritiam suam & cor impœnitens thesaurizaret sibi iram in die iræ. Iustissimo ordine post virum, fœminam alloquitur Deus, quæ pertinaci superbia, & ipsa admissum excusat, serpentem suasorem deducens in medium. Deceptam tamen se dicit, amplius dolens quod diaboli promissio effectu caruerit, quam quod eius suggestioni assensum præbuerit. Quia igitur neque vir, neque mulier con-

fessionis,

A fessionis, vel pœnitentiæ excogitavere consilia, sed addentes prævaricationem inanium argumentorum complexionibus, ad Deum iniustitiæ convincendum laborabant, in superbas & exasperantes animas peccati cumulus est refusus, & oppressit subita ruina iniqui ponderis stipatores. Et ordinatissima rectitudine à serpente incepit iudicium, ut qui fuerat suggestor peccati, esset particeps & tormenti, & qui ad casum consentientium sibi fuerat gratulatus, haberet ex malitiæ merito quod doleret, & in pœna æmuli sui intelligeret homo, iudicis charitatem, cum quasi invitus & coactus proscriptionis videretur dictasse sententiam, qui diu expectaverat lapsi pœnitentiam, & tanta indignatione suggestoris puniebat malitiam. Nihil quæritur à serpente, nulla omnino interrogatio flagitii sciscitatur originem: quia illa in vanum voluitur quæstio quæ sine fructu est, & quam nulla comitatur B correctio. Verum cum ille iam iudicatus esset qui (Ioan. 8.) ab initio in veritate non stetit, quid sibi vult quod novi constitutio edicti legi antiquæ conscribitur, & quasi minus continentia illius plebis lecta plenam iuris mensuram non habuerint, nova adduntur decreta? Ego existimo librum dispositionum cœlestium & divinæ paginam providentiæ totum omnino continere quod rerum status, quod processus insinuat, & totum esse oculo maiestatis uno momento conspicabile & quod attrivit antiquitas, vel quod intentat æternitas. Nullum in lege æterna aboletur vel mutatur, vel additur capitulum: sed nos non causas rerum, sed effectus attendentes, addi putamus quæ ante nescivimus: deleri vel mutari, quæ quia non intelligimus, aliter provenire videmus quam noster habuerat intellectus. Sed mentis divinæ fixa & immutabilis est ratio, ita disponens corda, sicut movet & tempora. Cum enim flante aquilone in hyeme & effrænata in campo aeris gelidorum flatuum violentia, necesse sit humentia quæque, ubi nimii impetus fervor non cohibet, astrin- C gi in glaciem, cum tamen necesse non sit ventorum intumescere rabiem: ita necesse cuique causæ suam attribui efficentiam, cum tamen necessitas non urgeat. Nihil punit, nisi quod vetat iustitia, à cuius æquitate alienum est ut sit vindex actionis quam quasi necessitate extorqueat. Sed præcedit prohibitio, ne ignorans, vel errans homo offendat, quam utique si contempserit ex ipsius iustitiæ necessitate pœnæ succumbit. Sane quicquid evitari potest, constat necessarium nullatenus esse. Ideoque nec per providentiam premitur, aut violenter attrahitur quicquid rationis arbitrio evitandum exponitur: nec iudicio divino necessitas, sed voluntas punitur: nisi forte illa necessitas fuerit, quam sibi mala consuetudo fecerit, & obstinati animi excæcata malignitas Spiritus S. in ipsis crepundiis adhuc vagientem mundum iam arguebat de iudicio, quia damnato principi se tradiderat condemnandum, non quod ille iudex sit eorum qui peccant, sed quod ipse, & qui ei, deserto Deo in malo communicant iustissimo iudice Deo eiecti de Paradiso voluptatis, id est à gloria Dei in tenebris cohabitent, & in flammis co- D ardeant. In defectione illa quando miser simul ac intumuit ruit, nihil de tormento eius, pauca vero de indignitate scriptura prophetica commemorat, sed de ruina & ruinę causa odibili Deo superbia tam Ezechiel quam Isaias pauca obscure perstringunt. Genesis aliquid amplius sub serpentis figura, vel nomine legentibus intimat, & à mūdi principio maledictionis sententiam usque ad ultimum iudicium in fine sæculi infinita connexione orditur. Ibi nec incentor erit, nec carnifex, quia tantum sibi vacabit: si tamen dici debet vacatio, ubi miser in gehennalis abyssi voragine clausus & vinctus in igne ardebit æterno. Tunc nec Dominus aëris, nec rector mundi, nec princeps erit, sed infinitæ & inenarrabilis miseriæ irrevocabilis inquilinus. Interim maledictus inter omnes bestias terræ & omnia animantia, super pectus suum gradi, & terram comedere omnibus diebus vitæ suæ, vel permittitur, vel mandatur.

E Vnde Ambrosius in libro de Paradiso, non dixit facio te supra pectus tuum vel ventrem ambulare, & terram comedere: sed *ambulabis*, inquit, *& manducabis*, ut prædixisse magis cum futura sunt videretur, quam præcepisse quid faceret. *Maledictus*, inquit, *inter omnes bestias*, id est super omnes qui bestialiter & animaliter vivunt: qui possunt fieri aliquando de carnalibus spirituales, & de terrenis cœlestes, & qui aliquando tenebræ erant, si convertantur & revertantur mediante gratia Dei, lux possint effici. Ille autem à spe præcisus, & omnino avulsus à gratia, quia odit & semper persequitur charitatem, sicut in obstinatione odii perseverat, ita super maledictionem, inclementiæ privilegium sibi propriè vendicat, & iræ irremissibilis contra se decretum sancit, & in æternum confirmat. Quod autem super pectus & ventrem suum graditur, illud est, quia in pectore recessus quidam sapientiæ esse dicitur, F cuius singulari excellentia cum ille frui possit in contemplatione divina, aversus ab intuitu pacis, totum se contulit ad terrena, & est quasi vita eius studium indefessum in persuasione peccati. Et in iis quorum Deus venter est, quos Apostolus luget, & inimicos crucis Christi denunciat, repit, inspirans eis superbiam, accendens in immunditiam, devorans quoscunque sibi sicut terram subiecerit. Qui terrena sapiunt, cibus sunt illius serpentis, huius viperæ pabulum: & super quos repit, vel pectore premit, ventrem ventri conglutinat, de semine venenato imprægnans, & conformem sibi de corrupta anima sobolem generans. Totum studium eius est innectere se affectionibus carnalibus, & coagulo turpitudinis menti humanæ iniecto, omnes per quas se voluerit, semitas inquinare, ut intus & extra aliquid de illius contagionis conspersione adhæreat, quod postea in alicuius monstri personam erumpat. *Terram*, inquit, *manducabis omnibus diebus vitæ tuæ*, quia usque in diem iudicii in quo mors dam- G nationis, & clausuræ eius æternæ adveniet, semper abligit quos commoverit, & sordidas & terrenas animas intra sterquilinium viscerum suorum sepelit & abscondit. De huiusmodi quos per ventrem accepimus, iis videlicet qui gulæ & luxuriæ serviunt, vel de iis qui abusione sapientiæ superbiunt, & conversi ad terrena creaturæ potius quam creatori obtemperant, helluo impudens voracitatis suæ sentinam ingurgitat, & inexplebili fame, intra pestilentiæ suæ gurgustium saporatas offas de carnibus damnatorum intrudit. Quod autem inimicitiæ statuuntur inter serpentem & mulierem, quasi vir ad hunc conflictum non pertineat, illam arbitror esse causam, quod tentationes diaboli ad eos qui viriliter agunt, non præsumuntur accedere, sed fœmineis mentibus tentator importunus se ingerit. Neque mens, quæ est quasi Adam, nisi sensu carnis illecto, movetur ad vetitum: sed ad delectationem quam tentator accendit, desiderium carnale suspirat, & concupiscentiæ mole oppressum, reluctantem mentem & repugnantem rationem, assiduæ colluctationis importunitate captivat. Ideoque inter carnem & mentem futuræ inimicitiæ prædicantur, quia futurum erat per *verbum* Dei, quod *caro factum est & habitavit in* H *nobis*, ut fructificaret aliquando crucifixa pœnitentium caro, & de semine obedientiæ virtutum segetes crescerent, & carnis continentia de adversatrice concupiscentia triumpharet. Vnde illud est, quod *regnum cœlorum vim patitur, & violenti diripiunt illud*: quia mulier, hoc est sensus carnis, mariti, id est rationis adiuta consiliis serpenti resistit & semini eius, id est odit ut inimicum, & abigit quicquid sanæ doctrinæ adversatur, & honestatem vitæ commaculat. Violenter mala consuetudo carnis, cum ipsa ad virum conversa fuerit, dominante ratione præciditur, & quasi alterius crucis vexillum figatur, in medio iugi conflictu seipsam caro superat: immo victor Spiritus armata solicitudine petulantiam carnis dictante Deo pia oppressione affligit & domat. Hanc vim regnum Dei non dedignatur pati, nec abiicit latronem cum

A confitetur, nec Apostolorum principem cum amare flens verbi Domini recordatur: nec excludit peccatricis illius unctionem & fletum, cuius horrebat Simon ille leprosus aspectum vel tactum. Semen diaboli est schisma, & hæresis, & avaritia, servitus idolorum, omnisque incontinentia, & impietas, omniumque vitiorum abominanda collectio. Semen mulieris, ut diximus, ad virum conversæ, & potestati rationis iam subditæ est, quicquid boni parturit castitas, quicquid jejunij labor, quicquid sudor martyrij, quicquid ex amplexu diversarum passionum fecundissima concipit charitas. Veteres inimicitiæ ab antiquo inter has emersere familias, nec unquam defuit æmula virtutis invidia. Semper persecuta est humilitatem superbia, & sapientiæ vel iustitiæ contraria opposuerunt signa nequitia & malitia. Verum caput serpentis nobis adhuc in carne constitutis victoria in cruce Domini B nostri prosternitur, & sub pedibus nostris iam à pectore & ventre excussus, ipso donante, ligatus conteritur. Fel quod crucifixo oblatum est & neglectum, omnia diaboli tentamenta contemptibilia effecit, & repulsus amaritudinis haustus sitim peccati, quod felici saporis est, intimavit à membris eius facile reprimendam: immo eiusdem sanguinis calice hausto, penitus extinguendam. *Quod infirmum Dei est, fortius est*, non dico *hominibus*, sed dæmonibus: Et huius carnalis vitæ nostræ infirmitas, de malignis spiritus triumphat, expuens in libidines, & abominans voluptates. Hæc, ut Christum lucri faciat, Apostolus ut stercora reputat, & victrix sui ipsius sanctorum patientia calcat. Ecce à mulieribus & parvulis caput conteritur tentatoris, quia omnis fœditatis accessus ilico prohibetur, & totius spurcitiæ à sanctorum cordibus statim eliminatur audacia. Cognoscitur adulter, & ad lupanaria sua indigne repellitur: nullâ Sanctorum conventus fœditatis cuiuslibet admittunt vestigia. Excutit ab omni munere mundas manus pura iustitia, nec se vænalem exhibet iudicem, qui ut iudex fieret, non pretio, sed gratis accepit. Pretium C canis, & merces meretricis, ne inferantur in templum, divina lex prohibet: quia oppressores pauperum, & innocentium oblatratores, & qui corrumpunt & polluunt veritatem, ex illius quæstus sanguine recte non immolant, & arbitrantes quæstum esse pietatem, legem ostendunt, & adversus eos in conspectu Dei veritas & pietas ex eorum ministerio se clamant contumeliam pati. Caput avaritiæ primus pastor Ecclesiæ contrivit viriliter, pecuniam Simonis cum ipso in perditionem excutiens. Caput gulæ præcidit Paulus *castigans corpus suum, & redigens in servitutem.* Nihilominus & omnium fere hæresium idem capita amputavit, in Romanis superbiam & seditionem compescens. In prima ad Corinthios Epistola, quod ad sectam legis Iudaicæ induci tam cito potuerunt & converti, & quod erant in eis personarum acceptio & schismata arguit & obiurgat. Sed & fornicationis caput in spiritu vehementi ibidem conterit, tradens Sathanæ in interitum carnis eum qui uxorem D patris sui publice detinebat. De regula quoque conjugij & castitatis, de auctoritate Apostolatus, de prostratis in deserto fornicatoribus, & murmuratoribus, & idololatris multa ibi proponit & disserit, in quibus & elisum & elidendum caput maligni ostendit. In secunda quoque ad eosdem Epistola, non esse consensum Christi cum idolis, nec participationem iustitiæ cum iniquitate, nec Christum & Belial posse convenire, malignum de medio removens apertissime distinguit. Galatas insensatos & fascinatos à pseudoprophetis, & ad cerimonias legis conversos increpat & revocat, & illius seductionis caput confringit. Ephesios in ordine statuit docens viris mulieres iuberi, maritos uxores ut corpus suum in honestate complecti, filios parentibus obedire & honorare, patres ad filios mansuetos esse, servos obsequi, Dominos non inflari, & astringens eos in unitatem spi-

1 Cor. 1.

E ritus in vinculo pacis, inobedientiæ malum à radice extirpat. Totum corpus Epistolarum tonitruum est, & singulæ fere sententiæ sunt quasi fulmina carbones vastatores spargentia, à quorum luce vel flammis caput hostis illius veterani, fidei Christianæ virtute exuritur. Occurrit Ioseph, occurrit Susanna, ille puer, hæc mulier delicata, uterque huius monstri caput horrendum quanta virtute contriverit, sacræ non silent Historiæ. Impossibile est enumerare per singula, quantas de hoc capite nequam Sancti celebrarunt victorias: quotiens cerebro eius victrices manus immerserint: quot virgines, quot viduæ, in primo introitu exsufflaverint irrepentem, qui quia in congressu non proficit, & ubi manifeste agnoscitur, ilico vincitur, tendit insidias, & si aliquis torpor irrepserit sanctitati, & aliquo modo rigor iustitiæ fatigetur & langueat, sedulus præstolatur. Quod si forte ex aliquo neglectu robigo occupans armis virtutum adhæserit: si ex ali- F quo iustitiæ prurитu scabies religionis pellem obduxerit, ilico ad tinearum crustas in quibus aliquid suum agnoscit, paratus illabitur, & defluentem saniem ablingit & glutit. Vere appetitus laudis & humanæ gloriæ, scabies est virtutis, tinea sanctitatis, quod ultimum malum sæpe expugnatus hostis in fine expectat. Cum enim gloria nostra sit bonæ testimonium conscientiæ, sæpe fit ut victores vincamur, dum de ipsa victoria in nobis, non in Domino gloriamur. Et sicut est ex virtute securitas, ita sæpe ex securitate virtus dissolvitur, & infirmato calcaneo nec recte itur, nec languente pede ultra inimica potestas conteritur. In primis audacter congreditur, deinde repulsus Sathan insidiatur novissimis, quia tota humanæ militiæ gloria ex ultimis com[illegible] [illegible]bus. Et cum multi currant in stadio, qui non lassatur in cursu, nec deficit, solus ille bravium accipit. Certantes legitime promerentur coronam, & perseverantes in finem à linguæ aculeo, & laqueo caudæ incolumes & illæsi evadunt. Ille tamen maledictus terram comedit omni- G bus diebus vitæ suæ ante iudicium, quia amatores mundi à ruina voluptatum distensos & turgidos rictu patulo absorbet & devorat, & omnem domum in cuius postibus sanguis agni non emicat, intrepidus invadit, omneque primogenitum eius interficit indefessus. Restat quippe maledictionis huius evidentior in fine perfectio, cum pro hac nocendi aviditate & continuo studio dehiscentibus inferis, intra chaos illud gehennale miser ille claudetur, & in illa tormentorum abysso, in tenebrosis fœtoribus, horrendis ardoribus quorum immanitas omnem superat intellectum sine fine mergetur.

Sequitur ex ordine iustitiæ mulier quæ suggestioni acquievit, debitaque pœna redditur voluptati, & quæ libertatem suam excusso à se creatoris dominio superbe ambierat, sub viri constituitur servitute. Nec absque nutu divino esse quisquam æstimet, quod usque hodie in genere humano servorum perseverat nomen & genus, cum hoc originalis meruerit transgres- H sio, & à primis patribus huius conditionis emanarit ratio. Videat homo nobilitatem divinam, genus cœleste, honorem regium, potentiæ gloriam, æternitatis vitam, sanctitatis imaginem, & recordetur quid fuerit, & ex iugo quod vicissim trahunt, invicem erubescant, quia hanc oppressionis ignominiam culpa meruit, non natura. Quod enim servi, quod degeneres sunt, & inglorij, & ignobiles: quod peccatores, quod mortales, illius effecit fermenti conspersio, & quicquid ex Adam est, illa una occupavit infectio. Multiplicantur ærumnæ, & in dolore mater misera parturit, & multiplicatio conceptuum cum angustia exiens, parturientis viscera fere dirumpit. Hæc in carne, hæc in spiritu fiunt, quia cum rationis vel scripturarum semina doctrinæ studio vel intellectus, quasi viro infundente, anima subiecta susceperit, per multas tribulationes & dolores parturiens anxiatur, & vix obtinet, ut victa mala

A consuetudine in bonum opus assuescat. *Quicunque enim volunt in Christo pie viuere, persecutionem patiuntur*, & torquentur interius lege membrorum, perurgentibus concupiscentiis, donec longo usu marcescat forma huius mundi, & phantasmata vanitatum dispareant, & sic demum remotis illecebrarum obstaculis, Christus formetur in nobis. Vtrobique calamitas, utriusque puerperia naturæ comitantur, suspiria, quia & caro & spiritus captivantibus delectationibus statim cum usura reddunt tributum, & instat concupiscentia avellens petulantiæ germina cum tormento. Multiplicantur conceptus vrgente lascivia, & quia non agnoscitur peccatum in immunditiæ contumelia, sentitur in pœna, & concussis muliebribus vteri, cum ruptis intrinsecus naturalibus vinculis profluunt secundinæ, vagiente fœtu vere miseriæ tractatur negotium, cum hærenti parvulo obstetricantium tremula manus occurrit.

1.Tim.3.

B Hora illius angustiæ satis indicat, quæ sit illa causa quæ in tales erumpit effectus: & quia omnino dulcedo illa venenata est quæ tantæ amaritudinis torrentem effundit, allicitur caro ad libidinosos complexus quorundam prurientium irritata vaporibus, & cum eius sensum quædam mendacia blandimenta demulceant, pravum sequitur appetitum: cumque se intra feces concupiscentiæ immerserit, tunc demum quis sit illatum deliciarum sapor, ex illius satietatis dulcedine intelligit. Hoc doloris privilegium prima mater reliquis matribus dereliquit, & nulla omnino in tota naturæ huius successione excipitur, excepta illa quæ sola concepit de spiritu sancto virgo, & maritalis ignara consortij, penitus aliena fuit ab huius conscriptionis chirographo. C In cuius formam, si per humilitatis, & obedientiæ disciplinam Eva spiritui Sancto in templo cordis sui thalamum adornasset non deesset gratia, & obumbrante virtute altissimi, nullus concupiscentiæ æstus dedicatam Deo animam conflagraret. Conciperet quidem de viro suo eo modo, quo terra imbribus irrigata fœcundissimo proventu arbusta emittit & germina: & sine vlla passione desiderij tantum ad seminales rationes gremio coniugali vteretur maritus.

**A***De quoque dixit Deus, quia audisti vocem uxoris tuæ, & comedisti de ligno, de quo præceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo.* Propter hominem maledicitur terra, & sterilitate damnatur, & quæ sine ullo labore præposito suo erat omnimodas expositura delicias, modo etiam culta spinas & tribulos prædicitur germinatura: vt etiam ex ipsis punitionibus ærumnarum possit miser compungi, & rastris pœnitentiæ fatigatus contribulato spiritu, benignissimo satisfaceret iudici, cuius ipsa vltio, doctrina erat provocandæ clementiæ, & flagellum, argumentum. D Quia inquit rupisti vinculum obedientiæ, tu quoque dissolveris, & in terram ibis, quia terra es. Intellige clementissimum Deum, etiam cum occidit, & vide quia temporales persecutiones ad correctionem proficiunt, & ipsa mors non tam est homini malum, quam finis malorum. In dissolutione huius corruptionis intersecatur peccatum, & quod æstimatur districtio, invenitur remedium. Proponitur inobedientiæ capitulum, & vxoria persuasio præceptioni divinæ præposita, & ex ordine iustitiæ secundum meritum, stipendium debitum redditur causæ. Labor supervacuus, sterilitas agriculturæ, germina degenerantia, & ad cumulum defunctio intimatur. Habet etiam exprobrationis pondus originalis materiæ commemoratio, quod cum de terra sumptum, & terram esse, & in terram reversurum, tanta distinctione diligentia iudicis insinuat, vt confusa illius temeritatis audacia intelligeret ex infirmitate naturæ suæ quia secundum originis suæ rationem, nec gloria, nec stabilitas sibi inerat, & totius illius excellentiæ honor, nec ex merito, nec ex natura, sed ex sola gratia procedunt. Ex his verbis immo ex ipsa animadversionis experientia didicit homo, non in se sed in Domino gloriari, & humiliata est servix erecta, cui impositum est pro regula libertatis, vinculum servitutis. Grave onus visum est mulieri, ferre pondus præcepti, & quasi pressura ingens, auctoritas imminens: sed vbi peccati iugum subiit, & impiam tyrannicæ virtutis experta est dominationem, sentiens quid interesset inter iugum suave & grave, cum regredi non posset ad statum de quo corruerat, amarissimæ salivæ deglutivit rancorem, & corrosit intra se emergentis contumeliæ massam. Intumescebat fermentatæ naturæ conspersio, & primitivi azymi sinceritas ebulliente putredinis acredine rumpebatur, & quasi conviciabantur miseræ animæ titillationes illusoriæ, & exprobrabat ei propriæ virtutis confidentiam sensualitas importuna. Nulla supererat tergiversatio, vbi ingens verecundia omnes responsionis concluserat vias, & conclamabant etiam ipsa vitia adversus ægrum, non imponentia suum languorem naturæ, sed superbiæ, de cuius radice omnium cogitationum germina pullularunt. Ex illo vno utero egressa sunt collactentia omnia vitia, adversum quæ iudicium Dei ita est iustum & evidens, vt ipsæ concupiscentiæ motus proprios detestentur, & flagitiorum consummatio propriæ voluptatis abominetur & horreat passionem. Denique ipsa confusio, & verecundia quæ semper turpitudinum castra sequuntur, quasi crudelissimi carnifices conscientiæ, lacessunt & improperant peccatori, & instant quasi quædam Eumenides, agitatrices furiæ, reprehensionis stimulos cordi saucio affigentes. Ipsa se malitia præiudicat & punit, & contrariis armis in sui defensione vtitur veritas. Expellitur à deliciis transgressor, & miser laboribus deputatur, vestitúsque pelliceis tunicis, & pro divinitatis amictu morticiniorum pellis involutus, in illius plaudamenti gestamine intelligebat pellem suam pelli belluinæ consimilem, immo vt ipsam rem exprimam, amplioris & abiectioris miseriæ, cuius infirmitas ardoris & algoris impatiens alieno beneficio foveretur. Immo pellibus nudo corpori superductis homo bestia videbatur, & omnino convenientissime aptatum est extra corporibus, quod intus erat in moribus. [illegible] gebat homo irrationabilem personam comparatus iumentis insipientibus, & brutæ mentis imperitiam in illa cruda & hispida supellectile exprimebat. Homo de terra terrenus, iam pronus ad infima in limo de quo sumptus erat figebat intuitum, & sarcina corruptionis oppressus curvas scapulas sessori peccato præbebat, servus ventris, cliens libidinis, vanitatis mancipium, & vernula vitiorum. Exposuerat animam suam quasi incudem malleatorum ictibus, & in illa fabricatum arte sex concupiscentia omnium transgressionum formabat simulacra. Iræ & invidiæ & omnium blasphemiarum idola illius officinæ eructabat incendium, & plebescebant monstra tentationum assiduitate cogitationibus, quorum multitudine fatigata ratio gravabatur. Deseruerat quippe Deus animam, & ad seipsam conversa turbabatur: & hæc prima mors hominis fuit, cum creatoris sui custodia caruit, & à contumacia prævaricatoris ingratitudinem eius execrans indignans abscessit. Privavit eum statim gloria & honore, & vitam, id est, cognitionis suæ lumen, in eo extinxit & excæcata anima, cum veritatem amisit, simul cum illo beatifico visu, & reliquas beatitudinis species pariter exhalavit. Recedente Deo nihil boni superfuit, & nisi eo revertente data indulgentia & gratia, ad abiectam & contemptibilem animæ illuminationis abolitæ claritas non redit. Nec tamen imago vel similitudo auctoris etiam moriente anima per peccatum omnino deletur, sed dum patientia Dei ad pœnitentiam delinquentes expectat, potest lavari per pœnitentiam quicquid in eadem imagine per negligentiam fuerit obscuratum. Reformatur igitur & restituitur qui resurgit a mortuis, & ad indulgentiæ manumissionem regrediuntur virtutes ad opera destinata: & tunc iterum vivit anima cum videt & odit, & agit quæcunque sibi fuerint à virtutis imperata.

A Cum enim nihil horum agit, mortua est: quia cum vere eius vita sit Deus, nullus omnino eo absente ad aliquod bonum aspirat affectus. Hæc prima animæ mors, qua deserente eam Deo, ipsa quasi criminum institis connexa remanet, & sepulta, non omnino à gleba arida, huius hyemis frigore, spei reliquias eradicat, quia dives in misericordia Deus magna voce
Ioan. 11 quatriduano iam fœtido clamat, *Lazare veni foras.* Infremuit, clamavit, & flevit, intimans rationabilibus animis quam sit efficax fletuum pluvia, & pœnitentiæ tremor, & confessionis clamor: quæ supplicatio non repellitur, immo obtinet veniam scelerum, & statim qui resurgit, vbi solvitur, convescitur. Nullus superest fœtor: nullum putredinis vestigium manet in
Psal. 112. eo quem de stercore erigit Deus, sed cum principibus populi sui, Sanctis Angelis dico, donat suscitato consessum, & in solio gloriæ collocatum, etiam ad proprium cum admittit convivium. Indignetur Novatus, irascatur Pharisæus: summa est commendatio charitatis, consummata omnipotentiæ gloria, bonitas, &
B clementia, & nihil amplius decet sanctum quam pietas: nec in aliquo honorabilius est præconium redemptoris, quam cum, eo miserante, convalescit & solvitur humana infirmitas. Tremendus quidem est rigor divinæ iustitiæ, & formidabilis districtio iudicis, reverenda omnino severitas, & iudicium punientis: Sed misericordia lenitate est amabilis, & ex gratia prædicabilis. Vbi enim contra merita bonum pro malo redditur, benignitatis superabundantia prædicatur: de cuius plenitudine, nostra ariditas irrigatur. Non est satis sancto Spiritui esse cum sanctis, etiam impios sanctificat, nec improperat: & spirat, & replet, & docet, & vngit, & vrit, & publicanos, & meretrices reformat & imbuit. Illa amplius admirabilis est potentia quæ elisa restituit, & fracta restaurat, quam quæ vasa integra in thesauris munitis aggregat &
C conservat. Et quidem mortuos in anima per culpam, pœnitentia reducit ad vitam: desperationis vero obstinatio pertrahit in gehennam. Illa desperationis mors imaginem omnino delet & radit, & illi iniuriæ nullum occurrit remedium, nulla clementiæ stilla se infundit. Sensit Adam mortem illam primam animæ, consolatione diuina priuatus: expertus est quoque discessum à corpore animæ rationalis: verum hæc ultima per quam dissoluta est corporalis & spiritualis substantia, labores & ærumnas, & servitutem quam meruerat, & vincula calamitatis totius præscriptæ dirupit: & qui viuens & pœnitens acceperat gratiam soluto quod culpa meruerat pretio, iudicium Domino cantavit & misericordiam, in laboribus & contumeliis vitæ temporalis humilitatem & patientiam thesaurizans in fine quantolibet difficili & arcto pro libatione sua suo Domino gratias agens. Pungitur concupiscentiis, laborat & sudat, ac torquetur: de loco voluptatis expellitur, demum emoritur: in iis omnibus, quasi vas figuli in fornace excoctus, & multis
D rimarum rasuris atterita peccati rubigine ad naturalem fulgorem revertitur. Sic circumductus est per desertum Hebraicus populus, & cum intra paucorum dierum spatium, si recte irent, possent fines promissos attingere, quadraginta annorum sustinuere dispendia, in quibus peregrinationis illius angustias erudiretur illius insolentia multitudinis: ut cum ad diu desideratas & expectatas promissiones accederet, nec ad Ægyptum, nec ad regna cultu Dei vacantia relapso animo facile suspiraret, à quorum nexibus tanto labore avulsus, vix tandem de male assuetis perfidæ gentis erroribus, quos longo convictu imbiberat, longa dissuetudine triumpharet. Ibi quippe viderant idola, & circa prophanos cultus comessationes & impudica cubilia, quibus concupiscibiles animæ captivos affectus subiecerant, & inhæserant abominationibus, quas patrum suorum Abraham, Isaac, & Iacob abhorruerat disciplina. Ideo lex, ideoque plagæ, & verbera: ideo illa hæreditatis dilatione vilesceret facile consecutum

E ubertatis tantæ & gloriæ regnum: immo diligentissimo sub timore Dei servaretur prospectui tantis exercitationibus & districtionibus conquisita possessio. Quid, quod in cruce se redemptor noster derelictum exclamat? quid, quod vita moritur, quod iudex iudicatur, quod rex irrisus, quod princeps suspensus est? Mysticæ sunt, & Sacramentales iniuriæ salvatoris illæ, & granum illud frumenti cadens in terram & moriens spicas silvescentes multiplici germine onustavit. Omnino sic oportuit pati Christum, & intrare in gloriam suam: & quod titulus crucis Hebraice, Græce, & Latine conscriptus incorruptus habebat in omnium gentium salute compleri, quas obedientiæ & humilitati consertas, Christo iubente, latrone præmisso ad regnum crucifixi mater eveheret charitas. Vere prædestinatis omnia cooperantur in bonum, & robur & infirmitas proficiunt ad coronam, & status & lapsus coædificant laborantem, quia alterum ex altero & proficit, & temperatur, dum ex consideratione in-
F firmitatis descendit, nec inflatur securitas sanctitatis, & ex puritatis respectu erubescens dissolutio convalescit. Vnde in libro quarto decimo de civitate Dei, Sanctus Augustinus sic infert, Audeo dicere superbis esse utile cadere in aliquod apertum manifestumque peccatum, unde sibi displiceant, qui iam placendo ceciderunt. Salubrius enim Petrus sibi displicuit, quando flevit, quam sibi placuit, quando præsumpsit. Vtiliter sæpe delerimur, & dum corripimur, emendamur: dum flagellamur, amamur. *Ad tempus*, inquit
Isai. 54. Isaias, immo per Isaiam Deus, *dereliquam te, & in miserationibus magnis congregabo te.* Actutus pœnitentiam de loco voluptatis Adam educitur, quia voluptas & luctus, non bene cohabitant, nec deliciæ & religio ad invicem complectuntur. Et tamen ante Paradisum satisfacturus statuitur, ut sæpe videns unde exierat, & intuens quis fuerat & quis esset, humiliato animo exsecraretur superbiam, & experiretur post
G contumelias afflictionum, quantum esset subiectionis & obedientiæ bonum, per quam etiam lapsus & repulsus reditus & restitutionis suæ non desperaret proventum. Videbat, vel potius intelligebat quid illius gladij, quem Cherubim vibrant, motus ille versatilis intimaret, de quo quia pauca superius, & tamen prudenti lectori sufficientia exposuimus, idem repetere laboris esse inutilis arbitrati sumus.

*Explicit Tractatus Abbatis Bonæ-Vallis Carnotensis de operibus sex dierum.*

H
# ARNVLPHI
## EPISC. LEXOVIENSIS,
### EPISTOLÆ, IN LVCEM EDITÆ,

Ex Bibliotheca ODONIS TVRNEBI HADRIANI F.

*ELENCHVS EPISTOLARVM, Concionum, Epigrammatum* ARNVLPHI, *Lexoviensis Episcopi.*

ÆGidio Rothomagensi Archiepiscopo.
Roberto Linconiensi Episcopo.

A Ernaldo Bonæ-vallensi Abbati
Henrico Pisano, legato Rom. Ecclesiæ.
ad G. Monialem.
ad D. Papam Hadrianum.
ad eundem.
Magistro Petro Heliæ.
ad D. Papam Alexandrum, cùm esset cancellarius, ad eundem, pro Ioscelo Sarisberiensi episcopo.
Abbati S. Ebrulfi.
Willelmo Cenomanensi Episcopo.
Hugoni Rothomagensi.
Danieli Priori S. Barbaræ.
Rad. Dedicecio Lond. Archidiacono.
Rescriptum D. Papæ Alexandri ad Episcopos Angliæ.
Ioan. Neapolitano, & Willelmo Papiensi Cardinalibus.
B Cardinalibus Rom. Ecclesiæ, de electione D. Papæ Alexandri.
Gillebert Londoniensi Episcopo.
Abbati Gristemensi.
Henrico Pisano Cardinali.
Ernaldo Pictaviensi Archidiacono.
Valt. Albanen. Episcopo.
Episcopo Engolismensi.
Ricardo de alm. præcentori Lincol.
Abbati Cist. & fratribus eius.
Ricardo Pictauiensi archidiacono.
Laurentio Vvesmonasterio Abbati.
Ioan. & Vvillelmo Cardinalibus pro Rogo Eboracensi Archiepiscopo.
Ægidio Ebroicensi electo 93. Episcopo.
Bad. Novien. Episcopo.
Monachis Bernacensibus.
Henrico Fiscanensi Abbati.
ad Legatos Alberto & Theodino.
Nicolao monacho de monasterio Arramato.
C Bartolomæo Exoniensi Episcopo.
Abbati de-curia-Dei.
Vvillelmo de Papia Cardinali.
Henrico Remensi Archiepiscopo.
Henrico Baiocensi Episcopo.

*Sermones seu conciones eiusdem Arnulphi.*

Sermo habitus in Concilio Turonensi.
Sermo in synodo.

*Epigrammata varia eiusdem.*

De nativitate Domini.
Henrico Vvitonien. Episcopo.
De innovatione vernali.
De alterna temporum successione.
Poetæ mendico.
Ad iuvenem & puellam vehementi se effectu intuentes.
D In tumulum Henrici Regis, in quo cor & crebrum eius condita sunt.
Quomodo pauperi, vel dimiti dandum.
Tumulus Matildis Imperatricis.
De eadem.
Sub cruce, ex crucifixi persona.
Ad nepotem suum.
Epitaphium Algari Constantiensis Episcopi.
Epitaphium Hugonis Rothomag. Archiep.

*FINIS.*

E

## EX CHRONICO SIGEBERTI Gemblacensis ad annum D. 1181.

ARnulphus Lexoviensis Episcopus, cùm per 40. annos eandem Ecclesiam rexisset, & in ædificando Ecclesiam, & pulcherrimas domos elaborasset, renunciavit Episcopatui, & perrexit Parisios, suos dies dimidiaturus apud sanctum Victorem, in domibus pulcherrimis, quas ibi ad opus suum construxerat.

F

### *EX TOMO I. DISSERTATIONVM P. Labbe in Bellarminum.*

ARnulfus ex Sagiensi Archidiacono, post avunculum suum Ioannem, Lexoviensis in eadem neustria anno 1141. electus ac consecratus Episcopus, in Palestinam cum Ludovico VII. Rege Francorum multisque aliis crucesignatis anno 1147. abiit. Alexandrum III. Papam & S. Thomam Archiepiscopum Cantuariensem egregie tutatus est, tandemque senio iam gravis, & Anglorum Regi Henrico II. iam pridem suspectus, in cœnobium Sancti Victoris ad muros Parisienses se recepit anno 1177. aut 1180. si quidem verum sit per annos 40. potentem opere, & sermone populo suo præfuisse, vixitque usque ad annum 1182. quo ad superos abiit die 31. Augusti, sepultus prope chorum ad altare Sancti Dionysij cum Epitaphio. G De eo plura dabunt authores appendicis ad Sigebertum, Chronica Normannicum & Rothomagense, ac similia; Rogerius de Hoveden, continuator Aimoini, Guillelmus Tyrius, Ioannes Sarisberiensis aliique scriptores vitæ Sancti Thomæ Cantuariensis, Petrus Blesensis, Baronius aliique. Extant ab Odone Turnebo Hadriani filio, primùm edita illius opera, nempe Epistolæ, Conciones, & Epigrammata. Recens quoque tomo 2. spicilegij veterum aliquot scriptorum domni Lucæ Dachery O. B. editus est eiusdem Arnulfi Sagiensis duntaxat Archidiaconi tractatus brevis de schismate orto post Honorij II. Papæ decessum, inter Innocentium II. & Petrum Leonem Antipapam ad Gaufridum Carnotensem Episcopum S. R. E. Legatum.

H

EPISTOLÆ

# ARNVLPHI EPISC. LEXOVIENSIS.

Arnulphus Dei gratia Lexoviensis Ecclesiæ humilis minister dilecto suo Ægidio Rothomagensi Archiepiscopo, Salutem.

EPISTOLAS quæ aliquando diversis à me sunt destinatæ personis in libellum redigi, tuóque desiderio

A desiderio postulas exhiberi: Adquievissem libentius, si scirem quòd eas esses quasi furtivum aliquid habiturus, quia in lucem prodire propriæ imperfectionis conscientia non præsumunt. Timeo enim si publicis exponantur aspectibus, ne lectorem ieiunæ macies orationis offendat, mihique ad iactantiam reputetur editio, quam tamen non fastus ostentationis elicuit, sed instantia tuæ charitatis extorsit. Decreverant eas futuris non reservare temporibus, sed omni protinus abdicare memoria, quia non satis de cultu sermonis, vel sententiarum peritia confidebam. Mallem siquidem eas tenebris damnasse perennibus, quàm ridendi materiam invidiæ præstitisse, quæ eo securius aliena subsannat, quia sua simili periculo non exponit. Non enim cæteri nos vel nostra tuis oculis intuentur, à
B quo si quid in nobis bonum est, magnificatur attentius & imperfectioni venia facilis indulgetur. Animi siquidem eorum quos odij sibi vel invidiæ vendicavit affectio, sicut benignitatem indulgentiæ nesciunt, sic rationis iudicium non attingunt, sed omnia metiuntur affectibus, nihil sua meritorum æstimatione taxantes. Ego itaque voluntati tuæ deesse non audeo, ne forte verecundiam negligentiam putes, quia sicut alternis amicitia convalescit obsequiis, sic alterutrius incuria procedente laxatur. Summo itaque studio congregavi quas potui, quia nulla earum apud me exemplaria residebant, sed ab his a quibus aliquo casu servatæ fuerant, vel ut emendatas accepi. Et antiquiores quidem studia scilicet melioris ætatis elapsæ sunt, quæ recentius exercitia scholaria redolebant, quia ibi & sententiæ promptiore tractabantur ingenio, & vim accurati sermonis copiam ministrabat.
C Tunc enim læta festivo quodam schemate decurrebat oratio, cùm ingenio doctrina concurrens rerum inventiones commoda fœcundi sermonis elocutione formabat. Quæ verò novissimè scripta sunt, quendam trahunt de præsenti senectute defectum, quia provectior ætas memoria iam segniore torpescit, & occupationes necessaria studiis spatia non indulgetur: quoniam instantia Pontificalis officij non tam figuris elocutionum, quam saluti prospicit animarum. Veruntamen si quandoque me vel reverentia personæ, vel negotij quantitas protrahit ad scribendum, omnia mihi cum difficultate proveniunt, cùm & hebetiorem senectus reddat, & insolencia tardiorem. Mitto itaque quod postulanti negare non audeo, sciásque non exhiberi iudici, sed amico, apud quem gratia potius patrocinetur ad veniam, quàm exactio perita reducat ad formam.

### *Ad Robertum Linconiensem Episcopum.*

D Literas vestræ dilectionis accepi, quas tanta charitate complexus sum, quanta tanti viri gratiam decuit gratulatione complecti. Timueram sanè ne memoriam mei apud vos diuturnitas temporis, vel distantia regionum, vel ipsa novissimè vestra promotio delevisset, quoniam novæ dignitates veteras solent amicitias immutare. Creat enim cor novum & novos affectus, novæ conscientia dignitatis: divitésque facti paupertatis amicos, cū ipsa paupertate fastidiunt, ne quid penes eos de veteri videatur inopia residisse. Solos autem venerantur & diligunt quos fortuna conducit, solisque gaudent sublimibus inhærere, ne maiestas dignitatis inferiorum frequentia, vel humili mediocrium gravetur accessu. At verò constantia vestra veterem amicum recenti memoria continens, absentem præsenti charitate complectitur, ipsumque spiritualibus oculis frequentiùs intuens, & Episcopalis nunc fastigij divitias, gratiam & obsequium non minus liberaliter offert, quàm mediocres olim primitias iuventutis. Retinendos creditis quos ad diligendum liberalis invitavit affectio, quos fidei
E veritas, non dolus cupiditatis illexit, qui fidi personæ comites, non fortunæ omnes vobis compartientur eventus. Et ego quidem quantum ad me spectat, quem eiusdem ordinis & similis, licet non tantæ dignitatis gratia sublimavit, hanc in vobis virtutem longanimitatis admiror, quæ scilicet ibi tanto admirabilior est, ubi minoribus eundem exhibetis affectum. Vivebat autem vobis nihilominus apud me vetus, sed non inueterata dilectio, quæ licet ab adolescentia prima processerit, nullam adhuc potuit incurrere senectutem, sed me ad omnia quæ vobis placita forent paratum tota devotione servabat. Quia igitur otiosus amor esse non debet, sed alternis invicem pascitur, & revirescit obsequiis, ad interim à dilectione vestra petendum censui, ut ducem nostrum, cui ius successionis hæreditariæ, regni vestri
F gubernacula debet, quantum honestate vestra poteritis, diligatis, mihique, cùm occasio suggesserit, quod placuerit iniungatis, vt mutuæ dilectionis affectus mutua semper operis exhibitione concrescat. Vale.

### *Ad Ernaldum Bonavallensem Abbatem.*

Venerabilis frater & amicus noster Philippus Abbas infirmitatem vestram, cum magna nobis amaritudine nunciavit, affectum animi lachrymarum testimonio prosecutus. Quod verbum primo statim auditu tantò nobis acerbius extitit, quantò proximè de vestra fueramus præsentia gratulati. Cœperunt
G igitur occurrere mihi quæ de vestra dilectione iocunda provenerant, & si quid simile in futurum sperabatur, sempérque discurrens inter vtrumque consideratio vim mœroris augebat. Occurrebat mihi siquidem charitatis vestræ sanctum illud dulcéque colloquium, quo prævaletis auditorum mentes rerum erudire solertia, & aures iocundi sermonis suavitate mulcere. Recordabar quantam vobis scribendi gratiam bonitas divina contulerat, in qua nescio an magis quis sententiarum fructum, an dicendi peritiam debeat admirari. Hæc enim apud vos tanta sibi invicem paritate respondent, ut neque rerum maiestas verborum coartari videatur angustiis, nec sermonis dignitas aliqua sententiarum excellentia prægravari, in his sanè quæ vel intellectus concipere, vel humana facundia sufficit explanare. Palam est de illius hoc processisse doctrina, cuius spiritus familiarium mentes & linguas tam notitia veritatis, quàm affluentia sermonis illustrat. Denique dolor in miserationem conversus est, dum incommoda vestra laborésque
H contemplor, quibus innocentiam vestram sollicitudo domestica, & persecutoris immanitas incessanter affligunt. Sed & de proximo sperata tranquillitas, quasi de manibus videbatur erepta, ut omnem vobis de præsenti crederetur fortuna requiem invidisse. Potiorem tamen requiem, sicut præsumitur, vobis resolutio contulisset, quia regem in decore suo viderent oculi vestri, ut adimpleret vos lætitia cum vultu suo, quem propter se tot ad præsens tribulationibus passus est infestari. Nobis autem iocundum est vestra vel ad modicum tempus frui præsentia, vestro recreari colloquio, vestro consilio relevari, quoniam vestra si dilata est vobis retributio, non aufertur, sed reposita nobis est in tuto corona iustitiæ, depositúmque fidele quod suum est, suo tempore qui commisit, agnoscit. Dum igitur his super statu vestro considerationibus mea mens compassione debita raptaretur, subitus tanquam ex insperato morbus obrepsit, vt facilè credi posset vestræ partem infirmitatis in me compassionis affectio transfudisse. Hæc tamen est privata passione sublata compassio, sed utrique prospiciens animus duplici cœpit statim incommodo laborare. Visitavit igitur utrumque misericors & miserator Dominus, & utrique ea ratione beneficium sanitatis indulsit, quia alter

A ſine altero perfectè ſanari minimè potuiſſet. Vobis ergo ſervatus ſum, veſtra mihi nihilominus ſapientia reſervata, vt ſecundum legem Chriſti alter alterius onera invicem ſupportemus, & ſecundum exuberantem charitatem alter alterius ſe totum gaudeat vtilitatibus impendiſſe.

### *Ad Henricum Piſanum Legatum Romanum Eccleſiæ.*

POſt diſceſſum veſtrum importunum tertianæ quater paſſus acceſſum, tandem ad medicinæ remedium ſalutare confugi, quod tamen paulò minus mihi moleſtum extitit, quam caloris intemperantia quæ præceſſit. Habent enim medicinæ remedia neſcio quid abominandæ malignitatis admixtum, & ne gratis conferant omne beneficium, ſemper adiuncto maleficio recompenſant, vt etiam cum profuerint, B indignius vleiſcantur. Convalui tamen, & per gratiam Dei & merita veſtra, iocunda mihi ſpes optatæ ſanitatis arridet, portúmque ſalutis noſtra creditur anchora continere. Aliquæ tamen adhuc præteritæ paſſionis inhæsêre reliquiæ, macies, & ægritudinis cognata debilitas, delicatus appetitus, cuius faſtidio nulla copia, nulla ſatisfacere poteſt induſtria miniſtrorum. Ad recidivam medicus paratam dicit eſſe materiam, ideóque ſtudium ſubtilioris obſervantiæ ſcrupuloſius imponit, rupti que labiis & lingua palpitante tanta potum tribuit parcitate, vt ſitim potius irritare, quàm compeſcere velle credatur. Illud enim hominum genus quidam auctoritate ſemper notabile arti ſuæ reverentiam, ſola ſeveritatis exhibitione conquirit, & qui ſi de benignitate vileſceret, infamat omnia quæcunque miſer patientis appetitus expoſcit. Vtinam C quod ad victualia pertinet idem nobis vſus & abſtinentia præberetur, vt ſuſpicionem communicatio tolleret, & fidem pietas compaſſionis augeret. Ad hæc defectum imperitiæ ſuæ culpæ ſemper ægrotantis aſcribunt, vt æger & medici pereat, & calumniæ contumelia crucietur. Denique ad mercedis augmentum ſententioſis ſermonibus incedentes, gratiam ſibi miſericordiæ divinæ præripiunt, vt quod miſeratio divina contulit, de eorum videatur diligentia proveniſſe. Hæc ad præſens apud celſitudinem veſtram incommoda nos excuſent, quia ſi perſonam corporalis impotentia detinet, maieſtati tamen veſtræ devotio charitatis occurrit. Cauſas quoque noſtrorum, quæ interim in veſtro ſunt auditorio ventilandæ, commendamus attentius, vt in eis apud vos & amici diligentiam, & iudicis inveniant æquitatem. Domino quoque Regi ſupplices pro nobis gratias exhibete, quòd infirmitati noſtræ tanta liberalitate compaſſus eſt, & æs alienum quod tam ipſius, quam alia qualibet D occaſione contraxeram, ſi ſecus accideret, regali ſuſcepit munificentia perſolvendum, fidémque devotionis noſtræ, & ſedulitatem laudavit obſequij, eáque ſibi ſæpius extitiſſe fructuoſa cognovit. Dulcius & efficacius inter omnia medicamen accepi gratiam Domini mei, in oportunitate copioſius affluentem, cuius alacritas omnem protinus iniuriam paſſionis excluſit: felicem me, inquam, ſi vnquam inveniar accepiſſe non ingratè, quod tanta tamque facili mihi bonitate collatum eſt, ſi vtilitatibus eius & gloriæ datum mihi fuerit, totis facultatibus, toto ſtudio, totis ſemper viribus inſervire. Licet autem maieſtas beneficij modulum noſtræ parvitatis excedat, digniſſimus profectò dicendus eſt quiſquis totum quod poteſt ad gratiarum congerit actionem.

### *Ad G. Monialem.*

QVoties literas tuæ devotionis accipio, cauſam mihi mœroris afferunt, & ad te ſemper ampliùs diligendam ſinceræ flammam charitatis accendunt. Et cauſam quidem mœroris afferunt, quoniam repræſentatur E menti meæ frater ille meus, quem viventem ſpeciali præ cæteris amore dilexi, cuius quanto vita mihi iocundior extitit, tanto defuncti lachrymoſa recordatio plus doloris importat. Requieſcebat in eo ſpiritus meus, quia ipſum vere me alterum poteram putare, cui me & ipſum mihi non carnis identitas, licet ex eadem ſtirpe procederet, ſed inſeparabilis conſentientium vnitas aſciverat animorum, ſemper alteri collibuit, quod alteri collibebat: nec tam ſuum alter, quàm alterius attendebat affectum, vt illius magis quàm ſuo ſemper afficeretur incommodo, vel commodo lætaretur. Sublata eſt mihi animæ meæ eo decedente pars altera, & intra ſecretum pectoris inane quiddam præcordia ſentiunt, quoniam ſpiritus integritas, potiore ſui parte diminuta, langueſcit. At verò ad te ſicut dictum eſt ampliùs diligendam flammam charitatis accendit, quòd huius te doloris ſo- F ciam & vicariam fraternæ dilectionis agnoſco. Inter te enim & ipſum, cùm adhuc eſſes ſeptennis, parentum interventu contracta fuere ſponſalia, dum illi ſibi de humano coniugio nova amicitiarum fœdera compromittunt, & grata proventuræ ſobolis pignora contemplantur, & humanæ quidem cogitationes ad humanos libere diſponuntur affectus, ſed omnis eſt inanis affectio, cui non deſideratos divina bonitas largitur effectus. Dum enim thalamus illi nuptialis, & coniugalis puellæ maritales deſtinantur amplexus, quam nobilitas generis, quam formæ gratia, quam denique virginalis commendabat integritas, divina ſepulchrum illi depoſitio præparabat, vt de flore iuventutis in pulverem, de gloria pulchritudinis & virtutis in putredinem ſolveretur. Felix tamen ille, ſi prior, immò quia prior cœleſtem thalamum ingreſſus eſt, vt adeptam manſionem dilectæ ſuæ quandoque communicet, & ad agni nuptias pariter introducti, in conſpectu eius copulari valeatis, & in lætitia delectari. Felix tu, quæ corporales aliquando ſuperaſti laſci- G væ voluntatis illecebras, quam ab eiuſcemodi contactu zelus divinæ bonitatis conſervavit intactam, vt munere tibi perpetuæ virginitatis indulto, agnum ſequi quocunque ierit, & ſpirituale illud canticum poſſis cum aſſignatis millibus decantare. Non ergo tibi ſublata ſunt, ſed immutata ſponſalia, vt iam non homini, ſed Deo ſpirituali copula coniugaris, cuius deſiderabilis te foveat & aſtringat amplexus, vt ſit læva eius ſub capite tuo, & dextera eius amplexetur te. Tui itaque ſtudij erit apud hunc, ad quem toto corporis obſequio, tota animæ devotione converſa es, devotis illum precibus commendare, quia zelum huius habita pro illo ſupplicatio non offendet. Novit enim inter te & ipſum nihil carnalis interceſſiſſe commercij, novit quia animus tuus in illa ætate nulla potuit concupiſcentiæ macula deformari. Non eſt ergo quod invideat, non eſt quod te minus reddat acceptam, ſed potius in te caſtum tam piæ dilectionis approbabit affectum, ſcio ſanè quam ſtudioſè id H agas. Neque enim illius apud te poteſt præteriſſe memoria, quem defunctum non minus ſpirituali contemplaris intuitu, quàm viventem corporali mirabaris aſpectu. Porrò quantò ſincerior extitit, tanto diuturnior ſanctæ dilectionis affectio permanebit. Amor enim quem corruptarum carnium generant paſſiones, corruptioni ſemper obnoxius, quantò difficiliùs in principio regitur, tantò poſtmodum faciliùs evaneſcit, adeo vt plerumque convertatur in odium, & voluptas amaritudine compenſetur. Sed & imperfectus eſt, multiſque declaratur indiciis ipſum ex vera charitate non naſci, quoniam tantominus ſingulos neceſſe eſt diligas, quanto hunc in plures partieris affectum. Sed & qui diligitur ſine querela participem non admittit, quoniam ſibi derogatum reputat, quicquid alij ſenſerit impertitum. Sed incorruptibilis amor de ipſa ſinceri ſpiritus veritate procedens, quantò fuerit dilatatus in plures, tantò maius de effuſione contrahit incrementum, nec invidiam participatio

generat,

generat, sed insolubilem sanctæ inter omnes concordiæ firmat amplexum. Hac igitur præsentem sponsum tuum charitate complectere, cúmque non oculis corporis inquire, sed cordis, vt speciem eius, quoniam speciosus est, intueri, & suavitatem eius possis, quoniam suavis est, degustare. Age etiam gratias incessanter, quoniam spiritui corpus servavit intactum, vt puritas invicem puritati respondeat, & tu ei perpetuum valeas integritatis offerre.

### *Ad Dominum Papam Adrianum.*

LAtor præsentium magister Simon miserabiles ad Apostolicam sedem portat iniurias, quarum si ille locus Episcopum habuisset, audita à vobis prius esse debuerat vindicta, quàm culpa. Audite eum, & iniurias eius immò vestras, severitate debita vindicate, ne huiusmodi adversus Apostolicam sedem insolescat audacia, præsertim cùm in partibus illis in contemptum eius plæraque iam incipiant germina pullulare. Occurrendum est igitur ne tractu temporis impunita malignitas convalescat, & vires iniquitati dissimulatio vestra, vel indulgentior gratia subministret. Iam enim nomen Apostolicum, quod hactenus in terra illa reverentiæ fuerat & terroris, in causam scandali versum est, & contemptus: nec appellantem provocatio liberat, sed in se potius vehementiam iudicis exacerbat. Sensit hoc iste, qui propter appellationem reclusus in carcerem, ac miserabili tortus inedia, nec apud Tyrannum sine pecunia, nec apud Episcopum sine detrimento causæ potuit liberari. Et ego quidem pro causa ipsius obnixius supplicare decreveram, sed apud misericordiam vestram facile causam declarata probabit afflictio, & apud gratiam vestram intercessio nostra soluto congaudebit effectu. Verùm privatæ communis causa præponderat, quoniam de Ecclesiæ Dei libertate tractatur, nec iam spes restat vlla refugij, si in irritum deducta fuerit Apostolicæ protectionis auctoritas. Vindicate igitur, ne fortè, quod absit, procedat temeritas in exemplum, sed clarius audita correctio imperitiam doceat, & compescat audaciam.

### *Ad eundem.*

PEtitionem Baiocensis Ecclesiæ de revocatione Episcopi sui debita devotione prosequimur, preces nostras precibus eorum apud misericordiam vestram humiliter adiungentes. Supplicat cum eis quisquis antiqua Ecclesiæ detrimenta cognovit, quam ille de pulvere paupertatis & deiectionis erectam, de paupere divitem, de contemptibili venerabilem, de ignobili reddidit gloriosam. In quibus sanè perficiendis quisquis laborem eius industriámque perspexerit, probabit tum in executione prudentiam, tum magnificentiam in effectu. Testatur hoc ædificiorum reparatio, revocatio possessionum, & antiquæ restauratio dignitatis, quam in conculcationem dederat malignitas & impotentia perversorum. Exultabunt igitur illi, si migraverit is, quo debellante deiecti sunt, iámque manus avidas reparant ad rapinam, qui licentiùs consueverant in iura Ecclesiæ malignari. Quia igitur filij & fideles Ecclesiæ imminentia iam sibi detrimenta præsentiunt, ad discretionis & misericordiæ vestræ subsidium singulare concurrunt, vt ad conservanda quæ collegit suum Episcopum eis remittatis. Homo enim consilij & fortitudinis est, potens in opere & sermone, in regalibus consiliis & negotiis Ecclesiasticis acceptus & efficax, plurimúmque tam ipsi Archiepiscopo, quam omnibus provincialibus Episcopis necessarius ad reprimendam & repellendam ab Ecclesia Dei insolentiam malignorum. Desideratur autem regressus eius ab his qui in terra prudentiores sunt, & si quis adversus eum furtiva malignitate submurmurat, non tam charitate, quàm invidia, nec tantum delictis eius quantum suspecta magnificentia commovetur. Dominus personam vestram Ecclesiæ suæ per tempora multa conservet incolumem.

### *Ad eundem.*

LIteras iamdudum vestræ timidus offero maiestati, quia diu est quòd coram vestra non apparui Sanctitate. Venturus autem fueram iam tertio, nisi me fallax invidi casus importunitas impedisset, quo tribus annis iam hoc propositum meum ad contrarios rapuit violenter eventus. Primo siquidem per bella Francorum, deinde per insperatum Comitis Andegavensis interitum, novissimè per Regiam quæ in filium eius ira recrudvit, ad quam non solùm civitatis nostræ, sed ipsius etiam Ecclesiæ limina tremuerunt. Verùm nunc respirandi fiduciam parant tum partis nostræ iustitia, tum Ducis nostri virtus illustrior, quæ gladios hostium quandoque perterruit, & ad pacis inclinavit affectum. Cùm igitur, Deo volente, sublata fuerit, vel dilata turbatio, nihil poterit incolumem retinere, quin me quam citiùs pedibus vestræ Sanctitatis advolvam, gratissimè suscepturus omnia, quibus moram meam quantumcumque excusabilis appareat, vestra paternitas increpabit. Neque enim apud eum audeo desperare de venia, cuius benignitas manifestæ excusationis impotentiam non excludit. Iterum autem ex veteri procedit audacia, quòd venientem ad vos venerabilem & dilectum fratrem nostrum Episcopum Constantinum precibus commendare præsumo, quamvis pro eo plurimum facere videatur ad gratiam, quod inter initia novi Episcopatus nihil faciendum potius reputavit, quàm Romani Pontificis gratiam quærere, séque totum familiaritati Romanæ Ecclesiæ eò devotiùs, quò velociùs mancipare.

### *Ad eundem.*

PRo causa ex mandato vestro dirimenda, quæ inter Abbatem Gemmeticanum, & monachos vertebatur, ad ipsum monasterium usque descendimus, vt nobis facilius de proximo facies Ecclesiæ & rerum veritas innotescere posset, ac sine sumptu & labore partium ipsa commodiùs controversia terminari. Cæterùm in quamcunque partem debeat culpa conferri, certum est monasterium antiquum & nobile miserabiliter in spiritualibus & temporalibus defecisse, tantúsque inter Abbatem & monachos omnes, exceptis tribus vel quatuor, zelus exarsit, vt in omne tempus de reformanda inter eos concordia desperetur. Tot enim in ipsum turpitudines publicè protulerunt, vt necesse sit semper vtramque partem de vera alterius gratia dubitare, quoniam quiescente fortasse litigio, odiosa probrorum memoria non quiescet. Proposuerunt siquidem adversus eum tria capitula, primum de turpi & innaturali incontinentia, secundum de simonia, tertium de dilapidatione, per quam non tantum ad inopiam, sed & ad extremam inediam se dicebant esse deductos. Ne verò confusionem faceret multitudo, si de tribus promiscuè tractaretur, elegerunt primum illud de incontinentia capitulum: super quo septem accusatores monachos sacerdotes, & novem postmodum testes monachos itidem, sed diversorum ordinum produxerunt. Quorum diligentius explorato testimonio, cognovimus V. singulos de singulis actibus singulare testimonium perhibere, nec aliquem eorum aliquid cum alio percepisse, sed per se sigillatim unumquemque quod dixerit invenisse. Duorum autem qui in vnius actus attestatione producti sunt, reperimus alterum laicum nullius ordinis, olim militem, ideóque ad exhibendam in presbyterum criminis probationem minus idoneum. Alter verò cum eo

detracto

A detracto solitarius remaneret, à nobis est minus sufficiens reputatus. Porrò de duobus nouissimis, qui similiter in vnius, sed alterius actus testimonio processerunt, alter subdiaconus & adolescens inventus est, qui & ipse cùm ob vlteriorem Abbatis familiaritatem suspectus esse fratribus incepisset, se nihil inhonestum de Abbate percepisse constantissimè coram omnibus affirmauit. Vnde pro minori ætate, & ordine, & inconstantia sermonis exclusus, socium nihilominus solitarium fecit. Licet illum quoque lasciuiùs se gessisse & pars adversa diceret, & fama consentiens prædicaret. Quibus omnibus diligenter auditis & cognitis, visum est nobis ex sententia cuncta quæ processerant, sed ad præsumptionem posse proficere, quia probationis privilegium solitaria testimonia non merentur. B Quia igitur præsumptioni standum est, donec in contrarium probetur, Abbati est à nobis adiudicata purgatio, septima quidem manu, trium scilicet Abbatum, & trium monachorum sacerdotum, notæ opinionis, & nominis, quorum iuramentis vulneratæ famæ necessarium posset remedium comparare. Appellatum est ergo à monachis ad octauas Pentecost. Apostoli postulati & traditi, partibusque mandatum, ne interim ab eis appellati nominis Apostolici reverentia læderetur.

## Ad magistrum Petrum Helyæ.

SI ab adolescente nostro laudabilis indoles & industria sperata defecit, certus sum à magistro nec doctrinam nec diligentiam defecisse. Debueram vobis, si se tractabilem præbuisset, sed pluris me constituit fluxa eius & repugnans insolentia debitorem. Quantò enim in eo prosecutio vestra minus invenit obsequij, tantò plus laboris impendi, plus molestiarum oportuit sustineri. Est igitur voluntas nostra, quòd redeat vt tam à nobis, quàm à patre fratribusque correptus, possit ad vos aliquando mutata melius voluntate reverti.

C

## Ad Dominum Papam Alexandrum, cùm esset Cancellarius.

BAndinum vestrum ad Regem vsque perduxi, qui dignationi vestræ gratias agens, eum maiori Procuratori domus suæ tradidit informandum, vt idem ei & necessaria provideret, & inter alios nobiles eum regalibus obsequiis familiariùs adhiberet. Et ille quidem imperata diligenter exequutus, sed etiam imperium quandoque eleganti præcurrit ingenio, promptus ad omnia, quibus debet ingenui adolescentis industria collaudari. Sive igitur aucupationi, seu venationi, quibus studiis Rex multus insistit, seu rebus bellicis intenderetur, regios discursus indefessa celeritate prosequebatur: cæterisque pigritantibus non solùm regi, sed & omnibus qui cum ipso erant vigilanter assistebat, tanquam si vniuscuiusque esset specialiter obsequio deputatus. Vnde plurimam apud regem & apud omnes laudem & gratiam impensa sedulitate prome-
D ruit. At si de moribus docitis inquirendum, Gallicanam perosus incontinentiam seueritatis Italicæ modestiam conseruauit, vestræ memor per omnia disciplinæ. Non enim reddidit sermo petulans, vel effusus infestum, non regales diuitiæ fortioris adolescentiæ robur emollierunt, non opinionem eius aliqua respersit infamia, sed testis conscientiæ pudor ad omnem aspectum & omne alloquium faciem eius casto laudabilis verecundiæ rubore suffundit. Atque hæc mihi quandoque ad Curiam redeunti per plerosque compertum sunt, sed gratius habui quòd hæc & alia de ipsius ore Regis accepi. Adiunxit enim, nullum inter tot nobiles tantæ industriæ, tamque bonæ indolis puerum se habere, magisque ipsum in agnoscenda domus Regiæ disciplina paruo tempore profecisse, quàm alij triennio profecissent. Compertum se habere puerum nobilis esse prosapiæ, cuius ingenuos mores vltro tam prudentia quàm benignitas innata formaret. Placere sibi si apud eum aliquandiu moraretur, vestro tamen remittendum arbitrio, quam primum æstiualis intemperantia præterisset. Existimabitis fortassis quæ scribo fallaces esse blandicias, sed nec sapientem fallere tutum est, nec mendacio convenit labia pollui sacerdotis. Vale.

## Ad Abbatem sancti Ebrulfi.

SCire debetis omnes obligationes prædecessoris vestri in personam vestram recta via transisse, quibuscunque monasterium vestrum in decessu ipsius extitit obligatum: & eædem obligationes, si fortè fuerant, religione qualibet interueniente firmatæ, eidem vinculo vos credatis obnoxium, quem in locum illius successisse constat, & omnes tam vtilitates quàm onera monasterij suscepisse. Propter quod Hugonis & Drogonis de cambium grauiter instantia nos infestat super pecunia, quam prædicto prædecessori vestro totique capitulo crediderit, cuius solutionem certum est ipsum & universitatem totam fide per vicarias manus corporaliter interueniente firmasse. Ad maiorem quoque cautelam decem de fidelibus monasterij pari vinculo se nihilominus astrinxerunt, quos scilicet creditorum providentia magis idoneos credidit ad soluendum. Postmodum verò qua fide, qua diligentia negotium vestrum gesserim apud eos, vestra præsentia recognouit, cùm vobis & vsuras remitti fecerim, & necessitatem solutionis in duorum annorum curricula protogeri. Cumque nulla inter vos posset, nisi me interueniente, prouenire concordia, obligaui me pro vobis, promisso scilicet quòd suo tempore fidem debitam facerem, placitis conventionibus exhiberi. Porro sanctitas vestra minorem meritis meis gratiam retulit, minorem Episcopali reverentiam detulit dignitati, minus opinioni suæ, minus fidei fratrum, salutique prospexit. Quid enim si semel consensit universitas obligari, nunquid reatus Abbatis, aut depositio potuit eos ære alieno quod contraxerant, fideque super ipso præstita, liberare? In vos tamen hæc potius quàm in ipsos debet culpa conferri, cum eis circa spiritualia propensius occupatis, ipsi fidei & diligentiæ vestræ suam & potestatem crediderint & salutem. Quòd si vos curam animarum suscepistis bona fide gerendam, ad conseruandam fidem eorum principaliter intendere debuistis, præsertim cùm huiusmodi transgressio soleat criminalis etiam in sæcularibus æstimari. Super quod si ignorantiam eorum simplicitas fidelis excusat, in vos tam vestra quàm ea quæ eorum futura esset si rescissent, iure culpa transfertur, duplicisque reatus duplex vos constituit negligentia transgressorem. Accedit quòd prudentiam vestram semel iterumque commonui vt creditores exorare, adhibita etiam nostra intercessione, velletis: quod facilè fieri poterat, vt solis precibus salua vobis adhuc esse posset & vtilitas & honestas. Redite igitur ad cor, & contemptum hunc consilio meliore deponite, fidem nostram & vestram & fratrum vestrorum ab hac, si etiam est calumnia, liberate, quoniam res ista plurimam opinioni vestræ iam intulit læsionem, etsi fortassis non abstulerit conscientiæ puritatem. Quòd si veteri proposito decreuistis insistere, me quidem mendacem promissionis existere non oportet, sed vbi consilij mansuetudo non proficit, manum fortitudinis convenit adhibere. Studij itaque vestri sit infra proximum Pentecosten satisfacere, sicut in nostra fuit præsentia constitutum. Alioquin ex ea die fraternitatem vestram ab officio altaris noveritis, ea qua præminemus auctoritate, suspensam: fratrum verò vestrorum conscientiæ relinquo, quo modo munus offerant ad

A ad altare, si non fuerit creditoribus satisfactum, quibus ipsi se, etsi non propriis, vicariis tamen manibus astrinxerit.

### *Ad Abbatem sancti Ebrulfi.*

PRo Willelmo monacho olim nos fraternitati semel & iterum scripsisse meminimus, vt eum in monasterio tuo in quo professus est, reciperes & paratum ad omnem humilitatem & obedientiam benignitate debita confoueres. Quòd si adversus eum fraternitas tua aliquid haberet, quominus recipiendum esse decerneres, idipsum nobis, assignato tibi loco & tempore congruo demonstrares, ne aut ipse sine culpa, societate collegij priuaretur aut quies fratrum importuno reprobandæ personæ turbaretur accessu. Ouis enim ad ouile potiùs humeris est reportanda pastoris, quàm luporum morsibus exponenda, ad cuius salutem impreciabilis ille Christi sanguis effusus est, & B institutionis Evangelicæ doctrina concurrit. Nos verò cùm tu monachum iuxta mandata reciperes, nec post secundam etiam vocationem nostro te conspectui præsentares, ne in contemptum Episcopalis reverentia verteretur, ad veniendum te mandato seueriore compulimus, prædicto fratri de exclusione, nobis de inobedientia responsurum postmodum, tamen ne quid motu quolibet facere crederemur, nosti quanta iniuriam nostram facilitate remisimus, vt & tu exemplo nostro posses ad misericordiam invitari. Tu verò quàm durum te & inexorabilem præstiteris, meministi, asserens sæpe dictum fratrem publica totius capituli sententia condemnatum exisse, pro delicto quodam, quod, sicut aiebas, secundum priuatas institutiones vestras veniam non meretur. Ille verò cùm delictum modis omnibus, sententiamque capituli pernegasset, innocentiam suam testimonio capituli cum omni, sicut visum est, securitate commisit. Placuit itaque nobis consilio magnorum virorum qui aderant, ipsum & religiosas ad capitulum vice nostra destinare personas, per quas nobis exquisitam remitteret attestatio publica veritatem. Tu autem in absentem testimonium dici multa instantia postulabas, nec te permissurum pro nobis ipsum vel capitu- C lum intrare, vel aliquid quod ibi diceretur audire, cùm in inquisitione criminis reos præsentes esse oporteat, & omnem eis audiendi & respondendi copiam indulgeri. Super quo, quia de sæpe dicti fratris crimine noluisti nos facere certiores, necesse habemus ipsum interim innocentem reputare, quem nec propria confessio, nec attestatio qualibet aliena conuincit. Neque enim ipsum pro simplici delatione tua condemnari canonicus ordo permittit, præsertim cùm te eum aliquando exosum habuisse constet, nec adhuc rancorem veteris iracundiæ sepelisse. Per præsentia itaque scripta tibi mandamus, vt eum in claustro cum cæteris fratribus sine dilatione, salua omni pristini status sui integritate, recipias, nec vllis eum molestiis inquietes, sed tanto cum benigniori charitate confoveas, quanto ipsum es severiori vehementia persecutus. Ad benigni siquidem patris amplexum filialis deuotio convalescit, & sicut odia provocantur iniuriis, sic benignitate gratia comparatur. Quòd si fraternitas tua præsentibus detrectaverit obedire man- D datis, ab altaris officio te noueris, ea qua tibi præminemus auctoritate, suspensum, donec & fratri de iniuria, & nobis sit de contemptu ordine iudiciario satisfactum. Nosse siquidem debes in eo qui religionem professus est, inobedientiam crimen esse, ipsumque ad exactissimam diligentiam teneri, qui obedientiam Prælato suo viua voce & scripto, iuramento etiam corporaliter interueniente, adhibita salutiferæ crucis impressione signauit.

### *Ad VVillelm. Cenomanensem Episcopum.*

E DOminus Rad thesaurarius Rothomagensis amicus noster est, compertumque habet quòd ego apud sanctitatem vestram iamdudum plurimam sim gratiam consequutus. Inde est quòd nostra apud vos intercessione postulat adiuuari, quoniam in duobus se grauari conqueritur, super assignatione loci, quem vos ei & Domino Pictauo ad agendum de causa, quæ inter eos vertitur, assignastis. Cùm enim civitas vestra in medio sit ferè constituta, paulò tamen à Rothomagensi civitate remotior, vos eum quasi in occursum adversarij sui ad vlteriora loca trahere destinastis. In quo videtur ei quòd affectio vestra in fauorem oppositæ partis cœperit esse proclivior, quia statim ei de spatij distributione adeo propitius extitistis, vt adversario x L. tantùm milliaria ad veniendum, & ei centum, ipsaque importuniora præfixeritis, ad eundum. Quod si ei censuistis pro Episcopali reuerentia deferendum, F id eatenus faciendum est, ne in onus aut præiudicium alterius liberalitas effusa procedat. Sic enim inter partes media debet esse iudicantis religio, vt liberam de pari singulis exhibeat æquitatem, ne sententiam dictasse videatur affectio, sed iustitia rationis instrumentis compensata formasse. Rogat igitur, nosque pro eo supplicamus attentiùs, vt locus ad agendum facta æquius spatij distributione Cenoman. assignetur, aut citra, vt & nos interesse possimus, quia ob familiaritatem vtriusque partis & gratiam plurimam inter eos componendi fiduciam obtinemus. De alterius verò loci & temporis assignatione, de vobis conqueri pars illa non poterit, quoniam hic citatus semel pro simplici absentia condemnari non potest, donec secundo, vel tertio etiam citatus fortasse sit, vt pro multiplici absentia de manifesta contumacia condemnetur. Valete.

### *Ad Hugonem Rothomagensem Archiepiscopum.*

G SVper iniuria quam nobis infert Dominus Siscanensis literas vestræ maiestatis accepimus, continentes quòd ipse nobis sacerdotem ad Ecclesiam illam de qua agitur per manum vestram consentit offerri. Et nos nimirum sanctæ & benignæ nobis diligentiæ vestræ gratias agimus, sed versuti hominis timemus astutias, ne hoc facto & prudentiam vestram circumvenire, & iustitiæ nostræ præiudicium comparare disponat. Iudicatum enim est inter nos, & à delegatis ab Apostolica sede iudicibus imperatum, vt nobis ablata restituat, & excommunicatos ad satisfactionem venire compellat, sacerdotem offerat, per quem & Ecclesiam & populum nobis, tanquam pastori & Episcopo animarum suarum, faciat obedire. In quo si de alterius & non de ipsius manu suscipimus sacerdotem, non restituta nobis videbitur, sed sequestrata possessio, plurimumque hoc poterit partem nostram, cùm de dominio tractabitur, impedire. Sed nec ad obsequendum iudicibus sola sufficit sacerdotis oblatio, nisi & ea quæ præscripta sunt nobis integrè fecerit exhiberi. Si tamen ad præsens de ea inter nos com- H positione tractaretur, quæ omne in futuro litigium tolleret, possemus ad omnem temperantiam consilio vestræ paternitatis adduci, sed adversario ad pugnam se totis viribus accingenti vires addere, non est imprudentis tantùm hominis, sed insani.

### *Ad Danielem Priorem sanctæ Barbaræ.*

AD gerendam sollicitudinem domus tuæ non pro tua te, frater, virtute vocauimus, sed pro

divinæ

A divinæ fiducia bonitatis, quæ his qui ad regimen animarum purè vocantur & humiliter obedire consentiunt, vberiorem largiri gratiam consueuit. Sicut autem non debebas te non vocatus ingerere, ita vocatus recusare non debes, quia non minus delictum tumor inobedientiæ, quàm zelus ambitionis importat. Quòd si non ex tumore, sed ex humilitate potiùs, sicut putas, & timore desistis, pusillanimitatem hæc mihi sapit humilitas, quæ tantò studiosius deuitanda est, quantò magis periculo desperationis accedit. Sed & si qua vnquam ratione ab hac vocatione fueras absoluendus, non debuisti apud fratres tuos, nec apud auctoritatem nostram literis excusari, nec propriæ voluntati, cui te renunciasse cognoscis, morem gerere, sed personam tuam, quæ magis nostra quàm tua est, pedibus nostris humilis & deuotus offerre, fratrumque tuorum trahi B desideriis & mandatis Pontificalibus inclinari. Porro mora tua rerum temporalium, & quod grauius est, periculum continet animarum, quia incustoditas oues luporum incursibus esse constat expositas, detrimentum, que omne ab eo requirendum est, qui debitam custodiam detrectat aliquibus occasionibus adhibere. Veni igitur, quoniam cum ipso onere gratia tibi diuina concrescet, & nos personam tuam, & domum ipsam solita, vel maiore etiam charitate fouebimus. Et si qua fortè intrinsecus difficultas emerserit, ego in manu forti ante faciem tuam protinus omnia complanabo. Veni, inquam, & infra octauam diem post acceptionem præsentium literarum iter aggredere, nullasque inueniendo causas dilationis admittas, nisi quas necessitas inuincibilis, vel enormis damni euitatio suggesserit admittendas. Quod si non feceris, exinde te, tanquam inobedientem, Episcopali authoritate ab omnium Ecclesiarum introitu summouemus.

### *Ad Ernaldum Bonæuall. Abbatem.*

C De aduentu vestro nihil audieram priusquam vester ad me nuncius peruenisset. Neque enim videram dominum Ebroicensem, sed eadem die ipsum literas vestras Turonum, quò ad Regem veneramus accepi, literarumque breuitatem iocunda communis amici suppleuit oratio. Gauisus sum de incolumitate vestra, gauisus de peregrinationis prouentu, gauisus quòd vestram prudentiam & honestatem honore debito Romana recognouit Ecclesia. Ad cumulum tamen exultationis accessit quòd in proximo visitare nos dilectio vestra constituit, vt & mutuis exhilaremur aspectibus, & iocundis alternæ collocutionis affatibus delectemur. Communicabimus etenim quæ nos interim blanda vel aspera contigerunt, quoniam hæc inter amicos communicatio mouet affectus, vt prospera quidem propter congratulationem dulciora faciat, & aduersa per compatientiam leuiora. Porro siquidem leuius quòd alius mecum pari compassione supportat, ipsamque inter amicos facit exuberare lætitiam, conscia participatio gaudiorum. Quanta igitur possum acceleratione festino, Lexouiumque ipso Kalen. Mart. D die, Domino volente, perueniam: ibidem per dies aliquot, vel in vicinia moraturus. Nuntium autem vestrum per aliquantulum temporis modestè detinui, quoniam incertum me de reditu meo grauia quæ inter Reges vertebantur negotia detinebant.

### *Ad Rad. Dediceto London. Archid.*

Audiui te causa studiorum Parisiis aduenisse, audivi & lætatus sum: Lætatus equidem, vt eius quem diligebam præsens me lætificaret aspectus, & iocunda collocutionis alternæ collatio delectaret. Optabam quoque vt aliqua exhibendi tibi officij refulgeret

E occasio, cuius me dudum merita præuenerunt. Licet enim solum veritas amicitiæ requirat affectum, liberale tamen obsequium non excludit, sed eo potiùs illustratur, quoniam, vt ait sanctus ille, probatio dilectionis, exhibitio est operis. Monet autem quod cùm secundo iam veneris, noluisti ad amicum nec ad momentum etiam declinare, neque saltem præcursorem debitæ salutationis alloquium paucis consignatum apicibus destinare. Hæsi diutius, quotiesque ab illis partibus aliquis apparebat, diuinabam quòd ille mihi iucundum Rad. mei nunciaret aduentum frustratus totiens, ex hoc nunc nihil audeo diuinare, sed charitatem tuam duxi literis præsentibus, si fortè obdormierit, excitandam, aut si quem fortè concepit falsa suspicione languorem, de perseuerantiæ meæ F nuncio conualescat. Noueris enim nihil tibi apud me de pristina charitate periisse, sed quasi duplicatus amor est, cùm eum tibi mea mens cogatur exsoluere, quem aliquando duobus impendebat affectum, sublatus siquidem est è medio communis amicus noster Rad. de Flur. qui dimidium animæ meæ videtur moriens abstulisse. Ipsius mihi semper est colenda memoria, ipsius amor semper, quibuscunque modis id fieri poterit, instaurandus. Duobus autem modis defuncto vicem amicitiæ iudico rependendam, vt primò scilicet piis apud Deum intercessionibus adiuuetur: secundò hi quos ipse dilexerat dilectione vicaria diligantur. Inde est quòd amor noster ab illo in te quasi quodam hæreditariæ successionis iure transfusus est, vt iam te non simplici, sed duplicato complectar affectu. Tibi enim præ cæteris hæc est deferenda successio, quem ille præ cæteris diligebat, tibique eam quasi quodam testamento specialis amicitiæ prærogatiua consignat. Gere igitur suum amicitiæ morem, certisque clarescat indiciis ipsam nouas vires de noua duplicatione traxisse. Scribe autem interim aliquid, vt in alterius vtriusque videar suscepisse sermonem. Iniunge quod vis, vt in altero vtrique videar obsequium præstitisse: visita nos, vt possim G vtriusque personam in altero contemplari. Scribe, inquam, quia si scripseris, hoc ipsum tibi studij poterit augere materiam, nec propositi operis prouectum impediet aut prouentum. Iniunge aliquid, vt aliqua amicitia perseuerantis argumenta procedant, quia eam efficacius comprobat petendi fiducia, quàm liberalitas offerendi. Visita nos quia te, cum desiderium nostrum, tum loci propinquitas, tum etiam solemnitas inuitat. Dominus quoque Willermus de Ver ex promissione tenetur vt veniat, vobisque inuicem solatiari poteritis, & nobis sanctæ solemnitatis gaudia duplicare. Valete.

### *Ad Dominum Papam Alexandrum de promotione sua.*

Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui Ecclesiam suam immaculatam scilicet sponsam dilecti filij sui mirabili semper benignitate diligit & conseruat. Licet enim ipsam aliquibus quando vexari patitur iniuriis, facit tamen cum tentatione prouentum, vt possit sustinere, nec vnquam H portas inferi aduersus eam prævalere permittit. Neque enim expedit vt continuæ prosperitatis status eam insolentem reddat, vel otiositas negligentem, sed humilitatem conseruet afflictio, & vexatio tribuat intellectum. Et ei quidem omnia cooperantur in bonum, dum ipsa tanquam aurum in fornace probatur: & ad augmentum coronæ cuncta proficiunt, dum eam vis aduersitatis fortiorem reddit, & malignitatis infestatio cautiorem. Ipse verò miserator & misericors Dominus ad tempora tribulationis viros virtutis & consilij prouidet & præformat, qui temeritatis audaciam repellere valeant, & malignitatis astutiã nouerint declinare. Quod in sanctæ & gloriosæ recordationis

Innocentio Papa satis euidenter apparuit, qui extollentem se adversus omne quod dicitur aut quod colitur, Deus, detecit hæreticum, quem nobilitas generis, quem diuitiarum cumulus, quem peccatrix eloquentia, quem prudentia sæcularis, quem denique sæcularium hominum fauor publicus attollebat. Prævaluit in athleta Dei veritas falsitati, & humilitati robustæ superba cessit ambitio, de iniquitate iustitia triumphauit. Vidimus siquidem ipsum exaltatum & eleuatum, sicut cedros Libani, & transiuimus, & ecce non erat: quæsiuimus, & non est inventus locus eius, quia nec inter mortuos tumulum neque titulum meruit sepulturæ. Dominus autem sublimauit cornu Christi sui, vt in eo vnitas Ecclesiæ reformari posset, & regnum ipsius omnibus dominari. Memini ego, nec id à vestra reor excidisse memoria, quanta ad mandata eius Principes reverentia moverentur, quàm sublimis extiterit, quantaque maiestate refulserit Ecclesia, quantùm in diebus eius religio munda & immaculata profecerit, adeò vt plures hodie religiosorum deserta contineant, quàm ferarum olim habuerint bestiarum. Arbitrabatur ille ad regendos homines vtendum potius sobriæ seueritatis disciplina, quàm remissæ misericordiæ lenitate, Deo potiùs quam hominibus placere desiderans, ne ob gratiam hominum, coram Deo posset contemptibilis apparere. Vnde & virtus eius semper inter adversa maior enituit, nec tanta postmodum prosperitatis eius insignia claruerunt, quanta præcedentis adversitatis adhuc magnalia celebrantur. Neque enim confidebat in homine, neque carnem ponebat brachium suum, sed potiùs confidebat in Domino, & erat Dominus fiducia eius. Porrò schismata hæc in Ecclesia Romana frequentiùs accidisse, etiam Lateranensis Palatij picturæ demonstrant, vbi Catholicorum patrum pedibus, pro scabello schismatici præsumptores adscriptores sunt, vbi superborum & sublimium colla sapientia propria virtute conterit & conculcat. Quod sanè ea ratione factum, vt sanctis patribus cedat ad gloriam victoriæ testis ascriptio, in qua præsumptores illi vel compressionis pœnam sustinent, vel præsumptionis veniam deprecantur. Vnde & sancti Apostolatus vestri cathedra sine scabello esse non debuit, sed nobiliore scabello debuit illustrari. Neque enim incerta vobis est, aut longinqua victoria, sed humilitas verecundiæ vestræ punitur ad tempus, quæ congregatis in Spiritu sancto patribus distulit obedire. Patri etenim culpæ tenetur obnoxius, qui vocationem Domini prævenit, vel recusat oblatam. Redibit tamen in proximo, Deo volente, serenitas, & modica hæc ad radios veri Solis nebula dissoluetur, redintegrata vnitate Catholica ab omni parte pedibus vestris universitas fidelis occurret. Interim autem quæcunque cæteros studia remorentur, quibuscunque desideriis prophana trahatur ambitio, quantacunque temeritate detestabilis erumpat invidia, ego minor licet omnibus, non minore tamen gaudio quàm cæteri, gloriam vestræ promotionis amplector & vos Apostolum Christi, Petri vicarium, pastorem & Episcopum omnium qui Christiano nomine censentur agnosco, & vobiscum catholicam profiteor vnitatem. Gaudeo itaque quoniam desideratus dies, dies scilicet exultationis illuxit, quo revera restitutam credimus virtutibus gratiam, virgam vitiis, terrorem principibus, Ecclesiæ libertatem. Gaudeo, inquam, quia ex hoc nunc sermo Dei non erit alligatus, sed verbum eius quod in ore vestro verum est, quod impossibile credebatur, facili consummabit effectu. Properassem igitur iam ad pedes vestræ beatitudinis amplectendos, vt ariditatem meam, quasi copiosior de proximo benedictionis vestræ rigaret vbertas, nisi me zelus vtilitatis vestræ maximè tenuisset. Ex quo etenim promotionis vestræ auribus nostris veritas, & oppositæ præsumptionis error innotuit, festinaui ad nostri notitiam Principis id perferre, vt vacantem animum eius fauore vestro, quibus debebam persuasionibus occuparem, ne nos qualibet occasione malignitatis astutia præveniret: faciliùs etenim est animos occupare vacantes, quàm ipsos à conceptis affectibus revocare. Hæsit ille aliquandiu, sed statim operante Spiritus sancti gratia confirmatus, nullum se alium quàm vos suscepturum hilari constantia, constantique simul hilaritate promisit. In quo cùm proximè de differenda vestra susceptione Imperatoris literas accepisset, cui discurrentibus invicem literis & legatis, plurima videtur charitate coniunctus, ne preces eius spreuisse, & in præiudicium eius festinasse videretur, generale quidem suppressit edictum, sed nequaquam manus aut linguam à literarum nominisque vestri veneratione continuit, neque quenquam nostrum voluit continere. Arbitratus est siquidem minus valituram pro vobis edicti iactantiam, quàm operis veritatem. Firma apud eum est & indubitata vestri Apostolatus auctoritas, atque in quancunque partem cor prædicti Principis fuerit inclinatum, iste proculdubio non sequetur errantem. Mei autem studij erit omnes circa eum quasi vigilias obseruare, ne ora loquentium iniqua convaleant, sed ipse in vestra, sicut semel incepit, obedientia perseueret. Felicem enim me, si vnquam in hoc vel in alio beneficentiæ vestræ gratus inveniar, vt devotionis meæ saltem inter cæteros aliquando velit vestra dignatio reminisci. Vestrum quoque est, quoties refulget occasio, prouincias omnes frequentibus visitare mandatis, vt ab omni parte nomini vestro & obedientiæ pariter assuescant, quia non erit qui vel literas non recipere, vel mandatis audeat obuiare.

*Rescriptum Domini Papæ Alexandri.*

ALexander Episcopus seruus seruorum Dei, venerabili fratri Arnulpho Lexouiensi Episcopo salutem, & Apostolicam benedictionem. Litteras à tua nobis prudentia destinatas tantò hilariori mente suscepimus, quantò de vberiori pinguedine charitatis, & ampliori feruore deuotionis eas nouimus processisse. Quas & nos ipsi attentè satis ac diligenter inspeximus, & vt conceptæ dilectionis integritas & probatæ fidei certitudo in tenebris non lateret, sed fieret ignorantibus manifesta, eas in fratrum nostrorum auditorio publicè fecimus recitari. Ipsæ profectò & deuotissimi continebant puritatem animi, nec minus luculentam profundi pectoris eloquentiam redolebant. Novimus autem & immemores non existimus, qualiter sicut & ipsa tua scripta plenariè continebant, sanctæ ac reverendæ memoriæ Innocent. Pap. antecessori nostro, schismaticus ille, qui & generositate naturæ, rerum copia terrenarum, prudentia sæculari, & gratia labiorum, mira æstimatione reddebatur insignis, nefaria temeritate succreuit & innocentem noxius, fortis debilem, armatus inermem, schismaticus catholicum impugnabat. Cæterùm ad quem finem res ipsa, Deo miserante, peruenerit, deuoti & fideles Ecclesiæ filij, per gloriam meritorum; mali verò, per suppliciorum grauamina cognouerunt. Quid etiam de aliis similia præsumentibus antea sæpenumerò contigisset, tu tam fecundè, quàm eleganter in illis eisdem literis expressisti. Temporibusque nostris optimus Deus voluit hæreses suscitare, vt qui probati sunt, manifesti fiant, & vt per nostrum & aliorum catholicorum studium & laborem granis à paleis in area Domini segregatis schismata & hæreses conterantur. Credimus siquidem, & de gratia divina confidimus, quod in proximo sedatis fluctibus procellarum, & ventorum turbine propulsato, dies nobis serenus & fulgidus arridebit. Et calcatis inimicis Ecclesiæ tranquilla in portu Petri nauicula residebit. Persoluimus autem gratias omnium conditori, laudum præconia referentes, quòd magnificum illũ & serenissimum orbis Principem Henricum Regẽ Anglorum audimus firmum & stabilem in Catholicæ

A vnitate Ecclesiæ permanere, & quòd per tuam præsertim inductionem idem in sancto proposito animum solidauit. Rogamus sane vt ita vigil semper circa eum & sollicitus perseueres, ne per frequentes vexationes Imperatoris & nunciorum suorum, a deuotione Ecclesiæ & nostra, quod absit, velit modo quolibet declinare. Volumus quidem te apud eundem Regem & Episcopos atque adiacentes personas, quasi quendam Apostolum & nuncium veritatis in illis partibus, experiri. Circumpositos quoque & vicinos Episcopos, & tam Ecclesiasticas quam sæculares personas, nobiles præcipue ac potentes, ad hoc ipsum efficaci studio & omni diligentia exhorteris. Nos enim personam tuam quam sincera charitate in Domino diligamus, atque ad honorem & exaltationem tuam quam prompto animo velimus intendere, per illum dilectionis feruorem, quem circa te & ante promotionem nostram habuimus, discretionis tuæ prudentiam non credimus ignorare. Præterea qualiter Fridericus Romanorum Imperator, auorum suorum sceleratissima vestigia subsecutus, circa sacro-sanctam Ecclesiam Romanam in præsenti se habeat, & olim habuerit, & qualem circa eam animum gerat, qui vtique specialis eius patronus deberet & defensor existere, multis rerum indiciis a longis retro temporibus, ad notitiam tuam non ambigimus peruenisse. A tempore siquidem antecessoris nostri piæ recordationis Adriani Papæ, & ab exordio dignitatis suæ sanctam Romanam Ecclesiam tanquam tyrannus, opportunè & importunè infestare: Archiepiscopos etiamque & Episcopos a sede Apostolica redeuntes, in ignominiam & detrimentum Ecclesiæ plerunque capi turpiter & inhoneste præcepit, eosque fecit carceris custodiæ mancipari. Nos quoque in minori officio constitutos, qui cum venerabili fratre nostro B. nunc Portuensi Episcopo, ad eum fuimus delegati, qualiter apud Bisantium ipse tractauerit, & quam indignè receperit, non opus est nos in præsenti referre, quia credimus te id ipsum plenariè cognouisse. Veniente etiam prædicto antecessore nostro, patrimonium beati Petri violenter inuasit, & eandem Romanam Ecclesiam nisus est modis omnibus conculcare, ita quòd a pluribus dicebatur, & quasi fama communis habebat, quoniam eo superstite Oct. qui semper fuit domesticus Ecclesiæ inimicus, ordinare Apostolicum, immo Apostaticum, si opportunitatem acciperet, intendebat. C Quia verò illo viuente omnipotens Deus non permisit eum conceptam vesaniam exercere, post mortem eius opportunitate concepta prædictum Oct. schismaticum simoniacum, & manifestissimum inuasorem, qui cum tribus tantùm malitiæ suæ complicibus, sicut totus penè mundus agnouit, post canonicam & vnanimem electionem nostram mantum arripuit, & ita se damnabili præsumptione intrusit, in tanta iniquitate modis omnibus manu tenuit, & quidquid ille fecit, solo fauore, potentia, & auctoritate ipsius, & nunciorum suorum, qui in vrbe præsentes extiterant, eum fecisse absque ambiguitate tenemus. Vnde ad confirmationem ipsius, immo vt omnem videretur in Ecclesia Dei auctoritatem habere, Archiepiscopos, & alios Ecclesiarum Prælatos, apud Papiam, contra sacrorum instituta Canonum, prout ei placuit, conuocauit. D Ille autem, sicut homo qui nec in Deo, nec in iustitia confidebat, in ipsius Imperatoris præsentia per aliquot dies, velut pro certo accepimus, insignia Pontificatus abiecit, sicut enim in nostro & fratrum nostrorum conspectu, dum Romæ olim nos teneret inclusos, suam malitiam recognoscens, facere voluit, ea quidem conditione seruata, vt nos ei postmodum reddere deberemus. Cumque nos ea recipere sub hac conditione noluemus, ipse in sua pertinacia & damnabili præsumptione permansit. Cæterùm vt prædictus Imperator Ecclesiam Dei suæ videretur subiugare & supponere ditioni, & eam in supremam redigere seruitutem, memorato apostatico, sicut dictum est, Pontificalia insignia reddidit, & eum de Papatu, E quod est à sæculis inauditum, per annulum, prout dicitur inuestiuit. Quosdam etiam Episcopos, aliis discretioribus & honestioribus occultè de illo conciliabulo fugientibus, & reuerentiam exhibere laicali violentia tyrannica oppressione coegit. Sic enim Reges & Principes diuersarum partium sibi intendit, tum materiali gladio subiugare, si in hac parte, quod absit, nefandissimum eius propositum præualeret. Ad hæc, iuxta prudentiæ tuæ consilium, Rothomagensi Archiepiscopo eiusque suffraganeis, & aliis per Normaniam constitutis, exhortationis literas destinamus. De cætero memoratum Fredericum Imperatorem, pro eo quod Oct. schismaticum recepit, & ei pertinaciter adhærere præsumit, cum eodem Oct. & cum aliis principalibus fautoribus suis, nos de communi fratrum nostrorum consilio, in cœna Domini publicè ac solemniter excommunicasse cognoscas. Data Anagn. Kal. Aprilis. F

### *Ad Archiepiscopos & Episcopos Angliæ.*

QVanta tempestate laboret Ecclesia, atque in quanto videatur periculo constituta, vestra quos hic dolor tangit prudentia non ignorat. Et filij quidem Babylonis prospiciunt & exultant, qui quasi certum auspicantes de procellarum quantitate naufragium, ad diripiendas sarcinas & ipsa nauigij tabulata concurrunt. Nobis autem securitatem præstat diuina promissio, qua portas inferi aduersus eam præualere non sinit, sed vexationis iniurias victoriæ certitudo compensat. Neque enim desperationi locus est, vbi causam rectitudo commendat, & virtutem patientiæ firmat interim conscientia veritatis. Causæ siquidem nostræ nec ignota veritas est, nec incerta iustitia, sed res luce clarior & prauitatis nube negotium purgat, & omni iudicium absoluit errore. Si enim persona personæ comparetur, nostram perfectio scientiæ, & omnium virtutum format integritas, quod non magis nostræ, quàm aduersariæ quoque partis testimonio confirmatur. Alteri verò si nobilitas generis, & quæsita ob hoc ipsum potentium gratia subtrahatur, non erit vnde ad maiestatis G Apostolicæ fastigium audeat aspirare. Sed & si facta electionum inuicem conferantur, electionem nostram omni ordine, omni solemnitate, omni denique ratione subnixam; alteram plenam impudentia constat, & omni rationis adminiculo destitutam. Nunquid enim vnius Episcopi, ipsiusque quem nostis & duorum Cardinalium toti Ecclesiæ præiudicabit auctoritas, & reprobata vniuersitate Catholica intra quaternitatis huius angustias coarctata credetur? Nunquid consecrationi ritè ac solenniter per eam cuius interest multitudinem celebratæ, ea quæ post modum per paucas ipsasque emendicatas manus contracta est poterit præualere? Nunquid impudentiam coniecti sibi propriis manibus indumenti minax redemptorum satellitum violentia consecrabit? Certum si quidem est Oct. Ecclesiam beati Petri, cùm ibi celebranda foret electio, armatorum copia compleuisse, vt quod H de meritis suis & sanctorum patrum gratia non sperabat, strictus in ceruices resistentium gladius vsurparet. Denique consensu omnium in personam sanctissimi patris Alexandri firmato, dum ipse laudabili verecundia renuit & excusat, impositumque sibi manibus fere omnium pluuiale repellit, dissimulare vlterius ambitio non potuit vel differre, sed eâdem temeritate nullo adhuc Cardinalium, sicut dicitur, prosequente cucurrit ad cathedram, ea nimirum fiducia, quòd sanctitatis vestimentis non posset ab inermibus amoueri. Par quoque palatium festinatione conscendit, vt primus vtramque cathedram videretur insedisse, & quem iure non poterat, saltem de

**A** feſtinatione ſortiretur aſcenſum, quo prædicti tres cum de tota univerſitate ſecuti ſunt. Alij gladiis diſcurrentibus territi, cum electo ſuo in munitionem proximã conceſſerunt, vbi eos adverſarius ille novem diebus obſeſſos gladiis tenuit & incluſos, exiguam ſicut poterant alimoniam toto illo tempore mendicantes. Vnde etiam ſibi mentiendi cauſam compenit iniquitas, aſſerens Oct. priuſquam alter eligeretur, per novem dies Apoſtolatus cathedram ſolitarium inſediſſe, quaſi ille ab initio licet renuerit non fuiſſet electus, vniuſque violenta poſſeſſio ſanctificare iniuſtitiam, & ambitionis audaciam valeat expiare. Porrò illi de carcere beneficio Senatus educti ad locum quo Apoſtolica inſignia ſervabantur, Domino miſerante perducti ſunt, vt electio manciparetur effectui, & electus gratiam conſecrationis per manum Hoſtienſis Epiſcopi, ad quem hoc iure ſpeciali pertinebat, acciperet. Denique Cardinales & Epiſcopi, qui per diverſas Provincias legationis fungebantur officio, ad eum pari devotione converſi ſunt, totique iam Eccleſiæ Dei indubitatæ trãquillitatis **B** ſerenitas arrideret, niſi homo ille ad præparatum Imperatoris auxilium transfugiſſet. Verùm ille gloriæ ſuæ & non Dei ſedulus æmulator, deſiderij complendi, quod de proavorum exemplo conceperat, occaſionem lætabundus accepit. Noſtis enim prædeceſſores eius ad ſubiugandam ditioni ſuæ Romanam Eccleſiam à longis retrò temporibus aſpiraſſe, ipſoſque adverſus eam ſemper vel ſuſcitaſſe, vel foviſſe ſchiſmaticos, quo magis iure eius, cui ipſi miniſterium debent, affectatum poſſent imperium exercere, eamque ad ſuam converſo ordine non diſponere, ſed evertere voluntatem. Benè tamen, quoniam quiſquis ad hanc de confidentia poteſtatis illius prorupit audaciam, in ruinam ſibi factus eſt, cæteris in exemplum, quò confuſa deinceps ceſſaret elatio, & ſua Eccleſiæ Dei dignitas & reverentia ſervaretur. Cæterum hic blanda ſchiſmatici deſperantis humiliatione ſeductus eſt, dum ille perſonam ſuam arbitrio eius exponit & cauſam, neque ſe quicquam fore, niſi de ſola ipſius voluntate præſumit. Vnde & ad pedes eius ipſa dicitur Apoſtolatus inſignia reſignaſſe, poſteaque de manu ipſius inveſtituram accepiſſe per annulum, vt veteri ſcilicet quæſtione com**C**poſita, regnum planè de ſacerdotio, de ſpiritualibus temporalia, de Eccleſiaſticis viderentur ſæcularia triumphaſſe. Indignum facinus, omnibuſque ſæculis deteſtanda malitia, ordinationem ſcilicet divinam qualibet temeritate convertere, & redemptam ſanguine Chriſti perimere libertatem. Prædictus itaque Princeps negotium ſuum, tanquam ſub vmbra pietatis exercens, Eccleſiaſticum congregavit ſæculari poteſtate conventum, vt præſumptionem ſchiſmatici illius proprio roboraret aſſenſu, & quos poſſet ad obedientiam illius tyrannicæ poteſtatis terroribus inclinaret, ea ſiquidem intentione, vt vtriuſque gladij virtute comminuta priſtinam reformet imperij maieſtatem, vt vtriuſque invicem cooperante potentia, omnia regna propriæ ſubiiciat ditioni. Porrò illi quos ſchiſmatico conciliaverat neceſſitas aut voluntas, falſitatis & blaſphemiæ ſymbolum conſcripſerunt, vt quod de veritate non poſſunt, ſaltem conquiſitæ multitudinis ſuffragio prævalere credantur. Quod ſcriptum ſi fortè contigerit ad ſapientiæ veſtræ venire conſpectum, multa ple**D**num falſitate credatis, licet etiam ſi abſolutam contineret in omnibus veritatem, nihil quod ibi diſpoſitum ſit, aliquem de iure ſortiretur effectum. Neque enim arbitrium dici poteſt, ad quod voluntaria partium compromiſſio non aſtringit, nec iudicialis ſententia, quæ nec ab ordinaria iuriſdictione, nec à delegata procedit. Sed & cauſam communem privata auctoritate decidere, qua arrogantia præſumpſerunt, nobiſque tanquam inferioribus imponere magiſtratum, quos divina bonitas pares ordine, eadem ſpectabiles conſtituit dignitate. Sed neque cauſa dici debet, vbi inter conſentientes nullum potuit eſſe litigium, neque ſine contradictione quæſtio vel formari potuit, vel abſolui.

**E** Ad hæc ſi quod de Oct. factum eſt ab initio fortè non valuit, ex poſt facto iſtorum nullo iure valuit, confirmari cum ipſe iam ab eo qui poterat condemnationis ſententiam, debitique pœnam anathematis excepiſſet. Scio ſapientiam veſtram validioribus argumentis, potioribuſque rationibus abundare, vt Papienſe illud Conciliabulum nullius reputetis extitiſſe momenti, à vobis etiam minus intelligentium ſimplicitas valeat edoceri. Benedictus autem pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, qui Eccleſiæ Gallicanæ ſolitam miſericordiam benignus impendit, vt eam ſemper & agnitione veritatis illuſtret, & pedes eius à iuſtitiæ tramite nullatenus aberrare permittat. Sicut enim omnes quos ad oppreſſionem Romanæ Eccleſiæ rabida Teutonici furoris provexit invidia virtus altiſſimi manifeſta deiecit, ſic omnibus quos devotio Gallicana ſuſcepit, victoriam ſemper contulit & triumphum. Cumque multis conſtet cæteras regiones abundaſſe portentis, ſola Gallia monſtra non habuit, ſed ſinceritate fidei, doctrinæ veritate, virtutum quo**F**que titulis, & plurima operum exhibitione præfulſit. Vnde nunc quoque perſonarum penitus qualitate diſcuſſa, factiſque electionum pleniùs exploratis, in perſonam ſanctiſſimi patris Alexandri, de verè Catholici & ſereniſſimi Regis ſui beneplacito convenerunt, literaſque eius & nuncios paſſim & ſuſcipiunt & honorant. Sed quia inter ipſum & Principem noſtrum, Deo volente, noviter eſt reformata concordia, placuit ob gratiam ipſius ad momentum differre publicandæ ſuſceptionis edictum, donec iſte noſter Eccleſiam regni ſui conſuluiſſe poſſet, & quod mente concepit, aſſenſus veſtri conniventia confirmaſſe. Neque enim prudentiam Regalis excellentiæ decuit, aliquid ſuper tanto negotio inconſulta veſtra ſapientia diffinire, ne gloriam ſuam alteri dediſſe videretur, & reverentiam veſtram minoris quàm debuit æſtimaſſe. Quæ tamen ſuper hoc ipſius ab initio voluntas extiterit, multis declaravit indiciis & expreſſit, quoniam patris Alexandri nuncios & literas cum reverentia ſemper excepit & gratia, nullumque ſe alium ſuſcepturum, adhibita ſæpe coram omnibus aſſeveratione, **G** prædixit. Porrò literas Oct. oblatas renuit manu regia, velut immundum aliquid ſordidumque contingere, ſed in contemptum eius ligneæ tabellæ, quam ipſe de pulvere ſuſtulit, manibus offerentis impoſitas, ipſe ſtatim coram nuntio poſt dorſum ſuum quàm ſublimiùs potuit, riſu multitudinis quæ aderat proſequente, proiecit. Ex his igitur manifeſtum eſt voluntatem eius in favorem domini Alexandri, ſine omni ambiguitate firmatam, ipſumque veſtrum magis ob reverentiam quæſiſſe conſilium, quàm pro abſolvenda qualibet ſuper hoc negotio quæſtione. Solent enim Principes Dominique terrarum maiora negotia quadam ſemper mora ſuſpendere, vt dilatione creſcat auctoritas, & maior lætitia deſideria protracta conſummet. Super quo planè cum in idem favor Principis veritaſque concurrant, manifeſtè vobis viam reſponſionis gratia divinæ bonitatis aſſignat. Oportet tamen vos propter aliquos, qui inter vos ſunt, ſollicitè providere qui ſe ſchiſmatico illi dicunt cognatione coniunctos, ne malignitas fortè prævaleat, & eam quæ ex Deo eſt ſupplantet carnis affectio charitatem. Sed cùm univerſitas veſtra conveneris, nolite quorumlibet ex**H**pectare ſententias, nec eorum timeatis offenſam, ſed conceptum ſtatim in virtute ſpiritus vſurpate ſermonem, ne diſſimulatio veſtra pravitati præſtet audaciam, veſtroque ſilentio blaſphemiarum primitia convaleſcant. Tempeſtivus igitur zelus iuſtitiæ per os veſtrum de libertate conſcientiæ, & confidentia veritatis erumpat, vt quaſi quodam ſpirituali tonitruo terreatur iniquitas & præparata ad ſubverſionem fidei fallacia ſuffocetur. Dominus mentes veſtras in bonum ſua pietate dirigat & confirmet, vt Eccleſiæ eius ſtudio veſtro reformetur integritas, & quæ vos tantis vltrò beneficiis & ho-

A nore prævenit, gratos oportunitate sentiat & fideles.

## *Ad Ioan. Neapolit. & Vuillelm. Papiensem Cardinalem.*

AVdita sanctæ Romanæ Ecclesiæ turbatione condolui, quia dolorem matris audire sine compassione non poteram filius specialis. Mihi enim dolor ille specialius incumbebat, quem ipsa semper hactenus tanta charitate dilexit, tanta familiaritate dignata est, tot beneficiis & honoribus illustravit. Postmodum autem audito in cujus personam omnium fere vota convenerant, mœrorem gaudio, plorationem cythara, vocem planctus organo commutavi. Gavisus siquidem sum paucos à generali concordia descivisse, quorum numerus nihil aut parum unitati Catholicæ poterit derogare. Gavisus, inquam, quia ei rerum summa commissa est, per quem facilè restauranda libertas Ecclesiæ creditur & honestas. Porrò mea non fuit interim otiosa devotio, sed apud eos in quorum B oculis Deus mihi dedit aliquid authoritatis & gratiæ, causam Ecclesiæ peroravi, & Principem nostrum Regem Anglorum, in favorem patris hujus primus & solus adhibito quod oportuit instantiæ confirmavi. Profectò venissem jam ad pedes Apostolicæ beatitudinis amplectendos, & miscendum desiderabile cum vestra charitate colloquium, nisi belligerante in partibus nostris Principe, multis me importunitatibus necessitas improba detineret. Vestræ itaque benignitatis erit & gratiæ, absentiam meam interim apud eum vestra supplere præsentia, obsequiúmque meum, si aliqua videbitur parte opportunum, offerre, quoniam ad omne quod paucis mihi fuerit apicibus indicatum, paratus sum ei & vobis tota devotione totam impendere facultatem.

## *Ad Cardinales Romanæ Ecclesiæ de Electione domini Papæ Alexandri.*

C QVàm utilis apud Principes nostros ad agnitionem sancti Apostolatus, Reverendissimi Domini & patris nostri Alexandri Papæ diligentia nostræ devotionis extiterit, ad notitiam vestram fidelium relatione perveniet aut pervenit. Neque enim necessaria mihi est in hac parte jactantia, ut tui vobis veritas innotescat, quoniam me etiam dissimulante latere non poterit, quòd Normannia tota mirata est, & ipsa de longinquo nihilominus Anglia recognovit. Bene autem mihi, quia jam fructum diligentiæ hujus præmiúmque laboris accipio, quoniam mihi salva est gloria mea, testimonium scilicet conscientiæ meæ, penes quam gratiæ Apostolicæ plenitudinem & indubitatam divinæ benedictionis percipio veritatem. Gaudeo itaque sciens me revera matris meæ gremio contineri, ipsiúsque sacris foveri complexibus & sinceris uberibus allactari. Gaudeo, inquam, cognoscens D quam obstinato Schismatici miserandæ cæcitatis claudantur errore, quorum oculos circumfusæ lucis radij non illustrant, sed ipse potiùs excedens manifestæ fulgor claritatis offundit. Indicati sunt, debitamque commissi reatus excepêre sententiam, quos Ecclesia tanquam degeneres Sathanæ tradidit in interitum carnis, & à Catholica depulit unitate. Neque caret executione sententia, sed in dilato mancipatur effectui, cùm eos interim & conscientia torqueat, & imminens quotidie prævalentis Ecclesiæ triumphus affligat. Porrò benigniùs Ecclesiæ suæ sapientia divina providit manifestam faciens omnibus veritatem, ut nec simplicitas ignorantiam, nec malignitas probabile quidlibet valeat alligare. Si enim eos quos ab unitate Catholica prophana sejunxit ambitio, numerus, vel opinio, vel qualibet electionis forma defenderet, ali- E qua fortassis erroris materia contrahi potuisset. Sed tres tantum de tota universitate seducti sunt, & in tanè, quos magis supportare videbatur Ecclesia, quam in aliquo de eorum industria gloriari, quia scilicet eos nec virtutis elegantia, nec literarum peritia commendabat. Nunquid enim is qui inter eos ætate præcedebat & ordine, Tuscul. loquor, horam quietis & prandij solitus observare: Epicurus alter reputabatur, ob omnibus omnium negligens, nisi alicujus forte quod oblata sperati proventus auspicatio præveniret. Quod adeo verum est, ut cæteris laborantibus solus præmaturè, sicut dicitur, ab electione discesserit, quoniam hora prandij videbatur instare, ne avidus desiderio suo fraudaretur exactor, & inania adversus negligentes manus inciperent viscera murmurare. Alius affectatæ cancellariæ confusus opprobrio, & alienæ prælationis honore dejectus, conceptum de invidia personale odium in Ecclesiam convertere temeraria F malignitate præsumpsit. Tertius verò solius inter alios peritutæ privilegio carnis exultans, arbitratus est nihil negandum sanguini, nihil sacris Canonibus defendendum. Neque enim potest debitam eis exhibere reverentiam, quos ignorat. Ideóque similem sibi Brutum brutus elegit, ut in utroque sibi invicem de pari literarum imperitia responderent. Sed & Apostolicæ severitatis eos disciplina terrebat, ne eorum præcipitem cohiberet audaciam, & vagos temerariæ cupiditatis frænaret excursus. Hic numerus, hæc tanta peritia, hoc tam venerabile sanctúmque collegium, Ecclesiam Dei, immaculatam scilicet sponsam dilecti filij sui, renitentibus universis affectavit ad propriam pertrahere voluptaté, & à dextris Regis ad detestabiles Sathanæ transferre complexus. Vila tamen totius ferè universitatis concordia desperati, ad unitaté statim redituri fuerant vel inviti: sed stupentibus ipsis, ideóque cessantibus Schismatici majoris diutius effrænata non tulit ambitio, præparatóque furtim, sicut dicitur, pluviali de manibus offerentis arrepto, in G humeros suos tanta festinatione conjecit, ut hærentibus collo fimbriis pavimentum lamberet pars superior indumenti. Sic indutus ad cathedram, nullo adhuc etiam prædictorum comitante cucurrit, nomen ipse sibi victoris acclamans, & ad suffragandum sibi & decantandas laudes præparator impudenter exhortans. Mirum spectaculum, nec manifesto carens futuræ veritatis auspicio, scilicet quod hic ei in ruinam quandoque vertetur ascensus, sicut ipsa præsumptæ chlamydis inversa conversio præsignabat. Interea reseratis Ecclesiæ foribus, infame illud maledictorum genus irrupit: hoc enim cognationis illius vetus agnomen est, de qua ad effundendam benedictionem in omnes gentes Pontifex dicebatur assumi. Qualiter autem de stirpe maledictionis possit benedictio propagari, facilè non apparet, præsertim per istum, in quo vetustæ maledictionis opprobrium merita contractæ noviter execrationis attollunt. Discurrentibus H igitur armatis, cœpit per Ecclesiam, quasi quædam Theatralis scena, disponi, dum parietes fulgor illustraret armorum, & lasciva quasi triumphantium acclamatio resultaret. Horum manibus demique pluviali composito, ad Palatium usque perductus est, comitantibus his paucísque Sacerdotibus, quorum infamis quæstus est simplicitatem peregrinorum eludere, & assiduis altare beati Petri sacrilegus infestare. Porrò hæc initia ejus non sunt meliore gavisa processu, si quis vel emendicatæ execrationis ordinem, vel redemptam laicæ gratiam potestatis exquirat. Nonne enim sacrilegij facinus de majori cumulum iniquitate contraxit, cum simoniacam constet intercessisse per omnia pravitatem, sicut refusa Senatui populoque Romano pecunia, publicísque palam ædificiis impensa convincit. Sed & hoc immanius est, quòd redemptam sanguine Christi prostituit libertatem, quatenus Ecclesia, quæ jure suo cunctis semper est dominata Principibus, Officialis sui manciparetur obsequio,

quo & incomparabilis privilegium majestatis amitteret, & ad miserabilem statum conditionis novissimè deveniret. Et nos quidem non potuimus hæc oculis præsentibus intueri, sed veritas ad nos per eos qui viderunt fideli relatione pervenit. Quod autem publicè gestum est, multorum nobis testimonio potuit confirmari, præsertim cùm testes præreptæ dignitatis honore præfulgeant, & simplex absolutam reddat concordia veritatem. Hac igitur parte de qualitate negotij, & personarum meritis æstimata, jocundum mihi est ad partem alteram oculos animúmque convertere, & opus eorum qui elegerunt per singulas partes toto mentis gaudio contemplari, eíque referre gratias, qui sancto collegio vestro prudentiam contulit & virtutem, qua & serpentis declinare malitiam, & grassantis superbiæ valuistis repellere gravitatem. Sed neque nomen partis tantilla eorum meretur exceptio, nec universitatem nostram partis decet appellatione censeri, quia perditorum segregatio numerum non minuit electorum, nec detrimentum sentit area domini, si granis manentibus paleæ ventilabro purgante discedunt. Igitur omnia recensenti manifestum quòd sanctitatis zelus consecravit initia, processum juncta prudentiæ fortitudo direxit, patientia debito consummabit effectu, pacem Deo volente perseverantiæ fides inconcussa præstabit. Nihil hic carnale, nihil terrenum, nihil vestri ad privatam utilitatem oculi respexerunt, sed ad commune bonum, & honorem Ecclesiæ, totis vos constat anhelasse desideriis, totis viribus insudasse. Prædicabitur itaque nomen vestrum, & à mari usque ad mare excellentiæ vestræ gloria personabit, formámque dabit posteris & exemplum, ne à justitia & veritate persecutionis cujuslibet errore discedant. Ad hæc, spiritus quoque testimonium perhibet spiritui nostro, quia nobiscum schismaticum illum publica omnium conscientia respuit & condemnat, & electum nobis Antistitem sinceræ charitatis & reverentiæ brachiis amplexatur. Opera siquidem illius manifesta sunt, opera scilicet maledictionis & scandali, opus autem istius in benedictione est, & favor ejus in gentes quotidie convalescit. Corda enim omnium nobiscum sunt, eorum etiam quorum linguæ nobis qualibet sæculari necessitate reclamant, adeo ut si nondum de corporibus, de cordibus tamen omnium verum sit Ecclesiam triumphasse. Nonne enim in eos qui ab hac fidei unitate dissentiunt ultio divina manifestè procedit, & voluntas ejus evidentibus indiciis declarata patescit? Nonne Princeps ille, cui similem à multo tempore Roma non habuit, cujus dominus apprehendisse dexteram dicebatur, cujus ferè usque ad remota Orientis terror excesserat à die susceptionis Oct. divino cœpit judicio reprobari, adeo ut hi quos ante securos mœnia non reddebant, congredi cominus ausi sint, & ei de prosperitate successuum insultare? Re vera digitus Dei est hic, dexteræ excelsi repentina mutatio parcentis adhuc & in ira corripere differentis. Vtinam saperet, & intelligeret, & novissima provideret, quia tot detrimenta præsentium quædam sunt indicia futurorum. Omnibus igitur ab initio ritè perspectis, domini & patres mei, magna vos convenit exultatione gaudere, quòd de omni carne singulariter estis ad hoc tempus electi, per quos fidei veritas, per quos forma justitiæ, per quos Ecclesiæ libertas inconvulsa servetur. Quòd enim nos in hac vobiscum unitate consistimus, quòd hæreticam pravitatem cum suo detestamur auctore, vobis debetur gratia, qui cœpistis, à quibus nos authoritatem duximus & exemplum. Ipsi itaque duces nostri, ipsi re vera de fortissimis Israël estis, quibus lectulus Salomonis datus est, propter timores nocturnos fidelibus excubiis ambiendus. Ad vos, velut ad lucernam super candelabrum positam, Orientalis pariter & Occidentalis concurrit Ecclesia, sed ad insulas quæ procul sunt, sonus veritatis exivit, à quibus, tanquam à finibus terræ, plerique jam per discrimina multa venerunt audire sapientiam Salomonis. Licet enim nos plurima locorum spatia disjungant, charitas semper indivisa conjungit quos unus spiritus, una fides, una confessio dirigit ad salutem. In hac decrevimus vobiscum constantia permanere, in hac vobiscum vivendum est, in hac cùm voluntas divina decreverit moriendum, quia neque mors, neque vita, neque aliquid unquam ab hujus nos sententiæ professione sejunget. Interim si domino nostro & vobis nostram non possimus præsentiam exhibere, aliqua tamen ex parte supplet devotio charitatis absentiam, quoniam venerabilibus patribus nostris sedis Apostolicæ legatis assistimus, cum eis toto studio sanctæ Romanæ Ecclesiæ utilitatibus insistentes. In quibus tanta refulget Apostolicæ sanctitatis & doctrinæ perfectio, ut eis plus gratiæ merita contrahant, quàm terroris reverentia disciplinæ. Viri sunt, quorum sanctitatem miratur populus, sapientiam clerus usquequaque collaudat, ad virtutem severitatis Principes expavescunt. Ad summam, tanta omne opus suum mansuetudine temperant, ut neque severitas disciplinæ pereat, & in omni parte sanctæ Romanæ Ecclesiæ gratia convalescat. Porrò super facto illo, in quo Regem Francorum adversus eos scandalizatum audistis, prorsus excusabiles sine omni dubitatione credatis, quia nunquam ad consensum dispensationis illius pertrahi potuissent, nisi eos inexpugnabilis necessitas, & inæstimabile bonum recompensationis illicò venturæ traxisset. Convenerant siquidem ex mandato Regum venerabiles de regno utriusque personæ, ut de Romani Pontificis susceptione tractarent, de quo nihil adhuc publicè fuerat constitutum. Stabant itaque fratres illi causam Ecclesiæ, non sine magno discrimine, prosequentes, quoniam apud plerosque favor iniquitatis convaluerat, adeo ut qui manifestæ repudium veritatis suggerere non audebant, differendum potius, sæculari quadam astutia prædicarent. Eventum scilicet rei dubiæ potius expectandum, quàm subjiciendam fortuitis casibus tantorum Principum majestatem. Non oportere eos temeritate nimiæ festinationis involvi, quos securiùs illæsos sola poterat expectatio conservare, Romanam Ecclesiam semper onerosam extitisse Principibus, jugum aliquando data occasione ponendum, donec cupiditatis pœnas ambitio detestanda luisset. Solvendum morte alterutrius quæstionis incertum, atque interim posse religionem Episcoporum per singula regna sufficere, donec divina voluntas signis evidentioribus appareret. Accedebat legatorum Imperatoris & Cardinalium, maledicti scilicet Ioannis & Guidonis instantia, quibus dari videbatur de modica dilatione triumphus, si fratres vestros vel ad modicum tempus qualibet occasio suspendisset. Præterea cùm animos Regum in favorem domini nostri omnium conscientia crederet inclinatos, in partes Imperatoris cessisse dilatione præstita crederentur, & paulo minus detrimenti suspicio, quàm notitia fortè veritatis afferret. Sed & Rex Francorum rei diffinitionem Regis Anglorum voluntati commiserat, nihil se facturum publicè contestatus, nisi quòd ipsius ei sententia prædictasset; prævaluerat itaque consilium dilationis, ut quantò spatiosius, tantò utilius utrique Regi posset esse consultum, atque interim aliqua possent de ipsis eventibus auspicari. Quia igitur de arbitrio Regis Anglorum tota causa pendebat, exaudiendus erat potiùs quàm severitatis alicujus austeritate terrendus, de cujus simplici favore in momento Francorum, Anglorum, Hispaniæ, Hiberniæ, & novissimè etiam Norvegiæ, regna cœpistis. Sed & unde quis orituram super eo præsumpsisset offensam, quod ab initio pro bono pacis scripto etiam interveniente, Regum sanctitas, religio Præsulum, Principum fides, populi congratulatio devota firmavit, nec rei efficientiam communibus regalis, sed quod magis accelerari posset, Ecclesiasticæ potiùs indulgentiæ destinavit. Quod si quid de indulgentia contra easdem

regulas

A regulas constat esse delictum, nihil tamen criminis intercessit, vulnúsque modicum totius operis sanitas asservata compensat. Hic certè zelus eorum, hæc fuit dispensationis intentio, quam non ultronea voluntas obtulit, sed importunitas necessitatis extorsit, quoniam si ea die sermo non fuisset consummatus in bonum, proculdubio fratres vestri repulsam diutinam vel perennem, sub dilationis imagine reportassent.

### *Ad Dominum Papam Alexandrum.*

GRata mihi refulget occasio, multis expectata temporibus, multis, artibus exquisita, videndi scilicet faciem Domini mei, & matrem meam sanctam Romanam Ecclesiam visitandi. Iocundum est me quibuslibet offerre periculis, quibuslibet inferre laboribus, ut merear aliquando frui desiderio vestræ serenitatis aspectu, & jocundo sacri sermonis alloquio recreari. Iturus alia vice fueram destinandus à Principe, sed importuna me bellorum emergentium retraxit B invidia, quibus transigendis studium diligentiæ meæ, cùm necessitas Ecclesiæ, tum Reipublicæ requirebat utilitas. Quod siquidem iter desiderio magis quàm imperio mandantis assumpseram, ut impetrata potiùs quàm injuncta legatio videretur. Nunc autem compositis omnibus non missus, sed sola devotione ductus, advenio ad exhibendum beneplacito domini mei corpus & spiritum, ad impendendas utilitatibus vestris omnes tanquam ex debito peculij facultates. Attamen ut veniam, oportuit me causas quasi necessitatis inquirere, quia nequaquam mihi patuisset egressus, nisi aliqua crederet importunitate compelli. Cùm enim Principi nostra semper sit officiosa præsentia, non tam me devotioni meæ morem gerere, quàm ad publicas utilitates & sua vellet obsequia retinere. Cùm autem venero, facile comparebit quid ascribi devotioni, quid necessitati debeat imputari. Nemo igitur non ex animo quidem, sed tamen verbo tenus impetrata licentia, si nolui mihi de silentio ipsius facere quæstionem, quoniam & si non facies oculis, votis tamen oratio respon- C debat, nec abjicienda videbatur occasio, quæ tanto desiderio quærebatur. Venio, inquam, non insidias hostium, non itineris difficultates, non aëris intemperiem, non injurias maris attendens, ea certè fiducia, quorum merita vestra præcedent faciem meam,&, Deo volente, de omnibus locis obstantia quælibet amovebunt. Interim indicandum vobis censui compositæ necessitatis astutiam, quæ me à Regiis occupationibus reddidit absolutum. Reportaverunt Sylvester Thesaurarius Ecclesiæ meæ, & Ioannes Nepos Sagani Episcopi ad Cenomanum & Abrinconensem Episcopos literas à sede vestra, super quibusdam causis adversus me absque omni appellationis remedio terminandis. Quarum cognitioni dominum Willelmum Parisiensem, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem, contigit interesse, ipsóque præsente prædictus Thesaurarius omnes querimonias quas habebat D refutavit in manibus Iudicum, & quòd eas adversum me deinceps non moveret fide corporaliter interveniente firmavit. Ego autem ei eorum intercessione gratiam reddidi, & licet ingratus manifestúsque calumniator in omnibus appareret, delictum omne ea quæ plurimum inter necessitudine junctos vertitur, facilitate remisi. Verùm Ioannes, cum hinc inde rationibus diligenter auditis contrariam sententiam reportasset, ad solatium confusionis suæ magis, quàm ad causæ remedium, sedem Apostolicam ad Kalend. Februar. appellavit, licet de medio omnem appellandi licentiam, eo quod ipse à vobis reportaverat oraculo sustulisset. Cùm itaque rebus judicatis standum sit, præsertim ubi nulla possunt appellatione suspendi, certum est quia ad refricationem rei judicatæ nulla me necessitatis trahit instantia, sed optatam duxi de appellatione materiam, ne vestram scilicet viderer reve-

E rentiam neglexisse, si provocatus ad vestram præsentiam non venissem. Cæterum quia tot pericula fallere temeraria festinatione non possum, oportebit me fortassis ad complanandos transitus, & præparationem securitatis, spatiosum tempus impendere. Ideóque si Ioannes ille prævenerit, bonum vobis erit & utile, ut ipsum usque ad nostrum detineatis adventum, quia avunculum ejus & ipsum in personam vestram & statum totius Ecclesiæ gravissimè deliquisse, manifesta vobis veritate constabit.

### *Ad eundem.*

ESt quiddam in quo majestatis apud vos reus inveniar, nisi vestram fidelibus indiciis præmuniero sanctitatem. Habuit Ecclesia Sag. Episcopum, cui me fraterni sanguinis necessitudo conjunxit, sed arctiùs gratia beneficentiæ liberalis astrinxit: hic cùm prædictam Ecclesiam suscepisset, magnam temporalibus curam, majorem spiritualibus homo sanctus impen- F dit. Ipsam igitur thesauris ornatam, instructam ædificiis, possessionibus reddidit ampliatam, adeo quod pro X I I I. Canonicis quos sæculares appellant, ipsisque pauperibus, moriens ibidem X X X V I. Canonicos regulares cum omni ædificiorum sufficientia, & redditunm copia dereliquit. Cúmque eam in temporalibus nobilem reddidisset, in spiritualibus semper nobiliorem studuit exhibere vir magnificus, & omni sanctitate laudabilis, cui nec sanctitas magnificentiam tolleret, nec magnificentia sanctitatem. Quod bonum à prædecessoribus vestris viris Apostolicis, Honorio primùm, postmodum Innocentio, denique Eugenio & Adriano cœptum est & firmatum, præcedente siquidem gloriosissimi Regis Anglorum Henrici devotione, qui ob eandem causam Ecclesiæ bona contulit, & præcepti regalis valituro in perpetuum munimine roboravit. Cúmque res hæc à prædicto viro religiosissimo Honorio traxisset initium, ab irreparabili viro Innocentio meruit incrementum,cujus authoritate prædictus Episcopus electus ab Ecclesia sancti Victoris Parisiensis personas accepit, quarum sancti- G tas & prudentia suis meritis tantæ rei posset initia consecrare. Quorum studiis tantum inter varias tribulationes sanctum opus excrevit, ut inter omnes Gallicanas Ecclesia illa cœperit de nobilioribus illius ordinis æstimari, si quis circa eos hospitalitatis gratiam vel ordinis vellet attendere disciplinam. Porrò ne qua posset oriri sæcularitatis in posterum revocandæ suspicio, & quia potior fructus poterat de regularium administratione sperari, statutum est & Romanæ Ecclesiæ nihilominus auctoritate firmatum, quòd in regulares personas sicut Præbendæ, ita & Archidiaconatus, & omnium rerum tam potestas, quàm administratio conferretur, ita nimirum, ut omnes obventiones deberent in commune referri, ne cupiditati daretur occasio, si eas liceret privatis usibus applicare. Quod adeò verum est, ut defuncto sæpedicto Episcopo eum qui successit episcopari Ecclesia Romana nulla ratio- H ne permiserit, donec eundem ordinem in propria persona professus est, & quod ipsum in Ecclesia fide bona servaret, juramento corporaliter interveniente firmavit. Tantus siquidem favor religionis extitit apud eam, ne statuæ aureæ, quod absit, caput æneum ipsius opificio diceretur affixum. Verùm Episcopus iste qui ad præsens, Domino permittente, successit detestabilem concepisse prædicatur affectum, scilicet plantationem hanc penitus evellendi, destruendique bonum, quod fidelium devotio, quod authoritas Principum, quod Sanctorum religio, quod Ecclesiæ Romanæ privilegia duraturo in perpetuum anathemate firmaverunt. Quod si totum à discretione vestra non poterit impetrare, archidiaconatus saltem ad sæculares studebit revocare personas,scilicet ut habeat carnalis affectio quod nepotibus tribuat & propinquis. Sed hunc ipsum pietatis specie palliabit affectum, dictoris

A Ecclesiam illam idoneas non habere personas, quæ talibus sufficere probentur officiis, tanquam si sanctæ simplicitati prævalere debeat sæcularis astutia, aut de S. Ecclesia Victoris, aut S. Rufi, vel aliis similib.s personæ non possint authoritate vestra ad hæc officia dispensanda transferri. Et ego quidem Ecclesiæ illius Archidiaconus extiti, ipsiusque beneficiis educatus sum, ipsius institutionibus eruditus, justúmque est ipsius me semper detrimentis occurrere, & utilitatibus debita diligentia providere. Sed & bonum quod tanto Domini & fratris mei labore contractum est, humeris meis sustinendum memoria fraternæ charitatis imponit, propter quod inter me & Episcopum loci illius cum domesticus noster extiterit, multisque à me beneficiis sit præventus, noviter est oborta discordia, quia statuum illorum injurias sustinere non poteram, eique ad ordinis subversionem, opem & consilium non præstabam. Vnde illum & eos qui cum ipso sunt tanquam adversarios nostros & manifestos hostes sapienter accipite, quoniam ultrices linguæ neque fidem, neque facilem promerentur auditum. B Quòd si fortè preces aliquæ super hac causa vobis porrectæ sunt, securè tanquam subrepticias æstimate, neque necesse est Ecclesiam aliquod propter eas pati dispendium, quoniam ad conservandam vobis fidem & gratiam ejus à quo missæ sunt, satis erit absque omni offensa si in propriis postulationibus fuerit exauditus. Ad summam loquar ad dominum meum, cùm sim pulvis & cinis. Iocundum sit ei eloquium meum, ut piæ postulatio voluntatis optati gratiam consequatur effectus. Domine personam vestram publica commendat opinio, animósque & aures omnium operum vestrorum expectatio curiosa suspendit, dum malignandi materiam venatur iniquitas, & gloriam nomini vestro devotio fidelis inquirit. Absit igitur à vobis, vt prædecessorum vestrorum tanta plantatio vestris convellatur manibus, vestris viribus extirpetur. Absit ut per vos tot Romanorum Pontificum anathemata ducantur in irritum. Absit ut per eos remota sæcularitas authoritatis vestræ sententia revocetur.

C

### *Ad eundem.*

SI ad vestrum literæ pervenere conspectum, quibus ego majestatem vestram studui præmunire, super actio quem ad removendam de Ecclesia sua religionem, Sag. intendit Episcopus, miror admodum, & ultique mirati sunt, quomodo factum hujusmodi, scriptúmque publicum super eo facto vestræ potuit subripi sanctitati. Quid enim? Episcopalem Ecclesiam miserabili paupertate damnatam, religiosus Episcopus redditibus, ædificiis, ornamentis, & ea ad quam plurimum intendebat religione fundaverat, ipsámque de paupere divitem, prædicabilem de obscura: de ignobili, si dici fas est, fecerat gloriosam. Quod factum tota sanè partium nostrarum venerabatur Ecclesia, omnisque ubi religio commendabat, si quis vel effusam in omnes charitatem, vel ordinis vellet attendere disciplinam. Nec ab ipso tantùm hoc; sed multarum venerabilium personarum studiis, multarum fuerat authoritate perfectum, D quoniam ad studia laborum ejus prospera semper optati proventus auspicia concurrebant, adeo ut ad constitutionem Ecclesiæ illius contendere virtus & fortuna viderentur. Exultabat Apostolica sedes, quòd prima tantæ religionis fundamenta jecisset, quòd promotionem ejus continuo fovere non destitisset auxilio, quòd consummationem ejus privilegiis, & valituro in perpetuum anathemate communisset. Omnibus siquidem privilegiis ejus in perpetuum vice salutationis invenitur ascriptum, quo manifestè voluntas declaratur authoris, quòd id stabile fore voluerit, non alienis reliquerit arbitriis immutandum. Res quippe transitoria titulo perpetuitatis non meretur inscribi, quoniam quæ taliter inscribuntur, vel perseverantiæ statum retinent, vel tituli falsitatem.

E Quod autem dicitur prædecessorem successori suo legé dare non posse, vel præcise falsum est, vel omnia possunt impunè sanctorum patrū instituta convelli, quorum tamen sapientiam narrant populi, quorum laudem Ecclesia nuntiat, & sepulchra eorum frequentibus miraculis gloria magnificentiæ cœlestis illustrat. Privilegia siquidem Romanorum Pontificum, quasi quædam ipsorum testamenta credenda sunt, nec à morte testatoris exspirant, sed potius ab ipsa contrahunt firmitatem, nec defectu personæ sublata perit authoritas eorum quæ religiosè semel instituta noscuntur. Nos tamen errores prædecessorum à successoribus posse corrigi non negamus, & ipsorum etiam in melius posse bona mutari, ubi major scilicet mutationem suadet utilitas, nullúmque sentit religio detrimentum. In præjudicium siquidem religionis nihil agendum est, cui quicquid adversatur divinæ constat contrarium esse voluntati. Qua nimirum ratione sæculares Canonicos quod appellant, pro regularibus inducendis vidimus amoveri, licet Ecclesiæ eorum in eo statu aliqua sedis Apostolicæ privilegia meruissent. In quibus constat adversus privilegia nihil esse commissum, in quibus authoris animum potius contemplari convenit, F quàm apices amplexari, quoniam in nullo voluntas ipsius offenditur, ubi voluntatis intentio fideliùs observatur. Si quid autem humanius fuerit institutum, quod etiam sedis Apostolicæ scripta confirment, eo nec perfectionis provectus excluditur, nec devotioni terminus assignatur. Semper enim in anteriora liberè debent studia sanctitatis extendi, sicque oportet interpretari quæ scripta sunt, ne nostris videantur processibus invidere, quia tunc rectè suus minori bono favor impenditur, cum nequaquam boni majoris incrementa tolluntur. Ecclesia enim eos qui ad superiora desiderio perfectionis aspirant, non permittit occasionibus impediri, quin libero erumpant ad majora consensu, sicque primæ imperfectionis privilegia removet, ut gratiam novæ perfectionis amplectens, vetera novis non tam videatur solvere, quàm implere. At verò sacras veterum institutiones in deterius devocare non convenit, nec authoritatem præbere defectus, ut inde fomenta comparentur audaciæ, unde timeri debuit severitas disciplinæ. Planè sunt quædam quibus, G ut fiant, consensum adhibere non licet, quæ tamen si facta sunt, dissimulare necesse est, quia non possunt habere remedium, vel si quid recompensationis habent discreta mansuetudine dispensare. Culpam tamen indulgentia prævenire non debet, ne securitas alat audaciam, & ad delinquendum fiducia remissionis invitet. Debet ergo severitas prohibitos cohibere conceptus, ne temerario compleantur effectu, debet nihilominus excessus illicitos congrua animadversione punire, nisi reum vel violentia potestatis eripiat, vel pœnitentia temperet disciplinam. Tunc enim in potestate Iudicis est mollire sententiam, & mitius judicare quàm leges, cùm rerum vel personarum merita postulant, aut instantia necessitatis extorquet. In æstimanda tamen necessitate non convenit pusillanimes inveniri, ne virtuti subduxisse materiam, vel de divina videamur gratia desperare. Scio quosdam dispensationum prodigos tantæ benignitatis existere, H ut nihil reservent legibus, affectibus omnia largiantur, nec offensam rationis attendant, dum hominum sibi præcavisse videantur offensam. Metuntur igitur affectatos de prærogativa potentiæ suæ, potius quàm de merito rationis effectus, & nomine necessitatis indulgentiam quamlibet excusantes, divinæ gratiæ bonitatem non sustinent experiri, sed humanum favorem præ omnibus auspicantes, fugaces auras & inanes ventos studiis fallacibus amplectuntur. Quieti scilicet Ecclesiæ providere se prædicant, cujus prostituunt libertatem, & majestatem redigunt in contemptum, quæ tamen in virtute sanctorum debet apparere terribilis, ut castrorum acies ordinata. Solebat siquidem terribilis supremis potestatibus

A tibus imminere, earúmque patienter expugnare potentiam, dum tribulationibus constanter exposita, liberationem non nisi de liberatore pauperum expectabat. Liberat enim Dominus pauperem à potente, & inopem cui non comparet adjutor, quoniam fidelis est, neque vires nostras patitur viribus tentationis excedi, sed facit cum tentatione proventum, ut possimus sustinere. Veruntamen nos gratiam istam pusillanimitate desperationis excludimus, quoties desperato virtutis effectu humanis favoribus inclinamus, accelerato veritatis justitiæque naufragio salutaris experientiæ præpedimus eventum. Oportebat magis secundum doctrinam Psalmistæ, sperare in Domino & facere bonitatem, quoniam non derelinquit sperantes in se in tempore tribulationis, & in die superborum sine adjutorio. Oportebat in mandatis ejus & justificationibus exerceri, non statim manus imbelles captivandas offerre, quia non potest sequi sine concertatione victoria, nec corona sine legitimo certamine provenire. Lex autem certaminis est, uti viribus, virtutem patientiæ & longanimitatis amplecti, non B inter initia trahi favoribus, & desperato divinæ bonitatis auxilio cedere, quoniam qui sperant in eum, non confundentur: qui autem hominibus placent, confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos. Nonne utilius erat ipsam hominum gratiam de divina bonitate sperare, & non ei de divinitatis offensa parare materiam, cùm corda etiam Regum in manu Dei sint, & ea quò voluerit, inclinabit. Ab H. experimento didicimus divino quodam judicio sæpius evenire, quod hi qui ob affectationem favoris humani reverentiam divinæ majestatis offendunt, divinæ quidem dispendium faciant, sed humanam quam affectaverant minime consequuntur. Sicut enim disciplina cautelam, sic insolentem pronior indulgentia creat audaciam, gratuitúmque liberalitatis alienæ beneficium suorum reputant præmia meritorum, ipsúmque quandoque beneficium putant injuriam, quod minoris propria existimatione fuerint æstimati. Quod ego vobis in hoc facto vereor accidisse, sicut sanctitati vestræ post modum evidentibus liquebit indiciis, cùm ad C aures vestras veridica relatione pervenerit, quanta malignitate & audacia prædictus Episcopus infirmitatem status vestri publicè prædicaverit, & hostium Ecclesiæ victoriam rediens dixerit imminere. Extant qui audierunt per quos vobis hæc & alia maligniora suo tempore plenius innotescent, ut nulla fidem veritatis suspicio debeat impedire. Loquar tamen interim ad Dominum meum, utinam complaceant ei eloquia mea. Loquar, inquam, quia apud eum mihi sermo est, apud quem non eget vel intercessore religio, vel justitia defensore. Domine quotquot ordinis illius observantiam profitentur aut diligunt, per omnes Gallorum Ecclesias & Anglorum, audito hoc verbo scandalizati sunt, quærentes quid antecessorum vestrorum, quid denique vestrum tam recens solverit anathema, cum nulla vis necessitatis appareat, nec tanto vulneri remedium aliquod aliqua recompensatione videatur afferri. Omnes redditus, & omnes obventiones archidiaconatus illius, quæ ad commu- D nes usus regularium fratrum fuerant assignatæ, sine causæ cognitione sublatæ sunt, atque unius personæ ipsiúsque sæcularis sumptibus attributæ. Quærunt igitur de jure quod suum est sine judicio spoliati, subductóque quod pauperibus solebat erogare religio, nihil se præter vacuas manus exhibere deplorant. Procedit interim inter cilicia pauperum fratrum & sordes, cartularij filius sericis adornatus & variis, quem ipsi invisæ dissimilitudinis animal intuentes, quasi seminarium quoddam revocandæ sæcularitatis tacitis, quod solum audent, animis execrantur, condemnant. Auget metum quòd alius adhuc vacans archidiaconatus in eadem servatur Ecclesia, minori nepotulo conferendus, quàm citò in legitimam ætatem, videbitur excrevisse. Præterea Priore claustri remoto, quia E acrioris ingenij credebatur, & ad injurias Ecclesiæ non silebat ex conscientia, Episcopus Priorem constituit idiotam, ut ipse scilicet locum suppleat idiotæ, & bona eorum in usus proprios sine contradictione convertat. Agite ergo, & Apostolicam vobis domesticæ severitatis revocate prudentiam, ut quod sanctitati vestræ subreptum est, ipsa sanctitas vestra reducat ad formam, quatenus sanctæ institutionis reformetur integritas, & ad vires pristinas tam vestra quàm prædecessorum vestrorum privilegia convalescant. Sic enim obstruetur os loquentium iniqua, & in laudem & gloriam nominis vestri fideles vestri libertate solita proclamabunt, & exempli terrore sublato status Ecclesiæ tranquillitate pristina conquiescet. Timeo ne audacius fortè loquutus sim, quàm vestræ debuerim majestati, sed me sanctæ opinionis vestræ zelus impulit ad loquendum, & Ecclesiæ illius indigna contritio, cui multis ex causis ab antiquo sum plurima charitate devinctus. Scio quia acceptior erit in auribus vestris F diligentis devota præsumptio, quàm fallax assentatio blandientis.

### *Ad eundem.*

QUoties aliquis apud majestatem vestram humilitatis nostræ precibus expetit adjuvari, honestatis & justitiæ diligentius habendam considero rationem, si personam honestas, vel causam videatur justitia commendare. Hæc etenim duæ virtutes sunt quas apud excellentiam vestram nullo patrocinio novimus indigere, quibus ultro gratiam exhibetis, cùm altera vos in præconium, altera mundo proposuerit ad exemplum. Hoc nimirum prætexto pro P. Pictaviensi Archidiacono precatorius accedo, quem Ecclesiæ suæ utilem perhibent tum sedulitas officij, tum beneficentia in subjectos, tum bonitas in consortes, tum denique circa Ecclesiam suam novarum amplificatio facultatum. Idcirco si causæ ipsius qualitas inquiratur, id juris se in quodam Archipresbyteratu suo contendit habere, quod tam ipsi quàm omnibus aliis Archi- G diaconis in omnibus Archipresbyteratibus suis vetus Ecclesiæ illius consuetudo confirmat. Porrò supervacua videtur quæstione vexari, cùm sola sit de sola Archipresbyteri electione contentio, cùm ab Archidiacono facta ad Episcopale de consuetudine referatur arbitrium, eámque potest authoritate sua, nisi fuerit idonea, reprobare. Cæterum si eo invito in Archidiaconatu ejus Archypresbyter fuerit institutus, plurimum utilitatibus ejus & honori constabit esse subtractum, cum ei in Archidiaconatu suo alius quodammodo Archidiaconus annascatur.

### *Ad eundem.*

QVibus periculis exponere, quibus impendere laboribus personam meam destinaverim, ut mereter ad sublimitatis vestræ venire conspectum, nove- H runt hi qui procinctum meum ad terras peragrādas, & maria pariter exploranda viderunt. Iturus eram, sed iter meum divulgato fama præcessit indicio, ut facilè mihi possent insidiæ præparari. Ego enim homo sum cui celebrem multæ causæ contulere notitiam, & cui apud hostes Ecclesiæ plurimam zelus justitiæ contraxit invidiam, sibique crederent successisse, si in persona mea & malignitati suæ satisfacere, & vestram possent offendere majestatem. Retinuit itaque me Rex noster, qui mea quidem voluntate præcedente mittebat, negotiáque sua partim distulit, partim minoribus nunciis perferenda commisit. Intra pectus itaque meum major anhelantis desiderij fervor exæstuat, dilationem hanc quasi vulnerati cordis affectione deplorans, quòd pedes vestros amplecti, & serenitatem vestram mihi non datur oculis præsentibus intueri. Facio interim quod possum, & me totum

honori & utilitati Ecclesiæ, quoties occasio refulget, impendo, tanta siquidem voluntate, ut à plerisque de immodestia videar arguendus. Animo enim diligenti nihil satis est, neque magna devotio cujuslibet operis exhibitione placatur, sed suos semper in anteriora conatus extendit, hoc vobis apud me studium, hæc continui laboris instantia, hic irrevocabilis perseverantiæ vivit affectus.

### *Ad eundem.*

DOminus Remiba. Aurelianensis amicus noster est, mutuisque obsequiis plurima nobis invicem sumus charitate conjuncti. Inde est quod nostris ad præsens apud majestatem vestram precibus petiit adjuvari, ea nimirum fiducia, quia novit quòd vota nostra apud benignitatem vestram desideratum crebrius consequuntur effectum. Privavit eum sententia vestra præcentoria, quam habebat pro delicto quodam, quod ipse, sicut asserit, non de malitia qualibet, sed de sola simplicitate commisit. Existimavit enim factum illud ad tenorem juramenti publici non spectare, neque se religionem credidit excedere sacramenti, si non communicabat aliis, quod singulariter de sola ipsius voluntate pendebat. Conventus autem à fratribus non restitit improbè, nec superbè respondit, sed statim errorem suum, si tamen error erat, ad publicam voluit corrigere voluntatem. In quo si certum est nec præcessisse malitiam, nec superbiam successisse delicti quantitas fines clementiæ non excedit, poteritque ex hoc nunc Romani Pontificis misericordia subvenire, in qua nobis divina bonitas & remedium salutare constituit, & refugium singulare. Siquidem quantum ad culpam satis vindicatum est, quia homini verecundo ad majorem pœnam confusio, quàm magna etiam detrimenta procedit. Porrò cùm ei ad veniam simplicitas, nihilominus ad gratiam devotio suffragatur, quia verum est ipsum semper Romanæ Ecclesiæ secundum facultatem suam humilibus obsequiis inservisse. Pro omnibus itaque quæ prædicta sunt fiducialiter accedimus ad rogandum, & quia gloriosum nobis erit tantum à dignatione vestra beneficium impetrasse, & jocundum aliquid consolationis amico in tanta amaritudine perquisisse.

### *Ad eundem.*

REgressus ab Anglia ad pedes vestræ beatitudinis amplectendos debui cucurrisse, sed expectanda fuit occasio, qua me magis traxisse necessitas videretur, quàm devotio perduxisse. Animus siquidem Principis nostri aliquantulum ab ea, qua sanctitatem vestram olim complexus est, charitate descivit, adeo ut inter familiares suos quandoque conquestus sit se minorem in vobis quam speraverat gratiam invenisse. Ait in opportunitatibus suis vos esse difficilem, in postulationibus scrupulosum, acceptos vobis esse, & jugiter in Curia demorari quosdam, qui mendaciis suis gloriam Regiæ serenitatis offuscant. Convenire siquidem ad Apostolicam sedem ex multis partibus multos, quorum aures illi pravæ veneno malignitatis inficiunt, ut sic opinionem ejus quasi transmissa ad omnes gentes delatione denigrent. Furtivè quidem id agi, ut iniquitatis operante mysterio quanto magis res silentio premenda dicitur, tanto diffundatur in plures, quantóque secretius agitur, tantò fit efficacior ad nocendum. Non tamen arbitratur id de vestra conscientia vel voluntate procedere, sed eis de diuturna apud vos commoratione paratur occasio, & audaciam comparata assiduitas impunita fallendi. Addit impetrari facile quicquid ab ejus æmulis imploratur, vota autem ejus exquisita subtilitate discuti, vel tædiosa dilatione suspendi. Si quos ergo de suis, viros auctoritatis loquor, ad præsentiam vestram venire contingat, hi qui familiarius ei assistunt, incertum suspicionis malum, fallaci statim adulatione confirmant. Consuevit enim illud hominum genus de minimis maxima fabricare, & sicut inter eos nulla fides est, sic nullus veræ charitatis affectus, uniuscujusque studium, alium quibus potest modis excludere, ut solitariæ sibi familiaritatis privilegium gaudeat adquisisse. Accessurum sibi putant quicquid alij fuerit derogatum, proventúsque suos reputant, aliorum semper utilitatibus obviare. Ego igitur qui quantum damnosa sit suspicatio Principum, licet innocens, frequentibus detrimentis agnovi, occasionem censui postulandam, qua vel ab eo sicut quandoque mitterer, vel aliqua me trahere necessitatis instantia videretur. Quæ quia differebatur, nihil enim onerosum mihi vestræ gratia benignitatis imponit, mittendum duxi, ut diligentis absentiam legatio suppleat, quæ bene meritæ majestati vestræ devotionem meam, tam viva voce, quàm literis repræsentet. Vester sum sanctæ Romanæ Ecclesiæ tam verna, quàm filius, cujus me assiduè reminiscor exhilaratum gratia, præventum beneficiis, honoribus ampliatum. Nihil unquam par tantæ dignationi referam, nihil dignum tot meritis exhibebo, sed & si non debitorem operis exhibitio, perfecta tamen charitas consummatæ devotionis absolvit.

### *Ad Gilleb. London. Episcopum.*

LAtor præsentium amicus noster est, nostrísque petit precibus apud vos adjuvari, eóque instantius, quia confidit quòd preces nostræ apud charitatem vestram utilem sine difficultate sortiantur effectum. Gaudet quòd amatori justitiæ, veritatis sit delegata cognitio, quòd precum nostrarum suffragio munitus accedit, ut in proventum ejus apud vos sincera fraternæ religio charitati concurrat. Licet autem pluralitas instrumentorum viam possit aperire judicio, omnem tamen absolvet testium numerositas & veritas notoria quæstionem, desertáque provocatio motum judicis excitabit, quam scilicet adversarius hujus censuit opponendam, eo quidem astu, ut ei vacaret affectatam rapinam in bona pauperis licentius exercere. Verùm quid in malæ fidei possessorem sine titulo, super principali causa quid in desertorem appellationis super sumptibus & expensis decernendum sit, vestra peritia non ignorat, ne scilicet vis aut dolus impunita prætereant, vel immeritum patiatur innocentia detrimentum. Porrò negotium vobis in expedito Romani Pontificis collocavit authoritas, sublato nimirum appellationis obstaculo, in quo sibi calumniatores plerumque occasionem vexandi constituunt, & refugium evadendi. Nunc enim patebit vobis, licet invita, quasi quibusdam terminis circumscripta malignitas, cùm nec ad præsens forum vestrum possit excedere, nec severitatis vestræ sententiam declinare. Valete.

### *Ad Abbatem Grissemensem.*

QUartusdecimus mensis agitur, vel fortassis exactus est, ex quo ad alind regnum & transmarinas regiones à Monasterio tuo sine Episcopi tui benedictione & conscientia discessisti. Quanta autem interim idem Monasterium in spiritualibus & temporalibus detrimenta perpessum sit, & fratres sentiunt, & tota regio protestatur. Nunciatur verò nobis te in Anglia nihil nisi lites & calumnias exercere, & cum gravi Monasterij tui sumptu, sine utili causa totam disquirere regionem. Super quo revocandum te duximus, & in virtute obedientiæ injungendum, ut infra Kalend. Augusti dispositis rebus illis, utiliter ad Monasterium revertaris, nisi vel infirmitate, vel tempestate marina fueris impeditus.

Nosce

Nosce etenim debes quòd propentior cura animabus est impendenda quàm rebus: Ideoque nisi infra diem assignatam veneris, nos tibi mandatum mittere severius oportebit.

## *Ad Henricum Pisan. Cardinalem.*

IN quo verbo Reges nostri de susceptione domini Papæ convenerint, vestra sapientia non ignorat. Et noster quidem ad Ecclesiasticas personas regni sui legatos destinavit in Angliam, cum literis quas a domino Papa receperat, & scripto illo quod à schismaticis est de Papiensi conventiculo fabricatum, ut scilicet vtroque scripto tanquam allegationibus partium utrinque proposito, rectius possint, quasi de iudicio formare consilium, & liquidius de contemplatione falsitatis oppositæ cognoscere veritatem. Cui sane colloquio, quia corporaliter adesse non potui, per Epistolam saltem interesse curavi, ut personæ vicem pagina suppleat, & vivæ vocis instantiam Epistola fidelis instauret. Cuius etiam Epistolæ transcriptum sanctitati vestræ censui destinandum, ut devotionem meam, quamvis parum utilem, officiosam tamen vestra dilectio recognoscat. De cætero, Librum Ennodij vobis mitto, alienum quidem, sed si experientia vestra probaverit, transcriptum cum quanta fieri poterit festinatione remittam. Ego autem librum illum non vidi tam, priusquam mihi vestro fuisset assignatus iudicio, visoque miratus sum qua primum ab auctore confidentia editus, aut quo postmodum ab aliis fuerit favore transcriptus. Neque enim mihi dignus videtur, cuius studio vel scripturæ tantum tempus debeat, sive census impendi, cum & volumen effusum sit, & ad intelligenda quæ scripta sunt singula multis & tædiosis oporteat iterationibus replicari. Prima siquidem facie difficilis & obscurus incedit, & cùm rerum difficultatem stylus lucidior debeat aperire, intelligentiam potius sermo tenebrosus obtundit. Cumque multum habeat laboris inspectio, nihil habet assecutio voluptatis, quia nec absolutione sententia complacet, nec oratio venustate. Summa eius intentio est, aliter omnia dixisse quàm cæteri, ideóque totum quod loquitur exquisita quadam intricatione complicat & innodat, ut rectiùs Innodius quam Ennodius debeat appellari. Porro in metricis producta breviat, suáque nihilominus auctoritate brevianda producit, nulláque vitium falsitatis virtute redimitur, quia ipsum nec cultus orationis, nec dignitas materiæ recompensat. Vnusquisque tamen ad observandas propositæ legis tenetur angustias, dicendique libertatem necessitate supprimit quisquis se ad observantias huiusmodi arbitrio propriæ voluntatis astringit. Eidem verò duplex culpa veniam non meretur, cùm & intellectum retundit obscuritas, & aures metricæ corruptio iocunditatis offendit. Credo ego librum hunc apud veteres nec notitiam habuisse, nec gratiam, ideóque nec in manus venisse multorum, sed sepultum diutius veteri quolibet armario latuisse, donec noviter in lucem merito obscuritatis & nova peregrini nominis admiratione processit. Sunt enim quidam, qui eò difficilia maioris æstimant, quia minus intellecta mirantur; ea minoris & tanquam puerilia reputant, quæ iucunda lucidi sermonis serenitas illustrat. Cæterùm obscuritatem, tanquam tenebras evitandam, Seneca noster, & Tullius, & cæteri quorum scripta comprobantur, ostendunt. Iulius quoque Cæsar culpabiles esse denuntiat, qui ea volunt loqui vel scribere, quæ homines mirentur potiùs quàm intelligant, & se tanquam scopulum ita fugere insolens atque infrequens verbum. Legite tamen, ipsumque non de æstimatione mea, sed de vestra potius experientia iudicate, ne meritis eius ignorantia mea præiudicium irrogasse dicatur, ipsúmque vestri fauoris sententia defraudasse. Quòd si irrefragabilem quæritis, de prosa ferre sententiam ipsam secundum versuum merita iudicate, quia verum est ipsum pari peritia circa tempora syllabarum & dictionum naturam virtutémque versari. Valete.

## *Ad Ernaldum Pict. Archidiac.*

QVod aliquid à vobis censeo postulandum, cùm petitionis honestas, tum vestræ benignitatis intuitus, non præcedentium facit confidentia meritorum. Verùm si operis exhibitio non præcessit, paulo minus tamen sibi videtur meruisse devotio, quæ ad omnia si occasio processisset, promptam se semper extitisse cognoscit. In omnibus enim non tam requirenda sunt opera, quàm affectus, nec adeo quid feceris requirendum est, quantum qua feceris voluntate. Sic est: intentio operi nomen imponit, trahitque factum ipsum potius de animi qualitate substantiam, quàm de beneficij quantitate. Inde est quod pro magistro M chino amico & antiquo sodali nostro, preces vestræ porrigo sanctitati, ut veteri si quis est animi rancore deposito, exoratum vos mereat invenire super petitione illa, super qua literis etiam Apostolicis instructus Pictavensi Ecclesiæ supplicabit. Promisit mihi quoniam ex hoc nunc vestro se totum tanquam magistri & patris mancipabit obsequio, ut si quid de præterito negligentius, vel inconsultius actum est, futuri temporis officia recompensent.

## *Ad Papam Adrianum.*

ADolescens quem ad accingendum militiæ cingulo vestra mihi dignatio commendavit, cùm divertisset aliquatenus, quia securum per urbem transitum non habebat, infirmatus rediit, tantique incendio caloris accensus est, vt de salute eius timendum plurimi credidissent. Viribus tamen de hilaritate promissæ instructionis assumptis, ad Milonem vestrum & patrem Radicosium usque perductus est. Plurimúmque pater super ægritudine filij de beneficij vestri gratia solamen accepit. Cùm verò adolescenti requiem suasissem, & ego ei per assignatam personam nihilominus fidem debitæ promissionis implorem, venire semper usque ad condictum locum simulata valetudine apud indulgentiam paternæ pietatis obtinuit. Sanè cùm in via non destinaret infirmitas, sed in postremo semper ascensu morbo morbus accederet, veritus sum ne quod de diuturnitate præcavisse putaveram, ex ipsa mihi brevitate temporis eveniret. Expertus sum affectiones animorum plurimum conferre, vel auferre corporibus, sæpiúsque de earum qualitatibus ipsorum vel periculum procedere, vel salutem. Ferebatur enim animo magis quam corpore, quia vires corporis animi restaurabat hilaritas, fortiúsque trahebatur desiderio quàm ægritudine tardaretur. Pervenimus itaque Lucam, vbi sic ut apparuit, infra decem dies vel plures arma coaptari non poterant, nec is cui parabantur, quoniam in lectum decubuerat, percipere potuisset. Porro miles quidam qui mihi à patre fuerat assignatus, cœpit utilius de necessitate consilium, habitáque omnium ratione, petiit sibi in eam causam XL. libras proven. numerari. Affectabat enim meliores equos longiore tractu temporis explorare. Cæteráque omnia quanto spatiosius, tantò commodius comparare. Quoniam repentinos emptores sæpe circumvenit sagax astutia venditorum. Adquievi libentius, neque enim poteram incertam pueri valetudinem expectare, nec esset mihi tutum morari diutius, ne prænuntiato adventu meo mihi inter vias insidiæ pararentur. Adieci autem nomine expensarum ad moram reditúmque quod oportuit, ne de eo quod ad aliud destinatum erat, aliquid detrahere necessitas aliqua coëgisset. Visi sunt mihi multas vobis super beneficio vestro gratias habuisse, mihique ipsi ab eis sunt grates exhibitæ, quasi de reliquiis & vestrarum plenitudine gratiarum.

### *Ad Vualt. Albanens. Episcopum.*

QVerimoniam quam ex literis, quas mihi à vobis novissimè destinatas accepi, gratam admodum habui: quia magis excitare gratiam, quàm delictum arguere videbatur. Questus enim estis post aliquot Epistolas vestras, nullum vos à nobis accepisse rescriptum, & nos devotionem vestram inter cæteros, non nisi verbis communibus salutasse. In quo intellexi quòd benignitas vestra multo desiderio ad complexum nobis mutuæ charitatis occurrit, quod ego multis quæsisse studiis, multis debueram obsequiis redemisse. Et fecissem, nisi occasionem mihi tulisset absentia, quæ mihi semper hactenus optatum vestræ serenitatis invidit aspectum. Magnum erat mihi, si præsens in oculis vestris gratiam invenissem. Maius est, quod eam mihi ultro usque ad Occidentis novissima destinatis. Pulchrum sanè & prædicandæ liberalitatis officium, nullis impensum meritis, nullis redemptum precibus, nullis beneficiis comparatum. Nihil in eo est quod beneficij minuat maiestatem. Apud alios si quidem actus meræ liberalitatis evanuit, sed ubique inter contrahentes animos negotium geritur, dum spes creditrix & debitrix gratiæ res compensant. Magnum tamen est hodie, si quis amicorum meritis pari præmiorum compensatione respondeat, maius est omne meritum animi magnitudine prævenire. Prævenistis autem me, vestrúmque tantæ dignationis æstimatione fecistis, qua mihi iudicium existimationis vestræ, & dilectionis exhibetis affectum. Multa igitur mihi de iudicio existimationis vestræ crescit elatio, multa de confidentia gratiæ securitas ad omnes præparatur eventus. Magnum siquidem est iudicium simul & gratiam meruisse prudentis, cùm alterum illustret ad gloriam, alterum proficiat ad proventum. Quid ergo? … id retribuam Domino meo pro his quæ attribuit mihi? Nempe totum devotionis affectum, quo nihil maius offerri, nihil impendi gratius, nihil potest pretiosius æstimari. Hoc etenim impenso totum impenditur, quicquid vel animus cogitando, vel operando corpus, vel facultates conferunt erogando. Hoc igitur apud vos iudicium mihi perseveret & gratia. Vobis nihilominus apud me promissæ devotionis non tepescet affectus, ut scilicet alter in alterius opportunitatibus monitore non egeat, sed zelum charitatis alternæ communicati officij probet effectus.

### *Ad Episcopum Engolismensem.*

LAtor præsentium filium minorem eunti ad scholas avunculo commendavit, ratus quòd ipsum ad propensiorem pueri curam propinqui gratia sanguinis inclinaret. Ille verò his quæ ad exhibitionem pueri comparata fuerant, profusius erogatis, puerum ipsum cuidam clerico nomine pignoris obligavit, licet contractus eiusmodi nec de iure teneret, nec bonis etiam moribus conveniret. Libera siquidem persona sine proprio consensu non potuit obligari, puerúmque id ætatis consentire non posse vestra peritia non ignorat. Cæterùm non tantum sortis, sed etiam usurarum nomine retinetur, factúmque tam enorme non à sæculari persona, sed à clerico quodam, ipsóque domestico vestro, vel domestici filio, fieri prædicatur. Mirantur qui audiunt hæc à vobis inter ipsa sancti Episcopatus vestri primordia sustineri, quæ nec iustitiæ rigor incorrepta relinquere, nec impunita debuit severitas Ecclesiastica præterire. Clericus etenim vester manifestè de plagio confitetur, sed & usuras quas detestatur Ecclesia, nihilominus impudenter exposcit. Quòd si usuras, quoniam odiosæ sunt, in sumptum exhibitionis impensæ puero malignitas astuta convertit, respondemus ubi principalis obligatio sublata est, puerum de accessoriis non teneri, sed eum iniuriarum competere potius actionem, quòd ingenuum puerum, liberalibus artibus applicandum, subductum patri, propositis non permiserit officiis applicari. Denique ego ovem meam à vobis, tanquam à iudice, adversus confitentem de criminibus instanter exposco, vobisque providendum est, ut circa hoc vobis sinceritas famæ, nobis charitas fraternitatis, puero debitæ pietatis conservetur affectus, quoniam si reum per culpam vestram, quod absit, contingat elabi, nos à reo fortassis in iudicem actione subsidiaria convertemur. Quòd si non ulciscendum delictum hoc, sed inter eos mansuetudo vestra potiùs decreverit componendum, patri irato, quoniam vir bonæ opinionis est, fides indubitata poterit adhiberi.

### *Ad Ernaldum Bona vall. Abbatem.*

LIteræ quas novissimas vestra mihi charitas destinavit, apud eum qui perferendas acceperat, aliquandiu substiterunt. Vnde factum est ut eas non profecturi, nec proficiscentis acceperim, sed profecti: quem nec resalutare possem, nec si quid concepissem animo remandare. Feci ergo quod potui, Holocaustum obtuli pro vobis medullatum, quod sua nimirum pinguedine complaceret, ipsamque oblationem devotus impinguaret offerentis affectus. Holocaustum, inquam, obtuli medullatum, in quo scilicet medullam divinitatis corporea species obumbraret, procedénsque de intimi cordis medullis oratio suam sacrificio contineret melodiam: hic enim ille vitulus saginatus est, his mons ille coagulatus & pinguis, hic Christus ille unctus oleo exultationis præ participibus suis, de cuius plenitudine licet omnes acceperint, ipsa tamen effusio non minuit effundentem. Nihil offerri pretiosius, nihil efficacius potest, nihil ei qui offert, vel ei pro quo offertur utilius, si dignitati sacrificij personarum indignitas non obsistat. Oportet enim offerentem puras manus inferre, ne quod impreciabile est, omnique veneratione dignissimum, vel sub pretij recidat vilitatem, vel causis indignioribus expandatur. Oportet eum pro quo offertur fide recognoscere, charitate complecti, prosequi desiderio, totámque sibi in eo divinæ propitiationis fiduciam collocare. His autem concurrentibus utriusque partis versatur utilitas, ut qui pro aliis offerunt, pro seipsis inveniantur offerre. Magnum sanè, prædicandúmque beneficium, quod erogatum alij proficit, ipsúmque nihilominus adiuvat erogantem. Quoscumque enim sacerdos effusa charitatis latitudine complectatur, totum simul omnium, totum uniuscuiusque est singillatim, nec integritatem dividit communicatio plurium, nec soliditatem minuit participatio diversorum. Sic est: totus tibi Christus impenditur, totus mihi, totiúsque in solidum te cohæredem hæreditatis admittit, quam totam mihi nihilominus repromittit. Quod enim spiritale est, neque terminis circumscribitur, nec aliquibus angustiis coarctatur, nec impensum rarescit impendio, nec aliqua potest integritatis suæ detrimenta sentire. Totum itaque pro vobis obtuli, totum proventui meo nihilominus reservavi, cùm scilicet utrique sic cesserit in salutem, ut & iter vestrum cum prosperitate dirigeret, & mihi gratiam divinæ propitiationis augeret.

### *Ad Ægidium Rothom. Archid.*

SErmonem habitum in Concilio Turonensi scripto tradere, quorumdam precatione compulsus sum, qui licet in proximo consistentes, ea quæ dicta sunt multitudinis obsistente tumultu, nec satis audire, nec intelligere potuerunt. Feci quod rogatus sum, sed invitus: quia quædam sunt quorum simplex pronuntiatio plus favoris, quàm laudis diligens inspectio prometetur. In his enim quæ in commune dicenda

sunt,

A sunt, communi convenit intelligentiæ deservire, ut omnia quæ dicuntur omnium statim capiat intellectus, ideoque verbis prope communibus decurrit oratio, ne subtilius artificium lucem rerum & verborum, quasi nube quadam difficultatis obducat. Et quia tractatus ejusmodi ad movendos plerumque destinatur affectus, oportet quasi cæsuris frequentibus, & brevioribus articulis incitare sermonem, ne longioribus periodis torpescat oratio, sed animus velut interpellatione commotus assurgat. Si igitur animus ad aliquid intellectu disponente movendus est, sermonis prorsus est observanda serenitas, quoniam tenebræ plus semper odij contrahunt quam favoris, sæpiusque pes incedentis offenditur, nisi prævio dirigitur aspectu. In his verò quæ scribuntur, videntur quasi cum fiducia quadam legentium provocari judicia, nec tam formandis affectibus verba componi, quam exa- B minationi publicæ, quæ palam proponuntur exponi. Siquidem in his quæ proponuntur oculis frequens celebratur inspectio, & modò fructus sententiæ, modò cultus orationis exquiritur, ut spatiose possint merita studiorum adhibita rationis æstimatione pensari. In aliis verò discussionis morem celeritas pronuntiationis excludit, ubi currentis linguæ lubricum vix celeri etiam consequuntur intellectu, & sæpe quod incitatius dicitur, desides vehementius excitat, & informat affectus. Super quo non videbantur mihi in scripturam redigenda quæ dicta sunt, sed sicut tanquam ex tempore dicta sunt, ita statim cum tempore præterirent, quoniam eis cum dicerentur gratiam potius ministravit occasio, quam cujuslibet peritia facultatis.

Tempore siquidem schismatis agebatur quod in diebus illis, maxime adversus libertatem Ecclesiæ Dei, sæcularis potentiæ firmavit audaciam: ideoque nos diligentius de unitate & libertate tractavimus, ut C animos eorum qui aderant ad insistendum consolatio firmiores redderet, & ad resistendum exhortatio fortiores. Lege itaque, adhibita tamen dilectionis indulgentia qua cœpisti, ut scilicet in perfectum meum videant oculi tui, nec ad exactum quod legeris producatur examen, sed semper media benignius æquitate cognoscas.

### *Sermo habitus in Concilio Turonensi.*

HOdiernum sermonem, domini & patres mei, mihi domini nostri qui præsidet, Romani videlicet Pontificis, injungit auctoritas. Et ego quidem munus injunctum magis de necessitate obedientiæ, quam de animi voluntate suscepio. Mallem ut in alium declinasset ista dignatio, cujus & vita commendabilior esset, & major tam scientiæ quàm eloquentiæ plenitudo. Quis enim ego sum, qui in auribus tot, tam prudentium, tam venerabilium personarum quemlibet mihi debeam usurpare sermonem? Sed & quis D ego sum, qui mandato Romani Pontificis audeam obviare? Angustiæ mihi sunt undique. Inter verecundiam & necessitatem constitutus sum. Altera me monet ut sileam, altera quasi quadam violentia pertrahit ad loquendum. Obediendum enim est sine mora, sed verecundia linguam reprimit, obstruit intellectum, & à facie reverentiæ vestræ stupore quodam reddit pavidum & confusum. Scio enim quia tria solent in prædicatore requiri, sanctitas conversationis, plenitudo scientiæ, fœcundior eloquentiæ vena. Sanctitas conversationis inquiritur, quia nisi fuerit prædicatoris commendabilis vita, non erit ejus prædicatio gratiosa. Cujus enim vita contemnitur, restat ut & prædicatio contemnatur. Timere habet ne fortè incipientem loqui statim vox divina reprimat & condemnet: Quare tu enarras justitias meas, qui projecisti sermones meos retrorsum?

Perfectio scientiæ quæritur, ut habeat prædicator unde possit de thesauro cordis sui proferre nova & ve- E tera, & eruditionem noverit expectantibus explicare sermonem, & secundum personarum qualitates temperare, quod dixerit, ut sciat quibus debeat lac potum dare non escam, quibus solidiorem cibum habeat ministrare. Eloquentia desideratur. Ad quid? Quia sicut si non habuerit scientiam, non habebit quid dicat, ita si non habuerit eloquentiam, non habebit quomodo dicat. Utrumque autem necessarium est, & habere quid dicas, & scire quomodo dicas. Sententiarum siquidem excellentia sermonis elegantiam quærit, ut verborum dignitas rerum majestati respondeat, & sibi invicem quasi concentu quodam res & verba concurrant. Ita est ut sermo prædicatoris omni acceptione dignus sit, requiritur in prædicatore religio ad reverentiam sermonis, scientia ad doctrinam, eloquentia ut commendet ad gratiam. Ut sermo ejus sanctus sit, prudens sit, illustris sit. Ego verò qui vo- F bis producor in medium, nihil habeo penes me, nisi conscientiam peccatricem, minorem scientiam, eloquentiam imperfectam. Et ideo opportunius mihi fuerat silere quam loqui, pasci quam pascere, & aures vobis potius exhibere quam linguam. Nulla mihi in memetipso fiducia est, sed ad caritatem præsentis, & merita vestra confugio. Quibus intercedentibus, aliquid mihi fortassis largietur gratia illius qui dixit: Aperi os tuum, & ego adimplebo illud. Os meum obedientiæ necessitas aperit, utinam gratia ejus per merita vestra sermone adimpleat opportuno. In omni itaque sermone, domini & patres mei charissimi, videtur mihi, quia circa id quod principaliter intenditur duo sunt studiosius observanda, causa scilicet & tempus. Et causam quidem ratio subministrat, tempus autem opportunum reddit occasio. Occasio utique est opportunitas sumpta ex tempore, sicut viro placuit eloquenti. Ita est. Nisi id quod dicitur causam de ratione contrahat evidentem, ipsum ducitur otiosum. Si importunè dictum fuerit, reputatur infestum. Quæ G autem otiosa vel infesta sunt, rarò desideratos assequuntur eventus. Et ideò cùm multa de scripturis sanctis possent utiliter ac probabiliter in commune proferri, ad ea potissimùm sermo convertendus est, ad quæ nos & urgens necessitas impellit, & evidens invitat utilitas. Ad quid? Ad tractandum videlicet de unitate & libertate Ecclesiæ Dei. Sine his enim duabus non potest Ecclesia salva consistere, sed nec consistere quidem: quia nisi Ecclesia habuerit unitatem, non erit una. Si una non fuerit, non erit, omne enim quod est, ideo est, quia unum est, quod autem unum non est, amittit pariter cum unitate substantiam. Item, nisi habuerit libertatem, misera erit, pro eodem autem ei est miseram esse, & non esse: immo deterius est miseram esse, quam non esse. Melius, inquit, ei erat si natus non fuisset homo ille, de Juda dictum est, quoniam melius erat ei natum non esse, quam ad ejusmodi miseriam natum esse.

Ideo, domini & patres charissimi, ut status Eccle- H siæ conservetur incolumis, oportet unitati ejus & libertati sollicitè provideri. Utraque enim his diebus, hac tempestate, sicut nos miserabiliter experimur, multis urgetur incommodis, multis injuriis infestatur, quia alteram scindere nititur schismaticorum ambitio, alteram quærit auferre violentia tyrannorum. Utrumque tamen eis per Dei gratiam impossibile erit. Impossibile siquidem est, spiritualis Ecclesiasticæ unitatis scindere sacramentum quod inter Christum & Ecclesiam, ipso patre auctore, indissolubili fœdere connexum est & firmatum. Impossibile est suam Ecclesiæ Dei tollere libertatem, quam dominici sanguinis consecravit effusio. Licet enim paleæ de area Domini quandoque ventilabro levitatis aut vanitatis avolent & abscedant, propter abscessum tamen earum non minuitur fructus areæ, sed purgatur. Item, licet Principes tenebrarum adversus Ecclesiam Dei vehementer insurgant, portæ tamen inferi adversus eam prævalere non possunt. Ita, domini mei, falsa nobis

A semper est vnitas, salva semper est libertas Ecclesiæ, qua neque tunica inconsutilis scindi potest, neque Christi sanguis in irritum devocari. Et licet exierint à nobis aliqui qui nobiscum erant, sed de nobis non erant, non est scissa tamen veritas unitatis propter eos, quos separavit à nobis propriæ malitia pravitatis. Et licet ij quos diximus tyranni terrarum circa temporalia bona, & ipsa etiam corpora nostra desæviant, cædant carnes nostras, infirmantur & cadunt. Et si circa diripiendas inutiles sarcinas occupantur, Ecclesia tamen Dei nihilominus quæ disponenda sunt libera potestate disponit; immò etiam ipsos, quasi servos nequam, spirituali potestate retrudit in carcerem, vbi eos nimirum, quasi compedibus quibusdam vinculo anathematis, & opprobrio perpetuæ maledictionis astringit.

B In quo etiam laudabile videtur operari virtus divina miraculum, dum nobis in vnitate nostra & libertate degentibus, ipsi se solos ab unitate Catholica separant, & detestandæ subiiciunt servituti. Nos tamen, charissimi fratres & domini, non debemus malum pro malo reddere, neque vinci à malo, sed vincere in bono malum: & ideo ad revocationem eorum qui foris sunt summa charitate debemus intendere, ut ipsi unitati nostræ possint, Domino miserante, connecti, quatenus ij qui quietem Ecclesiasticæ libertatis impugnant, meliore ducti consilio resipiscant, & tam de revocatione eorum quàm istorum pœnitentia crescat fœcunditas vnitatis, & inconcussa servetur desiderandæ tranquillitas libertatis. Ad hoc scilicet omnem nos convenit diligentiam adhibere, omnem propter hoc sustinere vexationem, omne periculum experiri.

C Hoc enim speciale debitum nostræ professionis: Episcopi sumus. Ad hoc sacramentis Ecclesiasticis sanctificari volumus, ditari beneficiis, honoribus illustrari. Ex ea etiam causa hic primas obtinemus in Concilio cathedras, primos in cœnis recubitus, salutationes in foro. Ex eadem causa populorum nobis multitudines inclinantur, ut de manu nostra partem aliquam commissæ nobis benedictionis accipiant. Quærunt enim accipere de plenitudine nostra, quod nos accepimus de plenitudine Christi.

Hic ordo est, unguentum præcedit in capite: A capite descendit in barbam, barbam quidem Aaron: A barba usque in oram vestimenti defluxit. A capite, scilicet Christo, in barbam, scilicet Prælatos Ecclesiæ: à Prælatis in populum, in subiectos. In capite autem omnis perfectionis est plenitudo, omnis perfectio plenitudinis. In ipso enim inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, solidæ scilicet & perfectæ. In ipso omnes thesauri sapientiæ & scientiæ

D absconditi. In ipso totus Spiritus Patris. Nihil ibi perfectioni detractum est. Nihil ibi plenitudini derogatum: & de plenitudine ista nos omnes accepimus, maiores & minores. De plenitudine quidem, sed non plenitudinem ipsam, sibi enim plenitudinem reservavit. Circa nos autem divisiones gratiarum factæ sunt: Vnus autem Spiritus, qui operatur omnia in omnibus, non omnia in singulis; dividit enim singulis, prout vult. Vbi enim vult spirat, & quantum vult inspirat. Nos autem in medio constituti inter Christum & populum, privilegium gratiæ consequuti sumus, & prærogativam dignitatis adepti. Privilegium gratiæ, quia prius & copiosius nobis infunditur, quod à nobis in alios transfundatur. Prærogativam dignitatis, quoniam superiores & propinquiores sumus. Superiores, quoniam constituti sumus Principes super omnem terram. Constitues eos, inquit, Principes super omnem terram. De Apostolis dictum est: vtique & de nobis, qui loca Apostolorum minoribus re vera meritis, sed maioribus consolationibus obtinemus. Qualis autem est hic principatus noster? utique sublimis & fortis. Nimis, inquit Propheta, honorati sunt amici tui DEVS, nimis confortatus est principatus eorum. Propinquiores sumus: amicos siquidem nos appellat, & ad argumentum propensioris amicitiæ indultas nobis, non partem sed copiam totius familiaritatis ostendit. Iam non dicam,

E inquit, vos servos, sed amicos meos, quia omnia quæ audivi à patre meo nota feci vobis. Verum est. Nobis datum est nosce mysterium regni DEI, cæteris autem in parabolis, ut videntes non videant, & audientes non intelligant. Nos habemus oculos intuendi, & aures audiendi. Multæ & magnæ sunt circa nos dignationes tuæ, bone IESV, multa & inæstimabilia beneficia tua. Gratia tua ultro nos prævenit & subsequitur, nihil aut parum est quod meritis nostris arrogare possimus, cùm tu gratiam per gratiam semper effusa munificentia largiaris. Quid ergo retribuemus tibi? quid retribuam, inquit, Domino, pro omnibus

F quæ retribuit mihi? Quæritne sibi restitui? quærit revera. Quoniam gravis etiam exactor est. Non convenit debitorem suum in sortem tantùm, sed etiam in usuras. Quare, inquit, non posuisti pecuniam meam ad mensam, vt cùm redirem utique cum usuris, eam exegissem à te? Quia ergo sibi retribui quærit, consulamus Prophetam, quid tantæ maiestati dignè possit in causam retributionis offerri. Expedit nobis ut qui nos de qualitate nostri principatus edocuit, nihilominus de quantitate retributionis edoceat. Oportet enim ut quod nomine retributionis offertur, ad honorem cedat, accedat ad gratiam. Alioquin non parit gratiam, sed offensam. Audiamus ergo quid dicat: Constitues eos Principes super omnem terram. Ecce meritum eius circa nos: quid autem sibi retribui quærat, consequenter adiungit: Memores erunt nominis

G tui, Domine. Memoriam nominis sui tantùm sibi quærit nomine retributionis offerri. Cuius nominis? nempe multa nomina habet. Habet quædam nomina de veteri instrumento significationis absconditæ, habet quædam ad novum specialius pertinentia testamentum, suavitatem redolentia, exhibentia gratiam. Quæ quamvis constet originem traxisse de veteri, plus tamen celebritatis & frequentiæ de præsenti novitate sumpserunt.

Quæ sunt illa? IESVS CHRISTVS: Iesus interpretatur salvator, Christus unctus. Vbi unctio, ibi suavitas: manifestè nomen istud Christus suavitatem redolet unctionis; Iesus salutis gratiam repromittit. Credo tamen quòd in hoc loco Propheta aliud nomen quærat intelligi, quoniam nomina illa propter suavitatem & gratiam, devotionem quidem & fiduciam præstant: hic verò alterius cuiusdam nominis memoriam quærit, cuius severitas nobis cautelam diligentiæ, & timorem reverentiæ donet.

H Quod est illud? Deus. Deus interpretatur timor. Ipse autem in hoc loco timentes esse nos exigit & prudentes. Commisit enim nobis hæreditatem suam, quam nisi timentibus non committit. Dedisti, inquit, hæreditatem timentibus nomen tuum, Domine. Hæreditas autem eius illa est, quam ipse à patre merito & postulatione passionis accepit. Postula, inquit, à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam. Hæreditas autem hæc vniversitas fidelium est, quæ nomine censetur Ecclesiæ, quæ catholicam continet unitatem. Hanc fidei nostræ credidit, hanc sollicitudini commendavit. Ad curam igitur & custodiam eius cum omni timore omnem nos oportet diligentiam adhibere. Nulla nos absterrere debet comminatio, nulla persecutio retardare. Participes consolationum facti sumus. Iustum est ut socij simus etiam tribulationum. Ex adverso stare nos convenit, & opponere nosmetipsos murum pro domo Israël. Quod sanè nobis non facile quidem, sed possibile tamen erit, si constanter in unitate catholica consenserimus permanere.

Porrò fratres sumus ex eodem patre Christo, & ex eadem matre Ecclesia, per regenerationem aquæ & spiritus de filiis iræ translati in adoptionem gloriæ filiorum Dei. Bonum itaque est, quia utile: iocundum,

quia delectabile, nos hac spirituali fraternitate coniunctos; in vnitate consistere, vt sit scilicet nobis, sicut in primitiva Ecclesia, multitudini credentium cor vnum & anima vna. Sit in nobis vnus spiritus, vna fides. Vnitas enim fidei concordiam parit. Concordia mater est vnitatis. Vnitas verò fidei tribuit libertatem. Ex fide siquidem vita nobis & victoria est. Iustus, inquit, meus ex fide viuit. Et hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra. Sed & sancti per fidem vicerunt regna: regnum Sathanæ, regnum mundi, regnum cœlorum. Et de regno quidem mundi & regno Sathanæ manifestius: sed & regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Ita omnia regna vnitas fidei, & fides vnitatis expugnat. Totis itaque studiis debemus insistere, & alter alterum cohortari, vt stemus simul, quia si steterimus simul, alteri ab altero plus fiduciæ & virtutis accrescet. Si steterimus simul, adversariis nostris non tantùm resistere poterimus, sed & cum fiducia provocare. Si steterimus simul, Ecclesia Dei apparebit terribilis, vt castrorum acies ordinata. Stemus, inquit ille Propheta, stemus simul. Quis est adversarius meus? quis contradicit mihi? accedat ad me. Quia aliquem sibi senserat fideliter assistentem, cum fiducia loquebatur. Nos quoque, domini & patres mei, habemus aliquos nobis fideliter assistentes: habemus enim assistentem nobis gratiam civium supernorum, habemus assistentia nobis merita & orationes vestras, habemus assistentem nobis fidem & devotionem Catholicorum Regum, qui vnitatem catholicam nobiscum & verbo profitentur, & operibus exsecuntur. Omnes fere quicunque censentur nomine Christiano. Comparatione verò tantæ multitudinis, modica est vnius exceptio. Vnus siquidem excipitur, & ipse solus. Væ autem soli: quia si ceciderit, non habet sublevantem. Sed ipse per misericordiam Dei convertetur & vivet, quoniam ipse est inter Principes terræ multa prudentia, & virtute laudabilis, nisi gloriam suam divinæ gloriæ præponere decrevisset. Vtinam humilietur sub potenti manu DEI, & principatum Ecclesiæ suo præesse principatui recognoscat, vtinam intelligat quia si Christum, sponsum scilicet Ecclesiæ dominum confitetur, necesse habet & Ecclesiam quæ sponsa est nihilominus dominam confiteri. Præterea specialem causam habet, qua sanctam Romanam Ecclesiam dominam recognoscere debet: alioquin manifestissimè poterit reus ingratitudinis apparere. Si enim ad veteres recurramus historias, certum erit prædecessores eius imperium non de alio iure, quam de sola sanctæ Romanæ Ecclesiæ gratia percepisse. Nihil igitur plus iuris vendicare Principes possunt, quàm quod in eos contulit dignatio largientis. Præterea habemus assistentem nobis etiam Christum. Neque enim Ecclesiam ea nobis conditione tradidit, vt relinqueret: semper assistit. Non relinquam, inquit, vos orphanos, vado & venio ad vos, vobiscum vsque ad consummationem sæculi permansurus. Adiutor itaque & protector nobis est in salutem. Cum adiutorio itaque tot assistentium nobis nulla nos debet absterrere comminatio, nulla persecutio revocare, immò stare debemus ex adverso, & opponere nosmetipsos murum pro domo Israel. Fidelis autem Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet cum tentatione proventum, vt possitis sustinere. Immò etiam ad confidentiam victoriæ obtinendæ suo nos invitat exemplo. Confidite, inquit: ego vici mundum. Si semel victus est, non erat invincibilis mundus: facilius nobis erit victoria victum vincere quam invictum. Christus vincendum aggressus est, & devicit. Dicebatur aliquando: Vide Domine & considera, quoniam erectus est inimicus: nunc autem dicitur, quoniã deiectus est inimicus. Fiducialiter aggredi possumus iacentem & victum; quia si deiectus est, non resurget; si victus, non præsumet. Nulla ipsius ex hoc nunc resurrectio, vel præsumptio prævalebit. Timeo tamen, ne aliquis forte submurmuret; præsumptuosum dicens æmulari tantæ perfectionis exemplum. Facile, inquit, erat Christo mundum vincere, qui creaverat mundum. Omnipotens enim nomen eius, cui idem est & velle & posse: mihi non ita, quoniam infirmus sum, & conturbata sunt omnia ossa mea. Omne scilicet robur naturæ meæ peccati corruptione concussum, & ideo substantia mea tanquam nihilum coram ipso. Sed nequaquam, domini & patres mei, diffidendum, nequaquam desperandum est: quia sicut verba Christi nobis ad doctrinam, ita opera proponuntur ad formam. Et sicut per doctrinam impossibile nobis est scientiæ illius plenitudinem obtinere, ita per exempla ad æqualitatem virtutum eius non poterimus pervenire. Sed licet attingere non valeamus eminentiam maiestatis, proficere tamen poterimus ad aliquam saltem similitudinem sanctitatis. Proderit imitari, etsi nemo valeat adæquari. Citra perfectionem eius subsistit nostra perfectio. Prosequi debemus, etsi consequi non possimus. Non eisdem passibus, sed eodem tramite, eisdem est vestigiis insistendum. Quòd si aliqua etiam de hominibus exempla quærantur, multos homines victores mundi poterimus invenire. Videamus Apostolum, hominem scilicet peccatorem, sicut & nos, non quantum nos, qui dicat se minimum Apostolorum, & indignum vocari Apostolum; quoniam persecutus est Ecclesiam Dei: Bonum, inquit, certamen certavi, cursum consummavi, fidem servaui, de cætero reposita est mihi corona iustitiæ. Certavit Apostolus, de certamine victoriam, de victoria consequutus est coronam. Cucurrit & consummavit cursum, ideóque bravium assecutus est. Idem bravium, quod corona. Tu autem quis es qui quæris coronam sine victoria, vel sine concertatione victoriam? Impossibile est de facto, sine concertatione vicisse. Improbabile est de iure coronam, sine victoria postulare. Neque enim coronabitur nisi qui legitime certauerit. Lex autem certaminis perseverantia est. Qui enim perseveraverit vsque in finem, hic salvus erit. Idem profectò satus, quod bravium & corona. Amplius si maior vobis de hominibus placeat pluralitas, exemplorum infinita fere martyrum millia nobis occurrent, qui ad certamen istud toto desiderio occurrerunt, & demum victoriam cruentam quidem, sed tamen cum lætitia & gloria perceperunt. Nunquid non ibant Apostoli, gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine IESV contumeliam pati. Nunquid non Stephanus inter lapides ipsos pro lapidantibus supplicat & exorat? Nunquid non Petrus & Andreas de cruce prædicant veritatem? Nunquid Laurentius de craticula tyranno lætabundus insultat? Nunquid non carnifices ipsos ad equuleum prævenire invincibilis Vincentij fortitudo festinat? Sed & si de infirmiore sexu quæratur exemplum, Agathes lætissimè & gratulanter ibat ad carcerem, & quasi ad epulas invitata, agonem suum domino precibus commendabat. Priùs me deficiet dies, immò totum longioris anni spatium expirabit, quàm sanctorum victoriæ planè valeant enarrari. Hi revera fuere viri fortes, & ad bella doctissimi, qui humilitate superbiam, tyrannidem patientia devicerunt. Cæterùm benignius agit cum infirmitate nostra misericors & miserator Dominus. Ipse enim conscius est infirmitatis nostræ, vtpote qui novit figmentum nostrum. Tolerabilem itaque facit patientiam nostram. Revera sicut dictum est facit cum labore proventum. Nulla ergo adversum nos veteris sævitiæ commenta procedunt, immò etiam sustinemur in equis & curribus ambulare, in magnis quandoque & mirabilibus super nos epulari splendidè, pretiosis indui honoribus, & divitiis abundare. Paupertatem Christi verbo prædicamus, sed minus exhibemus exẽplo: nisi quia fortasse paupertatem eius in nobis spiritualiter divitiarum contemptus & humilitas sancta restaurat. Neque enim requiritur à nobis divitiarum

A indigentia, sed contemptus. Divitiæ, inquit, si affluant, nolite cor apponere, non dixit ne affluant, sed ne cor apponatur. Porrò cor prohibuit apponere, sed non manum. Profectò Propheta in omni affluentia divitiarum pauperem se prædicat & egenum. Possumus itaque licitè divitias possidere, si tamen earum nos non reputaverimus dominos, sed ministros: si intellexerimus patrimonium pauperum esse patrimonium Christi, si proventibus Ecclesiæ, si pauperum necessitatibus erogantur. Alioquin fures & latrones nos ratio manifesta convincet, si res alienas invitis dominis nostro præsumpserimus arbitrio contrectare. Quia igitur distribuendæ sunt, non retinendæ divitiæ, nunquam iustius, nusquam possunt liberalius erogari, quàm in eos qui exulantem Ecclesiam prosequuntur, qui propter causam Christi rerum suarum dispendia pertulerunt. Causa communis est, sed in
B eos omne detrimentum, omnis est conversa vexatio. Nos enim intra domesticos parietes nostros tribunalia nostra sublimiter insidemus, ipsi de sedibus suis contumeliose & violenter eiecti peragrant regiones. Nobis omne solatium cum affluentia divina pietas administrat, ipsi de manibus alienis subsidia vitæ cum silentio patienter expectant. Nobis necessariorum nostrorum & familiarium ordo longus assistit. Ipsi inter ignotos vitam quasi solitariam degere compelluntur. Si quam tamen eis consolationem emendicata suffragia præstiterunt, indignum est ab eis beneficia quærere, quibus tu consueveris exhibere. Aperiamus itaque eis viscera pietatis, & in eos omnem compassionis & venerationis effundamus affectum, ipsosque cum omni beneficentia & gratia complectamur: quia tunc adimplebimus legem Christi, si alter alterius invicem onera comportemus. Viri prudentes sunt, & multa commendabiles honestate, quos Dominus elegit, tanquam aurum in fornace probandos, vt per eos impendio personarum & rerum, Ecclesiæ vi-
C ctoria consummetur. Felices sunt quibus datum est pro æternis transitoria commutare. Fœliciores sunt qui mortem vel corporales iniurias sunt experti, & impretiabilem sanguinem Christi suo indigno & corruptibili sanguine compensarunt. Quid enim? Nunquid sanguinem Christi in causam nostræ redemptionis expendimus, vt ipsum ei in tempore retributionis, scilicet cùm ipse requisierit, solveremus? Mutuatus est peccator, & non solvet: nos autem, Domino miserante, solvemus, qui confitemur nos non artificio civili, sed re ipsa interveniente naturaliter obligatos. Vtinam, bone Iesu, detur & mihi tecum pro spiritualibus tuis temporalia mea commutare. Vtinam sanguinem meum tibi pro tuo recipere placeat in solutum, vel quia crediti & debiti sanguinis, scilicet tui & mei, invicem æstimatio non concurrit, saltem benignissima acceptilatione liberatus absolvar, qua scilicet consuevisti iustitiam accepto ferre sine operibus, & præmia sine meritis, pro gratia scilicet bonæ actionis gratiam retributionis inferre.

D

### *Sermo in Synodo.*

QVis putas fidelis servus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore? Beatus ille servus, quem cùm venerit dominus, invenerit vigilantem. Ecclesia, sicut nostis fratres charissimi, congregatio fidelium dicitur. Fideles autem sunt, qui censentur nomine Christiano, qui scilicet de agnitione fidei Catholicæ Christiani nominis contrahunt dignitatem. Fides enim ista de Christo & à Christo est, ideòque Christiana de nomine proprij nuncupatur auctoris: Catholica verò id est communis, tam propter præcepta generalium regularum, quàm propter uniformem in omnes æternæ retributionis eventum. Neque enim fides ista tam vel certis est consignata personis, vel quibuslibet locorum coarctatur angustiis, sed ab ovibus quæ

E perierant domus Israël in omnes gentes veritatis doctrina transfusa est, postquam scilicet in omnem terram sonus Apostolicæ prædicationis exivit. Per hanc ergo fidem purgatis ignorantiæ tenebris, & veterum detersa caligine figurarum, misericors & miserator Dominus Ecclesiam suam sic notitia veritatis illustrat, vt operibus nihilominus charitatis informet, quatenus procedente gratia ei se ad complexandum indulgeat, & exhibeat ad videndum. Ad hoc eam de tenebris vocavit in admirabile lumen suum, ad hoc eam secum assumpsit in eiusdem corporis vnitatem. Ad hoc eam de servitute corruptionis, proprij quoque sanguinis impendio liberavit. Ipsa enim pretium sanguinis eius est retributio passionis, gloria maiestatis. Quod enim assecutio hæreditatis istius ei cedat ad gloriam manifestè, de ipsius congratulatione suscepimus: quia in susceptione ipsius à patre eam studiosius
F commendat, & etiam lætabundus exultat. Funes, inquit, ceciderunt mihi in præclaris, etenim hæreditas mea præclara est mihi. Præclara est, quoniam pulchra & decora est. Pulchra, quoniam tota pulchra est, non habens maculam neque rugam. Cuius claritatis & pulchritudinis quantus ipse zelator sit, ipsa etiam nominum multitudo, quibus eam frequenter appellat, evidenter ostendit. Nempe multitudine nominum multitudo charitatis exprimitur. Neque enim vno nomine contentus esse potuit, vt in ea diversitatem virtutum distingueret, & in se circa eam totum dilectionis aperiret affectum. Modò itaque eam electam, modo dilectam, modò sponsam nominat, aut reginam, multisque aliis nominibus quæ spiritualibus sunt plena mysteriis, & sacris significationibus illustrata. Ego tamen ad præsens paucis esse contentus decrevi, quia sapientibus loquor, quibus plenius quàm mihi innotuerunt nomina & nominum sacramenta. Electa dicitur. Veni, inquit, electa mea, & ponam in te thronum meum. Electa dicitur, propter virtutum
G eminentiam, qua præcellit. Thronus autem iste qui in ea constituendus dicitur, Altissimi thronus est, qui non potest nisi in eminencia collocari, quia ipse est qui in altis habitat, immo etiam in altissimis: Ego, inquit, in altissimis habito, & thronus meus in columna nubis. In altissimis habitat, quoniam cœli cœlorum sedes & habitatio eius. Supra tertium etiam cœlum invenitur à Paulo. Thronus autem hic in columna est, quia sicut columna ardua & subtilis est, sic ardua & angusta via quæ ducit ad vitam: vita verò Christus. Cæterùm quòd thronus iste constitutus in nube dicitur, diligentiùs attendendum est. Nunquid enim ipse inhabitat lucem inaccessibilem? Nunquid ipse est lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum? Lux scilicet perpetua, quæ lucebit sanctis Dei, quia fulgebunt sicut Sol in regno patris eius. Sed & thronus eius, sicut Sol in conspectu patris. Re vera lux est, & lucem inhabi-
H tat. Sed inter nos & lucem illam ad præsens nubes interposita est, quæ non permittit nos eam perfectè his quos modò habemus oculis intueri, immò nobis nubes, & caligo in circuitu eius. Videmus tamen aliquatenus, sed per speculum, sed in ænigmate, sed interpositis corporalibus instrumentis. Visibilia enim quæ ab ipso creata sunt, quasi speculum, quasi instrumenta nobis sunt, per quæ quodammodo possimus ipsius invisibilia contemplari. Invisibilia siquidem eius per ea quæ facta sunt, ab eo conspiciuntur. Videbimus autem, Deo volente, perfectiùs in futuro, quando videbimus eum sicuti est, quando cognoscemus sicut & cogniti sumus, quando scilicet Regem in decore suo videbunt oculi nostri, quando transformabimur à claritate in claritatem, sicut à Domini spiritu. Quod mihi videtur desiderasse Propheta, cùm diceret: Quando veniam, & apparebo ante faciem Domini? quasi diceret, Video aliquantulum, sed obiecta est mihi nubes, interpositum velum, non video nisi interpositis corporalibus instrumentis. Vellem hæc omnia remo-

veri,

A veri, ut viderem facie ad faciem, & appareret mihi Christus vita mea, & ego apparerem cum ipso in gloria. Item, dilecta dicitur, quia diligit & ipsa, neque enim diligeretur, nisi diligeret, ipse enim nisi diligentes se non diligit. Ego, inquit, diligentes me diligo. Prævenit tamen diligendo, quoniam ipse prior dilexit nos, sed ad hoc diligit, ut faciat diligentes. Nisi enim qui diligitur mutua ei dilectione respondeat, divinæ revocetur dilectionis affectus. Verùm quanta inter ipsum & diligentem se discurrat alternæ charitatis affectio, difficile nobis, immò impossibile est explicare, quoniam nec ipsius Salomonis sapientia id perfectè nobis enarrare potuit, licet diligentissimè fuerit prosecutus inter eos modò complexus & oscula, modò aromata & unguenta, modò languorum spiritus, modò animæ defectum, modò ferventem curiosæ æmulationis zelum, modò delicatum teneræ compassionis affectum.
B Quæ omnia mihi satis est breviter attigisse, quia religio vestra hæc intra vosmetipsos plenius per ipsa spiritualiter experimenta cognovit. Tertium nomen est quod posuimus, quod sponsa dicitur. Nullo alio nomine manifestius exprimi potuit inter eos sacramentum unitatis, & sinceræ perfectio charitatis. Quæ enim verior unitas & charitas est quam duo in carne una fieri, & ipsos uno eodemque spiritu vegetari? Quoniam ipse ab ea in unitatem eiusdem carnis, & ipsa ab eo in unitatem ejusdem spiritus est assumpta. Erunt itaque duo in carne una. Profectò Christus & Ecclesia. Nempe verbum caro factum est. Sed & totum corpus Ecclesiæ spiritu Christi vegetatur & regitur. Prudenter negociata est Ecclesia, carnem dedit, ut acciperet spiritum, & ipse animatum corpus assumens, largitus est nobis suam deitatem. Fœdus hoc in persona Christi celebratum est, quando scilicet cum humanitate divinitas, & cum divinitate convenit humanitas. Sponsalia hæc ibidem, auctoritate patris & sancti Spiritus
C obumbratione firmata sunt. Nec enim adhuc nisi sponsalia sunt, non sunt celebratæ sunt nuptiæ, nondum matrimonium consummatum. Porrò complebuntur omnia in futuro, cum sponsus advenerit, intrabunt, qui parati inventi fuerint cum ipso ad nuptias, imparati foribus excludentur. Qui verò ad agni nuptias, fuerint introducti, ibi epulabuntur in conspectu eius, ibi delectabuntur in lætitia, ibi inebriabuntur ab ubertate domus eius, ibi torrente voluptatis potabit eos. Ibi qui modò vacui sunt replebuntur in bonis domus eius, & qui inanes satiabuntur, quoniam apparebit gloria eius. Ibi sponsa coronam accipiet, quam ei Dominus præparavit in æternum. Vnde etiam regina vocari digna est. Iure id quidem, quoniam sponsa est regis: Christus enim rex est, cuius ipsa sponsa est, & rex & filius regis. Non habet regnum fortuitum, sed hæreditarium, quia de patre: Deus, inquit, iudicium tuum regi da, & iustitiam tuam filio regis. Ad patrem loquitur: Deus, inquit, pater da regi, id est Christo filio tui regis scilicet qui rex es, iudicium & iustitiam, potentiam scilicet & scientiam iudicandi. Iustitia
D enim & iudicium, præparatio sedis eius. In his siquidem duobus consistit tota Regiæ maiestatis auctoritas, quia iudicium per severitatem potentiæ vindicat, quæ malè commissa sunt coercet, ne iterum comitantur. Punit siquidem excessus, & refrenat audaciam. Iustitia verò per discretionem scientiæ dirigit & informat. Informat ad virtutem, dirigit ad salutem. Pater itaque rex est, & filius rex est. Pater rex ab æterno, filius nihilominus secundum divinitatem rex ab æterno. Vnius eiusdemque regni non duo reges, sed unus rex. Christus autem secundum humanitatem rex factus est ex tempore, & Ecclesia eiusdem regni regina constituta est cum ipso. Astitit, inquit, regina à dextris tuis. Christus ad dexteram Dei patris, in potioribus scilicet bonis gloriæ quam accepit. Ecclesia a dextris Christi stare dicitur, non sedere, quia semper est in procinctu constituta. Astitit regina à dextris tuis. In hoc verbo videtur mihi Propheta triplicem statum

E Ecclesiæ prospexisse. Videtur mihi primo eam considerare stantem ad dextram crucifixi, ubi illa profluentia in salutem, de latere eius sacramenta suscipit & observat. Erant, inquit, iuxta crucem Iesu mater eius & soror matris eius Maria Cleophe, & Maria Magdalene. Stabat & discipulus quem diligebat Iesus. Stabat Petrus, & alij fortasse fideles à longè prosequentes, ut viderent finem. Stabat & Centurio, manifeste protestans quia vere filius Dei erat ille. In ea paucitate tunc temporis tota ferè universitas Ecclesiæ consistebat. Porrò unus ex militibus lancea latus eius aperuit, & continuò exivit sanguis & aqua: sanguis scilicet redemptionis, & aqua regenerationis. In his duobus omnium sacramentorum virtus & efficacia creditur
F emanasse. In fide etenim passionis, & baptismatis ablutione salvamur. Qui enim crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit. Sanguis enim Christi emundat conscientias nostras ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi. Sed & aqua quæ visa est egredi de templo corporis Christi, à latere dextro, salvavit omnes ad quoscunque pervenit. Tres igitur testimonium dant in terra, spiritus, aqua, & sanguis. Spiritus siquidem testimonium perhibet de Christo, quoniam Spiritus est qui testificatur quoniam Christus est veritas. Nobis autem aqua & sanguis reddunt testimonium ad salutem. Secundus autem status Ecclesiæ est à tempore resurrectionis Christi usque ad sæculi consummationem, quo tempore scilicet ipsa peregrinatur in terris, atque interim bona ista temporalia sobriè sibi in usus honestæ necessitatis assumit. Tota tamen spiritualiter in agnitione sacramentorum, in virtutum executione, in cælestium contemplatione consistit, atque ideo quodammodo stare videtur etiam in præsenti, quoniam spiritualia sunt hæc, & de beneficio ei divinæ bonitatis indulta,
G ut ei de perceptione præsentium munerum firma sit expectatio futurorum. Porrò tertius Ecclesiæ status consummatis omnibus complebitur in futuro, quando scilicet dextra ipsius amplexabitur eam, & æternæ beatitudinis plenitudo confovebit. Astitit, inquit, regina à dextris tuis. In hoc verbo regnorum pluralitatem Christo & Ecclesiæ nolumus assignare, quia unum & simplex regnum est, quod patri & filio secundum divinitatem firmat deitatis æternitas, & quod filio virginis & Ecclesiæ gratia communicavit ex tempore. Nulla ergo invidia est, Ecclesiam reginam, & cælorum etiam reginam appellari, cùm Psalmista filios eius Deos & Dei filios confidenter appellat. Ego, inquit, dixi, Dij estis, & filij Excelsi omnes. Ita, domini & patres mei, sicut diximus, multitudine nominum multitudo charitatis exprimitur. & ipsorum diversitate sacramentorum quoque diversitas assignatur. Hanc igitur tam præclaram, tam acceptabilem sibi electus electam, dilectus dilectam, sponsus sponsam, rex reginam, Christus Ecclesiam fidei vestræ credidit, prudentiæ commendavit, ut scilicet ad curam &
H custodiam eius, cum timore nominis eius, omnem diligentiam, omnem sollicitudinem impendatis, quatenus omne opus eius studio vestro, quantum vobis possibile fuerit, dirigatur in bonum, & ipsa integra & illæsa sub vestra defensione, & Christi protectione consistat. Ad hoc siquidem fides & prudentia procuratoris inquiritur, ut per fidem sua domino servetur utilitas, per prudentiam ingruentes à familia molestiæ depellantur, fundatum est vestro tempore non soluetur. Solum autem necesse est, si inexperto regulam regula conservanda mandatur, si imperito agricolæ credatur nova plantatio, si denique cuiquam alicuius rei magisterium credatur, cuius ille non attingit disciplinam. Perniciosè siquidem vinea propaganda committitur ei, cuius est studium, potius extirpare. Vnde etiam si eum, de quo agitur, Girardum aliqua electionis forma defenderet, quia pro Ecclesiis libertas electionum introducta est, liquet quia quod earum favore comparatum est, hoc ad earum læsionem retorqueri non debet. Retorquebitur autem, si electionis favor usque in detrimentum principalis causæ processerit, si non quis, vel ad quid, sed qualiter electus

A sit, attendatur: nec finis aut utilitas operis, sed sola negotij series exquiratur. At verò quòd hic electio nulla præcesserit & verum est, & omnis Ecclesia contestatur præter paucos, quod ad optandam sæcularem personam amor & desiderium sæcularitatis adduxit. Quorum primus adolescens & frater est, secundus ex familiari neophitus, tertius nescio qua sanguinis cognatione coniunctus, quartus claustrali disciplinæ mancipatus à puero, imberbis adhuc, & nihil sitiens penitus nisi mũ[illegible]. Quos ille per furtivas literas studio fratris, persuasionibus & promissis illectos ad hoc schisma protraxit, ratus securè quidlibet adversus paupertatem Ecclesiæ præsumendum. Sperabat enim adversus reliquos omnia posse trium aut quatuor huiusmodi testium depositione probari, quoniam negantis factum per rerum naturam nulla est probatio, actori autem onus probationis incumbit. Sic opus illud primò quidem de ambitio-
B ne conceptum est, exinde verò temeraria levitate promotum, ut ad extremum posset perjuriis consummari. Accessit etiam post modum propter injuriam quam passus est ex incommoditate fiducia, ad quam tamen si eum in consulta protraxit ambitio, nec innocentibus imputandum est, nec in detrimentum Ecclesiæ convertendum. Porrò in actores sceleris severitatis Apostolicæ vindicta procedat, personæ verò quæ læsa est, salua tamen indemnitate Ecclesiæ, consulatur, ut reis pœna, læsis remedium, sua religioni justitia conservetur. Cæterùm de eo quod factum est, innocentiam suam multis Comes excusat, adeò ut auctores ipsos, licet ipsius se putaverint gratiam promereri, Ecclesiastico permiserit arbitrio puniendos. Neve adversus libertatem Ecclesiæ laborare credatur, universam Ecclesiæ dispositionem Archiepiscopi nostroque scilicet Episcoporum consilio relaxavit. Ecce domine in voluntate tua universa sunt posita, nec est qui possit tuæ resistere voluntati, esto officij tui sedulus executor, ne personarum vel causæ
C merita confundantur: ut reos scilicet castigatio digna coerceat, læsos pia miseratio consoletur, regularis autem conventus accipiat patrem regulari institutione formatum, ne statuæ aureæ caput æneum tuo, quod absit, opificio dicatur affixum, & ubi ex privilegio prædecessorum Archidiaconos sæculares esse non licet, sententia tua creet Episcopum sæcularem. Valeat in Christo sanctitas vestra.

*Ad Richardum de Alm. Præcent. Lincoliens.*

Licet pro latore præsentium A. vestræ præsens supplicaverim charitati, preces tamen censui literis prosequendas, ut quantitatem desiderij mei tam vivæ vocis alloquium, quàm literarum instantia declararet. Sperat hic impetratis à me literis, à vobis impetrasse quod postulat, quia quasi certus est preces meas apud dilectionem vestram optato nullatenus frustrandas effectu. Cumque solus charitatis affectus omnem possit inter nos formasse fiduciam, accedit tamen quòd utilitatis vestræ detrimenta non quæro, quamvis gratia mea
D vestro iudicio quælibet plurimo proventu dispendia recompenset. Facietis itaque cum hilaritate quod petitur, ut ipsa facilitate meriti quantitas augeatur, quia sæpius officij liberalis exhibitio creat vel firmat amicitiæ veritatem. Licet enim ipsa in sua simpliciter puritate consistat, tamen extrinseca frequenter accessione distrahitur, adeò ut injuriis irritata deficiat, & quasi delinita beneficiis convalescat. Porrò ipsa beneficiis odia conquiescunt, & mirabili mutatione in contrarios vertuntur affectus. Siquidem necesse est diligas quem odisti, si eum ad meliorem affectum à pristina malitia transisse cognoveris, affectumque tuum aliena sibi formidabit affectio, ut semper diligentem diligas, & oderis odientem. Oportet igitur ut sibi invicem bene utriusque conscientia respondeat, ideoque ultrò citroque absconditæ voluntatis argumenta procedant, quia operibus credendum esse ipsa nos Evangelicæ doctrina veritatis instruxit. Semper diligentis animus ad alterius est, quàm ad sua
E vota propensior, & præveniri desidiam reputans tota semper festinat diligentia prævenire.

*Ad Abbatem Cist. & fratres eius.*

Confectus senio & aliquarum ægritudinum gravatus accessu, ad Medicinæ salutare remedium confugere, & confracta laboribus membra necessariâ requie sublevare constitui. Siquidem in perniciem meam veluti coniurata veniunt debilitas, infirmitas, & senectus, mihique tot incomodorum instantia fiduciam vitæ longioris abrumpit. Accedit extrinsecus negotiorum quibus distrahor importuna vexatio, quæ miserabiliter anhelantem, vel ad momentum etiam respirare non sinit. Siquidem sæpius ad Regales cum cæteris trahor angarias, eorumque quibus deesse non possum, frequenti-
F bus infestor injuriis, media omnia interim tot tantisque laboribus sumptibusque constrata sunt, ut nec ad tolerantiam corpus sufficiat, nec ad impendium facultates. Porrò si hæc saluti etiam non obsisterent animarum; viro tamen bóno tolerabilius videretur, si detrimenta præsentium ad proventum proficerent æternorum. Sed hominum semper procedente malitia, & in deterius diebus singulis excedente, cùm bona tum corpora, tum & animæ simul ruina pariter involuuntur, & formidabili plerumque consummantur eventu. Quia igitur sapientis est casus hujusmodi sagaci providentia prævenire, oportunitas loci mihi fuerat exquirenda, ubi quietem meam nec causarum tumultus infestet, nec incursus multitudinis interpellet, sed exemplo meliore semper honestatis studia convalescant, & ad veræ virtutis opera omnis possit occasio deservire. Super quo cùm ad multa loca multorum precibus & desideriis invitarer, quidam locus ordinis vestri qui dicitur Mortui maris inter cuncta cóplacuit, quia mihi visus est multis commoditatibus opportunus. Siquidem de antiqua familiaritate plurima su-
G mus invicem charitate conjuncti, mutuamque gratiam vetus notitia alterna operum exhibitione firmavit. Itaque extra terminos, intra quos secundum ordinem vestrum, arctioris abstinentiæ decreta servantur, domum mihi moderato sumptu statui construendam, cujus sobria necessariis usibus amplitudo sufficiat, mensuram tamen regularis ædificij non excedat. Sanè exclusi erimus, commeatu tamen familiari tam providè, quàm clementer indulto, ut à transgressione regulari observantiæ severitas arceat, & tamen ab Ecclesia sanctisque fratrum colloquiis misericordia non excludat. Porrò per exteriora nullus reservatus ingressus est, quo scilicet inutilis frequentiæ tollatur occasio, & nihil nisi per communem portam sub oculis & sancti solertia ianitoris accedat. Scio plurimam eos de nostra commoratione concepisse lætitiam, atque eis utinam inde proveniant commoda quæ præsumunt, ut scilicet dignus sit expectatione proventus, & aliquid bonæ opinioni eorum de judicio nostræ prælectionis accedat. Quia verò locum illum novimus specialius ad vestram sollicitudinem pertinere, propositum nostrum vobis indicandum duximus, rogantes ut & vestræ charitati complaceat, sancto-
H que vestrarum precum suffragio muniamur, & auctoritas vestra vota sanctorum fratrum exhilaret, & rescripto quolibet aut mandato confirmet.

*Ad Papam Alexandrum.*

Est in Episcopatu cui, Deo permittente, deservio, monasterium quoddam nomine Gristanum, quod aliquando suavitatis odorem circumquaque diffudit, sed in diebus Abbatis istius merita diu laboravit infamia, sic & præsentes vidisse constat & remotos audisse. Nec enim infra domesticos parietes contineri scandala potuerunt, quæ procedente temeritatis audacia, publicis offerebantur aspectibus, & per ora publica personabãt, quoniam fratres loci illius ab operibus ejusmodi nec timor Dei, nec hominum reverentia cohibebat. Quorum quanto major immanitas extitit, tantò latius celeriusque

fama discurrente vulgata sunt, majoremque apud omnes contraxit offensam, quòd palam tanta à sanctuario procedere malicia videretur. Siquidem nulla vel modica erat intrinsecus exhibitio charitatis, quia nec hospites agnoscere consueverant, neque quicquam pauperibus impertire, sed ipsas etiam communis mensæ reliquias, ad impendendum privatis affectibus dissolutionis impudentia reservabat. Parva sunt hæc, sed ad sanguinem prorupit insania, ut à nulla specie criminis manus eorum servarentur immunes. Constat eos in claustro strictis invicem concurrisse cultellis, sicut cicatrices vix obductæ, & recentia quoque vulnera protestantur. Ac nisi de cultellis eorum pugionem provida sustulisset antiquitas, sæpius usque ad alternas etiam mortes intemperantia desævisset. In monasterio ipso immersam aquæ frigidiori mulierem vis algoris extinxit. Vt enim miracula facere crederentur, & quibuslibet commentis sæcularium personarum frequentes invitarent accessus, sanitatis remedia promittebant ei qui se incantatæ ab eis, nescio quibus carminibus, aquæ septies sustineret immergi. Ægra itaque mulier aquæ glaciali frequenter immersa inter manus comprimentium monachorū congelata decessit, dum vim algoris ægritudo non sustinet, & profana religio naturam potiùs irritat ad perniciem quam Dei misericordiam ad salutem. Ministrum coquinæ cum debitum pronus exequeretur officium quidam e monachis interfecit, quia dicebatur aliquando de nimia illius circa uxorem suam frequentia murmurasse. Cervicem itaque ipsius adjecto totis viribus pistillo grandiore confregit, & innoxio sanguine pulmenta, quæ tam ipsi, quam cæteris fratribus parabantur, aspersit. Super quibus cùm ego sæpius Abbatem charitate debita commonerem, nec enim severiùs cogere permittebar, dissimulandum potius, quàm districtione monastica censuit occurrendum. Dedit itaque dissimulatio remissa fiduciam, qui sibi nihil non licere credebant, quos nec ratio propria, nec aliena correptio refrænabat. Porrò nulla Abbati disciplinæ restabat auctoritas, quia etiam à reprobis eorum disciplina contemnitur, in quibus bene compositæ mentis opera non videntur. Augebat audaciam quòd eis in claustro necessaria non dabantur, sed ad recompensationem subtractæ necessitatis liberior eis evagandi licentia laxabatur. Solent enim hujusmodi personæ patientius inopiam portare quàm regulam, & à Prælatis suis peccandi libertatem quamlibet egestate mercantur. Ad hæc, ut nulla eis effluendi deesset occasio, Abbas sæpius quasi ad disponenda bona monasterij navigabat in Angliam, ubi sine consorte degens & judice, gulæ & lateri sicut dicebatur indulgens, parum aliquid præter vagos discursus, & lites supervacuas exercebat. Vbi novissimè per continuum ferè biennium demoratus, Episcopalis edicti necessitate reductus est, statumque monasterij deteriorem satis quam reliquerat reversus invenit. Cumque statim cœpisset monachorum contentionibus infestari, festinantem redire prohibui, nisi ordinato monasterio prius mihi personas idoneas quæ curam gererent vicariæ sollicitudinis assignasset. Ipse verò Episcopali, qua ei præemineo, auctoritate neglecta, & debito obedientiæ, de cujus exhibitione vinculo juratæ professionis tenetur astrictus, sine conscientia mea reversus est, nemine domi relicto qui sciret vel curam ordinis gerere, vel temporalia dispensare. Quod statim miserabiliter ipse rerum declaravit eventus, quia is quem Procuratorem reliquerat, ebrius in Refectorio super cœnam duos de fratribus cultello percussit, atque ab eis incontinenti pertica, quam casus obtulit, interfectus. Quo facto veterum criminum renovata memoria, ab omnibus omnia quasi sub unum reducebantur aspectum, omnesque publicæ existimationis & famæ judicio condemnati sunt, quia nullus erat quē nocentem non fecisset operatio vel consensus. Itaque ejiciendos omnes plerique dixerunt, & personas novi ordinis penitus inducendas, ut & in istos vindicaret ejectio, & ordinis observantiam novorum institutio restauraret. Porrò ego ejectis interfectoribus, quia sic tam ratio, quam metus potentiæ sæcularis exegit, ad momentum quæ mihi visa sunt disponenda disposui, nec enim quicquam perpetuum constitui poterat, cùm de nullo eorum satis bene vel fama vel conscientia responderet. Feci tamen quod potui, donec fortiore consilio possit omnis plantatio, quam pater celestis non plantavit, avelli. Vestris hoc reservatur manibus, vestris erit viribus adimplendum, quia ei quod radices altiùs egit manus non prævalent imbecilles. Super quo si ad communia totius ferè regionis vota respicitis, ij quos ad perpetuā dissolutionem par convictus, alternique consensus gratia fœderavit, segregandi sunt, & sigillatim per regularia monasteria dispergendi, ut occasionem peccandi, quam de pravæ familiaritatis consortio quærebant, apud ignotos de divisione & diversitate conversationis amittant. Commune votum est, ipsique etiam Principi complaceret, in regulares Canonicos monasterium transformari, ut ipsa species ordinis innovata, pleniùs omnem possit tollere vetustatem, & cætera exempli severitate monasteria terreantur. Sunt enim aliqua, quorum in tantam dissolutio prorupit audaciam, ut confusionem suam deprehensa etiam non agnoscat iniquitas, sed induratis frontibus semper obstinatio convalescit. Sic autem locus ille in statum dignioris ordinis exurgeret, & ubique semper quasi præsens esse Apostolica severitas crederetur. Præterea provinciam nostram frequentibus monasteriis, ipsisque nobilibus certum est abundare, Canonicas regulares paucas habet, ipsasque pauperrimas, adeò ut ad quærendum ordinem illum plerumque nostrates oporteat ad regiones extraneas demigrare. Bonum itaque plerisque videretur, si paucitas monachorum dissoluta in multitudinem regularium excresceret clericorum, & collocatis utiliter eis qui ab institutione materna descivisse noscuntur, cæteri materno possent gremio contineri, ne tanquam ablactati ad ignotarum matrum severiores depellantur amplexus. Siquidem hoc facto in nocentes utilis vindicta procedet, quæ sublata corporibus peccandi licentia, totum ad salutem conferet animarum, & ad consecranda novellæ plantationis auspicia promtiora favoris publici vota concurrent.

### *Ad Ricardum Pictau. Archid.*

QVod dilectio vestra propitiam senectutis meæ sollicitudinem gerat, multis claret indiciis, eoque maxime quòd utilia debilitati meæ tantò tamque liberali studio subsidia providetis. Siquidem ad varios labores frequens me trahit occasio, nec fidem excusationi malitia temporis adhibet, sed quod infirmitatis est desidiam reputat, aut figmentum; adeò ut sæpius in potentiā ipsam cogatur expugnare necessitas, miserisque conatibus sepultæ virtutis instaurare defectum. Perniciosum autem est valetudinem infestare laboribus: ne fortè vexatio vim doloris augeat, & novum aliquod ægritudo de concussionis injuria contrahat incrementum. Invenit igitur gratia vestra subsidium senectuti, laborique remedium, quo tam debile corpus vegetari debeat, quam vexationum instantia temperari. Siquidem duos equos à vobis exactiore diligentia perquisitos accepi, quos ipsa statim pulchritudo primo commendavit aspectu, postmodum omni vitio mundos inspectio diligentior approbavit. Feruntur planè, neque sessorem qualibet inæqualitate concutiunt, nec celeritatem retardat æqualitas, neque pes aliquo unquam cespite retusus offendit. Non est opus eos fræno cohibere, vel urgere calcaribus; quia tanta facilitate cuilibet mancipantur obsequio, ut omnem sessoris explorasse videantur affectum. Denique tanta progressus eorum suavitate procedit, ut qui insidet non incedere, sed labi, nec se tam equo vehi, quàm quasi navicula quadam subvehi verius arbitretur. Porrò varietas ipsa ad augmentum quoque voluptatis accedit, quia tædium identitatis novitate distinguitur, nec eidem sellæ semper inhærere necesse est, sed modò huic, modò alteri quantum libuerit insidere.

A Videntur mihi virtutem pristinam, patientiam pristinam reddidisse, iuniorumque discursus tanta levitate consector, ut membra nequaquam contineri, sed potius suavi motu sentiam vegetari. Reddidistis me mihi, imò eis qui meo quondam fruebantur, sed modò fungebantur obsequio, & de claustris domesticis clementer eductum ad solita publicæ congratulationis gaudia reduxistis.

*Ad Laurentium VVesmonast. Abbatem.*

PRo Simone nostro gratias vestræ refero charitati, quia ipsum innatæ vobis bonitatis oculo respexistis, ipsique beneficium non temporale, sed in longiora duraturum tempora provida munificentia præstitistis. Ma-
B gnum est quod ad horam subvenit indigenti, maius quod in dies annosque renascitur, quod ut sæpius conferat frequenti revolutione denuo reformatur. Sanè beneficium hoc non minuitur tempore, sed augetur, proventusque perseverantiam redivivæ conservat industria largitatis. Multa simplicem donationem commoda prosequentur, totiesque donatum iri videbitur, quoties novi redeuntium fructuum manipuli congerentur. Majus etiam est jus aliquod donasse quàm corpus, quoniam jura frequenti perceptione subnixa sunt, simplici verò traditione cujuslibet corporis donatio consummatur. Ius dedistis, ne citiùs munificentiæ vestra gratia præteriret, ut sicut apud vos virtutis non tepescit affectio, ita prorogata in perpetuum liberalitatis vestræ beneficia convalescerent. Præterea liberalitati prudentia discretionis accessit, quoniam ei dedistis, cujus vobis honestas, cujus industria, cujus sedulitas officiosa complacuit. Nec ignotæ personæ, nec inutili contulistis, si ei cujus merita præcesserant & sequentur, qui vobis animo & corpore ad cumulum gratiarum referat actiones, ut jure debeatis de exteriori fructu & conscien-
C tiæ testimonio gloriari. Ego tamen impensum quod fecistis reputo mihi potius, quia quod prius differebatur, ad prima statim intercessionis meæ verba cōcessum est, ut meam specialiter ex eo videremini gratiam affectasse. Sanè maior extitit in exhibendo donatoris hilaritas, quàm in accipiendo desiderium postulantis. Pulchrum sanè & prædicandum beneficium, nulla suspensum dilatione, nullis redemptum precibus, nullis meritis comparatum. Nihil in eo fuit quod beneficij minueret majestatem. Prævenistis me qui omnes occasiones venari decreveram, ut vos impenso quolibet liberaliter officio prævenirem. Igitur debitorem me magnificentia vestra constituit, ut ex hoc nunc soluere debeam, non donare: quia quod bene merenti rependitur, illustrari donationis nomine non meretur.

*Ad Ioan. & VVill. Cardinal. pro Rogo Eboracen. Archiepiscopo.*

D QVa fide, quo studio, quo affectu, circa initia tempestatis istius ad unitatem Ecclesiæ, & honorem Romani Pontificis dominus Eboracensis intenderit, vestra qui ex magna parte vidistis & audistis, prudentia non ignorat. Meruit excedentem gratiam excedens strenui propugnatoris audacia, sibique invicem frequentibus officiis tam operum magnificentia quàm rerum munificentia concurrerunt. Præsumebat non defuturam gratiam perseverantiæ meritorum, sed iam pristina perseverantibus meritis gratia refulget, verùm in pœnam quoque conversa est ipsorum expectatio præmiorum. Perseverat semper, & aliis tepescentibus ipsius devotio non tepescit, quia videt totam nondum conquievisse malitiam, & ab his quorum fides invictissima credebatur, profana consilia percussis etiam fœderibus agitari. Vtinam ad notitiam Romani Pontificis & vestram, relatione veridica perveniret, quantum noviter apud Principem nostrum, Regem loquor Anglorum, Catholici sacerdotis industria sancta profecit, cùm eum scilicet ad schisma maximi quoque Principum invitarent, ipsumque metus severitatis Apostolicæ perterreret. E Siquidem virtus ejus præcipuè nobis nimirum & aliis annitentibus, eum in fide & obedientia Ecclesiæ confirmavit, seque Romano Pontifici pariturum super eo casu quem audistis, quantum dictaverit ratio, vel laxaverit misericordia, coram multis Ecclesiasticis sæcularibusque personis publice in manu Rothomagensis Archiepiscopi fide corporaliter interveniente firmavit. Porrò ipse ad visitandam Romanam Ecclesiam plurimo iamdudum desiderio tractus est, ut ope & consilio vestro motum maiestatis Apostolicæ, si quem adversus eum de falsa suggestione contraxit, revocaret in gratiam, ipsique & vobis in omnibus sinceritatem conscientiæ suæ certissimis indiciis approbaret. Accingeba- F
tur iam, cùm à Rege ipso & nuntiis ejus qui noviter à nobis reversi sunt terribile percepit indicium, Imperatorem scilicet ipsum singulariter excepisse, cùm aliis, interventu Regis, securitatem transitus indulgeret, quia scilicet præsumpserat in personam ejus anathematis intorquere sententiam, & nomen ejus in omnibus quos frequenter celebraverat conventibus Ecclesiasticis infamare. Providete itaque amico vestro, nec illum ad partes illas aliqua necessitatis instantia trahi, neque caput ejus tot tantisque periculis permittatis exponi. Ad hæc, bonum est Ecclesiæ Dei viros fideles juxta infideles aliquando commorari, ut ipsorum virtute & prudentia malitia reprimi possit, & inconstantia contineri. Profectò apud nos prævaluisse credebatur iniquitas, nisi sacerdotum industria restitisset, per quos repressa viriliter intemperantia requievit: & ad unitatem quos velut in fugam terror Ecclesiasticæ potestatis impulerat, sunt reversi. Nondum tamen navim nostram portum perfectæ securitatis credimus obtinere, quin adhuc & G
anchora possit de percepta statione convelli, & navis ipsa rursus ad procellas pristinas flatu malitiæ revocari. Vtilius ergo fore credimus eos qui providere possunt non amoveri, sed ad solertem vigiles adhibere custodiam, ut quoslibet eventus prudenter & instanter observent, & momentaneam hominum fidem necessaria stabilitate confirment. Ad quod virum de quo scribimus multis experimentis novimus efficacem, eique ad referendas vobis gratiarum actiones maiorem devotio, quàm vexatio tribuat intellectum.

*Ad Dominum Papam Alexand. pro Ioscelo Salesberiensi Episcopo.*

PRo venerabili patre nostro, & amico charissimo Ioscelo Salesberiēsi Episcopo, majestati vestræ preces affectuosas offerimus, & benignitati devotas gratiarum exsoluimus actiones. Pepercit ei misericordia vestra, parcendumque impotentiæ ejus ratio postulabat, H
quia gravitate corporis, ætatis provectu, debilitate plurima circumventus, quantum æstimare possumus ad vestram non posset præsentiam pervenire. Super eo autem pro quo graviorem ei vobis placuit irrogare sententiam, quantum de intimo conscientiæ eius, quantum de opinione & attestatione publica, quantum de propria existimatione præsumimus, quod ad factum illud lamentabile pertinet, omnino credimus innocentem: quia nec honestas hominis, nec liberalis animi nota mansuetudo, nec adeò tot informata temporibus, tot experimentis altius erudita providi senis prudentia defecisset. Porrò voluntas illa ab his à quibus opus illud tam malitiosè commissum est, omni studio servabatur abscondita, ne cuiusquam præscientia concepti maleficij præpediret effectum. Quis verò qui ejusmodi malitiæ concepisset affectum personæ cuiquam, præsertim Ecclesiasticæ revelaret, cùm non in unius tantùm caput stringi gladius, sed in cervicem totius Ecclesiæ videretur. Vidimus nos virum istum pro quo scribimus, in initio tempestatis inter Coëpiscopos scopo illi studiosius adhærentem, multasque iniurias pro libertate Ecclesiæ & ipsius gratia pertulisse. Quæ sanè ei apud eum perseve-

ravit

A ravit gratia, donec Ragialdus Archidiaconus, qui huic ea quam scitis etiam sanguinis affectione devinctus est, regalibus mancipatus obsequiis, regalia cœpit ad vos mandata deferre, quæ utilitatibus Archiepiscopi credebantur in aliquibus obviare. Decretum est igitur patrem punire pro filio, ut eum ab obsequiis illis paterni compassio doloris averteret, vel in utrumque gravior animadversio vindicaret. Utinam ille zeli fervorem temperasset, ad tempus, quia in causa Ecclesiæ quam susceperat solerti mansuetudine utilius proficere potuit, si pacificus esset ingressus eius, si suas vindicare distulisset offensas, neque repentinis infestationibus iocunda novæ coronæ gaudia demigrasset. Sanè de eo quod de corona factum est, Episcopi neque tunc, nec adhuc se credunt in aliquo deliquisse, quia sicut aiunt literarum vestrarum præcessit auctoritas, & eos ad hoc ipsum multis exemplis antiquitas informabat. B Si tamen in hoc eos aliqua in parte deliquisse constaret, delicti tamen quantitas bonitatis Apostolicæ misericordiam non excedit, & de reliquo secundum assignatum à sanctitate vestra modum, de hujus innocentia diligentiæ vestræ remota prorsus ambiguitate constabit. Supplicamus igitur precesque jam cum fiducia duc imus offerendas, quia ex hoc nunc tempus est miserendi, & post diutina flagella paternæ pietatis visceribus abundare. Absit enim à benignitate vestra ut personam venerabilem, tot acceptam bonis, tot laudibus illustratam, novissima senectutis suæ mœrore faciat & amaritudine consummare. Profectò preces nulla nos audacia compulisset offerre, nisi secundum rerum veritatem, & personæ meritum ipsum Apostolica dignum misericordia crederemus.

*Ad eundem pro Gill. Londoniens. Episcopo.*

C Personam domini Londoniensis apud excellentiam vestram diligentius commendare supervacuum duxi, quia quod publicè notum est, nec accusatione solemni, nec multa commendationis instantia certum est indigere. Siquidem plenitudo virtutis ejus & scientiæ tot apud nos enituit argumentis, tot subnixa suffragiis, tot utilitatibus approbata est, ut quod in multos dignatio divina distribuit, hoc in ipsum majoris affluentiæ gratia cumularit. Tractus est tamen jam diu homo sanctus in causam, & sermonibus odij circundatus, & expugnatus est gratis & invidiæ quæstionibus infestatus. Tractus est, inquam, homo sanctus in causam; si tamen causa dicenda est, ubi nullum litigium, nulla judiciarij ordinis forma processit: ubi sine reo & teste idem actor & judex solitariam formavit de singulari voluntate sententiam. Felicem se iste & omni donatum beatitudine indicaret, si ei judex suus auditorij communis aream impertisset, si citatus venire, si conventus respondere, si denique dubium experiri potuisset sententiæ fatalis eventum. Sed in ipsum de alio regno, de transmarinis partibus, de longinquo scilicet velut in occultis sagitta transmissa est, & hostis dum prævideri metuit, gladium protinus capiti nescientis illisit. D Solent patres filiorum delictis virgam prius adhibere quàm baculum, & si correctio moderata non proficit, severiora postmodum flagella consumunt. Utilius fuerat pepercisse personæ, in quam se noverat totam scandalizare provinciam, quia ad bonum pacis non tam pœna unius, quàm multorum gratia profuisset. Videtur de motu animi magis quàm de charitate processisse quod factum est, quia totam se protinus ad pœnam irrogandam potentia præsidentis effudit, nihil reservans in posterum, in quo vel dispensare prudentia posset, vel misericordia subvenire. Fuerat fortassis primùm ab Episcopali suspendendus officio, ab altaris ministerio prohibendus, à liminibus sequestrandus Ecclesiæ, ut contumax novissimè gladio feriretur: nec ad perniciem fratris libentius cucurrisse, sed cogi videretur invitus. Neque enim salutem hominis velle credendus est, qui festinat ad sanguinem, sed delinquentes Ecclesiastica etiam censura præmunit, ut E scilicet liberentur dilecti, quos preciosi sanguinis redemit effusio, & fugiant à facie arcus, ut in contumaces tantùm spicula superbè provocata descendant. Quòd si etiam certum sit transitum literis & legatis ad eum pervium non fuisse, sed omnem viam legitimis edictis sæcularis potentiæ terrore præclusam, delictum alienum innocentiæ istius præjudicare non debuit, nec ipsi de jure potuit pœna quam non merebatur infligi. Veruntamen est delusa potestatis astutia sagacitate perferentium aliquas ad ipsum literas, & mandata venisse, quibus tota diligentia patuit, omnibus scilicet vel denuntiatis publicè, vel effectui debito mancipatis. Porrò si in tanto discrimine rerum consulenda videretur præsidentis auctoritas, nuntiis hujus ad eum omnis negabatur accessus, nullumque paternæ charitatis extabat indicium, ubi ei consilij gratia simul & remedij copia tollebatur. Ad hæc nobis qui rerum veritatem ex magna parte tam experimento, quàm fideli de proximo relatione cognovimus, F licet apud majestatem vestram de pura testimonium conscientia perhibere, virum inter minas alterius potestatis & alterius insidias cōstitutum, quatenus ad eum pervenire potuit, Ecclesiasticis semper præceptionibus obedisse, nec ab initio discordiæ causam, vel postea fomentum aliquod audaciæ præstitisse. Ille verò, sicut dictum est, non observata causa, vel ordine virum, cujus laus est in Ecclesia, ad scandalum omnium bonorum in facie confudit Ecclesiæ, & animam sanctam amaritudine simul & mœrore complevit. Benedictus autem Deus, qui adversus hujusmodi sanctam Romanam Ecclesiam nobis ad solemne refugium, & remedium salutare constituit, ut ejus scilicet præsulatu reducatur ad formam, quod cujuslibet insolentia vel imperitia denigravit ad culpam. Siquidem quod actum fuerat vestræ nimirum discretionis auctoritate correctum est, accepto scilicet ab isto juramento, quòd in tempore vobis complacito, super his de quibus agebatur, mandatis Apostolicis obediret. G Stabat ergo vir innocens sub vestri securus expectatione mandati, sed posterior emissa est severior quidem priore sententia, nulloque mandato, nulloque præmisso cujuslibet vocationis aut conventionis alloquio, in idem vinculum, immò fortiùs literis majestatis vestræ retrusus est, eique remedium mansuetudinis vestræ in quo respirare cœperat est ablatum. Mirati sunt qui audierunt tantum adversus innocentiam personæ, tantum adversus ordinem jurisprudentiæ vestræ subripi potuisse, cùm ipsum à religione juramenti nullatenus descivisse constaret, nec ipsum postmodum in aliquo judicialis experientia condemnasset. Certum est, & omnibus regni illius incolis manifestum, hominem sanctum in his quæ malè acta sunt nihil voluntate, nihil consilio, nihil ope deliquisse; eique generale testimonium de pura omnium conscientia perhibetur, ipsum Ecclesiasticis semper præceptionibus fideliter obedisse. Sanè verū est tam ipsum quam alios incumbentis potentiæ vehementiam timuisse, majorisque periculi necessitate compulsos dissimulasse plerumque, & sæpius exhibuisse modestiam quàm rigorem, & tanquam seductores motum H potestatis consultis aliquando blandiciis delinisse, ut eis veritatem justitiæ, quatenus id fieri poterat, puritas conscientiæ reservaret. Profectò in articulo diei illius vidimus statum Ecclesiæ partium nostrarum sub tanto discrimine constitutum, ut scissuræ quantitatem nulla potentia, nullæ divitiæ, nulla posset ad plenum diligentia resarcire: nec exsors tanti mali ipsa etiam Romana Ecclesia præterisset, nisi incendium quod excrescebat Pontificalis temperantia restrinxisset. Super quo quantas possumus de intimo cordium sanctæ providentiæ vestræ gratiarum referimus actiones, quòd paterna nobis clementia pepercistis, & malum à nobis longanimi patientia studuistis avertere, quod nostris credebatur proculdubiò cervicibus imminere. Inde est quod post multos metus laboresque diutinos, & naufragium imminens, portus nobis securitatis & tranquillitatis incipit apparere, certaque spe per merita

A vestra lætos exitus, & jocundos præstolamur evẽtus. Portò licet personâ pro qua scribimus facile sit in omnibus excusari, testimonia tamen & preces venerabilium personarum benignitati vestræ credidit offerendas, quæ nulla unquam audacia vestram attentarent in aliquo fallere sanctitatem. Quòd si ad omnimodam fidei firmitatem ulterius procedendum crediderit vestra discretio, paratus est coram legatis vestris aut personis quibus hoc vobis delegare placuerit, omnem à se culpam manifesta veritate depellere, & si res altius discussæ fuerint, invenietur in plerisque laudem quoque plurimam sagaci solertia meruisse. Affectabat omni desiderio ad vestram venire præsentiam, idque jam secundo an posset expertus est, sed progressum aliquatenus ætas provectior, personæ gravitas, difficultas itineris, & senectuti semper cognata debilitas redaxerunt. Ad hæc non solùm nostra pro eo, sed totius regni, immò etiam regnorum B desideria, pietatis vestræ genibus advolvuntur, ut secundum datum vobis à Deo Spiritum, justitiam ejus conservetis illæsam, aut si quid etiam imperfectionis est, oculi vestri videant æquitatem, quia nihil de indulgentiæ beneficio consequetur, quod non excedentia personæ merita recompensent. Et nos quidem ista ad nullius suggillationem, sed ad hujus proventum scribenda censuimus, quia & huic Apostolica poterit gratia providere, & aliis nihilominus de ejusdem discretionis & mansuetudinis copia subvenire.

### *Ad Ægidium Ebroicensem electum.*

Benedictus Deus qui ad Episcopale vos vocat officium & ad onera nostra pariter comportanda conducit. Gaudemus plane vestra ad honorem debitum merita promoveri, sed majore gaudio commovemur, quia sapientiam vestram ex hoc nunc totam scimus utilitatibus Ecclesiæ mancipari. Me verò commune gaudium justum est speciali lætitia celebrare, quia personam meam bonitas vestra speciali semper dilectione C complexa est, & ego ad honoris vestri proventum totis semper desideriis anhelavi. Concurrebant siquidem hinc inde alterna mutuæ charitatis officia, cùm alter non magis suis quàm alterius optaret opportunitatibus inservire. Benè autem nobis in hac parte providentia divina consuluit, quòd cùm sapientiam vestram ad alias partes multorum desideria traherent, ipsa vos nostræ præsertim provinciæ reservavit. Justum sanè est ejus vos potissimùm obligari muneribus, ejus necessitatibus inservire, quæ vos suis aluit uberibus, suo fovit amplexu, suis honoribus ampliavit. Mihi verò benignius indulgentia divinæ propitiationis arrisit, quæ me ab amico nec diversitate professionis abiunxit, nec locorum distantia separavit, sed nos quasi contigua positione coniunctos, ad frequentes comparavit occursus, ut ad communicanda profusæ charitatis officia ipsa locorum occasio serviat, & propinquitate corporum nihilominus propinquitas respondeat animorum. Interim profusis desideriis & devotis orationibus arbitror insistendum, ut initia consecrationis vestræ divina benignitas D felici secundet auspicio, & ad executionem Episcopalis officij vox exuberantis gratiæ virtute confirmet.

### *Ad Bald. Noviomens. Episcopum.*

Venerunt ad nos sacerdotes quidam de Episcopatu vestro, quos ad fraternitates constituendas, & faciendas collectas ad reædificationem Ecclesiæ nostræ, quia periti & instructi super huiusmodi officio dicebantur, duximus retinendos. Cùm autem perlustrato Episcopatu apud nos aliquandiu resedissent, omnes fere quasi facto agmine fuga clandestina discesserunt. Me quidam in summa majore xxx. lib. suis fidejussorio nomine obligatum creditoribus relinquentes, quas ego nimirum omnes servata promissionis meæ veritate persolui. Sed & latori præsentium R. sacerdoti nostro eadem E fraude lxx. solidos abstulerunt, cùm ipsi nobis tactis sacro-sanctis Evangeliis juramentum corporale, se fidem bonam nobis servaturos in tota executione negotij præstitissent. Super quos charissimam nobis fraternitatem vestram obnixius exoramus, non tam sanè recuperationem pecuniæ, quàm vindictam tantæ fraudis & injuriæ persequentes, ut nobis justitia vestra satisfieri faciat, & tantum crimen adnimadversione debita corrigatis.

### *Ad Ægidium Ebroicensem Episcopum.*

Super causa quæ inter nos & Abbatem illum vertitur dilectionem vestram ad præsens non oportet esse sollicitam, quia vos nec infestum Principi, nec ingratum Abbati reddere volumus aut debemus. Apud alium decrevimus experiri, quem non tam facilè vel F metus absterrere possit, vel fallaces blandiciæ delinire. Sicut autem ex literis promptum est intueri, nequaquam vos ab executione major retardat auctoritas, neque necessitatem nisi volenti supplicatio præcantis indicit. Quod si de Abbatissa vos idem constat esse propositum, pro beneficio reputabimus si nos præmunire voluerit, nec ad locum diemque præfixum frustrà permiserit vestra gratia fatigari. Portò simpliciter ambulare non potest qui lubricos tortuosi serpentis explorat anfractus, qui cùm se plurimum profecisse crediderit, ad ipsa callidè se sentit initia revolutum.

### *Ad dominum Papam Alexandrum.*

Causam quæ inter venerabilem fratrem Hug. beati Vincentij Silvanectensem Abbatem & Garnerum sacerdotem super Ecclesia de marinis vertebatur, domino Henrico Silvanectensi Episcopo & nobis Apostolica delegavit auctoritas infra spatium duorum mensium, remota appellatione, ordine judiciario decidendum. Nos verò utrique parti infra tempus nobis G assignatum, locum & tempus præfiximus opportunum, & adhibitis nobiscum religiosis & prudentibus personis, scilicet sancti Victoris Parisiensis, & sanctæ Genovefæ, & Augensi, & de Mortuo-mari Abbatibus; Gaufrido quoque Antissiodorensi & R. de Curæio & Ric. tunc Constan. Archi. nunc Abrincensi Episcopo, multisque aliis tota fide & diligentia mandatis Apostolicis studuimus obedire. Abbas igitur qui actoris in ea causa fungebatur officio, & possessorium in sacerdotem iudicium intendebat, super quæstione facti multorum testimoniis usus est, ac tandem septem prælectos testes, V. scilicet sacerdotes regulares Canonicos & duos alios presbyteros experientiæ nostræ proposuit, quos diligenti examinationi subjectos, in omnium prorsus invenimus testificatione concordes. Auditis quoque nihilominus allegationibus sacerdotis ei dicendi in personas testium quod vellet fecimus potestatem, sed multis propositis, & attentè discussis, nihil inventum est per quod aliquem eorum repellere posset, vel existimationi alicujus in aliquo detogare. Receptis itaque septem prætaxatorum testium iuramentis, Abbati H possessionem Ecclesiæ restituimus, quia visum est nobis debere de veritate tot taliumque testium assertione constare. Sacerdos autem nihilominus audientiam Romani Pontificis appellavit, sed quia refugium appellationis de causa Apostolica auctoritate sublatum erat, sicut prudentia vestra novit, nec ipse de jure appellare potuit, neque nos debuimus exaudire: Dominoque Rothomagensi Archiepiscopo, in cujus diœcesi prædicta Ecclesia constituta est, ea qua fungebamur auctoritate mandavimus, ut sicut à nobis iudicatum erat, inviolabiliter faceret observari: & ipse prudenter, prout decuit, adquievit, sicut ex literis eius promptum est intueri. Verùm, quia audivimus sacerdotem niti refricare quod factum est ad postulationem Abbatis apud celsitudinem vestram veritatis testimonium perhibemus

nos,

A nos, scilicet quale proposuimus ab Apostolica maiestate suscepisse mandatum, & ea ratione quam diximus & ordine terminasse.

*Ad eundem.*

NUntios & literas vestras dominus Rex Anglorum tantò maiore lætitia & alacritate suscepit, quantò maiorem eis beni gnitatis vestræ gratiam promittere videbantur. Unde petitione vestra de pace Cantuariensis Archiepiscopi & suorum restitutione benignius exaudita, eum ad Archiepiscopatum suum redire, ipsumque cum omni integritate, qua tenuerit quando exivit, recipere, & deinceps in bona pace & securitate possidere, ad honorem siquidem Dei & Ecclesiæ, salva nimirum regni sui pristina dignitate, concessit. Visum nobis est
B verò in hoc nuntiis vestris, viris sanè prudentibus, placuisse adeò ut eos qui præsentes erant, statim absolverint; & ad eos absolvendos qui erant in Anglia, alter eorum, magister scilicet Vivianus ideò transire, alter citra mare ad executionem conditæ pacis consenserint remanere. Post nostrum revocato consensu, verbum conservantiæ in futurum Regiæ dignitatis admittere noluerunt, ea quæ disposita fuerant exequi recusantes, cum Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, religiosæ personæ, optimates regni qui aderant pro bono tantæ pacis multis precibus institissent, quoniam in observatione regiæ dignitatis nullatenus videbatur nobis libertas aut dignitas Ecclesiasticæ prægravari. Si quidem dignitas Ecclesiastica Regiam provehit, potius quàm adnovat dignitatem; & Regalis dignitas Ecclesiasticam conservare potius consuevit, quàm tollere libertatem. Etenim quasi quibusdam sibi invicem complexibus dignitas Ecclesiastica & Regalis occurrunt, cum nec Reges salutem sine Ecclesia, nec Ecclesia pacem sine protectione Regis consequatur. Genibus itaque pietatis vestræ
C quanta devotione possumus advoluti suppliciter obnixeque deposcimus, ne sapientia vestra quasdam literarum apices & conceptiones verborum, potiusquam rem ipsam duxerit amplectendam, sed secundum datum a Deo vobis spiritum discretionis id agite, ne causa unius in multorum & ferè innumerabilium perniciem convertatur, quia ad bonum pacis quandoque magis proficit mansuetudo gratiæ, quàm severitas disciplinæ.

*Ad Abbatem Cristanensem.*

QUot scandala, quæ detrimenta domui tuæ ex causa absentiarum tuarum provenerint, tua fraternitas non ignorat. Super quo cum rem ad nostram certum sit diligentiam pertinere, præcepimus te vagos cohibere discursus, & debitas super gregē tibi commissum vigilias vigilare, nec ad remotas discedere regiones, nisi prius disposita domo personas nobis assignasses idoneas, quæ curam domus interim gerere possent, eique in spiritualibus & temporalibus utiliter providere. Tu verò neglecta Episcopalis auctoritate mandati, immò tua & animarum tibi commissarum salute postposita, sine nostra
D conscientia discessisti, nemine domi relicto: cuius res aut providentia dirigi posset aut diligentia gubernari. Unde sicut ad tuam credimus notitiam pervenisse, tot in eodem loco postmodum probra commissa sunt, ut & regionem nostram scandalizatam esse constet, & monasterium turpiter infamatum. Per præsentia itaque scripta tibi mandamus, ut infra vicesimam diem post acceptionem præsentium literarum, remota omni occasione redeas, nisi aut maris inclementia, aut corporali, quod absit, fueris infirmitate detentus. Alioquin ex ea die ab officio altaris & introitu omnium Ecclesiarum, ea qua tibi præminemus, te noveris auctoritate suspensum.

*Ad monachos Bernacenses.*

SIcut electionem vestram indulgentiore gratia prævenire curavimus, ita factam, quantum in nobis est, approbamus, & personam electam plurimæ dilectionis brachiis amplexamur. Quod autem ad assignandam vo-

E bis diem benedictionis nuntium destinastis, in tot admodum quod id quod per literas & nuntium proinde natum numerum competentem fuerat imploranduum, personam, ipsamque solam & sine literis, nec moribus gravem, nec ætate maturam, qui nec benigne satis & utiliter ad omnia respondere ... sermonibus, nec superba ad magnum ... audacia provocare. Stulto itaque secundum illud tamen suam responso quod oportuit dato, vobis tam quam dilectis in Christo fratribus, per proprium nuntium & literas duximus respondendum, ne quis vestrum quod absit, de benignitate & gratia nostra fallaci malignitate desperare compellat. Sciatis itaque nos infra decimum aut duodecimum diem, ad Ecclesiam vestram, volente Domino, redituros, & tunc Priorem ad nos cum numero
F fratrum competente & electa persona venire volumus, ut per eos nobis, sicut ordo C... non eos exigit, presentetur electio, & auctoritatis nostræ munimine ... foveatur. Tunc communicato nimirum vestro nostrorumque consilio, ad benedictionem dies opportunus poterit assignari, & nos si quid obstaculi videbitur apparere, modis omnibus amovere curabimus, & ... negotio præeunte semper divina gratia complementum.

*Ad dominum Papam Alexandrum.*

CAusam quæ inter Hermerium sacerdotem & Abbatem de Cultura, super diminutione presbyteratus Ecclesiæ de Brulium vertebatur, maiestas vestra parvitati nostræ delegavit ordine iudiciario decidendam. Proponit itaque Hermerius presbyter presbyteratum prædictæ Ecclesiæ, quem gerebat ab Abbate, per violentiam detineri, sibi quæ integritatem eius restitui, sicut antecessores eius possederunt, instanter exegit propositam ad probationem testium multitudinem in quibus necessitas aut ratio postulabat. Abbas verò inter antecessorem suum & G... presbyterum prædecessorē Hermerij super eadem re controversiam extitisse respondit, eamque à præsentia domini Cenomanensis ad audientiam
G Turonensis Archiepiscopi per appellationem ... ta ... ibique litigium omne compositione amicabili ... Super quo literas domini Archiepiscopi exhibuit, formam transactionis plenius continentes, donationis nomine non mereat.

*Videntur multa deesse.*

*Ad Henricum Fiscanens. Abbatem.*

AMici nostri qui diebus istis Ierosolymam profecti sunt, ex equite nos peditem reddiderunt. Et quia indignum est hominem opinionis nostræ per maius humilium in equitem reformari, in vestram ... dux gloriam conferendum, quem non solum equestris ordinis dignitas, sed etiam regij sanguinis excellentia sublimavit. Hoc etiam eò studiosius vestris certum meritis reservandum, quia eos quibus tribuit vestra reddit industria cautiores, cum ita viris prudentibus a ... partinomiā in ipsa largiendi liberalitate servetis, ut & aliud semper apud vos possit invenire quod placeat, & vobis op-
H portuna non desit materia largiendi. Inde est quod vos utiliter & doctrina quæritur & proventus, ut & dittores copia faciat, & prudentia doctiores. Sic enim vestra operatur inter utrunque de ... ut quod virtutis est utrinque reducens, quod vitij est ... pareat ac repellat, ne vel sobrietatem tollat effusio, vel parcitas quandoque manus contrahat abstinentes. Si tamen in alterutro peccandum est, malim facilius quam difficilius, promptior aliquando quam tardior inveniri. Porrò inter omnia quæ donantur, equus est id quod donatorem pluribus occasionibus reddit obnoxium, quia si quid à laude minus est, ij quibus datur statim culpæ donatoris attribuunt, reique imperfectionem, licet de inopia quandoque proveniat, imperfectioni voluntatis adscribunt. Si durius ambulat, consultionis arguunt ..., seque in næ destinatos prædicant, si pes unquam totum ... retrusus

A retrusus offendat. Si durus est, aiunt ipsum de veteri domino traxisse duritiam, qui amicos segnius audire consueverit, quàm equus calcaribus obedire. Si minus elegantis formæ, si minus habeat venustatis, asserunt rem * formem non satis dignitati donatoris vel donatarij convenire. Interea si quid imprecandum est, non equo, sed auctori potiùs imprecantur, qui tot scandalis iniuriam magis irrogasse videatur, quàm beneficium contulisse. Palam esse nolle, eum à se quicquam ulterius implorari, qui id dederit quod negasse satius fuerat, quàm adiuncto maleficio præstitisse. Certum etiam quosdam non tantùm calumniatores, sed ingratos etiam inveniri, falsa rei donatæ vitia confingentes, ut omni gratiarum debito videantur absolui. Quisquis tamen accipit, ipsa statim susceptione redditur obligatus, & si penes eum res donata resederit, alleganti vitia ratio quasi cuiusdam legitimæ præscriptionis occurrit. Siquidem B in rebus donatis nec quantò minoris, nec redhibitoria locum habet, sed omnem actionem exceptio spontaneæ liberalitatis elidit. Quòd si aliena bene merentibus gratia non respondet, merces tamen sua virtuti non deerit, quæ potius interioris fructus lucra considerans, satis habet simpliciter apud se de bono felicis conscientiæ testimonio gloriari. Nec enim subiecta est externæ dispositionis arbitrio, sed in sua propriæ puritatis maiestate consistens, ab indignioribus præmia non inquirit: ita tamen ut neque ex eis honeste provenientia respuat, nec pro desiderio eorum vel usu si qua novit potiora dimittat. Quòd si quem fructus trahit exterior, is, sicut ait sapiens ille, non potest nisi similem materiæ sperare sententiam, quoniam fortuitis intentus non nisi fortuitos experietur eventus.

### DE NATIVITATE DOMINI.

SEmper ab æterno nascens ex tempore nasci
C Sustinet humana conditione Deus:
Virgineumque uterum virtus sacra patris obumbrat,
Qua verbum fieret conciliante caro.
Conformi soboles patrem matremque figura
Exprimit, & speciem reddit utrique suam.
Sic eius species speciem est imitata paternam,
Vt sit eo viso visus & ipse pater.
Virgineoque sibi fabricans de corpore corpus,
Humanam ex homine contrahit effigiem.
Exhibet una duas species persona, Deusque.
Factus homo proprium servat utrique genus:
Servat enim propriam naturæ simplicitatem
Hic in carne Deus, cum Deitate caro.
Non commiscentur, nec enim confusa resolvit
Vel carnem Deitas, vel caro mixta Deum.
Regnat in assumpta Deitatis gloria carne,
Nec maiestatem carnea vela gravant.
Virgineaque fide veterem purgante reatum
Numinis adventu est sanctificata caro.
Credit & exhibuit mundam devotio matrem,
Magnificatque Deum, magnificata Deo.
D Virginis integritas salvo fœcunda pudore
Concipit, atque virum parturit absque viro.
Nec reserat partus signati claustra pudoris
Absque viro genitus, editus absque via.
Ergo alterna novum fœdus commercia miscent,
Et vetus in pacem vertitur ira novam,
Humanis siquidem blando divina favore
Occurrunt stabili conciliata fide.
Servus adoptatur, redit exul, carcere clausus
Exit, & eiecto porta negata patet.

### Ad Henricum VVintoniens. Episcopum.

QVod per multiplices dispensat gratia formas,
Hoc in te totum contulit illa simul:
Contulit illa simul quicquid virtutis habere
Humanum corpus, mensque moderna potest:
Non aliud corpus hac dignum mente, nec ista
Mens alio fuerat corpore digna tegi.
Sic animus membris animo se membra coaptant, E
Vt nulla sese disparitate gravent.
Namque in regali mens regia corpore regnat,
Magnanimumque decent fortia membra virum.
Compositi mores habitum faciemque venustant,
Et facit ad mores forma decora tuos.
Sublimes oculos & acuti luminis ignit
Excellens sensus ingeniique vigor.
Informat mentem ratio, facundia linguam,
Fœcundamque probat rivulus uber aquam.
Fulget Rhetorico celebris sententia cultu,
Allicit hæc animos, auribus ille placet.
Res precium verbis, rebus dant verba decorem,
Nescio plus placeas proficiasvè magis.

### De innovatione vernali.

F
QVicquid hyems tanquam veteri deforme senecta
Absque decore diu fecerat esse suo,
Ver novat, atque novo compubescentia flore
Imperat ad ternos cuncta redire dies.
Rupta videbantur antiqui fœdera nexus,
Convulsusque odiis cedere sanctus amor.
Visa Elementorum communio sacra revelli,
Et fœtus eadem velle vorare suos.
In veteremque pari conversa furore tumultum,
Invisam rebus accelerare necem.
Autumnus senior gelidè post credita spectans
Semina, crediderat fœnus obisse suum.
Nunc ea secretus movet ignis & abdita virtus
Naturæ, sancti conscia consilij:
Seminibusque adhibens causas, & semina causis,
Ad cæleste suum docta figurat opus.
Sol oriens hilari perlucidus ore redemptis
Ignibus, astrictam frigore solvit humum:
G Aeriamque novo faciem splendore serenans,
Purgatum exhilarat lenior aura diem.
Vndique sollicitat iuvenem lascivia mundum,
Fœcundosque aperit prodiga terra sinus.
Gramine vestitur humus, arbor frondibus, offert
Gemmam vitis, ager lilia, spina rosam.
Alternant & opus & opes Elementa vicissim,
Seque favore pari materiaque iuvant.
Ergo vetustatem mundi natura reformans,
Auspicns fertur in sua vota suis:
Namque voluntatem comitata potentia semper
Non patitur frustra quid voluisse Deam.
Assurgit lætus speranti mundus & audax
In faciem pueri cogitat ire senex.
Nec reditum metuit veteris tristisque figuræ
Prorsus obisse hyemem, non abiisse putans.
Elatusque novæ successu prosperitatis,
Ad votum dictat sæcla futura suum.
Ergo sibi quarta breviandos destinat annos,
Vt tribus exultent omnia temporibus.
Ne solvatur aquis vel frigore torpeat annus
Perpetuaque fluant tempora temperie.

### H De alterna temporum successione.

TEmpora circuitu veteri revoluta vicissim,
Effectus variant restituuntque suos,
Mater hyems patris autumni semina servat,
Vere novo stabili restituenda fide,
Ver mundi sterilis gelida præeunte senecta
Solvitur in fœtus, luxuriatque novos.
Productosque fovens blando natura favore,
Æstiuo in formam provehit auspicio:
Autumni demum proventibus omnia cedunt,
Cui totas reliquus congerit annus opes.
Quod concepit hiems, peperit ver, nutriit æstas,
Hic metit atque suo conficit arbitrio:
Sola reservantur conceptibus apta futuris
Semina, dispositas nata novare vires.

A Sic abit ut redeat, sedit ut retranseat annus,
Præcipitem revocans præcipitamque rotam.
Sic rata perpetuos agit alternatio menses,
Et veteres renovat inveteratque novos.
Hunc divina frequens ludit sapientia ludum,
Et varianda movens invariata manet.

*Ad Poëtam mendicum.*

VErsus mendicos & Musæ pauperis ausum,
Compositasque odi Cæciliane preces.
Importuna graves exactio suscitat iras,
Et geminæ stimulos improbitatis habet.
Qui petit; hoc ipso statim incipit esse molestus;
Si petat adiuncta qualibet arte, magis.
Artis enim studus formata precatio quandam.
B Contrahit ex fraudis suspicione notam.
Et permixta dolis exactio lædit utroque,
Fallit & emungit insidiosa rapax.
Invisos igitur geminata molestia versus
Reddit, nilque sui metra favoris habent.
Si vis ergo suum Musæ servare favorem,
Gratuitis aures mulceat alloquiis.
Importunus enim est quisquis sibi postulat aurem
Laudibus impleri, muneribusque manum.

*Ad Scævam de anu non reformanda.*

SCæva senescentis dominæ marcere decorem,
Et teneros quæritur consenuisse dies.
Ergo peregrinas explorat sedulus artes;
Et species multo comparat ære novas,
Nilque redempturo faciem medicamine vexans,
Deplorat medicas nil potuisse manus.
Non hac Scæva potest naturam fallere cura,
Ars deformatam nulla reformat anum.
C Si vis in lucem faciem revocare sepultam,
Et speciem dominæ reddere, tolle dies:
Tolle dies, annosa creant dispendia rugas,
Multiplicatque cutem multiplicata dies.

*Ad iuvenem & puellam affectiosius se invicem intuentes.*

OCcurrunt blando sibi lumina vestra favore,
Et voto arrident intima corda pari:
Alterno facies sibi dant responsa rubore:
Et tener affectum prodit utrinque pudor.
Mutua discurrens ultro citroque voluntas
Lascivum mentes fœdus inire facit.
Alternis radiis oculorum flamma refulget,
Perplexusque oculos fœderat intuitus.
Ipsæ animæ proprias quasi permutasse videntur
Sedes, inque novis degere corporibus.
Complexus tacitos animorum gratia nectit,
Corporeisque parat nexibus auspicium:
D Procedet felix duplicato copula nexu,
Concurrentque suis corpora spiritibus.
Utilis optatos dabit expectatio fructus,
Et lætos parient anxia vota dies.

*Ad lascivos sodales.*

MEns mea virtutum studiis à tempore primo
Instituit infames docta cavere vias.
Sed quo vita mihi securior esset apud vos,
Cautus honestatis dissimulator eram.
Optabam credi similis non esse favorem,
Non mihi vera dabat, sed simulata Venus.
Servivit vobis nutu solertia solo,
Præstringens equidem, sed meliore dolo.
Mens studiosa sua se clauserat integritate,
Ne virtus faceret disparitasque gravem.
Ast ubi non potuit perfectio dissimulari,
Seque suis virtus prodidit indiciis:

Invidiæ stimulis angi, stillare veneno E
In populos cœpit lingua maligna suo.
Confiteor placuisse, pudet: quoniam placuisse
Turpibus, aut propter turpia, turpe bono.
Debueram clare rupisse silentia, non me
Defunctis tacito consepelisse metu.
Servit enim sceleri virtus taciturna, reosque
Absolvit, si non indicat esse reos.
Pars vitij est vitium quovis palpare favore,
Nam palpando foves atque fovendo facis.
Præstat opem tacitam viresque ministrat agendi
Qui tacet, & poterat obvius iste malo.
Nam virtus vitij nec amat, nec sustinet umbram,
Nec luci tenebras contrahit ipsa suæ.

*Super sepulchrum Regis Henrici, in quo cerebrum & cor eius sepulta sunt.*

HEnrici cuius celebrat vox publica nomen,
Hoc pro parte iacent membra sepulta loco. F
Quem neque viventem capiebat terra, nec unus
Defunctum potuit consepelire locus.
In tria partitus sua iura quibusque resignat
Patribus, illustrans sic tria regna tribus.
Spiritui cœlum, cordi cerebroque dicata est
Neustria, quod dederat Anglia corpus habet.
Hinc patres animumque trahens, sed fortè apud illos
Editus, hic gladium, sceptra gerebat ibi:
Quem decedentem cùm nox extrema Novembris
Solvisset, secuti prima Decembris eum.

*Quomodo pauperi vel diviti sit dandum.*

REs simplex triplici vitio damnata datoris
Expressit mentem rupta pusilla vetus.
Si quis fortè aliquid largiri curat egeno,
Ad paupertatis respiciatur onus.
Non Elephantus ei dandus, non Parthica tigris. G
Non quicquam quod eum cogat egere magis:
Non volo quod faciat de paupere pauperiorem,
Id volo quod potius utilitate probem,
Quid mihi si munus honor illustravit inanis,
Cùm meus extincto frigeat igne focus?
Pane cibandus inops, non illudendus honore est,
Frigida de vacuo gratia ventre venit.
Contra divitibus munus quod quilibet offert,
Formet honore magis, utilitate minus.
Illustret non subveniat, ne quando probetur
Munus quòd tantum, sed quia tale fuit.
Cumque datis insit animi donantis imago,
Nec dator affectum dissimulare queat.
Id des quod semper videare dedisse libenter,
Ne parcam prodant dona recisa manum.

*Epitaphium Matildis Imperatricis, Regis Henricis filiæ, & alterius Regis Henrici matris.*

REgia progenies, stirps Regia, Cæsaris uxor, H
Hîc est magna brevi clausa Matilde loco.
Virtutum titulis humani culmen honoris
Excessit mulier, nil mulieris habens:
Septembris decima regno post regna recepto,
Creditur æternum continuasse diem.

*De eadem.*

REgis mater erat, & Regibus orta Matildis,
Extuleratque thoro nobiliore genus:
Sed magis egregia virtutum laude coruscans,
Fortunam generis vicerat atque thori.
Septembris decimo sub prima transiit hora,
De nostra ad verum nocte revecta diem.

*Sub cruce ex persona Crucifixi.*

SIc cruce tollo crucem, moriens de morte triumpho,
Vivificans hominem mortificatus homo.
Gratia mandato præscribit, forma figuræ.
Res signo, morti vita, corona jugo.

*Ad nepotem suum, cum esset adolescens.*

OLim me celebrem Normania tota Poëtam
Dixit, vixque dabat Gallia tota parem.
Altera de primis me credidit, altera primum
Deque suis dixit illa, sed ista suum.
Magnus ubique tamen vario celebrabar honore,
Illustri peregrè, præcipuoque domi.
Nunc nova fortè novum vatem te protulit ætas,
Ad formam rudibus, invidiamque bonis.
De pueroque senem formans doctrina Poëtam,
Indidit ætati non sua verba tuæ.
Verba senem sapiunt, ipsumque professa Maronem,
Imberbi floret pagina canicie,
Ipsa tuos mirata dies & verba dierum,
Palluit ad versus & mea Musa tuos.
Cumque meas solito sumpsissem more tabellas,
Privavit linguam voce, manumque stylo.
Ergo tibi Musas sanctumque Heliconа resigno,
Et dulces sacri desero fontis aquas:
Tu cole quas nosti, quarum retinere favorem
Non nisi solerti sedulitate potes.

*Epithaphium Algari Constantiensis Episcopi.*

PRæsulis Algari cineri natura sepulto.
Non potuit meritum consepelire viri:
Nam terram titulis, cœlum virtutibus implens,
Dum nobis moritur, ut sibi vivat, obit.
Ipsum igitur quia terra virum cælique loquuntur,
Consignasse brevi sufficit elogio.
Hunc & Martinum meritorum conscia terris
Abstulit, & cœlo reddidit una dies.

*Epitaphium Hugonis Rothomag Archiepiscopi.*

INter Pontifices speciali dignus honore
Hic nostræ carnis Hugo resignat onus,
Consignata brevi clauduntur membra sepulchro,
Non tamen acta viri claudit uterque polus.
Quicquid dispensat & compartitur in omnes,
Gratia contulerat, præstiteratque viro.
Fœcundos igitur virtutum copia fructus
Fecit, & ultra hominem est magnificatus homo.
Tandem post celebris felicia tempora vitæ
Sustulit emeritum flebilis hora senem.
Par Martine tibi consorsque futurus eandem
Sortitus tecum est commoriendo diem.

*Ad Ricardum Pictaviensem Archidiaconum.*

LIbrum de Ecclesiasticis officiis eo libentius vobis censui transmittendum, quia vellem vos exemptum sæcularibus, divinis officiis toto studio mancipari. Quòd si vos ad illa quandoque necessitas, aut proventus aut superior gratia pertrahit, ordinis vestri semper habete memoriam; nec eis vos immisceatis, quorum executio professioni vestræ non congruit, sed eis dimittatis per quos ea specialius convenit expediri. Porrò quædam sunt quibus vestram vos oportet omnino negare præsentiam, ubi scilicet corporalis pœna vel judicium sanguinis fuerit irrogandum, quia forensium legum severitas in plerisque mansuetudini miserationis Ecclesiasticæ non concordat.

*Ad Legatos Albertum & Theodinum.*

LAtor præsentium Roal. literas mihi vestræ sublimitatis attulit, quas ego inspectas diligentius de falsitate suspectas habui, quia in parte solœcismum habere, in parte contra consuetudinem vestram aliquid præcipere videbantur. Ipsum itaque cum eisdem literis ad vos censui remittendum, ne circa executionem mandati vestri negligentiæ vel temeritatis argui possim, sed quid fieri velitis planius me & plenius instruatis. Utile autem esset huic ad alium iudicem mitti, apud quem de proximo posset commodius experiri, quia ego propter quasdam necessarias causas in locis remotioribus his diebus longiorem moram habere disposui, atque ei difficile & nimis sumptuosum esset ibi necessariæ instructionis copiam exhibere.

*Ad Nicolaum Monachum de monasterio Arramato.*

LIteras discretionis vestræ non sine magna admiratione perlegi, prudentiamque Principis & religionem vestram impudici adolescentis fallacia dolui circumventam. De eo autem quod scripsistis, ipsum vos pro intercessione mea in ulteriorem gratiam recepisse, meque id à vobis extorsisse literis frequentibus, sciatis me nunquam pro eo vobis aut alij literas destinasse, nec ullas preces cuiquam pro eo ullo unquam tempore porrexisse. Siquidem mihi nulla cognatione coniunctus est, nullis acceptus meritis, nulla familiaritate devinctus, immò rarissimè nostro se conspectui præsumit offerre, quoniam celebri respersus infamia, etiam in publicum prodire nocente conscientia reformidat. Ego autem literas Comitis ab eo iam secundas accepi, quas tenerrima dictasse videbatur affectio, quia nihil literarum cōtinentiæ defuit, quod vel amor imperare voluerit, vel curiosa diligentia potuerit invenire. Porrò literæ illæ stylum vestræ peritiæ redolebant, apicesque his quos noviter à vestra sanctitate recepi, identitatem manus mihi certis in indiciis penitus expresserunt. Super eo autem quod sigillum Comitis ipsum falsasse dicitis, mutuamque falsitatem literarum nomine Comitis pecuniā accepisse, si meritis eius non ducitis indulgendum, ordine iudiciario oportebit arguere diffidentem, & fortassis ad peragendum reum probationum vobis copia deerit: & si ad testium depositionem causa pervenerit, tristem fortassis in ipsa examinatione sortientur defectum. Sed & si tenuerit actio, ipsam proculdubio inopia debitoris elidet, nisi vestra bonitas in hoc casu solita velit ei munificētia subvenire, meritisque eius in opportunitate sua compassio vestra debitas gratiarum referat actiones. Inhumanum etiam fortè reputaretur à pluribus, si adolescentem ingenuum liberalitas vestra traheret in discrimen, si uni saltem delicto post tot collata beneficia personæ id ætatis vestra benevolentia non ignoscat. Si tamen iniuriam hanc acriore instantia persequi destinatis, ego servum alienum iudicare non debeo, domino suo stet aut cadat: nec ego eum carceris ergastulo claudere, vel ferreis vellem arctare compedibus, neque bonitas vestra velle debet pro tam modica summa ipsum durioribus vinculis alligari. Vester est, quia vos eum vestrum beneficiis & doctrina fecistis, Dominique Comitis Canonicus est, ut scripsistis, ideoque apud eum conveniendus est, & forum illud cui obnoxius est tenetur agnoscere, iudicisque sui sententiis obedire. Sed & accipitur quem quarto mutatum, sicut scribitis, vestra per eum mihi magnificentia misit, tanquam alas habens, forsitan avolavit, aut ipsum adhuc ad longinquiora tempora reservandum censuit, quo ipsum magis faciat provectior mutatio gratiosum.

*Ad Bartholomæum Exoniensem Episcopum.*

LAtor præsentium Ior. vester apud nos pluribus adolescentiæ suæ diebus commoratus est, ut in Ecclesia

A nostra divinis informaretur officiis, & inter scholares liberalibus posset instrui disciplinis. Complacuit in eo fratribus nostris & nobis verecunda solertia, & quod primæ rudimenta virtutis spem bonam de reliquo promittebant, adjuncto quod suavi quadam & jocunda voce inter psallentes in Ecclesia, ad devotionem posset indurata etiam viscera commovere. Reversus ad terram nativitatis suæ acceptum se vobis extitisse gavisus est, adeo ut vestra eum beneficiis gratia sublevaret, & ad subdiaconatus ordinem promoveret. Postmodum ad cismarinas partes trahente eum nescio qua opportunitate regressus, reliquos ordines sine vestra licentia & concessione percepit. Ratus super eo quod non de præsumptione, sed simplicitate commissum est, benignitatē vestram non adeo commovendam. Vestra verò severitas ipsum à minus cautè perceptorum ordinum administratione suspendit, adiecta, sicut asserit, terribili com-
B minatione: quod à vobis scilicet restituendus non sit, nisi hoc ei à majori fuerit auctoritate concessum: ad Cardinales igitur per labores multos & pericula magna pervenit, sed ipsi nihil ei indulgere voluerunt, nisi prius de veritate facti vestrarum docerentur testimonio literarum. Dicunt etiam se nihil scripturos in Angliam, nisi prius cum domino Rege fuerint collocuti, quod qua consideratione decreverint, nos nescimus. Supplicamus nos interim & antiquiore præventum gratia, gratia perseverante prosequimur, ut ei apud vos nostra prosit oratio, quatenus aut ratio sustinere debuerit, aut misericordia subvenire.

## *Ad Abbatem Sancti E'rulfi.*

SVper his pro quibus in sententiam commisisti, à memoria tua non credimus excidisse, quomodo mandato nostro stare promiseris, & præceptionibus obedire. Nos verò quibusdam ex causis adhuc formam distu-
C limus assignare mandati, & modum satisfactionis imponere, quia in hac re ea temperantia uti volumus, ut quicquid fecerimus, ex sincera videatur procedere charitate, & tu ad debitam humilitatem & obedientiam nostro provoceris exemplo, dum tamen Ecclesiasticæ institutionis disciplina servetur, quantum tuæ & nostræ saluti crediderimus expedire. Ne itaque res diutius hæreat in suspenso, & quadragesimale tempus quod extat specialius est pœnitentiæ dedicatum fraternitati tuæ, ea qua teneris astrictus necessitate, mandamus ut proxima IV. feria non præsentis, sed sequentis hebdomadæ apud Lexoveum nostro te conspectui repræsentes; ut adhibito religiosarum & prudentium personarum consilio, quod tibi mandandum fuerit auctore Domino disponatur. Siquidem oportet nos conscientias nostras ad festa præparare Paschalia, ut Dominicæ resurrectionis esse participes per condignos fructus pœnitentiæ debeamus.

## *Ad Abbatem de Curia Dei.*

D PRo filio vestro F. paternitati vestræ gratias tota devotione referimus, quod ita circa eum copiosæ charitatis visceribus abundatis, ut ipsum tota diligentia religio vestra dirigat ad salutem, & in opportunitatibus suis paternum indulgentia largiatur affectum. Elegit apud vos abiectus esse in domo Dei sui, magis quàm apud suos habitare in tabernaculis peccatorum: sed affectati ordinis austeritatem benignitatis vestræ gratia relevat, & humilitatem abjectionis dignatio recompensat. Certum est cujus & in hoc & in aliis quæratis gratiam promereri, sed licet salua sint vobis præmia vestra, nostræ tamen ad gratiarum actiones affectio devotionis accedit, Felicem ergo me, inquam, si unquam inveniar accepisse non ingratè, si datum mihi fuerit aliquid quandoque rependere vestrorum excellentiæ meritorum.

E

## *Ad Abbatem Cisterc.*

DVo sacerdotes Episcopatus nostri Arn. videlicet & Ric. sæculo renunciare disponentes, admonitione frequenti & studio fratris nostri Will. nunc Abbatis de Pinu, ad venerabilem & religiosum virum Ric. Abbatem de Valascia refutatis prius in manu nostra quas possederant Ecclesiis, se & sua devotione promptissima contulerunt. Quorum nos devotionem favore debito prosequentes, intuitu Abbatis de Valascia, qui ob sinceræ religionis & industriæ suæ meritum plurima nobis charitate devinctus est, rationum obligationes, & cætera quibus nobis tenebantur obnoxij, quoniam Officiales nostri fuerant, sine omni difficultate remisimus, & eos in prædicto monasterio Deo perpetuò servituros cum facultatibus suis in manum Abbatis li-
F beros & absolutos consignavimus. Postmodum verò cum devoti monasterij probationem ingressuri sperarentur, Abbas de Pinu ad aliud voluntate devocata, opus cujus auctor prius vehementissimus extiterat, vehementiore studio dissuasit, obiiciens quod unus eorum antequam etiam pubertatis annos attigisset, sua persuasione in monasterio de Chaëlix publicum religionis votum solenniter nuncupaverat, promissione quoque adjecta quod eam non mutaret, nec revocaret in posterum voluntatem. Qua occasione prudentibus & religiosis viris plurimum admirantibus, devotum pariter & indevotum abduxit cum ea proculdubio ratione, qua alterū extrahere nitebatur alter in devotionis suæ monasterio perpetuò permittendus fuerat commorari. Porro Abbas de Valascia, utpote vir longanimis & multæ mansuetudinis, suas & monasterij sui usque ad secundum universitatis vestræ conventum prosequi distulit iniurias, sperans profecto siquid perperam actum est, sine subterfugio reformandum, ubi nec excusatio veritatem impedit, nec cupiditas æquitatem. Ego vero, quod
G ad Ecclesiam meam pertinet, nulla dissimulare valeo ratione, quoniam unus eorum de quorum revocatione tractatur, Arn. videlicet, librum quendam quem Ecclesiæ suæ parrochianorum collatio devota contulerat, consilio & ministerio Abbatis de Pinu pignori pro IV. libris Andegaven. obligavit, quamvis ego sub anathemate prohibuissem ne idipsum faceret, vel quicquam de rebus Ecclesiæ sine conscientia mea præsumeret asportare. Quoniam ergo sæpius commonitus & requisitus, librum Ecclesiæ suæ non restituit, eum excommunicatum, & ab omni sacerdotalis officij ministerio suspensū, donec de sacrilegio satisfecerit, noveritis emigrasse.

## *Ad Henricum Fiscanensem Abbatem.*

CRedimus prudentiam vestram fideli memoria retinere causam quæ inter vos & latorem præsentium pauperem vertebatur, Apostolica nobis olim auctoritate commissam. Nos verò in hoc, sicut in aliis, dilectæ nobis gratiæ vestræ obsequium pronius exhibentes, ipsum de magna summa vobiscum pro modico tran-
H sigere fecimus. Et ut modicum illud utilius in futuro perciperet, ad vestram per omnia descendere voluntatem. Ipse vero iam dudum miserabilibus nos lamentis infestat, asserens quod placitum transactionis vestra ei magnificentia subtrahat, nec sanctitatem vestram in aliquo moveat vel miseria pauperis, vel veritas pactionis. Quod si quid aliquando forte solutum est, post multas fatigationes & tempora semper, vel specie vilius fuit, vel deterius qualitate: super quo rogamus vos, & obnixis precibus obsecramus, quatenus in hoc honori suo, & justitiæ pauperis, & molestiæ nostræ gratia vestra provideat, eique quod sub tāta venerabilium personarū celebritate promissum est, non solùm fideliter, sed etiam liberaliter tribui faciatis, ne fortè homo vagus & pertinax ad subsidium maiestatis Apostolicæ recurrere compellatur, communē de nobis & vobis querimoniā portans, scilicet quod mandatū eius à nobis minus fideliter

A adimpletum sit, & à vobis fides transactionis minus veraciter observata.

*Ad dominum Papam Alexandrum.*

CAusam quæ inter Willelmum sacerdotem & Matthæum clericum vertebatur, super Ecclesia de Godatuilla, majestas vestra parvitati nostræ delegavit sine appellationis obstaculo canonicè decidendam. Vtraque itaque parte in nostra præsentia constituta, proposuit Will. se prædictam Ecclesiam legitimè possedisse, & postmodum se per violentiam absque omni judicio spoliatum, & ideo restitutionem possessionis cum magna à nobis instantia postulabat. Ad probationem vero possessionis quam petebat quatuor deposuit sacerdotes, quorum unus inutilis, tres reliqui satis concordes in B examinatione reperti sunt. At Matthæum ipsum aliquando possedisse constantissimè pernegavit, ipsumque coram delegatis à sublimitate vestra judicibus, domino scilicet Rothomagensi, qui tunc Ebroicensi Ecclesiæ præerat, & domino Egidio nunc Ebroicensi qui tunc in Rothomagensi Ecclesia Archidiaconi fungatur officio, super eadem Ecclesia quæstionem movisse dixit, & novissimè eidem quæstioni coram eis abrenunciasse publice, & eandem Ecclesiam abjurasse, & xl. solidos pro recompensatione expensarum quas fecerat accepisse. Super quo sacerdotem & accolytum & laicum quendam proposuit ad probandum, qui & ipsi in examinatione concordes inventi sunt, idque prædictis judicibus & toti Ecclesiæ Rothomagensi notissimum, quia hoc coram tota fere universitate fuerat celebratum. Quia ergo præjudicare videbatur abjurationis exceptio, neque nobis satis certam fidem eorum qui producti erant testificatio faciebat, duximus differendum, donec per judices, quibus causa delegata fuisse dicebatur, & venerabiles personas quæ asserebantur nihilominus affuisse veritatis nobis posset innotescere plenitudo. Porrò cùm C ipsi mecum ad domini Archiepiscopi præsentiam convenissent, & ego ab eo veritatis testimonium diligenter exigerem, Willelmus non expectato testimonio ejus, ad primam Dominicam Adventus Domini vestram audientiam appellavit. Ego verò quia nolens agere cogi non poterat, & ad preces ejus ipsiusque favore videbatur sublatum appellationis obstaculum, ad læsionem ejus retorquere non debui, sed alio sicut fuerat in possessione demisso, literas utrique requisitas tradidi, per quas eorum quæ apud nos acta sunt veritas vestræ possit innotescere majestati.

*Ad dominum Willelmum de Papia Cardinalem.*

QVantam mihi gratiam in oculis vestris ab antiquo bonitas divina contulerit, præstita frequentius beneficia comprobarunt. Et ego quidem toto animo gratus extiti, sed majestatem dignationis vestræ non potuit debiti operis exhibitio compensare. Felicem ta- D men me, inquam, si unquam inveniar accepisse non ingratè quod vos tanta semper hilaritate gratuitò contulistis, si mea signo quolibet se redemptam devotio recognoscat. Interim ad eandem experientiam in omni semper opportunitate convertor, certus quòd apud excellentiam vestram veritas amicitiæ nec defectum pati, nec aliquam potest incurrere senectutem. Inde est quod magister G. quem ad Dominum Papam pro quibusdam negotiis mitto, precor attentius ut habeat vestra benevolentia commendatum, ut tam consilio vestro doctus quàm fretus auxilio, optatum in negotiis quæ portat mereatur effectum.

*Ad legatos Albertum & Theodinum.*

MAndatum vestræ sublimitatis accepi, ut Ric. Vrselli prope diem Dominicæ Circuncisionis vestro submoverem conspectui præsentari, responsurum Rob. cuidam super Ecclesia de Cormorlem, quam ille sibi dicit legitimè pertinere. Fecit itaque quod mandastis, E quia propositum meum est cum omni humilitate & diligentia vestris per omnia præceptionibus obedire. Is verò qui vocatur, de nimia temporis assignati brævitate conqueritur, quia tam modico tempore non poterit necessariam instructionem cum multo labore & plurimo etiam dispendio comparare. Siquidem homo gravis est, & oportet eum de remotis & dispersis locis subsidia petere, & postmodum ad vos in aliam trãsire provinciã, cum ei ad omnimodam præparationem non fuerit spacium X V. dierum indultum. Quod sanè ab adversario suo callidè patet esse quæsitum, quia nullam concepit de justitia & veritate fiduciam, sed propter impotentiã personæ sperat aliquid vexationibus & transactione qualibet extorquere. Porrò Ecclesia illa in Episcopatu F Baiocensi constituta est, neque causa ullo tempore ad Episcopi sui pervenit examen: sed ille quæsitis ab Apostolica sede literis, quia rei veritas in Ecclesia Baiocensi publicè nota erat, causam ad alienum scilicet & ad Abrincensem transduxit Episcopum, ut ibi liceret ei quicquid vellet audaciùs affirmare. Verum dominus Abrincensis, vir sanè religiosus & prudens, veritate diligentius inquisita, cognovit Ric. plus X X X. annis continuè possedisse, & per vicarias semper deservisse personas, suoque iure beneficia percepisse. Constitit etiam Robertum esse filium sacerdotis, quem certum erat ejusdem Ecclesiæ vicarium extitisse, atque ipsum inde sibi ad petitionem possessionis fraudis præparasse materiam, quod ibi quæ patrem suum pro executione parrochialis officij contingebant, aliquando perceperat, & tam suis quàm matris & reliqua paternæ familiæ necessitatibus impendebat. Repulsus igitur, & Ricardo litigij quiete concessa, ad audientiam Romani Pontificis ad Kalend. Februar. appellavit. Misit iste, & G responsum Apostolicæ majestatis expectat sperãs quod de mandato ejus à religioso Episcopo tam sanctè factum est, ipsius nimirum auctoritate firmandum. Neque enim expedit provinciæ nostræ, in qua quotidie tam impudenter impudicitia convalescit, filios sacerdotum paternis altaribus adhiberi, ne incestuosi concubinatus crimen ab ipso vel à vobis profusa benignitate videatur indultum, nec spurcitiæ soboles sanctuarium Domini exemplo paternæ pravitatis incestet. Oculi itaque vestri videant æquitatem, si ad recognitionem iam cognitæ veritatis, Episcopus ad quem ab initio causa suo ordine pertinebat, de ea legatione quam de vestra voluntate suscepit, debeat expectari; si appellationi sedis Apostolicæ deferendum est, si religioso Episcopo qui cognovit ex delegatione credendum, si denique spatium majus indulgendum est, ut perspectis etiã omnibus filio nostro in jure suo nostra videatur intercessio profuisse.

*Ad Dominum Papam Alexandrum.*

H FElicem me & omni donatum beatitudine iudicarem, si vel semel adhuc me ad videndam faciem vestram bonitas divina perduceret, ut desiderantibus oculis vultus vestri serenitas illuceret, & ariditatem meam copiosior de proximo benedictionis vestræ rigaret ubertas. Sed me cum provectior ætas tum fortuitæ debilitatis incommodum, tum ipsa reddit locorum distantia desperatum: quia ad tot peragrandas regiones fortè nec tempus spatium, nec potentiam debilitas indulgeret. Facio interim quod possum, & remoto corpore semper vobis instantia sollicitæ devotionis assistit, & ad status vestri prosperitatem & pacem sanctæ Romanæ Ecclesię perquirendam in omni loco quotiens refulget occasio promptus & fidelis occurro. Siquidẽ in omnibus vestra me semper & prædecessorum vestrorum gratia fecit & beneficentia debitorem, nihilque mihi molestius est, quàm quod omne quod possum ad debitas gratiarũ non sufficit actiones. Verùm quanto merita mea minora sunt, tantò animus ad obsequendum propensior est, tantò obnixior ad agendum, ut scilicet impotentiæ defectum devotio suppleat, quæ ubicunque sincera est

rectiore

rectiore iudicio quolibet opere debet acceptior æstimari. Viderunt hoc legati vestri quotcunque ab initio ad partes nostras vestra destinavit auctoritas, fidemque & diligentiam meam evidentibus rerum argumentis experti sunt, sicut etiam literis eorum qui novissime venerunt, vestræ potuit innotescere maiestati. Siquidem cum ea propter quæ venerant ad interibilem [illegible] negotia declinassent, & omnes qui intercesserant desperata concordia discessissent, ego tandem fervore charitatis vltrò solus accessi, omnibusque cum legatis vestris vtili examinatione & provida pertractatis, Principem nostrum iam revertentem in Angliam, de ipso itinere revocavi, ipsumque ad bonum pacis per ministerium meum divina benignitas inclinavit. In quo visa est omnibus insperatum divina pietas operata miraculum, quòd tantus Princeps à tanto indignationis & iracundiæ motu ad opera pacis humilitatisque conversus est, seque legatis vestris pro reverentia Dei & gratia vestra tractabilem exhibuit, & præstitit obsequentem, sicut de literis ipsius & eorum vestra experientia recognovit. Profecto si in eo quod ibi factum est honorem Ecclesiæ Dei vestra usque vobis placuerit æstimare profectum, magnum est, immò maximum quod [illegible], si fuerit qui executioni mandare, & effectui mancipare procuret. Quod sanè iam non erit difficile reputandum, quia operante pro Ecclesia sua Spiritu sancto tantæ tunc Principem sinceritas devotionis astrinxit, ut nulla eum pœnitentia, nulla possit impudentia revocare. Nec ego hæc ad iactantiam, vel ut mea videar merita prædicare recensui, sed desiderabile mihi est, ut [illegible] meum tot [illegible] indiciis, a memoria vestra non excidat, sed postulata mihi semper apud maiestatem vestram gratia perveniret ut in novissimis diebus meis, ad quos meæ senectutis necessitas odiosa perducit, totius mihi semper in opportunitatibus manus vestræ protectionis assistat, nec quietem meam vexationibus concuti, nec Ecclesiam meam malignitate qualibet sua patiamini iustitia defraudari, ut ego eam in eo statu conservare valeam, ad quem ipsam per merita vestra Deo cooperante perduxit, ut moriens de paupere divitem, de obscura possim relinquere gloriosam. Ad quod sane complendum quia per me non valeo temporis obstantis malitiâ pervenire, ad solitum vestræ benignitatis auxilium, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ præsidium singulare in omni semper opportunitate convertor, quia vos expertus sum in omni semper petitione propitium, & in expugnandis difficultatibus meis penitus efficacem. Latorem ergo præsentium Magistrum Gillebertum, quem mihi cum honestas, tum scientia, tum etiam B. Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi ulterior quo eum complectebatur gratia commendauit, ad pedes vestræ dirigo sanctitatis, ut per eum vobis veritas & iustitia negotiorum nostrorum plenius innotescat, & Epistolæ brevitatem commodius sermo unius instauret. Rogo itaque ut ipsum bonitas vestra, ea qua me & meos semper consuevistis benignitate suscipiat, & diuturnitati negotiorum nostrorum finem curetis imponere, super quibus à vobis primos, secundos, & tertios iudices iam accepi: sed tam spes mea, quàm eorum cognitio multis artibus est elusa, ne possem usque ad audientiam etiam pervenire. His autem quæ ex parte mea vobis iste dixerit, fidem indubitatam habere poteritis, quia sacrilegio maius est attentare etiam vestram in aliquo fallere sanctitatem.

*Ad eundem.*

ESt quiddam quod tam meam quàm alias vehementer angit Ecclesias, quorundam scilicet rapax & intemperans audacia Monachorum, qui quo liberiùs effluant, sæcularis potentiæ præsidia redimentes, primo Episcopis omnem obedientiam subtrahunt, & Parrochiales Ecclesias cum altaris & decimationibus, cæterisque beneficiis de manu laica recipere pactis quibuslibet sacrilegâ temeritate præsumunt. In his ergo ab eis nec canonicus ordo, nec Episcopalis [illegible] tur, sed devectis ad proprietatem [illegible] nos in tanta paupertate [illegible] sacerdotes, ut ad exhibitionem suam & [illegible] Ecclesiæ [illegible] non habeant quod [illegible] nerale est hoc, sed in Episcopatu [illegible] cuius est hæc grassata malignitas, nec iam nobis cuiuslibet rationis obtentu, sed fallaciis ac muneribus [illegible] præsidioque violentiæ secularis obsistunt. Ad [illegible] dum ordinem institutionis Ecclesiasticæ [illegible], cum ego aduersus Abbatem quendam & [illegible] monasterij cuiusdam in Episcopatu nostro, scilicet S. Ebrulfi, a sublimitate vestra primos, secundos, & tertios iudices impetrauerim, Abbate semper multis artibus insistente, nihil est adhuc effectui mancipatum, cum sacerdotes nostri in executione causæ apud iudices assignatos multis attenuati sumptibus, multis laboribus sint affecti. Habemus autem & alias causas adversus eundem Abbatem de multiplici & contumaci inobedientia, cum tamen ad exhibendam nobis obedientiam & reverentiam vinculo iuratæ professionis teneatur astrictus. De alio quoque periurio quod post præstitum corporaliter iuramentum de exhibenda ad mandatum nostrum satisfactione, coram multis venerabilibus personis manifeste contraxit, in eo scilicet quòd post sententiam suspensionis & anathematis, per quinquennium & eo amplius missas & cætera præsumpsit divina officia celebrare, donec cognitâ coram legatis vestris veritate, quam diximus de necessitate magis, quam de Pœnitentia nobis se præstitit absoluendum, iurato nimirū quod ad mandatum nostrum super tribus expressim staret excessibus, & modum impositæ sibi satisfactionis impleret. De privilegio quoque à vobis per subreptionem elicito idem Abbas vobis & Ecclesiæ nostræ tenetur obnoxius, super quo iam tertiò ipsum ad vos cum privilegio mitti inventâ nimirum falsitate iussimus. De heremo etiam quadam, quæ à nobis & fundatore quibusdam regularibus & religiosis fratribus collata est, à prædicto Abbate & Monachis post appellationem ad vos factam noviter occupata, & aliis quibusdam, reverentiæ vestræ in omni veritate fides & fidelitas nuncij nostri plenius explicabit.

*Ad Dominum Henricum Remensem Archiepisc.*

PHilippum vestrum de Chaumont, cum apud nos in Rothomagensi moraretur Ecclesia, honesta conversatio notum nobis reddidit & acceptum. Accedebat ad gratiam quod in actibus eius, Regij sanguinis refulgebat excellentia, dignámque tanta nobilitate liberalis prudentia formabat industriam, ut alios sicut genere, sic moribus excedere videretur. Traxit eum & desideriis nostris abstulit magnitudo vestra, ut propinquus genere, fieret conversatione propinquior, vestrisque cuius totus est mancipatus obsequiis, apud magnificentiam vestram doctrinæ proventum faceret & fortunæ. Exultavit igitur, & se in multis beneficentiam vestram sensisse gavisus est, tantò sane alacrior, quantò de primitiis gratiæ vestræ maior poterat de futuro fiducia provenire. Interim tamen sicut ipse lachrymose conqueritur, mota est adversus innocentiam eius vestra serenitas, & à conceptâ spe elongatus est aliquantulum amicus & proximus, nisi quia desperationem excludit sinceritas conscientiæ, & vestræ si quid admissum est humilis & devota patientia disciplinæ. Præelegit enim apud misericordiam vestram deprecationis partibus uti magis quàm contentiosis excusationem litigiis instaurare, quia sicut magnanimitas vestra superbiæ cedere nescit, sic humilitati non sustinet obviare. Sane dum nobiscum esset, intelleximus sæpius quod plurimam nobis in oculis vestris gratiam bonitas divina contulerat, quæ tantò prædicabilior est, quantò de gratuita liberalis animi vestri bonitate procedit. Preces itaque nostras de longinquo quærendas censuit ut eos possit vobis velut aliquod acceptabile munus offerre,

quatenus noſtra culpam ipſius, ſi qua eſt intercesſio, redimat, & ad indulgentiam motum ſeveritatis inclinet. Si quidem glorioſum erit vobis tantam apud maieſtatem veſtram gratiam gratiæ plenitudinem inveniſſe, vt etiam à nobis in alios copioſæ dilectionis veſtræ redundet ubertas.

### *Ad Henricum Baiocenſem Epiſcepum.*

MEmini me pro latore præſentium olim veſtræ excellentiæ ſupplicaſſe, quia mihi pro eo quorundam quibus ego deeſſe non poteram inſtantia ſupplicabat. Exauditis ex parte, quia ab irroganda ſeveriore ſententia temperaſtis ad tempus, nondum tamen et optatum beneficium perfectæ liberationis arriſit. Inſtant igitur qui ab initio profuſis precibus inſtiterunt, eoque obnixius, quia noverunt quòd dilectio veſtra preces meas conſueverit exaudire. Preces igitur iterare compellit iterata precatio, & me genibus veſtræ charitatis advoluit, ut hic ſe multiplicatis precibus uberioris remedium gratiæ gaudeat inveniſſe. Audivi etiam Dominum Archiepiſcopum, & Dominũ Abrincenſem ſcripſiſſe pro eo, eoſque culpæ quam contraxit clementer ignoſcere, quia ad inquiſitionem veſtram maluit humiliter confiteri quod fecerat, quam duplicatâ culpâ conſcientiam ſuam obfuſcare mendaciis, aut de veſtra miſericordia diſperare. Preces itaque precibus & conſilio eorum cenſui fiducialius adiungendas, ut ſi maieſtas veſtra admonitioni eorum duxerit obſequendum, mea quoque tantæ authoritati intercesſio ſuffragetur.

# HVGONIS
## ROTHOM. ARCHIEP.
## DOGMATVM CHRISTIANÆ FIDEI
## Contra hæreticos ſui temporis, ſive de Eccleſia & eius miniſtris, libri tres.

### *NOTA.*

DE Hugone Rothomagenſi Archiepiſcopo conſule S. Bernardum Epiſtola 25. ad eundem ſcriptâ, Petrum venerabilem lib. 1. ep. 40. qui eum totius Reverentiæ & dignitatis virum appellat, & lib. 6. ep. 32 ubi eius laudes mirificè perſequitur, Arnulphum Lexovienſem, qui eius Epitaphium condidit, quod in fine Epiſtolarum eiuſdem habetur.

Robertus porro de Monte, ſive de Tornneio in appendice ad Sigeberti Cronicon ann. M C L X I V. hæc habet de eius morte, obiit Hugo venerabilis Archiepiſcopus Rothomagenſis, I V. idus Octobris (potius Novembris ex Necrologio Rothomagenſi) hic vir magnæ litteraturæ multa iucundè edidit, viduis & orphanis & aliis pauperibus largus extitic. Rexit Eccleſiam Rothomagenſem honeſtè & viriliter annis X X X.

Scriptorum porro Hugonis nihil occurrit præter libros tres de Eccleſia, ſive de hæreſibus ſui temporis, & duas Epiſtolas quas hic è M.S. Codice Becenſis monaſterij evulgamus.

Vide etiam Galliam Chriſtianam tom. 1. in Archiepiſcopis Rothomagenſibus.

*SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ Filio* ALBERICO *Hoſtienſi Epiſcopo, quàm ſæpe Sedis Apoſtolicæ legato; Peccator* HVGO *Rothomagenſis utrunque ſacerdos.*

REVERENDE Pater tuis obedire mandatis pro tempore diſtuli, non tamen illud omiſi, ſed præſta petenti veniam, cui ſoles præſtare gratiam. Digna ſedet mihi memoria reminiſci, qualiter in finibus Galliarum prope mare Britannicum Civitate Nannetenſi meruimus aſſiſtere tibi. Ibi ſanctorum corpora martyrum Donatiani & Rogatiani fratrum, multo cætu præſente fidelium, ſuſcepta præſentaſti, præſentata relocaſti, cum digno honore & gratiarum actione. Ibi tecum aſpeximus cometem præcipiti lapſu in occiduo ruentem, ruinam hæreſis, quæ in Armorico tunc ſcatebat, te proteſtante ſignantem. Ibi quidem coram Orthodoxa prædicatione tua plebs hæretica ſtare non poterat. Eorum hæreſiarches pertimuit, vel apparere præſumpſit. Proinde placuit ſibi ſuper hæreſibus inſurgentibus nos aliqua ſcribere, quod & ſuſcepimus tuæ iuſſionis authoritate; ſed ſuccincto opere, ſed brevi charactere. Trahatur itaque ex arcto commate clauſa latiſſima, ſumantur ex vaſe modico fercula copioſa, more Catholico in ſpiritu Sancto.

### *PRÆFATIO.*

MAndat Dominus, obediat ſervus, Patres præcipiunt, Fratres expetunt, filij requirunt, charitatis imperio ſimul & ſingulariter iniungunt, ut contra hæreticos emergentes novos, contra eorum hæreſes non novas ſed veteres tandem aliquando conſurgamus, ſinceram Catholicæ fidei puritatem & eis opponamus, & contra eos aſſiſtente Domino deffendamus. Loquatur igitur per nos & pro nobis omnipotens Pater coæterni Verbi: loquatur Verbum quod ſemper & pariter omnia dicit: loquatur Spiritus Patris & Verbi unus & coæqualis, qui continens omnia, ſcientiam habet vocis. Veritatis ſermo proponitur, audiamus: Deus in cauſa eſt, aſſiſtamus.

# HVGONIS
## ROTHOM. ARCHIEP.
### *LIBER PRIMVS*
## DOGMATVM CHRISTIANÆ Fidei contra hæreticos ſui temporis.

### CAPVT PRIMVM.

SOl oriens effuſo lumine, toto orbe noctium tenebras expellit. Sole clarior ſana doctrina paſſim expoſita hæreſim deſtruit. Sana doctrina profitetur & prædicat, quia Creator omnium Deus omnipotens & ſolus eſt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, Trinitas inconfuſa, Deitas indiviſa. Veritas hæc ſublimis, & præcelſa tranſgreditur univerſa. Non eam temporalis intelligentia, non ratio capit humana; excedit omnem tàm Angelicæ, quàm & humanæ mentis altitudinem: Hoc Pſalmiſta teſtatur dicens: *Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus*, & alibi: *Aſcendit*, inquit, *ſuper Cherubim, & volavit, volavit ſuper pennas*

Sana doctrina ſole clarior.

Deus unus & Trinus.

Pſ.63 7.

*ventorum,*

*ventorum*, id est, super excellentia a [illegible] quærentium. Invisibilis est Deus, soli sibi cognitus: nescit eum penitus ulla creatura, nisi ea, quam sapientia Dei Patris, ut scire valeat gratanter illustrat. Audi Evangelistam: [Ioan. 1. 18] *Deum, ait, nemo vidit unquam.* Dicimus ergo, Ioannes unde scire potuit quod evangelizavit: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*, si nemo unquam vidit Deum: Inde mox respondit, [Item 1.] & ait: Vnigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit. Ipso igitur enarrante potuit dicere Deū apud Deum, apud Patrem Filium, qui *dedit potestatem filios* [Item 12.] *Dei fieri, his qui credunt in nomine eius.* Veritas quoque dicit: *Nemo novit Filium, nisi Pater: & nemo novit Patrē,* [Mat. 11. 27.] *nisi Filius, & cui voluit Filius revelare.* Revelavit ei qui dixit. *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus*: & [Ps. 84. 9.] Apostolo dicenti: *An experimentum quæritis eius qui in* [2 Cor. 13. 3.] *me loquitur Christus* Revelatum est & Moysi in monte Sinai, de creatione mundi sub æterni trigona forma senarij, requie Domini omnibus completis in die septima, sine mane, absque vespera; de lege, & mandatis, de Tabernaculo fœderis, de ritu sacrorum, & cæremoniis, quorum omnium exemplar in monte perspexit. Revelata sunt etiam Patribus & Prophetis quam multa de consilio, de Misericordia, de Iudicio Dei, sed ista prosequi non est de instanti: Revelat & seipsum nobis Filius, qui ait, *Exivi à Patre, & veni in mundū, ite-* [Ioan. 16. 28.] *rum relinquo mundum, & vado ad Patrem.* Iudæis quoq; dixit: *Est Pater meus qui glorificat me, quem vos dicitis,* [Ibid. 8. 54.] *quia Deus vester est.* Ad hoc consequenter alias intulit: *Creditis in Deum, & in me credite.* Hoc si quidem non [Item 14.] sequeretur, nisi Christus esset Deus.

Adora igitur Patrem, adora Filium, adora pariter utrumque Deum vnum. Alius quidem est Pater, alius Filius, non alius Deus Pater, alius Deus Filius. Diversæ sunt personæ Pater & Filius, non autem duo sunt Dij [Diversæ in Deo personæ.] sed unus. *Audi, inquit, Israel Deus tuus, Deus unus est.* [Deut. 6. 4.] Huic veritas attestatur: *Ego, inquit, & Pater unum sumus.* [Ioan. 10. 30.] Sumus dicit, quia alia est persona Patris, alia Filij. Vnum dicit, quia una & eadem est essentia Patris & Filij. Spiritus quoque sanctus ipse est Patris & Filij unus ex Patre & Filio tertia persona, non tertius Deus. *Verbo*, inquit, *Domini cœli firmati sunt; & Spiritu oris* [Ps. 32. 6.] *eius omnis virtus eorum.* Et, *tres sunt qui testimonium dant* [1 Ioan. 5. 7.] *in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres unum sunt.* Sunt dixit, quia tres personæ, unum pro inseparabili divinitate. Spiritus iste sanctus, Spiritus est Patris in Evangelio: *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spi-* [Mat. 10. 20.] *ritus Patris vestri qui loquitur in vobis.* Et Ioannes Apostolus ait: *In Deo manemus, & ipse in nobis, quia de Spiri-* [1 Ioan. 4. 13.] *tu suo dedit nobis; & nos vidimus & testificamur quoniam Pater misit Filium suum Salvatorem mundi.* Spiritus iste Sanctus sicut est Patris, ita est & Filij. Super hoc idem Filius ita dicit: *De meo accipiet, & annuntiabit vobis. Om-* [Eiusd. 16. 14.] *nia quæcumque habet Pater mea sunt, propterea dixi, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.*

Adora igitur Patrem, adora Filium, adora amborum Spiritum, non tres Deos, sed simpliciter unum. Noverat hoc Propheta, qui dicebat: *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines ter-* [Ps. 66. 8.] *ræ.* Eum dixit non eos, ut unum teneat non tres Deos.

## CAPVT II.

SCire autem te convenit qui Deo & in Deum credis, quia Spiritus S. sicut à Patre procedit, & à Filio [Spiritus S. à Patre & Filio procedit, à quo & mittitur.] mittitur. *Ego, inquit, mittam vobis à Patre Spiritum veritatis, qui a Patre procedit.* Et alibi: *Quem mittet Pater in nomine meo.* Missus iste & à Filio procedit, quem post [Ioa. 15. 26.] [Ib. 14. 26.] resurrectionem suam Discipulis insufflavit dicens: *Accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata, remittuntur* [Eiusd. 20. 22.] *eis.* Corporeus flatus ab eo processit, quo invisibilis signata est processio Spiritus S. quem ex seipso dedit. De hoc ait Apost. *Qui Spiritum Christi non habet, hic non est* [Rom. 8. 9.] *eius.* S. Spiritus à Patre quidem & à Filio procedit, non [Filius ex Patre nascitur & procedit.] nascitur ideoque non Filius sed procedens dicitur Filius verò à Patre procedit & nascitur, ideóque Filius appellatur: *Ego, inquit, ex Deo processi, & veni.* Processio [Ioa. 8. 42.] nativitatis Filij ex Patre, & processio non nativitatis S. Spiritus ex utroque fideliter creditur, perenniter adoratur: Evangelica veritas ista perdocuit, Apostolica doctrina manifeste prædicavit. Cōtra Hæreticos ista proponimus, & authoritate divina firmamus, qui Deum [Deus non discutiendus.] non discutimus, sed Catholice credimus, non est enim discutienda divinitas, sed fidei simplicitate colenda. Sicut autem Deus Pater à nullo est, sic nec missus est; [Pater à nullo est.] quia verò ex Patre est Filius, & ex utroque Spiritus S. bene uterque mitti potuit à quo existit.

## CAPVT III.

MIssus quidem à Deo Patre Deus Filius, cooperante Spiritu S. de Virgine natus, quod erat permāsit, & quod non erat homo fieri voluit, perfectus Deus, perfectus homo, unus non duo. Vnus cum Deo Patre in essentia, vnus cum assumpto homine in persona. Factus de nostro genere sine criminis traduce. Ex hominibus homo, ex peccatoribus absque peccato. Filius David, Filius Abraham, & Filius Adam. Factus inde medicina, vnde processerat culpa. Deus homo factus est, vt Deos faciat homines; Deos gratia nō natura, Deos adoptione, non essentia. Ipse pro peccatoribus absque peccato passus, mortuus, & sepultus, ad Inferna descendit. Inde suos liberans die tertia surrexit, & discipulis suis manifestus apparens, ipsosque benedicens, cœlos ascēdit: sedens ad dexteram Dei Patris Spiritum S. copiosius effundit, vnde charitatis flamma consurgit, teste Apost. qui ait: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per* [Rom. 5.] *Spiritum S. qui datus est nobis.*

## CAPVT IV.

HOc dato suscepto una est Ecclesia uni viro despōsata. Quis ille sponsus? quæ illa sponsa? Doctor [Vnus Spiritus, una sponsa Ecclesia.] Gentium fidelibus clamat: *Despondi enim vos uni viro, Virginem castam exhibere Christo.* Celebratur desponsatio ista in præsenti per Sacramenta, in futuro visione manifesta. Fide suscipitur, spe firmatur, charitate perficitur. A quâ primùm & Spiritu gratanter abluitur, [2 Cor. 11. 2.] quo detersis criminibus à culpa solvitur, vt sacro renata Baptismate, cœlesti sponso sanctificata societur. Renata itaque fonte perennis gratiæ, manus impositione paranymphi cum oratione, cœlesti signatur chrismate; ut quam Christi baptisma à peccatis omnibus emūdat, supereminentis unctio chrismatis, rite per Episcopum celebrata, eam virtutibus induat. Virtutes istæ sponsalia sunt præcellētissima ex septiformi S. Spiritus gratia [Spōsalia Virtutes.] quæ sponsæ suæ cœlestis sponsus mirifice donat. Exinde præparatur ei vitalis participatio alimenti, Corpus & Sanguis eiusdem Sponsi sui Iesu Christi Filij Dei, quo [Alimentū, Corpus & Sanguis Sponsi.] suscepto & homo Deo, & Deus homini unitate fœderantur inenarrabili. *Qui manducat*, inquit, *meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo: caro* [Ioa. 6. 55 & 56.] *enim mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* Non hic de ligno vitæ, quod erat in Paradiso terrestri fructum suscipimus; sed ipsam vitam, quæ Christus est de Altari Dominico sumimus: *Ego*, inquit, *sum via, veritas & vita.* Vita hæc mortē in nobis destruit, quæ de [Ioa. 14.] ligno scientiæ boni & mali prævaricatione traducta processit.

Attende qui legis, venerare sponsam Christi prius emundatam aqua baptismatis, renatam fonte salutari: deinde perornatam christiate regali, manus impositione Pontificis, renitentem gratia septiformi, postmodum ad mensam cœlestis perductam convivij, ibi Corpus & Sanguinem sponsi sui sub fœdere perennis vitæ percepit, & cum Ioanne charitatis filio, supra pectus Domini beatè quiescit. Vide ergo in Baptismate fidem, in Confirmatione sacro facta chrismate spem, in Mensa Dominica charitatem; fide namque renovatur, spe sublimatur, charitate glorificatur.

## CAPVT V.

VT igitur perfectum teneas Christianum, primò eum ex aqua & Spiritu renatum, dehinc chrismatum gratiâ, Pontificis manu perornatum, mox ad Mensæ Dominicæ Sacrosanctum intromitte Convivium. Tria ista Sacramenta, Baptismus scilicet novæ in [illegible]

A Christo regenerationis, & Confirmatio baptizati in manu facta Pontificis chrismate regali in gratia septiformi, & participatio mensæ cœlestis Corporis & Sanguinis IESV CHRISTI, in vita perenni fide quidem incipiunt, spe certa crescunt, charitate persistunt. Tria ista civitatem Dei constituunt, de qua Psalmista canit, & exultans dicit: *Gloriosa dicta sunt de te Civitas Dei.* Ps. 86. 3. Civitatis huius fundatorem profitetur idem quia homo est & Deus, dicens: *& homo natus in ea, & ipse fundavit eam Altissimus:* Ib. 5. Deus quidem. Altissimus ipse est, homo sub tempore in ea natus. De eius verò beatitudine dicit in laude: *Sicut lætantium omnium habitatio est in te.* Ib. 4. Hæc patrem habet Deum, amplexatur Dei Filium sponsum suum, collætatur Spiritum S. suum esse Paraclytum. Super hoc Psalmista dicit: *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei, sanctificavit tabernaculum suum Altissimus:* Ps. 45. 5. *Deus in medio eius non commovebitur. Adiuvabit eam Deus mane diluculo.* Ib. 6. In hac sola tam celebri, tã gloriosa remissio est peccatorum, efficacia sacramentorum, gratia charismatum, communio Sanctorum, resurrectio & vita beatorum. Hoc fidei Symbolum ratum & sacratum sana doctrina prædicat singulariter observandũ, quo ignorantia tollitur, error abolетur, hæresis propulsatur.

B

## CAPVT VI.

PRima quidem defluxio à luce veritatis mox ignorantiæ tenebras incurrit; ignorantiæ cæcitas errorem induxit, error inolitus hæresim procreavit. Hæresis autem error ille vocatur, qui pertinax esse probatur. (Quid hæresi.) Spiritus S. sanam doctrinam inspiravit, quã via, veritas & vita nobis innotuit. Spiritus nequitiæ Sathanas mendacium sparsit, quo errorem, & hæresim, & mortem mundo propinavit. (Spiritus S. sanam doctrinã inspirat. Sathanas fons mẽdacij.)

Sathanas fons mendacij, origo peccati, à bono Conditore bonus conditus, sed mox propria voluntate perversus invenit sibi apud se casum superbiæ, cupiditatẽ rapinæ, sordẽ Idololatriæ, ubi ait: *Ponam sedem meam ad Aquilonem, ero similis Altissimo.* (Vnde diabolicasus. Isa. 14. 14.) Nõ erat eius sedem sibi ponere Aquilonem occupare, similitudinem Altissimi affectare. *Ponam sedem meam,* ecce superbia; *ad Aquilonem,* ecce rapina; *Ero similis Altissimo,* ecce Idololatria. Vide ruinam impij. Voluntatem suam quam Deo debuit, qui eum de nihilo fecit, non Deo, sed sibi propriã tenuit. A proprio isto mendacium genuit: De hoc veritas ait: *Cum loquitur mendacium, de propriis loquitur,* mẽdax est enim & pater eius, hoc est mendacij, pater iste mendax, pater mendacij, mendacio Idolum formavit. (C Ioa. 8. 44.)

Ab exortu itaque malignitatis mendacij Abyssus erupit: *Et tenebræ,* inquit, *erant super faciem abyssi.* (Diabolus quid. Gen. 1. 2.) Sathanas ille Lucifer à Deo conditus, clarior & excelsus statim voluntate propria depravatus, præsumptione superbus, cupiditate cæcatus, de excelso factus est Abyssus, de luminoso tenebrosus, tenebræ eius præsumptionum procellas emittunt, cupiditatum laqueos innectũt, libidinum turpitudines faciunt. Ex earum nebulis tenebrarum creantur noctes errorum, & tempestas iniquorum: Pro his, & de his in Evangelio Veritas respondit: *Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum.* (Luc. 22. 53.)

## CAPVT VII.

D AVdisti super Abyssum tenebras, audi quia Spiritus Domini superferebatur super aquas. Hic Spiritus Deus est & Dominus, sicut alibi legitur: *Vox Domini super aquas multas, Deus Maiestatis intonuit; Dominus super aquas multas.* (Angeli quare nõ ceciderunt. Gen. 1. 2. Ps. 28. 3.) *Fecit,* inquit, *Deus Firmamentum in medio aquarum, divisitque aquas quæ erant sub Firmamento, ab his quæ erant super Firmamentum.* (Gen. 1. 7.) Angeli quippe illi qui steterunt, cadentibus aliis, humilitate levati sunt, & ex aquis suæ mutabilitatis in cristallum æternæ stabilitatis durauerunt. Hi non sibi, sed Spiritui sancto consenserunt, & beati sunt dum non suam sed Domini voluntatem semper inquirunt, iugiter aspiciunt, perenniter diligunt.

De his Psalmista dicit: *Et aquæ quæ super cœlos sunt laudent nomen Domini.* (Ps. 148. 4. Angeli aquæ super cœlos. Hebr. 1. 3.) Aquæ istæ manent super Firmamentum stabile & immotum, qui est Christus IESVS *portans omnia verbo virtutis suæ.* In eo charitate perfecta consolidatæ sunt, & à beatitudine, quam ibidem acceperunt, cadere nullatenus possunt. E

Aquæ verò illæ quæ sub firmamento sunt, nimirum homines intelligi possunt, qui nondum laqueos tentationum evaserunt, qui mundum in maligno positum minimè reliquerunt. (Homines aquæ sub firmamẽto.) Et his aliquando Spiritus Domini superfertur, quo suscitantur, ut vita, quæ erat lux hominum, destruat tenebras eorum, & transferat in lucem Sanctorum. Ibi audiunt dicentem Apostolum: *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Ephe. 5. 8. Hæ sunt aquæ fideles, quæ verbo Domini in unum congregantur: unde ait: *Congregantur aquæ, quæ sub firmamento sunt, in locum unum, & appareat arida.* Gen. 1. 9. Vnum in unitate Sacramentorum, in unitate fidei, spei, charitatis, in unum Deum Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum; in unam Ecclesiam Catholicam, uno Spiritu congregatam; in hac unitate apparet arida, illa scilicet terra, quæ Spiritu sancto divinitus irrorata, dedit fructum suum, genuit Salvatorem nostrum. (Terra B. Virgo S. Spiritu irrorata.) F Novit hoc Isaias, & videns clamabat: *Rorate cœli desuper, & nubes pluant iustum, aperiatur terra, & germinet Salvatorem.* Isa. 45. 8. Beata terra Virgo MARIA quæ dedit fructum suum, vitam Angelorum & hominum, Dominum Deum IESVM CHRISTVM. *Et iustitia,* inquit, *orietur simul.* Ib.

Vide quia cum cæteris de carne carnaliter genitis prævaricatio traducta descendit; Cum isto autem de Virgine nato, operante Spiritu sancto: Iustitia oritur, quia culpa solvitur. Iniquitas abolетur eorum qui per Sacramenta renascuntur; Inde & virtutum gratia vestiuntur, & mensa Dominica perfruuntur. *Ego,* inquit, *ego Dominus creavi eum, non sub concupiscentia carnis, sed efficacia divinæ virtutis.* Ib. De hoc Angelus respondit Virgini: *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Luc. 1. 35.

## CAPVT VIII.

EX Adam, ex Abraham, ex David, & cæteris Patribus in eadem Genealogia consequentibus usque ad partum Virginis, IESVS CHRISTVS Deus & homo unus descendit, & per clausam Virginis portam, ut Deum & Dominum decebat, vera nativitate Princeps Omnipotens ad nos egredi voluit, absque vulnere criminis, sine crimine prævaricationis. (De Christi tẽporali generatione.) Factus est de Virgine, factus de nostro genere, non sub peccati traduce, sed abolitio culpæ, sed largitio veniæ, sed effusio gratiæ sempiternæ: Solus Mediator inter Deum & nos, summus Pontifex conciliаns Deum & nos, Sacerdos non secundum ordinem Leviticum, sed secundum ordinem Melchisedech manet in æternum. G Melchisedech erat Sacerdos Dei Altissimi, cui Abraham decimas exsolvit & in lumbis Abrahæ ibi decimatus est Levi: Qui sicut in lumbis Abrahæ, ita fuit & in lumbis Adæ in quo omnes peccaverunt. (Sacerdos Christus nõ secũdum Ordinẽ Leviticum, quare. Heb. 7. Decimari nõ debuit christus.) In Adam peccavit, in Abraham decimatus est. Quia peccavit decimari debuit. Decimabatur quod curabatur. Christus verò sicut in Adam non peccavit, sic in Abraham non decimabatur, non enim erat in eo quod curaret, sed medicina erat & salus, quo mala omnia, & mors ipsa destruitur. H Est enim Christus Sacerdos non secundum Levi, qui decimatus est, & à morientibus & ipse moriturus decimas accepit, sed secundum ordinem Melchisedech, qui teste Apostolo Sacerdos Dei Abrahæ victori benedictionem dedit, *cui decimas omnium divisit Abraham.* Heb. 7. 2.

Melchisedech iste, ut ait Apostolus, *neque initium dierum, neque finem vitæ habens, assimilatus autem Filio Dei manet Sacerdos in æternum:* Ib. 3. *Intuemini,* ait, *quantus sit hic, cui & decimas dedit de præcipuis Abraham Patriarcha.* Ib. 4. Ibi autem contestatur quia vivit, &, ut ita dictum sit, per Abraham & Levi qui decimas accepit decimatus est. Adhuc enim in lumbis patris erat, quando obviavit ei Melchisedech: Ea propter intueri libet, quia in lumbis Abrahæ aliter erat Levi, aliter & Christus. Erat ibi Levi sub lege prævaricationis, quia necesse habebat decimari. Erat ibi Christus, cui à

A Ps. 109.4

Patre dicitur: *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Huic omnes debent decimas, quia omnes curat, & æternam benedictionem donat.

Seipsum nobis, & nos ipsi unit.

Sacerdos iste singularis & ineffabilis seipsum semper offerens Deo Patri pro nobis, seipsum donat & nobis, Deus & homo inter Deum & nos, cum Deo Patre unus in essentia, cùm assumpto homine unus in persona. Solus iste tollit peccata mundi, Mediator Dei & hominum pacem plenam facit uniens seipsum nobis, & nos ipsos sibi in unitate sancti Spiritus, qui unus Patris & Filij unus est in omnibus nobis.

## CAPUT IX.

Qui ab unitate Christi descendunt.

AB hac unitate sanctâ cadunt aliquando decisione manifesta homines impij, mente corrupti, naufragi circa fidem, cauteriatam habentes conscientiam. Pestes sunt huiusmodi hæretici, mendacia spargunt, perversa proponunt, faciunt schismata, seminant scandala. Ij suis tenebris obvoluti, criminibus fœdi, persequuntur lumen fidei: *Qui malè agit odit lucem*; lucem veram, quæ etiam lucet in tenebris, Doctrinam sanam execrantur, carnis intemperantiam, spiritus concupiscentiam, mentis superbiam amplexantur; & quia lumen fidei non admittunt, omnis eorum scientia tenebræ sunt. Pro huiusmodi veritas ait: *Vide ne lumen quod in te est tenebræ sint* Isti quidem licet tenebrę sint, quia impij, quia scelerati, pro rationali tamen intelligentia quam naturaliter acceperunt, quandoque & alta cognoscunt, & sublimia sentiunt: sed suam quam habent de rebus corporeis scientiam, de incorporeis seu divinis cognitionem, vel experientiam non Deo, sed sibi referunt, suam, non Dei gloriam quærunt. Vnde & obscuratum est insipiens cor eorum. Intellectus quidem hominis pro libertate arbitrij, pro captu rationali, pro intelligentia mentis, eum quærere, eum sequi, eum diligere semper debuit, à quo tanta percepit; & virtute supra se ad Deum humiliter elevari, fide pura, spe indefessa, charitate profusa.

B Hæreticorū perversa vita. Ioa. 3.20 Luc. 11. 35. Vnde aliquādo hæretici sublimia sentiunt

C

E contra omnis illa hominum scientia, quæ nec fide regitur, nec spe levatur, nec charitate Deo coniungitur, manet in tenebris, nescit lumen veritatis. Hinc Moyses ait: *Vidit Deus lucem quia bona est, & divisit eam à tenebris; appellavitque lucem diem, & tenebras noctem.* Lux si quidem rationis humanæ bona, quia à bono conditore bene condita, dum ei, à quo est seipsam præsentat, obtemperat, conservat virtute à Deo suscepta, fit melior seipsa. Hanc lucem appellat diem, quia sanæ mentis dealbata, & charismatum splendore vestita, fit dies charitatis, quam Deus inhabitat, & beatam facit. *Dies*, inquit, *diei eructat verbum*: Dies diei, Catholicus Christiano, Christianus Catholico, fidelis obedienti, obediens fideli eructat verbum apud Deum, Deū Verbum, omnia facta per verbum; & quia ea omnia in verbo sunt vita, vita Verbum, vita lux hominum. Itaq; vita & lux Verbum. Et ut plenius homo uniretur Deo, *Verbum caro factum est.* Verbum caro idem Deus homo; *& habitavit in nobis*; non sicut in Angelis, vel in omnibus creaturis, sed homo factus ex nobis. Est igitur vita, & lux hominum Verbū caro factum. Fœlix dies, quę hoc diei eructat Verbū, hoc semper eructat qui diligit ipsū.

Gen. 1.4. Probi viri dies. Ps. 18.2. Verbum caro factum ut homo plenius Deo uniretur. Ioan. 1.4

D Ps. 18.2. Nox impius & hæreticus.

*Dies diei eructat verbum & nox nocti indicat scientiā.* Nox nocti errans hæretico, Hæreticus erranti, sceleratus impio, impius scelerato indicat scientiam suo sensu conceptam; falsis opinionibus lubricam, pertinacia iactatam. Scientia hæc, quia superbiâ nititur, elatione grassatur, quærit tantum inflari potiùs quam ædificari. E contra Verbum charitatis humilitate proficit, veritate subsistit, diem ex die pronuntiat, quos replet illuminat, Sacramentorum gratiâ perornat, virtutum manibus ædificat. Hoc Apostolus affirmat dicens: *Scientia enim inflat, Charitas vero ædificat.*

1. Cor. 8.1

## CAPUT X.

CHaritas itaque patiens & benigna domum Dei ædificat, quam summa sapientia septem columnis charismatum, structurâ mirabili consummat, iustitiæ sole clarificat, plenis bonorum omnium copiis locupletat. Hanc domum à longè prospiciens Psalmista dulci modulatione canebat: *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.* Psaltes iste in domo Domini transitoria & caduca, in Ierusalem terrena, pro more canebat, sed ad illam supernam & immotam, stabilem & beatam Ierusalem pia devotione tendebat. In hoc autem cœpti progressu itineris potissimùm state intenderant qui dicebant: *Stantes erant pedes nostri in atriis tuis Ierusalem.* Ne verò istam ruinosam & vetustam attendas Ierusalem, sed illam cœlestem veram & beatam respicias, adiecit: *Ierusalem quæ ædificatur ut civitas, cuius participatio eius in idipsum.* De hac alibi clamat: *Qui confidunt in Domino sicut mons Sion; non commovebitur in æternum qui habitat in Ierusalem.*

E Ps. 121.1 Ib. 2. Ib. 3. Ps. 124.1

In ista præsenti misera & commota commovetur omnis qui inhabitat, in illa cœlesti gloriosa & quieta nullatenus commovetur quisquis inhabitat. *Cuius*, inquit, *participatio eius in idipsum.* Ac si patenter dicat: Beata illa civitas cœlestis Ierusalem particeps est eius in idipsum. Intransitivè dicitur, *eius in idipsum*, singulariter positum, divinitus assumptum, soli Deo & semper assignatum, tanquam propriè proprium: Deus enim nec incipit, nec desinit, nec variatur: Hoc autem sicuti est pleniùs scire, vel intelligere, nulli unquam licitum est creaturæ, nisi ei, quæ Spiritum sanctum accepit, quo suscepto, & ipsa unum esse cum Deo meruerit, unum gratiâ per Christum, unum participatione eius in idipsum. *Videbimus*, inquit, *eum sicuti est.* Videmus eum in præsenti *per speculum & in ænigmate*, per Sacramenta, nondum in essentia. *Nunc*, ut ait Apostolus; *abscondita est cum Christo in Deo vita nostra: Cum autem apparuerit Christus vita nostra, tunc & nos apparebimus cum ipso in gloria.* Ibi non fides, sed meritum fidei; ibi non spes, sed remuneratio spei; ibi charitas, quæ nunquam excidit, quod dilexit, plenè, & perfectè videbit.

Ps. 121.3 F 1. Ioa. 3.2 1. Cor. 13 12. Colos. 3.3

G

Huius cœlestis & beatæ Ierusalem aperta sunt atria, in hac præsenti & temporali Ecclesia; Vnde canit Psalmista: *Stantes erant pedes nostri in atriis tuis Ierusalem.* Hæc sane atria sunt in Ecclesia, quæ adhuc parturit, & laborat. Filios enim per Sacramenta generat, per Virtutes elevat, per IESUM CHRISTUM triumphatores cœlesti Ierusalem iugiter assignat.

Ps. 121.2

Attamen dum in hac lachrymarum valle peregrinatur scandala necesse est patiatur. In hac passim prodeunt insidiæ perfidorum, obscænitas criminum, rapacitas prædonum, turbines errorum, tempestates hæresum. Inter hæc autem tàm pessima, tàm importabilia mala stat fides Petri, fides Catholica, turris eminentissima. *Mille clypei pendent ex illa, & omnis armatura fortium*: Clypei protectio Sacramētorum, armatura fortium, iacula virtutum. Sacramentis protegimur, virtutibus superamus. Mille quidem plenus est numerus & completus: Bene ergo mille sunt clypei, quia perfectio est in Ecclesiæ Sacramentis: bene omnis armatura fortium, quia est in ea plenitudo virtutum. Turris itaque Catholicæ fidei turris est fortitudinis, hæc est turris David quæ respicit contra faciem Damasci. David, id est manu fortis, seu visu desiderabilis intelligitur: Damascus, os sanguinis interpretatur: Turris quippe David, quæ est Ecclesia Christi munita, & fortis ex adverso Damascum respicit, stat contra feritatem sorbentis sanguinem, contra hæreses, & omnem impietatem.

Ecclesia filios per Sacramenta generat, per virtutes educat, evehit in cœlū per Christū. Cant. 4.4

H

Ex hac turri munitissima, & præcedenti prodeunt armati, fortes & validi, qui virtutum gladiis perimunt hostes fidei: *Horum fortissimi custodiunt lectum Salomonis*: His circumseptus Rex pacificus mira suavitate quiescit. Ibi namque lumen Catholicæ fidei clarius excrescit; spes, quæ non confundit, validius inardescit; charitatis flamma copiosius assurgit; ibi lætitia, & pax gratissima. Ex adverso de tenebris abyssi, de frigoribus Aquilonis, de cruenta facie Damasci emergunt impij, fluunt Schismatici, fantur Hæretici. Impij nec Deum colunt nec Sacramenta suscipiunt. Schismatici, nec

Cant. 3.7

partibus

A patribus suis obediunt, nec Catholicæ Communioni consentiunt.

## CAPUT XI.

Quid sentiat hæretici illius temporis.

HÆretici perversa proponunt, & contra Sacramenta disputando sæviunt. Sacramenta, inquiunt, solummodò prosunt, scientibus non ignorantibus, adultis prosunt, parvulis nihil conferunt. Condemnant isti baptisma parvulorum & infantium; trahunt de Evangelio contra Evangelium, & dicunt: in Evangelio legitur: *Qui crediderit & baptizatus fuerit salvus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur.* Ita proponunt deinceps assumunt; sed parvuli non credunt: statimque concludunt; igitur baptismata parvulis non prosunt. Marc. 16 16.

Ad hæc surgunt Catholici, omni armatura fortium præmuniti, & dicunt: Quia hoc producti capitulum Evangelij non quidem de parvulis, immò dictum est de scientibus, de adultis. Adulti namque homines, vel sui sensus & memoriæ compotes, non debent baptizari, nisi priùs data sui professione nominis & fidei; talibus illicò mandatur, ut quod promittunt fide, teneant opere. Etenim scriptum est: *Quia fides sine operibus mortua est*; Quare non debuit opponi parvulis. Quod verè dictum fuerat de respondentibus pro se, & apertè professis. Cùm autem generaliter dicat in Evangelio veritas: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto non potest introire in regnum Dei.* & alibi: *Ite*, inquit, *docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti*; nullus excluditur, nec infans recens natus. Quapropter illa eorum fraudulenta conclusio passim respuitur; non procedit, quia gratiæ Dei adversari planè convincitur. Non tangit parvulos, vel infantes, sed scientes sed suæ fidei professores.

Catholicorum responsio. B. Iacob. 2. 20. & 26. Ioan. 3. 5. Mat. 28 19.

Infantibus ut baptismum suscipiant, sola gratia, non opera necessaria.

In parvulis quidem sola quæritur gratia, nondum opera. Gratia sanctificationis ex baptismo, nondum opera debitæ actionis ex arbitrio. Quomodo autem in præsenti datur Sacramentum Baptismi, sic in antiquo tempore dabatur parvulis Sacramentum Circumcisionis. Sub antiquis Patribus parvuli octavo die circumcidebantur, deinde muneribus hostiarum Domino consecrabantur. Omnes enim ex carnali genitos concupiscentia conclusit originalis culpæ macula. Apostolus dicit: *Quia omnes in Adam peccaverunt, & egent gloria Dei.* Sed parvuli quomodo culpam nesciunt, quam ex Adam originaliter trahunt; ita & gratiam nesciunt, quam in Christo per Sacramenta recipiunt: sicut autem parvuli non excusantur à culpa, quia eam nesciunt; sic nec excluduntur à gratia, quam præstitam non agnoscunt. C. Rom. 3. 23.

Nescivit Chanaam Cham patris sui culpam, qui Noë genitoris sui nuditatem risit, & tamen pro culpa Cham patris sui servus cum sua posteritate Chanaam remansit. Verùmtamen pro obedientia Abrahæ patris nostri, generalis benedictio in omnes gentes nullis eorum meritis gratanter effluxit. Unde & hæc sacri regeneratio Baptismi, solius est gratiæ, non meriti. *In semine*, inquit, *tuo benedicentur omnes gentes.* In semine tuo, hoc est in Christo, qui Deus homo fieri voluit, ut hominem solvat à peccatis. Peccare quidem homo potuit, sed peccatum peccator suum dimittere sibi non potuit. Quapropter omnis eget gloria Dei, qui peccata dimittit homo factus pro nobis; ut, quod non potuit homo solus, efficiat homo Deus, qui *cui vult miseretur & quem vult indurat*: Cui vult gratiam impendit, & quem vult condemnat. Gen. 9. 22. D Gen. 22 18. N. B. homo Deus potuit hominē à peccato solvere. Rom. 9. 18

De Iacob & Esau nondum natis, nondum scientibus, Apostolus Dominum dixisse testatur: *Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* Nesciebat Iacob gratiam dilectionis, quam accepit; nesciebat Esau sententiam odij, quod incurrit; Iacob quidem & Esau, sicut omnes, in Adam peccaverunt. Sed Iacob pro gloria Dei gratuita dilectione donatur; Esau verò pro originalis culpæ merito, ità Dei reprobatur. Misericordiam in Iacob, iudicium in Esau pariter intuemur; & cum Propheta dicimus. *Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine.* Mala siquidem à nobis habemus, pro quibus meritò, & damnamur; bona verò nisi à Deo habere nulla possumus, sed pro gratia nobis à Deo præstita indebitè, salvamur. Huius dator gratiæ IESUS CHRISTUS natus de Virgine, plenus gratia, & virtute, Sacramentum Circumcisionis in seipso suscepit, Sacramenta sanctificans, non egens Sacramentis. In templo cum hostiis est oblatus, hostias consecrans, non hostiis consecratus. Quod autem iste maior omnibus, sed parvus pro nobis factus, Sacramenta suscepit, agendo nobis innuit parvulos Sacramentis non debere privari, de quibus post modum ita respondit: *Sinite parvulos venire ad me, talium est enim regnum cælorum.* Et ipse quidem Dominus omnium, & Salvator universorum à servo suo baptizatus, à Ioanne Christus, baptismum sanctificavit, non est baptismo sanctificatus. Ib. 13. E Ps. 100. 1 Mala à nobis, à Deo bona. Marc. 10 14.

Sacramentum hoc non sicut circumcisio in masculis tantùm, & in octavo die, sed omni tempore, in omni sexu, omni ætate, unicuique semel impenditur, sine quo nemo à culpa solvitur, nemo salvatur. Baptismum quippe pro nobis accepit ipse Dei Filius, ne quod Deus prærogat, ab homine respuatur; nec quod præstat gratiâ, meritis imputetur. Quapropter omnes in omni sexu, in omni conditione, omni ætate, omni tempore, semel baptizari, absque iteratione, dum hic vivitur, est necesse. Baptismus à Circumcisione quatuor modis differt. F

## CAPUT XII.

SEd his succinctè decursis adhuc Hæretici sæviunt, & litigando dicunt: Christus cùm esset annorum triginta baptismum accepit, ideóque parvuli non debent baptizari, sed hi qui eo annorum tempore quo Christus baptizatus est, voluerunt baptizari. Iterum hæretici obiiciunt.

Declamatio hæc Hæretica, tam perniciosa, quàm pessima, non solùm parvulos, sed & quoscunque minoris ætatis viros, excludere nititur à baptismo. Sciendum est autem, & Catholicè profitendum, quia baptismus Christi à Christo sanctificationem accepit, non Christum sanctificavit. Nos verò, qui in Christo baptizamur, baptismo Christi sanctificamur: Non igitur baptismus Christi, quem, ut ipsum sanctificaret, accepit, nostro baptismati, quo sanctificamur, debuerat opponi. Christus Dominus venit ad Ioannem ut baptizaretur ab eo in Iordanem. Ioannes prohibebat eum dicens: *Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me?* Respondit autem IESUS & dixit ei: *Sine modò sic enim decet nos implere omnem iustitiam. Tunc dimisit eū.* De hoc Lucas Evangelista prosequitur ita: *Factum est autem cùm baptizaretur omnis populus, & Iesu baptizato, & orante, apertum est ei cælum, & descendit Spiritus sanctus corporali specie sicut columba in ipsum; & vox de cælo facta est: Tu es filius meus dilectus in te complacuit mihi.* Attende ergo & intellige, quia in baptismo isto manifestata est ipsa Trinitas Deus, quæ singulariter & inseparabiliter adoratur. Audis Patrem de Filio attestantem; aspicis egressum de aqua Filium, intueris Spiritum sanctum sicut columbam descendentem in ipsum. Ita quoque fit in omni baptismate Christi. Quisquis illud more debito suscipit, efficitur Filius Dei; Et vox Patris attestatur ei; *Tu es Filius meus dilectus, in te complacuit mihi:* Et Spiritus Dei in ipsum descendit. Hæc est omnis iustitia, quam Iesus Christus adimplere venit in omni regenerato fonte salutari. Cōfutatur. G Mat. 3. 14. Luc. 3. 21 H Ibid. 22.

Aperti sunt ei cœli qui factus est in baptismo Filius Dei. Hic habet Deum Patrem, & Spiritum sanctum in se descendentem. Hoc Psalmista intuens piè decantabat dicens: *Veritas de terra orta est, & iustitia de cælo prospexit.* Veritas de terra orta est, IESUS CHRISTUS de MARIA natus est, cuius largitione mirabili iustitia de cœlo prospexit, quæ filios iniquitatis emūdatos à culpæ macula, cœlesti vestitos gratia, sicque iustificatos ad cœlum de terra perducat. Fiunt illi nova creatura, qui baptizantur in præsenti Ecclesia Matre nostra, aliquando professione sua, aliquando attestatione aliena. Parvuli quidem dum Sacramenta quæ Ps. 84. 12 Infantes baptismo iustificantur non sua fide, sed Sacramento fidei alienæ.

nesciunt

A nesciunt aliorum opere suscipiunt, per fidem Ecclesiæ Catholicæ præfatam illam de cœlo Iustitiam induunt, & membra Christi fiunt. Salvantur isti & justificantur Christi baptismate, nondum sua fide, sed Sacramento fidei alienæ.

Sic sic ille paraliticus ante Dominum IESUM à tecto demissus non fide sua, sed aliena salvatur; *ut Vidit*, inquit, *fidem illorum dixit: Fili remittuntur tibi peccata tua*: Et, *Surge, & ambula.* Sic mulier Chananea rogans pro filia, nimia importunitate sua gratiam invenit, & audire meruit: *O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut petisti.* Sic Regulus pro filio, sic vidua egit pro unico suo: sic pro surdis & mutis, & nimia infirmitate præventis fides aliena solet operari, quæ in Christo *vult omnes salvos fieri.* Ista pro parvulis utique baptizandis pauca perstrinximus, ne nihil hæreticis super hoc respondisse censemur.

*Mat.9.2.*
*Ibid.15.28.*
*Ioa.4.46*
*Luc.7.12*

## CAPUT XIII.

*Hæreticorum objectio.*

PRæterea loquuntur aliqui (tamen evitare volentes ne dicantur hæretici) quæstionem faciunt, & dicunt: In veteri Testamento legimus scriptum, *Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad justitiam.* Denique in novo subjunctum est fidei sacramentum Baptismi, ubi ait: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit.* Si ergo ex fide justificatio, & salus ex Baptismo, quid credentibus & baptizatis, justificatis & salvatis confirmatio manu facta Pontificis superapponit?

B
*Gen.15.6*
*Mar.16.16.*

Audiant isti, quia verè ad remissionem peccatorum, & ad justitiam, ad perceptionem gratiæ, & ad vitam æternam sufficit Baptismus à quibuslibet, per quoscunque, omni tempore, omni ætate, omni conditione, omni sexu, semel in Christo ritè susceptus. Ibi datur absque meritis gratia, ex gratia justitia, ex justitia vita, si statim obierit sempiterna & beata, nullaque ei reputantur in peccatum propter Baptismi remedium. Si verò post Baptismum supervixerit, qui sanctificatus per gratiam Christi à Baptismo surrexit, protinus incentiva carnis suæ sustinens, & Diaboli congressus excipiens, nisi indutus virtute ex alto stare non poterit, superatus carnis suæ concupiscentiis, & mundi illecebris, & Sathanæ tentamentis: *Nisi enim Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam.* Ad hoc Pontifex summus dator gratiarum, largitor charismatum, post ascensionem suam discipulis suis jam purificatis, jam sanctificatis, Spiritum sanctum in igne vehementer effudit. Accepto itaque spiritu principali, calore virtutis igne charismatis, illi ipsi qui antea relicto Domino fugerant, & qui arguentem extimuerat ancillam, mox in medium absque timore processerunt loquentes magnalia Dei, cum omni fiducia prædicantes verbū Dei.

*Baptizatus gratiâ absque meritis suscipit.*

C
*Tētationibus resisti non potest nisi gratia Dei.*
*Ps.126.1*

Sicut ergo Pontifex noster, summúsque Sacerdos, de sede Majestatis in discipulos suos priùs per Spiritum sanctum baptizatos, & sanctificatos, postea in igneis linguis Spiritum sanctum pleniùs effudit; ita & ii qui præeminent officio Pontificali, donāt opere cœlesti, vice IESU CHRISTI, donant filiis in Baptismo regeneratis, super eos imponentes manus, cum oratione, & signo sanctæ crucis, & unctione chrismatis spiritum sapientiæ & intellectus, spiritum consilij & fortitudinis, spiritum scientiæ & pietatis, spiritum timoris Domini. Hi sunt septem in uno lapide oculi, septem candelabra in templo Dei, septem tubæ sub manu Iosuë triumphantis, septem stellæ in ordine Pontificali: hi sunt thesauri superabundantes, hæ divitiæ præcellentes.

*Quid Pōtificis manuum impositio conferat.*
D

Dantur ista fidelibus Christi renatis lavachro salutari, fonte perenni, ope Spiritus sancti, qui ab initio superferebatur aquis, ad demonstrationem sacri baptismatis in Ecclesia Catholica ritè celebrandi. Dantur ista non baptizandis, sed postquam fuerint baptizati dantur, non à quocumque, sed manu sola Pontificis; de hoc in Actibus Apostolorum Lucas Evangelista sic ait: *Cum audissent Apostoli, qui erant Ierosolymis, quia recepit Samaria verbum Domini, miserunt ad eos Petrum & Ioannem. Qui cùm venissent, oraverunt pro ipsis ut acciperent Spiritum sanctum. Nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantùm erant in nomine Domini IESU CHRISTI. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum. Cum vidisset autem Simon, quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus sanctus, obtulit eis pecuniam, dicens Date & mihi hanc potestatem, ut cuicumque imposuero manus, accipiat Spiritum sanctum. Petrus autem dixit ad eum: Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri.* De Simone Mago isto Apostata facto, Lucas meminit ita dicens: *Cum in Samaria credidissent Philippo evangelizanti de regno Dei, & in nomine IESU-CHRISTI baptizabantur viri ac mulieres: tunc Simon & ipse credidit, & cum baptizatus esset, adhærebat Philippo.* Philippus autem non Apostolus, sed Levita de septem erat unus, quibus Apostoli orantes imposuerunt manus. *Videns* itaque Simon Magus per Philippum *signa, & virtutes maximas fieri, stupens admirabatur.* Denique videns Apostolos Petrum & Ioannem dare Spiritum sanctum per orationem, & manus impositionem, ambitione nimia concupivit hanc præcellentem Pontificum dignitatem, & Episcopalem celsitudinem, mediante pecunia, possidere sub obtentu rapacitatis & avaritiæ. Ex hoc Simone Simonia nomen accepit, quæ dona Dei & beneficia gratis accepta, gratis exponenda mercimonio interveniente confundit. Sed Petri potestas, sed Pontificalis auctoritas, sed fidei Catholicæ puritas, hanc in Simone pestem, & in ejus complicibus illicò perdidit, & maledictioni subjecit. Perditus est itaque Simon Magus cum suis sequacibus, quia donum Dei possidere voluit, pecunia interveniente, ut quod emerat, posset aliis vendere. Perdantur & isti qui nunc obloquuntur heretici, dicentes inane & superfluum esse, quod post perceptionem sacri baptismatis confirmantur ab Episcopo fideles Christi.

*Act.8.14*
E
*Ibid.13.*

Ideo namque missi sunt in Samariam ab Ierosolymis Petrus, & Ioannes ab Apostolis, ut eos qui a Philippo Evangelista fuerant baptizati, confirmarent authoritate Pontificali super eos orantes, eisque manus imponentes, ut Spiritum sanctum acciperent. Datus est ibi Spiritus sanctus non ad emundationem peccatorum, & sanctificationem, quam in Baptismo susceperant, sed ut contra rediviva carnis peccata, contra mundi hujus oblectamenta, contra Sathanæ dira certamina, acciperent divinam, & insuperabilem gratiam septiformem sapientiæ intellectus, consilij, fortitudinis, scientiæ, pietatis, timoris Domini. His indutus atque munitus quisquis in Christo renatus, ubique securus undecunque lacessitus victor egreditur; huic victori corona debetur, huic triumphanti gloria præparatur. Fit itaque omnis in Christo baptizatus, ut oratione Pontificis, & manus impositione, cœlestis unctione chrismatis consignetur, & sic virtute ex alto suscepta victor ubique proficiat, & pro chrismate regali in perpetuum nomine Christiano præfulgeat.

F
G

## CAPUT XIV.

TAlibus, dum in præsenti vivitur, necesse est ut vitalis refectio præparetur, panis vitæ, calix benedictionis æternæ, Corpus & Sanguis summi Pontificis nostri IESU-CHRISTI. Hoc autem omnino necesse est, nec alicui Christiano à participatione tanti mysterij abstinere licitum est. Huic Dominus ait: *Nisi manducaveritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat*, inquit, *carnem meam, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam. Caro enim mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* Denique in cœna Paschali, de veteri novum, de terreno divinum, panem vivum discipulis suis dedit. Hinc Matthæus ait: *Cœnantibus autem illis, accepit IESUS panem, benedixit ac fregit, deditque discipulis suis, & ait: Accipite & manducate, hoc est corpus meum. Et accipiens calicem gratias egit, & dedit illis dicens Bibite ex hoc omnes: Hic est enim Sanguis meus novi Testamenti, qui multis effundetur in remissionem peccatorum.*

H
*Corporis & Sanguinis Christi necessaria est perceptio*
*Ioa 6.54*
*Ibid.55.*
*Ibid 56.*
*Mat.26.26.*

A Ex hac communione Christo unimur. *Ioan. 6. 55. Luc 22. 19.*

Ex hac communione veri Corporis & Sanguinis IESV-CHRISTI, & nos IESV-CHRISTO, & IESVS-CHRISTVS nobis unitate fœderamur inenarrabili, sicut ipse dicit: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo.* Noster iste summus Pontifex inter discipulos vivus & integer erat, suisque manibus Corpus & Sanguinem suum dabat: *Hoc*, inquit, *facite in meam commemorationem.*

Verè corpus Christi in altaris sacramento.

Ex hac ergo Institutione, & præcepto, in altari dominico, & ore Sacerdotum & manibus ipsum Corpus, ipse Sanguis Christi conficitur: non incipit, non nascitur, sed quod totum manet in dextera Dei Patris, totum est in manu Sacerdotis, totum in ore sumentis, unū in multis, idem in diversis. Munus hoc inæstimabile, donum hoc incomparabile datum est universali Ecclesiæ matri nostræ in illo sacro convivio Paschalis cœnæ. Frustra igitur proditor Iudas Dominum IESVM Iudæis vendebat, quem largitione divina sub æterno munere mater Ecclesia semper habendum susceperat. Frustrati sunt ergo & ille vendens proditor, & perfidus emptor: *Vicit enim Leo de tribu Iuda, radix David lapis excisus de monte sine manibus.* (*Apoc. 5. 5. Dan. 2. 34.*) B Deus & homo, de Virgine natus, ex humano genere sine manibus, absque carnis amplexibus, Deus & homo unus I. CHRISTVS, per omnia nobis absque peccato similis factus, pro nobis hostia salutaris, reconciliatio generalis, oblatus in cruce Deo Patri, fideles suos pariter omnes tam defunctos, quàm viventes à peccato redemit, à reatu purgavit, à pœna gratanter absolvit. Patriarchas & Prophetas, & quoscunq; titulo fidei præsignatos à mundi exordio, Christus IESVS Pontifex noster & Sacerdos, ab inferis sua morte redemptos eduxit, resurgendo levavit, ascendendo glorificavit.

Christus in defunctos ac viventes redemit.

Sedens itaque ad dexteram Dei Patris seipsum absque detrimenti perpessione, absq; omnimoda detritione donat in altari, per officium Sacerdotis, viventibus suis fidelibus in remissionem peccatorum, defunctis sanctis, vel intra Ecclesiam absolutis, in expiationem pœnarum, & utrisq; in vitæ perennis alimentum. *Ego*, inquit, *sum panis vivus qui de cœlo descendi: si quis manducaverit ex hoc pane vivet in æternum.* Et, *panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita.* Hæc est viva hostia, quam Dominus noster IESVS-CHRISTVS & ipse Deo Patri pro nobis obtulit, & more debito offerre mandavit. C *Hoc*, inquit, *facite in meam commemorationem.* In ejus equidem commemorationem hoc ipsum facimus, dum quemadmodum & ipse fecit, & nos facere præcepit, pro defunctis fidelibus, vel adhuc in præsenti degentibus, in ara Dominica quotidie ipsum immolamus. In omni namq. Missa quam facimus, agnum, qui semper vivit, qui tollit peccata mundi, & immolando sumimus, & sumptum non consumimus. *Ego sum*, inquit *panis vitæ, &c. Ego sum panis vivus, non sicut manna in deserto*, quod calorem Solis ferre non poterat, quod in Sabbato non apparebat, de quo dicit: *Patres vestri manducaverunt in deserto manna, & mortui sunt.* Patres mali, patres increduli, & corpore & anima pariter mortui. Non erat eis remedium contra mortem manna comestum. Vera enim & sola contra mortem medicina, qui ait: *Ego sum resurrectio & vita. Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem habet vitam æternam. Amen.* D

Absque detrimento à dextera Patris se donat in altari. *Ioan 6. 51. Ibid. 52. Luc. 22. 19. Ioan. 6. 48. Ibid. Ioan. 11. 25. Ibid. 6. 55.*

# LIBER SECVNDVS.

## CAPVT PRIMVM.

SAthana sæviente contra veritatem fidei Catholicæ lux vera procedit, & Spiritus sancti gratiâ clarior innotescit, loquitur veritas, mendacium cadit. Fiunt sacramenta, peccatum deficit. Fons patens in domo David toto orbe diffunditur, baptizantur homines & salvantur. Cœli aperti sunt & virtutes operantur. Desponsatur Ecclesia Christo, induitur virtute ex alto. E Episcopi sponsalia præparant, & septiformis gratiæ Spiritum donant. Regali chrismate signatur Ecclesia, stat Regina à dextris sponsi in veste deaurata, charitatis splendore corusca. Huic autem sponsæ tam illustri, tam speciosæ, paratur cœna Paschalis in aula sapientiæ; ibi vitulus saginatus integer, & perfectus agnus anniculus, plenus, & immaculatus cum omni suavitate, dulcissimo sapore, gratissima dilectione percipitur. Cibus iste non terrenus, sed super-cœlestis esse dignoscitur, ex eo, & per eum, & in ipso vita, & æternitas, & beatitudo percipitur. Est enim cibus iste non transitorius, sed quotidianus, sed sempiternus, semper totus, semper vivus: isto vivunt Angeli in cœlis, & beati sunt, isto vivunt homines in terris, & sancti sunt.

Quàm eximius corporis Christi cibus.

Est namque cibus iste verbum non transitorium, sed æternum, non mutabile, sed idipsum apud Deum Deus Verbum, apud nos Verbum caro factum, & habitavit in nobis. *Et vidimus*, inquit, *gloriam eius, gloriam quasi unigeniti à Patre plenum gratiâ & veritatis.* Et, *Nos de plenitudine eius omnes accepimus.* Omnes videlicet Episcopi, Diaconi, Subdiaconi, Acolyti, Exorcistæ, Lectores, Ostiarij, & cæteri sub corona Clericali: F Principes quoque & potestates hujus terreni moderaminis, & reliqui nomine Christiano signati.

*Ioan. 1. 14. Ibid. 17.* Explicantur Ordines sacri.

Episcopi toto terrarum orbe dispositi funguntur vice Christi, & principaliter ædificant domum Dei. Sicut enim summus Pontifex & universalis Episcopus noster IESVS-CHRISTVS, ex omnibus discipulis suis elegit duodecim, quos cæteris præferens Apostolos nominavit, quos etsi puros homines, sui tamen officij fecit esse consortes, & divinæ magnificentiæ compotes: ista quoque ipsorum in Episcopali gratia successores præsules sive Pontifices excellentia singulari præminere fecit, ut more Apostolico Sanctum decent Spiritum his, qui ritè manus imponunt. Qui autem ordine censentur inferiori, ut Presbyteri, Diacones, & cæteri gradu Canonico in Ecclesia promoti, habent utique Spiritum sanctum, quo bene vivunt, & in Ecclesia Dei pro officio piè deserviunt, sed aliis quem acceperunt sanctum dare Spiritum manus impositione non possunt. G Soli hoc Episcopi à Domino speciali prærogativa susceperunt, quod præcellenti opere, ipsum quem habent Spiritum sanctum, ipso donante qui dedit, donant & aliis, quibus ex officio Pontificali, fusis precibus ad Dominum, piè manus imponunt.

Episcopalis ordo. Spiritum sanctum soli Episcopi non Presbyteri conferunt.

Mirandum quippe miraculum omni veneratione dignum, non tamen novum, non quidem est insolitum, sic nempè olim Dominum egisse legimus, de Moysi Spiritu in libro Numeri: *Et dixit Dominus ad Moysem: Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israel, & duces eos ad ostium tabernaculi fœderis, faciésque ibi stare tecum, ut descendam, & loquar tibi, & auferam de Spiritu tuo, tradámque eis ut sustentent tecum onus populi, & non tu solus graveris. Venit igitur Moyses, & narravit populo verba Domini, congregans septuaginta viros de senioribus Israel, quos stare fecit circa Tabernaculum: Descenditque Dominus per nubem, & locutus est ad eum auferens de Spiritu qui erat in Moyse, & dans septuaginta viris. Cumque requievisset Spiritus in eis, prophetaverunt, nec ultra cessaverunt.* H Solus quippe Moyses sanctum acceperat Spiritum, quo regere poterat commissum sibi à Domino populum. Ipsum itaque Moysi Spiritum, non humanum esse sentias, sed divinum: Deus enim erat Spiritus quem à Domino Moyses habuit, quem à Moyse sumptum mentibus aliorum Dominus infudit: erat quidem in Moyse Spiritus Domini, qui & datus est aliis, quos more divino replevit, totus in Moyse, totus in illis. Moyses in hunc Spiritum fatetur esse divinum, ubi mox respondit, dicens: *Quis tribuat ut omnis populus prophetet, & det eis Dominus Spiritum suum.* Ipse etiam Moyses Pontifex & Sacerdos Domini, super Iosuë ministrum suum

*Num. 11. 16.* Moyses figura Pontificū. Accepit ac tribuit Spiritum sanctum. *Num. 11. 29.*

manus

A *Deut. 34. 9.* manus imposuit, eiq; Spiritum sanctum dedit. In Deuteron. legis: *Iosue verò filius Nun, repletus est Spiritu sapientiæ, quia Moyses posuit super eum manus suas, & obedierunt ei filij Israel, feceruntq; sicut præcepit Dominus Moysi.* Iste est Moyses qui Aaron primò sub lege Pontificem, & filios ejus consecravit, eisque Spiritum sanctum ad agenda divina mysteria Pontifex ipse & Sacerdos mirificè dedit. De ejus Sacerdotio Psalmista *Ps. 98. 6.* sic ait: *Moyses & Aaron in Sacerdotibus eius, & Samuel inter eos qui invocant nomen eius.*

*4. Reg. 2. 9. Ibid. 10.* Helias quoque, si bene recolo, non solummodò Spiritum sanctum habuit, sed etiam Helisæo dedit: *Oro*, inquit, Helisæus Heliæ, *oro ut Spiritus tuus duplex fiat in me.* At ille: *si videris*, inquit *quando tollar à te, erit quod petisti.* Ad hoc Helisæus perstitit, vidit, & accepit. Proinde filij Prophetarum ita dixerunt: *Requievit Spiritus Heliæ super Helisæum*: *Ibid. 15.* Vnde & Helisæo sicut prius Heliæ subditi permanserunt.

B *Gal. 4. 4.* Vbi autem venit plenitudo temporis, in qua misit Deus filium suum Pontificem, & Episcopum secundum ordinem Melchisedech in æternum, effusa est à sede majestatis superabundans, & largiflua septiformis gratia Spiritus sancti, ex quo Pontificalis authoritas, & Episcopalis dignitas plenius excrevit. Hinc Petro ait: *Mat. 16. 18.* *Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Est enim & Petrus in ea & ipsa in Petro, Episcopus in Ecclesia, & Ecclesia in Episcopo. Est Episcopus Ecclesiæ fundamentum, quia per Episcopum habet Ecclesia Spiritum sanctum. *Episcopus Ecclesiæ fundamentum. Episcoporum munia.* Est Episcopi conficere chrisma sacrum, oleum sanctum, oleum infirmorum, consecrare Basilicas Dei & altaria, calicem & corporalia, Officiales & eorum vestes, & omnia Ecclesiæ instrumenta. Baptizatos confirmare, Cæsares & Reges sacrare. De petra ista, super quam fundata est mater Ecclesia, sub Pastorali virga bis percussa, ad amorem Dei & proximi excitata, fluunt aquæ largissimè, aquæ salutares, aquæ vivæ: *Ioan. 4. 13. Eiusd. 7. 39.* *qui biberit*, inquit, *aquam, quam ego dabo, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Et alibi: *Qui in me credit flumina de ventre eius fluent aquæ vivæ: hoc autem dicit de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum. Cùm*, inquit, *venerit Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* *Item 16. 13.*

C Quod itaque non potest solus homo scire sensu suo, potest homo plenus Spiritu sancto, secundum hoc ait: *Item 15. 15.* *Omnia quæcunque audivi à Patre meo, nota feci vobis.* Nota in Spiritu veritatis, nota in plenitudine charitatis. Talibus *datum est nosse mysterium regni Dei.* *Mar. 4. 11.* Ne quis autem præsumat eos non audire, vel eorum præcepta cassare, dixit: *Luc. 10. 16. Mat. 10. 20.* *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit: qui autem me spernit, spernit eum qui misit me.* Et alibi: *Non*, inquit, *vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.*

Habentes igitur à Domino Spiritum veritatis scientes mysteria regni Dei, sicut à Domino IESV, pariter Apostoli susceperunt, sic per orbem terrarum tenenda posteris mandaverunt. Post Apostolos enim secuti sunt viri Apostolici, Pontifices & Episcopi, qui virtute cœlesti semper ædificant domum Christi quam sustentant septem columnis. Septem enim sunt gradus illi perutiles & necessarij, ad sustentandam & conservandam domum Dei manu Pontificis perornati gratia septiformi. D *Ordinis sacramentum 7. gradus habet.* Hi sunt secundi Ordinis viri, scilicet Presbyteri, & post ea Levitæ seu Diaconi, exinde Subdiaconi, Acolythi, Exorcistæ, Lectores, Ostiarij, pro officiis, ab Episcopo sibi delegatis. Isti si absque nutu Episcopi, vel contra Episcopum agere præsumunt, à septenario numero decidunt, à septem columnis prætaxatis resiliunt, à domo sapientiæ prolapsi pereunt. Sed his omissis cœpta teneamus, & de septem columnis Ecclesiæ Dei aliqua sub brevitate dicamus.

## CAPVT II.

*Presbyterorum potestas & officium.*

PRimùm de Presbyteris, quos Episcopi, invocato Spiritu sancto, consecrant ad conficienda Corporis & Sanguinis Domini Sacramenta, prout ipse Dominus E in cœna Paschali fecit, & fieri mandavit, fieri tantùm ab Episcopis, & Sacerdotali Presbyterio sacratis. Hujus officij præcellens potestas, & potestatis præcelsa dignitas, non Angelis, non cuilibet supernorum civium majestati collata est. Deus homo eam homini dedit, non ope humana, sed cœlesti, non acquisitione meriti, sed electione pietatis, ex dono Spiritus sancti gratanter accepti, quo consecratus ad hoc opus in Christo meruit, ut prorsus idem ipsum efficiat in altari quod Christus fecerit manibus suis in cœna Paschali. Quapropter manus illæ, manus ad hoc sacratæ, quibus Christi Corpus & Sanguis in altari sacro habet confici, manus utique sunt Christi, quibus offertur Patri Filius, qui tollit peccata mundi, & defunctos fideles liberat à pœnis, & æternæ beatitudinis participes facit.

Consecratus itaq; Sacerdos stat, vice Christi coram Patre summo Dei & hominum mediator, dum Sacramenta ineffabilia desuper apertis cœlis profert & elevat ab altari, quibus Ecclesiæ filios participes communione facit, dum à Spiritu sancto quem accepit, & pœ- F nitentibus peccata dimittit, & Deo reconciliat quos absolvit. Præfulget in hoc opere Spiritus sapientiæ, quo in eis sanctificatur nomen Patris, sicut in oratione Dominica precatur quisq; fidelis, fiuntq; pacifici, ideo- *Mat. 6. 9. Eiusd. 5. 9.* que beati censentur, *quoniam filij Dei vocabuntur.* Pacificant isti in vita præsenti Deum homini, pro ordine suo Sacramentis ritè celebratis, suisque meritis, & manibus suis cœlesti medicamine plenis.

Sciendum est itaque & omni prædicandum veneratione, quia Spiritus sapientiæ sanctificat eos Patri nostro Deo in filios, non quoscunque sed pacificos, ideóque beatos, & in præsenti sæculo, & in futuro.

## CAPVT III.

*Quod Diaconorum munus.*

POst Presbyteros autem consecrantur Levitæ seu Diaconi manus impositione Pontificis, ut in Ecclesia Dei præsto sint altari, dum in eo fiunt Sacramenta Corporis & Sanguinis Domini. Qui licet non agant ipsi consecrationem, tamen suscipiunt à consecratore dispensationem veri Corporis & Sanguinis IESV CHRISTI. De manu namque Pontificis, seu Presbyteri, suscipiunt quo se & alios munifica largitione alimento vitali, & bona Ecclesiæ sub Episcopi voluntate disponunt. G *Oculi sunt Pontificum & Presbyterorum.* Sunt oculi Pontificum & Presbyterorum, ut in quantum possunt quietem & pacem eos habere faciant, qui peragendis Sacramentis invigilant, qui docere populos, & orare quietiùs elaborant.

Præfulget in hoc opere Levitarum, seu Diaconorũ, Spiritus intellectûs, quo & Sacramenta quæ dispensant intelligunt; quo res sibi commissas piè disponunt, quo Prædicatoribus Verbi Dei pacem & quietem, removendo perturbatores, & inquietos, pro posse suo faciunt. Hi perornati castitate, & beati mundo corde, quærunt regnum Dei, dum per Diaconias suas Episcopis viam doctrinæ faciunt, & de singulis Episcopo quæ norunt, certiùs innotescunt. Et hos etiam Evangelistas esse Pontifices statuunt, & hi vices Pontificum diligenter exequi pro ordine suo satagunt.

H Hi nimia charitate sua promerentur cum Stephano videre filium hominis stantem à dextris Dei. Hi quoque in celebratione Dominicæ Missæ dum sanctum Evangelium pronunciant præsenti Ecclesiæ, respondetur eis, *Gloria tibi Domine*, consona fidelium voce.

## CAPVT IV.

*Subdiaconis quid agendũ.*

POst Diaconos autem Subdiaconi promoventur, quibus oratione præmissa, ab Episcopis cura imponitur, ut obedientes pareant Levitis, atque Presbyteris, & præparent sacrata vasa in quibus conficitur Corpus & Sanguis Christi. Præparent pro more panem, & vinum, & aquam, & vasa his convenientia: pallas quoque altaris, & * prandea, prompta sollicitudine & diligentiâ. *al.* brandea.*

Hi dum ab Episcopo consecrantur, proponitur eis sermo continentiæ & castitatis: Si verò castitatem

A

deinceps se tenere proposuerint, tunc Episcopus dat eis tenere calicem Domini in manibus suis, ut ab ea die intendant calicem Domini cum humilitate & castitate.

Apparet in hoc opere Spiritus consilij quem specialiter accipit, dum consecratur oratione Pontificis, quo suscepto servare seipsum mũdum & castum intendit, & præparare se mysteriis, & mundata præsentare vasa Sacramentis. Isti quidem de seipsis minimè præsumunt, sed voluntatem suam voluntatem Domini supponunt, & humiliter dicunt: *Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra.*

Mat. 6. 11.

Sicut in spiritualibus patribus nostris, sic & in nobis eorum filiis adhuc terrenis, adhuc decertantibus contra concupiscentias carnis. Fiunt isti misericordes ex hoc fiducialius misericordiam à Deo postulantes.

## CAPVT V.

Acolythorum officia.

POst Subdiaconos sequuntur Acolythi ab Episcopis ordinati, ut in Ecclesia Dei ferant Vrceola, Aquamanilia, Manutergia suo officio convenientia, ut ante faciẽ Evangelia præferant ipsi luminaria accensa, cerogerulis diligenter imposita; ita ut in ipsis appareat quod veræ fidei lumine, quod spei certissimæ splendore, quod charitatis ardore justitiæ regni Dei, per Evangelium declaratam, & ipsi quærant, & alios ad quærendum sui luminis exemplo commoneant; & exinde tam seipsos, quàm & alios ad percipienda Sacramenta fortiter esuriendo perducant.

B

Apparet in hoc opere Spiritus fortitudinis, quo inter procellas aëreæ potestatis, & tempestates sæculi, jam fidei lumine vivunt, jam spe proficiunt, jam charitate persistunt. Hi quoque in hoc beati sunt quia esuriunt & sitiunt justitiam, quia panem nostrum quotidianum semper vivum, semper integrum in altari Dominico piè degustant.

Mat. 5. 6

## CAPVT VI.

Quid præstant exorcistæ.

POst Acolythos Exorcistæ sequuntur, qui ab Episcopis consecrantur. Exorcistas benedictio Pontificalis Imperatores facit, non emolumenti terreni, non potentiæ carnalis, sed ex virtute Dei, qua Sathanam, & omnem nequitiam ab Energumenis, & quibúsque Dæmoniacis invocato nomine IESV, præmissa oratione facta exsufflatione, propellunt, ut ad Baptismi sacri gratiam, & ad percipienda Sacramenta pervenire valeant.

C

Apparet in hoc opere Spiritus scientiæ, ne hoc sibi attribuant, ne inde superbiant, sed sciant quid fuerint per naturam, quid meruerint per culpam, & quid ipsi ab Episcopo consecrati possint facere per gratiam. Sunt beati qui lugent suos in quibus ante fuerant à bono defectus, ad mala prolapsus, sed consolantur in Domino IESV CHRISTO, qui eos à malis eruit, & Imperatores super Sathanam, ad propellandam ejus nequitiam potenter effecit.

Ibid. 5.

Bene igitur bene isti primùm pro seipsis misericordia superna redemptis, deinde pro illis, quos potestate sibi à Deo collata eruunt à Dæmonum nequitiis, humiliantur sub potenti manu Dei, dicentes voce supplici: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* In hoc Spiritus scientiæ eis præsto est, quod licet pro officio sint Imperatores, sciunt tamen pro fragilitate sua se esse peccatores.

D

Mat. 6. 12.

## CAPVT VII.

Lectores.

POst Exorcistas Lectores ab Episcopis benedicuntur ut in Ecclesia Dei legant, jubente Episcopo, vel in præsentia sua, vel alibi legant verba veteris ac novi Testamenti, legant more solito, tempore statuto, & loco congruo, protestãtes sacras novi ac veteris instrumenti paginas, & Patrum Agiographa, in unum Dominum nostrum IESVM CHRISTVM consona, & complexa, & ea debita veneratione semper audienda, pro tempore servanda.

Apparet in hoc opere Spiritus pietatis, dum non typo superbiæ, non elatione jactantiæ, non astu maligno, non fastu hæretico præsumunt legere, audẽt exponere, sed pio intuitu, Catholico ductu, scripturas non suo sensui, imò sensum suum applicant scripturis. *Beati mites isti, quoniam possidebunt terram*, ab aquis & fluctibus maris, ab initio segregatam, hoc est solidam veritatem ab erroribus & errorum fluctibus sequestratã. Hæc ut evadant & liberi fiant, hanc ad Dominum humilem effundunt precem: *Et ne nos inducas in tentationem.*

E

Eius. 4 5

Habentes itaque Spiritum pietatis fiunt mites in pronunciatione veritatis, evitantes laqueos tentationis & proficiunt in scripturis.

Ibid. 6. 13

## CAPVT VIII.

Ostiarij.

POst lectores Ostiarios ponunt Pontifices, ut, accepta benedictione, fores Ecclesiæ diligenti cura custodiant, & fideles ad servitium Dei certis horis, sono competenti venire commoneant. Hi pro officio suo eos intromittunt quos Catholicos esse cognoscunt, non credentes excludant, quos irrisores, vel esse perturbatores sentiunt. Illos etiam valde reiiciunt, quos ab Episcopi communione privatos esse pro certo noverunt.

F

Apparet in hoc opere Spiritus timoris Domini, qui beatos pauperes spiritu facit, quo suscepto, Ostiarij à regno Dei, quod est Ecclesia Christi, secludunt malos à bonis. Hoc fieri jam in præsenti, & compleri penitus in futuro orantes, petunt à Domino, & dicunt: *Libera nos à malo.* Spiritus iste timoris Domini castum & humilem facit, & sapientiam introducit. *Initium*, inquit, *sapientiæ timor Domini.* Timor iste Domini non est servilis, non est peccati, sed charitatis, quæ libera servit. Hoc Ostiarius accipit, ut liberetur à malo, & pro paupertate spiritûs recipiat regnum Dei.

Ibid. 5 3

Ibid. 6 13

Psal. 110 10.

## CAPVT IX.

Septem Ordinũ prærogativæ.

ATtende qui legis, si habes Spiritum Dei, qui clavem scientiæ gerit, claudit, & nemo aperit, aperit, & nemo claudit; attende hos septem gradus, has septem columnas, ore sapientiæ Dei, per manus Episcopi ordine distinctas, benedictione firmatas, Sacramentis ornatas. Has septem Episcopus septem orationis precibus elevat, septem donis sancti Spiritus affirmat, septem beatitudinum honore cumulat. Prætaxatas septem preces illas IESVS-CHRISTVS edocuit plenas, & perfectas, deditque pro sua magnificentia septem sancti Spiritus dona mirifica, & septem beatitudines suis fidelibus in æternum largitur & ultra, septem istis precibus septem dona sancti Spiritus impetrantur, septem donis illis septem beatitudines acquiruntur. Fides in precibus, spes in donis, charitas in beatitudinibus pariter assignantur: in precibus studium, in donis præmium, in beatitudinibus gaudium, si piè quæris citiùs invenis. Talibus inquirendis admodum attendamus, & super has septem columnas septem dies fœliciter impleamus.

G

Fides in precibus, spes in donis, charitas in beatitudinibus, &c. Ecclesiæ Catholicæ dignitas, & quanta conferat bona.

Ecce pro septem precibus, pro septem donis, pro septem beatitudinibus verè beata es mater Ecclesia, Sacramentis plenissimè divinis uberrima in te solvuntur peccata, præstatur venia, donatur gratia. Tua quidem sunt omnia, tuus est enim qui fecit omnia. Te summa sapientia semper inhabitat, & bonis omnibus locupletat. Bona tua benevolentia præparat, charitas dispensat. Ministri tui sunt Episcopi provisores strenui, tutores fortissimi. Ex te tibi generant filios fortes & ingenuos, ex his quos approbant, eligunt, & exaltant: Ex his creant septem gradus honoris, septem columnas fortitudinis, quas septem precibus Dominicis consecrant, septem donis sancti Spiritus illustrant, septem beatitudinibus glorificant. Hæ septem columnæ & Ecclesiam Dei sustentant, & perpetuo splendore clarificant.

H

Columnas tales per Episcopos ordinari Dominus IESVS-CHRISTVS instituit, & septem gradibus designavit. Ipse etiam in seipso tenens gradus istos proposuit authoritate sua tenendos.

CAPVT

## CAPVT X.

*Septem Ordines quomodo Christus instituit. Ostiarius ipse fuit. Luc. 23. 43. Joan. 10. 9. Mat. 27. 51.*

Magnus iste noster Ostiarius & semel & iterum de templo Dei vendentes & ementes ejecit; beato Latroni in cruce pendenti, sed confitenti, sed misericordiam postulanti Paradisum aperuit. *Ego*, inquit, *sum ostium, si quis per me introierit salvabitur.* Ipse potenti virtute portas inferi cōfregit, & suos inde liberos eduxit: Tunc velum templi scissum est medium, & reserata sunt Sancta Sanctorum. Eo resurgente apertum est sepulchrum, & terra mota est, & monumenta aperta sunt, & multa corpora Sanctorū, qui dormierant, surrexerūt. Eo ascendente apertū est cœlum nunc & in æternum.

*Lector.*

Magnus quoque Lector noster Dominus IESVS semper fuit, qui Verbum Dei Deus apud Deum simul omnia loquitur, & scripsit in libro vitæ vero charactere, qui legē decreti primo homini in Paradiso dictavit. De Lectore isto Apostolus ita dicit: *Multifariè, multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, novissimè diebus istis locutus est nobis in filio, quem constituit hæredem universorum, per quem fecit & sæcula.* (*Hebr. 1. 1.*) Lector iste pro muliere in adulterio deprehensa digito in terra scribebat, & dicebat: *Qui sine peccato est vestrum, primus in eam lapidem mittat.* (*Joan. 8. 7.*) Ibi digito suo in terra scribebat, qui olim duas tabulas lapideas, digito suo scriptas, semel & iterum Moysi dederat. Huic Lectori tandem in medio Synagogæ datus est ad legendū liber Isaïæ Prophetæ, (*Luc. 4. 17.*) in eo legit, &, libro reddito, quod legerat, exposuit, & capitulum Prophetiæ manifestè in seipso, & de seipso verè dictum, & verè completum docebat.

*Exorcista.*

Magnus quoque noster Exorcista IESVS Christus extitit, qui Sathanam tumentem, & super Aquilonem regnare volentem, solo respicientis imperio virtutis funditùs obruit, qui patres nostros transgressores a Paradiso deposuit. Imperator iste noster ductus in montem excelsum, Sathanam illum tentatorem vetustum, idololatram primum propulit, & dixit: *Vade retro Sathana, scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* (*Mat. 4. 10.*) Dæmones etiam illos, quibus nomen erat Legio & in porcos misit. Opera quidem hujusmodi quam multa invenis, cùm Evangelia perlegis.

*Acolythus. Gen. 1. 3. Joan 8. 12. Ejusd. 1. 9.*

Magnus vero noster Acolythus erat IESVS Christus, ubi ait: *Fiat lux, & factam lucem divisit à tenebris*; & de se ipso dicit: *Ego sum lux mundi.* Lux ista, lux est vera, de qua sic ait Evangelista: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Acolythus iste in columna ignis filios Israël ab Ægypto usq; in terram promissionis mirificè perduxit. His etiā quos in carne veniens illuminabat, ita dicit: *Ambulate dum lucem habetis.* (*Ejusd. 12. 35.*) Et, *sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.* (*Mat. 5. 16.*) Super hoc noster Acolythus ita præcipit: *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris.* (*Luc. 12. 35.*)

*Subdiaconus. Deut. 2. 7. 3. Reg. 17. 3. 15. Joan. 2. 1. Ejusd. 13. 5.*

Magnus insuper Subdiaconus noster IESVS Christus, omnium potentissimus; filiis Israël in deserto per quadraginta annos manna de cœlo præsentavit. In torrente Carith pavit Heliam multo tempore pane & carne, corvo ministrante. In Cana Galilææ, aquis in vinum versis, convivas lætificavit. In cœna Paschali aquam misit in pelvim, & pedes discipulorum Subdiaconus humiliter lavit, & linteo quo erat præcinctus extersit.

*Diaconus. Sap. 8. 1.*

Magnus idē Diaconus noster IESVS-CHRISTVS, qui *attingit à fine usq; ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter.* Ipse disposuit manū Moysi & ritus sacrorum, & officia ministrorū. Qui sub moribus naturæ, sub legis moderamine, sub remedio gratiæ, sub initio mūdi usq; ad finem sæculi, Ecclesiam suam mira dispensatione producit. Ipse Levita mirificus in cœna Paschali, ut de veteri novum faceret, ut ex figuris veritas appareret, semper vivam proposuit escā. Ipse quidem in cruce positus matrem suam, & discipulum quem diligebat, sub charitatis cura piè disponebat, dicēs: *Mulier, ecce filius tuus.* (*Joan. 19. 27.*) Ad discipulum autem: *Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in suam.* Filius in matrem à Levita summo sibi delegatam. De hoc discipulo respondit Dominus Petro, dicens post resurrectionem suam: *Sic eum volo manere donec veniam.* (*Ejusd. 21. 23.*)

*Presbyter.*

Magnus Presbyter noster IESVS-CHRISTVS, qui corpus & sanginem suum propriis manibus suis, de pane & calice, in illo sacro convivio fecit, & discipulis suis sumenda tradidit, absque omni ambiguitate, simplici veritate. *Hoc est*, inquit, *corpus meum, quod pro vobis tradetur. Hic est sanguis meus qui pro vobis fundetur. Hoc facite in meam commemorationem.* (*Mat. 26. 26. Mar. 14. 22. Luc. 22. 19.*) De hoc Sacramento corporis & sanguinis sui, & de omnibus Ecclesiæ Sacramentis, eorúmque ministris discipulos suos plene perdocuit: discipuli sicut à Domino susceperunt, sic & suis tenenda dederunt, & posteris pari forma jugiter observanda mandaverunt.

*Pontifex.*

Magnus iste Pontifex & Episcopus noster, passus in cruce pro mundi salute, seipsum pro nobis obtulit Deo Patri hostiam sanctam, vivam, plenam, & perfectam, affigens cruci nostræ chirographum damnationis, delens in ea nostra omnium peccata, tam ex origine traducta, quàm propria voluntate superapposita: Ejus Sacerdotium ab æterno permanet in æternum. Hic ab initio mundi, simul creatis omnibus & completis, præsulatu supereminenti benedictionem dedit, & sanctificavit diem suæ quietis, in quo semper apud semetipsū ab omni opere quod fecit, ineffabili perpetuitate quiescit. Ad hanc suæ quietis beatitudinē, novem illos supernorum civiū ordines, Sathana cum suis ejecto, Pontifex pius charitatis manibus elevavit, & nos miseros peccatis sordidos, criminibus fœdos, ineffabili miseratione respexit. Ipse quidem ad nostras tenebras lux vera descendit, missus a Patre Deus homo factus de Virgine, semen Abrahæ datus ex promissione, in quo benedicuntur omnes gentes in plenitudine sine fine.

Summus iste Sacerdos omnia peccata nostra tulit in corpore suo. Super hoc Isaias: *Vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.* Unde & per eundem Prophetam Pater Deus de Filio suo sic attestatur: *Propter scelus populi mei percussi eum.* Et Propheta: *Dominus posuit in eo iniquitatem omnium nostrum. Disciplina pacis nostræ super eum, & livore ejus sanati sumus.* (*Ibid. 8. Ibid. 6. Ibid. 5.*) Et ipse Pastor bonus in Evangelio dicit: *Ego pono animam meam pro ovibus meis.* (*Joan. 10. 15.*) De hoc alibi: *Potestatem*, inquit, *habeo ponendi animam meam, & iterū sumendi eam.* (*Ibid. 18.*) Posuit eam non pro se, sed pro nobis in cruce moriens; iterū eam sumpsit à morte resurgēs, prout voluit ita fecit. *Cum enim in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est*, ut ait Apost. *esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo. Humiliavit semetipsum factus obediens usq; ad mortem, mortem autem crucis; propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen: ut in nomine IESV omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus IESVS-CHRISTVS in gloria est Dei Patris.* (*Phil. 2.*)

Ex hoc cernimus adimpletum quod et dicitur in Canticis Canticorum: *Unguentum effusum nomen tuum.* (*Cant.*) Salomon autem dicit: *Muscæ morientes perdunt suavitatem unguenti.* (*Eccl. 1*) Ab ortu solis usq; ad occasum, à summis cœlorum usque ad ultimas tenebras inferorum, nomen Christi ubiq; est effusum in odorem vitæ omnibus qui salvi fiunt. De hoc Psalmista canit: *Exultavit ut gigas ad currendam viam a summo cœlo egressio ejus; & occursus ejus usque ad summum ejus, nec est qui se abscondat à calore ejus.* (*Ps. 18. Ibid.*) Calor iste vivificat sanctos, exurit impios, necat hæreticos.

Itaque triumphator excelsus, & Pontifex gloriosus, à sede majestatis copiosa benedictione Spiritum sanctum effundit, & muscis morientibus, hæreticis scilicet curiosa improbitate vana quæque sectantibus, cum errorum tenebris longè latéque dispersis, & perditis, super humiles & quietos descendit unctio cœlestis,

A

ad laudem & gloriam ejusdem Domini nostri IESV-CHRISTI, cujus Regnum & Imperium, summúmque Sacerdotium permanet in æternum, & in omnia sæcula sæculorum.

# *LIBER TERTIVS.*

## CAPVT PRIMVM.

Ps. 144. 9. Quam misericors Deus. Sap. 8. 1. Genes. 1.

SVavis Dominus universis : & miserationes ejus super omnia opera ejus.* Suavis est Dominus, *attingens à fine usque ad finem fortiter, & disponens omnia suaviter.* Dixit, fiat, & factum est. Vidit factum, & bonum est. Dixit fiat, verbum est in æternitate, & factum est, processit creatura cum tempore. Vidit factum respectus est benevolentiæ conditoris : & bonum est, ecce magnificentia divini muneris. A summis usq; ad infima, si bene perspicis, vides omnia beneficiis ditata supernis. Suavis est Dominus iste, & misereri non desinit. *Qui facit solem suum oriri super bonos, & malos, & pluit super iustos & iniustos:* Sed *miserationes eius super omnia opera eius.* Opera quidem ejus dum attendis, si sapiens es, non obstupescis. Omnipotens Deus, *omnia quæcunque voluit fecit, & non est qui possit eius resistere voluntati.*

B

Mat. 5. 45. Ps. 144. 9. Ps. 113. 11. Ps. 144. 13. Luc. 1. 52.

Pacificum tenet Regnum suum, Regnum omnium sæculorum. Deponit potentes, exaltat humiles. Prævaricatores Angelos nutu solo propulit è cœlo; inobedientes primos parentes nostros deposuit à Paradiso. In Ecclesia præsentis exilij perdit à cœtu fideli vasa mendacij, auctores sceleris, defensores hæresis. In omnibus istis & super omnia ista miserationes ejus aspice præeminentissimas, & piè considera; quia ut homines fiant Dij, Deus homo fieri voluit. Miro quidem modo facit de immundis mundos, de fœdis pulchros, de indignis dignos, de peccatoribus justos, de malis bonos, de pessimis sanctos, de miseris beatos : Hæ sunt miserationes ejus super omnia opera ejus. Sub isto omnium miseratore pacifico Rege, præcellenti Pontifice, in cœlis novem ordines Angelorum pro humilitate sua charitatis implent officia, à Deo quidem mittuntur, nec ab eo separantur. Semper ei assistunt, quem semper diligunt.

C

Angelorum novem ordines.

In terris sub eo, & per eum, Pontificalis auctoritas septiformi gratia sancti Spiritus perornata, septem gradus Ministrorũ promovet in Ecclesia sub clericali corona, cum obedientiæ disciplina, ad peragenda divina Mysteria. Principes quoque & Potestates manus Altissimi benignè dispensat. De hoc Apostolus dicit: *Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Et Petrus: *Subiecti,* inquit, *estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive Regi quasi præcellenti, sive Ducibus tanquàm ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum.* Et sicut Daniel attestatur: *Altissimus dominatur in regno hominum, & cui voluerit dabit illud.* Inter omnia autem regna mundi corona Clericalis clarius elucescit, quorum vita cæteros illuminat; quorum doctrina alios ad vitam vocat, ut transitoria deserant, & æterna bona concupiscant, ut errores caveant, & Christi bono odore vivant.

Rom. 13. 2. 1. Pet. 2. 13. Dan. 4. 14.

D

Clericorũ status quam præclarus ac perfectus: Regum ac Principũ terrenorũ præponẽdus.

## CAPVT II.

DE hac corona Clericali, de hac forma regali, de hoc signo IESV CHRISTI Hæretici quæstionem faciunt, maximè illi qui à Clero deciderunt, & ad hæresim transierunt. Vnde, inquiunt, unde corona hæc accepit initium? Quid nobis coronæ huic?

Clericalem coronã impugnant hæretici. Oppugnat Catholicus.

Ad hoc non eis, quia impacatis, sed Catholicis respondemus: Redemptor sanè noster & Salvator, nos miseros peccati servitute depressos, morti addictos, Sathanæ vinculis astrictos, misericordiâ motus noster Samaritanus qui sine peccato est, pro nobis peccatum factus est, hostia pro peccato redemptor noster oblatus est, pro nobis pœnam peccati suscepit, & crucẽ pertulit in corpore suo, mortem moriẽdo destruxit magnificus triumphator portans spineam coronam in capite suo. Ex hac Domini IESV corona pro peccatis nostris, à redemptore nostro suscepta, toto mundo regnare cœpit mater nostra præsens Ecclesia, sponsa crucifixi, sub spinea corona potestates aëreas debellantis. Sub hac redemptoris nostri corona triumphat Apostolus, & clamat : *Nos autem gloriari oportet in cruce Domini nostri* IESV CHRISTI, *per quem mundus crucifixus est, & ego mundo.* De hoc regno crucifixi nostri Domini IESV responsum in Evangelio legitur : *Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* Et alibi : *Empti,* inquit *estis pretio magno, glorificate, & portate Deum in corpore vestro.*

E

Vnde Clericorum corona.

Gal. 6. 14. Luc. 24. 26. 1. Cor. 6. 20.

Antiqui quàm sæpe referunt Historiographi à victoribus superatos & captos sub corona fuisse vẽditos. Venditio talis manifestum erat indicium servilis opprobrij. Ita & noster Christus pro peccatis nostris vẽditus, & captus, in cruce sub spinea passus est corona. Hæc indebitè à Domino suscepta, debitam nobis coronam damnationis potenter effregit, & coronam victoriæ suæ, coronam gloriæ sempiternæ, nobis redemptis suis, & sanctificatis, triumphator egregius superapposuit.

Servitutis indicium corona.

F

Propterea Catholica mater Ecclesia quosdam inter se de suis fideles elegit, quibus fidei pro firmitate, pro vitæ honestate, pro splendore scientiæ, gratanter imponit similitudinem coronæ Christi, raso desuper capite, capillis in rotundum servatis, ex æquo tonsoratis. Hoc coronæ signum ad memoriam Christianæ libertatis assumptum, non passim, de electione quæsitũ, pontificali benedictione signatum, ab Apostolis sumpsit exordiũ, & toto orbe sub Apostolica auctoritate stat in Ecclesia conservatum. Corona hæc tonsuræ clericalis servatur in habitu Religionis absque macula criminis.

Cur coronam Clericis deferendã præscribit Ecclesia.

Omnes hujusmodi pro signo cœlesti, & gratia benedictionis, communi nomine vocantur Clerici, quia Dominus pars eorum est, & ipsi pars Domini prærogativa speciali pro signo sanctitatis. Ex his aliqui proprietate rejecta sua simul habent communia in unitate Canonica, tam regulares Clerici, quàm Cœnobitæ Monachi. Aliqui verò singulares nuncupati, servitio Ecclesiæ deputantur, & quia Canonicas simul in Ecclesiis, horis statutis, laudes Dei persolvunt, etiam Canonici, præbendas tamen suas dividendo partiuntur; & hi si bene vixerint meritò collaudantur, & honoribus Ecclesiasticis pro vita & scientia ritè sublimantur.

Clerici etymon.

G

Clericorum tria genera. Canonicus unde.

Omnes denique Clericali corona signatos, in quocunque habitu, si tamen Religioso, si bona conversatione decorato, Episcopalis auctoritas cùm opportunum viderit, & utile fore cognoverit, ordinat in gradibus Ecclesiasticis, & animarum curam eis imponit quamdiu in seipsis coronam Domini & moribus exaltant, & vita glorificant.

## CAPVT III.

HÆc ita diximus, quia quosdam videmus portare coronam Christi non Christo, sed sibi, & in habitu Religionis non virtutes quærere, sed quæstus facere : Non contenti suis, inhiant alienis, simulantes se non habere propria nimia ambitione sua rapiunt inconcessa. Quidam etiam rejectâ verecundiâ pervadunt jura Episcopalia, freti falsis indictionibus & perversis consuetudinibus. Insanis istis veritas contradicit: *Ne transgrediaris,* inquit, *terminos, quos posuerunt patres tui.* E contra sæviunt & terminos sibi à Patribus præfixos rapido pede transiliunt, oculos à cœlo deponunt, resurrectionem futuram, & si fateantur, nullatenus credunt: *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant;* post concupiscentias suas eunt & sibi vivunt.

H

Pravos Clericos insectatur auctor, ambitiosos maximè.

Prov. 22. 28.

Resurrectionem futuram haud credebãt hæretici.

Epicureos tales, seu vanos simulatores, ab erroribus suis revocare nemo hominum potest, qui potest omnia, solus potest. Talibus inclamat Psalmista, & dicebat : *Filij hominum usquequo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Statimque

Tit. 1. 16. Eccl. 18. 30. Psal. 4. 3.

proponit

A Ibid. 4. proponit eis cui credere, & quem debeant sequi, dicens, *Scitote quoniam mirificauit Dominus sanctum suum; Dominus exaudiet me cùm clamauero ad eum.* Sanctum illũ mirificauit Dominus Patriarchis per oracula præsignatum, Prophetis præostensum in plenitudine temporum, ex Spiritu sancto de Virgine natum, Deum & hominẽ vnum IESVM-CHRISTVM. Hunc Angeli Pastoribus: hunc stella dixit Regibus, hunc in monte sancto glorificatum vt summi Patris vnigenitum, Petrus, Iacobus & Ioannes videre meruerunt. Iste victor ab Inferis, viuens à mortuis mirificè surrexit, in seipso gloriam veræ resurrectionis præmonstrauit.

Probat resurrectionem. De hac gloria resurrectionis nostræ, de vita beatitudinis æternæ quam multi, sed infideles, dubitant, & dubitando quæritant pro vanitate sua, quod idem Psalmista pro eis clamat, & dicit ita: *Quis ostẽdit nobis bona?* Ps. 4. 6. Scimus, inquiunt, ista bona præsentia, hæc bona temporalia. Nescimus ea, quæ dicitis æterna, quæ dicitis bona, sine carentia.

Ibid. 7. B Respondit è contra Psaltes ille Propheta, exultat ad Deum dicens ita: *Signatũ est super nos lumen vultus tui Domine: dedisti lætitiam in corde meo.* Secundum lumen vultus sui Deus hominem ad imaginem & similitudinẽ suam fecit. Homo imago Dei qui. Habet homo pro imagine Dei æternitatem, pro similitudine Dei beatitudinem. Hoc vtrumque bonum æternitatis & beatitudinis dedit Deus homini, quẽ Gen. 26. ad imaginem & similitudinem suam fecit. Hoc hominis bonum insigne & præcipuum fecit Deus, qui est lumen Ioan. 1. 9. verum, quod *illuminat omnem hominem venientẽ in hunc mundum.* Vnde bene concinit Psaltes ille dicens: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Ps. 4. 7.

Pro imagine quidem Dei, quam nec in malis homo perdidit, necessariò resurget in fine mundi, in resurrectione generali, vt imago respondeat suo Plasmatori, & appareat vtrum eius similitudinem, ad quam factus est, bene viuendo seruauit. Ibi miser homo, qui amissa similitudine Dei, peccati fœditatem incurrit, si surrexerit absque peccati remedio, tanquam dissimilis recedet à Deo, æterno damnatus elogio. Miser iste inuentus non in veste nuptiali, absque indumento similitudinis Dei, hoc est absque gratia charitatis, cadet à lumine vultus Domini, datus exterioribus tenebris. Miser iste dum tẽpus habuit, non quæsiuit illum, quem mirificauit Dominus sanctum suum, qui est misericordia nostra, & refugium. *Exaudiet*, inquit, *me cum clamauero ad eum:* Ibid. 4. G Sanctus itaque mirificatus noster iste, qui exaudit clamantes ad se, eósque à peccatis absoluit, à morte redimit, & per gratiam sancti Spiritus similitudinem suam reparat in eis, & resurrectionis suæ participes facit. Vnde Psalmista ita concludit: *In pace in idipsum dormiam & requiescam.* Ibid. 9. Iob. 19. 25. Hoc expectabat Beatus Iob, & dicebat: *Scio quod redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum, & rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum Saluatorem meum. Quem visurus sum ego ipse & oculi mei conspecturi sunt, & non alius. Reposita est hæc spes mea in sinu meo.* Hinc veritas in Io. 5. 28. Euangelio: *Venit hora in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filij Dei; & procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ; qui verò mala egerunt in resurrectionem Iudicij.* Ex alibi *Hæc est*, inquit *voluntas patris mei, vt omnis qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam; & ego resuscitabo eum in nouissimo die.* Ibid. 6. 39. & 40.

Si Euangelia perlegis, si Apostolos, si Prophetas inquiris, de resurrectione beata Sanctorum, de resurrectione communi omnium qui fide viuis, dubitare non poteris. Fide viuis, si tenes iustitiam fidei: Scriptum est D enim; *Iustus ex fide viuit:* Rom. 1. 17. Ex fide namque est iustitia, & ex iustitia vita. Vt igitur viuere possis, offer Deo, qui vita est, iustitiam fidei. Hæc oblatio hoc sacrificium placet ei, qui vita est, vitã tribuit. Admonet hoc Psalmista Ps. 4. 6. qui dicit: *Sacrificate sacrificium Iustitiæ.* Hoc autem sacrificium iustitiæ, quia est ex fide, sequitur spes vitæ æternæ. Ex fide iustitia, ex iustitia spes. Vnde cùm dixisset; *Sacrificate sacrificium Iustitiæ*, adiecit continuò; *Et sperate in Domino.* Ibidem. Spes ista non est inanis, non est vacua, sed completa, quia plena in Deum charitas ei omnia conseruat, & eam copiosa manu remunerat. Pro spe ista exultabat in gaudio dicens: E *Dedisti lætitiam in corde meo*, non in temporalibus, sed in Ibid. 7. Deo. Alij, inquit, *à fructu frumenti, vini, & olei sui multiplicati sunt.* Ibid. 8. In his sperantes lætantur, & pereunt. Ego autem ista prætereo, & in Deum spero. Sed quo fructu, quo præmio? Ait: *In pace in idipsum dormiã, & requiescam.* Ibid. 9. Sancta dormitio in pace, quæ semper est beata, quiescit in charitate plena quæ Deus est. Extra Deum non inueniens idipsum, si non habes idipsum, tendis in nihilum, à bono deficis, & cadis in malum.

Eapropter tu qui ad imaginem & similitudinem Dei conditus es, attende teipsum, clama ad Deum. Per fidẽ accede, offer Sacrificium Iustitiæ: renouare per sacramenta, vt his emundatus, his purificatus offeras dignè sacrificium Iustitiæ. Quod Sacrificium offerre Deo. Sic in Deo poteris sperare, poteris mutabilia transire, poteris in pace in idipsum dormire, in resurrectione beata quiescere. Ibi, tu homo, qui ad imaginem & similitudinem Dei conditus es, eris Deo similis, quia videbis eum sicuti est. Testatur hoc Euangelista Ioannes: *Similes*, inquit, *ei erimus, quia videbimus eum sicuti est.* F 1. Io. 3. Tunc similitudo Dei erit integra in hominibus Sanctis, quos ad imaginem & similitudinem suam Deus fecit. Similitudo Dei in hominibus quando integra sit. Hæc erit gloria Resurrectionis eorum omnium qui membra sunt Christi, qui dicit: *Ego sum resurrectio & vita, qui credit in me, etiam si mortuus fuerit viuet, & omnis qui viuit, & credit in me, non morietur in æternum.*

Proinde quia resurrectionem nullatenus diffiteri debent qui rationales sunt, & Deo credunt, quæstionem tamen super hoc faciunt, & ita proponunt. Quæ resurrectioni obiicit hæreticus dilui[tur]. Videmus hominum corpora aliquando scissa, & distracta, vel à bestiis, & auibus asportata, & deuorata, insuper & in puluerem redacta, quandoque & in aërem exsufflata, nullatenus ista recolligi possunt, ideóque recompaginari nequeunt, & ipsa eadem mortuorum corpora minimè resurrectura sunt. Respondemus & incunctanter dicimus: Si resurrectio humanorum corporum fieret hominis opere, vel cuiuslibet creaturæ, possent ista, & his similia, patenter opponi, nec facile solui, sed rectè credimus, & verè fatemur; quia manus Domini, manus Omnipotẽs, omnia colligit, & nulla perdit, omnia continet, & extra se nihil quærit. Humana itaque corpora quantumcunque dispersa tenet simul omnia, nouit singula, & ea in momento, in ictu oculi, prout vult, reparat vniuersa. Non est ergo quærendum, quare, vel quando humana corpora condidit, nec qualiter, vel vbi ea in resurrectione reparabit; quia omnia simul & singula pro Omnipotentia, pro plena scientia, pro voluntate quieta disponit, ordinat, producit, & nutu suo tenet vniuersa.

## CAPVT IV.

IN eius manu tenentur omnia cœlestia & terrena, spiritualia & corporalia, bona pariter & mala: bona pro conditore, pro natura, pro gratia. Mala pro defectu, pro negligentia, pro nequitia. Et miro modo ipsa quæ dicimus mala, benè sunt disposita sibi pessima, bonis vtilia, summa dictante sapientia, quæ Ecclesiam suam posuit inter mala, prouehit inter scandala, leuat inter Aduersa quatit Ecclesiam. aduersa: *Super maria fundauit eam, & super flumina præparauit eam.* Ps. 23. Vt Arcã in diluuio, vt Israël in mari rubro, vt tres pueros in igne Babylonico: Ita quoque sunt in Ecclesia Dei Virgines, sunt continentes, sunt & coniuges. In ea diuersi status. Virgines, Continentes, Coniugati. Virgines pro integritatis gratia gloriantur, Continentes pro certamine victorioso lætantur; Coniuges G pro sacri connubij remedio consolantur; Coniugalis quippe castitas sub benedictione Sacerdotis, remedium est contra incentiua carnis, contra libidinem fornicationis. Est autem in coniugio fides, quæ thalamũ seruat, ne iste cum alia, nec cum alio illa. Inde proles honesta suscipitur, decora seruatur, hæreditaria benedictione ditatur.

Est etiam in coniugio Sacramentum, si singulare manserit, quod est vnum. Matrimonij Sacramentum. Sacramentum hoc, dicit Apostolus, quia *magnum est in Christo & in Ecclesia*, vnitate Eph. 5. singulari atque perpetua. Coniugium namque Christi

A

& Ecclesiæ vnum, & singulare, cœpit quiden ex tempore, sed permanet in æternitate. Ab exordio rerum, ab origine temporum, formata legitur mulier de viri costa; vnde & virago est appellata. *Hoc nunc*, inquit, *os de ossibus meis, & caro de carne mea. Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem suam, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.* Data est in Paradiso lex ista coniugij, quæ extra Paradisum etiam post peccatum rata permansit. Pro lege ista tempore diluuij bina & bina, masculum & fœminam de animantibus Dominus in Arca seruauit. Iustus Noë Rex Arcæ, ibi cum vxore sua fuit, & tres eius filij cum singulis vxoribus suis. Simplex coniugium in Paradiso statutum est, simplex coniugium in Arca diluuij seruatum est.

*Gen. 2. 23.*

Lex ista coniugij, tam iusta, tam sancta est, vt etiam ipse mundi Conditor, ipse humani generis Redemptor, cùm caro fieret de carne Virginis, non ex Virgine simplici, sed ex sponsata concipi, & nasci voluerit. Idem ipse in Cana Galileæ miraculo facto de aquis in vina conuersis, nuptias consecrauit. De hoc sacro Coniugij vinculo postmodum ipse præcipit dicens: *Quod Deus coniunxit, homo non separet.* Huius sanctionem Coniugij diuinitùs instituti in paradiso, seruati in diluuio tenet Ecclesia sub Christo.

*Io. 2. 1.*

B

*Mat. 19. 6.*

Quoties verò decedente altero, more debito coniugium fuerit iteratum, semper quidem est bonum si fuerit vnum. Sed pro iteratione iam non est singulare nec habet Sacramentum cœlestis coniugij vnius & singularis, quo Christus iunctus est Ecclesiæ perpetua stabilitate. Quisquis itaque iterando coniugium de vnitate transit ad numerum; de singulari ad plurimum, iam non in se repræsentat sacrosanctum Christi & Ecclesiæ coniugium, quod singulare permanet in æternum. Eapropter homo iterati coniugij exinde non habet promoueri in gradibus Ecclesiasticis, nec Episcopus consecrari. Attamen eius coniugium quotiescumque compari decedente fuerit iteratum, si legitimè contractum, reputatur bonum; tenetur honestum. Istam coniugij honestatem illi siquidem non tenent, qui mulieres absque lege Coniugij suo consociant lateri. Super hoc Ecclesia eos arguit, & authoritate qua præeminet, indicit, quatenus aut fornicarias tales amoueant, aut easdem si licuerit, vel alias, legitima traductione coniugij, Christiano more, suscipiãt. Ecclesia Christi fornicarios abiicit, impudicos percutit, incestuosos euertit; honorat Coniuges, amat Continentes, exaltat Virgines.

*Cõiugiũ iterãdò celebratũ haud Christi veritatem cum Ecclesia signat.*

C

E contra stant Hæretici, resistunt Ecclesiæ, nolunt audire, nolunt adquiescere, tenent secum mulierculas vndecunque conductas, non sub debito consanguinitatis, sed sub contubernio priuatæ libidinis. Dicunt se communem in domiciliis suis vitam ducere, & more Apostolico secum mulieres habere. Proponunt quia Paulus ait: *Nunquid non habeo potestatem circumducendi mulieres, sicut Cephas & Alij Apostoli.* Igitur & nos formam Apostolicæ vitæ seruamus, qui mulieres non abiicimus, qui in eodem domicilio, in eadem mensa ea nobiscum licitè colligimus.

*Contra luxuriosos contendentes sibi mulierculis fornicari commungi licere.*

*1. Cor. 9. 5.*

Sed his taliter obloquentibus, & suæ latebras incõtinentiæ, falsitatis vmbra tegentibus, respondent Catholici, protestantur Episcopi dicentes: Apostoli Domini nostri IESV CHRISTI, eiusque discipuli sanctas mulieres illas quas ante conuersionem suam legitimè susceperant, & coniugali vinculo decenter habuerunt, eas quoque postquam Discipuli Domini facti sunt, debita procuratione seruabant; ita vt de vxoribus sorores fierent, & religiosa deuotione non carni, sed Domino deseruirent; & illas nimirum quæ eorũ matres, aut filiæ, vel huiusmodi fuerant iusta deliberatione retinebant, & sanctæ illæ, quæ de Galilæa venerant, Domino de suis aliquando ministrabant. Vos itaque si, vt prætenditis Apostolos & in hoc sequi, & sanctos cuiuscunque temporis imitari satagitis, à modo mulieres illæ, quas vobiscum facitis habitare, sint sponsæ vestræ sub Sacerdotali benedictione, publica attestatione: sint etiam vobiscum, si placet, & illæ, quas pro sanguinitatis linea debetis honorare, & irreprehensibili cura protegere, absque fornicationis dedecore, vel incestuosa fœditate.

*Quas mulieres circumducebãt Apostoli?*

D

*Qualis cum mulieribus habitatio sit concessa.*

E

Sic itaque pro Christiana consuetudine mulieres vobiscum, si libet, habetote, aut legitimè desponsatas, aut consanguinitate proxima, in conuersatione sancta, vt si quando mater Ecclesia aliquos ex vobis elegerit, quos Leuitas, vel Presbyteros, siue Pontifices sublimandos adiudicauerit; hoc absque reprehensione vxores, thoro separato, manebunt vestræ sub castitatis honore sorores. Taliter agentes manebitis irreprehensibiles, honesti, & vtiles. Morem hunc tenendum in Ecclesia Patrum sanciuit auctoritas, & sancitum seruare suscepit eorum sancta posteritas.

Coniugalis sanè castitas in principio legitur instituta. Opera verò coniugij post peccatum, & extra paradisum nouimus insecuta. Eiectis namque de Paradiso primis parentibus nostris, legimus quia Adam cognouit vxorem suam; factique sunt duo in carne vna. Copula siquidem ista duorũ in carne vna, si absque coniugij remedio fuerit vsurpata, fœditas esse reputatur, & fornicatio communi nomine nuncupatur. Hoc Apostolus abhorrebat, & à tali contagio Christianum quemque reuocabat dicens: *Tollens ergo membra Christi, faciã membra meretricis? Absit.* Legitima sanè fœdera nuptiarum si ad vnitatem carnis vsque perueniunt, exinde vir, cùm in cæteris dominetur, non habet potestatem corporis sui, sed mulier. Et inuicem vir & mulier lege pari dominantur in suæ debito carnis. Porrò iudicatur vir adulter si fuerit cum alia, & mulier si cum alio fuerit iudicatur adultera: Hac de causa potest dimittere vir vxorem, & vxor virum si non teneant coniugij thorũ, nec tamen ideo solutus est vir à lege vxoris, nec vxor à lege viri, quamdiu alter eorum viuit: vnde oportet aut viro reconciliari eam, aut manere innuptam, & virum aut reconciliari suæ, aut continere. Altero eorum defuncto, qui superuixerit, nubat cui voluerit, tantùm in Domino.

*Gen. 4. 1.*

F

*Quid fornicatio.*

*1. Cor. 6. 15.*

*Adulterium*

Proinde si fuerit accusatum; & ordine Iudiciario comprobatum; quod in linea consanguinitatis septimo gradu, vel infra, fuerint combinati, oportet eos auctoritate Apostolicæ sedis ab inuicem separari; sicut pro cõsanguinitate generis, sic & pro affinitate consanguinitatis. Nec enim illa viri sui defuncti consanguineum potest accipere, nec ille vxoris suæ consanguineam sibi sociare.

*Consanguinitas matrimonium dirimit.*

G

## CAPVT V.

SCiendum autem quia neque Monachi, neque Canonici, nec aliqui coram Ecclesia publicè castitatem professi, coniuges possunt fieri. Quod si secus agere tentauerint, incubones reputantur, & fornicarij. Huiusmodi lapsos pro voto fracto mater Ecclesia condemnat, Pontificalis auctoritas Communione priuat. Ex his impudenter aliqui prorumpunt, & Hæreticos pro se litigantes adsciscunt, qui nobis Apostolum tumultuosa loquacitate proferunt, vbi ait. *Propter fornicationem autem vnusquisque suam vxorem habeat; & vnaquæque virum suum habeat. Vxori vir debitum reddat, similiter & vxor viro.* Et paulo post: *Dico autem non nuptis, & viduis bonum est illis si sic maneant, sicut & ego quòd si se non continent, nubant, melius est enim nubere, quam vri.* Ecce, inquiunt, ecce Apostolum, audite illum. Sic autem ab initio nouimus homines creatos à Deo, quòd masculum & fœminam fecit eos, & benedicens ait: *Crescite, & multiplicamini.* Quod vtique fit ex copula carnis. Habeat ergo propter naturæ debitum, & iuxta Apostolum vnusquisque suam, & vnaquæque suum.

*Qui castitatem vouẽre ducere nequeũt vxores.*

*Obiectant Hæretici.*

*1. Cor. 7. 2.*

*Ibid.*

*Gen. 1. 28.*

Talibus occurrunt Catholici, respondent Episcopi, ipsum Apostolum ita loquentem adducunt: *Qui*, inquit, *adhæret Domino, vnus Spiritus est.* Ac deinceps: *Volo autem vos sine sollicitudine esse: qui sine vxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum vxore est, sollicitus est quæ sunt huius mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est. Et mulier innupta, & virgo cogitat quæ Domini sunt, vt sit sancta corpore & spiritu: Quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo*

H

*Respondent Catholici.*

*1. Cor. 6. 17.*

*Ibid. 7. 32.*

placeat

A

*placeat viro. Porrò hoc ad vtilitatem vestram dico, non vt laqueum vobis iniiciam, sed ad id quod honestum est, & quod facultatem prabeat sine impedimento Domino obsequendi.* Ex his Apostoli verbis respondemus potissimùm nostris sanæ fidei non contentiosis, sed his qui exercitatos habent sensus ad capessenda quæ veritatis sunt, ad exequenda pariter omnia, quæ à Deo mandata sunt.

Doctor Gentium in fide & veritate Paulus Apostolus habet filios, quibus lacte opus est, non solido cibo, quos & in aquis vivere facit in fluctibus mundanæ cõversationis, quos modificat in operibus carnis sub lege coniugij propulsata voragine fornicationis cum immoderatæ naufragio libidinis. His dicitur vt sua omnia cũ iustitia teneant, suis contenti aliena non rapiant, de mammona iniquitatis, de transitorio & fallaci faciant amicos sibi pauperes Christi. *Praterit enim figura huius mundi. Transit mundus, & concupiscentia eius.* Hi nondũ pro Deo sua relinquentes, nondum voluntatem suam Domino devouentes, audiunt ab Apostolo, vt contra fornicationum immunditias, si se non continent, vnusquisque vxorem suam habeat, & vnaquæque virum suum habeat, vt opus eorum non imputetur ipsis in peccatum, propter coniugij sub benedictione contracti remedium, & reliqua opera sua condiat eleemosyna, regat obedientia, promoueat pietas: Proinde Apostolus Christi habet filios ex aquis mundanæ voluptatis ad superiora leuatos.

1.Cor.7.31.
1.Ioan.2.17.

B

Hi non solùm sua reliquerunt, sed etiam seipsos Domino vouerunt & cum Propheta dicunt; *Quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me.* Et, *vnam petij a Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vita mea. Vt videam voluntatẽ Domini, & visitẽ templũ eius.* Pro huiusmodi a Paulo dictũ est: *Qui adharet Domino vnus Spiritus est:* Vnus est vtique non diuisus. *Volo*, inquit, *vos sine sollicitudine esse*, non quidem sine illa quæ ad Deum est, sed sine illa quæ ad carnem est. *Qui sine vxore est*, inquit, *sollicitus est qua Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum vxore est sollicitus est qua sunt huius mundi: quomodo placeat vxori, & divisus est.* Divisus est iste, non vnus, non singulariter in spe ad Dominum erigitur, sed sub carnis opere religatur. Non centesimo honore cum Virginibus gloriatur, non sexagesima continentiæ palma lætatur; sed tricesimo coniugij labore fatigatur; &, quia legitimè coniunctus est, pro honestate coniugij laudatur.

Ps.4.10
Ps.14.4.
Ibid.5.
1.Cor 6.17.
Ibid.7.32.

C

## CAPVT VI.

TRes istos ordines Virginum, Continentium, & Coniugatorum, Ecclesia Christi suscipit, honorat & diligit. Alios autem sine virgineo decore, sine gratia cõtinentiæ, sine cõiugali venustate, notoria propalatione manifestos, seu publicè cõfessos, vel ordine iudiciario conuictos, tandem censura Pontificali anathematizat, Ecclesiæ virtus eliminat. Istis pereuntibus soli Noë, & Daniel, & Iob liberantur.

Noë si quidem præcipiente Domino centum annis Arcam fabricauit, & super vndas diluuij gubernauit, in qua de omni genere animantium in terra, seu volatiliũ per aëra, masculum & fœminam, Domino adducente, suscepit. In hac autem ædificatione diurna, in hac gubernatione tam innumera, tam multifaria, insuper etiã post diluuium trecentis quinquaginta annis genuisse non legitur, sed continens mansisse perhibetur.

Cõiugatos, Virgines, continẽtes, Noë, Daniel, & Iob repræsentant.

Daniel autem de filiis Iuda in aula Regis Babyloniorum immaculatus, & sanctus corpore & spiritu stabat coram Domino Deo suo; immensâ præ cæteris ornatus gratia, visionum mysteria & revelationum sacramenta cognoscebat, semper coram Domino quiescens in cœlibatu suo.

D

Iob magnus inter omnes Orientales, de quo Dominus ad Sathanam: *Numquid considerasti seruum meum Iob, quòd non sit ei similis in terra, homo simplex, & rectus, & timens Deum, & recedẽs à malo.* Hunc Dominus vt probaret in manu Sathanæ dedit, qui ei omnem substantiam suam abstulit, & filios & filias eius interfecit: quẽ etiam à planta pedis vsque ad verticem vlcere pessimo percussit. Super hæc omnia Domino benedicebat Iob, & exprobranti vxori respondebat: *Si bona suscepimus de manu Domini, mala autem quare non sustineamus? Dominus autem conversus est ad pœnitentiam Iob, cùm oraret pro amicis suis. Addidit quoque Iob Dominus omnia duplicia*, quæcumque ei antea fuerant, & benedixit nouissimis Iob, magis quam principio eius in substantia rerum suarum cum restitutione filiorum & filiarum.

Iob.1.8.

E

Iob 2.10
Ezech. 42.10.

Igitur Noë iustus cum universis suæ providentiæ commissis in Arca saluatur pro obedientia sua: Daniel sanctus in medio leonum esurientium viuit pro innocentia sua. Iob simplex & rectus timens Deum, & recedens à malo eripitur à Sathana, & quæ perdiderat plenius habet omnia pro pœnitentia sua. De istis tribus, per quos in Ecclesia Dei tres Ordines designantur, Virginum, Continentium, Coniugatorum coram Domino piè viventium ad Ezechielem Prophetam Dominus ita loquitur: *Fili hominis, terra cùm peccauerit mihi, vt praevaricetur, prauaricans extendam manum meam super eam, & conteram virgam panis eius, & immittam in eam famem, & interficiam de ea hominem, & iumentum: & si fuerint tres viri isti in medio eius Noë, Daniel, & Iob, ipsi in iustitia liberabunt animas suas, ait Dominus exercituum. Quòd si & bestias pessimas induxero super terram, vt vastem eam, & fuerit in via, eo quòd non sit pertransiens propter bestias: & tres viri isti fuerint in ea, viuo ego, dicit Dominus, quia nec filios, nec filias liberabunt, sed ipsi soli liberabuntur; terra autem desolabitur. Vel si gladium induxero super terram illam, & dixero gladio; transi per terram illam, & interfice de ea hominem, & iumentum, & tres viri isti fuerint in medio eius. Vivo ego, dicit ipsi liberabuntur. Si autem & pestilentiam immisero super terram illam, & effudero indignationem meam super eam in sanguinem; vt auferam ex ea hominẽ, & iumentum; & Noë, & Daniel, & Iob fuerint in medio eius: Viuo ego, dicit Dominus Deus, quia filium, & filiam non liberabunt, sed ipsi in iustitia sua liberant animas suas.*

Ezec.14.13.

F

Omnes ergo qui per istos tres designantur, per Danielem Virgines, per Noë Continentes, & per Iob Coniuges, pro sua iustitia saluantur. Cæteri hominum qui de aliquo istorum trium ordine nullatenus sunt, vel ab eis apostatando recidunt, mala imminentia atque promerita non euadunt.

H

## CAPVT VII.

REcidentes isti quia vota sua prævaricando deserunt, quia primam fidem irritam faciunt, transgressores deputantur, & si admoniti emendare contemnunt, infames fiunt. Si verò errorem defenderint, sibi nomen hæreseos adsciscunt. Occurrunt eis Ecclesiæ filij, sanam doctrinam opponunt eis, corripiunt insipientes, revocant errantes, frangunt hæreticos, perdunt desperatos. Sequuntur Apostolum dicentem: *Hareticum hominem post primam & secundam correctionem devita; sciens quia subversus est, qui eiusmodi est, & delinquit cùm sit proprio iudicio condemnatus.* Pestes huiusmodi hæretici subversi desperati quantò validius currunt, tantò profundius cadunt, quem enim non tenet veritas, erroneum protrahit falsitas. Vnum, qui Deus est, perdit, & ad infinita descendit. Pro varietate diversorum ei nulla sufficiunt, sed concurrentibus variis singula perdit. Huiusmodi præcipitia perhorrens Propheta Dominum exorabat dicens: *Non me demergat tempestas aqua, neque absorbeat me profundum, neque vrgeat super me puteus os suũ.* Aquarum tempestate demergitur quisquis ignorantiæ nebulis hebetatur: Profundo si quidem absorbetur quisquis errorem funibus implicatur. Obturato desuper puteo, mola desperationis protegitur, quisque hæresum colluuione suffocatur. Verumtamen & hi nequissimi, tam perniciosi, quàm pessimi omnipotentis manu disponuntur Opificis; comprimuntur ne faciant quãta nituntur. Tenent suum hoc maligno tempore locũ, per eos enim Ecclesia præsens crebrius excitatur, anxiata probatur, probata firmatur, firmata dominatur. Tandẽ verò malis penitus exclusis stabit Ecclesiæ Catholicæ Regnũ solidum, & peccatum toto Orbe terrarum, vsque ad

Tit.3.10
Psal 68.16.

G

Pe hæ... quid ... dat Eccle... 

A ſumma cœlorum, eritque Deus omnia in omnibus. Omnia in omnibus ſanctorum voluntatibus, omnia in virtutibus, omnia in bonis omnibus, æternitate continua, beatitudine divina. 1. Cor. 15. 59.

Iſta non attendunt homines ferè mentis intelligentiam non habentes, rebus corporeis plenius intendentes, verè ſopita ratione beſtiales. Talibus cùm nihil de fide, & ſacramentis Eccleſiæ valeat, quis vt oportuit intimare pro conſilio dicitur, vt non ſuos ſenſus, ſed Eccleſiam Dei obediendo ſequantur. Reſpondent illi, & quaſi irridentes aiunt noſtris: vos qui Eccleſiam Dei ſequendam proponitis, dicite nobis, quid eſt & vbi eſt, & quare Eccleſia Dei? Volumus, inquiunt, eam agnoſcere, & agnitam invenire, & inventam pro vtilitate, ſi qua eſt, eã cõſeruare, viſibilia quærimus & approbamus inviſibilia quoniam ignoramus, ignorata reprobamus.

Que [illegible]

Tales Chriſtianos non fide viventes, ſed quaſi mortuos abhorret mater Eccleſia, & de eis iam ferè deſperat, quæ adhuc Gentiles & Iudæos, vt convertantur ad

B Dominum, patienter expectat. Quia verò ſcriptum eſt: *Non reſpondeas ſtulto, ne ſimilis ei eſſe videaris*, prætermittimus illos, ne margaritas ponamus ante porcos: ſed noſtris piè quærentibus reſpondere compellimur. Loquatur igitur ille qui dixit: *Dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini, non enim vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri qui loquitur in vobis.* Aperiat Spiritus ſanctus ſuorũ corda fidelium, & obturet ora perfidorum, deſcendat vnctio cœleſtis, audiatur verbum veritatis.

Prov. 26. 4.

Matth. 10. [illegible] Ibid. 20.

## CAPVT VIII.

Eſt ſanè Eccleſia vera atque Catholica in vnum collecta caput & membra plena, & perfecta: ſumma Trinitas Deus vnus; Deus & homo Chriſtus vnus: vnitas fidelium in vno Spiritu vna cum Deo per vnum IESVM Chriſtum Deum & Dominum noſtrum. Huius vnitatis ineffabile myſterium, mirabile Sacramentum, cum à nobis nequeat explicari, non tamen poteſt ignorari. Summa quidem Trinitas, Deus Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, tres perſonæ, ſed vnus ita Catholicè penſatur, vt & Trinitas minimè confundatur, & vnitas

Que [illegible]

C indiviſa ſentiatur. Trinitas in vnitate permanet inconfuſa; vnitas in Trinitate ſẽper eſt indiviſa. Pater quippe ſolus Filij pater eſt, Filius ſolius Patris Filius; & Spiritus ſanctus nec ſolius Patris, nec ſolius Filij, ſed amborum vnus eſt. In hoc vno Spiritu eſſentialiter vnus eſt Pater & Filius, vnde idem Filius: *Ego & Pater vnum ſumus.* In hoc vno Spiritu manet Chriſtus Deus & homo perſonaliter vnus, temporaliter de Virgine natus.

In hoc vno Spiritu vna eſt cum Deo vnitas fidelium, vnicè collecta ex Iudæis & Gentibus, ſociata ſanctorum cœtibus Angelorum per vnũ Mediatorem IESVM-CHRISTVM: hæc è multis collecta, è pluribus vna, vni vno IESV-CHRISTO, vnicè deſponſata generat filios in vno Spiritu ſancto. Eo namque Spiritu, quo natus eſt de Virgine IESVS-CHRISTVS, eo ipſo in baptiſmate ſacro ſinguli renaſcuntur facti filij Dei: *Quia Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis.* De his in Spiritu ſancto renatis filiis Dei Filius vnigenitus ad Patrem ait: *Sicut tu Pater in me, & ego in te, & i ſi in nobis vnum ſint.* Et; *Ego charitatem quam dediſti mihi, dedi eis, vt ſint vnum, ſicut & nos vnum ſumus. Ego in eis, & tu in me, vt ſint conſummati in vnum.* O vnum ſingulare & ſummum, intra te ſunt bona omnia, extra te nulla. Vnum omni ſtudio quærendum, totis viribus tenendum, plena charitate diligendum, quiſquis per gratiam ſcire te potuit, ipſe quid ſit Eccleſia Dei certiſſimè

Ioan. 1. 14. Ioan. 17. 21. Ibid. 22.

D nouit.

Quicumque igitur hanc vnitatem neſcit, vel ab ea apoſtatando receſſit, Eccleſiam fidelium, quæ vna eſt, non habendo, bona omnia perdidit, peccato ſubditus, malis implicitus, miſeriis cumulatus, niſi eum miſericordia Dei reſpiciat, niſi eum Mediator Dei & hominum gratanter emat, niſi eum Eccleſiæ vnitas piè recolligat. Poſtmodum autem vbi ſit Eccleſia Dei non contentioſè quærunt, quod equidem ſcire poſſunt, ſi caput Eccleſiæ, qui Deus eſt, pura fide præſentiunt, qui

E eſt lumen fidelium. *Quotquot* enim *receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius, qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, ſed ex Deo nati ſunt*: facti ſunt iſti per gratiam filij Dei in ipſo ſummo angulari lapide Chriſto IESV; in quo omnis ædificatio conſtructa creſcit in Templum ſanctum in Domino; in habitaculum Dei, in Spiritu ſancto. Vt autem plenius agnoſcas, & agnitam quæras, audi veritatem ſuper hoc ad Patrem ita loquentem: *Pater quos dediſti mihi volo vt vbi ego ſum, & illi ſint mecum.* O ineffabilis gratia, benedictio copioſa, beatitudo pleniſſima! Hoc intuens Propheta Eccleſiam Dei taliter ammonebat: *Audi filia & vide, & inclina aurem tuam; & obliviſcere populum tuum, & domum patris tui: Et concupiſcet Rex decorem tuum, quoniam ipſe eſt Dominus Deus tuus:* Decorem tuum, non quem ab origine populi tui, à vetuſta domo patris tui, ſed quem apud Deum facta filia per gratiam inveniſti; quæ Sacramentis dealbata, quæ ſeptiformi Spiritus ſancti lumine decorata, quæ pane vitæ ſatiata videre Deum Deorum in Sion ſine fine feſtinas. Ad hanc Apoſtolus intendebat dicens: *Noſtra converſatio in cœlis eſt*, illuc vſque filia Regis iam fide pergit, ſpe conſcendit, charitate quieſcit.

Ioan. 1. 12. Eph. 2. 21. & 22. Ioan. 17. 24. Pſ. 44. 12.

F

Philip. 3. 20.

Eccleſia igitur cum Deo in vno Spiritu ſociatur, pennis virtutum univerſa tranſgreditur, aurâ charitatis eleuata Patrem in Filio, Filium in Patre, Spiritum ſanctum in vtroque quieſcendo diligit, diligendo quieſcit. Quies iſta ibi eſt, vnde Filius ait: *Pater quos dediſti mihi volo vt vbi ſum ego, & illi ſint mecum.* Vbi es tu Fili Dei Patris, Verbum Dei, Deus Verbum apud Deum, vita omnium, lux hominum; Verbum caro factum, noſtra Redemptio, ſalus & beatitudo? *Ego*, inquit, *in Patre, & Pater in me eſt.* Quod vtique eſſentialiter eſt; vnus enim amborum Spiritus coæternus & coeſſentialiter eſt. Teſtatur enim ſacra ſcriptura, quia, peractis omnibus in principio ſimul, requieuit Deus in die non habente veſpere & mane, in die ſeptima benedicta, & ſanctificata; quia *requieuit* in ea *ab omni opere ſuo quod patrarat* Operator iſte mirificus, nec labore fatigatus, nec requie releuatus, prout omnia fecit, & ab omnibus quorum nullo eguit in ſe ipſo quieuit. Manet hic immotus, nullo ſuſtentatus, nullo adiutus quieſcens agit, agendo quieſcit. Nihil debet alicui, ſed omnia debent ei per quem ſunt omnia, & ſubſiſtunt univerſa. Ad hanc Domini requiem feſtinat Eccleſia ſanctorum, vt a tempeſtate malorum, à poteſtate tenebrarum, ad ſuum poſſit redire principium, & ibi requieſcere, vbi Chriſtus eſt in gloria Dei Patris, in Sabbato requietionis, in æternitate beatitudinis.

Ioan. 17. 24. Einſd. 14. 11. Gen. 2. 2.

G

A nullo pendet Deus, ſed ab ipſo pẽdẽt univerſa.

## CAPVT IX.

Poſtremò quærunt noſtri non cum litigio ſicut hæretici, ſed pio ſtudio tanquam Catholici, quærunt de Eccleſia Dei, quare ipſa ſit. Sed hoc ſcire nemo potuit, niſi is qui intra vnitatem Eccleſiæ Spiritum ſanctum accepit, & intrare in Sanctuarium Dei, Chriſto IESV aperiente, promeruit, & voluntatem eius in mandatis agnouit. O quàm magnus eſt iſte, quàm ſublimis charitate, qui rerũ origines & cauſas immutabiles apud Deum perſiſtentes intueri præualet! Qui æternum Dei conſilium ſtabile ſentit & immotum, quo de nihilo creata ſunt ſimul omnia in exordio rerũ, ſine interuallo temporis. Statim enim ex motu conditoris tempora cucurrerunt, & corporum partes, locorum ſpatia tenderũt. Non ſunt itaque res aliquæ in principio poſt tempora ſeu loca conditæ; ex motu namque rerũ tempora prodierunt, & ex ſpatio corporum loca diviſa ſunt. Deus autem prout voluit, & ſimul omnia condidit, & ſingula formauit.

Ad quid de Eccleſiâ quærunt Catholici.

H.

Prodeunt igitur omnia, fiuntque ſingula pariter ex voluntate divina, vt effectus ex cauſa. Non eſt ergo quærendum quare, vel vnde, aut quando Deus creauit mundum, vbive poſuit creatum, qui pro voluntate ſua de nihilo ſimul omnia edidit, de motu quorũ profluunt tempora, & partes corporum ſpatia dedère locorum, quinimmo quærendum fuit; Quis de omnibus creatis

Creatorem

A Creatorem ſuum ſcire potuit? Quis voluntatem eius in mandatis tenuit? Quis eius ſimilitudinem in virtutibus conſervavit?

Ad hæc invenis ſolos inter omnia conditos Angelum in cœlis, hominem in terris, rationali intelligentia præditos, qui unum verum, ſummum Deum, & Dominum pro ratione quærerent, pro intelligentia ſcirent, pro ſimilitudine ſingulariter amarent: homo enim conditus eſt ad imaginem & ſimilitudinem Dei; Angelus verò habuit in ſe ſignaculum ſimilitudinis Dei, ut utrâque tàm natura rationali, quàm ſimilitudine Dei, quàm unitate charitatis Domino Deo pariter obedirent, ipſum ſolum diligerent, & in ipſo beati permanerẽt. Agnoſcat igitur Angelus Deo conformatus, fœlix & beatus; agnoſcat homo per gratiã reparatus; quia charitas Dei ſuperemineus & ineffabilis, ad hoc ipſos ambos facere voluit, ut pro invicem geminata charitas in eis conſtituat Eccleſiam Dei; quæ Deum ex toto diligat, quæ ſeipſam in alterutrum diligendo mutuã charitate ad Deum referat.

*Homo ad imaginẽ Dei creatus; Angelus habuit, ſignaculũ ſimilitudinis Dei. Angelus & homo Eccleſiã conſtituunt.*

Ad hoc itaque facta eſt Eccleſiã Dei, ut ipſa in Deo, & Deus in ea ſit per unum IESVM Chriſtum Mediatorem noſtrum, qui & Angelum Deo confirmavit, & hominem Deo reconciliavit; ut ex utroque fieret Eccleſia Dei una, & ſingularis in unitate Spiritus ſancti, in quo Deum ſicuti eſt, facie ad faciem plenè, & perfectè videbit. Iſtam divinæ charitatis magnificentiam Propheta intuens aiebat: *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti timentibus te!* In tempore quidem eſt abſcondita, in æternitate erit manifeſta. De hoc abſcondito audi Filium in Evangelio: *Confiteor tibi Pater Domine cœli & terræ; quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & revelaſti ea parvulis. Ita Pater quia ſic placitũ fuit ante te.* Et Apoſtolus: Nunc *abſcondita eſt vita noſtra cum Chriſto in Deo. Cum autem Chriſtus apparuerit vita noſtra, tunc & nos apparebimus cum ipſo in gloria.* Igitur de Eccleſia Dei quid, & ubi, & quare ipſa ſit, videmur potius non tacuiſſe, quàm aliquid dignè, ſicut oportuit, reſpondiſſe.

*B Quare; Pſal. 30. 20. Matt. 11. 25. Coloſ. 3. 3.*

Tria iſta ex Deo eſſe, in Deo manere, cum Deo in unitate perſiſtere, ſi piè quæris, invenire poteris. Extra Deum nihil eſt eorum. In his tribus fidem, ſpem, charitatem pariter intuere. Ex Deo namque fides oritur, in Deo ſpes elevatur; cum Deo charitas operatur. In præſenti ſiquidem tempore fruſtra credis, ſi non ſperas, ſi non diligis. Fruſtra ſperas niſi credas & diligas; fruſtra diligis qui non ſperas, qui non credis. In hac temporali vita ſic iſta tria ſimul eſſe conſidera, ut eorum quid primum, quid ſecundum, quid tertium ſit, temere non aſſumas, ſed interminabilis auſpicia Trinitatis in eiſdẽ aſpicias. Ex tribus iſtis colligatur textura mirabili, ille, de quo Salomon atteſtatur; quia *funiculus triplex difficile rumpitur.* Funiculum tu complicas iſtum unum, & trinodum; ſi eo levaris ad Deum, à Deo deſcendis ad proximum, à proximo & te cum ipſo revehis ad Deum. Hæc eſt in Eccleſia Dei ſcala Iacob à terris erecta in cœlum, qua Angeli aſcendunt & deſcendunt, & redeũt ad Deum ſcalæ deſuper innixum. Hoc in viſione Dei Patriarcha Iacob vidit, & evigilans ait: *Terribilis eſt locus iſte; hic domus Dei eſt, & porta cœli: verè Dominus eſt in loco iſto.* Iſte ſi quidem locus in quo Dominus eſt non ſicut ubique, ſed ſicut in loco gratiæ, in quo piè quæritur, invenitur, & amatur. Terribilis domus Dei, porta cœli eſſe dignoſcitur; Terribilis omnibus Impiis, Schiſmaticis, Hæreticis. Domus Dei omnibus per Sacramenta renatis, ſeptiformi gratia ſancti Spiritus perornatis, uno pane cœleſti ſatiatis. Porta cœli omnibus cum Deo ambulantibus, ſicut Enoch, & ſublevatis cũ Helia in curru igneo, & aſcendentibus in cœlum cum Domino Deo IESV CHRISTO. Cum Deo fides pergit, ſpes procedit, Charitas aſcendit: cum Deo fides ſuperat, ſpes triumphat, charitas regnat: Charitas autem in fine temporum cum Deo tenebit imperium ſingulariter unum: In eo & fidei meritum, & ſpei bravium, & cæterarum debita virtutum completa charitas complebit in unum, cuius participatio eius in idipſum, qui eſt unum, & omne bonum omnium; per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

*C Extra Deum nulla eſt ſpes, ſpes, charitas. Eccl. 4. 12. Funiculus triplex charitas Dei & & proximi. Scala Iacob. Gen. 28. 17. D E*

---

*REVERENDO PATRI THEODORICO Ambianenſium Epiſcopo, HVGO Rothomagenſium Sacerdos, proſperari ſemper in Chriſto.*

MAGNA opera domini, exquiſita in omnes voluntates eius. Apud Carnotum cæperunt in humilitate quadrigas & carpenta trahere ad opus Eccleſiæ Conſtruendæ. Eorum humilitas etiam miraculis coruſcare, hæc fama celebris e undique pervenit. Noſtram denique Normanniam excitavit. Noſtrates igitur benedictione à nobis accepta, illuc uſque profecti ſunt, & ſua vota perſoluerũt, deinde forma ſimili ad matrem ſuam Eccleſiam in diœceſi noſtra, per Epiſcopatus noſtros venire cæperunt, ſub tali propoſito, quod nemo in eorum comitatu veniret, niſi prius data Confeſſione & pœnitentiâ ſuſceptâ, niſi depoſita ira & malivolentiâ, qui prius inimici fuerant convenirent in concordiam & pacem firmam. His præmiſſis, unus eorum princeps ſtatuitur; cuius Imperio in humilitate & ſilentio trahunt quadrigas ſuas humeris ſuis, & præſentant oblationem ſuam non ſine diſciplina & lacrymis. F

Tria illa quæ præmiſimus, confeſſionem videlicet cum pœnitentia, & concordiam de omni malivolentia, & humilitatem veniendi cum obedientia requirimus ab eis cum ad nos veniunt, eoſque piè recipimus & abſolvimus, & benedicimus ſi tria illa deferunt, dum ſic informati in itinere veniunt, quandoque & in Eccleſiis noſtris quam maxime miracula creberrima fiunt, de ſuis etiam quos ſecum deferunt infirmis, & reducunt ſanos quos ſecum attulerunt invalidos. Et nos permittimus noſtros ire extra Epiſcopatus noſtros, ſed prohibemus eos ne intrent ad Excommunicatos, vel interdictos. Facta ſunt hæc anno incarnati verbi M C X L V. bene vale. G

---

*HVGO ROTHOMAGENSIS Archiepiſcopus, ſedis Apoſtolicæ Legatus, Alphonſo Nobiliſſimo Comiti Tholoſæ, duci Narbonæ, Marchioni Provinciæ, Quidquid boni tibi mandare poſſumus & debemus.*

QVIA Deus tam honore, quàm probitate tuam perſonam egregiam & ſublimem conſtituit; decet omnimodis ut bene placeas ei, in cuius manu honor & probitas tua conſiſtit. Scripſit namque nobis tua liberalitas, quatenus aut Lugduni aut Viennæ, aut Valentiæ tibi occurramus; Sed pro tua reverentia magis apud Valentiam tibi obviam venimus. Nonis Martij, Domino docente, pro tua petitione erimus Valentiæ. Speramus enim te plena fide ſic velle proſequi ſicut Venerabili fratri noſtro Tricaſſino Epiſcopo promiſiſti, & nobis per litteras tuas id ipſum promittendo ſignificaſti. Feſtina reconciliari matri tuæ Eccleſiæ, ut creſcas ſemper in honore, egregie princeps & domine, vale. H

*Finis Partis ſecundæ ſæculi Duodecimi.*

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google